CRITICA HISTORICO-CHRONOLOGICA IN ANNALES...

Antoine Pagi, Cesare Baronio, Henri : de Sponde

Digitized by Google

37
7 F
7

Digitized by Google

CRITICA
IN
ANNALES BARONII.

Digitized by Google

Digitized by Google

CRITICA
HISTORICO-CHRONOLOGICA
IN
ANNALES
ECCLESIASTICOS
EMINENT^MI ET REVEREND^MI
CÆSARIS CARDINALIS
BARONII,

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi HENRICI SPONDANI, Appamiarum Epiſcopi, ejus Epitomatoris, ordine ſervato:

IN QUA

Rerum narratio defenditur, illuſtratur, ſuppletur; ordo temporum corrigitur, innovatur, & Periodo Græco-Romana nunc primùm concinnata munitur.

OPUS non ſolùm Annales Eccleſiaſticos, horumque Epitomen legentibus; ſed etiam omnibus Antiquitatis Studioſis NECESSARIUM.

Auctore R. P. ANTONIO PAGI, *Doctore Theologo, Ordinis Minorum Convent. S. Franciſci.*



LUTETIÆ PARISIORUM,
Apud { Viduam EDMUNDI MARTIN, JOANNEM BOUDOT, & STEPHANUM MARTIN, } viâ Jacobæâ, ſub Sole aureo.

M. DC. LXXXIX.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

18 H

Digitized by Google



ILLUSTRISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI

DOMINO D.

FRANCISCO DE HARLAY,

ARCHIEPISCOPO PARISIENSI,

REGIORUM ORDINUM COMMENDATORI;

DUCI ET PARI FRANCIÆ,

SORBONÆ PROVISORI;

Regiæ Navarræ Directori ac Superiori, &c.

I*AM dudum Viris doctis animadverſum*, ILLUSTRISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS, *Annales Eccleſiaſticos à Baronio inclyto eorum parente, Herculeo labore elucubratos, & à Spondano Eccleſiæ Gallicanæ ornamento mirâ induſtriâ in Synopſim contractos, ſupplemento, illuſtratione ac emendatione variis in locis indigere. Cùm enim ante Baronium nulla res in Eccleſia ita negligi viſa ſit, ac rerum in ea geſtarum verâ atque exactâ diligentiâ perquiſita narratio; & in Euſebio,*

Digitized by Google

Socrate, Sozomeno, Theodoreto & Evagrio, qui præcipuam earum partem attigere, non rarò claudicet veritas: nemini mirum videri debet, ſi in tam vaſto tamque difficili Opere aliqua minùs accuratè memorarit, aliqua verò ejus diligentiam ſubterfugerint. Ad has difficultates hæc inſuper acceſſit, quòd Chronologia, quæ certior veri inveſtigandi modus, quæque, ut dicebat D. Chryſoſtomus, eſt inſtar candelæ ſuper candelabrum, ſine quo omnia tenebrarum & confuſionis plena, *ſeculo proximè elapſo, quo in finem vergente Annales Eccleſiaſtici exarati, longè denſioribus tenebris quàm nunc obſita fuerit; & inter tot egregios Scriptores, quibus illud abundavit, pauciſſimi extiterint, qui vel alicui Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ parti ſolido criterio examinandæ, vel ſeriei temporum exactè diſtinguendæ operam & induſtriam collocarint. Nullus porro inficias ierit, quin plurimùm Eccleſiæ interſit, ut geſta in ea per tot ſecula, quantò certiùs fieri poteſt, literarum monumentis conſignentur, præclariora quæque annotentur, ſingulaque, quantùm temporis obſcuritas patitur, ſuis annis reddantur. Ex quorum defectu plura incommoda, præſertimque tria oriri videmus. Prima enim hominum, potiſſimùm Deo ſacrorum, ætas Chronologiâ in multis depravatâ imbuitur; fitque ferme, ut quàm faciles in ea primis illis annis ſunt ad omnia, quæ propinantur, imbibenda; ita illa firmiſſimè retineant, quæ ſemel tradita, intimis pectoribus ab adoleſcentia hauſerunt. Quare nec grandiores natu & egregiæ alicujus doctrinæ laudem conſecutos, quæ in eâ principia accepere, illos deponere poſſe, quotidiana experientia demonſtrat. Præterquam quòd nihil miſerabilius, quàm alicujus artis rudimenta ponere, cujus poſtea præcepta dediſcenda ſint. Hoc incommodum aliud*

Chryſoſtom. in hæc verba Oſeæ: Vidi Dominum.

conſequitur: cùm enim nullos Annales, nec fuſiores, nec univerſaliores, nec utiliores Orbis Literarius habeat, quàm qui à Baronio editi & promulgati, eoſdem librorum omnium, in quibus agitur de Hiſtoria Vrbium, Monaſteriorum, Eccleſiarum, aut de quacumque alia materia Eccleſiaſtica, fontem, matricem ac ſeminarium quoddam exiſtere neceſſe eſt; ideoque menda & errores in immenſum diffundi; dum Auctores, quæ corrigenda fuiſſent, exſcribunt; fundamentis ruinoſis, quæ evertenda erant, innituntur; & ex iis, quæ aliunde vera non eſſe conſtat, certum ſe aliquid deducere arbitrantur. Denique nunquam ſibi magis plaudunt Hæretici, quàm cùm deprehendunt, in Annalibus Eccleſiaſticis tempora turbari, Faſtos perverti, variaque aut tardiùs, aut citiùs quàm evenerint, in iis conſignari: inde enim anſam avidè arripiunt, populis, quos decepere, inſinuandi, factum id plerumque de induſtria, ut veritas obruatur, inferendique, illos ſicuti ex anachroniſmis & prochroniſmis, ita ex meris figmentis & ſuppoſititiis factis conſutos eſſe. Tria illa damna, quæ nullus æquus rerum æſtimator mediocria judicaverit, Viri literarum ſtudioſi ægrè huc uſque tulere; & Scriptores non vulgaris eruditionis in privatis Operibus, prout ſe dedit occaſio, iiſdem remedium afferre conati ſunt. Sed nemo hactenus fuit, qui integrum Annalium Corpus in rectum flectere aggreſſus ſit, ſive laboris magnitudine & varietate, ſive diuturnitate temporis in tam longo Opere conſumendi ab eo inſtituto deterriti fuerint. Ad hæc, obtrectatio invidiæ, quæ ſolet lacerare pleroſque, in cauſa eſſe potuit, cur Opus adeo neceſſarium tandiu fuerit dilatum: illi enim ſolenne alienam ſpeciem rebus obtendere, & quæ ob laudabilem finem molita, in malam partem interpretari. Hæc ſimiliáve

incommoda, ILLUSTRISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS, *cùm primùm hujus conſilii cogitatio inceſſit, prævidi; diuque, ne quid diſſimulem, animo hæſi, meæ tenuitatis conſcius, & ſubſidiis omnibus ad Opus adoriendum tanta diverſitate variatum, ac à nullo ex tot celeberrimis Auctoribus, qui hoc ævo floruere, tentatum, non ſatis inſtructus. Sed ubi in mentem venit, Amplitudinem Tuam conatus omnes, qui vel ad majorem facilitatem ſcientiis conciliandam, vel ad eruditionem amplificandam, vel ad Hæreticos convincendos adhibentur, promovere ac juvare, omni cunctatione abjecta, mare illud literarium, immenſum licèt & procelloſum, confidenter ingreſſus ſum. Nec diuturnæ moroſæque navigationis pœnituit: ad manuum enim Tuarum oſcula admiſſus, Tuique colloquii honore dignatus, famam, quæ tibi omnium animos devincit, præſentia auxit: & ſerenitas vultus Tui ad hilaritatem compoſiti, ac humanitas penè divina reverentiam & admirationem expreſſere. Crevit utraque, cùm oblato Tibi hoc Opere, innatâ eloquentiâ ac ſingulari doctrinâ explicaſti, quæ in eo præſtare, quæ vitare, & quibus adhærere debuerim: quid in Actis Sanctorum; quid in Epiſtolis Pontificum; quid in veterum Patrum monimentis; quid in ſacris Conciliis; quid denique in Hiſtoria Auguſtæ, tam Romanæ, quàm Byzantinæ Scriptoribus obſervandum fuerit, ut Critica Eccleſiaſtica Reipublicæ Chriſtianæ prodeſſe poſſit. Laudaſti enim memoriter teſtimonia, quibus omnia dicta tua confirmaſti, idque tantâ mentis ſolertiâ, ut ſtupens mecum uſurpare coactus fuerim iſtud Reginæ illius, non habentis ultra ſpiritum ad primum conſpectum Salomonis, Regum ſi-*
3. Reg. 10. *mul & mortalium ſapientiſſimi:* Verus eſt ſermo, quem audivi in terra mea, majorque

eſt

eſt ſapientia & opera tua, quàm rumor quem audivi. Sit Dominus Deus benedictus, cui complacuiſti: & poſuit te ſuper thronum Iſraël. *Sed illuſtrium Majorum tuorum imago, quæ animo meo obverſata eſt, illum ab admiratione revocavit: quod enim de Simplicio Bituricenſi Epiſcopo Sidonius, hoc ego potiori jure de Te aſſerere poſſum:* Parentes ipſius aut Cathedris, aut Tribunalibus præſederunt: illuſtris in utraque converſatione proſopia, aut Epiſcopis floruit, aut Præfectis: ita ſemper hujuſce Majoribus, aut humanum, aut Divinum dictare jus uſui fuit. *Non hìc tamen tot ſummos, quos Familia tua in utroque Ordine tulit Viros, de quibus Poſteritas omnis audiet & loquetur, commemorabo. Egregia eorum facta, & heroïcas virtutes perſequentur alii ad hujuſmodi argumenta magis idonei, quàm vir Antiquitati ſine fuco & pigmentis tractandæ innutritus. Sed præterire non poſſum Reverendiſſimum Patruum Tuum, & in Metropoli Rothomagenſi deceſſorem, diſciplinæ Eccleſiaſticæ acerrimum vindicem, tot libris Eccleſiæ defendendæ causâ editis celebrem, Hæreticorum debellatorem. Incidit ille in calamitoſa tempora, quibus Hæreſis Calviniana rabidâ vi, tam in Rothomagenſi Diœceſi, quàm in toto hoc florentiſſimo Regno graſſabatur, quibuſve Vipera venenata ac peſtifera perrumpebat latera matris. Nulli ipſe operæ, nullis ærumnis, nullis impenſis pepercit; non ſolùm ut oves ſibi à Deo commiſſas in vera Religione contineret; ſed etiam, ut qui ab ea deſciverant, eidem reſtitueret. Quòd ſi Hæreſi à* LUDOVICO MAGNO, *Te conſulente, proſtratæ ac jugulatæ ſuperſtes fuiſſet, ut Te unicè diligebat, & quòd primus in Academia Pariſienſi*

Sidon. lib. 7. poſt ep. 9.

quinque Ianſenii Yprenſis Propoſitiones à Sede Apoſtolica damnatas, publicis Theſibus impugnaſſes, & invidiam ac offenſionem multorum generosè contemſiſſes, Gemmeticenſi Abbatia ſeſe in Tui gratiam abdicavit, ac dein Coadjutorem ſuum à Rege poſtulavit, & magno Eccleſiæ Rothomagenſis bono obtinuit, incredibili lætitia perfuſus fuiſſet, cùm ſe à Nepote, in re, quam tot votis & precibus à Deo petierat, ſuperatum vidiſſet. Primis tuis laboribus, PRINCEPS ECCLESIÆ ILLUSTRISSIME, *ſuccidendæ hæreſeos Hydræ, gnaviter ac ſtrenuè diſputationibus & colloquiis præluſiſti: tandemque exultante ac plaudente Gallia, & tota Europa gratulante, Pariſienſi Eccleſiæ, totiuſque Cleri Gallicani negotiis à* LUDOVICO MAGNO *præpoſitus, non quieviſti, donec Factio illa, quæ de Religione Catholica è Regno eliminanda, partiendoque Sceptro, non cogitarat modò, ſed palàm coactis exercitibus aliàs tentaverat, prorſus extingueretur: O conſilium prudentiæ, magnanimitatis ac fidei erga Deum & Principem plenum! O proviſionem mentis Eccleſiam Gallicanam ad primævam ſuam gloriam ac ſplendorem revocantem! O ævi noſtri felicitatem! Quoties futura ſecula prædicabunt,* LUDOVICUM MAGNUM *innumerabilia Calviniſtarum per omnes Regni ſui Provincias ſparſorum delubra evertiſſe, ac ne unum quidem remanere voluiſſe; bipertitorum Iudicum litibus Hæreticorum decidendis Decurias, quæ tot Catholicis à vera Fide apoſtatandi occaſionem præbuerant, abrogaſſe; Edictum Nannetenſe armata manu exortum, & appellatis externis Regibus defenſum, millieſque tamen ab Hæreticis impune violatum reſcidiſſe: toties Te ſuaſorem tam ſanctarum Legum celebra-*

bunt. Exempla hac in re imitatus es , ILLUSTRISSIME ARCHIPRÆSUL, *præſtantiſſimorum antiquæ Eccleſiæ Præſulum* , *quos Tibi in omnibus imitandos proponis. Acholius Theſſalonicenſis Epiſcopus* , *quem D. Ambroſius* murum Fidei, gratiæ & ſanctitatis *meritò vocat* , *à Theodoſio Magno auream Sanctionem* , *piumque & ſalutare Edictum obtinuit* , *in quo Theodoſius ait :* Cunctos populos, quos clementiæ noſtræ regit temperamentum, in tali volumus Religione verſari, quam divinum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, Religio uſque nunc ab ipſo inſinuata declarat. *Theophilo doctiſſimo Alexandrinorum Epiſcopo præclarum Reſcriptum, quo ſacrificia, templorum aditus, omniſque Deorum per ſacrificia cultus in Ægypto ſub capitis pœna ab eodem Imperatore prohibentur, ipſi etiam Gentiles attribuunt, & quod ſummæ ei laudi fuit, in crimen vertunt. Eunapius enim in Vita AEdeſi ait :* Vix ex hac vita migraverat, cùm & cultus Numinis apud Alexandriam, & Serapidis delubrum diſturbata diſſipataque fuere; non Religio tantùm, ſed univerſa fabrica, & omnia eum habuerunt exitum, quem Poëtarum fabulæ tribuunt Gigantum victoriæ : ſimile enim quid Canobicis Templis accidit, imperante tunc Theodoſio, præſidente Theophilo, piaculari homine, & Eurymedonte quopiam, qui

Ambroſ. in Epiſt. ad Sacerdot. & Clerum Pleb. Theſſalon.

Latè Rex tumidos inter ſævoſque Gigantes
Primatum tenuit.

Odyſſ. 7.

Evagrio tunc Præfecto Auguſtali, & Romano Ægypti Legiones cum imperio obtinente :qui omnes iras adverſus ſaxa & la-

picidas aggerantes, ea oppugnabant, & qui bellum nunquam auditione acceperant, Serapidis ædem funditus demoliti ſunt, Templique donariis manus hoſtiliter injecerunt, abſque hoſte & citra prælium victoriam adepti. *Denique variæ Leges ab Arcadio Auguſto adverſus Hæreticos, Nectarii & D. Ioannis Chryſoſtomi Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum ſuaſu & exhortatione, emiſſæ. Quàm glorioſum Tibi tanti nominis Pontifices, quibus ſingulare in Catholicam veritatem ſtudium, incredibilis in Eccleſiæ bonum propenſio, totque heroïcæ virtutes Te ſimillimum reddidere, non ſolùm ſecutum eſſe; ſed etiam eorum veſtigia impleviſſe. Profectò fauſto omine contigit,* ARCHIPRÆSUL ILLUSTRISSIME, *ut de geſtis Antiſtitum Pariſienſium in literas mittendis cogitaveris; Operique Annalibus Eccleſiaſticis locupletandis, non parvo adjumento futuro, primæ notæ Scriptorem deſtinaveris: voluit enim Divina Providentia, ut illa immortalia tua facta, quæ ſuſpiciunt Galli, commendant Exteri, Poſteritatis memoria celebraret ſempiterna. Non heic referam miram tuam in Deum pietatem, ſacrum illum pro Eccleſiæ rebus ardorem, quem in Cleri Gallicani generalibus Comitiis, quibus ſingulis quinquenniis præſides, alibique ſemper demonſtraſti, in adverſis conſtantiam, in proſperis moderationem, aliaſque Divinas in omni genere virtutes Tuas; ne earum multitudine ac magnitudine ipſemet obruar, alioſque obruam. Sed ſatis mirari non poſſum vehementiſſimam in Regis obſequia animi tui proclivitatem, ac in gerendis, quæ tibi ſubinde committit, difficillimis negotiis vigilantiſſimam ſolicitudinem ac integerrimam fidem. Licèt enim tot graviſſimis occupationibus diſtrictus,*

In Codice Theodoſ. Tit. De Hæreticis.

ab illis accuratiſſimè procurandis nunquam animum remittis. Si Confluentes *domum Regiam, quæ tuâ operâ ad Epiſcopatum acceſſit, aliquando te conferas, ut aliqua quiete fruaris:* Ego tuum otium, aliorum negotiis anteverto. Non enim te amæna littora, nec diſpoſiti ad temporum vices habent ſeceſſus; ſed ſive tu agris, ſive oppidis tempus des, rem & famam pariter auges, *ut de magno Imperatore eloquentiſſimus aſſerebat Orator. Imò intentum Tuum illud ſtudium, in morbo, quo nuper conflictatus es, eluxit. Sicut enim Sanctus Gregorius Papa ægritudine corporis afflictus, innumerabiles pro Eccleſiæ neceſſitatibus epiſtolas dictavit, Paſtoralium virtutum præclariſſima exempla & Scriptis & rebus geſtis dedit; conſtantiam mentis & hilaritatem quandam ab optima conſcientia proficiſcentem, ubi aliquantulum cruciatus intermittebantur, ſemper prætulit: ita & Tu, dum boni omnes ingemiſcebant, veriti ne hanc tantam ac tam inuſitatam terris virtutem cælum nobis invideret, inconcuſſam inter dolores animi firmitudinem retinuiſti, & moleſtum illud otium, quantùm in Te fuit, rebus publicis imperturbatus impendiſti. Macte igitur animo Tuo, ac Tua virtute; nec unquam Regi, Eccleſiæ, Galliæ, Literis utilis eſſe deſine, tam ad ſeculi noſtri admirationem, quàm ad poſterorum documentum. Cúmque hæc Annalium Eccleſiaſticorum illuſtramenta lucem Tibi debeant, nec potiùs nuncupari poſſint, quàm Viro in illis verſatiſſimo, patere,* ILLUSTRISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS, *ut nomine Tuo inſcripta ea accipiat Orbis Chriſtianus, nunc dimidia, ſuo tempore integra, quæ vel nunquam, vel ſeriùs, vel minùs perfecta, erat à me habiturus, niſi amantiſſimis & honorificentiſſimis verbis, ad ea continuanda abſolven-*

Pacat. in Paneg. Theodoſii.

Baron. ann. 595. n. 111.

daque, me animaſſes, & inter eos adlegiſſes, quos Clerus Gallicanus, in Eccleſiæ gloriam & Literarum incrementum munificentiâ ſuâ ac beneficiis fovet. Quod certè eò Tibi honorificentius, quò non in urbe Regia, ut ceteri ferme Scriptores, qui magna aliqua aggrediuntur, ſed in ultima Sphæræ Gallicæ parte, ac in Clauſtri ſeceſſu vivam. Pro qua Amplitudinis Tuæ erga me beneficentia, cùm Tu nihil à me expetas, neque ego aliquid præſtare poſſim, ſedulò conabor, ut virtutum Tuarum, ac meæ voluntatis apud poſteros vigeat nunquam intermoritura memoria, ampliſſimiſque & æternis monumentis conſecretur

DOMINATIONI TUÆ ILLUSTRISSIMÆ

Æternùm addictiſſimus
F. ANTONIUS PAGI.

APPROBATIO

ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISS. APTENSIS EPISCOPI.

CUM ex omnibus Orbis Chriſtiani Nationibus nulla ſit, quæ in Annalibus Eccleſiaſticis ſæpius memoretur, & pluribus Regum, Epiſcoporum & omnium Ordinum factis eoſdem nobilitarit, quàm Gallica: Noſtratum gloriæ intereſſe videbatur, ut poſtquam Eminentiſſimus Cardinalis Baronius mirâ diligentiâ, immenſóque labore quæ hinc inde mille in libris innumeriſque Antiquitatis documentis, quæ nunquam lucem viderant, ſparſa collegit, ſolidóque criterio explicavit, aliquis ex Eccleſia Gallicana prodiret, qui ex ampliſſima meſſe ita feliciter collecta manipulos concinnaret; in quibus quidquid habet Hiſtoria Eccleſiaſtica præcipuum, contrahendo breviandoque, quaſi ſub oculos poneret, ut ejus lectio non ſolùm minùs operoſa, ſed etiam majoris commodi ac utilitatis eſſe poſſet. Tantum operæ pretium ante plurimos annos exegit Illuſtriſſimus Henricus Spondanus Appamienſis Epiſcopus, qui duobus voluminibus duodecim à Baronio elucubratos complexus eſt, iiſque duos alios propriâ induſtriâ elaboratos ſubſtituit, qui nobiliſſimam illam Hiſtoriam ad noſtra uſque penè tempora perducunt. Hinc tanti momenti ſtudii non parum antea neglecti major apud omnes cupido inceſſit; progreſſuque temporis illud adeo promotum, ut variæ in variis Orbis partibus Eccleſiæ & celebriora Monaſteria peculiares ſuos Annales habere voluerint, quibus Baroniani & majorem lucem accepere, & pluribus in locis augeri & ſuppleri potuere. Cùm itaque illuſtriſſimi Gallicani Antiſtites, & communi Eccleſiæ, & gregum ſuorum bono ſemper intenti, perpenderent, Annalium Eccleſiaſticorum Corpus (ut dies diei eructat verbum) novis acceſſionibus locupletari poſſe; idque nunquam pro votis ac dignitate conſequendum, niſi Euſebii, Socratis, Sozomeni, aliorumque Veterum Hiſtoricorum Eccleſiaſticorum editiones priſtino nitori aſſererentur, Opera Sanctorum Patrum, Sacrorum Conciliorum Acta, aliaque, quæ ſuperſunt vetera monumenta, correctiora prodirent, & quæ adhoc non ſine magno Chriſtianæ eruditionis detrimento in Bibliothecarum angulis latent, è tenebris educerentur, nullis pepercere ſumptibus, ut quæ ex illis jam edita ad MSS. probatorum fidem denuo recuderentur, & doctorum Virorum obſervationibus illuſtrarentur; ac quidquid in ſacris Eccleſiarum & Monaſteriorum Archivis religionis perduellium furorem evaſit, publici juris fieret, ut præmiſſis jam Annalibus quàm plurima, veluti gemmæ ad annulos ſuos accederent; néve hoc noſtro ſeculo, quæ præcedentium infelicitas fuit, rerum Eccleſiaſticarum Scriptores acta tantùm agerent, & jam à pluribus literis mandata, Echonis inſtar recantare ac repetere cogerentur. Neque ſapientiſſimos Antiſtites ſpes fefellit: quot enim fabulis, quæ Viris etiam oculatiſſimis fucum faciebant, libri purgati? Quot Sanctorum Patrum, tam Græcorum quàm Latinorum, & Conciliorum loca quæ Viros doctiſſimos irretitos tenebant, ſolidè enodata? Quæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pars in multis non ditata? Quot denique Opera poſt tanta ſubſidia in lucem emiſſa, quorum beneficio, quæ hactenus omnes latuerant, ita hodie aperta & manifeſta, ut ea ignorare non poſſit, niſi qui noſtri ſeculi felicitatem ſibi invidere voluerit? Quo tempore Baronius ſcripſit, ultimo ſcilicet ſeculo in finem vergente, noſtroque ineunte, varia Concilia, aut Conciliorum Fragmenta non ignobilia, multi Sanctorum Patrum Tractatus, plures veterum Pontificum Epiſtolæ, non pauca Sanctorum Acta, aliaque hujuſmodi ad rerum à noſtra ætate remotarum pleniorem intelligentiam mirè conducentia, quæ hodie in omnium manibus verſantur, nondum lucem viderant; & quæ jam extabant, vix doctorum Virorum laboribus explanata fuerant. Indeque neceſſariò factum, ut alia in controverſiam vocaverit, quæ nunc apud omnes certa indubitataque; alia prætererit, quorum cognitio non parum utilis; aliáque ſcripſerit, quæ ſi viveret, ut erat veritatis amantiſſimus, ipſemet libentiſſimè retractaret. Vidit Clerus noſter nuper apud Fanum Sancti Germani congregatus, plurimùm Eccleſiæ eruditionique Chriſtianæ intereſſe nobiliſſimum illud Annalium Eccleſiaſticorum Opus, cujus Auctori tantum Eccleſia Catholica

debet, majori, quâ potis eſt, curâ illuſtraretur, & idoneus reperiretur artifex, qui non ſolùm ſparſos variis in libris poſt Baronii mortem aut editis aut notis elucidatis, pretioſos lapides colligeret, & unumquemque ſuo loco atque ordine coaptaret; ſed etiam qui proprio labore & ingenio varias ex tot difficultatibus, quæ adhuc ſolvendæ ſuperandæque reſtant, profligaret & diſſolveret: exiſtimavitque, ſe tanto oneri parem inveniſſe in Auctore *Diſſertationis Hypaticæ, ſeu de Conſulibus Cæſareis.* Qui enim Faſtos Conſulares Onuphrii Panvinii adeo eruditè ſupplevit, & ad tantam perfectionem provexit, rei jam penè periculum fecit, & felicis exitus haud dubiam ſpem dedit. Quare cùm eam, quam de ſe concitavit, expectationem ſuſtinuerit, & tam Hiſtoriam, quàm Chronologiam Annalium Eccleſiaſticorum egregiè illuſtrarit, poteſt hoc Opus & operoſiſſimum & omnigenæ doctrinæ feraciſſimum inoffenſo pede decurri, & maxima cum utilitate perlegi. Hoc noſtrum de *Critica Hiſtorico-Chronologica in eoſdem Annales*, quam ſedulò examinavimus, judicium datum Aptæ anno Domini milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo octavo, die verò vigeſima octava menſis Auguſti.

JOANNES Epiſcopus Aptenſis.

De Mandato Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. mei D.
Du Temple Secr.

APPROBATIO

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISS. ARAUSIONENSIS EPISCOPI.

ALIENOS errores triumphare, ambitioſi; ſed quantum fieri poteſt, tollere, humani juxtà ac eruditi ingenii eſt. Hoc certè præſtitit Reverendus Pater Pagius in ſua *Critica Hiſtorico-Chronologica in Annales Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Cardinalis Baronii*, cujus Opus nobile inprimis & neceſſarium tantâ diligentiâ, tam accurato ſtudio illuſtrat, ſupplet, emendat virgulâ ſuâ Chronologicâ, ut in hac parte ne Scaligeris quidem, nec Petaviis inferior ſit. Quæſivit enim viam Vir ſtudioſus, ac, ni fallor, invenit, in materia caliginis plena, & in tanta penuria veterum Monumentorum, quâ facilis patet aditus, & Faſtis Conſulum corrigendis, & reliquis quæ ad temporum doctrinam faciunt, inveſtigandis. Nihil ergo aliud erit Liber iſte, quàm, ut Plinius loquitur, aliquod veluti templum auguſtum totius Antiquitatis. Unde meritò cenſemus ex tam præclaro incœpto, tum præſenti ætati noſtræ, tum poſteritati maximum emolumentum; quin & ipſi etiam Auctori latam gloriæ ſegetem acceſſuram. Arauſione Secundanorum quinto Kalendas Apriles anno natali Meſſiæ milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo octavo.

JOANNES JACOBUS DOBEILH, Epiſcopus Arauſicanus.

APPROBATIO

D. FRANCISCI DE BONFILS DE GUIGONNET DE CHEVALIER,

Doctoris in Sacra Theologia, & in utroque Jure, Abbatis & Canonici Sanctæ Metropolitanæ Eccleſiæ Aquenſis, Syndici Generalis Cleri Provinciæ, & Marchionis de Taillades.

QUOD jam diu tot votis expetitum fuerat, ut Sanctorum Patrum tam Græcorum quàm Latinorum Opera, & correctiora & auctiora prodirent: Acta Sanctorum in Bibliothecis aut Monaſteriis adhuc ſepulta è tenebris educerentur, & quæ à Surio aliiſque Scriptoribus jam publicata,

cum

cum MSS. conferrentur, & interpolationibus purgarentur: ac denique ut Annales Eccleſiaſtici, in quibus leguntur quæcumque in Sanctis Patribus Geſtiſque Sanctorum inſigniora, ſupplerentur & illuſtrarentur, id ſummo Orbis literarii plauſu noſtris diebus executioni mandari gaudemus. Euſebius quidem Hiſtoriam Eccleſiaſticam jam à multis ſeculis conſcripſit: ſed quemadmodum is omnes qui ante eum idem argumentum tractarant, longo intervallo ſuperavit; ita Baronius Euſebium, alioſque qui ejus exemplo incitati, res in Eccleſia per aliquot ſecula geſtas in literas miſére. Euſebius enim, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Evagrius, & ſi qui alii, rebus in Oriente peractis referendis totam ferè operam poſuere: eorumque labor intra pauca ſecula coarctatus Baronius verò quæcumque apud Græcos & Latinos ab Eccleſiæ primordiis ad finem ſeculi duodecimi contigere, non ſolùm narrare, ſingulaque, quantum fieri potuit, ſuis annis conſignare aggreſſus eſt; ſed etiam narrationi & Chronologiæ Chriſtianæ ſolidum criterium addidit. Quod ſi Euſebius, ejuſque Continuatores præſtitiſſent, & tam accurata rerum ac temporum obſervatione Opera ſua confeciſſent, in legenda Hiſtoria Eccleſiaſtica minùs cæcutiremus. Qua agendi ratione alios Cardinalis Eruditiſſimus docuit, quantùm referat, ut quæ certa, quæ dubia, quæ falſa in Scriptoribus deprehenderint, diligenter annotent, & quæ ab aliis, cujuſcumque nominis & exiſtimationis fuerint, perperam dicta compererint, corrigant; quia præter Sacros Scriptores alii omnes errori & deceptioni obnoxii, ut dicebat Auguſtinus. Quare ſicut omnium qui eum præceſſere, errata caſtigare conatus eſt Baronius, eâque in re ſummam laudem eſt conſecutus; ſic Auctor *Criticæ Hiſtorico-Chronologicæ ad Annales Eccleſiaſticos* maximè commendandus, quòd quæ tanti Viri, qui omnia pervidere non potuit, diligentiam ſubterfugerant, feliciter collegit; quæ jam ille diſcuſſerat, novo examini ſubjecit; & Hiſtoriam Eccleſiaſticam, tam ex veteribus Antiquitatis Monumentis poſt ejus obitum è tenebris eductis, quàm ex propriis animadverſionibus quamplurimis in locis auxit, emendavitque: idque non inanis gloriæ, ſed unius veritatis detegendæ ſtudio; utque errores Chronologicos ſimiléſve Lectores prætereant, non verò tranſcribant aut imitentur. Habent in hoc Opere Eruditi multa quæ hactenus parum cognita erant: alii verò ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam certiùs faciliúſque addiſcendam, tantum ſubſidium, quantum poteſt ſperari maximum; cúmque omnes eam à Baronio hauriant, tempus & labor utiliùs impendi non potuere, quàm in ejus Annalibus ad majorem perfectionem perducendis: nec Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Archiepiſcopus Pariſienſis, in quem intuens Auctor Criticam iſtam ſuſcepit, ab omnibus, præſertimque Clero adſcriptis, majorem gratiam inire, quàm cùm pro ſuo in Eccleſiam & Literas amore providit, ut ea lucem videret. Quamobrem cùm nulla Fidei Catholicæ & probis moribus contraria contineat, & ex ejus lectione ingentia in publicum emolumenta redundatura ſint, eam typis mandari poſſe cenſemus. Datum Aquis-Sextiis pridie Nonas Septembris anni 1688.

De Bonfils Taillades de Chevalier, Abbas & Canonicus Eccleſiæ Aquenſis.

APPROBATIO

REVERENDI IN CHRISTO PATRIS F. JOAN. CL. VIANY, Prioris Venerabilis Eccleſiæ Aquenſis Sancti Joannis Hieroſolymitani, S. T. D. necnon Facultatis Aquenſis Syndici.

QUÆ prodierunt in lucem volumina Eruditiſſimi Viri Reverendi admodum Patris Antonii Pagii, quantum famæ & nominis Auctori ſuo, tantum utilitatis & emolumenti Reipublicæ literariæ contulerunt. Quacumque enim Orbis eruditus extenditur, Diſſertatio ejus *de Conſulibus Cæſareis* legitur, & gaudet Provincia noſtra è ſinu ſuo hunc ortum Virum, qui non modò antiquis & poſterioribus Chronologiæ Scriptoribus

facem præferret; ſed cujus ſtudio & diligentia Annales Eccleſiæ ad meliorem formam aliquando reſtitui poſſent. Quod avidiſſimè expectabant Literati & Antiquitatis amatores, tandem in lucem prodit; & mirantur omnes ſepulcam illam rationem temporum, quæ in Quinquennalibus, Decennalibus, Vicennalibus, &c. ſita erat, tanti Viri immenſo labore excitatam, quâ innumeras Hiſtoriæ ambages ſolvat, & Chronologiam veritati reſtituat. In primo Opere ſolùm ipſe ſibi præluxerat, & vi laboris perfregerat interclusam undique viam: nunc ſe viæ ducem ſequitur, & ſe major effectus, novam regulam temporum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Baronii admovet, quâ emendatior appareat, illamque vindicet à perpetuis & innumeris cavillationibus Novatorum, qui ab unius anni vel Conſulatûs errore quandoque argumenta contra Fidei veritatem ducunt. Et in hoc fortunatiorem video Pagium noſtrum, quàm Scaligerum in Periodi ſuæ Julianæ inventione. Periodus enim Græco-Romana Auctoris noſtri non ſolùm præſtat omnia commoda quæ Juliana; ſed Æras etiam Chriſtianorum Orientalium complectitur, quas illa rejiciebat, multaſque alias utilitates affert, quas à Scaligeriana ſperare nullomodo poſſumus. Quamvis enim Scaliger methodum ſuam Periodicam ſummo Chronologiæ bono, Græcorum imitatione, ad Latinos tranſtulerit, aliquam tamen integram Græcorum Periodum ab eis accipere, ne in mentem quidem venit. Majori ergo in pretio Pagius habendus mihi videtur, qui tres Æras Græcas in unam reduxit, hancque Latinam fecit, cujus unico auxilio univerſam Chronologiam dirigere nunc edocemur. In Syrtim etiam, in quam Scaliger, non impegit, qui Periodum ſuam nudè tantùm & ſpeculativè propoſuit, quæ nulli Chronico, ut par erat, affixa, à nemine intellecta omnium animos deterruit: unde factum eſt, ut per plures annos ab eruditis Viris contemtui ſit habita, donec Sethus Calviſius tanti Critici inventa tam perſpicuè declaravit, ut illius ope è ſtercore ſe ſuſcitatum Scaliger ipſe ſæpius diceret. Ab hoc igitur ſcopulo Auctor noſter prudenter deflexit, qui Methodum ſuam non ſolùm luce clariorem exhibuit, ſed etiam Annalibus Eccleſiæ, quæ omnium Chronicorum præſtantiſſima, laborioſiſſimè adjunxit, è quibus nunc tanto præſidio roboratis longè major utilitas Orbi Chriſtiano accreſcit. Tale operæpretium peregit Pagius noſter: quamvis tam demiſsè de ſe ſentiat, ut inter amicorum colloquia ſæpius referat, etſi omni induſtria laboravit in Annalium emendatione, ſe tamen vereri ne in errata ipſe inciderit, quæ in aliis arguit: vires enim humanas ſuperare illam diligentiam, quæ omni errore in Antiquitatis caligine immunis eſſe poſſit; & ut multæ ſagittæ è ſcopo deflectunt, dum aliæ attingunt, ita ſibi forſan in ſuis diſquiſitionibus eveniſſe, ut non omnes è ſententia ſuccedant. Ex quo poſſumus intelligere modeſtiam ſingularem in Auctore noſtro conjunctam eſſe cum eruditione non vulgari. Quantum ergo debeat Eccleſia ejus indefeſſo labori, ipſum Opus ad omnem Fidei Catholicæ & Romanæ normam abſolutum per ſe oſtendet. Et forſan illud difficultatibus territus ad faſtigium uſque non perduxiſſet, niſi aſſiduis conatibus aſpiraſſet Illuſtriſſimus Pariſienſis Archiepiſcopus, qui ut eſt Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ peritiſſimus, & Eruditorum Mæcenas, nihil non egit, ſive jacentes animos erigendo, ſive librorum auxilia Cleri Gallicani liberalitate ſubminiſtrando, ut ingens Opus promoveret; quod tandem ad certum Eccleſiæ emolumentum Auctoriſque & Patriæ noſtræ decus & gloriam in lucem feliciter prodit. Datum Aquis in Domo noſtra Priorali prid. Kal. Septembris anni 1687.

D. JOS. ANTELMII A: FOROJULIENS. CANONICI

EPISTOLA AD AUCTOREM.

LEGI codices quos tranſmiſiſti, PATER ADMODUM REVERENDE, & hoc primum lectionis meæ pretium fuit ejus iterandæ cupido: habent enim id proprium quæque ſunt optima, ut quò plus tractantur, eò meliora compareant. Quod ex hac relectione mea magis ac magis expertus ſum, ubi quæ ſemel delibata me plurimùm affecerant, mox attentiùs conſiderata admirationem excitarunt. Et quorſum homini in Hiſtoriæ ſtudiis

omne penè otium à pueritia impendenti res aliter vertere poterat ; dum tam nova, tam inaudita, tam recondita, & hæc omnia tandem ſuis locis atque temporibus ſic aptè diſtributa toto Operis decurſu conſpexit, ut alterum ferè Hiſtoriæ Corpus ſibi exhibitum videre videretur ? Ordinis ſanè res erat, ad illud Opus incomparabile novam etiam Methodum accommodari, ut in eo vetera quæque noviter itidem tractata viderentur. Et illud ipſum ad miraculum præſtitiſti, qui Periodum Græco-Romanam excogitando, varias variantéſque omnium ætatum ac gentium Æras ita artificiosè coaptaſti, ut quæ erant inter ſe diſcrepantiſſima turbatiſſimaque, uno deinceps contuitu, adhibitis regulis tuis conjungi poſſint & extricari. Quid ſimile profectò in univerſali Hiſtoria; & illud quàm præcipuum? Deſiderabatur ut jam vindicatis ac defæcatis poſt tot labores & impenſas nobilioribus rerum geſtarum Monumentis, reperiretur denique modus, quo Docti in verſandis Hiſtoricis argumentis commoda opportuna naniſcerentur, tyrones in iis ambiendis complanatas eorum ſalebras animadverterent. At id magis hucuſque concupiſci, quàm pro dignitate præſtari poſſe credebatur, niſi tu poſtremum acceſſiſſes, Vir valentiſſime, qui Gordios illos nodos tua perſpicacitate diſſolveres, & aſpera quæque in vias planas deinceps commutares. Quòd ſi gloriæ tam appetens Scaliger ad annos Julianos Periodum ſuam accommodans, immortale nomen ſibi non immeritò peperit; major etiam te merces expectat, qui operoſiorem aliam Periodum de tuo concinnans, tantò majus punctum retuliſſe penes omnes videbere, quantò majus eſt omnes Orientalium atque Occidentalium Epochas ad iſtam tuam revocaſſe, quàm annorum variorum computum ad Julianum convertiſſe. Unde erit haud dubiè, ut quam tu, præ tua ſpectabili modeſtia, Græco-Romanam nuncupaſti, æquiores tibi poſteri PAGIANAM etiam dictitent. At non ex hoc ſolùm tua penes eoſdem merita vireſcent, non modò ſiquidem ad Pindari normam *Operis in capite ſplendentem ac renidentem faciem* repræſentaſti, ſeu ad Illuſtriſſimum Pariſienſium Archipræſulem Literatorum omnium, inter quos ſupereminet, ſuaviſſimum Patronum ac munificentiſſimum, præloquens, ad illum, inquam, ut de Collega quondam ſuo prædicavit *Apoll. Sidonius* Arvernorum Antiſtes; *ſine jactantia literatum, ſine ſuperbia nobilem, ſine invidia potentem, ſine ſuperſtitione religioſum, ſine aſperitate conſtantem, ſine popularitate communem*, omnes tecum celebrant, ac complectuntur; ſeu in Præfatione ac Apparatu Lectorem erudiens; ſed adhibitis in Critices tuæ proſecutione quæ reponis principiis, tum Chronologum agens, tum Hiſtoricum exhibens, omnem omnium diligentiam te unicum prævertiſſe nullus non agnoſcet. Et quidem quòd in Prologo de commendatiſſimis Viris *Onuphrio Panvinio*, & Cæſ. Card. *Baronio* tradis, quorum alter Chronologiæ concinnandæ, alter Hiſtoriæ deſcribendæ tam egregiam navavit operam, dum conſidero, effigiem tuam genuinè retractatam haud operosè intueor, qui duorum Ævi noſtri Columinum giganteos auſus in te ſuſcipiens, labores, in quibus ambo tam gloriosè viriliterque deſudarunt, unus exantlas, & quod utriuſque commendationi deerat, de tuo cumulatè ſupples. Sed dum quantumcumque claritatis à te prodit, in eos refundis, in te etiam copioſius regeris, & hac repercuſſa coruſcatione ſplendidior deprehenderis. Abſit verbo invidia, tam patuli radii illi ſunt, ut non ſolùm in alios pleroſque Eruditos ac eruditionis Principes, ſed in me etiam tanto ab utriſque intervallo ſejunctum diffundantur: quippe qui noſcens juxta Sapientis monitum *addendam* tantùm *ſapienti occaſionem, ut ſapientior fiat*, ex unius Forojulienſis Inſcriptionis obſervatione, quam tibi ſuppeditari, *Hypaticam Diſſertationem* tuam omnium Eruditorum ſtudiis ac laudibus acceptam elucubrans, & ex ea ad exquiſitiſſimum Opus iſtud viam tibi ſternens, ejus ſaltem occaſionem præbuiſſe, vel illud acceleraſſe gratulari mihi poſſim: in hoc etiam eorum voluntatem imitatus, quam laudat Hieronymus lib. 2. adverſ. Rufin. qui *tabernaculo Dei argentum & aurum*, vel *lapides pretioſos*, ſeu *byſſum aut purpuram* cùm *offerre non poſſunt*, *pelles ſaltem & caprarum pilos offerunt*. Et hoc rurſus pretio cenſebuntur forſan meæ illæ, quæ à te commendantur, circa Eccleſiaſticam noſtrarum Galliæ Provinciarum diviſionem, conjecturæ, de qua me per literas tecum diſſerere coëgiſti: vix enim aliud, quàm coram te balbutiiſſe, præſtare mihi poſſum. Sed etſi hac in explicatione tua eos etiam, qui hoc argumentum diligentiùs pertractarunt, in viam reduxeris, & offucias, quibus adhuc circumfundebatur intricata

quæſtio, exertè depuleris; ſcrupulo tamen mihi ſemper inſtat Alpium Graïarum è VII Provinciis expunctio, cujus loco primam Aquitanicam ſubrogas remotiorem quantumlibet, & *Honorii* reſcripto tacitè rejectam. Quorſum enim & qua valida ratione indultum ab Principe, *Novempopulaniæ & Aquitaniæ II, quæ longiùs conſtitutæ ſunt, judicibus*, adeſſe Conventui per *Legatos*, excluſa Aquitania I longiùs diſtante? At dum ad Aquitaniam primam & ſecundam devolvitur ſermo, quid in Quarta recèns creata nobis ambiendum, ſuaviſſimâ tuâ Epiſtolâ innuas, ſatis intelligo, quæ quippe Narbonenſi noſtræ Secundæ deſtinatis opibus jamjam ſuperba cum literatiſſimo nobiſque humaniſſimo * Antiſtite, literas, ac ſelectiſſimam librorum ſupellectilem, quibus ſtudia noſtra excolebamus, ad ſe rapuit. Et poſt hanc jacturam quidem Urbis veſtræ frequentiam minùs concupiſco, ſeceſſuſque mei ſtudioſior factus *ad ſecreta Lirinenſia* colluſtranda, ac illuſtranda totus convertor; quæque adeo publica facere ſpero, ex quo noſtræ *de SS. Leonis & Proſperi Operibus Criticæ Diſſertationes* prælis exierint: Sed heus; ne illis uſpiam ſupponantur, poſt toleratam illam, quam noſti, tam infidam ſortem, audio nunc poſtremùm Lutetiæ diſtractas nullorum hactenus curis ac officiis reperiri potuiſſe. En, inquies, ſeceſſus noſtri, terræque niſi inaquoſæ, *deſertæ* ſaltem *& inviæ* præmia! At hos etiam angores & auſteritates devorarem, ſi quantum mihi, ſic toto pene toto Orbe diviſo, è librorum copia decedit, tantundem in frequentiſſimæ collocutionis tuæ compendii, accederet. Vale, Santorpete ad ſinum maris Forojulienſis Ambracium, quem alii perperam *Sambracium* vel *Sambracitanum* ſcribunt, de quo alibi plura. x Kal. Februarii, Periodi tuæ Græco-Romanæ, ſi rectè calculos tuos capimus, ſepties milleſimo centeſimo octuageſimo primo.

* *D. Carolo le Goux tum Aquenſi, nunc Albigenſi deſignato.*

PERMISSIO

REVERENDI PATRIS PROVINCIALIS,

Frater Bonaventura du Brueil, Artium & Sacræ Theologiæ Doctor, & in Provincia Sancti Ludovici Ordinis Minorum Conventualium Sancti Franciſci Miniſter Provincialis,

CUM Opus Patris ANTONII PAGII, ejuſdem Provinciæ Exprovincialis, cui titulus, *Critica Hiſtorico-Chronologica in Annales Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Cæſaris Cardinalis Baronii*, duo noſtri Sacræ Theologiæ Profeſſores, quibus id à nobis injunctum fuerat, recognoverint, ac in lucem edi poſſe, imò & debere cenſuerint, tenore Præſentium facultatem facimus, ut ſervatis de jure ſervandis typis mandetur. In quorum fidem has Literas manu noſtra ſuſcriptas ac Sigillo Provinciæ noſtræ munitas dedimus. Aquis-Sextiis die decimo quarto Kalendas Septembris anni milleſimi ſexcenteſimi octogeſimi octavi.

F. BONAVENTURA DU BRUEIL, Miniſter Provincialis.

Fr. FRANCISCUS PAGI, Secretarius Provinciæ.

PRÆFATIO

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

SECULO proximè elapſo, quo ſuperiorum temporum infelicitate, Majorumque negligentiâ, Eruditio penè conſepulta ex ſuis veluti favillis reviviſcere cœpit, altas, quas dudum miramur, radices actura, ea præcipuam in defæcanda ac integritati ſuæ reſtituenda Hiſtoria operam collocavit. Cujus notitia cùm ad omnes egregias artes ac diſciplinas conſequendas plurimùm conducat, ad Eccleſiæ doctrinam perdiſcendam multò magis neceſſariam eſſe, non eſt cur heic demonſtrare ſatagam; quod penes omnes æquè convenit, qui res Eccleſiaſticas illotis, ut aiunt, manibus non attrectarunt. Id ipſum Sectarios præjudicaſſe, dum novos errores priſcis ac depravatis Antiquitatis documentis propaginare machinati ſunt, neminem latere exiſtimo. Verumtamen ex eorum conatu ſtudioque illud inter alia plurima non poſtremum in Eccleſiam Catholicam redundavit emolumentum; quod exinde de ſincera ejus Hiſtoria per omnes ſuas ætates digerenda concinnandaque ſeriò cogitatum eſt. Ad tantum opus, antea intentatum, expediendum duo ſummi Viri, quorum fama celebritaſque nunquam deficient, præſtò adfuerunt, quaſi valentiſſimi pugiles, qui in hac ſacra palæſtra primi præcipuique mererentur, *Onuphrius* ſcilicet *Panvinius*, Auguſtinianæ Familiæ decus, & *Cæſar Cardinalis Baronius*, Congregationis Oratorii à Sancto Philippo Nerio tum recèns inſtitutæ, ac Sacri Collegii lumen & ornamentum. Et quidem Onuphrius ex Romanæ Hiſtoriæ Scriptoribus, Tabulis Capitolinis, inſcriptis Lapidibus, ac Imperatorum Nummis jam Faſtos Conſulares non minori labore quàm laude elucubrarat: tempora poſt Juſtinianum Auguſtum uſque ad Albertum Romanorum Regem primore manu & opera informarat: Chronicon Eccleſiaſticum, aliaque plura egregia Opera in lucem emiſerat; cùm anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octavo, ætatis verò triceſimo nono, magno Hiſtoriæ, tum Eccleſiaſticæ, tum Romanæ detrimento, mortalitatem explevit.

I. Onuphrius Annales Eccleſiaſticos meditabatur.

Natus tunc erat Baronius annos ferme triginta, jamdiuque à Sancto Philippo Nerio electus fuerat, qui Magdeburgenſium Centurias adverſus Eccleſiam Catholicam ſcriptas refelleret. Quem, dum Onuphrius viveret, idem con-

II. Quod Onuphrius meditabatur, Baronius

executus eſt. ſilium mente concepiſſe, diſcimus ex iis, quæ in Vita S. Philippi linguâ Italicâ ac typis Romanis M DC XXXI excuſa, lib. 1. cap. 13. leguntur: *Gli parue una notte in ſogno* (de Baronio Auctor loquitur) *di diſcorrere inſieme con Onofrio Panvino, il quale in quei tempi andava anch' egli mettendo inſieme l'Iſtoria Eccleſiaſtica: e ragionando ſeco di cio, che Filippo gli aveva impoſto, lo pregava con grandiſſima iſtanza, che voleſſi egli dar compimento all' incominciata impreſa. Hor mentre il Baronio tutto anſioſo diceva queſte parole: Gli parue che Onofrio non lo voleſſe altrimente aſcoltare; mà ſi voltaſſe altrove, e volendo pure il Baronio ſeguitare il ſuo diſcorſo, e moſtrarli con ragioni, che a lui s'apparteneva per ogni riſpetto di comporre gli Annali, ſentì ſenſibilmente e diſtintemente la voce del S. Padre, che gli diſſe: Quietati, Baronio, e non ti affaticare più in queſto ragionamento, per che l'Iſtoria Eccleſiaſtica l'ha dà far tù, e non Onofrio.* Poſtquam itaque Baronius eo in Opere annos triginta inſumſiſſet, præmiſſis auſpicii vice *Notationibus ad Martyrologium Romanum*, primum Annalium Eccleſiaſticorum tomum publicavit, tanto omnium applauſu, ut fuerint etiam ex Proteſtantibus, qui ejus diligentiam, fidem, eruditionem, judicium commendarint. Et revera tam in eo, quàm in ſequentibus tomis undecim innumeras difficultates, quæ antea diſſolvi non poſſe credebantur, enodavit; complura denſis tenebris circumfuſa in manifeſtam lucem eduxit; tantúmque rerum Eccleſiaſticarum cognitionem promovit, quantùm ante eum nemo.

III. *Annales rerum narratione & temporum conſignatione conſtant.* Verùm cùm eo labore Centuriatorum vires penitus enerventur, ſumta inde à quibuſdam Proteſtantibus anſa adverſus Baronium varios libros ſcribendi, qui ſtatim à Catholicis ſolidè confutati ſunt. Non eſt tamen, quòd quis exiſtimet, ex hujuſmodi concertationibus Annales Eccleſiaſticos aliquam lucem accepiſſe; cùm ferè omnia, quæ inter utroſque agitata fuere, externa & Annalibus Eccleſiaſticis adventitia ſint. Hoc enim tanquam certum principium ponendum, eos ex Hiſtoria, ſeu rerum in Eccleſia geſtarum, vel quæ cum iis connexionem aliquam habent, narratione tanquam ex materia, ex Chronologia verò ac recta conſignatione temporum, quibus res, quæ referuntur, peractæ, tanquam ex forma conſtare: & quæcumque alia in iis contenta, cujuſvis momenti ſint, ea tantùm tanquam corollaria & auctaria quædam eſſe ſupra id quod Annalibus neceſſarium, debitumque, adjecta. Eccleſiaſticæ enim Hiſtoriæ hoc quidem probant, ut ſcribit Lanfrancus in Commentario de Euchariſtia adverſus Berengarium, *quod*

hanc Fidem quam nunc habemus, omnes Fideles qui nos præceſſerunt, à priſcis temporibus habuerunt; ſed earum non eſt id alio argumento probare, quàm narratione rerum ab ipſis naſcentis Eccleſiæ primordiis, in diverſis Orbis partibus actarum. Profectò tot ac tam diverſorum eventuum ſincerâ expoſitio, annis, quibus contigere, illigata, campum ſatis amplum ſuppeditat, abſque eo quòd opus ſit, ut Hiſtoricus Eccleſiaſticus in iis quæ tanquam aliena reputare debet, laboris & induſtriæ partem inſumat. Quæ itaque ad Fidem adverſus Hæreticos certis argumentis & auctoritatibus tuendam ſpectant, ea ad Auctores, qui de controverſiis Catholicos inter & Heterodoxos verſantibus tractarunt, aut ad ſacræ Scripturæ Interpretes rejiciat, oportet. Sic ejus non eſt pertractare ad quæ ſeſe Poteſtas Eccleſiaſtica extendat, quidve in rebus Eccleſiaſticis Principibus ſecularibus liceat, ac ſimilia declarare. Hæc quippe, pluráque id genus alia, nonniſi ex accidente ac ex occaſione & rariùs in Annalibus Eccleſiaſticis examinanda; alioquin aliquibus ii limitibus vix circumſcriberentur, aliudque non eſſent, quàm aggregatum quodpiam ex Theologia, controverſiis Fidei, ſacræ Scripturæ interpretatione, Jure Canonico, aliiſque hujuſmodi ad res ſacras pertinentibus. Mirum autem videri non debet, Baronium multum in hujuſmodi fuiſſe; cùm primarius ac præcipuus, quem ſibi propoſuerat, ſcopus, eſſet confutatio *Centuriarum Magdeburgenſium*, in quibus Auctores cumularant quæcumque adverſus ſanctitatem Eccleſiæ Romanæ, auctoritatem Summorum Pontificum, omniaque Religionis Catholicæ dogmata facere ſibi videbantur. Quamobrem Operi Controverſiarum Opus merè Chronico-Hiſtoricum opponendum non erat. Quòd ſi puros putos Annales Eccleſiaſticos Cardinalis non minùs ſapientiâ ac prudentiâ, quàm doctrinâ præſtans, elucubrandos habuiſſet, varia, de quibus fusè diſſerit, leviter tantùm attigiſſet.

IV. *Annales non illuſtrati à Baronii Adverſariis.*

Ex quibus facilè quilibet intelligere poteſt, omnes qui adverſus Annales Baronii ex profeſſo ſcripſere, parum aut nihil ad eorum emendationem, ac illuſtrationem contuliſſe, cùm nec eorum materiam, nec eorum formam ferè attigerint; ſed ipſis rei neglectis capitibus, acceſſionibus occupati fuerint. Quod quidem nullo negotio demonſtrari poteſt. Non longè poſt ejus mortem, quæ anno hujus ſeculi ſeptimo contigit, *Iſaacus Caſaubonus*, Vir magni apud ſuos nominis, calamum ſtrinxit in primum ejus Annalium tomum; ſed dum Theologum & Scripturæ Interpretem agit, vixque Hiſtoriam, & quæ ad temporum notationem

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

pertinent, præ oculis habet, *Exercitationes in Baronium* (ita liber ejus inſcribitur) in poſtremis habentur. Scripſit & deditâ operâ in Baronium *Melchior Goldaſtus* in Commentario, quem adjecit Operi ſuo *de Conſtitutionibus Imperialibus*, ſpecie Imperii tuendi adverſus illum ac Romanos Pontifices. Sed cùm Commentarius ille Politiam Eccleſiaſticam, in quo ea multifariè pervertitur, non verò Hiſtoriam & Chronologiam Chriſtianam reſpiciat, aliud ad Annalium illuſtrationem ſubminiſtrare non poteſt, quàm chartas quaſdam, quas tamen is Auctor malè interpretatus eſt. *Mitto Robertum Montacutium*, alioſque quoſdam, quos palam eſt, in libris adverſus Baronium editis, nihil, quo Annales aut corrigerentur, aut amplificarentur, in medium protuliſſe, ut veniam ad *Joannem Henricum Hottium*, poſtremum Annalium Baronii impugnatorem.

V. *Præſertimque ab Hottio.*

Hujus prior tomus prodiit Tiguri anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſexto, ita inſcriptus: *Examen perpetuum Hiſtorico-Theologicum in Annales Cæſaris Baronii Cardinalis.* Complectitur volumen illud Centuriam primam, ſeu centum primorum Eccleſiæ annorum Hiſtoriam, quemadmodum & alia ab eodem Scriptore deinceps edita Centurias ſequentes. Ubi contigit titulum illum legere, aſſerere non dubitavi, nihil ad Annalium elucidationem ab eo Opere ſperandum; cùm Theologia, quæ tanquam pars illius præcipua proponitur, nec ad formam, nec ad materiam Annalium pertineat. Nec fefellit opinio: cùm enim duo priores tomi, ſeu priores duæ Centuriæ ad manus meas venêre, in Præfatione prioris hæc legi: *Quid curem hoc, vel illo anno; prius, an poſterius; hoc, vel illud negotium; hanc, vel illam rem, in qua nihil periculi, nihil fraudis, geſtam? Scaligeri, Petavii, Calviſii, Bucholzeri, Helvici, & aliorum Chronica in magno æſtimo: at Baronium me tractare, atque res ipſas me ſpectare, meminerit Lector.* Quid ſperandum ab homine, qui in Annalibus Eccleſiaſticis examinandis excutiendiſque, Chronologiæ notitiam inutilem exiſtimat, quorum tamen hæc potiſſima pars, ac veluti forma; res autem magis ſit ſua forma, quàm ſua materia, & homo magis animâ, quàm corpus; formâ, ut inquiunt Philoſophi, dante eſſe rei. Annalium Auctor res per annos ſingulos monumentis commendat, teſte Gellio lib. 5. cap. 18. indéque Tacitus præclarus Annalium Conditor: *Ni deſtinatum*, inquit, *mihi foret, ſuum quæque in annum referre.* Quare Annalium Emendator, Reformatorque, quale ſibi munus Hottius aſciſcere videtur, nudas res contemplari non debet, ſed ſemper cum ordine ad tempus, quo

res actæ, eaſque in ſuos annos reſtituere, ſi quem corrigit Auctor, eo in capite peccaverit. Denique, quod priùs contigit, poſtponere, & e contrà, eſt ſibi, aliiſque viam detegendæ veritatis obſepire, ſeſeque & alios fraudi errorique exponere.

VI. *Hottius peſſimus Criticus.*

Sed qui tam depravatum de Annalium Eccleſiaſticorum forma judicium fecit, de rerum narratione melius non habuit. Loquens enim de Catholicis Scriptoribus, qui iis illuſtrandis, in illis quos edidere libris, operam dedêre, ait: *Interdum quidem Tabulas prætendunt, imò fortè oſtentant; at vel ficta illa ſunt & prætenſa, vel ſubreptitia à ſubornatis transfugis ſcripta, vel tandem ſenſum habent longè alium.* Paulò antea, Concilia, quæ Catholici in eorum, quæ in medium] adducunt, confirmationem citant, præſertimque Romana, tanquam falſa commentitiaque ſeſe reprobare, rejicereque ſcripſerat. Quamobrem ex illis Centuriis adverſus Baronium ſcriptis nulla prorſus utilitas eſſe poteſt, neque ad ejus Hiſtoriam, neque ad ejus Chronologiam magis perficiendam.

VII. *Illuſtrationem Annalium hactenus intentatam Auctor aggreditur.*

Quoad Catholicos, nullus ex illis fuit, qui vel unum Annalium ſeculum examinandum aggreſſus fuerit. Verum quidem eſt, *Joannem Dartis*, in Senatu Pariſienſi Advocatum, decimo circiter poſt Baronii mortem anno, Libellum compoſuiſſe, cui titulus, *Animadverſiones in Annales Eccleſiaſticos Cæſaris Baronii S. R. E. Cardinalis, & Iſaaci Caſauboni Exercitationes.* Sed Notæ eo in Opuſculo contentæ adeo numero exiguæ, ut ad duos vel tres annos Annalium emendandos, plures ſæpe requirantur. Præterquam quòd circa difficultates parvi momenti ferè omnes verſantur, præcipuaſque Spondanus in Epitomen ſuam inſeruit. Quando aliàs initum à me conſilium *Noriſio* Viro in rebus tum profanis, tum Eccleſiaſticis exercitatiſſimo, literis aperui, reſcripſit ille, ſibi, dum *Chriſtianus Lupus*, ejuſdem Sodalitii Auguſtiniani celebris Scriptor, in vivis eſſet, eandem Annalium emendationem in mentem veniſſe; ſed quòd ſciret, illum idem conſilium meditari, aliò ſeſe animo ac cogitatione convertiſſe. Cùm itaque viderem nobiliſſimum argumentum à nemine occupatum, operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi illud mihi ſumerem. *Etſi autem nos ejuſmodi operi impares eſſe non ignoramus*, ut antiqui Scriptoris anonymi in Vita Sancti Domnoli Cenomanenſis ſexto Eccleſiæ ſeculo Epiſcopi verbis utar, *quippe cui eſt ingenii, eloquentiæ, & eruditionis anguſta ſupellex: attamen ſatius fore arbitrati ſumus, vel exiliter dicere ea pauca quæ novimus, quàm cum ſervo pigro & deſidioſo* [Matthæi 25.] *pro retenta*

domini pecunia, in damnationis diſcrimen adduci. Quantum enim ad Eccleſiæ utilitatem & Eruditionis augmentum hoc Opus neceſſarium ſit, in Epiſtola nuncupatoria ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Archiepiſcopum Pariſienſem, cui illud acceptum referri debet, jam indicavi.

VIII. *Emendationes aliorum in hanc Criticâ translatæ.* Porro plura ab Auctoribus, qui poſt Baronii mortem ſcripſere, in peculiaribus Tractatibus, Operibuſque Criticis, aut Chronologicis annotata; quæ poſtquam momento ſuo expendi, ſparſim in hanc Criticam inſerui, ubique imitatus ingenuitatem Nepotiani, de quo Hieronymus ad Heliodorum ſcribit: *Illud, aiebat, Tertulliani, iſtud Cypriani, hoc Lactantii; illud Hilarii eſt; ſic Minutius Felix; ita Victorinus: in hunc modum eſt locutus Arnobius. Me quoque, quia pro ſodalitate avunculi diligebat, interdum proferebat in medium,* dum ſcilicet adhuc Hieronymus viveret, nondumque ampliſſima illa laudum præconia, quæ poſtea, conſecutus eſſet. Nullus enim ſua laude fraudandus; quod tam de Scriptoribus Orthodoxis, quàm de Proteſtantibus intelligas velim. Ex his multi Hiſtoriæ & Chriſtianæ Chronologiæ difficultatibus expediendis in privatis ſuis Operibus non parum laboris inſumſere, pluráque primùm animadterunt, quæ hactenus alios latuerant, quæque in hanc Criticam corrivavi, & ſuis Auctoribus attribui. Neque enim exiſtimandum, Veritatem & Eruditionem hæreticas eſſe, ut periculum ſit iis adhærere, quæ à Viris doctis Catholicam Fidem non profitentibus, accuratè ſcripta ſunt. Quod ab his itaque laudabiliter inventum, prætermittendum non fuit; imò novis argumentis confirmandum, vel eorum conjecturæ ad ſcientiam & evidentiam, quòd facile ſit inventis addere, quando potis fuit, revocandæ. Qua in re Origegenem & Hieronymum habeo auctores. Ille in fine libri octavi & ultimi contra Celſum Chriſtianæ Religionis adverſarium, inquit: *Scito, Celſum polliceri editurum ſe alium Tractatum, in quo doceatur, quomodo vivere debeant, qui volunt & poſſunt parere ipſius monitis; quem ſi non ſcripſit, quamvis promiſſum, contenti erimus ei reſpondiſſe his octo voluminibus. Quòd ſi & illud Opus ab eo perfectum eſt, quæſitum ad me mittito, ut & ad id reſpondeamus quidquid veritatis pater ſuggeſſerit, & refellamus mendacia. Si quid autem verum admixtum fuerit, citra contentionem confirmabimus noſtro teſtimonio.* Hieronymus verò in Apologetico adverſus Rufinum: *Vir*, inquit, *doctiſſimus Euſebius, doctiſſimum dixi, non Catholicum; ne more ſolito, mihi & in hoc calumniam ſtruas.* Facit & ad eandem rem quod Ludovicus Vives, & Petrus Bleſenſis ſcripſerunt. Ille lib. 5.

de tradendis diſciplinis habet: *Non erubeſcet homo ſciendi cupidus à quocumque diſcere, qui docere quid poſſit. Cur hominem ab homine pudeat diſcere; cùm humanum genus multa à belluis diſcere non puduerit?* Bleſenſis etiam in Epiſtola 92. adverſus Zoïlum quendam Scriptorum ſuorum obtrectatorem. *Quis fraudi*, ait, *Virgilio vertat, ſi ad ſui ornatum carminis quædam ab Homero, vel aliis mutuetur? imò gratia habenda eſt ei, quòd in opus perpetuò manſurum dicta eorum tranſtulit, quos jam neglectui & riſui habebamus.* Et paulò poſt: *Denique & judicio transferendi, & modo imitandi conſecutus eſt, ut quod apud eum alienum legimus, meliùs ibi, quàm ubi natum eſt, ſonare miremur.* Scriptores itaque tam Catholici, quàm extra Eccleſiæ caſtra militantes, multas nobis emendationes ſuppeditarunt, licèt in variis Annalium locis aliquod nobis ſpicilegium, in aliis verò integram meſſem reliquerint; *quam partem*, ut in ſimili, Oratorum princeps loquitur lib. 3. de Officiis, *relictam explebimus, nullis adminiculis, ſed, ut dicitur, noſtro marte.*

IX. *Emendatio Annalium expetita.*

Cúmque omnibus, quantùm fieri poteſt, debitum retribuendum ſit; quod judicii ſui teſtimonium dare dignati ſunt Eminentiſſimi Cardinales *Hieronymus Caſanata, Hieronymus Barbarigo*, & *Laurentius de Laurea*, clariſſima Sacri Collegii lumina, de quorum pietate, ſapientia, doctrina, ceteriſque heroïcis virtutibus quidquid in medium afferre poſſem, minus eſſet, heic non celàbo. Illi non ſolùm crebris literis benevolentiæ & amoris pleniſſimis ſignificarunt, jamdiu ſibi in votis fuiſſe, ut ex Literatis quis *Opus* iſtud *operoſiſſimum*, in Eccleſiæ utilitatem ceſſurum, in ſe ſuſciperet; ſed etiam hortamentis continuis ardentiſſimiſque magnos animos fecere ad illud abſolvendum, multorumque annorum moleſtiam devorandam. Qui intelligentes, me minutiùs & ſcrupuloſiùs omnia ſcrutari, interimque annos effluere, ne diutius eo ſubſidio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Lectores defraudarentur, moras omnes rumperem, juſſere: ſatis vel ex hoc vulgi opinamenta prædamnantes, qui inde Baronio decrementum, imò & injuriam inuri ſomniat, unde ſapientiſſimi illi rerum æſtimatores decoris titulos accreſcere putant; cùm ſi quid heic reconditi atque accerſiti deprehendatur, id penè totum in Polyhiſtoris gloriam ac celebritatem non minùs refundi debeat, quàm rivi in fluvium ſponte labentes; & ejuſdem Operi illuſtrando perennandoque litatum fuerit. Quod etſi jam ultro, iſtud ut auſpicatus ſum, intellexiſſem, tantorum tamen Cenſorum non mihi pergratum judicium eſſe non potuit, nec eorum vota mihi deinceps pro lege non cedere:

indeque promptum obſequium longioribus induciis antehabui, ratus me id ſaltem conſecuturum, ut tam venerandis *Arbitris* non repoſcerer (quod ait Sidonius lib. 9. epiſt. 16. ad Firminum) *res omnino diſcrepantiſſimas, maturitatem celeritatemque. Nam quotiens liber quiſpiam ſcribi citò jubetur, non tantum honorem expectat Auctor à merito, quantum ab obſequio.* Denique multum me debere profiteor Eruditiſſimo Domino *Antonio Magliabechio*, Viro non minùs literatorum quàm literarum ſtudioſo, qui non ſolùm quæcunque in Orbe literario ad inſtitutum meum conducentia geſta ſunt, vel geruntur, mihi identidem ſignificavit; ſed & libros recèns editos, quos citò ac commodè habere non poteram, pro ſua erga me benevolentia non raró tranſmiſit.

X. *Auctor Diſſertationem Hypaticam, ut Baronius Notas ad Martyrologium præmiſit.*

Fiduciam aliunde præſtitit, quòd, cùm ſolenne ſit ad magnos & arduos conatus, velitationibus quibuſdam ſeſe accingere, ut juxta prudens Poëtæ conſilium experimento poſſit intelligi

Quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri.

& hujus ego moris ſervans *Diſſertationem Hypaticam*, ſeù de Conſulibus Cæſareis publicavi ex occaſione Inſcriptionis, quam Forijulii nuper repertam pro antiquæ neceſſitudinis jure mihi communicavit ejus Antiquitatum diligens perſcrutator atque Hiſtoricus, *Joſephus Antelmius* Canonicus: ea autem Eruditorum commendationem laudeſque cùm retuliſſet, quaſi publicus vades ac arrhabo fuit ſuffragii operæ acceſſuri, quæ jam excuſſis ac probatis principiis niteretur. Qua quidem in re Eminentiſſimi *Baronii* ſigniferi mei veſtigiis inſtiti, qui *Notationes* ſuas *ad Romanum Martyrologium*, Annalium Eccleſiaſticorum editionem, ob ſummam, quæ inter utrumque Opus intercedit, affinitatem, antecedere voluit. Animadverti enim, rerum Eccleſiaſticarum notitiam à Romana & Byzantina Hiſtoria, quas in ea Diſſertatione illuſtrare conatus ſum, perſæpe pendere, & ipſis quadantenus implantatam eſſe. Etſi enim labor ille aliquot Criticorum, quorum querelas pro ſua in me voluntate mihi ſpeciali Epiſtola in lucem emiſſa deferre duxit Doctiſſimus *Henricus Noriſius* ſæpius à me laudandus, cenſuram moverit, cujus robore mea omnia deturbaſſe pronuntiabant, res tamen ſecus illis ceſſit; adeo ut Conſulatuum Cæſareorum regulas, quas ibidem ſtatui, Oratio Themiſtii de Conſulatu Saturnini, quæ tunc nondum è tenebris prodierat, eas certas eſſe demonſtrarit, ut infrà anno Chriſti CCCLXXXIII, quo Saturninus dignitatem illam geſſit,

&

& Theodoſius Magnus Quinquennalia dedit, videbitur. Unde quia illis ipſis adhærendi major deprehenſa neceſſitas, & trita jam via in Operis iſtius ſerie, magis magiſque terenda veniat, eædem regulæ contra omnium molitiones, qualibet data occaſione, ſolidandæ, earumque notitia heic paucis retractanda, in eorum gratiam, ad quorum manus Diſſertatio illa non pervenerit, eóque magis, quò eas ad majorem perfectionem perducere conatus fuerim.

Sex regulæ Conſulatuum Cæſareorum.

Docui itaque, Auguſtos ac Cæſares aliis annis Conſula- XI.
tum de more non iniiſſe, quàm initio Imperii; in Quinquennalibus & id genus feſtis; in conſortio aliorum Imperatorum aut Cæſarum Conſulatum ſecundùm eaſdem regulas ſuſcipientium; occaſione alicujus belli aut victoriæ reportatæ; ratione triumphi, ſi cum Quinquennalibus aut hujuſmodi ſolenniis non copularetur; ac denique quàm annis, quibus Ludi ſeculares celebrati. Ex quibus tamen regulis excipiendi Conſulatus, ad quos aliqui eorum ante Imperium deſignati fuerant: Claudius v. g. qui anno Chriſti XXXVII. dum adhuc privatus eſſet, Conſul ſuffectus fuit, quíque teſte, Suetonio in Claudio cap. 7. *ſortitus eſt & de altero Conſulatu in quartum annum*, Imperator anno Chriſti XLI renuntiatus, alterum illum Conſulatum anno inſequenti, in quem incidebat, geſſit: rurſúmque anno XLIII propter Imperii initium, ac juxta primam Conſulatuum Cæſareorum regulam tertium capeſſiit. Hæ itaque ſex hujuſmodi Conſulatuum regulæ.

Prima, *Imperii initium.*

Secunda, *Quinquennalium & idgenus feſtorum celebratio.*

Tertia, *Cæſarum vel Auguſtorum in eadem dignitate conſortium.*

Quarta, *Expeditiones aut victoriæ reportatæ.*

Quinta, *Triumphi.*

Sexta, *Ludi ſeculares.*

Ex his unica in dubium vocari poteſt.

Ad eas regulas, omnes tum Auguſtorum, tum Cæſarum XII.
Conſulatus revocantur. Non quidem quòd ii annis, quibus præfatâ contigere, ſemper eum magiſtratum ſumerent; ſed quia non aliis de cauſis quàm ſuprà memoratis juxta receptum in Imperio uſum, ullum inirent: à qua conſuetudine pauciſſimos receſſiſſe comperi, ut ſuis locis notabo. Fateor tamen, me diu hæſiſſe, an quartum Caligulæ, quintum Neronis, decimum Domitiani, tertiumque Probi inter Conſulatus extra ordinem ſumtos numerarem; an verò ex illis quartam regulam conſtituerem; cùm omnes ferè Imperatores aliquam expeditionem ſuſceperint. Verùm quarta regula, ad quam hos duntaxat quatuor reduxi, præter au-

ctoritates à me in citata Diſſertatione relatas, iſtis adhuc innititur. Tacitus lib. 13. Annal. poſtquam locutus eſt de Artaxata Armeniæ urbe, à Corbulone, imperante Nerone, capta & incenſa anno Chriſti quinquageſimo octavo, ait: *Ob hæc conſalutatus Imperator Nero; & Senatuſconſulto ſupplicationes habitæ: ſtatuaque & arcus, & continui* CONSULATUS PRINCIPI: *atque inter feſtos referretur dies, quo patrata victoria, quo nuntiata, quo relatum de ea eſſet, aliaque in eandem formam decernuntur.* Præterea Zonaras lib. 2. de Domitiano ſcribit: *Falſis victoriis jactandis Conſulatum in decennium, Cenſuram per omnem ætatem accepit.* Vel itaque quatuor illi Conſulatus expeditionibus, aut victoriis attribuendi, vel præter ordinem ab illis Imperatoribus capeſſiti, vel denique una ex Conſulatuum Cæſareorum regulis adhuc incognita, quam ſi quis è tenebris eruerit, eidem applaudam. Ceteras quinque in dubium non vocabit, niſi qui ſibi ipſi lucem invidere voluerit.

XIII. *Vtilitas regularum Conſulatuum Cæſareorum.*

Illarum regularum adjumento varios Romani Imperii uſus huc uſque reconditos, variaque Antiquitatis tam Eccleſiaſticæ quàm profanæ arcana reſeravi. Annis enim Quinquennalibus & id genus feſtis addictis coloniæ ex more inſtitutæ: provinciæ factæ: thermæ, templa, urbeſque aut conditæ, aut dedicatæ, aut novis nominibus inſignitæ: novæ conſuetudines inductæ: libri ab Auctoribus publicati: Cæſares vel Collegæ Imperii renuntiati: perſecutiones adverſus Chriſtianos motæ: Gentilium religio promota: & poſtquam Imperatores Chriſtiani Rempublicam Romanam rexere, Religioni Chriſtianæ conſultum: Edicta adverſus Paganos, Judæos & Hæreticos promulgata: celebres de Fide Catholica Collationes habitæ: Sanctorum reliquiæ tranſlatæ: dedicationes Eccleſiarum peractæ: uno verbo, annis illis, quæ majori pompa fieri ſolitum erat, deſtinata. Quod etiam non raro factum annis aliis, quibus Imperatores Conſules procedebant, ut Conſulatus illi celebriores evaderent. Quare hoc ſubſidio variæ Codicis Theodoſiani Conſtitutiones, plura Hiſtoriæ tam Auguſtæ quàm Byzuntinæ loca, Chronologia, Geographia, & Numiſmatographia lucem accipere poſſunt. Quod ad majorem hujus Criticæ intelligentiam præmittendum duxi.

XIV. *Diſciplina Eccleſiæ à Thomaſſino egregiè tractata.*

Poſt ejuſdem Diſſertationis, in aliquibus à me hîc emendatæ promulgationem, adornavi hunc primum tomum *Critica Hiſtorico-Chronologica in Annales Eccleſiaſticos Eminentiſſimi Cardinalis Baronii, Illuſtriſſimi Henrici Spondani, Appamiarum Epiſcopi, Epitomatoris ejus, ordine ſervato.* Is enim hujus Operis titulus, in quo ſolido criterio Annalium Eccle-

ſiaſticorum materiam & formam, ſeu Hiſtoriam & Chronologiam expendo, ratiùs extra limites illos egreſſus. Indeque factum, ut antiquam Eccleſiæ diſciplinam nonniſi leviter ſtrictímque attigerim. Prætcrquam enim quod opus in immenſum creviſſet, nuper eam egregiam Antiquitatis partem propriam ſibi fecit Eruditiſſimus *Ludovicus Thomaſſinus*, cujus præſtantiſſimi ea de re libri tanto plauſu, tam à Gallis, quàm ab aliis nationibus, accepti, ut intra paucos annos Linguâ Gallicâ & Latinâ lucem viderint. Ideoque quod jam actum rurſus agendum fuiſſet, ejuſque doctiſſimi Tractatus integri exſcribendi.

Nec quenquam movere debet, quòd quidam Critice ſummo literarum bono reperta abutantur; ob id enim non hæc, ſed illi in odium contemtumque venire debent. *Aliter*, inquit Vir ea in arte peritiſſimus, *olent catuli, aliter ſues: longè alia ratione opus apes ac fuci faciunt: imò nihil operis iſti, nec quidquam ceris infundunt; ne cereas quidem domos fundare, aut ceras extruere norunt. At illæ ceræ pariter & mellei liquoris opifices admirandæ malas & ignavas beſtias à melle ſuo defendunt, & à favis arcent. Sic illud profanum vanumque vulgus quàm longiſſime à venerandis Muſarum adytis, ariſque quas polluunt, pellendum, & capite foras protrudendi improbi & inertes literarum fuci.* Criticam hoc Opus eò magis inſcribere placuit; quód *Critici* vox etiam in Scriptura ſacra uſurpetur. Divus enim Paulus in epiſtola ad Hebræos cap. 4. de verbo Divino loquens, ait: Ζῶν γὰρ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐνεργὴς καὶ τομώτερος ὑπὲρ πᾶσαν μάχαιραν δίστομον, καὶ διικνούμενος ἄχρι μερισμοῦ ψυχῆς τε καὶ πνεύματος ἁρμῶν τε καὶ μυελῶν, καὶ κριτικὸς ἐνθυμήσεων καὶ ἐννοιῶν καρδίας, ideſt, juxta verſionem Vulgatæ: *Vivus enim ſermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad ſpiritum quoque compagum ac medullarum, &* DISCRETOR *cogitationum & intentionum cordis.* Quæ ultima verba, καὶ κριτικὸς, &c. ſic etiam verti poſſunt, *& dijudicat cogitationes & conceptiones cordis.* Quo ſenſu Critica hoc in Opere ſumitur.

XV. *Critica bono literarum reperta.*

Eam autem potiùs Spondani Epitome, quàm Baronii Annalibus, affixi; quia hæc inter omnium, hi inter paucorum manus verſantur, præcipuaque ac magis neceſſaria quæ in iſtis fusè continentur, in illa ſummatim repræſentantur. Accedit, quòd, cùm utriuſque Operis eadem ſit materia, iiſdem annis, licèt ſub diverſis numeris, recitata, hæc Critica Annalibus reſpondebit, ſi in iis legendis animum advertas ad numeros Annalium in margine ejuſdem notatos. Quare illud huic Operi peculiare, quòd duos diverſos Auctores uno eodemque tem-

XVI. *Hæc Critica magis appoſitè Epitome, quàm Annalibus affixa.*

pore illuſtret, ſuppleat, & emendet. Tertiò ad Epitomes illuſtrationem tomi tres ſufficiunt: ad ſingula verò quæ in Annalibus habentur percurrenda, vix quatuor ſatis fuiſſent; cùm licèt ea quæ Spondanus prætermiſit, minoris momenti exiſtant, ſicubi tamen correctione indigent, difficultates diſſimulandæ non fuiſſent. Denique, cùm nihil vitâ incertius, majus periculum erat, ne Critica hæc, morte ſuperveniente, imperfecta remaneret; cùm è contrà Epitomes ordini adhærens, octo priora Eccleſiæ ſecula jam emendavi. Denique tertio ſeu ultimo tomo ad finem perducto, poterunt hæ Notæ, ſi Deus vitam dederit, pluribus augeri, & Annalibus in nova correctiſſimáque eorum Editione, quam Librarius meus meditatur, nullo negotio inſeri.

XVII. *Baronius & Spondanus optimi Hiſtorici partes implevere.*

Porro in Spondano Baronioque illuſtrandis, ſemper præ oculis habui, quæ Melchior Canus, Vir rei Criticæ apprimè intelligens, lib. 11. de Locis Theologicis cap. 6. de Hiſtoria Eccleſiaſtica Bedæ & Gregorii Turonenſis ſcribit: *Quoniam modeſtè & circumſpecto judicio de tantis viris pronuntiandum eſt, ne in his quidem duobus rejicienda ſunt plurima. Pauca enim in iis poſſis arguere, quamquam Hiſtoriam Eccleſiaſticam revocare ad ſeveriora judicia contendas: ac ſi neceſſe eſt in alteram peccare partem, omnia eorum probari legentibus, quàm multa reprobari malo. Neque enim exiſtimandum, eorum doctiſſimis elucubrationibus fidem eſſe denegandam, quòd nonnulli in iis errores irrepſerint; cùm errores illi non fallentium Auctorum fuere mendacia, ſed ignorantium. Neque ob unum aut alterum peccatum, cujus ſemper probabilis eſt excuſatio, tantorum virorum Volumina debent improbari. Si enim ita agendum eſſet, pretioſiſſimæ omnium ferè Eccleſiæ Doctorum lucubrationes contemnendæ eſſent, & proculcandæ; cùm vix eorum quenquam invenias, qui in aliquo, ſi non ad Fidem, ſaltem ad rerum geſtarum Hiſtoriam pertinente, non erraverit.* Imò neceſſariò multa intacta relinquenda fuere; cùm in Hiſtoria Eccleſiaſtica id contingat, quod Auguſtinus in Epiſtola ad Januarium, quæ veteri ordine eſt 119. in ſacra Scriptura contingere obſervavit, ut nempe multò plura neſciamus quàm ſciamus. Hinc Walfridus Strabo in fine libri ſui de rebus Eccleſiaſticis: *Fateor,* inquit, *me nec reperiſſe cuncta, quæ dilucidare cupivi, nec cuncta potuiſſe quæ reperi; cùm & rerum magnitudo ſciendi cupiditatem ſuccenderet, & diverſitatum confuſio faſtidii nimietatem præberet.* Denique, ut, quod jam conteſtatus ſum, denuo profitear, tantum abeſt, ut Baronium & Spondanum minùs habendos putem, quòd illum, dum Annales conderet, huncque dum eos abbreviaret,

notaſquè aliquas adjiceret, multa fugerint; ut è contrà magis temporum noſtrorum felicitati, quàm propriæ induſtriæ attribuendum arbitrer, quòd res nunc magis apertæ & manifeſtiores ſint, quàm eo tempore, quo ambo ſcripſere. Poſteriores ſiquidem Scriptores, ut rectè Petrus Bleſenſis in Epiſtola laudata, reſpectu eorum qui eos tempore præceſſere, ſunt quaſi pumiliones gigantum humeris invecti, qùi ideo ipſis gigantibus longiùs in aliquibus proſpiciunt. Hinc nunquam utrumque ſine elogio citaſſem, niſi brevitati mihi ſtudendum fuiſſet, & veritus eſſem, ne id nimis aliquibus affectatum crederetur. Quare utrumque Hiſtoricum omni laude majorem nominare, laudare erit.

Quod ſupereſt, quia res poſt Eccleſiam Chriſtianam fundatam geſtæ, cum iis quæ antea apud Judæos, Romanos, alioſque populos acta, connexionem habent, ut omnia eodem fulcimento inniterentur, Periodum concinnavi, quam, quia tres Eras mundanas ſeu Periodos Chriſtianorum Orientalium, in Hiſtoriæ Byzantinæ Scriptoribus, & Eccleſiæ Græcæ Monumentis ſæpe memoratas complectitur, & è veſtigio exhibet, *Græco-Romanam* appellavi. Ea omnium Erarum ante Chriſtum natum inſtitutarum fulcrum & ſuſtentaculum, ſinguliſque annis Cyclos Lunæ, Solis, ac Indictionis, tam veros quàm prolepticos, repræſentat, quorum ope variæ difficultates uno intuitu & ſine aliorum librorum auxilio explicari poſſunt. Dubitatur v. g. quo die Paſcha, à quo Feſta mobilia pendent, anno aliquo celebratum, vel quæ litera Dominicalis, aut quæ Indictio in curſu fuerint, vel demum an res quæ in Annalibus Feſto Pentecoſtes v. g. accidiſſe narratur, in annum, quo in iis legitur, reipſa competat, dubium Cyclorum ope extemplo dirimes. In Annalibus, ſicuti & in illorum Epitome, omnes illi temporum characteres certiſſimi ac ſubinde neceſſarii deſiderantur, Indictionibus exceptis, quæ etiam in eiſdem ante ſexti ſeculi finem non habentur; licèt jam à Conſtantini Magni Imperio viguerint, multaque identidem occurrant, quæ quo anno contigerint, earum tantùm beneficio detegi poſſit. In periodo autem Græco-Romana, quæ Julianâ Scaligeri longè commodior & univerſalior, quámque peculiari Diſſertatione explico, primus Eræ Chriſtianæ annus, qui quadrageſimus ſextus Julianus eſt, concurrit cum anno quinquies milleſimo quadringenteſimo nonageſimo-quarto, qui partitus per quindecim reddit Indictionem quartam, quâ primus ille Chriſti annus inſignitur: diviſus verò per novemdecim exhibet Cyclum Lunæ tertium; ideoque cùm primus ille Chriſti annus Cyclo Lunæ ſecundo notetur, in

XVIII. *Annales Periodo Græco-Romana innixi.*

annis Periodi Græco-Romanæ, ut cum annis Chriſti convenire poſſint, è Cyclo Lunæ ex perpetua methodo unitas rejicienda. Contrà verò cùm primus ille Chriſti annus Cyclo Solis decimo muniatur, & annus Periodi Græco-Romanæ quinquies milleſimus quadringenteſimus nonageſimus-quartus per viginti octo partitus ſex ſolùm numeros relinquat, Cyclo Solis quatuor unitates ſemper adjiciendæ, ut Cyclus Solis, quem Chriſti annus reddit, inveniatùr. Denique tam annus quilibet Periodi Græco-Romanæ, quàm tres Cycli Solis, Lunæ, & Indictionis à Kalendis Januariis auſpicantur. Reliqua in eadem Diſſertatione explanata habes.

XIX. *Novus Apparatus confectus.* Baronius *Apparatum* ad Annales Eccleſiaſticos præfixit, qui cùm magis Hiſtoricus quàm Chronologicus ſit, non tantùm incipientes, ſed etiam aliquando doctiores irretitos tenet. Res enim Judaïcæ & Romanæ, quæ Annalibus Eccleſiaſticis neceſſariò præmittendæ, in eo non ſatis fusè diſtinctéque tractatæ; cùm tamen Lector ad primum Eræ Chriſtianæ annum ſenſim manuducendus ſit, ideoque & Apparatus Chronologicus eſſe debeat, & à mundi exordio deduci; quia Novi Teſtamenti Hiſtoria ſine aliquali Veteris notitia perfectè ſciri non poteſt. Cùm autem in Apparatu Baroniano multa corrigere neceſſe fuerit, quorum in Epitome nulla mentio, novus ferme conficiendus fuit; eóque magis quò Periodi Græco-Romanæ praxis & uſus mihi demonſtrandus erat.

XX. *Annales ſuppleti.* Ex tribus, quæ mihi in hoc Opere propoſui, *illuſtrationem* nempe *Hiſtoriæ, rerum prætermiſſarum ſupplementum*, & *Chronologiæ emendationem*, huic præſertim inſiſtendum fuit; non tantùm quia ratio temporum forma Annalium reputanda; ſed etiam quia ſæpius in temporum conſignatione, quàm in rerum narratione in iiſdem peccatum; & aliunde pauciora ſint, magni ſaltem momenti, quæ in Annalibus deſiderantur. Varia tamen ex Romana Hiſtoria, uti triumphi, bella præcipua, aliaque id genus plura Baronii tempore valde obſcura, ſupplenda fuere; quod ſine illis multa, quæ in ſanctis Patribus, ſacris Conciliis, Sanctorum Actis, ac libris Eccleſiaſticis occurrunt, quæque in Annalibus explicanda ſunt, ſatis intelligi non poſſint. Addidi & ſeriem Regum præcipuorum Regnorum, uti Perſarum, Wiſigothorum, Burgundionum, Wandalorum, Principum Saracenorum, aliorumque, quia ex illis aliqui in Annalibus obiter duntaxat tanguntur, alii omnino prætermittuntur. Nam experientiâ magiſtrâ comperi, quòd ſi illorum Principum ſucceſſiones integræ non recitentur, multùm

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ claritati & integritati detrahitur.

XXI.
Plura poſt Baronii mortem è tenebris eruta.

Ad hæc, varia Concilia vel Conciliorum Fragmenta poſt Baronii obitum è tenebris eruta ſummariè retuli, & pluribus eorum, quæ jam extabant, majorem lucem affundere conatus ſum. Denique *præcipuas hæreſes*, uti Arianam, Pelagianam, Neſtorianam, Eutychianam, aliaſque; Scripta & Epiſtolas, quibus illæ jugulatæ, magis declaravi; Acta ſuppoſititia indicavi; nullique labori peperci, ut hoc Opus, quantùm rerum antiquarum obſcuritas patitur, omnibus ſuis numeris abſolutum prodiret.

XXII.
Chronologia in Annalibus labefactata.

Majorem, ut dixi, Annalibus labem Chronologiæ in multis depravatio obducit. *Nam*, ut egregiè alicubi Gerardus Joannes Voſſius ſcripſit, *in totius Orbis Hiſtoria, vel magni ac diuturni Imperii, totiuſque Eccleſiæ rebus, ſi ordo geſtorum fœdè conturbetur, ne illa quidem quæ videre nobis videmur, magis cernimus, quàm eximiam & ab omni arte laudatam corporis humani fabricam conſpiceremus, ſolùm oculorum aciem defigentes in monſtroſam hominis picturam; ubi pectus, capitis; venter, pectoris; brachia, pedum occuparent locum. E contrario autem, ubi ſeſe extulerit aureum temporum jubar; pulſis tenebris pluſquam Cimmeriis, clarâ omnia luce veſtiuntur, inque formoſo corpore omne membrorum decus apparet. Atque hoc eſt ſerenum, ac ſplendidum illud lumen, quod in Hiſtoria exigimus.* Idem jam à multis ſeculis Divus Chryſoſtomus Homiliâ 2. de Oſia in verbis illis, *Vidi Dominum*, circa finem tomi Saviliani 5. obſervat: *Quemadmodum*, inquit, *termini fineſque in agris fundos miſceri non patiuntur, ita & tempora res invicem confundi non ſinunt: verùm ab invicem ea ſeparantia, & ſecundum debitum ordinem ea diſponentia, magna confuſione nos liberant.* Quare magna à me adhibita diligentia, ut res quæque tam Chriſtianæ quam profanæ, ad annum, quo accidêre, revocarentur, menſibus etiam & diebus, ubi uterque characteriſmus detegi potuit, deſcriptis, quòd utriuſque ingens ſæpe ſit adjumentum. Quam etiam ob cauſam Kalendarium Romanum in hujus tomi calce ſubjeci, ut Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudioſi aſſueſcant dies & ferias, quibus res multæ peractæ, annotare.

XXIII.
Baronius Eram Chriſtianam biennio anticipavit.

Baronii tempore *Eræ Chriſtianæ initium* ſolis *Computiſtis*, ut vocant, cognitum erat: unde Onuphrius in Faſtis anno Juliano XLV, Conſulatuíque Cornelii Lentuli & Calpurnii Piſonis; Baronius anno Juliano XLIV, ac Conſulatui Auguſti Cæſaris XIII, & Plautii Silvani; aliique aliis Conſulatibus anniſque Julianis illud illigarunt. Primus omnium Scaliger Periodi Julianæ à ſe inventæ, Cyclorum Solis, Lunæ,

& Indictionis, aliorumque argumentorum operâ, primum Eræ Chriſtianæ annum cum anno Juliano XLVI, Conſulatuque Caii Cæſaris & L. Æmilii Pauli certò congruere nos docuit; quod tamen omnibus illico perſuadere non potuit. Neque enim defuere Scriptores, qui opinionis Baronii defenſionem ſuſceperint; imò Spondanus, qui Epitomen ſuam confecit aliquot annos poſt ſecundam editionem Operis Scaligeri *de Emendatione temporum*, ab opinione Baronii, quæ jam convaluerat, ſibi diſcedendum non putavit. Et quod magis mirum, noſtris etiam diebus *Cointius* Annalium Eccleſiaſticorum Francorum Auctor, in Chronologia ſeſquioris Imperii verſatiſſimus, in eundem lapidem offendit. Verumenimvero nobiliſſimæ hujus Eræ exordium, cùm certis & infallibilibus demonſtrationibus nitatur, ut ſparſim in hoc Opere videbitur, à Scriptorum opinionibus independens, ideoque cum anno Juliano XLVI neceſſariò connectendum. Quare Baronius, qui eam biennio anticipavit, & cum anno Juliano XLIV incepit, uſque ad Decium Imperatorem, annumque Chriſti CCXLIX duorum annorum prochroniſmo ſemper peccavit, & poſt hunc Chriſti annum uſque ad CCLXXX, quintumque Probi Imperatoris, Chronologiam adhuc magis perturbavit. Cùm enim Conſulatus tres ordinarios Decio Auguſto, quem duos duntaxat ordinarios, unumque ſuffectum geſſiſſe indubitatum, annoſque ſeptem Philippo Auguſto, qui ſextum tantùm inchoavit, quatuorque Gallo & Voluſiano Imperatoribus, qui biennium ſolùm delibarunt, attribuerit, à Decio jam non biennio, ſed triennio ab Era Chriſtiana diſſidet. Tum duobus Conſulatibus expunctis, nonniſi anno uno ab ea diſtat; neque eam aſſequitur, niſi poſt reſecatum alium Conſulatum ordinarium, ut ſuis locis oſtendo. At quemadmodum violenta remedia, quæ morbo alicui medicinam afferunt, alium procreare ſolent; ſic Baronius tres illos Conſulatus è Faſtis eradere non potuit, quin totidem annos eiſdem reſpondentes reſcinderet; adeoque quin anno Chriſti CCLXXX, quo veram Eram Chriſtianam amplexus eſt, ac deinde conſequentibus annis omnes alias Eras biennio mutilaret. Quare in Annalibus Chronologia tam ante annum Chriſti CCLXXX, quàm poſt illum depravata, ſed diverſimodè. Nam ante illum Chriſti annum Era Chriſtiana in illis corrupta, ceteræ omnes, uti Olympiadum, annorum Antiochenorum, Seleucidarum, & aliorum minimè perturbatæ. Contrà verò poſt annum Chriſti CCLXXX Era Chriſtiana in illis accuratè deſcripta, reliquæ verò annis duobus decurtatæ. Utrique vitio certis paſſim argumentis demon-

ſtrato

ſtrato remedium adeo facile adhibeo, ut non putem fore impoſterum, qui vulgarem illum errorem, ex quo multa inconvenientia ſequuntur, libenter non deponat. Annum enim Chriſti, quem Baronius v. g. CC XXIV appellat, ego cum anno CC XXII conjungo annos quippe duos, quos ipſe malè addidit, rejicio: ſicque manifeſtè innoteſcit, quæcumque ſub anno CC XXIV Baronius narrat, ad annum CC XXII pertinere; niſi tamen in aliqua peculiari re recitanda, erraverit; quo caſu eidem ſuum annum aſſigno. Si quid autem ipſe omiſit, in fine anni adjicio, ut in Critica noſtra videre erit.

Ob *Faſtos* in quibuſdam Annalium locis labefactatos, quod uno anno contigit, in alium quandoque transfertur, præſertimque per utriuſque Philippi, Decii, Galli & Voluſiani, Valeriani atque Gallieni tempora. Cui malo ut providerem, verumque ac certum rerum geſtarum ordinem, quantum poſſem, repræſentarem, Faſtos Conſulares tum ex veteribus monumentis, tum ex doctorum Virorum obſervationibus emendavi: notam numeralem in Conſulatibus, ubi ea detegi potuit, adjeci, & ubi abundabat, prætermiſi: poſt Imperii diviſionem in Occidentale & Orientale, quæ initio Valentiniani & Valentis Imperatorum facta, qui Conſules in Occidente, qui in Oriente deſignati fuerint, indicavi: Conſulatuum Cæſareorum rationes ab ipſo Tiberiani Imperii initio aſſignavi, & Quinquennalia, aliaque id genus feſta, aliquando ex certa, aliquando ex probabili ratione, & ex conjecturis, aut ex mutua inter ſe conſecutione digeſſi; quod omnino faciendum, quando explorata argumenta haberi non poſſunt. Denique Faſtis Conſularibus Romanis *Byzantinos* ac Orientales ſubjunxi, in omnibus hactenus Chronicis omiſſos, quòd eorum diſpoſitio non ſatis innoteſceret. XXIV. *Faſti magis illuſtrati.*

Chronologiam *Cæſaream*, quâ plerumque Chriſtiana innititur, quantùm poſſum accuratam exhibeo, quòd deprehenderim ob eam non ſatis exactè diſcuſſam, in Annalibus non rarò erratum eſſe. Sic ſi Baronius, aliique poſt eum, annum v. g. quo Nero in Græciam tranſmiſit, indeque rediit, è tenebris eruere tentaſſent, ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Romæ, Nerone præſente, ut fert Eccleſiæ traditio, paſſorum martyrium anno Chriſti LXVII, quem Baronius LXIX vocat, uno ferè conſenſu non collocaſſent. Eis enim conſtaſſet, Neronem eo anno non Romæ, ſed in Græcia fuiſſe, ex qua exeunte illo annò diſceſſit; cùm tamen martyrium illud ex eorum ſententia menſe Junio contigerit. Mitto complures alios vulgares errores, XXV. *Chronologia Cæſarea.*

qui exactæ Chronologiæ Cæſareæ beneficio ſæpe vitari poſſunt.

XXVI. *Chronologia Pontificia.* *Pontificum Romanorum*, & poſt Diocletianum, Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum, Alexandrinorum, Antiochenorum, Hieroſolymitanorum tempora, quantò diligentiùs fieri potuit, ordinavi; certus, Acta Sanctorum, Concilia, aliaque id genus plura ab eorum annis rectè collocatis non raró lucem accipere. Chronologia Pontificum Romanorum per tria ferè priora ſecula in multis emendanda fuit, & non raró in ſequentibus ſeculis: neque in ulla alia ſæpius peccavit Baronius.

XXVII. *Error vulgaris in Chronicis Euſebii & Hieronymi citandis.* Ex Chronico tam *Euſebii*, quàm *Hieronymi* per quatuor ferè ſecula plura in Annales derivata. Quæ tamen Baronius ex utroque affert, præter illorum mentem cum iis Chriſti annis ſæpe conjunguntur, quibus ipſi non illigarunt: qui error ab aliis etiam Scriptoribus paſſim admiſſus, quòd non adverterint, in iis Chronicis citandis, non ad Imperatorum annos, ut fit, ſed ad numerum Euſebianum, ſeu annum Abrahamiticum reſpiciendum eſſe, quoties certus rei geſtæ annus quæritur. Cùm enim Euſebius & Hieronymus annum à Kalendis Septembribus incipiant, & eum in quo aliquis Imperator ſupremum diem obit, eidem integrum deputent, & ſucceſſoris initium à ſequentibus Kalendis Septembribus cum anno populari exordiantur, ſupputatio per Imperatorum annos plerumque fallit. Viderunt ante me aliqui Viri docti ad numerum Euſebianum attendendum eſſe, methodumque tradidere, cujus ope utroque Chronico ſine erroris periculo uti poſſemus. Verùm cùm illius methodi præcepta ſine temporis jactura ad praxim reduci non poſſint, ea ab ipſis etiam inventoribus, cùm utrumque Chronicon laudant, vix in uſum vocata. Quare aliam in Diſſertatione de Periodo Græco-Romana propono adeo facilem, ut vel ipſi in Chronologia tirones, cui anno Hieronymus & Euſebius rem, de qua agitur, copularint, ipſo penè lectionis momento intelligere poſſunt. Quæ methodus in Chronico *Idacii*, quod Baronii tempore non extabat, etiam adhibenda. Cùm enim *Idacius* Euſebii & Hieronymi Chronica continuet, numero Euſebiano ſeu anno Abrahamitico tempora deſignat.

XXVIII. *Regum Francorum Chronologia magis explicata.* Primæ ſtirpis *Regum Francorum*, qui poſt Clodovæi Magni converſionem multa Annalibus ſuppeditant, Chronologiam, Baronii tempore ferme deploratam, noſtroque in multis adhuc rudem & imperfectam, omni quâ potui curâ diſcuſſi, ut in ſecundo Tomo propediem in lucem emittendo apparebit: poſt annum enim Chriſti CCCC,

in quo iſto deſinit, Monarchia Francica nata.

Denique, ut Chronologiam Chriſtianam omni ex parte reſtaurarem, undique argumenta conquiſivi, ex ipſis etiam *Numiſmatis & Inſcriptionibus*. Fauſtum enim fortunatumque fuit, quòd hoc ſeculo, quo in Antiquitate Eccleſiaſtica elucidanda, pellendaque obſcuritate, celebriorum Scriptorum conatus inſumuntur, tot inſcripti Lapides effoſſi fuerint, totque Numiſmata, quæ in Principum Cimeliis, aut privatorum Muſeis, cum magno literarum damno ſepulta erant, ſenſim in lucem prodierint; ut quod libris non potuerat, illo medio in lucem proferretur. Quod niſi plerique *Antiquarii* Nummorum inſcriptiones malè deſcripſiſſent, & ſæpe emendationis prætextu corrupiſſent, aut mutilaſſent, poſticam ſcilicet tantùm partem publici juris facientes, anticam verò, quam inutilem perperam judicabant, ſilentes, non dubium, quin plura, quæ adhuc latent, clarè innoteſcerent. Ceterùm cùm pro veritatis exploratione ſtylum arripuerim, incunctanter in viam regrediar, cùm mihi monſtrata fuerit; altè enim menti fixum Lactantii effatum adverſus eos, *qui cùm ſemel aberraverint, conſtanter in ſtultitia perſeverant, & vanis vana defendunt.* Quòd ſi quis quæ meliora noverit, mecum communicet, in nova Editione, vel in ſequentium Tomorum decurſu, cum commendatione eruditionis, publica facere non morabor.

XXIX. *Annales Nummis & Inſcriptionibus illuſtrati.*

Verſûs eximii Poëtæ BERNARDI MONETÆ, Divionenſis, ad Animadverſiones eruditiſſimi PAGII in Baronium.

Fit alluſio ad Piſciculum viam Balenæ monſtrantem.

DIFFICILI Cetus luctatur in æquore dudum;
Grandis mole licèt, non tamen inde piger.
Sed quia circumſtant nantem diſcrimina mille,
Et ſcopuli, & ſyrtes, ancipiteſque ſinus;
Hinc ſe ideo Piſcis tandem vix explicet ingens,
Ni minor huic fido lumine monſtret iter.

DISSERTATIO

DISSERTATIO DE PERIODO GRÆCO-ROMANA.

I. *Uſus anni Juliani & Periodi Julianæ in Chronicis.*

SCALIGER ante centum & aliquot annos, (libros enim ſuos *de Emendatione Temporum*, anno Chriſti M D LXXXIII Pariſiis primùm in lucem emiſit) modum tradere volens, quo Chronicon abſolutiſſimum confici, Chronologiaque ad majorem perfectionem perduci poſſit, docuit, *anno Juliano* tanquam vero temporum elencho, ſtabilique fundamento, opus ſuperſtruendum eſſe; quòd contextus temporum ſine anno Juliano, ſit velut navis ſine velis, ramis & armamentis; ideòque eam anni formam adhibendam eſſe, non modò rebus explicandis illius inſtitutione poſterioribus; ſed prioribus etiam, & ab ipſo Orbis initio geſtis: quamvis aliam tum anni formam, imò quælibet ferè natio propriam haberet. Ulteriúſque progrediens, Chriſtianorum Orientalium imitatione *Periodum* artificialem compoſuit; quam *Julianam* vocavit, quæ omnes Eras complectitur; omniumque ferè vicem gerit. Conſtat ea è tribus Cyclis, Solis, Lunæ & Indictionum in ſe ductis, vel eſt Periodus Dionyſiana D XXXII annorum per XV, ſeu per circulum Indictionis, multiplicata. *Nam ſive XIX annos per XXVIII multiplices, ſive hos per illos, numerum eundem efficies DXXXII*, inquit Sanctus Maximus Martyr in Computo Eccleſiaſtico cap. 18. Cujus Periodi Julianæ ſumma eſt annorum 7980. eaque conditio, uti duo quilibet Cycli in eundem annum concurrentes, alteri in tota Periodo convenire nequeant; ſicque anni omnes miro modo inter ſe diſtinguantur, notis ſcilicet illis & characteribus temporariis. Annus enim Julianus v. g. XLV, in quem Natale Chriſti Dionyſianum omnino conferri debet, Cyclo Lunæ I, Solis IX, Indictionis III notatur; quos Cyclos annus Periodi Julianæ 4713. ſi per XIX, per XXVIII, & per XV partiatur, offert; quóſve nullus alius ejuſdem Periodi annus exhibere poteſt.

II. *Periodus Juliana omne temporum ſpatium includit.*

Ea itaque Periodus omnium temporum, ideoque & omnium Annalium initia antecedit. Cùm enim primus Eræ Chriſtianæ annus illigetur anno ejus 4714. (Latini quippe annum primum Chriſti, non à die XXV Decembris Natali Chriſti ſacro, ſed à Kalendis Januariis inſequentibus auſpicantur) tempora, quæ ab Orbe condito fluxere, præcedentibus Periodi Julianæ annis attribuenda; ſi quis tamen tantum annorum numerum Natale Chriſti anteceſſiſſe exiſtimaverit. Verumenimvero cùm Chronologi, paucis exceptis qui ad LXX Interpretum calculos adhærent, ex Hebraïcis & Latinis Bibliorum Codicibus intervalla ſubducant; nulluſque plures quàm quatuor mille & aliquot centenos annos ante Natale Chriſti præteriiſſe arbitretur? hinc fit, ut *Periodus Juliana* ante omne temporum ſpatium *prolepſi* quadam mathematica incipiat; ſicque in illam Chronologiæ omnes Scriptorum Latinorum includantur, & in ea ſedem inveniant. Etenim Romana & Occidentalis Eccleſia fixam & immutabilem Chriſti annorum epocham retinet; de qua inter omnes convenit; cùm nullus ſit qui hunc ipſum, in quo verſamur, annum non numeret M DC LXXXVIII, à qualicumque anno Juliano & initio Chriſti Natale deducat. Magna quidem de anno, quo Chriſtus natus, inter Chronologos, etiam eruditiſſimos, controverſia; omnes tamen annos Chriſti eodem modo computant; neque qui Chriſti Nativitatem anno v. g. Juliano XLI aſſigendam cenſent, majorem annorum ſummam colligunt, quàm qui vel ante illum annum Julianum, vel uno aut altero poſt eum, Chriſtum in mundum veniſſe arbitrantur. Quare annus Periodi Julianæ 4713. in quem Natale Dionyſianum conjiciendum, cardo quidam eſt Chronologiæ, ideoque qui cum Uſſerio v. g. annos 4003. & aliquot men-

ſes mundum Eræ Chriſtianæ principio anteriorem eſſe putant, ejus conditum cum anno Periodi Julianæ DCC X conjungunt. Qui cum Petavio Natalem Chriſti vulgarem in finem anni ab Orbe condito 3983. cadere volunt, primum annum mundi cum anno Periodi Julianæ DCC XXXI inchoant; & ſic de aliis Chronologorum ſententiis: cùm, uti mox dixi, nullus ex iis, qui ſupputationem Hebraïcam Bibliorum ſequuntur, plures annos quàm 4713. imò nec tantam annorum ſummam ante Chriſtum fluxiſſe tradat. Ex quo quanta ſit hujus Periodi in rebus Chronologicis utilitas, quilibet facilè intelligere poteſt.

III. *Omnium temporum menſura.* Primùm enim ejus beneficio tam certorum quàm incertorum ante Chriſtum temporum certam menſuram habemus. Cùm enim qui annos ab Orbe condito numerant, in tanta opinionum varietate verſentur, ut vix alter cum altero conſentiat, ſi quæratur v. g. quo ante Chriſtum anno prima Olympias cœperit, invenies *Petavium* ejus initium cum anno mundi 3208. *Uſſerum* cum anno mundi 3228. alioſque Chronologos cum aliis mundi annis copulaſſe: neque magis certus eris, poſtquam varios hac de re Chronologos conſulueris, niſi priùs diſcas, quot à mundo condito ad primum Chriſti annum quilibet computet annos. Contrà verò ſi Periodum Julianam Scriptor, quem ad hanc difficultatem ſolvendam leges, adhibeat, nullo ſtatim negotio agnoſces, quot annis initium primæ Olympiadis ab Era Chriſtiana diſtet; neque opus erit, ut ſcias quot ille annos ante Chriſtum mundo attribuat. Nam, cùm annus primus Olympiadis minimè controverſus ſit, omnes illum in annum Periodi Julianæ 3938. notatum Cyclo Lunæ V, Solis XVIII, Indictionis VIII, niſi errare velint, conjicere debent. Eadem ratio eſt de aliquo tempore incerto, v. g. de anno mortis Homeri, Poëtarum Græcorum Principis; alter quippe eam uni anno mundi, alter alteri connectit: ſicque quot ante Chriſtum annis eam accidiſſe putent, ab iis diſcere non poſſumus, niſi nobis conſtet, quot annos mundi ante Chriſtum natum elapſos fuiſſe ſupponant. Quod incommodum Julianæ Periodi ope vitatur; non quòd rei incerto tempore geſtæ certum annum repræſentet; ſed quod eam conjungat cum anno, quem ante Chriſtum eſſe, milleſimum v. g. nullus negare poteſt.

IV. *Retrograda annorum numeratio errori obnoxia.* Falluntur autem qui credunt, *retrogradam* annorum Eram Chriſtianam antecedentium *numerationem* ad id ſufficere, ſi videlicet dicatur, primam Olympiadem v. g. anno ante Chriſtum DCC LXXVI celebratam, vel urbem Romam anno ante Chriſtum DCC LIII conditam. Nam hic ſupputandi modus Cyclos cuilibet anno proprios repræſentare non poteſt, ex quibus tamen varia commoda ad rem Chronologicam redundant. Et deinde ea numeratio tum moleſta, tum errori etiam, niſi ſaltem major attentio adhibeatur, admodum obnoxia. Quod etiam apparet, in annis qui poſt Chriſtum prætericre, cum iis qui præceſſere, componendis. Scire volo v. g. quot annis Julii Cæſaris nex ante Conſtantini Magni Imperium acciderit, ſeu quot anni à Julii morte ad Conſtantini initium effluxerint, ſi Periodo Juliana non utar, mihi ſupponendum, Julium occiſum anno XLIV ante Chriſtum, dein ab anno Chriſti CCC VI, quo Conſtantinus regnare cœpit, ad primum Chriſti annum, ac denique ad annum XLIV ante Chriſtum retrocedendum: ſicque colligo, Julium interemtum quinquaginta ſupra trecentos annos ante Conſtantinianum Imperium. Verùm intervallum illud Julianæ Periodi operâ faciliùs certiùſque eruitur. Trucidatus enim Julius anno Periodi Julianæ 4670. & Conſtantinus anno ejuſdem Periodi 5019. Imperium ſuſcepit. Quare, cùm ab anno 4670. ad annum 5019. elapſi ſint anni CCC XLIX, certum inter Julii mortem & Conſtantini initium annorum ſpatium comperio eſſe annorum CCC XLIX. Cúmque conſtet, Julium die XV Martii peremtum, Conſtantinum autem die XXV menſis Julii Auguſtum renuntiatum, invenio mortem illam contigiſſe annis CCC XLIX, menſibus quatuor, ac diebus decem ante Imperium Conſtantinianum. Poſſemus quidem hanc annorum interjectionem per epocham Urbis conditæ dimetiri, numerando ſcilicet ab anno Urbis DCC X, quo ea cædes patrata, ad annum Urbis 1059. quo Conſtantinus Imperator creatus. Sed prætérquam quòd annus Urbis à Kalendis Januariis inchoandus eſſet, uti de facto Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores, cùm tempora per Conſules digeſſere, auſpicatos eſſe exiſtimo; cùm numerandi ſint anni exempli causâ, qui à Troja capta ad Conſtantini exordium intercurrerunt, ea menſura uſui eſſe non poteſt; quia Troja longè diu ante Romæ conditum expugnata. Quare ad epocham artificialem identidem neceſſariò recurrendum.

V. *Periodus Juliana omnium Erarum ſulcrum.*

Secunda Periodi Julianæ utilitas in eo ſita, quòd ſit omnium Erarum, præſertimque earum quæ Eram Dionyſianam antecedunt, de quibus major difficultas, fulcrum & ſuſtentaculum; v. g. Olympiadum, annorum Urbis, Alexandreorum, aliorumque: eóque magis quod varia ſint eorum annorum principia. Nam Græci ab æſtivo Solſtitio annos ſuos inchoabant: idque Olympiadum initium erat. Romani conditæ Urbis epocham à verno temporé auſpicabantur: Syro-Macedones ab autumno: aliique ab alio certo fixoque primordio annos ſuos incipiebant. Quæ omnia non parvam Hiſtoriæ Chronologiæque ſtudioſo moleſtiam, & plerumque non mediocris erroris occaſionem præbent, dum ſcilicet diverſiſſimos annos inter ſe componunt. Ex quibus cum Juliana Periodus educit; cùm à Kalendis Januariis exordiens, & quamlibèt diſcrepantes epochas includens, eas ſuſtentet, earumque Cyclos offerat.

VI. *Memoriam juvat.*

Tertia denique Periodi Julianæ commoditas eſt, quòd ad memoriam ſublevandam, ac præcipuos Hiſtoriæ cardines ſimiliter retinendos magnopere confert. Si enim pauciſſimarum epocharum annos in Periodo Juliana memoriæ commendaveris: ut puta annum primum Chriſti ſciveris eſſe ejuſdem Periodi 4714. Olympiadis verò 3938. & primum Urbis conditæ annum 3961. ex Varroniana putatione; reliquas Hiſtoriarum epochas, quarum ad aliquem ex illis cardinibus intervalla cognoſces, levis additionis vel ſubtractionis labore, ſuis temporibus aſſignabis, in quacumque demum Chronologia. Exempli causâ, Julii Cæſaris mors contigit anno Varroniano DCCX. Ad annos itaque 3960. adjice 710. fient anni Periodi Julianæ 4670. Eo anno Cæſar interfectus eſt. Volo ſcire quoto id anno contigerit ante Chriſtum; de 4713. tollo 4669. reſtant XLIV; igitur anno ante vulgarem Natalem XLIV Julius Cæſar occiſus. *Credi vix poteſt*, inquit Petavius lib. 7. de Doct. Temp. cap. 8. *quàm expeditum ſit hoc negotium, quámque nihilominus accuratum: ut qui ſe in Periodi iſtius uſu gnaviter exercuerit, Chronologiam ſecum ambulantem, non in chartis & libris deſidentem habeat.* Libro verò 9. cap. 6. ait: *Hoc ademto præſidio cæca & obſcura eſt Annalium ſeries; nec niſi per ambages, annorum ſitus explorari poteſt.* Verum quidem eſt, eam non ſolùm ubi à Scaligero propoſita, ſed etiam poſtea per viginti & ampliùs annos tam ab imperitis quàm à pleriſque Viris doctis vel contemtam, vel rejectam. Sed temporis progreſſu hoc inventum tantæ utilitatis judicatum, ut Chronica, quæ eo ſubſidio, vel ſaltem Cyclis deſtituta in lucem prodiere, non magnam opinionem Auctoribus exiſtimationemque pepererint, & Chronologiæ promovendæ parum inſervierint. Hoc Virorum in Chronologia principum ſincerum ac verum de Periodo Juliana judicium.

VII. *Methodus Periodica magis perfici poteſt.*

Sed, cùm quæ ab aliis inventa poſſint magis promoveri ac augeri, ut hanc methodum Periodicam faciliorem ac utiliorem redderem in animum induxi; quem finem ut aſſequerer, non parum temporis inſumſi: venit enim in mentem quod ſcribit Nicephorus Gregoras initio Explicationis ſuæ in librum Syneſii de Inſomniis: οὐδὲν καινὸν εἰ πολλὰ τῶν πάλαι χαλεπῶς εὑρημένων, καινοτομοῦσιν ἐπὶ τὸ βέλτιον, ὥσπερ ἐκ χρονικῶν περιόδων ἐπ' ἄλλαις ἄλλαι μεγάλαι φύσεις βλαστάνουσι, εἴτε τοῦ χρόνου φύσιν ἔχοντος ἄλλα ἐπ' ἄλλοις ἀεὶ ἐπιφέρειν καινότερα, εἴτε τῆς τῶν ἀνθρώπων φύσεως ἀμηχανούσης εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς ἐπὶ τὸ ἐντελές: id eſt: *Nihil novum neque abſurdum eſt, ſi permulta quæ quondam ſumma cum difficultate adinventa fuerunt, in melius immutentur: quemadmodum è converſione & circuitu temporum ſuper aliis aliæ magnæ vehementeſque naturæ germinant & oriuntur, ſeu ipſo tempore ita comparato, ut ſemper alia ſuper aliis recentiora afferat, ſeu ipſa humana natura ſtatim à principio ad id quod in ſuo munere abſolutum eſt, pervenire nequeat.* Scaliger Græcorum exemplo, Cyclorum Solis, Lunæ & Indictionis circulos uſui Chronologiæ adaptavit, & artificioſam illam epocham concinnavit; aut ſi verum eſt quod ſuſpicatur Uſſerius in Præfatione ad Annales veteris Teſtamenti, à Roberto Lotharingo Herefordenſi in Britannia Epiſcopo primùm notatam, poſt quingentos annos ad Chronologiam dirigendam accommodavit; qua etiam in re magnam gloriam adeptus eſſet. Sed nullus, opinor, negaverit, quin ſi aliqua Periodus commodior univerſaliorque haberi poſſit, in illius locum ſubroganda ſit, & ambabus, ut ita dicam, manibus amplectenda.

VIII. *Quod Dionyſius Abbas cœpit; Auctor abſolvit.*

Dionyſius Exiguus Abbas Romanus, qui Juſtiniano Magno imperante floruit, duo ab Orientalibus ad Latinos tranſtulit, Eram ſcilicet Incarnationis, ac Cyclos Solis & Lunæ Alexandrinos: Scaliger verò Orientalium imitatione Periodum Julianam, cujus utilitates mox explicavimus, efformavit. Verùm ſi quod

Dionyſius magna cum laude cœpit, abſolvi poſſit, & una ex Periodis mundanis integra & immutata ad univerſam Latinorum Chronologiam regendam accommodari, nunquid res ipſa ejus imagini præferenda erit; præſertim ſi majora ex illa, quam ex hac, in rem Chronologicam emolumenta ſint redundatura? Hoc mihi in hac Diſſertatione propoſitum eſt, quod conſecuturum, Deo dante, ſpero, poſtquam de Era Incarnationis, de Cyclo D XXXII annorum, ac de tribus Eris mundanis Græcorum aliqua diſſeruero.

IX. *Ante Eram Incarnationis Chriſtiani Occidentales nullam propriam habuere.*

Prioribus Eccleſiæ ſeculis Chriſtiani Occidentales non aliâ annorum numerandorum formâ, quàm Gentiles ac Romani utebantur. Tandem Dionyſius Cyclo XCV annorum à Sancto Cyrillo Alexandrino Epiſcopo compoſito alium totidem annorum ſubſtituens, eum annis Diocletiani, quod à Cyrillo præſtitum fuerat, illigare noluit; ſed annis Incarnationis: eaque occaſione Era illa ad Latinos ab eo tranſlata. Hæc Dionyſii verba in prima ſua epiſtola, data *Philoxeno ac Probo Coſſ.* anno nempe Chriſti D XXV, poſtquam de Cyclo ſuo XCV annorum locutus eſt: *Quia verò Sanctus Cyrillus primum Cyclum ab anno Incarnationis C LIII* (qui anno Chriſti CDXXXVI inchoatus eſt) *cœpit, & ultimum in CC XLVII* (qui anno Chriſti D XXX exorditur) *terminavit: nos à CC XLVIII* (anno Chriſti D XXXI inchoato) *anno ejuſdem Tyranni potiùs quàm Principis inchoantes, noluimus Circulis noſtris memoriam impii & perſecutoris innectere: ſed magis elegimus ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti annorum tempora prænotare: quatenus exordium ſpei noſtræ notius nobis exiſteret; & cauſa reparationis humanæ, id eſt, Paſſio Redemptoris noſtri evidentiùs elucerct.* Duæ Incarnationis Eræ in Oriente inſtitutæ fuerant; quarum altera primum Incarnationis annum in annum Julianum XLIII, altera in annum Julianum XLV confert. Priori uſus eſt Euſebius in Chronico; & poſterior Panadoro Monacho Ægyptio, qui Arcadii Imperatoris & Theophili Alexandrini Epiſcopi tempore vixit, à Georgio Syncello in ſua Chronographia attributa. Epiphanius hæreſi 66. paragrapho 20. ejus meminiſſe videtur, cùm ait: *Ab Aſcenſione Chriſti ad Manem Hæreticum & Aurelianum ac Probum Imperatores* (alterum ſcilicet excedentem, alterum ineuntem) *annos ſubduci CC XLVI, aut ſecundùm alios* (à Nativitate ſcilicet, non, ut ibidem habetur, ab Aſcenſione Chriſti) *CC LXXVI.* Planè juxta Eram Dionyſianam, quâ initium Probi Imp. in annum Chriſti CCLXXVI incidit. Dionyſio poſterior hæc Incarnationis Era magis probata fuit, ideoque & eam Circulis ſuis innectere voluit.

X. *Era Incarnationis à Græcis ad Latinos tranſlata.*

Carpit non ſemel Scaliger Dionyſium, quòd Eram Incarnationis biennio breviorem, quàm par fuiſſet, compoſuerit, *quod utinam nunquam in mentem veniſſet, aut illi hoc imperandi, aut nobis parendi*, inquit in lib. 6. de Emendat. Temp. pag. 548. ubi pro certo ponit, Natale Chriſti contigiſſe anno Juliano XLIII, quo ideo Eram Chriſtianam inchoatam fuiſſe vellet. Idem eſt Calviſii, aliorumque Chronologorum de Eræ Dionyſianæ initio judicium. Verùm nulla Incarnationis Era à Dionyſio inſtituta, ſed ea tantùm, quam *Panadorus* Monachus aut ſecutus fuerat, aut forſan concinnarat, ab eo ad Latinos tranſlata, ut certò diſcimus ex Chronographia Georgii Syncelli, quam Jacobus Goar clariſſimus Dominicanus poſt Scaligeri & Calviſii mortem publici juris fecit. Ex eo enim Opere ſub finem octavi Eccleſiæ ſeculi aut ſequentis initio promulgato, liquet, Panadorum annum Incarnationis illigaſſe cum anno mundano Antiocheno 5493. ideoque cum anno Juliano XLV, ut ejus exemplo poſtea à Dionyſio factum. Imò altero poſt Dionyſium ſeculo *Conſtantinopolitani* eandem Incarnationis Eram adoptarunt, neglectâ eâ quam Julius Africanus, Euſebius aliique amplexati fuerant. *Solent Græci ut plurimùm*, inquit Allatius in Opuſculo de Hebdomadibus Græcorum, *imò ferè ſemper, dum annos recenſent, non à Chriſto nato, ſed ab Orbe ipſo condito numerare*, &c. *Calculus modò Eccleſiæ Orientalis, qui ferè apud omnes ſolennis eſt, & quo omnes non tantùm ad dirigenda tempora, & feſtorum indicandas ſolennitates, ſed inter commercia & congreſſus familiares utuntur, is eſt, ut ab Orbe condito ad Chriſtum natum annos 5508. numerant. Quare hic tantum numerus ſubtrahendus: qui remanet, erit annus à Chriſto nato.* Unde Era Chriſtiana eadem hodie eſt apud Latinos & Conſtantinopolitanos; cùm hoc tamen diſcrimine, quòd hi eam ab Incarnatione, illi à Nativitate vocant, ac præterea quòd Latini eâ in omnibus fermè Actis publicis, Græci verò nunquam ferè utantur: quod & de Moſcovitis, qui noſtro tantum ſeculo ſeſe à Patriarchæ Conſtantinopolitani juriſdictione ſubtraxere, dicendum.

Commodiùs tamen annos 5509. ex Era Conſtantinopolitana ad annos Chriſti cum illa conjungendos detrahes, ut infrà videbitur.

XI. *Incarnationis Era non ſtatim ab omnibus recepta.*

Hanc Incarnationis Eram eò lubentiùs Occidentales amplecti debuere, quò jam Imperium Occidentale defecerat, & regiones quæ olim Imperatori Occidentali paruerant, variis Regibus tunc parebant. Præterea ſupputatio per Conſules, quæ etiam non multò poſt Dionyſii mortem uſurpari deſiit, non parum tunc incommoda erat, dum Conſul alter in Oriente, alter in Occidente renuntiaretur, & non rarò contingeret, ut in Occidente ignoraretur, quis in Oriente Conſul deſignatus fuiſſet. Nihilo tamen minùs Era Incarnationis non ſtatim ab omnibus recepta. Scribit Scaliger eam in Gallia non admiſſam niſi tempore Caroli Magni. Ejus tamen mentionem invenio in Diplomate à Carlomanno dato, in quo memoratur Incarnationis annus DCCXLII, ut videre eſt in Capitularibus Regum Francorum ab eruditiſſimo Baluzio publicatis. Quare prima Francorum Regum ſtirpe deficiente, hæc Era paulatim in uſum vocata. Et quidem in Gallia & Belgio annus incipiebat à Paſchate, in Anglia, uti etiam hodie, à die xxv Martii Annunciationis B. Virginis ſacro, & nonniſi anno MDLXIV Caroli IX edicto in Gallia annus à Kalend. Januarii inchoari cœptus. In Belgio verò anno MDLXXVII à Kalend. Januariis annus inchoatus, teſte Auberto Myræo in Chronico. Longè tardiùs in Bullis Summorum Pontificum Era Incarnationis expreſſa. Eugenius enim IV primus fuit, qui anno MCDXXXI ſuaſu Blondi Eram Incarnationis in Bullis adhibuit. Denique nonniſi à paucis ſeculis Hiſpani & Luſitani *Eram Hiſpanicam* abrogarunt, & in ejus locum Dionyſianam ſubſtituerunt. Quoad *Eram Diocletianeam*, quam Dionyſius loco laudato Cyclis ſuis ſeſe illigare noluiſſe tradit, ea nunquam ab Occidentalibus in Actis publicis uſurpata, imò neque ab Orientalibus, præterquam à Chriſtianis Ægyptiacis, qui & etiamnum eâ utuntur. Fatendum tamen hanc Eram omnium eſſe antiquiſſimam, quæ à Chriſtianis inſtituta fuerit. In reliquo enim Oriente, Chriſtiani, uti in Occidente, in Scriptis publicis ſignandis à Gentilibus non diſcrepabant. Quare in Syria Eram *Seleucidarum* ſeu annos Alexandreos, ut Gentiles ac Pagani, adhibebant, imò & ea etiamnum apud Chriſtianos Surianos in uſu eſt, ut patet ex illorum Computo Eccleſiaſtico à Scaligero in fine librorum de Emendat. Temp. publici juris facto.

XII. *Cycli Alexandrini ad Occidentales à Dionyſio tranſlati.*

Non tantùm Eram Incarnationis, ſed & *Cyclos Alexandrinos* Dionyſius in Occidentem invexit. Quamvis enim, ut ſcribit Petavius lib. 6. de Doct. Temp. cap. 5. Paſchalis controverſia Nicæni Concilii auctoritate ſublata videri poſſet, eique proviſum in perpetuum fuiſſet, cùm Epiſcopo Alexandrino mandatum eſt, ut quotannis celebritatis illius tempus indiceret: graves nihilominùs ab eo tempore eadem de re rixæ & diſſenſiones extitere. Neque enim Alexandrinorum Græcorumque decreta totus Occidens initio amplexus eſt: ſed plerique peculiaribus ſeſe Legibus ac regulis obſtrinxerunt. Nam aureos numeros in Kalendariis ſuis aliter inſtituerunt, & emboliſmæos annos non eoſdem obſervarunt: Paſchales quoque termini ſuo quodam, & Alexandrinis contrario more deſcripti. Hinc flagrantiſſimæ illæ Latinos inter & Græcos altercationes exortæ; quæ in aperta nonnunquam odia, Eccleſiarumque divortia proruperunt. Primus apud Occidentem Dionyſius, quò ſuos cum Alexandrinis in concordiam adduceret, damnata Latinorum methodo, aureos numeros, totamque Paſchatis celebrandi rationem ex Alexandrinorum Faſtis in Romanum Kal. tranſtulit.

XIII. *Nonniſi temporis progreſſu ab omnibus recepti.*

Quæ res, ut ſubjungit Petavius, non omnibus Occidentis populis initio probata, paulatim apud illos obtinuit. Ita demum abrogatis, extinctiſque Latinorum numeris, Alexandrini omnibus in Romani orbis Kalendariis eorum loco ſubſtituti ad Gregorii XIII Pontificis Romani tempora perſeverarunt. Sed cujus prima illa & nativa numerorum aureorum, ſeu Cyclorum Lunæ diſpoſitio à Dionyſio conſtituta fuerit, nequaquam inter Auctores convenit. Nam neque numerorum illorum ſitus in vulgaris Kalendariis unus idemque deprehenditur; & ſunt qui veterem ac Dionyſianum contextum à poſterioribus interpolatum fuiſſe cenſeant. Qua de re fusè doctèque diſſerit Petavius citatus, qui ideo conſulendus: in hoc enim Opuſculo nonniſi quæ certiora videntur, referenda.

XIV. *Dionyſius Cyclos XCV & DXXXII annorum compoſuit.*

Licèt autem inter eoſdem Auctores etiam non conveniat, an *Dionyſius* Cyclum tantùm XCV annorum, quem Cyrilliano totidem annorum ſuccedere voluit, an etiam Cyclum DXXXII annorum, qui *magnus Cyclus Paſchalis* communiter appellatur, etiam compoſuerit, & Petavius, qui tomo 1. de Doct. Temp.

utrumque ei attribuit, in poſteriori eam opinionem retractarit, ac Dionyſium Cyclum tantùm XCV annorum deſcripſiſſe autumaverit; tamen Dionyſii verba in prima ſua Epiſtola laudata clariora ſunt, quàm ut nos ea de re dubitare ſinant. *Hoc monemus*, inquit, *quòd Cyclus iſte nonaginta quinque annorum, quem fecimus, non per omnia in ſe ipſum revertitur: & ideo poſt expeditionem nonaginta quinque annorum, non ad quintùm Cyclum Sancti Cyrilli, qui incepit Cyclos ſuos ab anno centeſimo quinquageſimo tertio Diocletiani, quorum quintum Cyclum neceſſariò nobis prepoſuimus, ſed ad noſtrum* PRIMUM CYCLUM, *quem nos ab anno ducenteſimo quadrageſimo octavo ejuſdem Diocletiani incepimus, Lector accurrat.* Dionyſius itaque duos Cyclos condidit, alterum ut Cyclos à Cyrillo compoſitos continuaret, de quo ſolo Cyclo in duabus ſuis Epiſtolis loquitur; alterum, quem loco laudato vocat *primum*, D XXXII annorum cum Era Incarnationis inchoandum. Cùm enim Cyclus Cyrilli XCV annorum ſubſtitutus in orbem non rediret, & eo deſinente, novo XCV annorum opus eſſet, Dionyſius, ut in plures annos Paſchatis dies haberi poſſet, compoſuit Cyclum magnum Paſchalem D XXXII annorum: quo ſpatio exacto, omnes neomeniæ & omnia feſta mobilia in eundem diem menſis, & in eaſdem ferias redeunt. Hinc ejus initium duxit, non à Cyclo Lunæ Soliſque primo, ſed à Cyclo Solis nono, Lunæ primo; cùm tamen Periodi natura hoc poſtulare videatur, ut primus amborum Cyclorum annus ſimul incipiat. Verùm, cùm Dionyſius Cyclum D XXXII annorum ab Alexandrinis ad Latinos transferret, illum Cyclo Lunæ I, & Solis IX exordiri debuit. Annus enim mundi Alexandrinus 5777. qui menſe Septembri anni Dionyſiani CC LXXXIV initium ſumit, & cum primo Diocletiani die XVII Septembris ejuſdem anno Auguſti nuncupati, concurrit, diviſus per XIX & XXVIII Cyclum Lunæ I & Solis IX relinquit. Cyclos autem Græcorum à primo Diocletiani anno inceptos fuiſſe, extra controverſiam eſſe debet. Hincque ratio nobis innoteſcit, cur ab his Cyclis Solis & Lunæ Dionyſius Eram Incarnationis & Cyclum ſuum D XXXII annorum inchoaverit: quæ hactenus omnes fugit.

XV. *Victorius non fuit Auctor Periodi D XXXII. annorum.*

Tradunt paſſim Chronologi, *Dionyſium* Cyclum D XXXII annorum à Victorio Aquitano confectum recoxiſſe, huncque primum magni hujus Cycli Paſchalis inventorem extitiſſe. Verùm *Victorius* primus quidem fuit apud Latinos, qui illum Cyclum adhibuit: ſed ejus inſtitutio Orientalibus debetur. *Syncellus* enim pag. 35. loquens de Aniano celebri Monacho Ægyptio, qui eodem quo *Panadorus* tempore claruit, ait: *Anianus Incarnationem anno 5500 completo, ac exoriente 5501. contigiſſe demonſtrat: ac Chriſtum reſurrexiſſe XXV die Martii, quem & eundem Dominicum primo conditum in edita Paſchatus tabulæ D XXXII annorum, mundi anno 5534. fuiſſe convincit. Panadorus in pleriſque eadem quæ Aniano dicta inculcat, licet ab arcana Nativitate ponenda anno 5500. ſeptem integris annis brevior definiat, ac ideo à Paſchali die aberret: hæc enim 5526. mundi anno eam accidiſſe Martii XX tradit.* Cyclus itaque Paſchalis D XXXII annorum longè ante Victorium concinnatus. Sed ea Periodus Aniano antiquior. Photius enim in Bibliotheca ait, *Metrodorum* compoſuiſſe Periodum D XXXII annorum, eamque à primo Diocletiani anno incepiſſe. Qui Metrodorus idem fuiſſe videtur cum illo quem Hieronymus in Chronico prodit vixiſſe Conſtantini Magni temporibus, & de quo ſcribit: *Metrodorus Philoſophus agnoſcitur.* Sed quidquid ſit de primo hujus Cycli inventore, certum eſt, eum non fuiſſe *Victorium*; valdeque veroſimile, Dionyſium aliam Periodum D XXXII annorum quàm Victorianam, quæ ab anno Paſſionis Chriſti ducebat exordium, à primo Diocletiani anno ad primum Chriſti retraxiſſe.

XVI. *Cyclus Lunæ cum terminis Paſchalibus, & Solis cum litteris Dominicalibus exhibendi.*

Quia verò plurimum refert, ut quilibet proprio marte è Cyclis Dionyſianis Solis & Lunæ *diem Paſchatis*, à quo cetera feſta mobilia pendent, eruere, & errores, ſi qui à Typographo commiſſi ſunt in noſtra Critica vel aliis libris, emendare poſſit, Cyclum Solis cum ſuis litteris Dominicalibus cuilibet anno propriis, & Cyclum Lunæ cum terminis ſuis Paſchalibus heic exhibendos duxi.

LATERCULUM terminorum Paſchalium in Cyclo Lunæ Dionyſiano.

Linea annorum Cycli Lunaris Dionyſiani.	Termini Paſchales.
1	v. Aprilis.
2	xxv. Martii.
3	xxiii. Aprilis.
4	ii. Aprilis.
5	xxii. Martii.
6	x. Aprilis.
7	xxx. Martii.
8	xviii. Aprilis.
9	vii. Aprilis.
10	xxvii. Martii.
11	xv. Aprilis.
12	iiii. Aprilis.
13	xxiiii. Martii.
14	xii. Aprilis.
15	Kal. Aprilis.
16	xxi. Martii.
17	ix. Aprilis.
18	xxix. Martii.
19	xvii. Aprilis.

LATERCULUM litterarum Dominicalium in Cyclo Solis Dionyſiano.

Anni.	Litteræ.
1	G F.
2	E.
3	D.
4	C.
5	B A.
6	G.
7	F.
8	E.
9	D C.
10	B.
11	A.
12	G.
13	F E.
14	D.
15	C.
16	B.
17	A G.
18	F.
19	E.
20	D.
21	C B.
22	A.
23	G.
24	F.
25	E D.
26	C.
27	B.
28	A.

Cyclus Lunæ eſt reſolutio periodica novemdecim annorum, quibus elapſis Novilunia & Plenilunia ferè ad idem tempus redeunt. Dicitur alio nomine *Cyclus Decemnovalis*, item *Decaëteris* vel *numerus aureus*, propter inſignem ejus uſum in feſtis mobilibus totius anni deſignandis. Is Cyclus terminum Paſchalem ante reformationem Kalendarii Gregorianam oſtendit, cujus beneficio, quo menſis die Paſchata celebrata fuerint, ſcire poſſumus. *Cyclus* verò *Solis* eſt revolutio viginti octo annorum ad reperiendam litteram Dominicalem cujuſcumque anni inſtitutus. Elapſis enim annis xxviii feriæ in orbem redeunt; quod tamen de ſtatis feſtis, non autem de mobilibus, ut de Paſchate aliiſque, intelligendum. Inveniri poteſt Cyclus Lunæ in quolibet anno Chriſti, ſi ei de quo agitur, *addatur unitas*, & omnes circuli xix annorum abjiciantur. Numerus enim qui remanſerit, erit Cyclus Lunæ illius anni, cui à latere adſcriptus eſt terminus Paſchalis. Sic in iiſdem Chriſti annis invenietur Cyclus Solis, ſi illi, de quo quæſtio eſt, *adjiciantur novem*, & tota ſumma dividatur per xxviii. Qui enim reliquus erit numerus, Cyclum Solis illius anni offeret, cui à latere ſignata eſt littera Dominicalis. Dico, Cyclo *Lunæ unitatem*, Cyclo verò *Solis novem unitates* addendas, quas ſcilicet in utroque Cyclo ante primum

Chriſti annum fluxiſſe ſupponimus.

XVII. *Modus eruendi Paſcha è Cyclis Solis & Lunæ.*

Terminus Paſchalis non eſt per ſe dies Paſchatis, ſed tantùm indicat, Paſcha celebrari Dominicâ proximâ, quæ illum diem ſequitur. Quare Paſcha ex ſolo Lunæ Cyclo educi non poteſt; ſed præterea Cyclus Solis adhibendus, qui diem Dominicam proximam poſt terminum oſtendat. Cyclus itaque Lunæ inventus unà cum Cyclo Solis tempus Paſchatis certiſſimè definiet. Anno Chriſti v. g. CCCLXXXI Paſcha celebratum eſt die XXVIII Martii, quia is annus notatur Cyclo Solis XXVI, Lunæ II. Cyclus autem Solis XXVI habet litteram Dominicalem C. & *terminus Paſchalis* Cycli Lunæ II dies eſt XXV Martii, qui cùm eo anno concurrerit cum die Jovis, Paſcha non potuit celebrari niſi die XXVIII ejuſdem menſis, qui primus Dominicalis eſt poſt terminum Paſchalem, diem nempe præfatum XXV Martii, & ſic de aliis quibuſcumque Chriſti annis. In annis antè Chriſtum Cycli Solis & Lunæ ut characteres temporum, quibus ſinguli anni diſtinguuntur, tantùm conſiderandi. Ut autem Lectorem curâ inveſtigandorum Cyclorum & Paſchatum cujuſlibet poſt Chriſtum anni levarem, tam Cyclos quàm Paſchata cuilibet anno in meo Opere præfixi, quod & in quibuſcumque Annalibus fieri debet. Et hæc ſatis de Cyclis Dionyſianis Solis & Lunæ ab Alexandrinis mutuatis.

XVIII. *Periodi mundanæ Orientalium explicatur.*

Nunc, ut Dionyſii Exigui conſilium ſupplere & magis promovere poſſim, tres Eræ ſeu Periodi mundanæ Chriſtianorum Orientalium accuratiùs, quàm hactenus factum fuerit, exponendæ. Ex tribus itaque Periodis illis altera *Alexandrina* vocatur, uti à Theophane, quando de Anaſtaſio Imperatore loquitur: altera dicitur *Antiochena* à quibuſdam recentioribus, qui nulla quidem Veterum auctoritate innituntur, ſed à quibus, cùm nihil melius afferre poſſim, in quæſtione de nomine non diſcedam: tertia denique *Conſtantinopolitana*, ſeu etiam *Romana* à Theophane loco laudato, eo quòd Conſtantinopolis eſſet *nova Roma*, appellata. In priori Incarnatio conſignatur anno mundi 5501. in ſecunda anno mundi 5493. in tertia verò anno mundi 5509. & hæc ferè ſine controverſia, quæ tota in eo ſita, cum quo ſcilicet anno Juliano tres illi trium harum epocharum mundanarum anni, quibus Divina Incarnatio affigitur, copulari debeant. Priorem enim annum, nempe mundi, ſecundùm Alexandrinos 5501. Scaliger in libris de Emendat. Temp. cum anno Juliano XLV, Petavius verò in libris de Doct. Temp. & Auctario ad eoſdem libros, cum anno Juliano LIV, Eræ verò Dionyſianæ IX, conjungendum contendit. In aliis duabus Eris mundanis Græci cum Latinis conveniunt, & tam annum mundi 5493. quàm 5509. in anno Juliano XLV auſpicantur. Verùm, annum mundi Alexandrinum 5501. inchoari in anno Juliano XLIII, vel die XXV Martii, uti à Georgio Syncello, vel menſe Aprili, uti à paucis quibuſdam, vel communiter à Kalendis Septembris, ideoque Alexandrinos decem annos ante Antiochenos, & hos ſedecim ante Conſtantinopolitanos, mundi conditum incipere, certum eſſe debet. Quòd ſi quis in præfatis annis cum Julianis, in quibus incipiunt, connectendis erraverit, in iiſdem cum annis Chriſti conjungendis non poterit non errare. Vides in hoc Laterculo quomodo trium harum Erarum anni tam inter ſe, quàm cum annis Julianis ac cum annis Chriſti conveniant; & quomodo Conſtantinopolitani annis ſedecim priùs quàm Antiocheni, ſex verò ante Alexandrinos mundum creatum ſupponant.

LATER.

XIX. *Connexio annorum Chriſtianorum Orientalium cum annis Iulianis.*

LATERCVLVM ANNORVM TRIVM ERARVM MVNDANARVM

Chriſtianorum Orientalium cum Iulianis & Incarnationis connexorum.

Anni mundi Antiocheni à Septemb.	Incarnationis à Septemb.	Anni mundi Alexandrini à Septemb.	Incarnationis à Septemb.	Anni mundi Cpolitani à Septemb.	Incarnationis à Septemb.	Anni Juliani à Kal. Januariis.	Anni Dionyſiani à Kal. Jan.
				1.			
				2.			
		Initium mundi.		3.			
				4.			
				5.			
				6.			
		1.		7.			
		2.		8.			
		3.		9.			
		4.		10.			
		5.		11.			
		6.		12.			
		7.		13.			
		8.		14.			
		9.		15.			
Initium mundi.		10.		16.			
1.		11.		17.			
2.		12.		18.			
3.		13.		19.			
4.		14.		20.			
&c.		&c.		&c.			
5449.		5459.		5465.		1.	
5450.		5460.		5466.		2.	
5491.		5501.	1.	5507.		43.	
5492.		5502.	2.	5508.		44.	
5493.	1.	5503.	3.	5509.	1.	45.	
5494.	2.	5504.	4.	5510.	2.	46.	1.
5495.	3.	5505.	5.	5511.	3.	47.	2.
5496.	4.	5506.	6.	5512.	4.	48.	3.
5497.	5.	5507.	7.	5513.	5.	49.	4.
5498.	6.	5508.	8.	5514.	6.	50.	5.
5499.	7.	5509.	9.	5515.	7.	51.	6.
5500.	8.	5510.	10.	5516.	8.	52.	7.
5501.	9.	5511.	11.	5517.	9.	53.	8.
5502.	10.	5512.	12.	5518.	10.	54.	9.
5520.	28.	5530.	30.	5536.	28.	72.	27.
5521.	29.	5531.	31.	5537.	29.	73.	28.
5522.	30.	5532.	32.	5538.	30.	74.	29.
5523.	31.	5533.	33.	5539.	31.	75.	30.
5524.	32.	5534.	34.	5540.	32.	76.	31.
5525.	33.	5535.	35.	5541.	33.	77.	32.
5526.	34.	5536.	36.	5542.	34.	78.	33.
5527.	35.	5537.	37.	5543.	35.	79.	34.

XX. *Explicatur Periodus Alexandrina mundana.*

In Era mundana Alexandrina aliqui jungunt Incarnationem cum anno 5500. aliqui cum anno 5501. De more tamen cum anno Juliano XLIII. Imò Syncellus modò ſcribit, Chriſtum natum anno mundi 5500. modò anno 5501. Verùm quando dicit, Chriſtum natum anno 5501. numerat annum illum inter annos Incarnationis. Contrà verò quando dicit, natum eum anno 5500. eum annum in ſummam non confert, ſed incipit poſtea numerare primum annum Chriſti anno 5501. qui ſemper eſt ei primus annus Chriſti. Scribit etiam, Chriſtum natum anno CLXXXI undecimæ Periodi D XXXII annorum, qui, ut mox videbitur, concurrit cum anno 5501. qui ideo apud Græcos paſſim pari paſſu procedit in minori numero cum annis Divinæ Incarnationis. Præterea annus ille mundi ſecundùm Alexandrinos per XXVIII, XIX, & XV partitus reddit Cyclum Solis XIII, Lunæ X, Indictionis XI. Quare, cùm annus Julianus XLIII, cui ille mundi annus reſpondet, Indictione Romana proleptica I notetur, ut videre eſt in noſtra Critica, Alexandrini decem ſemper Indictiones plus quàm Latini numerant: ideoque ſi decem numeros ex illorum anno mundano rejicias, qui reſtabit, conveniet cum Indictione Romana; eaque methodo agnoſces quando annos illos mundi Alexandrinos rectè cum annis Chriſti conjunxeris. Hæc tamen decem Indictionum abdicatio fieri tantùm debet in annis mundanis, qui ante primum Diocletiani Imperatoris fluxere. Nam ab eo tempore, poſt mutilatam nempe Eram Alexandrinam, qua de re mox, anni mundi Alexandrinorum eandem Indictionem reddunt ac anni Chriſti Dionyſiani: ſicque utrorumque copulatio minùs errori obnoxia.

XXI. *Era Alexandrina à S. Hippolyto Martyre uſurpata.*

Era hæc ceteris duabus longè antiquior. Ea enim uſus eſt *Julius Africanus*, qui anno Chriſti ducenteſimo viceſimo primo *Grati & Seleuci Conſulatu* notato Chronicon ſuum abſolvit, ut ipſemet teſtatur apud Photium. Uſurpata & ea à Sancto Hippolyto Julio Africano coævo, aliiſque Antiquis, ut diſcimus ex Vita Sancti Euthymii Magni Abbatis, ſcripta à Cyrillo Monacho, & Græcè Latinèque recitata à Cotelerio tomo 2. Monumentorum Eccleſiæ Græcæ, in qua cap. 109. dicitur: *Sabbato dormit in pace, & ad eam quæ illic eſt, tranſit beatitudinem: revera ſenex & plenus dierum, V ceſima die menſis Januarii, in anno quidem mundi creationis ſecundùm tempora ſcripta ab Hippolyto illo antiquo ipſiſque Apoſtolis familiari, & ab Epiphanio Cyprio, & ab Herone Philoſopho & Confeſſore, quinquies milleſimo nongenteſimo ſexageſimo quinto: à Domini autem noſtri Ieſu Chriſti in carne adventu quadringenteſimo & ſexageſimo quinto.* Eſt is annus Dionyſianus CD LXXIII, cujus menſe Januario Sanctus Euthymius obiit. Eundem Hippolytum eâ Erâ mundanâ uſum, docet etiam Syncellus, qui ait, eum tradidiſſe Incarnationem factam fuiſſe anno mundi 5501. Illum Chronicon ſcripſiſſe, & uſque ad primum Alexandri Imperatoris annum perduxiſſe, nos docet Euſebius lib. 6. cap. 22. ubi loquens de iis, qui eo imperante floruerunt, ait: *Eodem tempore & Hippolytus inter plurima alia ingenii ſui monumenta, librum de Paſcha compoſuit: in quo temporum ſeriem deſcribens, & Canonem quendam Paſchalem per ſexdecim annorum circuitum exhibens, anno primo Imperatoris Alexandri, computationem temporum circumſcribit.* Chronicon quidem illud periit: extat tamen Canon ille Paſchalis, qui, ut obſervat Valeſius in Notis ad illum Euſebii locum, pars duntaxat eſt libri, quem *Hippolytus* conſcripſerat *de Paſcha*: quod Euſebius laudatus apertè ſignificat. Quod cùm Scaliger non animadvertiſſet, immeritò reprehendit Euſebium, quòd dixerit, Hippolytum in eo libro ad primum uſque Alexandri Imp. annum ſeriem temporum determinaſſe. *Imò verò*, inquit Scaliger, *Canon Hippolyti non in primum annum Imp. Alexandri deſinit, ſed ab eo incipit.* Verum id quidem eſt: ſed Euſebius non de Canone loquitur, quem Hippolytus Operi ſuo de Paſcha adjunxerat; verum de Opere ipſo, in quo Hippolytus ordinem temporum dinumerans, in primo Alexandri Imp. anno deſierat. Quam Valeſii interpretationem certam reddit locus ex Vita S. Euthymii mox citatus.

XXII. *Uſurpata & à S. Epiphanio.*

Quo tempore *Heron* Philoſophus vixerit, non memini me legiſſe qui annotarit. Sed quoad *Epiphanium*, Panadoro & Aniano æqualis fuit: quem Erâ mundanâ Alexandrinâ uſum fuiſſe, deprehendi ex loco ejuſdem Doctoris corrupto, qui heic reſtituendus. Epiphanius hæreſi 65. ait: ἡ δὲ τοῦ Χριστοῦ παρουσία ἐν τῷ πεντεκαιδεκάτῳ ἔτει Τιβερίου Καίσαρος ἤρξατο τοῦ κηρύγματος, μετὰ τριακοστὸν ἔτος τῆς αὐτοῦ γεννήσεως, ὅπερ κατήντα εἰς πεντακισχιλιοστὸν πεντακοσιοστὸν ἔνατον ἔτος τῆς κοσμοποιΐας, καὶ τριακοστὸν τῆς αὐτοῦ ἡλικίας, τριακοστὸν δὲ τρίτον ἕως τοῦ σταυροῦ, id eſt: *At verò Chriſtus poſt ſuum in hunc*

mundum adventum anno decimo quinto Tiberii Cæſaris prædicationem exorſus eſt, poſt annum à Nativitate trigeſimum, qui in quinquies milleſimum ac quingenteſimum nonum annum conditi Orbis incurrit, eſſque trigeſimus, uti dixi, ætatis illius annus. Nam trigeſimo tertio in crucem actus eſt. Petavius in Notis Epiphanianis ex eo loco infert, Chriſtum ex Epiphanii ſententia natum anno mundi 5480. Additque, Græcos varias ex LXX Interpretum ratiociniis annorum ſummas ab Orbe condito collegiſſe. Quod quidem ultimum verum eſt: ſed primum ſuſtineri non poteſt; cùm nullus ex Antiquis Chriſtum natum ſcripſerit eo mundi anno. Quare, cùm juxta Epiphanium Chriſti Incarnatio cadat in annum Julianum XLIII, iſque Eram mundanam Alexandrinam, teſte Cyrillo Monacho laudato, ſecutus fuerit, liquet in numeros errorem irrepſiſſe; cùm ex Epiphanii mente Chriſtus die Epiphaniæ, anni ſcilicet Juliani XLIV, in lucem prodierit, & *Silvano Nervaque Coſſ.* anno nempe Dionyſiano XXVIII, menſe Novembri, cùm XXIX annos & menſes X impleſſet, baptizatus fuerit, currente ſcilicet anno XV Imperii Tiberii Cæſaris. Quare erat is annus mundi quinquies milleſimus quingenteſimus triceſimus primus ab aliquot menſibus inchoatus, ideoque in Epiphanio, loco *ἔνατον*, id eſt, *nonum*, legendum, *τριακοστὸν ἕνα*, id eſt, *trigeſimum primum*, ut vel ipſa loci corruptio oſtendit: quod & ſuſpicatus fueram, antequam citatum Cyrilli Monachi locum vidiſſem.

XXIII. *Vulgaris error eſt, eſſe vel fuiſſe in Oriente qui Erâ Dionyſianâ octennio breviori utantur.*

Petavius in lib. 9. de Doct. Temp. & in Auctario ad eoſdem libros lib. 8. exiſtimat, tam Sanctum Maximum in Computo Eccleſiaſtico, quàm Georgium Syncellum in ſua Chronographia, alioſque Græcos, qui ſcribunt Chriſtum incarnatum anno mundi 5501. ejus Incarnationem anno Chriſti Dionyſiano nono, qui cum Juliano LIV concurrit, affinxiſſe. Quæ & opinio fuit *Hervarti* in ſua Chronologia, *Bollandi* in explicatione Actorum Sancti Clementis Ancyræ in Galatia Epiſcopi paragrapho 1. num. 2. aliorumque paſſim, qui tanquam certum ponunt, vel eſſe, vel fuiſſe aliàs populos quoſdam in Oriente, qui Chriſtianam epocham octo annis ſeriùs atque Latini ordiantur. Verùm vulgaris error non propagandus erat, ſed evertendus. In eum alii ducti, quòd Syncellus, qui Incarnationem cum anno mundi 5501. illigat, ſubdat, eam contigiſſe *Sulpicio Camerino & C. Poppæo Sabino Coſſ.* quem Conſulatum in annum Eræ Dionyſianæ IX convenire certum. Alii quoſdam populos ſeriùs Latinis Eram Incarnationis inchoaſſe, ſibi in animum induxere, quòd Era Incarnationis Alexandrina octennio Erâ Dionyſianâ brevior ſit, ita ut quem annum Incarnationis Alexandrini putant CCCXVI, Dionyſiani CCCXXIV vocent. Alii denique in eam ſententiam abrepti, quòd annus Julianus LIV, qui eſt Eræ Dionyſianæ IX, eadem littera Dominicali ac annus Julianus XLIII, littera nempe F. notetur. Priorum fundamentum ruinoſum. Syncellus enim qui Incarnationem Chriſti cum illo Conſulatu conjungit, dicit poſtea, Chriſtum paſſum *Nerone III & Valerio Meſſala Coſſ.* qui Conſulatus in annum Chriſti LVIII competit. Quare uterque Conſulatus, vel in illud Chronicon infartus, vel Auctor priorem cum anno Juliano XLIII, poſteriorem cum anno Dionyſiano XXXI, quo Chriſtum paſſum exiſtimavit, per errorem connexuit. Sic Alcuinus lib. 1. de Divinis Officiis cap. 6. dicit, Chriſtum *expletis quaſi triginta annorum curriculis*, anno *decimo quinto Tiberii Cæſaris ſub Valeriano & Aſiatico Coſſ.* baptizatum fuiſſe; cùm tamen Conſulatus ille Valeriani & Aſiatici, vel fictitius ſit, vel pars tantùm Conſulatûs, quo annus Chriſti XLVI notatur: eo enim anno Conſules fuerunt, *C. Valerius Aſiaticus II, & M. Junius Silanus.*

XXIV. *Primum hujus opinionis fundamentum ex littera Dominicali perperam deſumtum.*

Alios, uti Petavium, identitas litteræ Dominicalis in annis Julianis XLIII & LIV in errorem impulit. Ait enim Petavius cap. 1. citati lib. 8. Maximus in prima parte Computi cap. 32. Evangeliſmum Beatæ Virginis, ſive Incarnationem incidiſſe vult anno mundi 5501. Cyclo Solis XIII, Lunæ X, feriâ II, Natalem autem Chriſti eodem anno feriâ quartâ. Quoniam igitur Evangeliſmus, quem *Annuntiationem* Latina vocat Eccleſia, tam à Græcis quàm à noſtris, Martii XXV ponitur, neceſſe eſt Dominicalem fuiſſe litteram F. Addit cap. 33. Indictionem fuiſſe tunc XII. Cap. porro 34. oraculum Zachariæ Septemb. XXVII die contigiſſe narrat, feriâ V, Cyclo Solis XII, Lunæ IX. Proinde littera Dominicalis erat G. Item natum eſſe Joannem Junii XXIV, feriâ II, nempe littera Dominicali F. Ex tot annorum characteriſmis efficitur Zachariæ oraculum, & conceptum Joannis cadere in annum VIII Eræ communis, quo littera fuit G. poſt Martium: Incarnationem autem Natalemque Chriſti, & ante hunc Joannis, in annum Eræ Chriſtianæ nonum, qui litteram habuit F. Sic annis octo tar-

dior eſt Natalis Dominicus in hac Era, quàm in communi. Ita Petavius. Verum, ſi Vir doctiſſimus animadvertiſſet, annum Julianum XLII littera Dominicali G. annum verò Julianum XLIII littera Dominicali F. inſignitos eſſe, ita, opinor, ratiocinatus non fuiſſet.

XXV. *Indictio quæ dicitur ab Augusto instituta, ſictitia eſt.*

Quoad Indictionem quæ Petavium irretitum tenuit, explicanda erat eo modo, quo Maximus intellexit. *Orta eſt*, inquit, *ut Hiſtorici prodiderunt, anno primo Auguſti Cæſaris, ejus Imperii ſecundo, qui fuit annus mundi 5460. Hi per XV diviſi ultimum Indictionis annum, id eſt, annum quintum decimum exhibent: in quo hujus initium ille ſtatuens, ultimum eſſe primum voluit. Ita fit, ut uno anno præcurrat Indictio, quæ ab anno Auguſti ſecundo numeratur, eam quæ ab Orbis exordio ducitur, quando anni Adami per XV dividuntur. Proinde fuit Indictio XI ſecundùm calculum iſtum, anno quo ſecundùm carnem Salvator eſt ortus. At ex illo calculo fuit XII, quoniam uno antevertit anno. Sic ſacratiſſimus Baptiſmus Indictionem habet X & XI, & ſalutaris Paſſio XIV & XV. Quippe anno Auguſti XLIII, noſtri inſtar, ut homo natus is eſt, qui ante ſecula tanquam Deus ex Patre natus fuerat. Proinde ſi XLII per XV dividis, annus prodibit Indictionis XII, quo, ut diximus, Chriſti Natalis incidit.* Maximus itaque duo genera *Indictionum* diſtinguit: alterum, quod ab Orbis exordio ducitur; alterum, quod Auguſtus, ut ipſe & paſſim Græci ſomniant, anno ſecundo Imperii ſui inſtituit, additque, annos mundi per XV diviſos reddere Indictionem mundanam; annos verò Auguſti, ſi unitatem demas, reſpondentem ſcilicet primo Imperii ejùs anno, offerre Indictionem Auguſteam, quæ mundanam unitate ſuperat. Quare Indictio XII, de qua ibi loquitur Maximus, non eſt Indictio mundana, de qua quæſtio eſt: annus ènim mundi 5501. nonniſi Indictionem XI reddit, nec eſt etiam Indictio XII Romana, quâ annus Dionyſianus IX afficitur, ut crediſſe videtur Petavius; ſed eſt Indictio XII Auguſtea, aut, ut veriùs loquar, fictitia & commentitia, quemadmodum fictitium eſt, quòd Auguſtus Cæſar alicujus Indictionis auctor fuerit. Errat etiam Maximus, quando copulat ſecundum annum Imperii Auguſti cum anno mundi Alexandrino 5460. Annus ènim ille cum anno Juliano ſecundo, quo Caius Julius Cæſar occiſus, concurrit, ideoque ſecundus Cæſaris Auguſti eſſe non potuit; cùm nonniſi poſt Julii Cæſaris avunculi necem Imperium ſuſceperit.

XXVI. *Error Syncelli & Maximi corrigitur.*

In eodem errore Syncellus verſatur: cum enim annum mundi 5460. vocat etiam Auguſti Cæſaris *ſecundum*. Quo ex errore in alium uterque prolapſus eſt. Autumarunt enim, Chriſtum anno XLIII Auguſti natum; quaſi fieri poſſet, ut annus XLIII Auguſti cum anno Juliano XLIII, quo annus mundi 5501. incipit, componi poſſit. Jacobus Goar in Notis ad Syncellum ait, locum, ubi is ſcribit, Chriſtum Incarnatum anno XLIII Cæſaris Auguſti, corruptum eſſe, legendumque, XLII. Sed præterquam quòd Sanctus Maximus eundem numerum retinet, is in ipſo fine ſui Computi pag. 356. rurſus hæc habet: *Anno ſecundo Imperii Auguſti Cæſaris numerari cæperunt Indictiones, Romanique menſes tum primùm ab illis excogitati, anno Adami 5460. Anno Auguſti XLIII naſcitur Chriſtus, anno Adami 5501. Anno XV Tiberii in Jordane baptizatur anno Adami 5530.* Quare error tam Maximi quam Syncelli Incarnationem anno XLIII Auguſti illigantium, ex eo procedit, quòd arbitrati fuerint, cum Julio Cæſari ſucceſſiſſe anno primo Juliano, annoque mundi ſecundùm Alexandrinos 5459. quo pacto verum eſſet, annum mundi 5501. die XXV Martii, quo Syncellus annos tam mundi quàm Incarnationis inchoat, quadrageſimum tertium Auguſti fuiſſe. At Cæſarem Auguſtum anno Juliano ſecundo, mundique ſecundum Alexandrinos 5460. poſt Julii necem regnare cœpiſſe, & non antea, certum indubitatumque. Interim ex laudato Maximi loco, quo annum XV Tiberii cum anno mundi 5530. conjungit, manifeſtè apparet, opinionem, quam Petavius Sancto Maximo attribuit, quod nempe docuerit, Chriſtum incarnatum eſſe anno nono Eræ Dionyſianæ, à mente Sancti hujus Martyris valde alienam eſſe: cùm ſi Chriſtus baptizatus ſit anno Tiberii XV, Dionyſiano ſcilicet XXIX, annoque mundi Alexandrino 5530. natus profectò erat longè ante annum Dionyſianum IX; alioquin anno ætatis viceſimo Chriſtum baptizatum Maximus crediſſet. Quod cum exiſtimaſſe nullus ſibi perſuaſerit.

XXVII. « *Secundum* « *hujus opinionis fundamentũ* « *ex anno* « *ſecundo* « *Imperii*

Secundum argumentum Petavii iſtud eſt: Maximus Auguſti Imperii ſecundum annum ait eſſe mundi 5460. quo fuit Indict. I. incarnatum vero eſſe Chriſtum anno Auguſti XLIII, Indictione XII. Ex quo conſequens eſt, anno Juliano XII Periodi Julianæ 4680. Auguſti Imperium iniiſſe, & annum Julianum XIII

Auguſti malè deductum.

» Periodi Julianæ 4681. ſecundum eſſe
» Monarchiæ : intellige labentem utro-
» bique. Etenim Auguſti annos à Thoth
» incipit. Proinde primus Thoth revera
» incidit in annum Julianum I I I Periodi
» Julianæ 4671. At ex Maximi calculo
» contigit anno Juliano X I Periodi Julia-
» næ 4679. Unde anno 4681. in curſu
» erat adhuc ſecundus Auguſti cum In-
» dictione I. Adde annos X L I reliquos;
» incurret annus Auguſti X L I I I, quo in-
» carnatus eſt Chriſtus, in annum Julia-
» num L I V, Periodi Julianæ 4722. ita
» ut anno Juliano L I I I à Thoth inierit,
» & menſe Martio inſequentis anni tenue-
» rit. Vides, ut annis octo tardiores ſint
» epochæ omnes in iſto computo. Nam
» Thoth Auguſtei Imperii eſt annus Julia-
» nus I I I, à Maximo verò ſit X I. Hæc
Petavius. Sed jam reſpondimus, Maxi-
mum & Syncellum hallucinatos, quan-
do Julium Cæſarem anno mundi ſecun-
dùm Alexandrinos 54 8. occiſum puta-
runt. Ea enim mors patrata anno ſe-
cundo Juliano, qui cum anno mundi
Alexandrino 5460. concurrit, quo ſe-
cundùm Alexandrinos, currebat Indictio
XV proleptica, ſecundùm Romanos In-
dictio V proleptica: &, ut ſupponit Ma-
ximus, Auguſtus inſtituit Indictionem
primam Auguſteam, quæ à mundana
valde diverſa eſt, ut numero X X V dixi-
mus. Secundus itaque annus Monarchiæ
Auguſti in computo Maximi non poteſt
alius eſſe quàm mundanus 5461. ac Ju-
lianus I I I; nec Chriſtus in Sancti Ma-
ximi opinione X L I I I anno Auguſti naſci
potuit, ſi primus annus Auguſti incidit in
annum mundi ſecundùm Alexandrinos
5460. quadrageſimus verò tertius in an-
num mundi ſecundùm eoſdem 5503. quod
in dubium revocari non poteſt. Nam tam
Maximus quàm Syncellus expertè docent,
Chriſtum natum anno mundi 5501.

XXVIII. *Tertium fundamentum ex Chriſti Baptiſmo & Paſſione deſumtum evertitur.*

» Tertium Petavii argumentum : Ma-
» ximus cap. 32: ſui computi baptizatum
» à Joanne Chriſtum memorat anno 5530.
» feria I I I. Ergo littera Dominicalis D.
» adjectis X X I X ad eum annum, quo in-
» carnatus eſt. Unde eſt hic annus Perio-
» di Julianæ 4752. quo ad vernum uſque
» menſem labebatur annus Maximi 5530.
» & 5531. inde ſucceſſit. Item Paſſionem
» Chriſti conjicit in annum 5534. ac diem
» Paraſceves, quæ quidem Martii X X I I I
» contigit, ut Georgius docet. Erat littera
» Dominicalis G. Itaque annus fuit Pe-
» riodi Julianæ 4755. Quæ Græcorum
» ſententia non magis reliqua ab Hiſto-
» ria, quam ab Evangelica narratione diſ-
» crepat. Nam Tiberii X V ferè baptiza-
tus eſt Chriſtus; & eodem imperante, «
tertio, quartóve anno poſtea paſſus. At «
ex Maximi computo ſequitur, Caio im- «
perante, & ejus anno ſecundo, ad Ba- «
ptiſmum Joannis acceſſiſſe Dominum; «
& paſſum eſſe Claudii ſecundo: quæ «
ſunt abſurdiſſima, inquit Petavius. Sunt «
certè abſurdiſſima, & Maximo, Syncel-
lo, aliiſque Antiquis, qui eandem opi-
nionem propugnarunt, indigna. Unde
& intelligere poterat Vir eruditiſſimus,
eam explicationem in illorum mentem
vix cadere potuiſſe. Baptizatus itaque
Chriſtus anno Dionyſiano X X V I I I litte-
ra Dominicali D. inſignito, quo ideo
dies Epiphaniæ, qui Januarii ſextus eſt,
in feriam tertiam incidebat, quóve die
X X V Martii aut alio dies annus mundi
5531. inchoandus erat. Indeque liquet,
ex Maximi ſententia annum mundi 5501.
in anno Juliano X L I I I incipere; alio-
quin annis X X I X aut X X X natus ad Ba-
ptiſmum non acceſſiſſet; quod nullus ex
antiquis Patribus in dubium revocavit.
Paſſus verò Chriſtus, juxta Sanctum Ma-
ximum & Georgium Syncellum, anno
Dionyſiano X X X I littera Dominicali G.
inſignito, quo ideo dies X X I I I Martii
cum feria ſexta concurrebat, anno nem-
pe X I X Tiberii, ut Maximus pag. 356.
& Syncellus pag 319. ſcribunt. Ubi an-
nos Tiberii ab ejus Imperio Proconſu-
lari, ut communiter Antiqui, quando
de Baptiſmo aut morte Chriſti loquun-
tur, uterque deducit, ab anno nempe
Dionyſiano X I I I; cùm tamen anno XI
aut XII Tiberius Imperii Collega factus
fuerit. Verùm hic error excuſatione di-
gnus; cùm prior epocha Tiberiani Impe-
rii valde ſit obſcura; ſed uterque inexcu-
ſabilis eſſet, ſi, ut vult Petavius, Baptiſmum
Chriſti in annum Eræ Dionyſianæ XXXIX,
ejus verò Paſſionem in annum ejuſdem
Eræ XLII contuliſſet; cùm Tiberius jam
ab anno XXXVII fato functus eſſet.

XXIX. *Maximus & Syncellus vulgari illi errori non ſuffragantur.*

Verùm Georgium Syncellum, ideo-
que & Maximum, cujus ille ſententiæ
adhæſit, annum primum Incarnationis,
mundique 5501. cum anno Juliano XLIII
copulaſſe, ideoque & annum mundi
5534. cum anno Dionyſiano X X X I, ex
Chronographia Georgii certè deduci-
tur. Pag. 327. refutando Panadorum
dicit, liquere ex ſacris Scripturis, Chri-
ſtum circa Cæſaris Auguſti mortem an-
num circiter X V jam attigiſſe, & circa
annum Tiberii XV, trigeſimum ætatis
numeraſſe. Quare ſecundùm Syncellum
Chriſtus incarnatus eſt anno Juliano
X L I I I, poſt quem Auguſtus adhuc an-
nos circiter XV regnavit. Ad hæc, Syn-

ceſſus paulò antea dixerat, Chriſtum conceptum eſſe anno centeſimo octogeſimo primo undecimæ Periodi D XXXII annorum, paſſum verò anno ejuſdem Periodi CC XIII. Incipit Syncellus undecimam illam Periodum D XXXII annorum anno mundi, ſecundùm ſcilicet Alexandrinos, 5321. ut ipſemet aſſerit, ab anno ſcilicet Periodi Julianæ 4531. Quare is annus C LXXXI reſpondet anno mundi 5501. annoque Periodi Julianæ 4711. Notat etiam Syncellus, annum mundi 5321. Olympiadis C XLIX anno quarto, qui eſt annus Olympiadicus D XCVI. Et ratio eſt, quia Syncellus incipit primam Olympiadem annis duobus ante communes Olympiades, anno nempe mundi ſecundùm Alexandrinos 4726. cui ſi addas annos D XCVI Olympiadicos, pervenies ad annum mundi 5321. Ex quibus certò infertur, Syncellum junxiſſe Incarnationem cum anno Juliano XLIII. Denique pag. 325. & ſeq. reprehendit Julium Africanum, quòd in Paſſione Chriſti anno ætatis ejus XXXI collocanda, duobus annis à vero aberret. Ipſe enim tuetur tempus omne quod ab ejus conceptu annoque mundi 5501. & Martii XXV ad ejus Reſurrectionem extenditur, *quæ in eandem XXV Martii diem incidit*, annorum fuiſſe XXXIII & unius diei, *quæ annum 5534. incepit*; cùm tamen Africanus Incarnationem in annum 5501. *conſentaneè traditioni Apoſtolicæ*, inquit Syncellus, conjecerit, & Paſſionem ac Reſurrectionem malè in annum mundi 5531. contulerit. Africanum autem Chriſtum anno XV Tiberii duorum Geminorum Conſulatu notato, annoque Dionyſiano XXIX crucifixum fuiſſe autumavit; ideoque Syncellus Paſſionem Chriſti non cum anno Dionyſiano XLII, ut Petavius ſomniabat, ſed cum anno ejuſdem Eræ XXXI illigavit; cùm Africano errorem duorum annorum, non verò annorum tredecim attribuat.

XXX. *Opinio Africani de anno Incarnationis & mortis Chriſti è tenebris eruta.*

Petavius in lib. 8. Auctarii cap. 2. fatetur quidem ad Græcanicas Eras intelligendas, opinionis Africani inquiſitionem plurimum utilitatis afferre; ſed quid hac in re Africanus ſenſerit, obſcurum eſſe; tandemque concludit: *Mea, ut in ancipiti ac perplexa quæſtione, conjectura eſt, Chriſtum ex Africani opinione, incarnatum eſſe anno Periodi Julianæ 4712. biennio ante communem Eram; mundi 5501. baptizatum porro duobus Geminis Coſſ. anno Tiberii XV, mundi 5530. exeunte, quem 5531. Aprili circiter excepit: paſſum denique anno mundi deſinente 5531. ſequente 5532. à Paſchate; vel Aprili anni Chriſti communis XXX, Tiberii XVI, & Olympiadis CC II anno ſecundo nondum ab æſtivis menſibus inchoato; ſed κατὰ πρόληψιν à Januario, aut alio quopiam initio popularis anni, quo uſus eſt Africanus. Quocirca qui Africanum referunt, Paſſionem Domini anno Adami 5531. Incarnationis XXXI attribuiſſe, de annis deſinentibus intelligere debuerunt. Nam Baptiſmum ab eo collatum eſſe in Conſulatum Geminorum, veriſimile eſt: cùm ex Luca conſtet, anno XV Tiberii iſtud eveniſſe: aut ſi, ut Epiphanius & alii quidam, Novembri menſe, non ſexto Januarii, ad Baptiſmum veniſſe credidit, anno communis Eræ XXVIII. Certè hinc ad Paſſionem ſolidus annus interpoſitus eſt; cùm annum ſaltem unum τῇ κηρύξει Africanus imputaverit. Atqui ſi Conſulibus ipſis Geminis, Martio menſe, paſſus foret, tres ab Januario vel à Novembri, quinque duntaxat menſes, Chriſti prædicatio teneret: quod Africanum ſenſiſſe non arbitror.* At hæc quæſtio neque anceps, neque perplexa; & ſi in aliorum Græcorum ac in Africani ſenſum tam facilè penetrare poſſemus, in iis legendis non ita ſæpe cæcutiremus. Duo itaque, quæ Petavium fugêre, pro certis ponenda: primum, Africanum, uti & alios pleroſque Antiquos, qui primis quatuor Eccleſiæ ſeculis floruere, decimum quintum Imperii Tiberii annum non à morte Auguſti Cæſaris, ſed ab Imperio Proconſulari Tiberio anno Eræ Dionyſianæ XI aut XII collato, deducere, quod in mea Critica demonſtravi. Alterum, Africanum *primam Olympiadem* ceteraſque deinceps, modo ſibi proprio computare, biennio ſcilicet ante communem opinionem; licèt ad majorem expreſſionem communi ſupputandi modo aliquando utatur, imò & aliquando in eadem re conſignanda utrumque adhibeat, ut infrà videbimus. Quare Africanus annum mundi 5501. & Incarnationis I, anno Juliano XLIII incepit; quod teſtatur Syncellus laudatus, quando ait, *conſentaneè traditioni Apoſtolicæ* eum Incarnationem in annum mundi 5501. conjeciſſe. Si enim eum mundi annum cum anno Juliano XLIII Africanus non connexuiſſet, à Syncello non laudaretur, ſed reprehenderetur. Baptizatus itaque Chriſtus in opinione Africani, anno mundi 5529. Incarnationis XXIX, Eræ Dionyſianæ XXVI, quo annus decimus quintus Imperii Proconſularis Tiberii uſque ad XXVIII menſis Septembris adhuc in

curſu erat. Cúmque Antiqui duo tantùm Paſchata Chriſto attribuerint, Joannis miniſterium à Baptiſmo Chriſti uſque ad primum Paſcha à Chriſto anno Eræ Dionyſianæ XXVIII celebrato, vel circiter duravit. Sicque ſecundùm Africanum Chriſtus natus erat, quando Baptiſmum ſuſcepit paulò minùs quàm triginta annis, eo nempe in ſummam collato, quo in utero Beatiſſimæ Virginis fuit: qui modus numerandi annos Chriſti ab Antiquis paſſim uſurpatus. Paſſus autem Chriſtus ſecundùm eundem, anno Eræ vulgaris XXIX, anno ſecundo Olympiadis CCII exeunte, qui ſecundùm communem Olympiadas numerandi rationem erat annus quartus finiens Olympiadis CCI, annoque Imperii Auguſti Tiberii XV ſecundùm communem ſupputationem, vel XVI juxta ſupputationem quorumdam Orientalium, qui annos Imperatorum cum anno populari incipiunt.

XXXI. *Africani mens magis explicatur.*

Syncellus pag. 324. refert hæc verba ex Africani Chronico deſumta: *Anni ab Adam condito ad Chriſti adventum & ejus reſurrectionem 5531. colliguntur: à qua temporis epocha ad Olympiadem CCL, anni CXII intercurrunt.* Abſolvit Chronicon ſuum Africanus *Grato & Seleuco Coſſ.* ut ipſemet docet, anno nempe Eræ Dionyſianæ CCXXI, antequam Olympias CCL, qui eſt annus Olympiadicus DCCCCXCVII, celebraretur. Quare utitur hoc in loco Africanus communi ſupputatione Olympiadum, ſupponitque, Chriſtum paſſum anno quarto Olympiadis CCI, qui erat annus Olympiadicus DCCCIV finiens in anno Eræ vulgaris XXIX: à quo anno Olympiadico ad finem anni Olympiadici DCCCCXCVI, & Conſulatum Grati & Seleuci, annumque Dionyſianum CCXXI, anni fluxerunt CXCII. Si enim non computes totam Olympiadem CCI, ſummam prædictam non reperies. Certum itaque, Africanum conſignaſſe Paſſionem Chriſti anno Dionyſiano XXIX, mundi verò ſecundum Alexandrinos 5531. in finem tendente. Denique Africanus, teſte Photio in Bibliotheca codice 34. abſolvit Chronicon ſuum anno mundi 5723. Incarnationis CCXXIII, Grato & Seleuco Coſſ. ideoque anno Dionyſiano CCXXI, antequam menſe Martio vel Aprili annus mundi 5724. Incarnationis CCXXIV inchoarentur. Ex quo conſequens eſt, Africanum annum mundi 5501. & Incarnationis I cum anno Juliano XLIII connexuiſſe; quod Africani imitatione reliqui poſtea Orientales, qui eâ Erâ mundanâ uſi ſunt, præſtitere. Neque alia inter eos erat differentia, niſi quòd quidam ex illis Natale Chriſti in diem ſextum Januarii Epiphaniæ ſacrum, quidam in diem XXV Decembris conferebant; quamquam & fuerint aliqui, qui aliis diebus Natale Chriſti affigerent. Fatetur autem Petavius lib. 8. Auctarii cap. 4. Georgium ceteroſque, *qui Alexandrinam Eram tenuerunt*, ſecutos eſſe Sanctum Maximum; quod quidem negari non poteſt: ſed inde vulgaris opinio, quæ credit, utrumque annis octo veram Incarnationis Eram morari, planè falſi convincitur; cùm Georgius primum Incarnationis annum cum anno Juliano XLIII certo certiùs comparet. Hinc mortem Tiberii cum anno mundi 5537. Caii autem Caligulæ cum anno 5541. jungit: ubi licèt in utroque minus dicat, oſtendit tamen ſe exiſtimare, utrumque Imperatorem ante annum Eræ Dionyſianæ XL fato functum eſſe: tantum abeſt, ut anno ejuſdem Eræ XLII Tiberium adhuc in vivis fuiſſe, & eo anno, dum is imperaret, Chriſtum crucifixum arbitratus fuerit.

XXXII. *Quartum vulgaris erroris fundamentum.*

Quartum Petavii fundamentum ex eo deſumitur, quòd Scriptores, qui Eram mundanam & Incarnationem ſecundùm Alexandrinos amplexantur, in utraque annos octo minùs quàm par ſit colligant. *Sic Nicephorus in Chronico, cùm anno Adami 5501. Imperii Auguſti XLII ponat Incarnationem Domini; nihilominus annum Nicænæ Synodi numerat ab Incarnatione CCCXVIII, & octo annis minùs dicit. Hinc illud accidit, ut in Annalibus Georgii Syncelli, & qui ejus continuavit Opus, Theophanis, necnon hujus Interpretis Miſcellæ, anni Chriſti octo minùs colligant, quàm Era communis. Nec aliter Maximus inſtituit. Hic enim Heraclii annum XXXI cum anno Chriſti DCXXXIII componit in anno communis Eræ DCXLI. Georgius & Theophanes annum primum Diocletiani, mundi eſſe volunt 5777. Incarnationis CCLXXVII: atqui ex illorum mente is eſſe debet Eræ noſtræ CCLXXXV. Sic Theophanes Conſtantini obitum refert in annum mundi 5829. Incarnationis CCCXXIX, quem certum eſt Eræ communis anno CCCXXXVII incidiſſe. Rurſus Valentiniani exordium confert in annum mundi 5857. exeuntem; ſequente mox 5858. quoniam Februario creatus eſt Imperator: Chriſti autem computat CCCLVII itidem exeuntem. Diſcrimen annorum*

VII; quemadmodum & in annis Concilii Chalcedonenſis; quod anno mundi 5944. Indict. V celebratum docet anno Chriſti CCCC XLIV. Atqui anno CCCC LI Eræ noſtræ eſt habitum. Sic uno interdum anno ab inſtituta Chronologia Theophanes aberrat: ac ſeptem annorum tantummodo diſcrimen facit; cùm octo eſſe annorum oporteat ex illius ratiocinis. Hæc Petavius.

XXXIII. *Hujus fundamenti vanitas.* Ad hoc argumentum ut reſpondeam, ſuppono, (quod mox certis argumentis demonſtrabo) Alexandrinos ad annum primum Imperatoris Diocletiani, tam Eram ſuam mundanam, quàm Eram Incarnationis mutilaſſe, è priori decem numeris, è poſteriori verò ſeptem ablatis. Regnare cœpit Diocletianus die decima ſeptima menſis Septembris anni Dionyſiani CC LXXXIV, quo inchoari debebant annus mundi 5787. annuſque Incarnationis CC LXXXVII. Nihilominus, ut annus mundanus Cyclum Lunæ 1 reddere poſſet, & annus Incarnationis iiſdem numeris, ut antea deſineret, numerarunt tantùm annum mundi 5777. & Incarnationis CC LXXVII. Quo pacto annos duntaxat ſeptem Incarnationis abjecere. Si annos mundi tres ſolùm reſecaſſent, poſt illam reformationem cum Latinis, quoad Incarnationis annos, conveniſſent, annuſque primus Diocletiani fuiſſet Alexandrinis mundi 5784. Incarnationis CC LXXXIV. Sed quia annos decem mundanos abdicarunt, annos tantùm ſeptem Incarnationis minùs Latinis hodiernis computarunt; neque eos in Incarnationis annis triennio, ut antea, præceſſere; ſed contrà annos ſeptem Incartionis minùs illis ſupputarunt, ut liquet in præfato exemplo: quem enim annum Latini vocant CC LXXXIV, Alexandrini CC LXXVII appellarunt: adeo ut annis Incarnationis ſecundùm Alexandrinos, ſemper addendi ſint ſeptem numeri, ut annum Eræ Dionyſianæ, in quo menſe Martio vel Septembri, ſecundùm diverſas Auctorum ſententias, inchoatur, aſſequamur; quod in exemplis ex Petavio numero præcedenti relatis luce meridiana clariùs apparet. Dicit Petavius, *Nicephorum* in Chronico perperam numerare annum Nicænæ Synodi ab Incarnatione CCC XVIII, & octo annis minùs dicere. Verùm non annos octo, ſed ſeptem duntaxat, minùs dicit, & quidem appoſitè, poſtquam decennalis illa mutilatio peracta fuit. Si enim anno Incarnationis CCC XVIII ſeptem numeros adjicias, pervenies ad annum Dionyſianum CCC XXV, quo revera Nicæna Synodus habita. Ex quo & liquet, Nicephorum annum illum Incarnationis ab autumno anni Dionyſiani CCC XXV incipere; cùm Concilium Nicænum menſe Junio coactum fuerit. Sic *Maximus* in prima ſui Computi parte cap. 21. ſcribit, Dominicam incidiſſe in diem quartam menſis Februarii, eo anno quo Opus ſuum exaravit: jamque cap. 17. dixerat, fuiſſe tunc in curſu Indictionem XIV, annum Heraclii Imperatoris XXXI, annum autem mundi 6133. Alium in eodem Opuſculo characterem addit Maximus, annum nempe Incarnationis DC XXXIII. Quare illis omnibus temporariis notis manifeſtè deſignat annum Dionyſianum DC XLI, Indictione XIV inſignitum, & in quo Dominica cum die quarta Februarii concurrit. Adde annis Incarnationis ſecundùm Alexandrinos ſeptem, certóque tibi conſtabit, annum Incarnationis DC XXXIII initium ſumere anno Dionyſiano DC XL, & adhuc in curſu fuiſſe prioribus inſequentis anni Dionyſiani menſibus. Sic rectè *Theophanes* poſt eandem mutilationem refert Conſtantini Magni obitum in annum mundi 5829. Incarnationis CCC XXIX. Si enim huic ultimo anno numeros ſeptem addas, habes annum Dionyſianum CCC XXXVI, cujus menſe Septembri annus ille Incarnationis ac mundi inchoatus eſt. Cùm autem Conſtantinus die XXII menſis Maii mortalitatem expleverit, oſtendit Theophanes, mortem eam contigiſſe anno Dionyſiano CCC XXXVII, in poſteriori nempe parte anni Incarnationis ſecundùm Alexandrinos CCC XXIX. Uno tamen anno deficit Theophanes, quando in exemplo à Petavio allato inaugurationem Valentiniani ſenioris confert in annum Incarnationis CCC LVII, mundi verò 5857. Si enim ſeptem addideris huic Incarnationis anno, numerabis CCC LXIV, in quo Dionyſiano anno uterque ille annus Alexandrinus Kalendis Septembris auſpicatur; cùm tamen Valentinianus menſe Februario Imperium ſuſceperit, ideoque anno mundi 5856. Incarnationis CCC LVI. Denique Theophanes *Concilium Chalcedonenſe* anno Dionyſiano CCCC LI menſe Octobri celebratum cum anno 5944. mundi, Indictione V, (à Septembri ſcilicet inchoata) annoque Incarnationis CCCC XLIV accuratè illigat, ex præfata methodo. Verum autem non eſt quod ſupponit Petavius, inter annum Dionyſianum & annum Incarnationis Alexan-

Alexandrinum octo annorum diſcrimen eſſe debere; ut allata exempla milleque ſimilia extra omnem controverſiam ponunt; ideoque quando annus Incarnationis Alexandrinus annis octo à Dionyſiano differt, Theophanem, alioſque Scriptores Byzantinos anno uno à recta Chronologia aberrare certiſſimum.

XXXIV. *Decennalis mutilatio Eræ mundanæ Alexandrinæ ex Cyclo D XXXII annorũ demonſtratur.*

Nunc hæc decennalis mutilatio Eræ mundanæ Alexandrinorum ad primum Diocletiani annum facta, evidentibus argumentis demonſtranda. Scribit *Syncellus*, ut numero XXIX diximus, Chriſtum incarnatum *anno centeſimo octogeſimo primo undecimæ Periodi D XXXII annorum*, anno mundi 5501. eamque Periodum inchoatam fuiſſe anno mundi 5321. anno ſcilicet Periodi Julianæ 4531. quod præter annum Olympiadis, quem Syncellus adhibet, oſtendit Methodus Cyclica. Nam cùm annus 5501. qui reſpondet anno Juliano XLIII notato Cyclo Solis VII, partitus per XXVIII reddat Cyclum Solis XIII, manifeſtum eſt, annum mundanum Alexandrinum convenire ſemper tàm cum Periodo Juliana, quàm cum anno Chriſti, anniſque ante Chriſtum, ſi è Cyclo mundano Alexandrinorum ſex unitates abjiciantur. Quare, cùm annus Alexandrinus 5321. reddat Cyclum Solis I; annus verò Periodi Julianæ 4531. exhibeat Cyclum Solis XXIII, certum eſt, utrumque inter ſe rectè copulari; cùm ſi Cyclum illum Solis I, & quinque alios ex præcedenti Circulo abdices, utrimque Solis Cyclum XXIII habiturus ſis. Quæ methodus tanquam certiſſima in annis Alexandrinis cum annis Periodi Julianæ, & cum annis qui ante Chriſtum vel poſt Eram Chriſtianam fluxere, inter ſe componendis, ſemper præ oculis habenda eſt. Ad hæc Theophanes, qui Syncelli Chronographiam continuavit, loquens de Conſtantii Auguſti morte, ait: *Ab Euzoio Ariano Baptiſmum accepit Antiochiæ, numerato tunc temporis univerſi Orbis anno 5852. duodecima poſt undecimam exactam annorum D XXXII redeunte Periodo.* Incipit is annus mundi anno Dionyſiano CCCLIX Kalendis Septembris: quo pacto Conſtantius, qui die tertia Novembris paulò poſtquam Baptiſmum accepiſſet, vitâ functus eſt, eo Chriſti anno ex prava Theophanis Chronologia vivere deſiit. Sed hoc nihil ad noſtrum propoſitum. Incipit is annus mundi ſecundùm Alexandrinos anno Periodi Julianæ 5072. Verùm ab anno mundi 5321. quo ea Periodus D XXXII annorum exordium habuit, ad annum mundi 5852. ſunt quidem DXXXII anni. Sed ab anno Periodi Julianæ 4531. ad annum ejuſdem Periodi 5072. anni DXLII, non verò DXXXII, interjecti ſunt, quia ſcilicet inter illud temporis ſpatium Alexandrini annos decem è ſuo computo mundano reſcidere: ad quam mutilationem neque Syncellus, neque Theophanes, neque Sanctus Maximus, neque denique alii Scriptores Græci animum adverterunt.

XXXV. *Eadem mutilatio ex S. Maximo demonſtrata.*

Neque dici poteſt, Theophanem citiùs vel tardiùs quàm Syncellum, eam undecimam Periodum mundanam D XXXII annorum exorſum eſſe. Sanctus enim Maximus, cujus Eram mundanam Syncellus ſecutus eſt, capite 18. poſtquam locutus eſt de anno XXXI Imperii Heraclii, qui cœpit anno mundi 6133. Indictione IV, anno ſcilicet Dionyſiano DCXL, ait: *Si quis ſummam illam annorum 6133. per D XXXII dividat, habebit integras Periodos annorum D XXXII: & ex duodecima annos CC LXXXI.* Quare duodecimam Periodum annorum D XXXII ab anno mundi 5852. Eræque Dionyſianæ CCCLII, quemadmodum Theophanes, repetit. Ex quo non tantùm liquet, Theophanem rectè interpretatum eſſe Syncellum; ſed etiam eam decem annorum mutilationem Theodoſii Magni tempore non accidiſſe, ut perperam putavit Petavius in Auctario lib. 8. cap. 3. Poſt Diocletianum verò Alexandrinos Eram ſuam mundanam reformaſſe, S. Maximus cap. 32. inſinuat. Poſtquam enim dixit, Chriſtum conceptum anno mundi 5501. baptizatum 5530 paſſumque anno 5534. ſubdit: *Colliguntur ab Incarnatione ipſius uſque ad præſentem Indictionem* (XIV ſcilicet) *anni XXXI Imperii Heraclii piiſſimi noſtri Imperatoris, anni DC XXXIII. A ſalutari verò Baptiſmo & Paſſione, quot anni lapſi ſint, ex iis manifeſtum eſt omnibus: nimirum ab illo annos fluxiſſe DC IV, ab hac DC I.* Annus ille Incarnationis DC XXXIII cœpit anno Dionyſiano DC XL, ut inter omnes convenit. Chriſtus, in ſententia Maximi, triennio ante Eram Dionyſianam in mundum venit, baptizatus anno ejuſdem Eræ XXVI, mortuuſque menſe Martio anni ejuſdem Eræ XXXI. Quare ab Incarnatione Chriſti ſecundùm Alexandrinos, ad annum XXXI Heraclii, Eræque Dionyſianæ DC XL, colliguntur anni, non DC XXXIII, ſed DC XLIII: à Baptiſmo ad eundem Heraclii annum, non anni DC IV, ſed DC XIV: à morte denique ad eundem terminum, non anni DC I, ſed anni DC XI. En hujus mutilationis decennalis inſigne

exemplum. Aliud ſuppéditat Nicephorus in Chronographia pag. 402. qui de Imperatore Juſtino Juſtiniani Magni ſucceſſore ait: *Ejus anno VII una ſancti Paſchatis Periodus annorum D XXXII, ex quo Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſubiit crucem, anno à mundi condito 6065. Indictione ſexta evoluta eſt.* Eſt hic annus Dionyſianus D LXXII. Conſignat autem Chriſti Incarnationem Nicephorus anno Cæſaris Auguſti XLII, mundi 5500. in quo nonniſi verbis differt à Syncello, & Paſſionem, ſicuti ille, anno Dionyſiano XXXI illigat. Addit Nicephorus: *Conſtantini Imperii anno XX prima ſancta Synodus ſanctorum CCC XVIII Patrum Nicææ Bithyniæ habita eſt, anno à Domini noſtri Jeſu Chriſti humanitate aſſumta CCC XVIII: poſt venerandam autem ejus Paſſionem & glorioſam Reſurrectionem anno CC LXXXV.* Hic annus CCC XVIII Eræ Incarnationis Alexandrinæ inchoatur verno tempore anni Chriſti CCC XXV, quo Synodus Nicæna menſe Junio celebrata. Et tamen ab Era Incarnationis Alexandrina ad annum Eræ Dionyſianæ D LXXII, non anni D XXXII, ſed anni D XLII evoluti ſunt. Præterea ab anno Dionyſiano XXXI ad CCC XXV, ejuſdem Eræ, non anni CC LXXXV, ſed anni CC XCV fluxere, ut numeranti liquet. Ex quibus & mille aliis exemplis evidenter innoteſcit, Alexandrinos Eram ſuam mundanam decennio abbreviaſſe; quod & identidem eoſdem, dum temporum intervalla computant, in errorem impellit.

XXXVI *Hæc mutilatio ad annum primũ Diocletiani facta.* Hæc autem reformatio non ante Diocletianeum Imperium facta, ut oſtendit Africanus loco ſuprà recitato, ubi annum mundi 5723. & Incarnationis CC XXIII, cum Conſulatu Grati & Seleuci anno Dionyſiano CC XXI geſto, rectè copulat. Ea itaque facta ad annum primum Diocletiani, quem tam Syncellus, quàm ejus Continuator Theophanes in annum mundi 5777. Incarnationis CC LXXVII referunt; cùm tamen juxta Alexandrinorum ſupputationem numerandus fuiſſet annus mundi 5787. Incarnationis CC LXXXVII. In omnibus Hiſtoricis Byzantinis hujus mutilationis exemplum vetuſtius non apparet. Secundò, Panadorus tam Eram mundanam, quàm Eram Incarnationis Alexandrinorum reformare volens, hoc artificio uſus eſt. Conditum mundi decem annis tardiùs quàm Alexandrini conſignavit, annumque mundi 5491. cum Juliano XLIII, annum mundi 5492. cum anno Juliano XLIV, annum mundi 5493. cum anno Juliano XLV connexuit, eidemque anno primum Incarnationis illigavit: ſicque ingenioſè utramque Eram in integrum reſtituit. Nam eo modo annus 5491. & 5501. in quem Alexandrini primum Incarnationis annum conjecere, incipiunt in eodem anno Juliano XLIII, & ſic deinceps. Quare Panadorus, eâ Erâ ſic interpolatâ, utrumque incommodum ſuſtulit, annoque mundi 5777. numeravit annum Incarnationis CC LXXXIV, quo juxta Eram Dionyſianam Diocletianus imperare cœpit: in quo mundi anno utraque Era mundana, Alexandrinorum ſcilicet & Antiochenorum, ſeu Africani & Panadori, in unam eandemque coaluit; cum hoc ſolo diſcrimine, quòd Alexandrini annum Incarnationis CC LXXVII; Antiocheni verò annum Incarnationis CC LXXXIV cum eo mundi anno 5777. copulant, in anno mundi deinceps ſemper convenientes; ſed in anno Incarnationis ſemper diſſidentes. Malum itaque fuit, ubi remedium à Panadoro allatum, in anno nempe mundano, ultra quem Panadorus progreſſus non eſt, quémque intactum reliquit. Tertiò, Era Diocletianea à Chriſtianis inſtituta, ſola eſt, quam Alexandrini cum anno ſuo mundano non decurtarint. Quemadmodum enim Baronius circa primum Diocletiani annum duo Conſulum paria abdicare non potuit, quin totidem annos ceterarum Erarum iiſdem Conſularibus reſpondentes reſecarit; ut in Critica noſtra monſtravimus; pari eademque ratione Alexandrini annos decem è ſua Era mundana expungere non potuere, quin totidem annis ceteras Eras abbreviarint, ut patet ex exemplis tribus præcedentibus numeris allatis, ſi nempe anni illi mundani, de quibus ibi actum, cum aliis annis quàm Dionyſianis, aut annis Periodi Julianæ jungantur: illa enim decennalis decurtatio ex omnibus aliis Eris etiam apparebit. Quamobrem cùm omnes Orientales anno Dionyſiano, v. g. DC XL, qui eſt annus mundi Alexandrinus 6133. incipiant annum Diocletiani CCC LVII; (tot enim lapſi ſunt ab anno Dionyſiano CC LXXXIV, annoque mundi 5777. uſque ad annum Dionyſianum DC XL, mundique 6133.) manifeſtum eſt, eam utriuſque Eræ reformationem ab Alexandrinis poſt primum Diocletiani annum peractam non eſſe: alioquin Eram etiam Diocletianeam decennio breviorem feciſſent. Uno verbo Alexandrini Eram ſuam mutilantes, ceteras omnes,

quæ jam inſtitutæ erant, & illis reſpondebant, etiam mutilarunt, decem ſc. annis integris, ſed Eram Diocletianeam ne uno quidem anno breviorem fecerunt. Ea itaque cum ipſa mutilatione inſtituta, anno nempe Dionyſiano c c l x x x i v, quo & ideo illa reformatio accidit. Inde intelligimus, cur Baronius Eras omnes præter Chriſtianam circa initium Diocletiani biennio decurtarit; quia videlicet novam tunc quandam Eram Chriſtianam inſtituit, ſeu verùs aſſumſit, quâ antea uſus non fuerat, ideoque quam tunc incepit, abbreviare non potuit.

XXXVII. *Anatolius Eram mundanam Alexandrinã decurtavit.* Quartò denique, ea mutilatio occaſione Cycli decennovalis inducta. Alexandrini enim Cyclos Paſchales ac magnum Cyclum d x x x i i annorum à primo Diocletiani anno repetere ſoliti, ut ſuprà oſtendimus. Quare, ut annus mundanus per x i x diviſus Cyclum primum Lunarem reddere poſſet, eum decennio decurtarunt, & cùm annum mundi 5787. numerare deberent, computarunt tantùm annum 5777. qui per x i x partitus reddit Cyclum Lunæ i, qui ſcilicet quærebatur. Auctorem iſtius mutilationis non eſt facile divinare. Sed, cùm *Anatolius* Alexandrinus, Laodiceæ Syriæ Epiſcopus eo tempore floruerit, primuſque Cyclum decennovalem propoſuerit, non dubito, quin quemadmodum *Hippolytus* ſexaginta ferè ante eum annis Cyclum ſuum ſedecim annorum primo Alexandri Severi Imperatoris anno publicavit; ſic *Anatolius* decennovalem ſuum Cyclum primo Diocletiani Auguſti anno in lucem ediderit. Verum quidem eſt, Bucherium, qui in Opere de Doct. Temp. pag. 447. Cyclum illum Anatolianum repræſentat, exiſtimare, primum annum Anatolium cum anno Chriſti c c l x x v i, & Georgium Hervartum in nova ſua Chronologia cum anno ſequenti primum illum annum copulaſſe. Sed uterque leviſſimis futilibuſque conjecturis ducitur. Meliùs Calviſius in tertia parte ſuæ Iſagoges cap. 16. judicavit, Anatolium elegantiſſimam hanc Lunarem enneadecaëteridem ab initio Diocletiani exorſum eſſe: à quo poſtea anno Eraque Diocletianea ceteri hujuſmodi Cyclorum Conditores eam etiam auſpicati ſunt. Ceterùm *Anatolium* ad Cyclum primum Lunarem, quem annus mundanus 5777. reddit, reſpexiſſe, ex eo liquet, quòd primus annus Diocletiani in Paſchate habet Cyclum primum; cùm tamen nulla hujuſmodi cauſa ex motu Lunari ſumi poſſit; fuit enim novilunium die vigeſimo tertio menſis Martii, ut notat Calviſius ibidem. In Cyclo autem, ut quivis facilè intelligit, nullum planè initium naturale eſt, unde incipere poſſis; ſed ſi quod initium ſtatuitur, id fit θέσει, & ex ſuppoſitione quadam, ejuſque ratio aliunde deſumitur. Euſebius lib. 8. Hiſtoriæ ſuæ cap. 26. ideo Anatolii enneadecaëteridem, etſi confuſiſſimam, deprædicat, quòd primus fuerit, qui eam apud Chriſtianos invexit. De Anatolio etiam Hieronymus lib. de Script. Eccleſiaſt. cap. 73. magna cum laude loquitur: *Anatolius Alexandrinus, Laodiceæ Syriæ Epiſcopus, ſub Probo & Caro Imperatoribus floruit. Miræ doctrinæ vir fuit, in Arithmetica, Geometria, Aſtronomia, Grammatica, Rhetorica, Dialectica. Cujus ingenii magnitudinem de volumine, quod ſuper* Pascha *compoſuit, & decem libris de Arithmeticæ inſtitutionibus, intelligere poſſumus.* Denique per Diocletianei Imperii initia nullus in Oriente fuit, qui in iſtis diſciplinis cum Anatolio conferri potuerit; ideoque qui tanti momenti negotium aggredi auſus fuerit.

Nec eſt, quòd quis arbitretur, Eram Diocletianeam poſt Concilii Nicæni tempora à Chriſtianis conditam, eique Cyclos Paſchales affixos. Non enim poſtquam Chriſtianos perſecutus eſt, & ejus memoria in omnium odio verſata eſt, id fieri potuit: imò inde factum, ut hæc Era, quæ eo vivente ac regnare incipiente inſtituta fuerat, dicta ſit poſtea modò *Era Gratiæ*, modò *Era Martyrum*. Præterea non exiſtimandum, hanc mutilationem, poſtquàm Indictionum uſus fervere cœpit, excogitatam; quòd annus mundi 5777. per quindecim diviſus reddat Indictionem currentem. (cui tamen Orientales unitatem adjiciunt, quia à Kalendis Septembribus anni initium collocant) Nam ſi poſt Indictionum inſtitutionem Alexandrini Eram ſuam immutaſſent, aliquem annum mundanum elegiſſent, qui ſine ulla additione currentem Indictionem offerret. Itaque ille annus mundi 5777. caſu tantùm Indictionem, quæ nondum nata erat, repræſentavit. Hæc pluribus exponenda neceſſariò fuere, ut quartum Petavii fundamentum num. x x x i i recitatum, præcipuumque vulgaris erroris, qui aliquos Orientales Eram Incarnationis nono anno Chriſti Dionyſiano inchoaſſe fert, penitus corrueret, conſtaretque eoſdem Incarnationis Eram Dionyſianis tardiùs non incepiſſe, ſed poſt Diocletianum eandem decurtaſſe: ſi enim

XXXVIII. *Era Diocletianea vivente Diocletiano instituta.*

nulla mutilatio interveniſſet, Eræ Alexandrinorum, ut cum noſtra conveniat, non anni ſeptem, ſed octo, quibus tardiùs illi Incarnationem ſuam inchoaſſent, adjiciendi forent. Quæ regula licèt communiter recepta, omnino tamen à veritate aliena, ut me demonſtraſſe exiſtimo.

XXXIX. *Opinio Petavii de Eris mundanis Græcorum.*

Fatetur quidem Petavius, mutilationem aliquam interveniſſe; ſed dum eam detegere conatur, non parvam caliginem rei ex ſe obſcuræ offundit. Quare quæ ipſe eam in rem lib. 8. Auctarii cap. 1. 2. & 3. affert, huc adducere, & paucis confutare viſum, ut veritas tandem è tenebris emergat.

VERBA PETAVII IN EXAMEN VOCATA.

Veteres in Græcia Chriſtiani in annis ab Adamo putandis ſola, quæ in ſacris libris extant, intervalla ſpectabant: nec Annales computos ſuos ulla Paſchalem ad methodum ...., vel artificio implicatos habebant: ad quod deinceps conſequentium illos temporum formavit induſtria. [a] *Ut igitur quiſque pluribus aut paucioribus annis ſpatia illa terminabat; ita majores minoréſve ſummas adhibebat: qua de opinionum varietate dictum eſt in Nono de Doct. T. c. 2.*

Opinio Africani origo Eræ mundanæ Alexandrinæ.

Inter has celebris illa fuit Africani, antiqui & eruditi Chronologi, qui Chriſtum anno mundi 5501. incarnatum eſſe; paſſum verò 5531. ætatis triceſimo primo circiter aſſeruit: & originem dedit Eræ illi, quam Alexandrinam appellari diximus. [b] *Quem illius computum nacti poſteri, Auctoris ſui Chronologiam interpolarunt, ac fœdiſſimè conturbarunt.* [c] *Nam decem circiter annis ab ejus epocha, à Dionyſiana autem octo, Chriſti Incarnationem abſtraxerunt.* Ita Petavius cap. 2. Tum cap. 3. ſequentia ſcribit.

Hactenus meras annorum ſummas ab Orbe condito ſine ulla Cyclorum, uti dictum eſt, methodo ſubducebant. Poſtea cùm jam uſus artificii iſtius fervere in Eccleſia cœpiſſet; placuit annos mundi ſic ad eundem aptare, ut diviſa ſumma per Cyclorum Periodum proprius anni cujuſque Cyclus exiſteret. Quem in finem partim annorum aliquot detractione, vel additione priores computos immutarunt; partim iis retentis, Incarnationem ac Paſſionem Chriſti alios in annos, quàm quibus adſcripti erant initio, relegarunt. Hoc, ut paulatim eveniſſe conjectura noſtra fert, explicare deinceps aggrediar.

XL. *Prima Era mundana Græcorum ſecundùm Petavium.*

Princeps, quantum ſuſpicari licet, in Ægypto Panadorus, [d] *cùm animadverteret, annos ab Adamo ex Africani ſententia collectos, ſi per XIX dividerentur, nequaquam labentem Lunæ Cyclum efficere, non dubitavit captandæ opportunitatis illius gratiâ, paucos annos è ſumma decerpere. Jam enim Alexandrinorum Lunaris Cyclus percrebuerat; qui à Paſchali ferè menſe ſumens initium, idem erat ac noſter; hoc eſt, primus unius, primus iiſdem*

[a] Illud certiſſimum: neque enim ante *Anatolium* Cyclus decennovalis ad methodum Paſchalem adhibitus; idooque ex eo tantùm tempore ex annis mundanis erui cœptus; ſummaque annorum mundanorum, qui antea merè hiſtorica erat, facta eſt Periodica & artificialis, annis ſcilicet aliquibus ex illa detractis, vel illi additis, ut Cyclos tam Solis, quàm Lunæ exhibere poſſet.

[b] Licèt ante Eram Diocletianeam nullam propriam Chriſtiani haberent; & in Actis publicis Eris Gentilium & Paganorum uterentur: Scriptores tamen, uti Julius Africanus, Hippolytus Martyr, aliique, quorum Scripta periere, communi ferè conſenſu ſupponebant, Chriſtum incarnatum eſſe anno mundi 5501. anno ſcilicet Juliano XLIII. Quamquam negandum non ſit, aliquos, uti Theophilum Antiochenum Epiſcopum lib. 3. ad Autolicum, peculiari annorum mundanorum numeratione uſum eſſe.

[c] Ad annum primum Diocletiani Alexandrini computum annalem Africani ad Cyclum Lunæ accommodarunt, decem ſcilicet annis mundanis, totidemque Incarnationis illis reſpondentibus reciſis. Cùm verò poſtea Dionyſius Eram noſtram vulgarem inſtituit, primúmque Chriſti annum triennio tardiùs quàm Africanus, conſignavit, Era Incarnationis Alexandrina poſt Diocletianum annis ſeptem, non verò octo, brevior fuit quàm Dionyſiana.

[d] Communis opinio eſt, Chriſtianos Orientales tres Eras mundanas habere, Alexandrinam, Antiochenam, & Conſtantinopolitanam; priorem illigare primum annum Incarnationis anno mundi 5501. alteram anno mundi 5493. ultimam anno mundi 5509. Petavius tamen primam cum ſecunda confundit, & loco ſecundæ aliam comminiſcitur, quæ à nullo unquam populo aut Scriptore antiquo uſurpata fuit, ut mox videbitur. Prior itaque ſupponit, Chriſtum natum eſſe anno mundi 5501. anno Juliano XLIII. Hæc ad annum primum Diocletiani decem annis mutilata fuit, vel

VERBA PETAVII IN EXAMEN VOCATA.

erat alterius: quandoquidem Paſchalis omnis Romanorum methodus ab Alexandrinorum eſt fonte deducta. Theophilus Alexandrinus Epiſcopus Paſchalem Cyclum inſtituit annorum CCCC XXXVII, cujus centum priores annos deſcripſit, orſus à Conſulatu Gratiani V & Theodoſii Impp. qui eſt annus Eræ Chriſtianæ CCC LXXX, Cyclo Lunæ 1. [e] *Hic annus ex Africani calculo putabatur ab Incarnatione CCC LXXXII, ab Adamo 5882. Diviſis 5882. per XIX, relinquuntur XI: atqui I reſiduum eſſe methodi Paſchalis intererat. Panadorus ergo decem detractis, eundem illum annum numeravit ab Orbe condito 5872. quibus per XIX partitis, Cyclus ille Lunæ primus, qui quærebatur, exiſtit. Præterea Incarnationem ac Natalem Chriſti biennio ſubduxit ab Africani epocha; & in annum redegit, qui trecenteſimus octogeſimus retro putabatur ab exordio Cycli Theophili. Si annus 5872. mundi trecenteſimus octogeſimus ſecundus haberetur ab incarnato Domino; caderet Incarnatio in annum ab Adamo 5491. Panadorus autem eum annum putavit 5493. Igitur primus annus Cycli Theophili, Eræ Incarnationis ab illo numeratus eſt trecenteſimus octogeſimus: quæ eſt inſignis obſervatio vetuſtatis Eræ communis, quam Dionyſianam nominant: quamquam uno anno Incarnationem antevertimus: eò quod Era Chriſti non Incarnationem includit ipſam; ſed à Kalendis Januariis proximis ab Natali incidit, &c. Annos 5493. ſi per XIX partiare, fit Lunæ Cyclus II, qui perinde anno primo Chriſti noſtrati congruit.* [f] *Ex hac Panadori conformatione accidit, ut computus iſte recens ab Orbe condito, octo annis minor eſſet priore illo, qui fuit Africani. Tametſi enim decem annos de eo Panadorus abſtulit; tamen communem terminum biennio ſummovit. Si Incarnationis priſtinum annum retinuiſſet ab Africano editum; qui eſt Periodi Julianæ 4712. biennio ante epocham noſtram; annus primus Cycli Theophili, Chriſti CCC LXXX; fuiſſet Eræ Incarnationis Panadori CCC LXXXII; mundi 5872. Ablatis annis CCC LXXXII de 5872. reſidui ſunt 5490. Ergo annus 5491. eſſet Incarnationis annus. Idem primus Theophili annus ex Africani computo erat ab Adamo 5882. à Chriſti Incarnatione CCC LXXXII. Subductis CCC LXXXII de 5882. reliqui ſunt anni 5500. Proinde anno 5501.*

ab Anatolio, ut ego quidem exiſtimo, vel ab aliquo alio Scriptore nobis ignoto. Nam Panadorus hujus primæ reformationis auctor eſſe non potuit; cùm, teſte Syncello, *Arcadii Imperatoris ac Theophili Alexandrini Archiepiſcopi tempore* floruerit, poſt annum nempe Chriſti CCC LXXXIII, quo Arcadius à Theodoſio M. patre renuntiatus eſt Auguſtus. Et tamen jam à Diocletiani tempore Era Alexandrina decennio brevior erat quam antea, ut jam demonſtravi, & manifeſtè liquet ex Theophane in Chronico, ubi annos Diocletiani, Conſtantini M. ceterorumque deinceps Imperatorum cum Era mundana Alexandrina jam decennio mutilata connectit.

[e] Annus Dionyſianus CCC LXXX nunquam potuit ex Africani calculo putari ab Incarnatione CCC LXXXII, ab Adamo 5882. cùm jam à nonaginta annis calculus ille imminutus fuiſſet; & in tota antiquitate nullum exemplum reperiatur, quo conſtet, Eram illam mundanam ſine mutilatione poſt Diocletianum uſurpatam fuiſſe. Præterquam quòd anno Dionyſiano CCC LXXX inchoari debuiſſet annus mundi 5883. Incarnationis CCC LXXXIII, quia annus Incarnationis Alexandrinus triennio Eram noſtram Dionyſianam antecedit. Ceterùm hæc Petavii verba, *Natalem Chriſti biennio ſubduxit ab Africani epocha*, valde obſcura. Panadorus itaque epocham Incarnationis ab epocha Incarnationis Alexandrinorum biennio ſummovit, ſed ſeptennio eam antevertit in Era mundana Africana.

[f] Era mundana, quam ex Panadoro Petavius exponit, non eſt Era Alexandrina, ut ipſe putat, ſed Antiochena, cujus auctor habetur Panadorus. Nam in prima Eræ mundanæ reformatione, decem tantùm anni tam ex Era mundana, quàm ex Era Incarnationis expuncti; à quo tempore Era Incarnationis Alexandrina ſeptem, non verò octo annis brevior fuit. Sed primus annus Incarnationis è loco ſuo minimè ſummotus. Contrà verò in Panadori conformatione ſeu Eræ mundanæ Antiochenæ inſtitutione alia mutilatio à memorata longè diverſa, facta. Panadorus enim decem annis tardiùs quàm Alexandrini conditum mundi collocavit; ac præterea annum primum Incarnationis, non cum anno mundi 5501. annoque Juliano XLIII, ſed cum anno mundi 5493. Ju-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VERBA PETAVII

incarnatus eſt Chriſtus ex Africani ratiocinis. Diſcrimen computi hujus & alterius anni X. Verùm Panadorus biennio, ut dictum eſt, Incarnationem deſcendere juſſit ad annum 5493. Unde octo annorum duntaxat inter utramque nata differentia eſt. Acceſſit ad eam Cycli Lunaris opportunitatem, & Indictionis uſus. Nam unitate addita, & ſumma per XV partita, propria cujuſque anni habetur Indictio. Anni 5872. per XV diſtributi relinquunt VII. Verùm anno Chriſti CCC LXXX Indictio fuit VIII: unitas ergo adjungi debet ad numerum. Quòd ſi annum Africani 5882. per XV divideres, Indictio II proveniret: quæ longiùs abeſt ab ea quæ tum putabatur. Quamobrem non minùs Indictionis, quàm Cycli Lunaris commoditas Panadorum impulit, ut Africani computum interpolaret. Siquidem Indictionis uſus per illa tempora vehementiùs increbeſcere cœpit.

XLI. Secũda Era Græcorum ſecundùm Petavium. § *Atenim perſuaſum hoc pleriſque fuit, Chriſtum Dominum & Martii XXIII, & Luna XIV, vel XV, id eſt, Plenilunio eſſe paſſum, id eſt, in Paſchate Iudaïco, Martii verò XXV reſurrexiſſe: quorum illud feriâ VI, hoc autem feriâ I contigiſſe extra controverſiam eſt. Quòd Martii XXIII paſſum eſſe Chriſtum Græci Computiſtæ crediderint, argumento eſt, quòd Maximus, Georgius, Chronicon Alexandrinum, Cedrenus, & alii complures ita ſentiunt. Quin etiam Cæſarienſe Concilium, quod Victore Pontifice circa annum Chriſti C XCVII celebratum eſt, hoc ipſum definiit. Quocirca tria hæc in eundem concurriſſe diem Martii XXIII arbitrati ſunt, feriam VI, & Lunam XV, necnon legitimum ætatis modum, ut XXXIII annos circiter ætatis haberet: quoniam triceſimo anno baptizatus eſt; ac tria deinde Paſchata peregit. Quibus omnibus commodior nullus annus inveniri potuit, quàm qui Eræ communis eſt XLII, & in Panadori computo 5533. exiens, ineunſque 5534. idemque ab Incarnatione, ſecundùm Panadorum, XLII. Nam hoc anno Cyclus erat Solis Romanus XXIII. Litera G. proindeque Martii XXIII feria VI, & Martii XXV Dominica. Cyclus Lunæ Alexandrinus & Romanus fuit V, Neomenia Nicæna Martii IX, & XXIII, Luna XV. Ergo non dubitarunt, illo anno Paſſionem accidiſſe. Ut igitur triceſimus hic & tertius, vel quartus ætatis eſſet annus patienti Chriſto; conſtituerunt*

IN EXAMEN VOCATA.

liano XLV illigavit. Quo pacto, Incarnationem biennio tardiùs, quàm Africanus & Alexandrini, inchoavit. Quare, quæ Petavius dicit contigiſſe in prima reformatione Eræ mundanæ, contigere in ſecunda; ſi tamen excipias mutilationem illam decennalem tam Eræ mundi, quàm Eræ Incarnationis, cujus Anatolium auctorem fuiſſe diximus.

§ Incipit explicare Petavius ſecundam Eram mundanam Orientalium, ut ipſe exiſtimat, & unde originem ceperit, oſtendere. Verùm Era hæc mundana, in qua illigat annum mundi 5501. cum anno Juliano LIV, annoque Dionyſiano nono, fictitia, commentitiaque. Exemplum enim quod affert, ut probet, ejus auctores Paſſionem Chriſti conjeciſſe in annum Dionyſianum XLII, qui revera concurrebat cum anno 5533. Eræ Antiochenæ à *Panadoro* inſtitutæ, eſt de re geſta anno Dionyſiano XXXI, quo in curſu fuit littera Dominicalis G. proindeque Martii XXIII, feriâ ſextâ, & Martii XXV Dominicâ; Cycli Romani Solis XII, Lunæ XIII. Decepit Virum doctiſſimum annus mundi ſecundùm Antiochenos 5501. cum quo *Panadorus* annum IX Incarnationis, qui itidem eſt nonus Eræ vulgaris, & cum quo *Africanus* & Alexandrini conjunxere annum primum Incarnationis. Inde enim neceſſariò ſequi putavit, Scriptores aut populos extitiſſe, qui Incarnationem inchoarint anno mundi 5501. annoque Juliano LIV; cùm tamen quotieſcumque annus ille mundi 5501. concurrit cum anno Dionyſiano IX, & Juliano LIV, nunquam ſit caput Incarnationis, ſed ſupponat eam in eadem Era mundana anno 5493. incepiſſe. Annus itaque 5501. in Era Alexandrina, quam Petavius perperam Panadori Eram vocat, principium eſt annorum Incarnationis ſecundùm Africanum ac Alexandrinos, annoque Juliano XLIII inchoatur: in Era verò Antiochena reſpondet anno Juliano LIV, annoque nono tam Eræ Antiochenæ, quàm Eræ Dionyſianæ: neque alter cum altero confundendus; cùm ad diverſas Eras mundanas pertineant.

VERBA PETAVII IN EXAMEN VOCATA.

anno computi Panadori 5501. incarnatum eſſe Chriſtum ; Eræ vulgaris nono, Periodi Jul. 4722. Huic illorum caſtigationi ſuffragari prætcrea vetus illa opinio videbatur, anno mundi 5501. incarnatum eſſe Chriſtum, quam Africanus auctoritate ſua commendarat. Ita prorſus admirabiliter contigit, ut ad Eram priſtinam ſpretis Panadori calculis redirent: aut, ut priorem illum computum conſtanter Eccleſiæ aliquæ, civitateſque retinnerint; [a] *deinceps nulla in eo mutatione facta; epochas Incarnationis ac Paſſionis Chriſti ſolummodo ſollicitarint. Verùm, nec in annis mundi cum Africano, nec in annis Chriſti putandis, cum Panadoro conſentiebant. Etenim annus ille Eræ Chriſtianæ nonus ab Africano numeratus, eſt mundi 5511. Chriſti undecimus; à Panadoro verò mundi 5501. Chriſti nonus. At illi mundi, ut Panadorus, 5501. Chriſti verò primum cenſebant; quod neuter illorum inſtituit.* [b] *Hinc apparet, rectè nos cap. 1. docuiſſe, computum hunc annalem & Alexandrinum nihil à Panadori calculo diſcrepare, ſi ad annos Adami vel mundi reſpicias. Tum id conſtat, multùm hunc ab Era Africani eſſe diverſum. Quocirca quod in 9 de Doct. Temp. cap. 4. diximus, ex tribus vulgatis Græcorum computis, antiquitatis palmam ei deberi, qui ad Incarnationem Chriſti numerat abſolutos annos 5500. latè id accipiendum eſt: & καθόλου, ſi annorum tantummodo ſumma ſpectetur; cujuſmodi eam Africanus inſtituit. Sin eo modo conſideretur, quo ab computandi magiſtris accommodata poſtea eſt, cum uſu methodi Paſchalis impleta; eadem eſt cum illa Panadori; ſed ejus eſt tractatio, confirmatioque recentior.* Ita Petavius cap. 1.

[a] Sicut in anno primo Incarnationis in Era Alexandrina nulla facta eſt immutatio, ſed tantùm decem anni ad annum primum Diocletiani ex illa expuncti: ita verum non eſt, ad Eram priſtinam Incarnationis, à cujus primo anno nunquam eos, nec ullos Orientis populos receſſiſſe diximus, Alexandrinos rediiſſe; & commentum eſt, eſſe aliquas Eccleſias civitateſque, quæ vel hodie, vel præteritis ſeculis, Incarnationis computum incipiant, vel inceperint ab anno mundi 5501. prout cum anno Juliano LIV, annoque Chriſti Dionyſiano nono concurrit. Verum quidem eſt, id à pluribus graviſſimiſque Auctoribus in literas mandatum fuiſſe, & errorem illum vulgarem omnium ferme animos occupare. Sed Scriptores illi minimè antiqui, & in Critica ac eruditione error communis legem facere non poteſt. Natus is error ex Era Incarnationis Alexandrinorum poſt Diocletianum Dionyſiana ſeptennio breviori: ſumta enim inde anſa exiſtimandi ſcribendique, eſſe vel fuiſſe populos, qui Eram Chriſti tardiùs quàm Latini auſpicati fuerint; cùm contrà ex eo quòd Era hæc ſeptem tantùm annis quàm noſtra brevior eſt, inde colligere debuiſſent, eam non procedere ab anno mundi 5501. quatenus cum anno Juliano LIV, annoque Dionyſiano nono concurrit. Sed tantum abeſt, ut novi iſti Chronologi ita ratiocinati fuerint, ut in alium errorem inciderint, communique conſenſu tradiderint, Eram illam Incarnationis ſecundùm Alexandrinos annis octo à Dionyſiana diſſidere.

[b] Petavius communi illo errore innixus credidit, falſam eſſe communem opinionem, quæ docet, Græcorum computos Eraſque præcipuas eſſe tres: quia, inquit, ex tribus duæ ſunt, quæ diverſis annis Incarnationem aſſignant: videlicet illa quæ annos 5493. & quæ 5501. colligit. Unius ergo computi ſummæ iſtæ duæ ſunt: qui cum tertio annorum 5509 Natalem eundem Chriſti reſpicit, & ab illo propterea jure diſtinguitur. Subdit, trium Erarum duas Incarnationem affingere: ac prioris, quæ 5501. putat ultimum convenire Chriſti anno nono; alterius verò quæ 5493 numerat, anno primo: adeoque non duos annales computos, ſed unum & eundem eſſe. Etenim annum Chriſtianæ vel Dionyſianæ Eræ primum uterque computus 5493. numerat: necnon annum ejuſdem Eræ nonum uterque recenſet 5501. quippe de anno currente mundi ad Incarnationis annum aſſequendum priores, annos 5500. detrahunt; poſteriores, 5492. ex quo major hujus quàm illius, calculus efficitur. Annus, exempli causâ, mundi apud Maximum 6133. detractis 5500. erit ab Incarnatione DCXXXIII, deductis verò 5492. putabitur DCXLI, ad quem revera Maximus perpetuò reſpectum habuit. Itaque in annis mundi conſentiunt ambo computi; in annis Incarnationis diſſentiunt. Non debent igitur mundi Eræ vel computi cenſeri duo, ſed unus duntaxat, cujus ad diverſos annos Chriſti Incarnatio alligatur. Quare duæ tantùm, quod dicebamus, præcipuæ ſunt

» Eræ Græcorum ; nempe una , cujus in annum 5493. primus annus Eræ Dionyſianæ vel communis congruit : & altera , quæ eundem annum numerat ab Orbe condito 5509. Ita Petavius citatus cap. 1. Quod etiam jam tradiderat lib. 9. de Doct. Temp. cap. 3. ſed cum majori obſcuritate , quæ inde provenit , quòd ad ſententiam ſuam clarè explicandam, computum illum mundanum ad menſuram aliquam nobis penitus notam , uti v. g. ad annum Julianum , non applicat.

XLII. *Era prima & ſecunda Græcorum una & eadé ſecundùm Petavium.*

Mens ejus itaque eſt, Eram mundanam Alexandrinam & Antiochenam unam & eandem eſſe , & nonniſi verbis & conſignatione primi anni Incarnationis in ejuſdem computi annis, differre. Nam Alexandrini , ut perſuaſum habet Vir doctiſſimus, Incarnationem illigant cum anno mundi 5493. annoque Juliano XLV: Antiocheni verò cum anno ejuſdem computi mundani 5501. annoque Juliano LIV, qui eſt annus Eræ Dionyſianæ nonus , exiſtimantes, deceptos eſſe Alexandrinos, dum initium Incarnationis octo annis citiùs in eadem Era mundana collocarunt. Quæ ſi vera eſſent , non dubium , quin Era Alexandrina & Antiochena ante Diocletianum una & eadem eſſet , uti poſtea fuit ; quemadmodum dici non poteſt, eos qui martyrium Sancti Ignatii Antiocheni Epiſcopi cum anno Dionyſiano C VIII jungunt , diverſâ Erâ Chriſtianâ uti ab iis, qui illud in annum CXVII conferunt. Era autem mundana Conſtantinopolitana , juxta Petavii ſenſum , ab Era mundana Alexandrinorum ſeu Antiochenorum prorſus diſcrepat ; quia annum mundi 5493. cum anno Juliano XXIX copulat ; annum mundi 5501. cum anno Juliano XXXVII, annumque 5509. cum anno Juliano XLV: cùm tamen annus mundi 5509. in Era Alexandrina ſeu Antiochena incipiat anno Juliano LXI. Ex quibus infert Petavius, duas tantùm eſſe Eras mundanas Orientalium , & in prima annum Incarnationis diverſimodè inchoari. Verùm, cùm jam demonſtravimus, nullum antiquum Scriptorem , niſi erraverit, nullumque unquam populum credidiſſe , Chriſtum natum eſſe anno 5501. quatenus cum anno Dionyſiano XI & Juliano LIV concurrit, omnino diſtinguendæ duæ Eræ mundanæ , in quarum altera annus 5501. annuſque primus Incarnationis anno Juliano XLIII exordiuntur : in altera verò , Antiochena ſcilicet, annus mundi 5501. annuſque Incarnationis XI, annò Juliano LIV initium deſumunt.

XLIII. *Petavius non intellexit modum computandi à S. Maximo uſurpatum.*

Porrò Petavius ſententiam *Maximi* explicans , non ſolùm in exemplo laudato , ſed & in aliis, quæ paſſim ex eo affert , pugnantia dicit. Modò enim aſſerit , eum Incarnationem cum anno mundi 5501. annoque Dionyſiano IX & Juliano LIV conjunxiſſe ; modò verò eandem ab anno mundi 5493. deduxiſſe : cùm tamen hæc contraria ſint. Maximus itaque Incarnationis epocham anno mundi 5501. annoque Juliano XLIII auſpicatur : ideoque anno Dionyſiano DC XLI ineunte , quo computum ſuum Eccleſiaſticum ſcribebat , numerare debuiſſet annum mundi 6143. annumque Incarnationis DC XLIII. Sed quia jam à tribus & ampliùs ſeculis Era Alexandrina decennio mutilata fuerat, collegit tantùm annum mundi 6133. Incarnationis DC XXXIII ; eo nempe Incarnationis anno ab anno mundi 5501. repetito. Hanc mutilationem invictè oſtendit annus Julianus DC LXXXV, in quo tam ille mundi quam Incarnationis annus initium ſumit. Nam decem annis ex illo numero detractis, reſtat annus Julianus DC LXXV; ex quo ſi rurſus DC XXXIII annos Incarnationis , quos Maximus fluxiſſe dicit, demas, reſiduus numerus eſt XLIII : ideoque annus ille Incarnationis DC XXXIII originem ducit ab anno Juliano XLIII , annoque mundi 5501. quod Petavius negare non poteſt ; cùm ipſemet fateatur, Alexandrinos annos decem ex Era ſua decerpſiſſe ; licèt in eo erret , quòd hanc immutationem anno Dionyſiano CCC LXXX factam eſſe credat. Ex quo etiam exemplo manifeſtum fit, Alexandrinos, dum utramque Eram ſuam, mundi ſcilicet & Incarnationis , truncarunt , initium Incarnationis ab anno mundi 5501. annoque Juliano XLIII non removiſſe.

XLIV. *S. Maximus in primo Incarnationis anno conſignādo ſibi non conſtat.*

Sed non tantùm Petavius in Maximi opinione exponenda pugnantia dicit ; ſed etiam ipſemet *Maximus* non ſibi conſtat. Cùm enim is librum ſuum ſcripſerit, anno Chriſti DC XLI , quo currebat annus Incarnationis ſecundùm Alexandrinos DC XXXIII ; & decennalem illam tam Eræ mundanæ quàm Incarnationis mutilationem non animadverterit, de utraque Era loquitur , ac ſi ſemper eodem, quo ſuo tempore, modo uſurpata fuiſſet ; indeque annum illum Incarnationis ſecundùm Alexandrinos DC XXXIII deducit ab anno Dionyſiano IX, & Juliano LIV , quaſi eo anno Chriſtus incarnatus fuerit. Nam in parte ſecunda ſui Computi cap. 2. ubi refutat

Undecuplatores

Undecuplatores, qui Auctores extitere Eræ mundanæ Conſtantinopolitanæ, ut infrà videbitur, exhibet *Rotam* artificioſam, in cujus primo circulo anni XXVIII Solis (ſic Cyclos Solis nominat) deſcribuntur, ducto initio, non à primo, ſed à XIII, XIV, & ita deinceps. In tertio circulo Juliani quadriennii biſſextiles habentur; & in quarto iterum anni ſeu Cycli Solis XXVIII repræſentantur, & quidem inchoati à primo Cyclo, *ut ſtudioſus Lector faciliùs intelligeret, quem illi* (nempe Undecuplatores) *computant primum Solis annum, apud nos eſſe XIII, & ſecundum, XIV, & ita porro eadem omnino ratione*, inquit Sanctus Maximius. Si itaque Cyclus Solis XIII, quem reddit annus mundi ſecundùm Alexandrinos 5501. concurrit cum Cyclo Solis I. ſecundùm Conſtantinopolitanos, ut in illa *Rota* videre eſt, Christi Incarnatio, quam Maximus factam dicit anno mundi 5501. notato Cyclo Solis XIII, omnino competit in annum Dionyſianum IX, quo in curſu fuit annus Conſtantinopolitanus 5516. qui per XXVIII diviſus reddit Cyclum Solis I. Præterea in eadem *Rota* Cyclus Solis XII Alexandrinus reſpondet anno biſſextili, qualis fuit annus Dionyſianus VIII. Incarnationem itaque ex Maximi mente annus biſſextilis proximè anteceſſit, eaque facta, currente Cyclo Conſtantinopolitano primo, quæ duo non conveniunt anno Juliano XLIII, cum quo Alexandrini annum mundi 5501. communi conſenſu conjungunt. Denique cap. 17. primæ partis ait, Cyclum Solis XXVIII per quatuor diviſum offerre annos biſſextiles; ita ut Cycli Solis IV, VIII, XII, & ſic deinceps, cum annis biſſextilibus concurrant. Ex quo conſequens eſt, juxta Maximum, Christum incarnatum non eſſe anno Juliano XLIII, quia annus Julianus XLII biſſextilis non fuit. Ad hoc argumentum, omnium, quæ ex Maximo afferuntur, validiſſimum, Petavius animum non advertit. Verùm, vel Sanctus Maximus ſibimet manifeſtè contradicit; cùm ex iis, quæ ex eodem ſuprà in medium adduximus, conſtet, eum copulaſſe primum Incarnationis annum cum anno Juliano XLIII, ſicuti & ceteros omnes Eræ mundanæ Alexandrinæ Sectatores; vel illius decennalis mutilationis ignoratione in errorem Maximus trahitur, dum ſcilicet annum mundanum Alexandrinum unum eundemque cum anno mundano Antiocheno ſemper fuiſſe putat, uti erat eo ſeculo, quo ipſemet ſcribebat, anno nempe Dionyſiano DCXLI. Eo itaque tempore Cyclus Solis per quatuor diviſus tunc dabat annos biſſextiles, & Cyclus Solis XIII Alexandrinus concurrebat cum primo Cyclo Solis Conſtantinopolitano. Verùm ante Imperium Diocletiani ac decennalem mutilationem, cujus ſæpius meminimus, annus mundanus Alexandrinus valde diſcrepabat ab anno mundano Antiocheno; ideoque diverſis Cyclis Solis hæ duæ Eræ mundanæ inſigniebantur, ut jam explicavimus. Nec ullo modo dubitari poteſt, quin Sanctus *Maximus* Eram Incarnationis Alexandrinam, non verò aliam ab ea diverſam, ut perperam autumavit Petavius, ſecutus fuerit; cùm hæc Era deſinat iiſdem numeris ac mundana Alexandrina, & Maximus tradat, ultimum Heraclii Imp. annum fuiſſe annum mundi 6133 Incarnationis verò DCXXXIII, quas Eras duas Alexandrinas eſſe, ipſis etiam cæcis liquet.

Venio nunc ad Eram mundanam *Antiochenam*, ut communiter nuncupatur, quæ tamen meliùs *Græco-Alexandrina* vocaretur; cùm poſt initium Imperii Diocletiani ab Alexandrina non differat *Panadorus* Monachus Ægyptius, quo vetuſtior non invenitur, qui ejus meminerit, conjunxit annum primum Incarnationis cum anno mundi 5493. annoque Juliano XLV, ut variis exemplis ex Syncello deductis demonſtrat Petavius in Auctario lib. 8. cap. 1. Qua de re quia inter omnes convenit, actum non agam. Cùm itaque Alexandrini annum mundi 5501. cum anno Juliano quadrageſimo tertio, Antiocheni verò annum mundi 5491. cum eodem anno Juliano XLIII connectant: manifeſtum eſt, ex Era mundana Alexandrina Antiochenam formatam; & Panadorum, vel forſan alium eo antiquiorem, Incarnationem ex anno Juliano XLIII ad XLV retraxiſſe; conditumque mundi decennio tardiùs quàm Africanum & Alexandrinos, inchoaſſe: cùm ad annum Julianum XLIII Alexandrini ſupponant, fluxiſſe tum annos mundanos 5501. Antiocheni verò nonniſi 5491. quæ immutatio in capite Incarnationis à Panadoro facta, ne decennalis illa mutilatio, quam *Anatolius* induxerat, Eram Alexandrinam impoſterum fœdaret. Nam, ut rectè Petavius lib. laudato cap. 4. ex veſtigiis Chronologiæ Panadori conjectura fieri poteſt, accuratum in rebus mathematicis ac diligentem hominem fuiſſe; atque haud paulò intelligentiorem ejus reprehenſore Georgio, apud quem ea veſtigia extant, & cujus in hoc genere infinita peccata

XLV. *Explicatur ſecunda Periodus Orientalium.*

ſunt: ſed nullum majus, quàm quòd ea vellicare inſtituit, quæ neque capiebat ipſe, & ab ipſo Panadoro, quem accuſabat, fuerant ſcripta conſtanter. Totum itaque hujus ſecundæ reformationis artificium in eo ſitum, quod Panadorus creationem mundi decem annis, Incarnationem verò biennio tardiùs quàm Alexandrini, poſuerit. Annus enim Antiochenus 5491. concurrit cum anno Alexandrino 5501. eoque anno Alexandrini Incarnationem exordiuntur: annus 5492 cum anno 5502. annus 5493. cum anno 5503. quo Alexandrini tertium Incarnationis; Antiocheni verò primum inchoant, & ſic deinceps, uſque ad annum primum Diocletiani Imp. ſeu annum mundi ſecundùm Alexandrinos 5777. quia cum eo anno Alexandrini decennio tam Eram mundanam quàm Incarnationis decurtarint, non ampliùs Antiochenos decennio in annis mundi antecedunt, nec triennio in annis Incarnationis; ſed unam eandemque Eram mundanam utrique habent, adeo ut eo mundi anno, quo Diocletianus menſe Septembri Imperium iniit, Antiocheni incipiant annum mundi 5777. Incarnationis CC LXXXV; Alexandrini autem annum mundi 5777. Incarnationis CC LXXVII: ideoque in hac ſecunda Era Antiochenos non ampliùs triennio præcedunt Alexandrini, ſed ſeptennio tardiores ſunt, ob decem ſcilicet annos Incarnationis abdicatos; quod etiam reſpectu Eræ Dionyſianæ dicendum, cùm Latini & Antiocheni eadem Erâ Incarnationis utantur.

XLVI. *Incertum an epocha Incarnationis ſecùndùm Antiochenos verè Era fuerit, an tantùm opinio.*

Fateor tamen, me in nullis Scriptoribus Græcis hujus Eræ Incarnationis ſecundùm Antiochenos exemplum aliquod poſt Diocletianum inveniſſe. Quare valde ſuſpicor, ne Panadorus, vel aliquis alius Antiocheni computi artifex potiùs propriam opinionem propoſuerit, quàm Eram aliquam Incarnationis invexerit: præſertim, quia ipſemet apud Syncellum tradit, Concilium Nicænum celebratum eſſe anno Incarnationis CCC XVI, juxta computum nempe Alexandrinorum; cùm tamen juxta proprium ſcribere debuiſſet, anno Incarnationis CCC XXIV, menſe Septembri inchoato, quia Concilium Nicænum celebratum eſt menſe Junio anni Dionyſiani CCC XXV, quo adhuc in curſu erat annus Incarnationis CCC XXIV ſecundùm Antiochenos. Verum quidem eſt, Epiphanium num. IX laudatum ſcribere, *Manen* hæreticum apparuiſſe ſecundùm aliquos *anno Aſcenſionis* (ita perperam Incarnationem vocat) *CC LXXVI*, tempore Probi Imp. qui eo anno juxta Eram Dionyſianam imperare cœpit. Sed non inde ſequitur, Epiphanium alicui Eræ eum annum attribuiſſe; cùm de privatorum quorundam Scriptorum ſententia intelligi poſſit. Quod ſi hæc conjectura admittenda ſit, Dionyſius primus fuerit, qui Panadori opinionem ad Eræ gradum promoverit. Quod obiter dictum ſit. Porrò Periodus mundana Alexandrinorum Antiochenam repræſentabit, ſi decennium ex ea abjicias: contrà verò Periodus mundana Antiochenorum Alexandrinam, ſi decem unitates adjeceris.

XLVII. *Explicatur tertia Era Orientalis Conſtantinopolitanorum.*

Poſt aliquot ſecula Periodus mundana Antiochenorum à *Conſtantinopolitanis* rurſus reformata; annuſque Incarnationis cum anno quidem Juliano XLV, uti Panadoro, & poſt eum Dionyſio Exiguo placuit, ſed cum anno mundano 5509. conjunctus. Is annus partitus per XV reddit Indictionem quartam, quâ ſecundùm Orientales annus primus Incarnationis annuſque Julianus XLV inſigniti ſunt à Septembri, à quo annum civilem exordiuntur. Fervebat tunc Indictionis uſus, quam ut annus mundanus per XV diviſus exhibere poſſet, mundi creationem annos ſedecim ante Antiochenos auſpicati ſunt, adjecto ſcilicet integro Indictionis circulo, ac præterea unitate. Indeque fit, ut ſi ex Era mundana Conſtantinopolitanorum ſedecim annos abjicias, ad Antiochenam pervenias: & è contrà ſi Antiochenæ annos ſedecim addas, Conſtantinopolitanam aſſequaris. Ejus inſtituendæ aliam etiam cauſam Petavius lib. 8. Auctarii cap. 3. affert, Cycli ſcilicet Judaïci commoditatem, quem & Victorinus, ac Latini & Occidentales plerique ſecuti ſunt. Quamquam nihil præter Cyclorum vel aureorum numerorum ordinem expreſſiſſe Græcos exiſtimet; nec in celebrando Paſchate ad eos errores adhæſiſſe, quos in Victorini ac Latinorum ſectam præpoſtera Judæorum imitatio transfudit. Cyclus Judaïcus ac Latinus ab Alexandrino & Romano, ternario diſcrepat: ut qui primus eſt Romanorum, Latinorum ſit XVIII, qui illorum tertius, horum ſit XIX, ut lib. 6. de Doct. Temp. pluribus exponit; præſertim cap. 5. ubi numeris amborum aureis Kalendarii Romani dies utrimque ſtipavit. Ibi ad Kalendas Januarias Romanus numerus adſcriptus eſt III, Latinorum XIX. Ejuſmodi Cyclorum ratio in poſtremo hoc computo locum habet. Nam diviſis 5509. per XIX, reſtant XVIII, qui Judaïcus Cyclus &

Latinus erat anno Incarnationis, ſive communis Eræ primo: ad quem tribus adjectis, efficitur aureus numerus. Alexandrinorum I I, qui eundem annum occupat. Sic anno Chriſti 1373. aureus numerus Alexandrinus erat V I. Hunc annum Iſaacus Monachus numerat hujus Eræ 6881. quo numero per X I X partito, ſuperſunt I I I. Proinde Judaïcus iſte Cyclus fuit anni 1373.

XLVIII. *Antiquitas Periodi Cõſtantinopolitanæ.* Scaliger lib. 3. Canonum Iſagogicorum pag. 280. ait, ſe inter Latinos, qui ejus Eræ meminerit, vetuſtiorem inveniſſe neminem, quàm Auctorem Opuſculi Bedæ perperam attributi, cui titulus, *Computi Ratio.* Is enim Scriptor dicit, *anno 6279. Chriſti verò DCC LXXI*, &c. Verùm antiquius exemplum habemus in ſexta Synodo Generali anno Dionyſiano DC LXXX habita, in quâ hæc Era mundana uſurpata. Dicitur enim Concilium coactum anno mundi 6189. Petavius in Auctario lib. 8. cap. 14. & ſeq. Computum Eccleſiaſticum Sancti Maximi Martyris explicans, doctè oſtendit, jam eo tempore, quo ille Computus elucubratus, anno nempe Chriſti Dionyſiano DC XLI, Eram mundanam Conſtantinopolitanam agnitam fuiſſe. Ibi enim Maximus contra certos Computi Paſchalis artifices diſputat, quos πενταπλῶντας, & ἑξαπλῶντας, nominat, quóſque nos *Undecuplatores* appellare poſſumus, hoc eſt, quinquies & ſexies annos Cycli Lunaris multiplicantes, vel, ut uno verbo id exprimatur, *undecies.* Fuerunt hi auctores illius Computi, quem Conſtantinopolitanum nominamus, qui Eræ Chriſtianæ primum annum offert in eo, qui eſt ab Adamo 5509. quod partim ex Cyclis Solis & Lunæ, partim ex annorum numero Petavius colligit. Cyclus enim Lunaris *Undecuplantium* X I, Antiochenis eſt X I V; illorum primus eſt, horum quartus; illorumque primus Solaris eſt Antiochenſibus quartus; ideo *Undecuplatores* alium annum mundanum non habebant, quàm Cpolitanum hodiernum, ut patet ex Tabula Erarum Græcarum mox ſubjicienda. Præterea ait Maximus cap. 12. primæ partis ſui Computi, *Undecuplatores* ad annos Adami addidiſſe ſedecim, quod Conſtantinopolitano Computo congruit. Siquidem annus primus Eræ Chriſtianæ in Antiocheno numeratur 5493. in Conſtantinopolitano 5509. Intervallum anni X V I. Plura hac de re Petavius citatus, ubi addit, Maximum ſic de Computatoribus hiſce, qui X V I ad Eram Adami adjecerunt, quaſi de recentioribus, & æqualibus penè ſuis, loqui. Quare Periodus ſeu Era mundana Conſtantinopolitanorum, qui his etiam noſtris temporibus in Patriarchatu Conſtantinopolitano, in Moſcovia, aliiſque regionibus olim Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjectis, viget, Heraclio imperante, vel circiter inſtituta.

XLIX. *In qualibet Periodo Orientalis Chriſtianorum omnes contentæ.* Artificio trium iſtarum Periodorum mundanarum rejecto, facile eſt eaſdem ad unicam reducere, & ubi unam tenueris, ceteras animo tuo repræſentare. Invenis v. g. in aliquo rerum Byzantinarum Hiſtorico, Conſtantinum Magnum Circulum Indictionis inſtituiſſe anno mundi Alexandrino, ſeu Antiocheno, qui poſt Diocletianum unus & idem eſt, 5805. anno nempe Dionyſiano CCC XII, quo Kalendis Septembris inchoatur. Si ſcire velis, quem tunc annum Conſtantinopolitani numerarent, adjice ſedecim: ſicque tibi non ſolùm conſtabit, Indictiones anno mundi Conſtantinopolitano 5821. inſtitutas eſſe, ſed etiam quo anno id acciderit in qualibet Periodo mundana Orientalium. Quòd ſi dubites, an erraveris, annum illum Conſtantinopolitanum per XV partire, invenieſque, illum Indictionem I relinquere: ideoque & eam utriuſque anni connexionem certam eſſe: cùm Antiocheni & Alexandrini unitatem addere cogantur, ut in anno mundano currentem apud omnes Orientales Indictionem aſſequi poſſint. Annus autem mundi Alexandrinus 5805. Indictionem X V reddit, quemadmodum & annus Dionyſianus CCC XII.

L. *Periodi Chriſtianorum Orientalium hactenus obſcuræ.* His ita conſtitutis, apparet, quantis hactenus tenebris Eræ mundanæ Græcorum circumfuſæ fuerint, tertia excepta, quæ, quod in multis libris legatur, & à variis populis etiamnum uſurpetur, omnibus nota. Scaliger, qui primus omnium eas in Opere de Emendat. Temp. examinavit, priorem vocavit *Orientalem*, annumque 5501. in annum Julianum XLV incidere credidit; alteram *Lunarem* appellavit, & Incarnationem in annum mundi 5495. Julianum XIV conjecit; tertiamque *Paſchalem* nuncupavit, in eâque Incarnationem cum anno 5509. Juliano XLV inchoavit. Hanc tamen cautionem addidit, ut in computo Lunari duo perpetua methodo ſubtrahantur. Cùm verò lib. 8. pag. 689. Computum Æthiopicum exponit, addit: *A principio rerum ad Chriſtum putant* (nempe Æthiopes) *annos 5500. ſed Eccleſia Antiochena uno plus 5501. eamque Eram vocant,* ἀπὸ πτώσεως Ἀδὰμ, *à caſu Adam. Mira autem hallucinatio inde eos inceſſit. Nam, cùm Græcorum Computus Paſchalis ab initio re-*

Diſſertatio. d ij

rum ad Chriſtum, putet annos 5508. iſti verò 5501. hinc factum, ut de ſumma annorum Chriſti Dionyſianorum detrahant annos VII. Hoc faciunt Æthiopes ipſi, & Græci quidam, Maximus Monachus, & Hiſtoria Conſtantinopolitana, ex qua libros ſuos conſarcinavit Landulfus Sagax. In annis enim Chriſti ſemper abſunt à computo Dionyſiano annis VII. Itaque Æthiopes Ægyptienſes annum Chriſti 1585. putabant 1577. à die XXIX menſis Auguſti anni 1584. à quo die tam annum mundi quàm annos Diocletiani incipiunt. Verùm priorem Eram perperam *Orientalem* vocat, cùm tam Georgius, quam Theophanes eam nominent, κατ' Αἰγυπτίους, id eſt, *Ægyptiacam*, ſive Ἀλεξανδρεῖς, id eſt *Alexandrinam*, & tertiam κατ' Ῥωμαίους, *Romanam*, quia Conſtantinopolis *nova Roma* fuit. Cur enim Eris à multis ſeculis inſtitutis propria nomina eripere, novàque imponere; quod ſolùm licet, cùm de re conſtat, nomen verò ignoratur, ut contingit in ſecunda Græcorum Era mundana, cujus proprium nomen huc uſque ignotum. Ad hæc, cur initium Incarnationis in hac ſecunda Era ab anno mundi 5495. repetere; cùm Panadorus, qui ejus inventor reputari poteſt, illud ab anno 5493. deſumſerit? Porro Petavius tam lib. 9. de Doct. Temp. cap. 5. quàm in Auctario lib. 8. cap. 6. pluribus oſtendit, eas appellationes male illis Eris inditas, præſertim, cùm tam Era Conſtantinopolitana, quàm Antiochena ad Lunam directa & Lunaris fuerit; quatenus iis diebus uterque Cyclus adſcriptus ſit, in quos Nicæni Concilii tempora Novilunia competebant, ut Petavius doctè oſtendit. Neque etiam verum eſt, in priori Era Incarnationem collocari anno Juliano XLV, neque qui Incarnationem ab anno 5500. auſpicantur, differre ab iis, qui ab anno 5501. incipiunt: nec etiam Æthiopes & Ægyptios, qui in hunc uſque diem Erâ Alexandrinâ utuntur, Eram Dionyſianam mutilaſſe; cùm Era Incarnationis, quam adhibent, diverſa ſit à Dionyſiana, & longè antequam Dionyſius naſceretur, inſtituta.

Denique *Scaliger* ad decennalem mutilationem Eræ Alexandrinæ animum non advertit, ideoque tres Eras illas mundanas etiamnum hodie in Oriente uſurpari credidit: Opus enim de Emendatione Temporum p. 784. his aliiſque temporum Notis abſolvit: *Exactum Opus Dei Opt. Maximi gratiâ, feriâ tertiâ.* LI. *Periodum Alexandrinam & Antiochenam poſt Diocletianum unam & eandem eſſe, Scaligerum fugit.*

ANNO

Cycli Solaris decimo.
Cycli Lunaris ſecundo.
Periodi Julianæ 6310.
Eræ Conſtantinopolitanæ Paſchalis 7105.
Eræ Conſtantinopolitanæ Lunaris 7091.
Eræ Orientalis 7098.
Eræ Cæſaris Hiſpanicæ 1635.

} IX KAL. JUNI.

Eſt is annus Eræ Dionyſianæ 1597. ut tam feria III, quæ eo Chriſti anno in diem IX Kalend. Junii, ſeu diem XXIV menſis Maii incurrit, quàm Cyclus Solis X, Lunæ II, annus Periodi Julianæ 6310. annuſque 1635. Eræ Hiſpanicæ certò manifeſtant. Quamobrem erat is quidem annus Conſtantinopolitanus, quem perperam Scaliger vocat annum *Eræ Conſtantinopolitanæ Paſchalis*, 7105. à Septembri anni Chriſti antecedentis inchoatus; ſed non erat annus Antiochenus, quem ipſe *Conſtantinopolitanum Lunarem* appellat, 7091. ſed 7089. qui menſe Septembri anni Chriſti 1596. initium habuit: qui error profluxit ex eo quòd Scaliger annum primum Eræ Dionyſianæ non ab anno mundi 5493. ut fieri debet, ſed ab anno mundi 5495. repetat. Præterea annus ille mundanus 7098. Eræ Orientalis ſeu Alexandrinæ planè fictitius eſt, & à nemine unquam uſurpatus; cùm ad annum primum Diocletiani Alexandrini & Antiocheni eâdem Erâ mundanâ utantur, poſt præfatam ſcilicet decem annorum mutilationem. Denique *Calviſius*, qui primus omnium Chronico certis temporum characteribus munito Orbem literarium beavit, Eræ Conſtantinopolitanæ, aliarumque præcipuarum tam Solarium quàm Lunarium annos ſemper notat, Alexandrinæ verò & Antiochenæ nuſquam meminit; quia ſine dubio quomodo ex illis ambagibus ſeſe extricaret, non habebat.

Scaliger lib. 7. de Emendat. Temp. pag. 747. exhibet Tabulam Cyclorum trium Erarum mundanarum Orientalium, ſed vitioſam; quod initium Incarnationis in Era Alexandrina eum fugeret. Heic ego aliam Cyclorum Solarium & Lunarium ac litterarum Dominicalium Romanarum ſubjicio, annis omnium Computorum à Kalendis Januariis repetitis; quamvis civilis annus & Indictio ab antecedente Septembri incipiant. Romanus numerus Cyclos Solis, Arabicus Cyclos Lunæ repræſentat. LII. *Cycli Solares & Lunares harũ trium Erarum inter ſe comparati.*

TABULA CYCLORUM SOLARIUM ET LUNARIUM IN Eris mundanis Græcorum.

Linea utriuſque Cycli in Era Dionyſ.	Linea utriuſque Cycli in Era Alex.	Linea utriuſque Cycli in Era Antioc.	Linea utriuſque Cycli in Era CP.	Linea litteræ Dominicalis Romanæ.	Termini Paſchales.	Anni Juliani.
v. 16.	x. 7.	xxviii. 16.	xvi. 13.	B A.		xli.
vi. 17.	xi. 8.	i. 17.	xvii. 14.	G.		xlii.
vii. 18.	xii. 9.	ii. 18.	xviii. 15.	F.		xliii.
viii. 19.	xiii. 10.	iii. 19.	xix. 16.	E.		xliv.
ix. 1.	xiv. 11.	iv. 1.	xx. 17.	DC.	v April.	xlv.
x. 2.	xv. 12.	v. 2.	xxi. 18.	B.	xxv Mart.	xlvi.
xi. 3.	xvi. 13.	vi. 3.	xxii. 19.	A.	xiii April.	xlvii.
xii. 4.	xvii. 14.	vii. 4.	xxiii. 1.	G.	ii April.	xlviii.
xiii. 5.	xviii. 15.	viii. 5.	xxiv. 2.	F E.	xxii Mart.	xlix.
xiv. 6.	xix. 16.	ix. 6.	xxv. 3.	D.	x April.	l.
xv. 7.	xx. 17.	x. 7.	xxvi. 4.	C.	xxx Mart.	li.
xvi. 8.	xxi. 18.	xi. 8.	xxvii. 5.	B.	xviii April.	lii.
xvii. 9.	xxii. 19.	x. 9.	xxviii. 6.	A G.	vii April.	liii.
xviii. 10.	xxiii.	xiii. 10.	i. 7.	F.	xxvii Mart.	liv.
xix. 11.	xxiv.	xiv. 11.	ii. 8.	E.	xv April.	lv.
xx. 12.	xxv.	xv. 12.	iii. 9.	D.	iiii April.	lvi.
xxi. 13.	xxvi.	xvi. 13.	iv. 10.	CB.	xxiv Mart.	lvii.
xxii. 14.	xxvii.	xvii. 14.	v. 11.	A.	xii April.	lviii.
xxiii. 15.	xxviii.	xviii. 15.	vi. 12.	G.	i April.	lix.
xxiv.	i.	xix.	vii.	F.	xxi Mart.	lx.
xxv.	ii.	xx.	viii.	ED.	ix April.	lxi.
xxvi.	iii.	xxi.	ix.	C.	xxix Mart.	lxii.
xxvii.	iv.	xxii.	x.	B.	xxvii April.	lxiii.

Linea utriuſque Cycli in Era Dionyſ.	Linea utriuſque Cycli in Era Alex.	Linea utriuſque Cycli in Era Antioc.	Linea utriuſque Cycli in Era CP.	Linea litteræ Dominicalis Romanæ.	Termini Paſchales.	Anni Juliani.
XXVIII.	V.	XXIII.	XI.	A.		LXIV.
I.	VI.	XXIV.	XII.	G F.		LXV.
II.	VII.	XXV.	XIII.	E.		LXVI.
III.	VIII.	XXVI.	XIV.	D.		LXVII.
IV.	IX.	XXVII.	XV.	C.		LXVIII.

LIII. *Cycli Solis Eræ Alexandrinæ ejus mutilationem produnt.*

Vides in hac Tabula, Cyclum Solis tam in annis Antiochenis quàm in Conſtantinopolitanis per quatuor diviſum, annum biſſextilem offerre, ideoque annos notatos Cyclo Solis IV, vel VIII, vel XII, & ſic deinceps, biſſextiles eſſe. Cyclus autem Solaris Eræ Alexandrinæ inſervire tantùm poteſt uſque ad primum Diocletiani annum, qui mundi eſt ſecundùm Alexandrinos 5777. ob illam ſcilicet mutilationem, quæ ideo inde evidentiſſimè demonſtratur. Qui enim Cyclo illo Solari poſt Diocletianum uteretur, decem annis omnino aberraret. v. g. annus mundi 5944. qui Kalendis Septembris anni Dionyſiani CCCC LI cœpit, præditus eſt Cyclo Solis VIII, littera Dominicali D. quæ ideo indicare debet litteram Dominicalem Romanam anni Chriſti CCCC LII, à cujus Kalendis Januariis Cyclos Græcos nos inchoare diximus; quòd major pars anni civilis v. g. 5944. à Januario ad Septembrem fluat. Et tamen annus Dionyſianus CCCC LII notatur duplici littera Dominicali FE. Littera itaque Dominicalis D. Cyclo Solis VIII Alexandrino affixa duceret ad annum Dionyſianum CCCCXLII littera Dominicali D. inſignitum, quia ſcilicet Alexandrini annis decem Eram ſuam decurtarunt. Si Cyclo Solis Alexandrino VIII addas decem Cyclos, qui decem annis ab Alexandrinis prætermiſſis reſpondent, habebis litteram Dominicalem FE. Cyclo Solis XVIII affixam, quâ annus Dionyſianus CCCC LII, ut mox dixi notatur. Hujus Tabulæ operâ cognoſces, an in conjungendis annis mundanis Græcorum cum annis Dionyſianis erraveris; anni enim illi mundani in majori ſui parte, à Kalendis ſcilicet Januariis uſque ad Kalendas Septembris, eadem littera Dominicali ac annus Dionyſianus, in quo deſinunt, præditi eſſe debent: quamquam facilior eſt methodus ex Indictione deſumta, quæ ideo præferenda.

Ut autem hæc annorum Græcorum cum Dionyſianis connexio manifeſtior fiat, & ne decennalis illa mutilatio in errorem impellat, habes heic Tabulam annos trecentos continentem, ad cujus regulam ceteri omnes dirigendi erunt. LIV. *Anni mundani Græcorum primi ſeculi Chriſtiani cum Dionyſianis illigati.*

Anni Dionyſiani à Kal. Januarii.	Anni mundi ſecun. Alex. à Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecun. Alex. à Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. Ant. à Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. Ant. à Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. CP. à Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. CP. à Kal. Sept.
Ante Chriſt. III.	5501.	1.	5491.	AteC hriſt. 2.	5507.	Ante Chriſt. 2.
Ante Chriſt. II.	5502.	2.	5492.	Ante Chriſt. 1.	5508.	Ante Chriſt. 1.
Ante Chriſt. I.	5503.	3.	5493.	Chriſti 1.	5509.	Chriſti 1.
Chriſti 1.	5504.	4.	5494.	2.	5510.	2.

Anni Dionyſiani à Kalend. Janu.	Anni mundi ſecun. Alex à Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecun. Alex. à Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. Ant. à Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. Ant à Kal. Sept	Anni mundi ſecund. CP. à Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. CP. à Kal. Sept.
II.	5505.	5.	5495.	3.	5511.	3.
III.	5506.	6.	5496.	4.	5512.	4.
IV.	5507.	7.	5497.	5.	5513.	5.
V.	5508.	8.	5498.	6.	5514.	6.
VI.	5509.	9.	5499.	7.	5515.	7.
VII.	5510	10.	5500.	8.	5516.	8.
VIII.	5511.	11.	5501.	9.	5517.	9.
IX.	5512.	12.	5502.	10.	5518.	10.
X.	5513.	13.	5503.	11.	5519.	11.
XI.	5514.	14.	5504.	12.	5520.	12.
XII.	5515.	15.	5505.	13.	5521.	13.
XIII.	5516.	16.	5506.	14.	5522.	14.
XIV.	5517.	17.	5507.	15.	5523.	15.
XV.	5518.	18.	5508.	16.	5524.	16.
XVI.	5519.	19.	5509.	17.	5525.	17.
XVII.	5520.	20.	5510.	18.	5526.	18.
XVIII.	5521.	21.	5511.	19.	5527.	19.
XIX.	5522.	22.	5512.	20.	5528.	20.
XX.	5523.	23.	5513.	21.	5529.	21.
XXI.	5524.	24.	5514.	22.	5530.	22.
XXII.	5525.	25.	5515.	23.	5531.	23.
XXIII.	5526.	26.	5516.	24.	5532.	24.
XXIV.	5527.	27.	5517.	25.	5533.	25.
XXV.	5528.	28.	5518.	26.	5534.	26.
XXVI.	5529.	29.	5519.	27.	5535.	27.
XXVII.	5530.	30.	5520.	28.	5536.	28.
XXVIII.	5531.	31.	5521.	29.	5537.	29.
XXIX.	5532.	32.	5522.	30.	5538.	30.
XXX.	5533.	33.	5523.	31.	5539.	31.
XXXI.	5534.	34.	5524.	32.	5540.	32.
XXXII.	5535.	35.	5525.	33.	5541.	33.
XXXIII.	5536.	36.	5526.	34.	5542.	34.
XXXIV.	5537.	37.	5527.	35.	5543.	35.
XXXV.	5538.	38.	5528.	36.	5544.	36.
XXXVI.	5539.	39.	5529.	37.	5545.	37.
XXXVII.	5540.	40.	5530.	38.	5546.	38.
XXXVIII.	5541.	41.	5531.	39.	5547.	39.
XXXIX.	5542.	42.	5532.	40.	5548.	40.
XL.	5543.	43.	5533.	41.	5549.	41.
XLI	5544.	44.	5534.	42.	5550.	42.
XLII.	5545.	45.	5535.	43.	5551.	43.
XLIIJ.	5546.	46.	5536.	44.	5552.	44.
XLIV.	5547.	47.	5537.	45.	5553.	45.
XLV.	5548.	48.	5538.	46.	5554.	46.

Anni Dionyſiani à Kalend. Janu.	Anni mundi ſecun. Alex. à Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecun. Alex. à Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. Ant. à Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. Ant. à Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. CP. à Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. CP. à Kal. Sept.
XLVI.	5549.	49.	5539.	47.	5555.	47.
XLVII.	5550.	50.	5540.	48.	5556.	48.
XLVIII.	5551.	51.	5541.	49.	5557.	49.
XLIX.	5552.	52.	5542.	50.	5558.	50.
L.	5553.	53.	5543.	51.	5559.	51.
LI.	5554.	54.	5544.	52.	5560.	52.
LII.	5555.	55.	5545.	53.	5561.	53.
LIII.	5556.	56.	5546.	54.	5562.	54.
LIV.	5557.	57.	5547.	55.	5563.	55.
LV.	5558.	58.	5548.	56.	5564.	56.
LVI.	5559.	59.	5549.	57.	5565.	57.
LVII.	5560.	60.	5550.	58.	5566.	58.
LVIII.	5561.	61.	5551.	59.	5567.	59.
LIX.	5562.	62.	5552.	60.	5568.	60.
LX.	5563.	63.	5553.	61.	5569.	61.
LXI.	5564.	64.	5554.	62.	5570.	62.
LXII.	5565.	65.	5555.	63.	5571.	65.
LXIII.	5566.	66.	5556.	64.	5572.	64.
LXIV.	5567.	67.	5557.	65.	5573.	65.
LXV.	5568.	68.	5558.	66.	5574.	66.
LXVI.	5569.	69.	5559.	67.	5575.	67.
LXVII.	5570.	70.	5560.	68.	5576.	68.
LXVIII.	5571.	71.	5561.	69.	5577.	69.
LXIX.	5572.	72.	5562.	70.	5578.	70.
LXX.	5573.	73.	5563.	71.	5579.	71.
LXXI.	5574.	74.	5564.	72.	5580.	72.
LXXII.	5575.	75.	5565.	73.	5581.	73.
LXXIII.	5576.	76.	5566.	74.	5582.	74.
LXXIV.	5577.	77.	5567.	75.	5583.	75.
LXXV.	5578.	78.	5568.	76.	5584.	76.
LXXVI.	5579.	79.	5569.	77.	5585.	77.
LXXVII.	5580	80.	5570.	78.	5586.	78.
LXXVIII.	5581.	81.	5571.	79.	5587.	79.
LXXIX.	5582.	82.	5572.	80.	5588.	80.
LXXX.	5583.	83.	5573.	81.	5589.	81.
LXXXI.	5584.	84.	5574.	82.	5590.	82.
LXXXII.	5585.	85.	5575.	83.	5591.	83.
LXXXIII.	5586.	86.	5576.	84.	5592.	84.
LXXXIV.	5587.	87.	5577.	85.	5593.	85.
LXXXV.	5588.	88.	5578.	86.	5594.	86.
LXXXVI.	5589.	89.	5579.	87.	5595.	87.
LXXXVII.	5590.	90.	5580.	88.	5596.	88.
LXXXVIII.	5591.	91.	5581.	89.	5597.	89.
LXXXIX.	5592.	92.	5582.	90.	5598.	90.

Anni

LV. *Anni mundani Græcorum ac ſecundi ſeculi Chriſtiani cum Dionyſianis illigati.*

Anni Dionyſiani à Kal. Januarii.	Anni mundi ſecun. Alex. à Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecun. Alex. à Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. Ant. à Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. Ant. à Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. CP. à Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. CP. à Kal. Sept.
LXXXX.	5593.	93.	5583.	91.	5599.	91.
LXXXXI.	5594.	94.	5584.	92	5600.	92.
LXXXXII.	5595.	95.	5585.	93.	5601.	93.
LXXXXIII.	5596.	96.	5586.	94.	5602.	94.
LXXXXIV.	5597.	97.	5587.	95.	5603.	95.
LXXXXV.	5598.	98.	5588.	96.	5604.	96.
LXXXXVI.	5599.	99.	5589	97.	5605.	97.
LXXXXVII.	5600.	100.	5590.	98.	5606.	98.
LXXXXVIII.	5601.	101.	5591.	99.	5607.	99.
LXXXIX.	5602.	102.	5592.	100.	5608.	100.
C.	5603.	103.	5593.	101.	5609.	101.
CI.	5604.	104.	5594.	102.	5610.	102.
CII.	5605.	105.	5595.	103.	5611.	103.
CIII.	5606.	106.	5596.	104.	5612.	104.
CIV.	5607.	107.	5597.	105.	5613.	105.
CV.	5608.	108.	5598.	106.	5614.	106.
CVI.	5609.	109.	5599.	107.	5615.	107.
CVII.	5610.	110.	5600.	108.	5616.	108.
CVIII.	5611.	111.	5601.	109.	5617.	109.
CIX.	5612.	112.	5602.	110.	5618.	110.
CX.	5613.	113.	5603.	111.	5619.	111.
CXI.	5614.	114.	5604.	112.	5620.	112.
CXII.	5615.	115.	5605.	113.	5621.	113.
CXIII.	5616.	116.	5606.	114.	5622.	114.
CXIV.	5617.	117.	5607.	115.	5623.	115.
CXV.	5618.	118.	5608.	116.	5624.	116.
CXVI.	5619.	119.	5609.	117.	5625.	117.
CXVII.	5620.	120.	5610.	118.	5626.	118.
CXVIII.	5621.	121.	5611.	119.	5627.	119.
CXIX.	5622.	122.	5612.	120.	5628.	120.
CXX.	5623.	123.	5613.	121.	5629.	121.
CXXI.	5624.	124.	5614.	122.	5630.	122.
CXXII.	5625.	125.	5615.	123.	5631.	123.
CXXIII.	5626.	126.	5616.	124.	5632.	124.
CXXIV.	5627.	127.	5617.	125.	5633.	125.
CXXV.	5628.	128.	5618.	126.	5634.	126.
CXXVI.	5629.	129.	5619.	127.	5635.	127.
CXXVII.	5630.	130.	5620.	128.	5636.	128.
CXXVIII.	5631.	131.	5621.	129.	5637.	129.
CXXIX.	5632.	142.	5622.	130.	5638.	130.
CXXX.	5633.	133.	5623.	131.	5639.	131.
CXXXI.	5634.	134.	5624.	132.	5640.	132.
CXXXII.	5635.	135.	5625.	133.	5641.	133.
CXXXIII.	5636.	136.	5626.	134.	5642.	134.

Anni Dionyſiani à Kalend. Janu.	Anni mundi ſecun. Alex à Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecun. Alex à Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. Ant. à Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. Ant. à Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. CP. à Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. CP. à Kal. Sept.
CXXXIV.	5637.	137.	5627.	135	5643.	135.
CXXXV.	5638.	138.	5628.	136.	5644.	136.
CXXXVI.	5639.	139.	5629.	137.	5645.	137.
CXXXVII.	5640.	140.	5630.	138.	5646.	138.
CXXXVIII.	5641.	141.	5631.	139.	5647.	139.
CXXXIX.	5642.	142.	5632.	140.	5648.	140.
CXL.	5643.	143.	5633.	141.	5649.	141.
CXLI.	5644.	144.	5634.	142.	5650.	142.
CXLII.	5645.	145.	5635.	143.	5651.	143.
CXLIII.	5646.	146.	5636.	144.	5652.	144.
CXLIV.	5647.	147.	5637.	145.	5653.	145.
CXLV.	5648.	148.	5638.	146.	5654.	146.
CXLVI.	5649.	149.	5639.	147.	5655.	147.
CXLVII.	5650.	150.	5640.	148.	5656.	148.
CXLVIII.	5651.	151.	5641.	149.	5657.	149.
CXLIX.	5652.	152.	5642.	150.	5658.	150.
CL.	5653.	153.	5643.	151.	5659.	151.
CLI.	5654.	154.	5644.	152.	5660.	152.
CLII.	5655.	155.	5645.	153.	5661.	153.
CLIII.	5656.	156.	5646.	154.	5662.	154.
CLIV.	5657.	157.	5647.	155.	5663.	155.
CLV.	5658.	158.	5648.	156.	5664.	156.
CLVI.	5659.	159.	5649.	157.	5665.	157.
CLVII.	5660.	160.	5650.	158.	5666.	158.
CLVIII.	5661.	161.	5651.	159.	5667.	159.
CLIX.	5662.	162.	5652.	160.	5668.	160.
CLX.	5663.	163.	5653.	161.	5669.	161.
CLXI.	5664.	164.	5654.	162.	5670.	162.
CLXII.	5665.	165.	5655.	163.	5671.	163.
CLXIII.	5666.	166.	5656.	164.	5672.	164.
CLXIV.	5667.	167.	5657.	165.	5673.	165.
CLXV.	5668.	168.	5658.	166.	5674.	166.
CLXVI.	5669.	169.	5659.	167.	5675.	167.
CLXVII.	5670.	170.	5660.	168.	5676.	168.
CLXVIII.	5671.	171.	5661.	169.	5677.	169.
CLXIX.	5672.	172.	5662.	170.	5678.	170.
CLXX.	5673.	173.	5663.	171.	5679.	171.
CLXXI.	5674.	174.	5664.	172.	5680.	172.
CLXXII.	5675.	175.	5665.	173.	5681.	173.
CLXXIII.	5676.	176.	5666.	174.	5682.	174.
CLXXIV.	5677.	177.	5667.	175.	5683.	175.
CLXXV.	5678.	178.	5668.	176.	5684.	176.
CLXXVI.	5679.	179.	5669.	177.	5685.	177.
CLXXVII.	5680.	180.	5670.	178.	5686.	178.

Anni Dionyſiani à Kal. Januarii.	Anni mundi ſecun. Alex. à Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecun. Alex. à Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. Ant. à Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund Ant. à Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. CP. à Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. CP. à Kal. Sept.
CLXXVIII.	5681.	181.	5671.	179.	5687.	179.
CLXXIX.	5682.	182.	5672.	180.	5688.	180.
CLXXX.	5683.	183.	5673.	181.	5689.	181.
CLXXXI.	5684.	184.	5674.	182.	5690.	182.
CLXXXII.	5685.	185.	5675.	183.	5691.	183.
CLXXXIII.	5686.	186.	5676.	184.	5692.	184.
CLXXXIV.	5687.	187.	5677.	185.	5693.	185.
CLXXXV.	5688.	188.	5678.	186.	5694.	186.
CLXXXVI.	5689.	189.	5679.	187.	5695.	187.
CLXXXVII	5690.	190.	5680.	188.	5696.	188.
CLXXXVIII.	5691.	191.	5681.	189.	5697	189.
CLXXXIX.	5692.	192.	5682.	190.	5698.	190.
CLXXXX.	5693.	193.	5683.	191.	5699.	191.
CLXXXXI.	5694.	194.	5684.	192.	5700.	192.
CLXXXXII.	5695.	195.	5685.	193.	5701.	193.
CLXXXXIII.	5696.	196.	5686.	194.	5702.	194.
CLXXXXIV.	5697.	197.	5687.	195.	5703.	195.
CLXXXXV.	5698.	198.	5688.	196.	5704.	196.
CLXXXXVI.	5699.	199.	5689.	197.	5705.	197.
CLXXXXVII.	5700.	200.	5690.	198.	5706.	198.
CLXXXXVIII.	5701.	201.	5691.	199.	5707.	199.
CLXXXXIX.	5702.	202.	5692.	200.	5708.	200.
CC.	5703.	203.	5693.	201.	5709.	201.
CCI.	5704.	204.	5694.	202.	5710.	202.
CCII.	5705.	205.	5695.	203.	5711.	203.
CCIII.	5706.	206.	5696.	204.	5712.	204.
CCIV.	5707.	207.	5697.	205.	5713.	205.
CCV.	5708.	208.	5698.	206.	5714.	206.
CCVI.	5709.	209.	5699.	207.	5715.	207.
CCVII.	5710.	210.	5700.	208.	5716.	208.
CCVIII.	5711.	211.	5701.	209.	5717.	209.
CCIX.	5712.	212.	5702.	210.	5718.	210.
CCX.	5713.	213.	5703.	211.	5719.	211.
CCXI.	5714.	214.	5704.	212.	5720.	212.
CCXII.	5715.	215.	5705.	213.	5721.	213.
CCXIII.	5716.	216.	5706.	214.	5722.	214.
CCXIV.	5717.	217.	5707.	215.	5723.	215.
CCXV.	5718.	218.	5708.	216.	5724.	216.
CCXVI.	5719.	219.	5709.	217.	5725.	217.
CCXVII.	5720.	220.	5710.	218.	5726.	218.
CCXVIII.	5721.	221.	5711.	219.	5727.	219.
CCXIX.	5722.	222.	5712.	220.	5728.	220.
CCXX.	5723.	223.	5713.	221.	5729.	221.
CCXXI.	5724.	224.	5714.	222.	5730.	222.

Anni Dionyſiani à Kalend. Janu.	Anni mundi ſecun. Alex. à Kal. Sept	Anni Incarn. ſecun. Alex. à Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. Ant. à Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. Ant. à Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. CP. à Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. CP. à Kal. Sept.
CCXXII.	5725.	225.	5715.	223.	5731.	223.
CCXXIII.	5726.	226.	5716.	224.	5732.	224.
CCXXIV.	5727.	227.	5717.	225.	5733	225.
CCXXV.	5728.	228.	5718.	226.	5734.	226.
CCXXVI.	5729.	229.	5719.	227.	5735	227.
CCXXVII.	5730.	230.	5720.	228.	5736.	228.
CCXXVIII.	5731.	231.	5721.	229.	5737.	229.
CCXXIX.	5732.	232.	5722.	230.	5738.	230.
CCXXX.	5733.	233.	5723.	231.	5739.	231.
CCXXXI.	5734.	234.	5724.	232.	5740.	232.
CCXXXII.	5735.	235.	5725.	233.	5741.	233.
CCXXXIII.	5736.	236.	5726.	234.	5742.	234.
CCXXXIV.	5737.	237.	5727.	235.	5743.	235.
CCXXXV.	5738.	238.	5728.	236.	5744.	236.
CCXXXVI.	5739.	239.	5729.	237.	5745.	237.
CCXXXVII.	5740.	240.	5730.	238.	5746.	238.
CCXXXVIII.	5741.	241.	5731.	239.	5747.	239.
CCXXXIX.	5742.	242.	5732.	240.	5748.	240.
CCXL.	5743.	243.	5733.	241.	5749.	241.
CCXLI.	5744.	244.	5734.	242.	5750.	242.
CCXLII.	5745.	245.	5735	243.	5751.	243.
CCXLIII.	5746.	246.	5736.	244.	5752.	244.
CCXLIV.	5747.	247.	5737.	245.	5753.	245.
CCXLV.	5748.	248.	5738.	246.	5754.	246.
CCXLVI.	5749.	249.	5739.	247.	5755.	247.
CCXLVII.	5750.	250.	5740.	248.	5756.	248.
CCXLVIII.	5751.	251.	5741.	249.	5757.	249.
CCXLIX.	5752.	252.	5742.	250.	5758.	250.
CCL.	5753.	253.	5743.	251.	5759.	251.
CCLI	5754.	254.	5744.	252.	5760.	252.
CCLII.	5755.	255.	5745.	253.	5761.	253.
CCLIII.	5756.	256.	5746.	254.	5762.	254.
CCLIV.	5757.	257.	5747.	255.	5763.	255.
CCLV.	5758.	258.	5748.	256.	5764.	256.
CCLVI.	5759.	259.	5749.	257.	5765.	257.
CCLVII.	5760.	260.	5750.	258.	5766.	258.
CCLVIII.	5761.	261.	5751.	259.	5767.	259.
CCLIX.	5762.	262.	5752.	260.	5768.	260.
CCLX.	5763.	263.	5753.	261.	5769.	261.
CCLXI.	5764.	264.	5754.	262.	5770.	262.
CCLXII	5765.	265.	5755.	263.	5771.	263.
CCLXIII.	5766.	266.	5756.	264.	5772.	264
CCLXIV.	5767.	267.	5757.	265.	5773.	265.
CCLXV.	5768.	268.	5758.	266.	5774.	266.

Anni Dioclitiani à Kalend. Janu.	Anni mundi ſecun. Alex à Kal. Sept	Anni Incarn. ſecun. Alex. à Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. Ant. à Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. Ant à Kal. Sept.	Anni mundi ſecund CP. à Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. CP. à Kal. Sept.
CCLXVI.	5769.	269.	5759.	267.	5775.	267.
CCLXVII.	5770.	270.	5760.	268.	5776.	268
CCLXVIII.	5771.	271.	5761.	269.	5777.	269.
CCLXIX.	5772.	272.	5762.	270.	5778.	270.
CCLXX.	5773.	273.	5763.	271.	5779	271.
CCLXXI.	5774	274.	5764.	272.	5780.	272.
CCLXXII.	5775.	275.	5765.	273.	5781.	273.
CCLXXIII.	5776.	276.	5766.	274.	5782.	274.
CCLXXIV.	5777.	277.	5767.	275.	5783.	275
CCLXXV.	Decennalis mutilatio Eræ mundanæ Alexandrinorum ad primum Diocletiani Imp. annum.	Decennalis mutilatio Eræ Incarnationis Alexandrinorum ad primum Diocletiani Imp. annum.	5768.	276.	5784.	276.
CCLXXVI.			5769	277.	5785.	277.
CCLXXVII.			5770.	278.	5786.	278.
CCLXXVIII.			5771.	279.	5787.	279
CCLXXIX.			5772.	280.	5788.	280
CCLXXX.			5773.	281.	5789.	281.
CCLXXXI.			5774	282.	5790.	282.
CCLXXXII.			5775.	283.	5791.	283.
CCLXXXIII.			5776.	284.	5792.	284.
CCLXXXIV.			5777.	285.	5793.	285.
CCLXXXV.	5778.	278.	5778.	286.	5794.	286.
CCLXXXVI.	5779.	279.	Vides Eras mundanas Alexandrinorum & Antiochenorum poſt illam mutilationem in unam eandemque coaleſcere.	287.	5795.	287.
CCLXXXVII	5780.	280.		288.	5796.	288.
CCLXXXVIII	5781.	281.		289.	5797.	289.
CCLXXXIX.	5782.	282.		290.	5798.	290.
CCLXXXX.	5783.	283.		291.	5799.	291.
CCLXXXXI.	5784.	284.		292.	5800.	292.
CCLXXXXII.	5785.	285.		293.	5801.	293.
CCLXXXXIII.	5786	286.		294.	5802.	294.
CCLXXXXIV.	5787.	287.		295.	5803.	295.
CCLXXXXV.	5788.	288.		296.	5804.	296.
CCLXXXXVI.	5789.	289.		297.	5805.	297.
CCLXXXXVII.	5790.	290.		298.	5806.	298.
CCLXXXXVIII.	5791.	291.		299.	5807.	299.
CCLXXXXIX.	5792.	292.		300.	5808	300.
CCC.	5793.	293.		301.	5809.	301.

LVII. *De computo Paſchali Græcorum legendi Scaliger & Petavius.*

Heic non agam de computo Paſchali Græcorum, nec de methodo inveſtigandæ feriæ, nec denique de regularibus ac annorum epactis, quos *Concurrentes* Romani Computatores vocant: præterquam enim quòd hæc ab Scaligero in fine lib. 7. de Emendat. Temp. & à Petavio in fine lib. 8. Auctarii, diligenter pertractata, tanta non ſunt; ut eorum notitiâ carere non poſſimus. Imo Scaliger pag. 778. dicit: *Noli curare illos concurrentes, quorum ſcientiam reſerva, uſum reſpue.*

LVIII. *Dionyſii veſtigia ſequi debebat Scaliger, nō verò novā Periodum concinnare.*

Redeo nunc ad *Dionyſium*, ut quod ab ipſo duabus in rebus peractum, in tertia efficiam. Magna mehercule ejus in Occidentales merita, quòd Cyclos Alexandrinos, Eramque Chriſtianam apud illos invexerit; ſed nullus inficias ibit, quin ſi quis ejus conſilium longiùs promovere, unamque ex Periodis mundanis Orientalium, quæ ſingulis annis,

tam ante, quàm poſt Natale Chriſti, Cyclos Romanos exhibeat, omniumque epocharum ſedes & fulcrum exiſtat, Latinorum uſibus accommodare poſſit, rem præſtiturus ſit haud leve momenti habituram. Quàm enim eis neceſſaria aliqua hujuſmodi Periodus, ex iis quæ hujus Diſſertationis initio dixi, evidenter apparet. Scaliger, ante quem temporum diſciplinam nullus ad methodum redegerat, hunc Chronologiæ noſtræ defectum primus omnium vidit, eique Periodi Julianæ concinnatione remedium adhibere voluit. Verùm, ſicut *Dionyſius* non novos Cyclos, nec novam Incarnationis epocham propoſuit; ſed utrumque ab Orientalibus recte conſtitutum ad Latinos tranſtulit: ita non nova Periodus componenda veniebat; ſed Dionyſii veſtigiis inſiſtendum erat, nec eo perfugio uti licebat, niſi nulla ex illis Periodis mundanis cum Cyclis Romanis, annoque Juliano congruere poſſet. Ad hæc, Periodorum multiplicatio memoriæ animoque oneroſa; & , ut vulgò dicitur, fruſtra fit per plura quod poteſt fieri per pauciora; præſertim ſi cum majori commodo ac utilitate illud haberi poſſit. Quemadmodum itaque in *Diſſertatione Hypatica* ex Conſulatu Imperatorum initio Imperii geſto, quibus poſtea annis eundem magiſtratum de more rurſus inirent, detexi; ita ex iis quæ à Dionyſio laudabiliter acta, quid adhuc agendum reſtaret, clarè intellexi: tandemque tribus Græcorum Periodis mundanis exactè accuratéque diſcuſſis, quod animo intendebam, Deo votis meis obſecundante, perfeci, & Periodum Græco-Romanam efformavi.

LIX. *Inſtituitur Periodus Græco-Romana.*

Periodus enim Antiochena, quæ Incarnationem in annum Julianum XLV, cum quo Natale Dionyſianum illigatur, annumque mundi 5493. confert, ſi per XV dividatur, reddit Indictionem Romanam, quæ in curſu eſt. Quare ſi Juliana ac Romana effici poſſit, aliâ non indigemus. Illam autem facilè Romanam efficies, ſi annum non à Septembri, ut Orientales, ſed à Kalendis Januariis cum Latinis auſpiceris: ac præterea ſi è Cyclo Lunæ quem reddit, unitatem ſemper abjicias; Cyclo verò Solis ex perpetua regula quatuor unitates addas. Annus enim Julianus XLV, quo Eccleſia Romana Dionyſium ſecuta Chriſtum natum ſupponit, Cyclo Solis IX, Lunæ I, Indictione III munitur. Annus mundi Antiochenus 5493. qui cum anno illo Juliano concurrit, cuique Antiocheni annum primum Incarnationis copulant, Indictionem quidem III relinquit, ſi per quindecim partiatur; at ſi per XIX dividatur, reddet Cyclum Lunæ II, & ſi per XXVIII, Cyclum Solis V. Quamobrem, ſi, ut mox dixi, è Cyclo Lunæ unitatem removeas, & Cyclo Solis quatuor unitates addas, annumque 5493. & quemcumque alium à Kalendis Januariis exordiaris, habebis *Periodum Græco-Romanam*, quæ munia illa omnia præſtabit, quæ de Periodo Juliana Scaligeri loquentes memoravimus, quæque Græca ſimul & Romana erit: Græca, quando anni initium à Kalendis Septembris repetes, & Cyclos, quos exhibet, uſurpabis: Romana verò ac Juliana, quotieſcumque annum à Januario auſpicaberis, ejuſque Cyclos ad Latinorum uſum accommodabis, retenta ſcilicet Indictione, quam reddit; ſed è Cyclo Lunæ unitate abdicata; Cyclo verò Solis quinque unitatibus adjectis. Quæ, cùm diverſis temporibus fieri debeant, nihilque facilius ſit, quàm unitatem rejicere, & aliquot numeros addere, ex hoc diverſo reſpectu, non ſolùm nulla moleſtia naſcetur, nullaque temporis jactura interveniet; ſed etiam Chronologiæ incredibilis facilitas conciliabitur.

LX. *Periodus Græco-Romana omnes Eras mundanas Orientalium exhibet.*

Sicut itaque in Periodo Juliana Scaligeri annus ſemper à Kalendis Januariis initium ſumit, ſic & in Periodo Græco-Romana. Et ſicut in illa annus 4713. in quem Dionyſianum Chriſti Natale conjicitur; ſic & in iſta annus 5493. in quem idem Natale incidit, velut limes & cardo eſt univerſæ Chronologiæ: ideoque quemadmodum ex Periodo Juliana ſemper demendus numerus 4713. ad annum Chriſti Dionyſianum in illa reperiendum; ſic & ex Periodo Græco-Romana numerus 5493. ad eundem finem aſſequendum ſemper repudiandus. Vis ſcire v. g. cum quo Chriſti anno, ejuſdem Periodi annus 5830. quo Conſtantinus Magnus obiiſſe dicitur, concurrat; abjice 5493. & reliquus erit annus CCCXXXVII, quo ideo ea mors contigit. Et, quod in Periodo Juliana, quæ merè artificioſa, non accidit, ſtatim tibi magna lux oboritur, eo nempe Chriſti anno Kalendis Septembribus inchoari annum Eræ mundanæ Alexandrinæ ac Antiochenæ, (quæ poſt Diocletianum una & eadem eſt) 5830. annumque mundi Conſtantinopolitanum 5846. additis nempe annis ſedecim ad illum annum 5830. Periodi Antiochenæ. Quòd ſi jam ſcias, Conſtantinum menſe Maio è vivis exceſſiſſe, intelliges mortem ejus incidiſſe in annum Periodi Alexandrinæ 5829. Con-

ſtantinopolitanæ verò 5845. utrumque ſcilicet in finem vergentem. Nunc exemplum affero rei ante Diocletiani initium geſtæ, quando ſcilicet Periodus Alexandrina & Periodus Antiochena inter ſe diſcrepabant. Tiberius Auguſtus anno Chriſti XXXVII menſe Martio fato functus eſt; ideoque anno Periodi Græco-Romanæ 5530. Vis ſcire quo anno Periodi Antiochenæ mors illa acciderit, cùm Antiocheni eum mundi annum 5530. à Septembri incipiant, & Tiberius mortuus fuerit menſe Martio; mortalitatem explevit Tiberius anno mundi Antiocheno 5529. anno verò mundi Alexandrino 5539. annoque Conſtantinopolitano 5545. Sic ſi ſcire velis quis annus mundanus Alexandrinus anno Periodi Græco-Romanæ 5530. inchoatus fuerit, adde decem, & habebis annum Alexandrinum 5540 Si Conſtantinopolitanum eodem anno Periodi Græco-Romanæ inchoatum quæras, adde ſedecim, & habebis annum 5546. Quòd ſi verearis, ne in illa annorum connexione erraveris, Indictio omnem tibi dubitationem eximet. Nam annus ille Periodi Græco-Romanæ 5530. reddit Indictionem decimam; annus verò Conſtantinopolitanus 5546. Indictionem undecimam: ideoque res tibi ex ſententia ſucceſſit, cùm annus mundanus Eræ Conſtantinopolitanæ Indictionem apud Orientales currentem reddat, quam nec annus mundi Antiochenus, nec annus Periodi Græco-Romanæ exhibent, niſi unitatem adjicias. Denique annus mundi Alexandrinus 5540. offert Indictionem quintam. Quare, cùm ex Era Alexandrina Indictiones decem abjiciendæ ſint, ut Romanam exhibere poſſit, annus ille Alexandrinus rectè conjungitur cum anno Conſtantinopolitano 5546. Antiocheno 5530. annoque Periodi Græco-Romanæ 5530. cùm, ſi ex illo quinque illas Indictiones quas reddit, & quinque alias circuli præcedentis repudies, reſtet Indictio decima, quæ eo anno cum præfatis Eris mundanis & Periodo Græco-Romana congruit. Nihil certè hac methodo ex Indictione deducta certius expeditiuſque, tam ad Græcorum annos inter ſe & cum noſtris Dionyſianis conjungendos, quàm ad certam illorum annorum ineundam rationem, & Auctorum Græcorum errores, in quos non rarò labuntur, agnoſcendos.

LXI. *Periodus Græco-Romana utilitate Julianæ præſtat.*

Ex his facilè intelligere potes, quantum Periodus Græco-Romana Julianæ Scaligeri præſtet. Primo enim Scaliger lib. 5. de Emendat. Temp. pag. 360. de ſua Periodo loquens ait: *Inutilis erit hæc Periodus, & Græcis, qui initium anni à Kal. Septemb. & Antiochenis, qui à Kal. Octob. inſtituunt.* Utriſque certè inutilis non propter anni initium; cùm illud non obſtet, quin Era Diocletianea v. g. aliæque locum in Periodo Juliana inveniant; ſed quia nec annus 5509. nec annus 5493. ad annum Periodi Julianæ 4713. reduci poſſunt, cùm continens majus eſſe debeat contento; nec additio vel detractio in numeris adeo diſſitis locum habere poſſit. Verùm noſtra Periodus tres mundanas Orientalium non ſolùm complectitur, ſed & extemplo exhibet; cùm ipſamet nihil aliud ſit, quàm Periodus Antiochena diverſo tantùm reſpectu conſiderata, &, ſi decem unitates ante Diocletianum addas, fiat Alexandrina, poſt Diocletianum ab ea non differat, & denique Conſtantinopolitana reddatur, ſi annos ſedecim addas, ut evidentiſſimè oſtendit Tabula annorum Græcorum inter ſe & cum Dionyſianis connexorum, quam mox in medium attuli. Sed non tantùm Eras mundanas Orientalium Periodus noſtra repræſentat: verùm etiam eorum Cyclos tam Solares quàm Lunares, ſi tot Cyclos, quot annos adjicias. v. g. annus Periodi Græco-Romanæ 5493. ſi tanquam Antiochenus conſideretur, reddit Cyclum Lunæ 13, Solis V, eique reſpondet annus Eræ Conſtantinopolitanæ 5509. uterque enim anno Juliano XLV auſpicatur. Quare, ſi ſcire velis, quibus Cyclis annus ille Conſtantinopolitanus muniatur, tibi conſtabit eum præditum eſſe Cyclo Lunæ XVIII, Solis XXI, poſtquam ſcilicet annos ſedecim adjeceris. Sic eodem anno Juliano XLV incipit annus Alexandrinus 5503. qui ideo reſpondet anno Antiocheno 5493. qui cùm reddat Cyclum Lunæ 11, Solis V poſt decem annorum additionem, exploratum tibi erit, annum illum Alexandrinum reddere Cyclum Solis XV, Lunæ XII. Hic autem obiter notabis, vulgarem opinionem, quæ cum Scaligero docet, annum Antiochenum *à Kalendis Octobris* inchoari, veram non eſſe, ſed ejus initium fuiſſe Kalendas Septembris, ut mox demonſtrabo.

LXII. *Periodus Græco-Romana omnes mundanas complectitur.*

Secundò, Periodus Scaligero-Juliana Periodos magno cum Lectorum tædio, temporiſque jactura multiplicat; noſtra verò non ſolùm imminuit, ſed etiam omnes ad unam reducit, ut jam dictum eſt de tribus mundanis Græcorum, & liquet de Periodo Juliana, quæ in Græco-Romana incipit anno DCCLXXXI. Et,

quod non parvi ducendum, Periodus Juliana ad hoc unum tantùm impoſterum inſerviet, ut Auctores qui eâ uſi ſunt, intelligamus; quod etiam ſine illius cognitione præſtari poterit, ſi annis Periodi Julianæ ex perpetua methodo adjicias annos DCC LXXX, quibus Periodus Græco-Romana eandem ſuperat. v. g. lego in aliquo Chronologo Natale Dionyſianum incidere in annum Periodi Julianæ 4713. ſi addo annos DCC LXXX, habeo annum Periodi Græco-Romanæ, qui ei reſpondet, 5493. & ſic de ceteris omnibus. Proponit quidem Petavius lib. 7. de Doct. Temp. cap. 9. Tabulas duas, *primam* Cyclorum in Periodo Juliana, cujus ope Cycli tam Solis quàm Lunæ cujuſcumque anni Periodi Julianæ detegi poſſunt; *alteramque* trium Cyclorum, Solis nempe, Lunæ, & Indictionis; cujus beneficio è datis Cyclis annus eruitur. Sed præterquam quòd labor qui in hujuſmodi impenditur, caſſus & inanis, facilè ſimiles Tabulæ confici poſſunt ex Periodo mundana Antiochena, cujus Cyclos Solis & Lunæ, ubi repereris, ſtatim ad Romanos revocare poteris. Poſita itaque hac noſtra methodo, vel ipſi tirones tres Periodos mundanas Græcorum, Doctis etiam hactenus adeo moleſtas, nullo negotio intelligere & memoriæ mandare valebunt; eo magis quò identidem in uſum vocandæ erunt.

LXIII. *Periodus Græco-Romana eſt hiſtorica, ideoque Julianâ utilior.*

Tertiò, quilibet Periodi Julianæ annus reddit quidem Cyclos Solis, Lunæ, & Indictionis; ſed cùm ea merè artificialis ſit, prorſuſque conficta, nihil ea nos edocet præter Cyclos illos; eſtque tantùm ſedes ac fulcrum annorum & ceterarum Erarum. Sed Periodus Græco-Romana, cùm aliud non ſit quàm Era mundana Antiochenorum, non tantùm eſt Periodus artificioſa & ad Cyclorum methodum inſtituta; ſed etiam Periodus hiſtorica; indeque fit, ut nunquam aliquid Periodo Græco-Romanæ conſignemus, quin annum aliquem mundanum Antiochenum in animum altè dimittamus, & quæ eo currente geſta, ſeſe eidem illico objiciant.

LXIV. *Periodus Græco-Romana in minori numero Eram Chriſtianā exhibet.*

Quartò, quilibet Periodi Græco-Romanæ annus poſt Chriſtum natum, ſemper annum Eræ Dionyſianæ currentem in minori numero repræſentat, dummodo annos ſeptem adjicias. Legis v. g. Conſtantinum Magnum obiiſſe anno Periodi Græco-Romanæ 5830. dubitare non debes, quin annus Dionyſianus, quo mors illa contigiſſe dicitur, in minori numero XXXVII habeat. Quare ſi jam ſcias, quo Chriſti ſeculo Conſtantinus vixerit, Periodus Græco-Romana in certam notitiam anni ejus emortualis te perducit. Quod commodum a Periodo Juliana minimè expectandum; cùm annus ejuſdem Periodi, quo ea mors collocatur, annus nempe 5050. in ultimis numeris ab anno Chriſti CCC XXXVII nimis diſtet. Nullus, opinor, negaverit, quin plurimum interſit, ut difficultates chronologicæ, quantum fieri poteſt, molliantur.

LXV. *Methodus ad annos Chriſti ex annis mundanis Orientaliū eruendos.*

Hæc methodus, ut id obiter notem, etiam adhibenda, dum Scriptores Byzantinos legis, qui Erâ mundanâ aut Alexandrinâ, aut Conſtantinopolitanâ utuntur. Eræ namque Alexandrinæ poſt Diocletianum ſeptem annos addendo, pervenis ad annum Dionyſianum, quo mundanus ille annus menſe Septembri inchoatur. v. g. aliquis Auctor, qui Eram Alexandrinam uſurpat, ſcribit, Conſtantinum anno mundi 5829. vitâ functum eſſe; adde ſeptem numeros, & habebis 5836. Quare annus ille mundanus 5829. inchoatur menſe Septembri anni alicujus Dionyſiani, qui terminatur per XXXVI: indeque, ſi ſcias, in quo Chriſti ſeculo verſeris, intelliges, Auctorem illum teſtari, Conſtantinum mortuum eſſe anno Chriſti CCC XXXVI poſt Kalendas Septembris, aut anno CCC XXXVII ante menſem Septembrem. Nam in omnibus annis, qui à Kalendis Januariis exordiuntur, error unius anni committi poteſt, quando cum Dionyſianis conjunguntur, ſi dies aut menſis, quibus res contigerit, ignorantur. Neque ad eum errorem vitandum aliqua regula tradi poteſt. Verùm, cùm dies emortualis Conſtantini ab Antiquis notatus fuerit, nempe viceſimus ſecundus menſis Maii, diſces, eum non eo anno Chriſti mortuum, quo annus ille mundanus cœpit, ſed anno inſequenti, ſcilicet CCC XXXVII. Quòd ſi Auctor, qui Erâ Conſtantinopolitanâ utitur, obitum Conſtantini collocet anno mundi 5845. detrahendi numeri ſedecim, ut invenias annum Periodi Græco-Romanæ, ſcilicet 5829. in quo is annus Conſtantinopolitanus inchoatur. Et ſi ex eo anno Conſtantinopolitano annos novem tollas, habebis in minori ejus numero minorem numerum anni Dionyſiani, in quo ille incipit, annum ſcilicet Chriſti CCC XXXVI: ideoque, ſi ſcias, quo Chriſti ſeculo Conſtantinus obierit, annus ille Conſtantinopolitanus annum Chriſti dabit, quo ea mors accidit, uti mox de anno mundano Alexandrino loquens explicavi. Eadem methodus adhibenda, ſi vis ſcire quibus numeris deſinat annus Conſtantinopolitanus, qui

qui in eo Chriſti annus exorditur, anno Chriſti novem numeros adde, & illum aſſequeris, ut ex prædicto exemplo patet.

LXVI. *Detractio & additio Cyclorum minimè incommoda.*

Nec eſt quòd quis dicat, moleſtum videri in Periodo Græco-Romana, quòd è Cyclis Lunæ unitas abjicienda, Cyclo verò Solis quatuor numeri addendi ſint. Nam nunquid in Cyclis Solis, Lunæ & Indictionis ex annis Chriſti eruendis addendi ſemper novem numeri Cyclo Solis, unus Cyclo Lunæ, & tres Indictioni? Nunquid ex Era Hiſpanica demendi ſemper anni XXXVIII, ut annum Chriſti habere poſſis? Nunquid Alexandrini unitatem ſemper addunt Indictioni, ut eam quæ apud Orientales in curſu eſt, obtineant? Præterea Græci annum & Indictionem à Septembri incipiunt; ſed Cyclos Lunæ & Solis nonniſi à Martio ſequenti: quo fit ut per ſex priores menſes, à Septembri ſcilicet ad Martium, utrumque Cyclum Solis & Lunæ unitate mutilent. Annus Antiochenus v. g. 5493. qui reddit Indictionem III, Cyclum Solis V, Lunæ II, inchoatur quidem ab illis menſe Septembri anni Juliani XLV, ſicuti & Indictio, quam tamen, uti dixi, unitate augent; ſed Cycli Lunæ I & Solis IV, qui jam à menſe Martio anni mundi præcedentis 5492. inchoati fuerant, continuantur uſque ad Martium ſequentem, quo incipiuntur Cycli Lunæ II & Solis V. Si igitur Græcis grave non eſt, Cyclum unum è Cyclo Solis & Lunæ per menſes ſex abjicere, & Indictioni unitatem addere, quid mirum ſi in Periodo Græco-Romana idem factitandum ſit; cùm methodum Cyclicam & Periodicam à Græcis didicerimus, præſertim cùm ſimiles detractiones, ſimiléſve additiones extemplo & ſine labore ullo fiant? Certè mihi quotidie mirabilior hæc Periodus videtur. Eſt enim Panhellica & Romana, nova & antiqua, una & multiplex, artificialis & hiſtorica: ſine cujus præſidio non ſolùm difficiles, ſed & erroribus quandoque obnoxii tres Græcorum computi; contrà verò ejus ope non ſolùm tutiſſima ac facillima initur via, ſed etiam univerſæ temporum doctrinæ lumen & incrementum affertur.

LXVII. *Manualis methodus ad Cyclos ex quibuſlibet Eris eruendos.*

Quia verò in Eris mundanis Græcorum aliiſque, identidem Cycli Solis, Lunæ, & Indictionis conſulendi, offero heic methodum manualem, cujus operâ ex illis quavis data occaſione erui poterunt. Cùm ad inveniendam Indictionem abdicandi ſint Circuli omnes XV annorum, obſervabis ex quolibet numero centenario nonniſi decem Indictiones reſiduas eſſe, ideoque & totidem ex quolibet millenario: ex Cyclis Lunæ in quolibet centenario reſtare tantùm quinque, ideoque ex quolibet millenario tantùm duodecim: & demum ex Cyclo Solis in quolibet centenario ſupereſſe XVI, & in quolibet millenario viginti. Quare ad tres illos Cyclos in omnibus Eris inveniendos Arithmeticâ opus non erit.

LXVIII. *Era LXX Interpretũ.*

Nunc Eræ præcipuæ ad Periodum Græco-Romanam reducendæ, & ubi opus fuerit, magis explicandæ. Celebris eſt Era mundana *Septuaginta Interpretum*, ut vocant, quæ à tempore Divi Hieronymi in Occidente quandoque uſurpata fuit. Cùm in ea Era mundana annus primus Chriſti inchoëtur anno 5199. annoque Juliano XLIII, manifeſtum eſt, primum hujus Eræ annum anno Periodi Græco-Romanæ CCXCII collocandum eſſe; quod & Indictio oſtendit: cùm enim annus LXX Interpretum 5199. qui anno Periodi Græco-Romanæ 5491. inchoatur, reddat Indictionem IX, & annus 5491. Indictionem I, apparet, Indictioni anni LXX Interpretum addendas eſſe ſex unitates, ut conveniat cum anno Periodi Græco-Romanæ, in quo exorditur; ideoque & Eram illam incipiendam anno ejuſdem Periodi CCXLII, quæ exhibet Indictionem VII, quando annus primus illius Eræ nonniſi Indictionem I reddere poteſt. Incarnationem autem Chriſti concurrere cum anno Eræ LXX Interpretum 5199. docet Martyrologium Romanum ad diem XXV Decembris. Cùm porro annus hic initium ſumat anno Periodi Græco-Romanæ 5491. annus 5200. cum anno 5492. annus 5201. cum anno 5493. annuſque 5202. cum anno 5494. quo Eram Chriſtianam auſpicamur, concurrat, liquet, ex annis Eræ LXX Interpretum ſemper abjiciendam unitatem, ut ea in minori numero minorem anni Dionyſiani numerum repræſentare poſſit. Sic *Bucherius* Victorii Paſchalem Cyclum explicans annum mundi ſecundùm LXX Interpretes 5229. conjungit cum anno Dionyſiano XXVIII, annumque Chriſti CCC LXXXIX cum anno mundi 5590. *Uſſerius* in Annalibus ſuis Hiberniæ pag. 970. quòd in libris de Mirabilibus Sacræ Scripturæ dicatur, *Manchenum* celebrem Abbatem anno mundi 5852. obdormiiſſe in Domino, deducit, eam mortem contigiſſe anno Dionyſiano DCLII, & annum 5200. Septuaginta Interpretum concurrere cum Natali Dionyſiano: qua in re eum falli exiſtimo, niſi Latini qui eâ Erâ mundanâ uſi ſunt,

annum à Kalendis Septembribus inchoarint; quod hactenus detegere non potui. Si tamen in ea Era annus ab autumno inceperit, & *Mancienus* poſt Kalendas Septembris anni Chriſti DC LII obierit, non penitus erravit Uſſerius. Nihilominus donec major lux affulgeat, Bucherium ſequi malo.

LXIX. *Epocha ab ortu Abrahæ.* Epocha *ab ortu Abrahæ*, quam Euſebius, Hieronymus, & Idacius in Chronicis adhibent, auſpicatur anno Periodi Græco-Romanæ 3477. Cyclo Solis IX DC. Lunæ XVIII, Indictione XII, & quidem prima die Septembris, à qua Antiochenorum tempora proficiſcuntur. Euſebius enim ejus inventor Cæſareæ in Palæſtina Epiſcopus erat, & Abrahamum eo Periodi noſtræ anno natum credidit. Is in ſuo Chronico de Chriſti Nativitate locuturus, ait: *Colliguntur omnes anni ab Abraham uſque ad Nativitatem Chriſti, anni 2015.* Si itaque annus hujus Eræ 2015. inchoatur anno Periodi Græco-Romanæ *5491. annoque Juliano XLIII, (quo certum eſt Euſebium primum Incarnationis annum incepiſſe) hujus Eræ Abrahamiticæ initium cum anno ejuſdem Periodi 3477. omnino conjungendum; cúmque is annus Cyclo Lunæ XVIII, & primus annus Abrahamiticus Cyclo Lunæ I notetur, ſi ex illo duos Lunæ Cyclos abjicias, habebis Cyclos Romanos annumque Periodi Græco-Romanæ, cum quo quilibet Eræ Abrahamiticæ annus copulari debet. Euſebium autem Incarnationis principium ab anno Juliano XLIII repetere, liquet etiam ex ejus Hiſtoria lib. 7. cap. ult. ubi antequam de perſecutione Diocletianea menſe Martio anni Dionyſiani CCC III ex ejus ſententia cœpta, ſermonem habeat, hæc ſcribit: *Verùm, Epiſcoporum ſucceſſionis Hiſtoriam, quæ à noſtri Servatoris ortu uſque ad Eccleſiarum ſubverſionem quinque ac trecentos annos complectitur, hîc terminantes: deinceps quæ & quanta fuerint certamina eorum, qui ætate noſtra pro Religione fortiter depugnarunt, ad poſterorum memoriam literis mandare aggrediamur.* Quibus ex verbis conſtat, eum annos Incarnationis biennio ante Eram Dionyſianam inchoare: annum Incarnationis ſecundùm Alexandrinos CCC VI incipiendum fuiſſe menſe Septembri ejuſdem anni Dionyſiani CCC III; omnes Alexandrinos Erâ Incarnationis ad primum Diocletiani annum mutilatâ uſos non fuiſſe; alioquin Euſebius annos tantùm Incarnationis CC XCV numerare debuiſſet: ac denique accuratè Pontacum in editione Chronici Euſebiani annum primum Incarnationis cum anno Abrahamitico 2015. connexuiſſe; ideoque & Scaligerum in ejuſdem Operis editione Incarnationis initium malè in ſequentem annum Abrahamiticum diſtuliſſe. Euſebius itaque, qui Auctor extitit Eræ mundanæ ſecundum LXX Interpretes, antiquam Incarnationis Eram, à quibuſdam poſtea aliis Scriptoribus uſurpatam, retinuit.

Faciliima methodo ad annos Eræ Chriſtianæ ex Eræ Abrahamiticæ annis eruendos utor, quâ Lectorem non fraudabo. In Era Dionyſiana primus Chriſti annus inchoatur Kalendis Januariis anni Juliani XLVI, eodemque Chriſti anno menſe Septembri annus Abrahami 2018. Incarnationis verò ſecundùm Alexandrinos annus quartus initium ſumunt. Quare, ſi ex Era Abrahami tollas numeros millenarios, ac præterea numeros XVII, qui reliquus erit numerus, exhibebit annum Eræ Dionyſianæ, quo annus Abrahami, de quo agitur, auſpicatur. Sic in Chronico Euſebii juxta editionem Pontacenam interitus Galli & Voluſiani Imperatorum refertur ad annum Abrahami 2270. Si tollas duo millenaria, ac præterea annos XVII, reſtabunt CC LIII, quo ideo is annus Abrahamiticus 2270. menſe Septembri cœpit. Unde juxta Euſebium uterque Imperator anno Dionyſiano CC LIII, quem reſiduus ille numerus repræſentat, occiſus eſt, aut ſaltem inſequenti Chriſti anno CC LIV, quo adhuc annus ille Abrahamiticus uſque ad Kalendas Septembris in curſu erat. Qua quidem in re, uti alibi millies, Euſebius peccat; cùm cædes illa aliquot menſibus ante Septembrem anni Dionyſiani CC LIII perpetrata fuerit. Quia verò anni Abrahami duobus Cyclis Lunaribus Cyclos Dionyſianos ſuperant, ſi eoſdem ex illis Abrahami annis demas, te in ea connexione non erraſſe comperies. Annus enim Abrahami 2270. reddit Cyclum Lunæ IX, annuſque Dionyſianus CC LIII Cyclum Lunæ VII. Hæc methodus certa & facilis ad Euſebianorum, Hieronymianorum, & Idacianorum annorum ineundam rationem, & non tantùm ad agnoſcendos errores Euſebii, Hieronymi, & Idacii; ſed & eorum omnium, qui eoſdem perperam citant.

LXX. *Methodus ad annos Abrahamiticos cum Dionyſianis copulandos.*

Epocha à *Troja capta*, quæ cardo eſt veteris Hiſtoriæ, à Poëtis præſertim decantatæ, diverſimodè ab Auctoribus inchoatur. In Marmoribus Arundelianis Trojæ excidium eo anno collocatur, qui eſt Periodi Græco-Romanæ 4285. ita ut à capta Troja ad primam Olympiadem, non anni CCCC VIII, ut Eu- LXXI. *Epocha à Troja capta.*

ſebius & Erathoſtenes numerarunt, ſed cccc xxxiii fluxerint. Quam opinionem ſe certis argumentis comprobaturum pollicetur Paulus *Pezron*, Vir in Chronologia exercitatiſſimus, cap. 9. Operis Gallici, cui titulus, *Antiquitas temporum reſtituta & defenſa*. Communior tamen opinio, cui adhæreo, Trojæ expugnationem confert in eum annum, qui eſt Periodi Græco-Romanæ 4310. Diodorus enim Siculus annum primum Olympiadis xciv putat ab excidio Trojæ ſeptingenteſimum octogeſimum. Primus Olympiadis illius annus convenit in annum Periodi Græco-Romanæ 5090. de quo deductis dcc lxxx, reliqui fiunt anni 4310. Ad hæc, Euſebius lib. 10. de Præparatione ait, Græcos à capta Troja ad primam Olympiadem numerare annos cccc viii, quot ab eodem anno Periodi Græco-Romanæ 4310. lapſi ſunt ad annum 4718. quo prima Olympias vulgaris celebrata eſt. Denique hanc ſententiam docuit Erathoſtenes in Commentario, quem *Canones* inſcripſit, eamque explicavit Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. 1. Orig. ut videre eſt apud Petavium in ſecunda parte Rationarii temporum lib. 2. cap. 10. ubi ex Dionyſio obſervat, cladem illam accidiſſe die xxiii *Thargelionis*, (menſis Lunaris ab Atticis uſurpati) qui incidit in diem Junii noſtri duodecimum, feriamque quintam. Troja itaque expugnata anno 1184. ante Eram Chriſtianam.

LXXII. *Egregius Evagrii locus, ſed in quibuſdam numeris corruptus.* Mentio eſt hujus epochæ apud Evagrium lib. 3. cap. 29. ubi ſermo de initio Imperii Anaſtaſii, qui die xi menſis Aprilis anni Dionyſiani cccc xci coronatus eſt. Locus ille egregius, licèt in quibuſdam numeris depravatus. Ἱστορεῖ δ' οὖν ὁ Εὐστάθιος, ὡς ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τῆς Διοκλητιανοῦ βασιλείας εἰς τὴν Ζήνωνος τελευτὴν καὶ τὴν ἀνάρρησιν Ἀναστασίου, ἔτη διῆλθεν ἑπτὰ καὶ διακόσια. ἀπὸ δὲ τῆς Αὐγούστου μοναρχίας, ἔτη δύο καὶ λʹ. καὶ πεντακόσια πρὸς μησὶν ἑπτά. ἀπὸ δὲ τῆς Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος ἀρχῆς, ἔτη δύο καὶ τριάκοντα καὶ ὀκτακόσια, ὁμοίως πρὸς μησὶν ἑπτά. ἐκ δὲ τῆς τῶν Ῥωμαίων καὶ Ῥωμύλου βασιλείας, ἔτη δύο καὶ πεντήκοντα καὶ χίλια καὶ πρός γε μησὶν ἑπτά. ἀπὸ δὲ ἁλώσεως Τροίας, ἔτη ἓξ καὶ ὀγδοήκοντα, καὶ ἑξακόσια καὶ χίλια πρὸς μησὶν ἑπτά. Id eſt: *Porro Euſtathius ſcribit, ab exordio Imperii Diocletiani ad Zenonis obitum & nuncupationem Anaſtaſii, annos fluxiſſe ſeptem ſupra ducentos: à principatu autem Auguſti, annos quingentos triginta duos, ac præterea menſes ſeptem: ab Alexandri autem Macedonis regno octingentos & triginta duos ſimiliter cum menſibus ſeptem: à Romanorum & Romuli regno, mille & quinquaginta duos, ac præterea menſes ſeptem: à Trojæ denique expugnatione annos mille ſexcentos octoginta ſex, cum menſibus ſeptem.* Evagrius lib. 5. cap. 24. dicit, Priſcum Rhetorem ſcripſiſſe geſta poſt Imperium Arcadii & Honorii, additque: *Quæ omnia Euſtathio Epiphanienſi ſcitè admodum in compendium redacta ſunt in duobus voluminibus: quorum prius uſque ad expugnationem Ilii: alterum uſque ad annum duodecimum Imperii Anaſtaſii, res geſtas complectitur.* Scribebat itaque is Auctor anno Chriſti dii, quem exiſtimandum de anno Trojæ captæ rectè edoctum fuiſſe. Sed vereor ne numeri corrupti ſint, dum hujus excidii annos putat. Si tamen in eos error non irrepſit, clades Trojana contigit anno Periodi Græco-Rom. 4297. ex Euſtathii ſententia, annos ſc. tredecim ante communem opinionem. Valeſius in Notis ad Evagrium, hunc locum intactum reliquit, licèt aliqua non vulgaria ex illo deduci poſſint. Liquet enim primò, Euſtathium omnes annos à menſe Septembri cum anno populari inchoaſſe: à Septembri enim anni Chriſti ccccxc ad xi Aprilis anni Chriſti inſequentis, quo Anaſtaſius inauguratus eſt, menſes ſeptem numerantur, quos *quater* Euſtathius expreſſit. Liquet ſecundò, hallucinatum eſſe Scaligerum, quando arbitratus eſt, epocham Diocletianeam cœpiſſe quidem anno Chriſti cc lxxxiv die xxix menſis Auguſti, ſed Diocletianum anno tantùm Chriſti cc lxxxvii Regnum ſuſcepiſſe; cùm in laudato loco Euſtathius hujus Imperatoris initium ab anno cc lxxxiv repetat. Tertiò, hunc Hiſtoricum, cujus Opus periit, exordiri regnum Auguſti ab anno tertio Juliano, qui eſt Periodi Græco-Romanæ 5451. ab ejus nempe Conſulatu ſuffecto Q. Pedio Collega geſto, dieque xix menſis Auguſti inito. Quartò, numeros, quibus utitur in Macedonico Alexandri regno deſignando, corruptos eſſe, alioquin anno Periodi Græco-Romanæ 6150. Philippo patri ſucceſſiſſet; cùm tamen is nonniſi anno ejuſdem Periodi 5158. obierit. Quintò, annos Urbis conditæ etiam depravatos eſſe, legendumque, 1242. loco, 1052. ita ut locus ita ſit reſtituendus: ἔτη δύο καὶ τεσσαράκοντα καὶ διακόσια καὶ χίλια.

LXXIII. *Olympias vulgaris.* Celebrior certiorque Era Olympiadum, de qua Syncellus pag. 196. ſuæ Chronographiæ: *Non omnium apud omnes Olympiadum eſſe rationem, nec Eccleſiaſticis Hiſtoriis concordem, in iis ſententiam eſſe,*

eorum evolventibus Scripta haud difficulter conſtabit. Nobis verò illud ſolummodo conſilium fuit, ut Olympiadum inſitis brevem & dilucidam eorum proferremus expoſitionem; non quod Olympiadum ſermo à Scripturis divinis tractetur; ſed quod nonnulla ſit earum apud ſanctos Patres mentio, & à Macedonibus, Romanis, Perſis, Ægyptiis & ipſis quoque Judæis memorentur, è quorum grege Philo & Joſephus non obſcurum iiſdem teſtimonium ferunt. Rectè Syncellus ſcribit, non omnium apud omnes Olympiadum eſſe rationem. Nam tria earum initia obſervavi. Prima Olympias vulgaris, quæ *Iphitea* communiter dicitur, cœpit anno Periodi Græco-Romanæ 4718. Cyclo Solis XVIII F. Lunæ V, Indict. VIII: qua de re cùm inter omnes conveniat, heic fusè agendum non videtur. Obſervandum tantùm, legitimum tempus Ludorum Olympicorum fuiſſe æſtivum, ſub ipſum Solſtitium; quamvis aliquando, licèt rariùs, præter ordinem moremque celebrati fuerint: ac præterea in Olympiadibus temporis illud intervallum deſinere, quod à Varrone in libello Cenſorini de Die Natali *Mithycum* appellatur, incipique quod dicitur *Hiſtoricum*; quia res in eo geſtæ veris Hiſtoriis continentur.

LXXIV. *Olympias Euſebiana.* Olympias *Euſebiana*, quâ ſcilicet non ſolùm Euſebius in Chronico, ſed etiam Divus Hieronymus in ejus Continuatione utuntur, inchoatur anno Periodi Græco-Romanæ 4717. Cyclo Solis XVII A G. Lunæ IV, Indict. VII, & quidem à Kalendis Septembris cum anno populari, cum quo annum Incarnationis aliarumque epocharum Euſebius auſpicatur. Petavius in ſecunda parte Rationarii temporum lib. I. cap. 10. oſtendit ex Chronico Euſebiano, ab autumno antecedente Olympiades vulgares Euſebium Olympiades exordiri; quod de Divo Hieronymo in fine ſui Chronici, quod perduxit uſque ad mortem Valentis Imp. ad annum ſcilicet Chriſti CCCLXXVIII, etiam dicendum. Scribit enim, uſque ad eum annum fluxiſſe annos Olympiadicos 1155. cùm tamen ſint tantùm Olympiadici communes 1154. à paucis menſibus inchoati, ut numeranti patebit. Quare non erat, cur Petavius ſuam de Olympiadibus Euſebianis ſententiam hæſitanter proponeret; cùm ea certa & indubitata ſit.

LXXV. *Aliqui annos Olympiadicos cum anno populari inchoarunt.* Ad hoc Olympiadum genus revocandum videtur illud, quo utitur Socrates lib. I. cap. 2. ubi annum Olympiadicum eodem quidem anno Juliano incipit, quo Olympiadum vulgarium ſectatores; ſed cum hoc tamen, diſcrimine, quod hi à Solſtitio eas exordiuntur, Socrates verò & quidam Scriptores Orientales à Septembri vel Octobri cum anno civili & populari. Socrates loco citato de morte Conſtantii Chlori Conſtantini Magni patris ſcribit: *Primo ducenteſimæ ac ſeptuageſimæ primæ Olympiadis anno ante diem octavum Kalend. Auguſti è vivis exceſſerat*, die ſcilicet XXV menſis Julii anni Chriſti CCC VI; licèt idem Socrates inſinuare videatur, eam mortem anno præcedenti, quo annus primus Olympiadis CC LXXI menſe Julio cœptus, accidiſſe. Locus ille doctorum Virorum ingenia valde exercuit. Petavius lib. II. de Doct. Temp. cap. 35. anſam inde ſumſit ſuſpicandi, Conſtantium Chlorum anno Chriſti CCC V mortuum eſſe; quod tamen affirmare prorſus, & adverſus communem Chronicorum omnium & Annalium fidem pugnare non audet. Scaliger lib. 5. de Emendat. Temp. pag. 469. loco illo innixus, luſtra neſcioquæ Juliana commentus eſt, quorum in CC LXXI obiiſſe dicit Conſtantium. Quæ luſtra commentitia eſſe Petavius demonſtravit. Alii crediderе, errorem in numeros irrepſiſſe: quæ tamen conjectura vana; cùm Socrates idem repetat in fine libri ſeptimi, ubi Hiſtoriam ſuam concludens, ait, eam ordiri ab anno primo Olympiadis CC LXXI, quo Conſtantinus Magnus Imperator renuntiatus eſt; & idem locus legatur tam in Nicephoro, quàm in Hiſtoria Tripartita. Calviſius in Iſagoge parte 4. cap. 41. eundem examinavit, concluſitque, Socratem ſibi hac in re non conſtare. Facilis tamen ſolutio eſt. Socrates die XXV Julii anni Chriſti CCC VI Conſtantii Chlori emortuali nondum annum ſecundum Olympiadis CC LXXI inchoarat, cum menſe Septembri cum anno civili auſpicaturus, cum quo aliarum Erarum annos Euſtathium exorſum eſſe num. LXXI obſervavimus.

LXXVI. *Olympiades in Socrate plerumque depravatæ.* Fatendum tamen, Librariorum errore Olympiades plerumque apud Socratem malè deſcriptas eſſe. Imò in fine libri ſeptimi & ultimi ſui Operis hæc habet: *Continet ſeptimus hic Hiſtoriæ liber res geſtas ſpatio annorum duorum ac triginta. Tota verò Hiſtoria ſeptem libris comprehenſa continet ſpatium annorum centum & quadraginta. Exorſa quidem ab anno primo Olympiadis ducenteſimæ ſeptuageſimæ primæ, quâ Conſtantinus Imperator eſt renunciatus: deſinens autem anno ſecundo trecenteſimæ quintæ Olympiadis, quo Imperator Theodoſius ſeptimum decimum*

Conſulatum dedit. Ad quæ verba nihil Valeſius notavit. Et tamen numerus ille annorum centum & quadraginta corruptus; cum Socrates Hiſtoriam ſuam ordiatur anno Chriſti ccc vi, quo Conſtantius mortuus & Conſtantinus ejus filius Auguſtus appellatus, annoque Chriſti cccc xxxix Conſulatu Theodoſii Junioris xvii notato eandem abſolvat. Intervallum itaque eſt annorum c xxxiv. Præterea loco, *trecenteſimæ quintæ Olympiadis*, legendum, *trecenteſimæ quartæ Olympiadis*, quæ anno Chriſti CD xxxvii celebrata eſt.

LXXVII. *Olympias Syncelliana.* Tertius Olympiadum numerandarum modus eſt ille, quem Julius Africanus, Georgius Syncellus, aliique quidam Antiqui uſurpant. Affigunt hi primam Olympiadem anno Periodi Græco-Romanæ 4716. Cyclo Solis xvi B Lunæ iii, Indict. vi; ideoque biennio Olympiades vulgares anticipant. Julius Africanus in Fragmento apud Syncellum pag. 308. ait: *Poſt Alexandriam captam cœpit Olympias CLXXXVIII.* Capta Alexandria à Cæſare Auguſto anno Juliano xvi, qui eſt Periodi Græco-Romanæ 5464. Et tamen vulgaris Olympias c lxxxviii acta iv menſis Auguſti anni Juliani xviii. Præterea Africanus exiſtimans, Chriſtum mortuum eſſe duobus Geminis Coſſ. anno nempe Eræ Chriſtianæ xxix, tradit, Phlegontis eclipſim accidiſſe Olympiade cc ii, anno ii; cùm tamen menſe Martio illius anni Dionyſiani curreret annus quartus Olympiadis vulgaris cc i. Neque ſibi contradicit Africanus, quando in alio Fragmento à Syncello pag. 323. recitato, modò dicit, eclipſim illam accidiſſe anno ii Olympiadis cc ii, modò anno iv Olympiadis cc i. Sed ad majorem explicationem utrumque computandi modum adhibet. Sicut nec ſibi ibidem contrarius eſt, quando addit, modò Chriſtum paſſum eſſe anno xv Tiberii, modò anno xvi ejuſdem Imperatoris; quòd aliqui Orientales, ut diximus, omnes annos cum civili incipiant, ideoque & xvi Tiberii vel autumno anni Chriſti xxviii, vel verno tempore anni Chriſti inſequentis. Denique num. xxxi egregium Africani locum retulimus, in quo is in putandis annis Olympiadicis vulgares Olympiades adhibet.

LXXVIII. *Syncellus in Olympiadibus putandis ſemper ſibi conſtat.* Verùm, Georgius Syncellus nunquam alia numerandi ratione quam iſta utitur; ideoque hæ Olympiades *Syncellianæ* appellandæ, ne cum aliis confundantur. Is primam Olympiadem collocat anno mundi ſecundum Alexandrinos 4726. ex quo decem numeris abjectis, pervenimus ad annum Antiochenum 4716. Non opus eſt id exemplis demonſtrare; cùm, ut dixi, nunquam alio modo Olympiades Syncellus uſurpet. Scriptor anonymus, qui Chronicon edidit ab Orbe condito ad annum xiii Alexandri Imperatoris, & extat tomo 2. Antiq. Lect. Caniſii, ſcribit, anno xiii Alexandri exactas eſſe Olympiadas cc liii, id eſt, annos m xii. *Sunt*, inquit, *omnium Olympiades uſque ad annum XIII Alexandri Cæſaris Olympiades CC LIII, quæ ſunt anni mille duodecim.* M. Antonius Capellus pag. 129 ſui Opuſculi *de Paſſione Dominica*, hunc locum adhibet, ut oſtendat, annum primum Olympiadis c xciv conjungendum eſſe cum anno Juliano xl, non verò, ut vulgò fit, cum anno Juliano xlii. Nam occiſus eſt Alexander, *Severo & Quinctiano Coſſ.* anno nempe Chriſti ccxxxv, anno Imperii xiii abſoluto. Quare, ſi annum primum Olympiadis cc liv ſtatuas in Conſulatu Severi & Quinctiani, primus annus Eræ vulgaris incurret in annum ſecundum Olympiadis c xcv. Hæc Capellus. Ad quam objectionem Petavius non habet quid reſpondeat. Verùm, Olympias quidem vulgaris cc liii abſoluta eſt anno Chriſti cc xxxvii, & Olympias cc liv inchoata; ſed Anonymus iſte non alio modo Olympiades putat quàm Africanus & Syncellus, ideoque Olympiadem cc liii abſolvit anno Chriſti cc xxxv; ſicque accuratè ſcribit, anno xiii Alexandri Imp. evolutas eſſe Olympiades cc liii, annoſque Olympiadicos m xii. Hoc itaque Olympiadum genus à Chronologis prætermiſſum, diligenter impoſterum notandum.

LXXIX. *Epocha Varroniana Urbis conditæ.* Epocha *à Roma condita* in tribus diverſis Periodi Græco-Romanæ annis pariter collocanda. Anni Varroniani, qui magis frequentes, & quibus Romani uſi ſunt in publicis monumentis, proficiſcuntur ab anno Periodi Græco-Romanæ 4741. Cyclo Solis xiii FE Lunæ ix, Indict. i, anno tertio Olympiadis ſextæ, eoque deſinente. Roma enim undecimo Kalendas Maii juxta communem opinionem condita. Petavius lib. 6. de Doct. Temp. cap. 50. de capite annorum ab U. C. locuturus ait: *Romæ conditum in Palilio conferunt Scriptores, qui dies XI Kal. Maias, id eſt, Aprilis XXI, in Juliano Kalendario conſtitutus eſt. Olim verò, & ſub ipſum Natalem Urbis, cui Juliano menſi ac dici*

competeret, inveſtigare difficile eſt. Verùm, quemadmodum Juliana forma tanto poſt Urbem conditam intervallo uſurpari cœpta propter anni commoditatem *σπιγλωπικῶς* *ad anteriora tempora porrigitur; ita & Palilia, ſive Natalis Urbis, fictione quadam in Aprilis XXI die retinetur. Quin etiam poſt eundem Julianum annum receptum, qui à Kalend. Januariis orditur, annorum urbis epocha ab iiſdem Kalendis ferè procedit; niſi aliter Scriptores quoſdam intellexiſſe, certis ex conjecturis poſſit colligi. Ad hæc, varia annorum civilium initia conſideranda ſunt, ut in Olympiadico anno. Nam plerique, ut anni popularis, ita & Romani, Urbiſque conditæ primordium ab autumno deducunt.* Quæ doctè ab eo obſervata.

LXXX. *Anni Capitolini & Frontinianus.* Anni *Capitolini*, ſic dicti quòd Verrius Flaccus in Faſtis Capitolinis eos uſurpet, exordiuntur anno Periodi Græco-Romanæ 4742. Cyclo Solis XIV D. Lunæ X, Indict. II, anno quarto Olympiadis ſextæ, eoque finiente. Tertia Urbis epocha incipit anno Periodi Græco-Romanæ 4743. Cyclo Solis XV C. Lunæ XI, Indictione III, anno primo Olympiadis ſeptimæ, eoque deſinente. *Frontinianam* eam appello, quia eâ utitur Frontinus, qui Imperatoris Nervæ tempore floruit, in egregio libello *de Aquæductibus urbis Romæ.* In Prolegomenis ad *Diſſertationem Hypaticam* num. XV de hac Era locutus ſum, poſtquam in lucem emiſſam Noriſius in *Epiſtola Conſulari* pag. 27. in dubium revocavit, an *Frontinus* diverſam à Varroniana epocham uſurparit; illud tamen extra controverſiam eſſe debet. Docet Frontinus lib. I. Conſulatum Cæſaris Auguſti v. g. M. Lelio Volcatio Collegâ incidere in annum Urbis DCCXIX: qui tamen Conſulatus, ut rectè vidit Onuphrius, concurrit cum anno urbis Varroniano DCCXXI. Inſuper Conſulatum M. Plautii Hypſæi & Fulvii Flacci Frontinus cum anno Urbis DCCXXVII copulat, qui tamen pertinet ad annum urbis Varronianum DCCXXIX, ut legitur eo anno apud Onuphrium. Denique Frontinus annum Urbis DCVIII cum Conſulatu Servii Sulpicii Galbæ & L. Aurelii Cottæ connectit; cùm tamen anno urbis Varroniano DCX uterque Faſtis nomen dederit, ut eſt apud Onuphrium. Quando itaque Frontinus ait: *Caius Cæſar altero Imperii ſui anno, M. Aquilio Juliano, P. Nonio Aſprenate Coſſ. anno Urbis conditæ DCC XC duos ductus inchoavit;* apparet, errorem in numeros irrepſiſſe, legendumque, anno Urbis conditæ DCCIXC. Nam ſecundus Caii Caligulæ annus inchoatur die XVI menſis Martii anni Chriſti triceſimi octavi, quo annus urbis Varronianus ſeptingenteſimus nonageſimus primus à Kalendis Januariis in curſu erat. Scriptores enim Hiſtoriæ Auguſtæ annum Urbis cum Conſulatu de more incipiunt, ut mox dixi. Quod non animadvertit Noriſius, cùm loco citato dicat, duos illos ductus inchoatos inter diem XVI Martii & XXI Aprilis, quo annum urbis Varronianum DCCXCI cœptum fuiſſe exiſtimat. Nam prætérquam quòd Frontinus Erâ Varronianâ nunquam utitur, anni Urbis de more cum Conſulibus inchoati, imò & à Scriptoribus Orientalibus ab autumno cum anno populari aliquando repetiti; ſaltem id de aliarum Erarum annis negari non poteſt. Hanc numerandi rationem à Frontino uſurpatam, qui eum Notis illuſtrarunt, cùm non obſervaſſent, varios annos Urbis in nobili illo Opuſculo corruptos emendare non potuere. Onuphrius lib. I. Faſtorum pag. 18. mentionem facit variorum Antiquorum, qui primo anno ſeptimæ Olympiadis deſinente Urbem fuiſſe conditam credidere, nulla Frontini mentione facta; quem tamen hanc ſententiam tenuiſſe alibi ſupponit.

Onuphrius loco laudato dicit, Q. Fabium Pictorem in Annalibus rectè ſcripſiſſe, Urbem conditam primo octavæ Olympiadis anno, inchoato anno Periodi Græco-Romanæ 4746. Quam opinionem Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. ad annum Periodi Julianæ 3966. amplectitur; utque cum eo Periodi Julianæ anno opinionem ſuam illiget, putat, ex Fabii Pictoris ſententia, ante initium Olympiadis VIII, in feſto Palilitio, XI Kalend. Maii Urbem à Romulo condi cœptam eſſe. Verùm Solinus cap. 2. eam opinionem referens, dicit tantùm, Romam octava Olympiade conditam Pictori placuiſſe, nulla diei Urbis natalis mentione facta. Subjungit Onuphrius: *Animus aliquando fuit Pictoris annorum rationem in digerendis meis Faſtis ſequi, quam certè, niſi veram, ceteris tamen omnibus certiorem eſſe exiſtimo. Verùm, cùm viderem omnes quotquot extant Hiſtoriæ Romanæ Scriptores, vel Varronianam ſententiam ſequi, vel uno aut altero anno tantùm ab eo recedere, id facere omiſi, ne dum hac ipſa annorum ſerie eos illuſtrare nitor, ipſos potiùs confunderem propter vulgò receptam annorum Varronis rationem, quam omnes ferè, præter admodum pau-* LXXXI. *Anni Urbis ſecundùm Fabiũ Pictorem.*

eos, ſequi liquet. At quemadmodum qui Eram Chriſtianam ab anno Juliano XL, vel inſequenti exordiretur, quod eam opinionem longè Dionyſiana probabiliorem arbitraretur, omnia ſuſdeque verteret: ſic Onuphrius, ſi conſilium illud executus fuiſſet, in magnam reprehenſionem incurriſſet. Poteſt igitur quilibet ſententias ſibi probabiliores viſas amplecti, non item ab Eris ſemel receptis recedere.

LXXXII. *Anni Nabonaſſarei.* Epocha *Nabonaſſari* apud Ptolemæum, alioſque Aſtronomos frequenter occurit; apud Auctores Eccleſiaſticos nunquam. Quare licèt ea celeberrima ſit, heic tamen breviter de illa agam. Fuit *Nabonaſſarus* Chaldæorum Rex, à cujus primordio Babylonii novam Eram inſtituerunt, & ab illis eam Ægyptii accepere. Ejus exordium eſt in anno Periodi Græco-Romanæ 4747. Februarii die XXVI, feria IV, ante Chriſtum 747. Annorum Nabonaſſareorum ea conditio eſt, ut quarto quoque vertente, caput anni retro abeat, & unum anticipet diem. Exempli gratiâ: primus dies Thoth, qui ſemper primus eſt Ægyptiorum menſis, incipiat hoc anno Kalendis Januariis, poſt annos IV incipiet Decembris XXXI, poſt VIII Decembris XXX, & ita deinceps. Hinc annus iſte *Vagus* appellari conſuevit. De hac Era videndus Petavius parte 2. Rationarii Temporum lib. I. cap. 12. ubi fusè eam explicat.

LXXXIII. *Anni Philippi & mortis Alexandri.* Proxima deinde epocha *à morte Alexandri* ducitur, quæ & titulo annorum Philippi memoratur. Georgius Syncellus reprehendens Panadorum, quòd anno mundi 5493. Incarnationem illigarit, ait: *Cujus ille erroris occaſionem habuit, ex eo quòd in anno primo Philippi Aridæi, qui Alexandro Macedoni primus in regnum ſucceſſit; eodem videlicet, in quo & Claudius Ptolemæus expeditorum Canonum ratiocinia defixit; initium ſtatuit Ægyptiaci anni, atque Græci, in prima die Thoth, primi Ægyptiorum menſis, Auguſti XXIX; quod ad eandem epocham revolvitur. Hoc verò tempus citra controverſiam anno mundi 5170. tribuitur.* Quæ accuratè in multis à Panadoro ſcripta fuerant, ſed à Syncello non intellecta, ut mox videbimus. Cùm itaque Periodus Græco-Romana aliud non ſit, quàm Era mundana Panadori ad annum Julianum accommodata, liquet, epocham annorum Philippi & mortis Alexandri conſignari in Periodo Græco-Romana 5170 Cyclo Solis XXII A. Lunæ I, Indict. X, licèt Alexander Magnus menſe Maii anni inſequentis obierit, ut in *Apparatu* ad Criticam noſtram diximus. Liquet ſecundò, eam Eram *Philippi* appellatam, non à Philippo Alexandri M. patre, ut putabat Scaliger, ſed à *Philippo Aridæo* Alexandri Magni ſucceſſore nomen illud ſortitam eſſe. Neomenia Thoth poſtea fixa fuit, & Ægyptiacus annus vagus, ac ſolutus, anni Juliani frænis cohibitus eſt, ut infrà oſtendam. Annus à morte Alexandri Julianus à Kalendis Octobris, vagus verò à XII Novembris, quando ſcilicet hic inchoatus eſt, initium ſumit. Cùm porro Era Chriſtiana incipiat in anno ab obitu Alexandri CCCXXIV, ad eruendos annos Chriſti, ex hujuſmodi Era abjiciendi ſemper anni illi CCCXXIV. Denique notanda hallucinatio Georgii in verbis ejus citatis: qui cùm ſequatur Eram mundanam Alexandrinam, ideoque annum primum Philippi & mortis Alexandri cum anno mundi 5180. jungere debuiſſet, laudat tamen Panadorum, in eo quòd eum Philippi annum cum anno mundi 5170. copularit, non advertens, Panadorum Eræ mundanæ Antiochenæ ſectatorem juxta propriam ſententiam rectè calculos poſuiſſe, ideoque fuiſſe tunc in curſu apud Alexandrinos annos mundi 5180. cui ſi adjicias annos Philippi & mortis Alexandrini CCCXXII, qui fluxerunt ante Julianum XLIII, mundique 5501. quo Georgius Chriſtum incarnatum putavit, colliges annum mundi 5501. alioquin habebis tantùm annum 5491. idque accuratè ſecundùm ſententiam Panadori, ſed malè ſecundùm ratiocinia Georgii. Is annus mundi 5170. Georgio probatus, fuit unum ex fundamentis, quibus Petavius in Auctario lib. 8. cap. 1. innixus ſcripſit, *Georgium*, S. Maximum, alioſque Incarnationem Chriſti cum anno Juliano LIV, annoque mundi 5501. conjunxiſſe, quia ſcilicet non obſervarat errorem Georgii, qui numerare debebat annum mundi 5170. uti dixi.

LXXXIV. *Anni Seleucidarum.* Græci duodecim poſt Alexandri Magni obitum annis, adeoque ſub Seleucidarum Imperio, novam Eram inſtituerunt, ab eo tempore deductam, quo Seleucus in Aſia regnare cœpit. Eſt is annus Periodi Græco-Romanæ 5182. Cyclo Solis VI G. Lunæ XIII, Indict. VII. Dicitur Alexandrea, quòd ab Alexandri M. ſucceſſoribus inſtituta fuerit. Vocatur & ab Arabibus Era *Dhilcarnain*, ſeu *Tarich Dhilcarnain*, id eſt, *habentis duo cornua*. In Syrorum certè Nummis eſt effigies Regis imberbis, cornibus arieti-

nis, & Orientales Reges in honorem Alexandri Alexandrum ipſum cornuta ſpecie Nummis ſuis imprimebant, quòd Alexander ſe filium Ammonis ſive Jovis Cornigeri exiſtimari voluiſſet. Denique Judæi eam Eram *Contractuum* appellant; fortè quòd illam ad obſignandos contractus adhiberent. Duplex eſt autem horum annorum initium. Ab aliquibus enim à verno tempore & à Niſan Judaïco; ab aliis verò ab autumno & Tiſri inchoantur. Præterea interdum Lunares anni; interdum Juliani uſurpantur & fixi. In libro primo Machabæorum anni *Græcorum* à verno menſe: in poſteriore ab autumno ſequenti progrediuntur. Obſervat autem Vaillantius Vir clariſſimus in *Hiſtoria Regum Seleucidarum*, Syriæ Reges ab Æquinoctio verno annum incepiſſe; quod inde colligit, quòd Antiochenſes in averſa Numiſmatum ſuorum parte ſignum arietis cum Sole conjunctum exprimere ſoliti eſſent. *Antiochia* autem totius Syriæ Metropolis erat. In Hiſtoria Eccleſiaſtica aliquando hæc Era occurrit, eâque Chriſtiani Syri & Arabes etiamnum utuntur.

LXXXV. *Aliquando à Kalend. Septemb. inchoati.* Albategnius Aractenſis, celebris Mathematicus, Eram *Dilkarnain*, ſeu Seleucidarum, cum Syris ſuis ab initio menſis *Elul*, ſive Septembris inchoat; quod cùm non animadvertiſſet Petavius lib. 10. cap. 12. putavit, Albategnium anno vago *Dilkarnain* uſum eſſe; licèt conſtet, eum annos Julianos ac fixos uſurpaſſe. Ait enim Petavius: *Æquinoctium autumnale, quod anno Chriſti D CCC LXXXII Albategnius obſervavit, Septembris die XIX deprehenſum eſſe memorat anno Dilkarnain M C XCIV, poſt Alexandri mortem M CC VI. Non poteſt annus Dilkarnain eſſe Julianus, quippe annus Chriſti D CCC LXXXII eſt Periodi Julianæ 5595. de quo detractis 4401. relinquunt 1194. ut ab Octobri anni 5595. inierit annus 1194. Atqui currebat hic ipſe annus Auguſto menſe, qui Octobrem anteceſſit. Fuerit igitur annus Dilkarnain iſte vagus, & à Thoth Nabonaſſareo cœperit oportet, qui Januarii XV anni Chriſti D CCC LXXXII congruit.* Ita Petavius. Verùm annus ille *Dilkarnain* M C XCIV cœptus eſt anno Chriſti DCCC LXXXII, non à die XV Januarii, ſed à Kalendis Septembribus ejuſdem Chriſti anni, ideoque die XIX Septembris, in quem Albategnius illud Æquinoctium confert, jam in curſu erat; licèt Auctores, qui hanc Eram in annis fixis adhibent, communiter annum à menſe Octobri exordiantur.

Era *Antiochena*, cujus frequens apud Græcos Annalium Scriptores mentio, procedit ab anno Periodi Græco-Romanæ 5445. Cyclo Solis XVII A G. Lunæ X, Indict. XV. Ejus caput à Kalendis Octobris Scaliger, Calviſius, Petavius aliique paſſim repetunt. Sed, ut rectè Uſſerius in Annal. vet. Teſt. annos Antiochenos incipere à Kalendis Septembris extra omnem poni debet controverſiam. Quod licèt ipſe nullo argumento probet, heic tamen ex Evagrio oſtendam, & in ſecundo tomo *Criticæ ad Annales Eccleſiaſticos* magis confirmabo. Evagrius lib. 2. cap. 12 loquens de terræ motu, quo Antiochia concuſſa, ait: *Anno ſecundo Imperii Leonis, ingens terræ motus ac ſucceſſio contigit Antiochiæ. Accidit autem ingens hæc calamitas anno quingenteſimo ſexto à conditu Urbis Antiochiæ, circa horam noctis quartam, die quarto decimo menſis Gorpiæi, quem Romani Septembrem vocant; imminente die Dominico, Indictione undecima.* Baronius & Valeſius in Notis ad Evagrium hunc terræ motum ad annum Chriſti CD LVIII referunt, exiſtimantes, annos Antiochenos ante Kalendas Octobris non incipere; neque advertentes, loco, *anno ſecundo Imperii Leonis*, legendum eſſe, *anno primo Imperii Leonis*. Evagrius itaque, cùm terræ motum factum eſſe dicat *Indictione XI*, quæ Kalendis Septembris anni Chriſti CD LVII inchoatur, manifeſtè oſtendit, ſe annum à Kalendis Septembribus exordiri; ſi enim anno inſequenti CD LVIII illum contigiſſe putaſſet, non Indictionem XI, ſed Indictionem XII numeraſſet, ut manifeſtum eſt. Præterea dicit, illum accidiſſe *circa horam noctis quartam*, die XIV Septembris, *imminente die Dominica*, die nempe Sabbati, quæ anno Chriſti CD LVII cum die XIV Septembris concurrit: erat enim littera Dominicalis F. Senſere difficultatem Scaliger, Calviſius & Petavius, quam ut ſuperarent, verba Græca Evagrii corruperunt, & hoc modo verterunt: *Illuceſcente die Dominico, die XIV Septemb.* quaſi terræ motus non die Sabbati exeunte, ſed die Dominico incipiente accidiſſet. Verùm prava hæc verſio; cùm Græcus Evagrii textus habeat, ἐπικαταλαβούσης ἡμέρας, id eſt, *imminente die Dominico*, ut rectè vertit Valeſius, qui tamen difficultatem Chronologicam non ſolvit. Loquitur itaque Evagrius non de die Dominico, ſed de eo qui illum antevertit. In annis Antio-

LXXXVI. *Anni Antiocheni.*

Anticehenis, qui poſt Chriſtum natum fluxere, habetur Era Chriſtiana, poſtquam XLVIII, qui eam anteceſſere, abjeceſti.

LXXXVII. *Anni Auguſtorum Ægyptiaci.* Anni *Actiaci* ſive *Auguſtorum*, ut Cenſorinus lib. de Die natali appellat, vel, ut Ptolemæus, *Imperii Auguſtei*, non ab anno ipſo Actiacæ victoriæ, ſed à ſequenti inchoantur apud Ægyptios; & quidem à XXIX menſis Auguſti anni Periodi Græco-Romanæ 5464. Cyclo Solis VIII E. Lunæ X, Indict. IV. Erat quidem dies XXXI Auguſti, ſed juxta vitioſam intercalandi rationem Romæ tunc uſurpatam Auguſti XXIX dies dicebatur. Alii epocham hanc applicant ad annum vagum Ægyptiorum, aliique ad annum fixum Alexandrinorum. Deſultoru itaque & retrogradientis anni forma uſque ad cladem Antonii & Cleopatræ Ægyptii uſi ſunt; & poſtea cum jugo Romano modum pariter anni Romani, ſeu Juliani, imitati ſunt; licèt non defuerint apud eos Scriptores, qui antiquam anni formam retinuerint.

Anni *Auguſtorum* Romani, quorum Cenſorinus meminit, teſtaturque eorum initium procedere ex Kalendis Januariis anni, quo Conſules fuerint Auguſtus VII & Agrippa III, proficiſcuntur ab anno Periodi Græco-Romanæ 5467. Cyclo Solis XI A. Lunæ XIII, Indict. VII. Inſtituta ea Era, cùm omne Populi Senatuſque Imperium ad Auguſtum tranſlatum eſt. Mitto alias epochas, utpote minùs uſitatas, & huic Diſſertationi finem impono. LXXXVIII. *Anni Auguſtorum Romani.*

ERRATA.

IN DISSERTATIONE DE PERIODO GRÆCO-ROMANA.

P*Ag. xxvj. col.* 1. *lin.* 29. CC LXXXV. *lege* CC LXXXIV.
pag. xxvij. col. 2. *lin.* 10. rejecto. *lege* retecto.

IN APPARATU.

P*Ag.* 33. *col.* 2. *lin.* 61. 732. *lege* 725.

SECULO PRIMO.

P*Ag.* 3, *col.* 2. *lin.* 7. Vellieus. *lege* Velleius.
pag. 6. *col.* 1. *lin.* 32. profligarant. *lege* profligarunt.
pag. 24. *col.* 1. *num. IV. lin.* 4. XII. *lege* XIII. *Ibidem lin.* 5. lib. 12. *lege* lib. 11.
pag. 41. *col.* 1. *num. II. lin.* 12. exta. *lege* Sexta. *Ibid. lin.* 13. regulS. *lege* regula.
pag. 43. *col.* 1. *lin.* 3. fuerint. *lege* fuerunt.
pag. 57. *col.* 1. *num. X. lin. ult.* pugnant. *lege* pugnat.
pag. 62. *col.* 2. *num. XXIV. lin.* 20. Cæſareâ, ſeu communi. *lege* Cæſarea ſeu communi. *deletâ virgulâ, & aliâ additâ poſt* communi.
pag. 96. *col.* 2. *num. II. lin.* 3. Januaria. *lege* Januarii. *Ibid. lin.* 8. diem emortualem. *lege* diem natalem & emortualem. *Ibid. num. III. num.* 22 habebant. *lege* transferebant.
pag. 98. col. 2. num. IV. lin. 45. *Arnulphii.* lege *Arnulphi.*

SECULO SECUNDO.

P*Ag.* 7. *col.* 2. *num. III. lin.* 30. confecta. *lege* conficta.
pag. 33. *col.* 1. *lin.* 1. Tiberii. *lege* Hadriani.
pag. 39. *col.* 2. *in titulo Anni Periodi Græco-Romanæ* 5631. JESU-CHRISTI 119. *lege* JESU-CHRISTI 138. *Ibidem col.* 2. *num. II lin.* 28. C XXI. *lege* C XX.
pag. 43. col. 1. in margine, *Quindecennalia.* lege *Quinquennalia.*
pag. 49. *col.* 1. *num. VII. lin.* 2. anno LII. *lege* anno C LII.
pag. 72. *col.* 2. *lin.* 60. illi. *lege* ille. *Ibid.* lin. 69. *retulit. Liquet.* lege *retulit: liquet.*
pag. 84. *col.* 2. *lin.* 8. enodati. *lege* cuſi.

SECULO TERTIO.

P*Ag.* 7. *col.* 2. *lin.* 24. longinqua. *lege* longa.
pag. 9. *col.* 1. *lin.* 2. CC XLVI. *lege* C XLVI.
pag. 36. *col.* 1. *num. I. lin.* 5. inchoatos. *lege* celebratos.
pag. 48. *col.* 1. *lin.* 8. *dele* hoc.
pag. 58. *col.* 1. *num. XX. lin.* 1. Valerius. *lege* Valeſius.
pag. 76. col. 1. lin. 10. *rebaptizandis Hæreticis.* lege *rebaptizandi Hæreticos.*
pag. 80. *col.* 2. *lin.* 5. ſine patre regnavit. *lege* quibus ſine patre regnavit.

Diſſertatio. g

pag. 107. col. 2. lin. 26. potuere. lege non potuere.
pag. 123. col. 1. num. I. lin. 1. Diocletianus Aug. IV. lege Diocletianus Aug. V.

SECULO QUARTO.

PAg. 7. col. 1. num. XVI. lin. 14. mandato Pontificis. lege mandato Imperatoris.
pag. 9. col. 1. in margine, anno C V. lege anno C C C V.
pag. 24. col. 1. lin. 18. factum eſt ſextus Conſulatus. lege factum eſt poſt ſextum Conſulatum. Ibid. ſed uſurpari ſolito intelligitur. lege ut ex modo loquendi ab Auctore de Præfectis Urbi uſurpari ſolito intelligitur.
pag. 32. col. 2. num. III. lin. 5. Conſulatum. lege Conſulatum geſtum.
pag. 46. col. 2. lin. 14. collatam. lege convocatam. Ibid. num. VII. lin. 36. urbi lege ubi.
pag. 47. col. 1. num. VIII. lin. 9. requirebat. lege requirebatur.
pag. 51. col. 2. lin. 19. Deſtante militibus. videtur legendum, triginta millibus.
pag. 53. col. 2. lin. 21. ad quam. lege ad quam ſolvendam.
pag. 54. col. 1. num. XII. lin. 8. num. 14. lege num. 15.
pag. 63. col. 2. num. XV. lin. 2. Creſconium. lege Creſconium.
pag. 71. col. 1. lin. 21. Theodoretus. lege Theodotus. Ibid. col. 2. in margine, Litera Alexandri Epiſcopi ad Arium. lege Litera Conſtantini ad Alexandrum Epiſcopum, & Arium.
pag. 73. col. 2. in margine, Quinquennalia Conſtantini. lege Quindecennalia Conſtantini. Ibid. Quindecennalia Criſpi & Conſtantini. lege Quinquennalia Criſpi & Conſtantini.
pag. 77. col. 2. num. I. lin. 6. quintus. lege decimus.
pag. 84. col. 2. num. XXII. lin. 50. oſtendiſſe. lege offendiſſe.
pag. 171. col. 2. num. XIII. lin. 27. ſucceſſerit. lege ſeceſſerit.
pag. 177. col. 2. num. IV. lin. 3. initi. lege initio.
pag. 187. col. 1. lin. 17. Parſica. lege Perſica.
pag. 202. col. 2. num. III. lin. 38. in Scaligero. lege à Scaligero.
pag. 205. col. 1. num. XI. lin. 19. didiſcit. lege didicit.
pag. 220. col. 1. num. I. lin. 4. Gratianus. lege Valentinianus.
pag. 226. col. 2. num. II. lin. 6. finæ. lege fine. Ibid. lin 7. qui. lege quia.
pag. 228. col. 1. num. VI. lin. 30. exilio. lege exilium.
pag. 231 col. 2. num. III. lin. 14. qui lege quia tu.
pag. 233. col. 2. lin. 40. Marca. lege Marcæ. Ibid. num. I. lin. 8. Dictum illud die. lege dicto, & dele illud.
pag. 235. col. 1. num. V. lin. 13. die. lege diu.
pag. 236. col. 1. lin. 15. fuerit. lege fuerat.
pag. 240. col. 2. num. I. in margine, regula. lege regulas.
pag. 242. col. 1. num. V. lin. 10. meminit. Hieronymus, deleatur punctum.
pag. 245. col. 1. num. IV. lin. 26 dele licèt.
pag. 269. col. 2. lin. 26. ſi Caſſiodorus. lege cùm Caſſiodorus. Ibid. lin. 29. laudati. lege laudati Benedictini.
pag. 276. col. 1. num. III. lin. ult. à Rufini. lege ex Rufini.
pag. 277. col. 2. lin. 23. Claudianus in laudes. lege Claudianus teſtatur in Laude.

IN INDICE RERUM IN OPERE CONTENTARUM.

VErbo Cæſares. pag. 9. col. 1. lin. 3. Nec id faciunt. lege Antea id non faciunt.

APPARATUS

APPARATUS CHRONOLOGICUS AD ANNALES ECCLESIASTICOS, BARONIANUM ILLUSTRANS ET SUPPLENS.

I. *Hiſtoria veteris Teſtamenti compendium neceſſarium.*

CUM una ſit ab initio mundi Chriſti Eccleſia, quæ cum mundo orta, floruit apud homines juſtos, qui Legis naturæ ac Legis ſcriptæ tempore vixere; rerum ante Chriſtum natum geſtarum compendioſa narratio præmittenda, ut quæ poſtea contigere, meliùs intelligi poſſint. Hoc Euſebius, qui primus Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſcripſit, nos docuit initio libri 1. ubi ipſum Jeſu Chriſtique nomen olim notum cultumque à Divinis Prophetis fuiſſe, per aliquot capita oſtendit; & poſtea quo Cæſaris Auguſti anno Chriſtus in mundum venit, explicat. Certè alicujus compendii Hiſtoriæ veteris Teſtamenti defectu, prioris ſeculi Chriſtiani Hiſtoria non poteſt non eſſe obſcura; ideoque & in ipſo aditu Lectorem non repellere. Præterquam quòd Periodus Græco-Romana, quâ univerſa Chriſtiana Chronologia regitur, poſtulat, ut illa in aliquo brevi Chronico à mundi primordio deducto exhibeatur. Hoc pacto Apparatus Annalibus à Baronio præfixus majori claritate ſupplebitur & illuſtrabitur.

II. *Supputationem textus Hebraici Recentiores præferunt.*

Annorum ab Orbe condito ad Chriſtum natum, ſeu Eram Chriſtianam, numerus incertus: ideoque & variæ ea de re Chronologorum opiniones; præſertim cùm numeri annorum vitæ Patriarcharum primæ & ſecundæ mundi ætatis aliter tradantur in LXX Interpretum Codicibus, ac in Hebraïcis & Latinis Vulgatæ editionis, tantaque in ſummis annorum utriuſque textus ab initio mundi ad Abrahæ ortum exoriatur diverſitas; ut quæ ex textu LXX Interpretum colligitur, eam, quæ ex Hebraïco reſultat, mille quadringentis ſexaginta ſex annis ſuperet. *Cùm ergo*, inquit Torniellus in Annalibus Sacris anno mundi 131. num. v, *diſcrepantia hæc tam grandis ſit, ut conciliari nullo modo poſſe videatur; reſtat neceſſariò ſupponi debere, alterum ipſorum textuum eſſe mendoſum, & ratio dictat, non fortuitò, ſed deditâ operâ fuiſſe corruptum.* Quomodo autem acciderit hæc corruptela, in quo textu, qua de cauſa, & quonam auctore, incertum eſt. Exiſtimat tamen ibidem Torniellus, Græcum textum LXX Interpretum depravatum eſſe: quam opinionem recentiores Chronologi, qui poſt Scaligerum floruere, uno ferme conſenſu amplexi ſunt.

III. *Supputationem LXX Interpretum Antiqui prætulere.*

Nuper tamen Vir clariſſimus *Yvo Paulus Pezron*, ex ſtrictiori Obſervantia Ordinis Ciſtercienſis, Doctor Pariſienſis, in antiqua Hiſtoria tam ſacra quàm profana apprimè eruditus, librum linguâ Gallicâ ſcriptum in lucem emiſit, cui titulus, *Antiquitas temporum reſtituta*, in quo oſtendit, ad veram mundi durationem reperiendam, LXX Interpretum Verſionem ſequendam, deſerendumque textum Hebraïcum, tanquam à Judæis, qui poſt expugnata Hieroſolyma vixere, corruptum. Nam qui eos præceſſerant, duo tanquam certa poſuerant: primum, Legem per duo annorum millia duraturam; ſecundum, Meſſiam in ſexto mundi millenario venturum. Cumque primi Chriſtiani Chriſtum circa ſexti millenarii finem apparuiſſe demonſtrarent, Judæoſque urgerent, ut eum tanquam verum Meſſiam agnoſcerent; hi, ut illius argumenti vim eluderent, Scripturam ſacram corrupere, & è Patriarcharum vita mille & quingentos circiter annos reſecarunt; quod Julianus Archiepiſcopus Toletanus, Gregorius Abulpharagus & Georgius Syncellus eiſdem exprobrarunt. Addit Vir doctiſſimus, illam textus Hebraïci corruptionem probari teſtimonio Hebræorum & Gentilium, qui ante cladem Hieroſolymitanam ſcripſere. Hi enim communi conſenſu ſex millia circiter annorum ante Meſſiæ adventum numerarunt. Hanc ſententiam Baronius tam in Notis ad Martyrologium Romanum, ad diem xxv Decembris, quàm in Apparatu ad Annales Eccleſiaſticos, prætulit, quòd ea inter antiquos Scriptores Chriſtianos communis aliàs fuerit.

Baron. in Apparatu n. cxix, & Spód. n. ibidem num. xxxvi.

IV. *Tam qui textum Hebraïcum, quam qui*

Verùm alterutri textui adhæreas, certum annorum mundi numerum ante Incarnationem nunquam reperies. Nam Scaliger in Euſebianis Animadverſionibus à conditu rerum ad natalem Eræ communis, annos nu-

LXX Interpretum ſequuntur, inter ſe diſcordes.

merat 3949. eamque annorum deſcriptionem adeo certam firmamque autumat, ut ceterorum rationes futiles & inanes conjecturas eſſe affirmet. Petavius lib. 9. de Doct. Temp. cap. 6. annos ab Orbe condito ad Eram Dionyſianam fluxiſſe credit 3983. Uſſerius in Annalibus veteris Teſtamenti, ante Kalendas Januarias anni Juliani quadrageſimi ſexti, à quibus Eræ Chriſtianæ exordium deduci debet, annos 4003. menſes duos & dies aliquot decurriſſe arbitratur. Alii in alias ſententias abiere. Sed non magis convenit inter eos, qui in annorum mundi ſupputatione, Hebraïcis fontibus poſthabitis, LXX. Interpretum numeros ſecuti ſunt, ut liquet ex variis Eris mundanis à Chriſtianis Orientalibus uſurpatis, de quibus in Diſſert. de Periodo Græco-Romana, à nobis actum.

V.
Sequitur Auctor textum Hebraïcum.

In hac controverſia; quæ occaſione laudatæ Diſſertationis *de Antiquitate temporum reſtituta*, magis dilucidari poterit, ab ea opinione non diſcedam, quæ veram ætatis primorum Patriarcharum ſupputationem ex Hebraïcis Codicibus petendam cenſet; præſertim cùm Periodus Græco-Romana, cujus uſum in hoc Opere demonſtrandum ſuſcepi, eandem ſupponat. Et quia breviſſimam tantùm antiquæ Hiſtoriæ ſynopſim traditurus ſum, ſequar opinionem Uſſerii, egregii noſtræ ætatis Chronographi: non ſolùm quia Periodum Julianam, ad noſtram facilè reducendam, adhibet; ſed etiam, quia ex ejus Annalibus veteris Teſtamenti Lector mutuari poterit quæ hic deſiderantur.

VI.
Reſponſio ad Patres, qui LXX Interpret. ſecuti ſunt.

Contexit quidem Baronius locis ſuprà laudatis Catalogum antiquorum Patrum, qui ſecundum LXX Interpretes annos ab origine mundi uſque ad ortum Chriſti numerare conſueverunt; additque, *profiteri & Romanam Eccleſiam in ſuo Martyrologio ſe annos ſupputare ſecundùm eoſdem Interpretes.* Sed ad horum prius Pererii & Bonfrerii; ad poſterius Malvendæ & Joannis *Deſpieres* reſponſa opponit Uſſerius in priori parte Chronologiæ ſacræ cap. 2. *Non me fugit*, inquit Pererius in Geneſ. lib. 7. num. 130. *pleroſque Veterum tam Græcorum, quàm Latinorum Chronologiam, quæ eſt in tranſlatione LXX Interpretum, ſequi maluiſſe: quòd eam tranſlationem illi cernerent multis ſeculis eſſe in Eccleſia Dei reverenter uſurpatam, religioſéque cultam: atque ob eam cauſam aliqua in parte eam mutare aut non ſequi, religioni haberent. Sed apud me (quantùm ad Chronologiam, de qua nunc agitur) auctoritas Scripturæ Hebraicæ ac Latinæ verſionis Vulgatæ, necnon & duorum principum Eccleſiæ Doctorum, Hieronymi atque Auguſtini, judicium & ſententia præponderat.*

VII.
Reſponſio ad Martyrologium Romanum.

De Romano verò Martyrologio Malvenda de Antichriſto lib. 1. cap. 16. reſpondet: *Quòd Eccleſia Romana in publicis tabulis eam annorum rationem laudare videatur, quam LXX dederunt, id quidem non facit, quòd veram & incorruptam eandem exiſtimet; cùm huic è diametro adverſantem, ut veram & genuinam, eam ſummam quæ in editione Vulgata eſt conſignata, omnibus recipiendam proponat: ſed id tantùm ſalubri temperamento cavit, ut vetus aliquod venerandæ vetuſtatis monumentum, tametſi lacerum ac deforme, & pannis anniſque obſitum exhiberet; omnibuſque palam faceret, quam rationem ſecuti fuerint antiqui Patres in enumerandis ex ſacra Scriptura annis, ab Orbe procreato ad Chriſtum naſcentem; cùm ſoleant vetera Antiquitatis monumenta, quantumvis corroſa & attrita, gratum aſpectantibus intuitum præſtare. Quocirca nihil opus eſt nunc Eccleſiæ Græcæ vulgatam numerandi rationem commendare, aut Græcorum exemplarium patrocinium contra Hebraïcam veritatem ſuſcipere.* Et *Deſpieres* de verſione LXX Interpret. Diſput. 2. dub. 5. *Nec nos movere debet quòd Eccleſia ſupputationem LXX Interpretum ab omni tempore in communem uſum receperit. Neque enim ea mens fuit Eccleſiæ, ut nemini liceret ab ea deflectere: ſed ſolùm uſum probavit, non autem ſupputationis errores, quos corrigit, quando commodum fuerit. Et fortè uſa eſt hac ſupputatione corrupta, eò quòd religioni duceret Verſionem illam contemnere, cujus* auctoritatem, inquit Auguſtinus, celebriorem ſuſcepit Eccleſia, *& quam ut Divinam omnes venerati ſunt, vel fortè quòd meliora tunc non ſuppeterent. Sic Eccleſia & univerſus Orbis Chriſtianus utitur Era vulgari & calculo Dionyſiano: cùm tamen Chronologi non ignobiles doceant, eam non parum abludere à vero & germano calculo.* Ita *Deſpieres*; qui tamen in eo fallitur quod tradit, univerſum Orbem Chriſtianum calculo Dionyſiano uti; cùm is in Patriarchatu Alexandrino nec hodie in uſu ſit, neque unquam fuerit, ut in Diſſert. de Periodo Græco-Romana oſtendi. His addo, in Martyrologio Romano legi, Chriſtum natum eſſe *anno à creatione mundi quinquies milleſimo centeſimo nonageſimo nono:* &, *ab urbe Roma condita anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo:* qui annus tam Urbis juxta ſupputationem Capitolinam, quàm mundi, qui eſt ſecundùm LXX Interpretes, concurrit cum anno Juliano XLIII; cùm tamen Eccleſia Latina cum Dionyſio ſupponat, Chriſtum natum eſſe anno Juliano XLV. Ex uſu itaque Eccleſiæ hæc difficultas dirimi non poteſt.

VIII.
Prima mundi ætas.

His ita poſitis, cùm in opinione, quam ſequor, annus primus Eræ Chriſtianæ incipiat à Kalendis anni Periodi Græco-Romanæ 5494. ſequitur, conditum mundum fuiſſe anno ejuſdem Periodi 1490. Cyclo Solis 10 B. Lunæ 7. Indict. 5. Totum autem illud ſpatium, annorum nempe 4003. menſium duorum & dierum aliquot, quod ante Natale vulgare Chriſti fluxit, in SEX mundi ÆTATES, ut vocant, diſtinguitur. Prior cum ipſo mundo, autumnali tempore, ut puto, dieque viceſima tertia Octobris feriâ primâ creari cœpto, exorditur, duratque uſque ad diluvium per annos 1656. Quæ per tempora Adam, Seth, Enos, Caïnan, Malalaël, Jared, Henoch, Mathuſala, Lamech & Noë geſta, ex octo prioribus capitibus libri Geneſeos diſcenda.

IX.
Secunda mundi ætas.

Secunda ætas inchoatur anno Periodi Græco-Romanæ 3146. Cyclo Solis 14 D. Lunæ 10. Indict. 11. & uſque ad initium peregrinationis Hebræorum poſt mortem *Thare* Abrahami patris inchoatæ extenditur, continetque annos 426. & definit anno mundi 2083. Vixerunt ea ætate Noë, Sem, Arphaxad, Sale, Heber, Rheu, Sarug, Nachor & Thare Abrahami pater. De iis legendus liber Geneſeos,

X. *Tertia mundi ætas.* Tertia mundi ætas initium ducit à peregrinatione Hebræorum, & ab anno Periodi Græco-Romanæ 3573. Cyclo Solis 25 CB. Lunæ 19. Indict. 3. ante Chriſtum 1921. Durat hæc ætas uſque ad Hebræorum exitum de Ægypto per annos 430. Eo annorum ſpatio continentur Abrahami & ejus poſterorum Iſaac, Jacob & Joſeph peregrinationes, reſque ab iis geſtæ, de quibus conſulendus liber Geneſeos, qui cum morte Joſephi deſinit, complectens geſta annorum 2369.

XI. *Regnum Argivorum.* *Argivorum* eo tempore Regnum in Peloponeſo cœptum eſt, annis mille & octoginta ante primam Olympiadem, ut in ſuo Chronico refert Euſebius. Primus apud eos regnavit *Inachus*. A. Gellius lib. 1. Noctium Atticarum cap. 16. & Macrobius lib. 1. Saturnal. referunt hæc verba ex Varrone in libro 17. Rerum Humanarum: *Ad Romuli initium plus mille & centum annorum eſt.* Ab Inachi enim initio juxta Euſebii rationes hîc conſtituto, uſque ad Parilia Varroniana anni 1102. numerantur. Ante Regnum illud Hiſtoria profana non aſſurgit.

XII. *Quarta mundi ætas.* Quarta ætas ab exitu Hebræorum de Ægypto ad jacta Templi Salomonis fundamenta extenditur, complectiturque annos 479. Ejus principium repetendum ab anno Periodi Græco-Romanæ 4003. Cyclo Solis 3 B. Lunæ 12. Indict. 8. anno ſcilicet mundi 2514. ante Chriſtum 1491. Egreſſus eſt populus Dei de Ægypto, Duce *Moyſe*, cui ſuffectus eſt *Joſue*, qui populum ſiccato Jordanis alveo, in Chananæam traduxit, ut legitur Joſue cap. 4. v. 19. & uno & triginta debellatis Regibus, ut habetur Joſue 12. ac ſex totis annis majori ſubacta Palæſtinæ parte, eam in Tribus Hebræorum diviſit. Eo mortuo dedit eis Deus Judices, quorum hoc eſt laterculum.

I.	OTHONIEL,		III.		XL.
II.	Ahodambidexter,		Eod.		LXXX.
III.	Samgar filius Anath,		Eod.		I.
IV.	Debora cum Barac, filio Abinoëm,		IIII.		XL.
V.	Gedeon, qui & Jerobaal dictus eſt.		VI. VII. VIII.		XL.
VI.	Abimelech filius Gedeonis ex concubina.	quorum res geſtæ deſcribuntur in libro Judicum cap.	IX.	Judicarunt Iſraëlem annos.	III.
VII.	Thola filius Phua.		X.		XXIII.
VIII.	Jair Galaadites.		Eodem.		XXII.
IX.	Jephte Galaadites.		XI.		VI.
X.	Abeſan Bethleemita.		XII.		VII.
XI.	Ahialon Zabulonites.		Eodem.		X.
XII.	Abdom Pharatonites.		Eodem.		VIII.
XIII.	Samſon de ſtirpe Dan, uſque ad Eli Sacerdotem, qui populum judicare incepit anno mundi 2848. & mortuus eſt anno mundi 2888. qui eſt Periodi Græco-Romanæ 4377.		XIII. XIV. XV. & XVI.		XX.

Poſt *Eli* obitum, *Samuel* populi curam capeſſiit; ſed is libertatis nimiæ pertæſus, ſub Rege deinceps eſſe voluit, & Deus illi *Saulem* dedit, qui dum Divinis mandatis privatam libidinem præfert, à Deo rejectus eſt: eique ex Tribu Judæ ſucceſſit David Iſai filius anno Periodi Græco Romanæ 4439. mortuus anno ejuſdem Periodi 4479. *Salomone* filio Rege inſtituto.

XIII. *Imperium Aſſyriorum.* Durante hac quarta mundi ætate *Ninus* Beli filius *Aſſyriorum* fundavit Imperium, qui DXX annis ſuperiorem Aſiam obtinuerunt, ut in lib. 1. cap. 95. Herodotus auctor eſt, quem & in Operis ſui initio Appianus Alexandrinus eſt ſecutus. Exiguam quandam Aſiæ partem ſub illorum ditione fuiſſe, in primo Romanorum Antiquit. libro confirmat Dionyſius Halicarnacenſis. Imperii Aſſyriorum finis pertinet ad annum Periodi Græco-Romanæ 4747. Plures enim ſucceſſores *Ninus* habuit.

XIV. *Quinta mundi ætas.* Quinta mundi ætas à jactis Templi Salomonis fundamentis ad ejus Templi conflagrationem per annos 424. ac menſes aliquot propagatur, inchoaturque anno Periodi Græco-Romanæ 4482. Cyclo Solis 6 G. Lunæ 16. Indict. 11. anno mundi 2993. ante Chriſtum 1012. *Salomon* poſtquam relictis mundi vanitatibus ad ſaniorem mentem rediiſſet, obiit, cùm annos quadraginta regnaſſet, ex lib. Reg. 1. cap. 11. anno Periodi Græco-Romanæ 4519. Salomoni ſucceſſit filius *Roboam*, qui cùm decem Tribus à ſe alienaſſet, ex *Jeroboam* Regem ſibi præfecere; eoque Duce, & à domo Davidis & à vero Dei cultu pariter defecere, ex lib. 1. Reg. cap. 12.

TABULA REGNI JUDÆ ET ISRAELIS

Chronologicos Annos utriusque continens.

	Reges Juda.	Anni regni.	Anni Periodi Græco-Rom. quibus cœpe-runt.
I.	David,	X L.	4439.
I I.	Salomon,	X L.	4479.
I I I.	Roboam,	X V I I.	4519.
I V.	Abiam,	I I I.	4536.
V.	Aſa,	X L I.	4539.
V I.	Joſaphat,	X X V.	4580.
V I I.	Joram,	I V.	4605.
V I I I.	Ochozias,	I.	4609.
I X.	Athalia,	V I.	4610.
X.	Joas,	X L.	4616.
X I.	Amazias,	X X I X.	4656.
X I I.	Azarias, qui & Ozias,	L I I.	4684.
X I I I.	Joathan,	X V I.	4736.
X I V.	Achas,	X I V.	4752.
X V.	Ezechias,	X X I X.	4767.
X V I.	Manaſſes,	L V.	4796.
X V I I.	Amon,	I I I.	4851.
XVIII.	Joſias,	X X X I.	4853.
X I X.	Joachas,	M. III.	4884.
X X.	Joakim, qui & Eliakim,	X I.	4884.
X X I.	Joachin, qui & Jechonias,	M. I I I.	4895.
X X I I.	Sedecias.	X I.	4895.
Colliguntur à Davide anni cccc lxvii, à v Salomonis anni cccc xxiii.			

	Reges Iſraelis.	Anni regni.	Anni Periodi Græco-Rom. quibus inie-runt.
I.	Jeroboam,	X X I.	4119.
I I.	Nadab,	I I.	4140.
I I I.	Baaſa,	XXIII.	4141
I V.	Ela,	I.	4164.
V.	Zamri,	dies VII.	4165.
V I.	Amri,	X I.	4165.
V I I.	Achab,	X X I.	4176.
V I I I.	Ochozias,	I.	4197.
I X.	Joram,	I I.	4198.
X.	Jehu,	XXVIII	4210.
X I.	Joachas,	X V I.	4238.
X I I.	Joas,	X V I.	4254.
X I I I.	Jeroboam,	X L I.	4270.
	Interregnum,	X I.	4311.
X I V.	Zacharias,	M. V I.	4322.
X V.	Sellum,	I.	4322.
X V I.	Manahem,	X.	4323.
X V I I.	Phaceias,	I I.	4335.
XVIII.	Phacee,	X X.	4335.
X I X.	Oſee,	XVIII.	4356.
Colliguntur Iſraëlitici regni anni cc liii, cum menſibus aliquot.			

XV. *Templum Salomonis evertitur.*

Anno *Sedeciæ* undecimo, ex Jeremia 1. v. 3. civitas Hieroſolymitana à Chaldæis, 2. Reg. 25. occupata eſt, & Sedecias ad Nebuchedneſarem deductus, in Babyloniam, ubi Nebuchedneſares regnabat, deportatus eſt, 2. Reg. cap. 25. 4. Deſtructum verò eſt *Templum* anno Nebuchedneſaris xix, Jeremiæ cap. 52. v. 12. & 2. lib. Reg. cap. 25. v. 8. anno primo ineunte Olympiadis 48. poſtquam à Salomone condi cœptum eſt annis cccc xxiv & aliquot menſibus, ab initio regni Davidis anno cccc lxviii, ab Iſraëlitici regni excidio c xxxiv, anno Periodi Græco-Romanæ 4906.

XVI. *Initium annorum captivitatis Judæorum.*

Ab anno quarto *Joakimi*, qui primus fuit *Nebuchedneſaris* Babyloniæ Regis, annoque Periodi Græco-Romanæ 4888. incipiunt ſeptuaginta anni captivitatis Judæorum, quos Jeremias cap. 25. & 29. definit. Scio, non unam omnium hac de re ſententiam eſſe, ſed ſequor *Uſſerium* in Annal. vet. Teſtamenti, *Petavium* lib. 12. de Doct. Temp. cap. 22. ubi hanc ſententiam egregiè confirmat, contrariaſque refellit. Porro uterque initium Regum Juda & Regum Iſraëlis ab eodem ante Chriſtum anno auſpicatur, ſeu ab eodem anno Periodi Julianæ.

XVII. *Florent Tyrii & Lacedæmonii.*

Per illud tempus, quo ambobus Hebræorum regnis præfati Reges præerant, ac longo poſt utrumque extinctum ſpatio, regnatum eſt apud *Tyrum* Sidoniorum coloniam, quam annis ducentis & quadraginta ante conditum à Salomone Templum fundatam fuiſſe, ex Tyriorum Annalibus Joſephus lib. 8. Antiquit. cap. 2. prodit. *Carthago* verò condita dicitur anno poſt Templum inchoatum 144. Eadem tempeſtate, qua in Africa novum à Tyriis poſitum eſt oppidum, *Lacedæmoniorum* in Græcia Rempublicam ſaluberrimis Legibus celebrem reddidit Lycurgus, de quo Plutarchus in ejus Vita.

XVIII. *Aſſyriorum Imperium deſtructum.*

Sardanapalo poſtremo Aſſyriorum Rege ob luxum & ſocordiam à Præfecto Medorum *Arbace* contemto; & poſt ſuſum illius exercitum mori compulſo, Imperium *Aſſyriorum* deſtructum eſt, anno Periodi Græco-Romanæ 4747. Diviſum poſtea Imperium: *Arbaces* enim Medos ſuos liberos declaravit, & *Beleſis* in ſacra Scriptura Eſai. 39. v. 1. & 2. Reg. cap. 20. v. 12. Hipparcho verò, Ptolemæo & Cenſorino *Nabonaſſarus* dictus, Regnum Babyloniæ obtinuit per annos 14. A meridie primi diei *Thot* menſis Ægyptiaci, die videlicet Februarii 26. feriâ quartâ, labente ante Eram Chriſtianam anno 747. *Nabonaſſari Epocham* Aſtronomi incipiunt. *Ninus* junior Aſſyriorum Regnum ad proprios terminos reductum, Monarchiâ in Sardanapalo jam extinctâ, annis 19. rexit, ut in Græco ſuo Chronico refert Euſebius.

XIX. *Imperium Medorũ & Perſarum.*

Cum verò *Medi*, quibus autonomiam *Arbaces* reddiderat, anarchiæ incommoda ferre non poſſent, *Dejocis* Imperio ſe ſubjecerunt, annis ante *Cyri* initium 150. ut in lib. 1. auctor eſt Herodotus, quem, relicto Cteſia, ſecuti ſunt etiam Dionyſius Halicarnacenſis, &

Appianus Alexandrinus in Romanarum ſuarum Hiſtoriarum exordio. Apud Diodorum Siculum in lib.2. Biblioth. lapſu memoriæ vel Librarii, *Cyaxaris* pro *Dejocis* nomine poſito, à Medis electus Rex ille fuiſſe dicitur, *circa annum* 2. *Olymp. XVII*, juxta Herodotum. A Cyri nimirum exordio, quod ex illius ſententia in Olympiadis 55. initium, indeque in anni Periodi Græco-Romanæ 4934. medium incidit, ſubductis annis 150. primus primi *Medorum* Regis annus ab anno 3. Olymp. 17. initio, & anno Periodi Græco-Romanæ 4784. deducendus relinquitur. Quam Imperii Medorum Epocham rectè conſtituit Uſſerius in Annal.vet. Teſt. ex ſingulorum Regum temporibus ab Herodoto aſſignatis; qui & obſervat, *Dejocem* anno 1. Olympiadis 18. *Ecbatana* condidiſſe, cujus ſtructura deſcribitur in cap. 1. lib. Judith, ubi ab *Arphaxado* Medorum Rege condita fuiſſe dicitur, ſicut & à *Dejoce* in Herodoto & Scriptoribus aliis, quod argumento eſt, utroque illo nomine unum & eundem Regem deſignari. Porro deſiit *Medorum* Imperium in *Aſtiage* à Cyro devicto, anno Periodi Græco-Romanæ 4935. à quo *Perſici* regni à Cyro initi Epocha deducitur, omnibus Antiquis tradentibus, *Cyrum* Perſis imperare cœpiſſe Olympiade 55. ad finem tendente anno primo.

IMPERII PERSICI LATERCULUM.

	Reges.	Tempus regni.	Initium in Periodo Græco Romana
I.	Cyrus,	XXX.	4935.
II.	Cambyſes,	VII. M. V.	4965.
III.	Smerdis Magus,	M. VII.	4972.
IV.	Darius Hyſtaſpis F.	XXXVI.	4973.
V.	Xerxes,	XX.	5009.
VI.	Artaxerxes Longim.	XL.	5029.
VII.	Xerxes II.	M. II.	5069.
VIII.	Sogdianus,	M. VII.	5069.
IX.	Darius Nothus,	XIX.	5070.
X.	Artaxerxes Mennon,	XL.	5089.
XI.	Artaxerxes Ochus,	XXVI.	5128.
XII.	Arſes,	IV.	5154.
XIII.	Darius Arſami F.	VI.	5158.

XX. *Imperium Græcorum.* *Darius* ab Alexandro Magno victus, à *Beſſo* nefariè perimitur, dum Alexandrum perſequentem fugit, in ipſo tertii anni Olympiadis 112. initio, qui concurrit cum anno Periodi Græco-Romanæ 5164. à quo Olympiadis anno *Calippum* Cyzicenum Periodum ſuam annorum 76. deduxiſſe, ex Aſtronomicis obſervationibus liquet. Cúmque Juſtinus in fine libri 10. tradat, Darium *à cognatis occiſum vitam pariter cum Perſarum Regno finiviſſe*, manifeſtum eſt, in Monarchiæ Alexandri Aſiaticæ memoriam, *Calippum* hanc Periodi ſuæ Epocham inſtituiſſe.

XXI. Durante hac quinta mundi ætate cœpit celeberrimum in Græcia *certamen Olympicum*, auctore Iphito. Celebrata autem prima *Olympias* anno tertio & viceſimo ante Romam conditam, anno ſcilicet Periodi Græco-Romanæ 4718. ut in Differt. de eadem Periodo demonſtravi. In Olympiadibus temporis illud intervallum definit, quod à Varrone in libello Cenſorini de Die natali *Mythicum* appellatur, incipitque quod dicitur *Hiſtoricum*, quia res in eo geſtæ veris Hiſtoriis continentur. *Inſtitutio Olympiadū.*

XXII. *Roma conditur.* Ea etiam mundi ætate *Roma*, anno tertio, eoque deſinente, Olympiadis ſextæ condita, anno ſc. Periodi Græco-Romanæ 4741. ut in Differt. de eadem Periodo oſtendi.

LATERCULUM REGUM ROMANORUM.

	Reges.	Anni regni.	Initium in anno Per. Græco-Romana
I.	Romulus,	XXXVIII.	4741.
o.	Interregnum,	I.	4779.
II.	Numa Pompilius,	XLIII.	4780.
III.	Tullus Hoſtilius,	XXXII.	4823.
IV.	Ancus Martius,	XXIV.	4855.
V.	Tarquinius Priſcus,	XXXVIII.	4879.
VI.	Servius Tullius,	XLIV.	4917.
VII.	Tarquinius Superbus	XXIV.	4961.
	Regifugium.	I.	4985.

Regnatum itaque *Romæ* annis ſolidis 244. & poteſtas Regia extincta anno Periodi Græco-Romanæ 4985. quo *Tarquinius* ob ſtuprum à filio *Lucretiæ* oblatum Româ pulſus eſt. Conſules pro Regibus deinceps inſtituti, quorum primum par fuit *L. Junius Brutus* & *L. Tarquinius Collatinus.*

XXIII. *Sexta mundi ætas.*

XXIII. *Sexta* mundi *ætas* incipit à conflagratione Templi, quæ contigit anno Periodi Græco-Romanæ 4926. Cyclo Solis 10 B. Lunæ 3. Indict. 11. annoque mundi 3416. ante Christum 588. duratque uſque ad Eram Chriſtianam per annos 587.

Finis annorum LXX captivitatis Judæorum.

XXIV. Anno Periodi Græco-Romanæ 4957. ante Chriſtum 537. ſub finem primi anni Imperii *Darii Medi* ab everſa Babylonica monarchia deducti, iniit annus ſeptuageſimus ſervitutis Babylonicæ, ſub *Joakimo*, anno 1. Nebuchedneſaris ſeu Nabuchonodoſoris cœptæ. Tunc enim *Cyrus* Perſarum Rex Judæis reditum in patriam edicto conceſſit, & reduces *Templum* reædificare juſſit, ut legitur 2. Paralipom. cap. 26. v. 22. & Eſdræ 1. Tunc Judæi *Zorobabele* Duce, è Babylonia in Judæam regreſſi, ubi anno Periodi Græco-Romanæ 4959. anno ab adventu eorum ſecundo, Templi ſecundi fundamenta poſuere, ut legitur Eſdræ 4.

Reges Macedoniæ poſt Alexandri M. mortem.

Dario ultimo Perſarum Rege demortuo, XXV. cœpit *Imperium Græcorum* ab Alexandro Magno inſtitutum, ut ſupra dixi. Mors autem *Alexandri* incidit in annum Periodi Græco-Romanæ 5171. in annum ante Chriſtum 323. diemque viceſimum ſecundum menſis Maii, ut oſtendit Uſſerius in Annal. vet. Teſtam. ex Plutarcho in Alexandro. Regnavit annos duodecim, ut in lib. 1. Machab. cap. 1. proditum eſt. Poſt ejus exceſſum ita res ex Ducum conſenſu conſtitutæ ſunt. *Aridæo* Alexandri fratri, quem Philippus ex ſcorto ſuſceperat, ſumma vel potiùs umbra Imperii eſt commiſſa, Regique declarato *Philippi* nomen eſt impoſitum. Et quia mentis ſatis compos non erat, *Perdiccas Macedo*, cui Alexander moriens annulum tradiderat, Regni procurator, reipſa Rex eſt deſignatus. Hoc porro laterculum Regum Macedoniæ, qui poſt *Alexandrum Magnum* regnarunt.

LATERCULUM SUCCESSORUM ALEXANDRI MAGNI in Regno Macedoniæ.

	Reges	Anni regni.	Initium in anno Periodi Græco-Romanæ.
I.	Aridæus,	VII.	5171.
II.	Caſſander,	XIX.	5177.
III.	Philippus Caſſandri F.	I.	5196.
IV.	Antipater & Alexander } Caſſandri filii.	III.	5197.
V.	Demetrius Poliorcetes,	VI.	5200.
VI.	Pyrrhus,	M. VII.	5206.
VII.	Lyſimachus,	VI.	5206.
VIII.	Arſinoe Lyſimac. uxor,	M. VII.	5212.
IX.	Ptolemæus Lagi F.	II.	5213.
X.	Meleager,	M. II.	5214.
XI.	Antipater,	dies XLV.	5214.
XII.	Soſthenes,	II.	5214.
XIII.	Antigonus Gonatas,	XXXVI.	5216.
XIV.	Demetrius Antig. F.	X.	5252.
XV.	Antigonus,	XII.	5262.
XVI.	Philippus Demetrii F.	XLII.	5274.
XVII.	Perſeus.	X.	5316.

Perſeo à Romanis victo, ut legitur 1. Machab. cap. 8. v. 5. finiit Regnum Macedonicum anno Periodi Græco-Romanæ 5326. annoque ante Chriſtum 168. Ejus Imperii reliquiæ, Romano jam ſurgente Imperio, in *Seleucidis* Syriæ & *Ptolomæis* Ægypti Regibus adhuc ſuperfuerunt.

Succeſſio Ptolomæorũ Ægypti Regum.

Eodem mortis Alexandri Magni anno XXVI. *Ægyptus* & quidquid Lybiæ ac Cyrenaïcæ Alexander obtinuerat, cum omni illa Arabiæ parte quæ Ægypto adjacet, *Ptolemæo Lagi* filio obtigit, quem *Soteris* cognomentum à *Rhodiis* accepiſſe indicat in Atticis Pauſanias.

LATERCULUM PTOLEMÆORUM ÆGYPTI REGUM.

	Reges.	Anni regni.	Anni Periodi Græco-Rom. quibus ierunt.
I.	Ptolemæus Lagi F.	L.	5171.
II.	Ptolemæus Philadelphus,	XXXVIII.	5220.
III.	Ptolemæus Evergetes I,	XXVI.	5258.
IV.	Ptolemæus Philopator,	XVII.	5283.
V.	Ptolemæus Epiphanes,	XXIV.	5300.
VI.	Ptolemæus Philometor,	XXXV.	5324.
VII.	Ptolemæus Evergetes II Phyſcon, Philom. frater,	XXIX.	5358.
VIII.	Ptolemæus Lathurus Phyſconis F.	XVII	5387.
IX.	Ptolemæus Alexander Lathuri frater.	X.	5404.
O.	Ptolemæus Lathurus ſecundò,	VIII.	5414.
X.	Ptolemæus Alexander II, Alexandri F.	Dies XIX.	5422
XI.	Ptolemæus Alexander III, Alexandri primi F.	XVII.	5422.
XII.	Ptolemæus Auletes nothus,	XIII.	5439.
XIII.	Ptolemæus,	V.	5451.
XIV.	Cleopatra.	XVII.	5453.

XXVII. *Inſtituitur in Syria Regnum Seleucidarum.* Seleucus *Nicanor* unus ex Alexandri Magni Ducibus, annis poſt ejus obitum duodecim elapſis, in Babylonia, Media, ceteriſque Orientis tractibus anno Periodi Græco-Romanæ 5182. ante Chriſtum 312. regnavit. Cùm autem Machabæorum cum *Seleucidis* implicata narratio ſit, plurimùm refert Regum Seleucidarum ordinem & ſucceſſionem exactè deſcribere. Duodecim priores hîc propono, de eorum ſucceſſoribus poſtea locuturus.

	Reges.	Anni regni.	Anni Periodi Græco-Rom. quibus inierunt.
I.	Seleucus Nicanor,	XXXII.	5182.
II.	Antiochus Soter ejus F.	XIX.	5214.
III.	Antiochus II, Soteris F. *Divus* dictus,	XV.	5233.
IV.	Seleucus II Callinicus, *Divi* F.	XX.	5248.
V.	Seleucus III Ceraunus, Callinici F.	III.	5268.
VI.	Antiochus III M. Callinici F.	XXXVI.	5271.
VII.	Seleucus IV, Philopator Antioch. M. F.	XII.	5307.
VIII.	Antiochus V Epiphanes Antioch. M. F.	XII.	5319.
IX.	Antiochus VI Eupator.	II.	5330.
X.	Demetrius Soter, Seleuci Philop. F.	XII.	5332.
XI.	Alexander Bala inſititius,	V.	5344.
XII.	Demetrius II Nicator Demetrii Soteris F.		5349.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5351. Cyclo Solis 7 F. Lunæ 11. Indict. 11. Mundi 3862. Urbis conditæ 611. ante Chriſtum 143.

XXVIII. *Judæis autonomia conceſſa.* Fine Hiſtoriæ veteris Teſtamenti & initio Eræ Chriſtianæ appropinquantibus, ut varii errores, qui tam paulò ante eam, quàm poſt, committi ſolent, faciliùs vitentur, præcipuæ res apud Judæos & Romanos ac in Syria geſtæ, ordine temporum ſervato, breviter explicandæ ſunt. Sulpicius itaque Severus de libertate Judæis reddita loquens, ait: *Poſt Jonathan, ſumma rerum ad Simonem fratrem defertur. Tum Demetrius* (Nicator ſcilicet) *refecto cum Judæis fœdere, contemplatione cladis à Tryphone illatæ (nam poſt Jonathæ necem, urbes eorum atque agros bello vaſtaverat) annua ejus vectigalia in perpetuum remittit. Etenim uſque ad id tempus Regibus Syriæ, niſi cum armis reſiſterent, ſtipendium penſitaverant. Id geſtum Demetrii Regis anno ſecundo: quod ideo ſignavimus, quia uſque in hunc annum per tempora Aſianorum Regum cucurrimus, ut ratio temporum digeſta luceret. Nunc autem per tempora eorum, qui*

Judæis vel Pontifices vel Reges fuerunt, uſque ad Chriſti nativitatem, rerum ordinem digeremus. Igitur poſt Jonathan Simon frater ejus, ut ſuprà dictum eſt, Hebræis præfuit jure Pontificis; id enim ei tum à ſuis, tum à populo Romano honoris delatum. Judæi enim poſt Babylonicam captivitatem ſolutam, ſemper aliquo modo ſubditi fuerant, primò *Perſarum*, mox etiam *Græcorum* Regibus. Verùm, Demetrius Nicator Syriæ Rex ad petitionem *Simonis* ſummi Judæorum Sacerdotis, abſolutam Judæis pacem, atque ab omnibus tributis immunitatem, & perpetuam inter ipſum Demetrium & gentem Judæorum ſocietatem conceſſit; ut liquet ex Demetrii diplomate relato lib. 1. Machab. cap. 13. v. 41. & 42. *Anno centeſimo ſeptuageſimo ablatum eſt jugum Gentium ab Iſraël. Et cœpit populus Iſraël ſcribere in tabulis & geſtis publicis. Anno primo ſub Simone ſummo Sacerdote, magno Duce & Principe Judæorum.* Annus ille Græcorum 170. ſeu Eræ Contractuum, & annorum Seleucidarum à verno menſe, ut ceteri in lib. 1. Machabæorum memorati, procedit; cùm tamen anni Græcorum, quorum mentio in 2. lib. Machab. ab autumno proficiſcantur, & anni prioris libri ſex menſium intervallo poſterioris initium antevertant. Porro facilè Simon, quæ à Demetrio poſtulabat, obtinuit, quia paulò antea hic acceperat, necatum eſſe *Antiochum Theon* Alexandri Balæ filium à Tryphone tutore ſuo qui Syriam invaſerat, regnique diadema ſibi impoſuerat. Petavius in lib. de Doct. Temporum, & Uſſerius in Annal. vet. Teſt. libertatem Judæis anno tertio Demetrii conceſſam ſcribunt, ſed nullo teſte.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5352. Cyclo Solis 8 E. Lunæ 12. Indict. 12. Mundi 3863. Urbis conditæ 612. ante Chriſtum 142.

XXIX. *Hieroſolyma à Judæis capta.* *Simon* ſummus Judæorum Pontifex *Gazam* expugnat, & *Hieroſolymitanam arcem*, quam & munivit, & in ea habitavit. Lib. 1. Machab. cap. 13. *Et intraverunt in eam tertia & viceſima die ſecundi menſis, anno centeſimo ſeptuageſimo primo*, Græcorum nempe.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5353. Cyclo Solis 9 D C. Lunæ 13. Indict. 13. Mundi 3864. Urbis conditæ 613. ante Chriſtum 141.

XXX. *Demetrius Syriæ Rex capitur.* *Anno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo congregavit Rex Demetrius exercitum ſuum, & abiit in Mediam ad contrahenda ſibi auxilia, ut expugnaret Tryphonem*, inquit Auctor lib. 1. Machab. cap. 14. v. 1. Putabat Demetrius Nicator Syriæ Rex, ſe facilè Tryphonem è Regno Syriæ exturbaturum. Verùm, amiſſo exercitu, vivus in poteſtatem hoſtis venit, & cuſtodiæ mancipatus eſt, ut ibidem Auctor Machabæorum & Joſephus lib. 13. cap. 9. in fine.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5354. Cyclo Solis 10 B. Lunæ 14. Indict. 14. Mundi 3865. Urbis conditæ 614. ante Chriſtum 140.

XXXI. *Antiochus Soter vocatur in Syria.* Milites *Tryphonis* Syriæ invaſoris mores pertæſi, defecerunt ad *Cleopatram* Demetrii Nicatoris captivi uxorem, quæ tum in Seleucia cum liberis ſeſe incluſerat: quæ ad Antiochum fratrem Demetrii mariti ſui miſit, conjugium ſuum & Regnum ei offerens. Antiochus hic Demetrii Soteris filius, apud Joſephum lib. 7. Antiquit. cap. 12. paterno cognomento *Soter* dicitur, à religione *Pius*. Joſephus lib. 13. cap. 12. & ab Euſebio in Chronico *Sidetes* vel *Sedetes*.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5355. Cyclo Solis 11 A. Lunæ 15. Indict. 15. Mundi 3866. Urbis conditæ 615. ante Chriſtum 139.

XXXII. *Antiochus Soter fit Rex Syriæ.* *Anno centeſimo ſeptuageſimo quarto exiit Antiochus in terram patrum ſuorum, & convenerunt ad eum omnes exercitus, ita ut pauci relicti eſſent cum Triphone* lib. 1. Machab. cap. 15. v. 10. ubi ſermo eſt de Antiocho Sidete hujus nominis VII; poſtquam ſcilicet in matrimonium Cleopatram fratris ſui Demetrii Nicatoris uxorem recepit, ex Juſtino lib. 36. cap. 1. Regnavit dehinc Antiochus annos novem ex Euſebio in Chronico, & Porphyrio in Græcis Euſebianis.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5356. Cyclo Solis 12 G. Lunæ 16. Indict. 1. Mundi 3867. Urbis conditæ 616. ante Chriſtum 138.

XXXIII. *Interitus Tryphonis Syriæ Regis.* *Tryphon*, qui in Syria regnabat, derelictus eſt ab omnibus ferè copiis, quando Antiochus in Syriam venit. Quare *Doram* finitimam Phœniciæ urbem fugâ ſe recepit ex lib. 1. Machab. cap. 15. v. 10. tandemque ad populares ſuos *Apameam*, ubi interfectus eſt ex Joſepho lib. 13. cap. 12. & Appiano in Syriacis pag. 132.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5359. Cyclo Solis 15 C. Lunæ 19. Indict. 4. Mundi 3870. Urbis conditæ 619. ante Chriſtum 135.

XXXIV. *Simonis Judæorum Pontif. cædes.* Hoc anno exeunte, Græcorum 177. menſe undecimo, qui eſt Schebat, id eſt, circa noſtrum Februarium, occiſus eſt *Simon* Judæorum Pontifex, à genero ſuo Ptolemæo ex lib. 1. Machabæorum cap. 16. ubi additur, filium ejus *Joannem*, (devictis Hyrcanis dictum *Hyrcanum*) qui evaſerat, Pontificatum hoc anno cepiſſe. *Simon* per annos VIII & aliquot menſes ſummo Pontificatu functus eſt, ut colligitur ex Hiſtoria Machabæorum, cujus primus liber, qui quadraginta annorum Hiſtoriam continet, hoc anno abſolvitur.

XXXV. *Bellum inter Hyrcanum & Antiochum.* Antiochus *Soter* Syriæ Rex, ut habet Joſephus lib. 13. Antiquit. cap. 16. *anno regni ſui quarto*, & Hyrcani primo, in Judæam duxit exercitum, & Hyrcanum in urbem Hieroſolymitanam

roſolymitanam compulit, eamque obſidione cinxit, ut Joſephus ibidem. Tandem pax certis conditionibus firmatur, ut Joſephus ibidem & Diodorus Siculus lib. 34. in Bibliotheca Photii cod. 244.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5364. *Cyclo Solis* 20 *D. Lunæ* 5. *Indict.* 9. *Mundi* 3875. *Urbis conditæ* 624. *ante Chriſtum* 130.

XXXVI. *Demetrius in Regnum Syriæ reſtituitur.* Antiochus *Sidetes* Syriæ Rex contra *Phraatem* Parthorum Regem cum exercitu profectus eſt, fratrem ſuum Demetrium Nicatorem repetens, victorque tribus prœliis Babyloniam occupavit. Tandem tamen à ſuis deſertus eſt, & in alio prælio à Parthis occiſus, ut teſtantur Julius Obſequens lib. de Prodigiis, Juſtinus lib. 38. cap. 10. & 39. cap. 1. Joſephus lib. 13. cap. 16. Euſebius in Chronico, & Oroſius lib. 5. cap. 10. Demetrius obſidione Parthorum liberatus, reſtitutus in Regnum eſt. Juſtinus lib. 39. cap. 1.

XXXVII. *Judæi nullũ Regem agnoſcunt.* Poſt *Antiochum* Judæi nullum Macedonum Regem tulerunt, domeſticiſque Imperiis uſi Syriam magnis bellis infeſtarunt, ex Juſtino lib. 36. cap. 1. Syriæque & Phœniciæ non paucas urbes ſubegerunt, ex Strabone lib. 16. pag. 661. *Hyrcanus* enim poſt Antiochi cædem defecit à Macedonibus: jamque nec ut ſubditus, nec ut amicus opem ullam illis amplius ferebat. Quamprimum vero de morte Antiochi audivit, ad urbes Syriæ duxit exercitum, ratus, id quod erat, inventurum ſe eas vacuas propugnatoribus. *Medabam* igitur, de qua lib. 1. Machab. cap. 9. v. 36. non ſine labore, ſexto demum menſe vi cepit: deinde *Samegam* cum vicinis pagis, ex Joſepho lib. 13. cap. 17.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5367. *Cyclo Solis* 23 *G. Lunæ* 8. *Indict.* 12. *Mundi* 3878. *Urbis conditæ* 627. *ante Chriſtum* 127.

XXXVIII. *Alexander Zabina regnat in Syria.* Cùm Demetrius Nicator Syriæ Rex tam Syris, quàm militibus propter mores improbos inviſus eſſet, ad Ptolemæum Phyſconem Ægypti Regem miſerunt, rogantes ut aliquem ex Seleuci genere eis daret, quem poſſent Regem ſibi conſtituere, ex Joſepho lib. 13. cap. 17. Ille juvenem quendam Ægyptium miſit, compoſitâ fabula; quaſi per adoptionem Antiochi Regis receptus in familiam regiam eſſet, ex Juſtino lib. 39. cap. 1. Refert autem Porphyrius in Græcis Euſebianis pag. 227. ut filium *Alexandri* (Balæ ſcilicet, qui Antiochi Epiphanis filius cenſebatur) miſſum fuiſſe, & ipſum *Alexandrum* dictum, atque à Syris *Zabinam* cognominatum.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5368. *Cyclo Solis* 24 *F. Lunæ* 9. *Indict.* 13. *Mundi* 3879. *Urbis conditæ* 628. *ante Chriſtum* 126.

XXXIX. *Epocha Tyriorum inſtituta.* Prælio circa Damaſcum commiſſo *Demetrius Nicator* vincitur: & ab uxore filiiſque deſertus, & cum paucis ſervulis relictus, *Tyrum* religione Templi ſe defenſurus petiit, ex Juſtino cum Joſepho & Porphyrio in locis ſuprà citatis. Illuc ingredi prohibitum, cùm navem ingrederetur, trucidatum fuiſſe, quatuor poſt reditum è Parthia annis regni exactis, tradit Porphyrius: quamvis alii mortem ejus aliter referant. Livius lib. 60. & Appianus in Syriacis pag. 131. ab uxore Cleopatra eum interemtum narrant. Et eâ certè conſciâ, Tyri occiſum illum fuiſſe admodum fit veroſimile: & vel ab ea, vel ab Alexandro Zabina Tyrios ob hoc factum libertatem & *αὐτονομίαν* obtinuiſſe. Ab hoc enim anno novam temporum ſuorum *Epocham* Tyrios deduxiſſe, liquet ex Euſebio in Chronico, ubi cum ſecundo anno Imperatoris Probi, qui cum anno Chriſti CCLXXVII, annoque Periodi Græco-Romanæ 5770. concurrit, annus 402. Tyriorum copulatur.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5370. *Cyclo Solis* 26 *C. Lunæ* 11. *Indict.* 15. *Mundi* 3881. *Urbis conditæ* 630. *ante Chriſtum* 124.

XL. *Seleucus fit Rex Syriæ.* *Seleucus* Demetrii Nicatoris Syriæ Regis filius, injuſſu matris Cleopatræ ſumto diademate, regnavit in Syria anno 1. ex Livio lib. 60. & Porphyrio in Græcis Euſebianis pag. 227.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5371. *Cyclo Solis* 27 *B. Lunæ* 12. *Indict.* 1. *Mundi* 3882. *Urbis conditæ* 631. *ante Chriſtum* 123.

XLI. *Antiochus Grypus fit Rex Syriæ.* Cleopatra filium *Seleucum*, vel quòd injuſſu ſuo diadema ſumſiſſet, ſive metuens, ne ille patris Demetrii mortem ulciſceretur, ſive eodem furore gerens omnia, ſagittâ tranſfixum interemit. Alterum deinde filium ex Demetrio ſuſceptum *Antiochum Grypum*, quem Athenas educandum miſerat, Regem conſtituit, ut Regis nomen penes filium, vis autem omnis Imperii penes matrem eſſet, ex Livio lib. 60. Juſtino lib. 39. cap. 1. & Appiano in Syriacis pag. 132.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5372. *Cyclo Solis* 28 *A. Lunæ* 13. *Indict.* 2. *Mundi* 3883. *Urbis conditæ* 632. *ante Chriſtum* 122.

XLII. *Alexandri Zabinæ Syriæ Regis interitus.* Alexander *Zabinas* Syriæ Rex rerum ſucceſſu tumens, ſpernere jam etiam Ptolemæum Phyſconem Ægyptiorum Regem, à quo ſubornatus fuerat in Regnum, ſuperbâ inſolentiâ cœpit. Itaque *Ptolemæus* reconciliatâ ſororis Cleopatræ gratiâ, deſtruere Alexandri Regnum, quod odio Demetrii Nicatoris viribus ſuis acquiſierat, ſummopere inſtituit. Miſit igitur ingentia *Grypo* auxilia, & filiam *Tryphænam* Grypo nupturam, ut populos in auxilium nepotis ſollicitaret. Nec res fruſtra fuit: nam cùm omnes Grypum Ægypti viribus inſtructum viderent, paulatim ab Alexandro deficere cœperunt, ex Juſtino lib. 39. cap. 2. Tandem prælio inter Antiochum Grypum & Alexandrum Zabinam commiſſo, victus Alexander Antiochiam profugit; & à latronibus captus, perductuſque ad Grypum, interficitur, ex Juſtino ibidem. In pugna cum Grypo cæ-

ſum eum occubuiſſe, tradit Joſephus lib. 13. c. 17. Cladem exercitûs non ferentem, quarto anno Olympiadis 164. veneno ſeipſum ſuſtuliſſe, refert Porphyrius in Græcis Euſebianis Scaligeri pag. 227. Hoc autem anno quartus ille annus abſolvitur.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5380. *Cyclo Solis* 8 *E. Lunæ* 2. *Indict.* 10. *Mundi* 3891. *Urbis conditæ* 640. *ante Chriſtum* 114.

XLIII. *Grypus & Cyzicenus inter ſe diſcordes.*

Cùm octo jam annis ſolus & quietus Regnum Syriæ *Antiochus Grypus* obtinuiſſet, natus eſt illi æmulus regni *Antiochus Cyzicenus* frater. Grypus audito quòd frater ipſius copias contra ſe apud *Cyzicum* colligeret, omiſſa expeditione quam in Judæos ſuſcipere inſtituerat, contra fratris adventum ſe paravit, ut ſcribit Joſephus lib. 13. cap. 17.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5382. *Cyclo Solis* 10. *B. Lunæ* 4. *Indict.* 12. *Mundi* 3893. *Urbis conditæ* 642. *ante Chriſtum* 112.

XLIV. *Regnum Syriæ in duo diviſum.*

In prælio inter Antiochos fratres, *Cyzicenum* ſcilicet & *Grypum*, facto victor Cyzicenus fratrem Regno expulit, Regnumque ſuſcepit anno primo Olympiadis 167. ex Porphyrio in Græcis Euſebianis pag. 227. qui addit, anno ſecundo ejuſdem Olympiadis Grypum *Aſpendo* redeuntem Syriam obtinuiſſe: Cyzicenum verò, diviſo Imperio, Cœleſyriâ potitum eſſe.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5387. *Cyclo Solis* 15 *C. Lunæ* 9. *Indict.* 2. *Mundi* 3898. *Urbis conditæ* 647. *ante Chriſtum* 107.

XLV. *Ariſtobulus ſuccedit Hyrcano in ſummo Pontificatu.*

Joannes Hyrcanus, cùm per annos XXIX ſummo Sacerdotio functus fuiſſet, mortuus eſt, ut ex Joſepho refert Euſebius lib. 8. Demonſtrat. Evangelic. cap. 2. & illum Latinè vertens in Commentariis ad 9. caput Danielis, repetit Hieronymus: licèt in noſtris libris, & in antiqua quoque Rufini verſione, Joſephus illi nunc XXXIII, nunc XXXI annos attribuat, ſed non ſine errore, ut rectè Uſſerius in Annal. vet. Teſt. Poſt Hyrcanum filiorum natu maximus *Judas*, alio nomine *Ariſtobulus* dictus, Principatum ſimul & Pontificatum per unum annum tantùm obtinuit: primuſque omnium poſt reditum à captivitate Babylonica, diademate ſibi impoſito, Principatum in Regni formam tranſtulit, ex Joſepho lib. 1. Belli cap. 3. Antiquit. lib. 13. cap. 19. & lib. 20. cap. 8. *Ariſtobulus* fratrem ſuum ſecundum *Antigonum* in Regni ſocietatem aſſumſit: tres verò reliquos vinctos cuſtodiæ tradidit, matremque conjecit in carcerem Principatûs æmulam: (nam illam Hyrcanus rerum dominam reliquerat) eóque crudelitatis proceſſit, ut fame necaret in vinculis. Joſephus ibidem.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5388. *Cyclo Solis* 16 *B. Lunæ* 10. *Indict.* 3. *Mundi* 3899. *Urbis conditæ* 648. *ante Chriſtum* 106.

XLVI. *Alexander Jannæus fit ſummus Pontifex Judæorum.*

Ariſtobulus Antigonum fratrem Salomes uxoris fraude interficit, & non multò pòſt vitâ excedit, ex Joſepho lib. 1. Belli cap. 3. & lib. 13. Antiquit. cap. 19. Poſt Ariſtobuli mortem *Salome* ejus uxor, quam Græci *Alexandram* nominant, ſolutis ejus fratribus, quos ille in vinculis habuerat, *Alexandrum Jannæum*, ætate ceteros præcedentem atque modeſtiâ, Regem conſtituit. Ille vero Regno potitus, alterum fratrem ſibi inſidiantem peremit, alterum contentum privatâ & otioſâ vitâ in honore habuit, ex Joſepho lib. 13. cap. 20.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5400. *Cyclo Solis* 28 *A. Lunæ* 3. *Indict.* 15. *Mundi* 3911. *Urbis conditæ* 660. *ante Chriſtum* 94.

XLVII. *Cyziceni Syriæ Regis interitus.*

Seleucus Antiochi Grypi filius Antiocho Cyziceno patruo bellum intulit. Hic ab eo prælio victus ſe ipſum interemit, poſtquam XVIII annos regnaſſet, ex Porphyrio in Græcis Euſebianis pag. 227. Cyzicenum in prælio à Seleuco captum, & neci traditum, Joſephus lib. 13. cap. 21. cum filiis Grypi bello congreſſum interiiſſe refert Trogus lib. 40. Prolog.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5401. *Cyclo Solis* 1 *G. Lunæ* 4. *Indict.* 1. *Mundi* 3912. *Urbis conditæ* 661. *ante Chriſtum* 93.

XLVIII. *Philippus & Antiochus Syriæ Reges.*

Antiochus Euſebes Antiochi Cyziceni filius, cùm Seleuci patruelis inſidias evaſiſſet, impoſito ſibi diademate eidem bellum intulit: quem uno prælio victum è tota Syria expulit, ut Joſephus lib. 13. cap. 21. & Appianus in Syriacis pag. 133. tradunt. *Seleucus* fugâ in Ciliciam delatus, poſtquam à Mopſueſtianis receptus eſt, cùm ſupra modum tyrannicus eſſet, ab eis unà cum regia & amicis concrematus eſt, ex iiſdem Auctoribus ibidem. Gemelli fratres Seleuci *Antiochus & Philippus* adductis copiis Mopſueſtiam vi ceperunt, eamque diruerunt: ſuperveniens verò Cyziceni filius Antiochus Euſebes prælio eos ſuperavit. Et Antiochus quidem è pugna fugiens in Oronte flumine ſubmerſus eſt. Frater verò illius Philippus & Antiochus Euſebes ab anno quarto Olympiadis 171. qui anno Urbis 659. inchoatur, de univerſo Syriæ Regno obtinendo inter ſe decertarunt, ex Porphyrio loco ſuprà laudato.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5402. *Cyclo Solis* 2 *F. Lunæ* 5. *Indict.* 2. *Mundi* 3913. *Urbis conditæ* 662. *ante Chriſtum* 92.

XLIX. *Demetrius Eucærus fit Rex Damaſci.*

Ptolemæus Lathurus Ægypti Rex quartum Antiochi Grypi filium *Demetrium Eucærum* Regem Damaſci conſtituit: cui cum fratre Philippo copias conjungenti Antiochus Euſe-

bes ſtrenuè reſtitit, ex Joſepho lib. 13. cap. 21. Superatus Antiochus ad Parthos fugere coactus eſt, ex Porphyrio citato & Euſebio in Chronico.

L. *Varia bella inter Reges Seleucidas.* *Galadenorum* Regina cum Parthis bellum geſſit; in cujus auxilium vocatum Antiochum Pium, ſeu Euſebem, Cyziceni filium, fortiter in prælio dimicantem occubuiſſe, atque ita Syriæ Regnum penes duos fratres Grypi filios, Philippum atque Demetrium Eucærum remanſiſſe, ſcribit Joſephus loco citato. Poſtea variorum certaminum per octo ſequentes annos inter Syriæ Reges habitorum pertæſi Syri, relictis Seleucidis, *Tigranis* Armeniæ Regis imperio ſe ſubjecerunt, ut in libri 40. initio Juſtinus indicat. Ideoque hic cum Euſebio in Chronico finem Seleucidis Regibus imponemus.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5415. Cyclo Solis 15 C. Lunæ 18. Indict. 15. Mundi 3926. Urbis conditæ 675. ante Chriſtum 79.

LI. *Hyrcanus fit Pontifex Hebræorum.* *Alexander Jannæus*, poſt multa proſperè in bello geſta, cùm viginti ſeptem annos regnaſſet, mortuus eſt. Cùm verò moriens & Regni adminiſtrationem uxori Alexandræ teſtamento reliquiſſet, & deligendi Pontificis permiſiſſet arbitrium, majorem illa natu filium Hyrcanum Pontificem declaravit, & per novem annos Regnum adminiſtravit, toto eo tempore filio Hyrcano Pontificatum obtinente. Joſephus lib. 13. Antiquit. cap. 24. & lib. 26. cap. 8. & lib. 1. Belli cap. 4.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5427. Cyclo Solis 27 B. Lunæ 11. Indict. 12. Mundi 3938. Urbis conditæ 687. ante Chriſtum 67.

LII. *Ariſtobulus Rex & Pontifex Judæorum.* *Hyrcanum* poſt exceſſum Alexandæ matris, quæ ex Joſepho lib. 14. Antiquit. cap. 1. anno 3. Olympiadis 177. Coſſ. Hortenſio & Metello Cretico accidit, elapſis tribus menſibus, ab Ariſtobulo juniore fratre pulſum fuiſſe Regno docet Joſephus lib. 15. cap. 9. Sed, cùm ab Hyrcano regnare incipiente, Hortenſio & Metello Cretico Coſſ. anno nempe Urbis conditæ 685. uſque ad Ariſtobulum regnare deſinentem, captis à Pompeio Hieroſolymis C. Antonio & M. Tullio Cicerone Coſſ. ſex annos effluxiſſe conſtet, & ex eis non plures, quàm tres annos, totidemque menſes Ariſtobulo Joſephus ipſe tribuat; Hyrcani regno non menſes tres, ſed annos tres tribuendos, apparet. Ex quibus ad temporum exæquationem duo tantùm menſes detrahendi. Hoc itaque tempore commiſſo inter Hyrcanum & Ariſtobulum fratres prælio, actum eſt de pacis conditionibus, in quibus obtinuit Ariſtobulus ut regnaret, qui etiam ſummum Sacerdotium annis tribus & menſibus totidem exercuit. Joſephus lib. 20. cap. 8.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5430. Cyclo Solis 2 E. Lunæ 14. Indict. 15. Mundi 3941. Urbis conditæ 690. ante Chriſtum 64.

LIII. *Syria à Romanis occupata.* *Pompeius* in Aſiam à Populo Romano miſſus Syriæ recipiendæ cupiditate flagrabat. Syriam itaque Cœlen & Phœnicen bello aggreſſus, Ituræos primùm Arabeſque perdomuit, ex Appiano pag. 244. Eutropio lib. 6. & Oroſio lib. 6. cap. 9. poſtea deſcendit in *Syriam*, quam, ut juſto Rege vacantem, in formam Provinciæ redegit, poſſeſſionemque fecit populi Romani, ex Strabone lib. 16. pag. 755. Exiſtimat Uſſerius in Annal. vet. Teſt. cum Antiochiæ autonomiam eodem tempore conceſſiſſe.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5431. Cyclo Solis 3 D. Lunæ 15. Indict. 1. Mundi 3942. Urbis conditæ 691. ante Chriſtum 63.

LIV. *Hieroſolyma à Judeis capta.* Sulpicius Severus in lib. 2. Hiſt. poſtquam locutus eſt de Alexandræ morte, ait: *Poſt hujus obitum fœda inter fratres* (nempe Ariſtobulum & Hyrcanum ejus filios) *de Regno certamina orta. Ac primùm Hyrcanus Imperium obtinebat: mox ab Ariſtobulo fratre pulſus, confugit ad Pompeium: qui tum Mithridatico bello confecto, pacatáque Armeniâ & Ponto, victor omnium gentium quas adierat, ultrorſum pergere, & vicina quæque Romano Imperio adjungere cupiens, cauſas belli & materiam vincendi quærebat. Igitur Hyrcanum libens excepit, ductuque ejus Judæos aggreditur: urbe capta atque arce, Templo pepercit: Ariſtobulum vinctum Romam mittit, Hyrcano jus Pontificatûs reſtituit, impoſitoque Judæis ſtipendio, Procuratorem eis Antipatrum quendam Aſcaloniten præpoſuit.* Joſephus lib. 14. Antiquit. cap. 8. obſervat, captum Templum obſidionis *tertio demùm menſe, die jejunii, 179. Olympiade, C. Antonio & M. Tullio Cicerone Coſſ.* Euſebius in Demonſtrat. Evangelic. lib. 8. cap. 2. dicit, id factum anno primo illius Olympiadis anno Urbis 690. cœptæ. Numeratur hic annus 79. ab anno regni Græcorum 170. quo ab Iſraële jugum gentium ſublatum fuiſſe legitur in lib. Machab. cap. 13. v. 41. Unde quàm brevi temporis ſpatio Judæi libertate ſua potiti fuerint, intelligitur. Ex hoc itaque tempore, quod veluti cardo quidam Judaïcæ Hiſtoriæ extat, *Hieroſolyma* Romanis tributum pendere cœpit. Hyrcanus Regis quidem nomen, licèt ſine diademate, tum retinuit: ſed illius tanta erat ingenii imbecillitas, ut non vectigalia ſolùm ordinandi, ſed alia quoque omnia pro libitu in Palæſtina diſponendi, poteſtatem ſibi Syriæ Præſides aſſumerent.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5432. Cyclo Solis 4 C. Lunæ 16. Indict. 2. Mundi 3943. Urbis conditæ 692. ante Chriſtum 62.

LV. *Pompeius plurium Gentium victor.* *Pompeius*, poſtquam in Aſia multos Principes Regeſque partim debellaſſet, partim ſibi certis conditionibus adjunxiſſet, arces non minùs mille, urbes non infra DCCCC cepiſſet, urbes XXXIX vel collapſas, aut bello vaſtatas reſtituiſſet, octo urbes regioneſque colonis auxiſſet, majoremque earum nationum partem, quæ per continentem Aſiam Romanorum erant, ſuis ipſe Legibus inſtruxiſſet, eiſque Rempublicam ordinaviſſet; Epheſo demum ſolvens, per Inſulas & Græciam magnâ pompâ iter *in Italiam* inſtituit, ut legitur apud Dionem lib. 37. Appianum pag. 251. & Plutarchum in Pompeio.

Apparatus.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5433. Cyclo Solis 5. BA. Lunæ 17. Indict. 3. Mundi 3944. Urbis conditæ 693. ante Chriſtum 61.

LVI. *Gazæ autonomia conceſſa.* Triumphum ad Natalem ſuum *Pompeius* diſtulit, ad *pridie* nempe *Kalendas Octobris*, M. Meſſala & M. Piſone Coſſ. ut ex ipſius Pompeii triumphorum Actis à Plinio lib. 7. cap. 26. & lib. 37. cap. 2. commemoratis intelligitur. Incurrebat autem hoc anno dies ille Pompeii natalis in menſem Junium, vel Julium Julianum, ut notat Uſſerius in Annal. vet. Teſt. qui & ait: *Gazenſes anno jam tertio à Judæorum poteſtate liberati, hinc tempora ſua dinumerarunt.* Faſti Siculi anno 4. Olymp. 179. *Circa Octobris verò Juliani diem 27. Gazenſes annum ſuum inchoaſſe, ex Marco Gazenſi Diacono in Vita Porphyrii Epiſcopi colligimus.* Quam Epocham ab hoc anno inchoandam multa Numiſmata, quæ in Cimelio Regio aſſervantur, demonſtrant. Ea Noriſius in egregio ſuo Opere de Epochis urbium Syriæ prope diem in lucem emittendo, repræſentabit.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5441. Cyclo Solis 13 FE. Lunæ 6. Indict. 11. Mundi 3952. Urbis conditæ 701. ante Chriſtum 53.

LVII. *Craſſus à Parthis occiſus.* Accidit hoc anno inſignis clades, quâ *M. Craſſus* ſublatus, dum adverſus Parthos bellum gereret, quamque Dio lib. 40. enarrat. Undecim legiones penè cum ſuo capite amiſſas fuiſſe, ſcribit Jornandes lib. de Regnorum ſucceſſione. Summa omnium interfectorum viginti millia dicitur fuiſſe; eorum qui vivi in poteſtate hoſtium venerunt, decem millia, ut apud Plutarchum in Vita Craſſi legitur. Ex centum verò millibus vix decem millia refugiſſe in Syriam, affirmat Appianus lib. 2. Bell. civil. pag. 438. *Sexto* autem *Idus Junii* hæc geſta fuiſſe, in libro ſexto Faſtorum Ovidius teſtatur. μεσοῦντι τῷ θέρει, id eſt, *media æſtate*, in Hiſtoriarum ſuarum libro 40. Dio ſcribit. Ubi & adjicit, *Parthos* hoc tempore omnem ditionem intra Euphratem recuperaſſe. Hinc belli civilis Pompeium inter & Cæſarem fundamenta jacta. Occiſo enim Craſſo, qui utrique imminebat, reliquum erat Cæſari, quò evaderet maximus, ut eum qui ſupererat, profligaret. Legendus Plutarchus in Cæſare & in Pompeio.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5445. Cyclo Solis 17 AG. Lunæ 10. Indict. 15. Mundi 3956. Urbis conditæ 705. ante Chriſtum 49.

LVIII. *Belli civilis initium.* Bellum civile Cæſarem inter & Pompeium hoc anno cœptum. Cæſar Dictator creatus poſt dies undecim ſe ipſo & P. Servilio Iſaurico Coſſ. declaratis, Dictaturâ ſe abdicavit, ut ipſemet refert initio libri 3. Comment. de Bello Civili. A prima hac Cæſaris Dictatura Syro-Macedones Eram ſuam Antiochenam inſtituiſſe, in Diſſert. de Periodo Græco-Romana oſtendi. Quæ Era Juliana appellanda, ut diſtinguatur ab altera Era Antiochena, de qua ſuprà; quæ ad hujus diſcrimen Pompeiana nuncupanda.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5446. Cyclo Solis 18 F. Lunæ 11. Indict. 1. Mundi 3957. Urbis conditæ 706. ante Chriſtum 48.

Hoc anno, quo *C. Julius Cæſar* P. Servilio Iſaurico Collega Conſulatum geſſit, *pugna Pharſalica* habita, in qua Cæſar Pompeium devicit. Locus prælii *Palæopharſalum* in Theſſalia ſitum. *Segetem propè jam maturam fuiſſe* ſcribit Cæſar lib. 3. de Bel. Civil. Appianus lib. 2. de Bello civili ait, Cæſarianos à Cæſare *frumentatum* miſſos. Lucanus lib. 7. *ad ſegetum raptus.* Eratque tum *adulta æſtas & æſtus plurimus*, inquit Plutarchus in Marco Bruto. Quæ omnia ab Uſſerio in Annal. vet. Teſt. hoc anno obſervata. Quæ tamen difficultate non carent; cùm Joſephus dicat, Julium imperaſſe *tribus annis cum dimidio.* Pompeius caſtris relictis in Ægyptum fugit, ibique Ptolemæi Regis juſſu trucidatur ætatis anno duodeſexageſimo, *pridie Natalem ipſius,* inquit Velleius lib. 2. cap. 53. Dies autem ejus natalis incidebat in pridie Kalendas Octobris, teſte Plinio lib. 37. cap. 11. ideoque anni illi completi intelligendi. LIX. *Pompeius à Cæſare victus.*

Pompeii mors *Romæ* credita non eſt, niſi poſt eò miſſum ipſius annulum. Tum verò Romani in Cæſarem honores certatim effuderunt: poteſtate ei data, ut de Pompeianis arbitratu ſuo ſtatueret: ut ei belli paciſque jus in omnes homines eſſet; etſi neque ad populum de iis retuliſſet: ut quinque continuis annis Conſulatum gereret: ut *Dictator* non ad ſemeſtre tantùm ſpatium, ut olim, ſed in integrum annum diceretur: ut *Tribunitiam Poteſtatem* per omnem vitam haberet, ipſis Tribunis aſſidendo, deque rebus agendis unà cum ipſis ſtatuendo; quod nulli unquam conceſſum fuerat. *His ita decretis approbatiſque, Cæſar, quamvis extra Italiam erat, ſtatim Dictaturam accepit*, inquit Dio lib. 42. Porro in Syria, ut à prima Dictatura Antiocheni, ita à ſecunda hac Laodiceni tempora Cæſariana numeraſſe videntur. Eram enim Laodicenam unico tantum anno Antiochenâ poſteriorem fuiſſe, ad ſecundum Probi Imperatoris annum ex Euſebio in Chronico oſtendam. LX. *Honores Cæſari poſt Pompeii necem decreti.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5447. Cyclo Solis 19 E. Lunæ 12. Indict. 2. Mundi 3958. Urbis conditæ 707. ante Chriſtum 47.

Antigonus Ariſtobuli Judæorum Regis filius ad Cæſarem in Syria agentem venit, queſtuſque eſt de patris infortunio, quòd propter ipſum veneno à Pompeianis extinctus eſſet, & frater ſuus Alexander à Scipione ſecuri percuſſus, anno ſcilicet Urbis 705. rogavitque ut ſui miſereretur, paterno Principatu ejecti. Præterea *Hyrcanum* accuſabat & *Antipatrum*, quòd per vim Principatum gentis gererent, nec abſtinerent ab ipſius injuriis. Antipater verò cauſam ſuam egit, objecta crimina diluens: Antigonumque ſeditionis & LXI. *Hyrcanus Pontifex factus, Antipater Judææ Procurator.*

novarum rerum ſtudioſum eſſe coarguit. Commemorabat enim quantùm proximo bello laboraſſet pro Cæſare, & multitudinem vulnerum quæ acceperat, oſtentabat. Tum Cæſar Antipatri oratione motus, Hyrcanum Pontificem declaravit: Antipatro verò Dynaſtiam, quamcumque ipſe optaret, obtulit, & Procuratorem Judææ conſtituit, ut prodit Joſephus lib. 1. Belli cap. 8. & lib. 14. Antiquit. cap. 15. Antipater *Phaſaëlum* quidem è liberis ſuis natu maximum Hieroſolymis & circumjacenti regioni Ducem conſtituit: *Herodi* autem ſecundo admodum adoleſcenti, Galilæam curandam commiſit ex Joſepho lib. 1. Belli cap. 8. & lib. 14. Antiquit. cap. 16. & 17.

LXII. *Herodes hoc tempore natus annos XXV.*

Hîc autem Joſephi verba, quæ Viros doctos in errorem induxere, explicanda: *Ceterùm, cùm Hyrcanum ſtupidum ac ſegnem animadverteret,* (ſcilicet Antipater) *Phaſaëlum è liberis ſuis natu maximum Hieroſolymis & circumvicinæ regioni Ducem conſtituit, Herodi ſecundo Galilæam curandam commiſit, etiam tum admodum adoleſcenti, nec excedenti annum quintum decimum*, inquit Joſephus lib. 14. Antiquit. cap. 17. Baronius tanquam certum ponens, Herodem, qui naſcente Chriſto adhuc in vivis erat, ejuſque vitæ inſidiatus eſt, hoc tempore annos natum quindecim fuiſſe, in ceteris Herodis annis eum hallucinatum contendit. Quòd ſi quis dicat, ut revera dicendum eſt, Librariorum errore locum corruptum eſſe, & notam κε. id eſt, 25. in ιε, id eſt, 15. tranſiiſſe, reſpondet, hanc emendationem non admittendam, cùm natus annos viginti quinque adoleſcens dici non poſſe videatur. Verùm, licèt Rufinus in verſione Joſephi, Photius in Bibliotheca cod. 238. Pſeudogorionis Hebræus lib. 5. cap. 3. & Nicephorus Callixti lib. 1. cap. 6. numerum xv retineant, primi rerum Herodis Deſcriptores, Ptolemæus & Nicolaus Damaſcenus, ex quibus ſua Joſephus hauſit, non xv, ſed xxv ſcripſiſſe videntur, ut ait Uſſerius in Annal. vet. Teſt. Imò nec ipſemet Joſephus quindecim ſcripſit, ſed xxv, ut oſtendit Noriſius in Diſſert. 2. de Cenotaphiis Piſanis cap. 6. quod hac ratione oſtendit. Joſephus lib. 14. cap. 12. ſcribit, Antipatro quatuor filios fuiſſe: Phaſaëlum, Herodem ſecundò genitum, ac Pheroram, filiam verò Salomen; ab illo maximè cultum Aretam Regem Arabum, *apud quem*, inquit, *& liberos depoſuit, dum bellum contra Ariſtobulum gereret*. Hoc bellum geſtum eſt anno Urbis 689. ante Epocham vulgarem Chriſti 65. ut eruditè oſtendit Uſſerius in Annalibus, & quidem ineunte vere: nam inter ſolennia Paſchalia Antigonus intra Hieroſolymam ab Areta & Antipatro obſidebatur, ex Joſepho lib. 14. cap. 3. At anno ſuperiori Antipater ad Aretam Arabum Regem confugiens, eundem ad bellum contra Antigonum ſuſcipiendum ſollicitavit, & ut fidem eidem faceret, filios apud illum depoſuit. Igitur anno Urbis 688. Herodes vivebat obſes Arabi datus. Cùm major natu eſſet Pherorâ, (volo enim concedere Salomen nondum natam) anno ſuperiori 687. idem Herodes erat puer: Hinc ad annum Urbis 707. anni viginti numerantur vitæ Herodis; ac proinde error Codicis Joſephi ex eodem Auctore corrigendus venit. Ita Noriſius.

Baron. in Apparatu n. cxiv.

LXIII. *Vox* adoleſcens *hominem XXV ac plurium annorum ſæpe ſignificat.*

Neque etiam audiendi, qui *adoleſcentis* nomen hanc correctionem rejicere volunt. Nam præter à Caſaubono in Exercitationibus notata, Salluſtius in Catilinaria ſcribit, Q. Catulum Cæſari infeſtum fuiſſe, quòd in petitione Pontificatûs maximi *ab adoleſcentulo Cæſare victus diſceſſerat*. Cæſar Pontificatum maximum adeptus eſt anno Urbis 691. ex Dione lib. 37. annos natus 37. Eodem anno idem Cæſar fuit deſignatus Prætor. Cicero in Divinatione contra Verrem L. Metellum Prætorem Ciliciæ alloquens ait: *M. Cæcilium fratrem tuum lectiſſimum atque ornatiſſimum adoleſcentem*, qui tamen erat itidem Prætor deſignatus, ut ibidem Cicero teſtatur. Hæc & alia exempla ibidem Noriſius. Sed non tantùm hoc tempore, ſed etiam per quinque ſequentia ſecula vox *adoleſcentis* pro homine triginta & ampliùs annis nato uſurpata, ut identidem in hac Critica conſtabit. Sufficiat hîc locus Lactantii lib. de Mortibus Perſecutorum cap. 29. de Maximiani Herculii Conſtantini Magni ſoceri morte, quæ anno Chriſti trecenteſimo decimo contigit: *Credidit adoleſcens*, inquit Lactantius, *ut perito ac ſeni, paret ut ſocero*, &c. ubi Conſtantinus, qui tunc annum ætatis circiter quadrageſimum agebat, dicitur *adoleſcens*. Cùm itaque certum eſſe debeat, Herodem currenti Urbis anno 707. annos xxv vel inchoaſſe, vel abſolviſſe, conſtetque ex Joſepho lib. 17. cap. 8. Herodem defunctum *circa annum ſeptuageſimum*, apparet, Herodis mortem anno Urbis 751. vel inſequenti mortuum eſſe. Hæc ad Natale Chriſti rectè conſignandum neceſſariò obſervanda.

LXIV. *Annus Confuſionis.*

Ab hoc anno, circiter Kalendas Octobres, cœpit annus, qui vulgò *Confuſionis* dicitur, & 445. dies habuit, de quo videndus Petavius lib. 10. de Doct. Temp. cap. 59. Romani anni, cùm ad hujus correctionem *Julius Cæſar* adjecit animum, eò jam labes progreſſionem fecerat, ut Januarius Octobris 13. aliquando etiam ante hoc tempus inciperet. Quare Cæſar adhibito Soſigene, aliiſque Mathematicarum artium conſultis, ad eam, quâ Chriſtianus hodie Orbis utitur, formam redegit.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5449. Cyclo Solis 21 CB. Lunæ 14. Indict. 4. Mundi 3960. Urbis conditæ 709. ante Chriſtum 45. Juliano 1.

LXV. *Primus annus Julianus.*

Coss. *C. Julius Cæſar IV, & Magiſter equitum M. Lepidus.* A Kalendis Januariis, quibus hunc quartum Conſulatum iniit, primus ordinationis Julianæ annus numeratus eſt. Inde enim anni à ſe conſtituti principium fecit, ut docet Cenſorinus de Die natali cap. 20. In poſterum Conſules & annum Julianum memorabimus, ut contextus temporum clariùs procedat.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5450. Cyclo Solis 22 A. Lunæ 15. Indict. 5. Mundi 3961. Urbis conditæ 710. ante Chriſtum 44. Juliano 2. Olymp. 184.

Coss. *C. Julius Cæſar V, & Magiſter* LXVI.

Julius Cæſar occiditur. *equitum M. Antonius.* Cùm Julius Cæſar in Curiam veniſſet, expeditionem Parthicam meditatus, ibi in curuli ſedentem cum Senatus invadit, tribuſque & viginti vulneribus occiſus eſt, ex Livio lib. 116. & Floro lib. 4. cap. 2. *Idibus Martiis*, ætatis anno 56. ex Suetonio in Julio Cæſare cap. 81. 88. & 89. Plutarcho in eodem, & Appiano lib. 2. Bel. civil. pag 522. Qui Imperatores à Julio Cæſare auſpicantur, in ejus monarchiæ annis computandis inter ſe diſſident. Quidam tres annos ei imputant, ut Auſonius; alii quatuor cum menſibus aliquot, ut Euſebius in Chronico; alii quinque. Omnium optime Joſephus, qui vel à Pompeii morte, vel à ſecunda Cæſaris Dictatura monarchiæ ejus primordia deſumit, quando ait, eum occiſum *exactis in Principatu ſuo tribus annis cum dimidio.* Feſtus tamen Rufus in Breviario, pluresque ex Antiquis Romanorum Imperatorum exordium ab Auguſto deducunt: & quidem rectè; Julio enim vivente quædam libertatis Reiquepublicæ ſpecies adhuc extitit.

LXVII. *Auguſtus Julio ſuccedit.* Caius Octavius Julii Cæſaris ex ſorore nepos, Cæſaris nomen aſſumit, ſeſeque in Juliam gentem adſciſcens, pro Caio Octavio ſe Caium Cæſarem Octavianum deinceps appellavit, ut teſtatur Dio lib. 45. Ab hoc anno ac nece Julii initium Imperii ejuſdem Octaviani Scriptores communiter deducunt, uti Joſephus lib. 18. Antiquit. cap. 3. ubi ait: *Præfuit Reipublicæ annos quinquaginta ſeptem, ſex menſibus & diebus duobus ampliùs.* Deſunt tamen dies tres ac menſis integer; cùm Auguſtus die decimo nono menſis Auguſti anni Chriſti 14 ſupremum diem obierit, Julius verò Cæſar die 15. Martii currentis anni. Joſephum ſequitur Euſebius in Hiſtoria lib. 1. cap. 9. ubi tradit, imperaſſe Auguſtum *ſeptem & quinquaginta annis*, ubi menſes & dies numerum illum excedentes negligit. Ex quo liquet, correxiſſe Euſebium in Hiſtoria quod in Chronico ſcripſerat, Auguſtum nempe imperaſſe annis quinquaginta ſex, menſibus ſex, niſi in Hiſtoria annos incompletos pro completis uſurparit; quod non exiſtimo. Nam in Chronico Auguſti mortem cum anno Eræ Dionyſianæ decimo tertio per errorem copulat, quem cùm Petavius aliique Viri doctiſſimi non obſervarint, in Chronico Euſebii explicando non ſemel hallucinati ſunt. Quem errorem Euſebium in Hiſtoria correxiſſe, ob idque ſcripſiſſe, regnaſſe Auguſtum ſeptem & quinquaginta annis, exiſtimo.

LXVIII. *Initium Auguſti ab Antiquis ab hoc anno communiter deſumtum.* Antiqui, qui ſcripſere, Chriſtum natum eſſe anno quadrageſimo primo, aut quadrageſimo ſecundo, aut quadrageſimo tertio Auguſti, à currenti anno hujus Imperatoris initium repetunt; quod miror à Viris eruditiſſimis in dubium revocatum; ideoque Imperium Auguſti in Chronicis & Annalibus ab hoc anno incipiendum, non verò à ſequenti, ut perperam Petavius lib. 13. de Doct. Temp. aliique multi. Baronius rectè ſcribit, qui natum dixere Chriſtum anno Auguſti XLII, eos incipere ejus Imperium à nece Julii Cæſaris. Sed perperam addit, qui numerant Auguſti tempus à Conſulatu Panſæ & Hirtii, ab anno nempe ſequenti, hos natum tradidiſſe Chriſtum anno XLI ejuſdem Imperatoris, puta Irenæum, Tertullianum & Hieronymum, quos ipſe citat. Nam tam iſti, quàm Epiphanius, Auguſti principium à currenti anno auſpicantur, ut eorum loca examinanti patebit.

Petavius in Animadverſionibus Epiphanianis pag. 150. autumat, Epiphanium, Chriſtum anno Auguſti XLII natum eſſe ſcribentem, hujus Imperatoris initium ſtatuere anno Juliano tertio, inſequenti nempe: quod probat ex partitione temporis, quo Epiphanius hæreſi 51. Auguſtum imperaſſe tradit: *Siquidem Auguſtus XIII annis imperavit, antequam Judæa penitus Romanis eſſet adjuncta*, inquit Epiphanius, qui addit, *cùm Judæa eſſet omnis occupata, ac jam XXIX annis, Romanis facta vectigalis*; Chriſtum natum eſſe anno XLII Auguſti VIII Idus Januarii. Nam, inquit Petavius, à Juliano tertio ad decimum quintum anni tredecim exiſtunt; quibus additi XXIX ſummam XLII conficiunt, quorum poſtremus XLIV Juliano incipit, & quidem ex ante Kalend. Januar. Quam ob cauſam anno Auguſti XLI, potius quàm XLII, Natalis Chriſti aſſignandus fuit, cum Irenæo, Tertulliano & aliis compluribus. Ita Petavius. Sed perperam: tredecim enim priores anni ab Epiphanio expreſſi anno Juliano 2. currenti nempe incipiunt, annoque Juliano decimo quinto, quo Antonius & Cleopatra debellati, abſolvuntur. Anni verò XXIX ab Epiphanio memorati, ab eodem anno Juliano decimo quinto exordiuntur, annoque Juliano quadrageſimo tertio, quo Auguſtus Imperii quadrageſimum ſecundùm inchoavit, terminantur, Chriſtuſque ſecundùm Epiphanium natus eſt die ſexta Januarii anni Juliani quadrageſimi quarti, quo menſe & anno quadrageſimus ſecundus Auguſti adhuc in curſu erat uſque ad Idus Martias, quo die Julius Cæſar occiſus, vel uſque ad autumnum, vel uſque ad Septembrem, ſecundùm diverſos modos annos Auguſti incipiendi ab Antiquis uſurpatos. Sed Petavius, qui annorum illorum tredecim ab anno Juliano tertio, ſequenti nempe, principium inchoavit, coactus eſt Epiphanium ad illorum ſententiam trahere, qui Chriſtum anno XLI Auguſti natum ſcripſere.

LXIX. *Quomodo S. Epiphanius Auguſti annos numerat.*

LXX. *Initium Auguſti ſecundùm Euſebium.* A currenti pariter anno Juliano Euſebius in Chronico Auguſti annos deduxit, ut rectè Baronio obſervatum. Quare Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis ad numerum 1988. & Petavius laudatus, ab anno Juliano tertio, ſequenti ſcilicet, Euſebium Auguſti initium putare malè autumarunt. Euſebius itaque primum Auguſti annum à menſe Septembri anni Juliani 2. cum anno civili ſeu Antiocheno auſpicatus eſt, etiam juxta editionem Chronici à Scaligero curatam, ab anno nempe Abrahami 1974. quemadmodum in Auguſti morte & alibi declarabo, ut vulgaris error tandem profligetur.

Signa & prodigia. Ad hunc annum pertinent ſigna, quæ Baronius de Chriſti adventu explicat in Apparatu num. XXVII & Spondanus num. XIV.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5451. Cyclo Solis 23 G. Lunæ 16. Indict. 6. Mundi 3962. Urbis conditæ 711. ante Chriſtum 43. Juliano 3.

LXXI. *Primus Conſulatus Auguſti.* Coss. *C. Vibius Panſa, & A. Hirtius*, qui Kalendis Januariis dignitatem illam iniere, poſtridieque C. Cæſari Octaviano *Imperium extraordinarium*, (ut in Philippica 11. Cicero appellat) à Senatu datum eſt, cum Conſularibus ornamentis, & lictoribus atque inſignibus Prætoriis: ut comparato à ſe exercitui pro Prætore præeſſet, aliaque in ejus gratiam decreta, ut videre eſt apud Ciceronem Philip. 5. & lib. ad Brutum epiſt. 15. Livium lib. 118. Velleium lib. 2. cap. 81. Suetonium in Octavio cap. 10. Plutarchum in Antonio, Appianum lib. 3. pag. 559. & 560. Dionem lib. 46. pag. 310. De hoc Imperio extraordinario hoc anno Octaviano dato loquitur Baronius in Apparatu num. CIV. Tum *die decima nona* menſis Auguſti primum Conſulatum Octavianus ſuſcepit, Collega Q. Pedio; quæ dies poſtea ejus emortualis fuit, ut notavit Dio lib. 56. Unde & Curioſorum illa obſervatio apud Tacitum lib. 1. Annal. cap. 9. *quod idem dies accepti Imperii Princeps & vitæ ſupremæ* fuerit: Imperio non malè à primo hoc Conſulatu deducto, ut notavit Baronius num. CV, & Spondanus num. XXXIII. Varia itaque Imperii Auguſti initia fuere, ſed à præcedenti anno cum antiquis Auctoribus Eccleſiaſticis initium Auguſti in Annalibus repetendum fuit. Porro Auguſti exemplo ceteri Imperatores initio Imperii Conſulatum de more cepere, quidam ſuffectum, ſed pleríque ordinarium. Quo ex uſu primam Conſulatuum Cæſareorum regulam concinnavi. Poſt Auguſti mortem Conſulatuum regulæ à me ſtatutæ in uſum vocatæ.

Prodigia. Ad hunc annum referenda oſtenſa prodigia, quæ Baronius Chriſti adventum præceſſiſſe tradit in Apparatu num. XXVIII, & Spondanus ibid. num. XIV.

LXXII. *Initium Auguſti diverſimodè inchoatum.* A primo Auguſti Conſulatu, vel à Triumviratu, de quo mox, Auctor libri de Claris Oratoribus initium Auguſti deducit, ut ex ejus verbis liquet: *Nam, ut de Cicerone ipſo loquar, Hirtio nempe & Panſa Coſſ. ut Tiro libertus ejus ſcripſit, VII Idus Decemb. occiſus eſt, quo anno Divus Auguſtus in locum Panſæ & Hirtii ſe & Q. Pedium Coſſ. ſuffecit. Statue VI & L annos, quibus mox Divus Auguſtus Remp. rexit: adjice Tiberii tres & viginti, & prope quadriennium Caii, ac bis quaternos denos Claudii & Neronis annos, atque ipſum Galbæ & Othonis & Vitellii unum annum, ac ſextam jam felicis hujus Principatus ſtationem, quâ Veſpaſianus Remp. fovet, C. & XX anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, unius hominis ætas.* Ubi ab eo ferè tempore, quo Cicero mortuus eſt, ſummæ illius, quam ibidem colligit, caput inſtituit. Verum quidem eſt, ab anno Urbis 711. quo Cicero mortuus eſt, ad annum Urbis 828. quo Veſpaſianus ſextum Imperii annum abſolvit, annos tantùm CXVIII utrimque incompletos numerari. Sed Auctor ille, ut plerique Veterum, loquitur numero rotundo, & CXX pro CXVIII numerat. Eadem ratione, inquit Petavius lib. 10. de Doct. Temp. cap. 64. Tacitus lib. 1. Hiſt. prius ævum populi Romani ab Urbe condita ad Actiacum prælium, DCCXX annorum facit, cùm revera ſint DCCXXII completi. Qui numerandi modi ad varios nodos ſolvendos notandi. Baronius inter exempla, quæ refert eorum, qui à nece Cæſaris annos Auguſti numerarunt, ait: *Tacitus etiam, ſive alius Auctor Dialogi de Oratoribus, nonniſi à nece Cæſaris numerat Auguſti annos, dum imperaſſe annos quinquaginta & octo teſtatur.* Verùm Auctor ille non LVIII, ſed LVI habet, & manifeſtè à Ciceronis morte Auguſti Imperium exorditur, ut legenti liquet. *Baron. in Apparat. n. CIV.*

LXXIII. *Triumviratûs inſtitutio.* Hoc anno Octavius, Antonius & Lepidus Imperium Romanum, quaſi hæreditatem quandam inter ſe diviſerunt, & conſtituerunt ut Triumviri eſſent Reipublicæ conſtituendæ in proximum quinquennium, ut teſtatur Dio lib. 46. Cœptus autem Triumviratus V Kalend. Decemb. ut ex Inſcriptione Gruteriana pag. 298. apparet. Hinc initium Principatûs Cæſaris Octaviani Suetonius in Octaviano cap. 8. & Eutropius lib. 7. deducunt: annos ferè XII ad victoriam Actiacam, à qua monarchiam ejus auſpicantur, numerantes. *Baron. num. CV.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5452. Cyclo Solis 24 F. Lunæ 17. Indict. 7. Mundi 3963. Urbis conditæ 712. ante Chriſtum 42. Juliano 4. Auguſti 3.

LXXIV. *Annus Julianus prava intercalatione turbatus.* Coss. *M. Æmilius Lepidus II, & L. Munatius Plancus.* Anno Juliano quarto in Februario dies vitiosè intercalatus eſt: cùm à Februario anni primi Juliani eò uſque triennii ſolùm ſpatium interceſſiſſet. Qui error uſque ad annum Julianum 37. deinceps eſt continuatus. Nam, cùm oporteret diem, qui ex quadrantibus conficit, quarto quoque anno confecto, antequam quintus inciperet, intercalare: Sacerdotes quarto non peracto, ſed incipiente, intercalabant. Atque ita annus à Julio Cæſare recte ordinatus, horum negligentiâ conturbatus atque confuſus eſt; qua de re legendus Suetonius in Octaviano cap. 31. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 14. in fine. Baronius quidem anno Juliano tertio, quo Coſſ. fuerunt Hirtius & Panſa, primum biſſextilem annum à Julio Cæſare conſtitutum dicit. Sed ea opinio ſolidè à Petavio confutata lib. 4. de Doct. Temp. cap. 2. & 3. Quare vide quæ ibidem hanc in rem afferuntur. *Baron. in Apparat. n. CXXVIII.*

Tres Soles viſi. Tres Soles, qui ſecundùm Baronium num. XXVIII, & Spondanum num. XIV, adventum Chriſti prænuntiabant, hoc anno viſi.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5453. Cyclo Solis 25 ED. Lunæ 18. Indict. 8. Mundi 3964. Urbis conditæ 713. ante Chriſtum 41. Juliano 5. Auguſti 4.

LXXV. *Herodes Antonium ſibi conciliavit.* Coss. *L. Antonius, & P. Servilius Iſauricus II.* Scribit Joſephus lib. 4. Antiquit. cap. 12. Antonium Antonii Conſulis fratrem in Bithyniam primùm advectum, ubi aderant Hebræorum Legati, Herodem accuſaturi, quòd Regiam poteſtatem invaſiſſet, Hyrcano penes titulum tantùm regnante; Herodem ve-

rò ab Antonio primùm in colloquium admiſſum, adeo ſibi Antonium conciliaſſe, ut accuſatores nequidem auditi, re infectâ, diſceſſerint.

Olymp. 185. *Anno Periodi Græco Romanæ 5454. Cyclo Solis 26 C. Lunæ 19. Indict. 9. Mundi 3965. Urbis conditæ 714. ante Chriſtum 40. Juliano 6. Auguſti 5. Herodis 1.*

LXXVI. Coss. *Cn. Domitius Calvinus II. & C. Aſinius Pollio.* Parthi, appetente vere, in Syriam cum ingenti exercitu irrupere, quam *Pacoro* Regis filio & *Labieno*, qui ex clade Philippenſi ad eos fugerat, Ducibus, univerſam nullo negotio, excepta Tyro, ſubegerunt. Tum diviſis copiis, Labieno cum parte exercitûs in Aſiam miſſo, Pacorus in Palæſtinam movit, ex Dione lib. 48. Joſephus lib. 14. Antiquit. cap. 23. ſcribit, hanc Parthorum in Syriam irruptionem contigiſſe *altero anno* ab Antonii in Aſiam adventu. Rectè quidem, inquit Noriſius in Diſſert. 2. de Cenotaphiis Piſanis cap. 6. nam anno Urbis 713. Antonius in Aſiam è Græcia tranſmiſerat, ac anno colligendis tributis conſumto, Alexandriam, hieme inſtante, perrèxerat; Parthi verò altero anno Urbis 714. Syriam invaſerunt.

LXXVII. *Antigonus, Hyrcano ejecto, Judæis Rex impoſitus.* Palæſtinæ id temporis *Hyrcanus* imperabat; omnia tamen unius Herodis ejuſdem generi arbitrio gerebantur; quod ægrè ferens *Antigonus*, cujus pater Ariſtobulus Judææ Regno quondam à Pompeio privatus fuerat, Parthos totâ Syriâ victores, ingentium præmiorum promiſſis allectos, in Palæſtinam accivit, ut eorundem operâ paternum Regnum recuperaret. *Pacorus*, cùm ſciret, Hyrcanum Romanorum partibus ſtudere, cum duplici exercitu in Judæam ſtatim venit, ut dejecto Hyrcano, Antigonum Regno præficeret. Antigonus cum copiis, quas privatâ pecuniâ collegerat, Hieroſolymam movit, atque à civibus Herodis regimen peroſis, intra urbem admiſſus eſt; regiam tamen non occupavit, quòd & ſitu munita, & valido milite inſtructa, ab Herode tenebatur. Pacorus exercitum procul ab urbe caſtra metari juſſit, expectans *conventuras à tota regione turbas ad Pentecoſten, quam vocant, ſolennitatem*, ex Joſepho lib 14. cap. 24. Ubi feſta dies advenit, ac in urbe paſſim cædes fierent, aliis Antigoni, aliis Herodis partes foventibus, Pacorus ſeditionis componendæ prætextu, partem exercitûs urbi admovit, ac Hyrcanum in colloquium amicè venientem, ac nullos dolos veritum, ſpecie Legationis ad Barzaphatnen ducit, qui cum altero exercitu longiùs Hieroſolymâ ſubſtiterat. Hyrcanus, ubi in caſtra venit, in vincula conjicitur, ac *Antigonus* Judæis Rex ſtatim imponitur. Herodes qui in regia remanſerat, Hyrcani captivitate intellectâ, Hieroſolymis relictis, ſuos ſecum milites cum familia ducens, *Maſſadam* munitiſſimum oppidum ſe recepit; eodem verò valido præſidio ac copioſo commeatu inſtructo, quo obſidium diutius protraherent, ſi eò Antigonus cum exercitu veniſſet, magnis itineribus in Arabiam ad Malchum Regem Nabatæorum pluribus ſibi beneficiis obſtrictum, perrexit. Verùm à Malcho juſſus Regni finibus excedere, in Ægyptum iter intendens venit Peluſium; ubi à nautis Alexandriam navigaturis excluſus, à Magiſtratu ejus urbis ſummo cum honore in Ægypti regiam deductus fuit. Cleopatra Herodis vicem miſerata, eum Alexandriæ detinere conata eſt; *haud tamen efficere potuit ne Romam properaret procelloſo licèt tempore, & parum tranquillis, ut nuntiabatur, rebus Italiæ*, inquit Joſephus lib. 14. cap. 25. Itaque Herodes anno Urbis 714. poſt Pentecoſten, menſe circiter Junio, Alexandriam venit, indeque Romam, *procelloſo licèt tempore*, non verò *hiberno licèt tempore*, ut perperam Rufinus ac Gelenius hæc Joſephi verba, χειμῶνος τε ὄντος, verterunt. Nam, ut Viris doctis obſervatum, vox χειμὼν, quâ utitur Joſephus, tum *hiemem*, tum *maris procellam* promiſcuè ſignificat, eóque in loco *hiemem* nullo pacto deſignare poteſt. Solvens igitur inde verſus Pamphyliam, & cum gravi tempeſtate conflictatus, ægrè in Rhodum evaſit, jacturâ etiam ſarcinarum factâ, ſubdit Joſephus ibidem.

LXXVIII. *Bellum in Italia inter Cæſarianos & Antonianos.* Cæſar Octavianus, cùm accepiſſet, Antonium ex Aſia in Græciam veniſſe, veritus ne idem inito cum Sexto Pompeio fœdere, bellum ſibi denuntiaret, animum induxit Fuſii Caleni, qui Antonii nomine Galliam ac Hiſpaniam tenebat, legiones ſuas in partes trahere. Dum cunctatur, honeſtam occaſionem perficiendi conſilii expectans, Calenus Legatus morbo abſumitur, ac Cæſar propere in Galliam profectus, Antonianas legiones ſibi adjunxit, ſimulque Galliam ac Hiſpaniam, quæ huc uſque Antonii Legato paruerant, occupavit. Antonius hiſce intellectis, cum Sexto Pompeio contra Cæſarem conſpirans, cum claſſe in Italiam venit, ac Sipuntum cepit; inde Brunduſium copias admovit, & cùm oppidani in urbem illum admittere recuſaſſent, obſidium terrâ marique inchoavit. Ita Dio lib. 48. & Appianus lib. 5. pag. 704. Cæſar Sexti Pompeii amicitiam quæſiverat, ne cum duobus hoſtibus unà ſimul bellum gerere cogeretur; at cum Pompeius nullas pacis conditiones admitteret, inquit Dio lib. 48. ad annum Urbis 714. *M. Vipſanio Agrippæ bellum contra eum gerendum injunxit, ipſe vero in Galliam profectus eſt. Qua re cognita, Pompeius, obſervato eo tempore, quo Apollinaribus ludis exhibendis occupatus erat Agrippa (Præturam enim tum gerens, ac præcipuus amicus Cæſaris ſplendide omnia agebat, ludoſque inter cetera equeſtres biduo præbebat*, &c.) *in Italiam tranſmiſit, ac tamdiu in ea prædas agendo commoratus eſt, donec Agrippa adveniret.* Etenim Antonius contracta cum Sexto Pompeio ſocietate, auctor eidem fuerat, ut claſſe educta, Italiæ maritima infeſtaret, dum interim ipſe in altera Provinciæ parte Bruoduſium obſidio premebat.

LXXIX. *Pax Cæſarem inter & Antonium ſancita.* Is Dionis locus, quo Dio hujus belli civilis tempus deſignavit, inſignem characterem nobis ſuppeditat à Noriſio loco citato, ad Herodiani regni initium rectè conſignandum, primùm obſervatum. Nam Vir doctiſſimus ex collatis teſtimoniis Macrobii, Dionis ac Tullii demonſtrat, *Ludos Apollinares* factos fuiſſe *IV Idus Julias*, ac poſtea decretum, ut Natalitia

talitia Cæſaris eo die celebrarentur. Livius lib. 37. ad annum Urbis 564. ait: *Ludis Apollinaribus ante V Idus Quintiles, cælo ſereno, interdiu obſcurata lux eſt, cùm Luna ſub orbem Solis ſubiſſet.* In veteri Kalendario à Lambecio publicato, *III Non. Julii* ſignantur Ludi Apollinares; dein, *IV Idus Julii Cæſaris Natalis*; & ſtatim, *III Id. Ludi Apollinares* Habemus itaque ex Dione, Agrippam Prætorem anno Urbis 714. menſe Julio, dimidia ferè ſui parte exacto, *circa Ludos Apollinares occupatum*, quo tempore Sex. Pompeius *Thurios* ac *Coſentiam* obſedit; Antonius verò *Brunduſium* militari corona vallatum premebat. Cæſar novis Legatis Galliæ ac Hiſpaniæ impoſitis, in Italiam venit, ſtatimque juſſit Agrippæ, ut contra Pompeium copias duceret, ipſe verò contra Antonium movit, ac prope ejuſdem vallum caſtra metatus eſt. Agrippa *Sipuntum* levi negotio recepit; Pompeius verò à *Thuriis* repulſus, *Coſentiæ* obſidium continuabat. Antonius diuturnioris obſidionis impatiens, machinas dejiciendis mœnibus parabat, nec Cæſari ulla ſpes erat munitiones Antonii ſuperandi. Hæc menſe Septembri contigiſſe nullus infitias ibit. Nam, ut ſubjungit ibidem Noriſius, Cæſar antequam Brunduſinum in agrum veniret, *Canuſii per aliquot dies corpore languens* decubuerat, ex Appiano lib. 5. pag. 704. Interea utriuſque partis milites moleſtè ferre, Ducum ambitione mutuiſque diſſenſionibus Italiam civilibus armis devaſtari, colloquia de componendis mutuo fœdere Imperatoribus miſcere, pacem publicè loqui, ſuam in bello operam negare. Tum L. Cocceius Cæſari ac Antonio ex æquo pergratus, ultro citróque ad eoſdem commeans, pacem tandem inter utrumque certis quibuſdam conditionibus conciliavit. Antoninus Ventidio in Aſiam adverſus Parthos ire juſſo, unà cum Cæſare in Urbem profectus eſt. Senatus autem decreverat ob initam concordiam, ut ambo ovantes Romam ingrederentur. In Faſtis enim Capitolinis legitur:

M. ANTONIUS. M. F. M. N. III. VIR.
R. P. C. OVA.....
QUOD. PACEM. CUM. IMP. CAESARE.
FECIT

Cæſar & Antonius ovantes Romam intrãt. Annum ac diem temporis injuria abraſit; annum tamen Urbis 714. colligit Noriſius loco laudato ex triumpho L. Cenſorini, qui in iiſdem Tabulis poſtea recitatur.

L. MARCIUS. L. F. C. N. CENSORINUS.
COS. A....
EX. MACEDONIA. K. JAN.

Ineunte anno Urbis 715. *Marcius Cenſorinus* eadem die Kal. Januarii, quâ Conſulatum capeſſivit, triumphum egit. Igitur Ovatio Antonii anno ſuperiori, currenti nempe, contigerat. Rurſus circa finem Septembris utrumque Imperatorem Romam ovantem intraſſe, non obſcurè demonſtrant res de breviſſimo illo bello à Romanis Scriptoribus narratæ. Bellum enim eruperat circa dimidium Julii, Agrippa *Ludis Apollinaribus* occupato, ac Cæſare Galliæ ac Hiſpaniæ ſtatum Româ procul diſponente, qui cùm ex Gallia reverteſſet, ac contra Antonium Legiones duceret, iiſdem, quòd contra ſuum dudum Imperatorem pugnare recuſarent, caſtra deſerentibus, alium exercitum accire coactus fuit; dein per aliquot dies ægrotavit, antequam prope Antonium caſtra metaretur. Ad hæc, apud *Brunduſium* geſta vix bimeſtri ſpatio unà cum ſuperioribus contingere potuerunt; unde vel exeunte Septembri, vel ineunte Octobri uterque Imperator ac Triumvir Romam ovantes rediere, ac non modò Urbem, verùm etiam Italiam univerſam ingenti lætitia affecerunt; cùm civili bello in ipſa Italia ſæviente, agrorum vaſtationem, urbium direptiones, ceteraque incommoda ſibi coloniæ ac municipia timerent; quam tamen ſolicitudinem pax improviſa ſuſtulerat.

LXXX. *Epocha prior Regni Herodiani.*

Parum tranquillis rebus Italiæ, ut inquit Joſephus lib. 14. cap. 25. id eſt, dum hæc in Italia geruntur, Herodes inſtructa apud Rhodum trireme in Italiam *Brunduſium appulit. Inde Romam profectus, ante omnes Antonio denarravit ea, quæ ſibi in Judæa contigerant*, inquit Joſephus ibidem, occupatam videlicet Parthorum auxiliis ab Antigono Palæſtinam, dejectum Regno Hyrcanum, ac turpiter inter vincula mutilatum, ſe tamen *per procellas* (ut rectè hæc verba [illegible], vertit Interpres) ad ipſum navigaſſe, à quo afflictæ, atque tum ab hoſte obſeſſæ familiæ meliora fata ſperaret. Antonius amici vicem dolens, ſimulque indignatus, Antigonum Parthorum copiis inſtructum Judæam invaſiſſe, re cum Collega Triumviro communicata, communi conſilio decreverunt, Herodem Judæorum Regem per Senatum deſignare. Itaque convocatis Patribus, Regnum Palæſtinæ Herodi S C. delatum eſt: *atque hoc pacto*, inquit ibidem Joſephus cap. 26. *ille regium faſtigium adeptus eſt 184. Olympiade, C. Domitio Calvino iterum, C. Aſinio Pollione Coſſ.* Ex quibus à Noriſio doctè obſervatis colligitur, Herodem labente Octobri currentis anni, vel potiùs exeunte Septembri Regnum Judææ à Romanis accepiſſe. Hinc deducta prima Herodiani Regni epocha, ſecundùm quam dicitur à Joſepho lib. 1. de Bello cap. ult. regnaſſe annos *triginta & ſeptem, poſtquam Rex à Romanis deſignatus eſt*. De altera ejuſdem Regni epocha, ſecundùm quam dicitur à Joſepho ibid. annos *quatuor ac triginta ab interfecto Antigono, Regno potitus*, longè major difficultas eſt, à quo ſcilicet Urbis conditæ anno repetenda ſit. Dio enim lib. 49. Hieroſolymam ab Herode anno Urbis 716. captam ſcribit: Joſephus verò lib. 14. Antiquit. cap. ult. uno anno tardiùs rem geſtam narrat. Indeque ex Chronologis alii Dionem, ut Uſſerius in Annalibus vet. Teſt. & Noriſius loco laudato, alii Joſephum, initium ſecundi Regni Herodiani cum anno Urbis 717. copulantem, ſequuntur. Toinardus V. C. mihique amiciſſimus, dum Pariſiis eſſem, dixit mihi ſe non dubitare, quin Dio hallucinatus fuerit, & quin ideo anno Urbis 716. ſcripſerit: *Anno inſequenti nihil memoratu dignum à Romanis in Syria actum eſt*, quia ſcilicet eo anno, quæ 717. inſequenti facta, ipſe narravit. Quam

Baron. num. c xvi, & Spond. num. xxxv.

opinionem cùm in examen adduxiſſem, indubitatam eſſe comperi. Porro Baronii hac de re ſententiam anno Urb. 724. commodiùs confutabo.

Regnum Judæorum in Herode defecit.

Ab hoc tempore Sceptrum regium atque Ducatus defecit de Tribu Juda & domo David, ut explicat Baronius num. 111 & ſeqq. & Spondanus num. 11 & ſeqq. Eodem circiter tempore legitima ſummi Sacerdotii inſtitutio apud Judæos declinavit. Baronius num. vii, & Spondanus num. v.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5455. Cyclo Solis 27 B. Lunæ 1. Indict. 10. Mundi 3966. Urbis conditæ 715. ante Chriſtum 39. Juliano 7. Auguſti 6. Herodis 2.

Geſta ab Herode in Palæſtina, Antonio Athenis morante.

LXXXI. Coss. *L. Martius Cenſorinus*, & *C. Calviſius Sabinus*. Cæſar & Antonius Triumviri, qui poſt pacem anno ſuperiore inter ſe ſancitam, Romanum Imperium denuo partiti fuerant, bellum hoc anno contra hoſtes geſſere: *Bellum contra Pompeium Cæſari obvenit, ne quid aliud interveniret: Parthicum verò Antonio ad ulciſcendam illatam Craſſo injuriam*, inquit Appianus lib. 5. de Bel. civil. Antonius anno elapſo exeunte Herodem Regem *intra ſeptem dies inſperata felicitate ornatum dimiſit ex Italia*, ait Joſephus lib. 14. Antiquit. cap. 26. Toto autem ejus abſentiæ tempore Antigonus familiam ejus oppugnabat in *Maſſada*. Verùm, Herodes ex Italia reverſus *Ptolemaïdem*, collectis non mediocribus copiis, properavit per Galilæam contra Antigonum, adjutus à Silone ac Ventidio, ad quos Dellius (ſic legendum in Joſepho citato cap. 27. non *Gellius*) ab Antonio miſſus fuerat cum mandatis, ut Herodem in ſuum Regnum deducerent. Herodis ulteriùs procedentis copiæ augebantur in dies, & tota Galilæa, paucis exceptis, ſtabat ab ejus partibus. Captâ *Joppe* properavit *Maſſadam* ad liberandos obſidione domeſticos, eaque & *Reſſa* caſtello captis, petebat Hieroſolyma. Tum *Hierichuntem* ſe contulit, offendenſque urbem relictam ab habitatoribus, quos capere potuit, dimiſit. Romani verò invadentes urbem diripuerunt: *Rex igitur, relicto in ea præſidio, reverſus eſt, & Romanum exercitum hibernatum in recèns deditas regiones dimiſit, Idumæam, Galilæam & Samariam*, inquit Joſephus libro citato, qui paulò pòſt ſubdit: *Eodem tempore Antonius morabatur Athenis*. Uſſerius in Annal. vet. Teſt. anno ante Chriſtum 40. & Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. 2. cap. 6. hæc anno præcedenti facta ſcribunt, hancque hiemem primam Noriſius putat; poſtquam Herodes à Romanis Regnum obtinuit. Qui error inde eis natus, quòd *Pacorum* Regis Parthorum filium hoc anno occiſum velint; indeque quæ anno ſequenti in Judæa acta, hoc anno narrant. Verùm Pacori necem anno tantùm ſequenti contigiſſe infra demonſtrabimus. Utrumque etiam decepit Antonii commoratio in urbe Athenienſi. Arbitrati enim ſunt, *Antonium* ſub exitu præcedentis anni *Athenas* veniſſe, & poſtquam ibi hibernaſſet, inde hoc anno ad bellum profectum fuiſſe; quòd Appianus lib. 5. de Bel. civil. pag. 716. poſtquam locutus eſt de pace à Cæſare & Antonio cum Sex. Pompeio facta, de qua mox, de Antonio dicat: *Hibernavit Athenis cum Octavia, ſicut ante* (anno ſuperiori) *Alexandria cum Cleopatra*. At verum quidem eſt, Antonium poſt pacem illam compoſitam, non præcedentis anni fine, ut mox videbitur, ſed currentis initio, relictâ Italiâ Athenas veniſſe, ibique hibernaſſe. Sed ea in urbe non ſolùm toto hoc anno, ſed etiam magna parte inſequentis verſatus eſt, ut ex dicendis liquebit, & Dio lib. 48. de rebus ſub hujus anni Conſulibus peractis loquens, his verbis indicat: *Bellum verò Labieni ac Parthorum hoc modo confectum. Antonius in Græciam ex Italia reverſus* (ipſo hujus anni exordio) *multùm ibi temporis exegit, ſimul ut ſuæ cupiditati ſatisfaceret, ſimul ut quàm maximè debilis Provincia Pompeio traderetur, urbes affligens. Ibi inter alia, quæ contra patrium morem agebat, Bacchum ſe alterum nominavit*, &c. *His rebus ipſe occupatus P. Ventidium in Aſiam præmiſit.* Appianus quidem lib. 5. de Bel. civil. dicit, Ventidium in Aſiam, ut reprimeret Parthos, Labienumque anno elapſo, poſt pacem Cæſarem inter & Antonium pactam, miſſum fuiſſe; ſed jam in libro de bellis Parthicis *rurſum* hoc anno adverſus Parthos miſſum, ut mox dicetur, aſſeruerat. Diu itaque Antonius Athenis manſit, ibique dum ageret, quæ mox à Joſepho narrata, contigere. Neque hoc anno in Parthos ipſe movit, ſed tantùm in eos Ventidium præmiſit; nec etiam ante annum ſequentem in Aſiam profectus eſt.

Parte altera Antonius ac Cæſar poſtquam
LXXXII. anno ſuperiori circa menſem Octobrem inter ſeſe reconciliati fuiſſent, cùm Urbs fame premeretur, Sex. Pompeio Magni Pompeii filio numeroſa claſſe impediente, ne commeatus Romam adveherentur, Populi Romani conviciis coacti, pacem cum eodem Pompeio fecerunt, qui in colloquium cum Triumviris venerat. Conditiones recitant Dio lib. 48. ſub hujus anni Conſulibus, & Appianus lib. 5. de Bel. civil. pag. 713. Habitum illud colloquium apud *Miſenum* Campaniæ oppidum, ut ibid. Dio. Dein Sextus in Siciliam navibus reverſus eſt, Cæſar & Antonius ad Urbem terreſtri itinere, inquit Appianus citatus. Porro de pace in exitu anni præcedentis actum, ut prodit ibidem Dio ſub præcedentis anni Conſulibus, & hujus initio quod tunc per ſocios actum fuerat, in præfato colloquio confirmatum, & pacis conditiones ſcriptæ.

Pax inter Pompeium & Triumviros ſancita.

LXXXIII. Antonius in Italia *junctus amicitiâ Cæſari & Pompeio tenenti Siciliam, præmiſit rurſum in Aſiam Ventidium, ut Parthos non ſineret ulteriùs procedere*, inquit Appianus lib. de Bellis Parthicis, qui paulò pòſt ſubdit: *Quo tempore Athenis hibernanti primi ſucceſſus Ventidii nuntiati ſunt, victos eſſe Parthos prælio, cæſum Labienum, & Phraatem præſtantiſſimum è Regis* (Parthorum) *Ducibus. Quamobrem epulum Græcis præbuit, & ſuſcepit Præfecturam Athenienſis gymnaſii.* De eadem victoria hæc Plutarchus in Antonio habet: *Ibi cùm Athenis hiemaret, afferuntur lætiſſimi nuntii, Ventidium profligatis Parthorum copiis, Labienum & Pharnapatem bellicoſiſſimum Orodis Regis Ducem occidiſſe.* Rem geſtam fusè narrat Dio laudatus, qui quidem annum, ſed tempeſtatem non deſignat. Cùm tamen tam Plutarchus,

Parthi à Ventidio victi.

quàm Appianus citati aſſerant, Antonium nuntium de victis Parthis accepiſſe, dum Athenis hibernaret, manifeſtum eſt, victoriam illam vel exeunte autumno, vel ineunte hieme currentis anni reportatam, & circa hiemis initium ejus nuntium ad Antonium Athenis hibernantem perlatum. Plutarchi enim & Appiani verba de fine hiemis præſentis anni loqui non videntur; cùm hujus anni initio Ventidius in Aſiam miſſus fuerit, neque fieri potuerit, ut ea hieme & Parthos vinceret, & victoriæ nuntius ad Antonium perferretur. Tam Uſſerius, quàm Noriſius locis citatis hanc cladem anno præcedenti illigant. Fundatur Noriſius in Diſſert. 2. cap. 16. pag. 283. in his quæ Livius lib. 127. refert: *Pace facta cum Cæſare* (circa Octobrem ſcilicet anni Urbis 714.) *ſororem ejus Octaviam in matrimonium duxit. Q. Salvidienum conſilia nefaria contra Cæſarem molitum, indicio ſuo detexit: iſque damnatus, mortem ſibi conſcivit* (anno etiam Urbis 714. ex Dione lib. 48.) *P. Ventidius Antonii Legatus, Parthos prælio victos Syriâ expulit, Labieno eorum Duce occiſo. Cùm vicinus Italiæ hoſtis Sex. Pompeius Siciliam teneret, & annonæ commeatum impediret: cum eo poſtulatam pacem Cæſar & Antonius quidem fecerunt; ita ut Siciliam Provinciam haberet. Præterea motus Africæ & bella geſta continet*; quæ bella anno Urbis 716. ex Dione geſta. Verùm, cùm Dio victoriam illam Parthicam cum anno Urbis 715. diſertè conjungat, & Appianus laudatus affirmet, eam relatam à Ventidio, poſtquam in Aſiam *rurſum* præmiſſus eſt, quod factum, uti diximus, hujus anni initio, quæ obſcura in Livii narratione videntur, ex clariſſimis Dionis & Appiani verbis explicanda.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5456. Cyclo Solis 28 A. Lunæ 2. Indict. 11. Mundi 3967. Urbis conditæ 716. ante Chriſtum 38. Juliano 8. Auguſti 7. Herodis 3.

LXXXIV. *Æra Hiſpanica.* Coss. *Ap. Claudius Pulcher, & C. Norbanus Flaccus.* Hiſpaniâ in Cæſaris Octaviani poteſtatem per Domitium Calvinum Proconſulem anno ſuperiori, teſte Dione lib. 48. redactâ, à Kalendis Januariis hujus anni Hiſpani *Æram ſuam* deduxere, triginta nempe octo ſolidis annis ante Æram Chriſtianam. Itaque annis Chriſti Dionyſianis ſemper adde XXXVIII, ut habeas Æram Hiſpanicam, aut ex Æra Hiſpanica detrahe, ut annum Chriſti invenias.

Baron. num. XCIV. Baronius à præcedentis anni Conſulibus Æram Hiſpanicam deducendam putat, quia ſcilicet Æram Chriſtianam cum anno Juliano XLIV auſpicatur. Sed præterquam quòd Æra Chriſtiana ab anno Juliano XLVI exorditur, à Conſulatu Sabini ad annum Julianum XLIV, anni tantùm XXXVII colliguntur. Cùm itaque certiſſimis demonſtrationibus conſtet Æram Chriſtianam à Kalendis Januariis anni Juliani XLVI repetendam, Æram Hiſpanicam ab hoc anno proficiſci, in dubium revocari non poteſt.

LXXXV. *Pacorus Parthorum Regis filius à Ventidio occiſus.* *Pacorus* Orodis Parthorum Regis filius, ut acceptam anno ſuperiori à Romanis cladem ulciſceretur, copiis ex hibernis eductis, contra *Ventidium* iter intenderat. Is ubi hæc accepit, non levi metu perculſus eſt, cùm nec urbes eſſent adhuc in Romanorum amicitia confirmatæ, *& exercitus in hibernis etiamnum diſperſi*, ut ſcribit Dio lib. 49. Quare, ut properanti Pacoro moram injiceret, ac tempus colligendis copiis nanciſceretur, fraude, à Dione laudato ac Frontino lib. 1. de Stratag. cap. 1. narrata, uſus eſt, & parte exercitûs, qui in *Cappadocia* ultra *Taurum* hiemaverat, ceteris copiis adjuncta, motiſque caſtris in Cyrrheſticam Syriæ regionem pertexit, ac Parthos fluvium tranſire paſſus eſt, quò timoris opinionem illis injiceret. Signis poſtea collatis, iterumque metu ſimulato, juſſit legionarios quaſi hoſtilium ſagittarum nimbis confixos procumbere, ac in hoſtem victoriæ opinione ſecurum, ac ſpe prædæ laxatis ordinibus irruentem inſurgere. Ita victi fugatique Parthi, toto inter Orontem atque Euphratem ſpatio lata ſtrage ceciderunt, viginti millibus unà cum Pacoro in acie deſideratis. Dies rei geſtæ ex his Dionis lib. 49. verbis elicitur: *Videbatur Craſſi calamitatem Pacorus abunde compenſaſſe, præſertim cùm eadem anni die utraque res eveniſſet*; quod etiam eodem die accidiſſe teſtantur Rufus in Breviario, & Eutropius lib. 7. Craſſum autem octavo menſis Junii die peremtum ad annum Urbis 701. oſtendi. Quoad victoriæ reportatæ annum, ſine quo ſecunda regni Herodiani Epocha certò detegi non poteſt, Uſſerius in Annal. vet. Teſt. & Noriſius in Diſſert. 2. de Cenotaphiis Piſanis pag. 143. exiſtimant, illud prælium ipſius Dionis teſtimonio in annum præcedentem incidiſſe. Nam, ait Noriſius, ſcribit Dio ſtatim ab Antonio Ventidium Præfecturâ privatum, neque tunc, neque deinceps illum ulla in re ejuſdem operâ uſum fuiſſe. *Caius autem Soſius*, inquit Dio, *Syriæ & Ciliciæ ab Antonio præpoſitus*, Aradios expugnavit, ac Hieroſolymam unà cum Antigono Rege cepit; tempus verò deſignans, ait: *Id factum Claudio & Norbano Coſſ.* Quare, cùm hi Magiſtratum geſſerint anno Urbis 716. eo anno *Soſius* erat Legatus Antonii in Syria, anno verò ſuperiori 715. *Ventidius* eandem Syriam adminiſtrabat, quo etiam anno Parthos inſigni clade profligavit. Ita Noriſius. At illud argumentum rem minimè evincit. Nam verum quidem eſt, poſt hoc prælium Ventidium ab Antonio Præfecturâ privatum, Soſiumque Syriæ ac Ciliciæ ab eo præpoſitum, idque currenti anno. Sed hoc non impedit, quin *Ventidius*, qui anno elapſo Syriam regebat, & egregiam victoriam de Parthis retulit, eandem Provinciam majori hujus anni parte gubernarit, & poſtea ei *Soſius* ſubrogatus fuerit. Neque Dio exiſtimare potuit, victoriam Parthicam, in qua *Pacorus* occiſus, anno præcedenti relatam fuiſſe, cùm alteram victoriam in qua Labienus & Pharnapates interfecti, ſub præcedentis anni Conſulibus, annoque Urbis 715. conſignet: & aliunde certum ſit, adverſariis etiam fatentibus, eas victorias ad duos diverſos annos pertinere. Dio itaque lib. 48. ſub Conſulatu *Martii & Sabini* anno præcedenti geſto, priorem victoriam recitat, ſed poſtea libro ſequenti, cùm recitaſſet necem *Sexti Pompeii*, quæ contigit anno Urbis 719. ineunte, orditur bellum à Ventidio contra Parthos

geſtum hoc anno, occaſione fugæ quam Pompeius ad Parthos meditabatur, & in qua deprehenſus trucidatus eſt. Quamobrem quod ibidem narrat Dio, currentis anni ſupplementum quoddam eſt, non verò præcedentis, ſeu Urbis 715. cùm victoriam eo anno de Parthis relatam fusè recitarit. In eo autem peccat Dio, quòd ſub præſentis anni Conſulibus Hieroſolyma capta aſſerit. Quod forſan ab eo factum, ut uno tenore Antigoni Regis caſum narraret.

LXXXVI. *Ventidius in Antigonum Judæorum Regem movet.* Antonius itaque hoc tantùm anno ad bellum Parthicum profectus eſt, de qua profectione intelligenda verba Plutarchi in Antonio, ubi, cùm narravit quæ Antonius Athenis egit, ait: *Inde ad bellum proficiſcens ſertum excerpit è ſacra oliva & ex clepſydra vas aquæ plenum ſecundùm quoddam oraculum ſecum tulit. Interea Pacorum Regis filium unà cum magnis Parthorum copiis in Syriam irrumpentem, Ventidius in Cyrrheſtica delevit.* Quod & Appianus libro de bellis Parthicis habet. Uſſerius & Noriſius laudati, qui hanc profectionem à Plutarcho memoratam cum anno præcedenti conjungunt, non animadverterunt quod eo anno Dio lib. 48. prodit, Antonium nempe, qui initio antecedentis anni Athenas venit, *per multum ibi temporis* exegiſſe, eo anno Ventidium in Aſiam præmiſiſſe, & poſtea, præſenti nempe anno, illuc ipſum profectum eſſe. *Ventidius* cùm Syriam pacaſſet, contra *Antiochum* duxit, eo obtentu, quòd is ei ſervos non dediſſet; re autem vera, pecuniæ ſpe potiundæ. Hoc agenti Antonius ſubitò ſupervenit, & cùm invideret etiam ob rem proprio ductu præclarè geſtam, *tamen officio ſuo eum detruſit, & neque tum, neque deinceps ulla in re operâ ejus uſus eſt*, inquit Dio lib. 49.

LXXXVII. *Geſta in Syria.* In Palæſtina, teſte Joſepho lib. 14. Antiq. cap. 27. hæc geſta. In Syria *Ventidius Silonem* accerſens contra Parthos, juſſit primùm Herodi navare operam, deinde ad proprium bellum exire Provinciales auxiliarios. At Herodes, Silone ad eum miſſo, exercitum contra latrones in ſpeluncis degentes duxit, & ſpeluncas omnes in præruptis montibus ſitas expugnavit. Tum in Samariam profectus eſt, ut armis cum *Antigono* rem decerneret. *Interea*, inquit Joſephus, *caſo in pugna Pacoro & Parthis profligatis*, (die nempe octava menſis Junii, ut mox oſtendi) *Ventidius Herodi in auxilium mittit Machæram cum duabus legionibus & mille equitibus, jubente hoc Antonio.* Herodes verò properavit ad Antonium *oppugnantem Samoſatam ſitam ad Euphratem fluvium.* Poſtquam autem pervenit Antiochiam, ducem ſe præbuit iis, qui adire Antonium cupiebant. Ubi prope Samoſata ventum eſt, exercitum ei honoris causâ miſit Antonius: *Antiocho autem paulò pòſt id caſtrum dedente, & hoc pacto finito bello, Soſio Provinciam Antonius cum exercitu tradidit: commendatoque Herodis negotio in Ægyptum ipſe profectus eſt*, inquit Joſephus. Obſidionem Samoſatenſem multum temporis duraſſe indicat Plutarchus, quando de Samoſatenis ſcribit: *Ob deſperationem in audaciam verſi, diu Antonium oppugnationi intentum tenuere.*

LXXXVIII. Expugnatis Samoſatis, *Soſius*, cui, ut dixi, Antonius Syriæ Provinciam tradiderat, duas legiones in Judæam cum Herode præmiſit, *ipſe cum reliquo exercitu ſequebatur*, inquit Joſephus. Poſtquam ad Libanum montem pervenit, Ptolemaïdem petiit, & qui caſtellum tenebant, illud deſeruerunt. Dein cum Pappo Antigoni Duce ſigna contulit, atque hoſtes ad internecionem cæcidit. *Geſta in Palæſtina.* Videre erat, inquit Joſephus, hoſtes agminatim diffugere, *& niſi repentè valida tempeſtas interveniſſet, Regii victores petiiſſent confeſtim Hieroſolyma, & bello finem impoſuiſſent.* In Græco legitur: καὶ εἰ μὴ χειμὼν ἐπέσχε, καθὼς ἧκεν ἂν καὶ ἐπὶ Ἱεροσόλυμα ὁ βασιλέως στρατὸς, θαῤῥῶν τῷ νενικηκέναι, καὶ τὸ πᾶν ἂν ἦν εἰργασμένον: quæ verba ſic verti debent: *Et niſi regios victores hiemis aſperitas prohibuiſſet, ſtatim Hieroſolymam petiiſſent, & finem bello impoſuiſſent*, ut rectè Interpres lib. 1. de Bello cap. 13. ubi eandem hiſtoriam Joſephus repetit, ſimilia verba interpretatur hoc modo: *Niſi vehementi hieme prohibitus fuiſſet*, Herodes ſcilicet. Vocem enim χειμὼν in utroque loco *hiemem* ſignificare, eamque jam inſtaſſe, rerum à Joſepho narratarum ſeries evidenter demonſtrat. Neque de hoc dubium eſſe poteſt. Tota difficultas eſt, an Joſephus loquatur de hieme anni Urbis 716. currenti ſcilicet, an verò de hieme anni antecedentis. Ea enim hieme exacta, Hieroſolyma obſeſſa & in Herodis poteſtatem redacta. Noriſius citatus aliique plures, qui majorem fidem Dioni cladem Hieroſolymitanam hujus anni Conſulibus alliganti, quam Joſepho eandem cum ſequentis anni Conſulibus conjungenti, adhibendam arbitrantur, contendit, poſt Herodem Romæ Regem renuntiatum duas tantùm hiemes effluxiſſe; priorem, de qua cum Joſepho lib. 14. Antiquit. cap. 27. locuti ſumus, & poſteriorem, de qua mox cum eodem Joſepho: ita ut laudata mox verba de præcedentis anni hieme intelligenda ſint, & currenti anno ubi hiems remiſit, urbs expugnata ſit. Verùm in rebus Syriacis ſicut Joſephus magis dignus cui credatur, quàm Tacitus, ut anno Chriſti XLII num. VII videbimus, ita & in iiſdem Dioni præferri debet. Joſephus enim Herodis Vitam ex voluminibus *Nicolai Damaſceni*, qui eam exararat, exſcripſit. Nicolaus verò amicorum fidiſſimus Herodi habebatur, ac in rebus graviſſimis nomine Herodis apud Auguſtum Legatione perſunctus eſt; cui etiam Regi Hiſtorias ſciendi cupido, ſupra centum ac viginti quinque volumina rerum in Orbe geſtarum ex antiquis quibuſque Scriptoribus compilata, nuncupavit; cujus ſanè prægrandis Operis excerpta quædam Valeſius publicavit. Hinc Orationes ejuſdem Nicolai libris Joſephi inſertæ leguntur, ut eadem Hiſtoria ejuſdem manu majori ex parte ſcripta videatur. *Ptolemai* quoque de Vita Herodis codices ad manum eidem Joſepho fuere. Quæ Torniello in Annal. ſacris, & ipſimet etiam Noriſio obſervata. Joſephus autem ideo tantùm duas hiemes illas memoravit, quia bellum nonniſi poſt priorem quam ſilet, inchoavit. Denique, cùm prima de Parthis victoria in annum Urbis 715. altera verò in qua Pacorus occiſus, in præſentem inciderit, urbis Hieroſolymitanæ occupatio nonniſi ſequenti anno, ut re-

ctè Joſephus, contingere potuit.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5457. Cyclo Solis 1 G F. Lunæ 3. Indict. 12. Mundi 5968. Urbis conditæ 717. ante Christum 37. Juliano 9. Augusti 8. Herodis 4. & 1.

LXXXIX. *Hieroſolyma expugnatur.* Coss. *M. Vipſanius Agrippa,* & *L. Caninius Gallus.* Joſephus lib. 14. Antiquit. cap. 27. poſtquam quæ ſuperiori anno retulimus, recitavit, ait: *Poſt hæc ubi tempeſtas deſævit, moto inde exercitu venit Hieroſolymas, & caſtra prope urbem metatus eſt, anno tertio poſtquam Romæ declaratus Rex fuerat.* Ubi vox χειμων, quæ *hiemem* vel *procellam* ſignificat, Gelenium Joſephi Interpretem in errorem induxit, ut inter Doctos convenit; vertendum enim: *Ubi hiems remiſit,* vel *deſiit,* ut in lib. 1. Belli cap. 13. rectè ſimilia verba verterat: *Ubi autem rigor hiemis ceſſit.* Interim dum aggeres ac turres extruuntur, Herodes in Samariam divertit, ducturus in uxorem *Mariamnem* Ariſtobuli Regis neptem, celebratiſque nuptiis, in caſtra reverſus eſt. Operarum frequentiâ facilè abſoluti ſunt aggeres. *Æſtas enim erat, & opus fervebat, nulla interturbatum aëris intemperie.* Obſeſſi intrepidè repugnabant, & conferentes pugnam cum Romanis nihilo erant inferiores audaciâ, peritiâ tantùm rei militaris cedebant: utenteſque deſperatione pro fortitudine ad extremum perdurabant, idque obſeſſi à tam numeroſo exercitu, ipſi tame ſimul laborantes & inopiâ. *Nam in Sabbaticum annum inciderat oppugnatio,* inquit Joſephus. Annus Sabbaticus cœpit die ſeptima Thiſri, qui Septembris parti reſpondet, feriâ quintâ anni Juliani antecedentis, ut in dubium revocari non poteſt. Quare annus ille Sabbaticus in exitum vergebat. Tandem Herode Soſioque fortiter obſidionem urgentibus, urbs capta fuit: *Ea clades Hieroſolymorum,* inquit Joſephus, *incidit in Conſulatum M. Agrippæ & Canidii Galli, 185. Olympiade, menſe tertio, feriis quibus ſolenne fit jejunium, tanquam recurrente in idem temporis momentum illata Judæis à Pompeio calamitate. Nam & ab illo eadem die urbs capta fuerat ante annos viginti ſeptem.* Olympias 185. anno Juliano ſexto inchoata: quare quartus illius annus currenti cœptus. Capta fuerat Hieroſolyma à Pompeio anno Periodi Græco-Romanæ 5431. ideoque illi viginti ſeptem anni incompleti intelligendi. Quâ anni formâ utatur Joſephus, & quæ fuerint ſolennes illæ jejuniorum feriæ, non ſatis compertum. Duravit per quinque menſes obſidio, teſte Joſepho lib. 1. de Bello cap. 13. Ab hoc itaque anno deſumenda ſecunda Regni Herodiani Epocha, ſecundùm quam dicitur à Joſepho annos XXXIV regnaſſe.

XC. *Joſephus in Chronologia Herodiana accuratus.* Noriſius laudatus, qui cum Dione urbis expugnationem in annum præcedentem conjicit, ut fidem Joſephi elevet, varios errores in ejus narratione oſtendere conatur. Nam ſcribit Joſephus, inquit Noriſius, urbem expugnatam in Conſulatu M. Agrippæ & Canidii Galli: *Canidia* autem gens Romæ à *Caninia* erat diverſa. Verùm is ſimileſve errores potiùs Librariis quàm Auctoribus attribuendi. Præterea exiſtimat, peccare Joſephum in ſupputandis annis à captis Hieroſolymis à Pompeio, uſque ad eandem urbem iterum à Soſio expugnatam: cùm etiamſi dicatur eadem rurſus capta ſub hujus anni Conſulibus, anni tantùm ſex ſupra viginti inter utramque expugnationem numerentur. At Joſephus, ut ſæpe alii Hiſtorici, annos utrimque incompletos in ſummam confert. Tertiò, ait Noriſius, ex Joſephi Scriptis colligi, poſt collatum Herodi à Romanis Regnum ad captam Hieroſolymam, duas tantùm hiemes effluxiſſe. Sed jam oſtendi, Joſephum prioris non meminiſſe; quod mirum videri non debet, cùm etiam aliquot Syriæ Præſides prætermittat. Quartò, putat Noriſius, Herodem anno Urbis 715. Samoſatis in Palæſtina reverſum eſſe, ideoque, ſi anno 716. Hieroſolymam non expugnaſſet, poſitis armis anſatus domi ſediſſet, ac Soſius cum XI legionibus otioſus in Syria fuiſſet. Quæ ex dictis duobus ſuperioribus annis evaneſcunt. Denique dicit Noriſius, perperam Joſephum ſcripſiſſe, Herodem *anno tertio poſtquam Romæ declaratus fuerat Rex,* caſtra prope Hieroſolymam metatum, & *altero anno* ſcribere debuiſſe. At jam tertium Herodis annum in finem vergiſſe ex dictis intelligitur, conſtatque, Joſephum de Chronologia Herodiana apprimè edoctum fuiſſe.

XCI. *Antigoni interitus.* Antonius, accepto *Antigono,* volebat eum vinctum ſervare ad triumphum. Sed, cùm timeret *Herodes,* ne Antigonus Romam perductus ab Antonio, apud Senatum jure ſecum de Regno contenderet; audiretque *Antonius* gentem ad res novas ſpectare, & odio Herodis favere Antigono, multis ab Herode acceptis pecuniis, Antigonum apud Antiochiam ſecuri percuſſit. Quo facto, tum demum *Herodes* metu liberatus eſt; *Haſamonæorum* Principatu jam ſublato. Joſephus lib. 14. cap. ult. & lib. 20. cap. 8. ubi tres annos & tres menſes Antigonum regnaſſe ſcribit, & quidem accuratè. *Antigonus* enim Judæis Rex impoſitus fuerat à Pacoro Parthorum Regis filio, anno Urbis 714. poſt feſtum Pentecoſtes, ut eo anno oſtendi. Quare qui urbem anno præcedenti captam contendunt, alterum hic Joſepho errorem impingere, & Antigonum tertium regni annum non abſolviſſe ſcribere coguntur.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5458. Cyclo Solis 2 E. Lunæ 4. Indict. 13. Mundi 5969. Urbis conditæ 718. ante Chriſtum 36. Juliano 10. Auguſti 9. Herodis 5. & 2. Olymp. 186.

XCII. *Ananelus fit Pontifex Judæorum.* Coss. *L. Gellius Poplicola,* & *M. Cocceius Nerva.* Phraates Parthorum Rex Hyrcanum Pontificem captivum propter claritatem nominis comiter habuit. Sed poſtquam *Hyrcanus* reſcivit, Herodem ad Regiam dignitatem evectum, gratiam ab eo expectavit, quòd aliquando de capite periclitantem ſervaſſet in judicio. *Herodes,* qui miſerum ſenem in poteſtatem ſuam redigere ſatagebat, obtinuit à Partho ut dimitteretur, primumque ei in Conventibus locum, poſtquam in Judæa fuit, tribuendo, lactabat hominem quominus ſuſpicaretur inſidias, ex Joſepho

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

lib. 15. cap. 2. Cavens verò ne quis illuſtrium crearetur Pontifex, *Ananelo* obſcuri generis Sacerdoti ſummum Pontificatum donavit. Joſephus ibidem.

XCIII. *Succeſſio Præſidum Syriæ.* Cùm Præſidum Syriæ ſucceſſio non parum conferat ad detegendum tempus, quo Chriſtus natus eſt, Baronius Catalogum Præſidum qui Syriæ præfuerunt, concinnavit: quod cùm illi parum feliciter ſucceſſiſſet, Caſaubonus Exercit. 1. ad Apparat. Baronii alium contexuit, aliumque poſtea Montacutius in Apparatu IV ad Origines Eccleſiaſticas. At cùm uterque plerúmque procul exorbitaverit, Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. 2. cap. 16. Præſides Syriæ recenſuit; non ſolùm ut demonſtraret, Caium Cæſarem perperam inter eoſdem recitari; verùm etiam, ut adminiſtrationis Syriacæ *Quirinii* tempus intelligatur, ac cenſores Baronii talionem ferrent. Quare, cùm Baronius à Soſio Catalogum ſuum exordiatur, ab eo etiam illum inchoabimus. *Soſio*, cujus initium in annum Urbis DCCXVI rectè conjicit Baronius, ſubrogatus eſt non *Q. Didius*, ut ipſe exiſtimavit, ſed *L. Munacius Plancus*, ut notat Noriſius laudatus. Appianus in fine lib. 5. Belli civil. pag. 753. cùm dixiſſet, Sex. Pompeium Magni filium à M. Titio juſſu Antonii interfectum, anno nempe ſequenti, ſubdit: *Sunt qui dicant, Plancum, non Antonium id mandaſſe, qui* ἄρχοντα συρίας *Præſes ſeu Rector Syriæ ſolitus fuerit in majoris momenti literis nomen adſcribere Antonii, & uti annulo ipſius ſignatorio.* Alterum Syriæ Præſidem à Baronio omiſſum exhibet Noriſius ibidem, ſcilicet *L. Calpurnium Bibulum*, de quo Appianus lib. 4. de Bel. civil. pag. 611. ſcribit: *Ab Antonio Syriæ Præſes deſignatus, eandem Provinciam adminiſtrans, mortuus eſt*, anno ſcilicet Urbis 723. Hunc excepit Q. Didius.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5459. Cyclo Solis 3 D. Lunæ 5. Indict. 14. Mundi 3970. Urbis conditæ 719. ante Chriſtum 35. Juliano 11. Auguſti 10. Herodis 6. & 3.

XCIV. *Ariſtobulus juſſu Herodis ſuffocatur.* Coss. *L. Cornificius*, & *Sex. Pompeius*. Herodes, uxore ejus Mariamne aſſiduis precibus eum obtundente, ut fratri ſuo Ariſtobulo debitum Pontificatum redderet, eundem Ariſtobulum adoleſcentem 17. annorum, vivo adhuc *Ananelo* ſucceſſorem in Pontificatu dedit. Joſephus ibidem. Sed, quod ille populo gratus eſſet, juſſu ejus ſuffocatur. Joſephus eodem loco.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5460. Cyclo Solis 4 C. Lunæ 6. Indict. 15. Mundi 3971. Urbis conditæ 720. ante Chriſtum 34. Juliano 12. Auguſti 11. Herodis 7. & 4.

Coss. *M. Antonius II*, & *L. Scribonius Libo*.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5461. Cyclo Solis 5 BA. Lunæ 7. Indict. 1. Mundi 3972. Urbis conditæ 721. ante Chriſtum 33. Juliano 13. Auguſti 12. Herodis 8. & 5.

Coss. *Auguſtus Cæſar II*, & *L. Volcatius Tullus*.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5462. Cyclo Solis 6 G. Lunæ 8. Indict. 2. Mundi 3973. Urbis conditæ 722. ante Chriſtum 32. Juliano 14. Auguſti 13. Herodis 9. & 6. Olymp. 187.

Coss. *Cn. Domitius Ahenobardus*, & *C. Soſius*. *Hillel* Babylonius ex ſtirpe Davidica, Hieroſolymis floruit annis centum ante Eram excidii Templi Judaïci, ut ex Gemara Babylonica colligit Uſſerius in Annal. vet. Teſt. qui addit, ex ejus numeroſo diſcipulorum cœtu Jonathan Uzzielis filium, Chaldaïcæ Prophetarum paraphraſeos Auctorem clariſſimum extitiſſe. Inter *Hillelem* hunc & *Sammaium* ſive Samæam, cujus meminit Joſephus, orto diſſidio, Phariſæi in duas partes diſceſſere, de quibus Hieronymus lib. 3. Comment. in Eſai. cap. 8. v. 14. *Duas domos Nazaræi (qui ita Chriſtum recipiunt, ut obſervationes Legis veteris non admittant) duas familias interpretantur Sammai & Hillel: ex quibus orti ſunt Scribæ & Phariſæi*, additque, *Sammai & Hillel* (ſive duas eorum domus, quarum toties in Talmude fit mentio) *non multo priùs quàm Dominus naſceretur, ortos eſſe in Judæa.* *Phariſæi in duas partes diviſi.* Baron. in Apparatu n. VIII, & Spond. n. VI.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5463. Cyclo Solis 7 F. Lunæ 9. Indict. 3. Mundi 3974. Urbis conditæ 723. ante Chriſtum 31. Juliano 15. Auguſti 14. Herodis 10. & 7.

XCV. *Pugna Actiaca, & Era inde ducta.* Coss. *Auguſtus Cæſar III*, & *M. Valerius Meſſala*. Habita hoc anno *pugna Actiaca* Auguſtum inter & Antonium, qui jam diu inter ſeſe diſſidebant, idque *Septembris die ſecundo*, à quo annorum Monarchiæ Auguſti numeratio eſt inſtituta, ut in lib. 51. notavit Dio: quos quadraginta quatuor fuiſſe idem lib. 56. refert. Quomodo accipiendi ſunt Suetonius in Octavio cap. 8. Victor in Epitome & Eutropius, cùm Rempublicam per quadraginta quatuor annos Auguſtum obtinuiſſe narrant. Victi Antonius & Cleopatra ab Auguſto, in Ægyptum fugére. Anni Actiaci à quibuſdam Veteribus hinc deducti, ut initio Imperii Hadriani oſtendam. Clemens Alexandrinus & Euſebius citati à Baronio, quando ſcribunt, Chriſtum natum anno viceſimo octavo Auguſti, hos annos non à pugna Actiaca, ut Baronius perperam interpretatur; ſed à capta Alexandria & à morte Antonii, ſeu ab anno ſequenti deſumunt: alioquin Natale Chriſti ſub Conſulatu Auguſti XIII, & M. Plautii Silvani non conſignaſſent. Uterque enim Chriſtum die ſexta Januarii, Epiphaniæ ſacra, natum exiſtimavit. Quòd ſi Clemens & Euſebius viceſimum illum octavum Auguſti annum à pu- Baron. in Apparatu n. CV, & Spondan. ibidem n. XXXIII.

gna Actiaca deducerent; cùm is annus XXVIII die viceſima octava Auguſti anni Juliani XLIII abſolvatur, ſequeretur, eos exiſtimaſſe, Chriſtum Lentulo & Meſſalino Coſſ. in lucem prodiiſſe; cùm tamen certum ſit, Euſebium in Chronico Natale Chriſti illigare anno Abrahami 2015, qui Kalendis Septembris anni Juliani XLIII inchoatur.

XCVI. *Era Antiochena Auguſtana.*

Proficiſcitur & à pugna Actiaca *Era Antiochena*, quæ in variis Numiſmatis Præſidum Syriæ legitur, ut anno Chriſti XIII num. III demonſtravi. Jam enim hoc anno *Antiochia* Auguſti partes amplexa fuerat, ut liquet ex Dione lib. 51. pag. 447. Cùm populi & Reguli omnes Antonio & Cleopatræ ſuppetias denegarent, licèt eorum complures multa ab eis accepiſſent beneficia, abjectiſſimæ conditionis Gladiatores, qui Cyzici ab Antonio ad Ludos triumphales, *quos devicto Cæſare ſe facturum ſperabat*, alebantur, quorum meminit Appianus, pro eis fortiſſimè certaverunt. Ubi enim primùm quæ acta eſſent, cognovere, in Ægyptum ad ferendum eis auxilium iter inſtituerunt. Cúmque circumventi in Ægyptum evadere non poſſent; nec ſiquidem ullo modo quantumvis multa *Q. Didio Syriæ* Præfecto, qui tranſitu ipſos prohibebat, pollicente, ad defectionem perduci ſe paſſi ſunt: ſed Antonium ad ſe acceſſierunt, faciliùs ſe putantes cum eo conjunctos in Syria bellum poſſe gerere. Tandem, cùm neque veniret Antonius, neque nuntium mitteret, periiſſe eum rati, inviti ſe Didio dediderunt; *ea conditione ne Gladiatores poſthac eſſent: iſque Daphnen, Antiochiæ ſuburbium eis habitandum conceſſit, donec Cæſari res ea ſignificaretur.* Ex qua Dionis narratione manifeſtum fit, Syriam, cujus caput Antiochia, ab Auguſti partibus ſtetiſſe. Ad Gladiatores hoſce coërcendos, auxilia ſibi ab Herode ſubmiſſa fuiſſe, ſcripſit ad Cæſarem *Didius*: de quo Cæſar in ſermone cum Herode habito apud Joſephum lib. 1. Belli cap 15. Ibi tamen perperam loco *Didii*, legitur *Ventidius*, quod in Antiquitatum lib. 15. cap. 10. etiam memoratur; ſed non etiam ſine errore, loco enim *Didii* legitur ibidem *Capidii* nomen, & loco μονομάχους, id eſt, *Gladiatores*, habetur μονάρχας, id eſt, *Monarchas*. Quæ emendatio debetur Caſaubono. Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. 2. cap. 16. paragrapho 13. hanc tertiam Eram Antiochenam *Auguſtanam* appellandam, in annum ſequentem diſtulit, quòd tunc exiſtimaret, ante eum annum Antiochenos Auguſti Imperio ſeſe non ſubmiſiſſe. De quo errore cùm ad eum ſcripſiſſem, reſpondit, ſe eum correxiſſe, ac fateri Eram illam à currenti anno deſumendam.

XCVII. *Series Præſidum Syriæ.*

Baronius in Indice Præſidum Syriæ ait: *Soſio eſt ſubrogatus Q. Didius, quem, auctore Dione lib. 51. conſtat præfuiſſe Syriæ ſaltem uſque ad tempus Actiacæ pugnæ, quæ facta eſt anno ab Urbe condita 724. Huic eſt ſuffectus Meſſalla*, inquit Baronius, *cujus &* Dio lib. 51. *meminit. Hic præfuiſſe videtur uſque ad annum ab Urbe condita 731. quando M. Agrippa tam Syriæ, quàm toti Orienti præficitur.* Verùm, ut notat Noriſius laudatus pag. 288 ex Dionis verbis apparet quidem, Valerium Meſſallam in Syria cum Imperio fuiſſe, ſed cum Imperio extraordinario in Syriam anno ſequenti miſſus videtur, ut Gladiatores ex ſuburbio Antiocheno expelleret.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5464. Cyclo Solis 8 E. Lunæ 10. Indict. 4. Mundi 3975. Urbis conditæ 724. ante Chriſtum 30. Juliano 16. Auguſti 15. Herodis 11. & 8.

Herodes ab Auguſto in Regno cõfirmatur.

Coss. *Auguſtus Cæſar IV, & M. Licinius Craſſus.* Herodes, poſtquam hoc anno *Hyrcanum* occidi imperaſſet ex Joſepho lib. 15. cap. 9 ad Cæſarem properavit, nihil boni de ſe ſperans. *Rhodum* autem venit, ut illic Cæſari occurreret. Quò poſtquam appulit, poſito tantùm diademate; de cetero paratu regio nihil mutavit; admiſſuſque ad colloquium dixit, pari ſe jam fide amicitiam Cæſaris colere paratum eſſe. Quod ut deinceps faceret hortatus Cæſar, diademate reſtituto in ſummo honore illum habuit. Atque ita præter ſpem Herodes denuo in Regno confirmatus eſt, & dono Cæſaris & Senatuſconſulto per illum impetrato, ex Joſepho ibid. cap. 10. & lib. 1. Belli cap. 15.

XCVIII. *A confirmatione Herodis in regno ejus anni nõ deſumendi.*

Baron. in Apparatu n. CXVI. Spondan. ibidem num. XXX.

Baronius admittens regni Herodis annos XXXVII à Joſepho numeratos, contendit, eoſdem inchoandos à ſuperiori anno, quo Auguſtus navali bello Antonium & Cleopatram debellavit, quóve tertium Conſulatum Meſſallâ Collegâ geſſit. Ait enim, ſi verum eſſet, Herodem annis triginta quatuor à captis Hieroſolymis regnaſſe, ſequeretur, eum vitâ functum ante Chriſti nativitatem. Deinde addit, Joſephum in his, quæ ſunt temporis, ſæpe hallucinari, & præſertim in annis regni Herodis dimetiendis. Et præterea ſubjungit, occaſionem Joſepho errandi hanc extitiſſe, quòd cùm ipſius temporibus in confeſſo eſſet apud omnes, *Herodem* regnaſſe annis tantùm *ſeptem & triginta*; rurſumque certum eſſet, eundem ſub Conſulatu Calvini & Pollionis primùm Regis titulum obtinuiſſe; exiſtimavit, inde fore dinumerandos, non advertens, eoſdem putari debere ab Actiaca pugna, quando ſcilicet idem Herodes Regnum rurſus ab Auguſto impetravit, eodem Auguſto III & Meſſalla Coſſ. Quod aſſertum talibus Baronius nititur comprobare rationibus. Nam Herodes, inquit, Regnum quod ab Antonio acceperat, ejuſdem Antonii partes contra Auguſtum fovendo, jam demeruerat. Et quia Auguſtus ex S C. acta Antonii tanquam perduellis irrita eſſe cenſuerat; non licuit ampliùs Herodi annos regni ſui, ab eo anno putare, quo illud ab Antonio habuerat; ſed ab illo, quo illud ei ab Auguſto reſtitutum, ſeu denuo collatum fuerat. Ex quibus Baronius deducit, negari non poſſe quin Herodes ad octavum Chriſti annum pervenerit.

XCIX. *Rejicitur primò ea ſententia.*

Verùm hæc ſententia ſuſtineri non poteſt, & meritò ab omnibus rejicitur. Ut enim animadvertit Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. 6. pag. 158. Baronius nec initium, nec exitum regni Herodis rectè aſſignavit: non quidem initium; ſiquidem cùm Auguſtus anno tantùm altero ab Actiaca victoria, currenti nempe, bellum contra Antonium profligaturus, in Aſiam tranſmiſiſſet, Herodes

cum apud Rhodum convenit, ut mox diximus. Dio enim lib. 51. de Auguſto ſcribit: *In Italiam properavit, media hieme, ſe quartùm, M. Craſſo Coſſ.* hoc ſcilicet anno. Subdit: *In Græciam advectus eſt triceſimo quàm in Italiam venerat die, ac propter hiemem navibus per Iſthmum Peloponneſiacum tranſlatis, tanta celeritate in Aſiam advenit, ut de ejus diſceſſu ſimul reditaque Antonius ac Cleopatra cognoverint.* Quare ut minimùm exeunte Februario currentis anni Auguſtus iterum in Aſiam venit. Nec enim dici poteſt, Herodem adiiſſe Cæſarem, cùm anno præcedenti *ab Actio Samum inſulam in hiberna ſe recepiſſet*, ex Suetonio in Auguſto cap. 17. Nam Herodes apud Rhodum Cæſarem convenit, ut mox ex Joſepho dixi. Cùm verò Auguſtus Rhodo diſcederet, Herodes *deduxit eum in Ægyptum*, ex Joſepho citato. Herodes itaque haud ſtatim poſt cladem Actiacam Antonium deſeruit, ſed altero pòſt anno, re ejuſdem penitus deſperata. Sed nec finem Herodis Baronius aſſecutus eſt. Victoria Actiaca contigit die ſecunda Septembris anni elapſi. Cùm verò Herodes circa Paſcha, labente anno 37. ab Actiaca victoria, Baronio mortuus credatur, deceſſit anno Urbis 760. Cæcilio Metello Cretico & Licinio Nerva Silano Coſſ. At obitus Herodis à Baronio in Annalibus ſtatuitur anno Chriſti juxta ipſum VIII, Æmilio Lepido & L. Aruntio Coſſ. anno Urbis 759. quo tamen anno circa Paſcha Herodes ab Actiaca victoria egiſſet annum regni XXXV ac menſem ſextum. Ita annos triginta ſeptem, quos fatetur Herodem vixiſſe, rectè ſubduxit. Si itaque XXXVII anni regni Herodis inchoentur *ab eo tempore, quo ab Auguſto illi redditum fuit, & ex SC. confirmatum*, quod apud Rhodum contigit, obitus Herodis alligandus eſt anno Urbis 760. non verò 759. uti Cardinalis eruditiſſimus opinatur.

C. *Rejicitur ſecundò.* Eandem opinionem luculento exemplo Noriſius rejicit. *Archelaus* ab Antonio Cappadociæ Regnum acceperat anno Urbis 718. ex Dione lib. 49. operâ Glaphyræ matris, cujus amore Antonius exarſerat. Extatque ea de re impudicum ipſius Auguſti hexaſticon apud Martialem lib. 11. Epig. 21. Archelaus in Antonii caſtris cum regiis copiis contra Cæſarem ſtetit, ex Plutarcho in Antonio. Huic tamen Cæſar poſt victoriam veniam dedit, eique regiam dignitatem reliquit. Tiberius, demortuo Auguſto, eundem Romam evocavit, ex Tacito lib. 1. Annal. *Rex Archelaus quinquageſimum annum Cappadocia potiebatur, inviſus Tiberio, quòd eum Rhodi agentem nullo officio coluiſſet.* Porro Romam accitus fuit ex eodem ac Dione lib 57. Cæcilio Rufo ac Pomponio Flacco Coſſ. anno Urbis 770. Ita anni regni Archelai neutiquam numerati ſunt ab eo tempore, quo in Regno confirmatus eſt ab Auguſto poſt victoriam Actiacam: nam ſeptem ſupra quadraginta tantùm interceſſere ad eum uſque annum, quo Romam venire juſſus fuit. Regnavit quidem Archelaus ex Dione annos 52. Verùm, Tacitus, ut non rarò alibi, numero rotundo loquitur.

CI. *Rejicitur tertiò.* Sed quis meliùs ſcire potuit quàm Joſephus, an anni regni Herodis XXXVII à Conſulatu Calvini & Pollionis deducti fuerint? Erat enim natione Judæus, Hiſtoriæ Judaïcæ peritiſſimus, & ipſius Herodis tempori valde proximus, atque in geſtis ejus ſtudioſiùs perquirendis ac deſcribendis omnium diligentiſſimus, ut anno Urbis 717. num. LXXXVIII diximus. Et quidem ſi ab Actiaca pugna primus annus regni Herodis, & reliqui deinceps ſigillatim in publicis monumentis, ut aſſirmat Baronius, annotari cœpiſſent; mirum valde eſſet, inquit Torniellus in Annalibus ſacris ad annum mundi 4051. quòd rem tam novam, & tunc temporis adeo pervulgatam ignorare potuiſſent tres rerum Judaïcarum peritiſſimi, nimirum Joſephus, & ante ipſum *Philo*, qui fuit Herodis temporibus proximior, & ante Philonem *Nicolaus Damaſcenus* Scriptor egregius, ſæpius à Joſepho citatus, qui fuit Herodis contemporaneus & familiariſſimus, eidemque ſuperſtes, quique non minùs Judæorum quàm Romanorum res callebat. Vel ſi eos id non latuit; qui fieri poteſt, ut rem adeo notabilem omnino prætererint? Nec uſpiam quis eorum Herodis regni annos ab Actiaca pugna putaverit? Aut quod nullus alius ex antiquis Scriptoribus, imò neque ex recentioribus, præter unum Baronium, hac de re quicquam meminerit? Sed eſto, occulta quadam de cauſa id evenerit: ſaltem non omnino oppoſitum ſcripſiſſet, replicaſſetque Joſephus, qui duo tantùm initia regni Herodis memorat; alterum, ab adepto regni titulo; alterum, à conſecuta Regni poſſeſſione: ſingulaque propriis Conſulum, Olympiadumque notis ſignat: atque à primo ad obitum Regis numerat annos triginta ſeptem; ab altero autem triginta quatuor.

Addit Torniellus, Joſephum lib. 18. Antiquit. cap. 3. adhuc manifeſtiùs indicare, triginta ſeptem regni Herodis annos non eſſe à pugna Actiaca dinumerandos. Ibi enim ait, *cenſum à Quirino*, poſt confiſcatas Archelai Herodis filii facultates, incidiſſe in annum ab Actiaca pugna triceſimum primum, cui ſubſcribit Dio libro 55. dicens, *Herodem Palæſtinum* (quo etiam nomine Archelaus vocabatur) Æmilio Lepido & L. Aruntio Coſſ. anno nempe Urbis 759. fuiſſe trans Alpes relegatum. Quod ſi verum eſt, Herodis anni ab Actiaca pugna nunquam putati fuere. Alioquin ſequeretur, non ſolùm contra Joſephi, ſed communiorem quoque aliorum ſententiam, Herodem Magnum non XXXVII, ſed XXVII, aut ad ſummum XXVIII duntaxat annos regnaſſe. Nam quando memorata bonorum *Archelai* confiſcatio facta, jam Herodes ejus pater novennio vel decennio priùs obierat. Huc accedit, quòd Herodes ſub Conſulatu Calvini & Pollionis, non ab Antonio, ſed ab ipſo Senatu Romano Rex creatus fuerat; neque Antonii duntaxat ope, ſed ipſius quoque Auguſti favore, ut tradit Joſephus lib. 14. Antiquit. cap. 26. Quare nihil obſtare poſſe videbatur reſciſſio Actorum Antonii, quominus poſſet Herodes regni ſui annos à prædicto Conſulatu deſumere, etiam poſt devictum ab Auguſto Antonium. Unde non debet pro certo affirmari, in re præſertim adeo antiqua & obſcura, quod à nemine priùs proditum invenitur, imò quod omnibus penè Scriptoribus adverſatur. CII. *Rejicitur quartò.*

Neque illud admittendum, quod ſubdit Baronius, videlicet *Joſephum* in his, quæ ſunt temporis, CIII. *Rejicitur quintò.*

temporis, ſæpius hallucinari, eſſeque valde levem atque inconſtantem, & aſſeclas ſuos in inextricabiles inducere labyrinthos. Nam non mirum quòd in hoc Auctore, quod in multis quoque aliis graviſſimis Scriptoribus, interdum contingat. Enimvero temporum ratio res adeo lubrica, ut ferè nemo ſit, qui non aliquando, vel oblivione, vel inadvertentiâ aliquâ non labatur. Potuit Librariorum errore aut incuriâ aliquod vitium in Joſephi Codices, præſertim verò in annorum numeros irrepere: poteſt ipſe multoties ab erroribus ſibi impoſitis defendi: poſſuntque plura ejus loca, quæ inter ſe pugnare videntur, conciliari. Verùm hac de re plura Torniellus laudatus: piget enim in his ampliùs immorari.

CIV. *Antonius & Cleopatra ſibi mortem inferunt.*

Auguſtus per Syriam ex Dione lib. 51. in Ægyptum veniens, *Peluſium* proditione Cleopatræ cepit: *Antonius* verò Alexandriam tendens, equitatu Auguſtum prope Alexandriam vincit, ſed peditibus vincitur. Inde *Kalendis Sextilibus* Auguſtus viciſſim equitatu vincit. Eodem die, cùm claſſis contra Auguſtum inſtrueretur, hæc tota ad Auguſtum tranſiit. Cùm nihil procederet, in Hiſpaniam tranſire parat: ſed cùm & hoc fruſtra eſſet, *Cleopatra* primùm, quaſi mortis conſciſcendæ causâ in monumentum inſiluit, quod verum putans Antonius, ſibi ipſi vim infert, & in ſinu Cleopatræ moritur. Quod Cleopatra ad Auguſtum nuntiavit, Regnumque dedidit; cúmque metueret, ne in triumpho duceretur, aſpidis morſu periit. Dio lib. 51. A morte Alexandri Magni, qui Imperium Macedonicum condidit, uſque ad Antonii & Cleopatræ mortem, cum quibus illud deſiit, & apud Ptolemæum tum in Regum Canone, tum in Operis magni libro tertio, & apud Clementem Alexandrinum in lib. 1. Stromatum, anni numerantur CCXCIV.

CV. *Poſt annos XV ab Alexandria capta, Rhæti victi.*

Baron. in Apparat. n. CIII.

Cæſar primo aditu Alexandriâ, urbe longè omnium opulentiſſima & maxima, victor potitus eſt, ex Livio lib. 133. Strabone lib. 17. pag. 795 & Suetonio in Auguſto cap. 17. Baronius, ut oſtendat, Antiquos Auguſti annos à C. Julii Cæſaris nece numerare ſolitos, adducit hos Horatii verſus lib. 4. Ode 14.

——— *Nam tibi quo die*
Portus Alexandrea ſupplex
Et vacuam patefecit aulam,
Fortuna luſtro proſpera tertio
Belli ſecundos reddidit exitus;
Laudemque & optatum peractis
Imperiis decus arrogavit.

Addit Baronius, Alexandriam *ſexto Kal. Aprilis* eſſe debellatam. Verùm Auguſtus Alexandriam victor intravit *menſe Sextili*, ex Oroſio lib. 6. cap. 19. & Macrobio lib. 1. Saturnal. cap. 12. ex SC. quod ibi recitat. Deinde tria illa luſtra ab occupata Alexandria referuntur ad inſignem victoriam Neronum virtute partam poſt tertium luſtrum ab ingreſſu in urbem Alexandrinam. Victoriam enim de Rhætis Vindelicis obtinuit poſt tria illa luſtra, d qua meminere Euſebius in Chronico, & Dio lib. 54. ſub anno Urbis 739. qui tamen de die nullam mentionem faciunt; ſed Porphyrius, antiquus Horatii Interpres, dicit id eodem die contigiſſe.

A capta Alexandria Ægyptii annos ſuos dinumerarunt.

Ab hac inſigni victoria ultimam à Cæſare armis civilibus impoſitam manum fuiſſe, tradit Florus lib. 4. cap. 12. & Velleius lib. 2. cap. 27. & confirmat Dionyſius Halicarnacenſis in Romanarum ſuarum Antiquitatum Proœmiis ſcribens, veniſſe ſe in Italiam ſimul ac Cæſar Auguſtus finem bellis civilibus impoſuiſſet, *media Olympiade* 187. anno illius tertio, ineunte ſcilicet, ex mox dictis. Ægyptios verò ab eo tempore annos Auguſtorum qui in ipſos Imperium obtinuerunt, dinumeraſſe, docet Cenſorinus cap. 21. de Die natali. Cúmque per annos XLIII Ægyptum Auguſtus tenuerit, ut in libro de Legatione ad Caium oſtendit Philo, totidem etiam Imperii ſive Monarchiæ illius anni tribuuntur in Ptolemæi Regum Canone, & Clementis Alexandrini lib. 1. Stromatum.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5465. Cyclo Solis 9 DC. Lunæ 11. Indict. 5. Mundi 3976. Urbis conditæ 725. ante Chriſtum 29. Juliano 17. Auguſti 16. Herodis 12. & 9.

CVI. *Ara Victoriæ dedicata.*

Coss. *Auguſtus Cæſar V*, & *Sex. Apuleius*. V Kalend. Septemb. *ara Victoriæ in Curia dedicata eſt*, ut in antiquo Kalendario notatur, quâ in Curia Julia poſitâ & ſpoliis Ægyptiis decoratâ, oſtendebat Cæſar, Imperium ſe ex Victoria adeptum, inquit Dio lib. 51. pag. 459. De hac *Victoriæ* ara magna diſſidia Chriſtianos inter & Paganos poſt pacem à Conſtantino Magno Eccleſiæ redditam, fuere, ut videre eſt in Annalibus. Baronius de Simulacro *Victoriæ* loquens ait, in veſtibulo Capitolii collocatum fuiſſe. Verùm, Victoriam aramque fuiſſe in Curia, docent non tantùm Dio citatus, ſed etiam Suetonius in Auguſto cap. 100. Capitolinus quidem, ubi Herodianus lib. 7. cap. 10. loquens de Maximo & Balbino Impp. dicit, duos Prætorios *Curiam* ingreſſos, *ſicut ultra aram quoque Victoriæ penetrarent*, ἄνδειον, qua voce utitur Herodianus, non *Curiam*, ſed Capitolium vertit: verùm magno errore. Ab hoc tempore *dies quintus Kalendas* cujuſcunque menſis apud Romanos in veneratione fuit, qui jam celebris erat, quòd eo die Triumviratus inſtitutus fuiſſet. Hujus rei infrà varia exempla afferemus.

Baron. anno 356. num. XVI. Spondan. ibid.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5466. Cyclo Solis 10 B. Lunæ 12. Indict. 6. Mundi 3977. Urbis conditæ 726. ante Chriſtum 28. Juliano 18. Auguſti 17. Herodis 13. & 10. Olymp. 188.

Coss. *Auguſtus Cæſar VI*, & *M. Vipſanius Agrippa II.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5467. Cyclo Solis 11 A. Lunæ 13. Indict. 7. Mundi 3978. Urbis conditæ 727. ante Chriſtum 27. Juliano 19. Auguſti 18. Herodis 14. & 11.

CVII. *Conſulatus*

Coss. *Auguſtus Cæſar VII*, & *M. Vipſanius Agrippa III*. Tacitus lib. 1. Annal.

Continentes ſolis Imperatoribus ac Cæſaribus attributi.

cap. 1. de Auguſto loquens ait: *M. Agrippam geminatu Conſulatibus extulit.* Ad quæ verba Lipſius in Notis ait: *Quod Tacitus dixit, quia poſtremi duo Conſulatus Agrippæ continuati continenteſque. Qui ſanè honos erat: & rarò cuiquam ea ætate tributus, præter Principes re aut deſtinatione.* Meliùs ſcripſiſſet Lipſius *nunquam*, quàm *rarò*: cùm poſthac geminatus continenſque Conſulatus nemini, præterquam Imperatoribus ac Cæſaribus conceſſus reperiatur, ut Faſtos noſtros percurrenti liquebit. Hinc notam numeralem in Conſulatibus exprimendis, ubi ea mihi innotuit, ſemper adjeci; & ubi perperam addita fuerat, repudiavi; quòd geminati Conſulatus, etiam non continentes, celebrioribus annis, aut in conſortio Imperatorum de more gererentur.

CVIII. *Cæſar Imperium totius Orbis accipit.*

Ex ſententia Munatii Planci Octavianus Cæſar à Senatu ceteriſque civibus ante diem XVI Kalend. Februar. nomen Auguſti accepit, inquit Cenſorinus lib. de Die natali cap. 21. *ſe VII, & M. Vipſanio Agrippa III Coſſ.* Jam ſe ipſum Imperio abdicare velle ſignificaverat; ſed eum omnes compulere, ut Imperium ſolus obtineret, ex Dione lib. 53. pag. 497. & 503. quod *VII Idus Januar.* ab eo ſuſceptum eſſe, oſtendit Inſcriptio apud Gruterum pag. 229. Tum *Idibus Januariis* Provinciarum diſtributionem, de qua Dio eodem libro pag. 503. 504. & 505. factam fuiſſe, innuit Ovidius 1. Faſtorum, ubi tamen perperam eodem die Cæſari Octaviano *Auguſti* cognomentum datum fuiſſe ſcribit. *Auguſti* nomine accepto, omne Populi Senatúſque Imperium ad eum tranſlatum, ex Dione ibid. pag. 507. atque ex eo tempore ſumma rerum & poteſtatum penes unum cœpit eſſe & manſit, quod Græci *Monarchiam* vocant, ex Oroſio lib. 6. cap. 20. Romanos verò Auguſtorum ſuorum epocham à Kalendis Januariis hujus anni deduxiſſe, colligitur ex Cenſorino loco laudato. Auguſtus, ut omnem de ſe Monarchiæ ſuſpicionem eximeret, poteſtatem Reipublicæ conſtituendæ in decennium tantùm aſſumſit, ex Dione ibidem.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5468. Cyclo Solis 12 G. Lunæ 14. Indict. 8. Mundi 3979. Urbis conditæ 728. ante Chriſtum 26. Juliano 20. Auguſti 19. Herodis 15. & 12.

Coss. *Auguſtus Cæſar VIII, & T. Statilius Taurus II.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5469. Cyclo Solis 13 F E. Lunæ 15. Indict. 9. Mundi 3980. Urbis conditæ 729. ante Chriſtum 25. Juliano 21. Auguſti 20. Herodis 16. & 13.

Coss. *Auguſtus Cæſar IX, & M. Junius Silanus.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5470. Cyclo Solis 14 D. Lunæ 16. Indict. 10. Mundi 3981. Urbis conditæ 730. ante Chriſtum 24. Juliano 22. Auguſti 21. Herodis 17. & 14. Olymp. 186.

Coss. *Auguſtus Cæſar X, & C. Norbanus Flaccus.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5471. Cyclo Solis 15 C. Lunæ 17. Indict. 11. Mundi 3982. Urbis conditæ 731. ante Chriſtum 23. Juliano 23. Auguſti 22. Herodis 18. & 15.

CIX. *Tribunitia Poteſtas in Auguſtum collata.*

Coss. *Auguſtus Cæſar XI, & Cn. Calpurnius Piſo.* Senatus *Auguſto hos honores decrevit, ut Tribunus Plebis perpetuus eſſet: ut quoties Senatus haberetur, etiamſi Conſulatum non gereret, de quibuſcumque rebus referre poſſet: ut Proconſulare Imperium ſemper haberet, neque id in Urbem intrans deponeret, aut renovando opus ei eſſet: ut major ipſi in Provinciis, quàm Præfectis earum, ſemper eſſet poteſtas. Inde exortum eſt, ut Auguſtus, quique eum ſecuti ſunt Imperatores, Lege quadam reliquis hiſce & Tribunitia Poteſtate uterentur*, inquit Dio lib. 53. Factum id *V Kalend. Julias.* Menſem Noriſius in Diſſert. 2. de Cenotaphiis Piſanis pag. 263. ex fragmento veteris Inſcriptionis Gruterianæ doctè deducit, ut ibidem videre eſt. Diem Onuphrius in Faſtis nos edocet; cùm enim apud Velleium lib. 2. legiſſet, Auguſtum *V Kal.* Julii anni Urbis 757. adoptato à ſe Tiberio contuliſſe unà ſimul Poteſtatem Tribunitiam, intulit, eadem etiam die *V Kal. Julias* Auguſtum multiplicaſſe Tribunitiam Poteſtatem. Nam fas eſt credere, Auguſtum ſolenni ſibi die tantam dignitatem Tiberio contuliſſe; is enim Velleio dicitur *Tribunitiæ Poteſtatis conſortione æquatus Auguſto*; nulla autem alia apparet cauſa ſolennitatis ejus diei, niſi quòd ea ipſa die Auguſtus Tribunitiam Poteſtatem hoc anno primùm accepiſſet. Indeque ulteriùs deducit Onuphrius, Imperatores eadem die ac menſe quibus Tribunitiam Poteſtatem ſumſiſſent, iiſdem etiam Cæſaribus tradere ſolitos. At, licèt verum ſit, Auguſtum eodem die ac menſe, *V* nempe *Kal. Julias*, quibus Tribunitiam Poteſtatem accepit, in Tiberium poſtea contuliſſe; falſum tamen, ſequentes Imperatores eo die ac menſe, quibus ipſimet Tribunitia Poteſtate exornati fuiſſent, aliis eandem tribuiſſe. Fiebat id de more *V Kalendas* alicujus menſis indiſcriminatim, quòd eo die ara Victoriæ dedicata fuiſſet, & Auguſtus Tribunitiam Poteſtatem primùm ſuſcepiſſet. Hujus rei exempla infrà occurrent.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5472. Cyclo Solis 16 B. Lunæ 18. Indict. 12. Mundi 3983. Urbis conditæ 732. ante Chriſtum 22. Juliano 24. Auguſti 23. Herodis 19. & 16.

Coss. *M. Claudius Marcellus Æſerinus, & L. Arruntius.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5473. Cyclo Solis 17 A G. Lunæ 19. Indict. 13. Mundi 3984. Urbis conditæ 733. ante Chriſtum 21. Juliano 25. Auguſti 24. Herodis 20. & 17.

Coss. *Q. Æmilius Lepidus, & M. Lollius.*

Olymp. 190. *Anno Periodi Græco-Romanæ 5474. Cyclo Solis 18 F. Lunæ 1. Indict. 14. Mundi 3985. Urbis conditæ 734. ante Chriſtum 20. Juliano 26. Auguſti 25. Herodis 21. & 18.*

CX. *Geſta in Syria.*

Coss. *M. Appuleius, & P. Silius Nerva.* Joſephus lib. 15. Antiquit. cap. 13. narrat, *Zenodorum* quendam conduxiſſe ditionem Lyzaniæ, & non ſolùm prædas non vetaſſe, ſed etiam earum participem fuiſſe. Hinc propinquorum agrorum coloni *Varronem* Provinciæ Præſidem rogarunt, ut *Zenodori* injurias ſignificaret Cæſari. Reſcripſit hic, expugnanda eſſe latronum receptacula, & ditionem eam ditioni Herodis contribuendam. Eam regionem poſtquam Herodes accepit à Cæſare, Zenodorus Romam ad accuſandum Herodem profectus eſt: nihil tamen efficere potuit. Interea in Aſiam *Agrippa* mittitur, adminiſtraturus transmarinas Provincias pro Cæſare. *Decimo ſeptimo* demum *Herodis regni anno* Cæſar venit in Syriam, & Zenodorus apud Antiochiam Syriæ periit. Cæſar verò hujus portionem non contemnendam donavit Herodi: quæ ſita eſt Galilæam inter & Trachonem. Quæ omnia ex Joſepho deſcripta, qui lib. 1. de Bello cap. 15. eadem de re loquens, ait: *Et decimo anno reverſus* (Auguſtus ſcilicet) *iterum in Provinciam, Zenodoro mortuo, terram omnem, quæ inter Trachonem & Galilæam erat, eidem attribuit.* Porro Auguſtum anno Urbis 724. in Syriam profectum eſſe, docet Dio lib. 51. currentique anno in eandem Provinciam rurſus adveniſſe, narrat Dio lib. 54. ſub hujus anni Conſulibus, ubi & ait, eum Herodi *Zenodori cujuſdam Tetrarchiam* attribuiſſe.

CXI. *Meſſallæ Varro ſucceſſit in Præfectura Syriæ.*

Ex his ſeries Præſidum Syriæ à Baronio confecta, corrigenda. Baronius poſtquam locutus eſt de Meſſalla, ait: *Hic præfuiſſe videtur uſque ad annum ab Urbe condita DCCXXXI, quando M. Agrippa tam Syriæ, quàm toti Orienti præficitur, qui, ut teſtatur Dio lib. 53. eſt revocatus anno ab Urbe condita DCCXXXIII, quo ipſe Auguſtus in Syriam profectus reperitur,* (ex Dione lib. 54.) *ubi manſit ſaltem triennii temporis ſpatio: nam ſub Conſulatu Sentii Saturnini adhuc agebat in Oriente.* Paulò antea inconſtantiæ Joſephum arguerat, qui Varum Syriæ Præſidem dixerit anno regni Herodis XVI, & dein ſcripſerit, anno poſtea viceſimo paulò ante obitum Herodis Varum ſucceſſiſſe Sentio Saturnino. *Nec eſt*, inquit Baronius, *quòd poſſit dici, eundem Varum iterum eò miſſum; cùm nec ipſe Joſephus, nec alii id teſtentur.* Sed, ut jam Viri docti obſervarunt, prava Geleni interpretatio Baronium decepit. Nam ubi Joſephus lib. 1. Belli cap. 15. ſcribit, [illegible], legit, *Varum Præſidem Syriæ*, cùm vertendum fuerit, *Varronem Præſidem Syriæ.* Ita lib. 15. Antiquit. cap. 13. idem Joſepho dicitur Οὐάρρων, rectéque Rufinus Latinè vertit, *Varro.* Sed qui ſucceſſit *Sentio Saturnino*, vocatur à Joſepho lib. 17. Antiquit. cap. 7. Οὔαρος Κυϊντίλιος, id eſt, *Varus Quintilius.* Præterea non anno præcedenti, ſed currenti in Syriam *Auguſtus* venit, quò poſt annum Urbis 724. non venerat. Dio lib. 54. agens de rebus Marcello & Aruntio Coſſ. geſtis, anno ſcilicet Urbis 732. ait: *In Siciliam profectus eſt, ut eam ac omnes alias ad Syriam uſque Provincias conſtitueret* Auguſtus. Tum addit: *Auguſtus, rebus in Sicilia ordinatis, Syracuſiſque & aliis quibuſdam urbibus coloniæ Romanorum ut eſſent, deſtinatis, in Græciam tranſmiſit.* Et paulò pòſt: *Rebus in Græcia confectis, Auguſtus in Samum navigavit, ibique hiemavit. Vere in Aſiam perrexit M. Appuleio, Publio Silio Coſſ.* Auguſtus, Aſia Proconſulari Provincia ordinata, *ibi & in Bithynia omnia conſtituit*, inquit Dio, qui ſubdit, *idemque in Syriam cùm adveniſſet*, Tyros ac Sidonios propter factiones punivit. Ex quibus, ut advertit Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. 2. pag. 292. & ſeqq. patet, Auguſtum circa æſtatem hoc anno in Syriam veniſſe; cùm verno tempore Aſiam ac Bithyniam perluſtraſſet. Joſephus laudatus dicit, fuiſſe annum XVII regni Herodis, ac decimum annum poſt præcedentem ejus in Syriam profectionem, ſicque in tempore ei cum Dione optimè convenit.

Baron. in Apparatu n. LXXXV. Baron. num. LXXXIV.

Apparatu.

CXII. *Auguſtus vix quinque menſes in Syria manſit.*

Inſuper conſtat ex Dione, quem Baronius unum ſuæ ſententiæ auctorem laudat, Auguſtum qui hac æſtate in Syriam profectus eſt, poſtea apud Samum hibernaſſe, ut vix quinque in Syria menſes moratus fuerit, non verò per triennium, ut vult Baronius. Sed nec illud admittendum, Auguſto in Orientis partibus degente, nullos ejuſdem Legatos, nec à populo ſuas in Provincias miſſos Proconſules extitiſſe. Quis enim, Auguſto apud Samum hiemante, in Syria, quis in Cyrene, quis in Bithynia jus dixiſſet? Quis ab anno Urbis 733. ad 737. quò rurſus Agrippa rediit in Orientem, Syriæ res adminiſtravit? Inquit Noriſius laudatus, qui & ex Appiano lib. 4. Bel. civil. pag. 619. de M. Tullio Cicerone Oratoris filio, qui victo Bruto ad Sex. Pompeium in Ciliciam ſe receperat, loquente, ait: *Poſt hos Cæſar, quò averteret à ſe Ciceronis proditi dedecus, Augurem eum fecit, & paulò pòſt Conſulem, poſtremò Syriæ Præſidem.* Hanc Ciceronis adminiſtrationem Syriacam ab anno Urbis 733. ad 737. contigiſſe putat Noriſius; cùm ante illos annos alii Proprætores eam Provinciam adminiſtraverint.

CXIII. *Agrippa Syriæ Præſes.*

Quoad Præfecturam Syriacam *Varronis*, is eam obtinebat anno Urbis 732. quo Sebaſtem jam conditam Herodes *Cæſaream* appellavit, ut deducitur ex Joſepho lib. 1. Belli cap. 16. & lib. 15. Antiquit. cap. 13. qui addit, *Herodem* filios ſuos Alexandrum & Ariſtobulum Romam ad Cæſarem educandos miſiſſe, & Herodem accepiſſe à Cæſare *Trachonem*, quâ Zenodorum privaverat, quo tempore Varro Provinciæ Syriæ præerat. Anno tamen præcedenti, Urbis ſcilicet 731. M.

Vipſanius Agrippa, teſte Dione lib. 54. Syriæ Præfecturam ab Auguſto acceperat, de qua loquitur etiam Joſephus lib. 15. cap. 13. Quare apparet, totius Orientis Provincias Agrippæ demandatas fuiſſe; cùm alii Proconſules eodem tempore in Provinciis Aſiaticis fuerint; quod de *Varrone* negari non poteſt, ut ex dictis liquet. Tacitus lib. 2. Annal. loquens de Germanico, cui poſtea Orientem Tiberius permiſit, ait: *Tunc decreto Patrum permiſſæ Germanico Provinciæ quæ mari dividuntur, majuſque Imperium quoquò adiſſet, quàm his qui ſorte aut miſſu Principis obtinerent.* Si hoc amplo Imperio Proconſulari, inquit Noriſius loco laudato, Agrippa ornatus dicatur, cùm in Orientem miſſus fuit, unà cum eodem fuere in Aſiaticis Provinciis populi ordinarii Proconſules, in quorum tamen Diœceſes majus Imperium Agrippa obtinebat. De ejus in Aſiam adventu ſermo redibit. Hæc Noriſius. Varro itaque Syriæ præfuit eo etiam tempore, quo Agrippa Orientem gubernabat. De Agrippæ Præfectura rurſus infrà.

CXIV. *Annus capta Hieroſolyma ex anno VIII Herodis probatus.* Denique notandus annus decimus ſeptimus Herodis à morte Antigoni deſumtus, ex quo manifeſtum fit, Joſephum expugnationem urbis Hieroſolymitanæ cum anno Urbis 717. copulaſſe. Hæc Joſephi verba: ἤδη δ' αὐτοῦ τῆς βασιλείας ιζ' παρεληλυθότος ἔτους, Καῖσαρ εἰς Συρίαν ἀφίκετο. quæ verba ſic Gelenius vertit: *Decimo ſeptimo demum ejus regni anno Cæſar venit in Syriam.* Sed perperàm: ea enim ſic cum Petavio lib. 11. de Doct. Temp. cap. 1. Latinè reddenda: *Cùm jam regni XVII annus Herodi præteriiſſet*, Cæſar in Syriam venit. Joſephus enim annum Herodis XVII παρεληλυθότα vocat, id eſt, *præteritum*. Ex quo liquet primùm, Joſephum cladem urbis Hieroſolymitanæ anno Urbis 717. rectè collocaſſe, ſibique conſtare. Cùm è contra in opinione Dionis annus XVII Herodis anno præcedenti terminari debeat, quo tamen quæ ipſemet Dio narrat, hoc anno contigere, ipſo etiam Joſepho teſte, qui res Romanas optimè callebat. Liquet ſecundò, urbem expugnatam fuiſſe ante autumnum, ut ſuo loco diximus, cùm Herodes jam annum decimum octavum inchoaſſet, quando Auguſtus hac æſtate in Syria fuit.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5475. Cyclo Solis 19 E. Lunæ 2. Indict. 15. Mundi 3986. Urbis conditæ 735. ante Chriſtum 19. Juliano 27. Auguſti 26. Herodis 22. & 19.

Coss. *Q. Lucretius Viſpillo, & C. Sentius Saturninus.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5476. Cyclo Solis 20 D. Lunæ 3. Indict. 1. Mundi 3987. Urbis conditæ 736. ante Chriſtum 18. Juliano 28. Auguſti 27. Herodis 23. & 20.

Principatus Auguſto prorogatus. Coss. *P. Cor. Lentulus Marcellinus, & Cn. Cornelius Lentulus.* Cùm primum Imperii decennium ad exitum jam tenderet, Auguſtus in aliud quinquennium, ſuum ſibi prorogavit Principatum, ut teſtatur Dio lib. 54. ubi id ſub hujus anni Conſulibus factum aſſerit. *Agrippæ cùm alia ferè eadem quæ ſibi, tum Tribunitiam Poteſtatem itidem ad Quinquennium dedit,* inquit Dio eodem loco. Auguſtum imitati ejus ſucceſſores annis quibus Quinquennalia & id genus feſta edidere, Cæſares creare, aut iis Tribunitiam Poteſtatem impertiri ſoliti ſunt. Hoc & ſequenti anno Auguſtus Romæ ſubſtitit, annoque ſequenti ibidem Caium & Lucium Agrippæ filios ex Julia Auguſti nata, adoptavit.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5477. Cyclo Solis 21 CB. Lunæ 4. Indict. 2. Mundi 3988. Urbis conditæ 737. ante Chriſtum 17. Juliano 29. Auguſti 28. Herodis 24. & 21.

Coss. *C. Furnius, & C. Junius Silanus.* CXV. *B. Virginis nativitas.*
Hoc anno Beatiſſimam Virginem Salvatoris noſtri matrem natam exiſtimat Baronius. Auctor verò Chronici Alexandrini ſub anni ſequentis Conſulibus ejus nativitatem conſignat. Quæ ibidem Baronius de Chriſti Genealogia habet, lucem accipere poſſunt ex Diſſert. Petri de Marca *de Stemmate Chriſti*, quæ prima eſt inter ejus Opera poſthuma: neque enim mens eſt in ea ſimilibúſve operam ponere; cum meliora, quàm Baronius, afferre non poſſimus. Baron. in Apparatu n. XVIII, & Spondan. n. XXI.

Ludi Seculares celebrati. Auguſtus ſub hujus anni Conſulibus *Ludos Seculares Quintos* celebravit, ut non tantùm ex Cenſorino lib. de Die natali, ſed etiam ex Nummis apud Mediobarbum pag. 36. liquet. Quater poſtea à ſubſequentibus Imperatoribus exhibiti, tandemque neglecti, & à Chriſtianis Imperatoribus abrogati.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5478. Cyclo Solis 22 A. Lunæ 5. Indict. 3. Mundi 3989. Urbis conditæ 738. ante Chriſtum 16. Juliano 30. Auguſti 29. Herodis 25. & 22. Olymp. 191.

Agrippa iterum Syriæ Præſes. Coss. *L. Domitius Ahenobardus, & P. Cornelius Scipio.* Teſtatur Dio lib. 54. *Agrippam*, exhibitis hoc anno Ludis Actiacis, (qui menſe Septembri, quo ineunte Auguſtus victor navali pugna apud Actium extiterat, edi ſoliti erant) in Aſiam tranſmiſiſſe, ideoque circa autumnum. Hæc altera Agrippæ in Aſiam profectio, quàm Baronius rectè hoc anno conſignavit; qui tamen in eo peccavit, quòd Auguſtum inter Præſides Syriæ connumerarit, ab anno Urbis 734. quo is ex Syria diſceſſit hiberna apud Samum habiturus, uſque ad præſentem annum, quo Agrippa in Orientem iterum miſſus eſt. Nam, ut obſervat Noriſius Diſſert. 2. de Cenotaphiis Piſanis pag. 197. potuit Agrippa abſens per Legatos Syriam regere; quod eò magis dicendum, quòd Joſephus lib. 16. de Antiquit. cap. 6. tradat, *Agrippam* in Italiam reverſum, *poſtquam annos decem Diœceſim Aſiæ adminiſtraſſet*, ab anno nempe Urbis 731. uſque ad annum Urbis 741. quo Agrippa ex Syria Romam reverſus eſt, ut loco citato docet Dio. Poſt Agrippam *Titium* Præſidem Syriæ exhibet Joſephus lib. 16. Antiq. cap. 12. quem Baronius omiſit, & de quo plura Noriſius loco citato.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5479. *Cyclo Solis* 23 *G. Lunæ* 6. *Indict.* 4. *Mundi* 3990. *Urbis conditæ* 739. *ante Chriſtum* 15. *Juliano* 31. *Auguſti* 30. *Herodis* 26. & 23.

Coss. *M. Livius Druſus Libo*, & *L. Calpurnius Piſo.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5480. *Cyclo Solis* 24 *F. Lunæ* 7. *Indict.* 5. *Mundi* 3991. *Urbis conditæ* 740. *ante Chriſtum* 14. *Juliano* 32. *Auguſti* 31. *Herodis* 27. & 24.

Coss. *M. Licinius Craſſus*, & *Cn. Cornelius Lentulus.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5481. *Cyclo Solis* 25 *ED. Lunæ* 8. *Indict.* 6. *Mundi* 3992. *Urbis conditæ* 741. *ante Chriſtum* 13. *Juliano* 33. *Auguſti* 32. *Herodis* 28. & 25.

Agrippa Tribunitia Poteſtate donatur. Coss. *Tiberius Claudius Nero*, & *P. Quinctilius Varus. Poſt Agrippam ex Syria reverſum Tribunitia Poteſtate in alind quinquennium prorogata cohoneſtavit*, inquit Dio lib. 54. Auguſtus ſcilicet.

Olymp. 192. *Anno Periodi Græco-Romanæ* 5482. *Cyclo Solis* 26 *C. Lunæ* 9. *Indict.* 7. *Mundi* 3993. *Urbis conditæ* 742. *ante Chriſtum* 12. *Juliano* 34. *Auguſti* 33. *Herodis* 29. & 26.

CXVI. *Tiberio Tribunitia Poteſtas confertur.* Coss. *M. Valerius Meſſalla Barbatus*, & *P. Sulpicius Quirinus.* Agrippa in Campania mortuus eſt ex Livio lib. 136. & Dione lib. 54. Auguſtus in ejus locum ad rerum ſummam ſecum adminiſtrandam Tiberium privignum ſuum invitus aſſumſit, eique filiam ſuam Juliam Agrippæ viduam deſpondit, coacto uxorem ſuam Agrippinam relinquere, ex Dione ibidem.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5483. *Cyclo Solis* 27 *B. Lunæ* 10. *Indict.* 8. *Mundi* 3994. *Urbis conditæ* 743. *ante Chriſtum* 11. *Juliano* 35. *Auguſti* 34. *Herodis* 30. & 27.

Coss. *Paulus Fabius Maximus*, & *Q. Ælius Tubero.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5484. *Cyclo Solis* 28 *A. Lunæ* 11. *Indict.* 9. *Mundi* 3995. *Urbis conditæ* 744. *ante Chriſtum* 10. *Juliano* 36. *Auguſti* 35. *Herodis* 31. & 28.

Coss. *Julius Antonius*, & *Q. Fabius Max. Africanus.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5485. *Cyclo Solis* 1 *GF. Lunæ* 12. *Indict.* 10. *Mundi* 3996. *Urbis conditæ* 745. *ante Chriſtum* 9. *Juliano* 37. *Auguſti* 36. *Herodis* 32. & 29.

Coss. *Nero Claudius Druſus Germanicus*, & *T. Quinctius Criſpinus.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5486. *Cyclo Solis* 2 *E. Lunæ* 13. *Indict.* 11. *Mundi* 3997. *Urbis conditæ* 746. *ante Chriſtum* 8. *Juliano* 38. *Auguſti* 37. *Herodis* 33. & 30. Olymp. 193.

Coss. *C. Martius Cenſorinus*, & *C. Aſinius Gallus. Auguſtus cùm Principatum depoſuiſſet (hoc enim præ ſe ferebat) exacto decennio altero, invitus iterum ſuſcepit*, inquit Dio lib. 55. *Principatus Auguſto prorogatur.*

Idem Auguſtus Pontifex Maximus annum à Julio Cæſare ordinatum, ſed poſtea negligentiâ conturbatum atque confuſum, rurſus ad priſtinam rationem redegit, ex Suetonio in Octavio cap. 3. In annis enim 36. intercalati fuerant dies 12. cùm debuerint intercalari 9. Auguſtus igitur annos 12. ſine intercalari die tranſigi juſſit; ut illi tres dies, qui per annos 36. vitio Sacerdotalis feſtinationis excreverant, ſequentibus annis 12. nullo die intercalato devorarentur, ex Plinio lib. 18. cap. 25. Solino cap. 3. & Macrobio lib. 1. Saturnal. cap. 14. *Auguſtus annum Julianum in integrum reſtituit.* Baron. in Apparatu n. CXXVIII.

CXVII. *Saturninus Syriæ Præſes.* Poſt Titium *C. Sentius Saturninus* hoc anno Legatus in Syriam miſſus. Ejus Joſephus in lib. 16. Antiquit. ſæpe meminit, uti & initio lib. 17. cap. 1. & cap. 2. Pleraque, quæ de hoc Saturnino Baronius ſcribit, Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. 2. pag. 305. & ſeqq. in examen fuſè vocat, ex quo hæc exſcripſimus. Baronius ait, Saturninum, Pedanium, ac Volumnium unà ſimul Syriam adminiſtraſſe; à Joſepho verò Saturninum ac Pedanium *Præſides Syriæ appellatos.* Ex quibuſdam Joſephi dictis Viri docti in eam opinionem deſcenderunt, ut Saturnino Syriæ Præſidi alterum Collegam ea in Præfectura aſſignarent. Nam lib. 16. cap. 13. Saturninum ac Volumnium vocat τῆς ἐπαρχίας ἐπιστατοῦντας, & cap. 16. τῆς ἐπαρχίας ἡγεμόνας. *Syriæ Præſides* utrobique malè vertit Interpres; cùm planè abſurdum ſit, Volumnium Præſidem æquata poteſtate ac Imperio Syriam rexiſſe, cùm eandem Sentius Saturninus adminiſtraret. Provinciis enim pacatis, uti erat hoc tempore Syria, nuſquam Duumviri æquato Imperio unà ſimul impoſiti fuere. Itaque unus Saturninus id temporis erat Legatus Proprætor Syriæ; Volumnius verò erat tantùm Procurator ejuſdem Provinciæ; ac diſertè ab eodem Joſepho lib. 1. Belli cap. 17. dicitur, ἐπίτροπος, id eſt, *Procurator*, quo nomine nunquam Præſides deſignavit. Baronius Volumnium *Procuratorem* Syriæ ex Joſepho optimè vocavit. Baron. in Apparatu n. LXXXVIII.

CXVIII. *An Saturninus cenſum egerit in Judæa.* Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 19. probans adverſus Hæreticum, Chriſtum hominem natum in carne mortali, ait: *Sed & cenſus conſtat actos ſub Auguſto tunc in Judæa per Sentium Saturninum, apud quos*

Baron. in Apparatu n. LXXXIX, & Spondan. n. XXVIII & ſeqq.

genus ejus inquirere potuiſſent. Quo Tertulliani teſtimonio confirmatur ſententia de Natali Chriſti anno Urbis 748 nam eo anno Saturninus Syriam reliquit. At his videtur obſtare S. Lucas cap. 2. ubi ait: *Exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis. Hæc deſcriptio prima facta eſt à Præſide Syriæ Cyrino, & ibant omnes, ut profiterentur ſinguli in ſuam civitatem.* Addit Lucas, Chriſtum natum, dum Beata Virgo ac Joſeph in Judæam pergebant, ut profiterentur. Ex quibus infertur, naſcente Chriſto, non Saturninum, ſed P. Sulpicium Quirinum Præſidem Syriæ fuiſſe. Baronius, ut allati ex Tertulliano teſtimonii vim declinaret, plura excogitavit. Exiſtimavit, *Sentium Saturninum* à Tertulliano nominatum, non fuiſſe hunc Præſidem Syriæ, ſed alium, qui anno Urbis 757. cum Ælio Cato Conſulatum geſſit, quo Conſule poſt luſtrum à nato Chriſto *more Romano cenſus agebatur.* „Etenim, inquit Baronius, cùm Tertullianus non ſatis exploratum haberet, an Chriſtus natus fuerit abſoluta deſcriptione alterius luſtri proximè elapſi, an verò cùm eadem adhuc perageretur, recurrit ad ſubſequens luſtrum, in quo illi conſtabat, tum Chriſtum, tum ejuſdem parentes deſcriptos fuiſſe. Hæc ille. Verùm hæc reſponſio ex falſa opinione procedit, in qua erat Baronius, ſingulis nempe luſtris in Judæa cenſum peractum. Nam Judæa erat ſub dominio Herodis Regis, ac nondum in formam Romanæ Provinciæ redacta; cenſus autem in ſolis Romanis Provinciis peragebatur, non autem in Regnis amicis ac ſociis Populi Romani. Tacitus lib. 6. Annal. ad annum Urbis 789. ait: *Per idem tempus Calitarum natio Cappadociæ, Archelao ſubjecta, quia noſtrum in modum deferre cenſus, pati tributa adigebatur, in juga Tauri montis abſceſſit.* Calitæ, extincto Romæ Archelao anno Urbis 770. ac Cappadociâ in Provinciæ formam redactâ, cenſum deferre juſſi, rebellarant. Hinc patet, ſub Archelao, quem Antonius, ac poſtea Auguſtus Cappadociæ Regem impoſuere, eam gentem cenſus non detuliſſe. At idem Antonius ex SC. Herodem Judææ Regem elegerat, quem uti & Archelaum Cappadocem Auguſtus Regnum habere permiſit. Rectè Tacitus dixit, *noſtrum in modum deferre cenſus*, quòd nempe Romani Imperii, non autem Regnorum ea eſſet conſuetudo.

CXIX. *Cenſus non fiebat ſingulis luſtris in Regnis, cujus Principes amici erant Populi Romani.*

Baronius duo hæc, quæ diverſa ſunt, *deferre cenſum*, ac *tributum ſolvere*, pro eodem minùs rectè accepit. Poſtquam Julius Cæſar Gallias ſubegit, inquit Dio lib. 54. *ſingulis menſibus tributum erat Gallis pendendum*; & cenſum diu poſtea deferre coacti ſunt ab Auguſto. Extat hac de re inſigne teſtimonium Claudii Imperatoris in Oratione de civitate Romana Gallis danda, cujus ære quondam inciſæ extat fragmentum apud Gruterum pag. 502. Hæc ibi Imperator de Gallis ait: *Illi Patri meo Druſo Germaniam ſubigenti, tutam quiete ſua, ſecuramque à tergo pacem præſtiterunt; & quidem cùm ad cenſus* NOVO TUM OPERE ET INADSUETO GALLIIS, *ad bellum avocatus eſſet, quod opus quàm arduum ſit nobis nunc cùm maximè, quamvis nihil ultrà, quàm ut publicè nota ſint facultates noſtræ, exquiratur, nimis magno experimento cognoſcimus.* Druſus anno Urbis 742. in Germanos primùm movit, qui Romanorum fines irruperant, *quia videbant Gallos jugum ſervitutis gravatim ferre* ex Dione lib. 54. Tunc enim primùm Galli *novo tum opere & inadſueto* cenſum profiteri ab Auguſto juſſi fuerant, quamvis ſupra annum quadrageſimum in Provinciæ formam redacti fuiſſent. Tantum abeſt, ut Regna ſuis quæque Regibus ſubjecta, ſociis licet & amicis Populi Romani, cenſum per ſingula luſtra deferre cogerentur.

Judæa regnante Herode tributũ Romanis nõ pendebat.

Sed neque illud verum eſt, quod ſcribit Baronius de cenſu per Syriam ſingulis quinquenniis acto: nam Auguſtus tribus ac quadraginta annis, quibus poſt mortem Antonii unus rei Romanæ arbitrium habuit, *cenſum populi ter egit*, ex Suetonio cap. 27. ac ſemel tantùm in Italia anno Urbis 757. cenſum habuiſſe dicitur à Dione lib. 55. *Pauperioribus, ac iis qui extra Italiam viverent, omiſſis, ne quid turbarum darent.* At Baronius extra Italiam ſingulis quibuſve luſtris cenſum actum opinatur, haud veritus, *ne quid turbarum darent.* Ex verbis citatis Claudii Imperatoris palam fit, raro per Provincias cenſus habitos, quòd *opus arduum nimis magno experimento* cognoſceretur. Vix enim ſine periculoſis tumultibus in Romanis Provinciis vel ſemel factum conſtabat. Hinc, cùm Judæa anno Urbis 759. deportato in exilium Archelao, Romanis Provinciis addita fuiſſet, ac *Quirinius* Syriæ Præſes cenſum in eadem perageret, *Judas Gaulanites*, teſte Joſepho lib. 18. cap. 1. ad defectionem populos ſollicitabat, cenſum nihil aliud quàm manifeſtam ſervitutis profeſſionem dictitans. Igitur erat *novum tum opus & inadſuetum* Judæis, neque unquam ea in gente factitatum. Baronius ait: *Nec, licet ea Provincia à Romanis Herodi ac ceteris Principibus conceſſa eſſet, deſiit tamen aliquando tributum ſolvere:* nam ex *Evangelio*, inquit, *compertum eſt eoſdem Judæos tempore Herodis Regis Romano Imperatori cenſum perſolviſſe.* Matt. 22. Judæi Chriſtum interrogant: *Quid tibi videtur, licet cenſum dare Cæſari, annon?* Et Lucæ 20. *Licet nobis tributum dare Cæſari, annon?* Verùm hallucinatur Cardinalis doctiſſimus; nam id temporis Judæa non erat Regnum, ſed Romana Provincia per Magiſtratus Romanos adminiſtrata, ac eandem tunc Pontius Pilatus procurabat. Herodes verò Antipa non erat Rex Judæorum, ſed tantùm Tetrarcha Galilææ, Lucæ 3. & 23. Itaque Judæa erat Provincia tributaria, ac Syriæ dudum addita. At cùm Judæa Herodem Regem habebat, ejuſque poſtea filium Archelaum Ethnarcham, nunquam cenſum apud Romanos Magiſtratus per ſingula quinquennia detulit, imò nec tributum ullum perſolvit; quamvis Appianus in Præfatione, ſolos Reges majoris Armeniæ immunes fuiſſe ſcribat. Verùm ſub Auguſto nuſquam hujuſce tributi, quod Regna ſocia & amica populi Romani ſolverent, mentio in Antiquorum monumentis occurrit. Quæ omnia Noriſio obſervata, ex eoque excerpta. Quo anno Quinctilius Varus Sentio Saturnino ſucceſſerit, infrà inveſtigabimus.

Baron. in Apparatu n. LXXXVII.

Interim Noriſius laudatus pag. 320. ut CXX.

Cenſus in Judæa & à Quirinio & à Saturnino actus.

oſtendat, *Tertullianum* citatum contrarium non eſſe Sancto Lucæ cap. 2. ubi ait, Chriſtum natum, cùm Auguſti juſſu univerſus Orbis deſcriberetur: *Hæc deſcriptio*, inquit Evangeliſta, *prima facta eſt à Præſide Syriæ Cyrino*, ſcribit, probabilem eſſe doctorum Virorum ſententiam, qui dicunt, *Quirinium* cum imperio extraordinario ad cenſum peragendum in Syriam miſſum. Nam, cùm eo anno pax toto Romano Imperio floreret, Auguſtus decrevit univerſorum, qui vel ſubditi, vel ſocii eſſent populi Romani, numerum ac facultates noſcere. Hinc Lucas eodem capite dicit: *Exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis.* Cùm verò Quirinius Vir Conſularis id temporis in Oriente degeret, ac bellum contra *Homonadenſes* feliciter confeciſſet, eundem in Syriam cum extraordinario imperio miſit, ut tum ibidem, tum in Judæa, quæ gens erat ſocia & amica populi Romani, cenſum perageret. Quamvis verò eo anno *Sentius Saturninus* Syriam adminiſtraret, Quirinius ob recentem victoriam totâ Aſiâ celebratus, deſcriptioni faciendæ præpoſitus fuit. Tacitus lib. 1. Annal. anno Urbis 767. *Regimen*, inquit, *ſummæ rei penes Germanicum, agendo Galliarum cenſui tum intentum.* Et poſtea ad annum Urbis 769. ſub initium libri 2. de eodem Germanico prodit: *Igitur huc intendit miſſis ad cenſum Galliarum P. Vitellio & Cantio.* At Germanicus id temporis non erat Legatus ordinarius Galliæ, ſed ſummo cum imperio ad cenſus in Gallia accipiendos ab Auguſto deſtinatus. Ita etiam Romæ cenſus non à Conſulibus, neque Prætoribus, qui erant ordinarii Magiſtratus, ſed à duobus Conſularibus uni eidemque tantùm muneri deſtinatis agebatur. Quòd verò *Sentius Saturninus* tunc Syriam obtinebat, Tertullianus ordinarium Magiſtratum nominavit, qui tamen ea in re exequendâ Quirinio erat ſubordinatus. Apud Evangeliſtam vox ἡγεμονεύοντος non accipitur pro Legato Proprætore Syriæ, ſed pro quocumque poteſtatem atque imperium in Syria obtinente. Ita *Felix* ab eodem Luca in Actis Apoſt. cap. 24. ἡγεμὼν nuncupatur, qui tamen erat Procurator. Hæc deſcriptio vocatur à Luca, ἀπογραφὴ πρώτη, id eſt, *deſcriptio prima*, quòd idem poſtea Quirinius anno Chriſti VI aut VII Præſes ordinarius in Syriam veniens, cenſum iterum in Judæa egit, eâdem tum primùm in Provinciæ formam redactâ. Illa fuit, teſte Evangeliſta, totius Orbis deſcriptio, hanc per Syriam tantùm ac Judæam peractam ſcribit Joſephus lib. 18. Antiquit. cap. 3. Nec Judæi quoad primam repugnarunt, quòd ſciebant nihil ex cenſu ſe Cæſari daturos, cùm pura puta eſſet hominum ac rerum poſſeſſarum deſcriptio, volente Auguſto totius Romani Orbis habitatorum numerum, eorumque facultates notas habere, quod unum per cenſum exquirebatur, ex Claudii Imperatoris Oratione ſuprà laudata.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5487. Cyclo Solis 3 D. Lunæ 14. Indict. 12. Mundi 3998. Urbis conditæ 747. ante Chriſtum 7. Juliano 39. Auguſti 38. Herodis 34. & 31.

Coss. *Tiberius Claudius Nero II, & Cn. Calpurnius Piſo.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5488. Cyclo Solis 4 C. Lunæ 15. Indict. 13. Mundi 3999. Urbis conditæ 748. ante Chriſtum 6. Juliano 40. Auguſti 39. Herodis 35. & 32. Mundi ſecundùm Alexandrinos 5498. ſecundum Conſtantinopolitanos 5504.

Coss. *D. Lælius Balbus, & C. Antiſtius Vetus.* Cùm jam perveneritnus ad annum, quo Chriſtum natum eſſe probabiliùs exiſtimamus cum Marco Antonio Capello, Keplero, & Henſchenio; non ſolùm Eræ Chriſtianorum Orientalium memorandæ, ſed plura ex Hiſtoria profana deſcribenda, ut ſententiæ, quæ noſtræ opponuntur, certiùs confutari poſſint. *Caius* itaque & *Lucius* Auguſti ex adoptione filii, in Principatu educati, ex molliore vita etiam audaciores fiebant. Lucius minor natu, qui in lucem prodierat anno Urbis 737. ex Dione lib. 54. nondum hoc anno duodennis, inſcio Auguſto, *theatrum ingreſſus cum omnium plauſu, partim ex animo, partim ab adulatione profecto, acciperetur, auctâ petulantiâ, juſſus eſt petere, ut Caio fratri nondum ex ephebis egreſſo, Conſulatus daretur*, inquit Dio lib. 55. qui lib. 54. jam ſcripſerat, natum *Caium* anno Urbis 734. Cùm autem Senatus ac Populus palam Caio etiam Conſulatum peterent, nec Auguſtus ſui ſeculi judicaret Conſulatum puero adhuc prætextato concedi, decrevit, ut poſt quinquennium à depoſita puerili prætexta Caius Cæſar Conſulatum iniret, atque iterum Conſul deſignatus appellaretur, ut liquet ex Inſcriptione Gruteriana pag. 231. Ut tamen aliqua ratione tam Lucium quàm Caium modeſtiores, tanquam privatos efficeret, Tiberio Tribunitiam Poteſtatem in quinquennium conceſſit, & Armeniam attribuit. Quod fruſtra ab Auguſto factum hos & Tiberium offendit: hos, quòd ſe ſpretos judicabant; Tiberium, quòd iram eorum veritus in Armeniam non abiit, ſed *Rhodum* ſe contulit, ut habent Xiphilinus & Zonaras ex Dione. Quem Tiberii ſeceſſum hoc anno contigiſſe, demonſtrat Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. 2. cap. 3. CXXI. *Caio Cæſari Conſulatus poſt annos quinque deſtinatus.*

Baronius ſcribit: *A. U. 748. præficitur Syriæ toti que Orienti C. Cæſar Auguſti filius adoptivus: quo defuncto, nullus alius ſubrogatus reperitur, niſi qui ab Evangeliſta recenſetur, idem qui ſuprà Quirinus, idemque dictus Cyrinus.* Et poſt ſex verſus de Quirinio ait: *Hic autem habuit ſucceſſorem Quintilium Varum, quem eodem Auctore* (in margine Dio citatur lib. 56.) *conſtat manſiſſe in eo Magiſtratu uſque ad Conſulatum Sulpicii Camerini & Poppæi Sabini*, (Chriſti ſcilicet XI) *Cui non Quirinus, ut Joſephus habet, ſed M. Ambivius eſt ſubrogatus.* Ita Baronius Caium Cæſarem inter Præſides Syriæ numerat, cui in Provincia defuncto ſuc- CXXII. *Caius Cæſar inter Syriæ Præſides male numeratus.* Baron. in Apparatu n. LXXXVI.

ceſſerit P. Quirinius. Verùm Caius non uni Syriæ præpoſitus fuit, ſed toti Orienti cum Imperio Proconſulari extraordinario; cùm tamen id temporis Syria ac reliquæ Provinciæ à ſuis Præſidibus ordinariis regerentur, ut anno Urbis 753. quo id factum, & Caius Cæſar in Aſiam tranſmiſit, oſtendam. Nemo, inquit Noriſius citatus cap. 16. rectè Cæſarem *Germanicum* inter ordinarios Syriæ Præſides numeraret, quòd jus ac imperium in Syria habuit; nam *Cn. Piſo* id temporis Syriam obtinebat, cujus cum Germanico diſſenſiones Tacitus lib. 2. Annal. deſcribit. Præterea ex Joſepho lib. 17. Antiquit. cap. 7. conſtat, *Sentio Saturnino* ſucceſſiſſe *P. Quinctilium Varum.* Ad hæc, Caius anno Urbis 749. Romæ ab Auguſto Conſule XII virilem togam accepit, teſte Suetonio cap. 26. in Auguſto. Idem cùm Herodes obiit, nondum Româ diſceſſerat, ubi etiam degebat anno Urbis 752. ut infrà videbimus. Denique *Quinctilius Varus* longè ante obitum *Herodis* Syriam Provinciam acceperat, ut mox demonſtrabo.

CXXIII. *Quirinius quo tempore Syriæ Præſes.*

Noriſius laudatus pag. 311. oſtendit, Baronium, Joſephum ducem negligentem, in varios anachroniſmos incidiſſe, quos hîc ex eo afferam, ut Annales magis corrigantur. Scribit Baronius, natum Chriſtum Cornelio Lentulo & Valerio Meſſalino Coſſ. anno Urbis 751. quo tempore *Quirinius* Syriæ Præſes cenſum in Judæa agebat. Quod verò Divus Lucas cap. 2. ſcribit: *Hæc deſcriptio prima facta eſt à Præſide Cyrino*; ita vocem illam *prima* exponit: *Non ſic eſt accipiendum, ut tunc primùm Judæi fuerint deſcripti atque cenſi: ſed primam dixerit reſpectu ſecundæ ſub eodem Præſide factæ, more Romano, quolibet luſtro cenſendo populum. Nec quis ſubinde exiſtimet impoſſibile, ut tam diuturno tempore Quirinus fuerit in Provincia. Nam & Quinctilium Varum longè majori annorum numero eandem adminiſtraſſe Joſephus teſtatur.* Itaque Quirinius cenſum prima deſcriptione agebat A. U. 751. & inito etiam ſequenti 752. Altera deſcriptio poſt luſtrum ab eodem peracta eſt anno Urbis 757. Ælio Cato ac Sentio Saturnino Coſſ. ut fuſiùs tradit idem Baronius num. XCI. Concedamus ultro hoc ipſo anno Urbis 757. P. Quinctilium Varum Quirinii ſucceſſorem in Syriam veniſſe. At num. LXXXVI, uti jam obſervatum, dixerat Baronius: *Quinctilium Varum eodem Auctore conſtat manſiſſe in eo Magiſtratu uſque ad Conſulatum Sulpicii Camerini & Poppæi Sabini*, id eſt, uſque ad annum Urbis 762. ac Chriſti XI. Verùm hoc Dio non adſtruit, ſed ſcribit, iiſdem Coſſ. Quinctilium Varum legatum Proprætorem Germaniæ cum tribus legionibus ab Arminio cæſum. Admittamus, eo ipſo anno ex Syria in Germaniam ab Auguſto miſſum: vix per quinquennium *Varus* ab A. U. 757. ad annum Urbis 762. quo in Germania periit, Syriam adminiſtravit. Igitur quî fieri poteſt, ut Varus *longè majori annorum numero Syriam* rexerit quàm Quirinius, qui bis luſtralem, ut ille ait, cenſum in Syria egit? Baronius num. LXXXVIII appellat Joſephum ſcribentem, Varum Syriæ Præſidem *uſque ad finem Archelai in eo numero perduraſſe.* At nuſquam hoc Joſephus dixit; imò lib. 17. cap. 15. novennium regni Archelai paucis verſibus abſolvit, nec ulla ibidem Vari mentio fit. Corrigendus & metachroniſmus Baronii, qui cùm Varum è Syria evocatum ſcribat A. U. 762. Sulpicio Camerino & Poppæo Sabino Coſſ. quod repetit etiam in Annal. ad annum Chriſti XI ejuſdem interitum protrahit in Conſulatum Cornelii Dolabellæ ac Junii Silani, ſeu ad A. U. 763. ſcribens ad calcem ejus anni: *Iiſdem Coſſ. contigit memorabilis illa Variana clades in Germania*, &c. cùm tamen ea pertineat ad annum Chriſti X, ut infrà ſuo loco oſtendo.

Baron. ibid. n. LXXXVIII.

CXXIV. *Statuitur primus annus Syriacæ Præfecturæ Quirinii.*

Joſephus rerum Judaïcarum teſtis omnium optimus, quando Quirinius in Syriam miſſus fuerit, nos edocet. Is in fine lib. 17. ſcribit, Archelao filio Herodis Romæ damnato, atque Viennam Galliæ urbem in exilium deportato: *Mittitur à Cæſare Quirinus vir Conſularis, qui cenſum agat in Syria.* Ubi in Syriam advenit, in Judæam decreto Cæſaris Auguſti Syriæ additam, ſtatim ſe contulit, Archelai Ethnarchæ facultates in publicum Fiſcum relaturus, ſimulque in Judæa cenſum acturus. Idem Hiſtoricus annum cenſûs primitus peracti lib. 18. cap. 3. ita deſignat: *Triceſimo ac ſeptimo anno poſt cladem Antonio apud Actium à Cæſare illatam.* Antonius victus fuit apud Actium die 2. Septembris anni Urbis 723. Hinc annus Actiacus 37. deſinit die 2. Septemb. A. U. 760. qui concurrit cum anno Chriſti VII. Dio etiam lib. 55. ſub Conſulatu Aimilii Lepidi & Arruntii anno Chriſti VI geſto, ait: *Herodes Palæſtinus* (Archelaus ſcilicet, qui & Herodes vocabatur) *à fratribus accuſatus, trans Alpes eſt relegatus, ac pars ejus ditionis in publicum redacta.* Incertum tamen, an ſicut Dio cladem Hieroſolymitanam uno anno citiùs conſignavit, ita & in errore perſtans, anno etiam uno Archelai relegationem anticipaverit. Quamquam longè veroſimilius ſit, inter Dionem & Joſephum convenire, illumque loco laudato uno anno unoque tenore recitare, quæ duobus contigere; ita ut Archelaus anno Chriſti VI accuſatus fuerit & relegatus, annoque inſequenti pars ejus ditionis in publicum redacta. Primus itaque annus Syriacæ Præfecturæ Quirinii fuit ſextus aut ſeptimus Eræ Dionyſianæ. Indeque rectè ſcripſit Noriſius laudatus: *Unus ſaltem medius inter utrumque* (ſcilicet Quinctilium Varum & Quirinium) *ignotus adhuc nobis Præſes Syriam tenuit; neque enim pleno decennio ſub Auguſto Præſides in nobiliſſima Provincia cum Imperio detinebantur, juxta illud eidem à Mæcenate ſuggeſtum apud Dionem lib. 52.* Neque minus triennio in Provinciis, neque plus quinquennio magiſtratum obirent. Viri doctiſſimi conjecturam certam reddit Nummus *Cn. Sentii Saturnini* Syriæ Præſidis anno Antiocheno Auguſtano XXXV, qui autumno anni Chriſti IV exorditur, notatus, quem eo Chriſti anno refero. Is itaque, non verò Quinctilius Varus, Quirinii deceſſor, aliuſque poſt Varum Syriam rexit, ſed cujus nomen ignoratur.

CXXV. *Cilicia Præſidibus Syriæ non parebat.*

Noriſius ibidem pag. 317. Quirinii in Syria Præfecturam, quam Baronius ſeptemdecim annorum ſpatio priorem facit, quàm à Joſepho ponatur, in examen vocat, & plura habet,

Baron. in Apparat. n. LXXXV & ſeqq. habet, quæ, cùm Annalibus corrigendis inſerviant, hic deſcribam. Baronius ſcribit, Quirinium lib. 3. Annal. Taciti, *poſt Conſulatum, quem geſſit anno Urbis 742. Collega M. Valerio Meſſalla, mox debellaſſe per Ciliciam caſtella Homonadenſium, ac ſic inſignia meruiſſe triumphi.* Paulò pòſt ita ratiocinatur: *At dubium non eſt, illos conſueviſſe in Provinciis bella gerere, qui illis præeſſent Proconſules, ſive Præſides: nec ulla dubitatio eſt, ſub Provincia Syria Ciliciam eſſe redactam; quibus rationibus fateri opus eſt, Quirinum in Syriam Præſidem miſſum poſt ſuum Conſulatum anno ab Urbe condita 743.* At falſum eſt, ſub Cæſaribus illos ſemper in Provinciis bella geſſiſſe, qui iiſdem præeſſent. Nam, cùm P. Licinius Mucianus Præſes Syriam cum quatuor legionibus obtineret, bello contra Judæos gerendo præfectus fuit Veſpaſianus; quamvis Judæa una eſſet ex Provinciis Syriæ, ejuſque Præſidi ſubjecta. Mitto alia exempla. Secundò falſum eſt, *Ciliciam* ſub Provincia Syriæ redactam fuiſſe. Strabo enim, qui ſub Auguſto ac Tiberio vixit, oſtendit, etiam imperante Auguſto, Ciliciam diverſum à Syriæ Legato Rectorem habuiſſe. Is enim aſſignans cauſam, cur Auguſtus aſperam Ciliciam à Juriſdictione Romanor. Magiſtratuum abſtractam, Archelao Regi Cappadociæ ſubdiderit, ait: *Viſum eſt præſtare, ut ſub Rege eſſent, quàm ſub Romanorum Præfectis, qui ad Juriſdictionem mittebantur, neque ſemper adfuturi, neque cum armis.* Ita legitur lib. 14. cap. 461. Si *Cilicia campeſtris*, imperante Auguſto, fuiſſet ſub Præſide Syriæ, adfuiſſet Præfectus cum armis: nam Legato Proprætori Syriæ parebant, Tiberio imperante, quatuor legiones, Tacito teſte lib. 4. Annal. quamvis ſub Auguſto tres tantùm in Syria legiones fuerint, ex Joſepho lib. 17. cap. 12. Itaque ibidem deſignantur Gubernatores, qui in Ciliciam Juris dicendi tantùm causâ mittebantur, ſine ullo imperio militari. Et hi quidem Auguſto rerum potiente, non dicebantur Proconſules poſt factam Provinciarum diviſionem, ſed Proprætores; Cilicia enim erat inter Provincias, quas ſibi adminiſtrandas Auguſtus reſervaverat: neque ea ſub Auguſto à Rectore alterius Provinciæ adminiſtrata legitur. Imò ipſe Baronius ad annum Chriſti

Baron. anno 46. n. IX. XLVI Claudii Imperatoris quartum, ſcribit, in Actis Apoſtolicis *Sergium Paulum* Cypri Rectorem appellari Proconſulem, *quod Ciliciam Provinciam Proconſularem adminiſtrabat*; Cyprus enim *ſæpe honoris causâ data eſt adminiſtranda Ciliciæ Proconſuli*, inquit Baronius.

CXXVI. *Expeditio contra Homonadenſes à Quirinio facta.*

Tertiò, falsò aſſeritur, Quirinium, poſt geſtum in Urbe Conſulatum, ſtatim Syriam cum legionibus obtinuiſſe; nam Mæcenas inter cetera politica documenta hoc Auguſto inſinuaſſe dicitur à Dione lib. 52. *Neque magiſtratûs tempore, nec ſtatim ab eo, ſed interpoſito, quantum ſingulis ſatis videbitur, tempore, arma eis committes*; nam *mitiores eò efficientur, ſi aliquandiu privatim poſt geſtum magiſtratum vixerint.* Hoc verò Auguſtum revera executum teſtatur Suetonius cap 36. ſcribens, auctorem illum fuiſſe, *ne Magiſtratus, depoſito honore, ſtatim in Provincias mitterentur.* Hinc Titium, Saturninum, Varum, poſt plures annos à geſto Conſulatu, in Syriam miſſos vidimus. Denique nec expeditio Quirinii contra Homonadenſes eundem id temporis Syriæ Præſidem deſignat. Nam Homonadenſes non modò longiùs à Syriæ confiniis aberant: verùm etiam ultra ipſam erant Ciliciam, quæ Romanis parebat. Strabo lib. 12. pag. 392. cùm Piſidiam deſcripſiſſet, ait: *Supra hos omnia jam montana Catennenſes finitimi Selgenſibus, & Homonadenſibus.* Quibus ex verbis aliiſque paulò infrà à Strabone recitatis ſitus Homonadenſium intelligitur: erant enim intra Tauri juga, in confiniis aſperæ Ciliciæ mediterraneæ, quà Piſidiæ ac Lycaoniæ conjungitur. *Homonadenſes* itaque, imperante Auguſto, non fuere finitimi Cilicibus, qui à peculiari Proprætore regebantur; ſed inter utroſque ad meridiem jacebat ditio, quam à Cilicia avulſam, Auguſtus Archelai Cappadociæ Regno adjecerat. Cum verò Homonadenſes Piſidiam ac Lycaoniam, ac ditionem Archelai populabundis agminibus frequenter infeſtarent, Auguſtus ad eoſdem debellandos, *Quirinium* cum exercitu miſit, cui & auxiliares copias Archelaus addidit. Qua de re plura Noriſius loco laudato. Et hæc ſatis de Quirinio, cujus Præfecturæ tempus parum à Baronio cognitum.

CXXVII. *Quinctilius Varus Syriæ Præſes poſt Sentium Saturninum.*

Sentium itaque Saturninum non *Quirinius*, ſed *Quinctilius Varus* excepit, & quidem currenti anno, quod hactenus ignoratum fuerat, ſed quod nunc certò innoteſcit, beneficio duorum Vari Numiſmatum à Viris clariſſimis Nicolao Toinardo & Henrico Noriſio bono Reipublicæ literariæ natis, mecum communicatorum. Scripſit ad me Noriſius, extare in Scrinio Illuſtriſſimi Marchionis Riccardi Nummum minimæ magnitudinis caput Jovis in antica repræſentantem, in cujus poſtica habetur, ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. Mulier ſedens pede ſuper figuram Orontis fluminis, tenens dextrâ palmam: & in medio ΕΚ. id eſt, *anno XXV.* In Nummo à Toinardo viſo & in Cimelio Regio aſſervato, cernitur eadem antica ſine ulla inſcriptione, & in averſa parte urbs Antiochenſis turrita ac ſedens, ad cuj. s pedes fluvius, Orons ſcilicet, cum iiſdem verbis, quæ in laudato Riccardi Nummo leguntur. Monet Vir doctiſſimus, extare ibidem alios Nummos cum iiſdem antica ac poſtica, annis XXVI & XXVII ſignatos: Noriſius verò, vidiſſe ſe in Gaza Medicea Nummum ſimilem Riccardi Nummo, ſed cum anno ΖΚ. id eſt, XXVII, ac Joannem Vaillantium V. C. alium Nummum *Vari* habere cum iiſdem figuris, notatum anno XXVI. In omnibus illis Nummis inſcribi annos Imperii Auguſti in Syria poſt debellatum Antonium, annos nempe Antiochenos ab autumno anni Urbis 731. deductos, certum fit ex iis, quæ ſupra num. XCVI dixi, & ex aliis Præſidum Syriæ Nummis eâdem Erâ Antiochenâ Auguſtanâ inſignitis. Quare, ſecus ac hactenus creditum, *Quinctilius Varus* currenti anno, quo Antiochenus XXV adhuc in curſu erat, in Syriam *Sentio Saturnino* ſucceſſurus miſſus eſt. Ratio autem cur anno præterito, quo annus ille XXV Antiochenus cœpit, miſſus non videatur, deſu-

mitur ex Tertulliano nuper laudato, qui tradit, naſcente Chriſto cenſum à Saturnino in Judæa factum fuiſſe, ſcilicet cum Quirinio à Sancto Luca memorato, ut num. c x x explicavi. Si enim verum eſt quod Tertullianus ſcribit, Saturninum ſcilicet, cenſum in Judæa egiſſe, Quinctilii Vari ejus ſucceſſoris initium ab hoc anno removeri non poteſt, nec Chriſti Salvatoris noſtri nativitas ulteriùs differri. Quamobrem quod ſuprà de cenſu in Judæa acto diximus, huc retrahendum.

CXXVIII. *Antipater Romam proficiſcitur.*

Ex initio Præfecturæ Syriacæ *Quinctilii Vari* ſuo anno reddito, liquet, *Antipatrum* Herodis filium hoc anno à patre *Romam* miſſum cum pretioſiſſimis muneribus & teſtamento: in quo ipſum Antipatrum Regem declarabat, aut ſi ille prior vitâ decederet, *Herodem* natum ſibi ex Mariamne Simonis Pontificis filia: qua de re Joſephus lib. 17. cap. 4. Qui cùm teſtetur, Saturnino Syriam regente, Antipatrum profectionem illam inſtituiſſe, ea tardiùs differri non poteſt. *Antipater* Alexandro & Ariſtobulo fratribus ſublatis, patrem quoque de medio tollere ſtatuit, ut pluribus Joſephus libro laudato cap. 1. & ſequentibus, narrat. Antipater ad avertendam patris de ſe ſuſpicionem, per amicos Romæ degentes, curavit, ut ad Auguſtum à patre quamprimùm mitteretur, quod & obtinuit. Sed, cùm Joſephus ſcribat, *Herodem* quinta die poſtquam filium Antipatrum occidit, vitâ functum eſſe, ut videre eſt lib. 17. Antiquit. cap. 10. *Antipater* non aliquot menſes duntaxat Romæ commoratus eſt, ut huc uſque omnibus perſuaſum, ſed biennio aut triennio; cùm anno, quo Româ in Judæam rediit, tam ipſe, quàm Herodes pater perierint.

CXXIX. *Janus ter ab Auguſto clauſus.*

Cùm Chriſtum hoc anno natum autumemus, incumbit nobis oſtendere, pacem jam per totum Orbem viguiſſe; nam in Martyrogio Romano die xxv Decembris Natali Chriſti ſacra, dicitur, Chriſtum in lucem prodiiſſe, *toto Orbe in pace compoſito*; & Lucas Evangeliſta cap. 2 ſatis id indicat, quando inquit, exiiſſe edictum à Cæſare Auguſto, *ut deſcriberetur univerſus Orbis*; quod nonniſi bellis ſedatis fieri potuit. Ex qua poſtea deſcriptione Auguſtus Breviarium confeciſſe creditur, in quo, ut ait Tacitus lib. 1. Annal. *opes publicæ continebantur, quantum civium, ſociorumque in armis: quot claſſes, regna, Provinciæ, tributa, aut vectigalia, & neceſſitates, ac legiones: quæ cuncta ſua manu perſcripſerat Auguſtus.* Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. 2. cap. 10. hoc caput meliùs quàm quiſquis alius diſcuſſit, ex quo ſequentia mutuanda duximus. Suetonius in Auguſto cap. 22. ait: *Janum Quirinum ſemel atque iterum à condita Urbe memoriam ante ſuam clauſum, in multo breviore temporis ſpatio, terra marique pace parta, ter clauſit.* Aliqui in Suetonio non *ter*, ſed *tertiò clauſit*, legendum volunt, quòd Livius lib. 1. de Jano ſcribat: *Bis deinde poſt Numæ Regnum clauſus fuit; ſemel T. Manlio Conſule poſt Punicum primum confectum bellum: iterum (quod noſtræ ætati Dii dederunt ut videremus) poſt Actiacum bellum ab Imperatore Cæſare Auguſto, pace terra marique parta.* Verùm Baronius, Caſaubonus, Lipſius, aliique ex Dione vulgarem Suetonii lectionem confirmant. Nam Dio lib. 51. ad annum Urbis 725. ſcribit inter cetera à Senatu decreta ob victoriam Actiacam, maximæ voluptati Auguſto fuiſſe, *quòd portæ Jani ab ipſis clauſæ ſunt.* Eodem anno iiſdemque Conſulibus Janum clauſum Oroſius ſcribit lib. 6. cap. 20. Idem Dio lib. 53. ait, *Auguſtum* anno Urbis 729. *belli Cantabrici* curis ac difficultatibus vexatum, in morbum decidiſſe, cùm gereret Conſulatum IX Collegâ M. Junio Silvano, ac C. Antiſtii Legati operâ Barbaros deviciſſe. Tum Auguſtus ſanitati reſtitutus, ac bellis ubique feliciter confectis, *Jani Templum, quod propter hæc bella fuerat reſeratum, clauſit.* Oroſius rectè ſcribit lib. 6. cap. 21. id datum honori Cantabricæ victoriæ.

CXXX. *Hoc tempore Jani fores tertiò ab Auguſto clauſæ.*

Ceterùm, quo anno Auguſtus Jani fores tertiò clauſerit, inter Scriptores non convenit. Cùm tamen anno Urbis 729. eas iterum clauſerit, tertiò poſt illum annum recluſas fuiſſe bella ſubſecuta produnt; quæ uſque ad præſentem annum Urbis 748. duraſſe, ex Dione intelligitur, qui anno præcedenti lib. 55. loquens de triumpho Tiberii de Germanis ait: *Ac paulò pòſt coortis in Germania motibus, ad bellum profectus eſt*; additque Dio: *Eo anno in Germania nihil memorabile actum.* Sed currenti Urbis anno nuſquam bella à Romanis geſta memorantur. Dio tantùm apud Zonaram hoc anno Armeniæ tumultus recitat, quos tamen Auguſtus, Artavaſde Rege Armenis impoſito, ſedavit. At ex Hiſtoria rerum Caii Cæſaris conſtat, anno Urbis 752. bellum erupiſſe, & ex Dione in Excerptis Valeſianis pag. 664. alibi ſub idem tempus à Romanis belligeratum. *Caius Cæſar*, inquit Dio, *legiones, quæ ad Iſtrum caſtra habebant, pacis more obiens ſpectavit: bellum enim nullum ab eo geſtum, non quòd bellum nullum ingrueret, ſed quia ipſe in ſumma pace ac ſecuritate Principatûs artes diſcebat; belli autem diſcrimina aliis mandabantur.* Hæc ſcribit Dio, recitatis antè *Juliæ* adulteriis ad Auguſtum delatis; quod anno Urbis 752. contigit. Quare, cùm à currenti Urbis anno ad annum 751. nulla à quoquam Scriptore Romanorum bella prodantur, veroſimile eſt, eo triennio Jani fores tertiò ab Auguſto clauſas fuiſſe: cùm enim Dio annos aſſignet, quibus ſemel & iterum idem Imperator Janum clauſit; ejuſque Hiſtoria poſt annum Urbis 748. decem annorum geſtis interciſis, mutila ſit; inferre licèt, Janum clauſum quopiam illorum annorum, quorum memoria in Dionis libris nulla eſt. Ita Noriſius citatus.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5489. Cyclo Solis 5 B A. Lunæ 16. Indict. 14. Mundi 4000. Urbis conditæ 749. ante Chriſtum 5. Juliano 41. Auguſti 40. Herodis 36. & 33. Mundi ſecundùm Alexandrinos 5499. ſecundùm Conſtantinopolitanos 5505.

CXXXI. *Natale*

Coss. *Auguſtus Cæſar XII, & L. Cornelius Sulla.* Hoc anno Chriſtum natum eſſe

Chriſti ſecundum aliquos.

autumarunt Joannes Dekerius, Petavius in lib. de Doct. Temp. aliique Viri doctiſſimi. Quæ ſententia & nobis probabilior ceteris exiſtimata, antequam duo Quinctilii Varii Numiſmata vidiſſemus, de quibus anno ſuperiori. Si enim Sentius Saturninus cenſum in Judæa egit, ut tradit Tertullianus, & Saturnino anno præcedenti Varus ſucceſſit, Chriſti Nativitas in hunc annum non videtur differenda. Dekerii opinio, ubi in medium producta, plurimos invenit adverſarios, ipſumque etiam Baronium, qui pluribus in eam invehitur. Indeque factum, ut Dekerii liber, in quo hanc opinionem propugnabat, nunquam lucem viderit.

Baron. in Apparatu n. CXXIX.

Olymp. 194. *Anno Periodi Græco-Romanæ 5490. Cyclo Solis 6 G. Lunæ 17. Indict. 15. Mundi 4001. Urbis conditæ 750. ante Chriſtum 4. Juliano 42. Auguſti 41. Herodis 37. & 34. Mundi ſecundum Alexandrinos 5500. ſecundum Conſtantinopolitanos 5506.*

CXXXII. *Profectio Romana Antipatri ſuo anno reddita.*

Coss. *C. Calviſius Sabinus*, & *Rufus*, ſeu, ut habet Severus Sulpicius, *Rufinus*. Acceptis Româ ab Antipatro literis, quibus ſignificabat, rebus ex ſententia peractis brevì ſe in patriam rediturum, Herodes diſſimulatâ irâ inſidioſè reſcripſit, ut properaret, ne quid ſibi per ejus abſentiam, quod nollet, accideret, ex Joſepho lib. 17. cap. 7. qui ſub finem capitis præcedentis ſcripſerat: *Mirum autem eſt, quòd cùm per ſeptem menſes ante ejus reditum tam multa contra eum in Judæa mota ſint, nihil eorum ad ejus notitiam perlatum ſit. In cauſa erat partim diligens itinerum obſervatio, & viarum cuſtodia: partim populare hominum in Antipatrum odium.* Quibus ex verbis Viri doctiſſimi deduxere, *Antipatrum* menſes ſeptem vel circiter Romæ commoratum eſſe. Verùm, cùm nunc ex Numiſmatis Vari, qui nondum Syriam regebat, quando *Antipater* Romam profectus eſt, conſtet, cum anno Urbis 748. jam Syriam adminiſtraſſe, apparet, Joſephum aliud non deſignare, quàm ſpatium quod interceſſit inter ſcelus Antipatri probatum & ipſius reditum, cumque ab anno Urbis 748. quo Sentius Saturninus per aliquot menſes adhuc Præfectus Syriæ fuit, Romam ſe contuliſſe, ibidemque manſiſſe uſque ad annum, quo Herodes pater deceſſit: *Fortè per idem tempus Hieroſolymis erat Quinctilius Varus ſucceſſor Saturnino miſſus in Syriam, tunc verò ab Herode in conſilium de rebus agendis adhibitus. Quibus unà ſedentibus ſupervenit Antipater omnium inſcius, & ita ut erat purpuratus, in Regiam ingreſſus eſt*, inquit ibidem Joſephus cap. 7. quando loquitur de adventu Antipatri in Judæam poſt ſuam profectionem Romanam. Quare, cùm is Saturnino Præſide Romam petierit, tardiùs illuc ſe conferre non potuit, nec citiùs ex ea urbe in Judæam redire, quàm anno Urbis 750. cùm paulò ante Herodis mortem, in Judæa perierit.

CXXXIII. *Herodis interitus.*

Interim *Herodes* morbo correptus eſt, eoque graviſſimo, de quo Joſephus ibidem cap. 8. ait: Cùm rumor increbeſceret, morbum Herodis eſſe lethalem, binos Profeſſores hortatos eſſe ſuos diſcipulos, ne ſinerent Templum profanari imaginibus, quas porticibus affixerat Herodes, aut ut aquilam auream illam dejicerent. Sed in ipſo facto deprehenſi, unà cum præceptoribus ſuis Hierichuntem adducuntur, & vivi cremantur: *Ceterùm Herodes poſt mulctatum Matthiam Sacerdotio, alterum Matthiam ſeditionis auctorem ejuſque ſocios vivos exuſſit. in quam noctem etiam defectus Lunæ incidit*, inquit ibidem Joſephus. Contigit *eclipſis* anno Juliano 42. circa Paſcha, Martii 13. tribus circiter horis ante ortum Solis, ut ex Tabulis Aſtronomicis liquet. Quam eclipſin multi eam eſſe volunt, de qua loquitur Joſephus. Sed certum eſt, Hiſtoricos ſæpe Solis pallorem inuſitatum cum vero Solis deliquio confundere. Sic Joſephus ipſe lib. 14. de Antiquit. cap. 22. de Bruti Caſſiique cæde, ac de conjuratorum ſcelere loquens, ait: *Propter quæ Solem etiam averſum fuiſſe credimus: qui & ipſe patratum in Cæſarem facinus invitus aſpexit.* Et tamen Petavius lib. 10. de Doct. Temp. cap. 66. demonſtrat, anno ſecundo Juliano, quo Cæſar interfectus eſt, nullam eclipſim Solarem contigiſſe, & Solis pallorem, qui tunc accidit, citra eclipſim fuiſſe. Sic eclipſin Lunæ à Joſepho memoratam eclipſin veram fuiſſe non conſtat, ideoque & ex illa annus mortis Herodis certò detegi non poteſt. Quidquid hac de re ſit, Joſephus cap. 10. poſtquam locutus eſt de Herodis teſtamento ait: *His ita ordinatis, quinta die poſtquam filium Antipatrum occidit, vitâ defunctus eſt poſt detruſum Regno Antigonum anno trigeſimo quarto, ex quo autem à Romanis Rex declaratus eſt anno XXXVII.* Eam mortem circa Novembris noſtri diem XXV, ſeptimo ſcilicet *Ciſlevi* menſis, (qui idcirco à Judæis, ut dies lætus & feſtivus celebratur, quòd in eo *Herodes, qui ſapientes odio proſecutus eſt, mortem obierit*,) ex volumine *Jejunii* contigiſſe obſervat Uſſerius in Annal. vet. Teſt. Illi itaque anni XXXVII & XXXIV ſolùm inchoati fuere, ut ex dictis liquet. Quod ſi Herodes anno ſequenti mortuus fuerit, tunc ab obitu Antigoni annos XXXIV integros, ab anno verò, quo à Romanis Rex renuntiatus, triginta ſeptem pariter completos, regnavit. Sed eo caſu dicendum, *Archelaum* ejus filium anno Urbis 760. Viennam relegatum eſſe, decimo ſcilicet Regni anno inchoato, uti ſuprà expoſui.

CXXXIV. *Joſephus ſeverius à Baronio exceptus.*

Baronius, qui annos Herodis ab anno Urbis 724. deducendos putavit, mortem ejus uſque ad annum Chriſti octavum, & relegationem Archelai uſque ad ultimum Auguſti annum differt, pluribuſque in Joſephum invehitur, præſertim ubi de Archelai exilio agit: *Porrò*, inquit, *quod ſpectat ad tempus damnationis Archelai, Dio Joſephum ſecutus (cùm enim poſt multos annos, nempe Severi Imperatoris temporibus ſcripſerit, res Judæorum à Judæo Hiſtorico mutuatus creditur) damnatum dicit Herodem Palæſtinum, (ſic enim Archelaum nominat) & trans Alpes relegatum, ac partem ejus ditionis in publicum eſſe redactam ſub Conſulatu M. Æm-*

Baron. anno 16. num. 1.

lii Lepidi & L. Arruntii, anno ab Urbe condita 759. quo ipſo anno à Joſepho exactiùs ponitur, prout ex numero annorum Regni Herodis patris ejus ab eodem Auctore deſcripto perfacile quis intelliget. Sed quam manifeſtè erret, ſatis ſuperiùs demonſtravimus, cum de tempore nati Chriſti egimus. Aſſentitur & noſtræ huic Chronologiæ Euſebius, dum anno Auguſti Imp. ultimo contigiſſe ait exilium Archelai in Gallia. Adverſus autem iſta hæc nobis objectio facta eſt ex Joſepho Judæo: Si poſt tot Chriſti annos vixiſſe ponatur Herodes, non potuit, ut à Joſepho aſſeritur, ejici ab Auguſto in exilium Archelaus. Cui primò reſponderim, ſi Joſephum quis ſibi ſequendum proponat, deſerat neceſſe eſt Evangelicam veritatem, utpote qui Judæus Auctor (ut oſtendimus) ante Chriſtum natum ponat Herodis ſenioris obitum. Sed redarguimus ejuſdem Auctoris levitatem & inconſtantiam ex ipſiuſmet Scriptis ſuperiùs recitatis. Porro, ſi quis eidem ita ſecum pugnanti, & Evangelicæ veritati penitus repugnanti fidem adhibendam putaverit, hac ex parte Celſum, Porphyrium & Julianum ſe ſuperare cognoſcat: cum iidem licet Chriſtianæ Religionis hoſtes infenſiſſimi, & contradictores acerbiſſimi, nunquam tamen auſi reperiantur præponere Joſephum Evangeliſtis. At cum non ſolum (quod ſatis erat) Evangelica veritate redarguerimus Judæum Hiſtoricum, ſed ex ſuis ipſius Scriptis ſæpenumero aperta luce eum mendaciſſimum oſtenderimus, & in hoc ipſo de annis Herodis adeo diverſa & planè contraria locutum viderimus: quomodo non magis ſequendus nobis fuit Euſebius, quem ſcimus, ea quæ hujus ſunt temporis, eſſe mutuatum à Phlegonte Chronographo omnium antiquiſſimo ac famoſiſſimo? Qui quidem Euſebius ponit ultimo Auguſti anno exilium Archelai, ubi novem regnaſſet annos, ultimo autem tantummodo inchoato. Euſebium ſecutus eſt Beda de ſex Ætatibus, & alii nobiliores Chronographi.

CXXXV. *Joſephus Hiſtoricus fide digniſſimus.*

Verùm, ut jam Viris doctiſſimis obſervatum, immeritò *Joſephus* vapulat tanquam imperitus temporum; cùm *Euſebius* potiùs ex Joſepho caſtigandus fuiſſet, & vix fieri potuerit, ut Scriptor, cujus diligentia & fides in notatione temporum ſpectatiſſima, in iis peccaverit, quæ ſine illo Euſebius & alii ignoraſſent. Deinde quomodo *Dio* res Judæorum à Joſepho mutuari potuit; cùm, quem Joſephus *Archelaum*; Dio *Herodem* nominet; quem Dio à fratribus accuſatum, Joſephus tam à Primatibus Judæorum, quàm Samaritarum delatum apud Cæſarem dicat; Dio partem ditionis ejuſdem in publicum redactam, Joſephus verò univerſam ejus ditionem Syriæ contributam aſſerat; & denique urbem Hieroſolymam anno Urbis 716. ab Herode captam, Antigonumque occiſum Dio velit, Joſephus verò eam cladem in annum Urbis 717. conferat. *Euſebius*, quæ de Herode ſcripſit, à *Phlegonte* accipere non potuit; cùm is de rebus Judaïcis nihil literis mandaverit, & Euſebius in rebus Herodianis anilibus hallucinationibus ſcateat. Fatendum quidem, *Bedam* ceteroſque Antiquos omnes nimiam fidem in his Euſebio adhibuiſſe, ac Joſepho neque lecto, neque examinato, quæ de Herode ſcripſere, ex illo mutuatos eſſe. Sed nunc inter Eruditos ferè convenit, *Joſephum* fuiſſe Hiſtoricum diligentiſſimum, magnamque fidem & eruditionem in iis quæ narrat, elucere. Baronium à Joſepho averſum reddidit opinio, quâ imbuebatur, illum ſcilicet ea in literis miſiſſe, ex quibus neceſſariò ſequatur, Chriſtum natum poſt Herodis obitum. Verùm, cùm nunc conſtet quæ à Joſepho de Herode ſcripta, Evangelicæ veritati minimè repugnare, ex iiſque nullo modo ſequi, Herodis mortem Chriſti nativitatem anteceſſiſſe, Joſephus in rebus Judaïcis ſequendus.

CXXXVI. *Varus Præfecturam Syriæ nondum abſolvit.*

Mortis Herodis tempore *Quintilium Varum* Syriam adminiſtraſſe, & in eadem Provincia initio regni Archelai adhuc fuiſſe, patet ex Joſepho lib. 17. cap. 11. & 12. Neque dubitari poteſt, quin currenti anno *Varus* Præſes Syriæ fuerit, cùm num. CXXVI. duo ejus Numiſmata produxerimus, in quibus annus viceſimus ſeptimus Antiochenus memoratur, qui uſque ad autumnum præſentis Urbis anni in curſu fuit. Præterea nuper ad me ſcripſit Toinardus Vir eruditiſſimus, duo alia eodem anno Antiocheno XXVII notata Pariſiis extare, alterum penes Joannem Vaillantium V. C. alterum penes Patres Societatis Jeſu in Cimelio Collegii Ludovici Magni, ab Harduino Viro doctiſſimo, in Nummis Urbium & Populorum pag. 51. ſed non ſine errore, deſcriptum. In eo legitur, ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. Addit Harduinus, in eodem prætetea haberi ΣΚ. id eſt, ut ipſe explicat, S. C. ſeu *Senatuſconſulto*. Verùm Toinardus monet, ſe eum Nummum vidiſſe, & in eo inveniſſe ΖΚ. id eſt, XXVII. Laudata verò verba Græca ipſe ſic interpretatur: *Collegium Pontificium Antiochenſe*; quod idem eſt, ac ſi in eo haberetur, *Antiochenſe*, vel *Antiochenſium*, iiſque verbis ſignificari ait, Collegium Pontificum Antiochiæ Auguſtum tanquam ſuum ſuperiorem eo in munere agnoſcere. Porro nullum adhuc Quinctilii Vari Numiſma viſum, in quo legatur annus Antiochenus ΗΚ. id eſt, XXVIII: imò ſuperſunt Numiſmata Antiochena notata annis ΖΚ. ΗΚ. & ΘΚ. id eſt, XXVII, XXVIII, & XXIX, in quorum antica parte cernitur caput Auguſti, cum his verbis in duobus prioribus, ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ, id eſt, *Cæſar Auguſtus*, & cum iſtis in ultimo, ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. id eſt, *Cæſaris Auguſti*. Ex quibus tamen malè quis inferret, inquit Toinardus, anno Antiocheno XXVII, qui hoc anno Urbis deſinit, *Varum* è Syria diſceſſiſſe; præſertim quòd inveniantur anno XXVII Antiocheno ſignata, in quibus Vari nomen ampliùs non memoratur. Nam Numiſmata anno Antiocheno XXVII & XXVIII ſine *Vari* nomine notata, in honorem *Auguſti*, cujus capite inſigniuntur, & in quorum poſtica legitur, ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. percuſſa ſunt, eodemque tempore alia in honorem *Vari* cuſa cum capite Jovis ſine inſcriptione, & in poſtica cum urbe Antiochena, ut colligit Toinardus ex Nummis *Vari* annis Antiochenis XXV, XXVI, & XXVII, cum nomine Vari cuſis. Verum eſt, ut mox dixi, nullum Vari Nummum

huc uſque è ruderibus erutum, in quo legatur, ΗΚ. id eſt, XXVIII; ſed argumentum à negatione deductum, præſertim in Numiſmatographia, parum curandum. Hos porro Auguſti Nummos non obſtare, quin alii in Vari honorem in Syria percuſſi fuerint, demonſtrat Nummus Seleucenſium Antiochenſibus vicinorum, qui habetur in Cimelio Illuſtriſſimi Domini Theodorici *Bignon*, Regi ab omnibus Conſiliis, Libellorum Supplicum Magiſtri, & in Supremo Conſiſtorio Præſidis, cujus ſumma eruditio non minori humanitate conditur. Viſitur in antica Tiberii caput nudum cum hac epigraphe, ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΚΑΙΣΑΡ, id eſt, *Auguſtus Auguſti filius Cæſar.* Hæc ejus poſtica:

Γ
ΕΠΙ ΣΙ
ΛΑΝΟΥ
ΣΕΛΕΥ
ΚΕΩΝ
ΖΜ

Ubi in laurea annus III Tiberii Γ. concurrens cum ΖΜ. ſeu XLVII, Seleucenſium, nomenque *Silani* tunc Syriæ Præſidis exprimuntur. Similem *Silani* Nummum anno Chriſti XIV exhibebimus. Ex quibus tandem omnibus colligo, tria Numiſmatum genera in Syria cudi ſolita: in quibuſdam nomen Præfecti annuique Præfecturæ legebatur: in aliis nomen duntaxat Auguſti, annique ejus Imperii ab anno Urbis 725. deſumti, abſque ulla Præfecti Syriæ mentione: denique in quibuſdam & nomen Præfecti, & nomen Imperatoris cum anno Imperii & Præfecturæ exprimebatur; cum hoc diſcrimine, quòd in Nummo Imperatoris annus initi Imperii, in Nummo verò Præfecti annus adminiſtrationis Syriacæ memorabatur. Quod magis ex dicendis anno Chriſti XIV num. III manifeſtum fiet. Ceterùm quo anno *Varus* Syriam reliquerit, & quem ſucceſſorem nactus fuerit, non liquet.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5491. *Cyclo Solis* 7 *F. Lunæ* 18. *Indict.* 1. *Mundi* 4002. *Urbis conditæ* 751. *ante Chriſtum* 3. *Juliano* 43. *Auguſti* 42. *Mundi ſecundum Alexandrinos* 5501. *Incarnationis ſecundum Alexandrinos* 1. *ſecundum Conſtantinopolitanos* 5507.

CXXXVII. *Natale Chriſti ſecundum Baronium.* Coss. *Cn. Cornelius Lentulus*, & *M. Valerius Meſſallinus.* Baronius, Scaliger; Calviſius, aliique multi Recentiores Natale Chriſti cum hoc anno copulant, eaque ſententia in Patriarchatu Alexandrino primis Eccleſiæ ſeculis uſurpata, ut liquet ex Julio Africano qui eâ utitur, adhuc ibidem viget. (Baronius in Apparat. n. CIX.) Eam adhibet Euſebius, ut colligitur ex fine libri ſeptimi, ubi ait, Hiſtoriam Eccleſiaſticæ ſucceſſionis à ſe conſcriptam, *à Servatoris ortu uſque ad Eccleſiarum everſionem, quinque ac trecentos annos* complecti, ultimo ſcilicet termino incluſo. Nam Euſebius annos Incarnationis, ſicuti & annos Abrahæ ac Olympiades incipit à menſe Septembri cum anno civili: à quo menſe annoque Periodi Græco-Romanæ 5491. ad annum ejuſdem Periodi 5796. quo annus Eræ Chriſtianæ 303. perſecutionis Diocletianeæ primus, inchoatur; menſemque Septembrem, anni trecenti & quinque completi numerantur. Quare fallitur Valeſius in Notis ad lib. 1. Euſebii cap. 5. ubi aſſerit, *Euſebium* eos annos quinque ac trecentos dinumerare à Conſulatu XIII Auguſti, ſeu ab anno ſequenti. Licèt enim Euſebius exiſtimaverit, Chriſtum natum die ſexta Januarii anni ſequentis, ut communis ſuo tempore opinio in Ægypto ferebat, in Hiſtoria tamen, ſicuti & in Chronico, primum Chriſti annum à Septembri antecedenti cum anno populari auſpicatus eſt. *Georgius Syncellus*, qui eâdem Incarnationis Erâ utitur, annos incipit à menſe Martio, Theophanes & alii communiter à menſe Septembri. Eandem Eram uſurpat Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. ubi ait: *Sunt qui curioſius Natali Domini non ſolùm annum, ſed etiam diem addunt: quem quidam dicunt vigeſimo octavo anno Auguſti, vigeſima quinta menſis Pachon eſſe natum.* (Baronius in Apparatu n. CXX.) (ea eſt apud Latinos vigeſima menſis Maii, non decima quinta, ut perperam Baronius) *Rurſus etiam quidam tradunt, eum natum eſſe vigeſima quarta vel vigeſima quinta menſis Pharmuti*, hoc eſt, decima nona vel vigeſima menſis Aprilis, non verò vigeſima vel vigeſima prima Aprilis, ut etiam perperam Baronius interpretatur. Qua de re conſulendum Kalendarium Sacro-Profanum. Denique hæc etiam Era fuit omnium Antiquorum, qui Chriſtum anno quadrageſimo ſecundo Octaviani Auguſti natum dixere, ac etiam Septuaginta Interpretum, ſecundùm quos Chriſtus natus creditur anno mundi quinquies milleſimo centeſimo nonageſimo nono. Is enim annus mundi anno Juliano 43. præſenti videlicet, auſpicatur. Hæc itaque opinio graviſſimos ſectatores habuit. Et qui volunt eam tueri, Herodis mortem ad ſequentem annum differre debent; quod, cùm Joſepho Scriptori rerum Judaïcarum peritiſſimo & Dioni adverſetur, nullus mihi facilè perſuaſerit.

Sed quidquid ſit de vero Chriſti anno Natali, qui nobis incompertus, ſedulò obſervandum, diſtinguendum eſſe *duplex Natale* Chriſti, proprium ſc. & Natale Chriſti Dionyſianum, ſeu commune, ac vulgare. CXXXVIII *Natale Chriſti proprium à Natali Chriſti Dionyſiano diſtinguendum.* Primum eſt illud, quod quilibet probabilius putat: ſecundum verò illud quod *Dionyſius Exiguus* ſecutus eſt, & poſt eum univerſa Eccleſia Latina, ejus initio paululùm immutato; hocque Natale cum anno Juliano XLV neceſſariò conjungendum; cùm à Kalendis Januariis anni Juliani XLVI ad annum, in quo verſamur, numerentur anni 1688. Natale verò proprium nullam Eram conſtituere poteſt: alioquin tot eſſent Eræ Chriſtianæ, quot ſunt diverſæ Doctorum ſententiæ de anno Natali Chriſti. Quoad annum quo contigit Natale Chriſti proprium, alius eligit annum Julianum XL, alius annum Julianum XLI, alius alium, intra tamen annum Julianum XL & XLVI incluſivè. Nam aliquo eorum annorum Chriſtum in mundum veniſſe extra du-

bium eſſe debet. At quoad Natale Chriſti Dionyſianum, commune ſeu vulgare, illud à Doctorum opinionibus minime pendet, ſed omnino collocandum cum anno Juliano XLV, Conſulatuque Cornelii Lentuli & L. Calpurnii Piſonis, cum Era Chriſtiana ſeu Dionyſiana incipiat a Kalendis Januariis anni Juliani XLVI, Chriſtumque die XXV Decembris anni antecedentis natum ſupponat. Liberum itaque Baronio fuit Natale Chriſti proprium præſenti anno conſignare; cùm hæc illi opinio omnium probabiliſſima videretur, eamque plures graviſſimi Auctores, tam antiqui, quàm recentes, amplexi ſint. Verùm, cùm Eram Dionyſianam ſequi vellet, & revera ſequatur poſt annum Chriſti CCLXXX, non potuit eandem à Kalendis Januariis anni ſequentis exordiri; cùm eo pacto eandem biennio anticipet, ſicque annis duobus, & aliquando etiam tribus, ab Era Dionyſiana uſque ad prædictum Chriſti annum CCLXXX differt. Cujus Annalium Eccleſiaſticorum vitii corrigendi causâ, hic labor à nobis præſertim ſuſceptus, ut ſicut iidem veram rerum geſtarum narrationem, ſic & verum earundem ordinem, ac veram Chronologiam exhibeant.

CXXXIX. *Duæ Eræ Incarnationis diſtinguendæ.*

Obſervandum pariter, duas tantùm & non plures Incarnationis Eras ab Antiquis uſurpatas fuiſſe, ***Alexandrinam*** nempe & ***Dionyſianam.*** Prior Chriſtum anno Juliano XLIII, currenti nempe, conceptum ſupponit, incipitque communiter, vel à menſe Septembri cum anno populari, vel à die XXV Decembris, vel à menſe Martio anni inſequentis. Dies enim, quo Chriſtus natus, variè ab Antiquis conſignatus, ac præterea annus ab eodem principio non repetitus. Hæc Era in Patriarchatu Alexandrino à prioribus Eccleſiæ ſeculis uſurpata, ut ſuprà dixi. *Era Dionyſiana*, quæ jam à pluribus ſeculis apud Latinos in uſu eſt, quam ipſe ab Antiochenis accepit, quámque poſtea Conſtantinopolitani adoptarunt, varia etiam ſortitur initia. Antiocheni & Conſtantinopolitani eam auſpicantur à menſe Septembri anni Juliani quadrageſimi quinti, Dionyſiani verò, ſeu Latini à Kalendis Januariis anni Juliani quadrageſimi ſexti; & utrique annos Incarnationis cum annis à Nativitate ſæpius confundunt. Aliqui autem Scriptores Eram Incarnationis Dionyſianam à die vigeſima quinta menſis Martii anni Juliani XLVI, alii à Paſchate ejuſdem anni Juliani incipiunt: alii verò Eram Chriſtianam à die Natali Chriſti ſeu XXV menſis Decembris deducunt. Sed in Annalibus Eccleſiaſticis Era Incarnationis à Kalendis Januariis anni Juliani XLVI omnino inchoanda. Baronius Eram Alexandrinam & Dionyſianam non diſtinxit, ideoque hanc ab anni ſequentis Conſulibus inchoavit, quòd cum Alexandrinis Chriſtum hoc anno natum aſſeruiſſet; adeo ut per tria ferè priora Eccleſiæ ſecula Eram Alexandrinam ſequatur; cum hoc diſcrimine, quòd illi eandem præſenti anno cum menſe Septembri auſpicantur, ipſe verò ejus initium à Kalendis Januariis anni Juliani XLIV deſumſerit. Verùm Eccleſia Occidentalis non Eram Alexandrinam, ſed Dionyſianam ſequitur.

Baronius hanc objectionem contra ſe factam ſcribit: *Si ſub Lentulo & Meſſalino Coſſ. natus eſt Chriſtus, ergo annus Julianus milleſimus & ſexcenteſimus non erit biſſextilis.* Ad quod argumentum reſpondet Baronius, tantum abeſſe, ut in annum iſtum *biſſextilis* dies non incidat, ut in alium nullum, niſi ab eodem quartum, ſive ante, ſive poſt ipſum, convenire poſſit. Etenim pro confeſſo, miniméque dubio id in hac tota diſputatione ſumit: annum illum, quo natus eſt Chriſtus, *biſſextilem* fuiſſe: propterea quòd qui deinceps ab eo propagati ſunt, per quaternos diviſi, biſſextiles occurrunt. Jam verò annus à nato Domino CCCLXIV, quo Valentinianus Imperium adeptus eſt, biſſextilem habuit diem, quemadmodum ſcribit Ammianus lib. 26. quare XLV ante illum peræquè biſſextilis eſt. Atque ille eſt ipſe, qui Lentulum & Meſſalinum Conſules præfert, quibus Decembri menſe natus eſt Chriſtus. Rectè igitur hic in Annalibus conſtitutus videtur. Hæc ſumma ratiocinii Baronii. Verumenimvero valde decipitur Cardinalis doctiſſimus, Natale Chriſti proprium à Natali Chriſti Dionyſiano non diſtinguens. Natale quidem Dionyſianum incidit in annum biſſextilem, Julianum nempe XLV, ut ſequentium annorum biſſextilium ſeries demonſtrat: ſed cùm ignoremus, quo anno Chriſtus verè natus ſit, aſſerere non poſſumus an annus ille biſſextilis vel non biſſextilis fuerit. Imò licèt Chriſtus præſenti anno natus eſſet, ejus tamen nativitas in annum biſſextilem non incidiſſet. Currentem enim annum biſſextilem non fuiſſe, fusè oſtendit Petavius in Animadverſionibus Epiphanianis, ad hæreſim 51. cùm in conſtituendis biſſextilibus non ordinationis Julianæ, ſed Auguſtanæ, noſtræque ratio habenda ſit; quod Baronio impoſuiſſe videtur. Fuerit itaque hic annus ex Julii Cæſaris ordinatione biſſextilis, ut contendit Baronius; quod tamen valde incertum eſſe demonſtrat Petavius: tamen poſtquam ab Auguſto correctus eſt annus, ſi ab eorum aliquo, quos biſſextiles tam ipſe, quàm poſteritas omnis habuit, retro numeres, biſſextilis annus præſens non eſt, quo Chriſtum in lucem editum Baronius autumavit. Deinde illud non minùs falſum, annum Eræ Chriſtianæ CCCLXIV eſſe trecenteſimum ſexageſimum quartum poſt Conſulatum Lentuli & Meſſalini hoc anno geſtum; cùm verè ſit ab illo CCCLXVI. Baronius enim intra illud temporis ſpatium duo paria Conſulum abdicavit, ut cum vulgari Era ſeu Dionyſiana, quam biennio anticipaverat, in concordiam redire poſſet. Verum hac de re legendus Petavius laudatus, ubi ad ea, quæ Baronius de annis biſſextilibus habet, doctè reſpondet.

Natale Chriſti Dionyſianum in annum biſſextilem incidit.

Baron. in Apparatu n. C XXIII & ſeqq.

C XLI. *Baronius à Beda & Antiquis Computiſtis in errorem inductus.*

Baronius ait, Chriſtum anno ætatis XXXIV crucifixum, teſtari Bedam, Fidem eſſe Eccleſiæ Catholicæ. Hæc Bedæ lib. de Temp. ratione cap. 40. verba: *Habet enim, niſi fallor, Eccleſiæ Fides, Dominum in carne paulò plus quàm XXXIII annis uſque ad ſuæ tempora Paſſionis vixiſſe, quia ſcilicet XXX annorum fuerit baptizatus, ſicut Evangeliſta Lucas teſtatur, & tres ſemiannos poſt Baptiſma prædicaverit*, &c. Quocirca poſteriores Bedâ Chronologi illud dogma tanquam

certiſſimum & indubitatum poſuere, cui parem atque Evangeliis ipſis, aut Conciliorum decretis auctoritatem tribuerunt, ut ex Mariano Scoto, Sigeberto aliiſque Antiquis liquet. Verùm, ut animadvertit Petavius lib. 2. de Doct. Temp. cap. 10. ea Bedæ ac deinceps reliquorum opinio atque ratio ſemetipſa redarguit. Nam quod ex Eccleſiæ Fide Beda pronuntiat, Chriſtum paulo plus quam XXXIII annos in carne vixiſſe, id eſt, tribus inſuper menſibus, huic ille contradicit, dum qui primus eſt annorum iſtorum, in eo incarnatum affirmat eſſe Chriſtum: à quo, ſi ad Paſſionem, id eſt, XXV Martii, quo Chriſtum paſſum credidit, annos XXXIV numeres, haud plus annis XXXIII intereſt. Falſum eſt igitur, tribus præterea menſibus in carne vixiſſe Chriſtum; vehementerque illi errant, qui annum primum Eræ communis à Kalendis Januariis proximè poſt Natale Chriſti à Beda & Computiſtis paulò vetuſtioribus inſtitutum auſpicari putant: vel, quod idem eſt, natum ex illorum opinione Chriſtum arbitrantur Cyclo Lunæ 1. Indict. III à Januario, vel IV à Septembri. Chriſtum enim incarnatum atque in lucem editum eſſe putarunt anno Juliano XLVI, annoque primo Eræ Chriſtianæ, Cyclo Lunæ 2. & nihilominus, cùm de ætate Chriſti ac de Paſſione loquuntur, indicant anno illo, qui Eram Chriſtianam antecedit, natum ſe eundem arbitrari. Aſſerunt enim, uti jam dixi, Chriſtum quando paſſus eſt, Eræ Dionyſianæ anno triceſimo quarto, triginta tres annos ſolidos cum menſibus tribus expleſſe; quos annos XXXIV non à Conſulatu Lentuli & Meſſalini, ut putavit Baronius, Beda aliique Veteres inchoarunt, ſed à Conſulatu C. Cæſaris & Æmilii Pauli, annoque Juliano XLVI. Decretum itaque, quod pro Eccleſiaſtico Beda venditavit, quódque firmiſſimum Chronologiæ ſuæ munimentum Annalium Scriptores appellant, tanquam commentum rejiciendum.

CXLII. *Ex Baptiſmo Chriſti, natalis ejus annus deduci non poteſt.*

Fundatur etiam Baronius in loco Sancti Ignatii in Epiſtola ad Trallianos, ubi de Chriſto legitur: *Expletiſque tribus annorum decadibus, verè baptizatus eſt à Joanne,* &c. *Et poſtquam per triennium prædicaſſet Evangelium,* &c. *condemnatus eſt.* Verùm locus ille legitur quidem in ea epiſtola interpolata; ſed in veris hujus Sancti Epiſtolis non habetur, ut videre eſt in accuratis Operum Sancti Ignatii editionibus; quæ poſt Baronii mortem prodiêre. Denique in eo Baronius, quemadmodum Scaliger, aliique multi, peccat, quòd ex Baptiſmo Chriſti, quo Chriſtus anno natus fuerit, demonſtrari poſſe exiſtimat. Nam duplex Tiberii epocha; altera ab ejus Imperio Proconſulari, annoque Chriſti XI; altera ab anno Chriſti XIV, quo Auguſto demortuo ſucceſſit; hoc probationis genus vanum & inefficax oſtendit; cùm non conſtet, an Divus Lucas, cùm de anno Baptiſmi Chriſti loquitur, de *anno decimo quinto Imperii Proconſularis*; an verò de *anno decimo quinto Imperii Auguſtei* intelligendus ſit; præterquam quòd, cùm dicat, Chriſtum fuiſſe tunc annorum *circiter triginta*, nihilque certò quoad tempus definiat, ad alia argumenta recurrendum. Quoad itaque Natale Chriſti proprium, poteſt quilibet, quæ magis placuerit, probabiliorque viſa fuerit, ſententiam ſequi. Quo fundamento Chriſtum anno Urbis 748. natum, anno Eræ Chriſtianæ XXVI baptizatum, annoque ejuſdem Eræ XXIX crucifixum ſuſtineri poſſe dixi. Quòd ſi quis contendat, Tabulis Aſtronomicis repugnare, ut Chriſtus die XXV Martii anni Dionyſiani XXIX paſſus dicatur, in eam facilè ſententiam concedam, quæ docet, Chriſtum anno Eræ vulgaris XXVI, quo adhuc annus decimus quintus Imperii Proconſularis Tiberii in curſu erat, baptizatum fuiſſe; Joannem Baptiſtam per annos quatuor miniſterium ſuum exercuiſſe, Chriſtum quatuor Paſchata poſt illud Joannis miniſterium peregiſſe, dieque *tertia menſis Aprilis* anni Eræ Chriſtianæ XXXIII mortem pro nobis pertuliſſe. Nam Lucam intelligendum de *anno decimo quinto Imperii Proconſularis Tiberii*, mihi valde perſuaſum. Quoad tamen annum Paſſionis Chriſti, nihil determino, ſed tantùm communem inter Veteres opinionem explicabo.

Baron. in Apparatu n. CVIII.

C XLIII. *Ex Judicio poſt Herodis mortem habito ſententia Baronii infirmatur.*

Ceterùm, Baronii de Natali Chriſti ſententiam valde infirmat quod ſcribit Joſephus lib. 2. de Bello cap. 10. ubi tradit, Herodem, cùm de poſtremo fato urgeretur, teſtamentum condidiſſe, ac Regni ſucceſſore Archelao filio nominato, ingentem vim pecuniæ legaſſe: Auguſto quidem *mille talenta*, *& uxori & filiis ipſius adoleſcentulis, necnon amicis, & libertis circiter quingenta*, non verò *quinquaginta*, ut Typographi errore in Joſepho habetur. Addit is, Herodem paulò poſt ſupremum diem obiiſſe. At cùm in prioribus tabulis Regni hæredem conſtituiſſet *Herodem Antipam*, quem ex alia uxore (novem enim duxit) ſuſceperat, ſtatim ab obitu Regis contentionem de ſucceſſione Regni inter fratres erupiſſe, qui paulò pòſt Romam tranſmiſere, apud Auguſtum de paterna hæreditate diſceptaturi. Rem fuſiùs narrat Joſephus lib. 17. Antiquit. cap. 11. ſcribens, *Auguſtum* Judices cognoſcendæ cauſæ deſtinaſſe, qui coram ipſo ſententiam ferrent: *Et in his Caium filium Agrippæ & Juliæ ipſius filiæ, à ſe autem adoptatum, primo ſupra ceteros loco ſedentem.* Hoc Judicium habitum eſt currenti anno Urbis 751. ita ut nec in annum ſuperiorem, nec in quempiam proximè inſequentium protrahi poſſit. Nam ſi Herodes anno præcedenti circiter XXV menſis Novembris, inito Regni anno triceſimo ſeptimo, mortuus eſt, cauſa ſucceſſionis Regni hoc anno agitata eſt. Archelaus quippe celebrato apud Hieroſolymam *Paſchate*, Romam navigavit ad Auguſtum, ut teſtatur Joſephus ibid. Quare ſi Herodes eo die mortuus eſt, non dubium, quin Joſephus de Paſchate hujus anni loquatur.

C XLIV. *Eadem ſententia ex eo Judicio aliter infirmatur.*

Verùm, ſi Herodes ante Paſcha hujus anni Urbis 751. ut exiſtimat Noriſius, interiit, memoratum Judicium protrahi non poſſe, eò manifeſtè oſtenditur, inquit idem Noriſius in Diſſert. 2. de Cenotaphiis Piſanis cap. 6. quòd unus Caius Cæſar ab Auguſto inter Judices ſedere juſſus eſt. Anno Urbis proximo 752. *Lucius* Cæſar virilem togam in-

duit, ac omnibus honoribus exornatus eſt, quos die ſui tirocinii *Caius* ejuſdem frater ante triennium tulerat. Et ſanè eidem permiſſum fuerat, *ut in Senatum iret*, ex Dione lib. 55. & ex Zonara in Excerptis. Quare ſi Judicium illud habitum fuiſſet anno Urbis 752. aut quopiam inſequentium, Auguſtus Lucium quoque Cæſarem ad idem Judicium acceſſiviſſet; quòd præſertim Lucius erat eo anno Conſul deſignatus: Conſules verò deſignati ut plurimum ſententiam ante alios rogarentur. Hinc de Tiberio ſcribit Tacitus lib. 3. Annal. in cauſa Æmiliæ Lepidæ feminæ nobiliſſimæ, quæ à marito accuſabatur: *Exemit Druſum Conſulem deſignatum dicendæ primo loco ſententiæ.* Nec fingi poteſt, ut Noriſius ſubjungit, *Lucius* ab eo Judicio ab Auguſto, quòd eſſet junior, excluſus fuiſſe. Nam anno ſequenti erat Princeps Juventutis, Conſul deſignatus, in Augurum item Collegium cooptatus, omnibus denique honorum titulis *Caio* majori natu fratri æquatus. Quas quidem tum ſacras, tum profanas dignitates eidem Auguſtus contulerat, ne qua inter filios invidia erumperet, cui ſanè aditum Princeps aperuiſſet, ſi admiſſo Caio, Lucium pari cum illo dignitate præditum, à memorato Conſilio excluſiſſet. Nullus dubito, quin *Nicolai Damaſceni* manu totius iſtius cauſæ ſeries deſcripta fuerit, quo loco etiam vehemens æquè ac elegans ejuſdem Oratio pro Archelao recitatur. Profectò omnes circunſtantiæ adeo exactè recenſentur, ut niſi eidem Judicio præſens, illas in literas mittere potuerit. Ita Noriſius. Quæ ratio non tantùm eorum opinionem evertit, qui Chriſtum hoc anno natum ſcripſere, ſed & illorum, qui Chriſti Nativitatem in ſequentes annos contulere.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5492. Cyclo Solis 8 E. Lunæ 19. Indict. 2. Mundi 4003. Urbis conditæ 752. ante Chriſtum 2. Juliano 44. Auguſti 43. Mundi ſecundùm Alexandrinos 5502. Incarnationis ſecundùm Alexandrinos 2. ſecundùm Conſtantinopolitanos 5508.

CXLV. *Virilis toga Lucio Cæſari data.*

Coss. *Auguſtus Cæſar XIII, & M. Plautius Silvanus.* Auguſtus, ut eâdem pompâ, quâ Caium Lucii fratrem ante triennium in forum deduxerat, *Lucio* quoque anno Urbis 737. ex Dione nato virilem togam daret, Conſulatum decimum tertium accepit. Auctor eſt Suetonius cap. 26. Auguſtum plures ſibi delatos Conſulatus recuſaſſe. *Duodecimum*, inquit, *magno*, *id eſt*, *ſeptemdecim annorum intervallo*, *& rurſus tertium decimum biennio pòſt ultro petiit*, *ut Caium & Lucium filios ampliſſimo præditus magiſtratu*, *ſuo quemque tirocinio deduceret in forum.* Auguſtus Lucium die virilis togæ Principem Juventutis ac Præfectum Tribus declarandum curavit, Conſulem etiam eundem ea qua Caium Lege deſignavit, ut poſt quinquennium ex eo die, quo in forum ductus fuerat, magiſtratum iniret. Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. 2. pag. 119. Nummum Auguſti exhibet, in cujus poſtica legitur: C. L. CAESARES AUGUSTI F. COS. DESIG. PRINC. JUVENT. Cùm itaque Lucius Cæſar ante Conſulatum XIII Auguſti hoc anno geſtum Conſul deſignatus non fuerit, adeſſe non potuit Judicio poſt Herodis mortem habito, de quo anno elapſo loquuti ſumus: ideoque Herodes ante præſentem annum demortuus, ut ibidem dictum.

CXLVI. *Opinio Onuphrii de Natali Chriſti.*

Et tamen *Onuphrius Panvinius* doctiſſimus Faſtorum Conditor, Natale Chriſti ſub hujus anni Conſulibus conſignat, & à Kalendis Januariis anni ſequentis Eram Chriſtianam auſpicatur; quaſi unicuique liceret propriam Eram Chriſtianam condere, & Natale Chriſti proprium à Natali ejus communi, vulgari, ac Dionyſiano non diſtinguerentur. Quare, ſicut Baronius biennio, ita ille anno uno veram Eram Chriſtianam antevertit, nec in viam redit, niſi poſt inchoatum Probi Imperium, hujus Imperatoris, Paulino Collega, Conſulatu è Faſtis expuncto. Hinc Dionyſius Gothofredus qui Leges Codicis Juſtinianei anno Chriſti Onuphriano notavit, annum unum plus æquo uſque ad Imperium Probi numeravit: qui error ab iis cavendus, qui Codicem ab eo illuſtratum legunt.

CXLVII. *Caius Cæſar ad bellum Parthicum deſtinatus.*

Inter cetera, quæ huic Onuphrii ſententiæ officiunt, numerandum *bellum Parthicum* hoc anno decretum forſanque inchoatum. Mediobarbus enim in Numiſmatis Imperatorum Romanorum pag. 39. Nummum Auguſti producit hac epigraphe inſignitum: AUGUSTUS PONT. MAX. TR. P. XXII. COS. XIII. IMP. XIIII. in poſtica: DE PARTHEIS. Repræſentatur thiara Parthica cum arcu & ſagittis, quæ ſunt Parthica inſignia & arma, ut inquit Mediobarbus. Auguſtus Tribunitiam Poteſtatem XXII, V Kalend. Julias currentis anni ſuſcepit, ideoque & Caium Cæſarem ad bellum Parthicum deſtinavit, iſque vel ſub hujus anni finem, vel inſequentis initio in Aſiam tranſmiſit. Neque enim ſeriùs Româ diſceſſit. Inſuper Velleius lib. 2. cap. 100. poſtquam de Naumachia ab Auguſto exhibita & de dedicatione Templi Martis locutus eſt, ait, tum detectam Juliæ Auguſti filiæ libidinem; poſt quæ *Caius Cæſar* in Orientem miſſus eſt. Fuit is annus, ut ipſe Velleius exertè notat, ante Vinitii Conſulatum anno Juliano ſeptuageſimo quinto geſtum, triceſimus. Quare relegatio *Juliæ* præſenti anno, ſcilicet Juliano XLIV, contigit. Ad hæc Macrobius Saturnal. lib. II. cap. 5. inquit, Juliam, antequam patris gratiam perderet, annum ætatis XXXVIII attigiſſe. Quamobrem, cùm Dio lib. 48. teſtetur, eam in lucem editam *Coſſ. L. Martio & C. Sabino*, anno nempe Urbis 715. ſequitur, Juliam anno Urbis 752. qui cum anno Juliano XLIV concurrit, ream peractam, & inter Macrobium ac Velleium hac in re egregiè convenire, ut notat Noriſius in Diſſert. 2. de Cenotaphiis Piſanis cap. 8. ubi de Juliæ exilio ſermonem habet. Denique Zonaras ex Dione, cùm narraſſet, togam virilem Lucio Cæſari ab Auguſto datam, quod hoc anno contigiſſe certum, addit: *Cùm Armenii defeciſſent, & à Parthis juvarentur, ea re dolens,*

quid

quid ageret, ambigebat, nec enim propter ſenectutem bellum gerere poterat, & Tiberius, ut dictum eſt, jam ſeceſſerat, &c. Itaque Caius poſt dejectum ſolio Artavaſdem, & virilem togam Lucio datam, ad bellum Armeniacum miſſus eſt.

CXLVIII. *Caio Cæſari datur Imperium Procõſulare, & Moderator juventæ.* Addit Zonaras, *Caium delegit, poteſtate Proconſulari, & uxore data.* Noriſius citatus pag. 189 obſervat ex Tacito lib. 4. Annal. uxorem Caii Cæſaris fuiſſe *Liviam* Druſi filiam, eandemque Liviæ Auguſtæ neptem, & Imperium Proconſulare Caio traditum, quo eidem faciendi ea, quæ Conſules ac Prætores olim ad bellum gerendum profecti, agere poterant, videlicet milites ſcribere, pecunias exigere, ac ſumma cum poteſtate in Provinciis ſibi decretis verſari. Baronius Caium Cæſarem inter Syriæ Proconſules numerat. Verùm Caio delatum fuit Imperium Proconſulare extraordinarium non in unam ſolam Syriæ Provinciam, ſed in univerſas regiones Orientis, quæ Romano Imperio parebant. Et ne Caius tanto ſibi imperio delato impotenter uteretur, *M. Lollium* Virum Conſularem ac Orientis Provinciis notiſſimum, e juſdem juventæ Rectorem impoſuit. Baronius ſcribit, Caio Cæſari adhuc adoleſcentulo ad bellum Armenicum proficiſcenti *datum Rectorem P. Sulpicium Quirinum*. Cujus rei Tacitum auctorem laudat. Sed, ut animadvertit Noriſius ibidem, nuſquam hæc Tacitus ſcripſit. Hæc lib. 3. Annal. ait de Sulpicio Quirino: *Datuſque Rector Caio Cæſari Armeniam obtinenti*: nempe poſt exactum ferè triennium, cùm jam Caius Arabiâ luſtratâ, ac bello Parthico pace compoſito, Armeniam ad obſequium reduxiſſet. Velleius, qui in exercitu Caii Cæſaris militabat, unius Lollii meminit, ſicuti & Suetonius in Tiberio cap. 12. De hac Caii Cæſaris expeditione plura anno ſequenti. Cùm itaque Chriſtus toto Orbe in pace compoſito natus fuerit, veroſimile non eſt, Natale ejus in hunc annum incidiſſe.

Baron. in Apparatu n. LXXXVI.

Baron. ibid.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5493. Cyclo Solis 9 DC. Lunæ 1. Indict. 3 Mundi 4004. Urbis conditæ 753. Ante Chriſtum 1. Juliano 45. Auguſti 44. Mundi ſecundum Alexandrinos 5503. Incarnationis ſecundum Alexandrinos 3. ſecundùm Conſtantinopolitanos 5509. Incarnationis ſecundùm eoſdem 1.

CXLIX. *Natale Dionyſianum.* Coss. *Cornelius Lentulus*, & *L. Calpurnius Piſo.* Eccleſia Orientalis, quæ primum Chriſti annum à Conſulatu Caii Cæſaris & M. Æmilii Pauli, annoque Juliano XLVI exorditur, Chriſtum hoc anno natum ſupponit, minimè curans quot ante Chriſtum annis reipſa ſit Mundus à Deo conditus, neque judicium ſuum ad eas tricas & minutias diſceptandas interponens; hoc annorum computo, qui vulgò receptus eſt, contenta, ut inquit Petavius lib. 12. de Doct. Temp. cap. 4. Verum quidem eſt, Dionyſium, Bedam, & Computiſtas vetuſtiores anno uno Natale Chriſti tardiùs poſuiſſe, & computum noſtrum illorum computum uno anno præcedere, ac quem nos à Nativitate numeramus annum, hunc illos ab Incarnatione putaſſe. Sed à pluribus ſeculis annus primus Chriſti à Natali ejus, ſeu *VIII Kalend. Januarii*, non verò, ut antea, à verno tempore, quo Chriſtus incarnatus eſt, deductus fuit. Ad quod initium aſſequendum, cùm menſes IX eximendi forent de epocha priſtina Incarnationis Dominicæ, ternis potiùs menſibus anticipata fuit. Itaque dies ille XXV Decembris anni Juliani XLV, qui Incarnationis annum primum, atque ideo primum Chriſti annum antecedit, Natali Chriſti præſtitutus eſt, ut deinceps natus diceretur anno illo deſinente, qui Chriſtianam Eram proximè præcedit, Cyclo Lunæ 1. quod Notariorum errori Paulus Foroſempronienſis adſcribit, parte 1. lib. 4. Prior illa *Incarnationis* Era, poſterior *Nativitatis* appellatur, ut obſervat ibidem Petavius cap. 1. Quando itaque dicimus, hunc annum in quo verſamus, eſſe annum Chriſti 1683. ſupponimus, eum præſenti anno in lucem prodiiſſe; ideoque tam Annales Eccleſiaſtici, quàm quicunque alii, in quibus Era Chriſtiana uſurpatur, primum Chriſti annum ab anno Juliano XLVI auſpicari debent, ab eo ſcilicet qui ſequitur Natale Chriſti Dionyſianum, vulgare, ſeu commune.

Philippus Labbeus, Jacobus Grandamicus, aliique quidam Natale Chriſti in hunc annum conferunt, quòd Eccleſia eundem elegerit, Summique Pontifices in Bullis ac Reſcriptis hac dinumeratione utantur. Verùm recens hæc Pontificum conſuetudo, & ante paucos annos, auctore Blondo Forolivienſi, qui Pontificii Collegii à ſecretis Notarius erat, admiſſa, Eugenio IV Pontifice. Antea enim ſoli Pontificum anni in literis adſcribebantur. Præterea Era Incarnationis ſecundùm Alexandrinos ab Eccleſia Alexandrina adhibita, longè antea quàm Dionyſiana inſtituta. *Natale Chriſti proprium malè ab hoc anno deſumtum.*

CL. *Expeditio Caii Cæſaris in Orientem.* Illam opinionem, inter alia multa, convellit expeditio *Caii Cæſaris* in Orientem, quæ vel ſub præcedentis anni fine, vel hujus initio ſuſcepta; ideòque & *Jani fores recluſi.* Caius per Græciam in Aſiam tranſmiſit; cúmque *Samum* trajeciſſet, ac claſſem adornaret, fœderatorum Regum Legationes excepit, qui copias & commeatus eidem pollicebantur. Suetonius cap. 12. ſcribit, *Tiberium* Caii Cæſaris privigni ſui ſalutandi gratiâ, Rhodo Samum navigaſſe. Dio verò in Fragmentis lib. 55. ait: *Caio autem ad bellum Armeniacum miſſo, Tiberius in Chium profectus, ei ſe ſubmiſit.* Hic Caii Cæſaris cum Tiberio congreſſus, ſive apud *Samum*, ſive apud *Chium* contigit, inquit Noriſius Diſſert. 4. de Cenotaphiis Piſanis cap. 10. anno Juliano XLV, præſenti ſcilicet. Suetonius enim cap. 11. narrata relegatione Juliæ, quam anno præcedenti conſignavimus, ſcribit: *Tranſacto autem Tribunitiæ Poteſtatis tempore, confeſſus tandem nihil aliud ſeceſſu devitaſſe ſe, quàm æmulationis cum Caio Lucioque ſuſpicionem, petiit ut ſibi ſecuro ab hac parte, corroboratis his, & ſecundum locum facilè curantibus, permitteretur reviſere neceſſitudines, quarum deſiderio teneretur.* Sed ne-

que impetravit. Tiberius anno Urbis 748. Tribunitiam Poteſtatem in quinquennium ab Auguſto accepit, ut dixi. Quare Tribunitiæ Poteſtatis quinquennio hoc anno tranſacto, Romam redeundi facultatem ab Auguſto per literas petiit, nec impetravit. Tum Suetonius ab his caput inſequens 12. exorditur: *Remanſit ergo Rhodi contra voluntatem: vix per matrem conſecutus, ut ad velandam ignominiam, quaſi Legatus ab Auguſto abeſſet. Enimvero tunc non privatum modo, ſed etiam obnoxium & trepidum egit, mediterraneis agris abditus, vitanſque prænavigantium officia, quibus frequentabatur aſſiduè.* Et poſtea: *Et acceſſerunt majoris ſollicitudinis cauſa, videlicet cùm Samum ad Caium privignum tranſmittens, illum alieniorem ſibi ſenſit ex criminationibus M. Lollii Comitis & Rectoris ejus.* Ac denique cap. 13. *Et armorum ſolitas exercitationes omiſit; redegitque ſe, depoſito patrio habitu, ad pallium & crepidas: atque in tali ſtatu* BIENNIO *ferè permanſit, contemtior in dies & inviſior.* At ex Velleio conſtat, *Tiberium* Romam reverſum anno Urbis 755. adhuc Lucio Cæſare ſuperſtite, qui ex Inſcriptione Piſana obiit circa menſem Auguſti ejuſdem anni. Ex quibus infert Noriſius, Tiberium circa æſtatem hujus anni depoſitâ togâ, ad pallium ac crepidas ſe redegiſſe, ut BIENNIO FERE in tali ſtatu permanſiſſe dici poſſit, antequam Romam reverteretur: & præterea perperam Baronium ſcripſiſſe, Caium Cæſarem anno Urbis 748. præfectum fuiſſe Syriæ totique Orienti, eique datum Rectorem P. Sulpicium Quirinium.

Baron. in Apparatu n. LXXXIV.

CLI.
Quo anno pax cum Parthis ſancita.

Euſebius in Chronico ſecundùm editionem Pontaci, anno Abrahami bis milleſimo decimo quarto, qui Kalendis Septembris anni Juliani quadrageſimi ſecundi initium ſumit, ait: *Cæſar amicitiam cum Parthis facit;* quod in editione Scaligeriana conſignatur anno Abrahami 2016. Verùm pax ea anno tantùm Urbis 755. ſancita, ut Noriſius citatus pag. 255. doctè demonſtrat. Nam tanquam certum ſtatuendum, eo Urbis anno Tiberium circa menſem Julium Romam adveniſſe; cùm ex Velleio Romam reverſus ſit ante obitum *Lucii Cæſaris,* qui acerbo fato ſublatus eſt menſe Auguſto ejuſdem anni, uti ex Piſano Cenotaphio colligitur. Præterea Dio ſcribit, *Tiberium Rhodum* ſeceſſiſſe anno Urbis 748. cui ſuffragatur Suetonius in Tiberio cap. 14. ubi ait: *Rediit octavo poſt ſeceſſum anno.* Velleius verò lib. 2. qui Tiberii ſeceſſum anno uno tardiùs quàm Dio collocat, (ut probat Noriſius citatus pag. 110.) inquit: *Septem annos Rhodi moratus;* additque, rediiſſe, *P. Vinitio Conſule.* Quare conſtat, Tiberium Romam reverſum anno Urbis 755. quo Vinitius Conſul fuit. Auguſtus priuſquam illum revocaret, ea de re Caii placitum per literas quæſivit, quas Caius tum accepit, cùm *Lollio offenſior* eſſet, & quidem adhuc ſuperſtiti, ex Suetonio in Tiberio cap. 13. nempe eo tempore, quo colloquio cum Phraate Parthorum Rege obſignandæ pacis gratiâ habito, Lollii toto Oriente actas rapinas intellexit. Velleius enim de ea pace loquens inquit: *Prior Parthus apud Caium in noſtra ripa, poſterior hic apud Regem in hoſtili epulatus eſt. Quo tempore Marci Lollii, quem veluti Moderatorem juventæ filii ſui Auguſtus eſſe voluerat, perfida & plena ſubdoli ac verſuti animi conſilia per Parthum indicata, Cæſaris ira evulgavit.* Itaque menſe Maio pax cum Parthis redintegrata eſt, ac Caius ſub idem tempus Auguſto reſcripſit, placere ſibi, ut Tiberius Romam rediret. *Deſtinatum* enim Auguſto *erat,* ait Suetonius cap. 13. in Tiberio, *nihil ſuper ea re, niſi ex voluntate majoris filii ſtatuere. Is fortè* TUNC *M. Lollio offenſior, facilis exorabiliſque in vitricum fuit. Permittente ergo Caio, revocatus eſt: verùm ſub conditione, ne quam partem, curámve Reipublicæ attingeret.* Teſtatur etiam Velleius, Lollium *intra paucos dies* poſt colloquium Caii Cæſaris & Phraatis Parthorum Regis extinctum: & antequam Caii literæ Romam ad Auguſtum ex Syria deferrentur, & Tiberius Romam perveniret, aliquot tantùm menſium ſpatium tranſactum eſt, ut animadvertit Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Caii & Lucii Cæſarum, ubi ejuſdem Caii Hiſtoriam, quæ ad Annales Eccleſiaſticos per ea tempora, quibus Chriſtus natus, illuſtrandos corrigendoſque plurimùm confert, egregiè explicavit. Scaliger quidem in Animadverſionibus Euſebianis ad num. 2016. exiſtimabat, Inſcriptionem Piſanam Caii commentum eſſe, & qui eam excogitarint, nequidem *veriſimiliter* mentitos eſſe; ſed ſi doctiſſimas in utramque Inſcriptionem Noriſii Diſſertationes vidiſſet, ſententiam illam ſine dubio damnaſſet. Ex his liquet, Chriſti Nativitatem, quæ pacis univerſalis tempore contigit, in hunc annum non contigiſſe.

CLII.
Annales à vera Æra Dionyſiana neceſſariò inchoandi.

Spondanus in fine Apparatûs dicit, petiiſſe ab ſe aliquos, ut Annales in epitomen redigens, eoſdem etiam emendaret, & à vera *Æra Dionyſiana,* non verò ab anno Urbis ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo cum Baronio, inchoaret; ſed non placuiſſe ſibi conſilium illud, quòd ſint, quibus ea etiam *Baronii computandi ratio* probetur, & nihil in temporum Hiſtoria uſquequaque certum ſit. Verumenimvero quibus initium Æræ Dionyſianæ ab anno præcedenti, anno nempe Urbis 752. deſumtum probatur, parum certè illi in Chronologia fundati, & in doctrina Cyclorum Solis, Lunæ & Indictionis, qui fallere non poſſunt, peregrini; neque dubito, quin ſi Baronius ea quæ poſt mortem ejus ſcripta, vidiſſet, uti erat veritatis amantiſſimus, Annales Eccleſiaſticos ab anno Urbis 754. exorſus fuiſſet, & Chronologiam ſuam ipſemet in multis reformaſſet. Quod ſubjungit Spondanus, Chronologos in multis inter ſe non conſentire, neminem movere debet: nam in Chronologia, quemadmodum & in aliis quibuſcumque ſcientiis ac facultatibus, quædam certa, quædam tantùm probabilia, quædam prorſus obſcura, incertaque. Æram Chriſtianam, ſeu communem & Dionyſianam, quam Baronius ſe ſequi profitetur, initium ſumere à Conſulatu Caii Cæſaris & L. Æmilii Pauli, annoque Urbis 754. certiſſimis demonſtrationibus conſtat; ideoque in controverſiam à nemine revocari poteſt. Natale verò Chriſti eo quo Baronius conſignavit anno, vel citiùs aut tardiùs contigiſſe, hoc meritò in dubium voca-

Spondan. in Apparatu n. XXXVIII.

tur. Quare Era Dionyſiana, cujus principium certiſſimum; tenenda, id eſt, anno, quo reapſe illam Eccleſia Latina auſpicatur, incipienda; Natalis verò Chriſti annus, qui incertus, (cum tot ſint diverſæ de eo ſententiæ) quique ab ejuſdem Eræ Dionyſianæ exordio minimè pendet, ſecundùm probabiliorem opinionem explicandus; duplexque Chriſti Natale, proprium ſcilicet, & vulgare ac Dionyſianum, ſemper præ oculis habendum. Quare optandum fuiſſet, ut doctiſſimus Præſul, cui tantùm Eccleſia debet, Annales à Conſulatu Caii Cæſaris & L. Æmilii Pauli inchoaſſet, præcipuoſque errores Chronologicos non abbreviaſſet, ſed ſuſtuliſſet; cùm, ut vulgò dicitur, miſerum ſit veſci glande, inventis frugibus; & aliunde incertorum temporum ignoratione ſatis plerumque implicata ſit Hiſtoria.

CRITICA

CRITICA
HISTORICO-CHRONOLOGICA
IN
ANNALES
EMINENT^MI ET REVEREND^MI
CÆSARIS CARDINALIS
BARONII,

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi HENRICI SPONDANI Appamiarum Epiſcopi, ejus Epitomatoris, ordine ſervato.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5494. ☉ 10 B. ☽ 1. INDICT. 4.

JESU CHRISTI 1. *ſecundùm Baronium 3.*

PERIODI ALEXANDRINÆ 5504. INCARNATIONIS *ſecundùm Alexandrinos 4.*

PERIODI ANTIOCHENÆ 5494. INCARNATIONIS *ſecundùm Antiochenos 2.*

* Olymp. 191. PERIODI CONSTANTINOPOLITANÆ 5510. INCARNATIONIS *ſecundùm Conſtantinopolitanos 2.*

PERIODI JULIANÆ 4714.

JULIANO 46.

URBIS CONDITÆ 754.

AUGUSTI IMP. 45.

OLYMPIADIS 195. ANNO 1.

I. *Conſules.* Baron. num. 1. COSS. *Caius Cæſar*, & *L. Æmilius Paulus.*

An Caius Cæſar Auguſti filius, vel ipſe Auguſtus XIV Conſul hoc anno proceſſerit, ad noſtra uſque tempora in controverſiam vocatum. Baronius in Additionibus in calce tomi x, & in poſterioribus editionibus ad annum Chriſti III reprehendit Onuphrium, qui prælatos Conſules propoſuit: *Ita*, inquit, *Faſti Conſulares Onuphrii, quem nos ſequentes, serò licèt, erraſſe cum ipſo ſenſimus ex Dione, qui hoc anno non Caium Conſulem, ſed Auguſtum XIV ponit cum Paulo Æmilio collega.* Subjungit Baronius, *petitum quidem fuiſſe à Caio Conſulatum, ſed ab Auguſto negatum.* At ab Onuphrio hac in re non peccatum; cùm Caium Cæſarem hoc anno Conſulem proceſſiſſe, & decimum-quartum Auguſti Conſulatum commentitium eſſe, tam certum, quàm quod in Faſtis certiſſimum. Quare Baronius quod rectè ſcripſerat, perperam retractavit, à quo ideo Spondanus hac in re meritò diſceſſit. Noriſius enim in Diſſert. II de Cenotaphiis Piſanis cap. 13. Auguſtum tredecim tantùm Conſulatus geſ-

ſiſſe, invictis argumentis demonſtrat. Difficultas itaque ſolùm eſſe poteſt de Dionis mente, quem alii *Caium Cæſarem*, alii *Auguſtum* Conſulem profiteri volunt. Noriſius laudatus ait: *In Indice Conſulari Dionis, qui lib. 55 præfigitur, legimus*: Γ. Καῖσαρ Αὔγουστος τὸ ιδ. *C. Cæſar Auguſtus XIIII. Muretus in Notis ad lib. 1. Taciti ait, in Codice Dionis ſcriptum fuiſſe*, Γ. Αὐγούστου υἱός, *Caius Auguſti filius. Et Xylandrum Dionis Interpretem, corrupto textu Auctoris pro Caio Auguſtum Conſulem XIV perperam poſuiſſe. At falsò id vitio Interpreti datur: nam in vetuſtiſſimo Codice Mediceo ad D. Laurentii in Pluteo LXX legitur*; Γ. Καῖσαρ Αὐγούστου υἱός. quam Mureti conjecturam in Diſſertatione Hypatica etiam amplexus ſum. Cum Dionem in eum errorem lapſum eſſe mihi perſuadere non poſſem, petii à Cangio V. C. quo nullus plura MSS. Græca tractavit, an aliqua hujus Scriptoris MSS. extarent; qui cùm me docuiſſet, haberi tantùm integrum in Bibliotheca Regia præter duo ejuſdem Auctoris fragmenta etiam MSS. ad eamdem ſtatim me confero, invenioque Librum 55. in cujus indice hic Conſulatus memoratur, in duobus illis fragmentis deſiderari; in illo verò qui ad Librum ſexageſimum incluſivè perducitur, corruptè à Librario exaratum fuiſſe, ita tamen ut ex loco, licet corrupto, mens Dionis certò erui poſſet. Aquas Sextias Pariſiis redux hujus difficultatis ſolvendæ rurſus cupido inceſſit, eamque ob rem Nicolaum Toinardum virum in Lingua Græca exercitatiſſimum, mihique amiciſſimum, rogavi, ut ea verba tranſcribere, & omnes Dionis Codices impreſſos, quos reperire poſſet, percurrere vellet, ut mihi conſtare poſſet, an Dionis Editores manuſcripta à Regio diverſa ſecuti eſſent, in iiſque diverſas lectiones inveniſſent. Reſpondit is, Pariſiis alia hujus Auctoris non inveniri, miſitque præfatum locum mox à me recitandum, & quæ ex editionibus tam Roberti Stephani, quàm Henrici Stephani filii deſcripſit, ſubdens ſe alias Dionis editiones videre non potuiſſe. Hoc ſubſidio adjutus mihi manifeſtè innotuit, Dionem quidem hujus anni Conſules exactè propoſuiſſe, ſed amanuenſem MS. Regii locum ejus depravaſſe, ac dein illius Interpretes, dum ejus errorem corrigere tentarunt, auxiſſe. In MS. Regio legitur: γ. Καῖσαρ αὔγουστος του ὑἱ. quæ verba deſcripſit Robertus Stephanus in editione Græca Dionis, quam juxta Regii hujus MS. exemplar anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo Divione in lucem emiſit; niſi quòd poſt vocabulum του, punctum appoſuit, quod in MS. non habetur, quódque omnino tollendum, & loco, αὔγουστος, legendum, αὐγούστου; ita ut ſenſus ſit, *Caius Cæſar Auguſti filius*, uti rectè ſcripſerat Dio. Obſervandum enim, in MS. vocabulum του nullo accentu notari, quod cum præcedenti conjungi debere manifeſtè indicat. In Notis Robertus Stephanus ait: *Paulò antè legitur*: αὔγουστος τὸ ια. & τὸ ιγ. ὕπατος: *hic igitur legendum puto*, τὸ ιδ. *loco harum literarum*, του υἱ. Hinc apparet, quanta fide Robertus Stephanus MS. Regium ſecutus fuerit; ſed ex altera parte quàm infeliciter locum illum correxerit; quem cùm hactenus alii Dionis Editores imitati fuerint, nulla Dionis editio Græco-Latina prodiit, in qua eadem textûs ejus corruptio non habeatur. Nam Guilelmus Xylander, cùm hujus Scriptoris verſionem ſuſcepiſſet, in textum Latinum pravam correctionem Roberti Stephani inſeruit. Mihi eam quidem videre non licuit, ſed id colligere eſt ex editione Græco-Latina, quæ anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo ab Henrico Stephano curata, in qua nullæ Notæ habentur, ſed pag. 627. legitur, Γ. Καῖσαρ [illegible] id eſt, *C. Cæſar Auguſtus XIIII*, ubi ex του υἱ fecit τὸ ιδ. cùm corrigendum veniret [illegible] legendumque, υἱός. ſuæ emendationis ſeu veriùs corruptionis Lectore non monito; qua in re Roberti patris optimam & ſpectatiſſimam fidem haud imitatus eſt.

II. *A Dione rectè editi.*

Guilielmo Xylandro anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto demortuo, ut teſtatur Thuanus Libro LXII, Joannes Leunclavius anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo editionem Xylandri reviſit, & corruptum Dionis textum in eandem etiam inſeruit; tandemque anno milleſimo ſexcenteſimo ſexto Hannoviæ in lucem data amplior editio Dionis cum Notis omnium Scriptorum ad ejus Opera, & pag. 964. inter Xylandri Notas hæc recitatur: Γ. Καῖσαρ Αὔγουστος τὸ υ. *Legendum utique (Roberto etiam annuente)* τὸ ιδ. *id eſt, XIIII. Nec me fugit, Suetonium Auguſti tredecim tantùm Conſulatus numerare, totidemque etiam Tacitum, qui Auguſtum numero ſuorum Conſulatuum Valerium Corvinum & C. Marium ſimul æquaſſe, Libro primo ſcripſit. Verumtamen quia tredecim Auguſti Conſulatus disertè ſunt ab Autore noſtro jam antè recitati, quatuordecim utique legendum eſt; idque etiam apud Caſſiodorum. Cur eum Tacitus & Suetonius omiſerint, faciliùs puto intelligeremus, ſi Dionis ea de re verba haberemus: nunc id conjicere tamen poſſumus, non geſtum fortaſſis eum ab Auguſto, ſed omnino eum aut repudiatum, aut ſtatim alii traditum, ſicut & aliàs fecerat. Illud magis mirum cur alii hunc totum annum omiſerint, cùm eum Caſſiodorus habeat, eundemque quem Dio Collegam Auguſto XIV Conſuli aſſignet L. Paulum. Nobis is annus prætereundus nullo modo viſus eſt. Idque tantò minùs quòd infrà, Lib. ſexageſimo, quem annum Dio octingenteſimum Urbis conditæ habet, is apud alios* DCCCIX, *dicitur. Unde patet, uno anno noſtram alias præcedere rationem, ut ibi quoque dicemus.* Sed præter id quod ſcribit Xylander, præſentem ſcilicet annum, qui Urbis conditæ eſt DCCLIV, prætermittendum non fuiſſe, ceteræ ejus conjecturæ vanæ futileſque. Ex illis enim quæ in medium adduximus, liquet Dionem *Caium Cæſarem*, non verò *Cæſarem Auguſtum* Conſulem edidiſſe: exſcriptorem manuſcripti Regii, quo uſi ſunt omnes Dionis Editores (Florentinum quippe hac in parte etiam corruptum ab illis non viſum) malè Conſulatum illum deſcripſiſſe: Robertum Stephanum in Notis manuſcripti Regii depravationem auxiſſe: tandemque ceteros Ope-

rum Dionis curatores pravam ejus emendationem contra Criticæ regulas pro Dionis textu obtruſiſſe. Auctor Chronici Alexandrini pag. 463. Conſulatus quatuordecim Auguſto aſſignat, & poſtea pag. 483. Publium Cæſarem, & Paulum hujus anni Conſules exhibet. Muretus in Notis ad Tacitum lib. 1. cap. 9. ait, Xylandrum, cùm in textu legiſſet, Γ. Αὐγούςου υἱὸς, id eſt, *Caius Auguſti filius*, niſi quòd Librarius leviter erraverat, & pro Αὐγούςου ſcripſerat, Αὐγουςέου, *Cæſarem Auguſtum* vertiſſe, & de ſuo addidiſſe XIV. Sed tam hæc conjectura, quàm Chronici Alexandrini error ex dictis corruunt. Quæ omnia Toinardi V. C. diligentiæ magis quàm meæ attribuas velim. Certè non minor adhibenda fuit, ne nobiliſſima Era, qualis eſt Chriſtiana, à Conſulatu depravato exordium ſumeret.

III.
Era Chriſtiana ab hoc Conſulatu inchoanda.

Porro Eram Chriſtianam à præſenti Conſulatu auſpicandam eſſe, jam in Apparatu diximus, & certiſſimis argumentis ſparſim in hoc Opere exhibendis monſtrabitur. Id vel ſolus uſus Cyclorum Solis, Lunæ, & Indictionis extra dubium ponit. Si enim v. g. annus Chriſti milleſimus ſexcenteſimus octogeſimus ſextus, in quo verſamur, Indictione nona notetur, quod nullus inficias ibit, primum illorum annorum Indictione quarta inſignitum fuiſſe neceſſe eſt; cùm ſi primus Chriſti annus Indictione quarta non ſignaretur, nona hoc anno in curſu eſſe non poſſet. Præterea idem Chriſti annus 1686. Cyclo Lunæ XV. Solis verò XIII. præditus eſt, ut inter omnes convenit. Quare primus illorum annorum Cyclo Lunæ II. Solis X. munitus fuiſſet, ſi Cyclorum doctrina tunc innotuiſſet. Scaliger, qui primus Cyclorum uſum Chronologos docuit, primus etiam fuit, qui animadvertit, Baronium Eram Chriſtianam biennio antevertiſſe, eoque pacto eandem uſque ad Diocletiani tempora depravatam repræſentaſſe. Non defuere, qui Cardinalem doctiſſimum, de univerſa Eccleſia optimè meritum, ſcriptis defenderent, eumque Annalium Eccleſiaſticorum initium rectè conſignaſſe oſtendere conati fuerint. Sed eos oleum & operam perdidiſſe, Eramque Chriſtianam à Conſulatu Caii Cæſaris, & L. Æmilii Pauli inchoandam eſſe, unus omnium eruditorum Chronologorum ſine ulla varietate nunc ſenſus eſt, quorum ſententiæ ipſemet Baronius ſubſcriberet, ſi adhuc in vivis eſſet; cùm ea certiſſimis demonſtrationibus innitatur, & puerilia ſint quæcumque adverſus illam objecta. Excuſatione tamen dignus Baronius, cujus ætate Cyclorum uſus ignotus erat, quique frequentatus non fuit, niſi poſtquam potiorem nobiliſſimi ſui Operis partem abſolvit.

VI.
Expeditio Caii Cæſaris adverſus Parthos.

Dionyſius Exiguus, qui ſexto Eccleſiæ ſeculo Eram Chriſtianam, quæ in Oriente jam ab aliquot ſeculis uſurpabatur, publicavit, Chriſtum ſub hujus anni Conſulibus & conceptum & natum tradidit, Eramque Incarnationis, non verò à Nativitate adhibuit. Poſt aliquot ſecula Era Chriſtiana à Chriſti Natali incœpta, quod tunc placuit in præcedentem Conſulatum rejicere. Ex quo factum, ut ea varia ſortita ſit initia, ut ſuo loco diximus. Chriſti autem Nativitatem in hunc annum incidiſſe, quod voluit Dionyſius, prorſus incredibile. Nam præterquam quòd Herodes jam mortuus erat, Chriſtus in mundum venit, dum altiſſima pax in eo vigeret; & tamen per hæc tempora bellum in variis Imperii Romani partibus geſtum. Velleius lib. 2. ſcribit, Tiberium *V. Kal. Julias Ælio Cato & Sentio Saturnino Conſulibus*, anno nempe Chriſti IV. ab Auguſto adoptatum, quem, inquit, *protinus in Germaniam miſit: ubi ante triennium ſub Marco Vinicio, avo tuo, clariſſimo viro, immenſum exarſerat bellum.* Hoc itaque anno immenſum in Germania bellum erupit, quod cùm per triennium protractum fuiſſet, Tiberius ad illud profligandum anno Chriſti quarto legatus fuit. Quòd ſi quis velit, triennium illud ab anno tantùm Chriſti ſequenti putandum eſſe, non inde tamen ſequetur, Imperium hoc anno tranquillum fuiſſe; certum enim eſt Caium Cæſarem Conſulatum in Syria iniiſſe, eamque dignitatem inter arma geſſiſſe, ut nos docet ejus Cenotaphium, quod Piſis extat, quódque Noriſius inſigni opere explicat, in quo legitur: POST. CONSULATUM. QUEM. ULTRA. FINIS. EXTREMAS. POPULI. ROMANI. BELLUM. GERENS. FELICITER. PEREGERAT. Hoc itaque anno *Caius* bellum in hoſtili geſſit, & adverſus Parthos pugnavit. Eum Romà hoc anno abfuiſſe docet fragmentum Epiſtolæ Auguſti ad Caium, quod Gellius lib. 15. cap. 7. recitat: *Ave, mi Cai, meus ocellus jucundiſſimus, quem ſemper medius fidius deſidero, cùm à me abes, ſed præcipuè diebus talibus, qualis eſt hodiernus, oculi mei requirunt meum Caium, quem, ubicumque hoc die fuiſti, ſpero lætum & valentem celebraſſe quartum ac ſexageſimum natalem meum. Nam, ut vides,* κλιμακτῆρα *communem ſeniorum omnium tertium & ſexageſimum evaſimus.* Natus eſt Auguſtus IX. Kal. Octobris, Antonio & Cicerone Coſſ. anno Urbis 691. ex Suetonio cap. 5. Quare anno Urbis 754. currenti, nempe die XXIII. Septembris, exacto anno 63. climacterico, ſexageſimum quartum auſpicatus, eas ad Caium filium literas dedit, cùm hic procul in Oriente bello Parthico diſtineretur.

V.
Expeditio Caii Cæſaris adverſus Arabes.

Expeditionem Parthicam Arabica præceſſit, ut obſervavit eruditiſſimus Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. II. cap. 12. Plinius pluribus in locis expeditionis Caii Cæſaris in Arabiam mentionem facit, quam tamen omiſit Baronius, aliique, qui de Caii in Orientem navigatione ſermonem inſtituerunt. Plinius itaque lib. 6. cap. 27. ait, Dionyſium Geographum ab Auguſto in Orientem præmiſſum, *quem*, inquit, *ad commentanda omnia in Orientem præmiſit Divus Auguſtus, ituro in Armeniam ad Parthicas Arabicaſque res majore filio*, nempe Caio Cæſare. Hunc, vel certè eos, qui erant in ejus comitatu, profectos ad Arabicum ſinum Plinius indicat lib. 2. cap. 67. ubi de eodem ſinu loquens, inquit: *In quo, res gerente C. Cæſare Auguſti filio, ſigna navium ex Hiſpanienſibus naufragiis feruntur agnita.* Eo uſque per totius Africæ gyrum disjectarum navium fragmenta Oceani furor ejecerat. Ex Arabia in Ægyptum Caium rediiſſe

auctor eſt Oroſius lib. 7. cap. 3. *Caium nepotem ſuum Cæſar Auguſtus ad ordinandas Ægypti Syriæque Provincias miſit, qui prætteriens ab Ægypto fines Paleſtinæ apud Hieroſolymam in templo Dei tunc ſancto & celebri adorare contemſit, ſicut Suetonius Tranquillus refert.* Caium verò per Palæſtinam in Syriam iter feciſſe teſtatur Suetonius in Auguſto cap. 93. *Caium nepotem, quòd Judæam prætervehens, apud Hieroſolymam non ſupplicaſſet, collaudavit.* Auguſtus enim peregrinas cæremonias contemtui habuit. Oroſius dicit, Auguſtum, quòd Caium Hieroſolymitani templi cultum omittentem laudaſſet, anno Imperii quadrageſimo octavo à Deo punitum, Româ tam dira fame vexatâ, ut Auguſtus laniſtarum familias, omneſque peregrinos, ſervorumque maximas copias Urbe pelli juſſerit. Hæc tamen fames, quam deſcribit Dio lib. 55. contigit anno Urbis DCCLIX, poſt ſexennium ab adventu Caii Cæſaris in Judæam, ipſo, ejuſque fratre Lucio extinctis. Plura Noriſius de utraque Caii expeditione loco laudato, ubi & plurium Scriptorum anachroniſmos de expeditione Caii in Orientem refellit.

Urb. Cond. 755.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5495. ☉ 11 A. ☽ 3. INDICT. 5.
JESU CHRISTI 2. *ſecundùm Baron.* 4.
AUGUSTI IMP. 46.

I. *Conſules.*

COss. *P. Vinicius*, & *P. Alfenus*. Baronius Vinucium nepotem, & Alfinium Varum Conſules proponit, minùs obſervans Onuphrii characterem ſeu methodum in Faſtis deſcribendis, & vocem *nepos*, quæ originem Conſulum ab avis indicat, pro eorumdem Conſulum cognominibus accipiens, ut notat Noriſius in Epiſtola Conſulari, ubi varia *nepotum* cognomina addita in Faſtis, Conſulibus ipſis fictitia eſſe demonſtrat, & tantùm oſtendere cujus avi, puta *Caii*, *Cnei*, *Quinti*, iidem nepotes fuerint.

II. *Lucii Cæſaris obitus, & Tiberii Romam reditus.*

Lucius Cæſar Caii Cæſaris frater *Hiſpanias petens Maſſiliæ deceſſit*, ait Velleius lib. 2. cap. 102. Quæ mors hoc anno contigit: Suetonius enim in Auguſto cap. 65. inquit: *Caium & Lucium in duodeviginti menſium ſpatio amiſit ambos.* Quare cùm Caius die viceſima prima Februarii anni Eræ Chriſtianæ quarti è vivis exceſſerit, ut infrà videbimus, Lucius currenti anno ante menſem Octobrem obiit; præſertim cùm in ejus Cenotaphio à Noriſio doctiſſimis Diſſertationibus illuſtrato dicatur, *die decima nona Septembris*, cùm Auguſtus diceretur TRIBUNICIÆ POTESTATIS XXV currenti anno cœptæ, annuas inferias Lucio Cæſari decretas fuiſſe. Tiberius Lucium privignum anno ætatis viceſimo ſublatum Lyrico carmine deflevit, teſte Suetonio in Tiberio cap. 20. ſed fictis lacrimis, cùm, æmulo Imperii, cui inhiabat, extincto, altero tantùm gradu à ſupremo rei Romanæ faſtigio diſtaret. Ante Lucii & Caii Cæſarum mortem Tiberius hoc anno Rhodo Romam redierat, ut tradit Velleius cap. 103. *Ante utriuſque horum obitum, patre tuo Publio Vinicio Conſule, Tiberius Nero reverſus Rhodo incredibili lætitia patriam repleverat.* Vinicius autem currenti anno Conſulatum ſuſcepit. Idem habet Tacitus, qui in fine lib. 6. de Tiberio ſcribit: *Dein Rhodo egreſſus, vacuos Principis penates duodecim annis: mox rei Romanæ arbitrium tribus ferme ac viginti obtinuit.* Tiberius die XIX Auguſti anni Chriſti XIV imperare cœpit; à quo anno ſi per annos duodecim retrocedamus, quibus Romæ Rhodo reverſus vixit, perveniemus ad currentem Chriſti annum. Poſtquam Romam advenit, data virili toga filio Druſo, è *Pompeiana domo in hortos Mæcenatianos tranſmigravit, ac omnium negotiorum publicorum expers, totum ſe ad quietem contulit*, inquit Suetonius in Tiberio cap. 15. qui jam cap. 13. ſcripſerat: *Permittente ergo Caio revocatus eſt; verùm ſub conditione ne quam partem curámve Reipublicæ attingeret. Rediit octavo poſt receſſum anno.* Velleius cap. 99. ait, cum *ſeptem annos Rhodi moratum*, quia ejus ſeceſſum anno uno tardiùs, quàm Dio & Suetonius, conſignavit, ut ſuo loco dixi.

V.C. 756

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5496. ☉ 12 G. ☽ 4. INDICT. 6.
JESU CHRISTI 3. *ſecundùm Baron.* 5.
AUGUSTI IMP. 47.

I. *Conſules.*

COss. *L. Ælius Lamia*, & *M. Servilius*. Ita rectè Baronius ex Dionis Indice.

II. *Saturninus Syriæ præeſt.*

Præerat hoc tempore Syriæ *Cneius Sentius Saturninus*, ut diſco ex hujus Præſidis Numiſmate mecum à Clariſſimo Toinardo communicato, in quo annus Antiochenus XXXV. his characteribus exprimitur, ΕΤ. ΕΛ. quæ epocha ab anno Urbis 723. ſeu ab Actiaca victoria deducta, ideoque annus ille Antiochenus XXXV currenti Chriſti anno inchoatus. Valeſius in Notis Euſebianis pag. 10. de Joſepho ait: *Patriæ ſuæ Hiſtoriam tantâ diligentiâ perſecutus eſt, ut & Præſides Syriæ omnes recenſuerit.* At illud à veritate alienum; cùm hujus Saturnini mentionem non fecerit. Rectè itaque ſcripſit Noriſius in Diſſert. II de Cenotaphiis Piſanis pag. 311. inter Varum & Quirinium alium Syriæ Præſidem ponendum eſſe, quem Joſephus non nominavit, & ab aliis Scriptoribus nuſquam indicatur. Is itaque nunc primùm è tenebris emergit.

V.C. 757

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5497. ☉ 13 FE. ☽ 5. INDICT. 7.
JESU CHRISTI 4. *ſecundùm Baron.* 6.
AUGUSTI IMP. 48.

I. *Conſules.*

COss. *Sex. Ælius Catus*, & *C. Sentius Saturninus*.

Baronius in Apparatu numero LXXXIX.

De utroque accuratè agit Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. III cap. 9. ubi oſtendit, Henſchenium in Diatriba præliminari ad menſem Aprilem perperam edidiſſe Caium Sentium Saturninum cum nota numerali, & Baronium memoriæ lapſu ſcripſiſſe, Quinctilium Varum ampliſſima Conſulatus dignitate *ſecundò auctum, primùm cum Collega Veſpillo, ſecundo cum Ælio Cato*, ubi Quinctilii Vari nomen calamo decidit, cùm Sentium Saturninum ſcribere vellet. Nam Sentius Saturninus Conſul fuit anno Urbis DCCXXXV Collega Veſpillone, ut ex Faſtis liquet. Sed is Saturninus

diverſus ab eo, qui præſenti anno nomen dedit: prior enim *Cneius* Sentius Saturninus vocatus; qui verò hoc anno Conſul fuit, *Caius* Sentius Saturninus appellatus eſt.

II. *Obitus Caii Cæſaris.* Caius Cæſar Auguſti filius Armeniam cum exercitu ingreſſus, dum *Artageram* obſidet, à Præfecto per inſidias vulneratur, & in Italiam revertens in Lycia moritur, *cùm ante annum ferme Lucius Cæſar frater ejus Maſſiliæ deceſſiſſet*, inquit Velleius cap. 103. Contigit ille obitus A. D. VIIII K. Mart. ut legitur in Caii Cenotaphio, quod Piſis extat, à Noriſio eruditis Diſſertationibus explicato, SEX. ÆLIO. CATO. C. SENTIO. SATURNINO. COS. ut ibidem legitur. Mortuus itaque Caius Cæſar ſub currentis anni Conſulibus, dieque nona Kalendas Martias, quod Baronium alioſque Viros eruditiſſimos, qui Cenotaphium illud non viderant, fugit. Ex Caii Cæſaris obitu rectè conſignato liquet, quantùm deceptus fuerit Baronius, dum mortem Herodis cum anno Chriſti octavo, ut ipſe numerat, conjunxit. Certum enim Herodem aliquot annos ante Caium Cæſarem periiſſe. Quare ante currentem annum jam fato conceſſerat.

Baron. in Apparatu num. XXXVI Caii obitum poſuit ante exitum anni U. 751.

III. *Adoptio Tiberii.* Caio Cæſare mortuo, Auguſtus *V Kalendas Julias*, ut ſcribit Velleius cap. 103. Tiberium adoptavit, eique Tribunitiam Poteſtatem ad annos decem dedit. Quod & Dio lib. 55. quoad Tribunitiam Poteſtatem teſtatur. Suetonius tamen *in* Tiberio cap. 16. ait, Tiberio datam rurſus Poteſtatem Tribunitiam *in quinquennium*. Quare Dio & Velleius quod diverſis annis contigit, uno tenore recitant. *Adoptatus eodem die etiam Marcus Agrippa*, inquit Velleius cap. 104. *coactus prius ipſe* (nempe Tiberius) *Germanicum fratris ſui filium adoptare*, inquit Suetonius in Tiberio cap. 15. Ubi obſervabis Tribunitiam Poteſtatem Auguſtum Tiberio conceſſiſſe, eodem, quo ipſe obtinuerat, die, IV nempe Kalendas Julias. *Protinus in Germaniam miſit* Tiberium Auguſtus, *ubi ante triennium immenſum exarſerat bellum*, ut ait Velleius cap. 104. Numeravit itaque hoc anno Tiberius ſextum Tribunitiæ Poteſtatis annum, percuſſuſque hic Nummus aureus à Mediobarba in Numiſmatis Impp. relatus: TI. CÆSAR AUGUSTI F. COS. II. TR. P. VI. in poſtica, AUGUR. PONT. IMP. III. Antea enim per annos quinque eandem Tribunitiam Poteſtatem geſſerat, & *Imperator iterum* vocatus fuerat, ut Numiſmata demonſtrant.

Baron. num. X

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5498. ☉ 14 D. ☽ 6. INDICT. 8.
JESU CHRISTI 5. *ſecundùm Baron.* 7.
AUGUSTI IMP. 49.

Olymp. 196.

I. *Conſules.* COSS. *L. Valerius Meſſalla Voluſus*, & *Cn. Cornelius Cinna Magnus*.

II. *Victoria Germanica Tiberii.* Tiberius, qui anno præcedenti ad bellum Germanicum conficiendum miſſus fuerat, & ob victorias *Imp. III* dictus fuerat, æſtiva uſque in Decembrem perduxit; ait enim Velleius cap. 105. *Anni ejus æſtiva uſque in Decembrem menſem perducta, immanis emolumentum fecere victoriæ*; additque, eum in Urbem rediiſſe. Hoc verò anno *veris initio* rediit in Germaniam, inquit Velleius: *Perluſtrata armis tota Germania eſt. Victæ gentes penè nominibus incognitæ*, tum Tiberius *eadem, quâ priore anno, feſtinatione Urbem* petiit, inquit Velleius cap. 107.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5499. ☉ 15 C. ☽ 7. INDICT. 9.
JESU CHRISTI 6. *ſecundùm Baron.* 8.
AUGUSTI IMP. 50.

I. *Conſules.* COSS. *M. Æmilius Lepidus*, & *L. Arruntius*, ex Dionis Indice.

Baronius L. Arruntium *Nepotem* vocat. Sed, ut anno Chriſti 11. cum Noriſio obſervavimus, vox illa *Nepos*, quæ in Faſtis Onuphrii originem Conſulum ab avis indicat, per ſupinam hallucinationem in fictitium cognomen *Nepotis* tranſiit. Quare, ubi Baronius eam vocem pro Conſulum cognomine accipit, prætermittere oportet.

II. *Herodis obitus.* Baron. n. II. Ad num. I. Herodis Judæorum Regis interitus longè ante præſentem annum contigit, ut videre eſt in Apparatu Chronologico, ubi de eo pluribus egimus.

III. *Archelai Principatus.* Baron. n. XV. Ad num. II. Archelai Herodis Magni filii Principatus longè etiam ante præſentem annum inchoatus, ut in eodem Apparatu oſtendimus. Sed Baronius à Joſephi Hiſtoria recedens in plures anachroniſmos non potuit non labi.

IV. *Bellum Germanicum.* Velleius, narratis iis, quæ anno antecedenti Tiberius in Germania geſſit, ait: *Prima æſtate belli Meſſallini opus mandandum eſt memoriæ*, cui ſuffragatur Dio lib. 55. qui ſub currentis anni Conſulibus recitat prælia Valerii Meſſallini cum Batone Pannoniorum Duce. Ait autem Dio lib. 7. licèt nihil magnopere memorandum in Germania actum ſit, tamen *de Germanis Imperatoris nomen non* Auguſtum *modò, ſed* Tiberium *etiam* inveniſſe, quod tam Auguſti, quàm Tiberii Numiſmata demonſtrant. Auguſtus enim, qui huc uſque in Nummis dicebatur tantùm IMP. XIV hoc anno, quo Tribunitiam poteſtatem XXIX iniit, in Nummis dicitur Imp. XV; Tiberius verò qui erat tantùm Imp. III, dicitur in Nummo apud Mediobarbum TI. CÆSAR AUGUSTI F. IMPERATOR IIII. PONTIFEX TRIBUNICIA POTESTATE VIII. S. C. Tribunitiam enim Poteſtatem VIII Tiberium hoc anno inchoaſſe, ex dictis patet. Vincentibus Ducibus Auguſtos Imperatoris nomen multiplicaſſe, idque, Octaviani Auguſti exemplo, ſæpe indicabimus.

V. *Chriſti in Palæſtinam reditus.* Ad num. III. Cùm Chriſtus, defuncto Herode, à Joſepho in Palæſtinam reductus fuerit, reditus ille longè ante currentem annum accidit. Incertum tamen quanto tempore Chriſtus in Ægypto manſerit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5500. ☉ 16 B. ☽ 8. INDICT. 10.
JESU CHRISTI 7. *ſecundùm Baron.* 9.
AUGUSTI IMP. 51.

Anno Urbis 760.

I. *Conſules.* COSS. *A. Licinius Nerva Silianus*, & *Q. Cæcilius Metellus Creticus Silanus*.

II. *Archelai exilium.* Hoc anno Archelaus Herodis Magni filius exilio mulctatus, ejuſque bona fiſco adjudicata, ut anno Chriſti XIV Baronii ordinem ſequentes explicamus. Hinc ſequitur Quirinium

hoc tantùm anno in Syriam miſſum eſſe, ut ibidem dicemus.

III. *Germanicus in Pannoniam miſſus.* Cùm Auguſtus ſuſpicaretur Tiberium bellum conſultò in Pannonia trahere, *Germanicum eò miſit, Quæſturam tunc gerentem*, qui Dalmatas aliquot damnis affecit, inquit Dio lib. 55. ſub hujus anni Conſulibus.

Vrb. Cond. 761.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5501. ☉ 17 AG. ☽ 9. INDICT. 11.
JESU CHRISTI 8. *ſecundùm Baronium* 10.
AUGUSTI IMP. 52.

I. *Conſules.* COSS. *Furius Camillus, & Sex. Nonius Quinctilianus.*

II. *Geſta in Pannonia.* Præſenti anno Dalmatia partim bello, partim pacificatione ad Romanos rediit, ut narrat Dio ſub hujus anni Conſulibus, qui addit Pannonios etiam in deditionem veniſſe, cui ſuffragatur Velleius cap. 114.

V.C. 762.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5502. ☉ 18 F. ☽ 10. INDICT. 12.
Olymp. 197. JESU CHRISTI 9. *ſecundùm Baronium* 11.
AUGUSTI IMP. 53.

I. *Conſules.* COSS. *Q. Sulpicius Camerinus, & C. Poppæus Sabinus.*

II. *Clades Variana.* Clades Variana, quam Baronius in annum ſequentem differt, ad præſentem ſpectat, ut tunc explicabimus.

III. *Bellum Pannonicum finitur.* Tiberius & Germanicus bellum Pannonicum adverſus Batonem hoc anno profligarant: *Victoriæ nuntium attulit Germanicus, ejuſque ergò Auguſto & Tiberio nomen Imperatorium auctum ac triumphus decretus; Germanico inſignia triumphalia. . . His recèns decretis adverſus ex Germania allatus nuntius triumphos eorum impediit*, inquit Dio lib. 56. ſub hujus anni Coſſ. qui poſtea cladem Varianam refert. Ex quibus ſequitur, Auguſtum, qui uſque ad Tribunitiam Poteſtatem XXXII. quam hoc anno ſuſcepit, dictus fuerat Imp. XV. vocatum fuiſſe Imp. XVI. eadem Tribunitia Poteſtate XXXII. currente, ut oſtendit Inſcriptio apud Onuphrium, licèt Mediobarbus anno Chriſti X. hunc titulum datum Auguſto perperam ſcribat. Tiberium verò, qui hoc anno Tribunitiam Poteſtatem X. abſolvit, quique antea dicebatur Imp. IV. vocatum eſſe Imp. V. patet ex hoc Tiberii Nummo, quem ad annum præcedentem malè refert Mediobarbus: TI. CÆSAR AUG. F. IMPERAT. V. PONTIFEX TRIBUNICIA POTESTATE X.

V.C. 763.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5503. ☉ 19 E. ☽ 11. INDICT. 13.
JESU CHRISTI 10. *ſecundùm Baronium* 12.
AUGUSTI IMP. 54.

I. *Conſules.* COSS. *P. Cornelius Dolabella, & C. Iunius Silanus.*

II. *Clades Variana.* Anno præcedenti, cùm bellum Pannonicum jam finitum eſſet, ac triumphus Tiberio decretus, adverſæ fortunæ nuntius affertur ex Germania, Quinctilium nempe Varum ſibi manus intuliſſe in Germania, poſtquam ejus exercitus incluſus ſilvis, ad internecionem trucidatus fuiſſet. Calviſius in Opere Chronologico ait, veſtigia ejus cladis eſſe in Weſtphalia ad oppidum Hornam, ubi campus *Binfeld* ad ſaltum *Teuteberg*, per quem à Viſurgi fluvio ad Rhenum itur. Sed mirum, eum hanc cladem præſenti anno cum Baronio conſignare. Dio enim, qui eam pluribus narrat, eâ recitatâ, ait: *Anno ſequenti Tiberius ædem Concordiæ ſacravit*, quod currenti anno factum; ideoque clades illa Sulpicio Camerino & Poppæo Sabino Conſulibus acta. Præterea Suetonius, Vari interitu narrato, inquit: *Proximo anno repetitâ Germaniâ, cùm animadverteret, Varianam cladem temeritate & negligentia Ducis accidiſſe*, &c. Ita Suetonius in Tiberio cap. 18. Tiberius autem currenti anno in Germaniam miſſus. Denique Velleius cap. 115. de rebus anno Chriſti præcedenti geſtis loquens, indicat eam cladem Populo Romano illatam eo anno, quo Lepidus in Pannoniam ad Tiberium venit. Lepidus autem ſub Tiberio bellum geſſit ſub præcedentis anni Conſulibus, ut apud Dionem laudatum videre eſt. Quare clades Variana, quæ Populo Romano luctuoſa fuit, ad annum præcedentem certò pertinet. Obſervat autem Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. II. cap. 10. Paulum Oroſium lib. 1. cap. 1. & Caſaubonum ipſum ſecutum in Notis ad cap. 22. Suetonii, graviter erraſſe, quando ſcripſere, Chriſto nato Jani portas tertiò ab Auguſto clauſas fuiſſe uſque ad cladem Varianam, & per duodecim ferè annos remanſiſſe obſeratas, quo falſius nihil dici potuit, ut ex iis, quæ jam diximus, manifeſtè liquet. Bella quidem naſcente Chriſto toto orbe ceſſarunt; ideoque Chriſtus ante annum Urbis DCC LI. in mundum venit; nam poſt illum annum varia bella Romanos geſſiſſe, ex dictis intelligitur. Baron. num. X.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5504. ☉ 20 D. ☽ 12. INDICT. 14. V.C. 764.
JESU CHRISTI 11. *ſecundùm Baronium* 13.
AUGUSTI IMP. 55.

COSS. *M. Æmilius Lepidus & T. Statilius Taurus*, ex Dione lib. 56. I. *Conſules.*

Prior Manius Æmilius Lepidus vocabatur, ut oſtendit Noriſius in Cenotaphiis Piſanis pag. 257. ex Inſcriptione Gruteriana, non verò Marcus Æmilius Lepidus, ut perperam exiſtimavit Onuphrius.

Anno præcedenti Tiberius Concordiæ ædem dedicavit, ut teſtatur Dio lib. 56. ubi narratis iis, quæ Sulpicio Camerino & Poppæo Sabino Coſſ. geſta ſunt, ait: *Anno ſequenti Tiberius ædem Concordiæ ſacravit, inſcripto ſuo & fratris Druſi vitâ pridem functi nominibus.* Facta ea dedicatio die *XVII. Kalend. Februarias*, teſte Ovidio lib. 1. Faſtorum. Tum miſſus Tiberius in Germaniam, ut diſcimus ex Suetonio in Tiberio cap. 18. *Proximo anno repetitâ Germaniâ*, &c. poſt nempe cladem Varianam. Ubi dum adverſus hoſtes pugnat, Romæ ab Auguſto *V. Kalend. Septemb.* Imperii Collega renuntiatur, ut ſcribit Tacitus lib. 1. Annal. qui Caii Cæſaris morte recitata, de Tiberio inquit: *Illuc cuncta vergere, filius, Col-* II. *Tiberius Imperii Collega dictus.*

lega Imperii, conſors Tribunitiæ Poteſtatis adſumitur. Collegæ Imperii dicti, qui Tribunitia Poteſtate & Imperio Proconſulari præditi erant, quique ideo extra Urbem idem jus in exercitus ac Imperatores & Auguſti habebant. Tiberium Imperii Collegam fuiſſe, & ab ea dignitate annos ejus numeratos pro certo poſuerunt antiqui Eccleſiæ Patres, ut de Baptiſmo Chriſti loquentes oſtendemus. Ubi tamen hoc ſeculo Joannes Georgius Herwartus in ſua Chronologia cap. 148. hanc opinionem renovavit, paſſim rejectus fuit; eaque mihimetipſi primo fonte ambigua, incertaque viſa. Quare in mentem venit examinare, an aliqui ex Auguſti ſucceſſoribus, qui hunc ſibi tanquam exemplar proponere ſoliti erant, aliquem in Imperii conſortium vocaſſent, antequam illud à pluribus Auguſtis eodem tempore regnantibus regeretur: quod primùm ſub Marco Aurelio contigiſſe nullus negaverit. Comperi autem Titum à Veſpaſiano, Trajanum à Nerva, Antoninum ab Adriano, & Marcum Aurelium ab eodem Antonino in ſocietatem Imperii adſcitos fuiſſe, & Imperatoris prænomen non minùs quam ipſos Auguſtos tuliſſe. Quare concluſi, id Auguſti exemplo factum fuiſſe, minimeque dubitandum, quin Tiberius vere Collega Imperii fuerit, annique ejus ab ea epocha aliquando deducti; eò magis, quò Suetonius in Tiberio cap. 21. & Velleius lib. II cap. 21. quorum verba infrà referemus, Tacito ſuffragentur.

III. *Tiberium Imperii Collegam fuiſſe, multis probatur.*

Profectò Auctor incertus Panegyrici Maximiano & Conſtantino dicti Auguſtum, ſaltem ex parte, ante mortem Imperium depoſuiſſe, in ejuſque conſortium Tiberium vocaſſe, tanquam rem ſuo tempore omnibus notam ſupponit. Nam ſub urbis Romæ nomine Imperii depoſitionem Maximiano Herculio diſſuadens, cap. 11. ait: *Quo uſque hoc, Maximiane, patiar, me quati, te quieſcere, mihi libertatem adimi, te uſurpare tibi illicitam miſſionem? An quod Divo Auguſto poſt ſeptuaginta ætatis, quinquaginta imperii, non licuit annos, tam citò licuit tibi?* Affert hunc locum Herwartus ex quo Tiberium participem Imperii factum certò colligi ex iis, quæ dicemus anno Chriſti XCVII, quo Trajanus à Nerva eodem honore decoratus, manifeſtè conſtabit. His adde, Tiberium Cenſorem renuntiatum, Urbis curam L. Piſoni commiſiſſe, *quod biduo, duabuſque noctibus perpotationem continuaſſet apud ipſum jam Principem*, ut in poſtremo libri 14. capitulo prodit Plinius, & Suetonius in Tiberio cap. 42. his verbis confirmat: *Poſteà Princeps in ipſa publicorum morum correctione cum Pomponio Flacco & Lucio Piſone noctem continuumque biduum epulando potandoque conſumſit. quorum alteri Syriam Provinciam, alteri Præfecturam Urbis confeſtim detulit.* Porro auctor eſt Tacitus Annal. lib. VI cap. 11. Piſonem in Urbis Præfectura, *viginti per annos pariter probatum A Enobardo & Vitellio Coſſ.* id eſt, anno Eræ Chriſtianæ XXXII mortuum eſſe. Si ab eo anno viginti numerando retrocedas, pervenies ad annum Chriſti XII, quo Piſo Urbi præfectus eſt, quo Cenſura à Tiberio acta, quòve Auguſtus adhuc in vivis erat. Neque hanc narrationem unus ab altero accepit; cùm Plinius duabus noctibus, Suetonius nocte una perpotationem illam continuatam fuiſſe ſcribant. Hic Taciti locus adeo Lipſium in Notis torſit, ut cùm non haberet quò ſe verteret, X pro XX legendum eſſe ſcripſerit: *Sit ergo*, inquit, *hic error ex notis geminatis*. Sed fruſtra, cùm nullus Codex vel impreſſus vel manuſcriptus ejus conjecturæ faveat. Præterea Plinius & Suetonius eodem *Principis* nomine Tiberium indigitant. Collegæ enim Imperii Principes vocabantur: quod colligo ex Spartiano, qui vitam Ælii Veri his verbis incipit: *In animo mihi eſt, Diocletiane Auguſte, tot Principum maxime, non ſolùm eos, qui principem locum in hac ſtatione, quam temperas, retentarunt; ſed illos etiam, qui vel Cæſarum nomine appellati ſunt, nec Principes aut Auguſti fuerunt, vel quolibet alio genere, aut in famam aut in ſpem principatûs venerunt, cognitioni numinis tui ſternere.* Quæ verba lucem accipiunt ex iis, quibus in ejuſdem Vitæ calce Auctor ille utitur: *Mihi propoſitum fuit, omnes qui poſt Cæſarem Dictatorem, vel Cæſares, vel Auguſti, vel Principes appellati ſunt, quique in adoptionem venerunt, vel Imperatorum filii aut parentes Cæſarum nomine conſecrati ſunt, ſingulis libris exponere.* Ubi Spartianus tria perſonarum genera diſtinguit, Cæſarum nempe, Principum, & Auguſtorum.

IV. *Piſo per annos XX Urbis Præfectus.*

Hoc argumentum conatur evertere Noriſius V.C. in Diſſert. II de Cenotaphiis Piſanis Caii & Lucii Cæſarum, cap. 16. paragrapho 12. & 13. ubi ait, Tiberium ante Auguſti mortem intra Urbem habuiſſe ſolùm jus intercedendi ob Tribunitiam Poteſtatem, ex quo concludit cum Lipſio, apud Tacitum pro *viginti annis* legendum eſſe *decem*. At licèt verum ſit, Collegarum Imperium extra Urbem præcipuè fuiſſe; in Urbe tamen Tribunitiæ Poteſtatis vi, aliqua auctoritate pollebant. Unde Euſebius in Chronico, ſeu Hieronymus, ut ſignificet, Tiberium Druſo filio Tribunitiam Poteſtatem conceſſiſſe, ſic ſcribit: *Tiberius Druſum conſortem regni facit*; quod anno Chriſti XXII contigit. Virtute itaque Tribunitiæ Poteſtatis varia poterant Cæſares ac Collegæ Imperii, non quidem Præfecturam Urbis committere, ſed ſaltem viros idoneos Auguſtis proponere, quod hic a Tiberio factum inſinuat Plinius lib. XIV cap. ult. ubi de ebrietate loquens, indicat Præfecturam Urbis initio Principatûs à Tiberio collatam Piſoni, non verò anno Imperii ejus Auguſtei octavo aut nono, ut Lipſius & Noriſius volunt: *Gloriam hac virtute* (nempe ebrietate, inquit Plinius) *Parthi quærunt, famam apud Ægyptios Alcibiades meruit, apud nos cognomen etiam Novellius Torquatus Mediolanenſis ad Proconſulatum uſque è Prætura honoribus geſtis, tribuſque congiis epotis uno impetu, ſpectante, miraculi gratiâ, Tiberio Principe, in ſenecta jam ſevero atque etiam ſævo aliàs, ſed ipſa juventa ad merum pronior fuerat, eaque commendatione credidere L. Piſonem urbis Romæ curæ ab eo delectum, quòd biduo, duabuſque noctibus perpotationem continuaſſet apud ipſum jam Principem.* Ubi vides Piſonem à Tiberio quidem delectum, ſed non creatum Urbis Præfectum, idque initio Imperii Tiberiani. Plinius enim Tiberii ſenectam & juventam inter ſe confert, & quid in utraque egerit narrat. Obſervandum interim, nec Plinium, nec

Senecam Epiſt. LXXXIII, ubi etiam de hac Piſonis ebrietate loquitur, ob eamque Urbis curam illi commiſſam aſſerit, aliquam de *Pomponio Flacco* mentionem facere, quòd is Syriacæ Præfecturæ ob ebrietatem ſibi delatæ poſſeſſionem non inierit, ut mox dicam.

V. *Pomponius Flaccus Syriæ à Tiberio deſignatus.* Dicit præterea Noriſius, Pomponium Flaccum anno Chriſti XVII Conſulatum ordinarium geſſiſſe, & ex Tacito lib. 2. Annal. Julio Silano & Norbano Flacco Coſſ. anno nempe Chriſti XX, Mœſiam veniſſe, tandemque anno Urbis DCCLXXXVI, Chriſti ſcilicet XXXIII, Syriæ Proprætorem defunctum eſſe, teſte Tacito lib. 6. Annal. Reſpondeo verum quidem eſſe, Pomponium Flaccum Præfectum Urbis mortuum fuiſſe, ſed indè tantùm colligi, eum, quando Syriæ regendæ à Tiberio Imperii Collega deſignatus fuit, propter rationes nobis ignotas, hujus dignitatis poſſeſſionem non iniiſſe; quod non raro contigit. Tacitus lib. 6. Annal. anno Urbis DCCLXXXVI, Chriſti ſcilicet XXXIII, ait eo anno Ælium Lamiam obiiſſe, *qui adminiſtrandæ Suriæ imagine tandem exolutus Urbi præfuerat*, eumque anno antecedenti Lucio Piſoni in Urbis Præfecturam ſucceſſerat. Quibus verbis Tacitus ſignificat, Ælium Lamiam Proprætorem quidem Syriæ deſignatum fuiſſe, ſed hujus muneris poſſeſſionem non adiiſſe. Quod Dio lib. 58. anno Urbis DCCLXXXV manifeſtè inſinuat, dum ſcribit: *Lucium ei Quæſtorem ſuffecit*, (id eſt, Tiberius Lucio Piſoni Urbis Præfecto demortuo ſubſtituit Lamiam. Nam, ut rectè Lipſius in Notis ad Taciti lib. 6. Annal. in Græco, loco, Λούκιον, id eſt, *Lucium*, legendum, Λαμίαν, id eſt, *Lamiam*) *quem dudum exercitui deſtinatum Romæ detinuerat, idemque cum multis aliis egerat, nihil quidem iis opus habens, tantum ut honores eis tribuere videretur.* Si itaque Lamia Proprætor Syriæ à Tiberio nominatus eam Provinciam non obtinuit, cur negabimus, Pomponio Flacco idem quod Lamiæ, multiſque aliis contigiſſe; cùm de Pomponii ad eam Provinciam deſtinatione Auguſto imperante, non verò de ejus in eam profectione conſtet? An Tiberius Imperii Collega alius à Tiberio Auguſto? Inſuper Tacitus lib. 13. Annal. de iis, quæ Nerone & L. Antiſtio Coſſ. anno nempe Chriſti LV, geſta ſunt à Nerone Imp. loquens ait: *Syria P. Anteio deſtinata, & variis mox artibus eluſus, ad poſtremum in Urbe retentus eſt*: quod etiam de Pomponio Flacco exiſtimandum; cùm certum ſit, eum anno Chriſti XII, quo Tiberius Cenſuram egit, quóve L. Piſo Urbis Præfectus creatus eſt, in Syriam profectum non eſſe, ut infrà magis patebit. Memoratus itaque Taciti locus, in quo dicitur Piſonem per *annos viginti* Præfecturam Urbis adminiſtraſſe, purus eſt; cùm à currenti Chriſti anno ad XXXII, quo L. Piſo obiit, nullius alterius Urbis Præfecti mentio in Scriptoribus Hiſtoriæ Auguſtæ extet. Vide quæ infrà dicimus de tempore Cenſuræ Tiberio collatæ.

VI. *Tiberius à Dionyſio Alex. Imperii Collega agnitus.* Denique Imperii Proconſularis Tiberii egregium exemplum habemus in Libro Carminum Geographico, cui titulus, *Deſcriptio Orbis*. Nam Dionyſius Alexandrinus ejus auctor indicat ſe vixiſſe, dum plures Imperatores ſimul dominarentur. Quare rectè Euſtathius ejus Scholiaſtes ait, eum vixiſſe οὐκ ἐπὶ τῶν ὑπάτων, ἀλλ' ἐπὶ τῶν ἀνάκτων, id eſt, *non ſub Conſulibus, ſed ſub Imperatoribus.* In cujus rei argumentum adducit hunc locum:

> Ἐκ Διὸς Αὐσονίδαι ἀεὶ μέγα κοιρανέουσι.

Id eſt, *è Jove Auſonii ſemper ſtrenue dominantes*, & imprimis verſus iſtos:

> Ῥώμην τιμήεσσαν, ἐμῶν μέγαν οἶκον ἀνάκτων,
> Μητέρα πασάων πολίων, ἀφνειὸν ἔδεθλον.

Loquitur de Tiberi, aitque: *Qui amabilem ſecas in duas partes Romam, Romam honorabilem, meorum magnam domum Principum*, vel *Dominorum*. Sed qui ſint plures illi Principes, qui Romæ imperabant, quando Dionyſius Opus ſuum elucubravit, huc uſque ignotum. Solùm Euſtathius rectè monuit, cum Dionyſius dicit, ἐμῶν ἀνάκτων, id eſt, *meorum Principum*, ſatis oſtendere non ſub Conſulibus ſe iſta ſcribere, ſed ſub Imperatoribus. At ſub quo Imperatore? hic opus, hic labor eſt. Antoninorum temporibus Dionyſium vixiſſe, atque eos per ἄνακτας intelligendos cenſet Barthius lib. 58. Adverſariorum cap. 5. Scaliger in Notis Euſebianis num. 2215. Severum ac Caracallam & Getam filios ibidem ſignificare arbitratur; idque adeo confidenter, ut Euſtathium Interpretem ſomniaſſe putet, cùm indicat, Dionyſium Auguſto imperante ſcripſiſſe. Voſſius lib. 2. de Hiſtoricis Græcis cap. 5. ait: *Quid prohibet, ut Divos fratres M. Aurelium & L. Verum intelligamus?* Addit tamen ex Plinii verbis proximè recitandis videri Dionyſium ſub Auguſto floruiſſe. Noriſius cap. 9. Diſſert. II de Cenotaphiis Piſanis Caii & Lucii Cæſarum, arbitratur Dionyſium loco laudato Caïum & Lucium Cæſares deſignare. Nam, inquit, *filii Regis* ἄνακτες *à Græcis dicuntur, & ab Ammiano lib. 16. cap. 12. Regales appellantur, dum ait: Hos ſequebantur poteſtate proximi Reges numero quinque, Regaleſque decem, & Optimatum ſeries magna. In Codice veterum Grammaticorum pag. 2205. incertus Auctor de Differentiis vocum ait: Inter Regem & Regalem hoc intereſt, quòd Regis puer, Regalis eſt, Rex, qui regit regnum*: Ita Noriſius. Sed Reges illi ac Domini, de quibus Dionyſius loquitur, alii non ſunt, quàm Auguſtus Imperator, & Tiberius Imperii Collega. Certum enim, ut optimè, Noriſius obſervavit, Dionyſium imperante Auguſto vixiſſe, qui eum in Orientem præmiſit, ut Caio Cæſari in Syriam advenienti omnium regionum, urbium, ac montium ſitus deſcriptos exhiberet; quod docet Plinius lib. 6. cap. 27. *Hoc in loco genitum eſſe Dionyſium* (in Arabia nempe) *terrarum Orbis recentiſſimum Auctorem conſtat, quem ad commentanda omnia in Orientem præmiſit Divus Auguſtus, ituro in Armeniam, ad Parthicas Arabicaſque res, majore filio*, Caio ſc. Cæſare.

VII. *Auguſtus & Tiberius Duces Auſonii appellati.* Itaque Dionyſius Auſoniorum ſemper ſtrenuè dominantium nomine, Auguſtum & Tiberium indicat. Noriſius loco laudato ait, Dionyſium de Parthis ſub num. 140. loquentem, Auguſtum intelligere, dum ait:

> Ἀλλ' ἔμπης μετὰ δῆριν ἀμαιμάκετοί περ ἐόντες
> Αὐσονίου βασιλῆος ἐπεγνάμφθησαν ἀκωκῇ.

id eſt, juxta Henrici Stephani verſionem: *Veruntamen prælio indomiti* [*inſuperabiles*] *quamvis eſſent, Auſonii Regis manſuefecit cuſpis* [*haſta.*] Dionyſius Auguſtum intelligit, inquit

inquit Noriſius, qui cùm Aſiam perluſtrans, Tiberium cum legionibus anno Urbis DCCXXXIV in Armeniam miſiſſet, tot armorum ſtrepitu, tantum Phraati Parthorum Regi terrorem incuſſit, ut feritate ac odio in Romanos poſito, raptas Craſſo Aquilas ac ſigna ad Auguſtum remiſerit, ac diuturniorem cum eodem pacem ſervaverit. Quæ etiam ſententia eſt Voſſii laudati, ubi ad explicandos hos verſus Dionyſii, locum Suetonii in Auguſto cap. 21. adducit, qui oſtendit, eos optimè Auguſto convenire. At Auſonii Regis nomine Tiberium etiam alibi ſignificari docet Ovidius lib. 2. Triſtium, qui ad Auguſtum ſcribens ait:

Sic aſſueta tuis ſemper victoria caſtris,
Nunc quoque ſe præſtet: notaq; ſigna petat.
Auſoniumque ducem ſolitis circumvolitet alis:
Ponat & in nitida aurea ſerta coma:
Per quē bella geris, cujus nunc corpore pugnas;
Auſpicium cui das grande: Deoſque tuos.

Loquitur Ovidius de bellis à Tiberio poſt annum Chriſti quartum uſque ad Auguſti mortem geſtis, & Tiberium *Auſonium ducem* appellat, teſte ipſomet Noriſio, loco laudato, cap. 6. Quare per Auſonios *ſemper ſtrenuè dominantes* Dionyſius Alexandrinus alios intelligere non poteſt, quàm Auguſtum & Tiberium; cùm conſtet, utrumque Auſonios vocatos; nec Caius & Lucius Cæſares eo nomine unquam appellari, quos etiam Dionyſius ἄνακτας non vocaſſet. Certè in priori Imperii Romani forma, quæ ab Auguſto ad Marcum Aurelium & Lucium Verum duravit, Cæſares ac Imperatorum filios ab Antiquis Reges dictos me legiſſe non memini. Auctoritates à Noriſio allatæ, pluresque hujuſmodi, quæ leguntur in Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis, verbo, *Regales* intelligendæ de uſu, qui invaluerat in Regnis Romano Imperio minimè ſubditis, ac de Regnis, quæ Reges ab Imperatoribus accipiebant; non verò de uſu, qui in ipſo Imperio ab Auguſto ad Marcum Aurelium viguit. Ex Dionyſio itaque, qui Tiberii tempore vixit, habemus, hunc cum Auguſto corregnaſſe.

VIII. *Tiberius Augur & Cenſor dictus.*

Cum Imperio Proconſulari Auguratum & Cenſuram Tiberius accepit; quod ex eo colligo, quòd utrumque munus à Veſpaſiano Tito filio conceſſum, quando cum Collegam Imperii renuntiavit, ut ſuo loco oſtendam. Præterea extat apud Goltzium Tiberii Nummus, in quo legitur: TI. CÆSAR AUG. F. AUGUR. PON. TR. P. XII. in poſtica; COS. II. IMP. V. Tribunitiam Poteſtatem XII. ſuſcepit hoc anno Tiberius die XXVII Junii. Quare anno Chriſti XI Augur creatus; neque enim præcedentibus annis præterquam anno Chriſti quarto, quo ab Auguſto adoptatus eſt, in Nummis apud Mediobarbum dicitur *Augur*, ſicut in præfato Nummo, aliiſque, ſequentibus annis, percuſſis. Quoad Cenſuram, elicio ex Suetonio in Tiberio cap. 21. eam cum Imperio Proconſulari illi datam: *Ac non multò pòſt, lege per Conſules lata, ut Provincias cum Auguſto communiter adminiſtraret, ſimulque cenſum ageret, condito luſtro in Illyricum profectus eſt.* Docet Suetonius in Octavio Auguſto cap. 27. recepiſſe Auguſtum *& morum legumque regimen æquè perpetuum*, quam Cenſuram in Tiberium contuliſſe, quando eum Imperii Collegam dixit, ex verbis ejuſdem Suetonii ſuprà laudatis intelligitur. Reprehendit Noriſius in Diſſert. II de Cenotaphiis Piſanis Caii & Lucii Cæſarum cap. 16. Uſſerium, qui in Annalibus veteris Teſtamenti, ex eo quòd Suetonius cap. 42. de Tiberio ſcribat, *in ipſa publicorum morum correctione* Præfecturam Urbis Piſoni detuliſſe, quòd noctem continuumque biduum epulatus eſſet, colligat Uſſerius id contigiſſe, cùm Tiberius *Cenſor eſt factus*. Nam Cenſor fuit, inquit Noriſius, cum Auguſto anno Chriſti XIV. Quare anno ſuperiori Cenſor deſignatus fuerat, non verò anno Chriſti XII. Sed Suetonius, ſi Cenſorem Tiberium ſignificaret, annum Chriſti XIV deſignaſſet, quo *ipſa publicorum morum correctio* à Cenſoribus peracta fuit. Itaque deſignat tempus, quo Tiberius publicis edictis urbano luxui modum ponebat anno Chriſti XXII. Ita Noriſius, qui illud probare conatur ex Tacito & Suetonio paragrapho 13. ejuſdem capitis. Sed non dubito, quin vir doctiſſimus hallucinetur, & quin Cenſura Tiberio cum Imperio Proconſulari conceſſa fuerit; non quidem, ut eam tunc exerceret, cùm ea à præſentibus Romæ Cenſoribus ſemper acta fuerit: ſed, ut eidem ſuo tempore incumberet. Cui Tiberium anno Chriſti XII, quo Romam rediit, operam dediſſe, ſuo loco videbimus. Eodem itaque anno Tiberius & Collega Imperii, & Cenſor, & Augur appellatus.

IX. *Quo die & anno Tiberius Imperii Collegi dictus.*

Major difficultas eſt de anno, quo ii tituli Tiberio conceſſi. Clemens Alexandrinus lib. I. Stromatum ſcribit, Tiberium regnaſſe *annis viginti ſex, menſibus ſex, diebus novemdecim.* Quibus ex verbis ſequeretur Tiberium *V Kalend. Septembris* præcedentis anni, die nempe viceſimo octavo menſis Auguſti, Collegam Imperii dictum eſſe. Obiit enim Tiberius, ut ſuo loco videbimus, XVII Kalendas Apriles anni Chriſti XXXVII; ideoque à die quinto Kalendas Septembris anni Chriſti X ad quintum Kalendas Septembris anni Chriſti XXXVI, anni ſunt viginti ſex abſoluti: ab eo die ad quintum Kalend. Martias anni Chriſti XXXVII, tres illi menſes interjiciuntur; tandemque à quinto Kalendas Martias ejuſdem Chriſti anni XXXVII ad XVII Kalendas Apriles, quo die Tiberius obiit, ultimo termino excluſo, dies ſunt XIX. Sic enim menſes & dies à Clemente memorati, more ſcilicet Romano, non verò noſtro, numerandi, ut in Diſſertatione Hypatica, parte prima cap. 3. num. II demonſtravi. Hac numerandi ratione ab Antiquis, dum menſes ac dies numerant, ſæpe uſurpata, à recentibus Scriptoribus non obſervata, loca clariſſima non rarò ab his intellecta non fuere. Dies quintus Kalendas Septembris ab Auguſto electus, quia, ut ibidem num. VII oſtendi, dies quintus Kalendas in quamdam religionem venerat ab anno Urbis DCCXXV, quo Auguſtus, victis ſuperiori anno Antonio & Cleopatra, aram Victoriæ dedicavit, ut oſtenderet *Imperium ſe ex victoria eſſe adeptum*, ut inquit Dio lib. 51. Ad quam dedicationem electus quintus Kalendas Septembris, ut diſcimus ex antiquo Kalendario marmoreo apud Gruterum pag. 133. in quo ad eandem diem habetur annotatum: ARA

VICTORIÆ IN CURIA DEDICATA EST. Sic Auguſtus anno Urbis DCCXXXI non alio die quàm *quinto Kalendas Julias* Imperium Proconſulare accepit, eodemque poſtea Tiberium Cæſarem nuncupavit. Quare Clemens Alexandrinus rei geſtæ diem nobis conſervavit, ſed numeri annorum corrupti, quod in eo Autore non infrequens.

X.

Velleius & Suetonius de anno, quo Tiberius Imperii Collega dictus, diſſentiunt.

Velleius lib. 2. cap. 120. de rebus à Tiberio anno ſuperiori geſtis agens ait: *Mittitur ad Germaniam, Gallias confirmat, diſponit exercitus, præſidia munit, &c. maximaque cum gloria, incolumi omnium, quos tranſduxerat, numero, in hiberna revertitur.* Hæc præcedenti anno acta. Tum cap. 121. ait Velleius: *Eadem & virtus & fortuna ſubſequenti tempore ingreſſa animam Imperatoris Tiberii fuit, quæ initio fuerat: qui concuſſis hoſtium viribus, claſſicis peditumque expeditionibus, cùm res Galliarum maximæ molis, accenſaſque plebis Viennenſium diſſenſiones, coercitione magis quam pœna, molliſſet; & Senatus Populuſque Romanus, poſtulante patre ejus, ut æquum ei jus in omnibus Provinciis exercitibuſque eſſet, quàm erat ipſi, decreto complexus eſſet: (etenim abſurdum erat non eſſe ſub illo, quæ ab illo vindicabantur; & qui ad opem ferendam primus erat, ad vindicandum honorem non judicari parem) in Urbem reverſus, jampridem debitum, ſed continuatione bellorum dilatum, ex Pannoniis Delmatiſque egit triumphum.* Per hæc verba, *ſubſequenti tempore*, intelligit Velleius annum Chriſti XI & XII, aitque primò, Tiberium res Viennenſes compoſuiſſe, & Imperium Proconſulare accepiſſe; anno verò inſequenti eum Romam veniſſe, ibique triumphaſſe. Quæ opinio ſuperiori præferenda, ut ait Noriſius in literis ad me nuper ſcriptis, quòd Velleius rerum à Tiberio geſtarum teſtis fuerit, & hæc verba, *in hiberna revertitur*, geſta à Tiberio præcedenti anno claudere videantur. Refragatur tamen Velleio Suetonius in Tiberio cap. 20. & 21. ubi legem illam in Tiberii gratiam anno tantùm Chriſti duodecimo latam ſcribit, aitque: *A Germania in Urbem poſt biennium regreſſus, triumphum, quem diſtulerat, egit. . . Dedicavit & Concordiæ ædem; item Pollucis & Caſtoris, ſuo fratriſque nomine de manubiis. Ac non multò poſt lege per Conſules lata, ut Provincias cum Auguſto communiter adminiſtraret, ſimulque cenſum ageret, condito luſtro in Illyricum profectus eſt.* Ubi vides, Suetonium priùs memorare triumphum anno Chriſti XII certiſſimè actum, quàm legem illam, quâ Imperium Proconſulare Tiberio conceſſum. Nec hic ſolùm Suetonius Velleio contrarius eſt in rebus geſtis Tiberii deſcribendis; ſed etiam alibi, quando loquitur de anno, quo Tiberius Rhodum ſeceſſit, ut ſuprà oſtendimus. In iiſdem literis ait Noriſius, jam anno Urbis DCC LIX, Chriſti nempe ſexto, ædem Pollucis & Caſtoris Tiberium dedicaſſe, teſte Dione lib. 55. ædem verò Concordiæ anno Urbis DCC LXIII, antecedente nempe Chriſti anno ex eodem Dione ibidem, ideoque Suetonium intelligere *manubias*, hoc eſt, ſpolia in triumpho lata, poſtea in utroque templo Tiberium dedicaſſe. Vox enim illa *manubiæ* id temporis triumphum, cujus illæ pompam auxerant, jam peractum indicant, ita ut manubiæ hoſtiles in pompa triumphi ſpectandæ delatæ fuerint, & ex his utrumque templum ſacratum. Sed quidquid ſit, certum eſt, Suetonium velle triumphum præceſſiſſe legem illam in Tiberii favorem emiſſam, adeoque à Velleio in anno rei geſtæ diſſidere. Uter erraverit, incertum; eóque magis, quòd Clemens Alexandrinus ab utroque diſcrepet, ut mox vidimus. Quia tamen Tiberius anno Chriſti XXI, ruſuſque anno Chriſti XXXI Conſul proceſſit, exiſtimandum, utrumque Conſulatum ob Decennalia & Vicennalia Imperii Proconſularis à Tiberio geſtum; ideoque & illum anno Chriſti XI Imperio Proconſulari donatum: quamquam uterque Conſulatus anno Chriſti XII, quo rem actam narrat Suetonius, reſpondere etiam poſſit, etiamſi Quinquennalia legitimo tempore celebrata fuerint. Præterea Sulpicius Severus lib. 2. Hiſtoriæ ſuæ Paſſionem Chriſti cum duorum Geminorum Conſulatu anno Chriſti XXIX geſto connectens ait, eum crucifixum fuiſſe *anno regni* (nempe Tiberii) *octavo & decimo.* Quare Principatus Tiberiani initium ab anno Æræ Chriſtianæ undecimo deſumit Sulpicius, ex cujus, quemadmodum & Clementis Alexandrini ſuprà laudati, verbis apparet valde hallucinatos eos, qui ſcripſere, nullos ex Antiquis annos Tiberii ab Imperio Proconſulari ejus dinumeraſſe, quod etiam refellunt Patres illi, qui Chriſtum anno decimò quinto Tiberii mortem paſſum tradidere; ſupponunt enim Divum Lucam, quando ait, Chriſtum anno decimo quinto Tiberii baptizatum eſſe, loqui de anno decimo quinto Imperii ejus Proconſularis, ut infrà videbimus. Quare hic Tiberii Principatus ad annum decimum quintum ejus Imperii à Luca memoratum, intelligendum, hîc accuratè explicandus fuit.

X I.

Primum argumentum Petavii adverſus noſtram ſententiam.

Petavius lib. 11 de Doctrina Temporum cap. 7. Proconſularem Tiberii dignitatem pluribus examinavit, eamque citra Principatum eidem datam concluſit. Primum ejus argumentum deductum à Liviæ poſt Auguſti mortem ſolicitudine, quæ Tiberio abſente *acribus cuſtodiis domum & vias ſepſit, donec Tiberius adveniſſet; ac tum ſimul exceſſiſſe Auguſtum & rerum potiri Neronem fama tulit*, ut inquit Tacitus. Mox: *Primum facinus novi Principatus fuit, poſtumi Agrippæ cædes.* Nondum igitur Imperator, Princepſve creatus erat Tiberius, alioqui neque metuendi cauſam haberet Livia; neque novum Principatûs exordium caperetur; neque novus denique Principatus appellaretur. Quod & oſtendit Tiberii cunctatio, & Imperii per ſpeciem in Senatu detrectatio, de qua idem Tacitus & Suetonius in Tiberio cap. 24. Ita Petavius. Sed Tacitus & Suetonius ex eorum verbis explicandi; ille Tiberii tergiverſationis cauſæ & finis ab eo intenti rationem reddit, quia nempe Germanicus legiones, immenſa ſociorum auxilia, & favorem populi in manu habebat; adeo ut fuerint qui promptos ſe oſtentavere, *ſi Germanicus vellet Imperium*, inquit Tacitus Annal. lib. 1. quod & Velleius lib. 2. & Suetonius in Tiberio cap. 25. confirmant; immo Suetonius ait: *Simulavit & valetudinem*, (nempe Tiberius)

qui æquiore animo Germanicus cæterem ſucceſſionem vel certe ſocietatem Principatûs operiretur. Qui locus notatu digniſſimus; ſi enim nullus antea in ſocietatem Imperii aſſumtus, vana hæc ridiculaque Tiberii ſimulatio fuiſſet. Denique novus Principatus, Monarchicus nempe, novumque Principatûs exordium minime officiunt priori Tiberii Principatui; cum ſæpe contigerit, ut filii à patribus Auguſti dicti fuerint, & poſt eorum mortem à novo Principatu nova epocha inchoata fuerit, ut omnibus notum.

XII. *Alia argumenta Petavii adverſus eandem.*

Affert præterea Petavius locum Spartiani in Hadriano, ubi de M. Aurelio & L. Vero loquens: *Hi ſunt*, inquit, *qui poſtea duo pariter Auguſti primi Rempublicam gubernavere*: quod & in Ælio Vero & in Antonino Philoſopho rurſus repetit. Unde infert Petavius, Auguſto demum mortuo Principatum & abſolutum Imperium obtinuiſſe Tiberium, & quòd par Auguſto in Provincias & exercitus nactus fuerit Imperium, non ex eo Principem & Imperatorem, Auguſtúmve conſalutatum eſſe. Sed vana hæc objectio; nullus enim unquam dixit, Tiberium vivente Auguſto Auguſteam dignitatem adeptum eſſe, cùm Romanum Imperium ante M. Aurelium duos Auguſtos non viderit. Tiberius itaque Collega quidem Imperii fuit, ſed non Auguſtus; Princeps etiam & Imperator appellatus eſt, ſed inde non ſequitur, eum Auguſtum fuiſſe, quia nullam in Urbe poteſtatem aut imperium habebat, ſed tantum Tribunitiam Poteſtatem & Proconſulare Imperium, ratione cujus idem quod Auguſtus in Provinciis & exercitibus poterat. At, inquit Petavius, pleraque quidem ſummi Imperii & Poteſtatis, hoc eſt, ut Græci dicunt, τῆς βασιλείας ornamenta jampridem in Tiberium collata fuerant, ſed hujúſmodi ferè, quæ citra ampliſſimum faſtigium aliis conceſſa ſunt, quos nemo ideo Romanos Imperatores appellet. Sunt hæc Tribunitia Poteſtas & Proconſulare in Provincias atque exercitus Imperium. De Tribunitia Poteſtate dubium non eſt, quin permulti compotes ejus fuerint, qui Imperatores nullo modo cenſentur: ut Agrippa, qui ante Tiberium eo honore exornatus fuerat. Multi etiam Proconſularem dignitatem citra Imperium adepti ſunt. Germanicus Druſi filius adoptatus à Tiberio nunquam Imperator fuit, neque Romanos inter Imperatores refertur. Et huic ipſi tamen Proconſulare Imperium, Tiberio poſtulante, Senatus detulit. Tacitus lib. I; qui & lib. II refert anno ab Urbe condita DCCLXX, Chriſti nempe XVII, eidem Provincias à Senatu permiſſas, *quæ mari dividuntur, majuſque Imperium quoquò adiſſet, quàm his, qui forte aut miſſu Principis obtinerent.* Sed & aliis nonnullis, ut ad ſpem Imperii ſucceſſioniſque certiſſimam, priuſquam Imperatores & Auguſti forent, idem honor eſt habitus. Ita Petavius, qui non animadvertit, eos Imperii Collegas dictos fuiſſe, non qui Tribunitia tantùm Poteſtate, aut qui Imperio tantùm Proconſulari, ſed qui utroque titulo abſoluti Imperii partibus, atque ab Imperatoribus cum Imperio pariter aſſumtis, decorati eſſent. Quare exempla, quæ in medium adducit, ad rem non faciunt. Proconſulare enim Imperium, quod inter titulos Principatûs, nullis extra Urbem limitibus coarctabatur, & tamen quod conceſſum eſt Germanico, ad Provincias tantùm, quæ mari dividuntur, extendebatur. Unde & fallitur Lipſius, dum in Notis ad lib. I. Annal. Taciti ſcribit, petitum fuiſſe Germanico Proconſulare Imperium perpetuum, quæ pars ſupremæ Poteſtatis eſt. Qua de re legenda, quæ ſcripſi in prima parte Diſſert. Hypat. cap. 3. num. IV. Denique non audiendus Petavius, quando negat eos Imperatores dictos fuiſſe, qui Tribunitia Poteſtate & Imperio Proconſulari præditi erant. Nam tot exemplis contrarium inferiùs conſtabit, ut mirum ſit, Virum doctiſſimum in ea ſententia fuiſſe; cùm etiam à Getæ Cæſaris Quinquennalibus Cæſares omnes, licèt neque Tribunitia Poteſtate, neque Imperio Proconſulari exornati eſſent, Imperatores nuncupati fuerint, ut infrà oſtendam. Velleius lib. 2. cap. 21. poſtquam locutus eſt de rebus à Tiberio anno Chriſti X geſtis, ait: *Eadem & virtus & fortuna ſubſequenti tempore ingreſſa animam Imperatoris Tiberii fuit, quæ initio fuerat*, &c. ſuprà recitata. Loquitur de rebus anno Chriſti XI, quo Tiberius Proconſulare Imperium accepit, geſtis: & Tiberium, quem antea Cæſarem tantùm appellarat, *Imperatorem* vocat. Verum eſt, Tiberium Imperatoris prænomen etiam poſt mortem Auguſti recuſaſſe, ut ait Suetonius in Tiberio cap. 26. *Prænomen quoque Imperatoris, cognomenque Patris patriæ, & civicam in veſtibulo coronam recuſavit: ac ne Auguſti quidem nomen, quanquam hereditarium ullis, niſi ad Reges ac Dynaſtas epiſtolis addidit.* Sed ex illis verbis malè infert Petavius, Tiberium ante Auguſti mortem Imperatorem dictum non eſſe, cùm Velleius eum eo nomine appellet; certumque ſit, alios Imperii Collegas Imperatores nuncupatos fuiſſe, idque ratione Imperii Proconſularis, ut ſuo loco demonſtrabo.

Dio lib. 56. loquens de rebus hoc anno geſtis ait: *Tiberius & Germanicus, cui Proconſulare erat Imperium, impreſſionem in Germaniam fecerunt*, &c. *prope Rhenum uſque ad autumnum morati, ludis in honorem natalium Auguſti actis, in Italiam reverſi ſunt.* Zonaras in Vita Auguſti de Tiberio loquens ait: *Poſt hæc ipſe & Germanicus in Celticam impreſſione facta, quaſdam ejus partes incurſarunt*, &c. Quæ ſuprà ex Dione retulimus. Ubi vides Zonaram vocem *Proconſularis* omittere, quam in priori parte Diſſert. Hypat. cap. 3. num. IV & V ad Tiberium, non verò ad Germanicum referendam cenſui, quòd tunc exiſtimarem, Tiberium anno præcedenti Proconſulari Imperio donatum, hancque Inſcriptionem ab Herwarto cap. 248. ſuæ Chronologiæ recitatam, quam Viennæ in Gallia legi dicit, ad Tiberium referri; XIII. *Tiberius & Germanicus in Germania bellum gerunt.*

I. O. M.
TI. CLAUD.
CENSOR.
P. PROCON.
V. S. L. M.

Id eſt, *Jovi Optimo Maximo, Tiberius Claudius Cenſor, P. Proconſul, votum ſolvit lubens merito.* Tiberium verò hoc anno Viennam veniſſe diſertè docet Velleius loco anno præcedente

fuiſſe, invictis argumentis demonſtrat. Difficultas itaque ſolùm eſſe poteſt de Dionis mente, quem alii *Caium Cæſarem*, alii *Auguſtum* Conſulem proferri volunt. Noriſius laudatus ait: *In Indice Conſulari Dionis, qui lib. 55 præfigitur, legimus:* Γ. Καῖσαρ Αὔγουστος τὸ ιδ. *C. Cæſar Auguſtus XIIII. Muretus in Notis ad lib. 1. Taciti ait, in Codice Dionis ſcriptum fuiſſe,* Γ. Αὐγούστου υἱὸς, *Caius Auguſti filius. Et Xylandrum Dionis Interpretem, corrupto textu Auctoris pro Caio Auguſtum Conſulem XIV perperam poſuiſſe. At falsò id vitio Interpreti datur: nam in vetuſtiſſimo Codice Mediceo ad D. Laurentii in Pluteo LXX legitur*, Γ. Καῖσαρ Αὔγουστος τὸ ιδ. quam Mureti conjecturam in Diſſertatione Hypatica etiam amplexus ſum. Cùm Dionem in eum errorem lapſum eſſe mihi perſuadere non poſſem, petii à Cangio V. C. quo nullus plura MSS. Græca tractavit, an aliqua hujus Scriptoris MSS. extarent; qui cùm me docuiſſet, haberi unum integrum in Bibliotheca Regia præter duo ejuſdem Auctoris fragmenta etiam MSS. ad eamdem ſtatim me confero, invenioque Librum 55. in cujus indice hic Conſulatus memoratur, in duobus illis fragmentis deſiderari; in illo verò qui ad Librum ſexageſimum incluſivè perducitur, corruptè à Librario exaratum fuiſſe, ita tamen ut ex loco, licèt corrupto, mens Dionis certò erui poſſet. Aquas Sextias Pariſiis redux hujus difficultatis ſolvendæ rurſus cupido incelſit, eamque ob rem Nicolaum Toinardum virum in Lingua Græca exercitatiſſimum, mihique amiciſſimum, rogavi, ut ea verba tranſcribere, & omnes Dionis Codices impreſſos, quos reperire poſſet, percurrere vellet, ut mihi conſtare poſſet, an Dionis Editores manuſcripta à Regio diverſa ſecuti eſſent, in iiſque diverſas lectiones inveniſſent. Reſpondit is, Pariſiis alia hujus Auctoris non inveniri, miſitque præfatum locum mox à me recitandum, & quæ ex editionibus tam Roberti Stephani, quàm Henrici Stephani filii deſcripſit, ſubdens ſe alias Dionis editiones videre non potuiſſe. Hoc ſubſidio adjutus mihi manifeſtè innotuit, Dionem quidem hujus anni Conſules exacte propoſuiſſe, ſed amanuenſem MS. Regii locum ejus depravaſſe, ac dein illius Interpretes, dum ejus errorem corrigere tentarunt, auxiſſe. In MS. Regio legitur: γ. Καῖσαρ αὔγουστος τὸ υἱ. quæ verba deſcripſit Robertus Stephanus in editione Græca Dionis, quam juxta Regii hujus MS. exemplar anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo Divione in lucem emiſit; niſi quòd poſt vocabulum τὸ, punctum appoſuit, quod in MS. non habetur, quodque omnino tollendum, & loco, αὔγουστος, legendum, αὐγούστου; ita ut ſenſus ſit, *Caius Cæſar Auguſti filius*, uti rectè ſcripſerat Dio. Obſervandum enim, in MS. vocabulum του nullo accentu notari, quod cum præcedenti conjungi debere manifeſtè indicat. In Notis Robertus Stephanus ait: *Paulò antè legitur:* αὔγουστος τὸ ιά. & τὸ ιγ. ὕπατος: *hic igitur legendum puto,* τὸ ιδ. *loco harum literarum,* τὸ υ. Hinc apparet, quanta fide Robertus Stephanus MS. Regium ſecutus fuerit; ſed ex altera parte quàm infeliciter locum illum correxerit; quem cùm hactenus alii Dionis Editores imitati fuerint, nulla Dionis editio Græco-Latina prodiit, in qua eadem textûs ejus corruptio non habeatur. Nam Guilelmus Xylander, cùm hujus Scriptoris verſionem ſuſcepiſſet, in textum Latinum pravam correctionem Roberti Stephani inſeruit. Mihi eam quidem videre non licuit, ſed id colligere eſt ex editione Græco-Latina, quæ anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo ab Henrico Stephano curata, in qua nullæ Notæ habentur, ſed pag. 627. legitur, Γ. Καῖσαρ Αὔγουστος τὸ ιδ. id eſt, *C. Cæſar Auguſtus XIIII*, ubi ex τὸ υ fecit τὸ ιδ. cùm corrigendum veniret Αὐγούστου. legendumque, υἱός. ſuæ emendationis ſeu veriùs corruptionis Lectore non monito; qua in re Roberti patris optimam & ſpectatiſſimam fidem haud imitatus eſt.

II. *A Dione rectè editi.* Guilelmo Xylandro anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto demortuo, ut teſtatur Thuanus Libro LXII, Joannes Leunclavius anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo editionem Xylandri recenſuit, & corruptum Dionis textum in eandem etiam inſeruit; tandemque anno milleſimo ſexcenteſimo ſexto Hannoviæ in lucem data amplior editio Dionis cum Notis omnium Scriptorum ad ejus Opera, & pag. 964. inter Xylandri Notas hæc recitatur: Γ. Καῖσαρ Αὔγουστος τὸ υ. *Legendum utique (Roberto etiam annuente)* τὸ ιδ. *id eſt, XIIII. Nec me fugit, Suetonium Auguſti tredecim tantùm Conſulatus numerare, totidemque etiam Tacitum, qui Auguſtum numero ſuorum Conſulatuum Valerium Corvinum, & C. Marium ſimul æquaſſe, Libro primo ſcripſit. Veruntamen quia tredecim Auguſti Conſulatus disertè ſunt ab Autore noſtro jam antè recitati, quatuordecim utique legendum eſt; idque etiam apud Caſſiodorum. Cur eum Tacitus & Suetonius omiſerunt, faciliùs puto intelligeremus, ſi Dionis ea de re verba haberemus: nunc id conjicere tamen poſſumus, non geſtum fortaſſis eum ab Auguſto, ſed omnino eum aut repudiatum, aut ſtatim alii traditum, ſicut & aliàs fecerat. Illud magis mirum cur alii hunc totum annum omiſerint, cùm eum Caſſiodorus habeat, eundemque quem Dio Collegam Auguſto XIV Conſuli aſſignet L. Paulum. Nobis is annus prætereundus nullo modo viſus eſt. Idque tantò minùs quòd infrà, Lib. ſexageſimo, quem annum Dio octingenteſimum Urbis conditæ habet, is apud alios DCCCIX, dicitur. Unde patet, uno anno noſtram alias præcedere rationem, ut ibi quoque dicemus.* Sed præter id quod ſcribit Xylander, præſentem ſcilicet annum, qui Urbis conditæ eſt DCCLIV, prætermittendum non fuiſſe, ceteræ ejus conjecturæ vanæ futileſque. Ex illis enim quæ in medium adduximus, liquet Dionem *Caium Cæſarem*, non verò *Cæſarem Auguſtum* Conſulem edidiſſe: exſcriptorem manuſcripti Regii, quo uſi ſunt omnes Dionis Editores (Florentinum quippe hac in parte etiam corruptum ab illis non viſum) malè Conſulatum illum deſcripſiſſe: Robertum Stephanum in Notis manuſcripti Regii depravationem auxiſſe: tandemque ceteros Ope-

rum Dionis curatores pravam ejus emendationem contra Criticæ regulas pro Dionis textu obtruſiſſe. Auctor Chronici Alexandrini pag. 463. Conſulatus quatuordecim Auguſto aſſignat, & poſtea pag. 483. Publium Cæſarem, & Paulum hujus anni Conſules exhibet. Muretus in Notis ad Tacitum lib. 1. cap. 9. ait, Xylandrum, cùm in textu legiſſet, Γ. Αὐγέϛε υἱὸς, id eſt, *Caius Auguſti filius*, niſi quòd Librarius leviter erraverat, & pro Αὐγέϛε ſcripſerat, Αὐγεϛόν, *Cæſarem Auguſtum* vertiſſe, & de ſuo addidiſſe XIV. Sed tam hæc conjectura, quàm Chronici Alexandrini error ex dictis corruunt. Quæ omnia Toinardi V. C. diligentiæ magis quàm meæ attribuas velim. Certè non minor adhibenda fuit, ne nobiliſſima Era, qualis eſt Chriſtiana, à Conſulatu depravato exordium ſumeret.

III. *Era Chriſtiana ab hoc Conſulatu inchoanda.*

Porro Eram Chriſtianam à præſenti Conſulatu auſpicandam eſſe, jam in Apparatu diximus, & certiſſimis argumentis ſparſim in hoc Opere exhibendis monſtrabitur. Id vel ſolus uſus Cyclorum Solis, Lunæ, & Indictionis extra dubium ponit. Si enim v. g. annus Chriſti milleſimus ſexcenteſimus octogeſimus ſextus, in quo verſamur, Indictione nona notetur, quod nullus inficias ibit, primum illorum annorum Indictione quarta inſignitum fuiſſe neceſſe eſt; cùm ſi primus Chriſti annus Indictione quarta non ſignaretur, nona hoc anno in curſu eſſe non poſſet. Præterea idem Chriſti annus 1686. Cyclo Lunæ XV. Solis verò XIII. præditus eſt, ut inter omnes convenit. Quare primus illorum annorum Cyclo Lunæ II. Solis X. munitus fuiſſet, ſi Cyclorum doctrina tunc innotuiſſet. Scaliger, qui primus Cyclorum uſum Chronologos docuit, primus etiam fuit, qui animadvertit, Baronium Eram Chriſtianam biennio antevertiſſe, eoque pacto eandem uſque ad Diocletiani tempora depravatam repræſentaſſe. Non defuere, qui Cardinalem doctiſſimum, de univerſa Eccléſia optimè meritum, ſcriptis defenderent, eumque Annalium Eccleſiaſticorum initium rectè conſignaſſe oſtendere conati fuerint. Sed eos oleum & operam perdidiſſe, Eramque Chriſtianam à Conſulatu Caii Cæſaris, & L. Æmilii Pauli inchoandam eſſe, unus omnium eruditorum Chronologorum ſine ulla varietate nunc ſenſus eſt, quorum ſententiæ ipſemet Baronius ſubſcriberet, ſi adhuc in vivis eſſet; cùm ea certiſſimis demonſtrationibus innitatur, & puerilia ſint quæcumque adverſus illam objecta. Excuſatione tamen dignus Baronius, cujus ætate Cyclorum uſus ignotus erat, quique frequentatus non fuit, niſi poſtquam potiorem nobiliſſimi ſui Operis partem abſolvit.

VI. *Expeditio Caii Cæſaris adverſus Parthos.*

Dionyſius Exiguus, qui ſexto Eccleſiæ ſeculo Eram Chriſtianam, quæ in Oriente jam ab aliquot ſeculis uſurpabatur, publicavit, Chriſtum ſub hujus anni Conſulibus & conceptum & natum tradidit, Eramque Incarnationis, non verò à Nativitate adhibuit. Poſt aliquot ſecula Era Chriſtiana à Chriſti Natali incœpta, quod tunc placuit in præcedentem Conſulatum rejicere. Ex quo factum, ut ea varia ſortita ſit initia, ut ſuo loco diximus. Chriſti autem Nativitatem in hunc annum incidiſſe, quod voluit Dionyſius, prorſus incredibile. Nam præterquam quòd Herodes jam mortuus erat, Chriſtus in mundum venit, dum altiſſima pax in eo vigeret; & tamen per hæc tempora bellum in variis Imperii Romani partibus geſtum. Velleius lib. 2. ſcribit, Tiberium *V. Kal. Julias Ælio Cato & Sentio Saturnino Conſulibus*, anno nempe Chriſti IV. ab Auguſto adoptatum, quem, inquit, *protinus in Germaniam miſit; ubi ante triennium ſub Marco Vinicio, avo tuo, clariſſimo viro, immenſum exarſerat bellum.* Hoc itaque anno immenſum in Germania bellum erupit, quod cùm per triennium protractum fuiſſet, Tiberius ad illud profligandum anno Chriſti quarto legatus fuit. Quòd ſi quis velit, triennium illud ab anno tantùm Chriſti ſequenti putandum eſſe, non inde tamen ſequetur, Imperium hoc anno tranquillum fuiſſe; certum enim eſt Caium Cæſarem Conſulatum in Syria iniiſſe, eamque dignitatem inter arma geſſiſſe, ut nos docet ejus Cenotaphium, quod Piſis extat, quódque Noriſius inſigni opere explicat, in quo legitur: POST. CONSULATUM. QUEM. ULTRA. FINIS. EXTREMAS. POPULI. ROMANI. BELLUM. GERENS. FELICITER. PEREGERAT. Hoc itaque anno *Caius* bellum in hoſtili geſſit, & adverſus Parthos pugnavit. Eum Româ hoc anno abfuiſſe docet fragmentum Epiſtolæ Auguſti ad Caium, quod Gellius lib. 15. cap. 7. recitat: *Ave, mi Cai, meus ocellus jucundiſſimus, quem ſemper medius fidius deſidero, cùm à me abes, ſed præcipuè diebus talibus, qualis eſt hodiernus, oculi mei requirunt meum Caium, quem, ubicumque hoc die fuiſti, ſpero lætum & valentem celebraſſe quartum ac ſexageſimum natalem meum. Nam, ut vides,* Κλιμακτῆρα *communem ſeniorum omnium tertium & ſexageſimum evaſimus.* Natus eſt Auguſtus IX. Kal. Octobris, Antonio & Cicerone Coſſ. anno Urbis 691. ex Suetonio cap. 5. Quare anno Urbis 754. currenti, nempe die XXIII. Septembris, exacto anno 63. climacterico, ſexageſimum quartum auſpicatus, eas ad Caium filium literas dedit, cùm hic procul in Oriente bello Parthico diſtineretur.

V. *Expeditio Caii Cæſaris adverſus Arabes.*

Expeditionem Parthicam Arabica præceſſit, ut obſervavit eruditiſſimus Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. II. cap. 12. Plinius pluribus in locis expeditionis Caii Cæſaris in Arabiam mentionem facit, quam tamen omiſit Baronius, aliique, qui de Caii in Orientem navigatione ſermonem inſtituerunt. Plinius itaque lib. 6. cap. 27. ait, Dionyſium Geographum ab Auguſto in Orientem præmiſſum, *quem*, inquit, *ad commentanda omnia in Orientem præmiſit Divus Auguſtus, ituro in Armeniam ad Parthicas Arabicaſque res majore filio*, nempe Caio Cæſare. Hunc, vel certè eos, qui erant in ejus comitatu, profectos ad Arabicum ſinum Plinius indicat lib. 2. cap. 67. ubi de eodem ſinu loquens, inquit: *In quo, res gerente C. Cæſare Auguſti filio, ſigna navium ex Hiſpanienſibus naufragiis feruntur agnita.* Eo uſque per totius Africæ gyrum disjectarum navium fragmenta Oceani furor ejecerat. Ex Arabia in Ægyptum Caium rediiſſe

auctor eſt Oroſius lib. 7. cap. 3. *Caium nepotem ſuum Cæſar Auguſtus ad ordinandas Ægypti Syriæque Provincias miſit, qui prateriens ab Ægypto fines Palæſtinæ apud Hieroſolymam in templo Dei tunc ſancto & celebri adorare contemſit, ſicut Suetonius Tranquillus refert.* Caium verò per Palæſtinam in Syriam iter feciſſe teſtatur Suetonius in Auguſto cap. 93. *Caium nepotem, quòd Judæam prætervehens, apud Hieroſolymam non ſupplicaſſet, collaudavit.* Auguſtus enim peregrinas cæremonias contemtui habuit. Oroſius dicit, Auguſtum, quòd Caium Hieroſolymitani templi cultum omittentem laudaſſet, anno Imperii quadrageſimo octavo à Deo punitum, Româ tam dira fame vexatâ, ut Auguſtus laniſtarum familias, omneſque peregrinos, ſervorumque maximas copias Urbe pelli juſſerit. Hæc tamen fames, quam deſcribit Dio lib. 55. contigit anno Urbis DCC LIX, poſt ſexennium ab adventu Caii Cæſaris in Judæam, ipſo, ejuſque fratre Lucio extinctis. Plura Noriſius de utraque Caii expeditione loco laudato, ubi & plurium Scriptorum anachroniſmos de expeditione Caii in Orientem refellit.

Vrb. Cond. 755.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5495. ☉ 11 A. ☽ 3. INDICT. 5.
JESU CHRISTI 2. *ſecundùm Baron.* 4.
AUGUSTI IMP. 46.

I. *Conſules.* COSS. *P. Vinicius, & P. Alfenus.*

Baronius Vinucium nepotem, & Alfinium Varum Conſules proponit, minùs obſervans Onuphrii characterem ſeu methodum in Faſtis deſcribendis, & vocem *nepos*, quæ originem Conſulum ab avis indicat, pro eorumdem Conſulum cognominibus accipiens, ut notat Noriſius in Epiſtola Conſulari, ubi varia *nepotum* cognomina addita in Faſtis, Conſulibus ipſis fictitia eſſe demonſtrat, & tantùm oſtendere cujus avi, puta *Caii, Cnei, Quinti*, iidem nepotes fuerint.

II. *Lucii Cæſaris obitus & Tiberii Romam reditus.* Lucius Cæſar Caii Cæſaris frater *Hiſpanias petens Maſſiliæ deceſſit*, ait Velleius lib. 2. cap. 102. Quæ mors hoc anno contigit: Suetonius enim in Auguſto cap. 65. inquit: *Caium & Lucium in duodeviginti menſium ſpatio amiſit ambos.* Quare cùm Caius die viceſima prima Februarii anni Æræ Chriſtianæ quarti è vivis exceſſerit, ut infrà videbimus, Lucius currenti anno ante menſem Octobrem obiit; præſertim cùm in ejus Cenotaphio à Noriſio doctiſſimis Diſſertationibus illuſtrato dicatur, *die decima nona Septembris*, cùm Auguſtus diceretur TRIBUNICIÆ POTESTATIS XXV currenti anno cœptæ, annuas inferias Lucio Cæſari decretas fuiſſe. Tiberius Lucium privignum anno ætatis viceſimo ſublatum Lyrico carmine deflevit, teſte Suetonio in Tiberio cap. 20. ſed fictis lacrimis, cùm, æmulo Imperii, cui inhiabat, extincto, altero tantùm gradu à ſupremo rei Romanæ faſtigio diſtaret. Ante Lucii & Caii Cæſarum mortem Tiberius hoc anno Rhodo Romam redierat, ut tradit Velleius cap. 103. *Ante utriuſque horum obitum, patre tuo Publio Vinicio Conſule, Tiberius Nero reverſus Rhodo incredibili lætitia patriam repleverat.* Vinicius autem currenti anno Conſulatum ſuſcepit. Idem habet Tacitus, qui in fine lib. 6. de Tiberio ſcribit: *Dein Rhodo egreſſus, vacuos Principis penates duodecim annis: mox rei Romanæ arbitrium tribus ferme ac viginti obtinuit.* Tiberius die XIX Auguſti anni Chriſti XIV imperare cœpit; à quo anno ſi per annos duodecim retrocedamus, quibus Romæ Rhodo reverſus vixit, perveniemus ad currentem Chriſti annum. Poſtquam Romam advenit, data virili toga filio Druſo, è *Pompeiana domo in hortos Mæcenatianos tranſmigravit, ac omnium negotiorum publicorum expers, totum ſe ad quietem contulit*, inquit Suetonius in Tiberio cap. 15. qui jam cap. 13. ſcripſerat: *Permittente ergo Caio revocatus eſt; verùm ſub conditione ne quam partem curámve Reipublicæ attingeret. Rediit octavo poſt ſeceſſum anno.* Velleius cap. 99. ait, cum *ſeptem annos Rhodi moratum*, quia ejus ſeceſſum anno uno tardiùs, quàm Dio & Suetonius, conſignavit, ut ſuo loco dixi.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5496. ☉ 12 G. ☽ 4. INDICT. 6. V.C. 756
JESU CHRISTI 3. *ſecundùm Baron.* 5.
AUGUSTI IMP. 47.

COSS. *L. Ælius Lamia, & M. Servilius.* I. *Conſules.*
Ita rectè Baronius ex Dionis Indice.

Præerat hoc tempore Syriæ *Cneius Sentius Saturninus*, ut diſco ex hujus Præſidis Numiſmate mecum à Clariſſimo Toinardo communicato, in quo annus Antiochenus XXXV. his characteribus exprimitur, ΕΤ. ΕΛ. quæ epocha ab anno Urbis 723. ſeu ab Actiaca victoria deducta, ideoque annus ille Antiochenus XXXV currenti Chriſti anno inchoatus. Valeſius in Notis Euſebianis pag. 10. de Joſepho ait: *Patriæ ſuæ Hiſtoriam tantâ diligentiâ perſecutus eſt, ut & Præſides Syriæ omnes recenſuerit.* At illud à veritate alienum; cùm hujus Saturnini mentionem non fecerit. Rectè itaque ſcripſit Noriſius in Diſſert. II de Cenotaphiis Piſanis pag. 311. inter Varum & Quirinium alium Syriæ Præſidem ponendum eſſe, quem Joſephus non nominavit, & ab aliis Scriptoribus nuſquam indicatur. Is itaque nunc primùm è tenebris emergit. II. *Saturninus Syriæ præeſt.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5497. ☉ 13 FE. ☽ 5. INDICT. 7. V.C. 757
JESU CHRISTI 4. *ſecundùm Baron.* 6.
AUGUSTI IMP. 48.

COSS. *Sex. Ælius Catus, & C. Sentius Saturninus.* I. *Conſules.*

De utroque accuratè agit Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. III cap. 9. ubi oſtendit, Henſchenium in Diatriba præliminari ad menſem Aprilem perperam ediſiſſe Caium Sentium Saturninum cum nota numerali, & Baronium memoriæ lapſu ſcripſiſſe, Quinctilium Varum ampliſſima Conſulatus dignitate *ſecundò auctum, primum cum Collega Veſpillo, ſecundò cum Ælio Cato*, ubi Quinctilii Vari nomen calamo decidit, cùm Sentium Saturninum ſcribere vellet. Nam Sentius Saturninus Conſul fuit anno Urbis DCC XXXV Collega Veſpillone, ut ex Faſtis liquet. Sed is Saturninus (Baronius in Apparatu numero LXXXIX.)

diverſus ab eo, qui præſenti anno nomen dedit: prior enim *Cneius* Sentius Saturninus vocatus; qui verò hoc anno Conſul fuit, *Caius* Sentius Saturninus appellatus eſt.

II. *Obitus Caii Cæſaris.* Caius Cæſar Auguſti filius Armeniam cum exercitu ingreſſus, dum *Artageram* obſidet, à Præfecto per inſidias vulneratur, & in Italiam revertens in Lycia moritur, *cùm ante annum ferme Lucius Cæſar frater ejus Maſſiliæ deceſſiſſet*, inquit Velleius cap. 103. Contigit ille obitus A. D. VIIII K. Mart. ut legitur in Caii Cenotaphio, quod Piſis extat, à Noriſio eruditis Diſſertationibus explicato, SEX. ÆLIO. CATO. C. SENTIO. SATURNINO. COS. ut ibidem legitur. Mortuus itaque Caius Cæſar ſub currentis anni Conſulibus, dieque nona Kalendas Martias, quod Baronium aliosque Viros eruditiſſimos, qui Cenotaphium illud non viderant, fugit. Ex Caii Cæſaris obitu rectè conſignato liquet, quantùm deceptus fuerit Baronius, dum mortem Herodis cum anno Chriſti octavo, ut ipſe numerat, conjunxit. Certum enim Herodem aliquot annos ante Caium Cæſarem periiſſe. Quare ante currentem annum jam fato conceſſerat.

Baron. in Apparatu num. XXXVI Caii obitum poſuit ante exitum anni U. 751.

III. *Adoptio Tiberii.* Caio Cæſare mortuo, Auguſtus *V Kalendas Julias*, ut ſcribit Velleius cap. 103. Tiberium adoptavit, eique Tribunitiam Poteſtatem ad annos decem dedit. Quod & Dio lib. 55. quoad Tribunitiam Poteſtatem teſtatur. Suetonius tamen in Tiberio cap. 16. ait, Tiberio datam rurſus Poteſtatem Tribunitiam *in quinquennium*. Quare Dio & Velleius quod diverſis annis contigit, uno tenore recitant. *Adoptatus eodem die etiam Marcus Agrippa*, inquit Velleius cap. 104. *coactus prius ipſe* (nempe Tiberius) *Germanicum fratris ſui filium adoptare*, inquit Suetonius in Tiberio cap. 15. Ubi obſervabis Tribunitiam Poteſtatem Auguſtum Tiberio conceſſiſſe, eodem, quo ipſe obtinuerat, die, IV nempe Kalendas Julias. *Protinus in Germaniam miſit* Tiberium Auguſtus, *ubi ante triennium immenſum exarſerat bellum*, ut ait Velleius cap. 104. Numeravit itaque hoc anno Tiberius ſextum Tribunitiæ Poteſtatis annum, percuſſuſque hic Nummus aureus à Mediobarba in Numiſmatis Impp. relatus: TI. CÆSAR AUGUSTI F. COS. II. TR. P. VI. in poſtica, AUGUR. PONT. IMP. III. Antea enim per annos quinque eandem Tribunitiam Poteſtatem geſſerat, & *Imperator iterum* vocatus fuerat, ut Numiſmata demonſtrant.

Baron. num. 2

U.C. 758.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5498. ☉ 14 D. ☽ 6. INDICT. 8.
JESU CHRISTI 5. *ſecundùm Baron.* 7.
AUGUSTI IMP. 49.

Olymp. 196.

I. *Conſules.* COSS. *L. Valerius Meſſalla Voluſus*, & *Cn. Cornelius Cinna Magnus.*

II. *Victoria Germanica Tiberii.* Tiberius, qui anno præcedenti ad bellum Germanicum conficiendum miſſus fuerat, & ob victorias *Imp. III* dictus fuerat, æſtiva uſque in Decembrem perduxit; ait enim Velleius cap. 105. *Anni ejus æſtiva uſque in Decembrem menſem perducta, immanis emolumentum fecere victoria*; additque, eum in Urbem rediiſſe. Hoc verò anno *veris initio* rediit in Germaniam, inquit Velleius: *Perluſtrata armis tota Germania eſt. Victæ gentes penè nominibus incognitæ*; tum Tiberius *eadem, quâ priore anno, feſtinatione Urbem* petiit, inquit Velleius cap. 107.

U.C. 759.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5499. ☉ 15 C. ☽ 7. INDICT. 9.
JESU CHRISTI 6. *ſecundùm Baron.* 8.
AUGUSTI IMP. 50.

I. *Conſules.* COSS. *M. Æmilius Lepidus*, & *L. Arruntius*, ex Dionis Indice.

Baronius L. Arruntium *Nepotem* vocat. Sed, ut anno Chriſti II. cum Noriſio obſervavimus, vox illa *Nepos*, quæ in Faſtis Onuphrii originem Conſulum ab avis indicat, per ſupinam hallucinationem in fictitium cognomen *Nepotis* tranſiit. Quare, ubi Baronius eam vocem pro Conſulum cognomine accipit, prætermittere oportet.

II. *Herodis obitus.* Baron. n. II. Ad num. I. Herodis Judæorum Regis interitus longè ante præſentem annum contigit, ut videre eſt in Apparatu Chronologico, ubi de eo pluribus egimus.

III. *Archelai Principatus.* Baron. n. XV. Ad num. II. Archelai Herodis Magni filii Principatus longè etiam ante præſentem annum inchoatus, ut in eodem Apparatu oſtendimus. Sed Baronius à Joſephi Hiſtoria recedens in plures anachroniſmos non potuit non labi.

IV. *Bellum Germanicum.* Velleius, narratis iis, quæ anno antecedenti Tiberius in Germania geſſit, ait: *Prima æſtate belli Meſſallini opus mandandum eſt memoria*, cui ſuffragatur Dio lib. 55. qui ſub currentis anni Conſulibus recitat prælia Valerii Meſſallini cum Batone Pannoniorum Duce. Ait autem Dio lib. 7. licèt nihil magnopere memorandum in Germania actum ſit, tamen *de Germanis Imperatoris nomen non* Auguſtum *modò, ſed* Tiberium *etiam* inveniſſe, quod tam Auguſti, quàm Tiberii Numiſmata demonſtrant. Auguſtus enim, qui huc uſque in Nummis dicebatur tantùm IMP. XIV hoc anno, quo Tribunitiam poteſtatem XXIX iniit, in Nummis dicitur Imp. XV; Tiberius verò qui erat tantùm Imp. III, dicitur in Nummo apud Mediobarbum TI. CÆSAR AUGUSTI F. IMPERATOR IIII. PONTIFEX TRIBUNICIA POTESTATE VIII. S. C. Tribunitiam enim Poteſtatem VIII Tiberium hoc anno inchoaſſe, ex dictis patet. Vincentibus Ducibus Auguſtos Imperatoris nomen multiplicaſſe, idque, Octaviani Auguſti exemplo, ſæpe indicabimus.

V. *Chriſti in Palæſtinam reditus.* Ad num. III. Cùm Chriſtus, defuncto Herode, à Joſepho in Palæſtinam reductus fuerit, reditus ille longè ante currentem annum accidit. Incertum tamen quanto tempore Chriſtus in Ægypto manſerit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5500. ☉ 16 B. ☽ 8. INDICT. 10.
JESU CHRISTI 7. *ſecundùm Baron.* 9.
AUGUSTI IMP. 51.

Anno Urbis 760.

I. *Conſules.* COSS. *A. Licinius Nerva Silianus*, & *Q. Cæcilius Metellus Creticus Silanus.*

II. *Archelai exilium.* Hoc anno Archelaus Herodis Magni filius exilio mulctatus, ejuſque bona fiſco adjudicata, ut anno Chriſti XIV Baronii ordinem ſequentes explicamus. Hinc ſequitur Quirinium

hoc tantùm anno in Syriam miſſum eſſe, ut ibidem dicemus.

III. *Germanicus in Pannoniam miſſus.* Cùm Auguſtus ſuſpicaretur Tiberium bellum conſultò in Pannonia trahere, *Germanicum eò miſit, Quæſturam tunc gerentem*, qui Dalmatas aliquot damnis affecit, inquit Dio lib. 55. ſub hujus anni Conſulibus.

Urb. Cond. 761.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5501. ☉ 17 AG. ☽ 9. INDICT. 11.
JESU CHRISTI 8. *ſecundum Baronium* 10.
AUGUSTI IMP. 52.

I. *Conſules.* COSS. *Furius Camillus*, & *Sex. Nonius Quinctilianus.*

II. *Geſta in Pannonia.* Præſenti anno Dalmatia partim bello, partim pacificatione ad Romanos rediit, ut narrat Dio ſub hujus anni Conſulibus, qui addit Pannonios etiam in deditionem veniſſe, cui ſuffragatur Velleius cap. 114.

U.C. 762.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5502. ☉ 18 F. ☽ 10. INDICT. 12.
Olymp. 197. JESU CHRISTI 9. *ſecundum Baronium* 11.
AUGUSTI IMP. 53.

I. *Conſules.* COSS. *Q. Sulpicius Camerinus*, & *C. Poppæus Sabinus.*

II. *Clades Variana.* Clades Variana, quam Baronius in annum ſequentem differt, ad præſentem ſpectat, ut tunc explicabimus.

III. *Bellum Pannonicum finitur.* Tiberius & Germanicus bellum Pannonicum adverſus Batonem hoc anno profligarant: *Victoriæ nuntium attulit Germanicus, ejuſque ergò Auguſto & Tiberio nomen Imperatorium auctum ac triumphus decretus; Germanico inſignia triumphalia. ... His recèns decretis adverſus ex Germania allatus nuntius triumphos eorum impediit*, inquit Dio lib. 56. ſub hujus anni Coſſ. qui poſtea cladem Varianam refert. Ex quibus ſequitur, Auguſtum, qui uſque ad Tribunitiam Poteſtatem XXXII. quam hoc anno ſuſcepit, dictus fuerat Imp. XV. vocatum fuiſſe Imp. XVI. eadem Tribunitia Poteſtate XXXII. currente, ut oſtendit Inſcriptio apud Onuphrium, licèt Mediobarbus anno Chriſti X. hunc titulum datum Auguſto perperam ſcribat. Tiberium verò, qui hoc anno Tribunitiam Poteſtatem X. abſolvit, quique antea dicebatur Imp. IV. vocatum eſſe Imp. V. patet ex hoc Tiberii Nummo, quem ad annum præcedentem malè refert Mediobarbus: TI. CÆSAR AUG. F. IMPERAT. V. PONTIFEX TRIBUNICIA POTESTATE X.

U.C. 763.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5503. ☉ 19 E. ☽ 11. INDICT. 13.
JESU CHRISTI 10. *ſecundum Baronium* 12.
AUGUSTI IMP. 54.

I. *Conſules.* COSS. *P. Cornelius Dolabella*, & *C. Junius Silanus.*

II. *Clades Variana.* Anno præcedenti, cùm bellum Pannonicum jam finitum eſſet, ac triumphus Tiberio decretus, adverſæ fortunæ nuntius affertur ex Germania, Quinctilium nempe Varum ſibi manus intuliſſe in Germania, poſtquam ejus exercitus incluſus ſilvis, ad internecionem trucidatus fuiſſet. Baron. num. x. Calviſius in Opere Chronologico ait, veſtigia ejus cladis eſſe in Weſtphalia ad oppidum Hornam, ubi campus *Binfeld* ad ſaltum *Teutebero*, per quem à Viſurgi fluvio ad Rhenum itur. Sed mirum, cum hanc cladem præſenti anno cum Baronio conſignare. Dio enim, qui eam pluribus narrat, eâ recitatâ, ait: *Anno ſequenti Tiberius ædem Concordiæ ſacravit*, quod currenti anno factum; ideoque clades illa Sulpicio Camerino & Poppæo Sabino Conſulibus acta. Præterea Suetonius, Vari interitu narrato, inquit: *Proximo anno repetitâ Germaniâ, cùm animadverteret, Varianam cladem temeritate & negligentia Ducis accidiſſe*, &c. Ita Suetonius in Tiberio cap. 18. Tiberius autem currenti anno in Germaniam miſſus. Denique Velleius cap. 115. de rebus anno Chriſti præcedenti geſtis loquens, indicat eam cladem Populo Romano illatam eo anno, quo Lepidus in Pannoniam ad Tiberium venit. Lepidus autem ſub Tiberio bellum geſſit ſub præcedentis anni Conſulibus, ut apud Dionem laudatum videre eſt. Quare clades Variana, quæ Populo Romano luctuoſa fuit, ad annum præcedentem certò pertinet. Obſervat autem Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. II. cap. 10. Paulum Oroſium lib. I. cap. 1. & Caſaubonum ipſum ſecutum in Notis ad cap. 12. Suetonii, graviter erraſſe, quando ſcripſere, Chriſto nato Jani portas tertiò ab Auguſto clauſas fuiſſe uſque ad cladem Varianam, & per duodecim ferè annos remanſiſſe obſeratas, quo falſius nihil dici potuit, ut ex iis, quæ jam diximus, manifeſtè liquet. Bella quidem naſcente Chriſto toto orbe ceſſarunt; ideoque Chriſtus ante annum Urbis DCC LI. in mundum venit; nam poſt illum annum varia bella Romanos geſſiſſe, ex dictis intelligitur.

U.C. 764.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5504. ☉ 20 D. ☽ 12. INDICT. 14.
JESU CHRISTI 11. *ſecundum Baronium* 13.
AUGUSTI IMP. 55.

COSS. *M. Æmilius Lepidus* & *T. Statilius Taurus*, ex Dione lib. 56. I. *Conſules.*

Prior Manius Æmilius Lepidus vocabatur, ut oſtendit Noriſius in Cenotaphiis Piſanis pag. 257. ex Inſcriptione Gruteriana, non verò Marcus Æmilius Lepidus, ut perperam exiſtimavit Onuphrius.

Anno præcedenti Tiberius Concordiæ ædem dedicavit, ut teſtatur Dio lib. 56. ubi narratis iis, quæ Sulpicio Camerino & Poppæo Sabino Coſſ. geſta ſunt, ait: *Anno ſequenti Tiberius ædem Concordiæ ſacravit, inſcripto ſuo & fratris Druſi vitâ pridem functi nominibus.* II. *Tiberius Imperii Collega dictus.* Facta ea dedicatio die *XVII. Kalend. Februarias*, teſte Ovidio lib. I. Faſtorum. Tum miſſus Tiberius in Germaniam, ut diſcimus ex Suetonio in Tiberio cap. 18. *Proximo anno repetitâ Germaniâ*, &c. poſt nempe cladem Varianam. Ubi dum adverſus hoſtes pugnat, Romæ ab Auguſto *V. Kalend. Septemb.* Imperii Collega renuntiatur, ut ſcribit Tacitus lib. I. Annal. qui Caii Cæſaris morte recitata, de Tiberio inquit: *Illuc cuncta vergere, filius, Col-*

lega Imperii, conſors Tribunitiæ Poteſtatis adſumitur. Collegæ Imperii dicti, qui Tribunitia Poteſtate & Imperio Proconſulari præditi erant, quique ideo extra Urbem idem jus in exercitus ac Imperatores & Auguſti habebant. Tiberium Imperii Collegam fuiſſe, & ab ea dignitate annos ejus numeratos pro certo poſuerunt antiqui Eccleſiæ Patres, ut de Baptiſmo Chriſti loquentes oſtendemus. Ubi tamen hoc ſeculo Joannes Georgius Herwartus in ſua Chronologia cap. 248. hanc opinionem renovavit, paſſim rejectus fuit; eaque mihimetipſi primo fonte ambigua, incertaque viſa. Quare in mentem venit examinare, an aliqui ex Auguſti ſucceſſoribus, qui hunc ſibi tanquam exemplar proponere ſoliti erant, aliquem in Imperii conſortium vocaſſent, antequam illud à pluribus Auguſtis eodem tempore regnantibus regeretur: quod primùm ſub Marco Aurelio contigiſſe nullus negaverit. Comperi autem Titum à Veſpaſiano, Trajanum à Nerva, Antoninum ab Adriano, & Marcum Aurelium ab eodem Antonino in ſocietatem Imperii adſcitos fuiſſe, & Imperatoris prænomen non minùs quàm ipſos Auguſtos tuliſſe. Quare concluſi, id Auguſti exemplo factum fuiſſe, minimeque dubitandum, quin Tiberius verè Collega Imperii fuerit, annique ejus ab ea epocha aliquando deducti; eò magis, quò Suetonius in Tiberio cap. 21. & Velleius lib. II cap. 21. quorum verba infrà referemus, Tacito ſuffragentur.

III. *Tiberium Imperii Collegam fuiſſe, multis probatur.* Profectò Auctor incertus Panegyrici Maximiano & Conſtantino dicti Auguſtum, ſaltem ex parte, ante mortem Imperium depoſuiſſe, in ejuſque conſortium Tiberium vocaſſe, tanquam rem ſuo tempore omnibus notam ſupponit. Nam ſub urbis Romæ nomine Imperii depoſitionem Maximiano Herculio diſſuadens, cap. 11. ait: *Quo uſque hoc, Maximiane, patiar, me quati, te quieſcere, mihi libertatem adimi, te uſurpare tibi illicitam miſſionem? An quod Divo Auguſto poſt ſeptuaginta ætatis, quinquaginta imperii, non licuit annos, tam citò licuit tibi?* Affert hunc locum Herwartus ex quo Tiberium participem Imperii factum certò colligi ex iis, quæ dicemus anno Chriſti XCVII, quo Trajanus à Nerva eodem honore decoratus, manifeſtè conſtabit. His adde, Tiberium Cenſorem renuntiatum, Urbis curam L. Piſoni commiſiſſe, *quòd biduo, duabuſque noctibus perpotationem continuaſſet apud ipſum jam Principem*, ut in poſtremo libri 14. capitulo prodit Plinius, & Suetonius in Tiberio cap. 42. his verbis confirmat: *Poſtea Princeps in ipſa publicorum morum correctione cum Pomponio Flacco & Lucio Piſone noctem continuumque biduum epulando potandoque conſumſit. quorum alteri Syriam Provinciam, alteri Præfecturam Urbis confeſtim detulit.* Porro auctor eſt Tacitus Annal. lib. VI cap. 11. Piſonem in Urbis Præfectura, *viginti per annos pariter probatum* *Ænobardo & Vitellio Coſſ.* id eſt, anno Eræ Chriſtianæ XXXII mortuum eſſe. Si ab eo anno viginti numerando retrocedas, pervenies ad annum Chriſti XII, quo Piſo Urbi præfectus eſt, quo Cenſura à Tiberio acta, quove Auguſtus adhuc in vivis erat. Neque hanc narrationem unus ab altero accepit; cùm Plinius duabus noctibus, Suetonius nocte una perpotationem illam continuatam fuiſſe ſcribant. Hic Taciti locus adeo Lipſium in Notis torſit, ut cùm non haberet quò ſe verteret, X pro XX legendum eſſe ſcripſerit: *Sit ergo*, inquit, *hic error ex notâ geminatâ.* Sed fruſtra, cùm nullus Codex vel impreſſus vel manuſcriptus ejus conjecturæ faveat. Præterea Plinius & Suetonius eorum *Principis* nomine Tiberium indigitant. Collegæ enim Imperii Principes vocabantur; quod colligo ex Spartiano, qui vitam Ælii Veri his verbis incipit: *In animo mihi eſt, Diocletiane Auguſte, tot Principum maxime, non ſolùm eos, qui principem locum in hac ſtatione, quam temperas, retentarunt; ſed illos etiam, qui vel Cæſarum nomine appellati ſunt, nec Principes aut Auguſti fuerunt, vel quolibet alio genere, aut in famam aut in ſpem principatûs venerunt, cognitioni numinis tui ſternere.* Quæ verba lucem accipiunt ex iis, quibus in ejuſdem Vitæ calce Auctor ille utitur: *Mihi propoſitum fuit, omnes qui poſt Cæſarem Dictatorem, vel Cæſares, vel Auguſti, vel Principes appellati ſunt, quique in adoptionem venerunt, vel Imperatorum filii aut parentes Cæſarum nomine conſecrati ſunt, ſingulis libris exponere.* Ubi Spartianus tria perſonarum genera diſtinguit, Cæſarum nempe, Principum, & Auguſtorum.

IV. *Piſo per annos XX Urbis Præfectus.* Hoc argumentum conatur evertere Noriſius V. C. in Diſſert. II de Cenotaphiis Piſanis Caii & Lucii Cæſarum, cap. 16. paragrapho 12. & 13. ubi ait, Tiberium ante Auguſti mortem intra Urbem habuiſſe ſolùm jus interecedendi ob Tribunitiam Poteſtatem, ex quo concludit cum Lipſio, apud Tacitum pro *viginti annis* legendum eſſe *decem*. At licet verum ſit, Collegarum Imperium extra Urbem præcipuè fuiſſe; in Urbe tamen Tribunitiæ Poteſtatis vi, aliqua auctoritate pollebant. Unde Euſebius in Chronico, ſeu Hieronymus, ut ſignificet, Tiberium Druſo filio Tribunitiam Poteſtatem conceſſiſſe, ſic ſcribit: *Tiberius Druſum conſortem regni facit*: quod anno Chriſti XXII contigit. Virtute itaque Tribunitiæ Poteſtatis varia poterant Cæſares ac Collegæ Imperii, non quidem Præfecturam Urbis committere, ſed ſaltem viros idoneos Auguſtis proponere, quod hic a Tiberio factum inſinuat Plinius lib. XIV cap. ult. ubi de ebrietate loquens, indicat Præfecturam Urbis initio Principatûs à Tiberio collatam Piſoni, non verò anno Imperii ejus Auguſtei octavo aut nono, ut Lipſius & Noriſius volunt: *Gloriam hac virtute* (nempe ebrietate, inquit Plinius) *Parthi quærunt, famam apud Ægyptios Alcibiades meruit, apud nos cognomen etiam Novellius Torquatus Mediolanenſis ad Proconſulatum uſque è Prætura honoribus geſtis, tribuſque congiis epotis uno impetu, ſpectante, miraculi gratiâ, Tiberio Principe, in ſenecta jam ſevero atque etiam ſævo aliàs, ſed ipſa juventa ad merum pronior fuerat, eaque commendatione credidere L. Piſonem urbis Romæ curæ ab eo delectum, quòd biduo, duabuſque noctibus perpotationem continuaſſet apud ipſum jam Principem.* Ubi vides Piſonem à Tiberio quidem delectum, ſed non creatum Urbis Præfectum, idque initio Imperii Tiberiani. Plinius enim Tiberii ſenectam & juventam inter ſe confert, & quid in utraque egerit narrat. Obſervandum interim, nec Plinium, nec

Senecam Epiſt. LXXXIII, ubi etiam de hac Piſonis ebrietate loquitur, ob eamque Urbis curam illi commiſſam aſſerit, aliquam de *Pomponio Flacco* mentionem facere, quòd is Syriacæ Præfecturæ ob ebrietatem ſibi delatæ poſſeſſionem non inierit, ut mox dicam.

V. *Pomponius Flaccus Syriæ à Tiberio deſtinatus.*

Dicit præterea Noriſius, Pomponium Flaccum anno Chriſti XVII Conſulatum ordinarium geſſiſſe, & ex Tacito lib. 2. Annal. Julio Silano & Norbano Flacco Coſſ. anno nempe Chriſti XX, Mœſiam rexiſſe, tandemque anno Urbis DCCLXXXVI, Chriſti ſcilicet XXXIII, Syriæ Proprætorem defunctum eſſe, teſte Tacito lib. 6. Annal. Reſpondeo verum quidem eſſe, Pomponium Flaccum Præfectum Urbis mortuum fuiſſe, ſed indè tantùm colligi, eum, quando Syriæ regendæ à Tiberio Imperii Collega deſtinatus fuit, propter rationes nobis ignotas, hujus dignitatis poſſeſſionem non iniiſſe; quod non raro contigit. Tacitus lib. 6. Annal. anno Urbis DCCLXXXVI, Chriſti ſcilicet XXXIII, ait eo anno Ælium Lamiam obiiſſe, *qui adminiſtrandæ Syriæ imagine tandem exolutus Urbi præfuerat*, quique anno antecedenti Lucio Piſoni in Urbis Præfecturam ſucceſſerat. Quibus verbis Tacitus ſignificat, Ælium Lamiam Proprætorem quidem Syriæ deſignatum fuiſſe, ſed hujus muneris poſſeſſionem non adiiſſe. Quod Dio lib. 58. anno Urbis DCCLXXXV manifeſte inſinuat, dum ſcribit: *Lucium ei Quæſtorem ſuffecit*, (id eſt, Tiberius Lucio Piſoni Urbis Præfecto demortuo ſubſtituit Lamiam. Nam, ut rectè Lipſius in Notis ad Taciti lib. 6. Annal. in Græco, loco, Λούκιον, id eſt, *Lucium*, legendum, Λαμίαν, id eſt, *Lamiam*) *quem dudum exercitui deſtinatum Romæ detinuerat, idemque cum multis aliis egerat, nihil quidem iis opus habens, tantum ut honores eis tribuere videretur.* Si itaque Lamia Proprætor Syriæ à Tiberio nominatus eam Provinciam non obtinuit, cur negabimus, Pomponio Flacco idem quod Lamiæ, multiſque aliis contigiſſe; cùm de Pomponii ad eam Provinciam deſtinatione Auguſto imperante, non verò de ejus in eam profectione conſtet? An Tiberius Imperii Collega alius à Tiberio Auguſto? Inſuper Tacitus lib. 13. Annal. de iis, quæ Nerone & L. Antiſtio Coſſ. anno nempe Chriſti LV, geſta ſunt à Nerone Imp. loquens ait: *Syria P. Anteio deſtinata, & variis mox artibus eluſus, ad poſtremum in Urbe retentus eſt:* quod etiam de Pomponio Flacco exiſtimandum; cùm certum ſit, eum anno Chriſti XII, quo Tiberius Cenſuram egit, quóve L. Piſo Urbis Præfectus creatus eſt, in Syriam profectum non eſſe, ut infrà magis patebit. Memoratus itaque Taciti locus, in quo dicitur Piſonem per *annos viginti* Præfecturam Urbis adminiſtraſſe, purus eſt; cùm à currenti Chriſti anno ad XXXII, quo L. Piſo obiit, nullius alterius Urbis Præfecti mentio in Scriptoribus Hiſtoriæ Auguſtæ extet. Vide quæ infrà dicimus de tempore Cenſuræ Tiberio collatæ.

VI. *Tiberius à Dionyſio Alex. Imperii Collega agnitus.*

Denique Imperii Proconſularis Tiberii egregium exemplum habemus in Libro Carminum Geographico, cui titulus, *Deſcriptio Orbis*. Nam Dionyſius Alexandrinus ejus auctor indicat ſe vixiſſe, dum plures Imperatores ſimul dominarentur. Quare rectè Euſtathius ejus Scholiaſtes ait, eum vixiſſe οὐκ ἐπὶ τῶν ὑπάτων, ἀλλ' ἐπὶ τῶν ἀνάκτων, id eſt, *non ſub Conſulibus, ſed ſub Imperatoribus.* In cujus rei argumentum adducit hunc locum:

Ἐκ Διὸς Αὐσονίοις αἰεὶ μέγα κοιρανέουσι.

Id eſt, *è Jove Auſonii ſemper ſtrenue dominantes*, & imprimis verſus iſtos:

Ῥώμην τιμήεσσαν, ἐμῶν μέγαν οἶκον ἀνάκτων,
Μητέρα πασάων πολίων, ἀφνειὸν ἔδεθλον.

Loquitur de Tiberi, aitque: *Qui amabilem ſecat in duas partes Romam, Romam honorabilem, meorum magnam domum Principum*, vel *Dominorum*. Sed qui ſint plures illi Principes, qui Romæ imperabant, quando Dionyſius Opus ſuum elucubravit, huc uſque ignotum. Solùm Euſtathius rectè monuit, cum Dionyſius dicit, ἐμῶν ἀνάκτων, id eſt, *meorum Principum*, ſatis oſtendere non ſub Conſulibus ſe iſta ſcribere, ſed ſub Imperatoribus. At ſub quo Imperatore? hic opus, hic labor eſt. Antoninorum temporibus Dionyſium vixiſſe, atque eos per ἄνακτας intelligendos cenſet Barthius lib. 58. Adverſariorum cap. 5. Scaliger in Notis Euſebianis num. 2215. Severum ac Caracallam & Getam filios ibidem ſignificare arbitratur; idque adeo confidenter, ut Euſtathium Interpretem ſomniaſſe putet, cùm indicat, Dionyſium Auguſto imperante ſcripſiſſe. Voſſius lib. 2. de Hiſtoricis Græcis cap. 5. ait: *Quid prohibet, ut Divos fratres M. Aurelium & L. Verum intelligamus?* Addit tamen ex Plinii verbis proxime recitandis videri Dionyſium ſub Auguſto floruiſſe. Noriſius cap. 9. Diſſert. II de Cenotaphiis Piſanis Caii & Lucii Cæſarum, arbitratur Dionyſium loco laudato Caïum & Lucium Cæſares deſignare. Nam, inquit, *filii Regis* ἄνακτες *à Græcis dicuntur, & ab Ammiano lib. 16. cap. 12. Regales appellantur, dum ait: Hos ſequebantur poteſtate proximi Reges numero quinque, Regaleſque decem, & Optimatum ſeries magna. In Codice veterum Grammaticorum pag. 2205. incertus Auctor de Differentiis vocum ait: Inter Regem & Regalem hoc intereſt, quòd Regis puer, Regalis eſt, Rex, qui regit regnum:* Ita Noriſius. Sed Reges illi ac Domini, de quibus Dionyſius loquitur, alii non ſunt, quàm Auguſtus Imperator, & Tiberius Imperii Collega. Certum enim, ut optimè, Noriſius obſervavit, Dionyſium imperante Auguſto vixiſſe, qui eum in Orientem præmiſit, ut Caio Cæſari in Syriam advenienti omnium regionum, urbium, ac montium ſitus deſcriptos exhiberet; quod docet Plinius lib. 6. cap. 27. *Hoc in loco genitum eſſe Dionyſium* (in Arabia nempe) *terrarum Orbis recentiſſimum Auctorem conſtat, quem ad commentanda omnia in Orientem præmiſit Divus Auguſtus, ituro in Armeniam, ad Parthicas Arabicaſque res, majore filio*, Caio ſc. Cæſare.

VII. *Auguſtus & Tiberius Duces Auſonii appellati.*

Itaque Dionyſius Auſoniorum ſemper ſtrenuè dominantium nomine, Auguſtum & Tiberium indicat. Noriſius loco laudato ait, Dionyſium de Parthis ſub num. 140. loquentem, Auguſtum intelligere, dum ait:

Ἀλλ' ἔμπης μετὰ δῆριν ἀμαιμάκετοί περ ἐόντες
Αὐσονίου βασιλῆος ὑποτρομέουσιν ἀκωκήν.

id eſt, juxta Henrici Stephani verſionem: *Veruntamen prælio indomiti* [*inſuperabiles*] *quamvis eſſent, Auſonii Regis manſuefecit cuſpis* [*haſta.*] Dionyſius Auguſtum intelligit, inquit

inquit Noriſius, qui cùm Aſiam perluſtrans, Tiberium cum legionibus anno Urbis DCCXXXIV in Armeniam miſiſſet, tot armorum ſtrepitu, tantum Phraati Parthorum Regi terrorem incuſſit, ut feritate ac odio in Romanos poſito, raptas Craſſo Aquilas ac ſigna ad Auguſtum remiſerit, ac diuturniorem cum eodem pacem ſervaverit. Quæ etiam ſententia eſt Voſſii laudati, ubi ad explicandos hos verſus Dionyſii, locum Suetonii in Auguſto cap. 21. adducit, qui oſtendit, eos optimè Auguſto convenire. At Auſonii Regis nomine Tiberium etiam alibi ſignificari docet Ovidius lib. 2. Triſtium, qui ad Auguſtum ſcribens ait:

Sic aſſueta tuis ſemper victoria caſtris,
Nunc quoque ſe præſtet: notaq; ſigna petat.
Auſoniumque ducem ſolitis circumvolitet alis:
Ponat & in nitida aurea ſerta coma:
Per quē bella geris, cujus nunc corpore pugnas:
Auſpicium cui das grande: Deoſque tuos.

Loquitur Ovidius de bellis à Tiberio poſt annum Chriſti quartum uſque ad Auguſti mortem geſtis, & Tiberium *Auſonium ducem* appellat, teſte ipſomet Noriſio, loco laudato, cap. 6. Quare per Auſonios *ſemper ſtrenuè dominantes* Dionyſius Alexandrinus alios intelligere non poteſt, quàm Auguſtum & Tiberium; cùm conſtet, utrumque Auſonios vocatos; nec Caius & Lucius Cæſares eo nomine unquam appellati, quos etiam Dionyſius ἄνακτες non vocaſſet. Certè in priori Imperii Romani forma, quæ ab Auguſto ad Marcum Aurelium & Lucium Verum duravit, Cæſares ac Imperatorum filios ab Antiquis Reges dictos me legiſſe non memini. Auctoritates à Noriſio allatæ, pluresque hujuſmodi, quæ leguntur in Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis, verbo, *Regales* intelligendæ de uſu, qui invaluerat in Regnis Romano Imperio minimè ſubditis, ac de Regnis, quæ Reges ab Imperatoribus accipiebant; non verò de uſu, qui in ipſo Imperio ab Auguſto ad Marcum Aurelium viguit. Ex Dionyſio itaque, qui Tiberii tempore vixit, habemus, hunc cum Auguſto corregnaſſe.

VIII. *Tiberius Augur & Cenſor dictus.*

Cum Imperio Proconſulari Auguratum & Cenſuram Tiberius accepit; quod ex eo colligo, quòd utrumque munus à Veſpaſiano Tito filio conceſſum, quando eum Collegam Imperii renuntiavit, ut ſuo loco oſtendam. Præterea extat apud Goltzium Tiberii Nummus, in quo legitur: TI. CÆSAR AUG. F. AUGUR. PON. TR. P. XII. in poſtica, COS. II. IMP. V. Tribunitiam Poteſtatem XII. ſuſcepit hoc anno Tiberius die XXVII Junii. Quare anno Chriſti XI Augur creatus; neque enim præcedentibus annis præterquam anno Chriſti quarto, quo ab Auguſto adoptatus eſt, in Nummis apud Mediobarbum dicitur *Augur*, ſicut in præfato Nummo, aliiſque, ſequentibus annis, percuſſis. Quoad Cenſuram, elicio ex Suetonio in Tiberio cap. 21. eam cum Imperio Proconſulari illi datam: *Ac non multò pòſt, lege per Conſules lata, ut Provincias cum Auguſto communiter adminiſtraret, ſimulque cenſum ageret, condito luſtro in Illyricum profectus eſt.* Docet Suetonius in Octavio Auguſto cap. 27. recepiſſe Auguſtum & *morum legumque regimen æquè perpetuum*, quam Cenſuram in Tiberium contuliſſe, quando eum Imperii Collegam dixit, ex verbis ejuſdem Suetonii ſuprà laudatis intelligitur. Reprehendit Noriſius in Diſſert. II de Cenotaphiis Piſanis Caii & Lucii Cæſarum cap. 16. Uſſerium, qui in Annalibus veteris Teſtamenti, ex eo quòd Suetonius cap. 42. de Tiberio ſcribat, *in ipſa publicorum morum correctione* Præfecturam Urbis Piſoni detuliſſe, quòd noctem continuumque biduum epulatus eſſet, colligat Uſſerius id contigiſſe, cùm Tiberius *Cenſor eſt factus.* Nam Cenſor fuit, inquit Noriſius, cum Auguſto anno Chriſti XIV. Quare anno ſuperiori Cenſor deſignatus fuerat, non verò anno Chriſti XII. Sed Suetonius, ſi Cenſorem Tiberium ſignificaret, annum Chriſti XIV deſignaſſet, quo *ipſa publicorum morum correctio* à Cenſoribus peracta fuit. Itaque deſignat tempus, quo Tiberius publicis edictis urbano luxui modum ponebat anno Chriſti XXII. Ita Noriſius, qui illud probare conatur ex Tacito & Suetonio paragrapho 13. ejuſdem capitis. Sed non dubito, quin vir doctiſſimus hallucinetur, & quin Cenſura Tiberio cum Imperio Proconſulari conceſſa fuerit; non quidem, ut eam tunc exerceret, cùm ea à præſentibus Romæ Cenſoribus ſemper acta fuerit: ſed, ut eidem ſuo tempore incumberet. Cui Tiberium anno Chriſti XII, quo Romam rediit, operam dediſſe, ſuo loco videbimus. Eodem itaque anno Tiberius & Collega Imperii, & Cenſor, & Augur appellatus.

IX. *Quo die & anno Tiberius Imperii Collegi dictus.*

Major difficultas eſt de anno, quo ii tituli Tiberio conceſſi. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum ſcribit, Tiberium regnaſſe *annis viginti ſex, menſibus ſex, diebus novemdecim.* Quibus ex verbis ſequeretur Tiberium *V Kalend. Septembris* præcedentis anni, die nempe viceſimo octavo menſis Auguſti, Collegam Imperii dictum eſſe. Obiit enim Tiberius, ut ſuo loco videbimus, XVII Kalendas Apriles anni Chriſti XXXVII; ideoque à die quinto Kalendas Septembris anni Chriſti X ad quintum Kalendas Septembris anni Chriſti XXXVI, anni ſunt viginti ſex abſoluti: ab eo die ad quintum Kalend. Martias anni Chriſti XXXVII, tres illi menſes interjiciuntur; tandemque à quinto Kalendas Martias ejuſdem Chriſti anni XXXVII ad XVII Kalendas Apriles, quo die Tiberius obiit, ultimo termino excluſo, dies ſunt XIX. Sic enim menſes & dies à Clemente memorati, more ſcilicet Romano, non verò noſtro, numerandi, ut in Diſſertatione Hypatica, parte prima cap. 3. num. 11 demonſtravi. Hac numerandi ratione ab Antiquis, dum menſes ac dies numerant, ſæpe uſurpata, à recentibus Scriptoribus non obſervata, loca clariſſima non rarò ab his intellecta non fuere. Dies quintus Kalendas Septembris ab Auguſto electus, quia, ut ibidem num. VII oſtendi, dies quintus Kalendas in quamdam religionem venerat ab anno Urbis DCCXXV, quo Auguſtus, victis ſuperiori anno Antonio & Cleopatra, aram Victoriæ dedicavit, ut oſtenderet *Imperium ſe ex victoria eſſe adeptum*, ut inquit Dio lib. 51. Ad quam dedicationem electus quintus Kalendas Septembris, ut diſcimus ex antiquo Kalendario marmoreo apud Gruterum pag. 133. in quo ad eandem diem habetur annotatum · ARA

Victoriæ in curia dedicata est. Sic Auguſtus anno Urbis dccxxxi non alio die quàm *quinto Kalendas Julias* Imperium Proconſulare accepit, eodemque poſtea Tiberium Cæſarem nuncupavit. Quare Clemens Alexandrinus rei geſtæ diem nobis conſervavit, ſed numeri annorum corrupti, quod in eo Autore non infrequens.

X.
Velleius & Suetonius de anno, quo Tiberius Imperii Collega dictus, diſſentiunt.

Velleius lib. 2. cap. 120. de rebus à Tiberio anno ſuperiori geſtis agens ait: *Mittitur ad Germaniam, Gallias confirmat, diſponit exercitus, præſidia munit, &c. maximaque cum gloria, incolumi omnium, quos tranſduxerat, numero, in hiberna revertitur.* Hæc præcedenti anno acta. Tum cap. 121. ait Velleius: *Eadem & virtus & fortuna ſubſequenti tempore ingreſſa animam Imperatoris Tiberii fuit, quæ initio fuerat: qui concuſſis hoſtium viribus, claſſicis peditumque expeditionibus, cùm res Galliarum maximæ molis, accenſaſque plebis Viennenſium diſſenſiones, coercitione magis quam pœnâ, molliſſet; & Senatus Populuſque Romanus, poſtulante patre ejus, ut æquum ei jus in omnibus Provinciis exercitibuſque eſſet, quàm erat ipſi, decreto complexus eſſet: (etenim abſurdum erat non eſſe ſub illo, quæ ab illo vindicabantur; & qui ad opem ferendam primus erat, ad vindicandum honorem non judicari parem) in Urbem reverſus, jampridem debitum, ſed continuatione bellorum dilatum, ex Pannoniis Delmatiſque egit triumphum.* Per hæc verba, *ſubſequenti tempore*, intelligit Velleius annum Chriſti xi & xii, aitque primò, Tiberium res Viennenſes compoſuiſſe, & Imperium Proconſulare accepiſſe; anno verò inſequenti eum Romam veniſſe, ibique triumphaſſe. Quæ opinio ſuperiori præferenda, ut ait Noriſius in literis ad me nuper ſcriptis, quòd Velleius rerum à Tiberio geſtarum teſtis fuerit, & hæc verba, *in hiberna revertitur*, geſta à Tiberio præcedenti anno claudere videantur. Refragatur tamen Velleio Suetonius in Tiberio cap. 20. & 21. ubi legem illam in Tiberii gratiam anno tantùm Chriſti duodecimo latam ſcribit, aitque: *A Germania in Urbem poſt biennium regreſſus, triumphum, quem diſtulerat, egit. . . . Dedicavit & Concordiæ ædem; item Pollucis & Caſtoris, ſuo fratriſque nomine de manubiis. Ac non multò pòſt lege per Conſules lata, ut Provincias cum Auguſto communiter adminiſtraret, ſimulque cenſum ageret, condito luſtro in Illyricum profectus eſt.* Ubi vides, Suetonium priùs memorare triumphum anno Chriſti xii certiſſimè actum, quàm legem illam, quâ Imperium Proconſulare Tiberio conceſſum. Nec hîc ſolùm Suetonius Velleio contrarius eſt in rebus geſtis Tiberii deſcribendis; ſed etiam alibi, quando loquitur de anno, quo Tiberius Rhodum ſeceſſit, ut ſuprà oſtendimus. In iiſdem literis ait Noriſius, jam anno Urbis dcc lix, Chriſti nempe ſexto, ædem Pollucis & Caſtoris Tiberium dedicaſſe, teſte Dione lib. 55. ædem verò Concordiæ anno Urbis dcclxiii, antecedente nempe Chriſti anno ex eodem Dione ibidem, ideoque Suetonium intelligere *manubias*, hoc eſt, ſpolia in triumpho lata, poſtea in utroque templo Tiberium dedicaſſe. Vox enim illa *manubiæ* id temporis triumphum, cujus illæ pompam auxerant, jam peractum indicant, ita ut manubiæ hoſtiles in pompa triumphi ſpectandæ delatæ fuerint, & ex his utrumque templum ſacratum. Sed quidquid ſit, certum eſt, Suetonium velle triumphum præceſſiſſe legem illam in Tiberii favorem emiſſam, adeoque à Velleio in anno rei geſtæ diſſidere. Uter erraverit, incertum; eòque magis, quòd Clemens Alexandrinus ab utroque diſcrepet, ut mox vidimus. Quia tamen Tiberius anno Chriſti xxi, rurſuſque anno Chriſti xxxi Conſul proceſſit, exiſtimandum, utrumque Conſulatum ob Decennalia & Vicennalia Imperii Proconſularis à Tiberio geſtum; ideoque & illum anno Chriſti xi Imperio Proconſulari donatum: quamquam uterque Conſulatus anno Chriſti xii, quo rem actam narrat Suetonius, reſpondere etiam poſſit, etiamſi Quinquennalia legitimo tempore celebrata fuerint. Præterea Sulpicius Severus lib. 2. Hiſtoriæ ſuæ Paſſionem Chriſti cum duorum Geminorum Conſulatu anno Chriſti xxix geſto connectens ait, eum crucifixum fuiſſe *anno regni* (nempe Tiberii) *octavo & decimo.* Quare Principatus Tiberiani initium ab anno Æræ Chriſtianæ undecimo deſumit Sulpicius, ex cujus, quemadmodum & Clementis Alexandrini ſuprà laudati, verbis apparet valde hallucinatos eos, qui ſcripſere, nullos ex Antiquis annos Tiberii ab Imperio Proconſulari ejus dinumeraſſe, quod etiam refellunt Patres illi, qui Chriſtum anno decimò quinto Tiberii mortem paſſum tradidere; ſupponunt enim Divum Lucam, quando ait, Chriſtum anno decimo quinto Tiberii baptizatum eſſe, loqui de anno decimo quinto Imperii ejus Proconſularis, ut infrà videbimus. Quare hic Tiberii Principatus ad annum decimum quintum ejus Imperii à Luca memoratum, intelligendum, hîc accuratè explicandus fuit.

X I.
Primum argumentum Petavii adverſus noſtram ſententiam.

Petavius lib. 11 de Doctrina Temporum cap. 7. Proconſularem Tiberii dignitatem pluribus examinavit, eamque citra Principatum eidem datam concluſit. Primum ejus argumentum deductum à Liviæ poſt Auguſti mortem ſolicitudine, quæ Tiberio abſente *acribus cuſtodiis domum & vias ſepſit, donec Tiberius adveniſſet; ac tum ſimul exceſſiſſe Auguſtum & rerum potiri Neronem fama tulit*, ut inquit Tacitus. Mox: *Primum facinus novi Principatus fuit, poſtumi Agrippæ cædes.* Nondum igitur Imperator, Princepſve creatus erat Tiberius, alioqui neque metuendi cauſam haberet Livia; neque novum Principatûs exordium caperetur; neque novus denique Principatus appellaretur. Quod & oſtendit Tiberii cunctatio, & Imperii per ſpeciem in Senatu detrectatio, de qua idem Tacitus & Suetonius in Tiberio cap. 24. Ita Petavius. Sed Tacitus & Suetonius ex eorum verbis explicandi; ille Tiberii tergiverſationis cauſæ & finis ab eo intenti rationem reddit, quia nempe Germanicus legiones, immenſa ſociorum auxilia, & favorem populi in manu habebat; adeo ut fuerint qui promptos ſe oſtentavere, *ſi Germanicus vellet Imperium*, inquit Tacitus Annal. lib. 1. quod & Velleius lib. 2. & Suetonius in Tiberio cap. 25. confirmant; immo Suetonius ait: *Simulavit & valetudinem*, (nempe Tiberius)

quò æquiore animo Germanicus cæterem ſucceſſionem vel certè ſocietatem Principatûs operiretur. Qui locus notatu digniſſimus; ſi enim nullus antea in ſocietatem Imperii aſſumtus, vana hæc ridiculaque Tiberii ſimulatio fuiſſet. Denique novus Principatus, Monarchicus nempe, novumque Principatûs exordium minime officiunt priori Tiberii Principatui; cùm ſæpe contigerit, ut filii à patribus Auguſti dicti fuerint, & poſt eorum mortem à novo Principatu nova epocha inchoata fuerit, ut omnibus notum.

XII. *Alia argumenta Petavii adverſus eandem.*

Affert præterea Petavius locum Spartiani in Hadriano, ubi de M. Aurelio & L. Vero loquens: *Hi ſunt*, inquit, *qui poſtea duo pariter Auguſti primi Rempublicam gubernavere*; quod & in Ælio Vero & in Antonino Philoſopho rurſus repetit. Unde infert Petavius, Auguſto demum mortuo Principatum & abſolutum Imperium obtinuiſſe Tiberium, & quòd par Auguſto in Provincias & exercitus nactus fuerit Imperium, non ex eo Principem & Imperatorem, Auguſtumve conſalutatum eſſe. Sed vana hæc objectio; nullus enim unquam dixit, Tiberium vivente Auguſto Auguſteam dignitatem adeptum eſſe, cùm Romanum Imperium ante M. Aurelium duos Auguſtos non viderit. Tiberius itaque Collega quidem Imperii fuit, ſed non Auguſtus; Princeps etiam & Imperator appellatus eſt, ſed inde non ſequitur, eum Auguſtum fuiſſe, quia nullam in Urbe poteſtatem aut imperium habebat, ſed tantùm Tribunitiam Poteſtatem & Proconſulare Imperium, ratione cujus idem quod Auguſtus in Provinciis & exercitibus poterat. At, inquit Petavius, pleraque quidem ſummi Imperii & Poteſtatis, hoc eſt, ut Græci dicunt, τῆς βασιλείας ornamenta jampridem in Tiberium collata fuerant, ſed hujuſmodi ferè, quæ citra ampliſſimum faſtigium aliis conceſſa ſunt, quos nemo ideo Romanos Imperatores appellet. Sunt hæc Tribunitia Poteſtas & Proconſulare in Provincias atque exercitus Imperium. De Tribunitia Poteſtate dubium non eſt, quin permulti compotes ejus fuerint, qui Imperatores nullo modo cenſentur: ut Agrippa, qui ante Tiberium eo honore exornatus fuerat. Multi etiam Proconſularem dignitatem citra Imperium adepti ſunt. Germanicus Druſi filius adoptatus à Tiberio nunquam Imperator fuit, neque Romanos inter Imperatores refertur. Et huic ipſi tamen Proconſulare Imperium, Tiberio poſtulante, Senatus detulit. Tacitus lib. I; qui & lib. II refert anno ab Urbe condita DCCLXX, Chriſti nempe XVII, eidem Provincias à Senatu permiſſas, *quæ mari dividuntur, majuſque Imperium quoquò adiſſet, quàm his, qui ſorte aut miſſu Principis obtinerent.* Sed & aliis nonnullis, ut ad ſpem Imperii ſucceſſioniſque certiſſimam, priuſquam Imperatores & Auguſti forent, idem honor eſt habitus. Ita Petavius, qui non animadvertit, eos Imperii Collegas dictos fuiſſe, non qui Tribunitia tantùm Poteſtate, aut qui Imperio tantùm Proconſulari, ſed qui utroque titulo abſoluti Imperii partibus, atque ab Imperatoribus cum Imperio pariter aſſumtis, decorati eſſent. Quare exempla, quæ in medium adducit, ad rem non faciunt. Proconſulare enim Imperium, quod inter titulos Principatûs, nullis extra Urbem limitibus coarctabatur, & tamen quod conceſſum eſt Germanico, ad Provincias tantùm, quæ mari dividuntur, extendebatur. Unde & fallitur Lipſius, dum in Notis ad lib. I. Annal. Taciti ſcribit, petitum fuiſſe Germanico Proconſulare Imperium perpetuum, quæ pars ſupremæ Poteſtatis eſt. Qua de re legenda, quæ ſcripſi in prima part. Diſſert. Hypat. cap. 3. num. IV. Denique non audiendus Petavius, quando negat eos Imperatores dictos fuiſſe, qui Tribunitia Poteſtate & Imperio Proconſulari præditi erant. Nam tot exemplis contrarium inferiùs conſtabit, ut mirum ſit, Virum doctiſſimum in ea ſententia fuiſſe; cùm etiam à Getæ Cæſaris Quinquennalibus Cæſares omnes, licèt neque Tribunitia Poteſtate, neque Imperio Proconſulari exornati eſſent, Imperatores nuncupati fuerint, ut infrà oſtendam. Velleius lib. 2. cap. 21. poſtquam locutus eſt de rebus à Tiberio anno Chriſti X geſtis, ait: *Eadem & virtus & fortuna ſubſequenti tempore ingreſſa animam Imperatoris Tiberii fuit, quæ initio fuerat*, &c. ſuprà recitata. Loquitur de rebus anno Chriſti XI, quo Tiberius Proconſulare Imperium accepit, geſtis: & Tiberium, quem antea Cæſarem tantùm appellarat, *Imperatorem* vocat. Verum eſt, Tiberium Imperatoris prænomen etiam poſt mortem Auguſti recuſaſſe, ut ait Suetonius in Tiberio cap. 26. *Prænomen quoque Imperatoris, cognomenque Patris patriæ, & civicam in veſtibulo coronam recuſavit: ac ne Auguſti quidem nomen, quanquam hereditarium ullis, niſi ad Reges ac Dynaſtas epiſtolis addidit.* Sed ex illis verbis malè infert Petavius, Tiberium ante Auguſti mortem Imperatorem dictum non eſſe, cùm Velleius eum eo nomine appellet; certumque ſit, alios Imperii Collegas Imperatores nuncupatos fuiſſe, idque ratione Imperii Proconſularis, ut ſuo loco demonſtrabo.

XIII. *Tiberius & Germanicus in Germania bellum gerunt.*

Dio lib. 56. loquens de rebus hoc anno geſtis ait: *Tiberius & Germanicus, cui Proconſulare erat Imperium, impreſſionem in Germaniam fecerunt*, &c. *prope Rhenum uſque ad autumnum morati, ludis in honorem natalium Auguſti actis, in Italiam reverſi ſunt.* Zonaras in Vita Auguſti de Tiberio loquens ait: *Poſt hæc ipſe & Germanicus in Celticam impreſſione facta, quaſdam ejus partes incurſarunt*, &c. Quæ ſuprà ex Dione retulimus. Ubi vides Zonaram vocem *Proconſulis* omittere, quam in priori parte Diſſert. Hypat. cap. 3. num. IV & V ad Tiberium, non verò ad Germanicum referendam cenſui, quòd tunc exiſtimarem, Tiberium anno præcedenti Proconſulari Imperio donatum, hancque Inſcriptionem ab Herwarto cap. 248. ſuæ Chronologiæ recitatam, quam Viennæ in Gallia legi dicit, ad Tiberium referri:

I. O. M.
TI. CLAVD.
CENSOR.
P. PROCON.
V. S. L. M.

Id eſt, *Jovi Optimo Maximo, Tiberius Claudius Cenſor, P. Proconſul, votum ſolvit lubens merito.* Tiberium verò hoc anno Viennam veniſſe diſertè docet Velleius loco anno præcedenti

recitato; & inſinuat Dio laudatus, quando ait, εἰς τὴν Κελτικὴν ἐσέβαλον, id eſt, *in Celticam impreſſionem fecerunt*. Celticæ enim nomine non tantùm Germania, ſed & Gallia intelligitur, ut teſtis eſt Cluverius lib. 1. de veteri Germania. Unde & Dionis locus malè ab Interprete verſus. Sed præterquam quòd Inſcriptio illa nunc Viennæ non extat, ut clariſſimus Juvenis in Hiſtoria Delphinatûs univerſæque Galliæ verſatiſſimus ad me ſcripſit, monuit me per literas Noriſius, Gruterum pag. 14. has duas Inſcriptiones in medium adducere.

4.	5.
I. O. M.	I. O. M
TI. CLAVD	TI. CLAVD
CENSOR	CENSOR
.·.·. PROQ	P..... PROC
V. S. L. M	V. S. L. M

XIV. *Tiberius Africæ Proconſul diverſus à Tiberio Auguſti filio.*

Ex quibus diſcimus, inquit Noriſius, Tiberium Claudium cognomine *Cenſor*, hoc eſt, Cenſorinum, (deſunt enim ſyllabæ finales) ibidem deſignari non *PROCON*ſulem, ſed *Provinciæ*, vel *Privatarum*, ſeu privatæ rei *PROC*uratorem: additque Joſephum Scaligerum compilatorem Indicis Gruteriani cap. 23. CENSOREM pro cognomine legere, qua de re, inquit Noriſius, ſe non litigare; ſed haberi in priori lapide Claudium *PRO-Quæſtorem*, in alio *PROC*uratorem, virum alium ſanè à Tiberio poſtea Auguſto. Ita Vir doctiſſimus, mihique amiciſſimus. Præfata itaque Inſcriptio ab Herwarto recitata ad Tiberium Imperii Collegam non ſpectat, ſed ad Tiberium Cenſorinum in Gruterianis Inſcriptionibus memoratum, cujus etiam Tertullianus in Apologetico cap. 9. ut opinor, meminit, quando ait: *Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam uſque ad Proconſulatum Tiberii*. Scaliger in Epiſtola ad Caſaubonum, quæ poſt ejus Opuſcula legitur pag. 485. dicit, hæc verba non poſſe intelligi niſi de Imperatore: *Alii enim omnes*, inquit, *cum nomine ipſo citantur, Tiberius Julianus, Tiberius Cornelius, & quidem compendio TI. ſolus Imperator ſuo prænomine tantùm deſignatur.* Sed Tiberium Africæ Proconſulem, Porphyrii & Lactantii auctoritate, Hadriano imperante floruiſſe oſtendit Valeſius in Notis ad Orationem Euſebii habitam in Tricennalibus Conſtantini. Prior lib. 2. de Abſtinentia ait: *Pallas verò, qui de ſacris Mithriacis optimè omnium ſcripſit, humanas victimas ferè ubique abolitas eſſe prodit, Principatu Hadriani*; quod confirmat Lactantius in lib. 1. divinarum Inſtitutionum cap. 21. *Apud Cyprios humanam hoſtiam Jovi Teucer immolavit: idque ſacrificium poſteris tradidit: quod eſt nuper Hadriano imperante ſublatum.* Quare ad idem tempus reſpexit Tertullianus, quando ſcripſit infantes in Africa Saturno palam immolatos fuiſſe uſque ad Proconſulatum Tiberii, qui Sacerdotes Saturni ob eam cauſam cruci ſuffixit. Cujus rei teſtem Tertullianus addit, eſſe militiam *patriæ ſuæ*, vel, ut quidam Codices ſcriptum habent, *patris ſui*, quæ idipſum munus Tiberio Proconſuli functa eſt. Ex quo apparet, adhuc recentem fuiſſe hujus rei memoriam. Cur enim teſtes citaret milites ſeu apparitores Proconſularis officii, niſi adhuc quidam ſuperfuiſſent, aut ſupereſſe potuiſſent ex iis, qui Tiberio Proconſuli apparuerant, tunc cum Sacerdotes illos in crucem egit? Quare Proconſulatus ille Tiberii commodè refertur in tempora Imperatoris Hadriani, inquit Valeſius, cui ſubſcribo. Ex his manifeſtum fit, eundem Tiberium cognomine *Cenſorem*, fuiſſe diverſis temporibus Proquæſtorem, rerum privatarum Procuratorem, & Africæ Proconſulem.

XV. *An tam Tiberius quàm Germanicus fuerint Proconſules.*

Sed, ut redeam ad Tiberium, qui poſtea imperavit, videtur ille Proconſul fuiſſe in expeditione Celtica hoc anno ſuſcepta, ideoque in hoc Dionis loco, *Tiberius & Germanicus cui Proconſulare erat Imperium*, vox *Germanicus* tranſpoſita, vel ultima verba ad Tiberium referenda, cujus durioris loquendi modi non deſunt exempla. Et ratio eſt, quia Germanicus miſſus eſt ab Auguſto in Germaniam anno Chriſti ſeptimo, ibique uſque ad annum Chriſti nonum bellum geſſit, ſed Tiberii Legati nomine, non verò tanquam Proconſul: quod ex eo conſtat, quòd anno Chriſti IX Auguſto & Tiberio triumphus decretus, Germanico inſignia triumphalia, ut ſuo loco ex Dione oſtendimus. Quòd ſi Proconſul bellum geſſiſſet, ovatione cohoneſtatus fuiſſet. Ovidius lib. 2. de Ponto eleg. 1. ad Germanicum, deſcribens triumphum à Tiberio ſequenti Chriſti anno geſtum, ait:

Pertulit hoc idem nobis, Germanice, rumor,
Oppida ſub titulo nominis eſſe tui.

Nempe in triumphali pompa argenteas figuras oppidorum, quæ Germanicus ceperat, ſub nomine Germanici, id eſt, à Germanico capta, in titulis indicata. Nihil de ovatione Germanici, quia ei decreta non fuerat, ſed ornamenta tantùm triumphalia, quæ aliis etiam Legatis data Dio teſtatur anno Urbis DCCLXII. Cùm itaque ante cladem Varianam Germanicus Tiberii Legatus tantùm fuerit, non videtur poſt eam cladem, quando rurſus in Germaniam cum Tiberio miſſus eſt, alio titulo exornatum fuiſſe; præſertim cùm poſt inſtitutum Imperium vix videamus duos Proconſules in eodem exercitu fuiſſe. Noriſius tamen in literis ad me ſcriptis, ubi præfatos Ovidii verſus deſcribit, arbitratur, cùm ob cladem Varianam majoribus copiis bellum gerendum eſſet, Auguſtum, non Tiberium ſolùm, ſed etiam Germanicum Proconſulari Imperio fultum, anno Chriſti antecedenti in Germaniam miſiſſe; uti olim bello periculoſo per duos Conſules idem bellum, ſtante Republica, adminiſtrabatur, quod minùs mihi probatur. Rectè tamen in iiſdem literis Noriſius monet, perperam me adduxiſſe ſequentem locum Suetonii Caligulæ vitæ initio ad oſtendendum in præfato Dionis loco, vocem *Proconſul* non ad Tiberium, ſed ad Germanicum, & epitheta non ſemper ad proximiora ſubſtantiva referri: *Germanicus Caii Cæſaris pater, à Tiberio patruo adoptatus, Quæſturam quinquennio antequam per leges liceret, & poſt eum Conſulatum ſtatim geſſit*, inquit Suetonius, cujus verba in Diſſert. Hypat. parte prima capit. 3. numer. VI ſic explicanda dixi cum Caſaubono, ut virgula ante adverbium *ſtatim* apponenda eſſet, & ſignificaret Suetonius, Germanicum, ſtatim ut ad-

optatus, Quæſturam geſſiſſe; ſicque adverbium *ſtatim* proximè referretur ad Quæſturam, non verò ad Conſulatum, qui immediate ante illud legitur. At hæc Caſauboni explicatio, quam ibi ſecutus ſum, rejicienda; cùm vox *ſtatim* non ſit excluſiva medii temporis, ſed Magiſtratûs intermedii, nempe Præturæ, quæ ſemper medius erat Magiſtratus inter Quæſturam & Conſulatum. Scribit enim Dio anno Urbis DCC LXV, Chriſti XII: *Poſtea Conſulatum Germanicus, nondum geſtâ Preturâ, accepit.* Quod indicat, inquit Noriſius, vox illa *ſtatim* apud Suetonium; cùm Dio anno Urbis DCC LX, Chriſti VII, Germanicum Quæſturam geſſiſſe ſcribat. Illud ſupereſt obſervandum, Zonaram hujus anni initio citatum, cùm hæreret, an vox *Proconſulis* apud Dionem tranſpoſita fuiſſet, illam prætermiſiſſe, ſolúmque ſcripſiſſe: *Poſt hæc ipſe* (nempe Tiberius) *& Germanicus in Celticam impreſſione facta, quaſdam ejus partes incurſarunt*, &c.

V.C.765.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5505. ☉21 CB. ☽13. Indict. 15.
Jesu-Christi 12. *ſecundùm Baronium* 14.
Augusti Imp. 56.

I. *Conſules.*

COss. *Germanicus Cæſar, & C. Fonteius Capito.*

II. *Tiberius & Germanicus Romam reverſi.*

Tiberius & Germanicus currenti tantùm anno è Germania in Urbem redierunt, ut elicio ex Velleio lib. 2. cap. 104. ubi poſtquam Tiberium, protinus ab adoptione, quæ V Kalendas Julias anni Chriſti IV contigit, in Germaniam miſſum ſcripſit, addit: *Miſſus cum eo Præfectus equitum in Germaniam ſucceſſor officii patris mei,, cæleſtiſſimorum ejus operum, per annos continuos novem Præfectus, aut Legatus, ſpectator, & pro captu mediocritatis meæ adjutor fui.* Quòd ſi anno præcedenti Tiberius & Germanicus Romam veniſſent, non annos *novem*, ſed *octo* tantùm Velleius Tiberii Legatus fuiſſet. Quare, quando Suetonius in Tiberio cap. 20. de Tiberio ait: *A Germania in Urbem poſt biennium regreſſus*; biennium illud uſque ad præſentem annum protogat. Quando verò Dio & Zonaras præcedentis anni initio citati ſcribunt, Tiberium & Germanicum *autumno*, præcedentis nempe Chriſti anni, Romam reverſos eſſe, adverſus Velleium teſtem oculatum audiendi non ſunt. De triumpho Tiberii hoc anno geſto, eique jam ab anno Chriſti IX decreto, legendi Dio, Velleius & Suetonius.

III. *Caligula alio in loco genitus, in alio natus.*

Natus hoc anno Caius Caligula, qui poſtea imperavit, de cujus nativitatis loco hactenus controverſia mota. Suetonius in ejus Vita cap. 8. ait: *Caius Cæſar natus eſt pridie Kalendas Septembris, patre ſuo & C. Fonteio Capitone Coſſ. Ubi natus ſit, incertum diverſitas tradentium facit. Cneus Lentulus Getulicus Tiburi genitum ſcribit: Plinius Secundus in Treveris, vico Ambiatino ſupra Confluentes: addit etiam pro argumento, aras ibi oſtendi inſcriptas, OB AGRIPPINÆ PUERPERIUM. Verſiculi, imperante mox eo, divulgati, apud hibernas legiones procreatum indicant:*

In caſtris natus, patriis nutritus in armis:
Jam deſignati Principis omen erat.

Ego in Actis Antii invenio editum. Reſponderque poſtea ad Plinii rationes. Lipſius verò in Notis ad lib. 1. Annal. Taciti, ubi is de Caio Caligula ſcribit: *Jam infans in caſtris genitus, in contubernio legionum eductus*; pluribus refellit Suetonium, Pliniumque tuetur, dicens nihil obſtare, Agrippinam relictam à Germanico marito in Germania, ibi hoc anno peperiſſe, eodemque in Urbem rediiſſe. Sed tam Plinius, quàm Suetonius & Lipſius, aliique alterutrum ſecuti, meo judicio, hallucinantur. Caius enim alio in loco genitus, alio in loco natus. Incidit ejus natale in diem ultimum menſis Auguſti currentis Chriſti anni, ideoque menſe circiter Octobris anni antecedentis; quo Germanicus adhuc in Germania erat, procreatus eſt; ſicque accuratè Tacitus ait, hunc in caſtris genitum, & in contubernio legionum eductum, ſeu educatum. Ex quibus tamen verbis perperam infert Lipſius, exiſtimaſſe Tacitum in Germania Caium natum eſſe. Verſiculi verò laudati neque ei, neque Plinio favent: *in caſtris* enim *natus*, idem eſt quod, *in caſtris genitus*, quomodo eos divulgatos exiſtimo, quibuſve verbis eos ipſemet Lipſius exhibet. Denique rectè dicit Suetonius, cùm Agrippina bis in Germania filias enixa fuerit, Inſcriptionem à Plinio allatam ad rem non facere. Caius itaque in Germania genitus, Antiique in Italia natus.

IV. *Cenſus inchoatur,*

Euſebius in Chronico anno Abrahami 2028. ſecundùm editionem Pontaci ait: *Auguſtus cum Tiberio filio ſuo cenſum Romæ agitans, invenit hominum nonagies trecentena & ſeptuaginta millia.* Incipit hic annus Abrahami Kalendis Septembribus præcedentis Chriſti anni. Quare cenſus, qui annos aliquot, antequam luſtrum conderetur, fieri ſolitus erat, hoc anno inchoatus. Ille enim nonniſi Cenſoribus Romæ præſentibus editus. Ad alium itaque annum luſtrum, ad alium cenſus pertinet. Præterea Cenſura cum Imperio Proconſulari Tiberio communicata, iſque Cenſor declaratus, ſed ea Poteſtas ante ejus in Urbem reditum ad actum non reducta. Quæ duo hactenus non ſatis obſervata. Toto anno ſequenti cenſus continuatus, cùm luſtrum ad annum Chriſti XIV pertineat.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5506. ☉22 A. ☽14. Indict. 1. Olymp. 198. V.C.766.
Jesu Christi 13. *ſecundùm Baronium* 15.
Augusti Imp. 57.

I. *Conſules.*

COss. *C. Silius, & L. Munacius Plancus*, ex Dione. Baronius priorem vocat C. Silium Nepotem: ſed cognomen illud *Nepos* fictitium, ut jam alibi cum Noriſio dixi.

II. *Imperium Auguſto in decennium conceſſum.*

Auguſtus *quintum in decennium gubernationem Reipublicæ, invitus ſcilicet accepit: Tiberio Tribuniciam Poteſtatem prorogavit: Druſo Tiberii filio poteſtatem Conſulatûs tertio anno, etiam non geſtâ Preturâ, petendi*, inquit Dio ſub hujus anni Coſſ. Mediobarbus hunc Nummum Tiberii producit, Ti. Cæsar Augusti F. Tr. Pot. XV.

Repræſentantur Quadrigæ triumphales. In poſtica, CÆSAR AUGUSTUS DIVI F. PATER PATRIÆ. Viſitur caput Auguſti. Producit & Nummum Auguſti, CÆSAR AUGUSTUS DIVI F. PATER PATRIÆ, Caput Auguſti. In poſtica, TI. CÆSAR AUGUSTI F. TR. POT. XV. Quadrigæ triumphales. Tiberius currenti anno *V Kalend. Julias* Tribunitiam Poteſtatem XV ſuſcepit. Quare præfati Nummi ſimileſve à Mediobarbo in Numiſmatibus Imperatorum Romanorum deſcripti, hoc anno cuſi ſunt. Ait Mediobarbus V. C. ad triumphum Tiberii de Pannonibus, Dalmatis, & Germanis, quem anno ſuperiori duxit, hos Nummos ſpectare. At referendi illi ad victorias ultimo decennio reportatas, non verò ad Tiberii triumphum. Hinc factum, ut annis Decennalibus Imperatorum dicatis Quadrigæ triumphales ob victorias præcedenti decennio relatas decretæ fuerint, ut infrà ſæpius viſuri ſumus. Imperatorum enim Decennalia à prorogatione Imperii Auguſto conceſſi in decennium nata; ideoque in illis de more acta, quæ ſingulis decenniis in honorem Octaviani Auguſti factitata fuerant. Ob eandem rationem Auguſtus, qui hactenus *Imperator* tantùm XX in Nummis dicebatur, appellatus eſt Imp. XXI, ut liquet ex hoc Nummo à Mediobarbo recitato, IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS IMP. XXI. in poſtica, PONTIF. MAXIM. TRIBUN. POTEST. XXXVII. S. C. quod exemplum ſucceſſores in Decennalibus quandoque imitati ſunt.

V. C. 767.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5507. ☉ 23 G. ☽ 11. INDICT. 2.
JESU CHRISTI 14. *ſecundum Baronium 16.*
TIBERII IMP. 1.

I. *Conſules.* COSS. *Sex. Pompeius*, & *Sex. Appuleius* ex Dione. Baronius utrique *Nepotis* cognomen affingit errore jam ſuprà confutato.

II. *Archelaus Viennam relegatus.* Baron. n. 1. Archelaus Herodis Aſcalonitæ filius anno Chriſti VII Viennam Galliæ in exilium ab Auguſto miſſus, patrimonio ejus & theſauris fiſco adjudicatis. Et ratio eſt, quia anno Juliano quadrageſimo tertio patri ſucceſſit, decimumque regni annum attigit, quo anno Joſepho Sacerdoti natus eſt filius Matthias, βασιλεύοντος Ἀρχελάου τὸ δέκατον, id eſt, *decimo regni Archelai anno*, ut ex publicis Tabulis in libri de vita ſua initio retulit Matthiæ hujus filius Flavius Joſephus Hiſtoricus. Is ob hanc rationem, quod in libris Belli Judaïci de novem *Archelai* annis priùs ſcripſerat, in libris Antiquitatum omnino mutandum eſſe cenſuit: decem & annos in regno & ariſtas in ſomno *Archelai* ſubſtituens. Qui quidem anni decem utrinque incompleti fuere. Dio quidem lib. 55. anno Urbis DCC LIX, Chriſti ſcilicet VI, ſcribit: *Herodes Palæſtinus à fratribus accuſatus, trans Alpes eſt relegatus, ac pars ejus ditionis in publicum redacta.* Sed non mirum, cum exilium ejus anno uno antevertiſſe; cùm poſteriùs *Herodis* patris regnum anno uno tardiùs conſignarit; ſicque mortem ejus anno etiam uno differre coactus fuerit. In eo autem quod Archelaum Herodem Dio appellat, non hallucinatur, ut communiter recentes Hiſtorici ſcribunt; ſed *Archelaum* duplex nomen tuliſſe nos edocet; ſicut & *Archelaus* junior, qui Herodes Archelaus dictus eſt, ut inferiùs viſuri ſumus. Joſephus in fine lib. 17. de Antiquit. ſcribit; Archelao Romæ damnato, atque Viennam Galliæ in exilium deportato, *mittitur à Cæſare Quirinius vir Conſularis, qui cenſum agat in Syria*, qui cenſus numquam antea in Judæa actus fuerat, ut in Apparatu Chronologico dixi. Idem Joſephus lib. 18. cap. 3. annum cenſus primitus peracti ita deſignat, *triceſimo ac ſeptimo anno poſt cladem Antonio apud Actium à Cæſare illatum.* Annus Actiacus XXXVII cœptus eſt die XXX menſis Auguſti anni Chriſti ſexti. Quare anno inſequenti facultates Archelai in publicum fiſcum relatæ, & cenſus in Judæa actus.

III. *Hiſtoria Judæorum accuratè à Joſepho ſcripta.* Baron. n. 1. Baronius exiſtimat cum Euſebio in Chronico, Archelaum Viennam præſenti anno relegatum fuiſſe, ac Dioni Joſephum impoſuiſſe, à quo *res Judæorum creditur mutuatus.* Quod certè admitti non poteſt, cùm Joſephus accuratè Herodis Hiſtoriam ex Romanis Auguſteæ ætatis Scriptoribus, qui injuriâ temporum intercidere, exſcripſerit; Hiſtoria verò Herodis ac filiorum ejus ab Euſebio elucubrata intolerabilibus erroribus ſcateat. Petavius lib. 11 de Doct. Temp. cap. 1. eoſdem errores Euſebio tanquam primario auctori tribuit; ait enim: *Horum omnium* κατευνημάτων & ταραχευμάτων, *atque illius Hiſtoriæ calamitatis, ſi quis fundum eſſe dicat Euſebium, is à veritate, me quidem judice, non abhorreat. Etenim tam ille in Herodis temporibus digerendis hallucinatus eſt, ut reliquis, qui eum univerſi ferme ſecuti ſunt, largiſſimè peccandi ſegetem occaſionemque præbuerit.* At longè diu ante Euſebium hujuſmodi perturbationes in Herodis Hiſtoriam inductæ; Julius enim Africanus, Clemens Alexandrinus, aliique multi, qui Euſebium præceſſere, & Natale Chriſti in annum Julianum XLIII contulere, Herodem adhuc in vivis fuiſſe, ac ad inſequentes annos vitam produxiſſe ſine dubio ſuppoſuere; cùm tamen certum videatur, eundem ultra illum annum Julianum Imperium & vitam non propagaſſe. Quare errores illi vetuſti, ab Euſebio, qui in eorum patrocinium Joſephum trahere nititur, magis quidem aucti, non tamen primùm diſſeminati.

IV. *Silanus Quirinio ſuccedit in Præfectura Syriæ.* Quoad *Quirinium*, de quo plura adverſus Baronium in Apparatu Chronologico diximus, ſucceſſit *Cneio Sentio Saturnino* anno Chriſti ſeptimo, ut mox diximus ex Joſepho, Syriamque rexit uſque ad annum Chriſti duodecimum, quo *Q. Cæcilius Silanus Creticus* eam Provinciam obtinuit. Scripſit ad me Noriſius V. C. extare in Muſeo Illuſtriſſimi Marchionis Riccardi & in Mediceo, Nummos duos æreos, in quorum antica viſitur caput Jovis, & in poſtica legitur: ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. Repræſentatur Aries retro ſydus aſpiciens, & in medio ΓΜ. Eſt annus Antiochenus XLIII ab anno Urbis DCC XXIII, ſeu victoria Actiaca deductus: extare & duos alios etiam æreos in Gaza Medicea ejuſdem Silani omnino ſimiles cum

his verbis, ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. & in medio, ΔΜ. Eſt annus Antiochenus XLIV. Prior Antiochenus annus inchoatur anno Chriſti XII; poſterior currenti Chriſti anno. Quare jam anno præcedenti *Silanus* Syriam adminiſtrabat. Quod ex eo certum redditur, quòd Noriſius in iiſdem literis moneat, aſſervari in Gaza Medicea Nummum *Silani*, in cujus antica viſitur caput Tiberii cum inſcriptione: ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΚΑΙΣΑΡ. quia Tiberius cognomen Auguſti initio non admiſit, ut teſtatur Suetonius in Tiberio. Hæc ejus poſtica.

Α
ΕΠΙ ΣΙ
ΛΑΝΟΥ
ΑΝΤΙΟ
ΧΕΩΝ
ΕΜ

Nota Superior Α primum Tiberii annum; notæ inferiores ΕΜ annum XLV ab imperio Auguſti in Syria notant. Incipit is Auguſti annus anno Urbis conditæ DCCLXVII, Chriſti nempe XIV, quo die decima nona Auguſti Octaviano Tiberius ſucceſſit. Præterea Toinardus Vir doctiſſimus ſcripſit ad me, vidiſſe ſe Silani Nummos anno Antiocheno ZM notatos cum nota Γ ſupra Silani nomen, quæ non tantùm tertium Imperii Tiberiani annum deſignant; ſed etiam notam Α Nummo Mediceo adſcriptam primum Tiberii annum ſignificare certò demonſtrant. Quadrageſimus autem ſeptimus annus Antiochenus incipit anno Urbis DCCLXIX, anno ſcilicet Chriſti XVI, quo Tiberius tertium Imperii annum iniit. Ex ultimis Silani Nummis Eram Antiochenam in Numiſmatis Præſidum Syriæ expreſſam, ab anno Urbis DCCXXIII, quo pugna Actiaca habita, deductam fuiſſe manifeſtè liquet, ac Noriſium in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. II cap. 16. paragrapho 13. non bene eam ab anno inſequenti, Urbis nempe DCCXXIV, deſumſiſſe ut ipſemet ad me ſcripſit. Sic enim fieri non poſſet, ut annus Antiochenus XLV cum primo Tiberii, & annus XLVII cum tertio ejuſdem Imperatoris concurreret, ut examinanti patet. Videnda quæ diximus, cùm de Era Actiaca locuti ſumus. Silanus itaque Syriæ Legatus fuit uſque ad annum Chriſti decimum ſeptimum, ut eo anno videbimus.

V. *Auguſtus luſtrum condit, & moritur.* Baron. n. V.

Ad num. II. Auguſtus die decima nona Auguſti è vivis exceſſit, ut rectè in Epitome, cui Tiberius jam Imperii Collega ſucceſſit. Ante mortem luſtrum condidit *in campo Martio*, inquit Suetonius in Auguſto cap. 97. & quidem *centum dies* antequam moreretur, ut teſtatur ibidem Suetonius. Ex quibus elicio, luſtrum *IV Idus Maii* fuiſſe conditum: ad eum enim diem in veteri Kalendario, quod apud Goltzium extat, legitur, *Lud. Mart. in circ.* & à die IV Idus Maii ad diem XIV Kalend. Septembris dies centum interjiciuntur. Addit ibidem Suetonius de Auguſto loquens: *Vota, quæ in proximum luſtrum ſuſcipi mos eſt, Collegam ſuum nuncupare juſſit: nam ſe, quamquam conſcriptis paratiſque jam tabulis, negavit ſuſcepturum, quæ non eſſet ſoluturus.* Mortem enim ſuam præſagiebat. In luſtris itaque Vota ſolvi, & nova in quinquennium ſuſcipi mos fuit; indeque origo Votorum, quæ in Quinquennalibus & id genus feſtis poſtea ſuſcepta, repetenda. Auguſtus tria luſtra fecit ex Marmore Ancyrano, & Suetonio cap. 27. Primum anno Urbis DCCXXVI in ſexto ſuo Conſulatu, Collega M. Agrippa ex Dione cap. 53. Secundum anno Urbis DCCXLVI; in eodem enim Marmore Ancyrano Auguſtus ait: *Nuper luſtrum ſolus feci, legi*, Cenſorino & *Aſinio Coſſ.* &c. Tertium denique luſtrum ab Auguſto actum ad hunc annum pertinet. De his Auguſti luſtris legenda, quæ ſcribit Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. II cap. 1. Tiberius *condito luſtro in Illyricum profectus eſt: & ſtatim ex itinere revocatus ſpirantem adhuc Auguſtum reperit.* Profectus itaque in Illyricum non eſt, niſi poſt diem duodecimum Maii, quo luſtrum peractum demonſtravimus, quóve illud de more factum exiſtimamus. Livius lib. 1. loquens de Servio Tullio Romanorum Rege, qui luſtrum inſtituit, ait: *In campo Martio inſtructum exercitum omnem ſue, ove, taurilibus luſtravit, idque conditum luſtrum appellatum, quia in cenſendo finis factus eſt.* Idem poſtea à Cenſoribus in aliis luſtris factitatum. Noriſius in Diſſert. de Votis Decennalibus cap. 1. arbitratur hujuſmodi ſacrificia in Quinquennalibus & id genus feſtis etiam facta. Sed quæ ad id probandum Vir eruditiſſimus in medium adducit, oſtendunt quidem illa ſacrificia ob alias etiam quàm ob luſtrum cauſas à Romanis, ſed non in Quinquennalibus, peracta. Cùm tamen Vota Quinquennaliorum & Decennaliorum ab his, quæ in luſtro condendo nuncupabantur, originem etiam duxiſſe videantur, ejus conjectura veriſimilitudine non caret.

VI. *Auguſti mors malè ab Euſebio conſignata.*

Euſebius in Chronico Auguſti mortem anno præcedenti perperam conſignat. Eam enim cum anno Abrahami 2029. connectit; qui Abrahami annus Kalendis Septembris anni Chriſti duodecimi inchoatur. Quare cùm Auguſtus die decima nona menſis Auguſti vitâ functus fuerit, mors ea ſecundùm Euſebii ſententiam ad annum præcedentem pertinet: quæ cùm ſit falſiſſima, trium ſequentium Imperatorum Chronologia in Chronico Euſebiano depravata. Ex ea tamen opinione deduco primùm, Euſebium annos Auguſtei Imperii aliter in univerſum quàm in particulari numerare. Quando enim de toto, quo Auguſtus regnavit tempore, in Chronico loquitur, ejus Imperii initium à morte Julii Cæſaris, ſeu ab Idibus Martiis anni Abrahami milleſimi nongenteſimi ſeptuageſimi tertii, qui anno Periodi Græco-Romanæ 5449. menſe Septembri exorditur, deſumit; quod ex eo probatur, quòd Auguſti mortem collocet anno Abrahami bis milleſimo viceſimo nono, qui majori ſui parte cum anno Chriſti decimo tertio concurrit. Quo pacto rectè ſcribit Euſebius, regnaſſe Auguſtum annos quinquaginta ſex, menſes ſex. At quando Auguſti annos in particulari numerat, primum conjungit cum anno Abrahami milleſimo nongenteſimo ſeptuageſimo quarto à Septembri menſe inchoato, licet menſe Martio anni Abrahami antecedentis Julius Cæſar occiſus fuerit. Et ratio eſt,

quia certum haberi debet, Euſebium exiſtimaſſe, Chriſtum natum eſſe anno Abrahami bis milleſimo decimo quinto, quod verum eſſe non poteſt, niſi primum Auguſti annum ab anno Abrahami milleſimo nongenteſimo ſeptuageſimo quarto inchoarit. Quod eò magis dicendum, quòd ſequentium Imperatorum annum primum à menſe Septembri morti deceſſoris proximiori incipere ſoleat. Deduco ſecundò, Euſebium annum Abrahami bis milleſimum decimum quintum, quo Chriſtum conceptum aſſerit, & quadrageſimum ſecundum Auguſti annum anno Juliano XLIII illigare. Ex quo & ſequitur, erraſſe Scaligerum in editione Chronici Euſebiani, in quo primum Chriſti annum cum anno Auguſti quadrageſimo tertio componit. Nam, ut advertit Valeſius in Notis ad Euſebium lib. I. cap. 5. in vetuſtiſſimis Codicibus Euſebiani Chronici primus Chriſti annus concurrit cum anno XLII Imperii Auguſti. Quod in Euſebii ſententia neceſſariò dicendum; cùm annos non à Nativitate, ſed ab Incarnatione Chriſti numeraverit, idque ſecundùm Æram Incarnationis Alexandrinorum, quæ anno quadrageſimo tertio inchoatur. Ex eo Scaligeri errore alius conſequitur, quòd nempe annum Incarnationis XIV cum anno Abrahami 2029. copulavit; quamvis in Euſebii opinione Auguſtus mortuus ſit anno Incarnationis ſecundùm Alexandrinos XV, qui cum eodem anno Abrahami 2029. menſe Septembri ſeu Æræ Chriſtianæ XII inchoatur. Denique Valeſius citatus hallucinatur, quando ait, annum primum Auguſti ſecundùm Euſebii ſupputationem, eum eſſe, quo Hirtius & Panſa Conſules fuerunt. Nam ſi ab eo anno primum Auguſti annum inchoaſſet, non dixiſſet, Auguſtum regnaſſe annos LVI, menſes VI. In eundem errorem incidit Petavius, quòd non obſervaſſet, Euſebium Auguſti mortem cum anno Æræ noſtræ XIII conjungere. Ex quo & in alium delapſus eſt, Chriſtum nempe ſecundùm Euſebium natum eſſe anno Juliano XLV, quem perperam exiſtimat concurrere cum anno XLII Auguſti ab Euſebio memorato, ut videre eſt in Animadverſionibus Epiphanianis ad hæreſim 51. pag. 130.

VII. *Tiberius Decennalia induxit.*

Dio lib. 57. de Tiberio ait: *Decem annis Imperii ejus exactis, ad reſumendum id, nihil decreto opus habuit: neque enim in decennia interciſum, quod Auguſtus fecerat, id gerere ſtatuerat.* Tiberius itaque primus ex Imperatoribus fuit, qui Quinquennalia, Decennalia; & id genus feſta in morem induxit. Introducta & ab eodem ſecunda Conſulatuum Cæſareorum Regula, ut nempe Imperatores annis hujuſmodi feſtivitatibus addictis Conſulatum ſumerent; prima enim Auguſto attribuenda, qui anno poſt Julii Cæſaris mortem Conſulatum ſuffectum iniit. Quia verò Chronologia Faſtique ſummam ab hujuſmodi feſtis tam à Gentilibus, quàm à Chriſtianis Imperatoribus, magnâ pompâ celebratis, lucem accipiunt, ea modò ex conjecturis, modò certis argumentis, annis ſuis conſignabo. Poſt familiam Juliam in Nerone extinctam, Cæſares omnes Vota Quinnquennalia nuncupaſſe certum: antea, cùm nomen illud potiùs familiæ quàm Imperii eſſet, Cæſares Quinquennalia non exhibuere, niſi vel Tribunitia Poteſtate, aut Imperio Proconſulari, aut utroque exornati eſſent.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5508. ☉ 24 F. ☽ 16. INDICT. 3.
JESU CHRISTI 15. *ſecundum Baronium* 17.
TIBERII IMP. 2.

V.C. 768

I. *Conſules.*

COSS. *Druſus Cæſar, & C. Norbanus Flaccus.* Erat Druſus Tiberii Auguſti filius, qui anno Chriſti XI Quæſturam geſſerat, ut docet Dio lib. 56. cuique Auguſtus anno Urbis DCC LXVI, Chriſti ſcilicet XIII, *Poteſtatem Conſulatûs tertio anno, etiam non geſtâ Præturâ, petendi conceſſit*, inquit Dio ibidem.

II. *Cæſar, nomen familiæ, non dignitatis, ante Neronis interitum.*

Cùm Druſus filius Tiberii Cæſaris eſſet, Cæſar ratione familiæ vocatus eſt. Zonaras quidem in Tiberio ſcribit, Germanicum tres filios reliquiſſe, *quos*, inquit, *Auguſtus in teſtamento ſuo Cæſares appellavit.* Quod ſi verum eſſet, ſequeretur, Druſum non minùs ob dignitatem, quàm ob familiam, Cæſaris nomen tuliſſe. Sed Zonaram ea in re errare, exiſtimat Noriſius, ut me per literas monuit, ideoque ante Neronis interitum, Cæſaris nomen familiam, non verò dignitatem deſignabat, in quantum conjicere poſſumus; hac enim in re mihi aquam hærere fateor.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5509. ☉ 25 ED. ☽ 17. INDICT. 4.
JESU CHRISTI 16. *ſecundùm Baronium* 18.
TIBERII IMP. 3.

V.C. 769.

I. *Conſules.*

COSS. *T. Statilius Siſenna Taurus, & L. Scribonius Libo*, ex Dione.

II. *Quinquennalia Tiberii.*

Incidunt in hunc annum Quinquennalia Imperii Proconſularis Tiberii ab anno Chriſti XI deducta. Ad ea revocanda, quæ Tacitus lib. 2. Annal. ſub hujus anni Conſulibus ſcribit: *Fine anni arcus propter ædem Saturni ob recepta ſigna cum Varo amiſſa, ductu Germanici, auſpiciis Tiberii: & ædes Fortis Fortunæ Tiberim juxta . . . ſacrarium genti Juliæ, effigieſque Divo Auguſto apud Bovillas, dicantur.* Annis enim hujuſmodi feſtis addictis arcus erigi & templa dicari mos erat.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5510. ☉ 26 C. ☽ 18. INDICT. 5. Anno Urbis 770.
JESU CHRISTI 17. *ſecundùm Baronium* 19. Olymp. 199.
TIBERII IMP. 4.

I. *Conſules.*

COSS. *C. Cælius Rufus, & L. Pomponius Flaccus*, ex Tacito lib. 2. Annal.

II. *Sybillina oracula.* Baron. n. 11.

Ad num. II. Quæ narrantur in Epitomé de Sybillinis oraculis, pertinent ad annum Chriſti XIX, cùm ea Dio lib. 57. recitet ſub Conſulatu Silani & Norbani, qui illo anno

Faſtis

Faſtis nomen dedère.

III. *Piſo fit Syriæ Præſes.* Hoc anno, decreto Senatûs *permiſſæ Germanico Provinciæ, quæ mare dividuntur*, ut motum Orientem componeret, ut ait Tacitus lib. 2. Annal. Et quia Syriæ Præſes *Creticus Silanus* per affinitatem Germanico erat connexus, *Cn. Piſonem* ſucceſſorem illi conſtituit Tiberius, ad ſpes Germanici coërcendas. Ita Tacitus loco citato.

V.C. 771. Anno Periodi Græco-Romanæ 5511. ☉ 27 B. ☽ 19. Indict. 6.
Jesu Christi 18. *ſecundùm Baronium* 20.
Tiberii Imp. 5.

I. *Conſules.* Coss. *Tiberius Aug. III*, & *Germanicus II.*

II. *Quindecennalia Imperii Cæſarei Tiberii.* Sumtus is à Tiberio Conſulatus juxta II regulam Conſulatuum Cæſareorum, propter nempe Cæſarei ejus Imperii Quindecennalia, ab anno Chriſti XIII, quo ei Tribunitia Poteſtas prorogata, deducta. Ad ea ſolennia pertinent, quæ Tacitus lib. 2. Annal. ſub hujus anni Conſulibus ſcribit: *Cappadoces in formam Provinciæ redacti, Q. Veranium Legatum accepere, & quædam ex regiis tributis diminuta, quò mitius Romanum Imperium ſperaretur. Comagenis Q. Servæus præponitur, tum primùm ad jus Prætoris tranſlatis.* Hæc horum ſolennium indicia: annis enim his feſtis, Regna in Provinciam redacta, populi tributis levati, & novitates inductæ. Quare licèt Cappadocia anno præcedenti Archelaum Regem amiſiſſet, ut teſtatur Tacitus laudatus, ante tamen præſentem annum in jus Provinciæ non redacta.

V.C. 772. Anno Periodi Græco-Romanæ 5512. ☉ 28 A. ☽ 1. Indict. 7.
Jesu Christi 19. *ſecundùm Baronium* 21.
Tiberii Imp. 6.

I. *Conſules.* Coss. *M. Julius Silanus*, & *C. Norbanus Balbus*. Sic enim appellandus, non verò *Flaccus*, ut obſervat Noriſius ex Pighii Inſcriptione ad annum Urbis 771. Gruteriana altera pag. 1041. Plinio lib. 2. cap. 57. & Idacii Faſtis: ita Vir eruditiſſimus in literis ad me ſcriptis.

II. *Quinquennalia Imperii Auguſtei Tiberii.* Quinquennalia Imperii Auguſtei Tiberii in hunc annum incidunt, ut ex ejus Decennalibus liquet. In Gaza regia aſſervatur Nummus inſcriptus, Ti. Caesar Divi Aug. F. Aug. P. M. Tr. P. XXI. S. C. in averſa parte, Civitatibus Asiae restitutis. Viſitur effigies Aſiæ muliebri ſpecie ſedens. Anno Chriſti XVII duodecim celebres Aſiæ Urbes terræ motu collapſæ, ut ſcribit Tacitus lib. 2. Annal. quas cùm Tiberius reſtituiſſet, ei coloſſus erectus juxta ædem Veneris, in Romano foro; & in unaquaque reſtauratarum urbium ſtatuæ illi poſitæ, ut ex Appollonio Grammatico refert Phlegon Trallianus in lib. de Mirabilibus. Quæ hoc anno facta occaſione Quinquennalium Tiberii, oſtendit hujus Tribunitia Poteſtas XXI, V Kalendas Julii capeſſita. Porro annis Quinquennalibus & id genus feſtis dicatis, urbes aut conſtructas aut de novo reædificatas multis exemplis liquet.

Ad num. IV. Germanico Cæſare arte Piſonis Syriæ Præſidis extincto, *Cneius Sentius Saturninus* Prolegatus Syriam obtinuit, ut teſtatur Tacitus lib. 2. Annal. anno Urbis DCCLXXII. Hunc Saturninum diverſum eſſe ab eo, qui jam ante *Quirinium* Syriam adminiſtraverat, non dubito. Videtur filius fuiſſe C. Sentii Saturnini, qui ante Quinctilium Varum Syriam rexerat. Joſephus enim lib. 16. Antiquit. cap. 17. ait, illum C. Sentium Saturninum tres filios habuiſſe, eoſque ejus Legatos fuiſſe. III. *Saturninus Syriæ præficitur.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5513. ☉ 1 G F. ☽ 2. Indict. 8. V.C. 773.
Jesu Christi 20. *ſecundùm Baronium* 22.
Tiberii Imp. 7.

Coss. *M. Aurelius Meſſala*, & *M. Aurelius Cotta*. I. *Conſules.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5514. ☉ 2 E. ☽ 3. Indict. 9. Olymp. 200.
Jesu Christi 21. *ſecundùm Baronium* 23. V.C. 774.
Tiberii Imp. 8.

Coss. *Tiberius Aug. IV*, & *Druſus Cæſar II.* I. *Conſules.*

Tiberii Conſulatus juxta II Conſulatuum Cæſareorum regulam, Druſi juxta III, non ſolùm quia Cæſar erat, ſed etiam propter ejus Conſulatum geminatum. Faſtos enim Conſulares diligenter evolvens deprehendi, iterato Conſulatu cohoneſtatos, aut Imperatorum Collegas in Conſulatu fuiſſe, vel inſignioribus annis Conſules proceſſiſſe, præſertimque annis Decennalium, & id genus feſtorum. In hunc autem annum Imperii Proconſularis Tiberii Decennalia incidunt. Ad ea referenda Inſcriptio, quæ extat in territorio S. Canati, oppidulum eſt Gallo-Provinciæ, quam nuper clariſſimus Dominus Ludovicus Thomaſſinus *de Mazangues* Parlamenti Aquenſis Senator detexit ac mecum communicavit. II. *Proconſularis Imperii Tiberii Decennalia.*

Ti. Caesar.
Divi Augusti. F.
Augustus
Pontifex
Maxvmus
Tribunicia
Potestate. XXII.
Refecit. et
Restituit.

Tiberius Tribunitiam Poteſtatem XXII uſque ad V Kalendas Julias, quo XXIII iniit, geſſit, & Imperii Proconſularis Decennalium occaſione vel aquæductum, vel templum aliquod, vel aliud ædificium in Provincia reficiendum curavit.

V.C. 775.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5515. ☉ 3 D. ☽ 4. INDICT. 10.
JESU CHRISTI 22. *ſecundùm Baronium* 24.
TIBERII IMP. 9.

I. *Conſules.* COss. *C. Sulpicius Galba*, & *D. Haterius Agrippa*.

II. *Vicennalia Imperii Cæſarei Tiberii.* Vicennalia Imperii Cæſarei Tiberii in hunc annum conferenda; quorum varia extant indicia. Nam Tiberius Druſo Cæſari filio Tribunitiam Poteſtatem conceſſit, quod liquet ex eo quòd anno ſequenti *Sejani* inſidiis ſublatus fuerit, cùm Tribunitiam Poteſtatem II gereret, ut ex Nummis apparet. Legendus Tacitus lib. 3. Annal. Annis autem Decennalibus & id genus teſtis addictis Imperatores, filios aut Cæſares nuncupaſſe, aut Tribunitia Poteſtate exornaſſe, ſæpius infrà viſuri ſumus. Præterea Mediobarbus in Numiſmatis Imperatorum, unum Tiberii producit inſcriptum: TI. CÆSAR DIVI AUG. F. AUGUST. P. M. TR. POT. XXIV. S. C. in poſtica: CIVITATIBUS ASIÆ RESTITUTIS. Cernitur figura ſedens, dextrâ pateram, ſiniſtrâ haſtam tenens. Tiberius V Kaland. Julias currentis Chriſti anni Tribunitiam Poteſtatem XXIV iniit; Aſiæ autem urbes, quæ terræ motu corruerant, jamdiu ab eo reſtitutæ. Sed ferebat uſus, ut annis Decennalibus deſtinatis præcedentium annorum victoriæ, magnificæ in populum largitiones, aliaque id genus ruſus Nummis inſculperentur; eorumque memoria renovaretur. Quod Viros eruditos non rarò in fraudem induxiſſe video. Autumarunt enim, victorias v. g. eo anno, quo in Nummis memorantur, relatas fuiſſe; cùm tamen occaſione Decennaliorum poſt aliquot annos ii percuſſi fuerint.

III. *Pomponius Flaccus Syriæ Legatus.* Hoc circiter anno *Cn. Sentius Saturninus* à Syria remotus, & in ejus locum *L. Pomponius Flaccus* ſubſtitutus. Joſephus lib. 18. Antiquit. cap. 8. de Agrippa Rege loquens ait: *Ad Flaccum virum Conſularem & tum Syriæ Præſidem ſe contulit.* Quare nonniſi poſt annum Chriſti XVII, quo is Conſulatum geſſit, Syriæ præfuit.

V.C. 776.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5516. ☉ 4 C. ☽ 5. INDICT. 11.
JESU CHRISTI 23. *ſecundùm Baronium* 25.
TIBERII IMP. 10.

I. *Conſules.* COss. *C. Aſinius Pollio*, & *C. Antiſtius Vetus*.

V.C. 777

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5517. ☉ 5 BA. ☽ 6. INDICT. 12.
JESU CHRISTI 24. *ſecundùm Baronium* 26.
TIBERII IMP. 11.

I. *Conſules.* COss. *Cornelius Cethegus*, & *L. Viſellius Varro*, ſub quibus, ut inquit Dio lib. 57. *Ludi decennales facti*, ob Imperium nempe Auguſteum Tiberii.

II. *Imperii Auguſtei Tiberii Decennalia.* Tacitus lib. 4. Annal. ait: *Cornelio Cethego, & Viſellio Varrone Coſſ. Pontifices, eorumque exemplo ceteri Sacerdotes, cùm pro incolumitate Principis vota ſuſciperent, Neronem quoque & Druſum iiſdem Diis commendavere*, filios nempe Germanici. Quæ verba Lipſius in Notis ad lib. 16. Annal. Taciti rectè refert ad Vota, quæ ipſo anni initio nuncupari ſolitum erat. Sed huc revocanda quæ habet Euſebius in Chronico juxta editionem Pontaci anno Abrahami 2041. qui Kalend. Septemb. currentis Chriſti anni inchoatur: *Philippus Tetrarcha Paneadem, in qua plurimas ædes conſtruxerat, Cæſaream Philippi vocavit, & Juliadem aliam civitatem.* Annis enim qui Decennalibus dicabantur, novæ urbes conſtructæ, aut antiquæ novis nominibus donatæ. Verum eſt, Joſephum lib. 18. Antiq. cap. 3. hæc ad tempora Auguſti referre. Sed eo capite Joſephus ordinem temporis non ſervat, contentus narrare, quomodo Herodes & Philippus res ſuæ quiſque Tetrarchiæ poſt Archelai relegationem ordinarint.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5518. ☉ 6 G. ☽ 7. INDICT. 13. Olymp. 201.
JESU CHRISTI 25. *ſecundùm Baronium* 27.
TIBERII IMP. 12.

V.C. 778.

I. *Conſules.* COss. *M. Aſinius Agrippa*, & *Coſſus Cornelius Lentulus*.

II. *Imperii Proconſularis Tiberii Quindecennalia.* Imperii Proconſularis Tiberii Quindecennalia, quorum multa indicia apud Tacitum lib. 4. Annal, ubi narrat miſſos ab Hiſpania ulteriori Legatos, ut Senatus Tiberio matrique ejus delubrum extrueret, alioſque à Lacedemoniis & Meſſenis de jure templi Dianæ Limenetidis, & à Segeſtenis de æde Veneris reſtauranda. Quæ legationes pro religione annis Decennalibus deſtinatis fieri ſolitæ.

III. *Baptiſmus Chriſti.* Incipit hoc anno V Kal. Septembris annus decimus quintus Imperii Proconſularis Tiberii, de quo ſi intelligatur Divus Lucas cap. 3. quando ait, anno XV *Tiberii factum eſſe verbum Domini ad Joannem*, Chriſtus anno ſequenti die VI Januarii baptizatus fuerit, vel ſaltem initio anni Eræ Chriſtianæ XXVII, ut infrà explicabimus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5519. ☉ 7 F. ☽ 8. INDICT. 14.
JESU CHRISTI 26. *ſecundùm Baronium* 28.
TIBERII IMP. 13.

V.C. 779.

I. *Conſules.* COss. *Lentulus Getulicus*, & *C. Calviſius*, ex Tacito lib. 4. Annal. ubi refert certamen undecim Aſiæ urbium de honore ſtatuendi Tiberio templum decertantium, additque hunc in Campaniam digreſſum eſſe *ſpecie dicandi templi apud Capuam Jovi, apud Nolam Auguſto*.

II. *Quinta Quinquennalia Impe-* Hæc indicia quintorum Quinquennalium Imperii Cæſarei Tiberii, ad quæ etiam referendum quod ſcribit Euſebius in Chronico tam ſecundùm editionem Pontaci, quàm

rii Cæſarei Tiberii. Scaligeri, anno Abrahami 2043. qui Kalendis Septembris præſentis Chriſti anni inchoatur: *Herodes*, inquit Euſebius, *Tiberiadem condidit & Liviadem*, in honorem nempe Tiberii & Liviæ Auguſtæ.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5520. ☉ 8 E. ☽ 9. INDICT. 15.
Anno Urbis 780. JESU CHRISTI 27. *ſecundum Baronium* 29.
TIBERII IMP. 14.

I. *Conſules.* COss. *M. Licinius Craſſus*, & *L. Calpurnius Piſo*, ex Tacito lib. 4. Annal. & Tabula ænea apud Sponium in Miſcellaneis eruditæ Antiquit. pag. 278.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5521. ☉ 9 DC. ☽ 10. INDICT. 1.
JESU CHRISTI 28. *ſecundum Baronium* 30.
VC. 781.
TIBERII IMP. 15.

I. *Conſules.* COss. *Ap. Junius Silanus*, & *P. Silius Nerva*, ex Dione.

II. *Initium Periodi Victorianæ.* Ab hoc anno, non verò à ſequenti, ut perperam quibuſdam viſum, Victorius Aquitanus Periodum ſuam quingentorum & triginta duorum annorum inchoavit: ait enim in Prologo: *Diebus Kalendarum Januariarum, à duobus Geminis, Ruſo ſcilicet & Rubellio, uſque ad Conſulatum Conſtantini & Ruſi*, colligi quadringentos & triginta annos. Conſulatus Conſtantini & Ruſi in annum Chriſti CCCCLVII convenit. Quare à currenti Chriſti anno Periodum ſuam orſus eſt Victorius, qui unitatem ſuperfluam addidit. Legendus Bucherius cap. 12. de Doct. Temp. qui eam Periodum pluribus illuſtrat. Ea annos Chriſti exhibebit, dummodo annos viginti ſeptem addas. Oſtendit & Chronologiam Baronii ante Diocletiani Imperium depravatam eſſe: Baronius enim duorum Geminorum Conſulatum cum anno Chriſti XXXI componit, ideoque annos illos triginta & quadringentos, uſque ad Ruſi & Conſtantini Conſulatum, colligere non poteſt. Denique ea Periodus in Gallia, licèt non in omni, communiùs atque diutius admiſſa fuit, ut liquet ex primo canone Synodi IV Aurelianenſis.

Olymp. 202. ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5522. ☉ 10 B. ☽ 11. INDICT. 2.
VC. 782. JESU CHRISTI 29. *ſecundum Baronium* 31.
TIBERII IMP. 16.

I. *Conſules.* COss. *C. Fuſius Geminus*, & *L. Rubellius Geminus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari, ubi refellit Baronium, alioſque, qui priorem Conſulem *Fuſium* vocant, non advertentes *Fuſiam* familiam à *Fuſia* diverſam fuiſſe. Affert ibidem Noriſius Inſcriptionem, ex qua liquet, Rubellium, *Lucium* vocatum eſſe.

II. *Quindecennalia Imperii Auguſtei Tiberii.* Quindecennalia Imperii Auguſtei Tiberii in hunc annum incidunt,

III. *Quo ætatis anno Chriſtus baptizatus.* *Baron. num. VIII & ſeqq.* Ad num. VII. & VIII. &c. Commovetur Baronius in eos, qui baptiſmum Chriſti in annum ejus triceſimum ſecundum inchoatum diſtulere, qui ſine dubio magis iis ſuccenſuiſſet, qui Chriſtum anno ætatis triceſimo quarto baptizatum volunt. Licèt enim ex Lucæ loco cap. 3. nihil certi erui poſſit de ætate Chriſti cùm baptizatus eſt, an nempe anno triceſimo ineunte vel exeunte id factum ſit, aut viceſimo nono finiente, & triceſimo primo incipiente; verba tamen ejuſdem Evangeliſtæ tantam latitudinem non videntur pati: ſaltem nullus ex Antiquis Chriſtum anno ætatis triceſimo ſecundo aut triceſimo tertio ad baptiſmum acceſſiſſe tradidit. Verum eſt, conatos fuiſſe quoſdam, Tertulliani exemplo, huic licentiæ auctoritatem afferre, quòd is, cùm Chriſtum per tres annos Evangelium prædicaſſe cerneret, in lib. 1. contra Marcionem ſcripſerit, Chriſtum *anno* Tiberii *duodecimo clarificatum*, ſeu baptizatum fuiſſe, quod idem eſt; ideoque, inquiunt, anno ætatis viceſimo octavo aut circiter juxta Tertullianum, qui docet, eum annos tantùm triginta vixiſſe. Sed illi, meo judicio, hallucinantur: Tertullianus enim videns eam, quam libro adverſus Judæos ſcripſerat, opinionem, Chriſtum ſcilicet paſſum eſſe, natum annos circiter triginta, maximas pati difficultates, tres vitæ ejus annos in lib. 1. contra Marcionem addidit. Unde non baptiſmum in annum vitæ ejus XXVIII, ſed Natale in annum Julianum quadrageſimum primum retraxit.

IV. *Sententia Antiquorum de baptiſmo Chriſti.* Obſervandum, Antiquos de ætate Chriſti loquentes, menſes novem, quibus in utero Virginis fuit, in ſummam contuliſſe, primumque ejus annum numeraſſe eum, in quo incarnatus eſt; quod pluribus eorum auctoritatibus demonſtrari poſſet. Hoc recentes Auctores, qui de baptiſmo Chriſti loquuntur, non animadvertentes, loca afferunt, quæ de annis Chriſti ab ejus Incarnatione deductis explicanda ſunt, quæque ideo ad rem non faciunt. Patres itaque qui Chriſtum anno ætatis trigeſimo aut circiter mortuum fuiſſe ſenſere, idque *duobus Geminis Conſulibus*, currenti nempe anno, arbitrati ſunt, eum anno Incarnationis triceſimo expleto baptizatum fuiſſe, anno ſcilicet integro, aut circiter ante Paſſionem. Deduco id ex Clemente Alexandrino lib. 1. Stromatum, ubi ait: *Erat autem Jeſus cùm ad baptiſmum venit, quaſi annorum triginta. Quòd autem uno duntaxat anno prædicaturus eſſet, hoc & Propheta dicit & Evangelium. Quinto decimo itaque anno Tiberii, & quinto decimo Auguſti hoc modo triginta complentur anni, donec paſſus eſt.* Idem habet Origenes lib. 4. de Principiis cap. 1. ubi ſcribit, Chriſtum *uno anno & aliquot menſibus* docuiſſe. Nec alio modo intelligendi alii. Supponunt enim, eum conceptum anno Periodi Græco-Romanæ 5491. anno nempe Juliano XLIII, licèt quoad Nativitatem inter ſe differant; eamque alii in ejuſdem anni finem, alii in anni ſequentis initium conferant. Ab anno autem Periodi Græco-Romanæ 5491. ad annum ejuſdem Periodi 5521. qui cum anno Æræ noſtræ XXVIII concurrit, anni ſunt completi triginta. Eo igitur anno Chriſtum baptizatum, & peractis duobus Paſchatis an-

no ejuſdem Eræ XXIX mortuum volunt. Niſi enim hoc modo eos explices, ut multi ex iis ſeſe disertè explicant, dicendum erit, eos credidiſſe, Chriſtum anno Eræ Chriſtianæ XXIX duorum Geminorum Conſulatu notato, & baptizatum & crucifixum fuiſſe; quod tam ab Evangelio, quàm ab eorum mente alienum. Petavius lib. 12. de Doct. Temp. cap. 17. inquit: Sæpe mirari ſoleo, Chriſtiano ulli, qui quidem in Evangeliſtarum lectione paululum operæ poſuerit, tam abhorrentem, & iis ipſis Evangeliis contrariam opinionem probari potuiſſe, ut ſecundùm baptiſmum, uno anno atque Paſchate prædicationem Chriſti circumſcribendam putaret: atqui neque paucorum neque plebeiorum Scriptorum fuit hæc ſententia, ſed doctrinâ & auctoritate præſtantium, & ſanè vetuſtiſſimorum: è quibus occurrunt modò Tertullianus lib. contra Judæos cap. 8. Clemens Alex. lib. 1. & 6. Strom. Africanus apud Hieronymum in Danielem cap. 9. Lactantius lib. 4. cap. 10. Gaudentius Brixianus Serm. 3. de Paſchate, cujus hæc verba ſunt: *Anniculus eſt, quia poſt illud baptiſmum, quod pro nobis in Jordane ſuſceperat, uſque ad Paſſionem unius anni tempus impletur.* Ita Petavius, qui veriùs ſcripſiſſet, Antiquos duo Paſchata tantùm Chriſto attribuiſſe. Arbitrabantur itaque alio anno verbum Domini ad Joannem factum, alio Chriſtum à Joanne baptizatum, quæ Lucas cap. 3. uno tenore recitat. Neque ullo modo ex Lucæ verbis inferri poteſt, annum illum decimum quintum Tiberii ab eodem Evangeliſta expreſſum, referri neceſſariò ad baptiſmum. Certè miniſterium Joannis Baptiſtæ ante Chriſti prædicationem non parvum ſpatium duraſſe, Pauli verba Act. 13. v. 25. indicare videntur. *Cùm impleret Joannes curſum ſuum, dicebat: Quem me arbitramini eſſe, non is ego ſum, ſed ecce venit poſt me*, &c. Quin & ipſamet narratio Evangeliſtæ inter vocationem Joannis & baptiſmum Chriſti multa interceſſiſſe inſinuat, immo nec Chriſtum priùs ad eum acceſſiſſe, quàm *omnis populus* eſſet baptizatus, Lucas cap. 3. v. 21. ſatis apertè declarat. Hæc igitur veterum Patrum ſententia fuit. Exiſtimarunt illi, anno Chriſti XXVI miniſterium Joannis inchoatum eſſe, currente nempe anno decimo quinto Imperii Proconſularis Tiberii, annoque Eræ Chriſtianæ viceſimo octavo Chriſtum baptizatum eſſe; ita ut miniſterium Joannis uno vel altero anno duraverit. Ex his manifeſtiſſimum redditur, Antiquos non ſolùm Imperium Proconſulare Tiberii agnoviſſe, ſed etiam ab eo Tiberii annos numeraſſe: alioquin quomodo ſcribere potuiſſent, Chriſtum anno decimo quinto Tiberii duobus Geminis Conſulibus crucifixum fuiſſe, & anno uno cum aliquot menſibus ante Paſſionem prædicaſſe, cùm eo Tiberii anno Lucas Chriſtum baptizatum dicat?

V. *Annus XV Tiberii à qua epocha deductus.*

Quòd ſi quis quærat, an veroſimile ſit, Lucam Evangeliſtam Tiberii annos ab ejus Imperio Proconſulari deduxiſſe, reſpondebo, improbabile non eſſe, Lucam ſacrum Scriptorem ſecutum eſſe morem Scripturæ. Napolaſarus Babyloniæ Rex Nabuchaneſarem filium, Nabuchonoſorem ſeniorem vulgò vocatum, anno Periodi Græco-Romanæ 4881. in ſocietatem regni aſſumſit. Beroſus in 3. Chaldaïcæ ſuæ Hiſtoriæ libro, Joſephus lib. 10. Antiq. cap. 11. & Ptolomæus in Regum Babyloniorum Canonem quadraginta tantùm quatuor annos *Nebuchadneſari* tribuunt, licèt is imperarit annos XLIV, menſes VII, & dies circiter X, ut oſtendit Uſſerius in Chronologia ſacra cap. 6. Ratio hujus eſt, quia Auctores laudati Principis annos à patris morte dinumerant; at in Jeremia, ac in ſacra Regum Hiſtoria ab expeditione ejus in Syriam & Judæam vivente patre ſuſcepta, ejus Principatûs epocha ducitur, ut apud Uſſerium videre eſt. Quare incertum, an Lucas hujuſmodi exemplum ſecutus fuerit, & an annum XV Tiberii ab ejus Monarchia, vel ab ejus Imperio Proconſulari deſumſerit.

VI. *Locus Ignatii attributus.* Baronius num. XVIII.

Reſtat, ut moneam locum iſtum S. Ignatii in Epiſtola ad Trallianos, in quo dicitur: *Et expletis tribus annorum decadibus baptizatus eſt à Joanne*: infititium eſſe, nec reperiri in germana Ignatii ad Trallianos Epiſtola. Sed Baronius, qui nonniſi ejuſdem Sancti Epiſtolas interpolatas legerat, vim facit in illis verbis, ut oſtendat Chriſtum anno triceſimo ætatis completo baptizatum fuiſſe.

VII. *Baptiſmus Chriſti ab Orientalibus renovari ſolitus.*

Juvabit etiam obſervare, Orientales Eccleſias quaſdam ſingulis annis, Epiphaniorum die baptiſmum Chriſti renovare, aquamque, in quam ſtatua Chriſti pueri trina immerſione immittitur, incorruptam conſervari. Docet hoc Leo Allatius dicens fuiſſe Romæ, qui eam de induſtria ſervatam, poſt annos triginta incorruptam repererit. Joſephus Giorgerinus Archiepiſcopus Samos in inſula Archipelagi, cùm anno 1676. eadem Epiphaniorum die in hac Aquenſi civitate verſaretur, in noſtra Eccleſia aquam conſecravit, & in ea, Eccleſiæ Græcæ ritu, pueri Jeſu ſtatuam ter immerſit, baptiſmi Chriſti cæremoniam ſolenniter renovando; cujus aquæ phiala plena conſervata per multos annos incorrupta permanſit, ac fortè diutius conſervata fuiſſet, ſi phialam illam frangi non contigiſſet. Scaliger lib. 7. de Emendat. Temp. Æthiopicum computum explicans teſtatur, Chriſtianos Coptos, quotannis die Epiphaniæ ſacra omnes in Piſcinam ſe ſe immergere, memoriam baptiſmi Chriſti eo facto ſe inſtaurare dicentes.

VIII. *Converſio Agbari Edeſſenorum Regis.* Baronius an. 43. num. XVIII.

Ad num. XXII. *Thaddæus* ex ſeptuaginta duobus Chriſti Diſcipulis unus, *Edeſſam* hoc anno ab Apoſtolis miſſus dicitur, qui ſanat *Agbarum* Edeſſenorum Regem, & populum ejus convertit; quod in Annalibus & in Epitome perperam differtur in annum Eræ Chriſtianæ XLI, ubi de Agbaro Rege & epocha Edeſſenorum agemus.

IX. *Obitus Liviæ Auguſtæ.*

Obiit hoc anno *Livia* Auguſti Imp. uxor, quæ in Nummo apud Mediobarbum dicitur, AUGUSTA MATER PATRIÆ. Tacitus lib. 5. Annal. ſub hujus anni Conſulibus mortem ejus recitat, quæ poſt menſem Junium contigit, ſi *Livia* anno primo Olympiadis 202. ut dicitur in Sylloge Hiſt. apud Scaligerum pag. 339. è vivis exceſſerit. Suetonius in Tiberio cap. 51. ait: *Toto quidem triennio, quo vivente matre abfuit, ſemel*

omnino eam, nec amplius quàm uno die, ac pauciſſimis vidit horis. Lipſius in Notis ad lib. 4. Annal. Taciti, ubi locum illum refert, ait: *Et malim*, toto biennio. *Egreſſus enim Tiberius fine anni Urbis* DCC LXXIX. (Chriſti nempe XXVI.) *Obiit illa principio anni* DCC LXXXII, *ut ex Tacito clarum. Non ergo fuerunt inter toti tres anni.* Sed inde intelligere poterat Vir eruditiſſimus, Suetonium tres annos utrinque incompletos totum triennium appellare. Sæpius enim videbimus, Antiquos, annos inchoatos quandoque exactos appellaſſe, quo non animadverſo, Chronologia non rarò labefactata, ab illis etiam, qui eidem reſtituendæ magnam operam navarunt. Suetonius in Auguſto cap. 65. ait: *Caium & Lucium in duodeviginti ſpatio amiſit ambos*: qui tamen in Tiberio cap. 15. ſcribit: *Caio & Lucio intra triennium defunctis.* Lipſius in Notis ad lib. 1. Annal. Taciti duo hæc loca in medium adducens inquit: Non ambigas quin ſcribendum ſit, *intra biennium.* Ubi ad eundem lapidem offendit. Lucius Cæſar circa menſem Septembrem anni Eræ Chriſtianæ ſecundi; Caius Cæſar menſe Februario anni quarti ejuſdem Eræ è vivis exceſſit. Quare Suetonius utrumque extremum annum incompletum pro integro numerat, licèt ultimus duobus menſibus integris non conſtet. Hæ loquendi formulæ hic à nobis explicandæ fuere, ut correctio variorum errorum inferiùs detegendorum magis Lectori probetur.

V.C. 783.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5523. ☉ II A. ☽ 12. INDICT. 3.
JESU CHRISTI 30. *ſecundùm Baronium* 32.
TIBERII IMP. 17.

I. *Conſules.* COss. *L. Caſſius Longinus*, & *M. Vinicius*, ut oſtendit Noriſius in Epiſt. Conſul. ubi docet eradendum fictitium *Quartini* cognomen, quod M. Vinicio in Faſtis Baronii & recentiorum Scriptorum tribuitur.

Tacitus lib. 6. Annal. anno Urbis 786. Chriſti ſc. XXXIII, ait, Tiberium Aug. eo anno L. Caſſio Druſillam, M. Vinicio Juliam, Germanico genitas conjunxiſſe, quos diverſos eſſe à L. Caſſio & M. Vinicio hoc anno Coſſ. perperam putavit Petavius in Animadverſ. Epiph. ad Hæreſim LI. Pomponius *D. De regulis Juris* laudans C. Caſſium Longinum, inquit: *Hic Conſul fuit cum Quartino.* Ex quo Onuphrius hos Conſules formavit, M. Vinicium Quartinum, & C. Caſſium Longinum Juriſconſultum. At apud Pomponium loco *Quartino* legendum *Surdino*, ut Noriſius demonſtrat ex Inſcriptione Gruteriana pag. 1087. in qua Conſules ordinarii proponuntur *L. Caſſius Longinus & M. Vinicius*; ſuffecti verò *C. Caſſius Longinus & L. Naevius Surdinus.*

II. *Imperii Cæſarei Tiberii Tricennalia.* Tiberius Cæſarei Imperii Tricennalia dedit. Mediobarbus Nummum Tiberii exhibet Tribunitia Poteſtate XXXII hoc anno inchoata notatum, in quo eſt temo & globus. Huic ſimilem Tribunitia Poteſtate XXXVI inſignitum idem Mediobarbus producit. Hæc verò Tribunitia Poteſtas anno Chriſti XXXIV incepta, quo certum eſt Tiberium Imperii Auguſtei Vicennalia edidiſſe. Significant porro hujuſmodi Nummi, Tiberium Imperium Romanum, quod in illis ſolenniis renovare videbatur, ſumma ſapientiæ laude regere.

III. *Quid ſit Sabbatum ſecundo-primum.* Baron. num. II. Ad num. II. Quid ſit Σάββατον δευτερόπρωτον, id eſt, *altero-primum* vel *ſecundo-primum*, vetus quæſtio eſt, de qua SS. Patrum variæ ſunt ac diſcrepantes ſententiæ. Vera autem proculdubio illa eſt, quam Scaliger lib. 6. de Emendat. Temp. & in Iſagoge Canonum pag. 281. docuit, & poſt eum Petavius in Notis Epiphanianis ad Hæreſim XXX; ſcilicet, Sabbatum altero-primum, primum eſſe Sabbatum, quod ἀπὸ τῆς δευτέρας τῶν ἀζύμων. Nam ſecunda die Azymorum novarum frugum manipulum Judæi offerebant; à quo die deinceps VII hebdomadas computare juſſi ſunt: quarum Sabbata ἀπὸ τῆς δευτέρας τῶν ἀζύμων id eſt, ab Omer, cognominata ſunt. Veluti primum Sabbatum, quod proximè τὴν δευτέραν τῶν ἀζύμων ſequitur, vocatur δευτερόπρωτον. Secundum δευτεροδεύτερον. Tertium δευτερότριτον, atque ita deinceps, ut uberiùs Scaliger citatus explicat. Veterum Patrum opiniones utcumque conſentaneæ, à recentioribus parum fideliter expreſſæ ſunt. De Iſidoro tantùm loquar, cujus in Annalibus hæc refertur, approbaturque ſententia: Σάββατον δευτερόπρωτον *illam fuiſſe diem, quæ poſt primam Azymorum mox ſequitur; ſicque dictum Sabbatum ſecundo-primum, ſeu Sabbatum ex Sabbato; adhuc inſuper quod eadem dies incidiſſet in Sabbatum hebdomadarium, duorum feſtorum conjunctione dictum eſſe Sabbatum Sabbatorum.* Quibus in verbis, ut obſervat Petavius laudatus, duo ſunt ex Iſidoro contra Iſidori mentem & orationem allata. Alterum, Sabbatum ſecundo-primum diem illam appellari, quæ poſt primam Azymorum mox ſequitur. Iſidorus enim perſpicuè primam ipſam Azymorum diem Sabbatum ait eſſe δευτερόπρωτον; quod Sabbatum ideo vocatur, quia Judæi feſta omnia Sabbati nomine complecti ſolent. Δευτερόπρωτον verò propterea dicitur, quòd ſecunda ſit à Paſchate, & Azymorum prima. Iſidori verba ſunt: Δευτερόπρωτον εἴρηται, ἐπειδὴ δεύτερον μὲν ἦν τοῦ Πάσχα, πρῶτον δὲ τῶν Ἀζύμων, ἑσπέρας γὰρ θύοντες τὸ Πάσχα, τῇ ἑξῆς τὴν τῶν Ἀζύμων ἐπισυνηγόρευον ἑορτήν. ὃν ἡ δευτερόπρωτον ἐκάλει διὰ τὸ, ὡς ἔφην, δεύτερον μὲν εἶναι τοῦ Πάσχα, πρῶτον δὲ τῶν Ἀζύμων. Id eſt, *Deuteroproton dictum eſt, quia poſterius quidem die Paſchæ, primum autem Azymorum. Veſpere enim Paſcha immolantes, poſtridie Azymorum feſtum celebrabant, quod quidem etiam Deuteroproton appellabant, propterea quòd, ut dixi, dies ille Paſchæ poſterior eſſet, Azymorum autem primus.* Ubi Iſidorus in libro 3. Epiſtola 1010. à Baronio citata, manifeſtè primam ipſam Azymorum diem δευτερόπρωτον nominat, eam videlicet, ſub cujus priorem veſperam immolatum eſt Paſcha, non ab illa ſecundam ac proximam. Iſidori verba ſuo more Suidas à Baronio citatus exſcripſit. Alterum, quod ab Iſidori ſententia abhorret, illud eſt, quòd in eandem diem Sabbatum legitimum & hebdomadarium incidiſſet, ob

id Sabbatum Sabbatorum appellatum fuiſſe. Sed hujuſmodi nihil ab Iſidoro dicitur. Hoc unum, ut rationem redderet, cur Sabbatum prima illa dies Azymorum nuncuperur, ſubjunxit: Sabbatum à Judæis feſtum omnem diem vocari, indeque loquendi genus illud manaſſe, Σάββατα Σαββάτων, id eſt, Sabbata Sabbatorum; quoniam accidebat interdum, ut alicujus feſti principium, aut finis in hebdomadarium Sabbatum incideret: quemadmodum apud Chriſtianos Natalis Chriſti, vel Epiphania, in Dominicum incurrit. Οὕτω κ, παρ' αὐτοῖς ὁ καὶ ἡ πανήγυρις τῷ Σαββάτῳ συνέπιπτε, σάββατα σαββάτων ἐκαλεῖτο. Corrigendum εἰ καὶ ἡ παν. Quare non eo anno, quem Lucas commemorat, concurſum illum incidiſſe ſcribit Iſidorus; ſed aliàs potuiſſe, cùm Sabbata Sabbatorum vocarentur. Iſidori locus neceſſariò adſcribendus eſt: Εἰ δὲ Σαββάτῳ εἴρηται, μὴ θαυμάσῃς. Σάββατον γὰρ πᾶσαν ἑορτὴν καλοῦσι· καὶ διὰ τοῦτ' εἴρηται Σάββατα Σαββάτων, ἐπειδὴ ἔσθ' ὅτε, ἢ ἡ ἀρχὴ τῆς πανηγύρεως, ἢ τὸ τέλος συνέπιπτε τῷ τῆς ἑβδομάδος Σαββάτῳ, &c. Id eſt, *Quòd ſi, Sabbato, dictum eſt, ne tibi id mirum videatur. Sabbatum enim feſtum omne nuncupant. Ac propterea dictum eſt, Sabbato Sabbatorum: quoniam interdum feſti principium, aut finis in hebdomada Sabbatum incidebat, quemadmodum etiam apud nos plerumque contingit. Nam cùm Epiphania, aut carnalis Salvatoris Nativitas Dominico die occurrit, duplicem ſolennitatem efficit, ac veluti feſtum in feſto. Eodem quoque modo apud illos, ſi feſtum in Sabbatum diem incidiſſet, Sabbata Sabbatorum vocabatur.* Ita Iſidorus loco laudato. Explicat etiam ibidem Petavius Chryſoſtomi & Epiphanii in Annalibus citatorum ſententias, ad quem ideo Lectorem remittimus.

U.C. 784.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5524. ☉ 12 G. ☽ 13. INDICT. 4.
JESU CHRISTI 31. *ſecundùm Baronium* 33.
TIBERII IMP. 18.

I. *Conſules.* COSS. *Tiberius V*, & *L. Ælius Sejanus.* Tiberii Conſulatus juxta II. Conſulatuum Cæſareorum regulam, ob Vicen-
II. *Imperii Proconſularis Tiberii Vicennalia.* nalia nempe ejus Imperii Proconſularis, ad quæ referendus Nummus Tiberii Tribunitia Poteſtate XXXIII hoc anno inchoata notatus, in cujus poſtica extant Quadrigæ triumphales abſque inſcriptione, ut videre eſt apud Mediobarbum in Numiſmatis Imperatorum: cùm enim præſenti anno nulla expeditio ſuſcepta fuerit, Quadrigæ illæ ad renovandam in Vicennalibus memoriam præcedentium victoriarum, ut moris erat, decretæ. Suetonius in Tiberio cap. 26. ait de hoc Tiberii Conſulatu, abſens illum *uſque in Idus Maias* geſſit. Noriſius in Epiſt. Conſul. pag. 13. exiſtimat Suetonium errare, quòd in Lapide Nolano legatur, Tiberium VII Idus ejuſdem menſis Conſulatum abdicaſſe, & in ejus locum Fauſtum Syllam ſuffectum,

TI. CÆSAR AUG. V.
SUF. VIII. ID. MAI. FAUSTUS. CORNELIUS. SULLA.
SEXTEIDIUS. CATULL. COS.
SUF. K. JUL. L. FULCINIUS. TRIO. COS
SUF. K. OCT. P. MEMMIUS. REGULUS. COS.

Hæc Faſtorum tabula poſt Sejanum damnatum, ſculpta eſt; quare ejuſdem nomen omittitur. Ex eadem apparet, inquit Noriſius, error Suetonii, qui ad Idus Maias Tiberio Conſulatum prorogavit; cùm VII Idus ejuſdem menſis illo ſe abdicaverit cum Sejano Collega, ſuffecto cum *Fauſto Sylla*, Sextidio Catullino. Nec eodem menſe *L. Fulcinius*, ac *Publius Memmius Regulus* Magiſtratum inierunt, ſed ille ſemeſtrem, hic trimeſtrem Conſulatum geſſit. Etenim Tiberius, cùm Sejano necem inferre deſtinaſſet, *Fulcinio Trioni*, quem Sejani ſtudioſum ſciebat, *P. Memmium* Collegam addidit, qui Kal. Octobris Magiſtratum auſpicatus, die XVIII ejuſdem menſis literis Tiberii contra Sejanum recitatis, eundem in carcerem traxit, ac decreto Senatûs eadem quoque die mulctavit. Ita Vir doctiſſimus, qui non advertit, Suetonium, quando ait, Tiberium hunc Conſulatum *uſque in Idus Maias* geſſiſſe, Iduum nomen abſolutè uſurpare, nec in particulari definire uſque ad quem Iduum Maii diem in ea dignitate permanſerit. Idus enim & Kalendæ eo modo ab Antiquis aliquando acceptæ. In Regula S. Benedicti cap. 48. præcipitur jejunium *à Paſcha uſque ad Kalendas Octobres*, id eſt, uſque ad feſtum Exaltationis S. Crucis, quod cum decimo octavo Kalendas Octobris concurrit. *S. Fructuoſus* idem quod S. Benedictus, ſtatuens cap. 28. ſuæ Regulæ edicit *à Pentecoſte uſque ad* XVIII *Kalend. Octob. interdiana jejunia.* Vides, S. Benedictum Kalendarum, eo modo quo Suetonius Iduum, nomen adhibere, nec alium diem, quàm *S. Fructuoſum*, proponere.

Ad num. XVII. Poſſinus V. C. apud Papebrocium in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Romanorum Pontificum cap. 24. autumat, Sejani cataſtrophen anno tantùm Chriſti XXXIII contigiſſe, quòd Dio lib. 58. dicat, Sejanum jam Exconſulem adhuc incolumem, & ſpecie præcipui favoris apud Tiberium ſolita cùm maximè florentem, *pænituiſſe, quòd non in Conſulatu aliquid tentaſſet*, hoc eſt, non conatum expromſiſſet invadendi Imperii, quod jamdudum machinabatur. Verba Dionis ſunt: μετεγίγνωσκεν ὅτι μηδὲν ἐν τῇ ὑπατείᾳ ἐνεόχμωσε. Paulò pòſt ait, Dio Nævium Sertorium Macronem Prætorianis cohortibus Præfectum à Tiberio clam miſſum ad perdendum Sejanum arcana *mandata communicaſſe cum Memmio Regulo tunc Conſule: nam Collega ejus Sejano favebat.* Ex quibus infert Poſſinus Sejanum anno quo interfectus eſt, Conſulem non fuiſſe. Sed vana hæc illatio: nam Conſules ordinarii, qui de more Kalendis Martiis abdicabant, & ſuffectis locum dabant, poſt depoſitam dignitatem ab Hiſtoricis ſæpe Exconſules vocantur, cùm narrant res poſt Kalendas Martias geſtas; cùm jam Conſules ſuffecti munus gererent. Sejanum ita-

III. *Sejani interitus.* Baron. num. XLVIII.

que hoc anno, ut rectè Baronius, periiſſe, certiſſimum. Dio enim rem ſub hujus anni Conſulibus recitat, & tam ipſe quàm Suetonius in Tiberio cap. 69. indicant, dum aiunt, Tiberium, ut Sejanum aſtu & dolo ſubverteret, hunc Collegam ſibi in quinto Conſulatu aſſumſiſſe, ſubjungitque Suetonius: *Deinde ſpecie affinitatis ac Tribunitiæ Poteſtatis deceptum, inopinantem criminatus eſt*, &c. Tacitus etiam lib. 5. qui imperfectus eſt, ſub hujus anni Conſulibus tradit, Sejani filiam à carnifice conſtuprari juſſam, quod nonniſi poſt Sejanum occiſum Scriptores alii factum teſtantur. Publium verò Memmium præſenti anno, non verò anno Chriſti XXXIII, ut ſibi perſuaſit Poſſinus, Conſulatum ſuffectum geſſiſſe, Inſcriptio præcedenti numero recitata indubitatum reddit. Ex his ſequitur primò, Conſules ordinarios poſt Kalendas Martias aliquando ab Hiſtoricis Conſules non vocari; quos tamen etiam Conſules ab iiſdem aliquando appellatos inferiùs viſuri ſumus. Unde erravit Poſſinus, qui arbitratus eſt, Sejanum hoc anno Conſulem non fuiſſe, quòd Dio ſcribat Memmium tunc Conſulem fuiſſe. Sequitur ſecundò, Tiberium currenti anno Imperii Proconſularis Vicennalia edidiſſe; cùm Tribunitia Poteſtas annis hujuſmodi ſolemniis addictis conferri ſoleret. Nec refert, quòd Suetonius dicat, Tiberium ad decipiendum Sejanum hoc anno Conſulatum iniiſſe. Nam Conſulatus, qui ex propria inſtitutione ad hæc ſolennia referebatur, potuit ex peculiari Imperatoris fine ad alium ſcopum dirigi; quemadmodum in artibus finis *operantis* diverſus aliquando eſt à fine *operis*.

III. *Indicium Vicēnalium Tiberii.* Prætermiſeram obſervare, ad Tiberii Vicennalia ſpectare Inſcriptionem repertam *Ampuriis*, vicus eſt diœceſis Forojulienſis in Provincia, & mecum à Joſepho Antelmio Viro eruditiſſimo communicatam.

TI. CÆSAR
DIVI. AUG. F. AUG.
PONT. MAXUM.
TRIB. POTEST.
XXXIII. ET
RESTITUIT ET
REFECIT.

Tiberius hoc anno V Kalend. Julias Tribunitiam Poteſtatem XXXIII ſuſcepit, & opera aliqua publica in Provincia reſtituit; ex quo intelligimus, illum hoc anno Vicennalia celebraſſe, & aliquibus monumentis memoriam ſuam immortalitati conſecrare voluiſſe, quod in more poſitum fuiſſe ſæpius viſuri ſumus.

V.C. 785

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5525. ☉ 13 FE. ☽ 14. INDICT. 5.
JESU CHRISTI 32. *ſecundum Baronium* 34.
TIBERII IMP. 19.

I. *Conſules.* COSS. *Cn. Domitius Ahenobardus*, & *M. Furius Camillus Scribonianus.*

In hujus poſtremi locum Kal. Juliis *A. Vitellius* ſuffectus, ut oſtendit ex Tabula Nolana Noriſius in Epiſt. Conſulari. Baronius ab Onuphrio deceptus Conſules proponit Domitium Ahenobardum & Vitellium Neporem; cùm tamen *Vitellius* Conſul tantùm ſuffectus fuerit, & *Neporis* cognomen fictitium ſit, ut oſtendit Noriſius laudatus, & ex dictis intelligitur.

Ad num. XVI. Magnum quid contra Catholicos afferre putant Proteſtantes, quòd nullam apud Patres Latinos de verbo *Tranſſubſtantiationis*, nullam apud Græcos de nomine [illegible] memoriam extare reperiant, cujus tamen ſilentii ratio ex diſciplina arcani à Schelſtratio in Diſſert. de Diſciplina Arcani cap. 7. art. 7. rectè deducta. Nulla hæreſis ante Berengarii tempora contra Euchariſtiam ex profeſſo orta fuit, neque SS. Patres ante illa tempora de Euchariſtiæ veritate comprobanda tractatus ex profeſſo ediderunt; ſed cùm diſciplina arcani ſex prioribus Eccleſiæ ſeculis viguerit, doctrinam de hujus Sacramenti veritate & ritibus potiùs occultare ſtuduere. Itaque cùm ex una parte diſciplina arcani vigeret, ex alia verò nulla hæreſis exorta eſſet, quæ Eccleſiæ defenſores hujus myſterii veritatem funditus inquirere cogeret; hinc factum, ut apud Patres non reperiantur tractatus ex profeſſo editi, in quibus diſputetur, quomodo in Sacramento Euchariſtiæ panis & vinum per conſecrationem tranſſubſtantientur, an accidentia maneant ſine ſubjecto, & ſimilia, quæ poſt hæreſim Berengarianam frequenter tractata. Obſervandum etiam, quoſdam Patres cautiùs egiſſe in Epiſtolis ad ipſos Catholicos tranſmiſſis, ut liquet ex Epiſtola Innocentii I ad Decentium Eugubinum, cui nequidem *de forma conſecrationis* ſcribere voluit, ne myſterium arcani revelaret; alios in operibus, quæ ad non initiatorum manus perventura timebant, obſcuriùs de myſteriis Catholicæ Religionis egiſſe: omnes demum primitivæ Eccleſiæ Patres in ſermonibus coram Catechumenis, Judæis, vel Gentilibus, qui iis intereſſe ſolebant, myſteria occultaſſe. Hinc ſicut complura Patrum teſtimonia obſcurè mentionem facientia nihil probant contra realem Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia præſentiam, quia veritatem illam ex diſciplina arcani occultare debebant; ita complura Patrum teſtimonia de pane, frumento, vino & vite agentia nihil faciunt contra Tranſſubſtantiationem, quam tanquam dogma magis arcanum ex primitivæ Eccleſiæ diſciplina celare oportebat. Quare neque frequens panis mentio Tranſſubſtantiationi officit; neque crebra figuræ appellatio præſentiæ reali; cùm ſicut unum, ita & aliud à Patribus uſurpatum ſæpius fuerit ad occultandum Euchariſtiæ myſterium. Plura Schelſtratius citatus.

II. *Tranſſubſtantiatio & præſentia realis ex diſciplina arcani occultata.* Baron. num. XLV. & ſeqq.

Ad num. XLIII & ſeqq. Chriſti Domini noſtri Paſſionem Baronius hoc anno conſignavit: quam tamen veteres Patres, Auguſtinus, Hieronymus, aliique cum Conſulatu duorum Geminorum anno Eræ Chriſtianæ XXIX geſto illigarunt. Euſebius inter primos fuit, qui mortem Dominicam ab eo anno removerit, cui Epiphanius hæreſi 51. aliique poſtea adhæſere: quâ porrò ſemel

III. *Sententia Antiquorum de anno Paſſionis Chriſti.* Baron. num. CXLI & ſeqq.

apertâ, alii Paſſionem in annum Eræ Chriſtianæ xxxi, alii in annum xxxii contulere. Euſebii Epiphaniique ſententiam, quæ Chriſtum anno xxxi crucifixum docet, Petavius lib. 12. de Doct. Temp. pluribus propugnavit, & cap. 12. ejuſdem libri, poſtquam dixit, antiquos Patres ſenſiſſe, Chriſtum mortuum eſſe anno Tiberii xv, ætatis xxx, hæc habet: *Poſteriores anno ferè Tiberii XVIII Euſebium & Epiphanium ſecuti. Sed in horum explicanda ſententia minùs attentos pleroſque video, qui Imperatoris illius annos, more Romano, ab eo die, quo Imperium iniit, computandos exiſtimant, quod non ita eſt. Etenim à populari civitatum ſuarum exordio Patres illi annos inchoabant, nimirum ab autumno antecedente æſtatem illam, quâ Auguſtus exceſſit. Anno ab Urbe condita DCC LXXXIV, Juliani LXXVI, Auguſti XIX, cœpit annus XVIII. Tiberii, anno tertio Olympiadis 202. Cyclo Lunæ 13. Græci Patres, ut Euſebius & Epiphanius, annum Tiberii decimum octavum putare incipiunt ab autumno anno Juliani LXXV. De Euſebio ſuprà id oſtenſum eſt aliquot exemplis, & res ipſa perſuadet non aliud exordium anni ab eo ſumtum quàm Antiochenum, & Syro-Macedonicum ab Octobri. Fuit enim Cæſareæ, quæ Palæſtinæ in Syria Metropolis erat, Epiſcopus. Qui annos Chriſti ad Euſebianí Chronicon adnotarunt, ad XVIII Tiberii, & Olympiadis 202. tertium, quo paſſus ibidem Chriſtus ponitur, annum Chriſti XXXII adſcripſerunt. Quare cùm uno ante communem Natalem anno ortum Chriſti collocavit Euſebius tertio anno Olympiadis 194. annus ille XXXII Eræ vulgaris eſt XXXI, Periodi Julianæ 4744. quod à Kalendis Januariis ad ſolſtitium in curſu fuit annus ſecundus Olympiadis 202. à ſolſtitio verò tertius annus, Conſulibus Tiberio V & Sejano. Hic eſt annus ille, quo mortuum eſſe Chriſtum pluribus docet ac probat Epiphanius hæreſi 51. quem cùm Tiberii dicat eſſe decimum octavum, apparet ipſum ab autumno antecedente, itidem ut Euſebium, annorum Tiberianorum initia capere; ac revera ex amborum ſententia paſſum eſſe Chriſtum anno XVII currente Tiberii, Olympiadis 202. anno ſecundo. Eadem & ceterorum Patrum opinio fuit, qui, Euſebio auctore, decimo octavo Tiberii anno mortuum affirmarunt eſſe Dominum. Nam προληπτικῶς octavum decimum Tiberii annum appellarunt, qui Romanis decimus ſeptimus putabatur.*

IV. *Sententia Euſebii à Petavio non bene explicata.*

Sed ratiocinium omne Petavii ex eo corruit, quòd non adverterit, in ſententia, ſeu verùs errore Euſebii in Chronico, Auguſtum anno Eræ noſtræ xii poni demortuum, quod ipſemet lib. 12. de Doct. Temp. cap. 6. obſervarat, & à nobis jam ſuprà demonſtratum eſt. Secundò in eo peccat Petavius, quòd annos Imperatorum ab anno Abrahami, qui ſequitur prædeceſſoris obitum, incœpiſſe Euſebium neget: qui tamen lib. 11 de Doct. Temp. cap. 41. id Euſebio ac S. Hieronymo familiare fuiſſe rectè ſcripſerat: noſque oſtendimus, Euſebium in Chronico initium Imperii Auguſti deduxiſſe non ab anno Abrahami 1973. quo, ex ejus ſententia, Julio Cæſari ſucceſſit, ſed ab anno Abrahami ſequenti, ſcilicet 1974. menſe Septembri poſt Julii Cæſaris mortem inchoato. Certè cùm ſecundùm Euſebium, Tiberius anno Abrahami 2052. quem cum anno xxiii Tiberii conjungit, mortuus fuerit, ſi Imperii ejus initium anno Abrahami 2029. quo Auguſti mors ab Euſebio conſignatur, cœptum fuiſſet ex ejuſdem Euſebii ſententia, non annos viginti tres Tiberio, ſed annos viginti quatuor neceſſariò attribueret. Quare Euſebius in Chronico exiſtimavit, Chriſtum anno Tiberii xviii, Eræ verò Chriſtianæ xxxi, paſſum eſſe; licet is Tiberii annus ſecundùm veram de initio Imperii Tiberiani ſententiam, decimus tantùm ſeptimus ejus eſſet, ut ipſemet Euſebius in Hiſtoria ſua tandem agnovit. Ibi enim Auguſto annos quinquaginta ſeptem tribuit, eumque anno Eræ Dionyſianæ xiv mortuum ſupponit. Aliter itaque in Chronico, aliter in Hiſtoria Euſebius de anno Chriſti emortuali loquitur; ideoque priorem ſententiam, quæ Auguſtum anno Eræ Chriſtianæ xiii demortuum cenſebat, tanquam falſam rejecit. Petavius in Animadverſionibus Epiphanianis hæreſi xxviii, aliam annos numerandi rationem Euſebio aliiſque tribuerat, ſcripſeratque pleroſque Chriſtianorum Scriptorum ſolere annorum initia à verno Paſchalique menſe, quod Eccleſiaſtici anni caput eſt, arceſſere: ideoque Euſebium ac reliquos annorum Imperatorum initium à menſe verno eorum creationem præcedente κατὰ πρόληψιν uſurpare. Sed licèt verum ſit, ex Antiquis aliquos, Imperatorum annos ab autumno eorum inaugurationem antecedente, aliquoſque à menſe verno eandem præcedente deſumſiſſe, certum eſt tamen, Euſebium Imperatorum annum primum à menſe Septembri eorum mortem ſubſequente auſpicatum eſſe, ut paſſim videbimus. A quo menſe Epiphanius Imperatorum annos inchoarit, imò quo anno Chriſtum paſſum crediderit, nullus; quod viderim, hactenus divinare potuit. Tertiò fallitur Petavius, quando cum Scaligero, Calviſio & communi ſententia ſcribit, Euſebium à menſe Octobri annum exordiri; ut enim ſuo loco demonſtravimus, Antiocheni, quos Euſebius ſequitur, à Kalendis Septembribus initium anni deſumere ſoliti ſunt. Quartò non advertit Petavius errorem, qui cubat in anno Incarnationis xxxii, in editione Scaligeriana adnotato, annumque Abrahami 2047. cum quo Paſſionem Chriſti Euſebius connectit, concurrere cum anno Incarnationis xxxiii à Septembri pariter cœpto. Si enim primus Incarnationis annus eſt Euſebio 2015. profectò 2047. ei annus eſt Incarnationis xxxiii, & hoc ſine controverſia. Quintò Euſebius annos non numerat à Nativitate Chriſti, ſed ab ejus Incarnatione, quæ ſecundùm eum, ſeu ſecundùm Alexandrinos incipit anno Juliano xliii, à Septembri ſecundùm Euſebium, à Martio verò ſecundùm aliquos. Quare Æra Incarnationis Alexandrina triennio Dionyſianam antevertit. Denique Patres, qui Chriſtum anno Tiberii xviii crucifixum ſcripſere, nullo modo prolepticè annum xviii Tiberii cum

appellarunt,

appellarunt, qui ſecundùm Romanos decimus tantùm ſeptimus erat. Sed aliqui Euſebii in Chronico errorem ſecuti Paſſionem Chriſti anno Eræ noſtræ xxxi illigarunt; alii rectam Chronologiam amplexantes annum decimum octavum Tiberii cum anno Eræ Chriſtianæ xxxii copulavere, eoque Chriſtum paſſum ſcripſere. Quam ſententiam ipſemet Euſebius in Hiſtoria lib. 1. cap. 10. & lib. 10. de Demonſtratione amplexus eſt; cùm iis locis ſcripſerit, prædicationis Dominicæ tempus tres annos cum dimidio complexum eſſe. Unde cùm anno xv Tiberii Chriſtum baptizatum Euſebius ſcribat, anno nempe Eræ vulgaris xxix, manifeſtum eſt, quatuor eum Paſchata in hac ſecunda opinione Chriſto attribuiſſe; licèt in priori tria illi tantùm aſſignaſſet. In morte itaque Chriſti conſignanda Euſebius varius & inconſtans fuit.

V. *Opinio S. Irenæi de anno baptiſmi & mortis Chriſti.*

Baron. num. cxlii.

Opinio Divi Irenæi de ætate Chriſti, quæ num. xliii tangitur, admonet, ut quo anno baptiſmum Chriſti collocarit, inveſtigemus. Irenæus lib. 3. cap. 25. ait: *Natus eſt Dominus noſter circa primum & quadrageſimum annum Auguſti Imperii*, quem ſi à morte Caii Julii, quod in dubium revocari non debet, deducat, liquet eum Chriſti Natale anno Juliano xli conſignaſſe; cùmque lib. 2. capite 39. ſcribat, Chriſtum ad baptiſmum veniſſe, cùm inciperet eſſe *tanquam triginta annorum*, (hoc eſt, anno ætatis triceſimo ineunte, ut ex ejus verbis evidenter deducitur) addatque, tria Chriſtum Paſchata peregiſſe, neceſſariò ſequitur, eum annum xv Tiberii à Luca memoratum, de xv Imperii ejus Proconſularis interpretatum fuiſſe, alioquin tam Evangelio, quam ſibi ipſi contradiceret. Exiſtimavit itaque ſanctiſſimus Doctor, anno Eræ Chriſtianæ xxv factum eſſe *verbum Domini* ad Joannem Baptiſtam anno xv Imperii Proconſularis Tiberii in finem vergente, Joannem uſque ad initium Eræ Chriſtianæ xxvii vel circiter miniſterium ſuum exercuiſſe, & Chriſtum annum triceſimum ætatis inchoantem baptizaſſe, triaque Chriſti Paſchata celebrata fuiſſe annis Eræ Chriſtianæ xxvii, xxviii, & xxix, quo ultimo anno, dieque xxv Martii Chriſtum crucifixum credidit. Neque enim putandum eum, quoad annum & diem Paſſionis, à ceteris Scriptoribus diſſenſiſſe, aut ignoraſſe Tiberii annos ab ejus Imperio Proconſulari numeratos fuiſſe; cùm Marco Aurelio, qui Imperii Collega fuerat, rem Romanam adminiſtrante, in Provinciam Lugdunenſem ad prædicandum Evangelium miſſus fuerit. Ex iis in ſententia Irenæi rectè ſtabilitis deducitur, ſequentia verba, quæ eodem capite 29. & 30. leguntur, in quibus dicitur, Chriſtum à quadrageſimo ad quinquageſimum annum Evangelium prædicaſſe, corrupta eſſe; non tantùm quia Natale Chriſti, ejus baptiſmo, tribuſque Paſchatis antea ab eo conſtitutis adverſantur; ſed etiam quia ex iis ſequitur, Chriſtum in Irenæi ſententia paſſum eſſe ad minus anno xxxvii Eræ Chriſtianæ, idque poſt mortem Tiberii & diſceſſum Pontii Pilati à Judæa, quod illum exiſtimaſſe, mihi numquam perſuaſero. In eo itaque Irenæi ratiocinium conſiſtit, errare eos qui poſt baptiſmum, Chriſtum unum tantùm annum prædicaſſe; & complexum triceſimum annum, cùm nondum provectiorem haberet ætatem, paſſum eſſe. Ad quem errorem confutandum ſcribit tria ab eo Paſchata poſt baptiſmum peracta, ut jam ætate provectus provectiores etiam ætate doceret, & Magiſtri ætate, quæ ſecundùm eum annus triceſimus eſt, magiſterium impleret, & ab anno trigeſimo ad quinquageſimum Evangelium prædicaret, quæ ſunt Irenæi verba, nempe tribus circiter annis poſt annum ætatis triceſimum. Verba itaque, quæ in iis duobus capitibus contrarium ſonant, corrupta ſunt & inſititia, quidquid dicat Petavius in Animadverſionibus Epiphanianis, conſtatque Irenæum annum xv Tiberii à Luca expreſſum, de anno xv ejus Principatûs intellexiſſe.

VI. *Dies & menſis Paſſionis Chriſti.*

Ad num. XLV. Quoad menſem ac diem, quo Chriſtus crucifixus eſt, per tria priora Eccleſiæ ſecula Chriſtianorum traditio fuit, Chriſtum paſſum eſſe die xxv Martii, ut conſtat ex pluribus Martyrologiis ab Henſchenio & Papebrocio eadem die in Actis Sanctorum relatis. Cœpit ea traditio turbari quoad diem, ob decretum Patrum Synodi Cæſarienſis à Beda memoratum, & tempore Theophili Cæſareæ Epiſcopi emanatum, quo edicitur, Chriſtum paſſum eſſe die xxiii Martii. Hunc diem Baronius elegit; ſed methodus Cyclica ejus opinioni adverſatur; littera enim Dominicalis E, quæ poſt biſſextum hoc anno in curſu fuit, jungitur in Kalendario cum eodem die xxiii Martii, ideoque cum feria prima; cùm tamen Chriſtum feriâ ſextâ paſſum dubitari non poſſit. Perſeveravit traditio de morte Chriſti menſe Martio uſque ad ſeculum xiii, quo *Rogerus Bachonus* Anglus, Ordinis S. Franciſci, S. Bonaventuræ æqualis, rerum mathematicarum peritiſſimus, novam rationem iniit, Chriſtumque Aprilis die tertio paſſum affirmavit, à quo tempore vetus traditio exolevit.

VII. *Hiſtoriæ profanæ cognitio ad annum Paſſionis detegendum neceſſaria.*

Quòd ſi quis ſcire aveat, unde factum ſit, ut traditio illa de morte Chriſti die xxv Martii, annoque Eræ Chriſtianæ xxix Conſulatu duorum Geminorum notato, rejecta tandem fuerit, reſpondebo id proveniſſe, & ex nimia Hiſtoriæ gentium incuria, & ex nimia Aſtrologiæ fiducia. Primum docere videtur Auguſtinus lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 28. ubi ait: *Nam & per Olympiadas & per Conſulum nomina, multa ſæpe quæruntur à nobis, & ignoratio Conſulatûs, quo natus eſt Dominus, & quo paſſus eſt, nonnullos coëgit errare*: & paulò pòſt ait, quot annos in hac vita Chriſtus egerit, *de Hiſtoria gentium collata cum Evangelio liquidius certiuſque* colligi. In duobus igitur peccatum videtur, quæ cauſæ fuere, cur Paſſio ab anno Eræ vulgaris xxix remota fuerit: primò in anno Olympiadis à Phlegonte memoratæ explicando; qua de re infrà. Secundò Imperii Proconſularis Tiberii ignoratio, quæ ſenſim irrepſit, quæque adeo animos occupavit, ut hoc etiam erudito ſeculo in dubium revocatum fuerit. Cùm enim ex Luca conſtaret, Chriſtum anno xv Tiberii baptizatum eſſe, progreſſu temporis, annus ille xv Tiberii de Imperio ejus Auguſteo explicatus fuit. Ita Proſper in Chronico

à Philippo Labbeo in ſua nova Bibliotheca publicato: *Quidam putant Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum XV anno regni Tiberii Cæſaris, id eſt, duobus Geminis Coſſ. crucifixum; quo anno ſecundùm indubitatam Lucæ Evangeliſtæ auctoritatem baptizatum eum eſſe manifeſtum eſt, & Evangelium regni cælorum prædicare cœpiſſe.* At Lucam de anno XV Imperii Proconſularis Tiberii, non verò de anno XV Imperii ejus Auguſtei intelligendum Antiqui docuerant, quibus facilè fides deneganda non erat.

VIII.
Annus Paſſionis potius ex traditione quàm ex perfecta Aſtronomia innoteſcit.

Secunda ratio petitur à nimia Aſtrologiæ fiducia. Licèt enim Paſſionis annus non ex Aſtronomia, ſed ex Antiquitatis teſtimonio inveſtigandus videretur; quidam tamen Viri docti ex ſua perfecta Aſtronomia plenilunia ad tempora Chriſti, ex pleniluniis feſta Judæorum, ex his & concurſu feriæ annum Paſſionis alium determinarunt, quàm Veteres ætati Chriſti proximi tradidere: qua in re opinione ſua falſi ſunt, ſicut, inquit Keplerus egregius Mathematicus Epiſt. XVI, ſi hodie, quis omiſſo computo Eccleſiaſtico aberrante, ex Aſtronomia perfecta, accommodatis decretis Nicænis, computaret Paſchata, quæ Kalendarium Gregorianum præceſſere, hic creberrimè ab uſuali Paſchate aberrare cogeretur. Priſci itaque Judæi uſque ad Chriſti ferè tempora in uſu Kalendarii nihil ultra vulgi captum ſapuere, inquit Keplerus, parùmque de cælo fuere ſoliciti, perpetuis bellis exerciti, tandemque à Romanis ſub jugum miſſi. Quare hodiernus Judæorum computus ad rationes curſûs Lunæ aſtronomicas limatiſſimus advocari non debuit, cùm eo Judæi veteres uſi non ſint. Nihilominus ſeculo Eccleſiæ XIII *Rogerus Bachonus*, uti jam diximus, ex perfecta Aſtronomia diem ac menſem Paſſionis Chriſti inveſtigare cœpit, ac die tertia Aprilis anni Eræ vulgaris XXXIII eum mortuum ſcripſit. Sed cùm antiqua Eccleſiæ traditio quæ Chriſtum menſe Martio crucifixum ferebat, in Fidelium mentibus tenaciùs hæreret, non tantùm ab omnibus rejectus eſt, ſed & de errore ſuſpectus habitus: qua de re videndus Wadingus tam in libro de Scriptoribus Minorum, quàm in ſecundo tomo Annalium. Altero poſt Rogerum ſeculo *Paulus Burgenſis*, qui anno 1435. obiiſſe dicitur, eandem docuit opinionem, facta, ut ipſemet cap. 26. in Matthæum affirmat, Lunæ calculatione cum Hebræorum peritis. Poſt aliquot annos idem negotium *Toſtatus* reſumſit, & inter capita theſium quæ Senis in Hetruria, ubi Eugenii quarti Curia tunc erat, diſputavit, hoc unum fuit, *Chriſtum vigeſima quinta die Martii non eſſe mortuum, ſed tertia Aprilis, idque anno ætatis ſuæ triceſimo tertio, non completo, ſed ineunte.* Qua in re multorum animos commovit, à quibus de Religione vehementer cœpit agitari, qui, ut purgaret ſe, *Defenſorium* ſcripſit, ſeu Apologiam, in qua cap. 10. narrat, diebus ſuis & priùs in Curiis duorum Summorum Pontificum quæſtionem hanc agitatam fuiſſe, introductoſque Aſtronomos, necnon Judæos, qui affirmavere fieri non potuiſſe, ut die vigeſima quinta Martii Chriſtus moreretur, tum quod Aſtrologiæ repugnaret die illa in iis annis Lunam dari XV, tum quod Judaïcarum ſolennitatum terminis non minùs adverſaretur.

IX.
Rogerus Burgenſis & Toſtatus novam opinionem inducunt.

Non mirum verò, hanc poſtea opinionem prævaluiſſe; cùm qui poſt Burgenſem & Toſtatum de anno & die Paſſionis Dominicæ locuti ſunt, eoſdem ferè exſcripſerint. Teſtatur hoc Petavius lib. 12. de Doct. Temp. cap. 15. ubi ait: *Ex amborum ſcriptis velut fontibus, omnium, qui deinceps in ea controverſia verſati ſunt, diſputationes & commentarii profluxerunt. Nihil eſt poſt illos duos ferè ab ceteris allatum, quod non inde promptum ac derivatum fuerit, ut qui illos legerit, iſtorum induſtriam non magnopere deſideret.* Fallitur autem Petavius citatus cap. 13. dum ſibi perſuadet, Antiquos Solis Lunæque ratiocinia minùs comperta habuiſſe; ideoque feriarum potiùs, quàm Lunarum rationes ineuntes, contuliſſe Paſſionem in annum Julianum LXXIV, ſeu Eræ vulgaris XXIX, quòd in eo tantùm feriam ſextam & diem Martii XXV, concurrere comperiſſent. Tot enim de Paſchate controverſiæ, tanti nationum inter ſe conflictus, tam gravia Orientis Occidentiſque diſſidia, tot ſuper ea quæſtione celebrati toto Orbe Conventus Præſulum, ſanctiſſimæ illud Nicænæ Synodi decretum ceterarum deinde ſuffragio comprobatum, innumeri denique Paſchales Cycli ad Lunæ Soliſque viciſſitudines moderandas adhibiti ſatis evincunt, ſufficientem per priora Eccleſiæ ſecula fuiſſe in ea rerum aſtronomicarum ſcientiam; quam aliunde ab Alexandrinis Præſules diſcere potuiſſent, niſi perſuaſum habuiſſent, quæſtionem hanc non ex aſtronomicis demonſtrationibus ac Lunæ rationibus, ſed traditione per manus accepta & Veterum teſtimonio decidendam eſſe. Hæc mea in re obſcuriſſima ſententia, ſeu veriùs ſuſpicio, quam hic proponere placuit, ut magis examinetur.

X.
Sententia Voſſii de anno baptiſmi & mortis Chriſti rejecta.

Poſtquam hæc ſcripſeram, in manus meas venit Diſſertatio Gerardi Joannis Voſſii, *de Annis, quibus natus, baptizatus, ac mortuus Chriſtus*, in qua docet Chriſtum anno Juliano XLIII natum, & anno Eræ Chriſtianæ XXIX, die XXV. Martii, anno Tiberii XV, poſtquam duo Paſchata juxta veterum Doctorum ſententiam celebraſſet, crucifixum. Quod ita explicat, ut ſecundùm Hebræos, qui annum incipiunt à menſe *Tiſri*, ſeu Septembri, & quod eum menſem antecedit, præcedenti anno accenſent, ac pro anno numerant, Chriſtus baptizatus fuerit anno Tiberii XV, anno nempe Eræ vulgaris XXVIII; paſſus verò ſecundùm eorumdem Hebræorum loquendi modum anno XVI Tiberii. At more Romano loquentes, dicendum baptizatum eſſe Chriſtum anno XIV, paſſum anno XV; Lucamque, quando Chriſtum anno XV Tiberii baptizatum dicit, priorem loquendi modum uſurpaſſe. Ita Voſſius. Sed licèt illud rectiſſimè, quòd veteres Patres duo Paſchata Chriſto tribuerint; falſum tamen, eos Lucam de anno XIV Imperii Auguſtei Tiberii intellexiſſe: pro fundamento enim ſuæ ſententiæ Imperium Proconſulare Tiberii ſuppoſuere, ac de eo Lucam interpretandum judicarunt, ut ex iis, quæ jam dixi, liquet. Immo Tertullianus lib. 1.

contra Marcionem cap. 15. Chriſtum dicit, baptizatum *anno duodecimo* Tiberii, ac paulò poſt *anno decimo quinto*, ut ſecundùm utramque Tiberii epocham annum baptiſmi Chriſti magis manifeſtaret. Præterea ſi Divus Lucas, ut vult Voſſius, annum XIV Auguſtei Imperii Tiberii, Hebræorum vel Antiochonorum more vocat decimum quintum, eoque Chriſtum baptizatum docet; cur omnes Patres Latini, qui Chriſtum duobus Geminis Coſſ. paſſum ſcribunt, unanimi conſenſu à modo loquendi Lucæ diſcedunt, eumque anno XV Tiberii mortuum affirmant; cùm, ut ſe Lucæ conformarent, anno decimo ſexto ſcribere debuiſſent? Nec alio modo Græci loquuntur, ſi pauciſſimos excipias; præſertim Julium Africanum, qui apud Syncellum pag. 308. paſſum dicit Chriſtum modò anno XV, modò anno XVI Tiberii, ut ſcilicet ſecundùm Orientalium & Occidentalium loquendi modum annum mortis Chriſti magis exprimeret; non verò quòd eo uſum fuiſſe Lucam exiſtimaret. Patres itaque, qui duo tantùm Paſchata Chriſto aſſignarunt, Lucam interpretati ſunt de anno decimo quinto Imperii Proconſularis Tiberii, mortemque Chriſti cum anno Imperii Auguſtei Tiberii decimo quinto copularunt. Sed Chriſtum tria ſaltem Paſchata peregiſſe, extra controverſiam eſſe debet.

XI. *Explicatur eclipſis Chriſto patiente viſa.* Baron. num. cxx, & ſeqq.

Reſtat hìc explicanda eclipſis, de qua in Epitome num. XXXVI. Tertullianus, Origenes, Julius Africanus, Auguſtinus, & Hieronymus, quos certum eſt Chriſtum duobus Geminis Coſſ. paſſum exiſtimaſſe, eam eclipſim Phlegontis auctoritate ſuadent, argumento manifeſto eos Paſſionem eo anno conſignaſſe, quo Phlegon illud Solis deliquium. Si enim Paſſionem altero, quàm Phlegon eclipſim collocaſſent anno, non mortem Chriſti miraculoſam, quod intendebant, Gentilibus perſuaſiſſent, ſed ſeipſos ludibrio expoſuiſſent. Præterea Julius Africanus ſeculo poſt Phlegontem vixit, hujuſque Opus de Olympiadibus libris 16. ut docet Suidas, comprehenſum videre potuit. Cùm enim Phlegon Hadriano imperante, & Africanus Heliogabali tempore floruerit, vix mihi perſuadere poſſum, nobiliſſimum illud Opus jam Africani ætate periiſſe. Ex quo & ſequitur, majorem huic quàm reliquis, qui neque Opus illud viderunt, neque ita proximi Phlegonti vixerunt, fidem adhibendam eſſe. Africanus autem in Fragmento à Syncello pag. 323. relato ait, eclipſim à Phlegonte memoratam accidiſſe anno II Olympiadis CCII, quod etiam habet lib. 5. τῶν χρονικῶν apud Euſebium lib. 8. de Demonſtratione, & apud Hieronymum in cap. 9. Danielis. Annus ſecundus Olympiadis CCII anno Eræ Chriſtianæ XXX exorditur. Unde Keplerus & Petavius, qui mortem Chriſti in annum XXXI conferunt; Africanum ſibi ceciniſſe credunt; ille Epiſtolâ XIV & XVI, hic lib. 12. de Doct. Temp. cap. 21. Sed uterque opinione falſus eſt: nam Africanus communes Olympiades integro biennio antevertit, primamque exorditur anno Periodi Græco-Romanæ 4716. licèt Olympias communis anno ejuſdem Periodi 4718. auſpicetur. Inde Syncellus, qui eam putandi Olympiades rationem ſequitur, primam Olympiadem collocat anno Periodi Alexandrinæ 4726. quia Periodus Alexandrina annos decem pluſquam Græco-Romana enumerat. Unde ſi huic decem annos addas, habebis annum Periodi Alexandrinæ, qui eodem anno incipit. Eandem ob rem Syncellus ex Africano pag. 308. dicit, *captâ Alexandriâ* inchoatam fuiſſe CLXXXVIII Olympiadem, licèt anno Periodi Græco-Romanæ 5464. quo, exeunte Auguſto, ea civitas capta, curreret tantùm annus tertius Olympiadis CLXXXVII, ſi ſecundùm communem opinionem ſupputatio fiat. Quare Olympias Africana, ſic enim in poſterum id Olympiadis genus vocandum, biennio communem antevertit; ideoque annus ſecundus Olympiadis CCII, quo eclipſis à Phlegonte memorata, ab Africano contigiſſe dicitur, non cum anno Chriſti XXXI, ut Keplerus & Petavius putarunt; ſed cum anno ejuſdem Eræ XXIX conjungendus, quamcumque ſupputationem Phlegon ſecutus fuerit: Africanum enim Olympiadem ab eo expreſſam modo ſibi ſolito numeraſſe non dubitandum.

XII. *Modus peculiaris Olympiadas putandi hactenus non animadverſus.*

Eodem, quo Africanus modo, Auctor anonymus, qui Chronicon edidit ab Orbe condito ad annum XIII Alexandri Severi, quod extat tomo II Antiq. Lect. Caniſii, in putandis Olympiadibus utitur. Ait enim: *Sunt omnium Olympiades uſque ad annum XIII Alexandri Cæſaris Olympiades CCLIII, quæ ſunt anni mille duodecim.* Annus XIII Alexandri Severi incipit menſe Martio anni Eræ Chriſtianæ CCXXIV, Periodi verò Græco-Romanæ 5727. quo Chriſti & Periodi Græco Romanæ anno inchoatur annus ſecundus Olympiadis CCLIII, juxta communem ſupputationem, annus verò Olympiadicus milleſimus decimus. Quare Anonymus ille non Olympiadem communem, ſed Africanam uſurpat. Quod ex eo certum redditur, quòd ſi præfatos annos Olympiadicos mille duodecim addas anno Periodi Græco Romanæ 4715. qui Olympiadem Africanam immediatè præceſſit, pervenies ad annum ejuſdem Periodi 5727. Includit itaque ultimum terminum Auctor ille anonymus, nempe annum Alexandri Severi XIII, & annum tertium Olympiadis CCLIII, quod & ex anno Incarnationis conſtat: addit enim, eum annum eſſe *CCVI à Paſſione.* Anno Eræ noſtræ XXIX, quo Chriſtum paſſum credidit, adde CCVI, pervenieſque ad annum Chriſti CCXXXIV; ſed ea additio anno XXVIII fieri debet, ne annus XXIX, qui numerari debet, excludatur: qua in re Viros doctos aliquando errare deprehendo. Keplerus itaque in Eclogis Chronicis pag. 124. perperam præfato loco utitur ad probandum, Auctorem anonymum exiſtimaſſe Chriſtum anno Eræ noſtræ XXXI paſſum. Perperam etiam Marcus Antonius Capellus libello de Cœna Domini contendit, Cenſorinum lib. de Die natali cap. 21. docere, ſe Opus abſolviſſe anno Chriſti CCXXXVII, annumque II Olympiadis CCXCIV cum anno Juliano XL, in quo annus tantùm tertius Olympiadis communis CCXCIII inchoatur, connectere; idque auctoritate memorati

Chronici, cujus Olympiades ſupputandi rationem ignorabat. Eodem nodo irretitus Petavius fuit lib. 12. de Doctrina Temp. cap. 6. ut enim Capellum, præfatum locum Anonymi aſſerentem, confutet, aliud non reſpondet, quàm ab Auctore Chronici certiſſimè erratum eſſe, non advertens, hunc Olympiadem Africanum, non verò communem adhibere. Petavius lib. 12. de Doct. Temp. cap. 21. de illo Solis defectu loquens ait: *Nunc illud reſpondeant, velim, qui Phlegontis teſtimonio nos oppugnant, ecquid Africanum, Euſebium, Hieronymum, Phlegontis libros legiſſe putent. Quod quia de Africano ſaltem negare non poſſunt, dicant porro quid in illis judicii fuiſſe cenſeant, ſi cùm apud Phlegontem obſervaſſent horribilem Solis eclipſim anno IV Olympiadis CC II contigiſſe, & eam eſſe vellent, quæ moriente Chriſto contra naturæ ordinem apparuiſſet, atque idipſum Ethnici illius auctoritate ſuaderent: ſi hanc, inquam, non anno illi, quo iſte ſcripſerat, ſed alteri tribuiſſent, ſat inſanos illos arbitrentur. Quamobrem ne tantum ſtuporis antiquis illis Patribus affingatur, propemodum fateri neceſſe eſt, Africani verba à Librariis fuiſſe corrupta.* At cùm Africani verba facilem habeant explicationem, Librarii hoc in loco non culpandi.

XIII. *Olympiades mendoſè expreſſæ in Euſebio & in Africano.*

Sed gravis adhuc circa Olympiadis Phlegonteæ annum difficultas reſtat. Africanus enim apud Syncellum pag. 308. modò dicit, eclipſim accidiſſe anno II Olympiadis CC II, modò anno IV ejuſdem Olympiadis. In Chronico etiam Euſebii ad annum Abrahami 2047. legitur: *Phlegon Olympiadum egregius ſupputator in 13. libro dicit: Quarto autem anno CC II Olympiadis magna & excellens inter omnes, quæ ante eum acciderant, defectio Solis facta, &c.* Immo ipſe Euſebius in eo Chronico eam non anno II aut IV ejuſdem Olympiadis, ſed III illigavit, ſicuti & Chriſti Paſſionem. Ad hanc difficultatem Keplerus & Petavius laudati reſpondent, locum illum Chronici Euſebiani (Fragmentum enim Africani apud Syncellum non legerant, aut ad difficultatem animum non adverterant) corruptum eſſe, & loco τῷ δευτέρῳ ἔτει τῆς σβ' Ὀλυμπιάδος, uti ſcripſerat Euſebius, Anognoſten Hieronymi legiſſe, τῷ δ', hoc eſt, *anno IV*, licèt ſcriptum eſſet, *anno II.* Verùm mendum non in anno, ſed in Olympiade cubat. Africanus enim, ut in re graviſſima ab omnibus intelligeretur, utramque Olympiades ſupputandi rationem uſurpavit; cúmque annus tunc quartus ducenteſimæ primæ Olympiadis communis curreret, eam etiam numerationem amplexus eſt, ſcripſitque σα' Ὀλυμπιάδος, non verò σβ' Ὀλυμπιάδος, id eſt, *anno quarto* Olympiadis ducenteſimæ *primæ*, non verò Olympiadis ducenteſimæ *ſecundæ*. Quod ex eo patet, quòd in Fragmento apud Syncellum pag. 324. idem Africanus habet: *Anni ab Adam condito ad Chriſti adventum & ejus Reſurrectionem* 5531. *colliguntur. A qua temporis epocha ad Olympiadem CC L anni C XC II intercurrunt.* Is annus mundi 5531. ſecundùm Alexandrinos, quos ſequitur Africanus, abſolvitur menſe Martio anni *Æræ* vulgaris XXIX, quo & Paſſionem Chriſti Africanus conſignat. Olympias ducenteſima quinquageſima incipit anno Æræ Dionyſianæ CCXXI, qui annus eſt Olympiadicus DCCCXCVIII; annus verò quartus Olympiadis CCI, eſt annus Olympiadicus DCCCIV. Unde ſi DCCCIII addas annos illos XCII, pervenies ad Olympiadem CCL. Numerat itaque ibidem Africanus Olympiades modo communi & ordinario; aliter non anni CXCII, ſed CXCIV à Paſſione Chriſti ad Olympiadem CCL fluxiſſent. Et quòd ita intelligendus ſit Africanus, liquet ex iis, quæ habet Syncellus pag. 212. ubi ait, ducenteſimam quinquageſimam Olympiadem incidere in Conſulatum *Grati Severiani, & Seleuci Conſulum creatorum, ad vulgarem annum mundi* 5723. *ut auctor eſt Africanus, qui Antonini Auguſti fuit tertius.* Ubi vides Africanum initium Olympiadis CCL, anno Chriſti Dionyſiano CCXXI Grati & Seleuci Conſulatu notato conſignare, ſicuti opinio communis ſolet. Quòd ſi Africanus modo ſibi proprio de ea Olympiade loqueretur, eandem biennio antea exordiri ſcriberet. Sic Africanus modò dicit Chriſtum paſſum anno Tiberii XV, modò anno XVI ejuſdem Imperatoris, ut annum mortis ejus magis manifeſtaret, ut jam dixi.

Patet itaque, Africanum, dum de eclipſi Phlegontea loquitur, ſcribere eam anno II Olympiadis CCII accidiſſe, utque rem magis explicaret, ſcripſiſſe poſtea eam contigiſſe anno IV Olympiadis CCI, quæ juxta communem ſupputationem cum anno Chriſti XXIX concurrit, progreſſuque temporis erratum eſſe à Librariis, & loco Olympiadis CCI ſcriptum fuiſſe CCII, ac errorem illum vel ab Euſebio, vel ab Hieronymo derivatum fuiſſe, in Chronicon Euſebianum, indeque in alios Auctores. Non abſimilis error in Euſebio lib. 10. de Præparat. Ibi enim prodit, annum decimum quintum Tiberii incidere in annum quartum Olympiadis CCIII, licèt annus XV Tiberii, ſeu Dionyſianus XXIX, concurrat cum anno primo Olympiadis CCII juxta putationem Euſebio familiarem, qui Olympiadem communem anno uno antevertit. Quòd ſi ibidem ſupputationem communem Euſebius ſecutus eſt, quod valde veroſimile, dicere debuit, annum XV Tiberii incidiſſe in annum quartum Olympiadis CCI, non verò CCIII. Quoad Joannem Philoponum, qui lib. 2. de Mundi creatione ait: *Harum tenebrarum meminit & Phlegon in Olympiadibus: ait enim anno ſecundo ducenteſimæ Olympiadis contigiſſe eclipſim Solis, cujuſmodi nulla cognita eſt;* nihil certi ex eo deduci poteſt, non ſolùm, quia is Auctor non antiquus, cùm Juſtino Juniore imperante floruerit, ſed etiam quòd pagina ſequenti dicat, *anno quarto*, & quæ de ea eclipſi tradidit, non à Phlegonte, cujus Opus de Olympiadibus jamdiu perierat, ſed vel ab Euſebio, vel ab Africano, hujus Olympiades numerandi ratione non obſervata, acceperit. Ex eclipſi itaque, quæ Chriſto patiente viſa, annus Paſſionis determinari non poteſt alius, quàm annus Æræ Chriſtianæ XXIX.

XIV. *Annus, quo eclipſis miraculoſa accidit, in Auctoribus corruptus.*

XV. *Teſtimonium Joſephi de Chriſto.* Ad num. LXII. Petrus Daniel Huetius, Vir eruditiſſimus, Epiſcopus Sueſſionenſis deſignatus, in libro, cui titulus eſt, *Demonſtratio Evangelica*, propoſitione 3. num. XI, Spencerus in Notis ad librum Origenis adverſus Celſum, & Lambecius tomo 8. Bibliothecæ Cæſareæ pag. 4. & ſeqq. tuentur teſtimonium Joſephi de Chriſto, quod Tanaquillus Faber ſingulari Diſſertatione inſititium atque ab aliquo impoſtore confictum contendit, Euſebii, Hieronymi, Iſidori Peluſiotæ, Photii, Suidæ, & Chriſtianorum communem opinionem falſitatis arguens.

Baron. num. CCXXVI.

Certe hujus teſtimonii ingenuitatem demonſtrant omnes antiqui Codices MSS. Græci incorrupti, qui ubique terrarum etiamnum extant, quibus olim Euſebius, anonymus Antiquitatum Judaïcarum Interpres Latinus, & Scriptores citati uſi ſunt. Fuit Interpres hic unus ex amicis Caſſiodori anno Chriſti DXIV Conſulis, qui Kal. XVII libri de divinis Inſtitutionibus expreſsè teſtatur, *Flavii Joſephi Judaïcarum Antiquitatum libros uſque ad ſuam ætatem nondum fuiſſe tranſlatos, ſed ſe primùm illos ab amicis ſuis feciſſe converti in Latinum.* Falsò aſſeritur, Euſebium teſtimonium illud finxiſſe, & Operi Joſephi per fraudem inſeruiſſe; cùm aliquod Opus ſuppoſuiſſe Euſebium oſtendi non poſſit. Joſephus quidem in Religione Judaïca ſemper conſtans permanſit, ut apparet ex his ejus verbis: *Uſque in hodiernum Chriſtianorum genus ab hoc* (nempe Jeſu Chriſto) *denominatum non deficit*, lib. 18. Antiquit. cap. 4. ideoque hæc verba, ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν, non ſunt ſimpliciter accipienda, quaſi Joſeph Chriſtum habuerit pro vero Chriſto, ſeu pro promiſſo Meſſia; ſed laborant ea elipſi ſive defectu vocis λεγόμενος, hoc eſt, *hic erat ille Jeſus, qui appellabatur Chriſtus.* Si loco laudato Joſephus nullam Chriſti feciſſet, aut voluiſſet facere mentionem, opus non habuiſſet cap. 8. lib. 20. earundem Antiquitatum S. Apoſtolum Jacobum cognomine Juſtum vel Minorem expreſsè appellare τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, hoc eſt, *fratrem Jeſu cognomine Chriſti.* Hæc enim verba ibi adjunxit, ad ea reſpiciens, quæ de Chriſto jam narraverat lib. 18. cap. 4. Origenes quidem lib. 1. adverſus Celſum, ait, Joſephum Jeſum parum agnoviſſe pro Chriſto, ὁ δ' αὐτὸς καίτοι γε ἀπιστῶν τῷ Ἰησοῦ ὡς Χριστῷ; ſed ex illo ſimilibúſve locis malè colligit Faber, Joſephi teſtimonium de Chriſto ſuppoſititium eſſe; cùm ex illis tantùm inferri debeat, Joſephum non agnoviſſe Jeſum, Meſſiam & totius Orbis Regem à Scripturis Moſaïcis prædictum. Quamobrem Joſephus vaticinium de Meſſia, cujus adventum tunc temporis Judæi expectabant, non de Jeſu Chriſto interpretatus eſt, ſed de Veſpaſiano, poſtquam Judæorum omnia retroire vidit. Lege librum 3. cap. 14. de Bello Judaïco pag. 854. Denique conſentit ad hæc omnia ſtylus & dictionum color, talis nimirum, qualis Helleniſtarum eſſe ſolet. Locutiones etiam quaſdam obſervare licet Joſepho familiares. Ex quibus omnibus liquet, hanc periocham germanam eſſe. Qua de re plura Auctores citati.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5526. ☉ 14 D. ☽ 15. INDICT. 6. Olymp. 203
P.C. 786.

JESU CHRISTI 33. *ſecundum Baronium* 35.

TIBERII IMP. 20.

I. *Conſules.* COSS. *Ser. Sulpicius Galba, & L. Sulla Felix*; ex Inſcriptione Gruteriana pag. 108-.

Galba, qui poſtea imperavit, dicitur etiam Servius à Tacito lib. 6. & à Dione lib. 58. ubi hujus anni Conſules laudant. Noriſius tamen in Epiſtola Conſulari pag. 16. poſtquam retulit hunc Suetonii locum in Galba cap. 4. *Adoptatus à noverca ſua*, (nempe Galba) *Livii nomen & Ocellæ cognomen aſſumſit, mutato prænomine. Nam & Lucium mox pro Servio uſque ad tempus Imperii uſurpavit*; ait: *Ego mallem in Conſulatu Lucium vocare* (nempe Galbam) *quod illud prænomen tunc ferebat, eodemque in publicis monumentis ejus anni obſignabatur.* At cùm in laudata Inſcriptione atque à Tacito & Dione *Servius*, non verò *Lucius* appelletur, manifeſtum eſt, *Lucii* prænomen in Faſtis ei attribuendum non eſſe. Certè Romani ſæpe quibuſdam nominibus vulgò inſigniebantur, quibus tamen in publicis monumentis nuncupari non ſolebant. Sic Caius in Nummis ſaltem Latinis numquam Caligula vocatur: ſic Gallienus Minor in Nummis eo nomine numquam appellatur.

II. *Caligula fit Imperator.* Ad num. XVI. Neque Dio lib. 58. neque Suetonius in Tiberio cap. 61. à Baronio citati dicunt, Tiberium, Caligulam ad Imperium hoc anno evexiſſe, certumque, hunc nonniſi poſt Tiberii mortem eo honore exornatum eſſe.

Baron. num. XXIX.

III. *Obitus Pomponii Flacci Syriæ Præſidis.* Pomponius Flaccus Syriæ Præſes hoc anno ſupremum diem obiit, ut docet Tacitus lib. 6. ad annum Urbis DCCLXXXVI. Monuit me Toinardus V. C. extare in Gaza Regia Nummum Pomponii Flacci, in cujus antica legitur Tiberii Cæſaris nomen, ejuſque caput laureatum cernitur; in poſtica verò habetur, ΕΠΙ ΦΛΑΚΚΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΒΔ, in Laurea, id eſt, *ſub Flacco anno Antiocheno XCII.* Deducta ea epocha ab anno Urbis DCXC, Ciceronis & Antonii Conſulatu notato, quo Pompeius Syriam in Provinciam redegit. Quare is Nummus anno Urbis DCCLXXX, Chriſti verò XXXVII percuſſus. Extat & alius Nummus Pomponii Flacci Syriæ Præſidis notatus anno Antiocheno ΒΞ, id eſt, LXII, qui numerus ab anno Urbis DCCXXIII victoriâ Actiacâ nobilitato deſumitur, ideoque Nummus anno Urbis DCCLXXXIV, Chriſti verò XXXI cuſus. Flacco ſucceſſit Vitellius anno Chriſti XXXV, de quo Tacitus lib. 6. anno Urbis DCCLXXXVIII, ait: *Cunctis, quæ apud Orientem parabantur, L. Vitellium præfecit*, patrem Auli Vitellii, qui poſtea imperavit. Verum itaque eſt quod ſcribit Suetonius in Tiberio cap. 41. *Hiſpaniam & Syriam per aliquot annos ſine Conſularibus Legatis* habuiſſe Tiberium.

Baron. anno 37. num. 14.

V.C. 787.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5527. ☉ 15 C. ☽ 16. Indict. 7.
Jesu-Christi 34. *ſecundum Baronium* 36.
Tiberii Imp. 21.

I. *Conſules.* Coss. *Paulus Fabius Perſicus*, & *L. Vitellius*, ut oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari, ubi & ait, poſtremum perperam à Baronio *Nepotem* appellari, quòd non adverterit, apud Onuphrium hanc vocem *Nepos* originem Conſulum ab avis indicare, ideoque pro eorumdem Conſulum cognomine accipi non debuiſſe.

II. *Vicennalia Tiberii.* Tiberius Imperii Auguſtei Vicennalia dedit, ut ſcribit Dio lib. 58. & legitur in Collectione Hiſtoriarum apud Scaligerum pag. 339. Vide dicta in Diſſert. Hypatica hoc anno.

III. *Obitus Philippi Herodis filii.* Obitus Philippi Herodis Aſcalonitæ filii, de quo anno Chriſti XXXVII, huc revocandus.

V.C. 788.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5528. ☉ 16 B. ☽ 17. Indict. 8.
Jesu Christi 35. *ſecundum Baronium* 37.
Tiberii Imp. 22.

I. *Conſules.* Coss. *C. Ceſtius Gallus*, & *M. Servilius Nonianus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari.

II. *Quinta Quinquennalia Imperii Proconſularis Tiberii.* Imperii Proconſularis Tiberii quinta Quinquennalia in hunc annum incidunt. Mediobarbus tres Tiberii Nummos producit Tribunitia Poteſtate XXXVII, quæ hoc anno cœpit, inſignitos, in quorum altero Quadriga triumphalis, in altero globus cum temone, in tertio templum pulcherrimum cernuntur: quæ hujus feſtivitatis indicia. Suſpicabatur Angellonus triumphi Tiberii memoriam hoc anno renovatam fuiſſe: qua in ſententia planè confirmatus eſſet, ſi annis Decennalibus & id genus feſtis addictis rerum antea geſtarum memoriam in Nummis refricari ſolitam intellexiſſet. Mediobarbus exhibet duos Tiberii Nummos Tribunitia Poteſtate XXXVI præcedenti anno inchoata notatos, in quorum altero viſitur templum, in altero globus cum temone, ad deſignandam nempe ſapientem Imperatoris adminiſtrationem. Quarè cùm certum ſit Tiberium anno præcedenti Vicennalia dediſſe, liquet currenti anno ſimiles Nummos ob ſimilem feſtivitatem percuſſos, & aliqua templa horum ſolennium occaſione, aut ædificata aut dedicata, qui mos poſtea invaluit.

V.C. 789.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5529. ☉ 17 AG. ☽ 18. P. 31. Mart. Indict. 9.
Jesu Christi 36. *ſecundum Baronium* 38.
Tiberii Imp. 23.

Coss. *Sex. Papinius Allenius*, & *Q. Plautius*, ut oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari pag. 23. ubi demonſtrat Plautium per errorem Plautianum à Baronio, aliiſque cognominari, & priorem Conſulem non *Gallienum*, ut à Baronio Onuphrioque vocatur, ſed *Allenium* dictum eſſe. I. *Conſules.*

Tiberius Imperii Cæſarei ſeptima Quinquennalia celebravit. Mediobarbus pag. 67. Nummos hujus Imperatoris deſcribit, Tribunitia Poteſtate XXXVIII hoc anno inchoata inſignitos, in quorum uno viſuntur Quadrigæ triumphales; in altero templum elegantiſſimum, & in alio globus cum temone; quæ horum ſolennium indicia. II. *Septima Quinquennalia Imperii Cæſarei Tiberii.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5530. ☉ 18 F. ☽ 19. P. Indict. 10. Anno Urbis 790. Olymp. 204.
Jesu Christi 37. *ſecundum Baronium* 39.
Caligulæ Imp. 1.

Coss. *Cn. Acerronius Proculus*, & *C. Pontius Nigrinus*, ex Dione lib. 58. & Tacito lib. 6. Annal. I. *Conſules.*

Tiberius XVII Kalend. Apriles ſeu die XVI Martii, Suetonio in Tiberio cap. 16. & Tacito lib. 6. Annal. teſtibus, ſupremum diem obiit, cui Caius Caligula Germanici filius ſucceſſit. Quare erravit Dio lib. 58. qui ait, Tiberium mortuum VI Kalend. Apriles, & imperaſſe *annos XXII*, *menſes VII*, *ac dies totidem*, non verò, ut perperam legitur in Epitome, *annos XXII*, *menſes V*, *dies XIII*. Regnavit enim annos XXII, menſes VI, dies XXVI. Quòd ſi Tiberii anni ab eo tempore, quo Imperii Collega dictus, numerentur, regnavit annos viginti quinque, menſes ſex, dies novemdecim, ut ex Clemente Alexandrino lib. 1. Stromatum colligitur, ubi tamen per errorem *annos viginti ſex* habet. Caligula Kalendis Juliis currentis anni, Claudio patruo Collega, Conſul ſuffectus proceſſit, ut habet Suetonius in Caio cap. 17. ubi tamen juxta antiquas editiones, quas Baronius ſecutus eſt, malè legitur, Caium primum Conſulatum *ex Kalend. Janu.* geſſiſſe: legendum enim, *ex Kalend. Jul.* ut jam inter omnes convenit. Conſulatus iſte Caligulæ juxta primam Conſulatuum Cæſareorum regulam capeſſitus Octaviani Auguſti exemplo. II. *Obitus Tiberii.* Baron. num. 1.

Ad num. II. Philippus Herodis Antipæ frater anno Chriſti XXXIV è vivis exceſſit. Joſephus enim lib. 18. Antiquit. cap. 6. poſtquam de Vitellii Hieroſolymam adventu locutus eſt, ait: *Tunc etiam Philippus Herodis frater diem ſuum obiit anno Tiberii Principatus vigeſimo, cùm ipſe præfuiſſet triginta ſeptem annis Trachonitidi & Gaulanitidi ac* III. *Obitus Philippi, Herodis Aſcalonitæ filii.* Baron. an. 37. num. III.

Batanea, & quia ſine liberis deceſſerat, ditionem ejus Tiberius Provinciæ Syriæ attribuit. Ex quo annus mortis Herodis Magni ejus patris magis innoteſcit. Si enim Philippus anno Chriſti XXXIV, quo Tiberius viceſimum Imperii inchoavit, mortuus eſt, patri ſucceſſerat anno Juliano XLIII. Baronius in Annalibus Philippi mortem in annum Chriſti XXXV confert, quòd exiſtimet, Joſephum indicare, eam non contigiſſe, niſi poſtquam Vitellius Hieroſolymam advenit. Quæ tamen ratio non procedit: Joſephus enim, antequam Philippi mortem narret, ait Vitellium juſſiſſe Pilatum Romam proficiſci, *reſponſurum apud Cæſarem ad objecta per Judæos crimina*: quæ tamen profectio ante annum Chriſti XXXVI ſuſcepta non eſt. Joſephus itaque ordinem temporis plerumque non ſervat, & Hiſtoricum agit, non Chronologum.

IV.* *Eccleſia per reſpectum ad Imperium ordinata.*

Ad num. VI. Imperium Romanum jam ab Apoſtolorum temporibus in Provincias diſtributum videtur. *Oriens*, inquit Petrus de Marca lib. 1. cap. 4. parag. 2. *in diſpoſitione Imperii Romani eas Provincias omnes complectitur ab ipſius Veſpaſiani temporibus, quæ à Thracia per Ægyptum & Aſiam minorem uſque ad Euphratem & Tygrim pertinent. Hæ Provinciæ quinque Diœceſibus comprehendebantur, Thracicâ, Ponticâ, Aſianâ, Orientali, & Ægyptiacâ, quæ Magiſtratibus ſibi præfectis parebant.* Ubi quando dicit, *quinque Diœceſibus*, reſpicit Præſul doctiſſimus ad poſteriora tempora, quibus Thracia, Pontus, Aſia, Oriens, & Ægyptus Diœceſes Imperii vocatæ ſunt, quod primò contigit ſub Conſtantino Magno, qui Imperium Romanum ſub variis Præfectis Prætorio ordinavit, & Provincias varias ſub unoquoque Præfecto ordinaturus, eas Diœceſes appellavit, ut Diœceſis ſub ſe habeat plures Provincias, ſicut Provincia plures civitates. Licèt itaque Diœceſis nomen Conſtantini Magni temporibus primùm auditum ſit, res tamen ipſa per illum ſignificata jam erat ab initio Eccleſiæ. Ipſæ Diœceſes & Provinciæ ſub quatuor Præfectis Prætorio exhibentur in Notitia Imperii ultra Arcadii Honoriique tempora ſcripta; ut in Operis inſcriptione dicitur. Ex ea videre eſt, ſub quatuor Præfectis Prætorio, per totum Imperium fuiſſe Diœceſes omnino tredecim, ſex Orientis, & Occidentis ſeptem, illaſque comprehendiſſe Provincias centum & duodeviginti, quas quia quilibet Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſtudioſus ſibi familiares reddere debet, hìc apponendas duco ex ipſa Notitia Imperii.

V. *Provinciæ ſubjectæ Præfecto Prætorio Orientis.*

PRÆFECTUS PRÆTORIO ORIENTIS,
& ſub ipſo Diœceſes quinque.

ORIENTIS. *Sub Diœceſi Orientis, Provinciæ XV.*	ÆGYPTI. *Sub Diœceſi Ægypti, Provinciæ VI.*	ASIÆ. *Sub Diœceſi Aſiæ, Provinciæ X.*	PONTI. *Sub Diœceſi Ponti, Provinciæ X.*	THRACIÆ. *Sub Diœceſi Thraciæ, Provinciæ VI.*
Palæſtina,	Libya ſuperior,	Pamphylia,	Galatia,	Europa,
Phœnice,	Libya Inferior,	Helleſpontus,	Bithynia,	Thracia,
Syria,	Thebaïs,	Lydia,	Honorias,	Hemimontis,
Cilicia,	Ægyptus,	Piſidia,	Cappadocia prima,	Rhodope,
Cyprus,	Arcadia,	Lycaonia,	Paphlagonia,	Mœſia II.
Arabia,	Auguſtanica.	Phrygia Pacatiana,	Pontus Polemoniacus,	Scythia.
Iſauria,		Phrygia Salutaris,	Hellenopontus,	
Palæſtina Salutaris,		Lycia,	Armenia I.	
Palæſtina II.		Caria,	Armenia II.	
Phœnice Libani,		Inſulæ.	GalatiaSalutaris.	
Euphratenſis,				
Syria Salutaris,				
Oſrhoëna,				
Meſopotamia,				
Cilicia ſecunda.				

VI. *Provinciæ ſubjectæ Præfecto Prætorio Illyrici.*

PRÆFECTUS PRÆTORIO ILLYRICI,
& ſub ipſo Diœceſes duæ.

MACEDONIÆ *Sub Diœceſi Macedoniæ, Provinciæ VI.*	ET DACIÆ. *Sub Diœceſi Daciæ Provinciæ V.*
Achaia,	Dacia Mediterranea,
Macedonia,	Dacia Ripenſis,
Creta,	Mœſia prima,
Theſſalia,	Dardania Prævalitiana,
Epirus vetus,	Pars Macedoniæ Salutaris.
Epirus nova.	

PRÆFECTUS PRÆTORIO ITALIÆ, & ſub ipſo Diœceſes tres.

ITALIÆ. *Sub Diœceſi Italiæ, Provinciæ XVII.*	ILLYRICI. *Sub Diœceſi Illyrici, Provinciæ VI.*	AFRICÆ. *Sub Diœceſi Africæ, Provinciæ VI.*
Venetiæ,	Pannonia ſecunda,	Byzacium,
Æmilia,	Savia,	Numidia,
Liguria,	Dalmatæ,	Mauritania Sitifenſis,
Flaminia & Picenum Annonarium,	Pannonia prima,	Mauritania Cæſareenſis,.
Tuſcia & Umbria,	Noricum Mediterraneum,	Tripolis,
Picenũ Suburbicariũ,	Noricum Ripenſe.	Africa Proconſularis.
Campania,		
Sicilia,		
Apulia & Calabria,		
Lucania & Brutii,		
Alpes Cottiarum,		
Rhætia prima,		
Rhætia ſecunda,		
Samnium,		
Valeria,		
Sardinia,		
Corſica.		

PRÆFECTUS PRÆTORIO GALLIARUM, & ſub ipſo Diœceſes tres.

VII. *Provinciæ ſubjectæ Præfecto Prætorio Galliarum.*

HISPANIÆ. *Sub Diœceſi Hiſpaniæ, Provinciæ VII.*	GALLIARUM. *Sub Diœceſi Galliarum, Provinciæ XVII.*	BRITANNIARUM. *Sub Diœceſi Britanniarũ, Provinciæ V.*
Bætica,	Viennenſis,	Maxima Cæſareenſis,
Luſitania,	Lugdunenſis prima,	Valentia,
Gallæcia,	Germania prima,	Britannia prima,
Tarraconenſis,	Germania ſecunda,	Britannia ſecunda,
Carthaginenſis,	Belgica prima,	Flavia Cæſareenſis.
Tingitania,	Belgica ſecunda,	
Baleares.	Alpes Maritimæ,	
	Alpes Penninæ & Graiæ,	
	Maxima Sequanorum,	
	Aquitania prima,	
	Aquitania ſecunda,	
	Novempopuli,	
	Narbonenſis prima,	
	Narbonenſis ſecunda,	
	Lugdunenſis ſecunda,	
	Lugdunenſis tertia,	
	Lugdunenſis Senonia.	

VIII. *Epiſcopi & Metropolitæ per ordinem ad Imperium inſtituti.*

Is Imperii ordo utcumque ex antiqua Provinciarum diſpoſitione deſumtus, ut monumenta Antiquitatis tam prophanæ, quàm Eccleſiaſticæ perſcrutanti facilè innoteſcet. Nam, ut obſervat Petrus de Marca lib. 4. cap. 1. parag. 31. *cùm in Imperio Provinciæ contributæ eſſent cuidam civitati primariæ, quæ Metropolis dicebatur, apud quam Magiſtratus ſubjectorum cauſas judicabant, & quò propterea populi frequentiùs conveniebant, quod ſingulari quodam jure civitates à matrice penderent, Apoſtoli itidem Epiſcopos in civitatibus conſtituerunt, eo videlicet ordine, ut penderent ab Epiſcopo in Metropoli ſive urbe primaria,* &c. Id colligitur ex Paulo in Epiſtola ad Titum cap. 1. ubi ſcribit: *Reliqui te Cretæ, ut conſtituas per civitates Preſbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Per Preſbyteros olim quoque ſignificabantur Epiſcopi, ut obſervant Ambroſius, Chryſoſtomus, & ipſemet Paulus hoc loco intellexit, cùm immediatè addat nomen *Epiſcopi.* Reliquit ergo Paulus Titum in Creta inſula, quæ & una fuit ex Provinciis Macedoniæ, ut legitur in Notitia Imperii, idque, ut ibidem per civitates ordinaret Epiſcopos, quod ad Metropolitas in ſua Provincia ſpectat, juxta Canonem IV Concilii Nicæni; qui licèt electionem omnibus Provinciæ Epiſcopis adſcribat, & conſecrationem (ſi plures Provinciales Epiſcopi adeſſe nequeant) tribus præſentibus tradat perficiendam, abſentibus quoque pari modo per ſcripta aſſentientibus, attamen in eo canone additur, *ut firmitas eorum, quæ geruntur, per unamquamque Provinciam Metropolitano tribuatur Epiſcopo.* Quæ verba ita interpretatur Lupus, ut ſicut ad Romanæ Reipublicæ normam Eccleſiæ Provincias ordinarint Apoſtoli, ita & Nicænum conſequenter ſtatuerit, in quavis Provincia eſſe Epiſcopum Metropolitam, eumque unicum, cui & electorum Provincialium Epiſcoporum, aliorumque omnium per Provinciam agendorum competat confirmatio. Quod ex facto Pauli corroborari poteſt, qui inſtituto in Creta inſula

ſula Tito, ut Metropolitana auctoritate civitatibus ad Fidem noviter converſis Epiſcopos conſtitueret & ordinaret, factum eſt, ut Gortyna Cretæ Metropolis jus illud ſubſequentibus ſeculis retinuerit, ut inquit Schelſtratius in parte 1 Antiq. illuſt. Diſſert. 1. cap. 3. art. 1. ubi Diœceſes & Provincias in Imperii Notitia memoratas exhibet, & ex quo hæc exſcripſimus.

IX. *Inſtitutio Patriarchatuum & Exarchorum.*

Porro in tribus majoribus Imperii civitatibus inſtitutæ ſunt tres potiſſimæ dignitatis Eccleſiæ, & præcipuæ Sedes Patriarchicæ. Nicænum Concilium antiquam conſuetudinem ab Apoſtolis ortam ſervari mandavit canone VI: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem: quia & urbis Romæ parilis mos eſt. Similiter & apud Antiochiam*, ubi trium Sedium Patriarchalium in præcipuis Imperii urbibus auctoritas firmatur, quam Leo I Epiſt. 53. ad Anatolium inſtituto Apoſtolorum Principis Petri adſcribit, & ſtabilem permanere præcipit. Et quia ſub Præfecto Prætorio Orientis quinque erant Diœceſes ampliſſimæ Imperii, ut videre eſt in Notitia ſuperiùs deſcripta, & in Diœceſi Ægyptiaca inſtitutus fuerat Patriarchatus Alexandrinus, ac in Orientali Antiochenus, reſtabant tres Orientis Diœceſes longè ab Italia ſitæ, quæ ſicut à ſuis Vicariis regebantur, ex earum civitatibus præcipuis, ita & Apoſtolos permoverunt, ut ſimile quoddam Patriarchali regimen inſtituerent, quod Nicænum Concilium ſalvum voluit canone VI, ex pervetuſta conſuetudine Eccleſiaſtica argumentum deſumens. Cùm enim Alexandrino juxta formam Romani Patriarchatûs jus ſuum attribuiſſet: *Similiter*, inquit, *& apud Antiochiam cæteraſque Provincias, ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis. Per cæteras Provincias*, inquit Lupus, Vir eruditiſſimus, in illius canonis expoſitione, *intelligit præſertim tres Diœceſes Autocephalas ab omni Patriarchali poteſtate liberas & exemptas, habenteſque Primatem poteſtate pari gaudentem in ſubjectas ſibi Provincias, nempe Diœceſim Aſiaticam ſub Epheſino, Thraciam ſub Heracleenſi, Ponticam ſub Primate Cæſareenſi.* Tres itaque erant Orientis Diœceſes Autocephalæ, nec Patriarchis Alexandrino vel Antiocheno ſubjectæ, quæ ſuis Synodis & Exarchis adminiſtrandæ remanſerunt. Poſtea Patriarchatus Cpolitanus inſtitutus, & in Concilio Chalcedonenſi ſtatutum, ut tres Exarchatus Aſiæ, Cappadociæ, & Thraciæ Cpolitano Epiſcopo ſubjicerentur, ut in Annalibus explicatur. Parte alia Juvenalis quinto Eccleſiæ ſeculo Patriarcha dictus, eique Palæſtinæ, prima Phœnicia & tertia Arabia ceſſere, eo, quo in iiſdem Annalibus explicatur, modo.

X. *Notitia antiquarum Metropoleon.*

Ex Nilo Doxopatrio, Tract. de V Thronis Patriarchalibus anno MXLIII ad Rogerium Siciliæ Regem ſcripto antiquarum Metropoleon notitia quædam hauriri poteſt, licèt in eo non contineantur omnes Metropoles & Diœceſes, prout præcisè extitere initio Eccleſiæ & inſtitutarum Sedium Patriarchalium. Refert illum Allatius in Opere de Conſenſu Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis, ex quo cum Schelſtratio laudato art. 4. hæc excerpſi, ut pateat, quot Metropolitas & Epiſcopos ſeculo Eccleſiæ undecimo Patriarchæ Orientis ſub ſe habuerint, quot Patriarcha Hieroſolymitanus contra Sedis Apoſtolicæ judicium uſurparit, & quot Epiſcopus Cpolitanus ex Patriarchatu Romano injuſtè avulſerit. Non ſolùm enim tres Exarchatus ſibi ſubjecit; ſed & integram Illyrici Diœceſim, & totam Siciliæ Provinciam, quæ primis Eccleſiæ ſeculis Patriarchatu Romano parebant, in jus ſuum tranſcripſit. Ad hæc via ſternetur ad intelligentiam urbium & Metropoleon, quarum frequens mentio tam in Conciliis, quàm etiam in Annalibus.

XI. *Patriarchatus Antiochenus.*

Antiochenus, inquit Nilus Archimandrita, cognomento Doxopatrius, *poſſidebat univerſam Aſiam & Orientem, Indiamque ipſam, in quam ad hæc uſque tempora Catholicum ordinans mittit, Romogyreos vocatum, & Perſiam, & Babylonem, cui nunc nomen Bagda eſt: eò etiam mittebat Antiochenus Catholicum in urbem Irenupolim Irenupoleos dictum, & Armenias, & Abaſgiam, & Iberiam, & Mediam, Chaldæam & Parthiam, & Elamitas, & Meſopotamiam. Habet itaque Metropoles XIII.*

I Metropolim Tyri, quæ ſub ſe habet Epiſcopatus	*XIII.*
II Tarſi, habet Epiſc.	*VI.*
III Edeſſa, habet Epiſc.	*XI.*
IV Apamea, habet Epiſc.	*VII.*
V Hierapoleos, habet Epiſc.	*XI.*
VI Boſtri, habet Epiſc.	*XX.*
VII Azarbi, habet Epiſc.	*IX.*
VIII Seleucia, habet Epiſc.	*XXIV.*
IX Damaſci, habet Epiſc.	*XI.*
X Amidæ, habet Epiſc.	*VIII.*
XI Hagiopoleos, habet Epiſc.	*V.*
XII Daras, habet Epiſc.	*X.*
XIII Emeſa, habet Epiſc.	*IV.*

Habet præterea & alias Metropoles, quæ ſub ſe nullos habent Epiſcopos, numero octo, quæ cùm priùs eſſent Epiſcopatus aliis Metropolitanis obnoxia, in dignitatem Metropolitanam provectæ ſunt; decretumque, ne aliis Metropolitanis ſubderentur, ſed tantummodo Patriarchæ Antiocheno, & quemadmodum ubique Metropoles per ſe caput eſſent, & quòd antè non erant Epiſcopatus, nullos ſub ſe habent Epiſcopos, quemadmodum Metropoles, & ſunt numero octo: I Beryti. II Heſiupoleos, quæ ex Throno Damaſci abſciſſa eſt. III Laodicea. IV Samoſatorum. V Martyropoleos. VI Mopſueſta. VII Adana. VIII Pompeiuleos. Adhuc etiam Antiochenus habet ingentes Archiepiſcopatus octo: I Berrœam. II Chalcedonem. III Agaballam. IV Seleuciam Pieriæ. V Anaſartham, quæ & Theodorupolis dicitur. VI Palton. VII Gabulam. VIII Balaamam. Præter hos habet & alios Archiepiſcopatus tennes & liberos V. I Salamiam. II Bercum. III Rhaſon. IV Agatem. V Barcuſorum. Et hæ Eccleſiæ omnes Throno Antiocheno ſubduntur.

XII. *Patriarchatus Alexandrinus.*

Alexandrinus etiam totam Libyam poſſidebat, & Æthiopiam, & Marmaricam uſque ad Tripolim Africanam: necnon univerſam Ægyptum, & Palæſtinam ipſam, in qua eſt Jeroſolyma. Habet itaque & ipſe Provinciam primam Stamnica, in qua pri-

ma Metropolis eſt Peluſium varios ſub ſe habens Epiſcopatus; & ſecundam Provinciam Stamnicæ, in qua eſt ſecunda Metropolis Leonto, habens diverſos Epiſcopatus: & primam Provinciam Ægypti, in qua Alexandria, quæ ceterarum caput; & ſecundam Provinciam Ægypti, & Provinciam Arcadiæ, in qua tertia eſt Metropolis Oxirichus, habens ſub ſe varios Epiſcopatus; & ſecundam Provinciam Thebaidis, in qua eſt Metropolis Ptolemaïs, habens ſub ſe Epiſcopatus diverſos; & Provinciam Libyæ, in qua eſt Metropolis Darinto, habens nonnullos Epiſcopatus: adhuc habet & aliam Metropolim Alexandrinus, quæ fuerit ſeptima Marico, & octavam Toneſim in ſeptimo Nili oſtio ſitam. Septem enim oſtiis Nilus in mare infunditur, in quibus variæ civitates jacent. Hæ itaque octo Alexandrini Metropoles, quæ varios ſub ſe Epiſcopatus habent; quamvis ſint & aliæ quinque nullis Epiſcopatibus conſpicuæ, nempe Damiata, Maris rubri, Pharas, Are, ... omnes ſimul XIII. Erant Alexandrino & alii Throni diverſi, ſed poſt Severi hæreſim à Severianis ſublati ſunt, quemadmodum & omnis ditio Jeroſolymitana, ipſaque Jeroſolyma, omneſque aliæ Sedes, quæ nunc ſunt ſub Jeroſolymitano Patriarcha, &c.

XIII. Patriarchatus Hieroſolymitanus. *Thronus Jeroſolymitanus ex Diœceſi ac poteſtate Alexandrini* (veriùs dixiſſet Antiocheni) *avulſus in dignitatem elatus per ſe caput aliarum Eccleſiarum extitit, & tribus aliis Thronis facultate par. Sancitum nihilominus eſt, poſt Antiochenum honore frui, & referri in Diptychis, & Sedem occupare. Nomenque ſibi Patriarcha Jeroſolymitanus habuit, licèt antea Epiſcopus eſſet ſub Cæſarenſi Palæſtinæ, cùm illius Metropolis Cæſarea eſſet, & Cæſareæ Jeroſolyma, tamquam quæ Cæſareæ Epiſcopatus erant, ſubderentur. Habuit verò & alias Metropoles, quæ varios Epiſcopatus ſub ſe habebant, nempe ſecundam Scythopolim ſive Baſan, tertiam Petram, quartam Boſtram, ſive Arabiam. Habet præterea & Archiepiſcopatus nemini obnoxios XXV, nullis Epiſcopatibus nobiles, & qui ſubjacent Throno Jeroſolymitano.*

I Dioſpolim ſive Georgiupolim.
II Aſcalonem.
III Joppem.
IV Gazam.
V Anthedonem.
VI Diocletianupolim.
VII Eleutheropolim.
VIII Neapolim.
IX Sebaſten.
X Jordanem.
XI Tiberiadem.
XII Diocæſaream.
XIII Maximianupolim.
XIV Capetoliadem.
XV Myrum.
XVI Gadarum.
XVII Nazaret.
XVIII Thaborium montem.
XIX Cyriacupolim.
XX Adriam.
XXI Gabalam.
XXII Æliam.
XXIII Pharas.
XXIV Helenupolim.
XXV Montem Sina.

Nunc itaque poſſidet à Deo conſervatus XIV. Patriarchatus Cpolitanus. *Thronus Conſtantinopolitanus, quem primus vocatus Andreas fundavit, primum Epiſcopum in eo conſtituens, cùm adhuc urbs Byzantium eſſet, partem non minimam Aſiæ, Europæque, ut infrà indicabimus. Quæ ſunt circa Hadriaticum mare ab Illyrico uſque ad Propontidem, in qua eſt Conſtantinopolis, indeque uſque ad Cherſonem & Chazariam & Chaldiam, & Gotthiam, & Abaſgiam, & Iberiam, & Alaniam; namque in eam à Patriarcha Metropolitæ mittuntur. Sed & omnes Iſtriæ adjacentes civitates ipſi ſubjiciuntur. Necnon & Danubii fluminis & Cappadociæ urbes, & partes Armeniæ, & Cyclades inſulæ, & reliquæ omnes, quæ ſubſunt Imperio Conſtantinopolitano, multæ illæ quidem; & maximæ inſulæ duæ, Creta & Eubœa, in qua eſt Eurypus: ſed & Peloponeſus, & Græcia; namque Cyprus ſui juris eſt, ut ſuprà memoravimus. Quinimò & in magnam Ruſſiam à Patriarcha Conſtantinopolitano Metropolita mittitur. Sunt itaque Provinciæ & Metropoles Conſtantinopolitano ſubjectæ in Oriente, Occidente, & in aliis Regionibus hæ:*

I Cæſarea Cappadociæ habens Epiſcopatus VIII.
II Epheſus Aſiæ habens Epiſc. XXXIV.
III Heraclea Traciæ habens Epiſc. XXV.
IV Ancyra Galatiæ habens Epiſc. VIII.
V Cyzius Helleſponti habens Epiſc. XII.
VI Sardes Aſiæ habens Epiſc. XXV.
VII Nicomedia Bithyniæ habens Ep. XII.
VIII Nicæa ejuſdem Bithyniæ habens Epiſcopatus VI.
IX Chalcedon ejuſdem Provinciæ ſine ſubditis.
X Side Pamphyliæ habens Epiſc. XVI.
XI Sebaſtia ſecunda Armeniæ habens Epiſcopatus VII.
XII Amaſia Helenoponti habens Ep. VII. Cujus Epiſcopatus erat & ipſa Iberia.
XIII Melitene Armeniæ habens Ep. IX. Ex quibus eſt & Epiſcopatus Cucuſus, quò in exilium miſſus eſt Aurea Lingua Joannes.
XIV Tyana ſecundæ Cappadociæ habens Epiſcopatus III.
XV Gangra Paphlagoniæ habens Ep. III.
XVI Theſſalonica Theſſaliæ habens Ep. VIII.
XVII Claudionopolis Honoriadis habens Epiſcopatus V.
XVIII Neocæſarea Ponti Polemoniaci habens Epiſcopatus VII.
XIX Piſinus ſecundæ Galatiæ habens Epiſcopatus VII.
XX Myra Lyciæ habens Epiſc. XXXIII.
XXI Stauropolis Cariæ habens Ep. XXVI.
XXII Laodicea Phrygiæ Pacatianæ habens Epiſcopatus XXI.
XXIII Synada Phrygiæ Salutaris habens Epiſcopatus XX.
XXIV Iconium Lycaoniæ habens Ep. XV.
XXV Antiochia Piſidiæ habens Ep. XXI.
XXVI Perge ſive Syleum Pamphyliæ habens Epiſcopatus XVII.
XXVII Corinthus Peloponeſi habens Ep. VII.

XXVIII Athenæ Græciæ habens Ep. XI.
XXIX Mocesſus Cappadociæ habens Ep. IV.
XXX Creta habens Epiſc. X.
XXXI Rhegium Calabriæ habens Ep. XIII.
XXXII Patræ Peloponeſi habens Ep. V.
XXXIII Trapezus Lazicæ habens Ep. XV.
XXXIV Lariſſa Græciæ habens Ep. XVII.
XXXV Naupactus Nicopoleos habens Epiſcopatus IX.
XXXVI Philippopolis Thraciæ habens Epiſcopatus X.
XXXVII Trajanopolis Rhodopes habens Epiſcopatus VII.
XXXVIII Rhodos Cycladum inſ. habens Epiſcopatus XII.
XXXIX Philippi Macedoniæ habens Epiſcopatus VII.
XL Hadrianopolis Hemimonti habens Epiſcopatus XI.
XLI Hierapolis Phrygiæ Pacatianæ habens Epiſcopatus IX.
XLII Rhodoſtolum ſeu Diſtra Hemimonti habens Epiſcopatus V.
XLIII Dyrrachium habens Ep. IV.
XLIV Smyrna Aſiæ habens Ep. V.
XLV Syracuſæ Siciliæ habens Ep. XXI.
XLVI Catania, quæ cùm Syracuſani eſſet Epiſcopatus, propter S. Leonem in Archiepiſcopatus dignitatem provecta eſt.
XLVII Ammorum Phrygiæ habens Ep. V.
XLVIII Camuchus Armeniæ habens Epiſcopatus VIII.
XLIX Cotyaïum Phrygiæ habens Ep. XIII.
L Sancta Severina Calabriæ habens Ep. V.
LI Mitylena Leſbi inſulæ habens Ep. VI.
LII Nova Patra Græciæ habens Ep. IV.
LIII Theba Græciæ habens Ep. III.
LIV Serra Theſſaliæ habens Ep. LVII.
LV Æonis.
LVI Corcyra.
LVII Meſembria.
LVIII Amaſtris Ponti.
LIX Chona Phrygiæ.
LX Pompeïopolis.
LXI Atalia à Syleo avulſa.
LXII Paranoxia à Rhodo avulſa.
LXIII Lacedæmonia à Patris Peloponeſi avulſa.
LXIV Madyta ab Heraclea avulſa.
LXV Abydus à Gizyco avulſa, &c.

Hæc omnia ex Nilo Doxopatrio lib. 5. de Thronis Patriarchalibus, ubi ultra prædictas Metropoles ſub Cpolitano, XXXV alias numerat. Et hæc de ſtatu Eccleſiæ Orientalis ſeculo XI.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5531. ☉ 19 E. ☽ 1. P. 6. APRIL. INDICT. 11.
JESU CHRISTI 38. *ſecundum Baronium* 40.
CALIGULÆ IMP. 2.

I. *Conſules.* COSS. *M. Aquillius Julianus*, & *P. Nonius Aſprenas*, ut oſtendi in Prolegomenis ad Diſſertationem Hypaticam num. XV.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5532. ☉ 20 D. ☽ 2. P. 29. MART. INDICT. 12.
JESU CHRISTI 39. *ſecundum Baronium* 41.
CALIGULÆ IMP. 3.

I. *Conſules.* COSS. *Caius Aug. II*, & *L. Apronius Caſianus*, ut in Diſſert. Hypatica loco citato monſtravi adverſus Onuphrium in Faſtis, qui hunc Conſulatum in annum præcedentem confert, & anno præſenti Julianum & Aſprenatem profitetur.

Noriſius in Epiſtola Conſulari mihi dicata ait, me rectè oſtendiſſe in Suetonio cap. 17. loco horum verborum, *ex omnibus duos noviſſimos conjunxit*, legendum eſſe, *ex omnibus tres ordinarios conjunxit*, ſcilicet Conſulatus, additque Noriſius, me ſcripſiſſe, Frontinum lib. 1 de Aquæductibus diverſam epocham annorum Urbis ſecutum eſſe, quando ait: *Caius Cæſar altero Imperii ſui anno M. Aquilio Juliano, & P. Nonio Aſprenate Coſſ. anno U. C. DCC XC duos ductus inchoavit.* Sed facilior reſponſio eſt, inquit Noriſius, alterum annum Caii Cæſaris initium ſumere anno Urbis DCC XC, Chriſti XXXVIII, die XVI Martii, quo ineunte aquæductus illos inchoavit, Juliano & Aſprenate Coſſ. & quidem anno Urbis DCC XC, qui die XXI Aprilis exibat, ſuccedente anno DCC XCI. Et quamvis Frontinus diverſam à Varroniana epocham fortè uſurpaverit, id non colligitur ex laudato teſtimonio, quod perperam pro opinione Onuphrii adducitur, cùm veræ ſententiæ apertiſſimè ſuffragetur: neque enim annos Urbis menſe Decembri, ſed Aprili completi certum. Ita Noriſius. At Frontinum diverſam à Varroniana epocham uſurpaſſe, ſuo loco demonſtravi, non quidem ex laudato teſtimonio, ex quo id inferri non poteſt, ſed ex aliis argumentis. Præterea jam Viris doctis obſervatum, Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores annos Urbis à Kalendis Januariis & Conſulibus inchoare. Quare locus Frontini laudatus mendoſus eſt, legendumque, *anno Urbis conditæ DCC IXC*, loco, *anno Urbis conditæ DCC XC*, ut ibidem oſtendi: Frontinus enim annum Urbis DCC IXC auſpicatur anno Chriſti XXXVIII, quo ſecundùm putationem Varronianam anno Urbis DCC XCI cœpit. Mirum porro, Onuphrium in Faſtis, ubi alios Conſulatus à Frontino memoratos annis ſuis accuratè reddit, quique ideo ejus annos Urbis numerandi rationem animadverterat, ſcribere Frontinum annum Urbis DCC XCII vocare *alterum annum* Caii Cæſaris. Nam hoc Frontinus dicere non potuit, ſi epocham Urbis biennio tardiùs, quàm Varro inchoavit, quod ipſemet Onuphrius agnovit, ut mox diximus. Ceterùm cùm is Caii Conſulatus ad nullam Conſulatuum Cæſareorum regulam revocari poſſit, non dubito, quin ad illum anno Chriſti triceſimo quinto, quo adhuc Privatus erat, aut ſaltem tantùm è familia Cæſarea, à Tiberio Auguſto deſignatus fuerit in quartum annum. Ut enim teſtatur Dio lib. 58. ſub illius anni Conſulibus, *Tiberius Antii nuptias*

Caii Caligulæ celebravit. Nam ne harum quidem nuptiarum cauſâ Romam venire volebat. Quemadmodum itaque Caligula, ubi Imperium adeptus, Claudium patruum, qui poſtea imperavit, in quartum annum iterum Conſulem deſignavit, ut infrà dicemus ex Suetonio in Claudio cap. 7. ſic Tiberius Auguſtus eodem honore Caligulam affecit; iſque Imperator factus Tiberii exemplum ſecutus eſt. Neque alia hujus Cæſarei Conſulatus ratio eſſe poteſt, licèt de ea deſignatione Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores taceant.

II. *Petronius Syriæ præficitur.* Baron. num. XXI.

Ad num. VI. Baronius loquens de Petronio, qui hoc anno Vitellio in Præfecturam Syriæ ſucceſſit, ait: *Sciendum eſt fuiſſe equeſtris ordinis, militiâ clarum: qui & ſub Auguſto (ut de eo teſtatur pluribus Strabo) adverſus Æthiopes copias duxerat: ceterùm eum humili loco natum, ad equeſtrem perveniſſe dignitatem, auctor eſt Valerius Maximus lib. 4. cap. 7.* Sed, ut obſervat Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Caii & Lucii Cæſarum pag. 331. Baronius hunc *Petronium* Syriæ Præſidem cum aliis ejuſdem gentis confundit, & temporis diverſitate non adnotata, ex tribus Petroniis unum facit. Petronius, cujus meminit Valerius Maximus, ab eodem nuncupatur L. Petronius; qui verò Syriæ præfuit, dicebatur P. Petronius, ſeu *Publii* prænomen ferebat, ut liquet ex Philone in Libro de Legatione ad Caium. Petronius ſecundus Ægypti Præfectus ſubrogatus fuit ab Auguſto in locum Cornelii Galli anno Urbis DCCXXVIII, ex Dione lib. 53. Strabo à Baronio laudatus lib. 17. ſcribit Legatos Candacis Reginæ Æthiopum juſſos à Petronio Cæſarem adire: *itaque in Samum profecti Cæſarem invenerunt in Syriam progredi parantem*, quod contigit anno Urbis DCCXXXIV, ex Dione lib. 54. At Petronius Syriæ Præſes Provinciam adhuc tenebat anno primo Claudii, nempe ſexageſimo ſexto ab eo anno, quo Caius Petronius (ſic à Dione lib. 54. nominatus) ab Auguſto Præfectus Ægypto datus fuerat. Tres itaque Petronii diſtinguendi.

III. *Prior epocha Antiochena explicatur.*

Clariſſimus Toinardus ſcripſit ad me, extare in Gaza Regia varia Numiſmata epochâ Antiochenâ ſignata, & inter ea unum Claudii Aug. in quo legitur, ΕΠΙ ΠΕΤΡΩΝΙΟΥ q. id eſt, *ſub Petronio anno XC.* Priorem epocham Antiochenam Uſſerius in Annalibus veteris Teſtamenti cum anno Periodi Julianæ 4651 copulat, qui in annum Periodi Græco-Romanæ 5441. convenit, quia, inquit, eo anno Pompeius Syriam in formam Provinciæ redegit, ut teſtatur Appianus pag. 244. & Antiochi nulla ratione habita, ab Antiochenſibus pecunias accipiens, civitatem fecit *αὐτόνομον*, & ſuo jure uti permiſit, ex Porphyrio in Græcis Euſebianis Scaligeri pag. 227. Verumenimvero, licèt Syriam eo anno juris Romani factam eſſe in dubium revocari non debeat, in Græco Porphyrii nihil quoad tempus autonomiæ Antiochiæ conceſſæ habetur. Hæc Porphyrii verba Latinè reddita: *Philippus & Seleucus frater ejus, & filius Grypi Antiochus, & Antiochus filius Antiochi ab anno tertio 171. Olympiadis inchoantes inter ſe decertarunt. Et victus Antiochus ad Parthos profugit, & noviſſimè Pompeio ſeipſum tradidit, ut ab ipſo reducendus in Syriam: Ille autem acceptâ ab Antiochenſibus pecuniâ, hujus quidem curam non habuit, ſui juris autem civitatem eſſe permiſit.* Cùm itaque Porphyrius rei geſtæ annum non determinet, in mentem venit Antiochiam, eodem quo Gaza anno, in libertatem aſſertam fuiſſe. Qua de re, uti in difficilioribus ſoleo, cum Toinardo Viro doctiſſimo communicavi, qui reſpondit, exiſtimandum eſſe epocham Pompeianam Antiochenſium eandem eſſe cum epocha Gazenſi anno Periodi Julianæ 4653. inchoata; quia eo anno Pompeius Romam rediit, ſicque conſenſus Senatûs ad utramque urbem liberam declarandam exſpectatus fuerit, licèt epocha urbis Gadaræ ab anno Periodi Julianæ 4651 cœpta fuerit, non tantùm ob Demetrii Gadarenſis Pompeii liberti commendationem, ſed etiam quia inconſulto Senatu duas urbes adeo celebres, quales erant Gaza & Antiochia, Pompeius libertate non donaſſet. Hæc eruditè Toinardus, quibus ea epocha anno, quo cœpit, reddita.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5533. ☉ 21 CB. ☽ 3. P. 17. APRIL.
INDICT. 13.
JESU CHRISTI 40. *ſecundum Baronium 42.*
CALIGULÆ IMP. 4.

COSS. *Caius Aug. III.* ſolus Conſulatum geſſit juxta quartam Conſulatuum Cæſareorum regulam, propter nempe bellum Britannicum, ex quo redux, ovans Romam Natali ſuo ingreſſus eſt, inquit Suetonius in Caligula cap. 43. poſtremo ſcilicet menſis Auguſti die. Poſt Caligulam Domitianus, & alii quidem Imperatores propter bella aut victorias Conſulatum ſuſcepere, licèt id rarius, uti in hujus Operis progreſſu videbimus. Dubitat Baronius, an Pomponius hoc anno Conſul ſuffectus fuerit, an verò ordinarius in locum defuncti. At Pomponium anno tantùm ſequenti Conſulem fuiſſe teſtatur Dio lib. 59. & quidem ſuffectum, ut diſcimus ex Joſepho lib. 2. de bello cap. 10. ubi ait: *Referentibus Conſulibus Sentio Saturnino & Pomponio Secundo.* Pomponius itaque ſuffectus in locum Caligulæ IV Conſulatum abdicantis, ut rectè Noriſio in privatis ſuis ad me literis obſervatum.

I. *Conſules.* Baron. num. 1.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5534. ☉ 22 A. ☽ 4. P. 9. APRIL.
INDICT. 14.
JESU CHRISTI 41. *ſecundùm Baronium 43.* Olymp. 205.
CLAUDII IMP. 1.

COSS. *Caius Aug. IV*, & *Cn. Sentius Saturninus.* I. *Conſules.*

II. *Caligula interitus.* Baron. num. 1.

Sumtus hic Conſulatus à Caligula juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam; in hunc enim annum ejus Quinquennalia incidebant. Sed *nono Kalendas Februarias*, ut habet Suetonius in Caligula cap. 58. occiſus eſt. *Vixit annis XIX, imperavit triennio, & X menſibus, diebuſque VIII*, inquit Sueto-

nius. Idem habent, quoad Imperii durationem, Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. Tertullianus adverſus Judæos, Eutropius, Caſſiodorus, & Zonaras. Ex quo patet, hos Auctores, quorum duo priores Dioni coætanei, initium Imperii Caligulæ exordiri à die XVI Martii anni Chriſti XXXVII, qui ideo Tiberii emortualis fuit, non verò dies XXVI Martii, ut perperam Dio. Malè etiam in Annalibus ſcriptum, Caligulam Kalendis Februariis interfectum; illud enim Antiquis adverſatur, & præterea Joſephum ſcripſiſſe, regnaſſe Caium *annis tribus, menſibus ſex*. Id enim in Joſepho Typographi tantùm errore legitur; cùm in Græco habeatur, ἔτη τρία καὶ μῆνας ὀκτὼ, id eſt, *annos tres, menſes octo*, qui tamen locus corruptus eſt, prætermiſſi enim ſunt menſes decem, & loco *dies octo*, Librarius ſcripſit, *menſes octo*. Caligulæ ſuccedit Claudius ejus patruus.

III. *Quo anno Evangelium Edeſſenis prædicatum.*

Ad num. V. Baronius, qui vitioſam vulgarium editionum Euſebii ſcripturam ſecutus eſt, adventum Thaddæi & Agbari Edeſſenorum Regis ſanationem currenti Chriſti anno retulit; in quo tum ab Edeſſenorum publicis actis, tum ab Euſebio longè diſcedit. Quippe in actis illis diſertè ſcribitur, ſtatim poſt Aſcenſionem Chriſti hæc geſta eſſe: *Poſt aſcenſum Jeſu Chriſti, Judas qui etiam Thomas dictus eſt, Thaddæum Apoſtolum unum ex ſeptuaginta ad Agbarum miſit.* Idipſum repetit Euſebius in lib. 1. cap. 13. ubi etiam docet, hæc geſta eſſe Principatu Tiberii Auguſti. Corrupta itaque vulgata lectio Euſebii, ut rectè vidit Valeſius in Notis Euſebianis, & loco horum verborum, ἐπράχθη δὲ ταῦτα τεσσαρακοστῷ τρίτῳ ἔτει, id eſt, *geſta ſunt hæc anno quadrageſimo tertio*, legendum, τεσσαρακοστῷ καὶ τριακοσιοστῷ ἔτει, hoc eſt, *anno quadrageſimo ac trecenteſimo*, ut in quibuſdam manuſcriptis habetur. Qui annus CCCXL juxta Edeſſenos proficiſcitur ab anno Periodi Græco-Romanæ 5182. ab initio nempe regni Seleuci, & ab eodem anno, quo Seleucidarum epocha cœpit. Ex quo intelligimus, & Thaddæi adventum in urbem Edeſſam; & Agbari Regis ſanationem conferri in annum Eræ vulgaris XXIX, quo Antiqui Chriſtum & paſſum eſſe & à mortuis reſurrexiſſe crediderunt, ex quo & ea opinio antiquiſſima demonſtratur.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5535. ☉ 23 G. ☽ 5. P. 25. MART. INDICT. 15.
JESU CHRISTI 42. *ſecundum Baronium* 44.
CLAUDII IMP. 2.

I. *Conſules.*

COSS. *Claudius Aug. II, & Caius Cæcina Largus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari.

Cæcina nomen familiæ, Largus verò cognomen eſt. Perperam itaque Baronius C. Licinium Largum Claudii Collegam profitetur. Suetonius in Claudio cap. 7. poſtquam locutus eſt de priori Claudii Conſulatu, qui ſuffectus fuit, geſtuſque anno Chriſti XXXVII, ait: *Sortitus eſt & de altero Conſulatu in quartum annum*, currentem nempe. Ex quo habemus, Imperatores eos Conſulatus ſuſcepiſſe, ad quos, dum adhuc privati erant, deſignati fuerant, quod dum Diſſertationem Hypaticam compoſui, nondum obſervaveram. Hujus rei alia ſubinde producam exempla. Is itaque Conſulatus juxta primam Conſulatuum Cæſareorum regulam ſumtus non eſt.

II. *Evangelium etiam in America annuntiatum.*

Ad num. VII. Quo anno Apoſtolorum diviſio facta, incertum, quemadmodum & utrum Apoſtoli ad omnia mundi climata penetraverint. Aliqui Scripturæ ſacræ Interpretes aiunt, in loco Marci cap. 16. v. 15. *omnem creaturam*, vel *omnem terram* in Epiſtola Pauli ad Roman. cap. 10. v. 18. dici per ſynecdochen, ita ut maxima pars pro toto uſurpetur, vel hyperbolicam eſſe locutionem innuentem quantùm paucorum induſtria valuerit. Sunt tamen, qui propagatam ubique terrarum Evangelii notitiam Apoſtolorum ævo ſcribant, quòd multò ſinceriùs, in proprio nimirum ſenſu, Apoſtoli verba intelligantur. Quòd ſi quis dicat, non potuiſſe Apoſtolos tranſvehi in novum Orbem, & in Peruanas ac Mexicanas regiones, reſpondet Torniellus in Annal. vet. Teſt. anno mundi 1931. num. XLV, Americam cum aliis Orbis partibus habitatis, præſertim cum Aſia, quà latè patet, aut occultis ſemitis continuari, aut brevi aliquo freto diſtingui: in medio Oceani curſu non raras inſulas eſſe, quaſi ſcalarum vice per has vias ferri & homines & bruta potuiſſe; aut naufragio præter ſpem in vaſtiſſimas illas plagas appelli; nec forſan defuiſſe Angelorum obſequia; cùm Angelis de prædicatione Evangelii cura, Deo jubente, fuerit, & Actorum cap. 16. v. 9. de Paulo dicatur: *Vir Macedo quidam erat ſtans, & deprecans eum, & dicens: Tranſiens in Macedoniam adjuva nos*: ubi Interpretes Angelum Macedonico in habitu fuiſſe communiter aſſeverant.

Baron. num. XIII & ſeqq.

III. *B. Virgo cum D. Joanne in Aſiam non migravit.*

Ad num. XI. Quod dicitur, D. Joannem in Aſiam migraſſe, & unà cum eo beatiſſimam Virginem profectam eſſe, Patreſque Concilii Epheſini indicare eam Epheſi apud D. Joannem habitaſſe; ex Epiſtola Synodica ad Clerum Cpolitanum data, deduci non poſſe, Combefiſius in Notis ad Nicetæ Paphlagonis Orationem in Joannem Theologum, quæ extat prima parte Auctuarii noviſſimi Græcorum Patrum, obſervavit. Verba ejuſdem Epiſtolæ hoc modo à Baronio in Annalibus referuntur: *Quare & Neſtorius impiæ hæreſeos inſtaurator, in Epheſiorum civitate, quam Joannes Theologus & ſacra Virgo Deipara Maria quandoque incoluerunt, conſtitutus, à ſanctorum Patrum & Epiſcoporum cœtu ultro ſeipſum abalienans*, &c. Sed verſio illa Peltani, quam Baronius ſecutus eſt, parum ſincera. Patres enim tantùm dicunt: *In Epheſiorum civitatem veniens, in qua Joannes Theologus, & Deipara Virgo.* Ubi margini adſcriptum, quaſi ſupplenplendo: *Aliqui ſubintelligunt*, aliquando habitaverunt; *alii*, ædes habent. At eos parum in lingua Græca verſatos dicit Combefiſius, addens, Patres intelligere, ſic vocatam majorem Epheſiorum Eccleſiam à ſuis Patronis & Tutelaribus. Ita certè Cyrillus auctor eſt in Apologia ad Theodoſium, Epiphaniuſ-

Baron. num. XXIX.

que hæreſi LXXVIII, num. XI ſeriò impugnans, *qui ſorores ſpirituales* domi retinerent, ſeque ea in re Joannis exemplo tuerentur, qui Domini juſſu ad ſe eam accepiſſet, *certa quadam diſpenſatione*; ſubjungitque Epiphanius: *Præterea poſtquam illud ita geſtum eſt: & ad ſeſe illam accepit, non ampliùs apud ipſum permanſit.* Paulò pòſt ait: *Ac cùm Joannes interim in Aſiam profectus ſit, nuſquam tamen B. Virginem itineris comitem ſecum illum habuiſſe ſignificat.* Sed inquit Baronius: *Complura tradita habentur ſine ſcriptis.* Verùm illud de quo agitur, nuſquam, niſi tantùm Interpretis errore. Græci in Menæis die XXVI Septembris inquiunt, accepiſſe Joannem in Cruce Deiparam in ſua, illique miniſtraſſe uſque *ad ejus dormitionem*, & poſt a ſortitum fuiſſe Aſiam Provinciam. Quæ ſit ratio, cur illam tardiùs adierit, curaturus Eccleſiam, quam jam Paulus fundaverat, ut auctor eſt Irenæus.

IV. *B. Magdalena nunquā Epheſi fuit.* Ex quibus colligitur, quàm inconſideratè à quibuſdam ſcriptum, Magdalenam etiam Epheſi unà cum Lazaro egiſſe; ab aliiſque additum, eam ibidem pio fine quieviſſe, auctoritate præſertim Anonymi, qui deſcribens peregrinationem S. Wilibadi primi Eiretenſis Epiſcopi circa annum ſeptingenteſimum octogeſimum ſextum demortui, ait: *Tabentes ſalo artus apud Epheſum Aſiæ inſulam exponunt, ubi poſtquam ad ſepulchrum S. Joannis Evangeliſtæ ebulliens inde manna admirantes, lacrymis perfuderunt, poſtquam ſe ſeptem Dormientibus, & Mariæ Magdalenæ ibidem requieſcenti commendaverunt.* Sed Sanctimonialis Hildenhemenſis ejuſdem Sancti conſanguinea, quæ longè ante Anonymum illum S. Præſulis vitam & peregrinationem ad Terram ſanctam deſcripſit, nullam mentionem habet de B. Magdalena: *Inde*, inquit, *ambulaverunt in illum locum, ubi ſeptem Dormientes requieſcunt, & inde ambulaverunt ad Joannem Evangeliſtam in loco ſpecioſo ſecus Epheſum.* Quare verba illa de B. Magdalena perperam in illud Itinerarium vel ab Anonymo, vel ab alio quopiam Scriptore inſerta.

V. *Eccleſia Africana ab Apoſtolis nō inſtituta.* Baron. num. XXXVIII. Ad num. XX. Schelſtratius Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus in Diſſert. I de Eccleſia Africana cap. 2. demonſtrat, nullam in Africa Eccleſiam per Apoſtolos inſtitutam fuiſſe; idque non tantùm Donatiſtas; ſed & antiquos Patres communi conſenſu docuiſſe. Tertullianus lib. de velandis Virginibus, ubi Italiæ, Græciæ, aliarumque regionum Eccleſias, quas *tranſmarinas* vocat, eas eſſe dicit, *quas & ipſi Apoſtoli, vel Apoſtolici viri condiderunt:* illis opponens Eccleſias Africæ, has vocat *poſteras illas*, innuere volens poſt Apoſtolos inſtitutas, prout clarè indicat, cùm Hæreticos Afros libro de Præſcriptionibus ad Eccleſias Apoſtolicas remittit. Nec Salvianus à Baronio citatus contrarium tuetur. Cùm enim lib. 7. de Providentia, pleraque de Afris & eorum civitate primaria Carthagine tanquam omni vitiorum cœno inquinata dixiſſet, cùm illius incolas fornicatione, adulterio, & ſodomia fœdatos deſcripſiſſet, quod ſe de Afris, hoc Apoſtolum Paulum teſtatum ait de Romanis tam fœda, omnium conſenſu, perpetrantibus; ac ſubdit: *In urbe Chriſtiana, in urbe Eccleſiaſtica, quam quondam Apoſtoli inſtituerant, quam paſſionibus ſuis Martyres coronarant, viri in ſemetipſis fœminas profitebantur*, &c. Ubi per civitatem illam Salvianus non intelligit Carthaginem, de qua paulò antè diſſeruerat, tanquam ſodomitico populo repletam, ſed urbem Romam, cujus cives Paulus in Epiſtola ad Romanos vitio ſodomitico infectos indicarat; unde etiam ſequitur: *Atque hoc publicè in civitate Romana, urbe illic ſumma ac celeberrima.* Quoad Auguſtinum lib. de Unitate cap. 15. agebat is contra Donatiſtas, qui cùm ſomniarent, Evangelio ab Hieruſalem per ceteras terras prædicato, ob Traditorum crimina tempore Diocletiani Eccleſiam periiſſe, & in ſolis Donatiſtis perſeveraſſe, errori ſe ſe opponit Auguſtinus, irridetque Donatiſtarum commentum, & dicit, ſi hoc verum eſſet, jam Eccleſias Apoſtolorum labore fundatas periiſſe, & illis neglectis ex Africana Donati Eccleſia ceteris gentibus, ad quas nondum Evangelium pervenerat, eſſe prædicandum. Quo loquendi modo indicat potiùs Auguſtinus, Africam non fuiſſe ab Apoſtolis ad Fidem converſam. Quod etiam eodem libro cap. 13. manifeſtè tradit. Auguſtino conſentiunt Gregorius Magnus in Epiſtola XXXII ad Dominicum Carthaginenſem Epiſcopum, immo & Innocentius primus Auguſtino æqualis in Epiſtola ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, ut videre eſt apud Schelſtratium laudatum, qui exiſtimat, Fidem ſecundo Eccleſiæ ſeculo in Africa diſſeminatam eſſe.

VI. *Simon Magus à Romanis conſecratus non eſt.* Baron. num. LIV & ſeqq. Ad num. XXVII. Statuam cum hac inſcriptione, SIMONI DEO SANCTO, Simoni Mago poſitam fuiſſe, poſt Juſtinum Euſebius, Cyrillus, & alii referunt. Non deſunt tamen Viri eruditiſſimi, qui Juſtinum hominem Græcum errore deceptum putant, eumque cùm vulgarem ac paſſim extantem epigraphen legiſſet, SEMONI DEO SANCTO, *Simonem* pro *Semone* accepiſſe. Certè, inquit Valeſius, in Animadverſ. Euſebianis lib. 2. cap. 13. ſtatua illa quam in inſula Tiberina viderat Juſtinus, non ita dudum effoſſa eſt cum hac inſcriptione, SEMONI SANCO DEO FIDIO. Sangus, Deus erat apud Sabinos, qui pactis & fœderibus præerat, à ſanciendo dictus. Unde etiam *Deus fidius* vocabatur à fide; quin etiam per eum jurare ſoliti erant Romani. Fefellerunt forſan Juſtinum Samaritani quidam, qui ſtatuam illam *Simoni* Samaritano poſitam fuiſſe ei perſuaſerunt. Quaſi verò Romani magum ac præſtigiatorem adhuc viventem conſecraſſent; aut quaſi Deum adjecto epitheto *Sanctum* vocaverint. Juſtinus itaque aut nominum vicinitate aut falſa relatione deceptus.

VII. *Imperante Claudio fames ſæpe graſſata eſt.* Baron. num. LXII & ſeqq. Ad num. XXIX. Romæ ſecundo Imperii Claudii anno, ut prodit Dio lib. 60. ingenti fame exorta, Imperator, ut copiæ alimentorum proſpiceret, portum Oſtiæ extruxit, *opus ægrè poſt undecim annos abſolutum, quamvis continuis triginta hominum millibus ſine intermiſſione operantibus*, inquit Suetonius in Claudio cap. 20. Porro de ea fame hoc anno agit Dio, non quòd revera tunc inceperit, ſed quòd magis ea tunc ſævierit. Mediobarbus enim Nummum hujus Imperatoris exhibet inſcriptum: TI. CLAU-

DIUS CÆSAR AUG. Cernitur vas ſrumentarium ſpicis repletum. In poſtica: PON. M. TR. P. IMP. COS. DES. IT. S. C. Nummus hoc anno percuſſus, cùm inſequenti Conſul iterum fuerit. Exiſtimavit Baronius hanc famem, eam eſſe, idque *ob aſſiduas ſterilitates*, ut docet Suetonius in Claudio cap. 18. ex antiquis Scriptoribus colligitur. Prima fames contigit anno Imperii Claudii primo & ſecundo, ut mox dixi. Extat apud Mediobarbum in Numiſmatis Imperatorum, Claudii Nummus inſcriptus, TI. CLAUDIUS CÆSAR. AUG. Cernitur vas frumentarium. In poſtica, PON. M. TR. P. IMP. COS. II. S. C. Qui Nummus ad oſtendendam Principis providentiam hoc anno, quo ſecundum Conſulatum geſſit, percuſſus; quemadmodum, quem jam retuli, anno ſuperiori. Propagata ea fames in annum ſequentem, ut indicat Nummus ab eodem Mediobarbo exhibitus, in quo habetur, TI. CLAUDIUS CÆSAR AUG. Repræſentatur vas frumentarium. In poſtica; PON. M. TR. P. IMP. P. P. COS. III. S. C. Secunda fames anno quarto Claudii exorta, ut Euſebius in Chronico & Oroſius lib. 7. teſtantur. Ea in ſequentes annos etiam propagata, ut liquet ex Joſepho lib. 20. Antiquit. cap. 2. ubi ait, Helenam Adiabenorum Reginam Hieroſolymam veniſſe, *cùm per id tempus civitas gravi fame premeretur, & multi perirent alimentorum inopiâ*. Quod anno ſexto Claudii accidiſſe, eodem anno oſtendam. Tertiò Euſebius in Chronico juxta editionem Scaligeri anno Abrahami 2065. qui Kalendis Septembris anni Chriſti LVIII inchoatur, ait: *Fames facta in Græcia, modius ſex drachmis venundatus eſt*. Tum anno X Claudii Euſebius habet: *Magna fames Romæ*, de qua fuſe Oroſius citatus, qui ait, eam decimo Claudii anno graſſatam eſſe. Denique Tacitus lib. 12. Claudio IV, & Orfito Coſſ. anno nempe Claudii undecimo, ait: *Frugum quoque egeſtas, & orta ex eo fames, in prodigium accipiebatur*. Porro fames ab Agabo prædicta pertinet ad annum Claudii quartum, ut Euſebius in Chronico & Oroſius lib. 7. citati. Quod ita intelligendum, ut eo anno cœperit, annoque Claudii ſexto, quo Helena Regina Hieroſolymam venit, adhuc ſævierit. Petavius lib. 11 de Doct. Temp. cap. 12. inquit, famem illam, de qua Joſephus, eandem non eſſe cum ea, quæ Act. 11 memoratur, quòd prior vivo adhuc Agrippa Rege, poſt annum tertium Claudii mortuo, ſerpſerit; & Joſephus ubi de quinto Claudii anno locutus eſt, referat, famem incidiſſe, cui opitulata eſt Helena Adiabenorum Regina. Sed, ut rectè vidit Uſſerius in Annal. veteris & novi Teſt. eadem fames, quæ anno Claudii quarto cœpit; duobus inſequentibus annis Hieroſolymam adhuc afflixit, ideoque una eademque cenſenda cum fame, cujus Lucas in Actis Apoſtolorum meminit. Vide dicta anno ſexto Claudii.

III. *Petronio Syriæ Legato Vibius Marſus ſuccedit.* Vibius Marſus Petronio in adminiſtranda Provincia Syria ſucceſſit, ut colligitur ex Joſepho lib. 19. Antiquit. cap. 6. à qua eum removit Claudius Aug. poſt mortem Agrippæ Senioris, ſubſtituto in ejus locum Caſſio Longino, ut teſtatur Joſephus initio libri viceſimi Antiquit. ubi ait, Claudium hoc memoriæ Regis amici tribuiſſe, *à quo vivo adhuc per literas ſæpe rogatus fuerat, ut Marſum amoveret ab adminiſtratione rerum Syriæ*. Tacitus tamen lib. 11. Annal. ſcribit, anno, quo Ludi ſeculares celebrati, anno nempe Chriſti XLVII, Marſum in Syria Legatum copiis præfuiſſe. Hinc factum, ut ex recentibus Hiſtoricis alii Joſephum, alii Tacitum erraſſe ſcribant. Toinardus tamen V. C. mecum communicavit Caii Caſſii Longini Marſi ſucceſſoris Nummum, qui Joſephum adverſus Tacitum tuetur: legitur enim in eo annus Antiochenus XCIV. Deducta ea epocha ab anno Urbis DCCV, percuſſuſque Nummus ille anno Urbis DCC. XCIX, aut inſequenti, anno nempe Chriſti XLVI, aut XLVII. Erravit itaque Tacitus, niſi forſan copiæ militares Vibio Marſo permiſſæ fuerint; Syriæ verò executio Longino conceſſa; quod de Cincio & Corbulone factum, Tacitus lib. 15. notavit. Baronius in Annalibus initium Marſi in annum præcedentem confert, & in ejus fine conſignando Joſephum ſequitur, non advertens Joſepho Tacitum contrarium eſſe. Baron. an. 43. n. IX, & an. 46. num. VIII.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5536. ⊙ 24 F. ☽ 6. P. 14. APRIL. INDICT. 1.

JESU CHRISTI 43. *ſecundùm Baronium* 45.

CLAUDII IMP. 3.

I. *Conſules.* COSS. *Claudius Aug. III, & L. Vitellius II.*

Baronius Vitellium ſine nota numerali profitetur; cùm tamen Suetonius in Vitellio teſtetur, eum cum Claudio Principe duos Conſulatus ordinarios geſſiſſe, certumque ſit, Claudii Auguſti in quarto Conſulatu Collegam fuiſſe, & ter Conſulem tunc proceſſiſſe. Sumtus is Conſulatus à Claudio juxta primam Conſulatuum Cæſareorum regulam, & in hunc annum dilatus, quòd præcedenti ſecundum Conſulatum ante Imperium ſibi deſtinatum, geſſerit. Claudius in Britanniam ivit ab Aulo Plautio accerſitus, & aliquam ejus partem ſubegit.

II. *Quo anno Petrus Romam venerit.* Ad num. I. Euſebius in Chronico, Petri in urbem Romam adventum refert anno ſecundo Claudii, quam ſententiam ſecutus eſt Baronius. Sed, ut inquit Valeſius in Notis ad Euſebium lib. 2. cap. 16. ſententia hæc refelli videtur ex Actibus Apoſtolorum; ex quibus conſtat, Petrum in Judæa ac Syria ſemper manſiſſe uſque ad ultimum annum Agrippæ Regis. Baron. num. 1 & ſeqq. Qui cùm Hieroſolymis Petrum in vincula conjeciſſet, paulò pòſt, divina eum inſequente juſtitia, extinctus eſt Cæſareæ, ut refert Lucas. Cùm igitur anno quarto Claudii mortuus ſit Agrippa, ut inter omnes convenit, Petrus ante hunc annum Romam proficiſci non potuit. Sed Auctor Chronici Alexandrini adventum Petri in urbem Romam adhuc tardiùs refert. Scribit enim Paulum veniſſe Hieroſolymam ob controverſiam de circumciſione, anno ſexto Claudii; eoque anno celebratum eſſe Concilium Hieroſolymitanum, Apoſtolis nondum à ſe invicem disjunctis. Itaque ex ejus ſententia Petrus

non ante annum VII Claudii Romam profectus eſt. Denique Lactantius lib. de Mortibus Perſecutorum cap. 2. ait, Petrum, *cum jam Nero imperaret*, Romam veniſſe, quæ opinio veroſimilior videtur. Neque enim in Chronologia Pontificia Euſebio magna fides habenda, ut inferiùs oſtendemus.

III. *Nerone imperante Petrus Romam venit.* Præſtat hic Lactantii citati verba in medium afferre: Apoſtoli *per annos XXV uſque ad principium Neroniani Imperii per omnes Provincias & civitates Eccleſiæ fundamenta miſerunt. Cùmque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit, & editis quibuſdam miraculis, quæ virtute ipſius Dei data ſibi ab eo poteſtate faciebat, convertit multos ad juſtitiam, Deoque templum fidele ac ſtabile poſuit.* Ex his viginti quinque annis, qui ad prædicationem omnium Apoſtolorum ex æquo pertinent, orta videtur opinio de XXV annis, qui vulgò tribuuntur S. Petro in Sede Romana. Qui Claudio imperante Petrum Romam veniſſe volunt, coguntur duplicare profectionem ejus in Urbem, & duplex item ejus cum Simone mago certamen comminiſci, primò quidem temporibus Claudii, dein Principatu Neronis; quod tamen à nullo Veterum proditum, ut ait Baluzius in Notis ad Lactantium. Hanc etiam ſententiam tuentur Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum veterum Pontificum, & Ludovicus *Du Four* in Obſervationibus MSS. ad Chronologiam Pontificiam, quas mecum pro ſua benevolentia communicavit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5537. ☉ 25 E D. ☽ 7. P. 5. APRIL. INDICT. 2.
JESU CHRISTI 44. *ſecundùm Baronium 46.*
CLAUDII IMP. 4.

I. *Conſules.* COSS. *L. Quinctius Criſpinus II, & M. Statilius Taurus*, ut oſtendit Noriſius ex Epitaphio recitato à Grutero pag. 1041. Falſa ſunt itaque prænomina horum Conſulum apud Baronium & Onuphrium.

II. *Obitus Agrippæ.* Baron. num. III. Ad num. II. Herodis Agrippæ Regis interitus rectè hoc anno à Baronio conſignatus. Ei ſuperſtites fuere filiæ tres, & filius unus Agrippa nomine, annum agens XVII, qui Romæ apud Claudium educabatur, poſtremuſque Judæorum Rex fuit, de cujus regni initio infrà.

III. *Triumphus Claudii, & ſtola Pontificia.* Claudius hoc anno de Britannis triumphavit, ut teſtatur Dio lib. 60. Claudius ſtolam Pontificiam Judæis reſtituit, quod Baronius anno ſequenti, quo eam reſtitutionem factam credebat, recitat.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5538. ☉ 26 C. ☽ 8. P. 25. APRIL. INDICT. 3. Olymp. 206.
JESU CHRISTI 45. *ſecundùm Baronium 47.*
CLAUDII IMP. 5.

I. *Conſules.* COSS. *M. Vinicius II, & Taurus Statilius Corvinus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari pag. 31.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5539. ☉ 27 B. ☽ 9. P. 10. APRIL. INDICT. 4.
JESU CHRISTI 46. *ſecundùm Baronium 48.*
CLAUDII IMP. 6.

I. *Conſules.* COSS. *Valerius Aſiaticus II, & M. Junius Silanus*, non verò Valerius Aſiaticus, & M. Valerius Meſſala, ut habet Baronius, quem errorem in ultimo Conſule commiſſum doctè confutat Noriſius in Epiſtola Conſulari pag. 32. ubi & oſtendit, M. Junium Silanum filium fuiſſe Appii Junii Silani ac Æmiliæ Lepidæ proneptis Auguſti, & fratrem L. Silani Claudii Auguſti generi; quippe qui, ut habet Dio lib. 60. Octaviam Claudii filiam ejus Imperii initio uxorem duxerit. Denique Valerium Aſiaticum iterum Conſulem appellant Tacitus lib. 11. & Seneca lib. 2. Natur. Quæſt. 17.

II. *Quinquennalia Claudii.* Hinc liquet, Claudium hoc anno Quinquennalia exhibuiſſe. Annis enim hujuſmodi ſolenniis dicatis, ſi Imperatores Conſulatum non ſumerent, eum in propinquos, & viros, qui jam ea dignitate functi eſſent, de more transferebant.

III. *Helena Regina Judæis opitulatur.* Baron. an. 44. n. LXIII & ſeqq. Hoc anno, fame, quæ ab Agabo Propheta prænuntiata fuerat, adhuc graſſante, Helena Adiabenorum in Aſſyriæ & Meſopotamiæ confiniis Regina, Hieroſolymam venit: cùmque multos civium inopiâ alimentorum perire videret, coëmptâ ex Ægypto annonâ, famem Judææ ſublevavit, ut fusè Joſephus lib. 20. Antiquit. cap. 2. & 5. quæ hoc anno geſta eſſe ex ipſomet Joſepho manifeſtum fit. Is enim antea cap. 1. narrat Legatos Hieroſolymitanos à Claudio cuſtodiæ ſtolæ Pontificalis à Vitellio priùs conceſſæ confirmationem obtinuiſſe, impetrato reſcripto, cujus initium eſt: *Claudius Cæſar Germanicus Trib. Pot. V. Coſſ. deſignatus IIII. Imp. X.* finis verò: *Dat. IV Kalendas Julias, Rufo & Pompeio Sylvano Coſſ.* Claudius Tribunitiam Poteſtatem V anno præcedenti iniit, ideoque ea epiſtola Conſulibus ſuffectis ſubſcripta. Baronius, qui in mendoſam Joſephi verſionem inciderat, ſtolam Pontificiam hoc tantùm anno Judæis reſtitutam credidit. Præterea cùm hos Conſules ordinarios exiſtimaret, ait in eorum nomina errorem irrepſiſſe, & Sylvanum pro Silano, Rufum verò pro Valerio Aſiatico, qui hoc anno Conſulatum geſſere, poſitum eſſe; cùm tamen Rufus & Sylvanus anno præcedenti Conſules ſuffecti fuerint, ut jam Onuphrius in Faſtis adnotavit. Denique ad hunc annum revocanda, quæ habet Baronius anno ſecundo Claudii, de fame, quâ preſſi Hieroſolymæ, & de munificentia Helenæ Reginæ.

Anno Urb. 800. ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5540. ☉ 28 A. ☽ 10. P. 2. APRIL. INDICT. 5.

JESU CHRISTI 47. *ſecundùm Baronium 49.*

CLAUDII IMP. 7.

I. *Conſules.* COſs. *Claudius Aug. IV*, & *L. Vitellius III*, ut docet Cenſorinus lib. de Die natali cap. 17. ubi ait: Ludos ſeculares *ſextos fecit Tiberius Claudius Cæſar IIII, & L. Vitellius III Coſſ. anno Urbis DCCC.*

II. *Sexti Ludi ſeculares.* Incipit hic annus Urbis die XXI Aprilis currentis Chriſti anni. Quare Ludi illi anno quarto & ſexageſimo poſt *quintos* ab Auguſto editos exhibiti, novuſque mos inductus. Auguſtus enim numerum ſeculi Romani obſervavit, & poſt annos centum & decem Ludos ſeculares celebravit; privatis Conſulatum gerentibus. Claudius verò Ludos ſeculares centenariis Urbis annis illigavit, Conſulque proceſſit. Hinc que factum, ut ex ſubſequentibus Imperatoribus alii Auguſtum, alii Claudium imitati fuerint. extra itaque Conſulatum in Cæſareorum regulS Claudium auctorem habet.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5541. ☉ 1 G F. ☽ 11. P. 21. APRIL. INDICT. 6.

JESU CHRISTI 48. *ſecundùm Baronium 50.*

CLAUDII IMP. 8.

I. *Conſules.* COſs. *A. Paulus Vitellius*, & *L. Vipſanius.* Vitellius poſtea imperavit.

II. *Cenſus factus antequam luſtrū conderetur.* Ad num. II. Luſtrum, quod ordine LXXIV fuit, hoc quidem anno conditum, ut docet Tacitus lib. 11; ſed cenſus vel anno Chriſti XLV, ut Euſebius in Chronico, vel XLVI, ut Caſſiodorus in Chronico, inchoatus. Plinius lib. 10. cap. 2. ait, Phœnicem allatum eſſe in Urbem, *Claudii Principis cenſurâ, anno Urbis DCCC*, quod & Solinus cap. 35. prodit, ideoque anno antecedenti. Secundò, quia Claudius in Nummis & Inſcriptionibus dicitur *Cenſor*, quando gerit Tribunitiam Poteſtatem VII, anno ſcilicet antecedenti. Denique cenſura ab Auguſto & à Veſpaſiano peracta aliquot annis luſtrum præceſſit. Baron. n. IX.

III. *Initium regni Agrippæ Junioris.* Herodes Rex Chalcidis hoc quidem anno vitâ functus, ſed Agrippæ Junioris, quem Claudius Imp. in ejus regnum evexit, anni ab anno Chriſti quadrageſimo nono deducti, ut apparet ex Joſepho lib. 2. de Bello Judaïco cap. 13. ubi principium belli Judaïci, quod menſe Maio anni Chriſti LXVI inchoatum eſt, in decimum ſeptimum regni Agrippæ annum conjicit. Agrippæ porro Juniori non Judææ regnum, quod Agrippa pater, ſed Chalcidis, quod Herodes patruus obtinuerat, Claudius donavit. Paternum verò regnum ita Provinciæ Syriæ additum eſt, ut proprios tamen Procuratores ab Imperatore acciperet: Ventidio Cumano, Judææ, & Galilææ adminiſtrationem, ut antea, retinente, in interjectam inter utramque Samariam miſſo Procuratore Felice. Huc revocandum quod habet Tacitus ſub inſequentis anni Conſulibus lib. 12. cap. 23. *Ituræi & Judæi, defunctis Regibus Sohemo atque Agrippa, Provinciæ Syriæ additi ſunt.* Baron. n. 1.

IV. *Geſta in Judæa.* Tacitus lib. 12. ad annum Urbis DCCCV, Chriſti nempe LI, ait: Cùm Ventidio Cumano *Galilæorum natio, Felici Samaritæ parerent*, orta inter utrumque diſcordia: *arſiſſetque*, inquit, *bello Provincia, ni Quadratus Syriæ rector ſubveniſſet*, Cumano videlicet damnato, cùm Felicem in cognitionem cauſæ in gratiam Pallantis ejuſdem fratris apud Claudium libertorum potentiſſimi, inter judices in tribunal recepiſſet. Baron. num. VIII. Baronius in Annalibus ſcribit: *Sed patentis erroris Joſephus arguitur, dum ait, eſſe damnatum Romæ Cumanum, ac inde Claudium Felicem Pallantis liberti Claudii Aug. germanum miſſum eſſe in Judæam. Felix ſimul cum Cumano in eam Provinciam miſſus eſt, ſic eâ inter eos diviſâ, ut Felix Samariam adminiſtraret, Cumanus verò reliquam Provinciæ partem.* Verùm ut Noriſio in Cenotaphiis Piſanis Caii & Lucii Cæſarum Diſſert. II cap. 15. paragrapho 13. obſervatum, Joſephus nuſquam dixit, Felicem Româ miſſum Cumano ſucceſſorem, immo apertè lib. 2. Belli cap. 11. oppoſitum inſinuat: ſiquidem cùm prodidiſſet, Cumanum Romæ damnatum à Claudio Imp. ſtatim ait: *Poſt hæc Felicem Pallantis fratrem miſit ad Judæos, qui eorum Provinciam cum Samaria & Galilæa curaret. Agrippam verò de Chalcide in regnum majus tranſtulit, tradens ei illam quoque Provinciam, quæ Felicis fuiſſet.* Quare Felix, antequam, damnato Cumano, Judææ imponeretur, Galilæam tranſamnanam, quæ, teſte Joſepho, Jordane & montibus Cœleſyriæ ac Philadelphiæ includitur, regebat: ac proinde in Judæam non ex Urbe, ut Baronius Joſepho imponit, ſed ex Galilæa tranſamnana advenit. Sed hæc anno Chriſti LI geſta, non verò currenti, quo ea Baronius recitat. Porro Agrippam anno Chriſti LII in majus regnum tranſlatum fuiſſe, teſtatur Joſephus lib. 20. Antiquit. cap. 5. ubi inquit: *Poſt hæc anno Imperii ſui duodecimo Agrippam donavit Philippi Tetrarchiâ, & Bataneâ, adjunctâ his Trachonitide cum Abila, quæ Tetrarchia Lyſiæ fuerat. Chalcidem verò ei abſtulit, cùm jam Dynaſta illius fuiſſet quadriennio.* Quòd ſi anno XII Claudii Imp. jam à quadriennio Chalcidem Agrippa Junior adminiſtrabat, eâ anno Chriſti XLIX donatus fuerat, ut numero præcedenti monſtravi.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5542. ☉ 2 E. ☽ 12. P. 6. APRIL. Olymp. 207.
INDICT. 7.

JESU CHRISTI 49. *ſecundùm Baronium 51.*

CLAUDII IMP. 9.

COſs. *C. Pompeius Gallus*, & *Q. Veranius*, ex Solino cap. 2. I. *Conſules.*

Ad num. VI. Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis in Opuſculis poſthumis à Baluzio V. C. publicatis, de ſingulari Petri primatu loquens tria explicat. Primum eſt, Petri Apoſtoli cum cæteris Apoſtolis, atque adeo ipſo Paulo Apoſtolo comparatio. Secundum, II. *D. Petri privilegia.*

in quo Paulus reliquis Apoſtolis antecelluerit. Tertium, quid ex Petri & Pauli auctoritate in Eccleſiam Romanam derivatum fuerit. Quod ad primum attinet, Chriſtus apud Matthæum & Joannem, Petrum collegii Apoſtolici Principem conſtituit, in petram Eccleſiæ ædificandæ deſignavit, trâdendarum clavium pollicitatione, reliquis Apoſtolis præſentibus, ſpecialiter illi facta, & demum paſcendarum ovium curâ, & ſollicitudine illi demandatâ, verbis utrobique ad Petrum ſolùm directis, ut Præſul doctiſſimus fusè explicat. Quoad privilegium Pauli, erudiendarum gentium munus, quod omnibus Apoſtolis à Domino injunctum erat, illi ſpecialiter concreditum eſt, quemadmodum Judæorum inſtitutio Petro impoſita, ut ipſemet Paulus obſervavit. Quod ita accipiendum; ut liberum quoque fuerit Paulo cum Judæis colloqui, & Petro Gentiles erudire; ut factum ab utroque Apoſtolo, & Acta & Epiſtolæ teſtantur. Quoad tertium caput, de Petro nullus eſt ambigendi locus, quin Apoſtolicæ cathedræ principatus, qui ſemper in Romana Eccleſia viguit, teſte Auguſtino, ex Petri primatu profluxerit. Hoc docent Concilium Epheſinum & Chalcedonenſe, & omnes Antiqui. Paulus verò in Romana Eccleſia formanda plenum officium implevit, inquit Marca, atque adeo Epiſcopi, quod munus cum Apoſtolatu conjunctum erat. In ea etenim regenda diu laboravit, eamque ſanguine pro veritate, quam docuerat, profuſo, decoravit. Quare Epiphanius Petrum & Paulum Epiſcopos Romanos diſertè vocat.

Baron. an. 41. num. XV.

Cui præiverat Irenæus, qui ſucceſſionem Pontificum Romanæ Eccleſiæ deſcribens, Petrum & Paulum primos enumerat, à quibus ceteros deinceps ad ſuam ætatem recenſet. Ita Marca. At, ut rectè obſervat Valeſius in Notis ad Euſebium lib. 2. cap. 21. Euſebius Apoſtolos in ordine Epiſcoporum minimè numerat; & Paulum quidem unà cum Petro Romanam Eccleſiam fundaſſe ex Dionyſio Corinthiorum Epiſcopo & ex Irenæo dicit. Tamen cùm de Epiſcopatu Romano loquitur, ſoli Petro eum attribuit, ut patet ex Chronico Euſebiano. Ita etiam intelligendus Irenæus à Marca laudatus. Quippe Irenæus, perinde ac Euſebius, Petrum ac Paulum Apoſtolos Romanam quidem Eccleſiam fundaſſe aſſerit: ſed eos in Epiſcoporum ordine nunquam recenſet. Eodem ſenſu in hæreſi Cerdonianorum Epiphanius ait, Hyginum poſt Jacobum, Petrum ac Paulum Apoſtolos, nonum Epiſcopalis ſucceſſionis locum tenuiſſe. Certè ſi quis ex hoc loco contenderet, Jacobum fuiſſe Epiſcopum Urbis Romæ unà cum Petro, is profectò falleretur. Quare idem quoque de Paulo putandum eſt. Qua de re plura Valeſius & Petrus Habertus Epiſcopus Vabrenſis in libro de Primatu Petri.

III.
In bullis plumbeis Petrus nobiliorem locũ tenet.

Hinc manavit, ut Hieronymus Damaſum Apoſtolos honore ſequi dixerit; Romani quoque Pontifices inter cetera Sedis ſuæ decora hoc etiam poſuerint, ſe Vicarios eſſe Petri & Pauli, eorumque throni ſucceſſores, ut loquitur Hadrianus I in Epiſtola ad Conſtantinum & Irenem Imperatores. Hanc auctoritatis à Petro & Paulo deductæ communionem impreſſæ octingentis abhinc annis in bullis plumbeis utriuſque Apoſtoli imagines teſtantur, Paulo ad dextram Petri collocato: unde præcipui quoque honoris Paulo impenſi argumenta quidam abſurdè traxerunt. Quod enim latus dextrum videtur, ſi Pauli imago cum Petri imagine comparetur, eſt latus ſiniſtrum, ſi referatur ad inſpicientes. Ex qua relatione ſæpe metiendus eſt honoris gradus in conventibus publicis. Hinc profectum, ut Epiſcopus in parte chori ſedeat, quæ dextra eſt ingredientibus, & tamen reſpondet cornu ſiniſtro altaris. In quo ſiniſtrum & dextrum latus nuncupamus, reſpectu habito ad divini numinis præſentiam, ac ſi Dei majeſtas ibi ſederet, veluti ſuper Cherubim, ut in veteri Teſtamento, vel Chriſti corpus, vultu ad populum obverſo, ibi conſiſteret. Ex hac quoque ratione ingreſſûs tractum, ut in auditorio publico *Parlamentorum* Galliæ Præſides id latus occupent, quod ſiniſtrum eſt, ſi conſeſſûs ordo à perſonis ſedentium ducatur: quod tamen reſpondet lateri dextro adſtantis cœtûs. Quod ſplendidiùs eminet, Rege in Senatu Pariſienſi pro tribunali ſedente. Ad ejus namque ſiniſtram conſident Pares Franciæ Eccleſiaſtici, quibus præcipuus honor defertur; Duces verò dextram occupant: quæ latera vices mutant, habita adſtantium ratione, ita ut eorum dexteræ reſpondeat ordo Parium Eccleſiaſticorum. Ex præſenti itaque uſu confirmatur, locum imagini Pauli in bullis plumbeis deſtinatum, ſecundum eſſe cenſendum, priorem obtinente Petro, ratione primatûs, ut decebat. Ex quibus conſequitur, recentiorum quorumdam dogma in eo peccaſſe, quòd duo capita Petrum & Paulum in Eccleſia Romana *ex æquo* conſtituere videretur. Duo capita ſive duo Epiſcopi ferri poſſunt ex mente veterum & mediæ ætatis Auctorum, & ex eo, qui hodie viget, formularum uſu. Sed additamentum illud, *ex æquo*, tanquam à traditione antiquorum Patrum alienum & juri divino contrarium meritò damnavit Innocentius X, quia primatum, quem in regimine univerſalis Eccleſiæ ſolus Petrus obtinuit, ex ipſo Chriſti ore, per indebitam comparationem cum primatu Pauli, qui verſabatur in ſolo Eccleſiaſticæ inſtitutionis magiſterio, ut loquitur Maximus Taurinenſis, penitus labefactabat, ut inquit Marca, ex quo hæc deſumta, cui ſuffragatur Mabillonius lib. 2. de Re Diplomatica cap. 14. num. XIII.

IV.
Epiſtola S. Barnabæ.

Ad num. XIV. Baronii tempore Epiſtola, quæ *S. Barnabæ* nomine ab Antiquis citatur, non extabat; noſtro ſeculo eam edidere Hugo Menardus, & Iſaacus Voſſius, & à paucis annis Notis illuſtravit Cotelerius in ſecunda parte Operum SS. Patrum, qui temporibus Apoſtolicis floruere, ubi ait, conjicere ſe ex tota orationis ſerie, eam ad Chriſtianos Hebræos miſſam, tenaces nimiùm antiquatæ Legis: hincque potuiſſe fieri, ut, accepto rumore de Epiſtola quadam Barnabæ à ſe non viſa, Tertullianus cap. 2. libri de Pudicitia, Epiſtolam Pauli canonicam ad Hebræos, de cujus auctore ac auctoritate ambigebatur, putaverit à *Barnaba* fuiſſe deſtinatam. Porro conſtat inter omnes eam Epiſtolam in Canone locum non habere, dignam tamen eſſe magna veneratione, quæ tantum ferat ætatis atque exiſtimationis. Si

autem conſideremus prima ſecula, quando canone diverſo utebantur Eccleſiæ; varia in ſtudia ſciſſi fuerint Chriſtiani. Quod ut intelligatur, obſervare oportet cum Cotelerio V. C. Scripturarum, quæ aut ſacræ ſunt, aut tales ſunt habitæ à nonnullis, non unam apud SS. Patres reperiri diviſionem. Interdum duplex ſolummodo fit Scriptura: canonica, cujus dictator Spiritus S. & apocrypha, cujus auctor homo ſolus. Aliquando triplex Scriptura perhibetur: canonica, omnino recipienda; apocrypha, penitus rejicienda; & dubia, inter utramque poſita; ab aliquibus videlicet admiſſa, repudiata ab aliis; mixta & media inter genuinam & notham, veræ proximam; cui contradicitur quidem, honos tamen habetur ut legatur Catechumenis; quam demum licèt non eodem in pretio habeant Catholici ac canonicam, ut ex ea Fidei dogmata confirment, non ideo quemadmodum apocrypham abominantur atque è templis eliminant, quinimmo cum reverentia excipiunt, ac in Eccleſiis ad plebis ædificationem lectitant. Quibus poſitis evaneſcit omnis difficultas. Epiſtola Barnabæ ab Origene lib. 3. de Princip. cap. 2. & quibuſdam Eccleſiis canonica reputata fuit: à Clemente Alexandrino interdum canonica, interdum dubia, interdum non canonica, ſeu apocrypha in bono ſenſu primæ diviſionis: ab Euſebio lib. 3. cap. 25. dubia, ſpuria, citata quidem ab Antiquis, at melioris notæ apocryphis propinquior: ab Hieronymo in Catalogo Script. Eccleſ. apocrypha, ſeu extra Canonem ad Eccleſiæ ædificationem pertinens: à Nicephoro Cpolitano in canone Scripturarum non canonica, non apocrypha, ſed cui contradicitur: à nullo apocrypha deterioris notæ, noxia ſcilicet, hæretica, impia; cujus generis videtur fuiſſe Evangelium inſcriptum nomine Barnabæ, de quo Baronius. (Baron. anno 44. numer. XLVIII.) Ceterùm ſecundam illam Scripturarum diviſionem in canonicam, apocrypham, & dubiam, SS. Patrum variis auctoritatibus confirmat Cotelerius citatus. Cùm verò hæc Epiſtola à Clemente Alexandrino lib. 2. Stromat. & ab Origene citetur, ante ſecundi ſeculi finem ſuppoſita.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5543. ☉ 3 D. ☽ 13. P. 25. MART. INDICT. 8.

JESU CHRISTI 50. *ſecundùm Baronium* 52.

CLAUDII IMP. 10.

I. *Conſules.* COss. *C. Antiſtius Veter, & M. Suillius Nervilianus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari pag. 34.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5544. ☉ 4 C. ☽ 14. P. 18. APRIL. INDICT. 9.

JESU CHRISTI 51. *ſecundùm Baronium* 53.

CLAUDII IMP. 11.

I. *Conſules.* COss. *Claudius Aug. V, & Ser. Cornelius Orfitus.*

II. *Decennalia Claudii Imp.* Sumtus is Conſulatus à Claudio juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam, propter nempe Decennalia; quorum ſolennium occaſione Neronem Principem Juventutis nuncupavit: *Cæſar* (nempe Claudius Imp.) *adulationibus Senatûs libens ceſſit, ut viceſimo ætatis anno Conſulatum Nero iniret, atque interim deſignatus Proconſulare Imperium extra Urbem haberet, & Princeps Juventutis appellaretur*, inquit Tacitus lib. 12. Annal. Factum id exemplo Auguſti, qui anno Urbis DCC XLVIII Caium nepotem XIV annos natum Principem Juventutis dixerat, & in quinquennium Conſulem deſignarat, non multò pòſt Imperio Proconſulari in Provincias Orientis ei attributo, ut Zonaras in Vita Auguſti docet. Hinc manavit, ut Imperatores annis Quinquennalibus & id genus feſtis addictis filios Cæſares renuntiaverint, aut in conſortium Imperii Auguſtei adſciverint. Ab hoc anno Imperii Cæſarei Neronis Quinquennalia & id genus feſta proficiſcuntur. Ob Imperium Proconſulare Nero apud Mediobarbum in Numiſmatis Imperatorum dicitur *Imperator*. In uno legitur: NERO CLAUD. CAES. IMP. ET OCTAVIA AUG. F. qui Nummus ante Claudii mortem cuſus; cùm nec Nero *Auguſtus* dicatur, & Octavia Aug. F. ſine paternæ conſecrationis nota appelletur, ut obſervat Mediobarbus, qui alium Neronis Nummum producit, in quo legitur, NERO CLAUDIUS IMP. Imperii etiam Proconſularis intuitu Plinius in Panegyrico n. VIII de Trajano ait: *Simul filius, ſimul Cæſar, mox* IMPERATOR, *& conſors Tribuniciæ Poteſtatis.* Unde in Nummo Trajani ante Nervæ mortem percuſſo legitur: TRAJANUS IMP. CÆSAR. Repræſentantur capita Nervæ & Trajani, ut videre eſt apud Mediobarbum pag. 147. Is Plinii locus ab ejus Interpretibus non intellectus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5545. ☉ 5 BA. ☽ 15. P. 2. APRIL. INDICT. 10.

JESU CHRISTI 52. *ſecundùm Baronium* 54.

CLAUDII IMP. 12.

COss. *Fauſtus Sulla, & Salvius Otho*, ex Tacito, non verò Silvius Otho, ut perperam Baronius. I. *Conſules.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5546. ☉ 6 G. ☽ 16. P. 25. MART. Olymp. 208. INDICT. 11.

JESU CHRISTI 53. *ſecundùm Baronium* 55.

CLAUDII IMP. 13.

COss. *D. Junius, & Q. Haterius.* I. *Conſules.*

Anno Periodi Græco-Romanæ
5547. ☉ 7 F. ☽ 17. P. 14. April.
Indict. 12.
Jesu Christi 54. *ſecundùm Baronium* 56.
S. Petri 1.
Neronis Imp. 1.

I. *Conſules.* COss. *M. Aſinius Marcellus*, & *M. Acilius Aviola.*

II. *Mors Claudii Imp.* Ad num. XIV. Mors Claudii Imp. contigit die XIII Octobris, imperavitque annos XIII, menſes octo, & dies viginti, ut Dio lib. 60. & Joſephus lib. 20. Antiquit. cap. 5. qui tum vivebat, docent. Quod porro ait Baronius, Neronem Claudii ſucceſſorem natum tunc fuiſſe annos XVIII, confutatur ex Suetonio, qui in Nerone cap. 6. ait: *Nero natus eſt Antii poſt novem menſes quàm Tiberius exceſſit, octavo Kalendas Januarias*, ideoque anno Chriſti XXXVII. Agebat itaque Nero annum ætatis decimum ſeptimum, ut Dio lib. 61. & Suetonius cap. 8. produnt. Unde Tacitus initio lib. 11. Annal. ait, anquiſitum fuiſſe, *quemadmodum Princeps vix ſeptemdecim annos egreſſus ſuſcipere eam molem, aut propulſare poſſet*, bellum nempe Parthicum. Ubi vox *vix* ſignificat *non vel nondum*. Onuphrius in Faſtis, cùm animadverteret, ſcribere Suetonium, periiſſe Neronem *ſecundo & triceſimo ætatis anno*, die nempe nona Junii anni Chriſti LXVIII, exiſtimavit in laudatum Suetonii locum errorem irrepſiſſe, ac legendum, *natus eſt ante IX menſes quàm Tiberius exceſſit*, anno nempe Chriſti XXXVI; quia perſuadere ſibi non poterat, Suetonium aliquot dies pro anno numeraſſe. Quam Onuphrii ſententiam Baronius amplectens, Neronem annos XVIII natum Imperatorem renuntiatum credidit. At, ut in priori parte Diſſert. Hypaticæ cap. 2. num. 11. oſtendi, locus Suetonii, ubi de Neronis Natali agit, minimè ſollicitandus, explicanduſque Suetonius de anno ætatis XXXII utrinque incompleto; ita ut ultimos dies menſis Decembris anni Chriſti XXXVII pro anno integro numerarit, & ultimum etiam ætatis annum, licèt incompletum, in ſummam contulerit; quod ab aliis etiam Hiſtoricis non rarò factum, in hoc Opere obſervabimus.

III. *S. Petrus Romæ ſedere cœpit.* S. Petrum Apoſtolorum Principem ante præſentem annum Romam non veniſſe tertio Claudii Imperatoris anno ſtatuimus; ideoque primus ejus ejus Sedis Romæ annus cum primo Neronis nobis eſt inchoandus.

Anno Periodi Græco-Romanæ
5548. ☉ 8 E. ☽ 18. P. 30. Mart.
Indict. 13.
Jesu Christi 55. *ſecundùm Baronium* 57.
Sancti Petri 2.
Neronis Imp. 2.

I. *Conſules.* COss. *Nero Aug.* & *L. Antiſtius Vetus.* Neronis Conſulatus juxta primam regulam.

II. *Quinquennalia Imperii Proconſularis Neronis.* Ejus Imperii Proconſularis Quinquennalia in hunc annum incidunt. Victor de Cæſaribus de Nerone loquens ait: *Quinquennium tantus fuit; augenda Urbe maximè, ut meritò Trajanus ſæpius teſtaretur, procul differre cunctos Principes Neronis Quinquennio: quo etiam Pontum in jus Provinciæ, Polemonis permiſſu, redegit: cujus gratiâ Polemoniacus Pontus appellatur: itemque Cottias Alpes, Cottio Rege mortuo. Quare ſatis compertum, neque ævum impedimento virtuti eſſe.* Idem habet alter Victor in Epitome, quibus major fides, quàm Euſebio in Chronico habenda, qui tam Alpes Cottias, quàm Pontum anno XI Neronis Provincias factas tradit. Vaillantius Antiquarius eruditiſſimus mecum Nummum communicavit, in cujus antica legitur, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ. Repræſentatur caput Regis Polemonis diademate inſigniti. In poſtica habetur: ΕΤΟΥΣ. ΙΗ. id eſt, *anno XVIII.* Viſitur in ea caput Neronis adhuc juvenis laureâ ornati. Annus XVIII Polemonis Regis hoc anno adhuc in curſu erat. Nam Dio lib. 59. anno Urbis DCCXCI, qui cum anno Chriſti XXXVII concurrit: *Polemoni*, inquit, *Polemonis filio paternum Imperium, ex Senatuſconſulto videlicet, tribuit* Caligula. Si itaque Polemon hujus nominis ſecundus anno Chriſti XXXVII Regnum Ponti iniit, currenti anno decimum octavum explebat. Quare is Nummus horum ſolennium occaſione videtur percuſſus.

III. *De uſu Imaginum in veteri Eccleſia.* Ad num. XXXIV. Petavius lib. 15. Theologic. Dogmatum de Incarnatione cap. 13. obſervat Imagines ex eorum per ſe genere eſſe, quæ ἀδιάφορα nominantur, hoc eſt, quæ ad ſalutem omnino neceſſaria non ſunt, nec ad ſubſtantiam ipſam Religionis attinent: in poteſtate ſunt Eccleſiæ, ut ea vel adhibeat vel ableget, pro eo atque ſatius eſſe decreverit, cujuſmodi *poſitivi* vulgò *juris* eſſe dicuntur. Quocirca primis ab ortu Chriſtianæ Religionis temporibus, cùm adhuc gentilis in eam exardeſceret furor, & in hominum mentibus hæreret adhuc idolorum ſuperſtitio; non tam frequens fuit ſacrarum uſus Imaginum, ut neque templorum atque baſilicarum. Ex quo nata eſt illa Gentilium exprobratio, quæ apud Minucium Felicem his verbis exprimitur pag. 25. *Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota ſimulacra?* Cui Octavius pag. 95. reſpondens: *Putatis autem nos*, inquit, *occultare quod colimus, ſi delubra & aras non habemus? Quod enim ſimulacrum Deo fingam, cùm ſi rectè æſtimes, ſit Dei homo ipſe ſimulacrum? Templum quod extruam, cùm totus hic mundus ejus opere fabricatus eum capere non poſſit: & cùm homo latiùs maneam, intra unam ædiculam vim tantæ majeſtatis includam? Nonne melius in noſtra dedicandus eſt mente, in noſtro imo conſecrandus eſt pectore?* Ergo neque templa tunc extrui Deo fas eſſe quidam opinati ſunt; quod nondum in Chriſtiano populo inſtitutum erat; necdum per rerum potientes Ethnicos licebat, nefas & illicitum rati: & de ſacris Imaginibus atque ab idolis multùm diſcrepantibus non diſparem plerique ſententiam habuiſſe videntur. Quod utrumque paulatim dedocti ſunt Chriſtiani, poſtquam

uſu & ratione magiſtra comperεrunt, neutrum damnandum eſſe, ſed ad pietatem prodeſſe poſſe.

IV. *Uſus Imaginum, quando nullum idolatriæ periculum fuit., uſurpatus.*

Quamobrem uti Baſilicas, ſive, ut appellari tandem cœperunt, Eccleſias & altaria in Dei honorem ac cultum extruere non dubitarunt, & quidem magnificè ac ſumtuosè, pace ac libertate reddita: nec priſtino illo uſu & antiquo more, ac magnorum etiam virorum autoritate deterriti ſunt, quominus ita facerent; ſic imagines Chriſti atque Sanctorum, quarum nondum hactenus percrebuerat uſus, eodem tempore uſurpavit Eccleſia; cùm jam nullum idololatriæ periculum eſſet, & ad propagandam Chriſti ac Martyrum Sanctorumque cæterorum memoriam, & animandos ad pietatis conſtantiam illorum exemplo Fideles, utile id eſſe videretur. Atque hoc neutiquam omnibus in locis eodem inſtituto ac tempore conſtat eſſe factum: ſed alibi citiùs, alibi tardiùs, prout nationum captus & indoles erat; & qui illis præerant, expedire judicabant. Quod eò diligentiùs obſervandum, quòd ad pleraque valet interpretanda memoriæ veteris exempla & teſtimonia, quibus ad oppugnandum Eccleſiæ ritum abutuntur Proteſtantes; nam úmque commoventur interdum repugnantes illis Catholici Theologi; cùm ſic ubi conſtet Imagines repudiatas & damnatas ab Orthodoxis fuiſſe, pro locorum ac temporum ratione commodè iſtud explicari debeat. Quare in controverſia de Imaginibus, citerioris Eccleſiæ potiùs exemplorum & inſtitutorum, quàm antiquioris duci rationem oportet. Cùm enim plenis adhuc velis Gentilium ſuperſtitio ferretur, multa primis illis Eccleſiæ ſeculis vel non inutilia per ſe ſe, vel etiam commoda ſupprimi, omittique ſatius viſum eſt, dum periculum erat, ne offenſionis aliquid traheret externa quorumdam rituum ſpecies, cum iis, quæ ab Ethnicis celebrabantur, ſimilitudine ipſa congruens, velut ne imagines Chriſti atque Sanctorum, pro idolis quibus erant aſſuefacti, à rudibus & imperitis haberentur, & ut eorum animus ab inanium ſimulacrorum conſuetudine ac memoria longiùs avocaretur. Credibile itaque eſt, parum à Chriſtianis uſurpatas fuiſſe primis ferè quatuor ſeculis; per quæ nefanda dæmonum in idolis religio, & Chriſtiani nominis crudeliſſima vexatio curſum ſuum tenuit. Quinto demum ſeculo, poſtquam adepta libertate lacertos quodammodo ſuos explicare cœpit Eccleſia, pleriſque locis Imagines palam haberi cœptæ, atque in templis & oratoriis propoſitæ ſunt; cùm hactenus, etſi in uſu eſſent aliquo, non tamen ab eo promiſcue ac frequenter adhiberentur. Hæc & plura alia Petavius citatus de uſu Imaginum in veteri Eccleſia.

V. *Deum & Trinitatem depingere alias vetitum.*

Ad num. XXXV. Baronii tempore Concilium Illiberitanum multis ſuppoſititium viſum, quòd in eo quædam legantur Catholicæ Fidei dogmatibus apparenter repugnantia, uti canon XXXVII, quo vetatur, ne picturæ in Eccleſia habeantur: *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* Quo ex canone Proteſtantes inferunt; quarti Eccleſiæ ſeculi initio, quo Concilium Illiberitanum celebratum, cultum Imaginum in Eccleſia non fuiſſe. Sed ſicut decepti ſunt Catholici, qui de hujus Concilii veritate dubitarunt; ita & errarunt Proteſtantes, qui præfatum canonem adverſus Imagines militare exiſtimarunt. In eo enim, ut notat Bellarminus lib. 2. de Imaginibus Sanctorum cap. 8. agitur de imaginibus Dei ſive ſanctiſſimæ Trinitatis; Deus enim & ſanctiſſima Trinitas propriè colitur & adoratur. Illius autem imagines in uſu olim non fuiſſe docent Patres: cujus rei rationem reddit Origenes lib. 7. adverſus Celſum, circa finem: *Ut qui Deum incorporeum & inviſibilem nullâ figurâ circumſcribimus.* Quam rationem magis exponit Albaſpineus Aurelianenſis Epiſcopus in Commentatio ad eum canonem: *In picturis & tabulis, non verò de ſignis aut ſtatuis hic agitur, & de picturis quidem, non quibus Sancti & Martyres, ſed quibus Deus ipſe, ipſaque Trinitas repræſentaretur, illi ſiquidem non adorantur. Vetant igitur Deum in parietibus depingi, ne ſcilicet quem Gentilibus ac Catechumenis immenſum, omnipotentem, inviſibilem, æternum, incomprehenſibilem, ſpiritualem, corporis & materiæ expertem & immunem prædicarent, eum ipſi Gentiles & Catechumeni in ipſorum Eccleſiis, lineis & coloribus circumſcriptum & comprehenſum cernerent. Ne igitur divini Numinis majeſtas minueretur, & aliud de Deo depingeretur quàm prædicarent, & quem ſupra homines extollerent, humana ſpecie depictum oculis objicerent, vetant ne in Eccleſia Dei Imagines ſuſpendantur. Hæc ad Sanctorum imagines nullatenus pertinent*, &c.

VI. *Hæc prohibitio occaſione Gentilium facta.*

Rectè notat Albaſpineus, inquit Schelſtratius in Diſſert. *de Diſciplina Arcani* cap. 6. art. 3. canonem illum ſtatutum fuiſſe pro Catechumenis potiùs & Gentilibus, quàm pro Fidelibus & Catholicis. Hi enim ſcientes, Deum ſub variis olim figuris apparuiſſe, ex imaginibus Deum ſub illis formis repræſentantibus nullam falſam opinionem concepiſſent. Sed Gentiles & Catechumeni audientes Deum à Chriſtianis inviſibilem & incorporeum prædicari, humanâ figurâ depictum videntes, alienum quid ab ejus majeſtate concepiſſent: immo ignorantes myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis facilè ex picturis illis Patrem in figura ſenis, Filium in figura viri, Spiritum ſanctum in figura columbæ repræſentantibus, in notitiam ſummæ Divinitatis veniſſent, quam eis occultare ſtudebat Eccleſia. Et hoc eſt quod voluit Bona Cardinalis lib. 1. Rerum Liturg. cap. 16. cùm ſcripſit canonis ſenſum, *ex more iſtius ſeculi ſollicitè caventis, ne Religionis noſtræ arcana Infidelibus proderentur, æſtimanda eſſe.* Conſonat Mendoza in Commentario ad eum canonem, *ut vel Chriſti humanitatem, vel Patris, & Spiritûs ſancti aſſumtam formam in parietibus depingi eo tempore Hiſpani Epiſcopi interdixerint, qui tunc nefas putarent, abſtruſiora Trinitatis myſteria publicari*, ne id quod colitur & adoratur, ab irrumpentibus quandoque in Eccleſia Gentilibus, & admiſſis quotidie Catechumenis, in parietibus depictum cerneretur, & diſciplinâ arcani eo modo neglectâ, ſacratiora Religionis Catholicæ myſteria prophanarentur, & non initiatorum ludibrio exponerentur. Atque hinc patet,

Patres Illiberitanos nihil, quod Proteſtantibus faveat, poſteritati reliquiſſe, ut ait Schelſtratius loco citato.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5549. ☉ 9 DC. ☽ 19. P. 18. April. Indict. 14.
Jesu Christi 56. *ſecundùm Baronium* 58.
Sancti Petri 3.
Neronis Imp. 3.

I. *Conſules.* COss. *Q. Voluſius, & P. Scipio.*

II. *Quo ætatis anno barba à Romanis poſita.* Ad num. LVI & ſeqq. De ratione barbæ ejuſque myſteriis plures tractarunt. Legenda Joannis Pierii Valeriani pro Sacerdotum barbis Apologia anno 1531. typis data. Hic unum diſcutere juvat, quo nempe ætatis anno Romani poſt inſtitutum Imperium barbam ponerent. Lipſius in Notis ad lib. 14. Annalium Taciti putavit, Romanos eam ſeriùs, citiùs, plerumque ſub annum XXI poſuiſſe, eoque anno Neronem raſum; Caligulam verò anno XX. Verumenimvero hæc parum accuratè ſcripta. Barba enim tam à Nerone & Caligula, quàm etiam ab aliis, de more anno XXII inchoato raſa. Unde Macrobius in Somnium Scipionis, *ter ſeptenarium numerum requiri ad radendam barbam,* affirmavit, ubi viceſimum ſecundum ætatis annum non numerat, quia completus eſſe non debebat. Nero anno Chriſti LIX, poſt menſem Maium, barbam poſuit, ut eo anno oſtendemus, ideoque anno XXII. Natus enim erat anno Chriſti XXXVII, menſe Decembri, ut ſuo loco viſum. Caligula eodem ætatis anno raſus. Suetonius enim in ejus Vita cap. 10. ait: *Viceſimo ætatis anno accitus Capreas à Tiberio, uno atque eodem die togam ſumſit, barbamque poſuit.* Tum cap. 12. *Non ita multò pòſt Juniam Claudillam Marci nobiliſſimi viri filiam duxit uxorem;* quod anno Chriſti triceſimo tertio factum tradit Tacitus lib. 6. Annalium, ubi de rebus ſub illius anni Coſſ. geſtis loquens dicit: *C. Cæſar diſcedenti Capreas avo comes, Claudiam Marci Silani filiam conjugio accepit:* nuptiæ tamen anno ſequenti celebratæ. Dio enim lib. 58. de rebus anni Chriſti XXXIV actis ſermonem habens inquit: *Tiberius Antii nuptias Caii Caligulæ celebravit.* Natus hic erat die ultima menſis Auguſti anni Chriſti XII, annoque ejuſdem Eræ XXXI annum ætatis viceſimum complevit, accituſque Capreas à Tiberio fuit: inſequenti verò anno, quo XXII ætatis annum ingreſſus eſt, uno eodemque die togam ſumſit, barbamque poſuit; ac non multò pòſt uxorem accepit, nuptiaſque Antii Tiberius celebravit, dum adhuc XXII ætatis annus in curſu erat. Ita Suetonius ex Tacito & Dione explicandus. Mutavit ab hoc more primus Romanorum Imperatorum Hadrianus, adnotante poſt Xyphilinum Baronio.

III. *Concilium Apoſtolorum Antiochenum ſuppoſititium.* Ad num. XLVIII. Turrianus lib. 1. pro Canon. Apoſtol. cap. 25. Baronius, & Binius in ſua Collectione Conciliorum Canones novem proferunt Antiocheno cuidam Apoſtolorum Concilio adſcriptos, quos apocryphos & planè ſuppoſititios eſſe demonſtrat Vir eruditiſſimus. Præterquam quod enim nulla eorum occurrit memoria in veteribus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumentis ante Baronium, Baron. anno 102. num. XIX & XX. neque in Patribus, Conciliis, aut Canonum codicibus ante Binium, plurima falſa & abſurda in eis continentur. Primus canon decernit, *ut credentes in Jeſum, quos illius temporis homines vocabant Galilæos, Chriſtiani vocarentur.* Et tamen *Galilæorum* nomen nonniſi ſub Juliano Apoſtata Chriſtianis impoſitum. II, VII, & IX canon ſanciunt abſtinendum eſſe à circumciſione, à ſanguine, à ſuffocato, à fornicatione; & permittunt veſci carne ſuilla, & piſce teſtam habente, necnon de eo qui ſquammis caret. At Apoſtoli decretum in Epiſtola ſynodica Hieroſolymitani Concilii tam luculenter, tamque nitidè editum, canonibus verboſis & inutilibus non recudiſſent. Secundò decernit nonus canon, ut Chriſtiani *anagogicè vivant.* Qui loquendi modus nec Apoſtolis, nec ullis Scriptoribus ſolennis eſt. Senſum anagogicum Chriſtiani in Scripturis ſacris norunt, nullus dixit vitam anagogicam. Denique certum eſt, imagines Chriſti, & maximè ſtatuas, primis Eccleſiæ ſeculis non fuiſſe ſubſtitutas loco idolorum, nec Fidelium venerationi expoſitas; ne cultus idololatrici objectum mutaſſe viderentur Chriſtiani, non verò reliquiſſe; quod Patrum adverſus Ethnicos diſceptationes, & ſuſceptæ pro noſtra Religione apologiæ diſertè probant: ut & ipſum Ethnicorum ſilentium, qui Imaginum uſum & venerationem Chriſtianis nunquam objiciunt, tam ſplendidam tamque obviam objectionem non prætermiſſuri, ſi apud eos Imagines extitiſſent aliquæ: quod denique probat prohibitio picturæ & ſtatuariæ artis Chriſtianis primorum ſeculorum facta, teſte Tertull. lib. contra Hermogenem cap. 1. & lib. de Idololatria cap. 3. Imò ſtatuarum uſum nondum fuiſſe inductum in Chriſtianorum templa tempore ſeptimæ Synodi generalis, conſtat ex eadem Synodo act. 7. & Eruditi conſentiunt. Quare canon octavus Synodo Antiochenæ Apoſtolorum adſcriptus fictitiæ Synodi fictitius canon eſt: ſiquidem pro idolis adorandam eſſe decernit ſtatuam Chriſti Domini. Nititur Baronius auctoritate Innocentii I Papæ epiſt. 18. ubi de Antiochena Eccleſia loquens ait: *Ibi & nomen accepit Religio Chriſtiana, & Conventum Apoſtolorum apud ſe fieri celeberrimum meruit.* Sed ſi nomine Conventûs celeberrimi Synodus intelligenda ſit, Innocentius, quod maximis etiam Viris quandoque contigit, id tribuit Antiochiæ, quod convenit Hieroſolymis; qua in re labi eò proclivius, quòd celeberrimus ille Conventus Hieroſolymis habitus, ſeu Hieroſolymitanum Apoſtolorum Concilium de Antiochenæ Eccleſiæ cauſa, & ejuſdem rogatu celebratum fuit. Alterum Baronii fundamentum eſt, Gregorium Piſinuntenſem Epiſcopum in VII Synodo generali act. 1. citare primum illorum canonum *ex Synodo Apoſtolorum apud Antiochiam.* Sed hinc tantùm deduci poteſt, Concilium iſtud ante ſeptimam Synodum confictum fuiſſe. Ejus autem nullam rationem Patres habuere; cùm ſolas coloribus pictas tabulas & icones in Religionis uſum admiſerint, non verò ſtatuas, quarum uſum

præfati canonis probaſſet auctoritas, ſi quæ apud illos extitiſſet. Denique multæ apocryphorum quiſquiliæ à ſeptimæ Synodi Patribus probatæ, qui in ſacrorum librorum critica rudes erant. Canonem octavum citatum, qui eſt de Imaginibus, pluribus explicat ac defendit Baronius: Petavius verò in tomo 2. Theologicorum Dogmatum de Incarnatione lib. 15. cap. 14. num. v, explicat, & ſuppoſititium eſſe concludit.

Baron. an. 57. num. CXI. Spond. ibid. num. XXXIV.

Olymp. 209. Ann. Urbis 810.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5550. ☉ 10 B. ☽ 1. P. 10. APRIL.
INDICT. 15.
JESU CHRISTI 57. *ſecundùm Baronium* 59.
SANCTI PETRI 4.
NERONIS IMP. 4.

I. *Conſules.*

COſs. *Nero Aug. II*, & *L. Piſo.*
Dum Diſſertationem Hypaticam compoſui, hic Neronis Conſulatus mihi crucem fixit: ad quam enim Conſulatuum Cæſareorum regulam revocari poſſet, deprehendere non potui. Tandem mihi certò conſtitit, illum juxta primam ſumtum. Nam anno Chriſti LI Nero Proconſulari Imperio donatus, Conſulque in annum ætatis viceſimum, quem currenti abſolvit, deſignatus eſt, ut eo anno dixi. Quare hic Conſulatus Imperio ejus Proconſulari deſtinatus. Lipſius in Notis ad lib. 12. Taciti, ubi hic Hiſtoricus ait, decreviſſe Claudium, ut viceſimo ætatis anno Conſulatum Nero iniret, ſubdit: *Decretum fruſtra. Conſulatum enim iniit XVII ætatis anno: ſed jam Princeps & Legum ſecurus.* At decretum illud minimè fruſtra fuit, cùm hoc anno ideo Nero Conſul proceſſit, quia tunc ad eam dignitatem deſignatus eſt. Quare ſicut Claudius Neronis deceſſor ſecundum Conſulatum, ad quem adhuc privatus deſignatus fuerat, Imperator renuntiatus ſuſcepit, ita Nero, cui potiori titulo hic Conſulatus debebatur.

II. *Dies Sabbati in Quadrageſima etiam Romæ jejunio conſecratus.*

Baron. num. CCIV & ſeqq.

Ad num. LXI. Licèt Sabbatum etiam in Quadrageſima fuiſſe apud Romanos jejunio conſecratum plura demonſtrent, ſunt tamen quos movet S. Leonis, Socratis & Caſſiodori auctoritas: è quibus Valeſius in Notis ad lib. 5. Socratis cap. 22. ſibi perſuaſit, Socratis, Leoniſque ætate Romanos in Quadrageſima non jejunaſſe die Sabbati; ſed tres tantummodo dies in ſingulis hebdomadibus jejunio deſtinatos à Leone notari, quinque à Socrate. Leo enim ſermone 4. de Quadrageſima hanc clauſulam ſibi in jejuniorum indictione familiarem ita ſubjicit: *Secundâ igitur & quartâ & ſextâ feriâ jejunemus: Sabbato autem apud B. Petrum Apoſtolum vigilias celebremus: qui commendati ſibi gregis curam habere non deſinens, cuſtodiam nobis de ſuis precibus obtinebit.* Socratis verò locus ſic habet: *Qui Romæ ſunt, tres continuas hebdomadas ante Paſcha*, EXCEPTIS SABBATO ET DOMINICO DIE, *jejunant.* Locus Leonis plurimùm torſit quotquot Quadrageſimalis jejunii materiam verſarunt hactenus. Bellarminus tomo 3. Controv. 3. lib. 2. cap. 15. autumavit, *Leonem loqui de jejunio quatuor dierum, qui adduntur ante primam Dominicam Quadrageſimæ, ut numerus quadragenarius compleatur*: etſi non iidem qui olim. Hugo Menardus Sacramentarium S. Gregorii commentans, iſtam explicationem meritò rejicit, oſtenditque quatuor illos dies Gregorii ipſius ætate in uſu non fuiſſe, nedum Leonis temporibus. In eam autem it ipſe ſententiam, non plures revera dies Romæ tunc temporis jejunio fuiſſe conſecratos, quàm qui in eo Sermone à B. Leone deſignantur. Subſcribit Menardo Dallæus magni nominis inter Proteſtantes Scriptor: Sabbatum tamen tribus illis diebus ex ſolito per annum Romanorum more ſuperaddendum exiſtimat. Valeſius ne Sabbati quidem jejunium per Quadrageſimam Romæ tunc celebratum cenſet, ac præter hunc Leonis locum, probationem adducit nullam. Sic inter Orthodoxos & Proteſtantes medium Leonem hinc inde trahit in ſuam quiſque ſententiam, nec tamen quiſquam ante Queſnellum V. C. in Diſſert. VI de jejunio Sabbati in Eccleſia Romana, eum intellexit, aut rectè explicavit. Ait itaque Vir eruditiſſimus, Leonis non eſſe verba illa, quæ objiciuntur, ſed Sermoni ejus eſſe ſuperaddita, occaſione ac ratione mox explicanda. Nam penes antiquiores & melioris notæ Codices arbitrium eſt & jus & norma de dubiis veterum Scriptorum fœtibus aut interpolationibus decernendi, & in quinque vetuſtiſſimis MSS. uno nempe Regio, duobus Thuaneis, Navarrico & Sangermanenſi, verba illa abſunt, totuſque ille pannus à nobis deſcriptus deſideratur. Eum itaque inſititium eſſe non dubitandum. Norunt omnes in more fuiſſe apud Monachos & Clericos, Homilias Sermoneſque SS. Patrum ſuis uſibus aptare, atque aliqua addere, quæ propriæ ſolennitati convenirent. Quare arbitratur Queſnellus, ſimile quid contigiſſe huic Sermoni 4. de Quadrageſima; ab ea ſc. ad aliud jejunium tranſlatum eſſe: atque ut pro more Leonis & pro loci etiam conſuetudine, feriarum, quæ iſtis jejuniis deputatæ erant, ſolennis inter Officia fieret indictio, concinnata eſt præfata formula, quam bona fide tranſcripſerunt ex Libris Lectionariis, qui de S. Leonis Sermonibus in unum corpus colligendis, & publicæ luci dandis primi cogitaverunt. Teſtis eſt enim Gregorius Turonenſis lib. 10. cap. 31. *Perpetuum* illius urbis Epiſcopum, qui *Leonis* æqualis erat, aut ſuppar, terna in ſeptimana jejunia inſtituiſſe à Martini Depoſitione uſque ad Natale Domini, quod poſtea in Concilio Matiſconenſi I his verbis confirmatum: *Ut à feria S. Martini uſque ad Natale Domini, ſecundâ & ſextâ Sabbati jejunetur, & ſacrificia Quadrageſimali debeant ordine celebrari*, &c. Hinc ſumta illa verba, in quibus explicandis ante Queſnellum fruſtra ſudatum eſt.

III. *Socrates & Caſſiodorus non audiendi.*

Quoad Socratem, is egregiè hallucinatus, inquit ibidem Queſnellus, Græcuſque homo ſexcentis ferè leucis à Romana urbe agens, Romanæ diſciplinæ ignarus, incertiſſimiſque deceptus rumuſculis, aliis errandi locum dedit. Socratis errorem correxit Sozomenus, cùm lib. 8. cap. 19. eandem cum illo Quadrageſimalis jejunii varietatem diſſerens, de trium illarum Eccleſiæ Romanæ hebdomadarum jejunio, deque Sabbati ibidem remiſ-

ſione omnino ſilendum putavit. Caſſiodori, qui Socratis locum in Hiſtoriam Tripertitam inſeruit, auctoritas potior videtur, quod ipſe, qui Senator & Conſul & Præfectus Prætorio fuit in urbe Roma, Romanæ Eccleſiæ morem in obſervatione jejunii Quadrageſimalis ignorare non potuit. At quis neſcit, hoc eis plerumque contingere, qui compendiis ſcriptitandis ſtudent, aut centonibus conſuendis ex plurium Scriptorum elucubrationibus, ut non minori curâ errata exſcribant, quàm quæ ſunt veritati conſentanea; quia videlicet non ſuam, ſed aliorum ſententiam repræſentare ſatagunt, nec alia corrigere curant, ſed referre? Exemplo ſit Sozomeni locus, quem in ſuam pariter Hiſtoriam tranſtulit Caſſiodorus. Scribit ille lib. 7. cap. 19. *In urbe Roma nec Epiſcopus, nec alius quiſquam in Eccleſia populum docet.* Sed cum Sozomenus ſedente Leone Hiſtoriam ſuam ſcripſerit, de hujus narrationis falſitate dubitari non poteſt; cùm S. Leo Serm. 3. de Epiph. & alibi, officii ſui eſſe dicat ſermonem habere ad populum, ſibique metuat imputari ad culpam, ſi hujus miniſterii ſui parti defuerit. Vide plura apud Queſnellum loco citato, & in Diſſert. 1 de Vita & Geſtis Leonis M. ad annum CCCC XL.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5551. ☉ 11 A. ☽ 2. P. 25. MART.
INDICT. I.
JESU CHRISTI 58. *ſecundùm Baronium* 60.
SANCTI PETRI 5.
NERONIS IMP. 5.

I. *Conſules.* COss. *Nero Auguſt. III, & Valerius Meſſalla.*

II. *Quinquennalia Neronis.* Sumtus hic à Nerone Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam; Auguſtei enim Imperii Quinquennalia Nero dedit, quorum occaſione dicavit macellum, in quo omnia ad vitam neceſſaria vendebantur, cujus figuram repræſentat Erizzus pag. 117. Extat Nummus Neronis, in quo legitur: NERO CLAUDIUS CAESAR AUG. GER. P.M. TR. P. IMP. P. P. In poſtica viſitur ædificium pulcherrimum cum his verbis: MAC. AUG. S. C. Mediobarbus qui illum exhibet, putat anno Chriſti LX percuſſum. Sed ex Dione lib. 61. liquet, currenti anno cuſum. De Nerone enim ait: *Forum obſoniorum, quod Macellum dicitur, dedicavit. Poſt hæc celebravit feſta alterius generis, quæ dicuntur Juvenalia.* Quare cùm Juvenalia anno ſequenti inſtituta fuerint, in Quinquennalibus, ut in more poſitum erat, ea dedicatio peracta.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5552. ☉ 12 G. ☽ 3. P. 15. APRIL.
INDICT. 2.
JESU CHRISTI 59. *ſecundùm Baronium* 61.
SANCTI PETRI 6.
NERONIS IMP. 6.

I. *Conſules.* COss. *C. Vipſtanus Apronianus, & L. Fonteius Capito.*

Ad num. III. Nero Agrippinam matrem Germanici filiam die feſto *Quinquatruum* Minervæ interfecit, ut ex Suetonio in Nerone cap. 34. diſcimus. Quod feſtum *XIV Kalend. Aprilis* ut liquet ex Kalendario à Lambecio publicato, celebrabatur. Cùm ad Urbem rediiſſet Nero, & Agrippinæ defunctæ causâ ſacrificia fierent, Sol obſcuratus eſt, teſtibus Tacito, Xyphilino & Plinio, qui ait, eclipſim factam *pridie Kalendarum Maii*, quæ invenitur, inquit Calviſius in Opere Chronologico, die XXX Aprilis, Romæ horâ ſecundâ poſt meridiem. Teſtatur ibidem Suetonius, Neronem primam barbam non poſuiſſe ante interemptam Agrippinam: *Junxit parricidio matris amitæ necem. Quam cum ex duritia alvi cubantem viſitaret, & illa tractans lanuginem ejus, ut aſſolet jam grandis natu, per blanditias forte dixiſſet: Simul hanc excepero, mori volo; converſus ad proximos, confeſtim ſe poſiturum, velut irridens ait: præcepitque medicis, ut largiùs purgarent ægram.* Tacitus lib. 14. ſub hujus anni Conſulibus Agrippinæ cæde narrata, de Nerone ait: *Ne tamen adhuc publico theatro dehoneſtaretur, inſtituit ludos Juvenalium vocabulo.* Dio verò lib. 61. poſtquam de eadem morte locutus eſt, ſcribit: *Poſt hæc celebravit feſta alterius generis, quæ dicuntur Juvenilia. Ea propter barbam ejus, quæ tum primùm raſa fuerat, facta ſunt: cujus pilos in ſphæram auream conjectos Jovi Capitolino conſecravit.* Et herclè ea nominis causa; Juvenalia enim dicta, quia ut tirocinii die pueros exuebant, ſic barbâ raſâ juventutem, tranſibantque tunc in viros, ut rectè Lipſius in Notis ad eum Taciti locum. Turbat tamen Suetonius in Nerone cap. 12. ubi de Nerone habet: *Inſtituit & Quinquennale certamen primus omnium Romæ more Græco triplex, muſicum, gymnicum, equeſtre, quod appellavit Neronia. Dedicatiſque thermis atque gymnaſio, Senatui quoque & Equiti oleum præbuit. Magiſtros toti certamini præpoſuit Conſulares ſorte, ſede Prætorum, &c. Citharam autem à Judicibus ad ſe delatam adoravit, ferrique ad Auguſti ſtatuam juſſit. Gymnico quod in Septis edebat, inter buthyſia apparatum, barbam primam poſuit, conditamque in auream pyxidem, & pretioſiſſimis margaritis adornatam Jovi Capitolino conſecravit.* Cùm enim certum ſit, Quinquennale illud certamen anno Chriſti ſequenti inſtitutum eſſe, ſequi videtur eodem etiam anno Neronem primam barbam poſuiſſe, cùm Suetonius dicat, factum id eſſe *gymnico, quod in Septis edebat:* Quinquennale enim certamen illud gymnicum erat. At obſervandum, Suetonium capp. 11 & 12. temporis ordine non ſervato agere de variis ſpectaculorum generibus, ac aſſerere Neronem Quinquennale certamen, quod gymnicum erat, inſtituiſſe; quod anno Chriſti LX factum. Tum ſubdere, eum dedicaſſe gymnaſium, quod Tacitus lib. 14. Hiſt. Pæto & C. Petronio Coſſ. anno nempe Chriſti LXI, contigiſſe teſtatur. Et in ea dedicatione Neronem magiſtros toti certamini præpoſuiſſe Conſulares Suetonius tradit. At denique Neronem barbam poſuiſſe in eo gymnico, quod in Septis edidit. Eo itaque in

VI. Nero matrem occidit, & barbam ponit.

Baron. num. x.

loco

loco non de unico, ſed de triplici certamine tribus diverſis annis editis loquitur Suetonius. Quod autem primùm habitum eſt, ultimo loco memorat, quia, uti exiſtimo, duo priora longè fuere celebriora. Quinquennale enim tunc primùm inſtitutum, & in ſecundo, quod in dedicatione gymnaſii editum, Nero primus ad gymnaſia oleum dedit; cùm antea populo in Congiario tantùm daretur, ut vidit Lipſius in Notis ad lib. 14. Taciti. Hæc partim à Toinardo Viro eruditiſſimo in literis ad me ſcriptis, partim a me obſervata.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5553. ☉ 13 FE. ☽ 4. P. 6. APRIL.
INDICT. 3.
JESU CHRISTI 60. *ſecundùm Baronium* 62.
SANCTI PETRI 7.
NERONIS IMP. 7.

I. *Conſules.*

COSS. *Nero Aug. IV*, & *Coſſus Cornelius.*

II. *Decennalia Imperii Proconſularis Neronis.*

Sumtus hic à Nerone Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam: Decennalia enim Imperii Proconſularis exhibuit: ad quæ revocandum quod habet Tacitus lib. 14. *In Italia vetus oppidum Puteoli jus coloniæ & cognomentum à Nerone adipiſcuntur.* Lipſius in Notis ſuſpicatur, Tacitum hallucinatum eſſe, quòd Livius & Velleius ſcribant, anno Urbis DLX coloniam *Puteolos* deductam eſſe. Sed cùm annis, quibus Imperatores Quinquennalia & id genus ſolennia dabant, coloniæ de more inſtituerentur, ipſæque ac urbes novis nominibus appellarentur, fides Tacito minimè deneganda; præſertim cùm Frontinus in Catalogo coloniarum dicat: *Puteoli, colonia Auguſta. Auguſtus deduxit.* Quare rectè A. Gellius lib. 16. cap. 13. oſtendit, ſæpe commutari ſolere colonias in municipia, & contra; optimaque Lipſii conjectura, totum oppidum currenti anno in coloniæ jus translatum eſſe. Præterea *Quinquennale ludicrum Romæ inſtitutum eſt, ad morem Græci certaminis*, inquit Tacitus lib. 14. quod certamen quovis anno quinto exacto agebatur, ut nunc inter omnes convenit.

III. *Corbulo ſucceſſor Quadrati in Præfectura Syriæ.*

Tacitus lib. 14. ſub hujus anni Conſulibus ait: *Corbulo in Syriam acceſſit, morte Vinidii vacuam ac ſibi permiſſam.* Quare Vinidius Quadratus, qui Caſſio Longino ſucceſſerat, per plures annos Syriam adminiſtravit. Spanhemius Vir eruditiſſimus in Diſſert. 9. de Præſtantia & Uſu Numiſmatum, Nummum Antiochenſium exhibet cum epigraphe: ΕΠΙ ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΥ ΕΤ. ΕΡ. id eſt, *ſub Quadrato anno CV.* Proficiſcitur is annus ab anno Urbis DCCV, ſeu ab anno Periodi Græco-Romanæ 5445. Percuſſus itaque Nummus anno Chriſti LVI, aut inſequenti.

IV. *Cæſarea Philippi novo nomine appellata.*

Joſephus lib. 20. Antiquit. cap. 8. narrata Jacobi fratris Jeſu Chriſti lapidatione, & Albini Judææ Procuratoris in eam regionem adventu, ait: *Hoc tempore Agrippa Rex prolatis pomœriis Cæſaream, quæ Philippi dicitur, mutato nomine in Neronis honorem vocavit eam Neroniada: & theatrum apud Berytios impendiis magnis exædificatum ornavit ſpectaculis annuis, aſſignata in eum uſum ingenti vi pecuniæ. Frumentum enim donavit ei populo, & oleum viritim diſtribuit: totamque eam urbem ornavit ſtatuis paſſim diſpoſitis, atque expreſſis ad antiqua clarorum artificum archetypa imaginibus; & omnia pene ſui regni ornamenta in eam civitatem tranſtulit.* Facta hæc Cæſareæ Philippi ampliatio, & nova appellatio currenti anno Decennalium Neronis occaſione, indeque deſumta epocha Nummorum Domitiano imperante cuſorum, qui ΕΤ. ΚΑ. id eſt, *annum XXI*, uſque ad annum ΚΖ, id eſt, XXVII, præferunt. Hos inter V. Clariſſ. Toinardus mecum communicavit Nummum, in quo legitur: IM. CA. VES. F. DOM. AU. GER. COS. XII. in poſtica: ΕΠΙ ΒΑ. ΑΓΡΙ. ΕΤ. ΚϚ. infrà, S. C. id eſt, *Imperator Cæſar Veſpaſiani filius, Domitianus Auguſtus, Germanicus Conſul XII. Sub Rege Agrippa anno XXVI Senatuſconſulto.* Domitianus anno Chriſti LXXX Conſulatum XII iniit. Quare ſi tunc Agrippa XXVI regni annum ingreſſus erat, ſub hujus anni finem Cæſaream ampliarat. Quo pacto annus XXI Agrippæ poſt diem XIII Septembris anni Chriſti LXXXI, quo die Domitianus Tito fratri ſucceſſit, inchoatus fuit. Poſtica pars Nummi Domitiani habet: ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ ΕΤ. ΚΑ, id eſt, *Agrippa Rex anno XXI.* Plura hanc in rem Numiſmata Toinardus in egregio, quod molitur, Opere, exhibebit. Ex his liquet, Jacobum Apoſtolum cognomento *Juſtum* currenti anno morte affectum, & Albinum præſenti etiam anno in Judæam veniſſe; licèt Baronius utrumque in annum ſequentem differat. Non audiendus etiam Valeſius in Notis ad lib. 2. Euſebii cap. 23. ubi Jacobum anno quarto Neronis occiſum contendit; hæc enim opinio prorſus improbabilis.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5554. ☉ 14 D. ☽ 5. P. 29. MART.
INDICT. 4.
JESU CHRISTI 61. *ſecundùm Baronium* 63. Olymp. 210.
SANCTI PETRI 8.
NERONIS IMP. 8.

I. *Conſules.*

COSS. *Cæſonius Pætus*, & *P. Petronius Turpilianus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari.

II. *Extrema Unctio olim ante Viaticum data.*

Ad num. IV. Uſus *Extremæ Unctionis* conferendæ diverſus alias fuit ab hodierno. Eam enim Unctionem, quam nunc extremam vocamus, Viatico præmittebant Veteres, qui ritus apud ſolos Ciſtercienſes Monachos & quaſdam forte Eccleſias illibatus hactenus perſeverat. S. Chrotildis Regina in Vita Ludovici VI Francorum Regis à Sugerio ſcripta, *triceſimo die vocationis ſuæ ſecundùm Apoſtolum inuncta à Sacerdotibus oleo ſancto, & ſacri Corporis & Sanguinis Chriſti percepto Viatico, in confeſſione ſanctæ Trinitatis corpus exuit.* In Vita S. Hunegundis ab Anonymo coævo, & etiam à Bernero Abbate Hummolarienſi literis tradita, ubi de morte ejus ſermo eſt, dicitur: *Inter hæc converſa ad eos, qui aſſidebant ſibi, Preſbyteros, unctionis* Baron. num. XIII & ſeqq.

oleum & communionem expetiit, quod circa annum DC LX contigit. Quare cùm in Vita S. Gertrudis Abbatiſſæ primæ Nivellenſis anno DC LXXVIII demortuæ, in Vita S. Euſtaſii, qui circa annum DC XXV è vivis exceſſit, in Vita S. Richarii Abbatis Centulenſis, qui circa annum DC XLV obiit, dicitur Viatico ſumto ad æternam vitam migraſſe, nulla ſacræ Unctionis mentione facta, Scriptores Actorum horum Sanctorum, quæ apud Mabillonium V. C. leguntur, & ex cujus Præfatione ad tomum 1. Actorum SS. Ordinis Benedictini hæc excerpſimus, de ultimo tantùm Sacramento ab illis Sanctis ſumto loquuntur: ideoque hujuſmodi exemplis ad Sacramentum extremæ Unctionis labefactandum abutuntur Proteſtantes.

III. *Cur mos ille mutatus.* Mos iſte antiquus, ineunte ſeculo XIII in deſuetudinem abiit, cujus ordinis mutationem ex Britannicis Conciliis conjecturâ deducit Mabillonius. Falſa hæc vulgò animos eo tempore invaſit perſuaſio, non ampliùs poſt ſuſceptam ſemel infirmorum unctionem licere uxoratis, ſi convaluiſſent, ad opus conjugale reverti. Quæ ſuperſtitio ad alia erroris capita ſenſim prolapſa effecit, ut Unctioni Viaticum præmitteretur. Ricardus Epiſcopus Sareſberienſis in Conſtitutionibus circa annum M CC XVII editis, ubi de Sacramento extremæ Unctionis agit: *Dicant etiam*, inquit, *ac denuntient confidenter Sacerdotes, quòd poſt ſuſceptum hoc Sacramentum licitum eſt reverti ad opus conjugale.* Eam verò perſuaſionem accreviſſe diſcimus ex Synodis Wigornienſi circa ea tempora habita, Exonienſi anno M CC LXXXVII, & Winſonienſi anno M CCC VIII celebratis, in quibus gliſcentem errorem Epiſcopi tollere conantur, ut veroſimile ſit, ob ea deliramenta, Unctionem infirmorum in mortis articulum reſervari cœpiſſe, ac ſenſim uſum in omnes Eccleſias propagatum eſſe.

IV. *Unctio quando extrema dicta.* Porro *extrema* ſub finem tantùm ſeculi XII hæc unctio vocari cœpit. Nec enim in Sacramentorum libris à Menardo editis; nec apud Udalricum in libris Conſuetudinum Cluniacenſium; nec apud Lanfrancum, Anſelmum, Petrum Damiani, Petrum de Honeſtis in Regula Clericorum; nec apud S. Bernardum, aut Petrum Lombardum, extremæ Unctionis nomen occurrit. Locus in Vita S. Mauræ à B. Prudentio ſcripta apud Camuſatum, ubi *extrema Unctionis* mentio, additius videtur. Denique hæc unctio antè *extrema* dicta eſt, quàm Viatico poſterior eſſet, ut patet ex Vita Guillelmi Archiepiſcopi Bituricenſis anno M CC IX mortui, ab Auctore coævo ſcripta, ac relata à Bollando die X Januarii: *Fratribus convocatis extremæ Unctionis Sacramentum humiliter ac devotè percepit. Eo percepto, etiam ſacroſanctam Euchariſtiam ſibi porrigi inſtantiſſimè poſtulavit.* Hæc omnia Mabillonius.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5555. ☉ 15 C. ☽ 6. P. 11. APRIL. INDICT. 5.

JESU CHRISTI 62. *ſecundùm Baronium* 64.

SANCTI PETRI 9.

NERONIS IMP. 9.

COSS. *P. Marius Celſus*, & *L. Aſinius.* I. *Conſules.*

Ad num. II, III & IV. Extat Philonis Liber, in quo diſſerit de vita quorumdam Philoſophorum, qui relictis civitatibus in agro & ſolitudine degentes, orationibus & contemplationi vacabant, quos *Therapeutas* dictos fuiſſe ait, & mulieres *Therapeutrias*. Hos Euſebius vult Chriſtianos fuiſſe, aliiſque perſuaſit: quem deceptum fuiſſe Scaliger lib. 6. de Emendat. Temp. & Valeſius in Notis Euſebianis lib. 2. cap. 17. obſervarunt. Nam Philo inquit, habuiſſe *Therapeutas* ſcripta veterum quorumdam ſuæ ſectæ auctorum, qui legem allegoricè expoſuiſſent; quæ de Chriſtianis accipi non poſſunt, qui tum novelli erant, & nudiuſtertius nati. Certè ſcripta illa vetuſtorum auctorum & principum illius ſectæ, non ſunt Prophetarum libri. Hos enim disertè ab illis ſeparat Philo. Quòd ſi dicas, eſſe forſitan Evangelia & Epiſtolas Apoſtolorum, reſpondet Valeſius, hæc vixdum ſcripta fuiſſe Philonis ætate; tantum abeſt ut Apoſtoli & Evangeliſtæ pro vetuſtis Auctoribus haberi etiam tum poſſent, præſertim à Philone, qui & Apoſtolicorum temporum fuit æqualis, & cum Petro familiariter Romæ verſatus eſt, ſi Euſebio credimus. Ex quibus apertè colligitur, Philonem eo in libro de Chriſtianis non loqui, ut pluribus oſtendit Valeſius.

II. *Therapeutæ Eſſeni Chriſtiani non erant.*

Baron. num. IV & ſeqq.

III. *Therapeutæ ab Eſſenis diſtincti.* Scaliger laudatus duo *Eſſenorum* genera fuiſſe ſcribit; alios *Practicos*, de quibus in priori libro Philo agit: alios *Theoreticos*: additque, illos Philonis *Therapeutas* Eſſenos fuiſſe. Sed hoc ultimum à Valeſio citato confutatum. Nam primùm quidem Philo in toto illo libro de Vita contemplativa nuſquam illos *Eſſenos* nominat; immo ſtatim in ipſo libri exordio *Therapeutas* ait nuncupatos fuiſſe, & mulieres ejuſdem inſtituti *Therapeutridas*. Deinde Eſſeni in Judæa tantùm erant & Palæſtina, ut disertè ſcribit Philo, tum in libro, *Quòd omnis probus ſit liber*: tum in Apologia pro Judæis, quam citat Euſebius in lib. 8. de Præparatione. *Therapeutæ* verò per omnem Græciam ac Barbariam diffuſi erant; ſed præcipuè in Ægypto circa Mareotem degebant, ut ait Philo, qui Mareoticam eorum patriam & quaſi metropolim fuiſſe teſtatur, quò præſtantiſſimus quiſque *Therapeutarum* commigrabat. Denique Joſephus diligentiſſimus Scriptor, cùm de Eſſenorum ſecta duobus in locis ex profeſſo diſſeruerit, tamen de illis Theoreticis Eſſenis ne verbum quidem dicit. Judaïcæ itaque religionis cultores erant *Therapeutæ*; maximè cùm Philo, nihil præter Legem ac Prophetas, eos lectitaſſe ſcribat: ſed Eſſeni non fuere, ut ante Valeſium Photius in Bibliotheca Cod. 104. tradidit. Qua de re fuſiùs Valeſius.

I V. *Aſcetæ, non Monachi, à S. Marco Alexandriæ inſtituti.*

Euſebius lib. 2. cap. 17. de Philone loquens ait : ἀλλά γε τὸν βίον τῶν παρ' ἡμῖν ἀσκητῶν ὡς ἔνι μάλιστα ἀκριβέστατα ἱστορῶν, &c. Quæ verba ſic Chriſtophorſonus vertit : *Jam vero cùm eorum viendi rationem, qui apud nos Aſcetæ, id eſt, Monachi Religioſique virtutis ſtudio & exercitationi maximè dediti, appellati ſunt, quàm accuratiſſimè percenſeat*, &c. Rectius Valeſius : *Et cùm Philoſophorum Aſcetarumque noſtrorum vitam deſcribit*, &c. Aſcetæ enim priſcis illis temporibus vocabantur, qui inter Chriſtianos ſtrictius quoddam ac durius vitæ genus profitebantur. Quam vocem à Philoſophis mutuati erant, qui exercitationem virtutis, atque abſtinentiæ ἄσκησιν vocabant. Eſt apud Arrianum in lib. 3. Diſſertationum, caput περὶ ἀσκήσεως. Sic apud Artemidorum in lib 4. cap. 33. Alexander quidam Philoſophus ἀσκητὴς vocatur. Et Philo in illud : *Excitatus eſt Noe*, pag. 180. ἀσκητὴν pietatis exercitiis deditum vocat. Rectè igitur Rufinus citata Euſebii verba tam de Clericis, quàm de Monachis interpretatus eſt : *Sed & abſtinentium vitas eorum dumtaxat, qui nunc in Eccleſiis vel Monaſteriis degunt, deſcribit ad liquidum*. Quæ ſi animadvertiſſet Scaliger, non tam facilè Euſebium reprehendiſſet. Neque enim is *Monachos* à Marco inſtitutos eſſe dicit Alexandriæ, ſed *Aſcetas*. Hi autem multùm diſtant à Monachis, ut genus diſtat à ſpecie. Et Aſcetæ quidem in Eccleſia ſemper fuerunt; Monachorum verò nomen & inſtitutum ſeriùs cœpit. Verum eſt, Caſſianum lib. 2. Inſtitutionum cap. 5. Sozomenum & alios, quos Baronius ſecutus eſt, hunc Euſebii locum de Monachis accepiſſe. Sed longè ab Euſebii mente, inquit Valeſius in Notis, à quo hæc mutuati ſumus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5556. ☉ 16 B. ☽ 7. P. 3. APRIL. INDICT. 6.
JESU CHRISTI 63. *ſecundùm Baronium* 65.
S. PETRI 10.
NERONIS IMP. 10.

I. *Conſules.* COSS. *C. Memmius Regulus*, & *L. Verginius Rufus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari ex Inſcriptione Gruteriana pag. 8.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5557. ☉ 17. AG. ☽ 8. P. 22. APRIL. INDICT. 7.
JESU CHRISTI 64. *ſecundùm Baronium* 66.
S. PETRI 11.
NERONIS IMP. 11.

I. *Conſules.* COSS. *C. Lecanius Baſſus*, & *M. Licinius Craſſus*.

Erat M. Licinius Craſſus filius M. Licinii Craſſi Frugi anno Chriſti XXVII Conſulis, ac frater L. Piſonis Liciniani à Galba Cæſaris dicti, ut oſtendit Noriſius in Genealogia Craſſorum adhuc inedita. Quoad Lecanium, legenda Inſcriptio Gruteri pag. 427. 11, C. LAECANI C.F. SAB. BASSI. DE C. Lecanio Baſſo Plinius lib. 26. cap. 1.

II. *Decennalia Imperii Auguſtei Neronis.* Nero Imperii Auguſtei Decennalia anno uno dilata dedit, & perſecutionem adverſus Chriſtianos excitavit. Hinc factum, ut ceteri poſtea Imperatores, qui Chriſtianos vexarunt, annos hujuſmodi ſolenniis addictos elegerint, ut conſequentibus annis videbimus. Horum Decennalium indicium exhibet Tacitus lib. 15. Annal. ſub hujus anni Conſulibus, ubi ait : *Nero condendæ urbis novæ & cognomento ſuo appellandæ gloriam quærere, & ſic juſſum incendium credebatur. Ergo abolendo rumori ſubdidit reos, & quæſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inviſos, vulgò Chriſtianos appellabat.* Eſt hic inſignis hujus feſtivitatis character : annis enim hujuſmodi ſolenniis deſtinatis urbes condebantur, aut dedicabantur, aut novis nominibus inſigniebantur.

III. *Plures ſub Nerone Martyres paſſi.* Baron. num. 1 & ſeqq.

Ad num. I & II. Henricus Dodwellus Scriptor celeberrimus, è ſecta Proteſtantium, inter Diſſertationes Cyprianicas, quas publicavit, unam habet (ea ordine XI eſt) *de Martyrum paucitate in primævis Eccleſiæ perſecutionibus, deque fide Actorum atque Martyrologiorum.* In ea contendit, paucos hujuſmodi perſecutionibus abſumtos fuiſſe, quòd in antiquiſſimis Martyrum Collectionibus nomina pauciſſima extent, nec veroſimile ſit aliorum nomina intercidere potuiſſe. Extabant enim, inquit, Acta Romanorum Magiſtratuum à Notariis publicis excepta, ac præterea eorumdem Acta à Chriſtianis, qui rebus interfuiſſent, concinnata. Accedebat feſtiva illa commemorationis ſolennitas cum annis ſeculiſque redeuntibus ipſa quoque rediens, ac denique homiliæ atque panegyrici maximâ omnium Eccleſiæ ordinum frequentiâ celeberrimi. Quæ ſi perpendantur, fieri vix potuit, ut in ſingulis Martyrum Eccleſiis propriorum Martyrum memoria deficere potuerit. Unde & Kalendarium *Bucherianum* ſeculo Eccleſiæ quarto ſcriptum ex aliis antiquioribus monumentis pauciſſima recenſet, & Prudentius περὶ στεφάνων, qui ſub ejuſdem ſeculi finem ſcripſit, Latinos Martyras, præcipuè Hiſpanos, ſed illos pauciſſimos recitat. Ita Dodwellus. Sed Baronius ſparſim in Annalibus, ac nominatim anno XV Domitiani, jam ad hoc argumentum reſpondit, Acta ſcilicet Martyrum ſollicitè quidem & curioſè ſcripta fuiſſe, ſed omnes ſcripturas in Diocletianea perſecutione miſerum naufragium feciſſe. Nec mirum in antiquiſſimis Martyrologiis, ac in libro Prudentii, paucorum Martyrum nomina legi; cùm ante unum aut alterum ſeculum paucorum Sanctorum commemoratio in Miſſali & Breviario Romanis fieret.

IV. *Perſecutio Neroniana, univerſalis fuit.* Dodwellus num. XI citatæ Diſſert. agnoſcit quidem ingentem multitudinem in perſecutione Neroniana paſſam, ſed eorum tantùm Chriſtianorum, qui Romæ verſabantur; cùm qui Româ aberant, in illos nulla eſſet vel ſpecie tenus veriſimilis ratio, cur intentaretur Urbis incendium. Sed levis hæc ratio. Nero quippe, non verò Chriſtiani, auctor incendii, ideoque edictum non tantùm ad Chriſtianos Romæ agentes vexandos; ſed ad univerſam ſectam per Imperium Romanum abolendam, emiſſum, ut ex his Lactantii lib. de Mortibus Perſecutorum cap. 2, verbis intelli-

gimus: *Cùm animadverteret* (Nero) *non modò Romæ, ſed ubique quotidie magnam multitudinem deficere à cultu idolorum & ad religionem novam damnata vetuſtate tranſire, ut erat execrabilis ac nocens tyrannus, proſilivit ad exſcindendum cæleſte templum*, &c. Hæc itaque perſecutio non localis, ſed univerſalis fuit. Nec refert quòd Tacitus de iis, quæ in Provinciis adverſus Chriſtianos geſta, ſermonem non habeat; cùm Suetonius in Nerone cap. 16. perſecutionem ad urbem Romam non reſtringat: *Affecti ſuppliciis Chriſtiani, genus hominum ſuperſtitionis novæ ac maleficæ*, inquit Suetonius. Gruterus pag. 238. refert veterem Inſcriptionem quæ extat in Hiſpania, loco *Piſuerga*, in quo ſine dubio hæc Neronis crudelitas tangitur. Ibi enim Chriſtiana Religio quemadmodum & à Suetonio citato, & in antiqua Inſcriptione Diocletiano dicata, quæ refertur à Baronio anno CCC IV, num. VIII, *ſuperſtitio* appellatur. Inſcriptionem illam, quæ adhuc in Hiſpania viſitur, producit Spondanus in Epitome anno LXIX, ut ipſe numerat n. XVII. Eandem Inſcriptionem recitat Scaliger lib. I. de Emendat. Temp. pag. 471. Sed dubitat, an ea genuina ſit. Verum perperam; cùm ſuæ ſuſpicionis rationem nullam in medium afferat, nec cum fundamento afferri poſſit. Ex ea itaque deducendum, non tantùm in Hiſpaniis ejuſmodi de Chriſtiana Religione proſtrata erecta trophæa, ſed & in aliis Provinciis ſimiliter factitatum eſſe; ſed in odium Neronis eadem poſtea penitus à Chriſtianis eſſe everſa, ut rectè Baronius conjecit, quando refert Inſcriptiones Diocletiano & Herculio dicatas, in Hiſpaniis adhuc ſuperſtites, in quibus dicitur utrumque Imperatorem ſuperſtitionem Chriſti ubique deleviſſe. Legendæ hæ Inſcriptiones in Epitome anno CCC III, num. XIV. His adde Oroſium lib. 9. ſcribentem: *Denique omnibus flagitiis ſuis hoc etiam addidit (Nero,) quòd primus Romæ Chriſtianos ſuppliciis & mortibus affecit, ac per omnes Provincias pari perſecutione excruciari imperavit. Ipſum quoque nomen extirpare conatus, beatiſſimos Apoſtolos Petrum cruci affixit, Paulum capite gladio ſecuit;* quod martyrium anno ſequenti contigit, ideoque perſecutio, quæ hoc anno Romæ cœpit, intra illud tempus in alias Provincias propagata, niſi, quod veroſimilius, edictum in omnes ſtatim Provincias miſſum fuerit. In ſingulis ſiquidem urbibus natalis Imperii dies celebrabatur, & Decennalia vota ſolvebantur.

Baron. num. XLVII.

V. *Occiſorum in perſecutione nomina periere.*

Ex ingenti porro Martyrum multitudine in hac perſecutione paſſorum, quorum nomen in veterrimis Martyrologiis non legitur, apparet, Dodwellum perperam negare in ſequentibus, ſub aliis Imperatoribus, perſecutionibus magnum ſanguinem fuſum; eò quòd paſſorum memoria in antiquis Martyrologiis non legatur. Nec enim major ratio, cur Martyrum Nerone ſæviente occiſorum, ac aliorum, qui in aliis perſecutionibus paſſi, nomina perierint. Reſpondet Dodwellus, ſe non exiſtimare Martyrum in hac Neroniana perſecutione interemtorum nomina ex Eccleſiæ archiviis intercidiſſe: *ſed vel deditâ operâ prætermiſſam eſſe fortaſſis ingentem illam multitudinem, quòd non tam Chriſtianitatis, quàm incenſæ Urbis prætextu, licèt falſò, paſſi tamen crederentur; vel, quod eſt fortaſſe veriſimilius, ſerior erat illo ſeculo Martyrum hac annua commemoratio.* At hæ Viri eruditiſſimi conjecturæ vanæ. Chriſtiani enim ſub aliis etiam Imperatoribus nonniſi criminum prætextu malè habiti: Martyrumque dies anniverſaria ac commemoratio primis ſeculis uſitata; cùm Tertullianus lib. de Corona Militis cap. 3. eam traditionibus non ſcriptis accenſeat: *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus.* Quæ quando ſcripſit Tertullianus, adeo jam antiqua erat hæc conſuetudo, ut de prima ejus origine non conſtaret; quod ipſemet Dodwellus loco laudato non inficiatur.

VI. *Kalendaria Martyrologiis antiquiora, & utraque fide digna.*

Denique Martyrologiis fidem adhibendam non eſſe Dodwellus malè ſcribit. Valeſius in Diſſert. de Martyrologio Romano, quod edidit Roſweydus, quæ poſt Notas ejus in Euſebium legitur, obſervat nobiliores Eccleſias ſuos ſemper Faſtos habuiſſe, in quibus & Epiſcoporum nomina, & Martyrum, qui apud ipſas paſſi fuerant, natales dies præſcripti habebantur. Ac de Catalogo quidem Epiſcoporum Hieroſolymæ teſtis eſt Euſebius in lib. 5. ſuæ Hiſtoriæ. Tertullianus quoque in lib. de Præſcriptione Hæreticorum, Indices iſtos in ſingulis Eccleſiis ſtudioſè ſervatos fuiſſe docet. Sic enim Hæreticos alloquitur: *Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverit, habuerit auctorem & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ Cenſus ſuos deferunt.* De Faſtis verò in quibus ſingulæ Eccleſiæ deſcriptos habebant Natales Martyrum ſuorum, præter Tertullianum & Cyprianum, teſtis eſt Epiſtola Smyrnæorum ad Philomelienſes de Martyrio B. Polycarpi. Sic etiam Romana Eccleſia jam inde à primis temporibus ſuos habuit Faſtos, in quibus & Depoſitiones Epiſcoporum & Natales Martyrum erant conſignati; quæ Kalendaria poſterior ætas vocavit. Hujuſmodi Kalendarium Romanæ Eccleſiæ vetuſtiſſimum, & Liberii Papæ temporibus conſcriptum, hodie extat apud Bucherium in libro ſuo de Doctrina Temporum. Ejuſdem generis & *Sacramentarium* Gregorii Magni, item Capitulare Evangeliorum totius anni nuper à Joanne Frontone Pariſiis editum. Verùm hæc Kalendaria longè à Martyrologiis differunt. Singulæ enim Eccleſiæ, ut dixi, ſua habuere Kalendaria, in quibus digeſta erant nomina Epiſcoporum & Martyrum, dieſque notati, quibus memoria eorum anniverſario cultu celebraretur. Martyrologia verò non unius loci propria, ſed totius Eccleſiæ fuere communia, quippe quæ totius Orbis Martyres, Confeſſoreſque generaliter continerent. Et in Kalendariis quidem nomen urbis nunquam adſcribitur; cùm in uſum dumtaxat unius Eccleſiæ comparata ſint. At in Martyrologio nomina ſingularum urbium & oppidorum adſcribuntur; propterea quòd ad uſum totius Eccleſiæ inſtitutum eſt. Ex pluribus enim diverſarum urbium Kalendariis

unum compoſitum eſt Martyrologium. Itaque Kalendaria Martyrologiis vetuſtiora ſunt, quippe quæ originem illis præbuerint, & in iis nomen dumtaxat exhibetur Martyrum, dieſque ac locus, in quo fit ſtatio: in Martyrologiis verò & genus paſſionis, & tempus quo paſſi ſunt Martyres, & locus ac Judex adnotari ſolent. Quæ quidem omnia Valeſio doctè obſervata. Certè cuilibet particulari Eccleſiæ Faſti & Kalendaria neceſſaria erant; cùm unaquæque ſuos Martyres celebraret, eorumque triumphos publica laudatione exornaret. Eam ob rem deſcripti olim diligenter dies, quibus unuſquiſque hoſtem vicerat, ut anniverſaria & feſtiva hilaritate peragi poſſet. Tertullianus lib. de Corona Militis, hos Faſtos ſolennitatibus Gentilium, quæ vel ob victoriam, natalémve Principum, vel in quoque municipio peculiari inſtituto agebantur, opponit. Quare Fidelibus notiſſimi erant, & temporis progreſſu ex illis Martyrologia conficere non difficile fuit. Ex quibus apparet, quàm immeritò Dodwellus fidem Martyrologiis deneget, cùm ex antiquis certiſque documentis originem ſumſerint. De Martyrologiis Hieronymi, Bedæ, Adonis, Uſuardi & aliorum legenda, quæ Bollandus in Præfatione ad priorem tomum menſis Januarii ſcripſit, quibus conſtat Martyrologiis, quemadmodum & Actis Sanctorum, tutò fidem haberi poſſe. Denique, ut ad Neronem redeam, cùm Sulpicio Severo lib. 2. Hiſt. Auguſtino lib. 20. de Civitate Dei cap. 16. & Lactantio lib. de Mortibus Perſecutorum cap. 2. teſtibus, Fideles olim exiſtimaverint, Neronem Antichriſtum in fine mundi futurum ob perſecutiones, quarum ipſe initium fecit, liquet eum non tantùm in Romanos, ſed etiam in alios aliarum regionum Chriſtianos furorem ſuum exercuiſſe: quod eò magis certum, quòd poſt Domitianum ſecundum Eccleſiæ perſecutorem, Imperatores, qui Chriſtianos exterminare voluere, nova plerumque edicta adverſus eos non emiſerint, ſed ea Neronis ac Domitiani vim habere præceperint, ut inter omnes convenit.

Olymp. 211.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5558. ☉ 18 F. ☽ 9. P. 14. APRIL. INDICT. 8.
JESU CHRISTI 65. *ſecundùm Baronium 67.*
LINI PAPÆ 1.
NERONIS IMP. 12.

I. *Conſules.*

COSS. *A. Licinius Nerva Silianus*, & *M. Veſtinus Atticus.*

II. *Quindecennalia Imperii Proconſularis Neronis.*

Quindecennalia Imperii Proconſularis Neronis in hunc annum incidunt, quo & perſecutio adverſus Chriſtianos continuata, in qua Romæ occubuerunt Apoſtolorum Principes Petrus & Paulus, quorum martyrium anno Chriſti LXVII in Annalibus narratum, ad currentem revocandum. Petro ſucceſſit Linus, qui jam ab aliquot annis ejus Vicarius erat, ut infrà.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5559. ☉ 19 E. ☽ 18. P. 30. MART. INDICT. 9.
JESU CHRISTI 66. *ſecundùm Baronium 68.*
LINI PAPÆ 2.
NERONIS IMP. 13.

I. *Conſules.*

COSS. *C. Lucius Teleſinus*, & *C. Suetonius Paulinus*, ex Grutero pag. 1102. & Clementino in Hiſtoria Ariminenſi lib. 1. ut me per literas monuit Noriſius V. C. qui & obſervat, Teleſinos è gente Lucia fuiſſe.

II. *Belli Judaïci initium.* Baron. num. XLIV & ſeqq.

Ad num. XV. Belli Judaïci initium rectè hoc anno à Baronio conſignatum; ideoque hallucinati ſunt Scaliger lib. de Emendat. Temp. pag. 468. & Petavius tam in libris de Doctrina Temporum, quàm in Rationario, qui illud in annum præcedentem retraxere. Joſephus lib. 20. Antiquit. cap. 9. de Geſſio Floro Albini ſucceſſore loquens ait: *Secundo anno poſtquam is venit Procurator in Provinciam, duodecimo verò Neronis Imperii, bellum id cœptum eſt.* Idem Joſephus lib. 2. de Bello cap. 13. ait bello Judaïco datum eſſe exordium, *duodecimo ſcilicet anno regni Neronis, decimo ſeptimo autem regni Agrippæ, menſe Artemiſio*, nempe Maio. Quid clarius? Imperium Nero iniit menſe Octobri anni Chriſti LIV, ideoque menſe Maio currentis anni, duodecimus ejus Imperii annus in curſu erat, & Geſſius Florus anno præcedenti Albino ſucceſſerat. Baronius in Annalibus deceptus ab eo, qui Additiones in Chronicon Euſebii inſeruit, *Geſſium* cum *Ceſtio* Præſide Syriæ confundit, quos tamen Spondanus rectè diſtinxit. Miſſus in Syriam anno præcedenti Ceſtius, cujus extat hoc egregium Numiſma, ΕΠΙ ΚΕΣΤΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤ ΔΙΡ. id eſt, *ſub Ceſtio, Antiochenſium anno CXIV.* Incipit is Antiochenus annus Kalendis Septembribus præcedentis Chriſti anni: deducitur enim ab Era Antiochena anno Periodi Græco-Romanæ 5445. inchoata. Quare errarunt Viri docti, qui annum Antiochenum in hoc Nummo expreſſum copularunt cum anno decimo vel undecimo Principatûs Neronis, vel cum ejuſdem Imperatoris anno XIV, aut qui illum annum Antiochenum menſe Octobri inchoandum eſſe docuere. Eram enim illam Antiochenam à prima die menſis Septembris initium ſumere, me demonſtraſſe exiſtimo. Ceſtius, cùm propè eſſet, ut Templum Hieroſolymitanum caperet, ſine ulla juſta cauſa obſidionem ſolvit, atque *Antipatrida* ſe recepit, multis Romanorum & auxiliarium in itinere amiſſis, & cæſis à Judæis, qui eos inſecuti ſunt: *hæc quidem Dii menſis VIII die geſta ſunt, anno XII Neronis Principatûs*, id eſt, die XII Novembris, inquit Joſephus lib. 2. de Bello cap. 24. ubi annus XII Neronis intelligi debet abſolutus: decimus enim tertius à die XIII Septembris cœptus erat.

III. *Hujus belli initium malè in annum anteceden-*

Poſt varios caſus adverſos, *Ceſtius Saulum & ceteros in Achaiam ad Neronem miſit*, belli cauſas derivaturos in Florum, ut inquit Joſephus lib. 2. de Bello cap. 25. qui initio libri tertii ſubdit, Neronem, *ubi res apud Ju-*

tem retra-ctum. *dæam non proſperè geſtas accepit*, miſiſſe Veſpaſianum: *ille autem protinus ex Achaia, ubi cum Nerone fuerat, Titum quidem filium ſuum mittit Alexandriam, ipſe verò tranſmiſſus ad Helleſpontum, terreno itinere in Syriam pervenit*, inquit Joſephus citatus. Nero hujus anni initio adhuc Romæ erat, ut liquet ex Xyphilino, qui Romæ ſub hujus anni Conſulibus ab eo geſta recitat. Quare cùm menſe Novembri in Achaia fuerit, apparet, eum hoc anno in Græciam tranſiiſſe. Soluta obſidione, Judæi in Templo Præfecturas diſtribuunt, ubi Joſephus Hiſtoricus utramque Galilæam regendam accepit, ut ipſemet ſcribit lib. 2. Belli cap. 25. In Vita verò ſua pag. 1004. dicit, ſe tunc egiſſe *annum triceſimum*. Quamobrem cùm anno Chriſti XXXVII, regnante jam Caligula, natus ſit, ipſo teſte, ſequitur, bellum Judaïcum ante præſentem annum cœptum non fuiſſe; cùm ab anno Chriſti XXXVII ad currentem anni tantùm triginta, utrinque incompleti numerentur, & erraſſe Scaligerum & Petavium citatos, qui anno antecedenti bellum hoc inchoatum contendunt. Cauſa erroris fuit tam duodecimus Neronis annus numero præcedenti à nobis explicatus, quàm quod ſcribit Joſephus lib. 2. de Bello cap. 17. de ſtrage facta à Manahemo *die VI Septembris*: capite enim ſequenti ait, *ſequenti die* Pontificem Ananiam interſectum eſſe; ac mox loquitur de cohorte, quam ducebat Metilius Tribunus, præter Metilium cæsâ *Sabbato*. Unde cùm anno elapſo dies VII Septembris & Sabbatum concurrerent, hæ ſtrages eo anno, non verò currenti actæ. Ita Scaliger, & Petavius ratiocinantur. At Joſephus ab utroque perperam explicatus. Is enim initio capitis 18. ſcribit, ſequenti die Ananiam occiſum, ſeptimo nempe Septembris, qui erat feria prima, ut litera Dominicalis E, quæ hoc anno in curſu fuit, demonſtrat. Tum loquitur Joſephus de cohorte Metilii Sabbato trucidata; ideoque decima tertia Septembris, in quam Sabbatum hoc anno concidebat. Quocirca quæ cap. 18. Joſephus narrat, diverſis diebus, non verò una eademque, ut Scaliger & Petavius arbitrati ſunt, peracta; id eſt, Ananias die VII Septembris peremtus, cohors verò Metilii Sabbato proximo cæſa.

IV. *Romani à Judæis repulſi.* Geſſius Florus Judææ Procurator, ob cujus rapinas & ſævitiam arma à Judæis adverſus Romanos ſumta, hoc anno *pugnâ victus eſt, multiſque cum ipſo cadentibus, ſuaque clade extremam toti genti noſtræ calamitatem attulit*, inquit Joſephus in libro de Vita ſua, ubi ait cladem illam contigiſſe poſt occiſum *Manahemum*, qui, ut teſtatur lib. 2. de Bello cap. 18. poſt diem VII Septembris cæſus eſt. Rectè itaque Suetonius in Veſpaſiano cap. 4. ubi dicit, Judæos rebellaſſe, ait: *Cæſoque Præpoſito Legatum inſuper Syriæ Conſularem* (nempe Ceſtium) *ſuppetias ferentem, raptâ Aquilâ fugaverunt*. Joſephus qui lib. 2. de Bello cap. 24. loquitur, de ingenti clade à Judæis die VIII Novembris accepta, nihil de amiſſa Aquila ſcribit; quæ tamen circumſtantia minimè in dubium revocanda.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5560. ☉20 D. ☽11. P. 19. APRIL. INDICT. 10. Anno Urbis 820.
JESU CHRISTI 67. *ſecundùm Baronium 69.*
S. CLEMENTIS PAPÆ I.
NERONIS IMP. 14.

COSS. *L. Fonteius Capito, & C. Julius Rufus.* I. *Conſules.*

II. *Exeunte anno Nero ex Oriente rediit.* Ad num. I. Nero, non ineunte anno, ut exiſtimavit Baronius, ſed eo exeunte, è Græcia Romam rediit. Ubi intellexit conjurationem in ea contra ſe factam, *ſubitò in Italiam navigavit. Spes erat vi hiemis illum periturum, verùm fruſtra id gaudium pleriſque fuit*, inquit Dio lib. 63. Hiemem Scri- Baron. n. 1.
ptores Græci à die undecima menſis Novembris auſpicantur, ut videre eſt in Ephemeride anni Macedonici cum Juliano collati apud Uſſerium Diſſert. de Macedonum & Aſianorum anno Solari. Quare Nero menſe circiter Decembri Romam rediit: *Reverſus è Græcia Neapolim, quòd in ea primum artem protulerat, albis equis introiit, disjecta parte muri, ut mos hieronicarum eſt. Simili modo Antium, inde Albanum, inde Romam. Sed & Romam eo curru, quo Auguſtus olim triumphaverat*, &c. inquit Suetonius in Nerone cap. 25. Quod ſub hujus anni finem ſine dubio factum. Manſit itaque Nero in Oriente ferè biennium, majorem nempe partem anni præcedentis, & totum ferè currentem. Ex quo conſequens eſt, primò, Petrum & Paulum hoc anno martyrium non pertuliſſe; cùm, ut communis traditio fert, Nerone Romæ præſente, paſſi fuerint, & quidem die XXIX Junii utrique feſto conſecrato; quo die præſenti anno Neronem Româ abfuiſſe planè certum. Secundò, non poſt reditum Neronis ex Oriente, ſed antequam in Orientem Nero proficiſceretur, eoſdem occiſos.

III. *Quo anno Petrus & Paulus martyrium paſſi.* Morti ergo addicti Principes Apoſtolorum, *Nerva & Veſtino Coſſ.* ut legitur in Catalogo veterum Pontificum, id eſt, anno Chriſti ſexageſimo quinto. Eo anno menſe, Julio, Nero adhuc in Occidente erat. Ait enim Euſebius in Chronico: *Olympias CCXI non eſt acta, Nerone in ſuam præſentiam differente*. Ea ſolenni Ludorum celebratione an- Baron. n. 11.
no Chriſti LXV in Græcia agi debuit: ſed Ludi illi dilati in adventum Neronis, qui intereſſe & certare volebat. Unde & hæc Olympias prætermiſſa eſt Eleorum in libris, ut teſtatur Pauſanias. In Julii quoque Africani Stadionicarum Catalogo, Olympiade CCXI, à Nerone agon Olympiacus actus dicitur non legitimo tempore, ſed, μετὰ ἔτη δύο, id eſt, *poſt duos annos*, ut videre eſt in Græcis Euſebianis Scaligeri pag. 44. Acta itaque Olympias CCXI currenti Chriſti anno, ineunte nimirum anno ejuſdem Olympiadis tertio, ut legitur in Collectaneis Græcis Hiſtoriarum apud Scaligerum pag. 340. ideoque exeunte Junio Romæ Nero eſſe non potuit. Prætereaquam quòd, cùm perſecutio adverſus Chriſtianos anno LXIV decreta fuerit, ac inſequenti continuata, non dubium, quin priori anno Petrus & Paulus in carcerem conjecti ſint, ac poſteriori

necati. Denique Vir clariſſimus Paulus Pezronius Doctor Pariſienſis, ex Ordine Ciſtercienſi, dum quæ de Chronologia Pontificia obſervavimus, inter nos conferremus, inſigne argumentum mihi aperuit, quo rem extra controverſiam poni exiſtimo. Tacitus lib. 16. Annal. loquens de iis, quæ Nerva & Veſtino Coſſ. geſta, ſic narrationem ſuam concludit: *Tot facinoribus fœdum annum etiam Dii tempeſtatibus & morbis inſignivere. Vaſtata Campania turbine ventorum, qui villas, arbuſta, fruges paſſim disjecit, pertulitque violentiam ad vicina Urbi. In qua omne mortalium genus vis peſtilentiæ depopulabatur, nulla cœli intemperie, quæ occurreret oculis.* Paulus verò Oroſius lib. 7. cap. 5. ait: *Primus* (ſcilicet Nero) *Romæ Chriſtianos ſuppliciis & mortibus affecit, ac per omnes Provincias pari perſecutione excruciari imperavit: ipſumque nomen extirpare conatus, beatiſſimos Chriſti Apoſtolos Petrum cruce, Paulum gladio occidi. Mox acervatim miſeram civitatem obortæ undique clades oppreſſere. Nam ſubſequente autumno tanta Urbi peſtilentia incubuit, ut triginta millium funerum in rationem libitinæ venirent*, &c. Quæ Oroſius ex Suetonio in Nerone cap. 39. exſcripſit: *Acceſſerunt tantis ex Principe malis, probriſque, quædam & fortuita: peſtilentia unius autumni, quâ triginta funerum millia in rationem libitinæ venerunt; clades Britannica, quâ duo præcipua oppida, magna civium ſociorumque cæde direpta ſunt: ignominia ad Orientem, legionibus in Armenia ſub jugum miſſis, ægreque Syria retenta*, quæ etiam Oroſius recitat. Petrus itaque & Paulus eo anno morti traditi, quo Urbem peſtilentia afflixit. Quare cùm, teſte Tacito, anno Chriſti ſexageſimo quinto peſtis Romæ graſſata fuerit, Principum Apoſtolorum martyrium perperam à Baronio uſque ad præſentem annum dilatum. Baronius ait, ſuam ſententiam, quam ab Onuphrio acceperat, quamque Viri docti paſſim amplexi ſunt, graviſſimos habere aſſertores, Caium antiquum Theologum, Zephyrinum Papam, & Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum, quos citans Metaphraſtes apud Surium die XXIX. Junii, iiſdem adſtipulatur, dum anno XXXVI poſt Paſſionem Domini eos trucidatos affirmat. Sed hinc potiùs noſtra ſententia confirmatur. Antiqui enim Chriſtum anno Eræ Chriſtianæ viceſimo nono paſſum arbitrati ſunt; à quo anno ad LXV triginta ſex effluxere. Denique Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſt. tam in Elogio Divi Petri, quàm Divi Pauli, Pontificale Romanum, Chryſoſtomus, Honorius, Iſidorus, Beda, Rabanus, Nicephorus, aliique tradunt, Petrum & Paulum triginta ſeptem annis poſt Paſſionem Chriſti elapſis martyrio coronatos eſſe, qui à præcedentibus Doctoribus in eo tantùm differunt, quòd utrumque extremum annum incompletum pro integro numerarint.

IV. *Quo die occiſi.* Baron. n. III.

Ad num. II. Petrum & Paulum martyrio coronatos die XXIX Junii, docent Martyrologium Romanum & Græcorum Menologia, indicatque Oroſius loco numero præcedenti citato, quando ait, autumno martyrium illud ſubſequente, peſtilentiam Romæ ortam eſſe. Ante autumnum itaque Beati Apoſtoli morti addicti. Mitto varia Martyrologia, aliaque veteris Eccleſiæ monumenta, qualia ſunt Sacramentarium Gregorii Magni, Ordo Romanus, ipſius S. Hieronymi Lectionarium omnium vetuſtiſſimum. Non defuere tamen, qui exiſtimarint, martyrium illud VIII Kal. Martii accidiſſe, quòd ad eandem diem in Laterculo Sylvii legatur: *Depoſitio SS. Petri & Pauli*; quibus ex verbis intulere, Petrum & Paulum non *III Kal. Julias*, ſeu die XXIX Junii, quo coluntur, paſſos eſſe, ſed die *VIII Kal. Martias*. Verùm vana hæc illatio. Antiquitus enim ſicuti & nunc, VIII Kal. Martias, ſeu die viceſima ſecunda Februarii, Cathedra S. Petri Antiochiæ celebrabatur. In Indiculo Depoſitionis Martyrum apud Bucherium, eo die legitur: *Natale Petri de Cathedra.* Reliquiæ autem Sanctorum iiſdem ſæpe diebus, qui horum natales erant, factæ. Quare ex Laterculo Sylvii, ubi ad VIII Kal. Martii legimus Depoſitionem SS. Petri & Pauli, intelligimus, horum reliquias, die, quo jam Petrus Antiochiæ colebatur, tranſlatas fuiſſe. Tranſlationem enim Sanctorum *Depoſitionis* nomine ab Antiquis ſæpe expreſſam, pluribus exemplis conſtat. Sic in Martyrologio Hieronymiano ad diem ſecundam menſis Julii habetur: *Depoſitio Miltiadis Papæ.* Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum ait, videri Librariorum vitio factum, ut pro voce, *Ordinatio*, legatur, *Depoſitio*; cùm conſtet Miltiadem die ſecunda Julii ordinatum eſſe. Verùm locus purus eſt, reliquiæque Melchiadis die ejus Ordinationis tranſlatæ. Sic etiam anno ducenteſimo quinquageſimo octavo, quando S. Sixtus Romanus Pontifex eorumdem Apoſtolorum corpora ad Catacumbas transferre voluit, ut ardente perſecutione Chriſtiani tutiùs Stationes ibi habere poſſent, non alium diem elegit, quàm viceſimum nonum menſis Junii eorum Natali dicatum, ut diſcimus ex laudato Indiculo: *III Kalend. Julii Petri in Catacumbas & Pauli Oſtienſe, Tuſco & Baſſo Coſſ.* Quæ verba Bucherius non intelligens, in margine ait, Conſules fuiſſe luxatos, perſuaſus agi ibi de SS. Apoſtolorum martyrio; cùm tamen ſermo ſit de Tranſlatione die eorum natali facta. *Pearſon* in Annalibus Cyprianicis ad annum CCLVIII, quo Tuſcus & Baſſus Conſules fuere, exiſtimat, alia die Petri & Pauli martyrium accidiſſe, alia eorum Tranſlationem, hancque ſecutam poſtea eſſe ſolennitatem & feſtum, & ante Pſeudo-Iſidori ætatem, & Geſta Pontificalia edita, Natalibus SS. Petri & Pauli alium diem aſſignatum, idque ex Sylvii Laterculo conſtare. Sed fallitur Vir eruditiſſimus: Sixto enim ſedente, Petri & Pauli reliquiæ, quæ antea in Vaticano & Oſtienſi aſſervabantur, ut teſtatur Caius, qui circa annum CC floruit, ad Catacumbas tranſlatæ ſunt die XXIX Junii, quo eorum ſolennitas celebrari ſolita erat. Quare dies natalis SS. Petri & Pauli in dubium perperam revocatus. Malè etiam Queſnellus in Notula ad Sermonem S. Leonis in Cathedra S. Petri Apoſtoli, ait, Laterculum Sylvii vel ſuppoſitionis argui, vel ſaltem depravationis, eo loci, ubi pro feſto Cathedræ VIII Kalend. Martii, Depoſitionem utriuſque Apoſtoli notatam habet. Ibi enim Depo-

ſitio idem denotat ac Tranſlatio, ut dixi. Denique falluntur, qui dicunt, quam tuemur opinionem, antiquam non eſſe, cùm nullum extet monumentum antiquius Indiculo Depoſitionis Martyrum à Bucherio publicato, in quo Cathedra S. Petri memoratur VIII Kal. Mart.

V.
Aliqua regula ad Chronologiã Pontificiam reſtituendã.
Baron. num. XXXV & ſeqq.

Ad num. XIV. Quia Annalium Eccleſiaſticorum præſtantiſſima pars Chronologia Pontificia, in eaque ordinanda ſæpe Baronius offendit, maxima à me diligentia habita, ut ea, quantùm fieri poſſet, in integrum reſtitueretur. Fateor tamen mihi non ſemel aquam hæſiſſe, & variorum Pontificum initium & finem, etiam poſt longum moleſtumque ſtudium, detegere potis non fuiſſe. Ut autem res magis ex animi ſententia procederet, ad eaque vitanda incommoda, in quæ Baronium, Viroſque doctiſſimos incurriſſe deprehendi, certas quaſdam regulas ſtatuendas duxi, quarum beneficio hanc Chronologiæ partem non parum me promoviſſe arbitror. Jacienda quippe fuere aliqua fundamenta, quorum ſoliditate ſtructura firma conſiſtere poſſet, cùm, ut ait Lucretius lib. 4.

Denique ut in fabrica, ſi prava eſt regula prima,
Omnia mendosè fieri, atque obſtipa, neceſſum eſt.

VI.
Prima regula.

Prima regula Baronio in Notis ad Martyrologium Romanum die XVI Aprilis, quo SS. Cletus & Marcellinus coluntur, obſervata, circa Romanos Pontifices Latinis potiùs quàm Græcis inhærendum, illiſque, utpote Romanæ Eccleſiæ alumnis, major fides adhibenda. Quam regulam etiam Henſchenius in Apparatu ad Chronologiam Pontificiam ſequendam edicit, quòd Euſebius in iis, quæ ſunt Romanæ Eccleſiæ, non raro à veritatis tramite recedat. Certè poſtquam lib. 7. cap. 32. aſſeruit, *Caium & Marcellinum ſua ætate* vixiſſe, Caii deceſſori Eutychiano, qui ſedit annos octo, vix decem menſes concedit. Denique SS. Marcellinum & Marcellum hujus ſucceſſorem in unum eumdemque hominem conflat, aut certè ob nominum ſimilitudinem, Marcello omiſſo, ſucceſſores S. Marcellini in Chronico ſtatuit SS. Euſebium, Melchiadem & Silveſtrum, ſub quo ſuum Chronicon terminat. Euſebii itaque auctoritas in rerum Occidentalium narratione, quando in ea cum Latinis non convenit, parvipendenda.

VII.
Secunda regula.

Secunda regula. In trium priorum ſeculorum & initii quarti Chronologia digerenda, Libro Pontificali, ceteriſque de Pontificibus Romanis Scriptis præferendus *Damaſi Liber de Romanis Pontificibus*, ut paſſim à ſuperioris ætatis Auctoribus allegatur. Illum primus Bucherius in Opere de Doctrina Temporum à Bollando acceptum, ut teſtatur Henſchenius loco laudato, publicavit. Eo uſus eſt Onuphrius in Faſtis ordinandis, maximaque ex parte Cuſpinianus in ſuis Faſtis ante Onuphrium exſcripſerat. Sed is Damaſi Liber à Baronio contemtus, quòd in Hygino, Pio & Aniceto corruptus ſit, & aliunde ejus Chronologiæ ſæpe repugnaret. Primus fuit Henſchenius, qui ſumma ejus antiquitate & Auctoris anonymi ſcribendi methodo, quâ tempora ſingulorum Pontificum per Conſules deſignantur, attentis, Chronologiam Pontificiam uſque ad initium Liberii, in quo Liber Damaſi deſinit, ordinandam docuit. Sed malè aliqua in eo Libro immutavit, cùm in MSS. Numiſmatis & Inſcriptionibus deſcribendis ipſa etiam opificum aut Librariorum errata repræſentari debeant; neque quidquam in iis immutare liceat, ut Lectores verum ſenſum eliciere poſſint. Meliùs Bucherius Librum illum juxta exemplar à Bollando communicatum de verbo ad verbum tranſcripſit. Cuſpinianus etiam plura ex illo refert, nihil detracto, nihilque eidem addito. Henſchenius tamen, quæ in illum Librum inſeruit, deſumſit ex alio Catalogo veterum Pontificum ad Felicem IV & tempora Juſtiniani Imperatoris deductum, qui in Bibliotheca Reginæ Sueciæ repertus eſt. Hujus Catalogi Auctor anonymus Librum Damaſi vidit, ex eoque duo Conſulum paria, quæ cum ſingulis Pontificibus junguntur, mutuatus eſt, fuſiùs quemlibet Pontificatum deſcribens, & diem, quo quilibet Pontifex ſepultus, de more annotans. Baronius & Onuphrius Librum Damaſi legerunt, unumque exemplar MSS. extabat aliàs in Bibliotheca S. Victoris Pariſienſi; cùm in Catalogo librorum MSS. hodie legatur, *Chronica Damaſi*: ſed, ut retulerunt mihi Canonici Regulares ejuſdem Monaſterii, exemplar illud, ſicut & quædam alia, jam diu deperdita. Suſpicor autem omnia Libri Damaſi exemplaria ab uno eodemque proceſſiſſe; quòd videam illud, quo Cuſpinianus uſus, eoſdem nævos continere, qui in exemplari Bollandiano habentur. Certè Harduinus V. C. è Societate Jeſu, qui Bibliothecæ Collegii Ludovici Magni Pariſiis præeſt, dixit mihi extare inter ejuſdem MSS. exemplar Libri Damaſi à Sirmondo deſcriptum, ſed à Bollandiano in nullo diverſum.

VIII.
Catalogi Pontificum aliquo nomine inſigniendi.

Porro quia Papebrocius in Opere cui titulum fecit, *Conatus Chronico-Hiſtoricus ad Catalogum Romanorum Pontificum*, quatuor alios Pontificum Catalogos exhibet, quorum prior deſumtus eſt ex Bibliotheca Palatino-Vaticana, alius verò inſcribitur, *Nomina Apoſtolicorum*, qui cum duobus Corbeienſibus confertur: ne in tot variis Catalogis citandis aliqua confuſio oriatur, Librum Damaſi, *Chronicon Damaſi*; Catalogum verò in Bibliotheca Reginæ Sueciæ repertum, *Chronicon auctius veterum Pontificum* appello; cùm Faſti in quibus ſola Conſulum nomina leguntur, *Chronici* nomine inſigniri ſoleant, & manuſcriptis Operibus Auctorum anonymorum aliquis ſemper titulus attribuendus ſit. Non opus hîc monere, egregium illud Chronicon falsò Damaſo adſcriptum fuiſſe; cùm id jam Baronio obſervatum fuerit, qui tamen perperam ſuſpicabatur, ex diverſis Auctoribus ab Anaſtaſio collectum fuiſſe: cùm contrà ex Damaſi Chronico, omnium, qui de Pontificibus Romanis egerunt, antiquiſſimo, Conſules, aliaque Anaſtaſius ſeu Libri Pontificalis Auctor deſcripſerit; cùmque in Anaſtaſio Libroque Pontificali iidem nævi, qui in Chronico Damaſi, reperiantur, ſanioris exemplaris Chronici Damaſi inveniendi minor ſpes affulget. Baron. num. XXXVI.

IX.
Tertia regula.

Tertia regula. In Chronici Damaſi priori parte, in qua nullus Conſulatus bis repetitur, obitus Pontificum ſemper cum ultimo pari

Conſulum

Conſulum illigatur, uti & plerumque ſucceſſoris initium. In eo v. g. dicitur, Alexandrum fuiſſe à *Conſulatu Palmæ & Tulli* anno centeſimo nono geſto, *uſque Æliano & Vetere*, qui anno centeſimo decimo ſexto nomen dederunt. Quare pro certo tenendum, illius Chronici Auctorem Alexandri Papæ martyrium cum anno c x v i Æliani & Veteris Conſulatu inſignito copulare, & Sixtum ei ſucceſſiſſe eodem anno, iiſdemque Conſulibus, licèt aliquando contigerit, Interpontificium ad ſequentem Conſulatum prorogatum fuiſſe. Quæ regula ut intelligatur, obſervandum, Henſchenium & Papebrocium ejus in Sanctorum Actis illuſtrandis collegam, quique non ſolùm Chronicon Damaſi uſque ad noſtra tempora perduxit, ſed etiam plura, quæ Henſchenius indefinita reliquerat, accuratiùs determinavit, in ea utrumque fuiſſe ſententia, in priori parte Chronici Damaſi, (quæ in Urbano deſinit, quæque ſcripta fuit ab Auctore anonymo, ab altero, qui ſecundam partem elucubravit, diverſo) ultimum Conſulatum ei Pontifici attribui, qui majorem partem ſub illo vixit; adeo ut v. g. Alexander Æliano & Vetere Conſulibus paſſus non fuerit, licèt id diſertè in eo Chronico dicatur; quia, inquiunt Henſchenius & Papebrocius, Auctor illius Chronici totum Æliani & Veteris Conſulatum Alexandro aſſignat, cùm eo durante ſemper in vivis fuit, neque martyrium fecit, niſi die tertio Maii anni c xvii, quo Niger & Apronianus Conſules fuere; qui tamen Conſulatus ei non attribuitur, quia tantùm quatuor priores illius anni menſes ſedit. Rem magis explicat Papebrocius pag. 27. Conatus Chronico-Hiſtorici ad Catalogum Pontificum, ubi ait: *Pontificum annos ex eo* (ſcilicet Damaſi Chronico) *ſic digeſſimus, ut ſi prior in ſuo ultimo anno tranſcendiſſet menſem Junium, intelligeremus ſucceſſori ejus ſolum adſcribi primos Conſules, proximo anno Magiſtratum ingreſſos: ſin autem infra Julium eſſet mortuus, tunc anni præcedentis Conſules claudere cenſeremus Pontificatum iſtum, ut ſequentis initium notari poſſet Conſulum illorum nominibus, ſub quorum Magiſtratu major anni primi pars erat decurſa.* Cui explicationi hanc tertiam regulam opponimus, & tanquam certum indubitatumque ſtatuimus, Pontifices in priori parte Chronici Damaſi memoratos ſub illis Conſulibus demortuos intelligendos, ad quos in eo perveniſſe dicuntur, ſive parum, ſive multum ſub illis vixerint.

X.
Qua numerandi ratione utitur Auctor Chronici Damaſi.

Primò, quia nullus Auctor hujuſmodi numerandi ratione uſus reperitur. Secundò, ex ipſomet Chronico illa explicatio evertitur: in eo enim dicitur, Petrum fuiſſe *uſque Nervæ & Veſtini* Conſulatum anno Chriſti ſexageſimo quinto initum, & paſſum eſſe *die tertia Kalendas Julias*. Cùm itaque majorem illius Conſulatûs partem non vixerit, neque ad menſem Julium pervenerit, ſecundùm eam explicationem martyrium ejus contigiſſet ſub præcedentis anni Conſulibus, ſcilicet Lecanio Baſſo & Licinio Craſſo. Et tamen tam Henſchenius, quàm Papebrocius, Divi Petri martyrium cum Nervæ & Veſtini Conſulatu, annoque Chriſti ſexageſimo quinto conjungunt; quod cum explicatione ab utroque data manifeſtè pugnant. Sic etiam in eo Chronico Chriſtus in æternum Pontifex paſſus dicitur *duobus Geminis Conſulibus VIII Kalendas Aprilis*, anno nempe Eræ Chriſtianæ viceſimo nono. Quòd ſi regula ab Henſchenio excogitata vera eſſet, ſequeretur, illius Chronici auctorem Dominicam Paſſionem cum anno Eræ vulgaris x x v i i i illigaſſe; ſed eandem ſub illius anni Conſulibus non recitaſſe, quia Chriſtus totum annum viceſimum octavum vitam duxit, & inſequentis partem tantùm delibavit. Quod cum Auctorem ſenſiſſe nullus ſibi perſuaſerit. Tertiò, Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico laudato pag. 69. refert periocham Geſtorum MSS. Romanorum Pontificum uſque ad Martinum V, in qua Auctor anonymus illorum geſtorum ſtylum primæ partis Chronici Damaſi imitatus, non repetens ſcilicet nomina Conſulum, Pontificatum Hormiſdæ, Joannis & Felicis IV, cum Conſulibus copulat, uſque ad quos Pontifices illi dicuntur perveniſſe, atque præfatum Joannem Papam fuiſſe *uſque ad Conſulatum Olybrii* anno D X X V I geſtum. Cùm itaque certò conſtet, Joannem die viceſima octava Maii ejuſdem anni D X X V I ſupremum diem obiiſſe, mors ejus cum Conſulatu anno D X X V geſto ab Auctore Geſtorum illorum M S S. conjungi debuiſſet, ſecundùm Henſchenii & Papebrocii regulam. Et tamen Papebrocius, qui expreſsè obſervavit, hunc Auctorem non aliam numerandi rationem uſurpare, quam qui priorem Chronici Damaſi partem exaravit, Joannis Papæ mortem anno D X X V I Olybrii Conſulatu notato collocat. Quare ipſemet regulam, quam adſtruxit, veram non eſſe inſinuat. Præterea Henſchenius S. Felicis IV Joannis ſucceſſoris initium cum die duodecima menſis Julii anni D X X V I Olybrii Conſulatu inſigniti jungit; cùm tamen hic Conſulatus juxta Henſchenii Papebrociique regulam neutri Pontifici attribuendus eſſet, cùm neuter majorem illius anni ac Conſulatûs partem ſederit. Ex quibus tandem omnibus manifeſtiſſimum fit, veram eſſe quam ſtatuimus regulam Henſchenianæ contrariam, Auctores nempe tam prioris partis Chronici Damaſi, quàm Geſtorum MSS. Romanorum Pontificum, hos demortuos docere ſub Conſulibus, uſque ad quos perveniſſe dicuntur. Illud tantùm uterque Auctor anonymus peculiare habet, quòd ſucceſſorum initium non à Conſulatu, à quo deceſſores obiere, aut ipſimet eos excepere, ſed ab inſequentis anni Conſulibus repetant: qua in re ſecuti ſunt Hieronymum, Theophanem, Cedrenum, & quoſdam alios, qui annum, quo aliquis Imperator mortuus eſt, eidem totum attribuunt, & primum ſucceſſoris annum à Kalendis Septembribus cum anno populari exordiuntur; neque unquam eundem annum inter Imperatorem demortuum, ejuſque ſucceſſorem partiuntur; quæ eſt ipſiſſima ſupputandi forma, quam Auctor Chronici Damaſi, & Scriptor Geſtorum MSS. Pontificum Romanorum adhibuerunt.

XI.
Acta S. Alexandri PP. mendoſa.

Decepere Viros doctiſſimos Acta Sancti Alexandri Papæ, quæ dicunt habere poſt Alexandri mortem, *nutu Dei, eodem anno defunctum eſſe Trajanum*, quod certum eſt contigiſſe in Cilicia die decima Auguſti, *Nigro*

& Aproniano Coſſ. anno ſcilicet Chriſti c xvii. Ex quo inferunt, ideo Nigri & Aproniani Conſulatum in Chronico Damaſi Alexandro non attribui, ſed Sixto ejus ſucceſſori, quia Alexander iis Conſulibus uſque ad diem tertium Maii dumtaxat vixit; Æliani verò & Veteris Conſulatum, qui in annum c x v i i incidit, Alexandro in eo Chronico aſſignari, quia eos toto anno habuit. Hæc illi, qui ad illam numerandi rationem probandam non Chronico Damaſi, in quo ea dicitur uſurpari, ſed Actis S. Alexandri, iiſque ſolis utuntur. At jam Baronius obſervavit, S. Alexandri Acta *ſua antiquitate mendoſa* eſſe; quod licèt nullo argumento oſtendat, facile eſt demonſtrare. Hæc Actorum verba: *Totius populi verum affectum ei* (nempe S. Alexandro) *gratia Divina contulerat, ut & Senatorum maximam partem converteret ad Dominum....... Unde cum hæc opera ejus ad Trajanum Principem perveniſſent, miſit Aurelianum Comitem utriuſque militiæ, de Seleucia Iſauriæ, ad interfectionem omnium Chriſtianorum: unde nutu Dei eodem anno defunctus eſt Trajanus. Et ingreſſo Urbem Aureliano, Senatus ita famulatus ei eſt, ut ipſum Principem crederent eſſe Trajanum. Statim ergo ut ingreſſus eſt Romam, &c.* Quæ profectò verba indicant, Acta illa non eſſe primogenia, ſed aliquot ſeculis poſt Alexandri paſſionem, quod de multis aliis contigiſſe conſtat, ſcripta. Nam quomodo Trajanus Aurelianum de Seleucia Iſauriæ anno Chriſti centeſimo decimo ſexto, aut decimi ſeptimi initio, Romam mittere potuit, qui tunc in ea urbe non erat, ut ex iis, quæ de Trajani Imperio loquentes diximus, evidenter apparet. Hanc Legationem Aureliani eo tempore factam, quo Trajanus Seleuciæ Iſauriæ erat, S. Alexandri Acta infirmare ſuſpicatus eſt ipſemet Henſchenius, dum in primo tomo Sanctorum menſis Maii eadem illuſtraret, quod ex punctuatione ab illo mutata colligo. Nam cùm in menſe Aprili rectè ſcripſiſſet: *Miſit Aurelianum Comitem utriuſque militiæ, de Seleucia Iſauriæ;* poſt aliquot annos Acta integra S. Alexandri in menſe Maio edens, virgulam ſuo loco movit, nulla hujus mutationis reddita ratione, ſcripſitque: *Miſit Aurelianum Comitem de Seleucia Iſauriæ;* Seleuciam non ad Trajani in eam urbem adventum, ſed ad Aureliani, qui Comes utriuſque militiæ in Iſauria erat, referens. Sed perperam: nam utriuſque militiæ Comitatus, qui ſummus honoris & dignitatis titulus erat, non cum urbis, ſed cum regionis nomine ab Antiquis memoratur. Sic in Notitia Imperii recenſentur *duo viri ſpectabiles, Comites rei militaris per Ægyptum & Iſauriam.* Martyrologi, aliique Veteres, qui de S. Alexandri martyrio locuti ſunt, ſcribunt ipſum paſſum ſub Aureliano Comite utriuſque militiæ, vel ſub Aureliano Præfecto, vel ſub Aureliano Principe; ſed ex his nullus Seleuciæ mentionem facit. Quòd ſi Auctor Actorum S. Alexandri Seleuciam ad Aurelianum retuliſſet, ſine dubio ſcripſiſſet, Trajanum miſiſſe Aurelianum *Comitem utriuſque militiæ in Seleucia Iſauriæ.* Trajanus itaque Aurelianum ex urbe Seleucienſi Romam mittere non potuit, quod tamen in laudatis Actis dicitur; cùm in ea urbe circa tempus, quo Alexander paſſus, Trajanus non fuerit. Quòd ſi ea delegatio facta eo tempore, quo Trajanus Seleuciæ erat, ea circa finem anni centeſimi decimi quarti, vel ſub initio decimi quinti contigit. Secundò; Trajano imperante *Senatorum maximam partem* Chriſto nomen dediſſe, prorſus fabuloſum, nullumque rei tam memorabilis in aliquo probato monumento veſtigium. Falſum prætereà, Trajanum ſub finem vitæ de omnibus Chriſtianis occidendis cogitaſſe; cùm jam ab anno centeſimo undecimo Plinio Juniori, qui Bithyniam regebat, eum ſcripſiſſe conſtet: *Conquirendi non ſunt* (nempe Chriſtiani;) *ſi deferantur & arguantur, puniendi ſunt, &c.* Denique hæc verba, in quibus Henſchenius vim facit, *unde nutu Dei eodem anno defunctus eſt Trajanus*, inſititia ſunt, ut ex antecedentibus & ſubſequentibus liquet, licèt in omnibus exemplaribus inveniantur.

XII. *Si Acta legitima, malè explicata.*

Quòd ſi quis contendat, Acta illa in omnibus legitima, reſpondebo, magnam Chriſtianorum ſtragem factam anno Chriſti centeſimo decimo ſexto, quo S. Alexander martyrium fecit, quóve Trajanus Vicennalia celebravit. Quæ cùm toto anno continuata fuerit, ut in Decennalibus & id genus feſtis fieri ſolitum erat, ad eam carnificinam Scriptor Actorum S. Alexandri animum attendens ait: *Miſit Aurelianum ad interfectionem omnium Chriſtianorum: unde nutu Dei eodem anno defunctus eſt Trajanus;* non eodem quidem anno Juliano, quo Alexander paſſus, ut perperam Henſchenius interpretatur, ſed eodem anno, ſeu intra annum, quo tot Chriſtiani occiſi: & ea verba eo modo explicanda ex eo liquet, quòd ea Auctor ille ſcribat ante narratam tam Alexandri, quàm ſociorum paſſionem. Si enim Trajani mortem ad ſolam S. Alexandri necem referret, nonniſi eà recitatà diceret, *nutu Dei eodem anno* defunctum eſſe Trajanum; cùm contrà Trajani obitum cum deſtinatione omnium Chriſtianorum ad mortem copulet, etſi in animo haberet eam, quæ poſtea facta eſt, carnificinam. Exiſtimandum itaque Trajanum, dum anno centeſimo decimo quarto aut circiter, Seleuciam Iſauriæ obiret, Aureliano Comiti, qui Chriſtianos graviter torquere ſolebat, ut in Actis SS. Nerei & Achillei legitur, Romam adverſus Chriſtianos proficiſci mandaſſe; & Scriptorem Actorum S. Alexandri conſilium Trajani nimis exaggerantem dixiſſe, illud ad omnium Chriſtianorum occiſionem ſpectaſſe, ac prætereà propter aliquorum Senatorum ad Fidem Chriſtianam converſionem, aſſeruiſſe maximam Senatûs partem eandem Fidem amplexam eſſe; ac denique pro certo tenendum, caſu, quo Acta in omnibus ſint genuina, quod non exiſtimo, eum ſignificare voluiſſe, Trajanum eodem anno, quo Chriſtianos Romæ perſequebatur, in Cilicia obiiſſe, & perſecutionem diu poſt martyrium S. Alexandri, quod menſes quindecim antè Trajani obitum accidit, propagatam fuiſſe. Perperam itaque Henſchenius & Papebrocius ad Acta S. Alexandri confugerunt, ut oſtenderent Auctorem Chronici Damaſi ultimum par Conſulum ei Pontifici attribuere, qui iis Magiſtratum gerentibus majorem anni partem vixiſſet.

XIII. *Quarta regula.*

Quarta regula. Tempus cujuſcumque Pontificatus non ab electionis, ſed ab ordinationis Epiſcopalis die numerandus; quod tam multis exemplis conſtat, inquit Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum pag. 4. ut nihil certius haberi poſſit. Tantum enim aberat, ut ante characterem Epiſcopalem cum ordinatione ſuſceptum, primis duodecim cum dimidio ſeculis Pontificem faceret ſola electio, & in Patriarchium Lateranenſe ipſo electionis die facta introductio, (quod cùm crederet Baronius, verorum Pontificum numerum Stephano uno poſt Zachariam electo, ſed numquam conſecrato, ideoque ab aliis omnibus prætermiſſo, auxit) ut nequidem primum in Clero Romano locum is teneret, ſi erat ex gradu inferiori aſſumtus. Patet hoc ex Epiſtola, quam poſt Severini Papæ mortem & Joannis IV electionem, anno DCXL, *Epiſcopis, Preſbyteris, Doctoribus, ſeu Abbatibus Scotiæ ſcripſerunt Hilarius Archipreſbyter & ſervans locum Apoſtolicæ Sedis, Joannes Diaconus, & in Dei nomine electus, item Joannes Primicerius & ſervans locum Apoſtolicæ Sedis, & Joannes ſervus Dei Conſiliarius ejuſdem Apoſtolicæ Sedis*, velut penes quos, Sede vacante, ejus Vicarium reſideret, ſecundùm gradus ſui ordinem. Tempus ergo ceſſantis Epiſcopatus, (ut Catalogi loquuntur) ſive (ut nunc loquimur) vacantis Sedis, à morte unius ad ordinationem alterius ſupputabit quiſquis ex uſu illorum temporum, quibus ſcripti Catalogi ſunt, loqui volet, eoſque rectè intelligere. Quorum nihil ſibi obſervandum ſciens Baronius, quid mirum, ſi ferè ſemper malè exorſus eſt, & ſi inter ſcriptos diverſimodè numeros definiendis Pontificatuum atque Interpontificiorum ſpatiis, nequiverit diſcernere, quinam eſſent recipiendi, ut veroſimiliores, quinam rejiciendi, ut alterati Librariorum ſocordiâ, quæ illi notiſſima fuit, unde nec ſolet numeris multum fidere, quotieſcumque affulget ſpes aliqua certioris criterii? Hæc eruditè Papebrocius.

XIV. *Quinta regula.*

Quinta regula. Ante conſtitutam à Conſtantino Magno Eccleſiæ pacem, Pontificum Romanorum Ordinationes quocumque die indiſcriminatim peractæ. Hanc regulam tertio Eccleſiæ ſeculo tot exemplis comprobabimus, ut ea in dubium revocari minimè poſſit. In Martyrologio Hieronymiano ad diem XXVIII Decembris legitur: *Romæ Felicis & Bonifacii Epiſcopi de Ordinatione*; quæ ultima verba à Librario corrupta & poſita loco iſtorum, *Epiſc. dies Ordinationis*, id eſt, *Epiſcoporum*. Nam in Martyrologiis aliquando legitur: *Ordinatio* N. *Epiſcopi*, vel *Epiſcopatus* N. vel *Natale Epiſcopatus* N. vel *Natale Cathedræ*; id eſt, S. Petri Antiochiæ. Quare S. Felix hujus nominis primus anno centeſimo ſexageſimo nono die viceſima octava menſis Decembris, quæ in feriam tertiam incidebat, ordinatus eſt. Mitto alia exempla ſuis locis in medium adducenda. Poſt itaque tria priora Eccleſiæ ſecula in morem inductum, ut Ordinationes tam Romanorum Pontificum, quàm ceterorum Epiſcoporum, diebus Dominicis, vel feſtis ſolennioribus peragerentur. Pari eodemque modo Tranſlationes reliquiarum, Eccleſiarum Dedicationes, Cæſarum nuncupationes, aliaque id genus poſt quartum Eccleſiæ ſeculum diebus Dominicis aut feſtis ſolennioribus fieri ſolitæ; ſed quarto Eccleſiæ ſeculo mos ille nondum introductus, ut ſuis locis apparebit. Papebrocius tamen loco laudato perſuaſus, Dominicæ diei ad iſtum actum obſervantiam ab Apoſtolica traditione fluxiſſe, regulam contrariam ſtatuit, Pontificales nempe Ordinationes diebus Dominicis, coram collecta *quantâ potuit Fidelium plebe, ipſis etiam in perſecutionibus*, celebratas eſſe, in cujus rei confirmationem alia exempla non affert quàm Ordinationum quinto Eccleſiæ ſeculo factarum, quæ ideo ad eam ſententiam ſtabiliendam nihil conferunt. Immo ipſemet Vir doctiſſimus ſuam regulam obſervatam non fuiſſe indicat, cùm pag. 41. ſcribit, S. Marcellinum anno CCXCVI ordinatum fuiſſe *die XXX Junii, feriâ tertiâ, propter perſecutionem*: quod de variis aliis Pontificibus, annis, quibus ſævit perſecutio, ordinatis dicere debuit, non verò contendere, eas ordinationes in diem Dominicam incidiſſe; cùm eas diebus Dominicis illigare non potuerit, niſi dies, quos ſupra annos & menſes ſedêre, vel augendo vel minuendo.

XV. *Ordinationes quando diebus Dominicis factæ.*

Nec eſt quòd quis dicat, S. *Leonem* in Epiſtola quarta ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum, in Epiſtola LXXXIV, & in Epiſtola XI ad Dioſcorum, clarè ſignificare, Ordinationes factas aliis diebus, quàm Dominicis, eſſe contra canones & traditionem Patrum. Nullibi enim S. *Leo* canones hanc in rem factos commemorat; nec revera ullos habemus ante ejus tempora, quibus ejuſmodi Ordinationes qualibet die celebrari prohibeantur. Per canones igitur, inquit Queſnellus in Notis ad eas Epiſtolas, nihil aliud *Leo* intelligit, quàm regulam Eccleſiaſticam ſolo uſu & traditione Eccleſiaſtica firmatam, quomodo ſæpe ſæpius uſurpare videtur. Sic intelligendus etiam *Leo* in Epiſtola II ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum in Inquiſitione 2. ubi ait: *Alienum eſt à conſuetudine Eccleſiaſtica, ut qui Preſbyterali honore aut in Diaconi gradu fuerint conſecrati, ii pro crimine aliquo ſuo per manûs impoſitionem remedium accipiant pœnitendi, quod ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit.* Quibus ex verbis eruitur, inquit Queſnellus Vir eruditiſſimus, in notis ordinis Clericos, inter quos Subdiaconi numerabantur, non ſemper agendæ pœnitentiæ lege exemptos fuiſſe. Sed quod hanc diſciplinam à conſuetudine Eccleſiaſtica, imò ex Apoſtolica traditione arceſſit *Leo*, illud benignè intelligendum: nec enim de hac traditione uſpiam apparet, cùm potiùs tribus ferè primis ſeculis Clericos etiam majores pœnitentiæ publicæ fuiſſe ſubjectos multis probet Morinus in Commentario de *Pœnitentia*. Familiare itaque eſt Leoni, ut cùm de Apoſtolica traditione ſermonem habet, de ea loquatur, quam ab Apoſtolo Petro Eccleſiæ Romanæ relictam putabat. Ea verò ex B. Petri traditione deſcendere exiſtimavit, quæ & olim obſervata, & decretis ſancita inveniebat eorum Eccleſiæ ſuæ Pontificum, quorum monumenta ſupererant illa ætate. Conſtat autem tum ex Dio-

nyſii Collectione, qui præteritorum Sedis Apoſtolicæ Præſulum conſtituta, quantâ valuit curâ diligentiaque collegit, & quotquot à ſe reperta ſunt, digeſſit; tum etiam aliis argumentis probabile, nullius Pontificis Romani Siricii ætate ſuperioris decreta in Eccleſiæ Romanæ ſcriniis reperta fuiſſe tempore *Leonis* Pontificatum ſubſequente, ut credibile ſit, iſtam traditionem à *Siricio* Leonem hauſiſſe, qui putavit *Siricium* decretum ſuum condidiſſe ſecundùm prædeceſſorum ſuorum conſtituta ac diſciplinam. Sed cùm aliter uſitatum eſſe aliquando in Eccleſia Romana deprehendamus, indulgentiùs explicandus eſt *Leo*, qui, cùm *ſine dubio ex traditione Apoſtolica deſcendere* hunc uſum aſſerere contentus ſit, nulla aliâ niti ſe probatione prodit, quàm ea conſuetudine, quam ſua in Eccleſia à *Siricii* ætate ad ſua uſque tempora viguiſſe noverat. Ita Queſnellus. Quod ad ſacras Ordinationes extendendum, quamvis extra dubitationem eſſe videatur, hanc cæremoniam ipſo die Dominico inter ſacras ſynaxes celebratam fuiſſe ab Apoſtolis, & Apoſtolicorum temporibus; quod etiam poſt redditam Eccleſiæ à Conſtantino Magno pacem reſumtum fuit.

XVI. *Sexta regula.* Sexta regula. Poſt Maxentium à Conſtantino Magno debellatum & pacem Eccleſiæ datam, Romanorum Pontificum Ordinationes diebus Dominicis vel feſtis ſolennioribus peractæ: incertum verò, an aliorum Epiſcoporum Ordinationes, ante quintum Eccleſiæ ſeculum, iiſdem etiam diebus factæ fuerint. Priorem hujus regulæ partem innumera exempla probant: ſed quod alios Epiſcopos ſpectat, quarto Eccleſiæ ſeculo alii Dominicis, alii ferialibus diebus ordinati. S. Martinus Epiſcopus Turonenſis die duodecima menſis Junii anni trecenteſimi ſeptuageſimi primi, quæ cum Dominica concurrebat, conſecratus, ut infrà oſtendo. Divus Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus die XXVII Decembris Sancto Joanni Evangeliſtæ ſacra ordinatus, ut ſuo loco dicetur. Contrà S. Baſilius Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus anno trecenteſimo ſeptuageſimo primo die XIV Junii ordinatus, ut in quibuſdam Martyrologiis legitur, eo tamen anno dies XIV Junii cum feria tertia concurrebat. Sed incertum, an de Divi Baſilii Ordinatione idem contigerit ac de Martini Ordinatione, quæ in Martyrologiis alio die, quàm peracta fuit, legitur. In Chronico Alexandrino ſub Conſulibus anni Chriſti CCCLX habetur: *Macedonius Epiſcopus Cpolitanus propter multa ipſius propria crimina exauctoratus eſt, & in locum ejus ſubrogatus Eudoxius menſe Audynæo, ſeu Januarii XXVII.* Facta itaque ea Ordinatio feriâ quintâ, quæ eo anno in diem XXVII Januarii incidebat. Et tamen Divi Ambroſii Epiſcopi Mediolanenſis Ordinatio die XIII Decembris, qui anno CCCLXXIV Dominicalis erat, celebrata. Georgius Alexandrinus in Vita S. Chryſoſtomi de ejus ordinatione loquens ait: *Epiſcopus ordinatus eſt, & in Sede conſtitutus die viceſima menſis Februarii*, anni nempe Chriſti trecenteſimi nonageſimi octavi, quo anno dies XX Februarii cum Sabbato concurrit. Socrates lib. 6. cap. 2. alium diem exhibet, aitque: *Ordinatus Joannes in Epiſcopali Sede conſtituitur IV. Kalendas Martii*, die nempe XXVI Februarii, quæ in feriam ſextam eo anno cadebat. Incertum tamen an eadem die Chryſoſtomus & ordinatus & ſimul in Sede conſtitutus fuerit, an verò hæc ad diverſos dies pertineant. Sed quidquid ſit de Ordinationibus quatuor priorum Eccleſiæ ſeculorum, certum eſt morem poſtea obtinuiſſe, ut eæ nonniſi diebus Dominicis & diebus ſolennioribus fierent.

Septima regula. Per tria priora Eccleſiæ ſecula, ſi Linum, & fortè Cletum & Clementem excipias, Romanorum Pontificum nulli Vicarii inſtituti ſunt, quidquid in contrarium ſcripſerint Henſchenius in Apparatu ad Chronologiam Pontificiam, & Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Romanorum Pontificum pag. 14. Et ratio eſt, quia Chronicon Damaſi, in quo uterque fundatur, Lini tantùm mentionem facit, & ubi de Pio ſermonem habet, vel corruptum eſt, vel ſaltem illius Chronici Auctor Hygini, Aniceti & Pii ſucceſſionem & eorum Sedis durationem ignoravit, ut ſuo loco monſtrabitur. Præterea ideo tot Vicarii Pontificum ab Henſchenio & Papebrocio obtruſi, vel quia exiſtimarunt, Pontificum mortem iis Conſulibus non contigiſſe, quibus Chronici Damaſi Auctor eam illigavit, vel quia diem, quo priores Pontifices coluntur, pro eorum emortuali habuere, vel denique quia non animadverterunt errorem plerumque irrepſiſſe in annos, menſes & dies, qui eo in Chronico cuilibet Pontifici aſſignantur, ut de ſingulis ſuis locis oſtendemus. Certè ſi per tria priora Eccleſiæ ſecula aliqui præter Linum Vicarii fuiſſent, Auctor illius Chronici, qui Conſules, quibus Magiſtratum gerentibus Linus renuntiatus eſt Vicarius, diſertè memoravit, Conſules etiam ſub quibus alii inſtituti fuiſſent, exprimere non prætermiſiſſet; & parte alia aliquis ex Scriptoribus tam priorum, quàm poſteriorum ſeculorum, hujuſmodi Vicariorum meminiſſet, imprimis Auctor auctioris Chronici veterum Pontificum, & Anaſtaſius Bibliothecarius, qui de Pontificibus ex profeſſo tractarunt. Ad hæc *Pearſonius* in Annalibus Cyprianicis ad annum CCLIII, oſtendit ex Cypriano in epiſtola ad Stephanum de Marciano Arelatenſi, Vicarios Pontificum ac ſucceſſores pro uno & eodem uſurpatos fuiſſe: *Servandus eſt enim*, inquit Cyprianus, *anteceſſorum noſtrorum beatorum Martyrum Cornelii & Lucii honor glorioſus, quorum memoriam cùm nos honoremus, multò magis, tu frater chariſſime, honorificare & ſervare gravitate & auctoritate tua debes, qui Vicarius & ſucceſſor eorum factus es.* Sic enim Latini eam vocem uſurpabant, ut obſervat Suidas: *Βικάριος, παρὰ Ῥωμαίοις διάδοχος*, id eſt, *Vicarius apud Romanos ſucceſſor.* Sic denique Cyprianus ipſe epiſtolâ ad Florentium Pupianum: *Qui dicit ad Apoſtolos, ac per hoc ad omnes Præpoſitos, qui Apoſtolis Vicaria ordinatione ſuccedunt*: qui eam alibi *ordinationem ſuccidaneam* vocat. Ita doctè Pearſonius. Eos itaque Vicarios ab Henſchenio invectos, omni Antiquitati incognitos, & falſis fundamentis innixos, ſuppoſititios eſſe mihi certa ſtat ſententia. XVII. *Septima regula.*

Octava regula. Dies, quibus ſancti Pon-

XVIII. *Octava regula.*

tifices coluntur, aut quos eorum morti vel ſepulturæ Auctor auctioris Chronici veterum Pontificum, Anaſtaſius & Martyrologi attribuunt, nihil plerumque cum die obitûs aut ſepulturæ non multò poſt illum factæ, commune habent; quod & de die obitûs & ſepulturæ aliorum Pontificum, in numerum Sanctorum non relatorum, etiam dicendum. Dies itaque, quibus priores coluntur, aut ad eorum Tranſlationem, aut reliquiarum Elevationem, aut alicujus Baſilicæ in eorum honorem ædificationem, plerumque referendi: dies verò quibus poſteriores depoſiti aut ſepulti dicuntur, non rarò ad eorum exequias longè poſt mortem ſæpe celebratas pertinere exiſtimandum. Is enim veterum Romanorum uſus, ſaltem ad quatuor aut quinque priora ſecula ſervatus fuit, ut defunctorum corpora extra Urbem efferrentur, ibique juxta Viam Appiam, aut aliquam aliam publicam conderentur. Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico pag. 2. & 24. eandem regulam ponit, niſi quòd ex Martyrologiis Hieronymianum excipit, & Anaſtaſium, alioſque, diem obitûs aut prioris ſepulturæ non memoraſſe arbitratur: *Statui*, inquit, *dies illos, quos cujuſque Pontificis ſepulturæ adſcribit poſterior ſeculi ſexti Catalogus*, (ſcilicet Chronicon auctius veterum Pontificum) *ac deinde Anaſtaſius Bibliothecarius, non eſſe dies obitûs, immo nec ſepulturæ uno alteróve poſt obitum die factæ, niſi pro tredecim primis; in ceteris verò ante Silveſtrum, aut etiam aliquandiu pòſt, eſſe dies elevati ſolenniùs corporis in aliqua Romanarum cryptarum; in reliquis verò Tranſlationis à Baſilica Lateranenſi ad Vaticanam, ſæpe diu poſt obitum ſucceſſoriſque electionem & ordinationem celebratæ; quamvis tales dies, quibus ſcilicet erant Diptycho Vaticano adſcripti, illi, nulla habita ratione diei veræ obitualis, aſſumſerint, & poſtea Martyrologi medii ævi, cum ſingulos adſcripſere Sanctorum Faſtis. Interim verò diem mortis pro antiquioribus quidem exiſtimavi certiùs peti non poſſe, quàm ex vetuſtiſſimo Martyrologio, quod S. Hieronymi eſſe credimus, aut ſaltem ejus ætate collectum; pro ceteris verò indicia Hiſtorica alia ſtudiosè obſervamus.* Infrà tamen paginâ 25. ait: *Itaque in hodiernum tempus, exceptis paucis, veteres ferè omnes Romani Epiſcopi alio coluntur die, quàm dicendi ſunt obiiſſe, ſi præcipuam Hieronymo* (ſcilicet in Martyrologio) *fidem, qualem meretur, concedimus. Atque utinam priorum tredecim Pontificum nomina in ejus Martyrologio reperiremus, vix enim ambigo quin eadem ratione quàm ceteri, illorum quoque dies mutati habeantur, præterquam SS. Petri, Clementis & Alexandri, quorum extabant Acta.* Ita Papebrocius. Sed præterquam quòd Martyrologium illud Hieronymum auctorem non habet, ut mors S. Bonifacii Papæ, qui Hieronymo per triennium ſuperſtes fuit, aliaque argumenta indicant, in illo, quemadmodum & in aliis omnibus, ſæpe dies Tranſlationis ac ſepulturæ longe poſt mortem Pontificum factæ recitatur, ut ſuis locis videbitur. In Anaſtaſio verò aliiſque, qui Romanorum Pontificum Catalogos edidere, horum etiam emortualis aut funereus dies ſæpe notatur, ut in Simplicio Papa, aliiſque obſervavi, quorum mortem, dum Papebrocius aliis diebus, quàm ab illis aſſignati fuere, illigat, eorum Sedis tempora mutilare cogitur. Denique priores ferè omnes Pontifices, ſi SS. Petrum, Clementem & Alexandrum excipias, aliis diebus, quàm quibus coluntur, ad cæleſtem patriam migraſſe, Chronicon Damaſo attributum oſtendit; cùm anni, menſes ac dies, qui cuilibet Pontifici in eo aſſignantur, cum die, quo ab Eccleſia coluntur, ſæpius congruere non poſſint. Quare Papebrocius, dum iis, quibus coluntur, diebus defunctos ſupponit, modò durationem Sedis augere, modò minuere, modò ante deceſſoris mortem eos Vicariatum exercuiſſe, ſcribere cogitur. Baronius, qui ad hunc Martyrologorum & Librorum Pontificalium uſum animum non attenderat, quique diem cultûs cum die mortis de more confundit, accuratam Romanorum Pontificum Chronologiam exhibere non potuit.

XIX. *Sancti aliis diebus mortui, quàm quibus ſæpe coluntur.*

Hæc porro regula ad alios etiam *Sanctos* omnes, imò ad *Chriſti, Deiparæque Virginis* dies feſtos extendenda, Anniverſarios nempe dies in Martyrologiis ſignatos non ſemper cum diebus illis congruere, in quibus quæ recoluntur, evenerint; in id enim præcipuè Eccleſia incubuit, ut repræſentata myſteria temporum opportunitate conſtabilita, ita à Fidelibus venerarentur, ut in Fidei potiùs, morumque proventum, quàm in præciſam dierum obſervationem collimarent, quemadmodum pluribus demonſtrat Florentinus in Admonitionibus prævìis ad Martyrologium Hieronymianum, Admonitione XI. Legendus S. Petrus Damiani in Opuſculo cui titulum fecit, *Dominus vobiſcum*, cap. 15. ubi variis exemplis oſtendit, hunc eſſe morem Eccleſiæ, non tantùm in feſtis, quæ *Mobilia* vulgò vocantur, ſed etiam in Sanctorum commemorationibus, concluditque: *Sancta Eccleſia non tam conſtringitur lege temporum, quam vices ad ſuum cohibet nutum.* Sancti itaque plerumque aliis diebus, quàm quibus ad cæleſtem patriam migrarint, culti, ſive quia perſecutionis tempore minùs exquiſita notatio haberi potuerit dierum, quibus paſſi ſunt, ſive, quia celebriores fuerint *Tranſlationis* reliquiarum eorundem Sanctorum, quàm dies natalis feriæ, ſive denique ob alias cauſas nunc nobis ignotas. Hinc pauci Sancti quibus obierunt diebus, coluntur; ſæpeque etiam eorum corpora diebus, in quos eorum Natales incidebant, elevata, & in decentiorem locum repoſita. Hac obſervatione Annales variis in locis illuſtrari & emendari poterunt, variique errores in quos Viri doctiſſimi lapſi ſunt, vitari. Vide Florentinum loco laudato.

XX. *Nona regula.*

Nona regula. Quando Martyrologi aut Chronicorum Pontificiorum Scriptores in alicujus Pontificis emortuali die aſſignando, uno tantùm die inter ſe diſſident, prior ad mortem, poſterior ad ſepulturam, quæ poſtridie contigit, referendus. Sic quia Anaſtaſius S. Simplicium VI Nonas Martii; Auctor verò auctioris Chronici veterum Pontificum eum V Nonas Martii ſepultum ſcripſit, collegi hunc S. Pontificem VI Nonas Martii, ſeu die ſecunda Martii demortuum, & V Nonas Martii funera ejus celebrata. Papebrocius, qui

neutrum Scriptorem diem mortis Pontificum recitare arbitratur, obitum Simplicii die decima menſis Februarii collocat, ſicque tam ejus, quàm ſucceſſoris Chronologiam perturbat, ut ſuo loco oſtendo. Error enim in die emortuali alicujus Pontificis conſignanda commiſſus non poteſt non alios parere. Indeque apparet, quàm arduum ſit, Chronologiam Pontificiam, quamplurimis in locis labefactatam reſtituere; cùm dies mortualis, qui in Martyrologiis vel Libris Pontificalibus notatur, nobis plerumque fucum faciat. Hæc porro regula rarò fallet.

XXI. *Decima regula.* Decima regula. Ubi præcedens regula deficit, ad diem tam Ordinationis, quàm mortis Pontificum è tenebris eruendum, eorum Sedis & Interpontificiorum duratio in Libris Pontificalibus annotata, aliaque indicia Hiſtorica diligenter diſcutienda; ſed incertis nimiùm numeris, & ſæpe inter ſe diſcrepantibus, qui in Pontificum Catalogis leguntur, ſicuti & Interpontificio, tam in auctiori Chronico veterum Pontificum, quàm in Anaſtaſio memorato, multùm non fidendum, ut jam Baronius obſervavit. Catalogi enim illi Librariorum, & tranſcribentium culpâ errorum pleni, & ab Auctoribus parum accuratè confecti. Magis peccatum in vacatione Sedis, quæ poſt cujuſlibet Pontificis mortem contigit, aſſignanda: non enim ex certis monumentis, ſed ex proprio Auctorum calculo multoties deſumta. Poſt S. Sixti Pontificis S. Leonis Magni deceſſoris mortem, Sedem vacaſſe dies viginti duos Anaſtaſius ſcribit; Auctor verò auctioris Chronici veterum Pontificum, dies viginti unum. Et tamen Proſper in Chronico, qui tum vivebat, Eccleſiam quadraginta ampliùs diebus ſine Antiſtite fuiſſe teſtatur. Quare non mirum ſi variorum Pontificum tempora, & aliqua Interpontificia certò definire non potuerimus. Satius itaque vitum ea non deciſa relinquere, quàm frivolis conjecturis innixi decretoriam ſententiam ferre.

XXII. *Linus Petro ſuccedit.* Baron. num. XLI & ſeqq. His decem canonibus, quibus nihil alicujus momenti opponi poteſt, Chronologiam Pontificiam illuſtrare conabimur, & ubi difficultates perrumpere non poterimus, eas Lectori indicabimus, ut ſciat quid adhuc enodandum ſuperſit, & ipſemet propriam induſtriam exercere valeat. Quia verò Auctorem Chronici Damaſi in prioribus Pontificiis digerendis ut plurimùm ſequemur, ejus verba in cujuſlibet Pontificatûs fine recitabimus. Hæc ille de S. Petro: *Petrus annis viginti quinque, menſe uno, diebus novem. Fuit temporibus Tiberii Cæſaris, & Caii, & Tiberii Claudii & Neronis, à Conſulatu Vinicii & Longini* (qui eam dignitatem anno Chriſti XXX geſſere) *uſque Nervæ & Veſtini* (anni Chriſti LXV Conſules, non verò *Nervæ & Veri*, ut habet Codex Bucherianus, aut *Neronis & Veteris*, ut malè Bucherius in locum *Nervæ & Veri* ſubſtituit.) *Paſſus autem cum Paulo die tertia Kalendas Julias, Conſulibus ſupradictis, imperante Nerone.* Quod ibi, imò & in hoc Opere, de duratione Sedis Petri dicitur, incertum: ſed cum anno Chriſti LXV ac die XIX Junii martyrium feciſſe, extra controverſiam eſſe debet. Petro ſucceſſit Linus, qui jam ejus Vicarius erat, ut in ejus morte dicemus. Lino currenti anno demortuo, Clemens in ejus locum ſubrogatus, ut infrà, Baronii ordinem ſequentes explicabimus.

XXIII. *Geſta in Judæa.* Baron. num. XLVIII & ſeq. Ad num. XIX. Veſpaſianus cum omni exercitu ad fines Galilææ venit, & *Gadarenſium* civitatem aggreſſus, primo impetu capit & vaſtat. Unde *Jotapatan* die XXI Maii veniens, eandem expugnavit. Hanc Joſephus Hiſtoricus, qui iſthic cum Imperio erat, fortiter defendit: ſed tandem poſt quadraginta dierum obſidionem vi capitur, evertitur, & incenditur *Kalendis Juliis, anno Neronis XIII*, inquit Joſephus lib. 3. de Bello cap. 13. Joſephum in ſpecu latitantem capit Veſpaſianus, & captivum tenet. Deinde *Taricheas*, quò multi Judæi confluxerant, obſidione cingit, eâque captâ, *VI Idus Septembris, juvenum validiſſimos ſex millia lectos ad Iſthmon Neroni tranſmiſit*, inquit Joſephus in fine libri quarti de Bello. Quibus ex verbis conſtat, Neronem hoc anno menſe Septembri in Græcia fuiſſe, non verò Romæ, ut Baronio aliiſque viſum, ideoque SS. Apoſtolos Petrum & Paulum currenti anno, exeunte Junio, Romæ, præſente Nerone, paſſos non eſſe. Poſt eas victorias Veſpaſianus *Gamalam* urbem, quæ Romanæ ſocietatis erat, ſed quæ rebellarat, poſt menſem, die XXIII Octobris cepit. Tum *Giſcala* evertitur, atque hoc modo Galilæa tota ſubacta eſt, *poſtquam multo ſudore Romanos exercuit*, inquit Joſephus lib. 4. de Bello cap. 4. poſt præfatas victorias relatas.

XXIV. *Mucianus Syriæ præponitur.* Ceſtius, qui Syriam obtinebat, hoc anno *fato aut tædio occidit*, ut ait Tacitus lib. 5. Hiſt. Nero in ejus locum, P. Licinium *Mucianum* in Syriam miſit. Extat in Gaza Regia Nummus æreus medii moduli mecum communicatus à Clariſſimo Toinardo, in cujus antica legitur, IM. SER. SUL. GALBA CAE. Viſitur Galbæ caput laureatum. In poſtica, ΕΠΙ ΜΟΥΚΙΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤ. ΖΙΡ. in Laurea, id eſt, *Sub Muciano, anno Antiocheno CXVII.* Proficiſcitur is annus ab anno Periodi Græco-Romanæ 5445. ideoque Kalendis Septembribus anni Chriſti ſequentis inchoatur. Jam tamen *Mucianus* Syriæ præerat. Ex Nummis porro Præfectorum Syriæ hinc inde in iſto Opere memoratis intelligimus, Antiochiam tribus Æris intra triginta & aliquot annos inſtitutis uſam eſſe, nempe Pompeianâ, Cæſareâ, ſeu communi & Auguſtanâ. Secundam communem voco, quia tam in Nummis, quàm in Libris legitur, cùm duæ aliæ in Numiſmatis tantùm memorentur.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5561. ☉ 12. C.B. ☽ 12. P. 10. APRIL. INDICT. 11.

JESU CHRISTI 68. *ſecundùm Baronium* 70.

CLEMENTIS PAPÆ 2.

GALBÆ 1.

I. *Conſules.* COss. *C. Silius Italicus, & M. Galerius Trachalus.*

Ad num. I. Noriſius in literis ad me

Florentiâ ſcriptis doctè obſervat, Suetonium in Nerone duos hujus Imperatoris Romam adventus, poſt ejus ex Oriente reditum, diſtinguere. De priori agit Suetonius cap. 25. aitque, Neronem reverſum è Græcia, *Neapolim albis equis*, ac dein Romam triumphantis more, *coronamque capite* gerentem *Olympiacam* introiiſſe. Quod præcedentis anni exitu factum, ut tunc explicavimus. Rediiſſe poſtea Neapolim Neronem, liquet ex Suetonio cap. 40. ubi ait: *Neapoli de motu Galliarum cognovit, die ipſo, quo matrem occiderat. . . . Sed urgentibus aliis ſuper alios nuntiis Romam prætrepidus rediit. Poſtquam deinde etiam Galbam & Hiſpanias deſciviſſe cognovit, propè intermortuus jacuit.* Eſt hic ſecundus Neronis Romam adventus à priori longè diſſimilis; cùm tunc triumphans, nunc prætrepidus illuc redierit. Prior adventus pertinet ad menſem Decembrem anni præcedentis, poſterior ad menſem Aprilis anni currentis. Occidit enim matrem Nero, cùm feſti dies *Quinquatruum* uno aut altero antè die celebrati fuiſſent, ut colligitur ex Tacito lib. 14. Annal. Feſtum illud in Kalendario à Petro Lambecio tomo 4. Bibliothecæ Cæſareæ publicato celebrabatur *XIV Kalend. Aprilis*, & Galba, qui in Hiſpaniis Proconſul erat, die tertia menſis Aprilis currentis Chriſti anni Imperium arripuit, ut ex iis, quæ anno ſequenti dicemus, conſtabit. *Julius Vindex* Proprætor in Galliis Galbæ Imperium obtulit. *Nec diu cunctatus* (ſcilicet Galba) *conditionem partim metu, partim ſpe recepit*, inquit Suetonius in Galba cap. 10. Exiſtimavit Onuphrius lib. 2. Faſtorum, Vindicis & Galbæ defectionem anno præcedenti contigiſſe, eodemque Neronem è Græcia rediiſſe, & Principes Apoſtolorum Petrum & Paulum martyrio coronatos eſſe. Quæ omnia ex dictis corruunt. Certè ſi menſe Martio anni elapſi Nero è Græcia redux defectionem Galliarum & Hiſpaniarum accepiſſet, Galba anno ampliùs integro ab Imperio capeſſendo abſtinuiſſet; ſicque Hiſtorici, quæ tam longo ſpatio geſta fuiſſent, in literas retuliſſent, vel ipſa ſeditio diſſipata fuiſſet.

III. *Quintus Neronis Conſulatus.*

Baron. n. 1.

Nero ea ſeditione accepta, Romam prætrepidus rediit, *credenſque expeditionem neceſſariam, Conſules ante tempus privavit honore; atque in utriuſque locum ſolus iniit Conſulatum; quaſi fatale eſſet non poſſe Gallias debellari niſi à Conſule ac ſuis pris faſcibus*, inquit Suetonius cap. 43. Onuphrius citatus Conſulatum illum ſuffectum in finem præcedentis anni confert; quòd Suetonius cap. 46. loquens de portentis ſomniorum, quibus territus eſt Nero, ſcribat: *Kalend. Januarii exornati Lares in ipſo ſacrificii apparatu conciderunt.* Jam autem cap. 43. de illo Neronis Conſulatu verba habuerat Suetonius. At non advertit Onuphrius, hunc Hiſtoricum teſtari, Neronem territum portentis *tum veteribus, tum novis*. Kalendæ itaque Januariæ loco citato memoratæ alterius anni, non verò currentis. Unde & ibidem Suetonius ait: *Occiſa demum matre, vidit per quietem, navem ſibi regenti extortum gubernaculum.* Quæ viſio ad præcedentes etiam annos referenda. Meliùs Baronius quintum illum Neronis Conſulatum hoc anno conſignavit. Extat Nummus Neronis apud Goltzium, in quo legitur: NERO CLAU. CAESAR. AUG. GER. P. M. TR. P. XIIII. COS. IIII. IMP. P. P. Sumſit Tribunitiam Poteſtatem XIV Nero die XIII Octobris anni elapſi. Quare eo anno menſeque Octobri quintum Conſulatum nondum inierat: nam ultimum in Nummis exprimi ſolitum fuiſſe certum. Quis autem ſibi perſuadeat, Neronem menſe Martio anni Chriſti LXVII nuntium de excitata in Galliis à *Vindice* ſeditione, Hiſpaniarumque defectionem accepiſſe, & nonniſi poſt menſem Octobrem ejuſdem anni expeditionem adverſus *Vindicem* paraſſe? Hanc enim ſuſcepti Conſulatus cauſam teſtatur Suetonius. Capeſſitus porro à Nerone Conſulatus V juxta quartam Conſulatuum Cæſareorum regulam: immo hinc diſcimus, ob expeditiones bellicas Imperatores quandoque Conſulatum cepiſſe.

IV. *Neronis interitus.*

Baron. n. 11.

Occiſus eſt Nero, non die decima Junii, ut habent Baronius & Onuphrius, ſed die nona. Imperium enim ſuſceperat die XIII Octobris anni Chriſti LIV, imperavitque *annos XIII, menſes VII, dies XXVIII*, ut habent Clemens Alexandrinus, & Euſebius in Chronico, ſeu, ut habet Zonaras, *annos tredecim, menſes octo, biduo minus*; ideoque die nona Junii interitus ejus contigit. Quod confirmat Caſſiodorus in Chronico, qui ait: *Regnavit annos XIII, menſibus VII, diebus XXVII*, ubi diem emortualem excludit. Non poteſt autem in die mortis Neronis conſignando error committi, quin in morte Galbæ, Othonis & Vitellii narranda etiam peccetur. De ætate Neronis Imperii ejus initio egimus. Neroni ſucceſſit Galba.

V. *Geſta in Judæa.*

Baron. anno 71. num. 11.

Spond. anno 71. n. 11.

Joſephus lib. 5. de Bello Judaïco geſta à Veſpaſiano in Judæa ſusè deſcribit, aitque cap. 3. eum *Gadaram* tranſamnanæ regionis metropolim validiſſimam menſis Martii quarta die ingreſſum eſſe. Tum cap. 4. inquit: *Hæc dum aguntur, motus circa Galliam nuntiatur, & quòd Vindex unà cum Optimatibus indigenarum defeciſſet.* Quo ex Joſephi loco prorſus evertitur ſententia Onuphrii & Baronii, qui exiſtimarunt, Neronem initio anni præcedentis è Græcia rediiſſe; cùm Orientem non reliquerit, niſi poſtquam accepit ſeditionem à Vindice motam, quam hoc tantùm anno cœpiſſe, ex laudatis Joſephi verbis innoteſcit. Subdit Joſephus cap. 8. *Omnibuſque jam captis præter caſtella Herodion, & Maſſadam, & Macharunta, quæ à latronibus tenebantur, ſola jam Hieroſolyma ante oculos erat, quæ expugnanda reſtabat.* Quibus ex verbis liquet, verum eſſe quod ſcribit Tacitus lib. 5. Hiſt. Veſpaſianus *intra duas æſtates, cuncta camporum, omneſque præter Hieroſolyma urbes, victore exercitu tenebat*; deceptoſque Viros doctiſſimos, qui bellum Judaïcum anno Chriſti LXV inchoatum contendunt; cùm eo modo non *intra duas æſtates*, ſed intra tres, Tacitus ſcribere debuiſſet. Hæc Baronius in Annalibus, & Spondanus in Epitome, anno ſequenti tanquam tunc facta recitant, cùm tamen

certum ſit toto capite 8. lib. 5. Joſephum loqui de rebus hoc anno geſtis.]

Anno Periodi Græco-Romanæ 5562. ☉22 A. ☽ 13. P. 26. Mart. Indict. 12.
Olymp. 212. Jesu Christi 69. *ſecundùm Baronium 71.*
Clementis Papæ 3.
Otho
Vitellius } Impp.
Vespasianus

I.
Conſules.

COss. *Servius Sulpicius Galba* Aug. & *T. Vinius Rufinus*, ut oſtendit Norisius in Epiſtola Conſulari. Conſulatus Galbæ juxta priorem Conſulatuum Cæſareorum regulam.

II.
Galbæ interitus.
Baron. n. 1.

Ad num. I. Galba non die decima ſexta Januarii, ut habet Baronius, ſed die decima quinta occiſus. Joſephus enim, qui tum vivebat, lib. 5. de Bello cap. 6. ait, Galbam imperaſſe *menſes VII, & dies VII*, cui uterque Victor ſuffragatur. Quare cùm Nero die nona Junii anni præcedentis perierit, interitus Galbæ in diem xv Januarii incidit. Clemens quidem Alexandrinus, & Theophilus Antiochenus habent, *menſes VII, dies VI*, quia nempe diem emortualem excludunt. Alia in hanc rem argumenta attuli in Prolegomenis Diſſert. Hypat. num. xix. Quòd ſi à tempore, quo Imperator in Hiſpania dictus eſt, vivente adhuc Nerone, Imperium ejus exordiri placeat, tunc, ut Xyphilinus & Zonaras ex Dione habent, *regnavit menſes novem, dies tredecim*, quot menſes & dies à tertio Aprilis anni præcedentis ad decimum quintum Januarii præſentis anni fluxerunt. Adoptavit Galba Piſonem, Cæſaremque renuntiavit; ſed is intra ſextum adoptionis diem periit, ut habet Tacitus lib. 1. Hiſt. Obſervandum autem poſt Neronem, in quo Julia familia extincta, etiam qui ab Auguſtis originem ducebant, Cæſares appellatos non eſſe, donec à patribus Imperatoribus eo nomine ac dignitate cohoneſtarentur, idque cum ſpe ad ſucceſſionem Imperii, ejuſque aliquo conſortio. Eam in rem Otho apud Tacitum lib. 1. Hiſt. dicit: *Agendum, audendumque, dum Galba auctoritas fluxa, Piſonis nondum coaluiſſet.* Non ſolùm itaque Cæſaris nomen cum certa Imperii ſucceſſione Piſo acceperat; ſed auctoritatem aliquam, quæ nondum coaluerat, neque ſatis ſtabilita erat. Nec refert, quòd paulò antea Tacitus de Legatis ad Germanicum exercitum mittendis, ac de Piſone loquens dicat: *Illi* (nempe Legati) *auctoritatem Senatus: hic* (ſcilicet Piſo) *dignationem Cæſaris laturus.* Non enim inde ſequitur Piſonem nullam auctoritatem, nullúmve Imperium habuiſſe; illud quippe Cæſaris nomine ab Hiſtorico brevitatem affectante ſatis deſignatur. Cæſaris honores paulatim aucti, tandemque Regis & Imperatoris nominibus appellati, ut infrà demonſtrabo. Verum quidem eſt, ſatis non innoteſcere, in quo ſitum eſſet illud Imperium Cæſareum; ſed cùm de re conſtat, certa, propter dubia & incerta, non deſerenda. Itaque ante Neronis mortem quicumque filius Cæſari patri naſcebatur, is origine naſcendi dicebatur Cæſar ac filius Auguſtus, immo & Imperii ſucceſſor reputabatur, ſi tamen ab Imperatore vel Tribunitia Poteſtate, vel Imperio Proconſulari exornatus fuiſſet, aut ab eodem teſtamento ſucceſſor nominatus eſſet. At poſt Neronem, neque nativitas, neque adoptio Cæſaris nomen ſecum invehebat, ut multis exemplis conſtabit.

III.
Othonis interitus.
Baron. n. 1.

Ad num. II. Vitellius anno ſuperiori *ſub ipſas Kalend. Decemb.* ingreſſus eſt Germaniam, ubi ſuperioris Germaniæ exercitus *ipſo Kalendis Januariis die* currentis anni imagines Galbæ dirumpit, & in acta Senatûs jurat, & *die poſtero* Vitellius Imperator conſalutatur, ut habet Tacitus lib. 1. Hiſt. Inde Otho Auguſtus, qui Galbæ ſucceſſerat, ſe ipſum interficit, *poſtquam biduum, treſque menſes, Imperium tenuit*, inquit Joſephus lib. 5. de Bello cap. 8. ideoque die decima ſexta menſis Aprilis, non verò die viceſima, ut habet Baronius. Joſepho ſuffragatur Clemens Alexandrinus, qui Othoni tribuit μῆνας ε΄, ἡμέραν α΄, id eſt, *menſes V, diem unum*, ſed legendum, μῆνας γ΄, id eſt, *menſes tres*, ubi diem emortualem excludit. Idem deducitur ex Tacito, qui lib. 2. Hiſt. ait, Othonis mortem Romæ nuntiatam, *dum Cereales Ludi ex more ſpectabantur.* Hi Ludi *tertio Idus* Aprilis inchoabantur, & die *decimo tertio Kalendas Maii*, id eſt, xix Aprilis, abſolvebantur, ut patet ex veteri Kalendario à Lambecio in Bibliotheca Cæſarea publicato. Cùm autem Otho *Bebriaci* (vicus eſt Veronam inter & Cremonam ſitus) peremtus fuerit, mors ejus ante diem xx Aprilis contigit, alioquin dum Ludi Cereales celebrabantur, Romæ nuntiari non potuiſſet; cùm Romam inter & Bebriacum via longa intercedat, nonniſi intra aliquot dies percurrenda. Ex quo manifeſtum eſt, erraſſe Suetonium in Othone, qui ſcribit, hunc Imperatorem *nonageſimo quinto Imperii die* funeratum eſſe, die ſcilicet viceſima Aprilis. Accuratiùs Xyphilinus & Zonaras ex Dione tradunt, regnaſſe Othonem dies xc: quo pacto, die xvi, quod verum eſt, periit. Ait Baronius in Annalibus, Othonem à Nerone fuiſſe aliàs in Hiſpaniam miſſum Quæſtorem. Sed, ut obſervavit Noriſius, Otho non Quæſtor miſſus, ſed *Quæſtorius*, poſt Quæſturam nempe in Urbe adminiſtratam; fuit enim in Luſitania Legatus Auguſti Proprætor: *Provinciam* (ſc. Luſitaniam) *adminiſtravit Quæſtorius per decem annos, moderatione atque abſtinentia ſingulari*, inquit Suetonius in Othone cap. 3.
Baron. n. 1.

IV.
Imperii Veſpaſiani duplex epocha.
Baron. num. III.

Ad num. III. Poſtquam in Orientem, ubi Veſpaſianus agebat, Othonis mortis nuntium eſt allatum: *Tiberius Alexander Præfectus Ægypti primus in verba Veſpaſiani legiones adegit Kalend. Julii, qui Principatûs dies in poſterum obſervatus eſt. Judaïcus deinde exercitus V Idus Julii apud ipſum juravit*, inquit Suetonius in Veſpaſiano cap. 6. Tacitus verò lib. 2. Hiſt. cap. 79. habet: *Initium ferendi ad Veſpaſianum Imperii Alexandriæ cœptum, feſtinante Tiberio Alexandro, qui Kalend. Jul. ſacramento legiones ejus adegit. Iſque primus Principatûs dies in poſterum celebratus,*

lebratus, quamvis Judaicus exercitus V Nonas Jul. apud ipſum juraſſet, eo ardore, ut ne Titus quidem filius expectaretur. Lipſius in Notis ad eum locum ait, *Suetonio ſcriptum*, v. Idus, *ubi Tacitus* v Nonas: *ſed eum ad exemplar Taciti emendandum videri non vane pronuntiat Clariſſimus Torrentius.* Utriuſque conjecturam certam eſſe demonſtrabo in morte Veſpaſiani, cujus Imperii anni ab Antiquis, vel à Kalendis Julii, vel à v Nonas Julii, numquam verò à v Idus Julii, deducuntur.

V. *Vitellii interitus.* Baron. num. IV & V.

Ad num. IV. Vitellii Auguſti interitus die viceſima prima Decembris contigit. Dio enim ſcribit, imperaſſe Vitellium anno uno, decem diebus exceptis, à die nempe ſecunda Januarii ad viceſimam primam Decembris. Secundò Zonaras inquit: *Vixit annos LIV, & dies LXXXIX, imperavit annum unum, decem diebus demptis.* Suetonius autem in Vitellio ait: *Natus eſt VIII Kalend. Octobris, vel, ut quidam, VII Idus Septembris, Druſo Cæſare, Norbano Flacco Coſſ.* Quare ſecundùm Zonaram natus eſt Vitellius die XXIV Septembris, ſeu VIII Kalend. Octob. anni Chriſti XV Druſi Cæſaris & Norbani Conſulatu notati, periitque die XXI Decembris currentis anni; quod à claſſico Auctore accepit Zonaras. Tertiò, Joſephus lib. 5. de Bello cap. 13. inquit: *In media urbe jugulatus octo menſes ac dies quinque potitus Imperio.* Regnum Vitellii Joſephus à die XVI Aprilis, quo Otho ſe ipſum interfecit, exorditur, diemque emortualem excludit, quod ex ſequentibus ejus verbis manifeſtum fit: ſubdit enim, ταῦτα δὲ τρίτῃ μηνὸς ἀπελλαίου πέπρακτο. Quæ verba ſic Gelenius vertit: *Hæc quidem geſta ſunt die tertio menſis Octobris.* Sed perperam; ipſemet enim Gelenius de Bello cap. 4. diem XXII menſis Hyperberæi vocat diem XXVI menſis Octobris. Quare Apellæus ibidem uſurpatur à Joſepho pro Decembri: ſecundùm quod lib. 12. de Antiquit. cap. 7. comparat menſem Caſleu, qui partim Novembri, partim Decembri reſpondet, cum eo *qui à Macedonibus*, inquit, *dicitur Appellæus*, qui menſis Syro-Macedonicus die viceſima tertia Novembris noſtri inchoatur, dieque viceſima tertia Decembris abſolvitur. Cùm itaque dies viceſimus nonus Apellæi dicatur à Joſepho tertius dies Apellæi, deſinentis ſcilicet menſis, ſecundùm morem loquendi Syro-Macedonum, conſtat, Vitellium interfectum die viceſima prima Decembris noſtri, qui à Syro-Macedonibus vocatur dies tertius menſis Apellæi deſinentis, ut videre eſt in Tabula menſium Macedonicorum & Aſianorum apud Uſſerium in Diſſertatione de Macedonum & Aſianorum anno Solari. Ex laudato porro Joſephi loco, à Criticis, quod viderim, non diſcuſſo, liquet, Joſephum in libris de Bello, menſibus & anno Syro-Macedonicis aliquando uti. Is enim, qui jam ſcripſerat, Vitellium imperaſſe menſes octo, & dies quinque, ideoque indicarat, cum die viceſima prima Decembris interfectum eſſe, ſe ipſum poſtea magis explicat, nullusque ſui ſeipſo melior interpres. Qui cum Suetonio Vitellii initium à die viceſima Aprilis deſumunt, aiunt eum imperaſſe menſes octo, diem unum, ex illo nempe emortuali die, uti Caſſiodorus in Chronico & Eutropius, ac ante eos Clemens Alexandrinus, qui habet, Vitellium imperaſſe *menſes ſeptem, diem unum*, ubi ſine dubio legendum, μῆνας ὀκτὼ, ἡμέραν ά, id eſt, *menſes octo, diem unum.* Sed hæc ſententia, ut jam dixi, falſa; qui tamen eam docuerunt, non alio die Vitellium occiſum credidere, quàm die XXI Decembris. Horum trium Imperatorum emortualis dies à Scaligero in lib. de Emendat. Temp. & à Petavio in Animadverſionibus Epiphanianis, & in lib. 11 de Doct. Temp. cap. 16. fruſtrà inveſtigatus, ſed jam, ni valde fallor, in manifeſtam lucem à me prolatus.

VI. *Domitiani Conſulare Imperiũ explicatur.*

Interfecto Vitellio, Veſpaſiano *Conſulatus cum Tito filio, Prætura Domitiano, & Conſulare Imperium decernuntur*, inquit Tacitus lib. 4. Hiſt. Suetonius verò in Domitiano cap. 1. *Honorem Præturæ Urbanæ cum Conſulari Poteſtate ſuſcepit titulo tenus: quam juriſdictionem ad Collegam proximum tranſtulit*, nempe Mucianum. Uterque locus Onuphrio in Faſtis fucum fecit: exiſtimavit enim inde ſequi, Domitianum in annum ſequentem Conſulem ſuffectum deſignatum eſſe; licèt de Imperio Militari ſeu Conſulari, non verò de Conſulatu Tacitus & Suetonius loquantur, conſtetque, anno ſequenti Domitianum Conſulatum non geſſiſſe; cùm Prætura ante Conſulatum, non verò ſimul cum eo adminiſtrari ſoleret. Spanhemius Vir eruditiſſimus in Cæſaribus Juliani Imperatoris pag. 69. egregium Nummum producit, in quo viſuntur duo capita Titi & Domitiani Cæſarum ſe ſe reſpicientia cum his verbis circùm: CAESAR AUG. F. COS. CAESAR F. PR. Ubi vides, utrumque Cæſarem ac Auguſti filium, Titum verò Conſulem, & Domitianum Prætorem appellari. Huic itaque Prætura quidem, ſed non Conſulatus hoc anno delatus; deceptuſque Onuphrius, quem omnes ſecuti ſunt, qui Potentiam Conſularem cum Conſulatu confudit. E contrà Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. 11 pag. 208. Conſularem Poteſtatem ab Imperio Conſulari diſtinguit, explicans vetus elogium Gruteri pag. 454.

C. PLINIUS. C. F. C. N
CAECILIUS. SECUNDUS
COS. AUGUR. LEGAT. PRO PRAET
PROVINC. PONT. CONSULARI. PO
TESTATE. IN. EAM PROVINCIAM. AB
IMP. CAESARE. NERVA. TRAJANO
AUG. GERMANICO. MISSUS, &c.

Rectè dicitur, inquit Noriſius, cum Conſulari Poteſtate, non Imperio in eam provinciam miſſus Plinius (Bithyniam ſc.) Imperium enim abſolutam belli gerendi, ſeu rei militaris adminiſtrandæ poteſtatem deſignabat; poteſtas verò civilis juriſdictionis exercendæ liberam facultatem, uti optimè adnotarunt Panvinius lib. 1. Faſt. ad annum Urbis CCCCXXVIII, & Sigonius lib. 3. de Antiq. Jure Provinc. cap. 5. Plinius verò quamvis Legatus Proprætor Trajani Auguſti, quòd ſine exercitu ſive legionibus Bithyniam regebat, Conſulari tantùm Poteſtate præditus inſcribitur. Ita Vir doctiſſimus. At Panvinius & Sigonius de iis, quæ ſtante Republica facta ſunt, non verò de more poſt Imperium

inſtitutum ſervato loquuntur, & ex laudatis Taciti & Suetonii eamdem rem diverſis verbis exprimentium locis colligitur, Potentiam Conſularem & Imperium Conſulare per hæc tempora diſtinctas Poteſtates non fuiſſe. Denique Plinius lib. 10. Epiſt. 60. & 61. Trajanum admonet, ſe ſuſcepiſſe & ſolviſſe *cum commilitonibus* Vota, in Decennalibus nempe & id genus feſtis emitti ſolita. Quare Plinius & cum Imperio Conſulari & cum Conſulari Poteſtate in Bithynia erat. Hac tamen de re cùm ad Noriſium ſcripſiſſem, reſpondit: *Domitianus habuit initio Poteſtatem Conſularem, ut ait Suetonius, qui lato modo eam pro Imperio Proconſulari accepit. Habes exemplum pag.* 208. *in Cenotaphiis ex Tacito. Domitianus exercitum duxit contra Germanos. Hoc erat Imperium Proconſulare Domitiani Cæſaris. Vide Tacitum in fine lib.* 4. *Hiſt. ac Joſephum lib.* 7. *de Bello. Cùm Plinio ex lib.* 10. *epiſt.* 60. *&* 61. *erant milites non qui eſſent legio, ſed cohortes, uti erant Hieroſolymis ſub Pilato Procuratore, cujus nullum erat Imperium Proconſulare. Hinc Trajanus lib.* 10. *epiſt.* 82. *ſcribit Plinio:* Si qui ſe contra diſciplinam meam geſſerint, ſtatim coërceantur; ſi milites erunt, Legatis eorum, quæ deprehenderis, notum facies; *quare Plinius non habebat Imperium Proconſulare, quo qui pollebat, habebat plenum jus in milites, atque pœnam capitis, ut innumeris exemplis paſſim patet. Ex hac epiſt.* 82. *palam infertur ſola Poteſtas Conſularis Plinii.* Hæc Noriſius. Verùm cùm inter varia diſcrimina quæ inter Proconſules Legatoſque & Proprætores erant, illud unum eſſet, quòd illi in populi Provincias mitterentur, quæ ferè inermes, hi verò in Cæſaris, quæ copiis inſtructæ erant, hoc dubium aliis magis examinandum relinquo.

VII. *Domitianus Imperio Cæſareo præditus fuit.* Cenſores aliqui apud Noriſium in Epiſt. Conſul. pag. 177. reprehendunt me, quòd in Diſſert. Hypat. ſcripſerim, Domitianum Imperii Cæſarei Decennalia & id genus feſta edidiſſe: *Nos planè*, inquiunt, *ignoramus quidnam ſit hocce Imperium Domitiani. Nam Dio lib.* 53. *differens de titulis Imperatorum, teſtatur appellationem Cæſaris* nihil peculiaris potentiæ *ſignificare, ſed tantùm* ſucceſſionem ſtirpis. *Et ne à Domitiano diſcedamus, Tacitus in fine lib.* 3. *Hiſt. ſcribit, Domitianum poſt necem Vitellii à frequenti milite Cæſarem conſalutatum, & initio lib.* 4. *ait:* Nomen, ſedemque Cæſaris Domitianus acceperat. *Eo autem titulo nullum eidem Imperium collatum patet ex iis, quæ ſtatim ſubjungit: Prætura Domitiano &* Conſulare Imperium decernuntur *Prætura nullum Imperium, ſed juriſdictionis tantùm poteſtatem Domitiano conferebat. Ceterùm, ut Cæſar, idemque filius Veſpaſiani Auguſti, quidpiam auctoritatis ac poteſtatis ſupra privatos Prætores haberet, eidem* Conſulare Imperium *S. C. decretum fuit, quòd nuda illa Cæſaris appellatio nullum eidem Imperium tribuebat.* Unde concludunt cenſores, Domitianum & reliquos Cæſares omnes Imperii expertes fuiſſe. At Domitianum alioſque deinceps Cæſares in aliquod Imperii conſortium modò majus, modò minus, modò citiùs, modò tardiùs adſcitos fuiſſe non dubito. Et ut hic tantùm de Domitiano loquar, Tacitus in fine lib. 4. Hiſt. *Domitianus ſperni à ſenioribus juventam ſuam cernens, modica quoque & uſurpata antea munia Imperii omittebat. Simul ſimplicitatis ac modeſtiæ imagine, in altitudinem conditus: ſtudiumque literarum & amorem carminum ſimulans*, &c. Ubi Tacitus de Domitiano loquitur, otium & Poëtam, antè patris ex Oriente adventum, ſimulante. Egregius eſt in hanc rem Quinctiliani locus de Domitiani Operibus poëticis: *Quid iis ipſis Operibus ejus, in quæ donatus Imperio juvenis ſucceſſerat, ſublimius?* Ubi loco *ſucceſſerat*, Lipſius in Notis ad laudatum Taciti locum rectè ſcribit, *ſeceſſerat*. Nec obſtat locus Taciti à cenſoribus citatus: *Nomen, ſedemque Cæſaris Domitianus acceperat, nondum ad curas intentus*, ad Imperii ſcilicet adminiſtrationem; cùm non multò pòſt animum ad eam adjecerit. Tacitus ibidem de Senatu coacto agens, ait: *Referente Cæſare.* Tum: *Primo Senatu inchoante Cæſare.* Infrà: *Abrogati inde, legem ferente Domitiano, Conſulatus, quos Vitellius dederat. Nomen* itaque loco laudato dignitatem ſignificat, ut ſæpe alibi, non verò purum putum Cæſaris nomen. Ceterùm quandiu Veſpaſianus ab Urbe abfuit, Domitianum cum Muciano omnia ſummâ poteſtate adminiſtraſſe teſtantur Dio lib. 66. Joſephus lib. 5. de Bello cap. 15. & Zonaras in Veſpaſiano. Denique Suetonius in Domitiano cap. 1. *Cæſar conſalutatus, honorem Præturæ Urbanæ cum Conſulari Poteſtate ſuſcepit titulo tenus: quam juriſdictionem ad Collegam proximum tranſtulit. Ceterùm omnem vim Dominationis tam licenter exercuit*, &c. Patre ex Ægypto reduce, ea auctoritate Domitianus potitus non eſt, conſors tamen Imperii fuit; cùm Suetonius in Tito cap. 9. ſcribat: *Fratrem* (ſcilicet Domitianum) *inſidiari ſibi non deſinentem, nec occidere, ac ne in minore quidem honore habere ſuſtinuit: ſed ut à primo Imperii die, conſortem ſucceſſoremque teſtari perſeveravit.* Quòd ſi Suetonius in Domitiano cap. 2. de Domitiano dicat: *Patre defuncto, numquam jactare dubitavit, relictum ſe participem Imperii, ſed fraudem teſtamento adhibitam;* intelligendus eſt Suetonius de Imperio Proconſulari, quod vivente Veſpaſiano Titus obtinuerat, & in quod Domitianus ſuccedere ſe ſe debere exiſtimabat. Locus Dionis lib. 53. à cenſoribus citatus ad rem non facit. Loquitur enim Dio de Romani Imperii inſtitutione: ait enim, Auguſtos vocatos fuiſſe Proconſules, Patres Patriæ, Imperatores, iiſque Tribunitiam Poteſtatem eſſe collatam; additque: *Ad hunc itaque modum ratione eorum nominum, quæ in populari civitatis ſtatu uſurpantur, omnem totius Reipublicæ poteſtatem accipiunt: ac Regiam etiam, niſi quod invidiam nominis vitant. Nam Cæſaris & Auguſti vocabula nihil eis quidem potentiæ adjiciunt peculiaris, ſed alterum ſucceſſionem ſtirpis, alterum ſplendorem dignitatis ſignificat.* Loquitur itaque Dio de Auguſtis, non verò de puris putis Cæſaribus, aitque, Cæſaris & Auguſti vocabula nihil eis potentiæ adjicere, ſed Imperatores

ſatione aliorum nominum eam habere. Ex quibus intelligere poſſumus, Auguſtos, cùm filios ſuos Cæſaris dignitate exornarunt, aliis poſtea decretis eos in Imperii conſortium vocaſſe.

VIII. *Caeſennius Petus Syriæ Præſes.* Mucianus, qui Syriæ præerat, Romam adverſus Vitellium à Veſpaſiano jam Imperatore creato miſſus eſt, anno exeunte, ut inſinuat Joſephus lib. 5. de Bello cap. 13. ubi ait: *Mittit in Italiam Mucianum cum multis equitum peditumque copiis, qui tamen propter hiemis aſperitatem veritus navigare, per Cappadocas & Phrygas ducit exercitum.* Mucianus nonniſi occiſo Vitellio Romam pervenit, ut teſtatur Xyphilinus, qui, ea morte narrata, ait: *His confectis rebus, Mucianus venit, iſque omnia unà cum Domitiano adminiſtrare cœpit.* Poſt Mucianum *Caeſennius Petus* Rector in Syriam miſſus, ut docet Joſephus lib. 7. de Bello cap. 21. Eam Provinciam, *jam quarto anno Veſpaſiano adminiſtrante Imperium*, adhuc gubernabat Petus, ut diſcimus ex Joſepho ibidem cap. 27. qui tradit, eum Antiochum Regem Comagenes apud Veſpaſianum defectionis accuſaſſe, bellum contra eum moviſſe, & vinctum Romam è Cilicia miſiſſe. Hactenus de Præſidibus Syriæ, quorum aliqui in Annalibus prætermiſſi, aliorum verò Chronologia non ſatis accurata. Poſt captam Judæam Syriæ Præſidum notitia Hiſtorico Eccleſiaſtico non neceſſaria, ideoque eorum ſucceſſionem hic terminamus.

IX. *Geſta in Judæa.* Nihil hoc anno alicujus momenti in Judæa geſtum. Nam quod ait Baronius, *quintâ menſis Junii*, Veſpaſianum Cæſareà profectum, quæ reliqua eſſe videbantur loca Judææ, Romano ſubjeciſſe Imperio, tribus exceptis caſtellis, ac ipſa Hieroſolymorum civitate, pertinent ad annum præcedentem, ut tunc diximus, & legenti Joſephum lib. 5. cap. 8. à Baronio citatum manifeſtum fiet.

Baron. n. 21.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5563. ☉ 23 G. ☽ 14. P. 15. APRIL. INDICT. 13.
JESU CHRISTI 70. *ſecundùm Baronium* 72.
CLEMENTIS PAPÆ 4.
VESPASIANI IMP. 2.

I. *Conſules.* COss. *Fl. Veſpaſianus Aug. II*, & *Titus Cæſar I.* Uterque juxta primam Conſulatuum Cæſareorum regulam. Veſpaſianus, Claudio imperante, Conſul ſuffectus fuerat, ut teſtatur Suetonius in Veſpaſiano cap. 4. ideoque cum nota numerali in Faſtis efferendus. Quam cùm Baronius omiſerit, non mirum ſi ſequentibus annis eos corrumpere coactus fuerit.

II. *Hieroſolyma à Tito capta.* Ad num. I, II, &c. Joſephus lib. 6. & 7. de Bello Judaïco, cladem Hieroſolymitanam egregiè deſcribit. Titus adverſus Hieroſolymam caſtra ponit paulò ante Azymorum diem feſtum. Incidit autem dies feſtus Azymorum XIV Aprilis. Sed Baronius, qui hanc cladem cum anno Chriſti LXXII perperam conjungit, exiſtimabat locum Joſephi corruptum eſſe, & loco XIV legendum

Baron. num. II, III & ſeqq.

eſſe XXII; cùm tamen ex eo Joſephi loco inferendum fuiſſet, Hieroſolymam non alio Chriſti anno, quam ſeptuageſimo, captam. *Ita quidem Hieroſolyma capta eſt, ſecundo anno Principatûs Veſpaſiani, Septembris menſis octavo die*, inquit Joſephus lib. 7. de Bello cap. 18. Addit Dio: *Sic Hieroſolyma die Saturni, quem diem præcipuè Judæi nunc etiam adhuc colunt, exciſa fuere.* Quare cùm, currenti anno littera Dominicali G. inſignito, dies Saturni ſeu feria ſeptima in primum Septembris inciderit, videtur Joſephus ad diem exciſæ urbis reſpicere. Urbem enim totam & templum funditùs everti & complanari juſſit Titus. Uſſerius in ſuis Annalibus ait, extare Nummum Agrippæ Regis ſub finem anni XXI regni ejus cuſum cum hac Inſcriptione: ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΟΥΕ-ΣΠΑCΙΑΝΟC ΚΑΙCΑΡ ΙΟΥΔΑΙΑC. ΕΛΛΩΚΥΙΑC. ΕΤΕΙ ΚΑ. ΑΓΡΙΠΠ. id eſt, *Imperator Veſpaſianus Cæſar Judaïcus, Elliacus, anno XXI Agrippæ.* Sed is Nummus ex duabus poſticis confictus, ut videre eſt apud Occonem pag. 149. Multi autem hoc anno cuſi, in quibus legitur: JUDAEA CAPTA S. C. ut videre eſt apud Mediobarbum in Numiſmatis Imperatorum.

III. *Titus Romã redit.* Clemens Alexandrinus, aliique Veteres, quando annos à Veſpaſiano numerant, eoſdem à ſecundo ejus Imperii anno, currenti nempe, quo Hieroſolyma expugnata, deducunt. Judæi etiam computant annos *deſolationis* Templi, quos ipſi vocant *Eram deſolationis*. Titus è Judæa Romam proficiſcens celebravit Domitiani *fratris Natale* Cæſareæ, & circa *Natale patris* Beryti magnificentiſſima ſpectacula edidit, ac *diu ibidem commoratus eſt*, ut habet Joſephus lib. 7. de Bello cap. 20. Uſſerius loco laudato Joſephum explicat de Natali Imperii Veſpaſiani, quod die prima Julii celebrabatur. At eo menſe, præſenti anno, Hieroſolyma nondum capta erat, & inſequenti jam triumphus Judaïcus ante eum menſem actus. Joſephus itaque utrobique de Natali genuino loquitur. Natale Domitiani in diem XXIV Octobris, Veſpaſiani verò in diem XVII Novembris incidit, ut Suetonius teſtatur. Beryto Titus Antiochiam ſe contulit, indeque iterum in Palæſtinam, ac tandem anno ſequenti oneraria nave in Italiam appulit, ut ex Joſepho lib. 7. de Bello liquet. Qui autem Titi itinerarium à Joſepho deſcriptum examinabit, illum nonniſi exeunte Aprili anni inſequentis Romam pervenire potuiſſe comperiet. Tardiùs illuc accedere non potuit, cùm ante diem primum Maii triumpharit, ut anno ſequenti oſtendam.

Baron. num. XXXIV.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5564. ☉ 24 F. ☽ 15. P. 7. APRIL. INDICT. 14.
JESU CHRISTI 71. *ſecundùm Baronium* 73.
CLEMENTIS PAPÆ 5.
VESPASIANI IMP. 3.

I. *Conſules.* COss. *Veſpaſianus Aug. III*, & *M. Cocceius Nerva.*

Sumtus hic à Veſpaſiano Conſulatus juxta quintam Conſulatuum Cæſareorum regulam, propter triumphum nempe Judaïcum, de quo mox. Ceteri deinceps Imperatores, annis, quibus triumpharunt, Conſules proceſſere, vel triumphum cum Decennalibus & id genus feſtis copulavere. At inquiunt aliqui cenſores apud Noriſium in Epiſtola Conſulari pag. 158. ſcripſiſſe me in Diſſert. Hypatica parte 1. cap. 1. pag. 8. paulò poſt initum annum Conſules in annum ſequentem creatos, & tamen ante menſem Auguſtum ſuperioris anni Titum Hieroſolymam non expugnaſſe. Sed infirma hæc ratio: nam licèt mos ferret, ut anni initio Conſules in annum ſequentem deſignarentur, deſignatio tamen in ultimos anni menſes aliquando dilata; prætereaque ex Plinio in Panegyri diſcimus, Imperatores Conſulatus privatis deſtinatos in ſe ipſos aliquando tranſtuliſſe; quod anno antecedenti à Veſpaſiano, poſt Hieroſolymorum expugnationem auditam, præſtitum videtur. Nec magis urget, quod iidem cenſores ſubjungunt, Veſpaſianum nempe, poſt Kalendas Martias triumphaſſe, ideoque Conſules ſuffectos jam munus ſuum obiiſſe. Imperatores enim annis, quibus triumphos exhibuere, Conſulatum de more ſuſcepere, non quidem ut eo durante, ac intra priores duos anni menſes, quibus magiſtratum illum gerere ſolebant, triumphum agerent; ſed, ut Imperator ab illo dignitatis cumulo, quemadmodum Libanius in Panegyrico Juliani Aug. loquitur, eo anno magis celebraretur. Unde Procopius lib. 2. Hiſt. Vandalicæ loquens de triumpho Beliſarii anno Chriſti DXXXIV geſto ait: *Non multò pòſt Beliſario, quod ei ex veteri more ad triumphi ſpeciem deerat, acceſſit; Conſul enim eſt factus.* Vetus ille mos hoc anno à Veſpaſiano inductus.

II. *Conſulatus primus Domitiani.* Kalendis Martiis Domitianus Cæſar Conſulatum ſuffectum iniit, *Cn. Pedio Caſto* Collega, ut obſervavit Noriſius in Epiſt. Conſulari pag. 53. ubi ex Grutero refert decretum, quo quidam Veterani civitate donantur ab Imp. Veſpaſiano TR. POT. COS. III. DES. IIII. currenti nempe anno. Idem verò decretum dicitur ſcriptum NON. APRIL. CAESARE. AUG. F. DOMITIANO. CN. PEDIO CASTO. COS. Qua ex Inſcriptione rectè Noriſius deducit, Domitianum jam menſe Aprili Conſulatum geſſiſſe. Onuphrius in Faſtis *Mucianum II* Domitiani Collegam ex Plinio lib. 35. cap. 12. proponit; cùm tamen ibi ſolùm Plinius dicat, Mucianum *altero Conſulatu ſuo* exprobraſſe Vitellio, quòd patinam quamdam immenſi pretii condidiſſet: ideoque is ſecundus Muciani Conſulatus anno Chriſti LXIX geſtus fuerit. Hactenus exiſtimatum fuerat, Domitianum anno ſuperiori Conſulatum primum ſuffectum geſſiſſe. Sed ex Prætura ejus ac Imperio Conſulari anno LXIX à nobis explicatis contrarium evincitur. Præterquam quòd Zonaras de triumpho Veſpaſiani hoc anno acto loquens ait: *Cum Tito filio triumphum duxit; cui Domitianus quoque Conſul equo ſingulari interfuit.* Quæ poſtquam obſervavi, gaviſus ſum videre Noriſium in Epiſtola Conſulari, communem illum errorem etiam emendaſſe, tam ex laudata Inſcriptione, quàm ope trium Nummorum Theſauri Medicei primæ magnitudinis in antica parte inſcriptorum: IMP. CAES. VESPASIAN. AUG. P. M. TR. P. COS. III. in poſtica: IMP. AUG. F. COS. DES. IT. CAES. AUG. F. DES. S. C. Hi Nummi præſenti anno percuſſi ante Martium, cùm id temporis *Titus Imperator Auguſti filius Conſul deſignatus iterum* eſſet in annum ſequentem LXXII, & Domitianus *Cæſar Auguſti filius deſignatus* eſſet Conſul ad proximas Kal. Martias, ut doctè Noriſius notat. Ex iis Nummis etiam liquet, Conſules prioribus anni menſibus in annum ſequentem deſignari ſolitos. Ac denique Titum hoc anno, ante Kalendas Martias, Collegam Imperii nuncupatum eſſe; cùm iis Nummis Imperatoris titulo exornetur.

III. *Titus Imperii Collega dictus.* Titus enim, quemadmodum & ante eum Tiberius, ac poſt eum Trajanus, Imperii Collega fuit, ideoque Imperatoris titulo exornatus. Imperii Collegæ Tribunitia Poteſtate & Imperio Proconſulari donabantur, ratione cujus *Imperatores* nuncupati. Titum Tribunitia Poteſtate à patre cohoneſtatum eſſe teſtatur Suetonius in Veſpaſiano cap. 6. ubi de Tito ait: *Triumphavit cum patre, Cenſuramque geſſit unà: eidem Collega, & in Tribunitia Poteſtate, & in ſeptem Conſulatibus fuit.* Quæ Tribunitia Poteſtas in Nummis Titi, tam Græcis quàm Latinis, memorata. De Imperio Proconſulari eidem collato, neque Suetonius, neque alius Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptor expreſſis verbis agit. Sed cùm eum tam Plinius, quàm Philoſtratus, & Joſephus Imperatorem appellent, hoc illi Imperium conceſſum fuiſſe certò inſinuant. Plinius Hiſtoriam ſuam naturalem Tito dicavit, dum adhuc Veſpaſianus pater Rempublicam Romanam adminiſtraret. In Præfatione autem præterquam quòd eum ſemel & iterum Imperatorem vocat, ait: *Sciantque omnes quàm ex æquo tecum vivat Imperium. Triumphalis & Cenſorius tu, ſexieſque Conſul ac Tribunitiæ Poteſtatis particeps* Turnebus ait, Plinium per hæc verba, *tecum vivat Imperium*, intelligere Imperium *Triumphale & Cenſorium*, quia eum fugiebat, Titum imperio Proconſulari ornatum fuiſſe. Paſſim etiam in Hiſtoria Titus *Imperator* à Plinio appellatus. Philoſtratus lib. 6. de Vita Apollonii Tyanæi cap. 14. inquit: ἀνεῤῥήθη δὲ αὐτοκράτωρ ἐν τῇ Ῥώμῃ, καὶ ἀριστείων ἀξιωθεὶς τούτων, ἀπῄει ἰσομοιρήσων τῆς ἀρχῆς τῷ πατρὶ, &c. id eſt: *Cùm igitur Imperator eſſet Romæ appellatus Titus, omnibus ornatus dignitatibus, abire conſtituit, ut ſimul cum patre imperaret. Maximi tamen faciens Apollonium, permultùm perficere poſſe arbitratus eſt, ſi etiam brevi tempore alloqui eum poſſet. Quapropter ab eo petivit, ut Argos accederet: eò cùm veniſſet Apollonius alacriter, eum complectens Titus, &c. Ego autem annos natus ſum triginta, iiſdemque honoribus, quibus pater ſexagenarius ornatus, & cum eo pariter ad Imperium vocatus, præter id, quod dubito, an rectè ſatis imperare ſciam: vereor etiam ne majora, quàm me deceat, aggredi moliar. Demulcens autem ejus cor Apollonius; quod robuſtum erat, perinde.*

neque eorum, qui corpus exercent, Dic mihi, inquit, quis tam valida cervice taurum jugum ſubire cogeret? Is, inquit Titus, qui me vitulum à primordiis educavit: patrem illis verbis denotans, &c. *Gaudeo, inquit Apollonius, primùm quòd te patri obtemperare paratum video, cujus dominatu gaudent etiam ſubditi, & qui naturâ filii non ſunt. Quòd ſi frequenter domi cum eo verſaberis, inde honorem conſequeris. Juventute enim unà cum ſenectute regnum gubernante, quæ lyra, quæ fiſtula adeo ſuavem & temperatam reſonabit harmoniam, nam ſeniora junioribus concordabunt: unde & ſenectus roboris aliquid accipiet, & juventus inordinatè non efferetur.* Qui locus egregius ad oſtendendum, Titum Imperii Collegam fuiſſe. Caſaubonus tamen, qui illum in Animadverſionibus ad lib. 8. Suetonii refert, ſcribit: *At quod ait* (nempe Philoſtratus) *de ſalutato Romæ tunc temporis Tito Imperatore, an verum? Non ſanè, ſed prorſus nugatorium: nam id factum in caſtris ad Hieroſolyma, ut modò dicit Suetonius, & narrat Joſephus lib. 6. cap. 32. neque aliter ſalutatus à ſuo exercitu Titus Imperator, quàm vetuſto ſub Republica more, qui omnibus notus.* Sed valde fallitur Caſaubonus: Titus enim eo modo, quo Auguſti poſt inſtitutum Imperium, appellatus Imperator, non verò more ſub Republica uſurpato, ut mox videbimus; neque verum eſt, Titum tantùm in caſtris ad Hieroſolyma dictum eſſe Imperatorem; cùm Romæ etiam à patre hoc anno Imperator dictus fuerit. Anno enim elapſo poſt capta Hieroſolyma Titus à militibus Imperator appellatus, ut narrant Joſephus lib. 7. cap. 13. aut ſecundùm Græcum cap. 32. & Suetonius in Tito cap. 5. currenti verò anno eo nomine à patre vocatus. Denique tam Joſephus quàm Suetonius de nomine Imperatoris dari ſolito loquuntur, ideoque uterque Auctor à Caſaubono non intellectus.

IV. *Titus Imperio Proconſulari ornatus.*

Joſephus lib. 7. de Bello cap. 24. de Veſpaſiani & Titi triumpho agens, utrumque Imperatorem vocat: ἐκεῖ γὰρ ἐκοιμῶντο τῆς νυκτὸς ἐκείνης οἱ αὐτοκράτορες; id eſt, ut Gelenius vertit, *Ibi enim* (nempe prope Iſidis templum) *Principes nocte illa quieſcebant*, id eſt, Imperatores. Græci enim uno eodemque nomine utrumque exprimunt; quamvis *Imperatores* rectiùs vertiſſet Gelenius. Ibi *Imperatoris* nomen Proconſulare Titi Imperium ſpectare, minimè dubitandum. Capitolinus in Marco de ejus avo loquens ait: *Avus Annius Verus, item Conſul & Præfectus Urbi adſcitus in Patritios à Principibus Veſpaſiano & Tito Cenſoribus.* Salmaſius in Notis ait: *Verba illa* à Principibus *non leguntur in noſtro Palatino, & delenda ſunt.* At ſi Titum Collegam Imperii, & Imperatorem fuiſſe intellexiſſet, verba illa retinenda, & Codicem Palatinum hac in parte mancum eſſe non dubitaſſet. Titum in Nummis dupliciter Imperatorem nuncupatum apud Mediobarbum videre eſt. Quod nomen ubi præponitur, Imperium Proconſulare; ubi poſtponitur, victorias Titi reſpicit. Præponitur autem vel hoc modo, T. CAESAR IMP. VESP. vel iſto, IMPERATOR T. CÆSAR AUGUS. F. id eſt, *Imperator Titus Cæſar Auguſti filius.* Quando verò Imperatoris nomen ad Titi victorias refertur, nomini ejus poſtponitur hoc modo, T. CÆSAR VESPASIAN IMP. IIII. Denique aliquando in eodem Nummo Titus Imperator dicitur, & ratione Imperii Proconſularis, & ratione victoriarum, ut in iſto Nummo apud eundem Mediobarbum: T. CÆSAR IMP. VESPASIANUS. in poſtica: IMP. XIII. COS. VI. Titum itaque Imperio Proconſulari præditum fuiſſe, illudque *Imperatoris* nomine expreſſum, quod nemini vidi obſervatum, certum. Titum Imperii Collegam fuiſſe ita disertè Dio lib. 66. in literas retulit, ut mirum ſit tam diu hanc dignitatem latuiſſe: ὅτι δὲ Τίτος οὐδὲν οὔτε φονικὸν, οὔτε ἐρωτικὸν μοναρχήσας ἔπραξεν; id eſt, *Titus ex quo tempore Principatum ſolus obtinuit, nec cædes fecit, nec amoribus inſervivit*, ut rectè vertit Interpres: μοναρχέω enim eſt, ſolus impero, ut omnibus notum. Porro Titus hoc tantùm anno Imperii Collega dictus, ut liquet ex ejus Nummis, in quibus Tribunitia Poteſtas VIII cum Conſulatu ſeptimo jungitur; quod fieri non poſſet, ſi anno præcedenti eam obtinuiſſet; cùm Conſulatum ſeptimum anno Chriſti ſeptuageſimo nono Titus geſſerit; quo pacto, Tribunitia Poteſtas VIII anno Chriſti præcedenti, quo tantùm Conſul ſextùm erat, abſoluta fuiſſet.

V. *Quo die Titus Imperii Collega dictus.*

Nunc inveſtigandus dies, quo *Titus* Collega Imperii renuntiatus, quem me detexiſſe exiſtimo. *Quinto Kalendas* alicujus menſis ea dignitas de more collata, ut alibi demonſtravi. Quare cùm Veſpaſiani & Titi triumphus ipſo fine menſis Aprilis anni inſequentis ductus fuerit, ut ex dicendis liquebit, & *Titus* anno ſuperiori die decima ſeptima menſis Novembris *Beryti*, quæ Phœniciæ urbs, ut tunc oſtendimus, non alio is die, quàm quinto Kalendas Aprilis Imperii Collega creatus eſt. Et ratio eſt, quia, ut colligitur ex Joſepho lib. 7. de Bello cap 24. longè poſt eum diem *Titus*, ut Romam veniret, mari ſe ſe commiſit, ideoque cùm hujus nuncupationis nuntium, dum *Argos* eſſet, teſte Philoſtrato citato, acceperit, ante medium menſem Aprilem ad illum non perlatum; neque aliunde Veſpaſianus filium hac de re monere diſtulit. Unde *Titus* Imperii Collega *quinto Kalendas Aprilis*, ſeu die XXVIII Martii, appellatus eſt, ſtatimque miſſus, qui rem ei nuntiaret. Is *Argos* erat, ſive in Peloponneſo, ſive in Epiro, ſive in Theſſalia, (triplex enim hujus nominis urbs) quando Romam veniens, ſe Imperatorem creatum audivit. Parte alia ante medium menſem Aprilem Titus Argos pervenire non potuit; quia ex Joſepho citato poſtquam Titus aliquandiu Beryti, ubi anno elapſo die XVII Novembris erat, commoratus eſt, Antiochiam Syriæ venit, & *continuò ad Zeugma Euphratem verſus iter contendit*, inquit Joſephus loco citato. Eſt autem *Zeugma* urbs Syriæ in Comagene ad Euphratem fluvium. Inde *Antiochiam remeavit*: ex ea urbe *ad Ægyptum diſceſſit*, & *iter agendo ad Hieroſolymam* venit. *Titus autem propoſitum iter ad Ægyptum tendens, emenſa velociter ſolitudine, pervenit Alexandriam: decretoque ad Italiam navigare*, captivorum duces Simonem & Joannem *ilico ad Italiam*

portari præcepit. Peracta verò navigatione pro voto, &c. Hæc Joſephus. Quod iter poſt diem XVII Novembris inchoatum, vix ante medium menſem Aprilem, attentâ earum urbium ac locorum diſtantiâ, abſolvi potuit.

VI. *Veſpaſiani & Titi triūphus.* Baron.num. 1 & 11.

Quoad Veſpaſiani & Titi triumphum, extant multi Nummi apud Mediobarbum V. C. illum repræſentantes. In uno legitur: IMP. CÆS. VESPASIAN AUG. P. M. TR. P. COS. III. In poſtica parte: TRIUMP. AUG. Viſitur Imperator in quadrigis, qui dexterâ ramum tenet, & à Victoria coronatur; ante eum tibicen, & ante currum duo captivi, manibus poſt terga revinctis, qui videntur eſſe Joannes & Simon præcipui Judæorum Duces, quos in triumpho ductos ſcribit Joſephus lib. 7. de Bello cap. 24. In poſtica parte alterius Nummi eâdem anticâ notati habetur: JUDÆA CAPTA. Cernitur figura muliebris inter ſpolia ſedens prope palmam, quæ ſymbolum eſt Palæſtinæ. Porro triumphus menſe Aprili exeunte ductus. Nam Domitianus eidem Conſul interfuit, qui, ut ait Suetonius in Domitiano, nullum Conſulatum geſſit *ultra Kalendas Maii.*

VII. *Janus bis à Nerone, ſemel à Veſpaſiano clauſus.*

Oroſius lib. 7. cap. 6. prodit, Veſpaſianum & Titum, Janum geminum poſt triumphum illum, ſextùm clauſiſſe. Illum Auguſtus ter clauſerat, ut ſuo loco dictum; bis verò Nero. Primùm, anno Chriſti LVIII, quo Quinquennalia Imperii Auguſtei dedit, ut videre eſt in Nummis Neronis apud Mediobarbum. Secundò, anno Chriſti LXVI: extat enim ibidem Nummus inſcriptus: IMP. NERO CLAU. CÆSAR AUG. GERM. P. M. TR. P. XIII. P. P. In poſtica parte: PACE P. R. TERRA MARIQUE PARTA JANUM CLUSIT S. C. Cerniturque templum Jani. Rectè Oroſius de Jano à Veſpaſiano hoc anno clauſo ait: *Jure idem honos ultioni Paſſionis Domini impenſus eſt, qui etiam Nativitati fuerat attributus*, ut nempe Janus clauderetur.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5565. ☉ 25 E D. ☽ 16. P. 22. MART. INDICT. 15.
JESU CHRISTI 72. *ſecundùm Baronium 74.*
CLEMENTIS PAPÆ 6.
VESPASIANI IMP. 4.

I. *Conſules.*

COSS. *Veſpaſianus Aug. IV*, & *Titus Cæſar II.*

Sumtus à Tito Conſulatus juxta primam Conſulatuum Cæſareorum regulam, quia nempe anno præcedenti Imperio Proconſulari donatus eſt; à Veſpaſiano verò juxta tertiam, ut filii ſcilicet Collega eſſet. Baronius hoc anno Veſpaſianum III & Titum II Conſules proponit, indeque per Veſpaſiani tempora faſti ejus depravati. Natus illi error ex depravato Plinii Codice, quo uſus eſt: in eo enim lib. 2. cap. 12. quemadmodum & in multis impreſſis, habebatur: *Nam ut duodecim diebus utrumque ſidus quæreretur, & noſtro ævo accidit, Imperatoribus Veſpaſianis patre III, filio iterum Conſulibus.* Cùm tamen quartus Veſpaſiani Conſulatus cum ſecundo Titi neceſſariò copulandus ſit. Cùm Diſſertationem Hypaticam compoſui, in I parte cap. 1. num. V, hunc locum reſtituere conatus ſum: cùmque viderem, Calviſium in Opere Chronologico ſcribere, nullam hoc anno eclipſim Solis accidiſſe, ſuperiore autem die IV Martii Lunam defectum paſſam, & die vigeſima ſecunda ejuſdem menſis Solem, arbitratus ſum, Plinium de hac eclipſi locutum, & Veſpaſianum, qui tertiùm tantùm Conſul erat, ideo IV Conſulem appellaſſe, quia in præſentem annum Conſul IV deſignatus erat. Imperatores enim abſolutè Conſules dictos, licèt ſolùm deſignati eſſent, multis exemplis conſtat. Verùm poſtea in mentem venit, rem quæ anno Chriſti LXXI contigit, Conſulibus anni LXXII ſignari non potuiſſe. Præterea legi apud Ricciolum in Chronologia Reformata lib. 4. pag. 161. præſenti anno die VIII Februarii Solem defeciſſe in Italia ante meridiem, & die XXII ejuſdem menſis Lunam defeciſſe Romæ ſeſquihorâ ferè poſt occaſum Solis, quod ſe ſe ex Tabulis Aſtronomicis colligere ait Ricciolus. Quare cùm Plinius in Italia Opus ſuum compoſuerit, non dubium, quin de utraque illa eclipſi interpretandus ſit. Eam ob rem tria MSS. Plinii, quæ in Bibliotheca Regia extant, conſulenda cenſui. In priori à ſeptingentis aut octingentis annis exarato, quod numero eſt 4759. legitur: *Imperatoribus Veſpaſianis patre ac filio*, numeralibus notis prætermiſſis, & ſupra illa verba alia manu additum, *tertiùm Conſulibus.* Quod MS. à Petavio in Paralipomenis librorum de Doct. Temp. pag. 861. viſum exiſtimo, aut ſaltem ſimile; ait enim: *Vel IIII Conſul pro III legi, vel ut in MS. comparet, ſine ulla numerorum nota, Veſpaſiano patre & filio Conſulibus.* In alio MS. à quingentis circiter annis deſcripto habetur: *Imperatoribus Veſpaſianis patre III, filio II Coſ.* In tertio, quod eſt ducentorum circiter annorum: *Imperatoribus Veſpaſianis patre III ac filio II Coſ.* Tandem in manus meas venit nova editio Plinii, ab Harduino Viro eruditiſſimo à biennio in lucem emiſſa, in qua totus Plinii locus ſic exprimitur: *Nam ut quindecim diebus utrumque ſidus quæreretur, & noſtro ævo accidit, Imperatoribus Veſpaſianis patre IV, filio iterum Conſulibus.* Et rectè quidem quoad dierum numerum, non ſolùm quia Plinius ignorare non potuit ſpatio duodecim dierum binas eclipſes accidere non potuiſſe; ſed etiam quia in tribus Regiis Codicibus citatis diſertè legitur, *quindecim diebus*, quemadmodum & in aliis quibuſdam Codicibus MSS. ab Harduino laudatis. Verùm non dubito quin notæ numerales addititiæ ſint, & quin Plinius ſcripſerit, *Veſpaſianis patre ac filio Coſ.* ut habetur in priori MS. Regio; non tantùm quia Vir doctiſſimus, qui tot MSS. Plinii præ manibus habuit, nullum profert, in quo idem Veſpaſiani patris, & Titi filii Conſulatus cum Notis numeralibus edatur; ſed etiam quia Conſulatus ille in duobus citatis Codicibus Regiis his verbis memoratur, *patre III & filio II Coſ.* ab Harduino verò, & ab aliis Plinii editoribus Titi Conſulatus hoc modo enuntie-

tur, *filio iterum Conſulibus*. Quæ diverſa iterati Conſulatus expreſſio, eam inſititiam eſſe declarat. Ceterùm, quod Harduinus in Notis tradit, Titum, licèt à Plinio Imperator vocetur, non idcirco eum Collegam Imperii fuiſſe, & primum omnium Marcum Lucium Verum Collegam adſciviſſe, ex dictis prorſus evertitur, liquetque, duplicis generis Collegas Imperii fuiſſe, quoſdam ſc. qui Imperio Proconſulari & Tribunitia Poteſtate exornati erant, alios verò qui etiam Auguſti nomine donabantur, ut ſuo loco dictum.

Olymp. 213.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5566. ☉ 26 C. ☽ 17. P. 11. APRIL.
INDICT. 1.
JESU CHRISTI 73. *ſecundùm Baronium 75.*
CLEMENTIS PAPÆ 7.
VESPASIANI IMP. 5.

I. *Conſules.*

COss. *Domitianus Cæſar II, & M. Valerius Meſſalinus.*

II. *Quinquennalia Domitiani Cæſaris.*

Baronius proponit hoc anno Veſpaſianum IV, & Valerium Meſſalinum ex Frontino lib. 2. de Aquæduct. & ſecundum Domitiani Cæſaris Conſulatum in annum LXXVII, ſeu, ut ipſe vocat, LXXIX, differt; quòd Veſpaſianus anno Chriſti LXXX Conſul VI proceſſerit, &, ut ipſe arbitratur, Conſules ſuffecti in Faſtis non numerarentur. At jam ſuperiori anno demonſtravimus, Conſules ſuffectos in Faſtis numeratos fuiſſe. Ex quo ſequitur, Veſpaſianum anno Chriſti LXXV in Faſtis Conſulem VI appellari, non quòd ille Conſulatus ſit inter ordinarios ſextus, ſed quòd ſextus ſit comprehenſo ſuffecto, quem ante Imperium geſſerat. Veſpaſianus itaque hoc anno Conſul non proceſſit, neque Frontinus quartum ejus Conſulatum cum Valerio Meſſalino jungit, ut dicit Baronius; ſed Domitiani nomen ex S. C. abolitum omittit, & Valerium, & Meſſalinum alterum Conſulem tantùm nominat, quem in duos partitur. Hunc uſum ejuſdem Conſulis nomina in duos dividendi, ab aliis etiam quandoque uſurpatum videbimus. Porro extat apud Mediobarbum pag. 122. Nummus Titi inſcriptus: T. CÆS. VESPASIAN. AUG. IMP. IIII. PON. TR. POT. II. COS. II. In poſtica parte: CÆSAR DOMITIAN. COS. DES. II. S. C. Cuſus Nummus ille anno ſuperiori, quo Titus Tribunitiam Poteſtatem ſecundam iniit, & Domitianus in annum præſentem deſignatus eſt Conſul II, juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam: Cæſarei enim ejus Imperii Quinquennalia in hunc annum incidunt. Suetonius in Domitiano cap. 2. ait: *In ſex Conſulatibus nonniſi unum ordinarium geſſit, eumque, cedente & ſuffragante fratre*, quia nempe Domitiani Quenquennalia hoc anno acta. Unde Titus non tantùm hunc ei Conſulatum ceſſit, ſed etiam propria Quinquennalia in annum ſequentem diſtulit, ſicut pater ſua in annum LXXV. Ex quibus duorum ſequentium annorum Conſulatuum Cæſareorum cauſæ innoteſcunt. Hæc porro Suetonii verba male à Baronio explicata, ut ex dictis intelligitur.

Baron. anno 79. num. 1.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5567. ☉ 27 B. ☽ 18. P. 3. APRIL.
INDICT. 2.
JESU CHRISTI 74. *ſecundùm Baronium 76.*
CLEMENTIS PAPÆ 8.
VESPASIANI IMP. 6.

COss. *Veſpaſianus Aug. V, & Titus Cæſar III.* Domitianus verò Cæſar Conſul ſuffectus III. I. *Conſules.*

Sumtus eſt hic à Tito Conſulatus juxta ſecundam regulam, propter ſcilicet ejus Cæſarei Imperii Quinquennalia; à Veſpaſiano verò juxta tertiam, ut nempe filii Collega eſſet. II. *Quinquennalia Titi Cæſaris.*

Ad num. I. Cenſorinus lib. de Die Natali cap. 15. ait: *Cùm inter primum à Servio Rege conditum Luſtrum, ab Imp. Veſpaſiano V, & Tito Cæſ. III Coſſ. factum eſt, anni interfuerant paulò minùs DCL; Luſtra tamen per ea tempora non plura quàm LXXV ſunt facta, & poſtea planè fieri deſierunt.* Vide, Cenſorinum evertere opinionem Baronii, qui Conſulatum Veſpaſiani V cum Conſulatu Titi III hoc anno conjungendum eſſe negabat. Porro licèt Luſtrum hoc tantùm anno peractum ſit, Cenſus tamen jam ab anno ſeptuageſimo primo inchoatus fuit; cùm Veſpaſianus in Nummis dicatur *Cenſor*, quando Conſulatum III gerit, & Plinius in lib. 7. Hiſt. cap. 49. de hoc Cenſu loquens ſcribat: *Quem intra quadriennium Imperatores Cæſares Veſpaſianus pater filiuſque Cenſores egerunt.* Vides, Titum Imperatorem vocari, quia ſc. Imperio Proconſulari decoratus erat.

III. *Luſtrum conditur.*

Baron. num. 1 & 11.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5568. ☉ 28 A. ☽ 19. P. 23. APRIL.
INDICT. 3.
JESU CHRISTI 75. *ſecundùm Baronium 77.*
CLETI PAPÆ 1.
VESPASIANI IMP. 7.

COss. *Veſpaſianus Aug. VI, & Titus Cæſar IV*, Domitianus Cæſar Conſul ſuffectus IV, ut oſtendit Onuphrius in Faſtis. I. *Conſules.*

Sumtus is à Veſpaſiano Conſulatus juxta II Conſulatuum Cæſareorum regulam, propter nempe ejus Quinquennalia anno uno dilata; à Tito juxta tertiam, ut ſcilicet patris Collega eſſet: neque enim Domitianus & Titus eodem, quo pater, anno hujuſmodi ſolennia exhibuere. Horum Quinquennalium indicium dedicatio celeberrimi Pacis templi, de quo Baronius. Accedunt duo Veſpaſiani Numiſmata apud Mediobarbum pag. 115. in quibus legitur: IMP. VESPASIAN. AUG. Viſitur Orbis cum temone. In poſtica: P. M. TR. P. P. P. COS. VI. Caduceum. Qui Nummi ei ſimiles, qui in Vicennalibus Tiberii percuſſus.

II. *Quinquennalia Veſpaſiani.*

Baron. n. 1.

Sanctus Cletus hoc anno Sancto Clementi in Pontificatu Romano ſuccedit, ut ex infrà dicendis conſtabit. III. *S. Cletus fit Papa.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ
5569. ☉ 1 GF. ☽ 1. P. 7. APRIL.
INDICT. 4.
JESU CHRISTI 76. *ſecundùm Baronium* 78.
CLETI PAPÆ 2.
VESPASIANI IMP. 8.

I. *Conſules.* COss. *Veſpaſianus Aug. VII*, & *Titus Cæſar V*, Domitianus Cæſar Conſul ſuffectus V, ex Faſtis Onuphrianis.

II. *Quinquennalia Titi Collegæ Imperii.* Titi Conſulatus juxta II Conſulatuum Cæſareorum regulam: Imperii enim Proconſularis Quinquennalia dedit, ut ex ejus Decennalibus liquet.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ
5570. ☉ 2. E. ☽ 2. P. 30. MART.
INDICT. 5.
JESU CHRISTI 77. *ſecundùm Baronium* 79.
CLETI PAPÆ 3.
VESPASIANI IMP. 9.

Olymp. 214. Anno Urbis 1030.

I. *Conſules.* COss. *Veſpaſianus Auguſt. VIII*, & *Titus Cæſar VI*, Domitianus Cæſar Conſul ſuffectus VI.

Baronius perperam edit Veſpaſianum VIII & Domitianum Cæſarem; Titum verò Conſulem ſuffectum V. Certum enim, Domitianum anno Chriſti LXXIII, quo Quinquennalia dedit, Conſulem ordinarium fuiſſe, neque ullum ſuffectum Conſulatum Titum geſſiſſe. Fundatur Baronius in figlina Onuphrio laudata lib. 2. Faſt. in qua legitur: T. VESPAS. AUG. VIII. FLAV. DOMIT. VI. COS. Sed idem Onuphrius pag. 38. Deſcriptionis urbis Romæ aliter legit, ſcilicet: TI. VESPAS. AUG. VII. DOMIT. VI. COS. Verùm, cùm Titi prænomen in Nummis & Lapidibus filio, non patri detur, legendum eſt cum Noriſio: T. VESP. AUG. VIII. FL. DOMIT. VII. COS. Sicque Inſcriptio illa ad annum Chriſti octogeſimum, non verò ad præſentem pertinet. Sumtus hic Conſulatus à Veſpaſiano juxta III regulam, ut Titi nempe Collega eſſet; ab hoc autem juxta ſecundam: Imperii enim Cæſarei Decennalia anno uno anticipata dedit, niſi, quod veroſimilius eſt, & non rarò factum obſervabimus, præſenti anno Conſulatum ſuſceperit, & ſequenti Decennalia dederit; quod eò magis exiſtimandum, quòd Domitianus Cæſar currenti anno Imperii Cæſarei Decennalia ediderit. Neque enim Domitianus anno ſequenti, quemadmodum præſenti, Conſulatum ſuffectum geſſit; ideoque ejus Decennalia præſenti anno videntur peracta. In Catalogo antiquiorum Pontificum Damaſo adſcripto, Cletus Papa dicitur fuiſſe *à Conſulibus Veſpaſiano VIII, & Domitiano VI, uſque Domitiano IX, & Rufo*, id eſt, à currenti anno uſque ad annum LXXXIII. Quibus ex verbis etiam liquet, Conſulatus Domitiani ſuffectos rectè à nobis conſignatos fuiſſe.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ
5571. ☉ 3 D. ☽ 3. P. 19. APRIL.
INDICT. 6.
JESU CHRISTI 78. *ſecundùm Baronium* 80.
CLETI PAPÆ 4.
VESPASIANI IMP. 10.

COss. *L. Ceionius Commodus*, & *D. Novius Priſcus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſt. Conſul. Prior fuit avus L. Ceionii Commodi, quem Hadrianus adoptavit, & Cæſarem dixit. I. *Conſules.*

Titus Imperii Cæſarei Decennalia dedit, quorum varia extant indicia. Mediobarbus Titi Nummum exhibet, in quo legitur: T. CÆSAR IMP. VESPASIANUS. In poſtica, COS. VI. Cernitur bos & vacca cum aratro, quod deductæ coloniæ ſignum: annis enim hujuſmodi ſolenniis addictis coloniæ de more inſtitutæ. Præterea Mediobarbus alium Titi Nummum producit in poſtica inſcriptum: IMP. XIII. COS. VI. Viſuntur quadrigæ triumphales, ad renovandam nempe triumphi Judaïci memoriam. Denique varia Numiſmata Titi recitat, in quorum poſtica parte habetur: JUDÆA CAPTA S. C. In Decennalibus enim & id genus feſtis victoriæ antea relatæ memorari ſolitæ. Certè in Titi Nummis cuſis anno octogeſimo, quo Proconſularis Imperii Decennalia edidit, legitur etiam, JUDÆA CAPTA, ut videre eſt apud Mediobarbum, quæ verba in aliis Titi Nummis, præterquam in utriuſque Decennalibus percuſſis, non exprimuntur. Immo in Nummo Veſpaſiani octavo ejus Conſulatu ſignato legitur etiam, JUDÆA CAPTA, quia æquum non videbatur, ut Veſpaſianus, qui cum Tito triumphaverat, eodem tunc titulo non exornaretur. Ultimum porro Imperatorum Conſulatum de more in Nummis expreſſum, etiam poſtquam eo functi eſſent, omnibus notum. II. *Decennalia Titi Cæſaris.*

Ad num. I. Sanctus *Linus* Papa, non hoc anno, ut Baronius exiſtimavit, ſed anno Chriſti ſexageſimo ſeptimo ad cæleſtem patriam migravit, ut liquet ex Chronico Damaſi, in quo dicitur: *Linus annis duodecim, menſibus quatuor, diebus decem. Fuit temporibus Neronis, à Conſulatu Saturnini, & Scipionis, uſque Capitone, & Rufo*, qui anno Chriſti ſexageſimo ſexto Faſtis nomen dedêre: ſed legendum cum auctiori Chronico veterum Pontificum, *Linus annis XI.* Neque enim ab anno Chriſti LVI ad LXVII, anni duodecim & aliquot menſes fluxere. Ex quibus apparet, Linum Petri fuiſſe Vicarium, quod etiam à quibuſdam Antiquis traditur. In auctiori Chronico veterum Pontificum dicitur: *Sepultus eſt juxta corpus B. Petri in Vaticano IX Kalendas Octobris*, die ſcilicet XXIII Septembris, quo in Martyrologiis colitur. Sed non exiſtimandum, Linum eo die ad ſuperos tranſiiſſe; cùm dies, quibus in Martyrologiis veteres Pontifices coluntur, & in auctiori Chronico veterum Pontificum dicuntur ſepulti, ad aliquam eorum Tranſlationem ut plurimùm pertineant. Lino ſucceſſit III. *Obitus S. Lini PP.* Baron. n. 2.

ceſſit

ceſſit *Clemens*, ut teſtantur Tertullianus lib. de Præſcriptione Hæreticorum cap. 32. & vetuſtus Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum. Immò Clementem ante annum Chriſti LXXI Eccleſiam gubernaſſe, ex ipſomet Clemente deduci videtur. Patet namque ex Epiſtola *ad Corinthios* miſſa, nomine ejus, cui præerat, Eccleſiæ, exaratam eam eſſe, ſtante Templo Hieroſolymitano, ac durantibus ejus ſacrificiis. Scripta itaque ante annum LXXI, quo Templum everſum. Hinc conſtat, inquit Iſaacus Voſſius in Epiſtola II ad Andream Rivetum ſcripta, & à Pearſonio in fine Vindiciarum Epiſtolarum Sancti Ignatii relata, quantùm erraverit Euſebius, qui initium Epiſcopatûs Clementis contulit ad annum Chriſti XCIII, & quàm rectè in Chronico Damaſi ſtatuatur anno Chriſti LXVII. Euſebium tamen ſecutus eſt Baronius, à quo nobis hac in parte diſcedendum putamus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5572. ☉ 4 C. ☽ 4. P. 4. APRIL.
INDICT. 7.
JESU CHRISTI 79. *ſecundùm Baronium* 81.
CLETI PAPÆ 5.
TITI IMP. 1.

I. *Conſules.* COss. *Veſpaſianus Aug. IX, & Titus Cæſar VII.* Veſpaſianus juxta II Conſulatuum Cæſareorum regulam: Decennalia enim dediſſet, niſi morte præventus eſſet; Titus juxta tertiam, ut nempe patris Collega eſſet.

II. *Obitus Veſpaſiani.* Ad num. II. *Veſpaſianus* die XXIV Junii extinctus eſt, ut docet Suetonius in Veſpaſiano. *Regnavit annos X, ſex diebus exceptis*, inquit Dio, qui à Kalendis Juliis
Baron. n. 1. anni Chriſti LXIX initium ejus repetit. Euſebius in Chronico, Caſſiodorus, Clemens Alexandrinus, & Theophilus Antiochenus, qui Imperium ejus à *V Nonas Julii*, ſeu à die III ejuſdem menſis, exordiuntur, tradunt, eum imperaſſe annos IX, menſes XI, dies XXII. Ex quo manifeſtum fit, locum Suetonii à nobis allatum anno LXIX num. IV, ubi dicitur, Judaïcum exercitum *V Idus Julii* apud Veſpaſianum juraſſe, mendoſum eſſe, aut Suetonium erraſſe; ac legendum, *V Nonas Julii*, ut rectè Tacitus ibidem laudatus. Veſpaſiano Titus filius ſucceſſit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5573. ☉ 5 BA. ☽ 5. P. 26. MART.
INDICT. 8.
JESU CHRISTI 80. *ſecundùm Baronium* 82.
CLETI PAPÆ 6.
TITI IMP. 2.

I. *Conſules.* COss. *Titus Aug. VIII, & Domitianus Cæſar VII.*

II. *Decennalia Titi.* Titus juxta primam regulam, ob initium nempe Imperii ejus Auguſtei, ac juxta tertiam; Imperii enim ejus Proconſularis Decennalia in hunc annum incidunt. Domitianus juxta tertiam, ut nempe fratris Collega eſſet.

In quibuſdam Nummis Titi octavo ejus Conſulatu inſignitis apud Mediobarbum legitur, JUDÆA CAPTA, quia, ut jam dixi, præcedentium annorum victoriæ annis Decennalibus addictis de more expreſſæ. Immo arcus triumphalis hoc anno Romæ erectus ad radices Palatini adhuc viſitur cum Inſcriptione, in qua Titus dicitur gentem Judæorum deleviſſe. Refert eam integram Baronius. Sic in Decennalibus Conſtantini Magni anno CCCXVI editis conſtructus triumphalis arcus à Senatu ob Maxentium quadriennio antea debellatum, ut videre eſt apud Baronium. Sunt qui exiſtimant, Inſcriptionem, quæ in arcu Titi legitur, fictitiam eſſe: ſed decima Tribunitia Poteſtas Titi, ejuſque Decennalia, eidem plurimùm favent; cùm antea nullus adverterit, arcus triumphales in Decennalibus Imperatoribus poſitos. Baron. an. 73. num. II. Baron. an. 316.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5574. ☉ 6 G. ☽ 6. P. 15. APRIL.
INDICT. 9. Olymp. 215.
JESU CHRISTI 81. *ſecundùm Baronium* 83.
CLETI PAPÆ 7.
DOMITIANI IMP. 1.

COss. *Sex. Annius Silvanus, & T. Verus Pollio*, ut oſtendit Noriſius in Epiſt. Conſulari ex Inſcriptione Gruteriana pag. 1040. I. *Conſules.*

Ad num. II. Titus *exceſſit Idibus Septembris, poſt biennium, ac menſes duos, dieſque viginti, quàm ſucceſſerat patri, altero & quadrageſimo ætatis anno*, inquit Suetonius in Tito cap. 11. *Natus eſt III Kalend. Jan. inſigni anno Caiana nece*, ait idem Suetonius. Quem natalem Titi diem etiam exhibet antiquum Kalendarium à Lambecio publicatum. Occiſus autem Caius Caligula die XXIV Januarii anni Chriſti XLI, quo ideo Titus die XXX Decembris in lucem prodiit. Quare vixit annos quadraginta, menſes octo, dies quindecim. Quod confirmat Dio lib. 66. quando ait Titum, *antequam eſſet Imperator, annos XXXIX, menſes V, dies XXV* vixiſſe, quæ verba Zonaras exſcripſit. Erravit itaque Euſebius in Chronico, ubi dicit, Titum mortuum *pridie Idus Septembres anno ætatis XLII.* Nam licèt vox *alter* à Suetonio uſurpata, numeralibus juncta ſæpius *ſecundum* ſignificet, aliquando tamen pro *primo* uſurpatur, ut vel hic Suetonii locus demonſtrat. II. *Obitus Titi.* Baron. n. 1.

Quòd ſi anni ejus à tempore, quo Collega Imperii dictus, quóve Tribunitiam Poteſtatem accepit, numerentur, eum Tribunitiam Poteſtatem XI ſuſcepiſſe ex Nummis conſtat. Sic in Nummo Græco apud Occonem pag. 166. legitur: ΑΥΤ. ΤΙΤΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ ΣΕΒ. ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ ΙΑ. id eſt, *Imperatoris Titi Cæſaris Veſpaſiani Auguſti anno novo ſacro XI.* Quo ex Titi Nummo ſimilibúſve manifeſtè apparet, deceptos Viros eruditos, qui negant annos Tiberii, Titi, aliorumque Imperii Collegarum numeratos fuiſſe. Hæc porro epocha nonniſi in Veſpaſiani, Titi, Domitiani & Nervæ Nummis oc- III. *Epocha ab anno novo ſacro explicata.*

currit. Primus, qui eam explicare tentavit, Erizzus fuit, qui eam à Hieroſolymitani Templi conſtructione deductam credidit; cùm tamen ultima Hieroſolymitani Templi conſtructio, regnante *Herode* Aſcalonita, antequam ſcilicet Veſpaſianus in lucem prodiret, facta fuerit. Hinc aliam hujus epochæ cauſam aſſignavit Seguinus V. C. eamque deduxit à Capitolio, ſive à Jovis Capitolini templo à Veſpaſiano reſtaurato, de quo Tacitus, Suetonius, & ceteri, Inſcriptionemque Nummi Veſpaſiani à ſe prolati ſic explicat, ΕΤΟΥϹ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Η. *anno novi templi octavo.* Firmatâque propriâ ſententiâ, Henrici Valeſii profert opinionem, ſcilicet ea verba Græca interpretari debere: *Anno novo ſacro octavo*, nempe Imperii Veſpaſiani, cujus anni ſacri vocati, quòd rem Romanam renovaſſet atque inſtauraſſet. Valeſianam opinionem, utpote probabiliorem, Noriſius Vir eruditiſſimus, in Epiſtola ad Toinardum Virum etiam doctiſſimum ſcripta, amplectitur, & his argumentis confirmat. Niſi enim hoc modo in Nummis Titi, Domitiani & Nervæ epocha hæc explicetur, impoſſibile eſt, Nummos inter ſe poſſe convenire; cùm eorum Imperii annos non excedat, ſed adamuſſim iiſdem reſpondeat, prout etiam reſpondet Domitiani argenteus Nummus, qui ſervatur in gaza Domini Joannis Dominici Theupoli, in quo

ΚΑΙΣΑΡ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΣΕΒΑΣ. *Cæſar Domitianus Aug.*

ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ ΕΝΑΤΟΥ. *Novi ſacri nono*, ſcilicet anno. Aquila unguibus fulmen tenens.

Si epocha hæc initium ſumeret à Capitolio reſtaurato, annus, quo cuius eſt ſuperior Nummus, caderet in annum Urbis DCCCXXXI, quo tempore Domitianus non erat Auguſtus. Hinc ad Valeſianum epochæ caput accedendum, ſcilicet ad initium Imperii Domitiani anno Urbis DCCCXXXIV, ex quo producti anni noveno numero ſignati cadunt in annum Urbis DCCCXLIII, quo tempore Domitianus Auguſtus erat, & Tribunitiam Poteſtatem IX inierat. Præterea, inquit Noriſius, templum Jovis Capitolini, de cujus inſtauratione agitur, Romæ erat. Nummi cum hujus epochæ mentione vel in Græcia, vel, ut puto veriùs, in Ægypto cuſi ſunt, Græciſque litteris exarati. Denique Eræ particulares non deducebantur à templorum ædificatione vel reſtauratione, ſed, ut ex Evagrio docet Scaliger Canon. Iſagog. lib. 3. num. 11, ab ΑΥΤΟΝΟΜΙΑ, urbibus conceſſa, ex qua epochæ Antiochenæ, Laodicenæ, Tyriorum, & ſimilia. Hinc cùm populus Romanus & cum eo univerſus Orbis, qui ſub Caligula, Claudio, Nerone, Galba, Othone & Vitellio dura ſervitute ſerviebat, Imperii habenas ſuſcipiente Veſpaſiano, in libertatem aſſertus ſibi videretur, cuſi Nummi cum Latinis Inſcriptionibus: LIBERT. P. R. RESTIT. ex S. C. vel *Libertas reſtituta, æquitas, pax, ſecuritas Auguſti, fides publica, Roma reſurgens*, &c. Quod imitari volens, vel Ægyptus, vel Græcia, Nummos cum ΕΤΟΥϹ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ, percuſſit, epocham ſtatuens peculiarem ab ΑΥΤΟΝΟΜΙΑ univerſo Orbi conceſſa, Imperio Veſpaſiano delato. Ubi verbum ΙΕΡΟΥ intelligas velim, ut præmonuit Henricus Stephanus in Theſauro Græco, interdum ſumi, ab Homero ſcilicet, quod humano generi aliquam utilitatem afferre, ſicque urbes vocat ΙΕΡΑΣ, quia ſunt *cuſtodiendi perita*, ex quo hæc epocha ab utilitate & libertate univerſo Orbi per Imperia Veſpaſiani, Titi & Nervæ procurata, deducitur, nihil morantibus Nummis Domitiani, utpote potiùs ab adulatione & timore, quàm à genuino populorum animo exſculptis. Caput itaque hujus epochæ ſtatuendum ſecundùm annos Imperii Veſpaſiani, Titi, Domitiani & Nervæ, qui ſoli eâ Nummos habent inſignitos. Hæc & plura hujuſmodi Noriſius.

Viro eruditiſſimo ſubſcribo, niſi quòd ſpectat ad regionem, in qua ea epocha uſurpata. Nullus enim dubito, quin ea epocha ex expeditione Syriaca Veſpaſiani originem duxerit, & in Syria ac Ægypto tantùm adhibita fuerit. Et ratio eſt, quia nulla alia re hujus Imperatoris nomen magis inclaruit, & nullibi *ſacri* nomen frequentiùs, quàm in Nummis in Syria & Ægypto percuſſis uſurpatum. Spanhemius, cui tantùm res Antiquaria debet, in ſuo Opere de Uſu & Præſtantia Numiſmatum pag. 789. hunc Seleuciæ Syriæ Nummum producit: ϹΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΗϹ. ΙΕΡΑϹ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. id eſt, *Seleucenſium ſacra & liberæ civitatis*: eam enim Pompeius Tigrane è Syria ejecto libertate donavit, ex Strabone lib. 15. pag. 751. Goltzius in Theſauro ſuo pag. 215. hunc Nummum repræſentat: ΓΑΔΑΡΩΝ ΙΕΡΑ. ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ. id eſt, *Gadarenſium ſacer Senatus*; Gadara autem Syriæ oppidum in Decapolitana regione. Ibidem: ΓΑΒΑΛΙΤΩΝ. ΤΗϹ. ΙΕΡΑϹ. ΚΑΙ. ΑϹΥΛΟΥ. id eſt, *civitatis ſacræ & inviolatæ*, Nummus eſt Heliogabali; Gabala verò urbs Syriæ, ex Plinio lib. 5. Et quis, ut ait Suetonius in Veſpaſiano cap. 6. *Tiberius Alexander Præfectus Ægypti primus in verba Veſpaſiani legiones adegit Kalend. Julii*, in Ægypto etiam, ubi *ſacri* nomen frequens, ea epocha adhibita. Goltzius in Auguſto tabul. 71. ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΟΣ. ΙΕΡΑ. ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ, id eſt, *Ptolemaïdos ſacer Senatus*. Mittò innumeros hujuſmodi Nummos; qui in Principum Cimeliis aſſervantur, aut in libris leguntur. Hæc ad obſcuriſſimæ epochæ explicationem obiter dicta, ut conſtet, Collegarum Imperii annos ab Antiquis numeratos fuiſſe, non quidem in Actis publicis, in quibus nec Auguſtorum anni memorabantur, ſed in Nummis & Inſcriptionibus.

IV. *In Syria & in Ægypto epocha anni novi ſacri uſurpata.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5575. ☉ 7 F. ☽ 7. P. 31. MART. INDICT. 10.
JESU CHRISTI 82. *ſecundùm Baronium* 84.
CLETI PAPÆ 8.
DOMITIANI IMP. 2.

I. *Conſules.* COss. *Domitianus Aug. VIII, & T. Flavius Sabinus.* Domitiani Conſulatus juxta priorem Conſulatuum Cæſareorum regulam.

II. *Conſulatuũ Cæſareorum regulæ vindicata.* Noriſius in Epiſtola Conſulari pag. 152. de quibuſdam cenſoribus, quibus eorumdem Conſulatuum regulæ non probantur, loquens ait: *De Octavo illius Conſulatu* (nempe Domitiani) *quem anno primo Imperii ſuſcepit, priorem tuam regulam admittunt, quòd Plinius laudat moderationem Trajani, qui delatum ſibi anno primo Principatûs poſt Nervæ mortem Conſulatum recuſavit*, quem, novi, inquit, Imperatores, deſtinatum aliis in ſe transferebant. *De ceteris verò vanas ac commentitias reliquas tuas regulas pronuntiant, quas variis hinc inde petitis exemplis oppugnant.* Sed peto ab iſtis ardelionibus, num verum non eſſet, Conſulatum Imperii initio Auguſtos capeſſere ſolitos, ſi ea verba Plinius in literas non miſiſſet? Quòd ſi negent, publico ſe riſui exponent; cùm id ex Faſtorum diſpoſitione manifeſtiſſimum fiat, &, ut infrà oſtendam, Imperatorum filii priùs Conſules deſignarentur, quàm Cæſareo nomine donarentur. Ita licet nullum Auctorem in medium adducere potuerim, qui Imperatores, annis Decennalibus & id genus feſtis deſtinatis, Conſules de more proceſſiſſe ſcripſerit, non ideo id tamen minùs verum, cùm Faſtorum ordinatio id aperte mônſtraret. Tandem poſt Diſſertationem Hypaticam in lucem emiſſam prodiit nova Operum Themiſtii editio tredecim Orationibus è MSS. recens erutis aucta, quarum XVI, quæ eſt *de pace & Conſulatu Saturnini*, reſponſiones omnes cenſoribus iſtis eripuit; cùm in ea disertè dicatur, Imperatores ſingulis quinquenniis ac decenniis Conſulatum de more ſuſcepiſſe. Themiſtii locum anno CCCLXXXIII, quo Theodoſius Magnus Quinquennalia celebravit, recitabo, quo uno ceteræ regulæ confirmabuntur, cùm nihil adverſus has proferri poſſit, quod contra ſecundam non militet. Certè cùm cenſores iſti primam regulam ſeſe admittere profiteantur, adeo ab aliis abhorrere non debent; hæc quippe plures, quàm aliæ, exceptiones habet. Ex Imperatoribus enim alii ipſo Imperii exordio Conſulatum ſuffectum; alii Conſulatum ordinarium proximis poſt ſuſceptum Imperium Kalendis Januarii; alii tardiùs, alii nullo modo inierunt. En quot exceptiones. Hanc tamen regulam retinendam; quinque verò poſtremas rejiciendas cenſent cenſores iſti, qui, ſi ſine animi impetu non recto locuti eſſent, primam, ob eas, quibus ſubjacet, exceptiones, contemnendam, non verò novas obtrudendas dixiſſent. Nec denique verum eſt quod aiunt pag. 151. Epiſtolæ Conſularis, eas nempe ſæpius ab Imperatoribus contemtas, quàm obſervatas videri. Ut enim Opus iſtud percurrenti liquebit, verum quidem eſt, Imperatores aut initio Imperii, aut quinto aut decimo Imperii anno Conſulatum non ſemper ſumſiſſe, ac privatis eam dignitatem gerentibus aliquando triumphaſſe, bella moviſſe, ac Ludos Seculares celebraſſe. Sed falſum, eos aliis annis, præterquam à me memoratis, annum aperuiſſe, ſi unum Heliogabalum virum ſtolidiſſimum excipiàs. Regulæ itaque illæ de more ſervatæ, & non mediocri rei literariæ emolumento è tenebris eductæ.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5576. ☉ 8 E. ☽ 8. P. 20. APRIL. INDICT. 11.
JESU CHRISTI 83. *ſecundùm Baronium* 85.
ANACLETI PAPÆ 1.
DOMITIANI IMP. 3.

COss. *Domitianus Aug. IX, & Q. Petitius Rufus II*, ut ex Phlegonte cap. 24. de Mirabilibus, & ex Græco Epigrammate demonſtrat Noriſius in Epiſtola Conſulari. I. *Conſules.*

Domitiani Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam: Imperii enim Cæſarei Quindecennalia uno anno dilata celebravit, quorum indicium quod ſcribit Euſebius in Chronico: *Domitiani uxor Auguſta appellatur*; quæ nuncupatio in quibuſdam exemplaribus, ut Pontacus notavit, in hunc annum collata, quod certum reddit Suetonius in Domitiano cap. 3. ubi ait: Domitianus uxorem Domitiam, *ex qua in ſecundo ſuo Conſulatu filium tulerat, alteroque anno conſalutaverat ut Auguſtam, repudiavit, intraque breve tempus reduxit.* Suetonium verò de ſecundo Domitiani Conſulatu ordinario hoc anno geſto loqui, eumque hoc in loco ſuffectorum Conſulatuum nullam rationem habuiſſe rectè vidit Euſebius, rem iſtam hoc anno narrans. Ex quo liquet primò, verum eſſe quod in Diſſert. Hypatica pluribus demonſtravi, ſuffectos nempe Conſulatus tam Domitiani, quàm aliorum Imperatorum ſæpe ab Hiſtoricis neglectos fuiſſe, & in Nummis ac Inſcriptionibus prætermiſſos, &, quod mirum, ab ipſo Suetonio, qui poſtea cap. 14. eos enumerat, dicens: *Conſulatus XVII cepit.* Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis ait, Euſebium ſeptennii metachroniſmum committere, qui ſibi in animum induxit, Suetonium nullum Domitiani Conſulatum prætermiſiſſe, & inſinuare, Domitiam anno poſt ſecundum Domitiani Conſulatum, qui ordinarius fuit, Auguſtam appellatam. Quod nollem à Viro doctiſſimo dictum, cùm Domitianus ſecundum Conſulatum ordinarium anno Chriſti LXXIII geſſerit, & Domitia anno inſequenti à Domitiano Auguſta dici non potuerit: nam ipſemet tunc nondum Auguſtus erat. Liquet ſecundò, Imperatores uxores Auguſtas appellaſſe, vel poſtquam prolem procrearant, ut Viris doctis obſervatum, vel eam nuncupationem in Decennalia & id genus feſta diſtuliſſe, uti Hadrianus & alii. Liquet denique nonum II. *Imperii Cæſarei Domitiani Quindecennalia.*

Domitiani Conſulatum ob Imperii Cæſarei Quindecennalia capeſſitum, cùm Domitia hoc anno Auguſta renuntiata fuerit.

III. *Conſulatus ſuffecti in Nummis & Inſcriptionibus ſæpe prætermiſſi.*

Noriſius Vir eruditiſſimus, qui in Diſſert. de Votis Decennalibus in vulgarem opinionem abierat, & omnes Conſulatus ſuffectos tam Domitiani, quàm aliorum Auguſtorum, connumeratos fuiſſe autumarat, in Epiſtola Conſul. pag. 52. illam quidem falſam fatetur; ſed perperam ſcribit: *In vetuſtis Lapidum Inſcriptionibus ſuffecti Domitiani Conſulatus unà ſimul cum ordinariis ſemper connumerantur. Leges illos in magno Theſauro pag. 5. 68. 244. 300. 574. 575. Smyrnenſem nondum editam proximè exhibebo. Nec ſecus in Nummis eoſdem Conſulatus ſcalptos vidi. Illum verò Scaligero recitatum, in quo Domitianus dicitur* AUGUSTUS P.M. COS. VI. *perperam ſcripſerunt: in illo enim dubio procul ſcalptum fuerat* COS. VII. *detrita tamen injuriâ temporum ſeu alio caſu poſtrema nota numerali, quæ Scaligero tibique ſupplenda erat ex innumeris, quos vidi, ejuſdem Nummis, in quibus dicitur:* COS. VII. *& in poſtica:* PRINCEPS JUVENTUTIS. Ita Noriſius in ea Epiſtola tunc errore vulgari nondum omni ex parte liber, cujus ideo radices, harumque fibræ mihi hìc evellendæ. Alios enim Viros eruditos in eodem verſari video. Extat Domitiani Nummus apud Occonem pag. 170. in quo legitur: IMP. DOMIT. AUG. P.M. COS. II. S.C. Refert illum Occo initio annorum Domitiani, cùm tamen tunc neque Auguſtus, neque Pontifex Maximus eſſet. Mediobarbus in præclara ſua Collectione Numiſmatum iſtud omittit, quia ſine dubio illud pſeudographum exiſtimat. Falconerius in Notis ad Inſcriptiones Athleticas pag. 13. recitato illo Nummo aureo, inquit: *Falſus eſt Occo, ut aliàs ſæpe.* Sed ipſimet Viri doctiſſimi hallucinantur: Conſulatus enim ſuffecti in Nummis aliquando omiſſi; ideoque præfatus cuſus anno Chriſti LXXXI, quo Domitianus jam Auguſtus erat, duoſque tantùm Conſulatus ordinarios geſſerat. Erizzus pag. 150. refert poſticam partem Nummi argentei Domitiani, in quo viſitur Provincia jacens ac mœſta, in cujus latere eſt haſta confracta cum epigraphe: IMP. VIIII. COS. VI. CENSOR.... POTESTAT. P.P. id eſt, *Cenſoria Poteſtatis.* Quæ Provincia, ut rectè Erizzus, Germaniæ devictæ figura. Percuſſus is Nummus anno octogeſimo ſexto, quo Domitianus Conſulatum XII, ſi ſuffectos numeres, geſſit, & ſecundum bellum Dacicum inchoavit. Domitianus anno antecedenti, quo Conſulatum XI ſuſcepit, in Nummis apud Mediobarbum dicitur, IMP. VIIII; in Nummis verò XII Conſulatu ſignatis dicitur, *Imp. XI. Imp. XII, Imp. XIII,* & in Nummis Conſulatu XIII inſignitis dicitur, *Imp. XIII & Imp. XIIII.* Ex quibus apparet, Goltzio parum fidendum, qui Domitiani Nummos exhibet, in quibus is dicitur *Imp. XIII, Coſ. XI, & Imp. XIIII, Coſ. XII,* contra fidem præfatorum Nummorum à Mediobarbo recitatorum; quod obiter dictum ſit. Neque enim Nummus ab Erizzo relatus anno Chriſti LXXVII, quo Domitianus ſextum Conſulatum geſſit, eumque ſuffectum, cudi potuit; cùm Domitianus in Nummis Imperator ob victorias non appelletur, niſi cùm jam dignitatem Auguſteam adeptus eſt. In Præfato itaque Nummo omnes ſuffecti Domitiani Conſulatus neglecti. Alios duos Domitiani Nummos Occo refert, in quibus iidem Conſulatus tacentur. In uno legitur: IMP. CÆS. DOMITIANUS AUGUST. P.M. TR. P. COS. VI. In altero: IMP. DOMITIAN. CÆS. DIVI. VESP. AUG. F.P. M. TR. P. COS. VI. qui nonniſi poſt Veſpaſiani & Titi mortem percuſſi, poſt ſeptimum nempe Domitiani Conſulatum; cùm is nondum Auguſtus eſſet, & Veſpaſianus pater nondum Divus, quia nondum mortuus. Præfati itaque Nummi minimè ſupplendi, ut vult Noriſius, neque injuriâ temporum ſeu alio caſu poſtrema nota numeralis detrita.

IV. *Conſulatus ſuffecti in Faſtis quibuſdam omiſſi.*

Sed non tantùm in Nummis, verùm etiam in Inſcriptionibus Conſulatus Auguſtorum quandoque contemti. Sponius in Miſcellaneis eruditæ Antiquitatis pag. 93. refert Epigraphen, quæ Arculi in Italia adhuc ſupereſt, quæ poſita dicitur IMP. DOMITIANO CAES. AUG. GERM. COS. In ea unicus Conſulatus exprimitur, ceterique omnes tam ſuffecti, quàm ordinarii, prætermiſſi, ſeu veriùs Conſulatus ſimpliciter & abſolutè ſine numerali nota exprimitur. Nec refert, quòd Noriſius dicit, ſe nempe non vidiſſe Nummos, in quibus Domitianus appelletur Auguſtus ac Conſul VI. Antiquarii enim Nummos, in quibus Domitianus ita vocatur, vel detritos vel mendoſos eſſe exiſtimantes, eoſdem projecere, neque typis mandarunt, ut evidenter patet de Mediobarbo V. C. qui in præſtanti ſuo Auctario, Occonis duos citatos Nummos, qui apud hunc extant, omiſit, quia eos ſine dubio pſeudographos arbitratus eſt. Qui Antiquariorum agendi modus prorſus damnandus: Nummos enim integra fide referre debent; nam quod ipſi non intelligunt, alii tandem feliciter explicare poterunt, ut jam dixi in Diſſert. Hypatica pag. 151. Immo Auctor Chronici Alexandrini, & Marianus Scotus in Chronico in recenſione Faſtorum Conſularium Conſulatus ſuffectos Domitiani omnes tacent, ſicuti & Leunclavius in Indice Conſulum, quos libro 67. Dionis præfixit. Miratur Noriſius laudatus, quòd in Diſſertatione Hypatica eum Indiculum Dioni attribuerim, nec animadverterim Leunclavium ultimis Dionis libris Conſules præpoſuiſſe, & Indicem Conſularem Dionis in Caio Caligula deſinere. At quando Auctores duo conjunctim leguntur, uni tribuere quod alterius eſt, valde pronum eſſe Vir eruditiſſimus non inficias ibit. Ipſemet enim in Diſſert. de Synodo Quinta cap. 1. pag. 8. verba Chronologi anonymi in Victoris Tununenſis margine impreſſi ipſi Victori aſſignat, & in Diſſert. de Votis Decennalibus cap. 5. Conſules in Farraginem Græcam à Scaligero inſertos, tanquam Euſebianos citat; quamvis jam Viris doctis obſervatum fuerit, Auctorem Chronici in Victoris Tununenſis margine editi alium eſſe à Victore, & Euſebium Cæſarienſem Conſules in ſuo Chronico non anno-

taſſe. Cùm itaque Leunclavius ſe ultimis Dionis libris Conſules præfixiſſe non monuerit, adeo mirum videri non debuit, quòd me in errorem traxerit.

V. *Anacletus fit Papa.* S. Cletus Papa hoc anno ad Deum migravit, eique Anacletus ſubſtitutus, ut ſuo loco videbimus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5577. ☉ 9 DC. ☽ 9. P. 11. APRIL. INDICT. 12.
JESU CHRISTI 84. *ſecundùm Baronium 86.*
ANACLETI PAPÆ 2.
DOMITIANI IMP. 4.

I. *Conſules.* COss. *Domitianus Aug. X*, & *Appius Sabinus*, ex Onuphrio in Faſtis.

Noriſius in Epiſt. Conſul. pag. 56. Domitianum Aug. X, & C. Oppium Sabinum profitetur, quòd Suetonius in Domitiano cap. 6. ſcribat, Domitianum duas contra Dacos expeditiones ſuſcepiſſe, primam *Oppio Sabino Conſulari oppreſſo*, & Grutero pag. 446. laudetur, Hadriano imperante, C. OPPIUS SABINUS, qui hujus Oppii Sabini à Dacis interfecti filius videri poſſit. At cùm Eutropius, qui Suetonii verba exſcribere ſolet, habeat *Appium Sabinum*, non verò *Oppium*, & Pæanius in Metaphraſi omittat vocem illam *Appium*, licèt de Cornelio Fuſco, de quo eodem loco Eutropius, utrumque nomen exprimat, conjectura eſt, jam Pæanii ætate dubium fuiſſe, an is Sabinus *Appius* vel *Oppius* tam à Suetonio, quàm ab Eutropio, dictus fuerit. Quare adhuc ſub judice lis eſt, licèt Grevius V. C. in nova Suetonii editione, quàm præclaris Notis illuſtravit, Suetonii textum immutaverit, & loco horum verborum, *Oppio Sabino Conſulari oppreſſo*, ſcripſerit, *Appio Sabino Conſulari oppreſſo*, quia, ut ait in Notis ad eum locum, Eutropius & Faſti Conſulares *Appium* habent, non verò *Oppium*. Sed hujuſmodi immutationes ſine Codicum MSS. auctoritate fieri non poſſunt; immo nec horum auctoritate contra omnium exemplarium ſcriptorum textus mutandus; niſi quando error ampliùs excuſari non poteſt. Suetonii autem textus eò minùs depravandus fuit, quò Faſti Conſulares ſeculo tantùm elapſo ab Onuphrio elucubrati, & Eutropius è Suetonio, non è contrà, corrigendus ſit.

II. *Bellum adverſus Cattos.* Sumtus is à Domitiano Conſulatus juxta quartam Conſulatuum Cæſareorum regulam, ob bellum nempe adverſus Cattos, *Heſſos* hodie dictos. Eutropius enim lib. 7. ait: *Expeditiones quatuor habuit, unam adverſus Sarmatas, alteram adverſus Cattos, duas adverſus Dacos. De Dacis Cattiſque duplicem quidem triumphum egit, de Sarmatis ſolam lauream uſurpavit. Multas quidem calamitates iiſdem bellis paſſus eſt. Nam in Sarmatia legiones ejus cum duce interfectæ: & à Dacis Appius Sabinus Conſularis, & Cornelius Fuſcus Præfectus Prætorio cum magnis exercitibus occiſi ſunt.* Quæ ex parte Eutropius ex Suetonio in Domitiano cap. 6. ut aſſolet, mutuatus eſt, niſi quòd Sabinum, Oppium Suetonius vocat. Expeditio adverſus Cattos, de qua Dio lib. 67. etiam loquitur, currenti anno ſuſcepta: prior verò adverſus Dacos anno ſequenti, ut tunc videbimus. Mediobarbus in Domitiano hujus Imperatoris Nummum producit inſcriptum: IMP. CÆS. DIVI VESP. F. DOMITIAN AUG. In poſtica parte, COS. X. Viſitur Germania, quæ mœſta ſedet inter ancilia, ſeu inter ſcutos oblongos Germanicos. Bellum igitur adverſus Cattos hoc anno ſuſceptum, & Domitianus Imp. V dictus, ut liquet ex hoc Nummo à Mediobarbo recitato: P. M. TR. POT. III. IMP. V. COS. X. P. P. Porro Domitianum, ob expeditiones bellicas Conſulatum ſuſcepiſſe teſtatur Zonaras in Domitiano, ubi ait: *Falſis victoriis jactandis Conſulatum in decennium Cenſuram per omnem ætatem accepit.* Quod aliis verbis explicat Xyphilinus, & uterque ex Dione: *Adeo ſtultè elatus eſt & inſolenter, ut Conſul decem annos perpetuos, & Cenſor quandiu viveret, primus ſoluſque ex privatis civibus atque Imperatoribus deſignatus ſit.* Ubi tam Zonaras quàm Xyphilinus loquuntur de Conſulatibus ordinariis à Domitiano, poſtquam Tito fratri ſucceſſit, initis. Primum Conſulatum initio Imperii capeſſiit, tres propter expeditiones bellicas, unum anno Ludis Secularibus dicato, aliosque in Decennalibus & id genus feſtis, in quibus victoriæ ab Imperatoribus reportatæ Nummis inſculpi ſolitæ, earumque memoria de more renovata.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5578. ☉ 10 B. ☽ 10. P. 3. APRIL. INDICT. 13. Olymp. 216.
JESU CHRISTI 85. *ſecundùm Baronium 87.*
ANACLETI PAPÆ 3.
DOMITIANI IMP. 5.

COss. *Domitianus Aug. XI*, & *T. Aurelius Fulvus.* I. *Conſules.*

Domitiani Conſulatus juxta v Conſulatuum Cæſareorum regulam; ob priorem nempe ejus triumphum de Cattis Daciſque. Suetonius enim in Domitiano cap. 6. ait: *Expeditiones partim ſponte ſuſcepit, partim neceſſariò: ſponte in Cattos; neceſſariò unam in Sarmatas. In Dacos duas, primam Oppio Sabino Conſulari oppreſſo: ſecundam Cornelio Fuſco Præfecto cohortium Prætorianarum. De Cattis Daciſque, poſt varia prælia, duplicem triumphum egit.* Ob prius bellum, quia ſponte ſuſceptum, ſeſe Conſulem, nempe decimùm deſignavit. Quo abſoluto, ſeſe Conſulem XI, in currentem annum ad triumphandum deſignavit, licèt *hoſte nuſquam viſo*, ut inquit Dio lib. 67. ubi ait: *Domitianus profectus in Germaniam cum exercitu, hoſte nuſquam viſo, revertit.* Imperatores enim Conſulatus jam aliis deſtinatos in ſe quandoque transtuliſſe, certum. Interim natum eſt prius bellum Dacicum, quod Sabino Conſulari commiſſum fuit, quo oppreſſo, ideoque poſt annum præcedentem, quo Conſul fuit, Domitianus alteram expeditionem iniit; indeque factum ut præſenti anno tam de Cattis, quàm de Dacis trium-

phum egerit, licèt anno præcedenti ad triumphandum de Cattis ſeſe tantùm in præſentem annum Conſulem deſignaſſet.

II. *Prior de Dacis triumphus.* Baron. anno 90. num. 1.

Prius bellum Dacicum hoc anno confectum fuiſſe, & Domitianum de Cattis Daciſque primum triumphum exhibuiſſe, liquet ex Nummis apud Mediobarbum. In uno legitur: IMP. CAES DOMITIAN. AUG. GERM. COS. X. in poſtica parte: GERMANICUS. Viſitur quadriga, quam Imperator dextrâ regit, ſiniſtrâ ſceptrum tenens. In altero: IMP. CÆS. DOMIT. AUG. GERM. COS. XI. CENS. POT. P. P. In averſa parte: GERMANIA CAPTA S. C. Cernitur Germania ſedens captivæ habitu. Repræſentat aliud Numiſma Mediobarbus XI Domitiani Conſulatu notatum, in cujus poſtica legitur: ADVENT. AUGUSTI S. C. Imperator dextram porrigit Romæ paludatæ globum tenenti; quod Mediobarbus refert ad reditum Domitiani ex Germania poſt Dacos debellatos. Porro Domitianum hoc anno dictum Imp. VII, VIII & IX, patet ex Nummis apud Mediobarbum.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5579. ☉ 11 A. ☽ 11. P. 16. APRIL. INDICT. 14.

JESU CHRISTI 86. *ſecundùm Baronium* 88.

ANACLETI PAPÆ 4.

DOMITIANI IMP. 6.

I. *Conſules.*

COSS. *Domitianus Aug. XII, & Ser. Cornelius Dolabella.*

II. *Secundum bellum Dacicum.*

Sumtus hic à Domitiano Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam, ob Quinquennalia nempe ejus Auguſtei Imperii. Norilius in Epiſt. Conſul. pag. 163. ait, miratos quoſdam, quòd, cùm Domitianus quatuor bellicas expeditiones contra Cattos, Marcomannos, Dacos & Sauromatas ſuſceperit, nec unus inter tot ejuſdem Conſulatus expeditioni bellicæ à me in Diſſert. Hypatica deputetur. Sed hæc omiſſio triplici cauſæ attribuenda. I. Quòd tunc exiſtimabam, Domitianum in Conſularibus capeſſendis ſervatas ab aliis Imperatoribus hac in re leges aſpernatum eſſe, & ex tot Conſulatibus ordinariis aliquos temere iniiſſe. II. Quia arbitrabar, dedicationes templorum à domo Auguſta ædificatorum, inſtitutionem Certaminis Quinquennalis, de quo poſtea, aliaque id genus ad Imperatorum nomen ad poſteros propagandum facientia, ſufficientem fuiſſe ſuſcipiendi Conſulatus rationem. III. Quia anni, quibus Domitianus bella illa geſſit, incerti tunc viſi. Sed cùm jam mihi conſtet, hunc Imperatorem prædeceſſorum veſtigia in Conſulatibus ordinariis ineundis ſecutum, ac dedicationes aliaque hujuſmodi capeſſendorum Conſulatuum cauſas numquam fuiſſe, (licet de more Imperatoribus Conſulibus fierint) ac denique annos, quibus expeditiones à Domitiano ſuſceptæ, ſuis annis reddiderim, mihi perſuaſiſſimum eſt, eum Conſulatum XII ob ſecundum bellum Dacicum geſſiſſe; eóque magis, quòd ſecundus ejus de Dacis triumphus anno Chriſti nonageſimo actus fuerit, ut jam in Diſſert. Hypatica monſtravi.

Poſtquam hæc ſcripſeram, gaviſus ſum legiſſe in Chronico Euſebii tam ſecundùm editionem Pontacenam, quàm Scaligerianam, ad annum Abrahami 2102. qui menſe Septembri anni Chriſti LXXXV inchoatur: *Naſamones & Daci dimicantes contra Romanos victi.* Erant autem Naſamones populi Libyæ, qui adverſus Domitianum rebellarant, ut docet Scaliger in Notis Euſebianis ex Zonara lib. 2. Ariſtide in Smyrnaïco, & Dionyſio in Deſcriptione totius Orbis num. 210. Solet autem Euſebius in Chronico, bella eo anno, quo cœpta ſunt, conſignare, unóque tenore omnia recitare. Quare non dubium, quin juxta Euſebium prius bellum Dacicum hoc anno inceptum fuerit, & quidem per Legatos. Nam ante annum LXXXIX ipſemet Imperator in hoſticum profectus non eſt, ut infrà oſtendam.

III. *Initium ſecundi belli Dacici.* Baron. anno 90. num. 1.

Norilius tamen laudatus pag. 165. ait: *Mihi penè certa ſententia ſtat, anno LXXXVIII Domitianum alterum triumphum de Germanis duxiſſe: ac proinde bellum anno LXXXVII geſtum arbitror.* Tum pag. 175. ex variis Domitiani Nummis annis Chriſti octogeſimo octavo & octogeſimo nono cuſis, in quibus Imperatoris titulus ſæpius iteratur, colligit, eum ob victorias de Dacis reportatas illos titulos obtinuiſſe, ac eaſdem ad annum LXXXIX referendas eſſe. Egregiè quidem Norilius; ſed ex Nummis duodecimo Domitiani Conſulatu inſignitis ſecundum bellum Dacicum præſenti anno inchoatum intelligere poterat. Præterquam quòd enim ſæpius Imperatoris titulus in iiſdem multiplicatur, diciturque Domitianus COS. XII, IMP. X, XI, XII, XIII, cùm antea tantùm eſſet IMP. IX, ut videre eſt apud Mediobarbum in Domitiano pag. 135. In uno ibidem legitur: IMP. CÆS. DOMIT. AUG. GERM. COS. XII. In poſtica parte: ADLOCUT. COHORT. S. C. ubi Imperator alloquitur cohortes. In averſa parte alterius Nummi, qui eandem anticam habet, legitur: GERMANIA S. C. viſiturque Imperator ſtans paludatus, cum haſta & parazonio, ad cujus pedes figura genuflexa cum clype oblongo, quales Germani gerebant. In poſtica parte alterius Nummi eodem Conſulatu XII notati cernitur figura Germaniæ genuflexa, clypeum oblongum Imperatori porrigens. In altera denique poſtica habetur: VICTORIA AUGUSTI S. C. cum Victoria trophæum extendente. Ex quibus tandem omnibus innoteſcit, alterum bellum Dacicum hoc anno inceptum eſſe, & non bene Baronium hanc expeditionem in annum LXXXVII contuliſſe.

IV. *Secundum bellum Dacicum diu duravit.*

Certè Xyphilinus aſſerit, bellum iſtud magnum ac diuturnum fuiſſe; ait enim: *Per id tempus maximum bellum fuit populo Romano cum Dacis, apud quos Decebalus regnum obtinebat. Is erat in cognoſcendis rebus bellicis perſpicax, in agendo ſolers, &c. Quamobrem diutiſſimè adverſarius gravis fuit populo Romano, &c. Domitianus ducto in eos exercitu, quamquam ipſe bellum nulla ex parte attigit, tamen miſſis ducibus ad bellum gerendum, ac magna parte militum turpiter*

amiſſà, ut victor Romam literas miſit. Rectè porro ab Oroſio lib. 7. Hiſt. ſcriptum: *Bellum adverſus Germanos & Dacos per Legatos geſſit*, Domitianus ſcilicet; quod & teſtatur Dio lib. 67. Neque enim in Daciam profectus eſt ante annum Chriſti LXXXIX, ut infrà oſtendam. Nec refert, quòd in ejus Nummis hoc anno cuſis titulus IMP. multiplicetur: Imperatores enim propter victorias per Duces ſuos reportatas titulum illum augere ſolitos multis exemplis conſtat.

V. *Inſtitutio Certaminis Quinquennalis.* Baron. n. 1.

Ad num. I. Auctor Chronici Alexandrini ſub hujus anni Conſulibus ait: *Primum omnium Quinquennale Certamen inſtitutum, & actum eſt in Urbe*, præſente, ut Suetonius cap. 4. teſtatur, Domitiano, qui Certamen illud inſtituit, poſt diem XIV Martii, & ante menſem Julium, ut de Pupieno & Balbino Impp. loquentes oſtendemus. Tempus enim, quo agon illud celebrabatur, hactenus ignoratum. Porro Cenſorinus cap. 14. de Die Natali, & Suetonius in Domitiano cap. 4. de uno eodemque agone, non verò de diverſis ſermonem habent. Unum enim idemque Certamen muſicum, equeſtre & gymnicum fuit. Dicatum illud Jovi Capitolino, cui Domitianus anno præcedenti *novam excitavit ædem in Capitolio Cuſtodi Jovi*, ut tradit Suetonius in Domitiano cap. 5. rei tamen geſtæ anno non expreſſo. Mediobarbus in Nerone pag. 89. Neronis Numiſmata exhibet, in quorum poſtica parte legitur: JUPITER CUSTOS. In Nummis verò Domitiani primo Imperii ejus Auguſtei anno percuſſis habetur: JUPITER CONSERVATOR. quod unum & idem eſt cum Jove Cuſtode. Is itaque titulus à Nerone primùm uſurpatus, templum Jovis Conſervatoris Imperii Domitiani initio ædificari cœptum, & anno præcedenti, quo de Cattis Dacíſque triumphavit, dedicatum. Mediobarbus enim Domitiani Nummum refert Conſulatu XI ſignatum, in quo legitur: SALUTI AUGUSTI S. C. Cernitur templum clauſum cum quatuor columnis, quod videtur eſſe illud, de quo Suetonius in Domitiano capite 5. *Novam excitavit ædem in Capitolio Cuſtodi Jovi*, quòd nempe incenſo Capitolio mortem evaſiſſet, ut ex Tacito infrà explicabo. Poſt hæc in ejuſdem Jovis Conſervatoris honorem etiam Quinquennale Certamen inſtituere voluit.

VI. *Quo anno inſtitutum.*

Antiquus Chronologus apud Clementem Alexandrinum ait: *Hinc ad victoriam Auguſti*, (à morte nempe Alexandri Magni) *quando Antonius ſibi ipſi mortem conſcivit Alexandriæ, anni ducenti nonaginta quatuor, cùm tunc eſſet Auguſtus quater Conſul. A quo tempore ad certamen, quod Romæ exhibuit Domitianus, anni centum quatuordecim.* Ita ille lib. 1. Stromatum. Scaliger lib. 5. de Emendat. Temp. pag. 481. hîc ad aquas hæſit, quòd à Conſulatu IV Auguſti, qui anno Periodi noſtræ 5464. illigatur, ad præſentem annum, qui ejuſdem Periodi eſt 5579. anni numerentur CXV, non verò CXIV. Res tamen nullam difficultatem habet. Antiqui enim in intervallis temporum dimetiendis ultimum terminum ſæpe excludunt, ut innumeris exemplis liquet. Quare malè Scaliger concludit, Clementem anno uno minùs dicere, & ſcribere debuiſſe *anni centum quindecim.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5580. ☉ 12 G. ☽ 12. P. 8. APRIL. Anno Urbis 840.
INDICT. 1[illegible]
JESU CHRISTI 87. *ſecundùm Baronium* 89.
ANACLETI PAPÆ 5.
DOMITIANI IMP. 7.

I. *Conſules.* *Vicennalia Domitiani Cæſaris.*

COss. *Domitianus Aug. XIII, & A. Voluſius Saturninus.* Domitiani Conſulatus juxta ſecundam regulam: Imperii enim Cæſarei Vicennalia dedit.

II. *Novitates quibus annis inductæ.* Baron. n. 1.

Ad num. II. Euſebius in Chronico juxta editionem tam Pontaci, quàm Scaligeri, anno Abrahami 2102. qui Kalendis Septembris anni Chriſti LXXXV inchoatur, ait: *Primus Domitianus Dominum ſe & Deum appellari juſſit.* Ea itaque novitas inſolentiaque ad Quinquennalia Imperii Auguſtei Domitiani, non verò ad præſentem annum referenda. Sed Baronius, qui non obſervarat, tam Euſebium, quàm Hieronymum in Chronicis annum à Kalendis Septembris inchoare, & ad Abrahami, non verò ad Imperatorum & Incarnationis annos ibidem expreſſos attendendum eſſe, in utroque Chronico citando non raró decipitur. Scaliger in Notis ad præfatum locum Euſebii ait: *An hoc anno ſe Dominum ac Deum vocari edixerit, ne ipſi quidem Hieronymo conſtabat, qui hæc ex Eutropio depromſit.* Sed ſi Conſulatuum Cæſareorum regulæ ipſi innotuiſſent, hæc non ſcripſiſſet. Annis enim hujuſmodi ſolenniis addictis novitates de more inductas intellexiſſet, ideoque Hieronymum non fruſtra hoc anno hæc retuliſſe.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5581. ☉ 13 FE. ☽ 13. P. 30. MART.
INDICT. 1.
JESU CHRISTI 88. *ſecundùm Baronium* 90.
ANACLETI PAPÆ 6.
DOMITIANI IMP. 8.

I. *Conſules.*

COss. *Domitianus Aug. XIV; & L. Minucius Rufus.*

II. *Ludi Seculares ſeptimi.*

Sumtus hîc à Domitiano Conſulatus juxta ſextam Conſulatuum Cæſareorum regulam, propter nempe Ludos Seculares. Nam, ut ſcribit Cenſorinus lib. de Die Natali cap. 17. *ſeptimos* (nempe Seculares Ludos) *Domitianus celebravit, ſe XIV, & L. Minucio Rufo Coſſ. anno* (nempe Urbis) *DCCCXLI.* Quare Ludorum Secularium rationem à Claudio inſtitutam contemſit: *Fecit & Ludos Seculares*, inquit Suetonius in Domitiano cap. 4. *computata ratione temporum, ab anno, non quo Claudius proximè, ſed quo olim Auguſtus ediderat:* quamquam nec hoc tempus rectè obſervavit, cùm ſex anni adhuc deſint. Cenſores quidem apud Noriſium in Epiſt. Conſul. pag. 167. & ſeqq. canonem de aſſumto ab Imperatoribus Conſulatu ob Seculares Ludos à me ſtatutum, ludicrum putant, quòd Auguſtus Ludos quintos Seculares, privatis Conſulibus annum in Faſtis ſignantibus, ediderit, &

Onuphrius in libro de Ludis Secularibus, ex Nummis Domitiani inſcriptis: IMP. CAES. DOMIT. AUG. GERM. TR. P. VIII. & in poſtica: COS. XIIII. LUD. SAEC. FEC. S. C. collegerit, Domitianum non exhibuiſſe eos Ludos ante Idus Septembris, quia ea tantùm die Tribunitia Poteſtas VIII eidem inchoabatur: & tamen Conſules ordinarii de more bimeſtres erant. Addunt, me paginâ 184. Diſſert. Hypat. de Claudio ſcribere: *Sed quòd Conſulari munere fungens eos Ludos ediderit, omnes præter Severum, ſequaces habuit. Hoc quidem à nullo neque ex Veteribus, neque ex Recentioribus animadverſum.* Verùm, miror, hos cenſores hæc in medium adducere; cùm diſertè ſcripſerim, morem illum annis Secularibus Ludis dicatis Conſulatum ineundi à Claudio primùm invectum eſſe, ac præterea expreſſis verbis docuerim, Conſulatum ordinarium ultra Kalendas Martias, ut plurimùm, continuatum non eſſe; ideoque pro certo poſuerim, Conſules ſuffectos jam munus ſuum exercuiſſe, quando Ludi Seculares editi, & Quinquennalia, ceteraque id genus feſta celebrata. Quando igitur dixi, Imperatores Conſulari munere fungentes, aut trabeâ indutos ea ſolennia exhibuiſſe, intellexi id factum annis, quibus Conſules proceſſere, & Faſtis nomen dedêre, ut centies & ampliùs in eo Opere repetii, ubi & modum loquendi Capitolini in Gordiano III cap. 23. uſurpavi, qui de Ludis Secularibus ab utroque Philippo, poſtquam Conſulatum depoſuerè, editis, loquens ait: *Milleſimum ab Urbe condita annum in Conſulatu ſuo & filii ſui celebravit*, die nempe XXI Aprilis Urbis Romæ natali, quo jam Conſules ordinarii dignitatem abdicarant, ipſis adverſariis fatentibus, qui ideo ſibimetipſis lucem invident. Ludos verò Seculares ante Idus Septemb. editos fuiſſe, mox demonſtrabo.

III. *Ludi Seculares æſtate celebrati.*

Poſtquam hæc ſcripſiſſem, accepi literas à Viro clariſſimo Guilelmo Loydio in omni antiquitate tam Græca quàm Latina exercitatiſſimo, quibus ſignificat ſe exiſtimare, Domitianum ante ſequentem annum Ludos Seculares non celebraſſe. Ejus fundamenta hîc tranſcribere viſum, ut hæc controverſia certiùs dirimatur: *Haud tam facile eſt judicare*, inquit, *an Ludos Seculares rectè collocaveris in annum Chriſti LXXXVIII; & propterea huic anno Conſulatum XIV rectè tribueris. Domitianum eo anno fuiſſe Coſ. XIV, idque cum L. Minucio Ruſo, ſatis conſtat: & Ludos Seculares Domitiano Coſ. XIV celebratos Nummi indicant. Sed cùm anno Chriſti LXXXIX eo titulo uſus ſit: utrum anno LXXXVIII aut LXXXIX ii Ludi ſint celebrati, hoc quidem jure ambigitur. Pro anno LXXXVIII facit Cenſorinus à Lindenbrogio correctus, neſcio an ſecundum mentem Auctoris. Ait enim hos Ludos egiſſe Domitianum*, ſe XIV & L. Minucio Ruſo Coſſ. anno Urbis conditæ IↃCCC XLI. *In exemplari, quo uſus eſt Lindenbrogius, ſcriptum erat*, anno Urbis conditæ IↃCCC LVII. *Docuit autem Magnus Scaliger de Emendat. Temp. lib. 5. pag. 486. mendum eſſe in his annis Urbis conditæ apud Cenſorinum, quòd ille emendavit ſecundum veſtigia Auctoris pro IↃCCC LVII ſcribendo IↃCCC XLII. Hæc maneant parumper in medio: dum ad animum tuum revocem, quæ ſcio te legiſſe (Diſſert. Hypatica Prolegomen. XI) de anni tempeſtate, quando edi ſolebant Ludi Seculares. Zoſimus (edit. Sylb. pag. 670) qui hanc rem penitus indagarat, ait, diebus æſtivis celebratos: idque meſſis initio, quod etiam frugum primitiæ tunc oblatæ teſtantur. Meſſis tempore obſervatos oſtendit etiam Claudianus tuus, ut mihi videtur: ſed quando aliter tibi viſum eſt (in Diſſert. Hypat. parte 2. cap. 10. num. VII) nolo huic argumento inſiſtere. Certè diebus longiſſimis celebratos Carmen Sibyllinum à ſe ex eodem Auctore Zoſimo citatum (in Proleg. Diſſert. Hypat. num. XII) oſtendit. Ea quidem anni tempeſtas maximè conveniebat Apollini: cujus laudibus Carmen Seculare dicatum ait Zoſimus, & præter alios confirmat is, qui adfuit his Ludis Domitiani (Statius Syl. l. 4.) Onuphrius quidem (de Lud. Secul.) & poſt eum Bucherius (de Can. Paſchali pag. 232.) Viri longè doctiſſimi, eos in diem natalem Imperii Domitiani Auguſti retulerunt. At ſine ullo Auctore. Utriſque, ſi errarunt, (ut ego quidem non dubito erraſſe) condonandum eſt: Onuphrio, quòd nondum ei conſtiterit, Domitianum eundem titulum Coſſ. XIV, quem acceperat anno LXXXVIII, retinuiſſe etiam anno LXXXIX: Bucherio & aliis Viris doctiſſimis, quòd tantum Virum, etiam in errore, ſecuti ſint. Erraſſe autem in anni tempeſtate non magis oſtendunt ea quæ dixi, quàm in ipſo anno erraſſe oſtendent ea quæ ſequentur.*

IV. *A Domitiano anno ſequenti celebrati juxta Loydium.*

Hos Ludos feciſſe Domitianum TR. P. VIII *indicant omnes Nummi qui habent ullam mentionem Tribunitiæ Poteſtatis cum iis conjunctam. Sed cùm annus octavus* TRIB. POT. *ordiatur ab Idibus Septembris anni LXXXVIII, oportet Ludos æſtate ejus anni octavi celebratos incidiſſe in annum LXXXIX. Vis hujus argumenti pendet ab illa probatione, in qua neſcio an tibi ſatisfecerim. Pergo igitur ad aliud argumentum, in quo nihil adhuc probatum præſumitur. Nemini magis conſtitit, quo anno hi Ludi ſunt celebrati, quàm Auctori Faſtorum Capitolinorum, utpote qui exarati ſunt Domitiano imperante, quod conſtat ex titulis, eo vivo ibi inſertis, & protinus poſt ejus mortem eraſis (Scaliger de Emend. Temp. lib. 5. pag. 486. & Gruterus pag. 295.) Hi autem Faſti docent hos Ludos celebratos fuiſſe anno Urbis conditæ IↃCCC XLI, hoc eſt, ſecundùm Cenſorinum anno U. C. IↃCCC XLII. Nam omnes anni Urbis conditæ horum Faſtorum unitate minores ſunt, quàm anni Urbis conditæ Cenſorini. Exempli gratiâ, Coſſ. anno U. C. CC XCVII in his Faſtis, iidem ſunt qui Coſſ. U. C. CC XCVIII Cenſorini, ſub quibus primi Ludi Seculares. Itidem Coſſ. U. C. D XVII in his Faſtis, iidem ſunt qui Coſſ. U. C. D XVIII Cenſorini, ſub quibus tertii Ludi Seculares ſunt celebrati. Annus autem U. C. in his Faſtis IↃCCC XLI, qui Cenſorino eſſet IↃCCC XLII, orditur à Parilibus anni Chriſti LXXXIX, (aut ſi quis malit, Idibus Septembris, hoc anno certè) hi Ludi ſunt*

celebrati

celebrati ſecundùm Faſtos Capitolinos, quorum hac in re indubitatum eſt teſtimonium.

De Cenſorino meritò poteſt dubitari, ſcripſeritne IↃCCCXLI, an IↃCCCXLII, ut ſuprà oſtendi. Si poſterius, mecum facit: ſin prius, malim credere, Cenſorinum erraſſe, quàm illos Faſtos. Et quidni erraret in re quam tam negligenter habuerit, & in qua ut minimùm incurioſus tam facilè labi potuerit? Claudiani certè Ludi Seculares, ipſis Parilibus celebrati, longè alii erant ab illis Auguſti, aut ab his Domitiani: quos tamen Cenſorinum cum illis Claudianis confudiſſe tu rectè obſervas (in Diſſert. Hypat. parte 2. cap. 10. num. 11 & 111) Addis de Ludis Secularibus Antonini Pii ſilere Cenſorinum. Nolim te ab ejus ſilentio inferre, illos ſub Pio editos non fuiſſe, contra fidem Victoris tui Auctoris graviſſimi, & contra fidem probæ Inſcriptionis, quæ à magno Scaligero (de Emend. Temp. pag. 185.) perperam tribuitur Secularibus Severianis, ſed procul dubio ſpectat ad hos Antonianos. Cenſorino autem, qui vixit tot ſeculis poſt Domitianum, quantò facilius fuit hujus Ludos anno citius collocare, quàm illos Antonini ſuis temporibus tantò propiores omnino omittere? Sanè video quomodo potuit faciliimè in errorem induci, cùm Domitiani Conſulatu XIV hos Ludos notatos vidiſſet. Sed nolo tantùm indulgere conjecturis meis. Satis eſt errorem ſive Cenſorini, ſive ejus Exſcriptoris, ex Faſtis Capitolinis demonſtraſſe.

VI. Secundum bellum Dacicum Domitiani triennale.

Aliud argumentum adjiciam, quod non ſolùm hanc rem extra controverſiam ponet, ſed etiam de bello Dacico Domitiani ea te monebit, quæ hactenus videris non animadvertiſſe. Loquor de ſecundo bello Dacico, ad quod Domitianus poſt cædem Cornelii Fuſci P. P. aiente Suetonio (in Domitiano cap. 6.) profectus eſt: & à quo poſt aliquot clades Dacis illatas, ita tamen reverſus eſt, ut nonniſi ab obſidibus emptis & pactione immenſis muneribus obtenta pacem reportaverit (Dio pag. 764. & Plin. Paneg. §. 12.) Martialis (X. 70. vide & IX. 65.) ita Epigrammata ſua ſex annorum in libros digeſſit, ut ferè ſingulis annis ſinguli ejus libri conſcripti ſint. Is autem ea omnia, quæ dixi, in libros ita ordine diſpoſuit, ut planè conſtet, intra trium annorum ſpatium contigiſſe. Qui autem fuerint hi tres anni Juliani, ex hoc Auctore non conſtat, ſed hoc etiam ope Nummorum poteſt indagari.

VII. Domitianus hoc anno Dacos vicit juxta Loydium.

Ex Nummis conſtat, Domitianum Tr. P. viii ſepties Imperatorem nuncupatum, nempe Imp. XV, XVI, XVII, XVIII, XVIIII, XX, XXI. Poſtea autem Imp. XXI manſiſſe uſque ad Tr. P. xii. Domitiani autem Tr. P. viii ab Idibus Septembris anni LXXXVIII ad LXXXIX extenditur: ut infra hoc ſpatium temporis oporteat toties Imp. appellatum fuiſſe. Quæritur utri anno LXXXVIII, an LXXXIX tot victoriæ (veræ, an falſæ, nihil intereſt) quarum causâ toties Imp. audiit, aſſignandæ ſint. Certè non anno LXXXIX. Nam aliquot menſibus poſt Idus Septembris Domitianus adhuc erat in procinctu. Ita Martialis (lib. VII. 6.) Iſtro tunc congelato, ait, populi Romani animos cum illo peregrè fuiſſe: Hiberni quamvis Arctos & rudis Peuce, & ungularum pulſibus calens Iſter.... Teneat domantem regna perfidæ gentis. Proximo Epigrammate (lib. VII. 8.) cùm audiſſet, bellum confectum, & Principem mox reverſurum, ita canit, Certa facis populi tu primus Vota December. Felix ſors tua (ob nuntium reditûs jam deſignati) poteras non cedere Jano, Gaudia ſi nobis, quæ dabit ille, dares (ſi dares nimirum ipſum Principem reducem.) Et quidem anno LXXXIX Januario menſe Princeps reverſus eſt. Itaque Poëta (lib. VIII. 8.) ita Jano gratulatur: Etſi annum ordiaris, & novos Conſules habeas, & Vota, &c. Tu tamen hoc mavis Latiæ quod contigit urbi Menſe tuo reducem, Jane, videre Deum. Ibi rationem habes, (ut hoc obiter dicam) quare Domitianus Aug. hoc anno LXXXIX non proceſſit Conſul, quod ſemper antea fecerat. Româ nempe nunc primum abfuit Kalendis Januariis. Abfuerat certè VIII menſibus, ut Poëta alibi indicat (lib. IX. 32.) hoc eſt, à menſe Maio anni LXXXVIII ad menſem Januarium anni LXXXIX. Sed poſt Idus Septembris anni LXXXVIII Imp. XV appellatus, deinceps intra menſes duos aut tres auxit numerum ſexies: quod non erit mirum cogitanti Claudium quinquies Imp. appellatum in Britannia noſtra, cùm ibi nonniſi fuerit ſedecim diebus (Dio pag. 679.) Non opus eſt, nec mihi vacat, omnia, quæ huic rei lucem afferrent, huc undique comportare.

VIII. Secunda expeditio Dacica ordinatim à Martiali deſcripta juxta Loydium.

Redeo ad Martialem, impuriſſimum licèt, & eo nomine deteſtandum, horum temporum tamen ferè unicum ordinatum Scriptorem. Hujus librorum ſex numero ordinem per annos diſpoſitum antea monui. Nunc moneo, ſingulos libros ab uno aut altero ad Cæſarem Epigrammate extra ordinem poſito initium ducere; in ceteris ferè paſſim temporis ordinem ſervare. Horum quæ nunc dico, partem antea probavi, reliqua, ne probatione indigeant, faciam, ſimul annos & libros quaſi in tabula ſubjiciendo oculis tuis.

Anno Chriſti 87. Epigrammata continet (Martial. lib. VI.) Cujus anni Idibus Septemb. orditur Domitiani Tr. P. vii.

Epig. 76..... circiter Novembri Cornelius Fuſcus P. P. (de cujus morte Martial. VI. 76.) à Dacis occiſus.

80.... De Bruma loquitur. Hæc clades Domitianum ad ſecundum bellum Dacicum excitavit. (Suetonius cap. 6.)

Anno Chriſti 88. Domitiano Aug. XIIII & Minutio Rufo Coſſ. (Martial. lib. VII.)

Epig. 1.... De lorica quam Domitianus ſibi faciendam curavit ituro adverſus Dacos. Maio menſe profectus videtur. Nam VIII menſibus Româ abfuit (Martialis IX. 32.) & rediit Januario ſequenti. Æſtatem puto egiſſe in Germania & Pannonia, comparando auxilia, de quibus Dio. Septemb. XIII orditur Tr. P. viii, quo numero currente Domitianus tum auxit numerum tituli Imp. à XV ad XXI. Tum Ludos Seculares fecit, poſtquam Romam rediiſſet. Sed hæc referenda ad annum LXXXIX.

Epig. 6...... circiter Octobri. Publica victrices teſtantur gaudia chartæ, Martia

laurigera cuſpide fila virent. Imp. Imp.

7.... *circiter Novembri.* Adhuc Principem tenet ----- ungularum pulſibus calens Iſter, &c. Imp. Imp. Imp. Imp.

8..... *Decembri.* Certa facis populi, &c. epigramma antè laudatum de nuntio victoriarum & Cæſaris mox redituri.

80......... Quatenus Othryſios jam Pax Romana Triones Temperat, & tetricæ conticuere tubæ, &c.

84...... I liber ad Geticam Peucem Iſtrumque tacentem; Hæc loca, perdomitis gentibus, ille tenet, &c.

Lib. VIII anno Chriſti LXXXIX Aur. Fulvo, & Sempr. Atratino Coſſ. Nam abfuit Domitianus, quamvis nunc in reditu. Nota Præfationem hujus libri Imp. Domit. C. Aug. Ger. Dacico, *quem titulum uſquam alibi me legiſſe memini.*

Epig. 2...... *Januario.* Janus victorem modò cùm videret Iſtri, &c.

4.... *Januarii die tertio.* Quantus io Latias mundi conventus ad aras Suſcipit, & ſolvit pro Duce Vota ſuo! &c.

8..... *Adhuc menſe Januario.* Principium des, Jane, &c. *De Cæſare nunc reverſo Epigramma antea laudatum.*

11.... *De acclamationibus ſive in* Adventu Aug. &c. *ſive poſtea in Ludis Secularibus.* Sarmaticas etiam gentes, Iſtrumque Getaſque Lætitiæ clamor terruit ipſe novæ. *De Circenſibus:* Dum te Longa ſacro venerantur Gaudia Circo, Nemo quater miſſos currere ſenſit equos.

Huc relaturus eram etiam illud de laurea pacis, VIII. 15. quod paci hoc bello partæ ſatis congrueret. Sed reſpiciens ad illa Suetonii cap. 6. veritus ſum, ne hæc ſit illa de Sarmatis laurea, *quam ibi Domitianus Capitolino Jovi retuliſſe dicitur. Id ſi verum ſit, hoc epigramma erit anni LXXXVI, utcumque huc irrepſerit.*

IX. *De Ludis Secularibus Domitiani Martialis non loquitur.*

De Secularibus Ludis nihil habet uſquam Martialis: niſi ad hos ſpectet illud jam citatum lib. VIII. 11. & ſanè in Circo Longa erant Gaudia, *quando pro ſolitis XXV miſſilibus peragerentur centum. Hoc autem ſemel tantum fecit Domitianus, idque in Ludis Secularibus. Sueton. cap. 4. Hic autem vides, anno ſuperiori Domitianum his Ludis adeſſe non potuiſſe. Hinc conſtat etiam ratio, cur Domitianus hos Ludos tantò citiùs, quam ab Auguſti Ludis numeranti par fuit, ediderit. Nihil quippe majus addere potuit celebritati hujus anni, quem ob gloriam belli Dacici confecti totum feſtum eſſe voluit. Huc etiam referenda ſunt ea quæ ſequuntur.*

Epig. 26. & 30. De ſpectaculis .... de quibus etiam Dio pag. 762. D &c. Septembri XIII orditur Tr. P. viiii, *& circa hoc tempus videntur fuiſſe imbres illi & tempeſtates, de quibus Dio ibidem.*

36. 39..... *De ædium Palatinarum modò conſtructarum miraculo. Domus erat ipſi Jovi convivæ excipiendo.*

50..... *De convivio quo ibi populum Romanum excepit. De hoc vide & Statii Syl. 1. 6. Carmen de Cæſaris Dec. 1. Saturnalibus, eo die aut ſequenti compoſitum. Et confer Suetonium cap. 4. & Dionem pag. 763.*

A lib. IX, anno Chriſti XC Domitiano Aug. XV & Nerva II Coſſ. Hoc anno, & ultrà manſit Pax, *eaque bello Dacico parta. Ita deſinit.* Victima jam ferro non opus eſſe docet. *Et Epig.* 103. Templa Deo, mores populis, dedit otia ferro. *Ne miremur titulum* Imp. *ſtetiſſe in numero XXI à* Tr. P. viii *ad* Tr. P. xii. *Sed jam metam exceſſi, quam mihi in hac excurſione propoſui.*

X. *Ludi Seculares æſtate hujus anni celebrati.*

Verùm Domitianum currenti anno Seculares Ludos edidiſſe, ideoque & anno tantùm ſequenti in Germaniam profectum eſſe, certum videtur. Extat apud Mediobarbum in Numiſmatis Imperatorum pag. 137. æreus Domitiani Nummus, in quo legitur: Imp. Caes. Domit. Aug. Germ. P. M. Tr. P. vii. Cens. Perp. In poſtica: Cos. XIIII Lud. Sec. F. S. C. Viſuntur figuræ tres ſacrificantes ad aram in templo. Quem Nummum cùm in Tribunitia Poteſtate depravatum dubitarem, ſcripſi ad Clariſſimum Toinardum, ut pro ſua erga me benevolentia videret, an ſimiles Pariſiis reperirentur, qui reſpondit jamdiu hunc Nummum negotium ſibi faceſſiiſſe, miſitque epigraphen alterius Nummi argentei in Muſæo Clariſſimi Abbatis Drontii Canonici Eccleſiæ Sancti Thomæ in Lupara, in quo is cum Vaillantio V. C. hæc verba diſtinctè legit: Imp. Caes. Domit. Aug. Ger. P. M. Tr. P. vii. Viſitur caput Domitiani laureatum. In averſa parte: Cos. XIIII. Lud. Saec. Fec. Repræſentatur *Salius* gradiens, dextrâ bacillum in modum columnulæ ſtriatæ; ſiniſtrâ clypeum, quo pectus tegit. Quibus ex Nummis intelligimus, Domitianum æſtate præſentis anni Ludos Seculares celebraſſe: die enim decima tertia menſis Septembris hujus anni Tribunitiam Poteſtatem octavam iniit Domitianus, cum qua Ludi Seculares in compluribus Nummis conjunguntur. Verum itaque eſt quod obſervavit Loydius, Onuphrium, & Bucherium erraſſe, quando ſcripſere hos Ludos editos *Idibus Septembris ipſo Natali Imperatoris*: ſic enim non æſtate, ſed autumno celebrati fuiſſent, quamvis dubitandum non ſit, quin eadem anni tempeſtate continuati fuerint, cùm in variis Nummis cum Tribunitia Poteſtate viii copulentur. Ceterùm cùm Ludi Seculares Philippi anno Chriſti ccxlvii exhibiti non memorentur in Nummis ſecundo ejus Conſulatu eo anno geſto, ſed ſolùm in Nummis tertio ejuſdem Conſulatu anno ccxlviii ſuſcepto, notatis, ſuſpicor, ne in duobus laudatis Domitiani, in quibus Trib. Pot. vii cum Ludis Secularibus copulatur, ultima lineola injuriâ temporis, quod aliquando accidit, detrita fuerit, ideoque non Trib. Pot. vii, ſed Trib. Pot. viii in illis ſcalpta fuerit. Cur enim Ludi Seculares Domitiani cum Trib. Pot. vii & viii, Philippi verò cum ſolo Conſulatu ſecundo illigati fuiſſent? Quæ conjectura ſi vera ſit, liquet, Ludos Seculares tam Domitiani, quàm Philippi, æſtate quidem celebratos, quod in dubium revocari non poteſt, ſed eoſdem Nummis non inſcribi ſolitos, niſi poſtquam abſoluti eſſent. Toinardus tamen affirmat, ſe diſtincte cum Drontio & Vaillantio in Nummo, in quo Salius re-

præſentatus, haberi TR. P. VII. Quod magis communi ſententiæ favet. At dici non poteſt, Cenſorinum erraſſe, dum *ſeptimos* editos ſcripſit Domitiano Aug. XIIII, & L. Minucio Ruſo Coſſ. annoque Urbis Varroniano, quâ erâ uti ſolet, DCCC XLI, & Ludos Seculares Antonianos prætermiſiſſe. Nam Antoninus Pius Ludos Seculares non exhibuit, ut anno Chriſti C XLVII demonſtrabo, & Ludi Seculares Domitiani ab eo Conſulatu annoque Urbis Varroniano removeri nullo modo poſſunt.

XI. *In Faſtis Capitolinis de iis non ſit mentio.* Nec obſtant Faſti Capitolini à Verrio Flacco ordinati & marmori inciſi. Ultimi enim Conſules, qui in Tabulis marmoreis, ab Onuphrio in calce ſuorum Faſtorum deſcriptis, recitantur, ſunt C. Silius & L. Munatius Plancus, qui anno Chriſti XIII, Urbis verò Varroniano DCCLXVI Magiſtratum geſſere. Anno enim ſequenti, quo Auguſtus obiit, ea Magiſtratuum Romanorum deſcriptio finita eſt, ut notat Onuphrius in præfatione ad ſuos Faſtos. Quare Inſcriptio, in qua Vir doctiſſimus fundatur, quæque poſt Faſtos Verrii Flacci majori ex parte eraſa legitur, ei attribui non debet. Eam hîc majoris claritatis gratiâ refero.

A. P. R. C. DCCC XLI

: : : : : : : : :

: : : : : : : : :

: : : : : : : : :

: : : : : : : : :

EX. S. C. LVDI SÆCVLARES. FACTI.

Eo in marmore Domitiani nomen non legitur, quia, ut inquit Suetonius in Domitiano cap. 23. Senatus Domitiani *eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam* decrevit. Quomodo enim Verrius Flaccus eam Inſcriptionem ponere potuit? cùm Suetonius in libro de Illuſtribus Grammaticis cap. 17. de eo ſcribat: *Deceſſit ætatis exactæ ſub Tiberio. Statuam habet Præneſte, in inferiori fori parte, contra hemicyclum: in quo Faſtos à ſe ordinatos, & marmoreo parieti inciſos publicarat*; ideoque quinquaginta & amplius annos poſt ejus mortem ea epigraphe ad calcem Faſtorum Capitolinorum adjecta fuerit. Verum itaque eſt, Verrium Flaccum in ſuis Faſtis ordinandis uti annis Urbis conditæ unitate minoribus, quàm anni Urbis conditæ Varroniani à Cenſorino uſurpati; ideoque ſi ea Inſcriptio Faſtorum Verrii Flacci pars eſſet, dubitandum non foret, quin Ludi Seculares anno ſequenti, quo annus Urbis Capitolinus DCCC XLI exorditur, celebrati fuiſſent. At Domitiano imperante opera publica anno Varroniano de more notata, ut variis exemplis oſtendit Noriſius V. C. in literis ad me datis: *Ludos Seculares*, inquit, *Domitiani ob Cenſorini teſtimonium actos puto anno Chriſti LXXXVIII. Id temporis anni Urbis Varroniani in Saxis ſcalpebantur. Hinc Gruteri pag. CCC initio Domitianus Coſ. XVI dicitur A. U. C. DCCC XLIV, quia illa cooptatio facta eſt ante diem XXI Aprilis. Ibi tamen Claudius Coſ. V. ponitur A. U. DCCC IV Varroniano. Veſpaſianus III cum Nerva A. U. DCCC XXIV Varroniano. Quare cùm Gruteri pag. CC XCV Ludi Domitiani, hujus nomine detrito, dicuntur acti A. U. DCCC XLI, de annis Varronianis accipiendos puto.* In Nummis Domitiani, in quibus ſignantur LUD. SAEC. viſitur hujus Imperatoris imago cum prætexta, ut videre eſt in Libello Gallico de Ludis Secularibus Domitiani à Rainſantio Viro eruditiſſimo publicato. At, ut advertit Noriſius V. C. ex prætexta nequit inferri, Domitianum tunc fuiſſe Conſulem, quia Sacerdotes ſive Imperatores, cùm ſacra facerent, prætextam induebant. Lampridius in Alexandro Severo cap. 40. *Accepit prætextam etiam cùm ſacra faceret, ſed loco Pontificis Maximi, non Imperatoris.* Tacitus lib. 2. Hiſt. cap. 4. tradit, Germanicum ſacrificantem ſanguine victimæ prætextam aſperſiſſe. Qua de re plura Lipſius in Notis ad eum Taciti locum, & idem Noriſius in Diſſert. 2. de Cenotaphiis Piſanis cap. 5. Domitiani itaque Conſulatus XIV indicium quidem Ludorum Secularium hoc anno editorum, ſed prætexta, quæ hoc tempore veſtis Conſularis erat, ad annum, quo ii peracti, detegendum nihil confert.

XII. *Geſta per tres annos à Domitiano.* Quoad alterum Viri eruditiſſimi fundamentum ab ordine librorum Martialis deductum, doctè is obſervavit, Poëtam hunc libros Epigrammatum ordine digeſtos emiſiſſe; ſed quæ libro 6. recitantur, non ad annum Chriſti LXXXVII, ut ipſe putat, ſed ad currentem referenda: hincque intelligimus, Oppium Sabinum ipſo initio primi belli Dacici & Cornelium Fuſcum ipſo ſecundi initio occiſos non eſſe, ut communiter omnes hæc Suetonii in Domitiano cap. 6. verba interpretantur: *Expeditiones ſuſcepit in Dacos duas: primam Oppio Sabino Conſulari oppreſſo: ſecundam Cornelio Fuſco Præfecto cohortium Prætorianarum, cui belli ſummam commiſerat.* Neque enim ſecundum bellum Dacicum hoc tantùm anno, ſed ab anno LXXXVI inchoatum, ut dixi: & Martialis ſatis indicat, bellum ab ejus morte non incepiſſe. Quare rectè Jornandes de rebus Geticis cap. 13. ſcripſit: *Longum namque poſt intervallum, Domitiano Imperatore regnante ripam Danubii longè poſſeſſam ab Imperio Romano, deletis militibus cum eorum Ducibus, vaſtaverunt* (nempe Gothi) *cui Provinciæ tunc poſt Agrippam Poppæus præerat Sabinus. Gothis autem Dorpaneus Principatum agebat, quando bello commiſſo Gothi, Romanis devictis, Poppæi Sabini capite abſciſſo, multa caſtella & civitates invadentes de parte Imperatoris publicè deprædarunt: qua neceſſitate ſuorum Domitianus cum omni virtute ſua in Illyricum properavit, & totius penè Reipublicæ militibus ductore Fuſco prælato cum lectiſſimis viris amnem Danubium conſertis navibus ad inſtar pontis tranſmeare coëgit ſuper exercitum Dorpanei. Tum Gothi haud ſegnes reperti arma capeſſunt, primoque conflictu, mox Romanos devincunt, Fuſcoque duce extincto, divitias de caſtris militum deſpoliant; magnâque potiti per loca victoriâ,* &c. Suetonius itaque loco citato aliud non inſinuat, quàm, Domitianum in Dacos profectum eſſe, primùm Sabino, ſecundùm Fuſco interfectis. Quod & de Fuſco etiam indicat Martialis, cùm poſt hujus mortem profectionem ſecundam narret. Quæ porro habet Martialis lib. 7. anno ſequenti contigere: quæ verò lib. 8. omnino ad annum X C pertinent,

niſi quòd eodem libro ſermo eſt de Sarmatica laurea poſt eum annum relata, ut infrà videbitur; ideoque eo libro geſta quædam duobus ſequentibus annis etiam memorata: ſed quæ libro nono habentur, poſt bellum Sarmaticum & in fine Imperii Domitiani ſcripta videntur. Ex obſervatione itaque Loydii diſcimus quod antea ignorabamus, Domitianum ſcilicet initio anni xc Romam adventaſſe, ubi triumphavit, & Decennalia celebravit; quod utrumque apud me certum, ſicuti & adventus ille Domitiani hoc anno Romam.

XIII. *De eadem profectione adverſus Dacos.* Baron. n. 1. Ad num. III. Baronius, qui ad Ludos Seculares præſenti anno Romæ à Domitiano exhibitos animum non advertit, & de iis non meminit, ſcribit, Domitianum in decimo quarto ſuo Conſulatu hoc anno ſuſcepto expeditionem habuiſſe adverſus Dacos. Verùm ex mox dictis liquet, eum durante illo Conſulatu Româ non abfuiſſe, ideoque profectionem illam ad annum ſequentem ſpectare.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5582. ☉ 14 D. ☽ 14. P. 19. April. Indict. 2.
Jesu Christi 89. *ſecundùm Baronium 91.*
Anacleti Papæ 7.
Domitiani Imp. 9.

I. *Conſules.* Coss. *T. Aurelius Fulvus II, & A. Sempronius Atratinus.* Fulvus cum nota numerali edendus, ut ex Chronico Alexandrino, & Capitolino in Antonino Pio cap. 1. apparet.

II. *Secunda expeditio Dacica Domitiani.* Baron. anno 90. num. 1. Secundum *bellum Dacicum*, quod Domitianus hactenus per Legatos, hoc anno præſens geſſit, ut ex iis, quæ anno præcedenti, tempus quo libri Martialis editi inveſtigans, dixi, manifeſtum fit. In ſeptimo itaque Martialis libro varia hujus expeditionis indicia extant, quæ tunc ex Loydio Viro eruditiſſimo propoſui. Cùm verò per *menſes octo* ea expeditio durarit, ut docet Martialis libro 9. epig. 32. annique ſequentis initio Domitianus Romam redierit, ut mox dicetur, eum adulto vere ex illa digreſſum conſtat. Mediobarbus anno præcedenti, quo Domitianus die xiii Septembris Tribunitiam Poteſtatem viii ſuſcepit, varia ejus Numiſmata profert, ex quibus diſcimus, *Domitianum* titulum Imp. à numero XV ad XXI auxiſſe. Verùm, cùm tunc Romæ ob Ludorum Secularium celebrationem fuerit, Nummi illi hoc anno percuſſi, titulusque Imp. toties multiplicatus. Licèt autem anno ſequenti ex ea expeditione redux ſecundum triumphum Dacicum egerit, & hoc anno ut *victor Romam literas* miſerit, magnam tamen militum partem turpiter amiſiſſe docet Dio lib. 67. Menſe Decembri *Daciam* reliquit Domitianus, ut ſequentis anni initio Conſulatum XV Decennalibus ejus deſtinatum inire poſſet: indeque Martialis lib. 7. epig. 8. ait, quòd ſi eo menſe in Urbem adventaſſet, December Januario anteponi potuiſſet. Denique tertio Nonas Januarii, quo Vota pro ſalute Imperatorum nuncupari ſolita, Domitianus *Romæ* erat, ad quem eſt Epigramma 4. Martialis in libro octavo.

Quantus, io, Latias mundi conventus ad aras
Suſcipit, & ſolvit pro Duce vota ſuo!

Singulis enim annis eo die pro ſalute Imperatoris Vota præterito anno concepta ſolvebantur, & nova in annum ſequentem ſuſcipiebantur. Sic, uti anno Chriſti xiv dixi, ſingulis Luſtris poſt peractum Cenſum Vota ultimo Luſtro concepta ſolvebantur, novaque in proximum nuncupabantur, quod pariter in Quinquennalibus & id genus feſtis præſtitum; ideoque errant, qui ſcribunt, Decennalia Vota v. g. anno uno ſoluta, ſequentique Vota Quindecennalia ſuſcepta, ut in Diſſert. Hypatica demonſtravi.

Hoc etiam anno vel ſaltem ſuperiori, bellum civile in Germania profligatum. De eo Suetonius in Domitiano cap. 6. ſcribit: *Bellum civile motum à Lucio Antonio, ſuperioris Germaniæ Præſide, confecit abſens, felicitate mira: cùm ipſâ dimicationis horâ reſolutus repentè Rhenus, tranſituras ad Antonium copias Barbarorum inhibuiſſet.* Victus captuſque à Lucio Maximo Antonius, ut prodit Xyphilinus, qui & tempus victoriæ reportatæ deſignat, cùm eam referat inter ea, quæ memoriæ digna bello Dacico contigere. Secundò Mediobarbus pag. 137. hunc Domitiani Nummum exhibet: Imp. Cæs. Domit. Germ. Cos. XIIII. Cens. Perp. in poſtica, Rhenus S. C. Cùm autem in tot Nummis hujus Imperatoris ab eo Auctore relatis nulla Rheni mentio præterquam in iſto hoc anno percuſſo occurrat, hunc ob eam victoriam cuſum omnino veriſimile, ideoque hoc anno vel præcedenti, quo in Nummis Cos. XIIII, eâ reportatâ, dictus eſt. Tertiò teſtatur Xyphilinus, Domitianum animum ad cædes faciendas induxiſſe, quòd Lucius Maximus literas omnes inventas in capſis Antonii combuſſiſſet, ſubjungitque, illis temporibus Lucianum Proclum Senatorem plerumque ruri vitam agentem, coactum fuiſſe proficiſci ex Urbe cum Domitiano; *ne ſi videretur eum in periculis deſerere, morte afficeretur. Sed poſtquam nuntium de parta victoria allatum eſſe intellexit: Viciſti, inquit, Imperator, ut optabam, quamobrem ut ruri me reſtituas, peto. Itaque dimiſſus, rus abiit.* Hæc autem victoria alia non videtur, quàm quæ de Antonio per Legatum ſuum à Domitiano reportata: neque etiam ea profectio Domitiani alia, quàm quæ hoc anno ab eo ſuſcepta. Ad hæc, poſtquam hæc recitavit Xyphilinus, loquitur de quibuſdam prodigiis, quæ evenere *Ulpio Trajano & Acilio Glabrione, qui tum unà Conſulatum gerebant.* Qui Conſulatus in annum Chriſti xci incidit, ideoque ante eum Chriſti annum Antonius ſuperatus, non verò anno xcii, quo ejus cladem Calviſius in Opere Chronologico conſignat. Eo enim anno Sarmaticum, non verò civile bellum conſignandum, ut infrà videbimus. Difficultatem tamen faciunt Tacitus in Vita Agricolæ, & Suetonius in Domitiano cap. 10. Ille ait, Domitianum primùm *per intervalla ac ſpiramenta temporum,* & poſtea Collegâ Priſcoque Coſſ. anno nempe xciii, *continuò & velut uno ictu Rempublicam* exhauſiſſe. Suetonius verò poſtquam aliquot cædes narravit, ſpeciatimque Metii Pompoſiani, ait: *Verùm aliquanto poſt civi-*

III. *Præſes Germaniæ rebellat, & vincitur.*

lis belli victoriam ſævior, &c. Tumque alia crudeliter à Domitiano patrata refert. Qua in gradatione cum Tacito citato conſentire videtur. Et tamen Xyphilinus *Pompoſiani* cædem poſt devictum Antonium factum dicit: ita ut ſecundùm Suetonium magna carnificina, de qua Tacitus, acciderit paulò poſt Germaniam recuperatam, ideoque hæc Imperio Romano reſtituta fuerit anno XCII vel XCIII, & Pompoſianus non poſt victoriam, ſed ante eam perierit. In hoc Auctorum conflictu nihil habeo dicendum, niſi, Suetonium in temporum notatione parum accuratum eſſe, indeque cap. 4. Ludos Seculares ante Quinquennale Certamen poſuiſſe.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5583. ☉ 15 C. ☽ 15. P. 4. APRIL. INDICT. 3.
JESU CHRISTI 90. *ſecundùm Baronium* 92.
ANACLETI PAPÆ 8.
DOMITIANI IMP. 10.

I. *Conſules.* COss. *Domitianus Aug. XV*, & *M. Coccejus Nerva II.*

II. *Decennalia Imperii Auguſtei Domitiani.* Sumtus hic à Domitiano Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam: Auguſtei enim Imperii Decennalia dedit, ut jam dixi in Diſſert. Hypat. At inquiunt aliqui cenſores in Epiſtola Conſulari apud Noriſium pag. 172. *Quis tibi Apollo revelavit, Domitianum edidiſſe Decennalia hoc anno, quo inibat annum decimum Imperii, non verò ſequenti, quo eundem decimum annum complebat?* Reſpondeo, ſtudium aſſiduum ac vehemens ad veras Conſulatuum Cæſareorum cauſas expromendas hanc mihi vaticinandi artem peperiſſe, cujus operâ vulgarem opinionem, quæ docet, Decennalia exeunte tantùm anno decimo edita, quâ cenſores iſti adeo imbuuntur, aliaſque hujuſmodi, quas ipſi mordicus tuentur, falſiſſimas eſſe comperi. Secundò, quod ipſis vel falſum vel dubium apparet, ex Nummis conſtat eſſe certiſſimum. Mediobarbus in Domitiano unum hujus Imperatoris proponit inſcriptum: IMP. CAES. DOMIT. AUG. GERM. TR. P. VIIII. In poſtica parte legitur: VOTA PUBLICA COS. XV. Cernitur Imperator ad aram ſtans, dextrâ pateram tenens, ante eum figura ſtans, tibicen, taurus, popa, & alia figura haſtam tenens. Quo ex Nummo, ut rectè Mediobarbo obſervatum, diſcimus, Decennalia Domitiani hoc anno, non verò ſequenti, celebrata, & erraſſe Onuphrium in Faſtis, quando ſcripſit, Decennalia anno tantùm decimo exacto celebrata. Præſtantiſſimum illud Opus de Imperatorum Romanorum Numiſmatis, poſt Diſſertationem Hypaticam publicatam, in lucem emiſſum. Quare ſine hujus Numiſmatis ope, ſoloque regularum Conſulatuum Cæſareorum ſubſidio jam inveteratum illum errorem everteram. Quòd ſi tunc Opus illud vidiſſem, Domitianum primum ex Imperatoribus fuiſſe, qui Vota Decennalia, implicitis tamen verbis, Nummis ſculpenda voluerit, notare non prætermiſiſſem. Sic antequam Baluzius V. C. egregium librum Lactantii de Mortibus Perſecutorum publici juris feciſſet, Diocletianum anno trecenteſimo tertio, quod tunc in obſcuro erat, Vicennalia celebraſſe, Conſulatuum Cæſareorum regulis detexeram. Prodiit denique nuper nova Orationum Themiſtii editio, in cujus Oratione XVI dicitur, Imperatores ſingulis quinquenniis & decenniis Conſulatum capere ſolitos, indeque quod jam ſtatueram, extra omnem controverſiam poſitum. En Apollo, qui mihi iſta arcana revelavit.

III. *Secundus Domitiani de Dacis triumphus.* Noriſius V. C. in Epiſtola Conſulari pag. 165. & 175. ſcribit, ſecundum Domitiani triumphum anno præcedenti vel anno LXXXVIII ductum eſſe. Vide ejus verba anno LXXXVI, num. III à me adducta. Sed decepere Virum doctiſſimum Domitiani victoriæ per eos annos reportatæ. Exiſtimavit enim eaſdem triumphum proximè ſecutum eſſe; cùm tamen Diocletianus, aliique quidam Imperatores triumphum poſt victorias aliquot annis diſtulerint. Præter Domitiani XV Conſulatum hoc anno geſtum, Nummus in Diſſert. Hypatica à me productus, & Euſebius in Chronico ibidem citatus, ſecundum hujus Imperatoris triumphum hoc anno exhibitum fuiſſe teſtantur. Quare res hæc certiſſima. Ad annum Abrahami 2107. qui menſe Septembri currentis Chriſti anni inchoatur, idem Euſebius ait: *Domitianus de Dacis & Germanis triumphavit.* Tum: *Domitianus tanta ſuperbia fuit, ut aureas & argenteas ſtatuas ſibi in Capitolio poni juſſerit.* Ad quæ verba Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis ait. *Domitianus tanta ſuperbia*, &c. ex Eutropio Hieronymus, qui hæc in hunc annum conjecit: *cùm tamen de ea ei non conſtaret.* At fallitur Vir doctiſſimus; Hieronymus enim libros legerat, qui ad nos non pervenerunt. Accurate itaque Hieronymus. Nam annis Decennalibus & id genus feſtis addictis novitates de more inductæ, & ſtatuæ Principibus ac magnis Viris poni ſolitæ, ut innumeris exemplis liquet. Hæ itaque ſtatuæ Decennalium Domitiani indicium.

IV. *Nerva in exilium actus.* Euſebius in Chronico tam ſecundùm Pontaci quàm Scaligeri Editionem, ad annum Abrahami 2104. qui Kalendis Septemb. anni Chriſti LXXXVII auſpicatur, ait: *Domitianus plurimos nobilium in exilium mittit, atque occidit.* Indeque Baronius intulit, Nervam currenti anno exilio affectum eſſe. (Baron. n. 1.) Scribit enim Philoſtratus lib. 7. cap. 5. *Nerva, qui poſt Domitianum juſtè modeſtèque imperavit, jam dignus Imperio videbatur: eademque de Orfito & Rufo fuit opinio. Hos Domitianus paratarum contra ſe inſidiarum inſimulans, in inſulam relegavit: Nervam quoque Tarentum ſecedere juſſit.* Verùm hæ cædes exiliaque ante annum XCIII, eoque jam affecto, non contigere. Tacitus enim in fine Vitæ Agricolæ, poſtquam eum, *Conlega Priſcoque Coſſ.* anno ſc. Chriſti XCIII, *decimo Kal. Septemb.* exceſſiſſe narravit, de eo ſcribit: *Sicut durare in hac beatiſſimi ſeculi luce, ac Principem Trajanum videre, augurio votiſque apud aures noſtras ominabatur: ita feſtinatæ mortis grande ſolatium tulit, evaſiſſe poſtremum illud tempus, quo Domitianus, non jam per intervalla ac ſpiramenta temporum, ſed continuò & velut uno ictu Rempublicam exhauſit. Non vidit Agricola*

obſeſſam Curiam & clauſum armis Senatum, & eadem ſtrage tot Conſularium cædes, tot nobiliſſimarum feminarum exilia & fugas. Una adhuc victoria Carus Metius cenſebatur, & intra Albanam villam ſententia Meſſalini ſtrepebat, & Maſſa Bæbius jam tum reus erat. Mox noſtræ duxere Helvidium in carcerem manus: nos Maurici, Ruſticique viſus, nos innocenti ſanguine Senecio perfudit, &c. Eo itaque anno Nerva in exilium miſſus: quod clariſſimus Guilielmus Loydius in literis ad me ex Anglia ſcriptis deducit ex epiſtola Plinii 33. lib. 7. in qua ait Plinius, Nervam, miſſis ad ſe graviſſimis literis, gratulatum ſibi eſſe, quòd *Bæbium Maſſam* de repetundis à Bœticis accuſatum damnaſſet. Eæ enim, inquit Vir doctiſſimus, literæ Tarento, ubi in exilio agebat, à Nerva ſcriptæ. Hinc itaque annus exilii Nervæ, imò & perſecutionis adverſus Chriſtianos decretæ tempus innoteſcit: cùm enim Domitianus anno XCIII *continuò & uno ictu* rempublicam exhauſerit, in Chriſtianos etiam ſæviiſſe non dubitandum. Hinc etiam liquet, in Chronico Euſebii res ſæpe aliis quàm contigerint annis, conſignatas eſſe.

V. *Initium perſecutionis Domitianeæ*

Baron. num. 114.

Ad num. I & II. Baronius ſecundam perſecutionem adverſus Chriſtianos à Domitiano excitatam præſenti anno conſignat. In Diſſertatione autem Hypatica eam anno tantùm nonageſimo tertio motam indicavi, quod à cenſoribus quibuſdam in Epiſtola Conſulari apud Noriſium pag. 179. irriſum, hac ratione, quòd *magnus Eccleſiaſticorum Annalium conditor perſecutionem à Domitiano decretam alligat anno XCI.* Baronius tamen præſenti anno eam perſecutionem incipit. Verùm videamus, quis noſtrûm irridendus, an ego, qui a tanti Viri ſententia graviſſimis argumentis ductus receſſi, an verò illi, qui vulgaribus opinionibus pueriliter delectantur. Baronius itaque, à quo ſine magno fundamento diſcedere non ſoleo, hanc unicam ſuæ opinionis rationem affert, quòd nempe Sanctus Cletus Papa anno ſequenti martyrii gloria coronatus fuerit. Quod cùm nec ipſe probet, nec ab aliquo probari poſſit, illud martyrium tam citò conſignandæ perſecutionis cauſa eſſe non potuit. Præterea fatetur Baronius, Euſebium in Hiſtoria hanc perſecutionem in finem Imperii Domitiani contuliſſe. Tertiò Euſebius in Chronico, tam juxta Pontaci, quàm Scaligeri editionem, hanc perſecutionem collocat anno Abrahami 2110. qui Kalendis Septembribus anni Chriſti nonageſimi tertii inchoatur; quo etiam Abrahami anno perſecutio Domitianea copulatur in Collectaneis Græcis apud Scaligerum pag. 395. Quartò Auctor Chronici Alexandrini eandem recitat Olympiade ducenteſima decima octava anno primo. Hujus porro Chronici Auctor in putandis Olympiadis Euſebianam rationem ſequitur, ideoque annus ille Olympiadicus anno Chriſti nonageſimo ſecundo inchoatus, inſequenti verò abſolutus. Habentur & alii characteres in eo Chronico, ſed depravati, niſi qui ſumitur ab anno XIII Domitiani, & à quarto Conſulatu ante hujus Imperatoris mortem, ita ut indubitatum ſit, Auctorem illum eam perſecutionem cum anno Chriſti nonageſimo tertio conjunxiſſe.

Ex quibus liquet, relegationem Joannis Apoſtoli in inſulam Pathmos, quæ, teſte Hieronymo, anno XVI Domitiani contigit, hoc anno à Baronio conſignari non debuiſſe, ſicuti nec perſecutionem hoc anno inchoari; cùm Sancti Cleti Papæ mors, quâ ſuam opinionem firmat, anno ſequenti non contigerit.

VI. *Perſecutio Domitianea magis explicata.*

Certè Domitianum nonniſi ſub finem Imperii perſecutionem excitaſſe teſtatur Euſebius in Hiſtoria, in qua accuratior eſt, quàm in Chronico: *Domitianus, cùm jam multa in multos crudelitatis ſuæ ſpecimina edidiſſet, nec paucos nobilium atque illuſtrium virorum urbis Romæ injuſtè interemiſſet, alios præterea innumerabiles ſummæ dignitatis viros, licèt inſontes, exilio & bonorum proſcriptione mulctaſſet, ad extremum Neronianæ impietatis, belliquæ & odii adverſus Deum, ſucceſſorem ſe ipſum profeſſus eſt,* inquit Euſebius in Hiſt. lib. 3. cap. 17. In Chronico autem anno Chriſti XCIII perſecutionem recitat, poſtquam proximè dixit, Domitianum multos nobiles perdidiſſe, quoſdamque etiam in exilium miſiſſe. Præterea Lactantius in lib. de Mortibus Perſecutorum cap. 3. ſub finem Imperii Domitiani perſecutionem ortam inſinuat: *Cùm exerceret inviſam dominationem, ſubjectorum tamen cervicibus incubavit quàm diutiſſimè, tutuſque regnavit, donec impias manus adverſus Dominum tenderet. Poſtquam verò ad perſequendum juſtum populum inſtinctu dæmonum incitatus eſt, tunc traditus in manus inimicorum luit pœnas.* Immo Dodwellus celeberrimus Angliæ Scriptor, in Diſſert. XI Cyprianica de Paucitate Martyrum, ait, perſecutionem Domitianeam fuiſſe breviſſimam, *ut vix unum annum implere potuerit:* ſtatim Domitianum extinctum eſſe innuere Lactantium, (cujus verba mox citavi) & tempus ipſum certiſſimis characteribus conſignaſſe Brutium, (cujus verba anno XCV num. 1. recitabo) Flavii ſcilicet Clementis Conſulatum anno XCV geſtum. Quare cùm Tribunitiam Poteſtatem XV à Septembri XIII inierit Domitianus, ſub finem illius anni perſecutionem contigiſſe neceſſe eſſe. Atqui ſub finem Septembris anni ſequentis occiſus eſt: his itaque terminis illam concluſam fuiſſe ait Dodwellus, *ita ut vix annum implere potuerit.* Sed non aſſentior; quia ideo Brutius, cujus liber periit, perſecutionem cum anno XV Domitiani junxit, quia tunc maximè graſſata eſt, ipſeque Flavius Clemens vix depoſito Conſulatu ordinario occiſus, & Domitilla ejus neptis in inſulam Pontiam deportata. Quæ utpote magis illuſtria à Brutio anno Domitiani XV, quo accidêre, conſignata. Ex quo malè infertur, Domitianum antea in Chriſtianos non ſæviiſſe; præſertim cùm Hieronymus tradat, Joannem Evangeliſtam anno Domitiani XIV in oleum igneum conjectum eſſe. Ad hæc, verum quidem eſt, perſecutiones adverſus Chriſtianos annis Decennalibus & id genus feſtis deſtinatis excitari ſolitas, ideoque anno Domitiani XV Quindecennalium occaſione vexatos. Verùm ipſa perſecutio natali Imperii die de more non decreta, ut arbitratur Vir doctiſſimus. Sed quemadmodum totus annus Julianus, quo ea ſolennia acta, feſtivus fuit, tem-

pla ædificata aut dedicata, & res ad Religionem pertinentes ſolicitè curatæ: ſic perſecutiones, non ipſo anno decimo v. g. Imperatoris, ſed anno Juliano, quo Decennalia edita, eæque quocumque illius die indiſcriminatim decretæ. Præclarum hujus rei exemplum videbimus in Imperio Diocletiani. Is enim perſecutionem quidem in ſuis Vicennalibus anno CCC III celebratis decrevit, ſed menſe Februario, & pluribus menſibus ante diem Imperii ſui natalem, & ante eum, quo Vicennalia exhibuit. Licèt igitur perſecutio anno XV Domitiani arſerit, non ſequitur, die Domitiani natali, & non priùs, eam inchoatam eſſe. Denique ſi Domitianus anno tantùm Imperii XV Chriſtianos affligere cœpiſſet, perſecutio aliquot tantùm menſes duraſſet; cùm Baronius illum ante mortem à perſecutione deſtitiſſe clarè oſtendat.

Baron. anno 97. num. XVI & XVII.

VII. *Domitiani perſecutio cruenta fuit.*

Nec placet etiam quod Dodwellus ſcribit, eam ſcilicet perſecutionem *cruentam* non fuiſſe. *Si Tertulliano credimus in Apolog. cap.* 5. inquit Dodwellus, *ne ad cruciatus quidem progreſſus eſt, nedum ad cædem. Ita enim ille.* Tentaverat & Domitianus portio Neronis de crudelitate; ſed quà & homo facilè cœptum repreſſit, reſtitutis etiam, quos relegaverat: *Tentavit itaque dumtaxat, non item Cæſariano, quod fecit Nero, gladio ferociit. Relegavit etiam confeſſos, non capitali etiam, ſed nec membrorum ſupplicio affecit*, &c. *Scio equidem eodem Auctore Tertulliano lib. de Præſcript. cap. 36. Joannem Apoſtolum à Domitiano in oleum igneum eſſe conjectum, tum ſtupendo miraculo ſalvum in inſulam deinde eſſe relegatum: verùm eo miraculo ita deterritus eſt fortaſſis Tyrannus, ut ne auderet quidem deinde in innocentes pro ingenio ſuo ſævire. Hæc ſi vera ſunt, ſuſpecta erunt deinde recentiorum monumenta omnia, quæcumque Martyres Domitiano tribuendos eſſe cenſuerint.* Ita Dodwellus, qui ſatis animum non attendit ad Domitiani ſævitiam, ratione cujus ab Ethnicis Nero eſt appellatus, à Tacito Nerone ſævior dictus, à Tertulliano verò portio Neronis, ut oſtendit Baronius in Annalibus. Cùm itaque Domitianus anno Chriſti XCIII Imperii ejus Cæſarei quintis Quinquennalibus addicto, vel anno Chriſti XCV, quo Quindecennalia celebravit, perſecutionem adverſus Chriſtianos excitarit, & quoad rei geſtæ annum, Neronem exemplar ſibi propoſuerit, non dubium, quin Chriſtianos crudeliter habuerit, & quin eorum plures, ut habent Tabulæ Eccleſiaſticæ, martyrium fecerint. Quia verò perſecutio Domitianea Neronianâ minor fuit, de ea loquitur Tertullianus quaſi prioris tantùm adumbratio fuiſſet; non quòd multi occiſi non fuerint, ſed quòd non tantæ adverſus eos crudelitates exercitæ. Quòd ſi Tertullianus de relegatis tantùm loquitur, factum id, quia eoſdem Domitianus ante mortem reſtituit; nec opus erat, ut de iis, qui interfecti fuerant, loqueretur; cùm eos Domitianus ad vitam non revocaverit. Denique vel ſolum Joanni Apoſtolo irrogatum ſupplicium demonſtrat, plures capitali ſupplicio affectos. Nam miraculo, quod tunc accidit, deterritum Domitianum fuiſſe, & ab innocentibus perſequendis illum deſtitiſſe, gratis à Viro doctiſſimo aſſeritur. Vide dicenda anno XCIV num. V, & Baronium anno 94. num. VII.

Baron. anno 93. num. III & IV.

VIII. *Decennalia, triumphus, & pax à Domitiano facta.*

Revocanda ad præſentem annum quæ anno LXXXVIII retulimus ex libro 8. Martialis, quæ Loydius Vir eruditiſſimus ſummariè collegit, quæque perperam anno præcedenti illigavit. *Spectacula* itaque, de quibus ibidem, *convivium*, quo populum Romanum Domitianus excepit, *ædeſque Palatinæ* recèns conſtructæ, de quibus ibi ſermo eſt, pertinent ad præſentem annum, quo Domitianus & Decennalia Imperii Auguſtei & *ſecundum triumphum Dacicum* exhibuit. Antè ædificatum illud palatium, non poterant in aula celebrari ſolennia populi convivia, ut prodit Martialis lib. 8. epig. 39. Quare anno præcedenti illud à Rabirio celebri Domitiani architecto ædificatum, ut elicio ex Martiali lib. 7. epig. 56. ubi tunc ejus conſtructioni Rabirium incubuiſſe teſtatur. Liber autem 7. Martialis geſta anno Chriſti LXXXIX complectitur. Ad Decennalia itaque ſua Domitianus reſpiciens, *Regiam illam*, quam Poëta lib. 8. epig. 36. pyramidibus, auliſque Ægypti anteponit, condere voluit. Illud etiam notatu dignum, Domitianum à Martiali lib. 8. in Præfatione, & à Juvenali Satyra 6. *Dacicum* cognominari: ſed, ut obſervat Scaliger in Notis Euſebianis ad num. 2107. nullus Nummus extat, nullumque monimentum, in quo Dacici cognomen ſit; cùm tamen *Germanicus* ſæpiſſime in Nummis vocetur; ſive id à Domitiano decretum, ſive ab iis, qui Nummis cudendis præerant. Quare Nummi & Inſcriptiones titulorum & cognominum Imperatoribus attributorum normâ haberi non poſſunt, quà certò definiatur, an hoc vel illud cognomen Imperatores tulerint. Marcus Aurelius poſtquam Tribunitiam Poteſtatem & Imperium Proconſulare conſecutus eſt, nunquam in Nummis & Inſcriptionibus *Imperatoris* prænomine inſignitur. At hinc malè Vir doctiſſimus nuper inferebat, illum *Imperatoris* titulo ante Antonini Pii mortem decoratum non fuiſſe; cùm ille omnibus Imperii Collegis attributus fuerit; regulaque à Nummorum ſilentio deducta fallax comperiatur. Non etiam prætermittendum, in Nummis, annis quibus triumphatum eſt, percuſſis, mentionem pacis de more factam, ut in Nummis Veſpaſiani & Titi filii anno LXXI, quo de Judæa triumphum egere, cuſis, ut videre eſt apud Mediobarbum. Sic in Nummo Domitiani apud eundem legitur: IMP. DOMIT. AUG. GERM. COS. XV. Viſitur caput muliebre oleâ redimitum, cum ramo oleæ, quæ pacis ſymbolum. In poſtica: S. C. Corvus ramo oleæ inſtans.

IX. *Ex anno ſecundi triumphi Dacici annus, quo prior geſtus, innoteſcit.*

Ex anno porro ſecundi triumphi Dacici certo indubitatoque in notitiam venimus anni, quo primus Dacicus triumphus actus eſt; in Nummis enim anno LXXXV, quo priorem triumphum conſignavimus, cuſis, quòve annus, quo Conſulatum XI Domitianus geſſit, eadem figura cernitur, quæ in Nummis XV Domitiani Conſulatu hoc anno inito apparet. Exemplum ſit iſte apud Mediobarbum, in cujus poſtica legitur, IMP. VIII. COS. XI. Viſitur Germania ſeminuda, quæ mœſta ſcuto inſidet, ponè ſagitta fracta. In alia poſtica eadem verba præferente cernitur figura nuda,

quæ ſcuto oblongo humi poſito inſidet, caputque ſiniſtra manu ſuſtentat, adeſtque ſagitta in medio confracta. In alia poſtica legitur: GERMANIA CAPTA S. C. viſiturque Germania ſedens captivæ habitu. Quæ ſymbola in quibuſdam Nummis hoc anno percuſſis etiam repræſentata, ut in iſto, in cujus averſa parte habetur, GERMANICUS COS. XV. Exhibetur Germania ſedens lugubri habitu. In alia poſtica, GERMANICUS COS. XV. Viſitur figura ſeminuda mœſta ſedens, ad cujus pedes ſagitta fracta. Ita ex certis obſcura lucem accipiunt, & Nummorum ope Chronologia promovetur. Non me latet, quoſdam Viros doctos exiſtimare, Euſebium in Chronico prioris triumphi Dacici mentionem facere, quando ait: *Naſamones & Daci dimicantes contra Romanos victi.* Verùm, ut diximus, ea Euſebii verba de initio ſecundi belli Dacici intelligenda. Sicut enim ſecundum diſertis verbis memorat, ita & primum conceptis etiam verbis recitaſſet, ſi de eo loqui voluiſſet. Prioris itaque tam belli quàm triumphi Dacici non meminit Euſebius.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5584. ☉ 16 B. ☽ 16. P. 27. MART. INDICT. 4.
JESU CHRISTI 91. *ſecundùm Baronium* 93.
ANACLETI PAPÆ 9.
DOMITIANI IMP. 11.

I. *Conſules.* COSS. *M. Ulpius Trajanus*, & *M. Acilius Glabrio.*

II. *Obitus Cleti PP.* Ad num. I. In Chronico Damaſi de Cleto legitur: *Cletus annis ſex, menſibus duobus, diebus ſeptem. Fuit temporibus Veſpaſiani & Titi, & initio Domitiani, à Conſulibus Veſpaſiano VIII, & Domitiano VI, uſque Domitiano IX, & Ruſo.* Migravit itaque ad Chriſtum anno octogeſimo tertio, quo Domitianus IX, Ruſo Collega, Conſulatum geſſit. Pontificatum ſuſceperat anno Chriſti ſeptuageſimo ſeptimo, octavo Veſpaſiani Conſulatu & ſexto Domitiani ſuffecto inſignito. Ubi obiter notabis, Titum Conſulem VII cum Veſpaſiano VIII proceſſiſſe, ſed Domitianum Tito ſuffectum fuiſſe; ideoque ex hoc loco manifeſtum fieri, ſextum Domitiani Conſulatum ſuffectum cum octavo Veſpaſiani patris conjungendum, & præcedentes rectè ſuis annis conſignatos eſſe. Colitur S. Cletus die XXVI menſis Aprilis, quo & in auctiori Chronico veterum Pontificum ſepultus dicitur. Verùm, ut jam monuimus, hujuſmodi dies, quibus veteres Pontifices Romani mortui aut ſepulti dicuntur, ad aliquam eorum Tranſlationem plerumque pertinent. Incertum etiam quot diebus poſt ejus mortem Sedes vacaverit. In auctiori quidem Chronico veterum Pontificum dicitur, Epiſcopatum ceſſaſſe dies XVI; in Libro verò Pontificali dies XX. Sed hæc ex certis monumentis non depromta, verùm ex proprio Auctorum, qui præfata Opera compoſuere, calculo; quibus ideo tutò fides haberi non poteſt.

Baron. num. I.

III. *Formula S. Cleto perperam attributa.* In Breviario Romano à Pio V edito die XXVI Aprilis, quo Cletus colitur, hæc verba leguntur: *Primus in literis verbis illis uſus eſt: Salutem & Apoſtolicam benedictionem.* Sed præterquam quòd nullæ extant S. Cleti literæ, ſcriptum id abſque ullius veteris Auctoris teſtimonio à Martino Polono in Chronico. Recentior itaque illa formula, quà tamen Joannes V, & Sergius I uſi ſunt, ut conſtat ex eorum Reſcriptis à Mabillonio V. C. in Opere de Re Diplomatica productis. Addit Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Romanorum Pontificum, eam formulam ante Leonem IX, vel ſaltem ante Gregorium VII ſtabili uſu receptam non fuiſſe. Cleto ſucceſſit Anacletus die & menſe incertis.

IV. *Perſecutio hoc anno nondum inchoata.* Ad num. III. Epiſtola S. Ignatii ad *Mariam* vulgò *Caſſabolitem* inter Epiſtolas ejus ſuppoſititias recenſetur à Cotelerio V. C. in Operibus SS. Patrum, qui temporibus Apoſtolicis floruerunt, quemadmodum & Epiſtolæ ad Antiochenos, ad Tarſenſes, ad Philippenſes, & ad Heronem. Quæ quinque Epiſtolæ divo Ignatio adſcriptæ. Baronius quidem has Ignatii eſſe germanas, eaſdemque ſinceriſſimas tuetur. Sed noſtro ſeculo Opera Ignatii magis diſcuſſa, & utrimque de iiſdem plura literis mandata. Legendi Uſſerius de Epiſtolis Ignatianis, Iſaacus Voſſius, & Joannes Pearſonius in Vindiciis Ignatianis, qui plura habent de veris & de ſpuriis Ignatii Epiſtolis, de quibus nos infrà. Ex his liquet, Baronium ſecundam Eccleſiæ perſecutionem perperam hoc anno conſignaſſe; cùm martyrium *S. Cleti*, in quo fundatur, hoc anno non contigerit, & Epiſtola Ignatii ad Mariam Caſſabolitem, in qua de exiliis & vinculis Ignatii agitur, germana non ſit.

Baron. num. III & VIII.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5585. ☉ 17 AG. ☽ 17. P. 15. APRIL. INDICT. 5.
JESU CHRISTI 92. *ſecundùm Baronium* 94.
ANACLETI PAPÆ 10.
DOMITIANI IMP. 12.

I. *Conſules.* COSS. *Domitianus Aug. XVI*, & *Q. Voluſius Saturninus*, ut ex Inſcriptione Gruteri pag. 300. oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari pag. 57.

II. *Quinta Quinquennalia Imperii Cæſarei dilata.* Sumtus hic Conſulatus à Domitiano juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam, ſcilicet propter quinta Quinquennalia Imperii Cæſarei, quæ tamen in annum ſequentem diſtulit, ut tunc videbimus.

III. *Bellum Sarmaticum.* Hujus dilationis cauſam bello Sarmatico attribuendam exiſtimo. Hanc expeditionem poſtremam Domitiani fuiſſe optimè demonſtrat Noriſius in laudata Epiſtola, tam ex Martiali variis in locis, quàm ex Statio. Martialis, inquit Noriſius, lib. VII epig. 7. ſcribit, Domitianum menſe Januario Romam adveniſſe poſt expeditionem Germanicam. Ibi tamen loquitur de expeditione contra Sarmatas, ut patet ex quinto epigrammate, quod in hæc carmina deſinit.

Sed jam lætitia qua ſit fiducia major
Sarmatica laurus, nuntius ipſe veni.

Martialî

Martiali addendus Statius lib. 5. ubi dè lachrymis Hetruſci, qui laudans Domitianum ait:

Hæc eſt quæ victis parcentia fœdera Cattis,
Quæque ſuum Dacis donat clementia montem.
Quæ MODO *Marcomanos poſt horrida bella, vagoſque*
Sauromatas Latio non eſt dignata triumpho.

Eam victoriam Vir doctiſſimus ad annum ſequentem refert, quòd præſenti, quo Domitianus erat Tribunitiæ Poteſtatis XV; ac Coſ. XVI in Gruteriana Inſcriptione pag. 575. ac Nummis dicatur: IMP. XXI, & anno ſequenti, Gruteri paginâ 574. idem dicatur: TRIBUNIC. POTESTAT. XII. IMP. XXII. COS. XVI. Hinc, inquit, ſi anno Chriſti XCIII ſemel ſupra XXI Imperator dictus eſt, ob victoriam Sarmaticam eum titulum iterum auxit, qui etiam poſtremus fuit; nuſquam enim in Nummis deinceps auctus legitur. Ita Noriſius. Sed ex præfatis Nummis & Inſcriptionibus bellum iſtud præſenti anno confectum eſſe apparet. Domitianus enim Tribunitiam Poteſtatem XI uſque ad diem XIII Septembris currentis Chriſti anni geſſit, eodemque die duodecimam iniit. Quare titulus Imperatoris XXII hoc anno Domitiano poſt diem XIII Septembris attributus. Nam ex ea expeditione Kalendis Januariis anni inſequentis rediit, ut ex Martiali lib. 8. Epig. 8. ad Janum colligi videtur.

Tu tamen hoc mavis Latiæ quod contigit urbi,
Menſe tuo reducem, Jane, videre Deum.

IV. *De Sarmatis non triũphum, ſed lauream Domitianus retulit.* Ubi Martialis de Domitiani Romam adventu poſt expeditionem Sarmaticam loquitur, ut eruditè Noriſio obſervatum. Domitianum verò Deum & Dominum appellari voluiſſe, ſuo loco dictum. Dixi autem, Domitianum Kalendis Januariis currentis Chriſti anni Romam rediiſſe, quia hujuſmodi expeditiones biennio durare non ſolebant; hancque brevem fuiſſe ex eo liquet, quòd de Sarmatis non triumphum, ſed lauream, quæ minor triumpho erat, retulerit, ut teſtatur Suetonius in Domitiano cap. 6. & Martialis loco laudato Epig. 15.

Hos quoque ſecretos memorabit Roma triumphos;
Nec minor iſta tuæ laurea pacis erit.

Secretos triumphos vocat, quòd de Sarmatis triumphare recuſavit. Suetonius enim ait: *De Sarmatis lauream modo Capitolino Jovi retulit.* Mediobarbus in Numiſmatis Impp. pag. 138. Nummos tres aureos Domitiani producit, in quorum antica legitur: DOMITIANUS AUGUSTUS. In eorum poſtica: GERMANICUS COS. XVI. Sed in uno viſitur Pallas cum clypeo & noctua; in alio repræſentantur quadrigæ triumphales pulcherrimæ. In tertio cernitur figura ſedens lugubri habitu. Ait Mediobarbus: *Omnes in ſecundo de Germanis & Dacis triumpho cuſi*, quem præſenti anno ductum arbitratur. At ad lauream Sarmaticam, ideoque & ad annum ſequentem referendi; non ſolùm quia jam à biennio Domitianus triumphum illum egit; ſed etiam quia quadrigæ triumphales ſæpe abſque triumpho Imperatoribus decretæ. Quòd ſi Domitianus poſt bellum adverſus Cattos & primum Dacicum, quæ annua fuere, triumphavit; nullus dubito, quin & de Sarmatis etiam triumphum egiſſet, ſi expeditio Sarmatica per biennium duraſſet, annoque tantùm Chriſti XCIV ineunte Romam Domitianus adveniſſet. Cùm itaque præſenti anno Domitianus ab Urbe abfuerit, Imperii ejus Cæſarei quinta Quinquennalia in annum ſequentem dilata. Opinio Guilelmi Loydii de anno hujus expeditionis legenda anno LXXXVIII, num. VII.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5586. ☉ 18 F. ☽ 18. P. 31. MART. INDICT. 6. Olymp. 218.
JESU CHRISTI 93. *ſecundùm Baronium* 95.
ANACLETI PAPÆ II.
DOMITIANI IMP. 13.

I. *Conſules.* COSS. *Pompeius Collega*, & *Cornelius Priſcus.*

II. *Quinta Quinquẽnalia Imperii Cæſarei Domitiani.* Celebrata hoc anno à Domitiano Imperii Cæſarei quinta Quinquennalia, quod ex variis indiciis colligo. I. Quia perſecutio adverſus Chriſtianos hoc anno ab eo decreta, ut anno XCI demonſtravi. Imperatores enim niſi ipſo Imperii initio crudelitatem in Chriſtianos exercere cœperint, nonniſi in Quinquennalibus & id genus feſtis edictis Eccleſiam vexarunt, ut jam de Nerone viſum, à quo reliqui Eccleſiæ perſecutores exemplum ſumſere. Hujus rei in Diſſertatione Hypatica rationem attuli, petitam ex Votis, quæ in Decennalibus & hujuſmodi feſtis ſuſcipiebantur & ſolvebantur, & ex ſacrificiis quæ tunc offerebantur. Cùm enim in hujuſmodi feſtivitatibus pro incolumitate Imperii & ſalute Imperatoris Vota nuncuparentur & ſolverentur, & Imperatores quæ ad Religionem Ethnicam pertinerent, ſummo ſtudio curarent, Religio Chriſtiana ut nova & peregrina vetita, & in ſectatores ſævitum. In *Perſecutio adverſus Chriſtianos.* Epiſtola Conſulari pag. 178. ſugillant me cenſores, quòd in Diſſertatione Hypatica ſcripſerim, ſumtum à Domitiano Conſulatum XVI ob quinta Quinquennalia, nonniſi tamen anno ſequenti celebrata: *Hæc doctrina*, inquiunt cenſores, *nobis monſtro ſimilis videtur. Si ſumit Conſulatum ob Quinquennalia, cur eadem in eodem Conſulatu non celebrat? Si differt Quinquennalia, cur non etiam Conſulatum? Videſne ut hæc ſententia, ut alicubi Tertullianus ait, ſe ipſam ſtrangulet.* Sed illud argumentum puerile. Severus enim Auguſtus anno Chriſti CCII Conſulatum propter Decennalia ſumſit, ut nunc dubitare non licet, & tamen ejus Decennalia in annum CCIII dilata, ut ex Nummis certò conſtat. Præterea Beliſarius anno DXXXIV de Wandalis triumphavit, Conſulatum tamen eidem triumpho debitum nonniſi anno ſequenti obtinuit, de quo Conſulatu Procopius lib. 2. Hiſt. Wandalicæ loquens, ait: *Non multò poſt Beliſario, quod ei ex veteri more ad triumphi ſpeciem deerat, acceſſit. Conſul enim factus*, &c. Si Conſulatus ad Beliſarii triumphum tantum ſplendorem collaturus erat, cur is in annum Chriſti DXXXV, quo Conſulatus geſtus, dilatus non eſt: Quid

ad præteritam triumphi pompam præſens Conſulatus faciebat? Vides Beliſarii triumphum & Conſulatum, quàm joculatoria cenſorum iſtorum argumentatio ſit, oſtendere. Aiunt præterea, me petere principium, ac pag. 106. Diſſert. Hypaticæ ſcribere, Domitiani quinta Quinquennalia dilata fuiſſe in hunc annum *ob perſecutionem* contra Chriſtianos, & pag. 110. perſecutionem motam anno XCIII, ideoque me probare, *annum Quinquennalium ab anno perſecutionis; alibi è contrario annum perſecutionis ab anno Quinquennalium.* At prorſus falſum, ſcripſiſſe me *ob perſecutionem* Quinquennalia dilata. Dixi itaque, ea quinta Quinquennalia dilata fuiſſe, ex duobus indiciis colligi. I. Ex perſecutione annis hujuſmodi ſolenniis addictis moveri ſolita, quæ ante præſentem annum cœpta non eſt. II. Ex librorum Joſephi de Antiquitatibus Judaïcis publicatione, quòd Scriptorum moris eſſet in Quinquennalibus & id genus feſtis Opera ſua in lucem proferre. Joſephus enim lib. 20. ait, ſe eos ſcripſiſſe decimo tertio Principatûs Domitiani anno, ætatis verò ſuæ ſexto & quinquageſimo: in libro verò de Vita ſua ſcribit, ſe natum anno primo Imperii Caligulæ, Chriſti nempe XXXVII. Quare currenti anno nobiliſſimum illud Opus, annumque ætatis LVI abſolvit, & annum ætatis LVII inchoavit. Perperam itaque Baronius id anno ſequenti factum dicit. Verum eſt, cenſores illos in Epiſtola Conſulari pag. 179. cum morem libros publicandi in Quinquennalibus invaluiſſe negare. Sed tot illud exemplis demonſtravi, ut res certiſſima eſſe debeat.

III. *Duæ Clementis PP. Epiſtolæ.*

Baron. num. LII & ſeqq.

Ad num. I & II. Exiſtimavit Baronius, nonniſi fragmenta quædam Epiſtolæ S. Clementis Papæ ad Eccleſiam Corinthiorum ad nos perveniſſe. Verùm felicior noſtra ætas, inquit Schelſtratius in parte 2. Antiquit. Illuſtr. Diſſert. III cap. 2. ad edenda veterum Patrum ſcripta, & è tenebris educenda quæcumque Antiquorum monumenta. Eam Epiſtolam ferè integram publicavit Patricius Junius Scotus, qui eam habet ex antiquiſſimo Codice circa primi Concilii Nicæni tempora manu Theclæ nobilis fœminæ Ægyptiæ exarato, quem Codicem anno 1632. ab eo in lucem datum, refert, ex Oriente dono miſſum ad Angliæ Regem. Extat tomo 1 Conciliorum. Putavit etiam Baronius, ſecundam Clementis ad Corinthios Epiſtolam à Veteribus reprobatam non extare. Illius tamen fragmenta habemus Latina, interprete Vendelino, & cum Græco rurſus excuſa tomo 1 Conciliorum. Quantum ex fragmentis colligitur, continebat hæc Epiſtola ſalutaria documenta: *admonitionemque vitæ melioris continet*, ait Photius in Bibliotheca cod. CXXVI.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5587. ☉ 19 E. ☽ 19. P. 20. APRIL.
INDICT. 7.
JESU CHRISTI 94. *ſecundum Baronium 96.*
ANACLETI PAPÆ 12.
DOMITIANI IMP. 14.

COSS. *L. Nonius Aſprenas*, & *M. Arretinus Clemens.* I. *Conſules.*

II. *Præfecti Prætorio nõ ſemper aſſumti ex Ordine Equeſtri.*

Conſulatus penes Senatorium, Præfectura verò Prætorii penes Equeſtrem Ordinem erat, ut docet Dio lib. 52. Equites tamen non rarò Senatores creati. Suetonius in Auguſto cap. 40. ait: Comitiis Tribunitiis ſi deeſſent candidati, *Senatores ex Equitibus Romanis creavit: ita ut Poteſtate tranſacta, in utro vellent Ordine manerent.* Contrà verò Senatores Præfecturâ Prætorii aliquando donati. Anno Chriſti LXX, dum Veſpaſianus adhuc in Oriente agebat, *Mucianus*, Romæ Arrio Varo Præfecturâ dimoto, ſubſtituit Arretinum Clementem hoc anno Conſulem, ut prodit Tacitus lib. 4. Hiſt. *Dictitans, ipſum, quamquam Senatorii Ordinis, ad utraque munia ſufficere.* Suetonius in Tito Cæſare cap. 6. de eo ait: *Præfecturam quoque ſuſcepit, nunquam ad id tempus, niſi ab Equite Romano adminiſtratam.* Quod & tradit Plinius in Præfatione ad Hiſt. Naturalem: *Dum illud patri,* inquit, *pariter & Equeſtri Ordini præſtas, Præfectus Prætorio ejus.* Quam dignitatem anno Chriſti LXXVIII Imperii ejus Cæſarei Decennalibus nobilitato Titum geſſiſſe exiſtimo, ideoque & eo anno, ut morem fuiſſe libros publicandi, aliàs obſervavimus. Nam licèt ibidem Plinius dicat: *Triumphalis & Cenſorius tu, ſexieſque Conſul, ac Tribunitiæ Poteſtatis particeps*, & ſextum Conſulatum anno Chriſti LXXVII capeſſierit, non inde tamen ſequitur, ut plerique omnes inferunt, eam Hiſtoriam in ſexto Titi Conſulatu, ſeu anno Chriſti LXXVII in lucem emiſſam fuiſſe. Quemadmodum enim Plinius Tribunitiam Poteſtatem abſolutè ponit, & quotus ejus annus eſſet, non determinat; pari eademque ratione ſextum Conſulatum tanquam ultimum à Tito ſuſceptum commemorat, nulla ratione habita anni, quo illum iniit, aut quo Præfectus Prætorio fuit: ſicut nec ullam habet anni, quo triumphavit, aut Cenſuram geſſit, quando ait: *Triumphalis & Cenſorius tu.*

III. *Præfecti Prætorio Cõſules aliquãdo creati.*

Obſervandum autem, Præfecturam Prætorii & Conſulatum ab uno eodemque ante hæc tempora geſta fuiſſe, ut egregiè notavit Noriſius in literis nuper ad me datis: *Tiberius* enim, inquit, Collegam in ſuo Conſulatu *Sejanum* habuit, hicque Præfecturam retinuit uſque ad poſtremos vitæ dies, cùm Sertorium Macronem ſucceſſorem accipiens ſtatim occiſus fuerit, ut refert Dio lib. 58. Lipſius in Notis ad lib. 4. Hiſt. Taciti, Suetonii laudati errorem notavit, qui ſcribit, *Titum* primum è Senatoriis Prætorio Præfectum fuiſſe, cùm tamen *Arretinus Clemens* hoc anno Conſul ante Titum Præfecturam Prætorii, licèt Senator eſſet, adminiſtrarit, ut mox dixi. Quem Suetonii errorem, lau-

datum Sejani exemplum magis adhuc patefacit. Denique notatu dignum exiſtimo, quod ait Spartianus in Hadriano cap. 8. ubi habet: Cùm *Attianum* (ita enim legendum) *ex Præfecto Prætorii ornamentis Conſularibus præditum, fecerit Senatorem*, &c. Quibus ex verbis non tantùm liquet, ornamenta Conſularia viris ex Ordine Equeſtri, qualis erat Attianus, ut ibidem cap. 1. docet Spartianus, conceſſa, nec ad ea obtinenda Senatoriam dignitatem requiſitam fuiſſe; ſed etiam qui Præfecturâ Prætorii cohoneſtati fuerant, aliquando Senatores renuntiatos fuiſſe, ſicque eis viam ad Conſulatum patuiſſe. Quæ occaſione Arretini Clementis (non verò *Arricinii*, ut perperam eum Onuphrius in Faſtis vocat, aut *Arricini*, ut Baronius) primùm Præfecti Prætorio, ac poſtea Conſulis, annotare viſum. Legenda quæ anno CCXVIII de Macrino, & quæ anno CCLXXXV de Ariſtobulo in medium attulimus. Porro loco *Tatiani* apud Spartianum legendum *Attianum*, oſtendam anno CXXVII.

IV. *Joſephus libros Antiquitatũ ſcribit.* Ad num. I. Joſephus libros de Antiquitatibus Judaïcis anno præcedenti publicavit, ut ibidem oſtendimus. Porro liber Joſephi de Vita ſua nihil aliud eſt, quàm appendix vel epilogus libri viceſimi Antiquitatum. Quamobrem Euſebius lib. 3. cap. 10. eum vocat *epilogum Antiquitatum*. In Græco-Latinis Editionibus malè divulſus eſt à libro 20. Antiquit. cùm Joſephus ipſe doceat in calce libri viceſimi, & in fine ipſius Opuſculi de Vita ſua, epilogum eſſe, ut obſervavit Euſebius in Notis ad eum Joſephi locum.

Baron. n. 1.

V. *Perſecutio continuata.* In Chronico Alexandrino ſub hujus anni Conſulibus legitur: *Brutus narrat magnam Chriſtianorum copiam ab XIV Domitiani anno ſublatam & martyrio affectam.* Liber Bruti, aut, ut eum Euſebius in Chronico vocat, Brutii, non extat. Sed veroſimile eſt, tempore Auctoris illius Chronici ejus Hiſtoriam nondum fuiſſe deperditam. Hinc apparet, deceptos Viros doctiſſimos, qui perſecutionem anno tantùm ſequenti inchoatam exiſtimarunt.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5588. ☉ 20 D. ☽ 1. P. 12. APRIL. INDICT. 8.
JESU CHRISTI 95. *ſecundùm Baronium 97.*
EVARISTI PAPÆ 1.
DOMITIANI IMP. 15.

I. *Conſules.* COss. *Domitianus Aug. XVII, & T. Flavius Clemens.*

II. *Perſecutio occaſione Quindecennaliũ aucta.* Sumtus hic Conſulatus à Domitiano juxta ſecundam regulam, ob nempe Auguſtei Imperii Quindecennalia, quorum occaſione perſecutio aucta. Euſebius enim lib. 3. cap. 18. ait: *His ipſis temporibus doctrina Fidei noſtræ tantopere florebat, ut Scriptores etiam à Religione noſtra alieniſſimi & perſecutionem & martyria noſtrorum monumentis ſuis tradere non dubitarint. Qui quidem etiam tempus ipſum perſecutionis accuratè notarunt. Scribunt enim, anno Principatûs Domitiani quinto-decimo Flaviam Domitillam Flavii Clementis, ejus, qui tunc temporis Romæ Conſul fuit, ex ſorore neptem, unà cum aliis plurimis ob confeſſionem Chriſti in inſulam Pontiam fuiſſe deportatam.* Dodwellus Vir eruditiſſimus in Diſſert. XI. de Paucitate Martyrum illis Euſebii verbis innixus contendit, perſecutionem Domitianeam hoc tantùm anno inchoatam. Sed Euſebius, qui Brutii Hiſtoriam legerat, (de ea enim ibi loquitur, ut ex ejus Chronico conſtat) perſecutionem anno Chriſti XCIII inceptam in Chronico ſcribit; quod & in Hiſtoria confirmat. Jam enim cap. 17. libri tertii, de perſecutione Chriſtianorum ſub Domitiano locutus fuerat. Quare quæ habet poſtea cap. 18. citato, oſtendunt tantùm, perſecutionem hoc anno auctam. Martyrium Flaviæ Domitillæ in annum ſequentem Baronius perperam differt.

III. *Conſulatus ſuffecti ſæpe neglecti.* Statius lib. 4. Sylvarum de Conſulatu XVII Domitiani hoc anno geſto ſcribit,

Subiere novi Palatia faſces,
Et requiem bis ſextus honos, precibuſque receptis,
Curia Cæſareum gaudet viciſſe pudorem.

Hunc duodecimum Conſulatum Domitiani ordinarium, qui connumeratis quinque ſuffectis eſt XVII, *bis ſextum honorem* vocat Poëta. Cùm dicit, eundem Conſulatum *ſubiiſſe quietem*, teſtatur, Domitianum non ſemel oblatum ſibi Conſulatum recuſaſſe, quem enixis Senatûs precibus victus tandem recepit, gaudentibus Patribus victam Principis non unâ repulſâ delatos faſces reſpuentis moderationem. Inde quidam apud Noriſium in Epiſt. Conſul. pag. 181. deducere ſe putant, regulas Decennalium à me ſtatutas commentitias eſſe; cùm Domitianus Conſulatum XVII anno, quo Quindecennalia dare debebat, recuſaret, & nequidem de ea regula cogitaret. At ex illa ficta Domitiani moderatione prorſus contrarium colligitur, conſtatque, ideo anno ſuperiori Conſulatum XVII Imperatori oblatum, quòd in præſentem annum Imperii ejus Auguſtei Quindecennalia inciderent, ipſeque de more annum aperire deberet. Valeret argumentum, ſi currenti anno nulla id genus feſta celebranda fuiſſent. Quare iſtis cenſoribus ſuadeo, ut Ciceroni pro Cluent. 4. auſcultent: *Si quam opinionem mentibus veſtris comprehendiſtis, ſi eam ratio convellet, nec repugnetis, eamque animis libentibus remittatis.* Re ipſa cenſores iſti animadvertere poſſunt, quantùm referat falſas opiniones deponere; cùm antequam Diſſertationem Hypaticam in lucem emiſiſſem, Statii Interpretes ad citatos verſus hærerent, & hæc verba, *bis ſextus honor*, corrupta concluderent. Joannes Federicus Grinovius, qui longo intervallo ceteros ſuperavit, poſtquam dixit, vulgatam Statii lectionem defendi poſſe, *ſi quis*, inquit, *velit argutari*, aſſerendo Poëtam Conſulatus tantùm ordinarios Domitiani memorare; eam conjecturam, quæ certiſſima erat, mox rejicit, aitque loco, *bis ſextus*, legendum eſſe, *textus*; cùm tamen locus puriſſimus ſit, & in eo Conſulatus Domitiani ſuffecti negligantur.

IV. *Domitianus Conſulatus* Ad num. I. Rectè Domitiani Conſulatum hoc anno geſtum, XVII Baronius vocat. Sed inde intelligere poterat, Conſula-

Juxta regulas ſumſit. tus ſuffectos ante Severum Imperatorem in Faſtis numeratos fuiſſe, ideoque prioris Veſpaſiani, qui ſuffectus fuit, rationem habitam, ſecundum Titi Conſulatum cum quarto Veſpaſiani copulandum, & quintum ejuſdem Veſpaſiani cum tertio Titi; quod cùm Baronius non obſervarit, Faſtos Conſulares per Veſpaſiani tempora ſuſdeque vertit. Porro quod Auſonius, & Plinius in Panegyri Trajani, toties iteratos Domitiani Conſulatus irriſerint, non ſequitur, ut putarunt quidam cenſores apud Noriſium in Epiſt. Conſul. pag. 152. hunc Imperatorem præter regulas Conſulatus illos capeſſiſſe. Hæc Auſonii verba in Panegyrico: *Scis ſeptem ac decem Domitiani Conſulatus, quos ille invidiâ alios provehendi continuando conſeruit, ita in ejus aviditate deriſos, ut hoc cum pagina Faſtorum ſuorum, immo Faſtidiorum fecerit inſolentem, nec potuerit præſtare felicem.* Inde, inquam, non ſequitur, Domitianum morem in Imperio receptum contemſiſſe; cùm ex dictis conſtet, cum hac in re ceteros Imperatores ſecutum. Irriſus itaque Domitianus, quòd illos Conſulatus *invidiâ alios provehendi* continuarit, ut dicit Auſonius; quòd *falſis victoriis jactandis* eos ſumſerit, ut Zonaras habet; quòd plures Conſulatus ceperit, quàm ante eum alii Imperatores, ut ſcribunt Suetonius in Domitiano cap. 13. & Xyphilinus ex Dione; ac denique quòd *continuis Conſulatibus* fecerit *longum quemdam & ſine diſcrimine annum*, ut inquit Plinius citatus. Reliqui enim Imperatores ſæpe præ modeſtia, aut ut locum privatis darent, à Conſulatu ſuſcipiendo annis ſibi deſtinatis abſtinuere. Domitianus verò non ſolùm ſemper illum uſurpavit; ſed etiam *ſtultè & inſolenter*, ut ait Dio lib. 67. uti v. g. propter *falſum è Germania triumphum, emtis per commercia, quorum habitus & crines in captivorum ſpeciem formarentur*, ut verbis Taciti in Vita Agricolæ utar. Conſulatus itaque ſæpius præ ambitione, aliiſque de cauſis ab aliquibus Imperatoribus ſumtus, ſed Conſulatuum Cæſareorum regulæ de more ſervatæ.

Baron. n. 1.

V. *Perſecutio Domitianea in Nummo Iſiaco non expreſſa.* Obrechtus V. C. in Epiſtola de Nummo Domitiani Iſiaco, hujus Imperatoris Numiſma argenteum producit in antica inſcriptum: Cæs. Domit. Aug. Germ. P. M. Tr. P. xv. In poſtica viſitur Sacrigerulus Iſiacus veſte propè muliebri, qui galeo calvitium tegente navi inſidet; dextrâ perſeæ fructum tenet cum ramo, ſiniſtrâ crucem; prope navim Luna dimidiata. Omnia in corona ex perſea. Inviſum in ejus ævi Nummis crucis ſymbolum quoſdam impulit, ut ad Chriſtianam Religionem hoc ænigma referrent, de qua Domitianus, qui ſecundus Eccleſiæ perſecutor fuit, trophæum hoc monumento erigere voluerit. Sed ut rectè Obrechtus, inter literas Ægyptiorum ἱερατικὸς figurâ Dominicæ Crucis vitam venturam denotari, dudum pluribus conſtat. Quare eo in Nummo exhibentur cujuſdam Iſiaci Sacrigeruli inſignia: hi enim Sacerdotes veſte utebantur muliebri, & obtecto calvitio incedebant. Luna verò dimidiatâ ſeu cornutâ Iſidem deſignari inter Mythologos convenit. Iſiacus itaque Sacrigerulus Domitianus eſt, qui, ut ait Suetonius in Domitiano cap. 1. ardente bello Vitelliano, *Iſiaci celatus habitu*, inter Sacrificulos vanæ ſuperſtitionis latuit, & mortem vitavit, ac *potiente rerum* patre, Jovi Conſervatori aram poſuit, *caſuſque ſuos in marmore expreſſit*, inquit Tacitus lib. 3. Hiſt. Quare veroſimile, Domitianum eoſdem etiam in Nummis memorari voluiſſe. Hoc autem anno potiùs quàm alio; quia annis Decennalibus & id genus feſtis addictis rerum antea geſtarum, vel acceptorum beneficiorum memoria de more renovata. Unde & Jovis Capitolini templum à Domitiano; quòd in bello Vitelliano mortem evaſiſſet, ædificatum, currenti anno etiam in Nummis repræſentatum. Mediobarbus enim Nummum exhibet inſcriptum: Imp. Cæs. Domit. Aug. Germ. Cos. XVII. In ejus poſtica cernitur templum quatuor columnarum, in quo ſedet figura, duabus ſtantibus hinc inde icunculis extra templum, quod, uti dixi, Jovi Conſervatori ante aliquot annos dedicavit. Perperam itaque ad perſecutionem Domitianeam Nummus Domitiani Iſiacus relatus, qui etiam an ſincerus ſit, dubitat Vir eruditiſſimus, qui ſe illum præ manibus habuiſſe dicit.

VI. *Evariſtus ſit Papa.* Obitus Anacleti Papæ in hunc annum incidit, ut infrà oſtendetur. Anacleto ſucceſſit Evariſtus.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5589. ☉ 21 CB. ☽ 2. P. 27. Mart. Indict. 9.
Jesu Christi 96. *ſecundùm Baronium* 93.
Evaristi Papæ 1.
Nervæ Imp. 1.

I. *Conſules.* Coss. *C. Fulvius Valens, & C. Antiſtius Vetus.*

II. *Conſulares aliquando Conſules dicti.* Ad num. I. Flavius Clemens anno præcedenti à Domitiano morti traditus, & Flavia Domitilla Clementis neptis relegata. Euſebius enim tam in Hiſtoria, quàm in Chronico, & Xyphilinus ex Dione tradunt, Clementem *Conſulem* morte affectum. Verum quidem eſt, Suetonium in Domitiano cap. 15. ſcribere: *Flavium Clementem tantùm non ipſo ejus Conſulatu interemit.* Sed hi Auctores inter ſe contrarii non ſunt: priores enim inſinuant, Clementem eo anno, quo Conſulatum geſſit, interfectum; Suetonius verò eum, paulò poſtquam Conſulatum abdicavit, occiſum. Conſules enim ordinarii, licèt per aliquot tantùm menſes munus illud exercerent, toto tamen Conſulatûs anno Conſules ſæpius vocati, ac poſtmodum Exconſules aut Conſulares. Ex quo apparet, quàm immeritò in Epiſtola Conſulari à quibuſdam cenſoribus reprehendar, quòd in Diſſert. Hypatica ſcripſerim, Imperatores Conſules aut Conſulari munere fungentes Decennalia, Triumphos, & Ludos Seculares exhibuiſſe, quòd, ut plurimum, poſt depoſitum Conſulatum id factum eſſe conſtet. Nam qui modum loquendi Scriptorum Hiſtoriæ Auguſtæ imitatur, nullum juſtæ reprehenſioni locum relinquit.

Baron. n. 1. 11 & ſeq.

III. *Domitiani interitus.* Ad num. IV. Domitianus *occiſus eſt XIV Kal. Octobris, anno ætatis XLV, Imperii XV*, inquit Suetonius in Domitiano cap. 17. *Vixit Domitianus annos IV & XL, menſes X, dies VI & XX. Regnavit annos XV, dies V*, ait Xyphilinus ex Dione.

Baron. n. IX. Addit Suetonius, eum cædem ominatum affirmaſſe, *fore, ut ſequenti die Luna ſe in Aquario cruentaret.* Die autem decima octava Septembris, quâ periit, Luna fuit in vigeſimo tertio gradu minut. x Aquarii. Quare interitus ejus hoc anno certiſſime contigit. Scaliger lib. 5. de Emendat. Temp. anno præcedenti illum conſignavit, ea ratione, quod Hadrianum annos XXII imperaſſe exiſtimaret. Quâ etiam motus Norſius in Diſſert. de Votis Decennalibus Hadriani mortem in annum CXXXIX diſtulerat; quam opinionem poſtea in Epiſtola Conſulari meritò damnavit. Ita annus unus Hadriani Imperio additus magnos illos Viros in errorem induxit. Sed in priori parte Diſſert. Hypaticæ Hadrianum annos tantùm XXI regnaſſe ita certò demonſtravi, ut res in controverſiam vocari in poſterum non poſſit.

IV. *An Dionyſius Areopagita.* Ad num. VII. Sirmondus in Editione Conciliorum Galliæ, & Diſſertatione de duobus Dionyſiis, Launoius in libro de duobus Dionyſiis, aliique quidam, Dionyſium Pariſienſem Epiſcopum negant, eundem eſſe

Baron. num. XXII. cum Dionyſio Areopagita, quem Epiſcopum Athenienſium eſſe volunt; quibus ſe poſtea alii oppoſuere. Utriuſque partis rationes ſummatim refert Schelſtratius in 2. part. Antiquit. Illuſtr. Diſſert. III cap. 3. artic. 3. N. *du Bois* Vir eruditiſſimus Eccleſiæ Pariſienſis Hiſtoriam ſub prælo habet, in qua celebrem iſtam controverſiam accuratiſſimè tractaturus eſt.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5590. ☉ 22 A. ☽ 3. P. 16. APRIL.

Olymp. 219. INDICT. 10.

Anno Urbis 850. JESU CHRISTI 97. *ſecundùm Baronium* 99.

EVARISTI PAPÆ 3.

NERVÆ IMP. 2.

I. *Conſules.* COSS. *Nerva Aug. III. & L. Verginius Rufus III.* ut habet Norſius in Epiſtola Conſulari. Nervæ Conſulatus juxta priorem Conſulatuum Cæſareorum regulam.

II. *Trajanus dictus Cæſar & Imperii Collega.* Ad num. VI. *Nerva Trajanum in liberi locum, inque partem Imperii adoptavit, cum quo tribus vixit menſibus*, inquit Victor in Epitome. Trajanus itaque non tantùm Cæſar, ſed & Collega Imperii renuntiatus, idque v Kalend. Novemb. cùm Nerva, anno ſequenti, exeunte Januario, ſupremum

Baron. num. XIII. diem obierit, & nuncupationes Cæſarum ac Imperii Collegarum, quinto Kalendas alicujus menſis de more factæ fuerint, ut in Diſſert. Hypatica oſtendi. Dio lib. 68. ait, Nervam in Capitolium conſcendiſſe, ibique magna voce dixiſſe: *Quod felix fauſtumque ſit, inquit, Senatui populoque Romano, mihique ipſi, Marcum Ulpium Nervam Trajanum adopto; eundemque poſtea in Senatu Cæſarem deſignavit. Itaque Trajanus tunc Cæſar, ac poſtea Imperator factus eſt.* Quibus ex verbis liquet, Trajanum primò adoptatum fuiſſe, ſecundò Cæſarem dictum, tertiò Imperio Proconſulari donatum, quod Imperatoris nomine exprimi diximus anno LI, cùm de Nerone eodem Imperio Proconſulari cohoneſtato verba haberemus. De Tribunitia Poteſtate Trajano collata non loquitur Dio; ſed certum, eam illi cum Imperio Proconſulari collatam. Plinius in Panegyrico cap. 8. de Trajano ait: *Simul filius, ſimul Cæſar, mox Imperator, & conſors Tribunitiæ Poteſtatis, & omnia pariter & ſtatim factus es, quæ proximè parens verus tantùm in alterum filium contulit.* Loquitur Plinius de Veſpaſiano, Titi non adoptione, ſed vero parente, qui Imperium Proconſulare & conſortium Tribunitiæ Poteſtatis in Titum contulit, nulla ratione habita Domitiani alterius filii. Addit Plinius capite ſequenti: *Non ſolùm ſucceſſor Imperii, ſed particeps etiam ſociuſque placuiſti.* Mitto alia ejuſdem Plinii loca, ex quibus certiſſimum redditur, Trajanum cum Nerva corregnaſſe, & Imperatorem appellatum fuiſſe.

Dodwellus in doctiſſima Appendice ad Diſſertationes Cyprianicas num. XL, Nervam Trajanum non tantùm adoptaſſe, ſed & non multò pòſt Imperium abdicaſſe ſcribit. Unde tres epochas Trajano aſſignat, primam ab eo tempore, quo Cæſar nuncupatus, deductam; ſecundam ab eo, quo Imperator dictus; tertiam à die, quo Nervæ demortuo ſucceſſit. Exiſtimat autem, Nervam ſub hujus anni finem Imperium depoſuiſſe, tuncque Trajanum, qui jam Cæſar erat, *Imperatorem* appellatum, quòd Dio ſcribat, Trajanum primò Cæſarem, & μετὰ τοῦτο αὐτοκράτορα, id eſt, *poſtea Imperatorem* vocatum fuiſſe; ac denique hallucinari Eruditos, qui Auguſteam hîc à Cæſarea dignitatem diſtinguant; cùm, inquit, in ipſa etiam Auguſtea dignitate varii ſemper eſſent gradus, quorum primum uſque ad abdicationem tenuit ipſe Nerva. Hunc verò abdicaſſe colligit ex Plinio lib. 7. Epiſt. XXXIII, in qua dicitur: *Divus quidem Nerva (nam privatus quoque attendebat his, quæ rectè in publico fierent) miſſis ad me graviſſimis literis, non mihi ſolùm, verùm etiam ſeculo gratulatus eſt, cui exemplum (ſic enim ſcripſit) ſimile Antiquis contigiſſet.* Geſta hæc coram Conſulibus de cauſa Bæbii Maſſæ ſcribit Plinius, quibus tamen Nerva jam privatus attenderit. Alios illos Conſules fuiſſe oportet, quàm ipſum Nervam. Atqui anno XCVIII alios præter ſe Conſules non vidit, ne ſuffectos quidem: nec enim menſis Januarii finem attigit. Sub ſuperioris itaque anni XCVII finem cauſam illam actam neceſſe eſt coram menſis illius Conſulibus ſuffectis. Convenit & ſenior Victor in Cæſaribus, qui ait: *Menſe ſexto ac decimo ſemet eo* (Imperio) *abdicavit*, ſcilicet Nerva. Ita Dodwellus, qui addere poterat Lactantium lib. de Mortibus Perſecutorum cap. 18. ubi ait Galerium Maximianum, ut Diocletianum ad Imperium abdicandum adduceret, Nervæ exemplum propoſuiſſe: *Simul & exemplum Nervæ proferebat, qui Imperium Trajano tradidiſſet. Ille verò* (nempe Diocletianus) *aiebat ei*

III. *Nerva Imperium non abdicavit.*

indecens eſſe, ſi poſt tantam ſublimis faſtigii claritatem, in humilis vitæ tenebras decidiſſet, & minus tutum, quòd in tam longo Imperio multorum ſibi odia quæſiſſet. Nerva verò uno anno imperante, cùm pondus & curam tantarum rerum, vel ætate vel violentiâ ferre non quiret, abjeciſſe gubernaculum Reipublicæ, atque ad privatam vitam rediiſſe, in qua conſenuerat. Hæc Dodwelli fundamenta.

IV. *Ex Plinio Nervã non abdicaſſe liquet.*

Verumenimvero, Nervam nunquam Imperium abdicaſſe, ſed poſtquam Trajanum adoptavit, rerum publicarum curam depoſuiſſe, eamque Trajano mandaſſe certiſſimum eſſe debet. Diocletianus enim primus ex Imperatoribus fuit, qui depoſito Imperio ad vitam privatam redierit: *Diocletianus privatus in villa, quæ haud procul à Salonis eſt, præclaro otio ſenuit, inuſitata virtute uſus, ut ſolus omnium poſt conditum Romanum Imperium ex tanto faſtigio ſponte ad privatæ vitæ ſtatum civilitatemque remearet*, inquit Eutropius. Nec Plinius in Epiſtolis docere potuit, Nervam Imperium depoſuiſſe; cùm in Trajani Panegyrico poſt Nervæ mortem recitato, Trajanum dumtaxat in Imperii ſocietatem adſcitum ſæpius inſinuet. Ubi de Trajani adoptione locutus eſt Plinius, de Nerva cap. 8. hæc ſcribit: *Inde* QUASI DEPOSITO IMPERIO, *quâ ſecuritate, quâ gloriâ lætus? (Nam quantulum refert,* DEPONAS, AN PARTIARIS IMPERIUM, *niſi quod difficilius hoc eſt) non ſecus ac præſenti tibi innixus, tuis humeris ſe patriamque ſuſtentans, tuâ juventâ, tuo robore invaluit, ſtatim conſedit omnis tumultus.* Nerva itaque Imperium non depoſuit, ſed illud partitus eſt, dum Trajanum Imperii Collegam dixit; quod Plinius cap. inſequenti rurſus indicat: *Magnum hoc tuæ moderationis indicium, quòd non ſolùm ſucceſſor Imperii, ſed particeps etiam, ſociuſque placuiſti. Nam ſucceſſor, etiam ſi nolis, habendus eſt, non eſt habendus ſocius, niſi velis.* Ad hæc Plinius cap. 6. loquens de tumultu adverſus Nervam concitato, qui adoptionis Trajani cauſa fuit, quiſque poſt eam ſedatus, ait: *Ita filius ac parens uno eodemque momento rem maximam præſtitiſtis: ille tibi Imperium dedit, tu illi reddidiſti. Solus ergo ad hoc ævi, qui pro munere tanto paria accipiendo feciſti, imò ultro dantem obligaſti: communicato enim Imperio ſolicitior tu, ille ſecurior factus eſt.* Mitto alia multa ejuſdem Panegyrici verba, quæ Nervam quidem ſocium aſſumſiſſe, nunquam verò Imperium depoſuiſſe, manifeſtè oſtendunt. Quòd ſi abdicaſſet, quartum Conſulatum diebus viginti ſex ante mortem non capeſſiſſet. Nec ad rem facit Epiſtola Plinii à Dodwello laudata; cùm ea quidem Trajano imperante ſcripta, ſed cauſa, de qua in ea agitur, pertineat ad annum Chriſti XCIII, quo Domitianus Imperium adminiſtrabat, ut diſertè teſtatur Tacitus in Vita Agricolæ, verſus finem, ubi hujus morte, quæ Conlega Priſcoque Coſſ. contigit, anno ſc. XCIII, narratâ, ait, Agricolam *feſtinatæ mortis grande ſolatium tuliſſe*, evaſiſſe *poſtremum illud tempus*, quo Domitianus velut uno ictu Rempublicam exhauriebat. Subjungit Tacitus: *Maſſa Bebius jam tum reus erat.* Anno itaque XCIII Maſſa à Bœticis de repetundis accuſatus, ſequentique XCIV damnatus, Plinio injunctam à Senatu accuſationem exequente, ut ipſemet in ea Epiſtola tradit. Quando Nerva Plinio gratulatus eſt ob præfatæ cauſæ judicium, agebat Tarenti in exilio, quò à Domitiano miſſum fuiſſe prodiit Philoſtratus in Vita Apollonii lib. 7. capite 3. Quam conjecturam, uti & alia multa debeo eruditiſſimo Gulielmo Loydio in literis ad me nuper ex Anglia datis, hincque Nervæ exilium anno XCIII exeunte aut inſequentis initio contigiſſe elicio, ut ſuo loco dixi.

V. *Omnia quæ Victor de Nerva ſcripſit, portentoſa.*

Nec alterum fundamentum à Victore de Cæſaribus deductum majorem firmitatem habet. Hæc Victoris verba: *Quid enim Nerva Cretenſi prudentius, magiſque moderatum? Qui cùm extrema ætate apud Sequanos, quò Tyranni defecit metu, Imperium arbitrio legionum cepiſſet*, &c. Omnia falſa & portentoſa, inquit Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis ad numerum 2113. Sed quæ ſequuntur, non minùs falſa: *Ubi proſpexit, niſi à ſuperioribus robuſtioribuſque corpore animoque geri non poſſe, menſe ſexto ac decimo ſemet eo abdicavit.* Quòd ſi quis contendat, Victorem in his ultimis verbis non erraſſe, reſpondebo, Antiquos Imperii cum altero communicationem depoſitionis & abdicationis nomine quandoque expreſſiſſe; quod Herwartus in ſua Chronologia capite 248. num. VI rectè intellexit. Ibi enim de Tiberio Collega Imperii ab Auguſto dicto ſermonem habens ait: Patet ex Panegyrico Maximiano & Conſtantino dicto, Auguſtum aliqua ſaltem ex parte depoſuiſſe ante mortem Imperium, anno ſcilicet ætatis ſuæ LXX, & Imperii L. Siquidem illius Panegyrici Auctor ſub urbis Romæ nomine depoſitionem Imperii diſſuadens, inquit: *Quouſque hoc, Maximine, patiar, me quati, te quieſcere, mihi libertatem adimi, te uſurpare tibi illicitam miſſionem? An quod Divo Auguſto poſt ſeptuaginta ætatis, quinquaginta Imperii non licuit annos, tam citò licuit tibi?* Hæc Panegyriſta anonymus, inquit Herwartus. Orator itaque, ut eum is doctè interpretatur, indicat, Auguſtum, Tiberium in Imperii conſortium vocantem, illud ante tempus depoſuiſſe, ideoque & multò magis Maximianum Herculium, qui poſt viceſimum Imperii annum ad privatam vitam rediiſſet. Quam Herwarti explicationem menti Oratoris conformem eſſe loca ſuperiùs adducta manifeſtum faciunt. Hic porro locus, *menſe ſexto ac decimo ſemet eo abdicavit*, à Librario corruptus. Scripſerat Victor: *Menſe XIV ſemet eo abdicavit*; Librarius verò nota numerali loco mutata, poſuit, *menſe XVI*, tamdemque progreſſu temporis notæ numerales omiſſæ, ſcriptumque, *menſe ſexto ac decimo*. Quod non rarò contigiſſe norunt Eruditi. Tacitus in Vita Agricolæ verſus finem, ait: *Natus erat Agricola, Caio Cæſare tertiùm Conſ. Idibus Juniis: exceſſit ſexto & quinquageſimo anno, decimo Kalend. Septemb. Conlega Priſcoque Coſſ.* Conſulatus III Caii Caligulæ in annum Chriſti XL, Conlegæ verò Priſcique Conſulatus in annum XCIII convenit. Intervallum igitur inter

utrumque Conſulatum eſt tantùm LIV annorum, non LVI, ait Savilius in Notis: *Familiaris Tacito aliiſque Hiſtoricis error eſt calculi pluſculum excurrentis.* Sed frivola hæc evaſio, ubi uterque extremus annus ſuis characteribus inſignitur. Is itaque Librarii error eodem modo in Tacito, quo in Victore commiſſus. Sed hæc ex abundanti. Nam Victorem in Cæſaribus nonniſi falſa de Nerva ſcripſiſſe, apud me certum.

VI. *Lactantius non dixit, Nervã Imperium depoſuiſſe.* Lactantius lib. de Mortibus Perſecutorum Dodwello non favet; Galerius enim Maximianus, ut Diocletianum ad Imperium abdicandum adduceret, falsò ſupponebat, Nervam, quando poſt adoptatum Trajanum rerum curam abjecit, & in Trajanum tranſtulit, Imperium abdicaſſe, quod tamen falſiſſimum erat, ut ex dictis conſtat. Nec ſatisfacit Dodwelli reſponſum & explicatio, Trajanum ſcilicet, licèt primum in Imperio gradum conſecutus eſſet, Nerva tamen ſuperſtite, eum uſurpare noluiſſe, quòd Plinius in Panegyrico cap. 10. dicat: *Jam te providentia Deorum primum in locum provexerat, tu adhuc in ſecundo reſiſtere atque etiam ſeneſcere optabas: privatus tibi videbaris, quandiu Imperator & alius eſſet*, id eſt, viveret, inquit Dodwellus. Verùm perperam hic locus adductus: nihil enim aliud Plinius denotat, niſi tantam fuiſſe Trajani moderationem, ut licèt Imperator eſſet, & primum in locum provectus, id eſt, Collega Imperii (ratione cujus dignitatis Imperator dicebatur) privatum tamen ſemetipſum exiſtimaret, quandiu Nerva in vivis fuit.

VII. *Trajanus Nervâ vivente Imperator, ſed nõ Auguſtus fuit.* Fallitur præterea Dodwellus, quando ait ex Dione, Trajanum Cæſarem ac poſtea Auguſtum appellatum, & in Auguſtea dignitate varios gradus fuiſſe. Nam Dio dicit quidem, Trajanum primùm Cæſarem ac poſtea *Imperatorem* appellatum. Sed *Imperatoris* nomine Auguſtum non intelligit. Collegæ enim Imperii, qualis Trajanus fuit, *Imperatores* propter Imperium Proconſulare eis conceſſum appellabantur; ſed Auguſti nomine nunquam exornabantur. Unde Plinius in Panegyrico Trajanum ſæpe *Imperatoris* nunquam verò Auguſti nomine cohoneſtat. Superſunt complura Numiſmata Titi, vivente patre percuſſa, in quibus filius Auguſti & *Imperator*, nunquam verò Auguſtus nuncupatur. Nec denique in Auguſtea dignitate alius gradus erat, quàm ſenioris & junioris Auguſti. Sed hoc tantùm poſt Marci Aurelii Imperium in uſu vocatum. Antea enim Imperium Romanum, vel ab unico Auguſto, vel ab uno Auguſto cum Collega Imperii regebatur: neque duo Auguſti niſi poſt Marcum Aurelium viſi. Unde Trajanus in Nummo anno ſequenti cuſo, qui extat apud Triſtanum tomo 1. pag. 378. dicitur tantùm Cæſar, qui tamen ſecundùm Dodwellum Auguſtus dici debuiſſet: NERVA TRAJAN. CAES. GERM. NER. AUG. F. P. COS. II. id eſt, *Nerva Trajanus Cæſar Germanicus, Nervæ Auguſti filius Pontifex Trib. Pot. Conſul II.* In averſa parte: ADOPTIO. Neque dicat Dodwellus, Trajanum Nerva ſuperſtite primum in Imperio gradum, quem adeptus erat, uſurpare noluiſſe. Nam ſi hoc fuiſſet, nullus in Imperio primum gradum tenuiſſet; cùm Nerva, juxta Dodwelli mentem, ad privatam vitam rediiſſet.

VIII. *Cæſarea & Auguſtea dignitas ſẽper diſtinctæ fuere.* Ut oſtendat Vir eruditiſſimus, Auguſteam dignitatem à Cæſarea diſtinctam non fuiſſe, ſubdit: *Recentiorem illo tempore* (cùm nempe Trajanus mortuus eſt) *fuiſſe tantam illam Cæſaris atque Auguſti diſcrepantiam teſtis eſt diſertiſſimus Victor in Cæſaribus* (in Vita Trajani:) Abhinc, *inquit*, diverſa nomina Cæſarum atque Auguſti, inductumque in rem publicam, uti duo ſeu plures ſummæ potentiæ, diſſimiles, cognomento ac poteſtate diſpari ſint. *Ne verò hæc Victori temere excidiſſe ſuſpicemur, idem ſcribit, quod Victor, Spartianus. Ad Hadrianum uſque eos dumtaxat ait à ſe commemoratos*, qui Principum locum retentaſſent; *deinde illorum ſe Vitas ſcripturum pollicetur*, qui Cæſarum nomine appellati eſſent, nec Principes aut Auguſti fuiſſent. *Horum primum ait fuiſſe Ælium Verum*, qui primus, *inquit in Ælio Vero cap. 1.* tantùm Cæſaris nomen accepit adoptione Hadriani familiæ Principum adſcriptus. *Sic in Vita Lucii Veri Capitolinus cap. 1.* Huic naturalis pater fuit L. Ælius Verus, qui ab Hadriano adoptatus, primus Cæſar eſt dictus, & in eadem ſtatione conſtitutus periit. *Probabile eſt, Hadrianum, cùm Ælium Cæſarem turpibus de cauſis & promiſſis adactus Cæſarea dignitate ornaret, propterea dignitatem ipſam illi datam imminuiſſe. Aliter certè illum Cæſarem ab Hadriano eſſe factum, quàm fuerit à Nerva Trajanus, verba habemus Spartiani, in Ælio Vero cap. 2. expreſſiſſima. Sic etiam ad Diocletianum illic:* Non teſtamento, ut antea ſolebat, neque eo modo, quo Trajanus, eſt adoptatus: ſed eo propè genere, quod noſtris temporibus à veſtra Clementia Maximianus atque Conſtantius Cæſares dicti ſunt, quaſi quidam Principum filii viri, & deſignati Auguſtæ majeſtatis hæredes. *Hæc obiter, quia nondum comperi obſervata ab Eruditis. Videat itaque Clariſſimus Pagi* (nempe in Diſſertatione Hypatica) *quam fidem mereantur tot Cæſareæ dignitatis ante Ælium Cæſarem Quinquennalia atque Decennalia ab eo primùm commemorata.* Ita Dodwellus, qui paucis multas difficultates attingit, nec tamen intentum aſſequitur.

IX. *Locus Victoris inſititius.* Dico itaque locum Victoris de Cæſaribus infartum & inſititium eſſe, quod verba immediatè præcedentia & ſubſequentia manifeſtè demonſtrant; ipſaque nullis aliis interjectis à Victore ſcripta fuiſſe ipſa lectio oſtendit. Hæc verba Victoris de morte Trajani loquentis: *Morbo periit, grandæva ætate: adſcito prius ad Imperium Hadriano cive propinquoque. Abhinc diviſa nomina Cæſarum, atque Auguſti: inductumque in rem publicam, uti duo ſeu plures ſummæ potentiæ, diſſimiles, cognomento ac poteſtate diſpari ſint. Quamquam alii Plotinæ Trajani conjugis favore Imperium aſſecutum putent, quæ viri teſtamento hæredem regni inſtitutum ſimularat.* Quis non videt poſt hæc verba: *Adſcito priùs ad Imperium Hadriano cive propinquoque*, Victorem ſtatim ſcripſiſſe: *Quamquam alii Plotinæ*, &c. Illud itaque additamentum nullam fidem meretur; præſertim cùm certum ſit, in Trajani

morte nullum novum morem inductum quoad Cæſaris & Auguſti nomina, & tam ante obitum ejus, quàm poſt illum, Cæſares & Auguſtos cognomento ac poteſtate diſpares ac diſſimiles fuiſſe. Quoad Spartianum, ait is, ſe ſcribere decreviſſe illorum Vitam, qui vel Cæſarum nomine appellati ſunt, nec Principes vel Auguſti fuerunt..... *quorum præcipuè de Ælio Vero dicendum eſt, qui primus tantùm Cæſaris nomen accepit.* Sed ex illis verbis malè infertur, ante Ælium Verum Cæſares & Auguſtos inter ſe non fuiſſe diſtinctos. Fateor tamen, locum illum difficilem eſſe, nullumque me Auctorem legiſſe, qui eum rectè interpretatus fuerit.

X. *Cæſarea dignitas in Ælio Vero non imminuta.*

Denique verum non eſt, Hadrianum, cùm Cæſaream dignitatem Ælio conceſſit, eam imminuiſſe; cùm ex Nummis Ælii conſtet, eam illi cum Tribunitia Poteſtate collatam, aut ſaltem non multò poſtquam eum Cæſarem Hadrianus dixit; & tamen neque Piſo à Galba, neque Domitianus à Veſpaſiano Tribunitia Poteſtate decorati ſunt, cùm Cæſaris nomen obtinuere. Et licèt Ælius eo modo Cæſar creatus non fuerit, quo Trajanus, neque teſtamento, ut communiùs factum, non tamen inde inferre licet, Cæſaream dignitatem ipſi cum aliqua reſtrictione collatam; cùm Spartianus citatus diſertè aſſerat, eam illi cum ea amplitudine datam, quâ poſtea Conſtantio Chloro & Galerio Maximiniano, utroque & Cæſareo nomine & Tribunitia Poteſtate ornato. Immo Cæſaream dignitatem in Ælio auctam oſtendit Capitolinus in Albino cap. 2. ubi teſtatur, Ælio Vero ſimul cum appellatione Cæſaris datam eſſe facultatem utendi coccinei pallii: *Sanè tibi uti inſigne aliquod Imperialis majeſtatis accedat, habebis utendi coccinei pallii facultatem, me præſente, & ad me, & cùm mecum fueris, habiturus & purpuram, ſed ſine auro: quia ita & proavus meus Verus,* (nempe Ælius Cæſar) *qui puer vitâ functus eſt, ab Hadriano, qui eum adoptavit, accepit,* inquit Commodus Auguſtus in literis, quibus jubet, ut Albinus Cæſar eſſet, à Capitolino laudato recitatis. Verum itaque non eſt, ante Ælium Verum dignitatem Cæſaream & Auguſteam nomine tantùm diſcrepaſſe, & Trajanum Nerva vivente Auguſtum fuiſſe. Neque præcedentium Cæſarum Quinquennalia, Decennaliave à me primùm commemorata, commentitia, licèt nullo teſte à me in medium adducta. Nam ex poſt factis eos ea ſolennia exhibuiſſe deduxi: certum enim videtur, poſteriores Cæſares ideo hæc feſta ediſſe, quod nullus inficias ierit, quia qui eos præceſſere, idem præſtiterant. Præterea animadverti, Neronem, Domitianum, Titum, & Trajanum quinto Imperii Cæſarei anno, quemadmodum Auguſti quinto Imperii Auguſtei anno, Conſulatum capeſſiſſe, indeque certò mihi conſtitit, non aliam ob cauſam Conſulatum ab illis Cæſaribus ſumtum, quàm propter Quinquennalia aliaque id genus feſta. His duobus fundamentis innixus arcanum illud detexi; cùmque obſervarim, quinto vel decimo Imperii Cæſarei anno eadem fieri ſolita, quæ ſingulis quinquenniis & decenniis Auguſtorum, quin res mihi ex voto ſucceſſerit, non dubitavi. Quæ fuſiùs explicanda fuere novæ Dodwelli Viri eruditiſſimi opinionis occaſione.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5591. ☉ 23 G. ☽ 4. P. 8. APRIL. INDICT. II.
JESU CHRISTI 98. *ſecundum Baronium* 100.
EVARISTI PAPÆ 4.
TRAJANI IMP. I.

Initium tomi II Annalium Baronii.

I. *Conſules.*

COss. *Nerva Aug. IV, & M. Ulpius Trajanus Cæſar II.* Sumtus hic à Trajano Conſulatus juxta priorem Conſulatuum Cæſareorum regulam; à Nerva juxta tertiam.

II. *Obitus Nervæ Aug.*

Ad num. I. Obiit Nerva Aug. ſexto Kalend. Februarias, ſeu die viceſima ſeptima Januaria, ut ex Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus colligitur: *Regnavit annum unum, menſes quatuor, dies novem,* inquit Dio, ubi diem emortualem includit. Eutropius verò qui ait, Nervam regnaſſe annum unum, menſes quatuor, dies octo, diem emortualem excludit. Clemens denique Alexandrinus, & Theophilus Antiochenus tradunt, eum imperaſſe annum unum, menſes quatuor, dieſque decem, hique extremum diem incompletum pro completo numerant. Quos diverſos numerandi modos recentiores Chronologi non ſatis animadvertentes, iſtos Scriptores inter ſe diſſidere arbitrati ſunt, licèt inter eos præclarè conveniat.

Baron. n. 1.

III. *Conſulatus III hoc & ſequenti anno Trajano oblatus.*

Ad num. II. Trajanus Conſulatum ſecundum hoc anno geſtum *jam Imperator quidem, ſub Imperatore tamen iniit, ideoque receperat, quia Princeps & pater detuliſſet. Geſſit autem non in hoc Urbis otio & intimo ſinu pacis, (conſederat enim ſtatim poſt adoptionem omnis Urbanus tumultus) ſed juxta barbaras gentes: ita ut exercitibus & Provinciis munus ſuum probaverit; Roma non oculis, ſed fama ac rumoribus de ejus juſtitia, humanitate & patientia crediderit.* Ita Plinius in variis locis ſui Panegyrici oſtendit, eum anno præcedenti Proconſulare Imperium accepiſſe, cùm eum Imperatorem vocet; & præſenti in Germania, ubi erat, quando Cæſar dictus eſt, moratum eſſe. Plinius ibidem de Trajano inquit: *Tertium Conſulatum recuſavit, ex ea præcipuè ratione, quòd eum abſens gerere non poterat: & adhuc initio Principatûs, ut jam expletus honoribus ab ea dignitate abſtinuit, quam novi Imperatores deſtinatam aliis in ſe habebant.* Fabrettus, qui pag. 272. Syntagmatis de Columna Trajani cap. 9. hæc loca coacervavit, ait, Trajanum ſecundo anno Imperii tertium illum Conſulatum recuſaſſe, proximoque poſt illum rejectum anno, cum tandem Conſulatum, *qui Principi primus fuit,* recepiſſe. At cùm Imperatores proximis poſt ſuſceptum Imperium Kalendis Januariis Conſulatum inire ſoliti eſſent, juxta primam Conſulatuum Cæſareorum regulam, facile eſt, Plinium etiam à Baronio aliiſque non ſatis intellectum explicare. Plinius itaque num. LVI & LVII loquens de tertio Conſulatu à Trajano recuſato, rem narrat præſenti anno peractam: *Geſtum Conſulatum, inquit, mirer, an non receptum?*

Baron. anno 101. num. 1.

Geſtus

Geſtus non in hoc Urbis otio, & intimo ſinu pacis, ſed juxta barbaras gentes, &c. *Hac laus acti Conſulatus; illa dilati, quòd adhuc initio Principatus, ut jam exſatiatus honoribus & expletus Conſulatum recuſaſti: quem novi Imperatores deſtinatum aliis in ſe transferebant*, &c. Tandem numero inſequenti his verbis concludit: *Contigit ergo privatis aperire annum, Faſtoſque reſerare*, &c. quia ſcilicet Trajanus Conſulatum hoc anno ſibi oblatum admittere noluit, ut paulò antè Plinius dixit. Cùm verò num. LX Orator ait: *Atque ego video proximo anno Conſulatus recuſandi hanc præcipuam fuiſſe rationem, quòd eum abſens gerere non poteras, ſed jam Urbi votiſque publicis redditus, quod eſt in quo magis ſis approbaturus, quæ quantaque fuerint quæ deſiderabamus*, indicat anno ſequenti, Chriſti nempe XCIX, Trajanum tertium illum Conſulatum rurſus recuſaſſe, tandemque admiſiſſe. Et ratio eſt, quia Plinius eam Orationem anno Chriſti centeſimo recitavit. Quare quando ait, *proximo anno* Trajanum Conſulatum recuſaſſe, loquitur de anno nonageſimo nono, non verò de currenti, ut perperam Plinium interpretatur Fabrettus. Primæ repudiationis hanc rationem affert Plinius num. LVII, quòd adhuc initio Principatûs honoribus expletus Trajanus eſſet: ſecundæ verò, quòd abſens gerere non poterat Conſulatum illum tertium. Duæ itaque rationes illæ duobus diverſis annis, non verò uno eodemque à Trajano allatæ, rectéque à Plinio diverſis locis ſuæ Orationis recitatis.

IV. *Trajanus tam ob victorias quàm ob Imperium Proconſulare dictus Imperator.*

Idem Fabrettus pag. 282. refert ex Goltzio hos duos Trajani Nummos:

NERVA. TRAJAN. CAES. GER. NER. AUG. F. P. TR. P. COS. II. IMP.

NERVA. CAES. NERVAE. AUG. F. TRAJAN GERM. PONT. TR. P. COS. II. IMP.

Addit Fabrettus, ad hunc annum ante ſuſceptum à Trajano Imperium, vivente adhuc Nerva, eoſdem pertinere. *Ex quo*, inquit, IMP. *titulo huic Cæſari ſtatim ab initio uti conceſſo, ut ex Panegyrico etiam Plinii num. LXXV & LXXXVI habetur, regula illa, ex tot multis, quibus argumentum ſuum involvit Auctor Diſſertationis Hypaticæ de Conſulibus Cæſareis pag. 54. Imperatoris ſcilicet nomen Cæſaribus ante M. Aurelium denegatum funditus ſubvertitur: immo ante Trajanum non ſemel, ſed ter & decies falſa obſervatio ejuſmodi deprehenditur, tot vicibus in Tito adhuc Cæſare & Auguſti filio, multiplicato Imperatoris titulo, prout cap. 3. pag. 90. allata Aquiſlavienſi Inſcriptione Gruteri probavimus. Hæc ea Inſcriptio:*

IMP. CAES. VESP. AUG. PONT MAX. TRIB. POT. X. IMP. XX. COS. IX. P. P IMP. TITUS. CAES. AUG. F. PONT. TRIB POT. VIII. IMP. XIII. COS. VI &c.

Sed valde hallucinatur Vir eruditiſſimus, dum nomen *Imperatoris*, qui in prænomen Auguſtorum tranſiit, cum Imperatoris nomine ob victorias Auguſtis dato confundit. Imperatoris itaque titulus, quando prænomen eſt, ſummamque potentiam oſtendit, præponitur; quando verò victorias denotat, daturque Auguſtis, vel quia rem feliciter geſſere, vel alii ipſorum auſpiciis, poſtponitur, & multiplicari ſolet, ut videre eſt in laudata Titi Inſcriptione. Ego de eo prænomine, non verò de titulo de more multiplicando locutus ſum, certamque regulam ſtatui. Hæc mea loco citato verba: *Poſt M. Aurelium pluresque Auguſtos ſimul imperantes, Imperatoris nomen tam Cæſaribus, quàm Auguſtis datum, licèt antea Collegis quidem Imperii, Cæſaribus verò minimè tribueretur.* Paginâ verò 4. ejuſdem Diſſertationis diſertè ſcripſi, Tiberium cum Auguſto, Titum cum Veſpaſiano patre, Trajanum cum Nerva, Antoninum Pium cum Hadriano, ac M. Aurelium cum Antonino Pio corregnaſſe, & Imperii Collegas fuiſſe. Fallitur ſecundò Fabrettus, quando putat *Imperatoris* nomen, cùm præponitur, omnibus indiſcriminatim Cæſaribus conceſſum fuiſſe: ſic enim Domitianus Cæſar & Ælius Cæſar eo cohoneſtati fuiſſent; nec veriùs loquitur, ſi intelligit, *Imperatoris* titulum ad victorias relatum attributum etiam puris putis Cæſaribus fuiſſe; cùm certum ſit, illud eiſdem denegatum, & Collegis Imperii, aut ſaltem Imperio Proconſulari donatis tantùm collatum.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5592. ☉ 24 F. ☽ 5. P. 4. APRIL. INDICT. 12.

JESU CHRISTI 99. *ſecundùm Baronium* 101.

EVARISTI PAPÆ 5.

TRAJANI IMP. 2.

COSS. *C. Soſius Senecio II, & Cornelius Palma*, ex Idacio, Auctore Chronici Alexandrini, Proſpero & Caſſiodoro. Baronius in Senecione notam numeralem prætermittit, quæ tamen, quando ſciri poteſt, accuratè deſcribenda. Animadverti enim, iteratos Conſules, vel inſignioribus annis, vel in conſortio Imperatorum, Faſtis nomen dediſſe, præſertim in Decennalibus & id genus feſtis, ſi Imperatores, aut ejus propinqui annum non aperirent. Quare, cùm Trajanus hoc anno Conſulatum non acceperit, illum in Senecionem jam Conſularem tranſtulit. I. *Conſules.*

II. *Trajanus Conſulatum III bis recuſavit.*

Ad num. I. Trajanus anno præcedenti Conſulatum tertium Imperii ſui Auguſtei initio debitum recuſavit, hac ratione, quòd jam expletus honoribus eſſet. Præſenti verò anno iterum Conſulatum illum recuſavit, poſtquam in Urbem advenit, licèt tandem ceſſerit, ut anno ſuperiori explicavimus. Trajanum porro anno præcedenti Conſulatum tertium recuſaſſe, præter ibidem dicta, certùm reddit Plinius in Panegyrico cap. 59. ubi de tertio Trajani Conſulatu à Trajano recuſato loquens ait: *Quouſque abſentes de abſente gaudebimus?* (erat itaque abſens Trajanus, quando Conſulatum recuſavit) *Liceat experiri, an aliquid ſuperbiæ tibi ille ipſe ſecundus Conſulatus attulerit. Multum in commutandis moribus hominum medius annus valet, in Principibus plus.* Medius itaque tantùm annus à ſecundo ejus Conſulatu jam elapſus erat, quando ei tertius oblatus. Secundum autem Conſulatum uſque ad Kalendas Martias anni Chriſti XCVIII Trajanus geſſit. Quare eo anno menſe circiter Septem- Baron. n. 1.

bri tertius ei Conſulatus in annum ſequentem oblatus. Quòd ſi Plinius eo in loco loqueretur de rebus hoc anno geſtis, ac de ſecunda Trajani recuſatione, non diceret, *in commutandis moribus medium annum* multùm valere, ſed annum & aliquot menſes multùm valere aſſereret; cùm Trajanus præſenti anno ante vernum tempus Romam non advenerit, ubi Comitiis, in quibus tertiùm Conſul deſignatus eſt, interfuit, unde & præſens, non verò abſens Conſulatum illum recuſavit, *quamquam multùm reluctata verecundia Principis noſtri, tamen tandem ceſſit*, inquit Plinius citatus cap. 60. Perperam itaque Baronius duas tertii Conſulatus denegationes, quæ diverſis annis contigere, eidem anno aſſignat.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5593. ☉ 25 E. ☽ 6. P. 12. APRIL. INDICT. 13.
JESU CHRISTI 100. *ſecundùm Baronium* 102.
EVARISTI PAPÆ 6.
TRAJANI IMP. 3.

I. *Conſules.* COSS. *Trajanus Aug. III, & M. Julius Fronto.* Trajani Conſulatus juxta priorem regulam Conſulatuum Cæſareorum. Non ſolùm enim Trajanus, ſed & alii quidam Imperatores Conſulatum in ſecundum Imperii annum diſtulere.

Noriſius in Epiſtola Conſulari exiſtimat, Trajani Collegam eſſe *Sex. Julium Frontinum*, qui de Aquæductibus ſcripſit, & cujus liber adhuc extat. Is tamen nuper ad me ſcripſit, M. Julium Frontonem probabiliùs Collegam Trajani poni; cùm Dio in Nerva *Frontonem* tunc Conſulem nominet. Erat Conſul II, vir togatus, non verò militaris, qualis *Frontinus* fuit. In lib. 48. Digeſt. L. 5. *De pœnis.* recitatur reſcriptum Trajani *ad Julium Frontonem.* Ejus filius fuit Præfectus claſſis ſub Hadriano, Gruteri pag. 573. Hæc doctè Noriſius. Rectè porro Onuphrius ex Plinio in Panegyri probat, Trajanum ejuſque Collegam Conſules III ſcribendos; Plinius enim Imperatorem commendat, quòd Conſul tertiùm duos itidem Collegas Conſules III deſignavit.

II. *Obitus Clementis Papæ.* Baron. num. I & II. Ad num. I & II. In Chronico Damaſi de Clemente Papa, qui hoc anno martyrium fecit, legitur: *Clemens annis novem, menſibus undecim, diebus duodecim. Fuit temporibus Galba & Veſpaſiani, à Conſulatu Trachali & Italici, uſque Veſpaſiano VII & Tito.* Clemens itaque juxta eum Catalogum, quem hìc ſequendum duco, anno Chriſti ſexageſimo ſeptimo S. Lino ſucceſſit, & Eccleſiam gubernavit uſque ad annum Chriſti ſeptuageſimum ſeptimum, quo abdicavit Pontificatum, ut colligitur ex Epiphanio hæreſi 27. Clementi ſucceſſit Cletus, qui anno octogeſimo tertio ad ſuperos tranſiit. Cletum excepere Anacletus, ac dein Evariſtus, qui hoc tempore ſedebat. Baronius aliam viam tenuit, & ſequenti anno Anacletum Pontificatum ſuſcepiſſe vult, ſed nullo teſte. De Pontificatu Clementis primi pluribus agit Schelſtratius part. 2. Antiquit. Illuſtr. Diſſert. III cap. 2. ubi & poſt Cletum ſediſſe credit. Sed in re incerta nobis à Catalogo Damaſi non diſcedendum. Aliqua etiam non contemnenda de Clemente Cotelerius in Notis ad Conſtitutiones Apoſtol. pag. 300. habet.

Ad num. III. Præter duas Clementis Papæ ad Corinthios Epiſtolas, de quibus ſuprà actum, circumferuntur quinque ejuſdem Pontificis, quarum prior eſt ad Jacobum fratrem Domini; II ad eundem; III ad omnes Epiſcopos, Preſbyteros, & Fideles; IV ad Julium & Julianum; V ad Hieroſolymitanos: quas *meritò* multis nominibus ſuſpectas notat Labbeus in margine, apud quem hac de re plura. III. *Decretales S. Clementis an germanæ?* Baron. n. V.

Quoad Epiſtolas Decretales primorum Pontificum, ſummatim hìc referemus, quæ de iis habent Schelſtratius in parte 2. Antiquit. Illuſtr. Diſſert. III cap. 5. Petrus de Marca, & alii. Eorum antiquitatem videtur oſtendere vetuſtas Collectoris, qui non ſua ſponte, ſed rogatus ab octoginta Epiſcopis Opus illud aggreſſus eſt, & ſummo Hiſpaniæ plauſu in lucem edidit: quos intra ſolos Hiſpaniæ terminos non manſiſſe teſtatur Opuſculo contra nepotem cap. 54. Hincmarus Metropolita Remenſis: *De libro collectarum Epiſtolarum ab Iſidoro, quem de Hiſpania allatum Riculphus Epiſcopus Moguntinus in hujuſmodi, ſicut & in Capitulis Regiis ſtudioſus obtinuit, & iſtas regiones ex illo replere fecit.* Circa finem ſeculi Eccleſiæ octavi, & initium noni floruit Riculphus Moguntinus Epiſcopus, & à tempore, quo Iſidori Mercatoris Collectionem per Gallias divulgavit, Fidelium non minùs quàm Epiſcoporum veneratio erga Decretales Romanorum Pontificum Epiſtolas nata. Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis doctiſſimus lib. 3. de Concordia cap. 5. paragrapho 3. de tribus ultimis Capitularium libris loquens ait: *Hos ex ſcriniis Eccleſiæ Moguntiacenſis in unum corpus compegit Benedictus Levita, juſſu Autgarii ejus Eccleſiæ Epiſcopi; eoſque Lothario, Ludovico, & Carolo nobiliſſimis Regibus, filiis Ludovici Pii, inſcripſit circa annum DCCC L. In iis libris paſſim è Clementis, Anacleti, Pii, Evariſti, Fabiani, & ceterorum Pontificum ..... Epiſtolis, quamvis ſuppreſſo Auctorum nomine, auctoritas petitur: quod uſurpatum etiam ab Auctoribus Additionum, quæ libris Capitularium adjunctæ ſunt*, &c. Tum Marca lib. 3. cap. 6. paragrapho 2. inquit: *Eò deventum eſt, ut tantis nominibus veterum Pontificum ceſſerint unà cum reliquis Epiſcopis etiam Gallicanæ Eccleſiæ Rectores, qui in Concilio Remenſi ab Hugone & Roberto Regibus Francorum coacto, anno DCCC XCII, Anacleti, Julii, Damaſi, & aliorum Pontificum Epiſtolas expendunt in cauſa Arnulphii, ac ſi in Canonum cenſum receptæ eſſent. Quare Burchardus Wormatienſis Epiſcopus, cum novam Collectionem Canonum inſtitueret circa annum MX, eam ex ſeculi ſui ſenſu primorum Pontificum Epiſtolis auxit: quibus & ſelectos ex Auguſtino, Hieronymo, Gregorio & Iſidoro locos adjunxit. Eandem rationem ſecutus eſt Ivo Carnotenſis in ea Collectione Canonum, quam ad Eccleſiæ Gallicanæ uſum circa annum MC publicavit*, &c. *Succeſſit Gratianus, qui Decretorum Corpus*

IV. *Epiſtolæ Decretales, ubique per Eccleſiam ſparſæ.*
Baron. num. VII & VIII.

nova quidem methodo adornavit, ſed Collectionem tam Dionyſii Exigui, quàm Iſidori & Ivonis in partes diſſectam in unum corpus induſtriâ ſuâ temperatum compegit, & aliquot legibus, conſtitutionibus novis Pontificum, & Conciliorum & Patrum locis amplificavit, circa annum MCL. In Scholis publicè recitatur, & quotidie perlegitur Gratiani Decretum, &c. Ex quibus patet, quanta Gallicanorum Præſulum conſenſione Decretales Epiſtolæ receptæ fuerint, donec anno MCL publicè in Scholis cœperint recitari; à quo tempore non ſolæ Romanorum Pontificum Epiſtolæ teſtimoniis illarum Decretalium abundarunt; ſed etiam omnium Doctorum ſcripta ubique perſonarunt.

V.
Ab Hæreticis primùm impugnatæ.

Hac in opinione Fideles fuere uſque ad Conſtantienſis Concilii tempora; tunc enim eorum auctoritatem infringere conatus eſt Joannes Wiclefus, qui palam profeſſus eſt, Decretales Epiſtolas eſſe apocryphas; quod adeo graviter tulit Concilium Conſtantienſe, ut ſeſſione 8. inter alias propoſitiones Wiclefi damnarit hanc XXXVIII: *Decretales Epiſtolæ ſunt apocryphæ, & ſeducunt à Chriſti fide: & Clerici ſunt ſtulti, qui ſtudent iis.* Poſt Wiclefum alii Hæretici hæc Decretalia impugnarunt, ſed inventus Franciſcus Turrianus, qui Magdeburgenſes confutavit, & poſt Turrianum Severinus Binius; unde & jamdiu tomis Conciliorum inſerta. Aliud porro eſt inquirere, an erroneis diſciplinæ & fidei dogmatibus repletæ ſint Decretales Epiſtolæ, an tantùm ex aliorum teſtimoniis interpolatæ. Poſtremum dumtaxat amplexi ſunt eruditiores Catholici, qui, cùm de iis graviſſima noſtro ſeculo orta eſſet difficultas, num genuinæ ſint, num ſuppoſititiæ, eas ſuppoſitionis arguendas ingenuè judicarunt. Marca lib. 7. cap. 20. paragrapho 2. *Certum quidem eſt & omnino indubitatum ex ſententia omnium Virorum eruditiſſimorum, ac Baronii quidem & Bellarmini Cardinalium, eas Epiſtolas veterum Pontificum, Clementis nimirum, Anteri, Evariſti, Teleſphori, Calliſti, Julii, Damaſi, & in univerſum omnes illas, quæ tempora Siricii & Innocentii antecedunt, fabricatas fuiſſe ab hoc Iſidoro*, &c. Quæ ſententia hoc noſtro ſeculo vulgaris.

VI.
Tum ab Orthodoxis, & quibus fundamentis.

Rationes arguendi has Epiſtolas ſuppoſitionis attigit Petrus de Marca lib. 3. cap. 5. paragrapho 1. Primò ob verborum ſordes à ſecundi ſeculi, quo datæ dicuntur, elegantia & nitore alienas. Secundò ob ſtyli ſimilitudinem, & eundem ſcribendi characterem, qui in omnibus Epiſtolis occurrit; ita ut ab uno Auctore, non à diverſis Pontificibus conſcriptæ eſſe videantur. Tertiò ex uſu frequentiſſimo vulgatæ Scripturarum verſionis; unde fit, ut poſt Hieronymi ætatem efficta eſſe neceſſe ſit. Quartò, quòd & Hieronymo, qui Scriptorum Eccleſiaſticorum Catalogum texuit, & Innocentio, Leoni, ceteriſque Pontificibus, quorum germanæ Epiſtolæ ad nos pervenerunt, omnino fuerunt incognitæ, uti & Dionyſio Exiguo, qui dum Romæ magno ſtudio & diligentiâ præteritorum Apoſtolicæ Sedis Præſulum Conſtituta colligebat tempore Juſtiniani Imp. à Siricio initium ſumſit. Quintò, ex obſervatione Antonii Auguſtini Tarraconenſis Archiepiſcopi, qui in Notis ad Capitula Hadriani Papæ omnium primus annotavit: *Ipſa legum Imperatoriarum verba, & quæ ſub Aniani nomine extant ad Codicem Theodoſianum ſcholia, in illis Epiſtolis uſurpata fuiſſe: quamvis Pontifices, quibus Epiſtolæ tribuuntur, duobus & tribus ſeculis Codicis Theodoſiani editionem præceſſerint.* Videri poteſt Antonius Auguſtinus in laudatis Notis cap. 7. & 8. & 16. & ſeqq. Sextò, quia Blondelli induſtria ab aliquot annis eò proceſſerit, ut ſententiæ & verba ipſa, ex quibus Epiſtolæ contextæ ſunt, à quibus Auctoribus petita ſunt, accuratiſſimè demonſtraverit in libro, qui inſcribitur *Pſeudo-Iſidorus & Turrianus vapulantes*: quo in Opere ſicut ejus criterium, quo Epiſtolas illas priſcis Pontificibus abjudicat, laudandum; ita ei *in eo ſuffragari non poſſum*, inquit Marca, *quòd atrocioribus verbis Epiſtolas dilacerat: quas è ſententiis & verbis legum, Canonum antiquorum & Sanctorum Patrum, qui quarto ſeculo floruerunt, ſi pauca demas, concinnatas eſſe conſtat.* Septimò, quòd uſque ad Hadriani primi tempora nullus Catholicorum Scriptorum, nullus Romanorum Pontificum, Synodorum nullæ teſtimonium aliquod ex hiſce literis adduxerint, quin immo Photius tempore Nicolai I eas ſe ſe in Oriente nuſquam vidiſſe teſtatus ſit, cui, licèt earum auctoritatem admiſerit; favere videtur Hincmarus Metropolita Remenſis, qui & ideo frequentiùs à literis Siricii Papæ initium duxit, & in teſtimoniis ſubſequentium Siricio Pontificum [illegible]ſit. Octavò, ex Leone Papa IV, qui ante Nicolaum I in Epiſtola ad Epiſcopos Angliæ de his Decretalibus conſultus repoſuit, Sedem Apoſtolicam Decretalium regulas admittere: *id eſt* (inquit) *qui habentur apud nos ſimul cum illis in Canone: quibus autem in omnibus Eccleſiaſticis utimur judiciis, ſunt Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæſareenſium, Gangrenſium, Antiochenſium, Laodicenſium, Conſtantinopolitanorum, Epheſinorum, Chalcedonenſium, Sardicenſium, Africanenſium, Carthaginenſium, & cum illis regulæ Præſulum Romanorum Silveſtri, Siricii, Innocentii, Zoſimi, Cæleſtini, Leonis, Gelaſii, Hilari, Symmachi, Hormiſdæ, Simplicii, & Gregorii junioris, iſti omnino ſunt, & per quos judicant Epiſcopi, & per quos Epiſcopi ſimul judicantur.* Hæc circa annum DCCCL Leo IV, ubi non Epiſtolas Decretales à Clemente, ſed poſt ſtatuta Silveſtri Papæ, à Siricio inchoat: *Etenim*, inquit Petrus de Marca lib. 3. cap. 4. paragrapho 5. *ſuppoſititiis antiquorum Pontificum Epiſtolis, quæ jam à ſexaginta annis ſub Iſidori nomine conſarcinatæ, per Europam ſparſæ vulgabantur, locum inter Canones dare noluit.* Nonò, ex Codice Vigilano, quem à Vigila Monacho anno DCCCLXXVI compilatum tradit Garzias Loaiſa in Præfatione Conciliorum Hiſpaniæ, atque, Epiſtolas Decretales continere centum & unam, ſed incipere à Damaſo, & finire ad Gregorium I. Decimò, ex veteri Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ iterum edito Moguntiæ anno MDXXV, ut adverſus Lutherum Eccleſiâ eo ſe tueretur. Habet titulus, hunc Codicem ex

tribus vetuſtiſſimis exemplaribus tranſcriptum, & tamen ſolas Epiſtolas Decretales exhibet à Siricio uſque ad Gregorium Magnum.

VII. *Quis Auctor Epiſtolarum Decretaliū.*

Quæ à Turriano, aliiſque, qui eas Epiſtolas, ut genuinas, agnoſcunt, in medium afferuntur, levia ſunt, & à Viris eruditis ſoluta. Quoad Auctorem, qui præfatas Epiſtolas fabricavit, ac priſcis Pontificibus ſuppoſuit, Blondellus exiſtimavit, harum mercium auctorem fuiſſe aliquem Epiſcopum Germano-Francum, Caroli Magni Imperio ſubditum, non verò Hiſpanum, ſive Monachum, ſive Antiſtitem. Sed rationes quibus nititur, rem non evincunt. Morinus arbitratur, illarum Auctorem fuiſſe Iſidorum quemdam magni nominis Monachum, qui ſe *peccatorem* dicere ſoleret, & nomini ſuo hoc ſemper elogium adderet, quem Epiſcopi ad has Epiſtolas cudendas impulerunt. Ex *peccatore* porro Mercatorem Scribas oſcitantes feciſſe conjicit Morinus. Alii hoc *peccatoris* elogium ſervantes Iſidoro, ipſum fuiſſe Epiſcopum ſuſpicantur; quòd ſolennis eſſet mos Sanctorum Epiſcoporum, ut ſe *peccatores* ſubſcriberent. Ita conjicit Marca. Quare quiſnam fuerit, & cujas Iſidorus harum Epiſtolarum artifex, incertum.

VIII. *Conſtitutiones Apoſtolorum.*

Baron. n. IX.

Ad num. IV, V & ſeqq. *Conſtitutiones Apoſtolorum* nomine inſcriptas, & octo libris comprehenſas, Carolus Bovius Oſtunenſis Epiſcopus anno MDLXIII in lucem emiſit è Græco in Latinum ſermonem à ſe tranſlatas, quas poſtea Turrianus Latinè interpretatus eſt, & commentariis illuſtravit. Eas Labbeus in noviſſima Conciliorum editione, Franciſco Turriano interprete, ac libros 8. adjuncto textu Græco, exhibuit. Verùm harum Conſtitutionum auctor non eſt Clemens Romanus, quia Euſebius, & Hieronymus libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, cùm de ſcriptis S. Clementis agunt, unam dumtaxat illius ad Corinthios Epiſtolam recenſent. Legatur Euſebius lib. 3. cap. 15. Præterea Humbertus Cardinalis Epiſcopus Sylvæcandidæ, Leonis IX apud Conſtantinopolim Legatus, Nicetæ Pectorato Conſtitutionum Apoſtolicarum loca quædam contra Sabbati jejunium objicienti his verbis reſpondet: *Hoc aſſerere conaris ex apocryphis libris & canonibus pari ſententia S S. Patrum repudiatis.* Et paulò pòſt: *Unde nos quoque omne apocryphum abjicientes, dedignamur audire eorum fabuloſas traditiones, quia non ſunt ut lex Domini.* Citaverat autem Nicetas quintum & ſeptimum librum Ordinationum ſeu Conſtitutionum Apoſtolicarum. Ex qua Humberti reſponſione Lupus Vir doctiſſimus in parte 2. ad Canonem 2. Trullanum colligit, Conſtitutiones illas apocryphas eſſe, Sedis Apoſtolicæ, cujus Legationem Humbertus gerebat, fuiſſe ſententiam. Addit Lupus: *Pariter Marco Epheſio apud Xiſtum Senenſem reſpondet Beſſarion Metropolita Nicenus. Earum in Clemente Romano non meminit ſcriptus à S. Hieronymo Catalogus virorum illuſtrium, quinimmo ut apocryphas abjicit in Romana ſua Synodo S. Gelaſius, ejuſque judicium omnis ſemper Latina Eccleſia eſt ſecuta, noſtris nominatim temporibus, D. Cardinalis Baronius, D. Cardinalis Bellarminus, D. Cardinalis Perronius, & Gabriel Albaſpineus doctiſſimus Epiſcopus Eccleſiæ Aurelianenſis. Quare bonas horas, quàm illis vindicandis meliùs locare potuerant Carolus Bovius, & Franciſcus Turrianus,* &c. Videndi etiam Schelſtratius in parte 2. Antiquit. Illuſtr. Diſſert. 11 cap. 2. & Natalis Alexander, aliique qui plura de his Conſtitutionibus habent.

IX. *Canonum Apoſtolorū antiquitas.*

Baron. nu. x.

Circumfertur etiam *Collectio* ſub nomine *Clementis*, qui Apoſtolorum canones numero LXXXIV in unum corpus collectos Fidelibus propoſuiſſe perhibetur. Hæc Collectio, inquit Marca lib. 3. cap. 2. num. v, anterior Synodo Nicæna, ſed poſterior videtur anno CCLVIII. Firmilianus Cæſareæ Epiſcopus iis uſus non eſt ad probandam conſuetudinem, quæ vigebat in Oriente, repudiandi Hæreticorum baptiſmi. Enimvero Firmilianus in Epiſtola ad Cyprianum contra Hæreticorum baptiſma militans, conſuetudinem à Stephano laudatam ſtylo acriori, quàm oportebat Catholicum Epiſcopum, excepit: *Infamans Petrum & Paulum beatos Apoſtolos, quaſi hoc ipſi tradiderint, qui in Epiſtolis ſuis Hæreticos execrati ſunt, & ut eos evitemus, monuerunt.* Unde & poſtmodum: *Conſuetudini Romanorum conſuetudinem, ſed veritatis opponimus: ab initio hoc tenentes, quod à Chriſto & Apoſtolo traditum eſt.* Ubi ſolummodo reſpicit, quæ jam retulimus, ab Apoſtolo nimirum Paulo execratos fuiſſe Hæreticos, tanquam ab omnibus Catholicis evitandos; quæ ſanè multò fortiùs urgere non dubitaſſet Firmilianus, ſi canones Apoſtolorum tunc extitiſſent, inter quos XLVI: *Epiſcopus vel Preſbyter eum, qui verè habet baptiſmum, ſi de integro baptizaverit, vel ſi eum, qui ab impiis pollutus eſt, non baptizaverit, deponatur, ut qui irrideat mortem & Crucem Domini, & non diſcernat Sacerdotes à falſis Sacerdotibus.* Et canon XLV præcedens: *Epiſcopum vel Preſbyterum, qui Hæreticorum baptiſmum vel ſacrificium admiſerit, deponi jubemus. Quæ eſt enim conventio Chriſti cum Belial? Vel quæ pars eſt Fideli cum Infideli?* Hos canones Apoſtolorum apertè Firmiliano faventes, ſi extitiſſent, cùm anno CCLVI aut CCLVII Epiſtolam ad Cyprianum miſit, locus erat allegandi ſuprà: quod cùm factum non ſit, è ſilentio Firmiliani, inquit Marca, licet colligere, incognitos ea ætate Orientalibus fuiſſe canones Apoſtolicos. Sed divinat Pariſienſis Archiepiſcopus, inquit Schelſtratius in parte 2. Antiquit. Illuſtr. Diſſert. 11 cap. 1. tunc fuiſſe pro parte Firmiliani collectos, ut contra Stephanum ad traditionem Apoſtolicam Petri & Pauli recurrentem, Orientalibus perſuaderetur ex his canonibus aliam fuiſſe Apoſtolorum Conſtitutionem. Unde Baluzius V. C. qui prolixiorem Marcæ diſcurſum in compendium redigit, ait: *Conjicitur, poſt Synodum Iconii ea de re habitam initum fuiſſe conſilium edendæ hujus Collectionis ſub nomine Clementis & Apoſtolorum, ut Stephano Pontifici opponeretur Petri Apoſtoli auctoritas.*

X. *Quo ſenſu canones Apoſtolorum*

Hos canones ante Synodum Nicænam cognitos fuiſſe, liquet ex Conſtantino Imp. qui Epiſtola 11 ad Euſebium & Antiochenos Epiſcopos citat canonem XIII. Item ex aliis plurimis

apocryphi dicti.

Baron. n. XI, XII & XIII.

plurimis, qui his Canonibus uſi videntur, poſt quorum tempora tam in Oriente, quàm in Occidente apud quoſdam Catholicos prævaluiſſe, (variâ tamen de eorum numero fortunâ) licet colligere ex antiquiſſima Canonum Collectione, quæ primùm in Oriente à Græcis fuit confecta, & ante tempora Dionyſii Exigui extitit. Unde quod Gelaſius Papa in Romana ſeptuaginta Epiſcoporum Synodo poſuit: *Liber Canonum Apoſtolorum apocryphus*, commodo ſenſu venit intelligendum. Præterquam enim quòd hæc verba non habeantur in Codice Juſtelli, dici poteſt, id à Papa Gelaſio dictum, quia hi Canones non ſunt ab Apoſtolis, ſed ab aliis collecti. Rectè Marca lib. 3. cap. 2. parag. 7. *Variæ ſunt claſſes apocryphorum in Notitia Gelaſii, ut obſervarunt Viri eruditi: cùm non tantùm figmenta Hæreticorum veniant in hunc ſenſum, ſed etiam Opuſcula Tractatorum, in quibus ſunt nævi quidam.* Nec alio exemplo indigemus, quàm Euſebii Hiſtoriâ, quam apocryphis accenſet Gelaſius, cùm tamen parum antea illam recipiendam ſtatuiſſet, quòd nimirum velit hos Hiſtoriarum libros nævis quibuſdam permixtos, licèt, inquit, *propter rerum notitiam ſingularem, quæ ad inſtructionem pertinent, uſquequaque non dicimus renuendos.* Idem dicendum de Canonibus Apoſtolorum ſingulari quadam Eccleſiæ primitivæ doctrinâ refertis, licèt aliunde ob certos nævos inter apocrypha à Gelaſio recenſitis. Hæc Schelſtratius loco laudato, ex quo & ſequentia exſcribenda duximus.

XI. *Eccleſia Occidentalis quinquaginta Canones Apoſtolorū admittit.*

Baron. num. XIV, XV & XVI.

Neque ab antiquis, tam Græcis, quàm Latinis Scriptoribus fuere rejecti, ut patet ex L Canonibus ubique olim receptis, ut confirmat poſt Gelaſium Collectio Dionyſii Exigui à Baronio citati. Poſt Dionyſium Creſconius, neſcio cujus civitatis in Africa Epiſcopus, qui in ſua Collectione uſque ad L Canones Apoſtolorum enumerat, & ad titulos ſuos comprobandos adducit. Meminit & Anaſtaſius Bibliothecarius Stephani Papæ IV, qui in Synodo Lateranenſi anno DCCLXIX ſtatuit Actione IV: *Non amplius ſuſcipiantur Apoſtolorum Canonum prolata per S. Clementem, niſi quinquaginta capita, quæ ſuſcipit ſancta Dei Catholica Romana Eccleſia.* Poſt Baronii mortem publicavit hoc Concilium Holſtenius, & laudatam ex eo deciſionem confirmat Humbertus Leonis IX Legatus in reſponſione ad libellum Nicetæ Preſbyteri & Monachi contra Latinos editum: *Clementis librum, id eſt, Petri Apoſtoli itinerarium, & Apoſtolorum Canones numerant Patres inter apocrypha, exceptis L capitulis, quæ decreverunt orthodoxæ fidei adjungenda.* Et hæc quidem de Eccleſia Occidentali, quinquaginta Apoſtolorum Canones non improbante, ſed demum per Pontifices & Synodos approbante, & ubique ferè recipiente.

XII. *LXXXV Canones Apoſtolorum ab Orientalibus admiſſi.*

At latiùs ſe ſe extendit Orientis Eccleſia in recipiendis Apoſtolorum Canonibus, quos LXXXV omnium primus ſuæ L titulorum Collectioni inſeruit Joannes Scholaſticus, ut notat Juſtellus in Præfatione ad tomum 2. Bibliothecæ Juris Canonici, & idem Joannes Antiochenæ Eccleſiæ Preſbyter ex ordine Scholaſticorum, qui in Præfatione ait: *Sancti Domini Diſcipuli & Apoſtoli octoginta quinque Canones Clementis operâ ediderunt.* Eos, poſt hanc Joannis Collectionem, recepit & probavit Synodus Trullana canone II, & poſt eam Synodus generalis VII, quæ Actione I conſenſit ex Bibliotheca Patriarchii Cpoleos tam Canonum SS. Apoſtolorum, quàm SS. Synodorum libros in medium afferri: *Et Notarius venerabilis Patriarchii legit: Canon SS. Apoſtolorum quinquageſimus tertius.* (nunc LII) *Si quis Preſbyter eum, qui convertitur à peccato, non ſuſceperit, ſed abjecerit, deponatur, &c.* Uſque ad LXXVII recenſet Alexius Ariſtinus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus, quæ nunc primò publicata eſt in tomo 2. Bibliothecæ Juris Canonici, ubi poſt Ariſtinum ſubnectitur Epitome Canonum Symeonis Magiſtri & Logothetæ, in qua exhibentur Canones Apoſtolorum octoginta duo. Subnectitur & Synopſis Canonum Arſenii Monachi, qui ad cap. 4. ſubdit: *SS. Apoſtolorum canon LXXXV*, & alios Apoſtolorum Canones paſſim exhibet, ut octoginta quinque Canones admiſiſſe conſtet, quos & diu ante illos Collectores admiſit Photius in Nomocanone, ad quem edita Præfatione ſcribit: *Canones, qui SS. Apoſtolorum dicuntur, Clementis operâ collecti LXXXV.* Ex quibus videre licet, Orientales paſſim omnes LXXXV canones admiſiſſe, qui de facto poſt Decretum Gratiani juſſu Gregorii XIII editum, inveniuntur, uti & paſſim in omnibus Conciliorum editionibus. Plura Schelſtratius laudatus, & Natalis Alexander, Diſſert. XVII Seculi primi Eccleſiæ. Videndus etiam Cotelerius in Notis ad Canones Apoſtolicos, quæ habentur in parte ſecunda Operum SS. Patrum, qui temporibus Apoſtolicis floruerunt, pag. 327.

FINIS SECULI I.

CRITICA HISTORICO-CHRONOLOGICA IN ANNALES BARONII.

SECULUM II.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5594. ☉ 26 C. ☽ 7. P. 4 April. INDICT. 14.

JESU CHRISTI 101. *ſecundùm Baronium* 103.

EVARISTI PAPÆ 7.

TRAJANI IMP. 4.

I. *Conſules.*

COss. *Trajanus Aug. IV, & Sex. Articuleius Pætus.*

II. *Quinquennalia Imperii Proconſularis Trajani.*

Sumtus hic à Trajano Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam, ob Quinquennalia nempe Imperii Proconſularis. Noriſius in Epiſt. Conſul. pag. 62. ex eo quòd Trajanus quartum iſtum Conſulatum ſibi delatum recuſarit, ac vix tandem Senatûs precibus exoratus admiſerit, ut teſtatur Plinius in Panegyrico, infert: *Trajanus ergo regulas de Quinquennalibus in Conſulari prætexta celebrandis ignoravit.* At cùm anno præcedenti Conſulatus iſte Trajano à Senatu oblatus fuerit, in annum ſcilicet, quo Imperatores eam dignitatem ſuſcipere ſoliti erant, manifeſtiſſimum eſt Plinium regulis meis non refragari, ſed ſuffragari; quæ poſt Orationem Themiſtii de Conſulatu Saturnini in lucem editam, non videntur in dubium revocari debere. Occaſione horum ſolennium renovata memoria beneficii in Ægyptios à Trajano collati, dum præcedentibus annis Nilus Ægyptum non fœcundaret. Plinius enim in Panegyrico anno præcedenti Trajano dicto cap. 31. ait: *Refudimus Nilo ſuas copias, recepit frumenta quæ miſerat, deportataſque meſſes revexit.* Hinc cuſus hoc anno Trajani Nummus, qui extat apud Mediobarbum pag. 150. in cujus poſtica habetur: P. M. TR. P. IIII. IMP. II. COS. IIII. NILUS. Repræſentatur in ea Nili ſimulacrum. Conſulatum quartum Trajanus hoc anno iniit. Quare annis præcedentibus Trajanus frumentum in Ægyptum miſit, illaque providentia in Quinquennalibus, ut moris erat, rurſus laudata prædicataque. Cujus moris paſſim exempla occurrunt.

III. *Quo anno Plinius Panegyricum recitavit.* Baron. num. 1.

Ad num. I. Plinius Panegyricum ſuum non hoc anno, ut putavit Baronius, ſed præcedenti recitavit, idque ineunte Septembri, cùm Conſulatum ſuum ſuffectum auſpicatus eſt, ex lib. 3. epiſt. XIII & XVIII. Quod eò magis dicendum, quòd certum eſt, tunc Trajanum quartum Conſulatum non geſſiſſe. Quare perperam Baronius Plinii Conſulatum præſenti anno conſignavit, ex quo & malè deduxit, Plinium anno ſequenti Proconſulem in Bithyniam miſſum.

IV. *Anacleti Papæ obitus.* Baron. num. II.

Ad num. II. In Chronico Damaſi legitur: *Anacletus annis duodecim, menſibus decem, diebus tribus. Fuit temporibus Domitiani, à Conſulibus Domitiano X, & Sabino, uſque Domitiano XVII, & Clemente.* Succeſſerat itaque Cleto anno Chriſti octogeſimo tertio, quo Domitianus IX, & Rufus II Conſules fuere. In Chronico enim Damaſi Pontificatus ſucceſſoris inchoatur à Conſulibus, qui poſt mortem deceſſoris annum aperuere. Ejus autem obitus contigit anno Chriſti nonageſimo quinto, quo Domitianus XVII, & Clemens Conſulatum geſſere. Colitur Anacletus decimo tertio die Julii. Sed is dies ad aliquam ejus

Tranſlationem referendus, ut de aliis veteribus Pontificibus exiſtimandum eſſe jam diximus. Non deſunt Viri doctiſſimi, qui Cletum & Anacletum non diſtinguunt, & unum eundemque eſſe affirmant. Verùm in re incerta à communi opinione non diſcedam. Anacleto ſucceſſit Evariſtus juxta idem Damaſi Chronicon.

V. *Anacleti Decretales.*

Circumferuntur Anacleti Epiſtolæ Decretales tres, quas Eruditi ſuppoſititias judicant. Prima eſt ad omnes Epiſcopos & Fideles, ſed conſuta eſt tam ex locis Scripturæ, quàm ex Clementis ad Jacobum epiſtolis, uti ex Rufini, Damaſi, aliorumque auctoritatibus. Secunda eſt ad Epiſcopos Italiæ, in qua ſunt teſtimonia ex Auguſtino, Idatio, Gregorio Magno deprompta. Tertia ad omnes Epiſcopos, agitque de Patriarchis, quorum nomen hoc & ſequenti ſeculo ignotum; denique habet teſtimonium ex Concilio Romano ſub Gelaſio, & ex aliis poſterioribus Patribus.

VI. *Duas adverſus Dacos expeditiones Trajanus ſuſcepit.* Baron. num. 112.

Ad num. III. Trajanus duas adverſus Dacos expeditiones ſuſcepit, quæ in Columna Trajana repræſentantur, & ab Antiquis ſine temporis nota numerantur, niſi quòd Dio tradit, hoc bellum *ſecurè magis, quàm celeriter* geſtum, & Dacos *vix tandem ſubactos*, & Julianus Imperator lib. de Cæſaribus, Trajanum hoc modo loquentem inducit: *Et hoc quidem tantum opus annis ferè quinque confeci.* Baronius priorem expeditionem præſenti anno conſignat, quòd Onuphrius lib. 2. Faſtorum recitet è veteri Lapide elogium Trajani, in quo legitur: DACICUS TRIB. POT. IIII. COS. IV. VICTO DECEBALO. Ex hac Inſcriptione Baronius, ac alii paſſim crediderunt, à Trajano quartùm Conſule bello Dacico priori victum Decebalum, *cùm tamen ſpuria ſit illa Inſcriptio*, (inquit Noriſius in Epiſtola Conſulari pag. 64.) *utpote ab eodem Panvinio conficta. Lazius lib. 12. cap. 7. idem epigramma laceratum ac detritum recitarat, teſtatus extare in oppido Gumperdoff, primo à Vienna milliario, ex fragmentis malè compactis, ubi legebatur:* NERU... ACICU.. US. AUG. *Item* VICT. D.. D.. V. ADIA.. T.. R. P. IIII COS. V. *Gruterus pag. 190. 1. idem elogium è Lazio repetit: at non fideliter, cùm ibi ſcribat.* VICTO DECE... *uti &* DACICUS, *& alia verba minus detonſa. Panvinius tamen integrè illud concinnavit, &* COS. IIII. *repoſuit, cùm optimè intelligeret, Conſulatum quintum Trajani non poſſe cum quarta ejuſdem Tribunicia Poteſtate componi.* Rejecta itaque ea Inſcriptione, quam Baronius Annalibus inſeruit, quærenda alia argumenta ad prioris belli Dacici epocham ſuo anno reddendam. Noriſius in eadem Epiſtola mihi dicata, ait: *Meam de tempore utriuſque belli Dacici, ac de profectione Trajani in Orientem, ſimulque de quinto ac ſexto ejuſdem Conſulatu Romæ inito ſententiam tibi proponam, quam ipſe poſtea ad liniam revoces, vel ad incudem.* Poſtea prius bellum Dacicum anno Chriſtianæ epochæ CII. à Trajano ſuſceptum ſcribit. Verùm videtur illud præſenti anno inchoatum, cùm Euſebius in Chronico anno Abrahami 2117. dicat: *Trajanus de Dacis & Scythis triumphat.* Exorditur hic Abrahami annus à Kalendis Septembribus præcedentis Chriſti anni. Sed cùm Plinius in Panegyrico iiſdem anno & menſe recitato nullam belli Dacici mentionem faciat, certum eſt, illud tunc nondum inchoatum fuiſſe, ideoque Euſebium de præſenti Chriſti anno, ſeu de potiori Abrahamitici anni parte intelligendum. Nec ab Euſebio hac in re diſcedendum, cùm in utraque editione tam Pontaci, quàm Scaligeri eodem anno ea verba legantur, & Hermannus Contractus, ac Marianus Scotus in ſuis Chronicis eadem verba anno quarto Trajani recitaverint. Euſebium verò rerum geſtarum initium ac finem uno tenore plerumque recitare, & eidem anno illigare certum.

VII. *Initium prioris belli Dacici.*

Hanc opinionem confirmant Nummi, in quibus Trajanus Imperatoris titulum non auget, niſi poſtquam Tribunitiam Poteſtatem ſextam & Conſulatum quartum iniit. Antea enim Imperator II tantùm, poſtea Imperator III appellatur, ut in Nummis apud Mediobarbum videre eſt, apud quem hic exhibetur: IMP. CÆS. NERVA TRAJANUS AUG. in poſtica: P. M. TR. P. IIII. IMP. II. COS. IIII. Tribunitia Poteſtas quarta in curſu fuit uſque ad v Kalend. Novemb. currentis anni, quo Trajanus quintam capeſſiit. Quare cùm Trajanus præſenti anno Conſul IV proceſſerit, is Nummus ante bellum Dacicum videtur percuſſus, cùm titulum Imperatoris nondum Trajanus multiplicaret. In omnibus verò Nummis præcedentibus annis cuſis Trajanus Imperator ſine numerali nota appellatur. Gruterus pag. CXC. 3. hanc Inſcriptionem refert.

IMP. CÆSAR. D. NERVAE. F. NERVA TRAJANUS. GERMANICUS. PONT. MAX. TRIB. POT. VI IMP. II. COS IIII. P. P. INCHOATAM. A. D. NERVA PATRE. SUO. PERFICIENDAM CURAVIT.

Extat apud eundem pag. CLXXVII. 2. alia Inſcriptio, in qua Trajanus dicitur etiam, TR. POT. VI. IMP. II. COS. IIII. Præterea Occo pag. 200. hunc Trajani Nummum producit: IMP. CAES. NERVA. TRAJAN. AUG. GERM. P. M. TR. P. VI. in poſtica, IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. P. P. S. C. Fabrettus in Syntagmate de Columna Trajani cap. 9. duos alios Trajani Nummos exhibet, in quibus eadem verba leguntur. Ex quibus apparet, anno ſequenti, poſt v Kal. Novemb. quo ſextam Tribunitiam Poteſtatem Trajanus ingreſſus eſt, titulum Imperatoris multiplicaſſe, ideoque tunc bellum maximè arſiſſe. Tertiæ acclamationis Imperatoriæ mentio non occurrit neque in Nummis, neque in Inſcriptionibus. Sed Trajanum ſequenti anno IMP. III dictum, quartus Conſulatus junctus cum TR. POT. VI. IMP. II. indubitatum reddit. Fabrettus laudatus initium prioris expeditionis Dacicæ rectè hoc anno collocavit, quemadmodum & clariſſimus Loydius in Specimine Imperii Trajani quod mecum communicavit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5595. ☉ 27 B. ☽ 8. P. 24. APRIL. INDICT. 15
JESU CHRISTI 102. *ſecundum Baronium* 104.
EVARISTI PAPÆ 8.
TRAJANI IMP. 5.

I. *Conſules.* COss. *C. Soſius Senecio III*, & *L. Licinius Sura II*, ut ex dicendis anno CVII conſtabit.

II. *Reſcriptum Trajani in cauſa Chriſtianorum.* Baron. num. 1, 11 & ſeqq. Ad num. I. & II. Baronius, qui exiſtimabat Plinium Juniorem anno præcedenti Conſulatum ſuffectum geſſiſſe, Legationem ejus Bithynicam in hunc annum confert. Sed præterquam quòd is Plinii Conſulatus cum anno Chriſti centeſimò copulandus, Plinius nonniſi diu poſt abdicatum Conſulatum in Bithyniam miſſus. Noriſius in Epiſtola Conſulari pag. 68. in tempus, quo is ad Trajanum de Chriſtianorum cauſa e Bithynia ſcripſit, ſedulò inquiſivit. Plures enim Trajani Reſcriptum poſt acceptam Plinii Epiſtolam datum, eamque Epiſtolam interpretati ſunt, ut videre eſt in calce Operum Plinii Junioris in Hollandia editorum, ſed pauciſſimi, quo anno data fuerit Epiſtola, ex profeſſo examinarunt. Noriſius in Epiſtola Conſulari pag. 69. ait: *Cùm Plinius Junior Bithyniæ Proprætor Chriſtianos edictis ac ſuppliciis perſecutus fuerit, Trajano etiam tum Romæ degente libeat hujuſce perſecutionis tempus deſignare, quod ſibi incompertum fatetur Scaliger in Notis Euſebianis num.* 2124. *Baronius ſcribit de Plinii Præfectura Bithynica:* Poſt functionem ſuperioris anni Conſulatus, more majorum, Provinciam ſuſcepit adminiſtrandam. *Is quidem mos ſtante Republica, ſed ſub Cæſaribus Africam & Aſiam decimo anno à geſto Conſulatu ſortiebantur, quæ tamen decennii intermedii deſcriptio in aliis Provinciis non ſervabatur. Et ſanè mihi compertum eſt, Plinium non perrexiſſe ſtatim à geſto Conſulatu in Bithyniam. Rem altiùs, paucis licèt, repetam. Tullius Juſtus anno Chriſti XCVII Bithyniam regebat, ad quem extat Imperatoris Nervæ Epiſtola ante epiſt. 67. Plinii lib. 10. Juſtus Proconſul ſucceſſorem habuit Julium Baſſum, qui in exilium à Domitiano miſſus, inquit Plinius lib. 4. epiſt. 9.* revocatus à Nerva, ſortituſque Bithyniam, rediit reus. *Idem lib. 6. epiſt. 29. narrans Quadrato ordinatim cauſas ab ſe acitatas ait:* Accuſavi Marium Priſcum: deinde tuitus ſum Julium Baſſum. *Accuſavit Marium Priſcum coram Trajano tertiùm Conſule anno centeſimo ex lib. 2. epiſt. 11. menſe Januario, cùm eſſet Conſul deſignatus in Kal. Septembris, ex lib. 10. epiſt. 20. Idem lib. 4. epiſt. 8. narrat ſe poſt Conſulatum accepiſſe à Trajano Auguratum, epiſtola verò ſequenti acta in cauſa Baſſi deſcribit. Itaque anno CI Julii Baſſi cauſa cognita fuit. At lib. 10. epiſt. 64. ex Bithynia ſcribit Trajano quemdam in perpetuum relegatum à Julio Baſſo Proconſule. Quod verò ſciebat acta Baſſi à Senatu reſciſa, dato jure damnatis ab eodem* ex integro, *inquit,* agendi dumtaxat per biennium, interrogavi hunc, quem relegaverat, an adiiſſet, docuiſſetque Proconſulem, negavit, *cùm idem captus coram Plinio ſtetiſſet. Cui Trajanus reſpondit, eum, qui exiſtimans ſe injuriâ relegatum,* cùm per biennium agendi facultatem habuerit, *nec adierit Proconſulem, vinctum dimittendum ad Præfectos Prætorio. Itaque anno CIII, hoc eſt, biennio poſt reſciſa acta Julii Baſſi, alius ante Plinium Proconſul Bithyniæ præerat. Idem lib. 5. epiſt. 20. Urſo ſcribit:* Iterum Bithyni poſt breve tempus à Julio Baſſo, etiam Rufum Varenum Proconſulem detulerunt. *Hæc autem Vareni cauſa in aliquot annos protracta eſt, teſtibus ex Bithynia advocatis à Vareno, Bithyniis Legatos modò contra eumdem, modò mutatâ ſententiâ, pro eodem ad Trajanum, tum in Daciam, tum Romam deſtinantibus, Plinio Varenum defendente, quæ quidem conſtant ex variis ejuſdem Epiſtolis lib. 6. epiſt. 5. 13. & 29. & lib. 7. epiſt. 6. & 10.*

III. *Plinius poſt aliquot annos à geſto Conſulatu in Bithyniam miſſus.* *Idem lib. 10. epiſt. 113. ſcribit Trajano, Anicium Maximum Proconſulem Bithyniæ largitionem pecuniæ, quam ſuper numerum in Decuriones Trajani indulgentiâ allecti faciebant, in quibuſdam civitatibus ad eos quoque extendiſſe, qui à Cenſoribus legebantur. Itaque Anicius Maximus alius fuit ante Plinium ſub Trajano Proconſul Bithyniæ. Denique lib. 10. epiſt. 64. ſignificat Trajano quemdam ſibi denuntiaſſe* adverſarios ſuos à Servilio Calvo clariſſimo viro in triennium relegatos, *in Provincia morari, illis econtra affirmantibus, à Calvo Proconſule ſemel reſtitutos. Reſpondit Trajanus Epiſt. 65. ſe proximè reſcripturum de iis,* qui à P. Servilio Calvo Proconſule in triennium relegati *dicebantur, ubi primùm rem ab ipſo Calvo didiciſſet. At certum eſt nondum elapſum triennium, ex quo illi relegati fuerant, cùm ea Plinius Principi ſcripſit, aliàs nullus fuiſſet accuſationi locus. Igitur & Servilius Calvus fuit proximus deceſſor Plinii in Præfectura ſeu Proconſulatu Bithyniæ. Unde apparet poſt aliquot annos à geſto Conſulatu eundem in Bithyniam miſſum: cùm plures ſuos deceſſores, Trajano imperante laudet, & aliquot etiam præter eidem memoratos, Bithyniam fortaſſis adminiſtrarint. Et quidem nullus dubito, quin Plinius novem libros Epiſtolarum ad privatos ſcripſerit, antequam in Provinciam Legatus proficiſceretur. Nuſquam enim in aliqua earundem quidpiam legitur, quod Bithynicam ejuſdem Legationem attineat. At lib. 6. epiſt. 10. ſcribit Albino vidiſſe ſe ſepulchrum Verginii Rufi imperfectum,* ac poſt decimum mortis annum reliquias neglectumque cinerem. *Cùm verò obierit Verginius anno XCVII Chriſtianæ epochæ, ea Plinius ſcribebat anno CVII, aut etiam ſequenti CVIII. Item lib. 8. epiſt. 4. laudat Geminum, qui deſtinaſſet bellum utrumque Dacicum ſcribere, ac carmine narrare* pulſum Regiâ, pulſum etiam vitâ Regem nihil deſperantem. Super hæc actos bis triumphos, quorum alter ex invicta gente primus, alter noviſſimus fuit. *Porro ex hucuſque narratis Legatio Bithynica Plinii videtur mihi ſtatuenda circa Septembrem anni CIX, aut ſequentis. Ille verò non Proconſul, ut alii, ſed Legatus Auguſti, ac Proprætor Conſulari Poteſtate in Provinciam miſſus fuit, ex vetu-*

ſto elogio ejuſdem Gruteri pag. CCCCLIV. 3. (eam Inſcriptionem retuli anno LXIX, num. VII) *& quidem Trajano adhuc Romæ degente, quod ex lib. 10. epiſt. 13. 14. 15. 49. & 82. apertè colligitur.* Ita Noriſius, quæ ex literis ejus ad me ſcriptis magis declaranda.

IV. *Viri Conſulares in Provincias mitti poterant ſtatim poſt geſtum Conſulatum.*

Conſtat, inquit idem Vir eruditiſſimus, Aſiam Minorem ſeu Proconſularem & Africam fuiſſe Provincias populi Romani, in quas viri tantùm Conſulares à populo ſortitò mittebantur. Cùm verò plures uno anno Conſules ſuffecti & ordinarii eſſent, neque annua eſſet illarum Provinciarum gubernatio, debebant Exconſules expectare modò minùs, modò plus, quouſque ordinatim eiſdem illæ Provinciæ deſtinarentur. Sergius Cornelius Maluginenſis fuerat Conſul ſuffectus EX KAL. JUL. anno Urbis DCCLXIII ex Faſtis apud Gruterum in fine pag. 295. Is anno Urbis DCCLXXV ex lib. 3. Annal. Taciti, *ut Aſiam ſorte haberet, poſtulavit.* Repulſam tulit, ut inferiùs ait Tacitus, quod erat Flamen Dialis, qui non poterat pluſquam binoctium Urbe abeſſe: *Ita ſors Aſiæ in eum qui Conſularium Maluginenſi proximus erat, conlata.* Tacitus de vita Agricolæ ait: *Conſul egregiæ tum ſpei filiam juveni mihi deſpondit, ac poſt Conſulatum collocavit,* & STATIM *Britanniæ prepoſitus eſt.* Cùm verò fuſiùs narraſſet geſta *per octennium* ab Agricola in Britannia, ait eumdem à Domitiano revocatum, in Urbe degiſſe, & poſtea: *Aderat jam annus, quo Proconſulatum Aſiæ & Africæ ſortiretur.* Hinc vides juxta ordinem geſti Conſulatus, viros Conſulares Aſiam & Africam ſortitos, quod tempus medium modò minùs, modò plus erat, quàm decennium; ſed erat circiter decennium. In alias Provincias, quæ erant præter Aſiam & Africam, ſtatim etiam poſt Conſulatum viri Conſulares mittebantur. Sic Agricola ſtatim poſt Conſulatum legatus Proprætor in Britanniam miſſus fuit, ex laudato genero Tacito, qui lib. 6. ſcribit L. Vitellium fuiſſe Conſulem ordinarium anno Urbis DCCLXXXVII, & anno ſequenti C. Ceſtio M. Servilio Coſſ. de Tiberio ait: *Et cunctis quæ apud Orientem parabantur, L. Vitellium præfecit.* Quare etiam in Bithyniam Conſulares ſtatim poſt geſtum Conſulatum mitti poterant: illa enim regula de Aſia & Africa tantùm intelligitur. Porro ſcriptis à me in Epiſtola Conſulari obſtat Inſcriptio dicata Plinio, in qua dicitur in Provinciam AB IMP. CAESARE. NERVA. TRAJANO. AUG. GERMANICO. MISSUS, &c. Cùm Trajanus DACICUS non dicatur, jam vides quid inde inferatur. At certum eſt, Plinio morante in Bithynia, Trajanum fuiſſe Romæ, quod produnt epiſtolæ à me citatæ in Epiſtola Conſulari. Hîc mihi, amicorum cariſſime, hæret aqua. Vadum ipſe tentabis; nolo enim hîc corrigere ſcalptorem; neque lapides ſunt membranæ. Ita Noriſius, qui in Epiſtola Conſulari pag. 70. ait, Legationem Bithynicam Plinii videri ſibi ſtatuendam circa Septembrem anni CIX aut ſequentis: illum verò non Proconſulem, ut alios, ſed Legatum Auguſti, ac Proprætorem Conſulari Poteſtate in Provinciam miſſum fuiſſe, ex vetuſto Elogio ejuſdem Gruteri pag. 454.

V. *Plinius in Bithynia fuit, quando Trajanus Natale Imperii celebravit.*

Noriſii & Loydii infrà laudandi doctiſſimarum obſervationum, & ſecundæ Conſulatuum Cæſareorum regulæ ſubſidio, annum quo Plinius Bithyniæ Legatus de cauſa Chriſtianorum ad Trajanum ſcripſit, me detexiſſe arbitror. Cùm enim perſecutiones adverſus Chriſtianos annis Decennalibus & id genus feſtis deſtinatis de more excitarentur, aut ſi jam motæ eſſent, ingraveſcerent, & Plinius teſtetur ſe bis in Bithynia ejuſmodi ſolennia celebraſſe, apparet ipſum intelligendum de Quindecennalibus Imperii Proconſularis Trajani, ejuſque Imperii Auguſtei, quæ in annos Chriſti CXI & CXII incidunt; prætertim cùm Idacius in Faſtis Trajano VI & Africano Coſſ. anno nempe Chriſti CXII, ſcribat: *His Conſ. perſecutio Chriſtianorum.* Plinius lib. 10. epiſt. 60. ad Trajanum ſcribit: *Diem, Domine, quo ſervaſti Imperium dum ſuſcipis, quantâ mereris lætitiâ celebravimus*, &c. Plinio Trajanus reſpondet epiſt. 61. *Quanta religione ac lætitia commilitones cum Provincialibus, te præeunte, diem Imperii mei celebraverint, libenter, mi Secunde cariſſime, cognovi literis tuis*, ubi ſermonem eſſe de die, quo Trajanus Imperii Collega dictus eſt, certum. Trajanus enim ſuſcipiendo Imperium quando adoptatus eſt à Nerva, repreſſit ſeditionem quam Prætoriani moverant, quo pacto dicitur ſervaſſe Imperium, ut etiam Plinius in Panegyrico Trajani habet. Cùm autem dies natalis Imperii non celebraretur ſingulis annis, ut Natalis genuinus, ſed tantùm ſingulis quinquenniis, decenniis, & ſic deinceps, non dubium, quin Plinius de Quindecennalibus Trajani, aut ſaltem de aliqua hujuſmodi feſtivitate loquatur. Præterea Plinius lib. 10. epiſt. 103. ad Trajanum ſcribit: *Diem, in quem tutela generis humani feliciſſima ſucceſſione tranſlata eſt, debita religione celebravimus*, quod ſibi gratum fuiſſe ſcribit Trajanus epiſt. 104. ubi Plinium de Auguſteo Imperio Trajani, dieque, quo Nervæ ſucceſſit, verba facere manifeſtum eſt. Quare non tantùm Imperii Proconſularis, ſed etiam Imperii Auguſtei Quindecennalia, aut ſaltem aliqua id genus ſolennia Plinium in Bithynia celebraſſe, ideoque & per tres annos utrinque incompletos in ea Provincia fuiſſe liquet. Aliàs exiſtimavi, uti paſſim etiam alii, epiſt. 101. lib. 10. Plinii ad Trajanum, in qua ait, *Vota, Domine, priorum annorum nuncupata, alacres, lætique perſolvimus*, de hujuſmodi ſolenniis interpretandam eſſe, ſed monuit me Noriſius, eam explicandam eſſe de Votis, quæ pro *incolumitate ac ſalute* Cæſarum fiebant *III Nonas Januarias*, quemadmodum & Epiſtolam 44. & 45. Paulus enim J. C. lib. 50. Digeſt. L. 233. De verborum ſignificatione, ait: *Poſt Kal. Jan. die III pro* SALUTE *Principis Vota ſuſcipiuntur*, quod & indicavi anno Chriſti XXIV num. 1. Ea itaque Vota, quemadmodum & pro Quindecennalibus, bis Plinius in Bithynia peregit.

VI. *Quo anno Plinius de cauſa Chriſtianorum ad Trajanum ſcripſit.*

Plinius igitur anno Chriſti centeſimo decimo Bithyniam intravit, idque *XV Kal. Octob.* ut ipſemet lib. 10. epiſt. 24. ad Trajanum ſcribit, dieque inſequenti Natalem genuinum Trajani celebravit, ut idem ſcribit. Tum anno centeſimo undecimo Trajanus

Imperii Proconſularis Quindecennalia dedit. Horum autem ſolennium occaſione rurſus perſecutio in Chriſtianos excitata, quemadmodum & anno inſequenti, ut jam ex Idacio in Faſtis docuimus. Plinius, cùm in omnes Bithyniæ Chriſtianos, quorum immenſa multitudo erat, animadvertere durum admodum exiſtimaret, celebrem illam epiſtolam, quæ 97. eſt libri decimi ad Trajanum, ſcripſit. Tradit autem in ea, ex Chriſtianis unum *ante viginti annos* fidem Chriſtianam ejeraſſe, ubi ad perſecutionem Domitianeam anno nonageſimo tertio motam reſpicit. Quamobrem cùm ab eo Chriſti anno ad centeſimum duodecimum viginti anni fluxerint, patet eum numero rotundo loqui. Marianus Scotus in Chronico ſub Trajani & Africani Conſulatu anno c x i i geſto eam epiſtolam exaratam tradit, & eum Conſulatum cum anno Chriſti c x perperam conjungit. Hermannus Contractus in Chronico ſub anno Chriſti c x i de eadem epiſtola loquitur, & ex utroque intelligimus, Euſebium in Chronico, quem illi exſcribere ſolent, quique de ea epiſtola ſermonem habet anno Chriſti c v i i aut c v i i i, non ſenſiſſe eam epiſtolam anno c v i i datam, ſed *Tertiæ*, ut vocat, perſecutionis occaſione, uno tenore, ut aſſolet, narraſſe quæ ad illam perſecutionem ſpectabant. Hinc anno Hadriani decimo ejus Decennalibus inſignito loquitur de Libro ab Ariſtide in Chriſtianorum defenſionem compoſito, & de Apologia in eundem finem à Quadrato edita, quamvis hæc in Quindecennalibus Hadriani oblata fuerit, ut infrà oſtendam. Nec huic ſententiæ contraria eſt Inſcriptio, de qua ſuprà, in honorem Plinii Bithyniæ Legati poſita, ut arbitratur Noriſius, quòd in ea Trajanus Dacicus non dicatur; quem titulum longè ante annum c x i i obtinuit. Cùm enim idem titulus in quibuſdam Nummis Trajani ſexto ejus Conſulatu notatis, ideoque & poſt annum c x i percuſſis non legatur, quid mirum ſi in Inſcriptionibus prætermiſſa fuerit? Mediobardus in Numiſmatis Impp. pag. 159. hunc Nummum exhibet: Imp. Caes. Ner. Trajano optimo Aug. Germ. in poſtica: P. M. Tr. P. Cos. VI. P. P. S. P. Q. R. Repræſentatur columna Cochlydis Trajani. Tum pag. ſequenti: Imp. Caes. Ner. Trajan. optim. Aug. P. M. Cos. VI. in poſtica: S. P. Q. R. optimo Principi S. C. Viſitur portus ferreâ catena præcluſus. Sic in Nummis Marci Aurelii Tr. P. x x, x x i, x x i i, & x x i i i ſignatis aliquando dicitur tantùm Armeniacus, aliquando Arm. Part. Max. & aliquando ſine neutro titulo ſolum ejus nomen legitur, ut videre eſt apud Mediobarbum citatum. Quare ex omiſſione tituli Dacici in laudata Inſcriptione nihil inferri poteſt contra noſtram ſententiam.

VII. *Plinius ſtatim poſt Conſulatum in Bithyniam non miſſus.*

Ex his liquet, Baronii ſententiam, qui putavit Plinium ſtatim à Conſulatu in Bithyniam miſſum eſſe, ſuſtineri non poſſe, non quòd aliqui Proconſules in eam, poſtquam ea dignitate functi ſunt, proximo anno delegati non fuerint, uti Cælius Clemens, qui, ut obſervat Clariſſimus Loydius in Epiſtola de Pliniana Legatione ad me data, poſt Conſulatum ſtatim eidem Provinciæ præfectus eſt, qua de re Trajano gratias agit Plinius lib. 10. epiſt. 12. quòd *ad finem Conſulatûs Cælium Clementem in hanc Provinciam tranſtulerit*, ſed quia, ut notavit Noriſius laudatus, Plinius in lib. 4. epiſt. 9. narrat ſe defendiſſe in Senatu Julium Baſſum Proconſulem Bithyniæ, ſeque tunc Conſularem fuiſſe tradit illis verbis, *poſt duos, & Conſulares, & diſertos*, &c. nempe poſt ſemet & Lucceium Albinum. Hæc cauſa acta eſt anno Chriſti c i. At Senatûs decreto acta Baſſi in Bithynia reſciſſa ſunt. Ex lib. 10. epiſt. 64. & 65. cùm Plinius eſſet in Bithynia, jam elapſum erat biennium, ex quo acta Baſſi abrogata fuerant.

VIII. *Nec etiam anno Chriſti* c i i i.

Liquet ſecundò admittendam non eſſe Loydii ſententiam, qui exiſtimat Plinium menſe Septembri anni Chriſti centeſimi tertii Bithyniam ingreſſum, ibique manſiſſe uſque ad initium anni centeſimi quinti per menſes octodecim. Arbitratur enim Vir doctiſſimus, Plinium poſt Conſulatum cauſas Centumvirales non ampliùs egiſſe, *& omnibus advocationibus* renuntiaſſe, exceptis iis quas in Senatu agendas voluntate ampliſſimi Ordinis adactus ſuſceperit, & de rebus poſt ſuam Legationem à ſe geſtis, ante decimum Epiſtolarum ſuarum librum, variis in locis loqui. Verùm utrumque fundamentum Noriſius in literis ad me datis evertit, Pliniumque poſt Conſulatum cauſas Centumvirales agitaſſe oſtendit. Ex x x x v Tribubus Urbanis c v Judices eligebantur, terni ex ſingulis Tribubus, qui rotundo numero Centumviri dicebantur. Hi erant tum plebeii, tum ex ordine Equeſtri; ac Ovidius qui fuit Eques, non Senator, lib. 2. Triſtium ad Auguſtum de ſeipſo ait:

Nec malè commiſſa eſt nobis fortuna reorum
Uſque decem decies inſpicienda viris.

Fuerat enim Eques, & in cauſis Centumviralibus Judex. At Advocati, ac præſertim ætate Plinii, quo tempore cauſæ Centumvirales omnium erant celeberrimæ. Auctor Dialogi de Oratoribus, qui, ut ibidem ait, librum ſcripſit anno v i Veſpaſiani, paulò ante finem de ſe habet: *Quod majus argumentum eſt, quàm quòd cauſæ Centumvirales, quæ nunc* primum *obtinent locum, adeo ſplendore aliorum judiciorum obruebantur*, &c. nempe florente Cicerone. Et aliquantò ſuperiùs verſus initium Dialogi Aprum ita loquentem inducit: *Ego quidem, ut de meipſo fatear, non eum diem lætiorem egi, quo mihi latus clavus oblatus eſt, vel quo homo novus*, &c. *Quæſturam, aut Tribunatum, aut Præturam accepi, quam*, &c. *aut reum proſperè defendere, aut apud* Centumviros *cauſam aliquam feliciter orare*, &c. *Tum mihi ſupra Tribunatus, & Præturas, & Conſulatus aſcendere videor, tum abire.* Hinc Plinius lib. 6. epiſt. 12. advocationem ſuam promittit *Vettio Priſco, præſertim*, inquit, *in arena mea, hoc eſt, apud Centumviros.* Infima enim, media, ſumma ingenia ea ætate ex cauſis Centumviralibus laudem gloriamque captabant. Epiſt. 24. lib. 4. ait: *Proximè cum apud Centumviros in quadruplici judicio dixiſſem, ſubiit recordatio egiſſe me juvenem*, &c. Legenda tota epiſtola, ex qua patet eundem jam Prætorium, ac Conſulem egiſſe cauſas Cen-

tumvirales, cùm grandior eſſet ætate. Ibi ait: *Studiis proceſſimus*, (fuit enim Prætor ſub Domitiano ex epiſt. 16. lib. 7.) *Studiis periclitati ſumus*, (poſtremo anno Domitiani lib. 3. epiſt. 11.) *rurſumque proceſſimus*, nempe ſub Nerva ac Trajano Præfectus Ærario, dein Conſul. Ex quo conſtat eum Senatorem ac Prætorium virum (quod negari nequit) & Conſularem cauſas Centumvirales egiſſe. Ego quidem, ſubdit Noriſius, puto omnes epiſtolas librorum novem ſcriptas ante Legationem Bithynicam, cum homo ſui laudator nec ſemel in tot epiſtolis quicquam quod eam Legationem attineat, ſcripſerit.

Ceterùm rectè Loydio obſervatum, totum illud tempus Trajanum Romæ egiſſe, quo Plinius in Bithynia fuit. Quando intravit Provinciam, XV Kalend. Octob. tunc Trajanus fuit Romæ, unde Plinius petiit Menſorem mittendum, lib. 10. epiſt. 28. & 29. Trajanus autem reſpondit: *Menſores vix etiam iis operibus, quæ aut Romæ aut in proximo fiunt, ſufficientes habeo.* Poſtea cùm Architectum mittendum petiiſſet, Trajanus reſpondit lib. 10. epiſt. 48. & 49. *Ne exiſtimes brevius eſſe ab Urbe mitti, quàm ex Græcia etiam ad nos venire ſoliti ſunt.* Denuo cùm Libratore egeret, Trajanus ait: *Ego hunc aliquem tibi mittam*, lib. 10. epiſt. 50. & 51. Quando Plinius excuſat, quòd exemplaria edictorum non miſerat, *quia in ſcriniis tuis eſſe credebam*, lib. 10. epiſt. 71. Trajanus epiſt. 72. reſpondet ſe ea non habere; nec quicquam inveniri in commentariis eorum Principum qui ante ſe fuiſſent. Lib. 10. epiſt. 15. & 14. Plinius loquens de Legatione à Rege Sauromata Urbem petitura, protinus ait, nondum Legationem, ſed ad Trajanum Tabellarium miſſum eſſe. Lib. 10. epiſt. 82. Trajanus de Juliopolitanis Romam venientibus vult à Plinio præmoneri, *ſi in Urbem verſus venturi erunt, mihi ſcribes.* Quibus Baronii ſententia convellitur, noſtraque confirmatur. Certum enim videtur, currenti anno Trajanum in Dacia fuiſſe, anniſque C X, C X I, & initio inſequentis, quo Conſulatum ſextum iniit, ab Urbe non abfuiſſe. Quòd ſi quis contendat, relationem ſeu conſultationem Plinii, & ad hanc Reſcriptum Trajani Imp. de Chriſtianis, ante annum C X I miſſam fuiſſe, negare ille non poterit, eam ſaltem in Decennalibus Trajani ſcriptam eſſe, cùm Plinius locis ſuprà laudatis diſertè tradat, ſe bis hujuſmodi ſolennia in Bithynia celebraſſe.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5596. ☉ 28 A. ☽ 9. P. 9. APRIL. INDICT. I.
JESU CHRISTI 103. *ſecundùm Baronium* 105.
EVARISTI PAPÆ 9.
TRAJANI IMP. 6.

I. *Conſules.* COSS. *Trajanus Aug. V, & L. Appius Maximus II.*

Hic cum numerali nota ab Anonymo, quo uſus Cuſpinianus, editur, & in Inſcriptione Onuphriana dicitur, *Appius Maximus, bis Conſul, confector belli Germani*, ſcilicet Dacici. Ei itaque hic Conſulatus in præmium victutis datus. Mediobarbus cum Trajano V, Q. Meſſium Maximum profitetur, ſed ſine teſte.

II. *Quinquennalia Imperii Auguſtei Trajani.* Trajani Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam, ob Quinquennalia nempe Auguſtei Imperii, quæ cum priori ejus triumpho Dacico fuere conjuncta. Sed gravis noſtris diebus controverſia exorta, an Trajanus præſenti anno, ut hactenus creditum, vel inſequenti, hunc Conſulatum geſſerit. Mediobarbus in Numiſmatis Imperatorum Romanorum pag. 152. Noriſius in Epiſtola Conſulari pag. 64. & Fabrettus in Syntagmate de Columna Trajani cap. 9. quintum Trajani Conſulatum anno tantùm ſequenti geſtum contendunt fulti auctoritate trium Nummorum, in quibus Trajanus dicitur: TR. P. VII. IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. Sumſit Tribunitiam Poteſtatem ſeptimam Trajanus V Kal. Novembris anni centeſimi tertii, currentis nempe. Si itaque exeunte Octobri Trajanus adhuc Conſul V deſignatus erat, is Conſulatus nonniſi anno ſequenti ſuſceptus. Hoc Virorum eruditiſſimorum fundamentum.

III. *Quintus Trajani Conſulatus hoc anno geſtus.* Anno C I num. VI diximus, tria Trajani Numiſmata ab Antiquariis referri, in quibus is dicitur: TR. POT. VI. IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. quæ cuſa ſunt exeunte anno præcedenti & poſt diem V Kalend. Novemb. quo Trajanus Tribunitiam Poteſtatem VI ingreſſus. Quare ſi Faſti vulgares, quos hactenus omnes ſecuti, depravati non ſunt, Nummi hoc anno percuſſi hanc Inſcriptionem præferre debuere: TR. POT. VI. IMP. IIII. COS. V. ſed nullus Antiquarius aliquem cum hujuſmodi epigraphe huc uſque produxit. Indeque factum, ut Mediobarbus & Fabrettus exiſtiment, tres illos citatos, in quibus dicitur Trajanus: TR. POT. VI. IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. ad præſentem annum, non verò ad præcedentis finem referendos. Verumenimvero cùm Onuphrius, Scaliger, Baronius, Petavius, Cointius, aliique ſummi nominis Scriptores labyrintheis ſe aliiſque flexibus implicarint, quoties Faſtos ſollicitarunt, ab unanimi conſenſu veterum Auctorum, qui Chronica Faſtorum condidere, non videtur diſcedendum; cùm nunquam contigerit, ut in uno eodemque Conſulatu conſignando omnes errarint, licèt inter ſe non rarò diſſideant & diſcordent. In omnibus autem veteribus Faſtis quintus Trajani Conſulatus cum præſenti Chriſti anno connectitur, etiam in Anonymo mſ. quo uſus eſt Cuſpinianus, quique in Bibliotheca Cæſarea aſſervatur. Hic Auctor, cujus luculentum fragmentum Bucherius publicavit, biſſextiles annos, & ferias, quibus ſinguli incipiunt, annotat, ceteriſque Faſtorum conditoribus longè accuratiſſimus eſt. Quare cùm præſenti anno Conſulatum quintum Trajani exhibeat, non poteſt is ſine Chronologiæ damno in ſequentem annum differri. Præterea Mediobarbus, qui in Præfatione ſuæ Collectionis ait: *Sciant, me Faſtos ad fidem Nummorum accommodare, non Nummos ad fidem Faſtorum debuiſſe.* Tamen pag. 360. poſtquam retulit Galli Auguſti, qui ſecundum Imperii annum tantum delibavit, Numiſmata, inquit: *Etſi in Nummis Galli & Voluſiani* TR. P. IIII. *reperiatur, eoſque ex hac In-*

ſcriptione occiſos anno ſequenti (Chriſti nempe CC LIV) *dicendum eſſet; tamen cùm & nullus Hiſtoricorum ultra biennium eorundem Imperium extendant, & anni non ſuppetant, quibus poſſit augeri epocha eorundem, hac in parte potiùs Hiſtoricis & Chronologiæ ſtandum duxi, quàm Nummis.* At ſi in Imperio Galli ex Chronologiæ regulis deſcribendo Nummi deſerendi; cur in Imperio Trajani ad temporis rationem exigendo, iiſdem adhærendum? Quamobrem quemadmodum iis omnibus, qui in Imperio Galli juxta accuratam Chronologiam declarando Nummos Tribunitia Poteſtate IV notatos contemnere noluere, res infeliciſſimè ſucceſſit; contrà verò, qui antequam tot difficultates in ſerie Conſulum occurrentes, quæ inſuperabiles videbantur, complanatæ eſſent, eaſdem diſſimularunt, & tritam viam ſecuti ſunt, cautiùs ſeſe geſſere. Sic qui in Trajani Imperio chronologicè exponendo tribus præfatis Nummis Tribunitia Poteſtate VII, & Conſulatu V deſignato inſignitis adhæreſcere voluerit, Faſtos ſinè dubio perturbabit. Neque negari poteſt, quin artifices, ſi Gallo imperante, in Nummis cudendis errarunt, Trajano imperante, in ſimilem errorem induci potuerint. Profectò plura Trajani Numiſmata & Marmora extant, quàm aliorum Imperatorum, quæ aut dubia, aut confecta, vel quæ ex parte corrigenda veniunt, ut liquet ex illis, quæ Fabrettus in Syntagmate de Columna Trajani cap. 8. & 9. habet. Denique ſi Trajanus legitimo tempore Imperii Auguſtei Quinquennalia celebravit, non alio anno, quàm concurrenti Conſulatum capeſſiit. Unde donec major lux affulgeat, à vulgari Faſtorum diſpoſitione per Trajani tempora non recedendum.

IV. *Nummus Trajani ſuſpectus.*

Ex tribus Nummis, in quibus Trajanus dicitur: TR. POT. VII. IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. prior aſſervatur in Muſeo Coſpiano, alter in Muſeo Magnavaccæ, tertius in Gaza Regia. Priores duo certæ indubitatæque fidei ſunt. Sed ultimus difficultatem facere non debet. Hæc varia ejus fortuna. Cùm anno elapſo Pariſiis agerem, & manuſcripta Bibliothecæ S. Genovefæ percurrerem, in manus meas incidit Catalogus præcipuorum Numiſmatum, qui in Muſeo ejuſdem Monaſterii extant; quo in Catalogo ipſa Numiſmata delineata, & in uno Trajani hæc verba dicuntur deſcripta: TR. P. VIII. IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. P. P. Hinc ſtatim intuli, mirum non eſſe, ſi Monetarii Tribunitiam Poteſtatem VII Trajani cum ejus Conſulatu quinto deſignato, per errorem junxerint, qui Tribunitiam Poteſtatem VIII eidem illigarint; adiique Virum clariſſimum Carolum *du Molinet*, Bibliothecarium, non minùs humanitate, quàm eruditione præſtantem, ac rogavi, ut mihi hujuſmodi Numiſma oſtendere vellet. Reſpondit is poſſideri illud à V. C. Quenello, à quo Bibliotheca Genovefana aliqua manuſcripta habuiſſet. Cùm verò paucos poſt dies eum Nummum ad Gazam Regiam è Muſeo Quenelli tranſiiſſe accepiſſem, Verſaliam, ubi ea nunc aſſervatur, me contuli, ut illum videre & in examen vocare poſſem. Ibi tum à Rainſantio eidem Gazæ Præfecto eruditiſſimo, quàm ab Andrea Morellio, qui in Regiis Numiſmatis deſignandis totus eſt, quique eo opere abſoluto univerſæ rei nummariæ Collectionem tam diu deſideratam in lucem eſt editurus, ſingulari urbanitate exceptus ſum; propter tamen aliqua, quæ occurrêre impedimenta, Nummum videre non potui; ſed poſt aliquot hebdomadas Morellius Pariſios veniens illum ſecum detulit, ſignificavitque, ſe & Rainſantium non dubitare, quin hæc Inſcriptio, quæ in eo legitur: TR. P. VII. IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. P. P. ab aliquo imperito inſculpta Nummo fuerit; cùm antea in eo legeretur, S P Q R OPTIMO PRINCIPI, idque adeo verum eſſe, ut artifex oblitus fuerit delere duas ultimas litteras PI, quæ adhuc diſtinctè in Nummo apparent. Eſt autem æreus magnæ molis. Illum Vaillantius V. C. in tomo I. Selectorum Numiſmatum pag. 51. delineavit cum TR. P. VII. qui tamen perperam paulò pòſt ſcribit, extare in Muſeo Genovefano Trajani Nummum inſcriptum: TR. P. VIII. IMP. IIII, &c. quia ſcilicet Catalogum Numiſmatum in eo Muſeo extantium legens, eam epigraphen reperit, neque ei in mentem venit videre, an reapſe Nummo inſculpta eſſet, vel ſcriba in eo delineando peccaſſet.

V. *Duo Trajani Nummi explicatus difficiles habentes.*

Reſtant igitur tantùm duo Numiſmata, quorum unum, nempe Coſpianum, Noriſius; alterum verò qui eſt Magnavaccæ, Fabrettus examinarunt, & utrumque indubitatæ fidei eſſe concluſerunt, quæ Toinardus V. C. ſic explicanda cenſet. Tribuni plebis *IV Idus Decembris* creabantur, ut teſtatur Dionyſius Halicarnaſſenſis. Dio autem lib. 53. de Imperatoribus ſcribit: *Tribuniciam Poteſtatem, quanta unquam maxima fuit, accipiunt, & quia quotannis eam cum Tribunis plebis ejus anni renovant, annorum Imperii ipſorum hinc ſumma concipi ſolet.* Ex his infert Toinardus, Trajanum anno Chriſti XCVII, V. Kalend. Novemb. Tribunitia Poteſtate ornatum eſſe, ac IV Idus Decemb. ejuſdem anni cum Tribunis plebis Tribunitiam Poteſtatem renovaſſe, id eſt, Tribunitiam II numeraſſe. Quo pacto anno Chriſti CII, IV. Id. Decembris, cùm adhuc Conſul V deſignatus eſſet, Tribunitiam Poteſtatem VII inchoare potuit. Variis Nummis ſuam opinionem Vir doctiſſimus mihique amiciſſimus confirmat. v. g. in Nummo Latino Galbæ Imperatoris legitur: TR. POT. II. quem tamen certum eſt ſecundum Imperii annum non inchoaſſe. Is itaque juxta Toinardi conjecturam, Tribunitiam Poteſtatem ineunte menſe Aprili anni LXVIII ſuſcepit, eodemque anno, IV Idus Decemb. ſecundam Tribunitiam Poteſtatem ingreſſus eſt, occiſus menſe Januario inſequentis anni. Eo modo de multis aliis Numiſmatis, quæ germana eſſe conſtat, Toinardus diſcurrit. Sed quidquid de hac conjectura ſit, quæ ſuprà dixi, à vulgaribus Faſtis recedendum non eſſe demonſtrant.

VI. *Trajani prior triumphus.* Baron. ann. 103. num.

Trajanus hoc anno è Dacia Romam redux de Decebalo Dacorum Rege triumphavit, ut certum facit Nummus à Noriſio in Epiſtola Conſulari pag. 67. ex Theſauro Mediceo productus: IMP. CAES. NERVA. TRAJAN.

Aug. Germ. Dacicus. P. M. in poſtica: Tr. P. vii. Imp. IIII. Cos. V. P. P. S. C. Viſitur Imperator in curru; ſeu in quadrigis triumphans, qui dextrâ laurum, ſiniſtrâ ſceptrum tenet: quo Nummo prior Trajani triumphus ſine dubio ſignatus, & hoc anno, quo Tribunitiam Poteſtatem vii iniit, & Auguſtei Imperii Quinquennalia dedit, ductus. Animadverti enim, Imperatores poſt Veſpaſianum annis, quibus triumpharunt, Conſulatum cepiſſe, vel ſaltem triumphum cum Decennalibus & id genus feſtis conjunxiſſe. Quia verò *Maximus* belli Dacici confector fuit, ut num. I dixi, anno quo Trajanus triumphavit, ejus in Conſulatu Collega fuit, ut in partem aliquam triumphi veniret. Trajanum verò poſt debellatos Dacos plures colonias, non verò unicam deduxiſſe in Daciam rectè oſtendit Fabrettus in Syntagmate de Columna Trajani pag. 245. tam ex Inſcriptionibus, quàm ex Ulpiano J. C. in L. I. D. *de cenſibus.* quæ coloniæ vel in Quinquennalibus, vel in Decennalibus Trajani, ut moris erat, inſtitutæ; quod Virum eruditiſſimum fugit, qui nuſqam hujuſmodi feſtorum à Trajano celebratorum meminit. Hæc porro Inſcriptio, quam ipſemet pag. 288. ex Grutero refert, Quinquennalium Auguſtei Imperii Trajani indicium: Imp. Caesari. divi. Nervae. F. Nervae Trajano. Aug. Germanico. Dacico. Pontifici. Maximo. Tribunic. Pot. vii. Imp. IIII. Cos. V. P. P. tribus. xxxv. quod. liberalitate. optimi. Principis. commoda. earum. etiam. locorum adjectione. cumulata. sint.

VII. *Trajanus Dacicus appellatur.* Xyphilinus ex Dione lib. 68. narrato priori bello Dacico ait: *Trajanus de Dacis triumphavit, & Dacicus cognominatus eſt.* Et tamen Noriſius in Epiſtola Conſulari pag. 65. ait, extare in Gaza Medicea Nummum argenteum cum epigraphe: Imp. Caes. Nerva Trajan. Aug. Germ. & in averſa parte: Dacicus Cos. IIII. Viſitur Hercules ibidem dexterâ clavam, ſiniſtrâ ſpolium leonis tenens. Mediobarbus pag. 51. duos alios Trajani Nummos habet, in quibus is dicitur: Germ. Dac. P. M. Tr. P. Cos. IIII. P. P. qui, ſicut præcedens, anno elapſo percuſſi. Trajanus itaque Dacicus antequam triumpharet, appellatus. Sic Spartianus in Severo cap. 9. ait, hunc Imperatorem in priori bello Parthico recuſaſſe Parthici nomen: *Recuſavit & Parthici nomen, ne Parthos laceſſeret:* quod tamen in Nummis Severi tunc cuſis legitur. Immo idem Xyphilinus ex Dione lib. 68. poſtquam de victoriis de Parthis à Trajano reportatis locutus eſt, ait: *Tum verò multa decreta ſunt à Senatu, ſed in primis Optimus cognominatus eſt;* quod etiam Zonaras habet. Et tamen Plinius in Panegyrico anno Chriſti centeſimo dicto, cap. 88. inquit: *Juſtiſne de cauſis Senatus Populuſque Romanus Optimi tibi cognomen adjecit?* Extat apud Mediobarbum pag. 158. Trajani Numiſma inſcriptum: Imp. Cæs. Ner. Trajano optimo Aug. Ger. Dac. in poſtica: P. M. Tr. P. xiiii. Imp. VI. Cos. V. P. P. optimo Principi. Vides Trajanum diu ante Armeniam captam *Optimum* nominari; licèt tradat Dio illum poſt eam victoriam *Optimum* cognominatum. Quare ſicut cognomen *Optimi*, quod primis Imperii annis Trajano conceſſum, Senatus, poſt captam Armeniam, eidem rurſus confirmavit; ſic & Dacici cognomen, quod ardente bello Dacico, Trajano attributum, eidem poſt priorem triumphum à Senatu confirmatum.

VIII. *Poſterioris expeditionis Dacicæ epocha.* Ad num. I. Cùm Decebalus Dacorum Rex, præter conditiones fœderis icti multa ageret, bellum Trajanus adverſus illum iterum ſuſcepit, tuncque lapideum pontem ſuper Iſtrum fecit, cui cetera illius opera vix adæquari poſſunt. Pons, ut obſervavit Cuſpinianus in Auſtriæ Deſcriptione, in inferiori Baron. num. I. Pannonia, non procul à Canizza oppido ſitus erat. Dio pluribus eum deſcribit. Sed ejus conſtructio, & ſecunda in Daciam expeditio perperam hoc anno in Annalibus conſignatur. Exiſtimavi aliàs ſecundam expeditionem Dacicam ante annum c vi ſuſceptam non fuiſſe, quòd ſub illius anni Conſulibus Auctor Chronici Alexandrini ſcribat: *His Coſſ. gravi bello Romanis incumbente à Perſis, Gothis, & aliis gentibus Trajanus expeditione in hoſtes ſuſcepta, ſuis gratiam tributorum, quoad reverteretur, fecit.* Præterea Spartianus in Hadriano cap. 3. ſcribit de eodem: *Tribunus plebis factus eſt Candido & Quadrato iterum Coſſ.* Et ſtatim: *Secunda expeditione Dacica Trajanus eum primæ legioni Minerviæ præpoſuit, ſecumque duxit.* Illud collegium Conſulum ſignatur in Faſtis anno Chriſti c v. Quo anno cùm Hadrianus Romæ Tribunus plebis fuerit, altero anno c vi Legatus legionis ad bellum ſecundum Dacicum à Trajano ductus fuit. Tribunatus enim Magiſtratus annuus erat. Ex quo cum Noriſio in Epiſtola Conſulari pag. 67. inferebam, Hadrianum toto anno, quo illud munus geſſit, Romæ manſiſſe. Verùm poſtquam vidi Specimen Imperii Trajani à doctiſſimo Gulielmo Loydio ex Anglia ad me tranſmiſſum, non dubitavi, quin ea expeditio anno c v inchoata fuerit. Tribunatus enim plebis, ut ad me idem Vir clariſſimus ſcripſit, ſtante veteri Republica munus quidem annuum fuit; ſed Trajani temporibus etiam ſemeſtre fuiſſe Plinius lib. 4. epiſt. I v teſtatur. Imò forſan & bimeſtre fuit, ſicut Conſulatus. In veteri autem Republica quando Tribunis plebis ne unâ quidem nocte extra Urbem morari liceret, tamen ex Senatuſconſulto aut Plebiſcito tunc licebat quòvis proficiſci Reipublicæ causâ. Quantò magis nunc quando Tribuni omni munere vacarent, quando tantùm locum in Senatu supplerent, & ſibi ad majora gradum præſtruerent: præſertim à Principe juſſi, qui pro more horum temporum omnem populi Romani poteſtatem in ſe tranſtuliſſet. Sanè de Tribunis plebis in hujus ævi Scriptoribus tam pauca habentur, ut unius exemplum, qui Tribunatûs anno militavit, vix edere poſſimus. Sed Quæſtoris exemplum habemus in ipſo Hadriano Trajanum ad primum Dacicum bellum familiariùs proſecuto. Ædilem verò videmus Clodium Albinum *non ultra decem dies* munere defunctum, ut ait Capitolinus in Albino cap. 6. *Quòd ad exercitum feſtinanter mitteretur.*

Quidni

Quidni igitur Hadrianum etiam ab initio Tribunatus quarto Idus Decembris quarto aut quinto menſe Trajanus in Daciam feſtinans ſecum ducere potuerit, inquit Loydius? Auctoritas Chronici Alexandrini hac in re parvipendenda: exſcripſit enim Euſebium in Chronico, ubi eodem Chriſti anno uno tenore varia bella recitat, quorum aliqua, uti bellum Parthicum, ultimis Imperii Trajani annis geſta eſſe conſtat. Julianus in Cæſaribus ſcribit Trajanum *intra annos quinque* Getas ſubjugaſſe. Quare Romam rediit anno C VII aut C VIII, & ſecundum triumphum Dacicum Decennaliaque exhibuit, ut infrà dicetur. Loydius quidem ejus reditum in annum C IX differt; ſed cùm triumphi cum Decennalibus & id genus feſtis, ſi Imperatores Conſulatum non ſumerent, conjungi ſoliti eſſent, ei hac in re non adhæreo.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5597. ☉ 1 G F. ☽ 10. P. 31. MART.
INDICT. 2.
JESU CHRISTI 104. *ſecundùm Baronium* 106.
EVARISTI PAPÆ 10.
TRAJANI IMP. 7.

I. *Conſules.* COSS. *Sura II, & Marcellus.*

II. *Secundus Trajani triumphus, & Columna Trajana erecta.* Baron. num. I & II. Ad num. I. Cùm utrumque bellum Dacicum per annos ferme quinque durarit, ut jam diximus, Trajanus ſecundo bello Dacico confecto Romam non rediit, niſi exeunte anno Chriſti C VII, aut veroſimiliùs, anno Chriſti C VIII, quo Decennalia celebravit, & ſecundum triumphum Dacicum duxit. Patinus in Nummis Theſauri Mauroceni pag. 116. unum Græcum Trajani producit, in quo legitur: L. IA. id eſt, *anno undecimo*. Viſitur in eo Quadriga triumphalis. Superſunt quidem multa hujus Imperatoris Latina Numiſmata, quæ ad iſtum triumphum ſpectant; ſed cùm in eis annus Tribunitiæ Poteſtatis non exprimatur, incertum quo anno illi cuſi. Gruterus pag. C X C. 4. exhibet Inſcriptionem Trajani, in qua is dicitur: GERMANICUS. DACICUS. PONTIF. MAXIM. TRIB. POTEST. XII. IMP. VI. COS. V. P.P. OPERIBUS. AMPLIATIS. RESTITUIT. Sumta Tribunitia Poteſtas XII à Trajano quinto Kalend. Novemb. anni Chriſti C VII. Quare anno C VIII dictus is Imperator VI occaſione ſecundi triumphi Dacici ac Imperii Auguſtei Decennalium, in quibus præcedentes victoriæ de more renovatæ, & opera publica, ut etiam moris erat, ampliata. Quoad Columnam Trajanam, quæ etiamnum Romæ viſitur, & cujus hoc anno Nummum exhibet Baronius, in quo Conſulatus tantùm ſextus exprimitur, præſenti anno non erecta; cùm Trajanus anno tantum C XII Conſulatum ſextum inierit. Et itaque anno tantùm C XIII Trajano polita, ut legitur in baſi ejuſdem Columnæ in medio Foro Trajani. SENATUS. POPULUSQUE. ROMANUS IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F. NERVAE TRAJANO. AUG. GERM. DACICO. PONTIF MAXIMO. TRIB. POT. XVII. IMP. VI. COS. VI. P. P. AD. DECLARANDUM. QUANTAE ALTITUDINIS MONS. ET. LOCUS. TANTIS RUDERIBUS. SIT. EGESTUS

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5598. ☉ 2 E. ☽ 11. P. 20. APRIL. Olymp. 221.
INDICT. 3.
JESU CHRISTI 105. *ſecundùm Baronium* 107.
EVARISTI PAPÆ 11.
TRAJANI IMP. 8.

I. *Conſules.* COSS. *Ti. Julius Candidus II, & A. Julius Quadratus*, ex Inſcriptione Onuphriana. Mediobarbus pag. 153. C. Julium Candidum II, & C. Numid. Quadratum profitetur. Sed neſcio unde id acceperit. In veteri enim Inſcriptione apud Sponium in Itinerario Athenienſi legitur: Γαιον Αντιον Ιούλιον, Αύλου υἱὸν Κουαδρᾶτον, δὶς ὕπατον, Ἀνθύπατον Ἀσίας, &c. id eſt, *C. Antium Julium, Auli filium Quadratum, Conſulem iterum Proconſulem Aſiæ*, &c. Additur, *ex auctoritate Imp. Nervæ Trajani Cæſ. Aug. Germanici, Dacici, Provinciæ Syriæ*, &c. adeo ut indubitatum ſit, ſermonem hìc eſſe de Quadrato hoc anno Conſule, aliis poſtea dignitatibus exornato.

II. *Bellum Parthicum.* Baron. num. I. Ad num. I. Bellum *Parthicum* anno tantùm Chriſti C XII inchoatum; cùm Trajanus in Nummis *Parthicus* non dicatur, niſi poſt Conſulatum ſextum, quem eo Chriſti anno ſuſcepit. Noriſius in Epiſtola Conſulari pag. 72. profert ex Gaza Medicea inſigne Numiſma Trajani cum epigraphe: IMP. CAES. NERVAE TRAJANO AUG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. & in poſtica: PROFECTIO AUG. S. C. Ibidem viſitur Imperator eques milite ſcutato præeunte, tribus aliis haſtatis ſubſequentibus. Hinc, inquit Noriſius, ante ſextum Conſulatum, qui in Nummis obſignatur, in Orientem non tranſmiſit. Sed cùm ultimis Imperii Trajani annis is Nummus percuti potuerit, & de facto à Mediobarbo cum anno Chriſti C XVI copuletur, certus inde annus deduci non poteſt. Nec eſt quòd quis dicat, malè cum eo anno à Mediobarbo conjungi; cùm Trajanus non Parthicus, ſed Dacicus tantùm in eo nuncupetur. Nam in Nummis ſæpe antiqui tituli Imperatorum ſervati, novi verò neglecti. Sic in Portu Anconæ à Trajano ædificato extat Inſcriptio ab Onuphrio anno Urbis DCCC LXIX recitata, cujus initium: IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F. NERVAE. TRAJANO. OPTIMO. AUG. GERMANIC. DACICO. PONT. MAX. TR. POT. XVIIII. IMP. IX. COS. VI. P. P. &c. Et tamen jam tum Parthicus in Nummis & Inſcriptionibus de more Trajanus dicitur. Standum itaque alteri argumento à Noriſio ibidem allato. Obſervat Vir doctiſſimus Trajanum bello Parthis illato, cùm Athenas appulſiſſet, Legatos Parthorum Regis illic cum muneribus conveniſſe, teſte Dione lib. 68. rogantes ut delatum Parthamiſiri Armeniæ regnum ratum haberet. Trajanus repudiatis muneribus, reſpondit ſe cùm primùm in Syriam advenniſſet, facturum omnia, quæ fieri pareſſet. Athenienſes, quo præſentis Imperatoris gratiam magis emererentur, Hadrianum ejuſdem conſobrinum Archontem crea-

runt, ex Phlegonte cap. 25. de Mirabilibus, ſcribente mulierem Romæ edidiſſe maſculum bicipitem, qui monitu poſtea Aruſpicum in Tiberim projectus fuit: *Athenis*, inquit, *Archonte Hadriano, qui Imperator factus eſt: Conſulibus Romæ Imperatore Trajano VI, & Tito Sextio Africano.* Cujus Magiſtratûs anno Chriſti c XII Hadriano delati nulla ratio aſſignari poteſt, niſi ejuſdem cum Trajano adventus Athenas.

III. *Bellum Parthicum poſt annum* c XII *ſuſceptum.*

Sed Dio loco laudato aliam rationem ſuggerit, quæ mihi rem evincere videtur. Poſtquam is de ultimo bello Dacico locutus eſt, ait: *Bibliothecas extruxit, ac in foro* [*ſuo*] *Columnam maximam collocavit, partim ſepeliendi ſui causâ, partim ut opus quod ipſe circa forum fecerat, poſteris oſtenderet. Nam cum locum montoſum, quanta eſt altitudo columnæ, perfodit, forumque eo pacto complanavit. Poſt hæc bellum intulit Armenis Parthiſque, propterea quòd* (*ut ipſe dicebat*) *Rex Armeniorum non ab ſe, ſed à Rege Parthorum diadema accepiſſet: ſed revera id bellum ſuſcepit adductus gloriæ cupiditate.* Victor de Cæſaribus de Trajano ait: *Adhuc Romæ à Domitiano cœpta Fora, atque alia multa magnificè coluit, ornavitque.* Alter verò Victor de Trajano ſcribit: *Hujus exuſti corporis cineres relati Romam, humatique Trajani Foro ſub ejus columna:* quod & Eutropius habet. Cùm itaque Trajani Columna in eo Foro anno Chriſti c XIII exeunte erecta fuerit, illud anno antecedente, nempe c XII, Trajanni Quindecennalibus nobilitato dicatum fuit. Mediobarbus pag. 100. Trajani Nummum refert, in quo legitur: IMP. TRAJANUS AUG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. in poſtica: FORUM TRAJANI. Repræſentantur ædificium pulcherrimum & Quadrigæ triumphales. Quod Forum in alio ibidem Nummo ſexto etiam Conſulatu notato memoratur. Mediobarbus utrumque Nummum cum anno Chriſti c XIV conjungit. Sed cùm Trajani Columna in eo anno Chriſti c XIII collocata fuerit, nullus dubito, quin ea dedicatio anno c XII peracta fuerit; quod & præfatæ Quadrigæ indicant. Annis enim Decennalibus & id genus feſtis addictis annorum præcedentium victoriæ, triumphi, aliaque id genus rurſus Nummis inſculpta, & dedicationes de more factæ. Ammianus lib. 16. cap. 10. de Conſtantio Auguſto Romam inviſente loquens ait: *Verùm cùm ad Trajani forum veniſſet, ſingularem ſub omni cælo ſtructuram, ut opinamur, numinum aſſenſione mirabilem hærebat attonitus, per giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles*, &c. Unde non mirum, ſi Nummis inſcriptum fuerit. Columnam verò Trajanam Imperatore Tribunitiam Poteſtatem XVII gerente poſitam in eo Foro fuiſſe, liquet ex epigraphe anno proximo à nobis relata. Quare, cùm teſte Dione Trajanus in Parthos non moverit, niſi poſt Forum à ſe conditum ac dedicatum, & prædictam Columnam erectam, bellum illud poſt annum c XII, quo Trajanus Conſulatum VI & Tribunitiam Poteſtatem XVI iniit, certiſſimè ſuſceptum.

IV. *Geſta in Oriente à Trajano.*

Trajanus, relictis Athenis, *Aſiam, Ciliciamque finitimis cum Provinciis peragravit; ac Seleuciam appulit. Antiochiæ cùm eſſet, Augarus Oſroënus ei munera & Legatos cum mandatis ab amicitia non alienis miſit.* Quæ ad annum c XII referenda. Anno inſequenti Trajanus in fines hoſtium pervenit, ac *cepit cuncta, nullo facto prælio: dein Satala & Elegiam, quæ ſunt urbes Armeniæ, profectus, Heniochorum Regem honore affecit, & Parthamiſirem Regem Armeniorum punivit: captâque Armeniâ totâ, Reges, qui deditionem fecerant, habuit in numero amicorum.* Quæ ad annum c XIII & c XIV pertinent. Trajanus *ad oppidum Armeniæ Elegiam Parthamiſiridi copiam adeundi ſui fecit.* Hic *diadema capiti detraxit*, & ad Trajani pedes poſuit. Quo facto milites clamorem unà ſuſtulerunt, *ac Trajanum tanquam in victoria quadam Imperatorem* appellarunt, ut teſtatur Dio, qui addit, Trajanum Parthamiſirim quidem dimiſiſſe, ſed Armeniam retinuiſſe. Trajanus dum gerit Tribunitiam Poteſtatem XVII, Imperator VI dicitur, ut videre eſt in Inſcriptione ſuperiori anno relata, nec Imperator VII dicitur, niſi quando gerit Tribunitiam Poteſtatem XVIII, ut liquet ex duabus Inſcriptionibus apud Fabrettum in Syntagmate de Columna Trajani pag. 293. ex quibus unam refero:

IMP. CAESAR. DIVI. NERVAE. F. NERVA. TRAJANUS. OPTIMUS. AUG. GERMANICUS. DACICUS. PONTIF. MAX TRIBUNIC. POTEST. XVIII. IMP. VII. COS. VI. P. P SACRARIA. NUMINUM. VETUSTATE. DILAPSA. RESTITUIT.

Tribunitiam Poteſtatem XVIII die v Kalend. Novemb. anni c XIV Trajanus ſuſcepit; ideoque eo Chriſti anno exeunte vel inſequenti incipiente, Trajanus Imperator VII dictus. Eo autem Tribunitiam Poteſtatem XVIII gerente, bellum maximè exarſiſſe colligo ex Inſcriptione ibidem à Fabretto deſcripta, in qua Trajanus dicitur: TRIB. POT. XVIII. IMP. VIII. COS. VI. vel, TRIB. POT. XVIII. IMP. VIIII. COS. VI. P. P. Tunc itaque Trajanus Edeſſam venit, cui adventanti cùm Augarus Rex obviàm profectus eſſet, ſeque purgaſſet, veniam conſecutus eſt. Inde in Meſopotamiam & Adiabenem venit, & Singara ac alia quædam oppida citra pugnam ullam operâ Luſii ducis cepit. *Tum verò multa Trajano decreta ſunt à Senatu, ſed inprimis Optimus cognominatus eſt.... Ad hæc Niſibi, Batniſque captis, Parthicus cognominatus eſt.... dum moraretur Antiochiæ, terræ motus factus eſt*, &c. inquit Dio lib. 68. Quare cùm terræ motus ille, ut ſuo loco oſtendam, exeunte anno Chriſti c XV contigerit, nullus dubito, quin eo anno Niſibis & Batnæ expugnatæ fuerint, Trajanus *Imperator VIII & VIIII*; ac præterea *Optimus* & *Parthicus* dictus fuerit. Fabrettus citatus pag. 292. ait, in nullo vel Marmore vel Nummo non ſuſpecto titulum PARTHICI ante XIX Trib. Pot. reperiri, & omnia certiora monumenta hac *Parthici* nuncupatione deſtitui, quod & obſervavit doctiſſimus Aſaphenſis Epiſcopus in Specimine Imperii Trajani à ſe in lucem edendo, quod ad me ex Anglia tranſmiſit; licèt, cùm illud compoſuit, Fabretti Opus non vidiſſet. A neutro itaque diſcedendum, exiſtimandumque titulum Imperatoris IX Trajano attributum anno

Chriſti c x v poſt diem v Kalend. Novembris, quo Tribunitiam Poteſtatem x i x capeſſiit. Quoad cognomen *Optimi*, Fabrettus pag. 293. inſcriptionem exhibet dicatam, IDIBUS. JANUARIS. L. VIPSTANO MESSALLA. M. PEDONE. COSS. anno C. c x v, in qua *OPTIMI* vox pro cognomine, non verò laudationis loco accipienda videtur: & pag. inſequenti obſervat, appellationem *Parthici* cum alia *Optimi*, ſeu ΑΡΙΣΤΟΥ in Græcis ſemper copulatam procedere. Hæc ad varia Annalium loca reſtituenda explicare neceſſe fuit.

V. *Expeditio Arabica.*

Dio lib. 68. narrato utroque bello Dacico, ait: *Per id tempus Palma Præfectus Syriæ cepit eam Arabiæ partem, quæ Petram attingit, redigitque in ditionem populi Romani.* In Collectaneis Græcis apud Scaligerum pag. 341. prius bellum Dacicum illigatur anno primo Olympiadis c c x x, qui menſe Julio anni Chriſti c i inchoatur: victoria verò Palmæ de Arabibus Petreis, anno ſecundo ejuſdem Olympiadis. Quare Palma anno Chriſti c i i i, quo annus ſecundus Olympiadis c c x x adhuc in curſu erat, adverſus Arabes Legatus, iique non multò poſt debellati. Auctor enim Chronici Alexandrini ſub Candidi & Quadrati Conſulatu hoc anno geſto, hæc habet: *Petrei, & Boſtreni ab hoc anno ſuam Eram inchoant.* Quare eo anno vel antecedenti in Romanorum poteſtatem redacti. Quæ cùm apud me certa eſſent, non parum turbatus ſum, lecta Nummi Græci Trajani inſcriptione, à Patino V. C. in Theſauro Numiſmatum Mauroceniano relata, in qua legitur: ARABIA. L. IT. id eſt, *anno X I I I.* Ait Patinus, in Nummo cerni figuram ſtantem. Quo pacto, Arabia anno c x acquiſita fuiſſet. Unde Fabrettus, (qui tamen Nummum illum non viderat) pag. 290. putat Palmam anno c i x Conſulatum conſecutum ob Arabicam expeditionem tunc tandem per eundem confectam, & Trajano novum Imperatorium titulum, nempe V I, quæſitum fuiſſe. Quæ cùm mihi minimè probarentur, & tamen præfata Inſcriptio à Patino relata negotium faceſſeret, dubium meum ad Toinardum V. C. ſcripſi, qui reſpondit, ſe illud ad Vaillantium in Numiſmatographia verſatiſſimum retuliſſe, cumque ſibi dixiſſe, Patinum Hadriani Nummum Trajano per errorem attribuiſſe: penes ſe enim, aliàs fuiſſe Hadriani Nummum, in quo eadem Inſcriptio inſculpta. Impliciti nodi enucleata explicatio; cùm Hadrianus x i i i Imperii ſui anno Arabiam peragrarit, ut ſuo loco dicam. Hinc intelligere eſt, quantum obſint eruditioni Antiquarii, dum quæ in Nummis & Inſcriptionibus habentur, non ſatis accuratè deſcribunt, & quod pejus, aliquando corrumpunt correctionis prætextu, ne quidem Lectores monendo quid in eis immutarint. Cùm itaque in Nummo Mauroceniano, Trajanus Hadrianus legatur, ut in infinitis aliis, Patinus illum Trajano aſſignavit. Quod tacendum non fuit, ne alii in errorem inducantur.

V I. *Bellum Dacicum.*

Secundum bellum Dacicum hoc anno cœptum, & duobus ſequentibus continuatum, ut oſtendi anno c i i i.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5599. ☉ 3 D. ☽ 12. P. 5. APRIL.
INDICT. 4.
JESU CHRISTI 106. *ſecundùm Baronium* 108.
EVARISTI PAPÆ 12.
TRAJANI IMP. 9.

I. *Conſules.*

COſs. *L. Ceionius Commodus Verus, & L. Tutius Cerealis*, ex Onuphrio.

II. *Varii populi à Trajano victi.* Baron. num. 1.

Ad num. II. Euſebius in Chronico, ad annum v Trajani hæc habet: *Trajanus, victo Rege Decebalo, Daciam fecit Provinciam: Iberos, Sauromatas, Oſroënos, Arabas, Boſphoranos, Colchos in fidem accepit: Seleuciam, Cteſiphontem, Babylonem occupavit & tenuit. In mari Rubro, claſſem inſtituit, ut per eam Indiæ fines vaſtaret.* Baronius non animadvertens, Euſebium belli Dacici occaſione de aliis à Trajano ſequentibus annis geſtis agere, & quæ ad varios annos pertinent, uno tenore, ut plurimùm, recitare, hæc hoc anno conſignavit. Et tamen Dacia anno Chriſti c v i i i in Decennalibus Trajani Provincia facta, aliæque victoriæ à Trajano ſextùm Conſule reportatæ, ut anno præcedenti inſinuavimus, magiſque infrà explicabitur.

III. *Martyres ſub Trajano in Oriente agente.*

Ad num. III. Martyrium S. Romuli & militum Chriſtianorum à Trajano, dum in Oriente eſſet, morti addictorum, ante annum centeſimum duodecimum, quo is Imperator in Orientem tranſmiſit, ut anno præcedenti probavimus, contingere non potuit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5600. ☉ 4 C. ☽ 13. P. 28. MART.
INDICT. 5. Anno Urbis 860.
JESU-CHRISTI 107. *ſecundùm Baronium* 109.
EVARISTI PAPÆ 13.
TRAJANI IMP. 10.

I. *Conſules.*

COſs. *C. Soſio Senecio I I I I, & L. Licinio Sura I I I.* Ita Onuphrius ex Figlina & Caſſiodoro. Suram etiam tertiùm Conſulem Auctor Chronici Alexandrini profitetur, indeque liquet hunc anno c i v cum nota numerali i i proponi debuiſſe.

II. *Decennalia Imperii Proconſularis Trajani.*

Decennalia Imperii Proconſularis uno anno dilata Trajanum exhibuiſſe indicant uterque Conſul ea dignitate aliàs exornati, & perſecutio Chriſtianorum, quæ ita aucta eſt, ut ab hoc anno Euſebius in Chronico tertiam Eccleſiæ orſus fuerit.

III. *Martyrium Ignatii Epiſcopi Antiocheni.*

Ad num. II. Euſebius in Chronico ſub anno decimo Trajani, tertiam perſecutionem conſignans ait, in ea & *Symeonem* Cleophæ Hieroſolymorum Epiſcopum, & *Ignatium* Antiochenum Antiſtitem paſſos eſſe: hincque factum, ut omnes S. Ignatii martyrium, vel cum hoc, vel cum ſequenti anno conjunxerint. Verùm Euſebius Epitomatorum more variis annis geſta uno tenore recitavit. Nam infrà demonſtrabimus, Trajanum ante annum centeſimum duodecimum in Orientem profectum non eſſe; ideoquè & ante eum

annum hoc martyrium contingere non potuit; cùm, Trajano Antiochiæ exiſtente, Ignatium ad eum adductum Acta ejus referant. Quæſtio igitur eſſe poteſt, an Ignatius Trajano & Africano Coſſ. ut vult Marianus Scotus in Chronico, ſcilicet anno Chriſti c x i i, Romam perductus fuerit, ibique beſtiis traditus, an verò anno tantùm centeſimo decimo quinto morte affectus fuerit, ut Joannes Malela Antiochenus ab Uſſerio in Notis ad Acta S. Ignatii citatus inſinuat. Ait enim Malela in Chronico: *Agebat in ea Urbe Trajanus Imperator, quando divina illa erupit ira. Martyrium verò paſſus tunc ſanctus eſt Ignatius civitatis Antiochenæ Epiſcopus: indignatione enim in illum commotus eſt, quòd ipſum convicio affeciſſet.* Loquitur is Auctor de terræ motu Antiocheno, quem menſe Decembri anni Chriſti centeſimi decimi quinti accidiſſe narrat, eo tempore, quo Trajanus Antiochiæ hiemabat. Cùm verò anno inſequenti, verno tempore, Trajanus in Parthos moverit, Actaque S. Ignatii referant, Trajano in Parthos movente, illum Romam perductum eſſe, Ignatii martyrium quod die vigeſima menſis Decembris, ut mox oſtendetur, contigit, ad annum c x v i potiùs referendum. Verum eſt in eodem Malelæ Chronico legi: *Ex Daphne proceſſit Imperator, & per viam Chriſeam ſive Daphniticam intravit Antiochiam Syriæ, coronam capite geſtans ex olivarum ramuſculis contextam menſe Audynæo ſive Januario, die ſeptimo, feriâ quintâ, horâ quartâ matutinâ.* Qui character, inquit Uſſerius in Notis ad Epiſtolas S. Ignatii, ubi locum illum refert, indicat annum c v i i, quo dies v i i Januarii in feriam quintam incidit. Sed cùm poſt annum centeſimum duodecimum, quo Ignatium paſſum, certum videtur, dies vii Januarii & feria quinta in toto Trajani Imperio non concurrant, non dubito, quin error in numeros irrepſerit. *Joannes Fellus* Epiſcopus Oxonienſis nuper defunctus, Joannis Malelæ Chronicon ex Typographia Sheldoniana edendum ſuſceperat; ſed poſtquam comperit, Auctorem fuiſſe nullius judicii, & librum fabulis ſcatere, noluit eum edendo, tum prælo, tum operâ ſuâ abuti: Liber tamen non eſt nihili. Habet quædam præclara, præcipuè in ea parte Hiſtoriæ, quæ ad ſua tempora pertingebat. Vixit autem ſub Magno Juſtiniano, & videtur anno ejus x x v aut circiter, ſcribere deſiiſſe. Ita clariſſimus Guilielmus Loydius Epiſcopus Aſaphenſis, è Secta Proteſtantium, vir ſolidiſſimi criterii. Chronicon illud adhuc ineditum cùm videre non potuerim, ad Loydium ſcripſi, qui non tantùm quæ de eo martyrio in eo habentur, mihi deſcribenda curavit; ſed & mihi ſuam de illo ſententiam indicavit.

IV.
Geſta à Trajano ante martyrium S. Ignatii.

Suppono, inquit, illud eſſe verum, quod tum omnes Veteres docent, tum præſertim Acta martyrii, Ignatium paſſum ſub Trajano Imp. poſt Dacicum bellum confectum; & eo potiſſimùm tempore quando ipſe Trajanus Antiochiæ fuit, in expeditione adverſus Parthos, ſive Perſas: tunc à Trajano Antiochiæ damnatum, & poſt aliquandiu Romæ paſſum fuiſſe. Dacicum bellum à Trajano confectum anno Chriſti c v i i i exiſtimo. Anno autem Chriſti c xii ad bellum adverſus Parthos gerendum Trajanum Romà profectum probavi iis argumentis, quibus non video quid poſſit opponi. Cùm ea æſtate fuerit Athenis, & inde in Aſiam profectus ſit, teſte Dione pag. 778. D. cum Phlegonte & Nummis collato, puto ex Aſia moviſſe menſe Octobri, idque Antiochiæ auditum Joanni Malelæ Auctori occaſionem dediſſe tradendi, Româ profectum Trajanum menſe Octobri anni x v Imperii ſui, [repono I E pro I B, ut Malela cum ſeipſo conveniat:] dein menſe Decembri [x v i Imperii] veniſſe Seleuciam; & [c x i i i Chriſti] Januarii die v i i die Veneris Antiochiam veniſſe [hîc itidem repono ϛ pro Ε, die Veneris pro die Jovis.] Hæc vera eſſe poſſunt, ſunt ſaltem veroſimilia: ad meam autem de morte S. Ignatii ſententiam nihil faciunt, nec officiunt. Hoc anno Chriſti c x i i i puto Trajanum in hoſticum progreſſum, ea, quæ Dio pag. 779. D. narrat, *Samoſatis*, &c. feciſſe, dein anno Antiocheno c l x i i & x v i i Imperii, in Armenia hibernaſſe. Annum noto Antiochenum Malelæ causâ. Anno Chriſti c xiv Armeniæ omnia reliqua in ſuam poteſtatem redegiſſe, & *Parthamiſiri* cum adorante Imp. VII. audiiſſe, & eâ Provinciâ conſtitutâ anno Antiocheno c l x i i i, x v i i i Imperii *Edeſſæ* hibernaſſe. Anno Chriſti c xv Meſopotamiam & Adiabenem ſuæ ditionis feciſſe, Imp. VIII & VIIII acclamatum fuiſſe. Demum anno Antiocheno c l x i v, & x i x Imperii ſui, *Antiochiam* rediiſſe, poſt integrum biennium, & quod excurrit. Ita enim intelligo illa Malelæ verba, quando ait, *biennio poſt Trajani in Orientem profectionem terræ motum contigiſſe.* Antiochia Romanis fuit Oriens: Malelæ autem homini Antiocheno Oriens fuit majoris Aſiæ Provincia.

V.
S. Ignatius anno c xvi martyrium ſubiit.

Terræ motum Malela nos docet contigiſſe die x x i i i Decembris. Dio pag. 782. D E. ait ex eo Trajanum ægrè evaſiſſe, poſtea multos dies urbis reliqua trepidaſſe, Trajanum interea ſub dio in Circo ſe tenuiſſe. Quid agentem putemus? Victor in Epitome nos docebit: *Terræ motus gravis, atroxque peſtilentia, fameſque & incendia facta ſunt, quibus omnibus Trajanus per exquiſita remedia opitulatus eſt.* Proculdubio ea ſedulò procuravit, quibus ira Deûm maximè avertenda fuit. In quibus nihil antiquius habuerunt Dæmonia quàm Chriſtianorum excidium, quibus omnes publicas calamitates deberi perſuaſerant cultoribus ſuis. Hoc de omnibus ejuſmodi caſibus oſtendit S. Cyprianus in libro ad Demetrianum. Hoc præcipuè de terræ motu Dodwellus meus Diſſert. Cyprianica x i, §. x x x i v. Eò magis veroſimilia exiſtimo, quæ habet Joannes Malela de S. Ignatii martyrio, quod evenit hoc tempore, & hac occaſione. Vix fieri potuit, quin ob hanc cauſam Epiſcopus Chriſtianorum, quiſquis ille fuiſſet, ab Ethnicis Trajano ſiſteretur. Unde ab eo interrogatum & falſum oportuit puniri, ſecundùm ſua reſcripta (Plinius lib. 10. epiſt. 98.) Hero autem S. Ignatii ſucceſſor viginti annis Cathedram tenuit, & diu Trajano ſuperſtes fuit. Non igitur tunc temporis (auſim dicere) Hero Epiſcopus fuit, ſed ipſe S. Ignatius. Hoc rationi eſt maximè conſentaneum, & hoc di-

ſertè aſſerit Joannes Malela; cui certè idem Auctor, qui annum terræ motûs rectè tradidit, æquè rectè Ignatii martyrium tradere potuit. Neque tamen confeſtim S. Ignatius martyrium perpeſſus eſt, ſed poſtquam Trajano illi pravam ſuperſtitionem objicienti, ille viciſſim idololatriam increpuiſſet, (quod indicat Malela) tunc ab eo damnatus, & poſtea perſeverans, ductus eſt, primùm Seleuciam unà cum Ruſo & Zoſimo; dein mari aperto Smyrnam navigavit. Ibi aliquanto detentus (& forſan juſſu Trajani) ad ejus conſtantiam frangendam, quod ait diſertè Chryſoſtomus Orat. ad Antiochen. tom. 5. pag. 502. edit. Savil. Ibi certè die XXIV Auguſti ad Romanos Epiſtolam dedit. Inde Troadem, illinc Neapolim; &c. Demum, ut nos Acta docent, Romam delatus; ibi martyrium complevit, in Sigillaribus, videlicet XIII Kalend. Januarias anni Chriſti CXVI.

VI. *Quo anno S. Symeon Cleopa martyrium paſſus ſit.*

Baron. n. I.

Hoc eodem anno etiam S. Symeonem Cleopæ, Hieroſolymorum Epiſcopum, paſſum oſtendit Dodwellus meus Diſſert. Cypr. XI, §. XXI. Rationes, quas profert, meis ſunt ſatis conſentaneæ. Ille ait, S. Symeonem ob motum Judaïcum accuſatum, idque potius quòd ex ſtirpe Davidica, quàm quòd eſſet Chriſtianus. Mihi videtur veroſimile motum illum Judaïcum hinc originem traxiſſe, quòd terræ motus, &c. procurarentur eorum ſanguine æquè ac Chriſtianorum. Noſtram quippe Religionem iis temporibus pro Judaïſmo à Gentibus habitam fuiſſe, tum ex Dione in Domitiano & in Nerva, tum aliunde conſtat. De tempore ſatis patere videtur, quòd S. Symeon, aiente Hegeſippo apud Euſeb. lib. 3. cap. 32. *coram Trajano Cæſare & Attico Conſulari fidem Chriſti conſtanter profeſſus ſit.* Hunc Atticum Syriæ Legatum, Conſularem fuiſſe non dubito. Græca autem S. Ignatii Acta ejuſdem Attici meminerunt [quidni Conſularis?] & Urbani & Marcelli [fortè Conſulum ſuffectorum. Non abſonum eſt Conſulatum ſuffectum Româ abſentes geſſiſſe. Hi ſanè Antiochenis notiores fuiſſe videntur, quàm anni Chriſti CXVI novi Conſules ordinarii.] Anno CXVI hæc geſta fuiſſe oſtendit, quòd *coram Trajano*, qui antea ſemel tantùm fuit Antiochiæ, & nunc primùm hoc ex terræ motu irritamentum habuit adverſùs Chriſtianos. S. Symeonem autem ſenem CXX annorum, quòd minùs idoneus eſſet qui Romam mitteretur, non abſimile eſt Antiochiæ paſſum. Sin autem paſſus fuerit Aprilis XXVII, quem ejus Natalem habent Græci in Menæis ſuis, eadem tempeſtate Trajanum in hoſticum diſceſſiſſe, ideoque tunc temporis hunc occiſum, & S. Ignatium Antiochiâ Seleuciam miſſum fuiſſe crediderim. Hæc eruditiſſimus Loydius, quibus in utroque martyrio nihil veroſimilius afferri poteſt. Illud certum, Ignatium poſt annum Chriſti CXII, ac poſt inchoatum à Trajano bellum Parthicum, morte affectum eſſe, & quidem die XX Decembris, ut non tantùm ad eum diem habent Menæa, ſed etiam Acta Græca martyrii ejus. Denique Marianus Scotus in Chronico anno penultimo Trajani, Ignatium Antiochenum Romæ paſſum ſcribit, quamquam ſub Trajano VI & Africano Coſſ. id eſt, anno Chriſti CXII, jam eum Romam ductum, & beſtiis traditum ſcripſiſſet.

VII. *Epiſtolæ S. Ignatii.*

Baron. num. XIX, & ſeqq.

Ad num. IV. Epiſtolæ S. Ignatii Martyris noſtro ſeculo in magnam controverſiam vocatæ. Et quidem ex Proteſtantibus Salmaſius, Blondellus & Dallæus eas omnes adulterinas eſſe contendunt; Uſſerius verò, Pearſonius hoc anno MDCLXXXVI demortuus, ac Iſaacus Voſſius pro iiſdem pugnant, & pleraſque ex iis ſinceras eſſe docent. Ait enim Pearſonius in Vindiciis Epiſtolarum S. Ignatii, ingens diſcrimen verſari inter tres Latinas, & duodecim Græcas; ac illas, quarum una ad B. Mariam, duæ aliæ ad S. Joannem Apoſtolum, ſuppoſititias eſſe, tùm quòd Græcis omnibus fuerint incognitæ, neque Græciſmum omnino redoleant; tum quòd in vetuſtiſſimis vulgatæ verſionis Mſſ. Codicibus non inveniantur. Addit Pearſonius, nè ipſas quidem Græcas duodecim, quas Baronius amplectitur, & incorruptas exiſtimat, parem ſibi auctoritatem vindicare, ac rectè poſitam diſtinctionem inter ſeptem Epiſtolas ab Euſebio in ſua Hiſtoria memoratas, & antiquiſſimis Patribus frequenter laudatas, ac quinque alias, quæ nonniſi poſt aliquot ſecula in lucem prodiere, atque ideo jure vel in dubium vocantur, vel etiam planè rejiciuntur: idque non tantùm, quia veriſimile non eſt, Euſebium, ſi ejus ævo extitiſſent, latere potuiſſe; ſed etiam quia vel ob modum loquendi ab Euſebianis multùm diſcrepantes apparent; vel ob materiam doctrinæ, inſtitutis & moribus poſterioris Eccleſiæ magis conſonæ, & Ignatianis Euſebio memoratis ſola imitatione, eaque nimis affectata, ſimiles. Ait denique Pearſonius, etiam illas ſeptem antiquiſſimas & maximè genuinas Epiſtolas, in editione Græca tunc temporis vulgata interpolatas & corruptas fuiſſe; quod planum faciunt, cùm loca à veteribus Patribus adducta, quæ in ea editione aut non comparent, aut non rectè repræſentantur; tum etiam alia non pauca, quæ neque antiquitati, neque ſententiæ S. Ignatii congruunt, neque tenori Epiſtolarum ſatis convenienter inſeruntur. Diligentia incredibili quæcumque ad Græcas & Græco-Latinas Polycarpi & Ignatii Epiſtolarum editiones, earumque verſiones antiquas, novas, novantiquas, pertinent, inveſtigavit Vir doctiſſimus, & libros duos Latinos Mſſ. nactus eſt, qui Ignatii Epiſtolarum interpretationem à Latina vulgata diverſiſſimam continebant. Et ſtatim collatione facta, teſtimonia Patrum omnium, qui intra quinque poſt Chriſtum ſecula floruere, à Græcis Latiniſque Codicibus diſſidentia, cum hac verſione optimè convenire, & multa à Græculis poſterioribus inſerta & intertexta, ab eadem pariter abeſſe deprehendit; ac ex veteris Verſionis fide Græcas Ignatii Epiſtolas recognovit, & aſſumenta ſtellionum ope à genuinis facilè & apertè ſecrevit. Ad cumulum acceſſit, quòd poſt eam editionem publicatam, Iſaacus Voſſius Græcum exemplar è Medicea Bibliotheca deſcriptum produxerit, & cum Latina verſione ab Uſſerio publicata imprimendum ac notis illuſtrandum anno MDCXLVI curavit. Quo factum, ut eaſdem Epiſtolas Ignatii nunc habeamus, quas habuit Euſebius, quas edidit Polycarpus, quas ſcripſit Ignatius; quo ſubſidio Baronius deſtitutus, qui ideo loca ex Epiſtolis Ignatii interpolatis, in Annalibus aliquando in me-

dium adducit. Joannes Baptiſta Cotelerius menſe Auguſto currentis Chriſti anni M DC LXXVI Pariſiis denatus, idem de Ignatianis Epiſtolis judicium, ac Pearſonius, tulit in libro cui titulus, *Sanctorum Patrum, qui temporibus Apoſtolicis floruerunt, Opera*: ubi tamen queritur Uſſerium Epiſtolam ad Polycarpum contra expreſſum teſtimonium Euſebii & Hieronymi, & contra Epiſtolam Polycarpi ſub finem à reliquis ſex disjunxiſſe, & Ignatio abjudicaſſe. Certum itaque nunc apud Catholicos, & doctiores ex Proteſtantibus, Epiſtolas Ignatii ab Euſebio laudatas, ſinceras & legitimas eſſe. Quæ verò adverſus eaſdem à Salmaſio, aliiſque afferuntur, ſolidè confutata ab illis, qui opinionem à nobis explicatam tuiti ſunt.

VIII. *Opera Dionyſii Areopagitæ.* Baron. num. 11 & ſeqq.

Ad num. XIII. An D. *Dionyſius* Areopagita, Opera, quæ ejus nomen præferunt, ſcripſerit, in magna diſceptatione poſitum. Plures enim tam ex Orthodoxis, quàm Proteſtantibus contendunt, Opera illa non ab eo, ſed ab aliquo Dionyſio juniore conſcripta fuiſſe; de quo etiam certatur, vixeritne ante Concilium Chalcedonenſe, an poſt illud. Legendi inter ceteros Iſaacus Habertus in Archieratico, Joannes Launoius in Opuſculis de duobus Dionyſiis, Athenienſi, & Pariſienſi, Joannes Morinus in Opere de ſacris Ordinationibus, Schelſtratius in ſecunda parte Antiquit. illuſtr. Petrus Franciſcus Chifletius in Diſſertatione ſingulari de hac re, aliique. Hoc enim examinare in tam brevi Opere non vacat.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5601. ⊙ 5 BA. ☽ 14. P. 16. APRIL. INDICT. 6.
JESU CHRISTI 108. *ſecundùm Baronium* 110.
ALEXANDRI PAPÆ 1.
TRAJANI IMP. 11.

I. *Conſules.*

COSS. *Ap. Annius Trebonianus Gallus, & M. Atilius Metilius Bradua*, ex Inſcriptionibus ab Onuphrio in Faſtis relatis.

II. *Decennalia Auguſtei Imperii, & II triumphus Trajani.*

Trajanus Imperii Auguſtei Decennalia dedit, & ſecundum triumphum Dacicum exhibuit, ut anno 103. oſtendimus. Ad hæc Decennalia, referenda quæ habet Dio lib. 68. poſtquam ſecundum bellum Dacicum narravit: *Ad Trajanum reverſum in Urbem quamplurimæ legationes à barbaris gentibus, & inprimis ab Indis venerunt. Is ſpectacula edidit dierum centum viginti trium, in quibus interdum caſæ ſunt feræ manſuetæque beſtiæ mille, interdum etiam ad decem millia: itemque gladiatorum decem millia* [*inter ſe*] *certaverunt. Iiſdem temporibus ſtravit paludes Pontinas lapidibus, extruxitque juxta vias ædificia, ponteſque magnificentiſſimos fecit, ac nummum omnem adulterinum conflavit.* Hæc enim omnia Decennalium indicia. Cùm verò in hujuſmodi ſolenniis novi ſæpe tituli Imperatoribus darentur, hæc Inſcriptio in Trajani honorem tunc dicata. Refert eam Sponius in Miſcellaneis eruditæ Antiq. pag. 268.

IMP. CAESAR DIVI NERVAE F TRAJANO AUG. GERM. DACICO PONTIF. MAX. TRIB. POT. XII. IMP. VI. COS. V. PROPAGATORI ORBIS TERRARUM LOCUPLETATORI OMNIUM CULTORES LARUM ET IMAGINUM DOMUS AUGUSTI SOLO PRIVATO SUA PECUNIA FECERUNT.

Egregii certè tituli, quibus poſtea Hadrianus Trajani filius adoptivus cohoneſtatus eſt, & ut ex uſu, qui invaluerat, conjicere licet, in Decennalibus, vel aliis id genus feſtis.

III. *S. Ignatius.* Baron. num. 1.

Ad num. II. Martyrium S. Ignatii longè poſt præſentem annum contigit, ut ex dictis anno ſuperiori certum redditur.

IV. *S. Oneſimus.* Baron. nu. x.

Ad num. III. Oneſimus Pauli diſcipulus, aliique de quibus Baronius, eodem circiter tempore, quo Ignatius, martyrii palmam conſecuti videntur.

V. *Obitus Cerdonis Epiſc. Alexand.* Baron. num. XII.

Ad num. IV. Cerdo Epiſcopus Alexandrinus *defunctus eſt die Sabbati undecima Bune*, inquit Auctor Patriarcharum Coptitarum poſt Baronii mortem publicatus, id eſt, die quinta Junii, ideoque anno præcedenti, quo is dies in Sabbatum incidit.

VI. *Alexander fit Papa.*

Evariſto Papæ hoc anno demortuo ſucceſſit Alexander, juxta Chronicon Damaſi.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5602. ⊙ 6 G. ☽ 15. P. 8. APRIL. INDICT. 7. Olymp. 222.
JESU CHRISTI 109. *ſecundùm Baronium* 111.
ALEXANDRI PAPÆ 2.
TRAJANI IMP. 12.

I. *Conſules.*

COSS. *A. Cornelius Palma II, & C. Calviſius Tullus II.* Hunc bis Conſulem fuiſſe docet Capitolinus in Marco cap. 1. Palmam verò, Aulum Cornelium vocatum, patet ex Inſcriptione Onuphriana anno XCIX, quo priorem Conſulatum geſſit, relata.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5603. ⊙ 7 F. ☽ 16. P. 24. MART. INDICT. 8.
JESU CHRISTI 110. *ſecundùm Baronium* 112.
ALEXANDRI PAPÆ 3.
TRAJANI IMP. 13.

I. *Conſules.*

COSS. *Criſpinus Priſcianus, & Solenus Orfitus.*

II. *Anacleti Pap. obitus.* Baron. num. 1 & ſeqq.

Ad num. III & IV. Anacletus Papa anno Chriſti nonageſimo quinto demortuus. In Chronico enim Damaſi legitur: *Anacletus annis duodecim menſibus decem, diebus tribus. Fuit temporibus Domitiani à Conſulibus Domitiano X & Sabino* (qui anno Chriſti LXXXIV Faſtis nomen dedêre) *uſque Domitiano XVII & Clemente*, anno Chriſti XCV Conſulibus. Sed loco *menſibus decem*, legendum *menſibus duobus*, cum Catalogo Palatino. Colitur Anacletus die XIII Julii. Verùm is dies ad aliquam ejus Tranſlationem referendus, ut jam de aliis Natalibus attributis antiquis Pontificibus diximus.

III. *Anacleti Decretales.*

Circumferuntur Anacleti Epiſtolæ Decretales tres, quas Eruditi ſuppoſititias judicant. Prima eſt ad omnes Epiſcopos & Fideles,

quæ conſuta eſt tam ex Scripturæ locis, quàm ex Clementis ad Jacobum Epiſtolis, uti ex Rufini, Damaſi, aliorumque auctoritatibus. Secunda eſt ad Epiſcopos Italiæ, in qua ſunt teſtimonia ex Auguſtino, Idacio, Gregorio Magno deprompta. Tertia ad omnes Epiſcopos, agitque de Patriarchis, quorum nomen hoc & ſequenti ſeculo in Eccleſia incognitum; denique habet teſtimonium ex Concilio Romano ſub Gelaſio, & ex aliis poſterioribus Patribus. Anacleto ſucceſſit Evariſtus, qui ante hunc annum jam ad cæleſtem vitam migrarat, ut oſtendit initium Alexandri ejus ſucceſſoris, qui ab anno Chriſti C VIII ſedit, ut ex dicendis in ejus morte liquebit.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5604. ☉ 8 E. ☽ 17. P. 13. April.
Indict. 9.
Jesu Christi 111. *ſecundùm Baronium* 113.
Alexandri Papæ 4.
Trajani Imp. 14.

I. *Conſules.* Coss. *C. Calpurnius Piſo*, & *M. Vettius Bolanus*, ex Inſcriptionibus Gruterianis pag. 163. 7. & pag. 128.

II. *Quindecennalia Imperii Proconſ. Trajani.* Imperii Proconſularis Quindecennalia, quorum cauſâ Dacicarum victoriarum memoria renovata, Trajanus exhibuit, ut deducitur ex duobus apud Mediobarbum Nummis, in quorum uno legitur: Imp. Cæs. Trajano Aug. Ger. Dac. P. M. Tr. P. Cos. V. des. VI. in poſtica: S. P. Q. R. optimo Principi Dacia. Cernitur Victoria inſcribens clypeo. Præterea Trajanus *Optimi* cognomen admiſit, ut apparet ex Nummo anno C III à nobis recitato, cuſoque dum Trajanus Trib. Pot. XIV gerebat, quæ hoc anno uſque ad diem V Kalend. Julii in curſu fuit.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5605. ☉ 9 D C. ☽ 18. P. 4. April.
Indict. 10.
Jesu Christi 112. *ſecundùm Baronium* 114.
Alexandri Papæ 5.
Trajani Imp. 15.

I. *Conſules.* Coss. *Trajanus Aug. VI*, & *T. Sextius Africanus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari ex Phlegonte lib. de Mirabilibus cap. 25.

II. *Quindecennalia Trajani Aug.* Sumtus hic à Trajano Conſulatus juxta ſecundam regulam, ob Quindecennalia ſc. Auguſtei Imperii. Forum Trajani, in quo Columna Cochlidis erigenda erat, hoc anno dedicatum, ut dixi anno C III: ſed Columna, quæ hæc ſolennia, quemadmodum & Forum, exornavit, anno tantùm ſequenti, propter cauſas nobis ignotas, poſita. Mediobarbus pag. 161. hunc Trajani Nummum producit: Imp. Trajano Aug. Ger. Dac. P. M. Tr. P. Cos. VI. P. P. in poſtica: Dacia Provincia S. C. Cernitur figura ſedens cum puerulis. In alia poſtica ejuſdem anticæ: Dacia August. Provincia S. C. Vides in Decennalibus & id genus feſtis præteritarum victoriarum memoriam renovatam.

III. *Bellum Parthicum.* Baron. num. 1. Ad num. I. Trajanus currenti anno in Orientem profectus, ut adverſus Armenos Parthoſque bellum gereret, juxta dicta anno C III, quæ huc retrahenda.

IV. *Perſecutio Chriſtianorum.* Idacius in Faſtis ſub hujus anni Conſulibus habet: *His Coſſ. perſecutio Chriſtianorum.* Ea enim annis hujuſmodi ſolenniis deſtinatis de more decreta; unde & ad Trajanum celebrem Epiſtolam de cognitione cauſæ Chriſtianorum Plinius Junior ſcripſit, ut anno C II diximus, idque anno præcedenti, quo etiam in Oriente Chriſtianos vexatos fuiſſe dicendum.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5606. ☉ 10 B. ☽ 19. P. 24. April.
Indict. 11. Olymp. 223.
Jesu Christi 113. *ſecundùm Baronium* 115.
Alexandri Papæ 6.
Trajani Imp. 16.

I. *Conſules.* Coss. *L. Publilius Celſus II*, & *C. Clodius Criſpinus*, ex Inſcriptione ab Onuphrio in Faſtis recitata. Priorem Baronius Publium Celſum ſine numerali nota perperam edit.

Ad hunc annum referenda Columnæ Trajani erectio, ut liquet ex Inſcriptione, quam anno C IV recitavi. Præterea Trajanus à Lyttiis novo titulo exornatus, & *Orbis Conditor* appellatus, ut videre eſt in Inſcriptione Græca apud Gruterum pagina M LXXXIV. 2.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ. ΚΑΙCΑΡΙ.
ΘΕΟΥ. ΝΕΡΡ. ΥΙΩ. ΝΕΡΟΥΑ.
ΤΡΑΙΑΝΩ. CΕΒΑCΤΩ.
ΑΡΧΙΕΡΕΙ. ΜΕΓΙCΤΩ.
ΔΗΜΑΡΧΙΚΗC. ΕΞΟΥCΙΑC. ΤΟ. ΙΖ.
ΥΠΑΤΩ. ΤΟ. Γ ΠΑΤΡΙ. ΠΑΤΡΙΔΟC.
ΤΩ ΤΗC. ΟΙΚΟΜΕΝΗC. ΚΤΙCΤΗ.
ΛΥΤΤΙΩΝ. Η. ΠΟΛΙC.
ΔΙ Α ΠΡΩΤΟΚΟCΜΟΥ Μ. ΠΟΜΠΗΙΟΥ.
ΚΛΕΙΜΕΝΙΔΑ.

Id eſt, *Imp. Cæſarei Divi Nervæ F. Nervæ Trajano, Auguſto, Pontifici Max. Trib. Pot. XVII. Conſuli III. Patri Patriæ, Orbis Conditori, Lyttiorum civitas, per Protocoſmum M. Pompeium Climenidæ F.* Eſt Coſmus apud Cretenſes Magiſtratus idem, qui apud Lacedæmonios Ephorus. Porro loco, ΥΠΑΤΩ. ΤΟ. Γ. id eſt, *Conſuli III.* legendum, ΥΠΑΤΩ ΤΟ. Ϛ. id eſt, *Conſuli VI.* Erravit enim Gruterus, qui purum gamma poſuit loco gamma longiori tractu inferiùs ſinuato, quæ nota numeralis æquivalet minori ϛ, & deſignat ſextum numerum. Similem Gruteri errorem anno ſexto Antonini Pii infrà emendabimus. De Lyttio urbe legendus Strabo lib. 10. pag. 476. & Harduinus V. C. in Nummis antiquis illuſtratis pag. 300.

II. *Bellum in Oriente inchoatum.* Baron. num. 1. Ad num. I. Rebelliones adverſus Trajanum à gentibus domitis excitatæ pertinent ad ultimum ejus Imperii annum, ubi de iis mentio erit. Hoc enim anno bellum in Oriente inchoatum, & ſequentibus continuatum, ut diximus anno C III, quæ huc ex parte referenda.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5607. ☉ 11 A. ☽ 1. P. 9. APRIL. INDICT. 12.
JESU CHRISTI 114. *ſecundùm Baronium* 116.
ALEXANDRI PAPÆ 7.
TRAJANI IMP. 17.

I. *Conſules.*

COss. *Q. Ninius Haſta*, & *P. Manilius Vopiſcus*, ex Inſcriptionibus Onuphrianis.

II. *Judæorum rebellio.* Baron. num. 1.

Ad num. I. Narrat Baronius ex Dione, rebellionem Judæorum, *qui circum Cyrenen habitabant*, *Andrea duce* conſtituto, & cladem Judæis in Inſula Cypro Ægyptoque commorantibus illatam. At cùm hæc recitentur à Xyphilino ex Dione longe poſt terræ motum Antiochenum, qui ſub ipſum finem anni ſequentis contigit, ea rebellio ad annum CXVI, quo in Chronico Euſebii narratur, retrahenda. De hac totius Ægypti & Libyæ vaſtatione à Judæis facta, Oroſius in lib. 7. hæc habet: *Incredibili deinde motu ſub uno tempore Judæi quaſi rabie efferati, per diverſas terrarum partes exarſerunt. Nam & per totam Libyam adverſus incolas atrociſſima bella geſſerunt: quæ adeo tunc interfectis cultoribus deſolata eſt, ut niſi poſtea Hadrianus Imp. collectas illuc aliunde colonias deduxiſſet, vacua penitus terra abraſo habitatore manſiſſet.* Quæ ex Dione Oroſius accepit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5608. ☉ 12 G. ☽ 2. P. 1. APRIL. INDICT. 13.
JESU CHRISTI 115. *ſecundùm Baronium* 117.
ALEXANDRI PAPÆ 8.
TRAJANI IMP. 18.

I. *Conſules.*

COss. *L. Vipſtanus Meſſalla*, & *M. Vergilianus Pedo*.

Baron. num. 1.

Baronius falſa Evagrii ſupputatione deceptus terræ motum Antiochenum ac utrumque Conſulem cum anno Chriſti CXI illigaverat, ſed poſtea in Appendice tomi 9. ex Romana Inſcriptione, quæ integra Gruteri pag. CCC recitatur, veros Conſules atque annum terræ motûs Antiocheni optimè expoſuit.

II. *Terræ motus Antiochenus.* Baron. num. 11 & ſeqq.

Ad num III & IV. Terræ motus, quo Antiochia afflicta, hoc anno rectè conſignatur, ut jam diximus. Xyphilino enim ſuffragantur Collectanea Græca, quæ apud Scaligerum leguntur. Ibi pag. 241. is terræ motus collocatur ſub anno tertio Olympiadis CCXXIII, qui menſe Julio currentis Chriſti anni inchoatur. Ex quo vulgaris Baronii, Calviſii in Opere Chronologico, Noriſii in Epiſtola Conſul. pag. 73. & aliorum error detegitur. Exiſtimarunt enim terræ motum ante vernum tempus currentis anni accidiſſe, cùm tamen poſt menſem Novembrem, initio hiemis contigerit, anno nempe tertio Olympiadis CCXXIII ab aliquot menſibus jam inchoato. Certè *Pedo* Conſul per priorem bimeſtrem, quo Conſulatum ordinarium geſſit, neque ad Trajanum venire, neque ſeſe rebus militaribus immiſcere debuit; Conſulatus enim inermis erat. Anni tempeſtatem nos etiam docuit Joannes Malela Antiochenus in ſuo Chronico hactenus inedito: *Divino Trajano imperante tertiam ſuam calamitatem paſſa eſt magna Antiochia ad Daphnen poſita, menſe Apellæo ſive Decembri die XIII, feriâ primâ poſt gallicinium anno Eræ Antiochenæ CXLIV*, id eſt, præſenti Chriſti anno. Sed loco *die XIII*, legendum, *die XXIII*, quia hoc anno cum die XXIII Decembris Dominica concurrit. Ita Uſſerius in Notis ad martyrium S. Ignatii Antiocheni Epiſcopi. Porro Trajani in Orientem profectione & terræ motu Antiocheno accuratè conſignatis, liquet Evagrium turpiter lapſum, quando hunc terræ motum cum anno Chriſti CXI copulat, & Trajanum præſenti anno & *Optimum*, & *Parthicum* cognominatum, *Armeniâ ſubactâ*, ut inquit Zonaras. In Collectaneis Græcis apud Euſebium pag. 341. Olympiade CCXXIII anno ſecundo habetur: Τραϊανὸς πᾶσαν τὴν Ἀρμενίων χώραν εἷλε, id eſt, *Trajanus omnem Armenorum regionem cepit.* Annus ſecundus præfatæ Olympiadis menſe Julio ſuperioris anni incipitur, & uſque ad menſem Julium currentis anni in curſu eſt, ideoque Armeniæ expugnatio rectè à nobis ſuperiùs collocata.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5609. ☉ 13 FE. ☽ 3. P. 20. APRIL. INDICT. 14.
JESU CHRISTI 116. *ſecundùm Baronium* 118.
SIXTI PAPÆ I.
TRAJANI IMP. 19.

COss. *Æmilianus*, & *L. Antiſtius Vetus*. Imperii Proconſularis Vicennalia. I. *Conſules.*

II. *Tiberiani Epiſtola parum ſincera.* Baron. num. 11.

Ad num. I. Quod ait Suidas à Baronio citatus, à Trajano promulgatum eſſe edictum de perſecutionis ceſſatione; ea videlicet occaſione, quòd Tiberianus, qui primæ Palæſtinorum genti præerat, ad ipſum retuliſſet, ſe non parem eſſe Chriſtianis occidendis, fabuloſum videtur: quia, ut notat Dodwellus in Diſſert. XI Cyprianica *de Paucitate Martyrum*, diviſio Palæſtinæ in primam & ſecundam, neque hoc, neque inſequenti ſeculo cognita. Refert Tiberiani Epiſtolam Uſſerius in Appendice Ignatiana, ſed ea ad exemplum Plinianæ videtur efficta. Plura de hujus Epiſtolæ ſuppoſitione apud Dodwellum laudatum.

III. *An S. Papias magno ingenio præditus fuerit.* Baron. num. 111 & ſeqq.

Ad num. II. Quæ ab Iſaaco Caſaubono contra S. *Papiam* Epiſcopum Hierapolitanum, exercitat. 16. ad Annales Baronii num. XVI congeruntur, tanquam exaggeratæ calumniæ & mendacia rejiciuntur & perſtringuntur à Petro *Halloix* in Notis ad Vitam S. Papiæ. Fatendum tamen illud non malè à Caſaubono ſcriptum, *Papiam* ſcilicet mediocri admodum ingenio præditum fuiſſe; cùm Euſebius lib. 3. cap. ultimo diſertè tradat, id ex illius ſcriptis conjicere licere. Nec eſt quòd reſpondeat Halloixius, ea Euſebii verba benigna interpretatione mollienda eſſe, cùm ipſemet Euſebius antea cap. 36. ejuſdem libri dixerit: *Papias quoque Hierapolitanus Epiſcopus eadem ætate celebris fuit, vir inprimis diſertus & eruditus*

& eruditus, ac Scripturarum peritus. Nam, ut obſervavit Valeſius in Notis Euſebianis, totum hoc elogium Papiæ, παπίας ἀνὴρ τὰ πάντα ὅτι μάλιστα λογιώτατος, καὶ τῆς γραφῆς εἰδήμων, deeſt in tribus codicibus Mſſ. Mazarino nempe, Medicæo, & Fuketiano. Sed nec Rufinus hæc verba in ſuis exemplaribus legerat, cùm tantùm in ſua verſione dicat: Florebat & *Papias ſimiliter apud Hierapolim Sacerdotium gerens.* Quare non dubitat Valeſius, quin ea verba ab imperito quodam Scholiaſte adjecta ſint, præter Euſebii mentem atque ſententiam. Quomodo enim fieri poteſt, ut Euſebius *Papiam* appellet virum doctiſſimum, & Scripturarum peritiſſimum; cùm ipſemet in fine libri tertii affirmet, Papiam fuiſſe mediocri ingenio præditum, planéque rudem ac ſimplicem. Quæ Euſebii emendatio eò magis facienda, quòd ibidem Caſauboni non meminit.

IV. *S. Papiæ nomen an Martyrologiis inſcriptum.* Quærit Halloixius laudatus, cur nec in veteri Romano Martyrologio, nec in Græcorum Menæo, aut Menologio, ulla fiat S. *Papiæ* mentio, reſpondetque, exiſtimare ſe nomen ejus primis temporibus inſcriptum fuiſſe ſacris Tabulis, ſed poſtmodum ob unam aut alteram ejus opinionem, olim quidem ſatis communem, ſed minùs poſtea probatam ab Eccleſia & receptam, eraſum eſſe. Nec poteſt, inquit, eſſe dubium, quin Martyrologia ſæpe variata fuerint; cùm illud quod recenter à Gregorio XIII fuerat approbatum, & literis ejus Apoſtolicis communitum, poſtea per occaſionem Notationum Baronii (qui ſuggeſſerat nonnullos ſe in eo errores reperiſſe) fuerit aliqua ex parte commutatum, non variatis modò quibuſdam, ſed nonnullis etiam adjectis atque detractis, ut patebit utramque editionem, antiquam ac novam, conferenti, Gregorianam ſcilicet & Sixtinam; quamquam hæc poſterior non appelletur *Sixtina*, quamvis ſub Sixto V facta. Viſum eſt enim, quòd haud adeo magna eſſet facta mutatio, relinqui bullam & nomen Gregorii XIII. Jam autem uſus ferè obtinuit, ut poſtrema illa editio ſub Sixto V facta & Notationibus Baronii illuſtrata, vocetur *Martyrologium Baronii.* Et ſanè egregiè in eo & fructuosè ad gloriam Dei, & Eccleſiæ utilitatem, laboravit. Verùm non eſt unius hominis videre omnia, nedum examinare. Unus in uno clariùs videt, alter in altero, alius in alio. Sic in dies lux creſcit & eruditio, & multorum ſplendoribus redditur Eccleſia illuſtrior: ſic & bona melioribus, dum multi intendunt oculos, permutantur. Ita doctè Halloixius.

V. *S. Papias auditor Joannis Apoſtoli.* Porro S. *Papias* in variis Martyrologiis ab Henſchenio die XXII Februarii, quo ejus Vitam illuſtrat, citatis, dicitur auditor S. Joannis Apoſtoli, quod etiam ſcribunt Hieronymus lib. de Script. Eccleſiaſt. & in Epiſtola XIX ad Theodoram, Irenæus lib. 5. adverſus hæreſes cap. 33. Andreas Cæſarienſis, Anaſtaſius Sinaïta, Œconomius, & S. Maximus Martyr. Baronius tamen contendit, Papiam non Joannis Apoſtoli, ſed Joannis Senioris diſcipulum fuiſſe. Euſebius enim lib. 3. cap. 39. dicit fuiſſe, qui duos eodem nomine appellatos, in Aſia vixiſſe ſcripſerint, & utrumque hactenus Joannem nominari. Sed poſito utroque Joanne, Apoſtolo ſcilicet, & Preſbytero, Baronius ex verbis Papiæ apud Euſebium citatum, non rectè infert, *Papiam* non vidiſſe Apoſtolos, aut non fuiſſe S. Joannis Apoſtoli diſcipulum. Eſto enim, inquit Henſchenius, S. Papias alicubi ſcripſerit, ſe Joannis Preſbyteri aut Senioris auditorem fuiſſe, in verbis non demonſtrat ſe neutiquam S. Joannis Apoſtoli auditorem aut adſpectorem non fuiſſe, quod tamen ex Prooemio librorum Papiæ ab Euſebio recitato malè infertur. Qua de re plura Halloixius & Henſchenius citati.

Baron. num. VI.

VI. *Geſta hoc anno à Trajano in Oriente.* Xyphilinus ex Dione, narrato terræ motu Antiocheno, ait: *Ineunte vere, Trajanus in hoſtilem terram ingreditur. Cumque ea regio, quæ ad Tigrim fluvium ſpectabat, materiam ad ædificandas naves non ferret, ea navigia, quæ in ſylvis apud Niſibim fecerat, plauſtris in flumen convehi juſſit.* Addit, barbaris fugientibus, Romanos flumen tranſiiſſe, Adiabenemque omnem in ſuam poteſtatem redegiſſe: poſtea Babylonem uſque veniſſe, Tigrique trajecto, Cteſiphontem ingreſſum. *Qua urbe capta, Imperator appellatus eſt, confirmato Parthici cognomine,* inquit Xyphilinus. Trajanus huc uſque Imperator VIIII appellatus fuerat, ut liquet ex Nummis. Cteſiphonte itaque capta Imperator X nuncupatus eſt. Onuphrius in Faſtis producit Trajani Nummum, in quo legitur: IMP. CAES. NERVAE. TRAJANO. OPT. AUG. GERM. DAC. PARTH. P. M. TR. P. XX. COS. VI. IMP. X. P. P. Tribunitiam Poteſtatem XX quinto Kal. Novembris currentis anni Trajanus ſuſcepit, ſed jam antea Imperator X appellatus fuerat, dum Tribunitiam Poteſtatem XIX adhuc gerebat, licèt nulli Nummi ſuperſint, quibus id probare poſſimus. Nam cùm Xyphilinus inſinuet, Cteſiphontem ante initium hiemis expugnatam, illud aſſerendi locum præbet. Ait enim, Trajanum poſtea *Meſſanam* inſulam Tigridis cepiſſe, *atque iis in locis propter vim hiemis, & rapidum Tigrim, æſtumque maris in magnum periculum veniſſe.* Ubi de præſentis anni hieme ſine dubio ſermo eſt. Sed *dum navigat verſus Oceanum, atque inde revehitur, ea quæ ceperat, omnia maximo tumultu defecerunt,* &c. inquit Xyphilinus. Quare Trajanus Cteſiphontem redire coactus eſt. Baronius eam rebellionem anno CXIII, quem ipſe CXV vocat, refert. Sed ex dictis conſtat, eam ſub currentis anni finem, aut inſequentis initium contigiſſe. Eo etiam tempore Judæi rebellarunt. Qua de re legenda, quæ anno CXIV diximus.

VII. *Alexandri Papæ obitus.* Alexandri Papæ martyrium hoc anno contigit, ut infrà explicabimus. Alexandrum Sixtus excepit.

Olymp. 124.

Anno Urbis 870.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5610. ☉ 14 D. ☽ 4. P. 4. APRIL. INDICT. 15.
JESU CHRISTI 117. *ſecundùm Baronium* 119.
SIXTI PAPÆ 2.
HADRIANI IMP. 1.

I. *Conſules.* COSS. *Quinctius Niger*, & *C. Vipſtanus Apronianus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari.

II. *Vicennalia Trajani.* Imperii Auguſtei Trajani Vicennalia in hunc annum incidunt. Ad ea referendus Nummus, qui apud Stradam pag. 57. extat: IMP. CÆS. NERVA TRAJAN. AUG. GERM. DAC. PARTH. PONT. MAX. TR. POT. COS. VI P. P. in poſtica: S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. Præterquam quòd cernuntur Forum Trajani cum Bibliotheca, Baſilica Ulpia, & Circo: in medio Columna Cochlidis. Nam cùm eo in Nummo Trajanus *Parthicus* appelletur, horum operum publicorum memoria poſt annum Chriſti c x v, & quidem in Vicennalibus, ut mos ferebat, renovata.

III. *Geſta à Trajano ante mortem.* Ad num. I. Trajanus, *ut Cteſiphontem venit, Parthis Regem Parthamaſpatem deſignat, eique diadema imponit. Inde profectus in Arabiam, adoritur Agarenos, qui & ipſi defecerant*, inquit Xyphilinus, qui ſubdit, Trajanum eam urbem expugnare non potuiſſe, dumque inde proficiſcitur, *nec multo tempore pòſt, in morbum* incidiſſe, quo ingraveſcente in Syriam veniſſe, ibique Hadriano *cum exercitu relicto*, iter in Italiam cepiſſe: tandem perlatum *Selinuntem urbem Ciliciæ*, mortem illico obiiſſe. Antequam extingueretur; *Armeniam, Aſſyriam, & Meſopotamiam Provincias fecit*, inquit Caſſiodorus ſub hujus anni Conſulibus, quod hoc anno geſtum Trajani Vicennalia etiam indicant. Eum Selinuntis, non verò *apud Seleuciam Iſauriæ*, ut habent Eutropius & Caſſiodorus, mortuum oſtendit Nummus à Mediobarbo pag. 163. recitatus.

Baron. num. 1.

IMP. CÆS. NERVÆ TRAJANO OPTIMO AUG. GER. DAC. PARTH. TR. P. COS. VI. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI SELINUNTEM. In periſtylio portæ latæ ædificii ſphærici. Qui Nummus ante Trajani apotheoſim, ad indicandum locum, in quo mortalitatem explevit, cuſus. Præterquam quòd Onuphrius in Faſtis pag. 221. refert Inſcriptionem, in qua dicitur M. Ulpium Libertum Trajani abſceſſiſſe, SELINUNTE. PRID. IDUS. AUGUS. NIGRO. ET. APRONIANO. COS. Duos itaque ante dies Trajanus in eadem urbe è vivis exceſſerat.

IV. *Adoptio & Conſulatus Hadriani.* *Defuncto Trajano ſine liberis*, Hadrianus *quòd non procul abeſſet, quòdque magnas copias haberet*, favore Plotinæ Auguſtæ Imperator deſignatus eſt. Nam mors *Trajani per aliquot dies in occulto* fuit, *ut adoptio procederet*, quemadmodum ſcribit Dio lib. 69. qui addit, Hadrianum, quo die Imperator deſignatus eſt, Antiochiæ Syriæ, cui præerat, fuiſſe. *Quinto Iduum Auguſti die Legatus Syriæ literas adoptionis accepit*, inquit Spartianus in Hadriano. Quo pacto, adoptio die nona Auguſti facta. Paulò antè ſcripſerat Spartianus: *In adoptionis ſponſionem venit Palmâ & Celſo inimicis ſemper ſuis*, &c. *Secundo Coſ. favore Plotinæ factus, totam præſumptionem adoptionis emeruit.* Quæ verba egregiè in Notis à Caſaubono explicata: *Pro incerta*, inquit, *ſpe, quam dudum conceptam hactenus foverat*, πληροφορίας *eſt conſecutus ac ſpem certam.* Præſumtio, πρόγνωσις, tota præſumtio, *plena & perfecta cognitio futuri. Primò Hadrianus de Imperio cogitavit ex ſuggeſtione patrui magni, & Mæſi cujuſdam Mathematici: ſed id votum erat potiùs, quàm ſpes. Deinde autem donatus à Trajano adamante gemma* ad ſpem ſucceſſionis eſt evectus. *In ea ſpe poſtea confirmavit eum Sura*, à quo comperit adoptandum ſe à Trajano. *Itaque auſus eſt aliquantò pòſt* in adoptionis ſponſionem venire cum Palma & Celſo. *Tandem verò ſecundùm Conſul deſignatus*, totam præſumtionem adoptionis emeruit. *Hæc ita Spartianus, ſanè quàm hac in re diligentiſſimus*, inquit Caſaubonus, cui Salmaſius ſuffragatur. Conſulatus itaque, ex illorum temporum uſu, omen Imperii erat. Unde Imperatores antequam Cæſares aut alios Auguſtos renuntiarent, priùs eos Conſules, ac poſtea Cæſares aut Imperatores deſignabant. Hadrianus Ælium Verum licèt jam Conſulem, non priùs Cæſarem creavit, quàm eum iterum Conſulem deſignaſſet, ut docet Spartianus in Ælio cap. 3. *Mox Conſul creatus: & quia erat deputatus Imperio, iterum Conſul deſignatus eſt.* Capitolinus in Marco cap. 6. de Marco Aurelio jam ab Antonino Pio adoptato loquens ait: *Adhuc Quæſtorem & Conſulem ſecum Pius Marcum deſignavit, & Cæſaris appellatione donavit.* Themiſtius in Orat. 16. de pace & Conſulatu Saturnini anno Chriſti CCCLXXXIII recitata, Theodoſium Magnum laudat, quòd Saturninum in eum annum ſuis Quinquennalibus deſtinatum Conſulem deſignaſſet, aitque: *Cùm in poteſtate eſſet tua, ſi nondum tibi tempeſtivum illum honorem* (*nempe Conſulatum*) *judicares, unicum tuum deſignare filium, hunc, inquam, cùm pro te renuntiare liceret, (quod & antiquis & recentioribus Imperatoribus ſolenne fuit, ut illud tanquam futuri Principatus initium liberis ſuis ante purpuram traderent) cùm hæc facere tibi omnia liceret, noluiſti tamen*, &c. Ubi vides Conſulatum tanquam futuri Principatus initium reputatum, & ante purpuram Imperatorum filiis deſtinatum. Obiter etiam obſervabis, quod in Diſſertatione Hypatica, antequam nova Themiſtii Operum editio, cui ea Oratio addita, publicata fuiſſet; jam inſinuaveram, ſi Imperatores annis Quinquennalibus & id genus feſtis addictis Conſulatum non capeſſerent, illum in parentes aut illuſtriores perſonas de more tranſtuliſſe; hiſque Themiſtii verbis reſponſiones omnes præcludi quibuſdam cenſoribus, qui Conſulatuum Cæſareorum regulas fictitias eſſe, perſuadere conati ſunt. Sed ad Hadrianum redeo, qui jure merito certam ſpem de Imperio conſequendo habuit, ubi ſe iterum Conſulem deſignatum accepit.

Baron. num. 11.

Dodwellus in Appendice ad Diſſert. Cy-

V. *Deputati Imperio de more Conſules deſignabantur.*

prianicas num. XLV, de Ælii adoptione, ejuſque ſecundo Conſulatu loquens, dicit, in ſecundo Conſulatu præcipuum fuiſſe, pro receptis Imperii moribus, omen Imperii, præſertim in nova Nervæ familia, quod Trajani, Hadriani, Ælii & Antonini exemplo oſtendi exiſtimat. At, ut ex Themiſtii Oratione mox laudata quam V. C. non viderat, diſcimus, omen & initium Imperii in Conſulatu, ad quem inaugurandus deſignabatur; non verò in iterato Conſulatu ſitum erat: nec aliquid ad eam rem prior Conſulatus conferebat, ut videre eſt in Marco Aurelio, qui numquam Conſulatum geſſerat, quando Conſul & Cæſar deſignatus eſt. Hac obſervatione, prima Conſulatuum Cæſareorum regula mirum in modum illuſtrata. Addit Dodwellus, hanc Hadriani adoptionem anno præcedenti factam, ac tunc illum Tribunitia Poteſtate donatum; quod tamen ſilentio involutum, & nonniſi poſt Trajani mortem publicatum. At Trajanum non priùs Hadrianum adoptaſſe, ſi tamen adoptavit, quàm in morbum incideret, & hoc tantùm anno morbo tentatum ex Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus certò deducitur. Vide quæ anno CXIX de ſecundo Hadriani Conſulatu ordinario ſcribo.

VI. *Obitus Trajani.* Baron. num. 1.

Obiit *Trajanus* die decima menſis Auguſti, poſtquam imperaſſet annos XIX, menſes VI, & dies XV, ut habet Xyphilinus ex Dione, qui diem emortualem numerat. Major de Natali Trajani genuino, & annis, quibus vixit, difficultas. Illum tamen Plinius in Panegyrico cap. 92. indicat, ſignificatque, die decima octava Septembris Domitianum occiſum, Nervam electum, ac Trajanum in lucem editum: *Diem illum*, inquit, *triplici gaudio lætum, qui Principem abſtulit peſſimum, dedit optimum, meliorem optimo genuit.* In Kalendario à Petro Lambecio edito, ad XIV Kal. Auguſti legitur: N. TRAJANT. id eſt, *Natale Trajani.* ubi mendosè littera T. loco I. in ultimam ſyllabam irrepſit. Cúmque Xyphilinus tradat, Trajanum vixiſſe annos ſexaginta, menſes decem, dies viginti quatuor, ultimum terminum, diem nempe emortualem includit, demonſtratque, eum die XVIII menſis Septembris anni Chriſti quinquageſimi ſexti in lucem prodiiſſe, erraſſeque Eutropium ac Victorem in Epitome à Baronio laudatos, ipſumque etiam Baronium, quos fugiebat, Trajani Natale in diem XVIII Septembris incidiſſe, ſine quo definiri non poteſt, quot annos, menſes, ac dies in vivis fuerit.

VII. *Initium Imperii Hadriani.* Baron. num. 11.

Ad num. VIII. Hadrianus Trajano currenti anno ſucceſſit. *Vettius Valens* Aſtrologus Antiochenus in Αντολογιῶν γενεθλιακῶν libris comparat annum primum Hadriani cum *anno centeſimo quadrageſimo octavo Auguſtorum.* Quare Auguſtorum annos incipit ab anno Periodi Græco-Romanæ 5463. licèt Ægyptii eandem Eram, ſeu annos *Imperii Auguſtei*, ut Ptolomeus loquitur, ab anno ejuſdem Periodi 5464. exordiantur. Unde annus centeſimus quadrageſimus octavus Actiacus ſeu Auguſtorum, ab anno ejuſdem Periodi 5610. hoc anno incepto inchoatur; liquetque, initium Imperii Hadriani ad præſentem annum certò pertinere, ac Scaligerum in Animadverſionibus Euſebianis, Calviſium in Opere Chronologico, & Uſſerium in Annalibus veteris & novi Teſtamenti hallucinatos, quando ſcripſere, *Vettium* adhibere Eram Actiacam Ægyptiorum. In eadem remora hæſit Scaliger lib. 5. de Emendat. Temp. dum de Encæniis urbis Cpoleos loquitur. Affert enim locum Suidæ, verbo *Conſtantinopolis*, ubi dicitur à Monarchia Auguſti Cæſaris, id eſt, à pugna Actiaca, ad dedicationem Conſtantinopolis, intercedere annos CCCLX. Quod verum eſt, ſi eos ab anno Periodi Græco-Romanæ 5463. incipias: falſum verò, ſi cum Scaligero & Petavio lib. 11. de Doct. Temp. cap. 42. à ſequenti auſpiceris. Quæ obiter dicta ſunto.

VIII. *Sententia Loydii de titulo Imp. abſque victoria.*

Hadrianus in Nummis hoc anno, ſequentique, quo Conſul II proceſſit, (ſuffectum enim Conſulatum, antequam imperaret, geſſerat) percuſſis, Imperatoris titulo ob victorias dari ſolito non inſignitur, ut videre eſt apud Mediobarbum in Numiſmatis Imperatorum, ubi ei hoc nomen tantùm tribuitur, cùm Conſulatum tertium gerit; in hoc ſcilicet Nummo ab illo pag. 173. recitato: HADRIANUS AUGUSTUS P. P. in poſtica: IMP. P. M. TR. POT. COS. III. Verùm ipſo Imperii initio eum nomine illo cohoneſtatum fuiſſe, exiſtimandum. Gulielmus enim Loydius Vir eruditiſſimus in literis ad me ex Anglia ſcriptis arcanum me docuit, quod hîc prætermittere non debeo, quia illud nemini obſervatum vidi: *Titulum* IMP. inquit, *victorias denotantem Nerva unà cum Imperio primùm accepit. Hoc feciſſe omnes Imperatores Romanos non dubito. Nerva autem nullam victoriam legimus obtigiſſe ante illam Trajani Germanicam. Hujus victoriæ causâ* IMP. II *Nervam appellatum fuiſſe oſtendit ei conjuncta* TR. P. II *in Inſcriptione Gruteriana CLXXXIX. 13. ubi Nerva Cæſar* TR. P. II. IMP. II. *dicitur. Nam ingreſſus eſt annum ſecundum Tribunitiæ Poteſtatis die XVIII Septembris anni Chriſti XCVII. Intra proximum menſem Trajano obtigit illa victoria, ob quam Nerva lauream Jovi Capitolino dicavit. Hinc Nervam conſtat* IMP. II *audiviſſe. Hanc lauream cùm à Trajano acceperat, huic viciſſim Imperii conſortium reddidit: & omnia quæ Titus à patre acceperat, voluit à Trajano uſurpari, ideoque & titulum* IMP. *victorias denotantem, quem Titus patre vivo quatuordecies multiplicaverat.* Ex qua egregia obſervatione liquet, Hadrianum ipſo Imperii initio titulum illum obtinuiſſe, licèt in Nummis tunc cuſis non legatur, quia nempe in Nummis omnes Imperatorum tituli aliquando leguntur, aliquando verò ex iis aliqui prætermittuntur, ita ut uſus hac in re diverſus fuerit.

IX. *Sententia Noriſii de titulo Imp.*

De nova hac Loydii obſervatione lætus dubia alia propoſui Noriſio V. C. qui reſpondit, ſe in Notis ad Faſtos ſuos aliàs publicandos de *Imperatoris* titulo iſta inſeruiſſe, quæ cùm Loydii obſervationi magnam lucem afferant, hîc deſcribenda duxi, eòque magis, quòd Noriſius aliqua in medium adducat, quæ fundamentis à me jactis adverſantur, ideoque & à me examinari debeant: *Julius Cæſar*, inquit Noriſius, *omnium primus prænomen Imperatoris ab adulante Senatu tulit, ex Suetonio cap. 49. ac Dione lib. 43. qui eum titulum poſt victos Pompeii liberos eidem dela-*

tum ſcribit. Hinc, cùm antea diceretur C. Julius Cæſar IMP. poſtea vocatus eſt IMP. C. Julius Cæſar. Sub Auguſtis poſtea, cùm ab his nomen Cæſaris ac Imperium Proconſulare alteri dabatur, is ab Imperio Proconſulari non dicebatur IMP. ſed Proconſul. Domitianus, qui, uti putas, habuit Imperium Proconſulare, nuſquam in Nummis ante Imperium dicitur IMP. Marcus Aurelius à Pio habuit Imperium Proconſulare, ex Capitolino cap. 6. nec uſquam in Nummis ante Imperium Auguſteum, IMP. vocatur. Cùm Auguſti ceteros inter titulos in ſaxis vocentur PROCOS. undenam tales dicebantur, niſi ab Imperio Proconſulari? Itaque ex Imperio illo non IMPERATORES, ſed PROCONSULES nuncupabantur. Num Veſpaſianus Tito filio prænomen IMP. contulerit, diſputari forſan poſſit: etenim in Nummis ferè ſemper ſine illo prænomine legitur, uti & in Inſcriptione Romana unà cum patre ac fratre, Gruteri pag. CC XLIV. At alii quidem Nummi, & altera Inſcriptio pag. CC XLIII. 8. dant illi prænomen IMP. Titus, cùm ſolus bellum Judaïcum geſſit, erat cum Imperio Proconſulari, ſine quo bellum geri non poterat; poſtea verò à patre etiam prænomen IMP. accepiſſe dicitur. Hinc tranſeo ad Trajanum, qui ea omnia à Nerva accepit, quæ proximè Titus à patre. Nerva in templo Jovis Capitolini Trajanum filium adoptans, eumdem Cæſarem creavit, ac paulò pòſt eidem prænomen Imperatoris ac Tribunitiam Poteſtatem contulit, quæ ex Dione & Plinio colliguntur. Cùm verò dicit Plinius: Jam Cæſar, jam IMPERATOR, jam Germanicus abſens & ignarus, &c. nomine illo IMP. non deſignat Imperium Proconſulare, ſed prænomen IMP. Cùm verò mortuo Nerva, Auguſti titulum accepit, tunc IMP. II dictus fuit. Hoc mihi pluribus probandum. Cùm Trajanus Hadrianum adoptavit, equidem puto eo modo adoptaſſe, quo & ipſe à Nerva fuerat adoptatus. Hadrianus tantùm IMP. II dictus fuit, at titulum IMP. multiplicavit mortuo tantùm Trajano, cùm Auguſtus dictus fuit, quâ die Natalem Imperii celebravit, cùm Trajani defuncti nuntium accepit. Hadrianus Antonino Pio Tribunitiam Poteſtatem, ac Imperium Proconſulare in adoptione donavit, & inſuper prænomen IMP. Hoc prodit inſignis Inſcriptio Gruteri pag. CC LVI. 4. ubi dicitur: IMP. Aelio Cæſari Antonino, &c. Ibi Hadrianus non vocatur Divus: Antoninus verò dicitur TR. P. COS. nec additur DES. II, nec vocatur PONT. MAX. Itaque Inſcriptio poſita vivente adhuc Hadriano, & quidem IDIB. MAI. ut ibidem legitur. Quare ex illa infero, Antoninum Pium prænomen IMPERATORIS ab adoptante accepiſſe. Idem poſtea cùm mortuo Hadriano dictus fuit AUG. unà ſimul acclamatus fuit IMP. ac proinde in Nummis IMP. II ſemper dictus apparet. Et quamvis victorias obtinuit per Legatos, titulum IMPERATORIS de more ab exercitu datum, ex Tacito in fine lib. 3. Annal. admittere noluit. Hinc ad mortem uſque fuit tantùm IMP. II.

X.
De prænomine Imp.

Cùm verò Pius Marcum Aurelium adoptavit, neutiquam illi contulit prænomen IMPERATORIS, quod mortuo Pio cum titulo Auguſti primùm recepit. Hoc centeni Nummi produnt, qui eo prænomine carent. At Marcus Aurelius aliter ſe geſſit cum filio Commodo. Nam anno Chriſti C LXXV eidem dedit Tribunitiam Poteſtatem cum Imperio Proconſulari, at prænomen IMPERATORIS eidem conceſſit anno C LXXVI, antequam triumpharet. Lampridius in Commodo cap. 12. Appellatus, inquit, IMPERATOR V Kal. Exuperatorias Pollione II & Apro Coſſ. Vulgò credunt nomine IMP. deſignari ibidem Auguſteam dignitatem, ſed errant: ſiquidem prænomen tantùm IMPERATORIS indicatur. Extant Nummi apud Mediobarbum pag. 241.

M. Aurelio & Commodo collato juxta Noriſium.

L. AURELIO CAES AUG. F. SAR. IMP.
PROVIDENTIAE AUG. IMP.

Hic Nummus ſcalptus eſt, cùm Commodus ſolum titulum IMPERATORIS obtineret; ac ſolus Marcus pater vocaretur Auguſtus.

L. AUREL. COMMODUS CAESAR AUG.
L. AUREL. COMMODUS AUG.

Hic ſcalptus, cùm AUGUSTI titulum accepit; unde AUG. in utraque parte Nummi inſcribitur.

IMP. CAES. L. AUREL. COMMODUS
GERM. SARM. TR. P. COS.

Vides anno Chriſti 176. quo Conſul proceſſit, nondum in Nummis AUG. dici, quamvis cum prænomine IMPERATORIS.

Hinc ad inſtitutum probandum redeo. M. Aurelius anno Chriſti C LXXV occiſo Caſſio, ab exercitibus dictus fuit IMP. VIII. Hoc probant duo Nummi apud Mediobarbum pag. 225. Rurſus vidi hos Nummos inter Mediceos.

M. AUREL. ANTONINUS GERM. SARM. TR. P. XXII. Eſt Nummus maximi moduli.
IMP. VIII. COS. III. P. P. S. C. Hercules cum trophæo ſub quo captivæ figuræ.

M. ANTONINUS AUG. GERM. SARM. TR. P. XXII. Eſt primæ magnitudinis.
P. M. IMP. VIII. COS. III. CLEMENTIA. S. C. Figura muliebris cum patera & haſta pura.

M. AUREL. ANTONINUS AUG. TR. P. XXII. Primæ magnitudinis.
IMP. VIIII. P. P. FELICITAS AUG. S. C. Figura muliebris cum caduceo & haſta.
Alius: IMP. VIIII. COS. III. P. P. S. C. Novem figuræ ad templum ſacrificantes.

Ex his Nummis mihi contrectatis ac legitimis colligimus, Marcum Imperatorem anno Chriſti C LXXV dictum IMP. VIII, & poſtea anno Chriſti CLXXVIII appellatum IMP. VIIII.

XI.
Hadrianus aliique Imp. II dicti initio Imperii juxta Noriſium.

Jam verò apud Mediobarbum pag. 242. Nummi Commodi laudantur cum epigraphe in poſtica: TR. P. II. IMP. II. COS. P. P. Commodus accepit Tribunitiam Poteſtatem circa Auguſtum anni C LXXV.

Quare annus Tr. P. ii *exiit eidem anno Chriſti C L X X V I I. Quaſo te, Vir eruditiſſime, undenam Commodo titulus* Imperatoris *multiplicatus fuerit ab anno C L X X V ad annum C L X X V I I, cùm Marcus pater, nec anno C L X X V I, nec anno C L X X V I I, titulum* Imperatoris *multiplicaverit, ſed fuerit tantùm nuncupatus* Imp. VIII. *Si Nummi iſti duo Commodi ſunt legitimi, & rectè exſcripti, evidenter patet, Caſares, qui antea nomen* Imperatoris *ferebant, cùm poſtea Auguſti titulum accipiebant,* Imp. II *dictos fuiſſe. Adde his duos priores Nummos anno C L X X V I I I apud Mediobarbum pag. 243. in quibus Commodus dicitur* Tr. P. iii. Imp. III. Cos. des. II. *Itaque cùm anno Chriſti C L X X V I I I M. Aurelius dictus fuerit* Imp. VIIII, *Commodus vocatus fuit* Imp. III; *cùm anno C L X X I X M. Aurelius, quod Dio ac Nummi teſtantur, dictus ſit* Imp. X, *filius appellatus eſt* Imp. IIII, *ut in Nummis apud Mediobarbum pag. 243. Mortuo verò M. Aurelio, anno Chriſti C L X X X I I Commodus titulum* Imp. *multiplicavit, antea ſemper appellatus* Imp. IIII, *ut liquet ex Nummis. In Mediceis hoſce vidi.*

L. Aurel. Commodus Aug. Tr. P iiii. Imp. III. Cos. II. P. P. S. C.

L. Aurel. Commodus Aug. Tr. P. v. Virtus Aug. Imp. IIII. Cos. II. P. P. S. C.

Anno Chriſti C L X X I X menſe Auguſto Commodus inibat Tr. P. v, *quâ (labente patri* Tr. Pot. xxxiii) *dicebatur* Imp. IIII, *pater verò Marcus Aurelius* Imp. X. *Commodus ſtatim poſt obitum patris, Lucii pranomine relicto, Marci pranomen ſibi impoſuit, quod Nummi produnt. Quare cùm in Mediceo & aliis Nummis dicatur* L. Aurel. Imp. IIII, *illi Nummi patre vivente cuſi ſunt. Itaque tibi inquirendum eſt, cur Marcus pater ab anno Chriſti C L X X V ad C L X X X* ter *titulum* Imp. *multiplicaverit, filius verò* quater *eo temporis ſpatio* Imperator *dictus fuerit. Ex hiſce Nummis Commodi deſcendi in illam opinionem de titulo* Imp. II *Trajano, Hadriano & Pio initio Imperii Auguſtei delato. Jam verò diſce aliud hactenus non obſervatum. Sequiori atate Caſarum tituli* Imp. *multiplicabantur juxta numerum victoriarum, ita ut titulus* Imperatoris Aug. *initio Imperii acceptus in numerum non veniret. Lege titulum Epiſtola Galerii Maximiani apud Euſebium lib. 8. cap. 17. Ibi dicitur* Imp. XIX, *nempe Germanicus Max. &c. numera victorias ibidem recitatas, è quibus eum titulum iteravit, ſunt numero X I X. Ac proinde titulus ſeu pranomen* Imp. & Aug. *initio accepti in numerum non venit. Hac diligentiùs inquiſivi, inveſtigans rationem, cur Hadrianus & Antoninus Pius initio ſtatim Imperii* Imp. II *titulum tulerint, ac collatis Nummis Marci ac filii Commodi, in eam ſententiam deſcendi; & ex illo titulo* Imp. II. *Commodo collato, intuli, non eodem anno pranomen* Imp. *ac titulum* Aug. *accepiſſe; ſed priorem anno Chriſti C L X X V I, alterum paulò poſt initium anni C L X X V I I.* Ita Noriſius.

Verùm varia in medium adducit Vir in Numiſmatum intelligentia exercitatiſſimus, quæ mihi probari non poſſunt; ideoque tria apud me certiſſima hîc ſupponenda. Primum, aliud eſſe prænomen, aliud eſſe titulum Imperatoris victoriæ causâ datum: prænomen Imp. de more præponebatur, neque unquam multiplicabatur; cùm tamen titulus Imp. victoriis reſponderet, ideoque & multiplicaretur; quod utrumque certum faciunt Nummi Imperatorum & Imperii Collegarum, de quibus hîc tantùm loquor. Duos tantùm Titi afferam, in quibus tam prænomen quàm titulus Imp. disertè leguntur: T. Caesar. Imp. Vespasianus. in averſa parte, Imp. XIII. Cos. VI. In altero: Imp. T. Caes. Vespasian. in poſtica: Imp. XIII. Uterque Nummus anno Chriſti lxxvii, quo Titus nondum Auguſtus erat, percuſſus. Mitto infinitos alios paſſim obvios. Secundum, Collegas Imperii à me appellari, qui Tribunitia Poteſtate & Imperio Proconſulari donati fuere. Qui enim Tribunitia Poteſtate tantùm, uti Ælius Cæſar, aut ſolo Imperio Proconſulari, uti Nero antequam imperaret, decorati erant, nobiliori quidem modo, quàm puri puti Cæſares, Imperii conſortes erant, ſed Collegæ Imperii non erant. Collegæ itaque Imperii extitere Tiberius, Titus, Trajanus, Antoninus Pius, Marcus Aurelius, & Commodus, qui omnes non minùs quàm Auguſti, prænomen Imp. tulere, ac præterea Imp. titulum, ſi ipſi aut patres eorum Auguſti inſignem aliquam victoriam reportarent. Sed tam prænomen quàm titulus Imp. puris putis Cæſaribus denegatus, ut videre eſt in Nummis ante Quinquennalia Getæ Cæſaris cuſis. Verum quidem eſt, nec in Numiſmatis Tiberii, nec in Numiſmatis Marci Aurelii, antequam Auguſteam dignitatem adipiſcerentur, prænomen Imp. legi; ſed hoc vel eorum voluntati, vel Monetariis, vel aliis cauſis nobis ignotis attribuendum. Certè Veſpaſianus Aug. in Nummis apud Mediobarbum nunquam dicitur Imp. propter victorias, niſi in unico anno ejus emortuali cuſo, in quo Veſpaſianus dicitur: Tr. P. x. Imp. XX. Cos. VIIII, ut habetur apud Mediobarbum pag. 117. Si quis tamen inde inferre vellet, eum annis præcedentibus titulo Imp. ob victorias dari ſolito cohoneſtatum non fuiſſe, is profectò audiendus non eſſet; cùm contrarias haberet varias Inſcriptiones, præſertimque unam apud Gruterum pag. 573. in qua Veſpaſianus dicitur: Tr. Pot. ii. Imp. VI. Cos. III. Quare mirum videri non debet, ſi idem titulus in Nummis Marci Aurelii Cæſaris & Imperii Collegæ non habeatur, quemadmodum nec in quibuſdam Titi Cæſaris & Collegæ Imperii prænomen Imp. Uſus enim in cudendis Nummis non unus idemque ſemper fuit. Tertium, duplicem eſſe Proconſulatum, alium qui privatis ad certum tempus deferebatur, aliumque, qui pars erat ſupremæ Poteſtatis, ideoque & perpetuum. Hic Proconſulatus uni Neroni ex Cæſaribus, omnibus verò Imperii Collegis ac Auguſtis attributus. Scaliger, aliique ſummi Viri omnem diligentiam adhibuere, ut rationem detegere

XII. *Titulus Imp. Auguſtis & Collegis Imperii conceſſus.*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

poſſent, cur Auguſti in Nummis vix Proconſules appellentur, nihilque quod ſatisfaceret, protulere. Verùm opus non erat, ut Auguſti ac Imperii Collegæ in Nummis Proconſules dicerentur; cùm IMP. prænomine facultas bellorum gerendorum ſatis exprimeretur. Stante enim Republica Proconſules, qui cum Imperio militari in Provincias mittebantur, poſt relatam aliquam victoriam IMPERATORES vocabantur, IMP. titulo poſt Proconſulis nomen appoſito. Qui uſus à Julio Cæſare immutatus, & IMP. prænomen nomini præpoſitum, ut doctè Noriſio citato animadverſum. Trajanus quidem in uno aut altero Nummo apud Mediobarbum pag. 149. & pauci alii Auguſti in quibuſdam Nummis cum prænomine IMP. vocantur *Proconſules*, ſed retentum in illis Nummis IMP. prænomen propter uſum, qui jam invaluerat. Julius Cæſar prænomen IMP. primus aſſumſit, ut majori ſe poteſtate ad bella gerenda præditum eſſe demonſtraret, quàm Proconſules, quibus ob victorias dumtaxat IMP. titulus delatus fuerat. At Cæſar Auguſtus præter illud prænomen, titulum IMP. victoriis reſpondentem uſurpare voluit, quem deinde ſucceſſores imitati ſunt. Profectò incredibile videtur, Cæſarem Auguſtum Patris Patriæ, & Pontificis Max. titulos, alioſque à Dione lib. 53. enuntiatos ſibi dari voluiſſe; nullum verò, qui militare Imperium, quod in Republica ſumma rerum fuerat, exprimeret.

XIII. *In prænomine Imp. omnis potentia Auguſtis conceſſa deſignatur.*

Verùm opus non erat, ut Auguſti ac Imperii Collegæ Proconſulis nomen in Nummis & Inſcriptionibus uſurparent; cùm prænomen IMP. non tantùm illud ac bellorum gerendorum facultatem; ſed & omnem potentiam, quæ in populari Reipublicæ forma fuerat, deſignaret, ut teſtatur Dio loco laudato, ubi de inſtitutione Imperii Romani, ac Imperatoribus verba facit. Hæc ejus verba: *Conſules fiunt ſæpenumero, & quoties extra pomerium ſunt, Proconſules dicuntur: nomenque* IMPERATORIS, *non modo ſi qui aliquam victoriam retulerint, ſed & alii omnes, ad ſignificandam plenam ſuam & perfectam potentiam ſemper gerunt loco nominis Regii & Dictatoris: quæ ſemel è Republica ſublata, ut non imponunt ſibi, ita eorum vim ac rem ipſam Imperatorio titulo confirmant. Horum nominum ratione exercitus ſcribendi, pecuniæ conficiendæ, bella ſuſcipiendi, pacem faciendi, peregrinis & civicis legionibus ſemper & ubique ſimiliter imperandi, atque etiam intra pomerium Equites, Senatoreſque necandi, aliaque omnia quæ Conſulibus, aliiſque cum pleno imperio Magiſtratibus facere licet, agendi jus habent.* Dicit poſtea Dio, ex Cenſoria appellatione Imperatores in vitam & mores inquirendi poteſtatem conſecutos, ſummum Pontificatum geſſiſſe, ut omnes Religiones in ſua haberent manu: Tribunitiam Poteſtatem accepiſſe, ut intercedere iis poſſent quæ contra ipſorum ſententiam moverentur: Cæſaris & Auguſti vocabula nihil eis potentiæ adjeciſſe peculiaris; ſed alterum ſucceſſionem ſtirpis, alterum ſplendorem dignitatis ſignificare, & Patris nomen tuliſſe, ut admonitioni eſſet ipſis, ut ſubditos liberorum loco charos haberent. Certum itaque videtur, Julium Cæſarem titulum IMP. antea Proconſulibus ob victorias dari ſolitum, in prænomen mutaſſe, ut majori ſe ad bella gerenda poteſtate præditum eſſe oſtenderet, & Cæſarem Auguſtum præter prænomen IMP. potentiam illam deſignans, etiam titulum IMP. ob victorias in Republica conceſſum ſibi tribui voluiſſe; ac tandem Auguſtos & Imperii Collegas IMP. prænomine ad ſupremam potentiam oſtendendam inſignitos fuiſſe, licèt aliqui præ modeſtia illud recuſarint, uti Tiberius, in cujus Nummis tam initio quàm in fine Imperii ejus percuſſis apud Mediobarbum nunquam legitur, licèt IMP. titulum octies multiplicaverit. Quare verum eſt quod ſcribit Suetonius in Tiberio cap. 26. *Prænomen*, inquit, *Imperatoris, cognomenque Patris Patriæ, & civicam in veſtibulo coronam recuſavit*, nam Patris Patriæ nomen in eiſdem etiam non legitur. His poſitis, aliquæ nunc difficultates circa IMP. prænomen & titulum ſolvendæ.

XIV. *Auguſti initio Imperii Imperatores abſque victoria dicti.*

Et primò quidem Loydii opinionem de titulo IMP. Auguſtis initio Imperii abſque victoria dari ſolito, poſtquam nempe Nerva conſuetudinem illam induxit, optimè fundatam eſſe exiſtimo. Ei enim ſuffragantur duæ egregiæ Noriſii obſervationes num. VIII & IX hujus anni legendæ. Ex iis enim, quæ ibidem dicuntur, liquet, titulum IMP. ob victorias Commodo multiplicatum fuiſſe ab anno CLXXV ad annum CLXXVII, cùm Marcus pater nec anno CLXXVI, nec anno CLXXVII illum auxerit, ſed fuerit tantùm, uti antea, nuncupatus IMP. VIII. Ideo enim IMP. titulum Commodus multiplicavit, quia anno CLXXVI Auguſtus vocatus eſt. Fallitur verò Noriſius, quando ibidem ait, Lampridium in Commodo intelligendum eſſe de titulo IMP. non verò de Auguſteo nomine, quando tradit: *Appellatus Imperator V Kal. Exuperatorias.* Nam Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores ſæpe quidem diem, quo quis dictus eſt Cæſar aut Auguſtus, exprimere ſolent, nunquam verò eum, quo ob victorias IMPERATORES vocati ſunt. Probat & Loydii opinionem titulus Epiſtolæ Galerii Maximiani, in quo dicitur IMP. XIX; cùm tamen victoriæ ob quas illum adeptus eſt, ſint tantùm numero XVIII, ut videre eſt apud Euſebium à Noriſio citatum. Uſus tamen ille non videtur ſemper ſervatus. Commodus enim, qui Marco patri anno CLXXX ſucceſſit, dum IMP. IV vocaretur, IMP. V appellatus non eſt ante annum Chriſti CLXXXII. Idem de Collegis Imperii dicendum. Trajanus enim quando Tribunitia Poteſtate & Imperio Proconſulari donatus eſt, ideoque & Imperii Collega factus, ob victoriam Germanicam titulum IMP. conſecutus eſt, ut patet ex duobus Nummis à Goltzio relatis: NERVA. TRAJAN. CAES. GER. NER. AUG. F. P. TR. P. COS. II. IMP. qui IMP. titulus in alio ibidem Nummo eidem datus. Et tamen in tribus Numiſmatis à Mediobarbo pag. 149. recitatis, titulum IMP. Trajanus factus Auguſtus non geminat. In uno legitur: NERVA TRAJANUS CAESAR AUG. P. M. TR. P. IMP. P. P. in alio: IMP. CAES. TRAJANUS IMP. P. P. P. N. CONS. ubi Patris Patriæ elogium eum jam Auguſtum fuiſſe deſignat. Dici forſan poteſt IMP. titulum hîc ſimpliciter ac prætermiſſo numero poni, ut non rarò alibi ac ſæpe etiam

Tribunitia Poteſtas. Commodum tamen anno CLXXV, quando Imperii Collega dictus, titulum IMP. obtinuiſſe, oſtendit Numiſma à Noriſio ſuprà recitatum, in cujus antica legitur: L. AURELIO CAES. AUG. F. SAR. IMP. ubi prænomen IMP. tacetur, quod tamen eidem attribuitur in alio Nummo à Noriſio ſuprà relato: IMP. CAES. AUREL. COMMODUS GERM. SARM. in poſtica: TR. P. COS. ubi è contrà titulus IMP. omittitur, quod obſervandum, ne hujuſmodi omiſſiones nos in errorem inducant.

XV.
Titulus Imp. initio Imperii non ſolitus geminari.

Hadrianum porro & Antoninum initio Imperii titulum IMP. non geminaſſe, quod tamen vult Noriſius, liquet ex Nummis apud Mediobarbum pag. 173. Extat ibidem Numiſma inſcriptum: HADRIANUS AUGUSTUS P. P. in poſtica: IMP. P. M. TR. POT. COS. III. Nec dici poteſt titulum IMP. hîc abſolutè poni, aut Hadrianum illum titulum in adoptione, ac poſtea iterum quando Trajano ſucceſſit, accepiſſe; quia vivente Trajano Hadrianus quidem adoptatus, ſed nomen Cæſaris & Auguſti nonniſi poſt Trajani mortem conſecutus eſt, ideoque nec titulum IMP. quare ejus adoptio Trajani adoptioni in omnibus ſimilis non fuit. Sic Antoninus, quando Auguſtus inauguratus, IMP. tantùm appellatus eſt, non verò IMP. II, ut videre eſt apud Mediobarbum pag. 191. ANTONINUS AUG. PIUS P. P. TR. P. COS. in poſtica: IMPERATOR. in altera poſtica eidem anticæ reſpondente legitur, IMPERATORI. Nec obſtat Inſcriptio à Noriſio producta, in qua habetur: IMP. AELIO CAESARI ANTONINO, &c. eidemque dicata ante Hadriani mortem. Nam, ut jam monui, prænomen IMP. cum titulo IMP. ob victorias confundendum non eſt: in ea verò Inſcriptione vox IMP. prænomen eſt, non verò titulus victoriæ causâ datus. Diſtinguendus etiam Proconſulatus privatis & puris Cæſaribus dari ſolitus, à Proconſulatu Auguſtis & Collegis Imperii conceſſo. Priorem Proconſulatum tantùm Domitianus Cæſar aſſecutus eſt, ideoque ante Auguſteam dignitatem, nec prænomine IMP. nec titulo IMP. ob victorias inſignitus fuit, ſicut nec alii Cæſares, qui Tribunitia Poteſtate ac Imperio Proconſulari donati non ſunt. Denique Plinius in Panegyrico Trajani nomine IMP. Imperium Proconſulare Trajano in adoptione datum deſignat, uti in hoc loco: *Jam Cæſar, jam Imperator, &c.* & in iſto: *Simul filius, ſimul Cæſar, mox Imperator, & conſors Tribunitiæ Poteſtatis.* Ubi Plinius num. VIII ordine explicat quæ in adoptione Trajani facta. Primùm enim filius Nervæ ac Cæſar dictus; mox Imperio Proconſulari & Tribunitia Poteſtate decoratus; quæ explicatio certiſſima, quamvis aliquibus non probata. Si enim nomine Imperatoris Plinius Imperium Proconſulare non intelligeret, nullum in toto ſuo Panegyrico de inſigni illo honore Trajano à Nerva collato mentionem feciſſet. Jam autem diximus, omnes Imperii Collegas tam prænomine quàm titulo IMP. fuiſſe ornatos. Dicebantur quidem Proconſules à Proconſulatu, ſed hoc non impedit, quin ab Imperio militari, quod eam dignitatem ſequitur, dicerentur Imperatores. Quæ ad majorem Annalium Eccleſiaſt. illuſtrationem prætermittenda non fuere.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5611. ☉ 15 C. ☽ 5. P. 28. MART. INDICT. 20.
JESU CHRISTI 118. *ſecundum Baronium* 120.
SIXTI PAPÆ 3.
HADRIANI IMP. 2.

COSS. *Hadrianus Aug. II, & Fuſcus Salinator.*

I.
Conſules.

Hadrianus aliquot ante Imperium annis Conſulatum ſuffectum geſſerat, annoque præcedenti ante Trajani obitum Conſul iterum deſignatus fuerat. Quare is Conſulatus, ei antequam imperaret, decretus, non procedit juxta primam regulam, ſed is tantùm quem anno ſequenti geſſit. Jam autem in Claudio & Nerone vidimus, Imperatores Conſulatus ſuſcipere ſolitos, ad quos, dum privati erant, deſignati fuerant. In Chronico Alexandrino Hadrianus ſine numerali nota, quemadmodum & Veſpaſianus in primo ſuo Conſulatu editur; quia illius Chronici Auctor Conſulatus ſuffectos prætermittere ſolet.

II.
Primus Hadriani Romam adventus.
Baron. num. 1.

Ad num. I. Trajano demortuo, *Hadrianus* Antiochiâ digreſſus *per Illyricum Romam venit*, inquit Spartianus in Hadriano cap. 6. qui addit, cum divinos honores Trajano tribuiſſe, & cùm Senatus ipſi eum qui Trajano debitus erat, detuliſſet, *recuſavit ipſe, atque imaginem Trajani curru triumphali vexit, ut optimus Imperator, ne poſt mortem quidem triumphi amitteret dignitatem.* Hujus apotheoſeos ac triumphi teſtis hic Nummus, qui extat apud Mediobarbum: DIVO TRAJANO PARTH. AUG. PATRI, in poſtica: TRIUMPHUS PARTHICUS. Cernuntur Quadrigæ triumphales inſidente Imperatore. Subjungit Spartianus: *Patris Patriæ nomen ſibi delatum ſtatim & poſtea diſtulit: quod hoc nomen Auguſtus ſerò meruiſſet.* Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis ad num. 2142. Spartianum hallucinatum exiſtimat, refertque Inſcriptiones duas, in quibus Hadrianus dicitur COS. II. P. P. qui ſecundus Conſulatus præſenti anno geſtus. Cùm itaque Spartianus abſolutè non dicat, Hadrianum Patris Patriæ nomen recuſaſſe, ſed tantùm aſſerat, illud *ſtatim & poſtea* diſtuliſſe, veroſimile eſt, titulum illum, dum in Syria eſſet, primùm rejeciſſe, ac ſtatim admiſiſſe, & poſtea, tempore ſc. incerto, illud rurſus recuſaſſe, ac quemadmodum prima vice, paulò pòſt gratum habuiſſe. Novi tituli annis Decennalibus & id genus feſtis addictis ab Imperatoribus uſurpati. Sed Hadrianus ante Quinquennalia & poſt illa *Pater Patriæ* dictus. Quare vel Spartianus erravit, vel annus, quo ſecunda vice nomen illud recuſavit, nobis ignotus.

III.
Hadriani liberalitas.
Baron. num. 1.

Ut primùm Romam venit, quidquid fiſco ærarioque debebatur, remiſit, definito tempore annorum ſedecim, ex quo id beneficium collatum eſſe voluit, inquit Dio lib. 69. id eſt, à præſenti anno uſque ad ſua Quindecennalia, ut in Diſſert. Hypat. cap. 5. num. VI oſtendi adverſus Scaligerum, qui in Animadverſionibus Euſebianis ad numerum 2134. ait, pulcherrimum hinc deſumi *Indictionis* exemplum. Meminit hujus indulgentiæ Euſebius

in Chronico, cujus etiam mentio in Nummo à Mediobarbo recitato: IMP. CÆSAR TRAJANUS HADRIANUS AUG. P. M. TR. P. COS. II. in poſtica: RELIQUA VETERA HS. NOVIES MILL. ABOLITA S. C. Viſitur ibi Imperator ſtans, dextrâ facem, quâ ſyngraphas adurit, ſiniſtrâ ſceptrum tenens. Fuit illa, inquit Scaliger loco laudato, immaniſſima ſumma, quæ ad rationes Gallicani collybi 17. milliones aureorum ſolatorum, & ampliùs aſcenderet. Ea porro debitorum remiſſio præſenti anno facta, ut demonſtrat ſecundus Trajani Conſulatus in Nummo expreſſus, & confirmat Inſcriptio in Annalibus à Baronio memorata, in quo Hadrianus dicitur COS. II. In Collectaneis Græcis apud Scaligerum pag. 341. laudata Dionis verba cum anno primo Olympiadis CCXXIV connectuntur, ideoque hæc indulgentia in annum ſequentem non propagata, ut exiſtimavit Baronius, quia annus ille Olympiadicus menſe Julio currentis anni abſolvitur. Ait Baronius, eam in annum ſequentem & Tribunitiam Poteſtatem III eſſe propagatam, tum cùm Romam Hadrianus rurſus advenit, & Conſulatum III iniit; cùm, inquit, Tribunitia Poteſtas III cum tertio Conſulatu conveniat; in Nummo verò alio legatur: IMP. CAESAR TRAJANUS HADRIANUS AUG. P. M. TR. P. COS. III. in poſtica: RELIQUA VETERA HS. NOVIES MILL. ABOLITA. S. C. Hæc Baronius. Sed cùm tertius ille Conſulatus jungatur etiam cum aliis omnibus annis Tribunitiæ Poteſtatis inſequentibus; & Hadrianus nullum poſtea alium Conſulatum ſuſceperit, argumentum Baronii non procedit. Præterquam quòd verum non eſt, Hadrianum anno ſequenti rurſus Romam veniſſe, ideoque hoc anno inde diſceſſiſſe; cùm, ut videbimus, Hadrianus Romæ uſque ad annum ſequentem verſatus fuerit. Mediobarbus hunc Nummum cum Baronio in annum ſequentem confert. Sed ex regula mihi primùm obſervata liquet, illum in Decennalibus, aut Quindecennalibus Hadriani percuſſum; cùm annis hujuſmodi feſtivitatibus addictis victoriarum ac rerum glorioſè à Principe antea geſtarum, tam in Nummis, quàm in Inſcriptionibus, memoria renovari ſoleret. Nec refert, quòd in eo Hadrianus non dicatur *Pater Patriæ*, quem titulum in Decennalibus ſumſit; nam præterquam quòd antequam appellationem illam admitteret, cudi potuit, hujuſmodi tituli ſæpe in Nummis neglecti.

IV. *Diſciplina arcani accuratè explicata.*

Baron. num. XXIV & ſeqq.

Ad num. XV. Aliquot ſeculis diſciplinam arcani ſeu occultationem quorumdam myſteriorum Religionis Catholicæ viguiſſe, & ex ea diſciplina complures Patrum ſententias, quas Proteſtantes contra Catholicos adducunt, exponi poſſe doctè demonſtrat Schelſtratius in Diſſert. ſingulari *de Diſciplina Arcani*, quam nuper Romæ in lucem emiſit. Hanc conſuetudinem Albertinus lib. 2. diſp. *de Reticentia myſteriorum*, fuſiùs probandam ſuſcepit, & Caſaubonus Exercitatione XVI in Baronium ait: Quis ita hoſpes in Patrum lectione, cui ſit ignota formula, & mentione Sacramentorum potiſſimùm uſu trita, *Ἴσασιν οἱ μεμυημένοι*, *norunt initiati quod dicitur.* Quæ formula in unius Chryſoſtomi aut aliis ſcriptis minimùm quinquaginta locis poteſt obſervari. Apud Auguſtinum in Epiſtolis, in Enarrationibus in Pſalmos, Tractatibus in Joannem, Homiliis, ſive Sermonibus, aut aliis Scriptis non multò rariùs, &c. Notum eſt illud Auguſtini Tractatu 96. in Joannem: *Catechumenis Sacramenta Fidelium non prodununtur*; & illud magni ejuſdem Eccleſiæ Doctoris: *Neſciunt Catechumeni quid accipiant Chriſtiani.* Notum quoque eſt illud Chryſoſtomi homilia XXVII in Matthæum: *Euchariſtiæ myſterium ..... initiati ſolummodo noverunt.* Et illud Catecheſis prioris Cyrilli Hieroſol. ad baptizandos: *Sciunt initiati vim hujus populi; ſcietis vos quoque paulo poſt.* Immo apud ipſas Philoſophorum ſectas, diu ante Chriſti adventum obſervatum fuit, ut prophani procul à ſacris arcerentur, teſte Iamblicho lib. 1. de vita Pythagoræ cap. 28. *Cùm externis, & , ut ita dicam, prophanis, ſi quandoque uſus ferret congrediendum eſſe, nequaquam ſua Sacramenta enuntiabant, ſed per ſymbola & arcanas teſſeras obſcurè & latenter ſibi mutuò ſenſa mentis velut ænigmatibus ſignificabant.* Ita Iamblichus, cujus Opera nuper in Anglia publici juris facta. Idem omnino teſtatur Clemens Alex. lib. 5. Stromatum: *Non ſolùm autem Epicurei, & Plato multa occultabant, ſed etiam Epicurei dicunt, quædam eſſe apud ſe arcana, & non permittere omnibus, ut ea ſcripta legant.*

V. *Diſciplina ſilentii Fideles non reſpiciebat.*

Porro inter omnes convenit, eam diſciplinam pro Cathecumenis, Judæis & Gentilibus obſervatam fuiſſe, non verò pro Fidelibus ſeu baptizatis, quibus cuncta Religionis Catholicæ myſteria abſque ullâ verborum ambage exponi poterant. Putabant enim Patres ſequendum ſibi grave illud Chriſti mandatum apud Matthæum cap. 7. *Non eſſe dandum ſanctum canibus, nec margaritas projiciendas eſſe ante porcos.* Cùm verò SS. Patres unanimi voce ex verbis Chriſti relatis diſciplinam arcani introductam fuiſſe aſſerant, liquet eam ex traditione Apoſtolica proveniſſe: neque enim communis ille Eccleſiarum conſenſus ex decreto alicujus particularis vel generalis Concilii ortum duxit, ſed omnes per orbem Eccleſiæ eandem diſciplinam obſervarunt, abſque eo quòd certo quodam tempore ea cœpiſſe reperiatur. Quare, juxta D. Auguſtini regulam, hæc una ex iis eſt, quæ ex traditione Apoſtolica ad nos pervenere.

VI. *Ritus & dogmata Sacramentorum olim occultata.*

Non ſolùm Sacramentorum ritus, ſed etiam dogmata occultari olim ſolita. Caſaubonus Exercitatione XVI in Baronium ait: *Cùm in Sacramentis tria occurrant conſideranda, ſymbola ſignificantia, res ſymboli ſignificatæ, & ritus celebrandorum Sacramentorum; Veteres non adeò res in Sacramentis ſignificatas, & efficaciam illorum ſiluiſſe, quàm ſymbola ipſa, & ritus ac rituum cauſas.* Et quamvis propter Euchariſtiæ Sacramentum Caſaubonus dicere debuiſſet non ſolùm res ſymboli ſignificatas, ſed etiam *ſub eis contentas*, ac magnum ejus verba errorem contineant, in eo quòd negant, res in Sacramentis ſignificatas vel contentas olim occultari conſueviſſe; ejus tamen obſervationem veriſſimam eſſe clamat Albertinus, aitque, arcani diſciplinam apud Orthodoxos in mera rituum occultatione olim ſitam fuiſſe.

fuiſſe. At complura ſunt SS. Patrum teſtimonia, ex quibus luce clarius monſtrari poteſt, antiquam Eccleſiæ diſciplinam non ſolùm in ſymbolis Sacramentorum, eorumque ritibus, ſed etiam in rebus per ipſas ſignificatis, ſeu contentis, occultandis viguiſſe. Extat celeberrimum totius Italiæ teſtimonium, quod Julius primus ſuo nomine ad Euſebianos tranſmiſit, & contra eoſdem urget Athanaſius in Apologia II. Non ſolùm enim accuſant Euſebianos, quod de calice & menſa ſermonem habuiſſent in præſentia Præfecti, aſſiſtentibus tum Ethnicis, tum Judæis; ſed quòd coram iiſdem, præſentibus quoque Catechumenis, *quæſtionem de Sanguine & Corpore Chriſti habuiſſent*. Quæ his verbis totius Ægypti Epiſcopi in Synodica ad omnem ſub cælo Eccleſiam deplorant: *Coram Ethnicis hominibus quæſtiones de Eccleſia, de calice, de menſa Domini, de Sanctis Sanctorum habuere.* Nam per Sancta Sanctorum intelligenda ſunt Sacramenta Corporis & Sanguinis Chriſti, quæ Gentilibus, Judæis, Catechumenis occultanda, non publicanda erant.

VII. *Quædam dogmata olim occultata, quædam publicata.* Oſtendit Origenes lib. I. contra Celſum, eandem de myſterio arcani diſciplinam in Eccleſia, tam quoad dogma, quàm quoad ritus, receptam fuiſſe. Nam cùm Celſus homo Ethnicus & Chriſtiani nominis hoſtis dixiſſet, *Chriſtianos clam quidquid ipſis libet vel facere vel docere*, opponit ſe Origenes, aitque: *Deinde quoniam ſæpius nominat doctrinam clancularium, coarguendum eſt hoc quoque: quando per totum Orbem notior eſt Chriſtianorum prædicatio, quàm Philoſophorum placita. Quis enim Jeſum è Virgine natum & crucifixum ignorat? Quis reſurrectionem ejus multis creditam, & denuntiationem judicii reddituri pro dignitate pœnas peccatoribus, & juſtis præmia? Quin & reſurrectionis futuræ myſterium vulgatum eſt, tametſi rideatur ab Infidelibus. Quæ cùm ita ſe habeant, perabſurdum eſt doctrinam hanc vocare clancularium. Quòd verò quædam inſint, quæ non annuntiantur quibuſvis, id non ſolius doctrinæ Chriſtianæ proprium eſt, verùm etiam Philoſophicæ. Nam & illi exteriorem & penitiorem doctrinam habebant, & alii Pythagoram audiebant contenti ipſius auctoritate, alii ſecretè diſcebant rationes non evulgandas in prophanos, nondumque purgatos.* Ex hoc loco conſtat, Celſi temporibus non ſolùm ritus, ſed Religionis quoque Chriſtianæ dogmata juxta Eccleſiæ diſciplinam occultata fuiſſe. Enumerat Origenes dogmata, quæ palam prædicabantur, ut Incarnationis, Paſſionis, & Reſurrectionis Dominicæ, extremi judicii, & reſurrectionis noſtræ. Non loquitur autem de ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio, neque de Sacramento Euchariſtiæ, neque de aliis Sacramentis, quòd illa ex iis eſſent, quæ non communicabantur quibuſvis, adeoque circa quæ diſciplina arcani obſervanda erat, prout de myſterio Euchariſtiæ tractaturus, homiliâ 13. in Exodum difertis verbis præmonuit.

VIII. *Myſterium Trinitatis celari ſolitum.* Denique dogma de ſanctiſſima Trinitate olim Judæis & Catechumenis occultatum fuit, Apoſtoli verò illud coram Judæis non reticuere, quia idem myſterium in propheticis Sermonibus antiquitus acceperant. Chryſoſtomus homiliâ 40. in primam ad Corinthios Epiſtolam expreſsè profitetur, ſe non audere loqui de forma baptiſmatis & ſymbolo, quibus ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium exponitur: *Non audeo*, inquit, *propter eos, qui non ſunt initiati: ii enim expoſitionem nobis faciunt difficiliorem, ut qui nos cogunt, vel non apertè dicere, aut eis arcana enuntiare. Sed tamen dicam, quoad ejus à me fieri poterit, tectè & adumbratè, &c.* S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi VI, agens de myſteriis ſymbolo contentis ait: *Hæc myſteria Sacramentaque nunc patefacit Eccleſia ei, qui ex Catechumenis excedit; nec moris eſt Gentilibus exponere: non enim Gentili cuiquam de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto arcana myſteria declaramus, neque palam apud Catechumenos de myſteriis verba facimus, ſed multa ſæpe loquimur occultè, ut Fideles, qui rem tenent, intelligant, & qui non tenent, non lædantur.* Vide quæ anno Chriſti LV, num. V de canone XXXVII Concilii Illiberitani dixi.

IX. *Ex Diſciplina arcani ſeptem Sacramenta comprobata.* Ex hac arcani diſciplina provenit, quòd primis Eccleſiæ ſeculis nulli Tractatus de ſeptem Sacramentis, quorum noſtris temporibus tam frequens mentio, ſcripti ſint. Dicunt quidem Proteſtantes, antiquiores Patres à Commentariis de ſeptem Sacramentis abſtinuiſſe, quòd numerum illum Sacramentorum non admiſerint. Sed id ex Orientalis Schiſmaticæ, & Occidentalis Orthodoxæ Eccleſiæ conſenſione facilè refellitur. Neque enim Orientales Schiſmatici cum Orthodoxis Latinis in unam eandemque ſententiam ab octingentis annis conſpiraſſent, niſi illam à majoribus accepiſſent. Alia itaque ratio quærenda. Cùm Tractatus de ſeptem Sacramentis eduntur, neceſſe eſt eorum ritus exponere, materiam & formam, quibus conficiuntur, determinare, dogma ipſum de omnibus ad Sacramentorum conſecrationem & adminiſtrationem ſpectantibus minimè celare. Quæ tamen priſca Eccleſiæ diſciplina oculis & auribus Gentilium, Judæorum & Catechumenorum religioſè occultabat; quorum prophanatione metuentes Antiqui ab iis abſtinebant in ſermonibus, & ſibi cavebant, neque in ſcriptis de iis agebant. Contrà verò poſtquam ſexto Eccleſiæ ſeculo diſciplina illa abolita fuit, ut ibidem viſuri ſumus, frequens Sacramentorum memoria non tantùm apud Græcos, ſed etiam apud Latinos, ſaltem à Caroli Magni tempore, apud Græcos verò poſt tempora Photii, qui in ſua Bibliotheca ex Jobio Monacho *ſeptem ſacroſancta Chriſti Eccleſiæ myſteria celebrat.* Diſciplina itaque arcani in cauſa fuit, quòd ſex primis Eccleſiæ ſeculis Catholici Scriptores à Tractatibus de Sacramentis abſtinuerint, rariùs & obſcuriùs de iis ſcripſerint, neque de eorum numero recenſendo ſoliciti fuerint. Quæ omnia ex Schelſtratio in egregia Diſſertatione de Diſciplina Arcani excerpta, quibus Annales in multis lucem accipere poſſunt.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5612. ☉ 16 B. ☽ 6. P. 17. APRIL.
INDICT. 2.
JESU CHRISTI 119. *ſecundum Baronium* 121.
SIXTI PAPÆ 4.
HADRIANI IMP. 3.

I. *Conſules.* COss. *Hadrianus Aug. III*, & *Ruſticus.* Sumtus is Conſulatus ab Hadriano juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam, quòd in annum præcedentem Conſulatus, ad quem adhuc privatus deſtinatus fuit, inciderit. Atque hinc manifeſtè intelligimus, Hadrianum, quando à Trajano iterum Conſul deſignatus eſt, ac in filium adoptatus, in conſortium Imperii adſcitum non fuiſſe, ut aliqui Eruditi volunt; cùm ſi Cæſar tunc dictus fuiſſet, ac in partem Imperii veniſſet, duplicem Conſulatum non geſſiſſet, alterum ob adoptionem, alterum ob Imperium, ſed unicum tantùm, ob Imperium ſc. ſuſcepiſſet. Ex tertio itaque Conſulatu hoc anno ab eo ſumto apparet, ſecundum eidem ob adoptionem tantùm conceſſum. Onuphrius in Faſtis ait: *Hadrianum Aug. II, mendosè pro III, & Ruſticum Conſules digerunt Caſſiodorus, Faſti Græci, & liber Cuſpiniani.* Idem ſcribit Baronius in Annalibus. At ab illis Auctoribus minimè peccatum; ſed tantùm Conſulatus ſuffectus, quem ante conſecutum Imperium geſſerat Hadrianus, neglectus ac prætermiſſus; quod tam in Faſtis quàm in Nummis & Inſcriptionibus ſæpe contigit.

II. *Obitus Evariſti PP.* Baron. num. I & II. Ad num. II. S. *Evariſtus* Papa anno Chriſti centeſimo octavo Braduæ & Galli Conſulatu notato martyrio coronatus eſt, juxta Chronicon Damaſi, in quo legitur: *Evariſtus annis tredecim, menſibus ſeptem, diebus duobus. Fuit temporibus noviſſimis Domitiani, & Nervæ & Trajani, à Conſulatu Valentis & Veri* (legendum Veteri) *uſque Gallo & Bradua.* Sed loco, *annis tredecim*, legendum, *annis duodecim*, ut Conſulatus ſub quo cœpit, & ſub quo deſiit, oſtendit. Pontificatum inierat anno XCV, Domitiani XVII, & Clementis Conſulatu notato, obiitque anno CVIII, menſe ac diebus incertis. Colitur quidem Evariſtus die XXVI Octobris, legiturque in auctiori Chronico veterum Ponticum: *Sepultus eſt juxta corpus B. Petri in Vaticano VI Kalend. Novembris.* Sed dies, quibus priores Pontifices Romani coluntur, potiùs ad aliquas eorum Tranſlationes, quàm ad eorum Natalia pertinere, jam ſæpe monuimus. Evariſto ſucceſſit *Alexander*, non quidem Hadriano imperante, ut exiſtimavit Baronius, ſed Trajano Rempublicam Romanam adminiſtrante, ut teſtantur Euſebius tam in Hiſtoria, quàm in Chronico, Marianus Scotus, Hermannus Contractus, aliique. Non itaque dubitandum videtur, quin Alexander anno Chriſti CVIII Eccleſiæ Romanæ gubernaculo admotus fuerit.

III. *Decretales Evariſti.* Decretales duæ Evariſto ſupponuntur. Prima *ad omnes Epiſcopos Africæ data IX Kalend. Aprilis, Valente & Vetere Coſſ.* quam falſam oſtendit locus prolixus Idatii Clari ad Warimarum Arianum huic Epiſtolæ inſertus. Idatius enim exeunte quarto Eccleſiæ ſeculo floruit. Secunda ſcripta eſt *omnibus per Ægyptum Dominis conglutinatis fratribus. Data Kal. Novembris, Gallo & Bradua Coſſ.* Sed refertur in ea tacito Auctoris nomine prolixus alius locus ex prima Epiſtola Clementis Papæ, juxta Latinam interpretationem à Rufino editam; cùm tamen hic quinti Eccleſiæ ſeculi initio adhuc in vivis fuerit. Denique incipit cum verbis S. Leonis primi: *Unum vos, fratres, ſentire oportet & agere*, &c.

IV. *Hadrianus in Paleſtinam & Ægyptum venit.* Baron. num. III. Ad num. III. Hadrianus, qui anno ſuperiori Romam venerat, in eadem urbe Conſulatum tertium iniit, quod ex Spartiano in Hadriano cap. 8. colligo: *Ipſum autem tertium Conſulatum, & quatuor menſibus tantùm egit, & in eo ſæpe jus dixit:* ubi loquitur Spartianus de geſtis ab Hadriano, dum adhuc Romæ eſſet. Abdicato tertio Conſulatu Romà diſceſſit, & in Palæſtinam venit. Auctor enim Chronici Alexandrini ſub hujus anni Conſulibus ſcribit: *His Coſſ. tumultuantibus Judæis, Hadrianus venit Hieroſolyma, captiſque Hebræis, Terebinthum urbem, ubi celebritatem publicam inſtituit, Judæoſque ſingulos ad equi pretium venales expoſuit, reliStos Gazam traxit, ibique propoſito foro vendidit, feſtumque diem inſtituit, qui hodieque appellatur Hadriani. Everſo porro Hieroſolymorum templo, condidit duplex forum, theatrum item, & triſtegum ſeu trizonium atque tetranymphum, & dodecapylum (ædificium duodecim portarum) quod antea gradus appellabant, & denique Codram. Diviſit hinc urbem in ſeptem vicos, creavitque ſeptem Vicomagiſtros, ſingulisque ſingulos aſſignavit vicos, à quibus hodieque nomina retinent. Urbem, quòd ille Ælius Hadrianus diceretur, Æliam nuncupavit.* Sed falſum eſt, Hadrianum Judæorum templum demolitum eſſe, cùm id Veſpaſiano imperante contigerit. Veroſimile tamen eſt quod ait Petavius in Animadverſionibus Epiphanianis ad librum de Menſuris & Ponderibus, paulatim accidiſſe, ut *partim Judæi, partim Chriſtiani, ſive in ſuperſtite illa urbis parte, ſive in propinquo aliquo loco, domicilia collocarint. Quæ omnia unà cum veteribus Hieroſolymorum reliquiis Hadrianus demolitus eſt, ac novam à fundamentis urbem extruxit: non tamen iiſdem in veſtigiis, quibus prior conſtiterat, ſed, ut in urbium inſtaurationе ſæpius uſu venit, haud procul à veteri ſede.* Huc referendum quod ait Epiphanius in libro de Ponderibus & Menſuris num. XIV. *Itaque in Ægyptum profectus, cùm Romà diſcedens, urbes illas, quæ in itinere poſitæ ſunt, obire ac perluſtrare vellet, inter cæteras Antiochiam, ac Celen, Syriam, Phœnicem, & Palæſtinam, quæ Judæa dicitur, anno, quàm everſa fuerat, ſeptimo & quadrageſimo peragrans, Hieroſolymam celeberrimam urbem ac nobiliſſimam contendit, quam Titus Veſpaſiani filius ſecundo ſui Imperii anno ſubverterat. Hanc ille ſolo æquatam, templum ipſum deſtructum ac proculcatum reperit, paucis ædibus exceptis, ac parva quadam Chriſtianorum Eccleſiâ*, &c. Addit Epiphanius, Hadrianum de urbe inſtauranda cogitaſſe, quod ab eo factum infrà ſuo loco oſtendemus. Verum quidem eſt,

Baron. an. 137. n. VIII. Baronium: hunc Epiphanii locum anno CXXXV, ſeu, ut ipſe numerat, anno CXXXVII, narrare, quòd Æliam eo duntaxat anno conditam exiſtimet. Sed, ut anno CXXXII demonſtrabimus, Ælia non alio anno quàm præſenti ædificata. Porro quadraginta illi ſeptem anni ab anno Chriſti ſeptuageſimo primo, quo triumphus Judaïcus ductus, deſumendi, & ultimus, quo Hadrianus Hieroſolymam venit, ut ſæpe ab Antiquis fit, excludendus; ac præterea annus ſecundus Veſpaſiani loco ſecundi Titi numerandus. Denique, Hadrianum currenti anno, quo Conſulatum tertium geſſit, in Ægyptum veniſſe demonſtrat Nummus à Mediobarbo productus pag. 175. HADRIANUS AUG. COS. III. P. P. in poſtica: ADVENTUI AUG. S. C. ALEXANDRIAE. Cernitur Imperator habitu Conſulari, dextram porrigit Jovi Serapidi, poſt quem Iſis ſtans ſiniſtrâ ſiſtrum tenens; poſt Imperatorem alia figura muliebris manum ſiſtro intendens. Quare perperam negavit Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis, Hadrianum hoc tempore Alexandriam veniſſe, ſcribens, erraſſe Euſebium, quando primo Hadriani anno ait: *Hadrianus Alexandriam à Romanis ſubverſam publicis inſtauravit expenſis.* Nam res quidem anno ſuo non conſignata, & Alexandriæ ſubverſio Veteribus non memorata; ſed Hadriani ad eam urbem adventus in dubium non revocandus; cùm tertius Conſulatus ultimus ſit, quem Hadrianus ſuſcepit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5613. ☉ 17 A G. ☽ 7. P. 1. APRIL.
INDICT. 3.
JESU CHRISTI 120. *ſecundùm Baronium* 122.
SIXTI PAPÆ 5.
HADRIANI IMP. 4.

I. *Conſules.* COSS. *L. Catilius Severus*, & *T. Aurelius Fulvus*, ex Inſcriptione Onuphriana.

II. *Geſta anno præſenti ab Hadriano.* Baron. num. 1. Ad num. II. Hadrianus anno tantùm ſequenti per univerſas Imperii Provincias peregrinationem inſtituit, ut tunc commodiùs oſtendetur. Incertum autem, an currenti vel ſequentis initio Romam redierit. Spartianus in Hadriano cap. 6. loquens de Hadriano, dum adhuc Romæ eſſet, ait: *Audito dein tumultu Sarmatarum & Roxolanorum, præmiſſis exercitibus, Mœſiam petiit.* Ac paulò pòſt: *Cum Rege Roxolanorum, qui de imminutis ſtipendiis querebatur, nullo cognito negotio pacem compoſuit.* In Collectaneis Græcis apud Scaligerum dicitur, Hadrianum urbem in Mœſia ædificaſſe, eamque *Hadriani venationes* appellaſſe, idque anno tertio Olympiadis CCXXIV, qui menſe Julio currentis Chriſti anni abſolvitur. Quare Hadrianopolis hoc anno ædificata videtur. Verum eſt, Euſebium in Chronico tam ſecundùm Pontacum, quàm ſecundùm Scaligerum, anno Abrahami 2135. qui cum menſe Auguſto præcedentis Chriſti anni terminatur, ſcribere: *Bellum in Sauromatas geſtum.* Sed Chronologia, per tranſpoſitionem annorum Librariorum errore factam, in eo Chronico non parum labefactata. Unde Marianus Scotus, & Hermannus Contractus, qui ſinceriora Chronici Euſebiani exemplaria viderant, hæc verba cum anno quarto Hadriani copulant.

III. *Fauſtini & Jovitæ martyrium.* Ad num. III. Acta SS. *Fauſtini & Jovitæ*, qui martyrium Brixiæ ſubiere, refert ex Auctore anonymo Henſchenius die XV Februarii, cenſetque eos præſenti anno ab Hadriano morte affectos; quæ etiam ſententia Baronii fuit. Sed Henſchenius in Vita S. *Afræ*, Baron. num II. quæ, *Italico* comite marito crudeli pagano à leonibus, leopardis & urſis cum idolorum Sacerdotibus devorato, converſa eſt, & cum Fauſtino & Jovita fratribus plurimùm cruciata, ac tandem martyrio coronata fuit, obſervat, in ſecunda Vita Fauſtini & Jovitæ num. VIII dici, Fauſtinum, Jovitam, Calimerium & Afram veniſſe ad locum, qui dicitur *Catacumbas*, & ibi inveniſſe *B. Teleſphorum* Epiſcopum, qui & ipſe latitabat inter ſepulchra Martyrum, propter paganorum metum. Unde rectè deducit Henſchenius, Jovitam & Fauſtinum circa annum 133. quo Teleſphorus ſedebat, morte affectos; eò magis, quòd in Vita S. Calimerii die XXXI Junii idem legitur. Colitur S. *Afra* die XXIV Maii, quo ejus Acta Henſchenius illuſtrat.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5614. ☉ 18 F. ☽ 8. P. 21. APRIL. Olymp. 225.
INDICT. 4.
JESU CHRISTI 121. *ſecundùm Baronium* 123.
SIXTI PAPÆ 6.
HADRIANI IMP. 5.

I. *Conſules.* COSS. *M. Annius Verus II*, & *L. Augur.* Baronius priorem ſine numerali nota profitetur. Sed Capitolinus in Vita Marci Aurelii ait, hunc natum eſſe *VI Kal. Maias avo ſuo iterum & Augure Coſſ.* Geminum itaque Conſulatum geſſit M. Antonius Verus M. Aurelii poſtea Imperatoris avus, ut pluribus oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari.

II. *Hadriani Quinquennalia.* Atque hinc lucet, Hadrianum hoc anno Quinquennalia exhibuiſſe: annis enim id genus feſtis deſtinatis, ſi Conſulatum Imperatores non ſumerent, eum in viros Conſulares, aut propinquos de more conferebant. Hujus feſti ſuperſunt alia indicia. Extat Hadriani Nummus inſcriptus, IMP. CAESAR TRAJANUS HADRIANUS AUG. P. M. TR. P. COS. III. P. P. in poſtica: ANN. DCCCLXXIIII. NAT. URB. P. CIR. CON. S. C. Cernitur figura humi ſedens, cum rota & tribus obeliſcis. Præfata verò verba ſic legenda. *Anno* (Urbis) *DCCCLXXIV Natale Urbis, Circus conditus, Senatuſconſulto.* Quid littera P. ſignificet, mihi incompertum. Valeſius in Notis ad Ammianum lib. 16. ubi eam Inſcriptionem recitans, loco P. legit R. id eſt, *Romæ*; ſed Nummos corrumpere non licet. Hæc verò verba, *Cir. con.* vertit, *Circenſes conceſſi.* Sed perperam: cùm enim de more Ludi Circenſes exhiberentur, in Nummis annis Quinquenquennalium addictis non memorabantur. Hadrianus itaque ante præſentem annum Româ non diſceſſit, ibique, ut ex ea epigraphe deducitur, Natale Urbis celebravit, quo nomine vocari eum diem juſſit, qui ante *Parilia*

dictus erat, & Urbis templum, de quo mentio apud Ammianum lib. 16. cap. 10. extruxit, ut indicat Athenæus lib. 8. cap. 16. *Celebrantur*, inquit, *Parilium dicta quondam feriæ, nunc Romanas appellant, extructo dedicatoque fortunæ Urbis templo ab optimo & humaniſſimo Imperatore Hadriano. Eum ſcilicet diem cum ſolenni celebritate quotannis feſtum agunt, non ſolùm Romani cives, ſed etiam quotquot externi homines tum Romæ ſunt.* En quot indicia horum Quinquennalium. Hadrianus Urbis templum condidit, quod in Quindecennalibus dedicavit. Præterea eum diem, qui antè *Parilia* dicebatur, *Natalem* urbis Romæ vocari voluit, ut ex laudatis Athenæi verbis elicit Valeſius citatus. Denique Circum cum tribus obeliſcis condidit Hadrianus. Quæ omnia in Quinquennalibus & id genus feſtis de more fieri ſolita, templa nempe dedicari, urbibus nova nomina imponi, ac publica monumenta conſtrui. Nec refert, Spartianum alioſque nullam de aliquo peculiari Circo ab Hadriano condito mentionem facere; cùm multa ex Nummis diſcamus, quorum nullum apud Auctores veſtigium. Hanc conjecturam confirmat alius Nummus apud Occonem pag. 232. inſcriptus: IMP. CAES. HADRIANUS AUG. COS. III. cum Circo, ut in præcedenti, repræſentato. Interim obſervandum, Hadrianum in Nummo, in quo Natale Urbis exprimitur, Senatûs auctoritate percuſſo, Patrem Patriæ appellari, ideoque per hæc tempora illud nomen tuliſſe, quemadmodum & ſequentibus annis, ut infrà videbitur.

III. *Hadrianus poſt Quinquennalia profectionem ſuam inſtituit.*

Xyphilinus in Hadriano ait: *Præterea ſpectacula die ſuo natali* (id eſt, in Quinquennalibus ſuis, quæ eo nomine ab Antiquis ſæpe ſignificata, quòd die natali Imperii de more celebrarentur) *populo gratis dedit, ubi ita magnus numerus beſtiarum cæſus eſt, ut ſimul leones centum, ac totidem leanæ confecta fuerint. Dona in Theatro & Circo viris atque mulieribus ſeparatim in ſphæris miſſilibus dedit: & ne mulieres cum viris lavarentur, vetuit. Quo anno hæc facta ſunt, Euphrates Philoſophus obiit mortem voluntariam; cùm ei Hadrianus propter ſenectutem & morbum cicutam bibere conceſſiſſet. Poſt hæc Hadrianus in alias ex aliis Provincias, regioneſque & urbes proficiſcitur, viſendi causâ.* Ex quibus manifeſtiſſimum redditur, Hadrianum præſenti anno Romæ Quinquennalibus ſuis interfuiſſe, & nonniſi iiſdem celebratis profectionem ſuam inſtituiſſe. Nam Euphratem Philoſophum hoc anno tantùm demortuum, habemus ex Collectaneis Græcis apud Scaligerum, ubi hujus Philoſophi mors copulatur cum anno primo Olympiadis CCXXV, qui præſenti Chriſti anno menſe Julio auſpicatur. Præterea Euſebius in Chronico mortem Euphratis recitat anno Abrahami 2137. ſecundum editionem Scaligerianam, Pontacenâ per Hadriani tempora accuratiorem. Unde & Marianus Scotus anno quinto Hadriani eandem narrat. Is porro annus Abrahami cum currenti Chriſti anno menſe Auguſto abſolvitur.

IV. *Quas regiones Hadrianus hoc anno peragravit.*

Hadrianus, Quinquennalibus Romæ celebratis, profectus eſt in *Gallias*, indeque in *Germaniam* tranſiit, ac poſtea *Britanniam* petiit, *in qua multa correxit, murumque per octoginta millia paſſuum primus duxit, qui Barbaros Romanoſque divideret.* Hæc Spartianus in Hadriano cap. 11. Hujus valli ac muri etiamnum reliquias exſtare teſtatur Cambdenus in Deſcriptione Britanniæ. *Compoſitis in Britannia rebus tranſgreſſus in Galliam Alexandrina ſeditione turbatus, quæ nata eſt ob Apim*, &c. ait ibidem Spartianus, qui ſubjungit: *Per idem tempus in honorem Plotinæ Baſilicam apud Nemauſum opere mirabili extruxit: poſt hæc Hiſpanias petit, & Tarracone hiemavit.* Quas regiones hoc anno Hadrianus mira celeritate peragravit; cùm Spartianus de hieme præſentis anni loquatur, ut, quæ anno ſequenti dicemus, manifeſtum facient. Hadrianus itaque Tarracone manſit uſque ad menſem circiter Aprilem anni Chriſti inſequentis. Ex his demum, eum Quinquennalia anticipaſſe, & ea prioribus hujus anni menſibus exhibuiſſe; alioquin ad tot regiones inviſendas tempus non habuiſſet. Baronius, quem paſſim alii ſecuti ſunt, profectionem Hadriani Gallicam & Germanicam, in annum præcedentem, Hiſpanicam verò in annum ſequentem confert; quod ex dictis ſubſiſtere non poteſt. Apud Mediobarbum extat Nummus Hadriani inſcriptus: HADRIANUS AUG. COS. III. P. P. in poſtica: ADVENTUI AUG. GALLIAE. in aversa parte alterius, BRITANNIA S. C. in poſtica alterius, ADVENTUI AUG. S. C. HISPANIAE.

Baron. an. 122. num. 1. & an. 123. num. 1.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5615. ☉ 19 E. ☽ 9. P. 13. APRIL. INDICT. 5.

JESU CHRISTI 122. *ſecundum Baronium* 124.

SIXTI PAPÆ 7.

HADRIANI IMP. 6.

I. *Conſules.*

COSS. *Acilius Aviola, & Corellius Panſa*, ex Inſcriptione Onuphriana.

II. *Itinerarium Hadriani.* Baron. num. 1.

Ad num. I. Hadriani profectio Hiſpanica, quam hoc anno Baronius recitat, ad annum præcedentem pertinet, ut ibidem oſtendimus. Addit Baronius in Annalibus, Euſebium in Chronico teſtari, Hadrianum in Libyam colonias deduxiſſe. Verùm in Diſſertatione Hypatica jam oſtendi, id anno præcedenti contigiſſe, & annis Quinquennalibus & id genus feſtis addictis colonias fuiſſe inſtitutas. Subjungit denique ibidem Baronius, Hadrianum in Achaiam veniſſe, & Athenis commoratum eſſe, quod ad annum Chriſti CXXV ſpectat, ut infra videbitur.

III. *Hadrianus Athenas & in Ægyptum venit.* Baron. an. 125. num. 1.

Ex Hiſpania Hadrianus Athenas profectus eſt. Euſebius enim in Chronico anno Abrahami 2138. qui cum menſe Auguſto præſentis Chriſti anni abſolvitur, ait: *Hadrianus Athenienſibus leges petentibus ex Draconis & Solonis reliquorumque libris Jura compoſuit.* Tum anno Abrahami 2139. qui Kalendis Septembribus præſentis Chriſti anni auſpicatur, inquit: *Cephiſus fluvius Eleuſinam inundavit, quem Hadrianus ponte conjungens, Athenis hiemem exegit*, præſentis nempe Chriſti anni: ideoque Hadrianus Athenis fuit uſque ad vernum tempus anni in-

ſequentis. Quæ omnia confirmantur ex Chronico Alexandrino, ubi hoc anno legitur: *His Coſſ. Hadrianus in Ægyptum profectus condidit Antinoum Thebaidis III Kal. Novembris*, quæ urbs nunc in ruinis jacet, diſtatque à Nilo decem leucis in Ortum. Hadrianus igitur præſenti anno Athenis in Ægyptum profectus eſt; indeque Athenas rediit, ubi hiemem tranſegit. Hinc apud Mediobarbum Nummus Hadriani, HADRIANUS AUG. COS. III. P. P. in poſtica, ÆGYPTOS, vel ALEXANDRIA, vel NILUS, vel S. C. RESTITUTORI ÆGYPTI.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5616. ⊙ 20 D. ☽ 10. P. 29. MART. INDICT. 6.
JESU-CHRISTI 123. *ſecundùm Baronium* 125.
SIXTI PAPÆ 8.
HADRIANI IMP. 7.

I. *Conſules.* COss. *Q. Arrius Pætinus*, & *Ventidius Apronianus*, ex Inſcriptione Onuphriana.

II. *Hadrianus Aſiam perluſtrat.* Ad num. II. Baronius ait, Hadrianum hoc anno Achaiam, indeque Athenas petiiſſe, & ſacra Eleuſinæ ſuſcepiſſe, ex Chronico Euſebii, ubi tamen hæc tardiùs deſcribuntur, ut infrà videbitur. Ad hunc itaque annum referendum quod Auctor Chronici Alexandrini habet: (Baron. num. 1.) *Horum Conſulatu Apollonius Tyaneus naturæ ſatisfecit. Hadrianus Nicomediæ & Nicææ fora condidit, & quatuor regiones ac mœnia, quæ Bythiniam ſpectant. Cyzici prætereà fanum excitavit, & pavimentum marmore ſtravit. Nec in paucis aliis illuſtribus oppidis delubra haud pauca à fundamentis extruxit, alia inſtauravit, ſtatuaſque multas ac diverſas poſuit.* Hoc itaque anno Hadrianus in Aſia fuit. Hinc apud Mediobarbum extant Hadriani Nummi tertio ejus Conſulatu notati, in quibus legitur: ADVENTUI AUG. S. C. ASIAE, vel, BITHYNIAE, vel CAPPADOCIAE, vel CILICIAE, vel PHRYGIAE, vel PAMPHYLIAE, vel LYCIAE, vel SYRIAE. In aliis, S. C. RESTITUTORI BITHYNIAE, vel ARMENIAE, vel ASIAE, vel CAPPADOCIAE, vel CILICIAE, vel LYBIAE, vel NICOMEDIAE, vel PHRYGIAE.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5617. ⊙ 21 CB. ☽ 11. P. 17. APRIL. INDICT. 7.
JESU CHRISTI 124. *ſecundùm Baronium* 126.
SIXTI PAPÆ 9.
HADRIANI IMP. 8.

I. *Conſules.* COss. *M. Acilius Glabrio*, & *C. Bellicius Torquatus*, ex Inſcriptione Onuphriana.

II. *Hadrianus per Aſiam & inſulas ad Achaiam navigat.* Euſebius in Chronico anno Abrahami 2141. qui Kalendis Septembribus præſentis Chriſti anni inchoatur, ait: *Hadrianus ſacris Eleuſinæ initiatus multa Athenienſibus dona largitur.* Baronius in Annalibus anno præcedenti, quo hæc refert, reprehendit Euſebium, (Baron. ann. 125. num. 1.) quòd non primo Hadriani Athenas adventui, ſed ſecundo hanc initiationem conſignarit: cùm tamen Spartianus in Hadriano cap. 13. de hac re in ſecundo Hadriani adventu loquatur, & Euſebius ipſa fere Spartiani verba exſcribat, ut legenti manifeſtum fit: *Poſt hoc*, inquit Spartianus cap. 13. *per Aſiam & inſulas ad Achaiam navigavit, & Eleuſina ſacra ſuſcepit: multa in Athenienſes contulit. Pòſt in Siciliam navigavit*, &c. Cùm verò in Collectaneis Græcis apud Scaligerum anno primo Olympiadis CCXXV dicatur, Hadrianum Athenis initiatum eſſe, & primus ille annus ab anno tantùm Chriſti inſequenti exordiatur, Euſebius loco citato de poſteriori parte anni Abrahami intelligendus, ideoque adhuc hoc anno Hadrianus per Aſiam & inſulas ad Achaiam navigavit. Hinc in Nummis Hadriani tertio Conſulatu inſignitis legitur: ADVENTUI AUG. S. C. ACHAIAE, vel, EUBOEAE, vel, S. C. RESTITUTORI ACHAIAE, vel, MACEDONIAE. Baronius Hadrianum hoc anno in Africam veniſſe ſcribit; ſed ſine dubio fallitur, ut ex dicendis liquebit. (Baron. num. 1.)

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5618. ⊙ 22 A. ☽ 12. P. 9 APRIL. INDICT. 8. (Olymp. 226.)
JESU CHRISTI 125. *ſecundùm Baronium* 127.
SIXTI PAPÆ 10.
HADRIANI IMP. 9.

I. *Conſules.* COss. *Cornelius Aſiaticus II*, & *Vettius Aquilinus*, ex Inſcriptione Onuphriana.

II. *Hadrianus in Siciliam venit.* Ad num. IV. Hadrianus hoc anno ſacris Eleuſinis initiatus eſt, & multa in Athenienſes contulit, ut anno præcedenti ex Spartiano cap. 13. diximus, qui addit: *Pòſt in Siciliam navigavit*, &c. *Inde Romam venit*, &c. Hinc Nummus Hadriani tertio ejus Conſulatu notatus, (Baron. ann. 125. num. 1.) ADVENTUI AUG. S. C. SICILIAE, vel S. C. RESTITUTORI SICILIAE. E Sicilia Romam profectus Hadrianus, ubi anno ſequenti Decennalia celebravit, ut mox oſtendo.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5619. ⊙ 23 G. ☽ 13. P. 25. MART. INDICT. 9.
JESU CHRISTI 126. *ſecundùm Baronium* 128.
TELESPHORI PAPÆ 1.
HADRIANI IMP. 10.

I. *Conſules.* COss. *M. Annius Verus III*, & *L. Varius Ambibulus*, ut certis argumentis oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari.

II. *Hadriani Decennalia.* Annius Verus Marci Aurelii avus in Quinquennalibus Hadriani ſecundum Conſulatum geſſit: indeque confirmatur, quod ſæpe inſinuavimus, annis hujuſmodi feſtivitatibus dicatis, Imperatores, ſi Conſulatum non ſuſciperent, illum in propinquos ac Conſulares viros transferre ſolitos. Sunt & alia horum

ſolennium veſtigia. Euſebius in Chronico anno Abrahami 2142. qui præſenti Chriſti anno cum menſe Auguſto deſinit, ait: *Imp. Hadrianus Pater Patriæ appellatur, & uxor ejus Auguſta.* Auctor Chronici Alexandrini & Caſſiodorus eadem ferè verba repetunt, licèt hic anno non ſuo. Eiſdem ſuffragatur Oroſius lib. 7. cap. 8. ubi narrata perſecutionis Chriſtianorum ceſſatione, ſtatim ſubdit: *Idem quoque continuò Pater Patriæ ultra morem majorum appellatus, & uxor ejus Auguſta.* Ubi adverbium *continuò* non ad ejus Imperii initium, ut Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis ad numerum 2142. perperam explicat; ſed ad perſecutionis finem referendum, præſertim cùm dicat Oroſius, id *ultra morem majorum* factum, ceterique Imperatores ipſo Imperii initio Patres Patriæ de more appellarentur. Verùm jam ante præſentem annum Hadrianum Patrem Patriæ appellatum, liquet ex Nummis à me annis præcedentibus laudatis, in quibus memoratur adventus hujus Imperatoris ad aliquam urbem, vel in quibus dicitur *Reſtitutor*, v. g. Phrygiæ, Siciliæ, &c. in iiſdem enim Hadrianus Pater Patriæ appellatus, quemadmodum & in Inſcriptione Gruteri pag. CC XLVIII. 10.

IMP. CAES. DIVI. TRAJANI. PART.
F. DIVI. NERVAE. NEP. TRAJAN
HADRIANO. AUG. PONT. MAX.
TR. P. VIII. COS. III. P. P.

Sabinam tamen Hadriani uxorem hoc anno Auguſtam nuncupatam non dubito, cùm Imperatorum conjuges, vel Imperii initio, vel poſtquam filios pepererant, aut denique in Decennalibus & id genus feſtis de more dicerentur Auguſtæ.

III. *Perſecutionis Hadrianeæ finis.* Alterum horum ſolennium argumentum ex fine perſecutionis deſumitur: *Quadratus*, inquit Euſebius in Chronico, *diſcipulus Apoſtolorum, & Ariſtides Athenienſis noſter Philoſophus libros pro Chriſtiana Religione Hadriano dedêre compoſitos. Et Serenus Grannius Legatus, vir apprimè nobilis, literas ad Imperatorem miſit, iniquum eſſe dicens, clamoribus vulgi innocentium hominum ſanguinem concedi, & ſine ullo crimine nominis tantùm & ſectæ reos fieri. Quibus commotus Hadrianus Minutio Fundano Proconſuli Aſiæ ſcripſit, non ſine objectu criminum Chriſtianos condemnandos.* Ut autem in Diſſertatione Hypatica oſtendi, Chriſtiani libros Apologeticos pro Religione Chriſtiana Imperatoribus eam perſequentibus de more offerebant, ut indulgentiæ criminum, quæ in Decennalibus & id genus feſtis concedebatur, participes eſſe poſſent. Notanda porro hæc verba, quæ leguntur in Epiſtola Hadriani recitata ab Euſebio lib. 4. Hiſt. cap. 9. *Igitur ſi Provinciales palam adeſſe poſſunt petitionibus ſuis adverſus Chriſtianos, ita ut pro tribunali reſpondeant, in id unum incumbant, nec petitionibus ſoliſque clamoribus utantur.* Intelligit Hadrianus, inquit Valeſius in Notis ad illum locum, acclamationes illas, quæ fieri ſolebant in theatris: *Chriſtianos ad leonem*, ut teſtatur Tertullianus. Interdumque eveniebat, ut Proconſules & Præſides tumultuoſis ejuſmodi acclamationibus, licèt inviti, cedere cogerentur. Quare meritò Hadrianus monet Fundanum Proconſulem, ne hujuſmodi poſtulationibus ad perſecutiones & cædes Chriſtianorum ſeſe adduci patiatur. Porro vetus hæc conſuetudo in Imperio Romano, ut plebs tum in Urbe, tum in Provinciis, quoties ad publica ſpectacula convenerat, quidquid libitum erat, vel à Præſide vel ab Imperatore junctis precibus poſtularet. Cujus rei ſexcenta occurrunt exempla apud Auguſtæ Hiſtoriæ Scriptores. Ita doctè Valeſius.

Baron. num. I & II.

IV. *Perſecutiones in Decennalibus vel excitatæ vel extinctæ.* Perſecutiones itaque adverſus Chriſtianos modò in Decennalibus excitatæ, modò in iiſdem extinctæ. Annis enim, quibus Imperatores hujuſmodi ſolennia exhibebant, Vota in quinquennium ac decennium ſuſcipiebant, & falſorum Deorum cultum promovere ſtudebant. Quare cùm Chriſtiani Deorum hoſtes exiſtimarentur, iis annis in eoſdem edictis ſævitum: & quia feſtivitates illæ variis ludis celebrabantur, hinc populus occaſionem edicta ad Chriſtianam Religionem abolendam petendi ſumebat; ac præterea tumultuoſis acclamationibus Imperatores aut Præſides adverſus Chriſtianos animabat. Contrà verò, quia iiſdem annis Imperatores minorum criminum reis indulgentiam largiri ſoliti erant, Chriſtiani, cùm Principem non malè affectum videbant, ut ſe dignos gratiâ oſtenderent, libros Apologeticos ſcribebant, ſeque à criminibus, quibus accuſabantur, immunes eſſe oſtendebant. Hinc Hadrianus libellis à Chriſtianis in Decennalibus ſibi oblatis commotus perſecutionem inhibuit. Ceterùm præfata Vota à Domitiani tempore in Nummis implicitè memorabantur, ut videre eſt apud Mediobarbum pag. 183. ubi is Nummus extat: HADRIANUS AUG. COS. III. P. P. in poſtica: VOTA PUBLICA S. C. Cernitur Imperator ad aram ſacrificans, ante quem tibicen, popa, & alia figura, cum victima ad pedes: quæ in Nummis, in quibus poſtea Decennalia & id genus feſta expreſſis verbis notata, de more ſculpebantur. Perperam autem cum anno XV Hadriani hunc Nummum copulat Mediobarbus: Quindecennalia enim à tempore tantùm Conſtantini Magni in Numiſmatis deſcripta. Ceterùm ſi Decennaliorum methodus Petavio innotuiſſet, laudatas Apologias anno Chriſti CXXIV non illigaſſet in lib. 13. de Doct. Temporum. Nam præterquam quòd Euſebius in Chronico contrarium docet, Apologiæ de more in Decennalibus & id genus feſtis Imperatoribus porrectæ.

V. *Tertius Hadriani Romam adventus.* Porro ex Hadriani Decennalibus ſuo anno conſignatis liquet, eum vel ſub præcedentis anni finem, vel currentis initio Romam ad ea celebranda veniſſe, iiſque exhibitis in Africam præſenti anno tranſiiſſe. Ait enim Spartianus in Hadriano cap. 13. *Poſt in Siciliam navigavit, &c. Inde Romam venit, atque ex ea in Africam tranſiit, ac multum beneficiorum Provinciis Africanis attribuit.* Hinc apud Mediobarbum Numiſmata Hadriani tertio ejus Conſulatu notata extant, in quorum poſtica legitur: ADVENTUI AUG. AFRICAE, vel, ADVENTUI AUG. MAURETANIAE, vel, RESTITUTORI AFRICAE, vel RESTITUTORI MAURETANIAE. Ceterùm tertius eſt hic Hadriani Romam adventus.

VI. *Obitus Sixti PP.* Sub hujus anni Conſulibus S. Sixto Papæ demortuo Teleſphorus ſucceſſit juxta Chronicon Damaſi.

Anno Urbis 880.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5620. ☉ 24 F. ☽ 14. P. 19. APRIL. INDICT. 10.
JESU CHRISTI 127. *ſecundùm Baronium* 129.
TELESPHORI PAPÆ 2.
HADRIANI IMP. 11.

I. *Conſules.* COss. *Gallicanus & Titianus.*

II. *Quartus Hadriani Romam adventus.* Spartianus in Hadriano cap. 13. poſtquam dixit, hunc Imperatorem Romani veniſſe, atque ex ea in Africam tranſiiſſe, ſubjungit: *Denique cùm poſt Africam Romam rediſſet, ſtatim ad Orientem profectus per Athenas iter fecit: atque opera quæ apud Athenienſes cœperat, dedicavit: ut Jovis Olympii ædem, & aram ſibi: eodemque modo per Aſiam iter faciens templa ſui nominis conſecravit. Deinde à Cappadocibus ſervitia caſtris profutura ſuſcepit.* Quæ partim ad currentem, partim ad ſequentem annum pertinent. Eſt hic porro quartus Hadriani Romam adventus, quem, ſicuti profectionem in Orientem, anno præcedenti perperam Baronius recitat; qui tamen profectionem Aſiaticam cum hoc anno bene copulat.

Baron. num. 1.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5621. ☉ 25 E D. ☽ 15. P. 5. APRIL. INDICT. 11.
JESU CHRISTI 128. *ſecundùm Baronium* 130.
TELESPHORI PAPÆ 3.
HADRIANI IMP. 12.

I. *Conſules.* COss. *Torquatus Aſprenas, & Annius Libo*, ex Inſcriptione Onuphriana.

II. *Hadrianus Syriam & Ægyptum luſtrat.* Spartianus in Hadriano cap. 14. poſtquam narravit, Hadrianum per Athenas & per Aſiam iter feciſſe, ait: *Antiochenſes inter hæc ita odio habuit, ut Syriam à Phœnice ſeparare voluerit, ne tot civitatum Metropolis Antiochia diceretur.* Extat apud Patinum V. C. pag. 200. Hadriani Nummus tunc fortè ab Antiochenſibus cuſus: ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. id eſt, *Metropolis Antiochenſium.* Hadrianum verò hoc anno in Syria, ubi Antiochia ſita, & in Ægypto fuiſſe, colligo ex variis Nummis Græcis, quæ extant apud Harduinum Virum eruditiſſimum in Nummis antiquis Populorum & Urbium, in Hadriani honorem percuſſis, in quibus omnibus legitur: L. ΙΑ. id eſt, *anno undecimo*, ejus ſcilicet Imperii, qui uſque ad decimum diem menſis Auguſti præſentis anni in curſu fuit. Urbes, in quibus undecimus Hadriani annus notatur, hæ ſunt, Canatha in Decapolitana Syriæ regione poſita, Arſinoe, Dioſpolis, Hermopolitæ, Copros, Peluſium, Tanis, & Buſiris, quæ oppida omnia in Ægypto ſita. Anno itaque Imperii ſui undecimo, currenti nempe, Hadrianus in Syria & in Ægypto fuit, ubi etiam anno ſequenti verſatus eſt.

Baron. num. 1.

III. Ad num. III. Bellum Judaïcum ante annum CXXXII non inchoatum. Quare eo anno commodiùs de illo agemus.

Bellum Judaicum. Baron. num. 1.

Olym. 227.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5622. ☉ 26 C. ☽ 16. P. 2. MART. INDICT. 12.
JESU CHRISTI 129. *ſecundùm Baronium* 131.
TELESPHORI PAPÆ 4.
HADRIANI IMP. 13.

I. *Conſules.* COss. *P. Juventius Celſus II, & Q. Julius Balbus*, ex Inſcriptione Onuphriana.

II. *Hadrianus Arabiam & Ægyptum peragrat.* Hadrianus ex Syria in Arabiam profectus eſt, ut rectè Baronius cum Spartiano cap. 14. qui ait: *Peragratâ Arabiâ Peluſium venit, & Pompeii tumulum magnificentiùs extruxit. Antinoum ſuum, dum per Nilum navigat, perdidit.* Quæ mors, cùm anno præſenti contigerit, ut ex ibi dicendis patebit, nullus dubito, quin profectio Arabica ad præſentem annum pertineat. Præterea anno Chriſti CV dixi, extare Græcum Hadriani Nummum, in quo legitur: ΑΡΑΒΙΑ L. ΙΓ. id eſt, *anno XIII*, Imperii ſcilicet Hadriani hoc anno inchoati. Quare cùm Antinous nonniſi peragratâ ab Hadriano Arabiâ mortuus fuerit, & Hadrianus anno XIII Imperii in ea regione fuerit, Baronius Antinoi interitum perperam in annum ſequentem differt.

Baron. num. 1.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5623. ☉ 27. B. ☽ 17. P. 10. APRIL. INDICT. 13.
JESU CHRISTI 130. *ſecundùm Baronium* 132.
TELESPHORI PAPÆ 5.
HADRIANI IMP. 14.

I. *Conſules.* COss. *Q. Fabius Catullinus, & M. Flavius Aper*, ex Inſcriptione Onuphriana.

II. *Alexandri PP. martyrium.* Ad num. I. Alexander Papa longè ante præſentem annum martyrium fecit, anno nempe Chriſti centeſimo decimo ſexto, ut ex Chronico Damaſi conſtat, in quo habetur: *Alexander annis octo, menſibus duobus, die uno. Fuit temporibus Trajani, à Conſulatu Palmæ & Tulli, uſque Æliano & Vetere.* In exemplari, quo uſus Cuſpinianus in Faſtis, loco *annis octo* legitur, *annis VII*, ſed mendosè. Alexander enim Gallo & Bradua Coſſ. anno nempe CVIII, Pontificatum iniit, licèt in eo Chronico ſub inſequentis anni Conſulibus incepiſſe dicatur, ne iidem Conſules bis repetantur. Quare cùm ejus martyrium *V Nonas Maii*, ſeu die tertia menſis Maii contigerit, ut ejus Acta, auctius Chronicon veterum Pontificum, Martyrologium Hieronymi, aliæque Tabulæ Eccleſiaſticæ teſtantur, Alexander Eccleſiam regere cœperat die ſecunda Martii, in quam feria quinta incidebat. Porro cum Æliano & Vetere Coſſ. anno ſcilicet centeſimo decimo ſexto, martyrio coronatum fuiſſe, ex eo certiſſimum redditur, quòd illud par Conſulum reperitur in auctiori Chronico veterum Pontificum, apud Luitprandum, & Anaſtaſium, & in Geſtis ma-

Baron. num. 1 & ſeqq.

nuſcriptis Pontificum, ut obſervat Henſchenius in Apparatu ad Chronologiam Pontificiam Actis Sanctorum menſis Aprilis præfixo. Addit Henſchenius, Alexandrum Trajano imperante occiſum, teſtari non ſolùm ejus Acta, ſed etiam antiqua Breviaria Romana manuſcripta & excuſa, genuinum Martyrologium Bedæ, & Martyrologia tam Rabani, quàm Notkeri,; immo in Breviario Romano juſſu Pii V edito dici, Trajano Imperatore rexiſſe Eccleſiam; cùm tamen in Breviario Romano hodierno legatur, Alexandrum Hadriano imperante rexiſſe Eccleſiam, & ſediſſe annos decem, menſes quinque, & dies viginti. Sed factum id, quia Clementis Papæ VIII tempore Baronius Congregationis ſacrorum Rituum cum Collegis Præſidens, ejuſque auctoritate Breviarium Romanum emendans, antiquas de antiquiorum Pontificum vita Lectiones ad novam ſuam Chronologiam accommodavit. Ex martyrio itaque Alexandri, quod ab anno CXVI removeri non poteſt, manifeſtè liquet, præcedentium Pontificum Romanorum Chronologiam in Annalibus valde depravatam eſſe, neque meliùs reſtitui potuiſſe, quàm beneficio Chronici Damaſi, ut rectè vidit Henſchenius, qui tamen maximopere hallucinatus eſt, quando ſcripſit, in eo Chronico Conſulatum ultimum illi Pontifici attribui, qui majorem partem eo durante vixit, & Acta S. Alexandri in omnibus pura & ſincera eſſe, ac quando dixit, ex illis neceſſariò inferri, hunc Sanctum anno CXVII martyrio coronatum. Vide quæ de ejus Actis dixi anno 67. numero IX.

III. *Quot menſibus & diebus Pontifices antiqui ſupra annos vixerint, incompertum.*

Illud hîc valde notandum, ante Alexandrum ſciri non poſſe quibus diebus aut menſibus Pontifices Romani ſedere cœperint; cùm ſi D. Petrum excipias, nullius alterius Pontificis emortualis dies nobis notus ſit, eoque ignorato ſucceſſoris initium ignorari neceſſe ſit. Non loquor hîc de S. Clemente, quem nono Kalendas Decembris paſſum conſtat, quia is, juxta ea quæ diximus, Pontificatum abdicavit, ideoque dies ejus emortualis Chronologiæ Pontificiæ nullam lucem affundit. Tempus itaque & oleum perdidere quicumque præcedentium Pontificum initium & finem certis diebus affigere voluere. Nec complurium Pontificum Alexandri ſucceſſorum dies ordinationis & mortis certiores, quia tempus Interpontificiorum nobis ignotum. Annotatur quidem illud tam in libro Pontificali, quàm in Chronico auctiori veterum Pontificum, ſed præterquam quòd inter horum librorum Auctores non convenit, vacatio Sedis non ex certis monumentis, ſed ex proprio calculo ab illis deſcripta. Liber Pontificalis poſt Alexandri martyrium ait, vacaſſe Epiſcopatum *dies viginti quinque*: Auctor verò auctioris Chronici veterum Pontificum dies duodecim addit, traditque, vacaſſe Sedem *dies triginta ſeptem*. Uter erraverit, prorſus incertum; immo utrumque Interpontificii tempus ignoraſſe, omnino veroſimile. In tantis ergo tenebris per aliquot Pontificatus dies ceſſationis Sedis parum curabo. Alexandro Sixtus ſucceſſit.

IV. *Decretales Alexandri.* Baron. num. IV.

Ad num. III. Decretales tres Alexandro Papæ attribuuntur, quas Petrus de Marca, Chriſtianus Lupus, aliique Viri doctiſſimi rejiciunt. Prima ſcripta eſt ad omnes Orthodoxos, habetque plura ex aliis ſubſequentium ſeculorum Conciliis & Patribus, præſertimque inſignem locum ex Idatio & Epiſtola ſuppoſititia Benedicti primi incipientem ab illis verbis num. VI, *Si Trinitas non eſt, quare tertiò ſanctus dixerunt*, & finientem, *ipſa eſt Patris & Filii.* Secunda ſcripta eſt ad omnes Epiſcopos, habetque locum Oſeæ cap. 4. ex verſione S. Hieronymi, qui trecentis annis poſt Alexandrum vixit. Tertia data eſt ad omnes Sacerdotes, habetque etiam locum Michææ cap. 2. ex verſione Hieronymi, & clauſulam Sermonum S. Auguſtini.

V. *Obitus Antinoi.* Baron. num. VIII & ſeqq.

Ad num. IV. *Antinous*, quem Hadrianus dum in Ægypto eſſet, inter Deos retulit, in Nilo periit præcedenti Chriſti anno, ut ibidem inſinuavimus. In Collectaneis Græcis apud Scaligerum ea mors illigatur anno primo Olympiadis CCXXVII, qui menſe Julio præcedentis Chriſti anni auſpicatur. Parte alia in Chronico Euſebii tam ſecundùm editionem Pontaci, quàm Scaligeri, *Antinous* dicitur mortuus anno Abrahami 2145. qui Kalendis Septembribus anni Chriſti CXXVIII exorditur. Quare mors ea accidit ante diem primum menſis Septembris anni elapſi, & poſt diem XXV Julii, quo annus primus Olympiadis CCXXVII inchoatus eſt. Mediobarbus pag. 187. varia Numiſmata Græca in honorem Antinoi percuſſa refert, aitque, ſe nulla Latinis vocibus cuſa inveniſſe. Ex quo conjicere licet, illum in Oriente præcipuè cultum fuiſſe. Porro omnia quæ extant illius Numiſmata, poſt mortem ejus tantùm percuſſa.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5624. ☉ 28 A. ☽ 18. P. 7. APRIL. INDICT. 14.
JESU CHRISTI 131. *ſecundùm Baronium* 133.
TELESPHORI PAPÆ 6.
HADRIANI IMP. 15.

I. *Conſules.*

COSS. *Ser. Octavius Lenas Pontianus*, & *M. Antonius Rufinus*, ex Inſcriptione Onuphriana.

II. *Quindecennalia Hadriani.* Baron. an. 134. num. 11.

Quindecennalia Hadriani hoc anno celebrata. In Chronico Euſebii anno Abrahami 2147. qui Kalendis Septembribus antecedentis Chriſti anni inchoatur, horum ſolennium extant aliqua veſtigia, ſed in Codicibus manuſcriptis tantùm, editione tam Pontacena, quàm Scaligeriana valde hoc tempore depravata: *Salvius Julianus*, inquit Euſebius, *perpetuum compoſuit edictum*, quo omnes civitates Romanæ urbis leges ſequi jubentur; quod edictum ad noſtra tempora pervenit. Novitates autem annis hujuſmodi feſtivitatibus addictis de more inductæ. Addit Euſebius: *Hadrianus Athenis hiemem exigens, Eleuſinam inviſit, Hadrianus, cùm inſignes & plurimas ædes Athenis feciſſet, agonem edidit, Bibliothecamque miri operis extruxit*; quæ tam Marianus Scotus, quàm Hermannus Contractus cum anno XV Hadriani rectè copulant. Ex quibus & conjectura eſt, ea ſolennia Athenis fuiſſe exhibita. Paulò ante dixerat Euſebius: *Templum Romæ & Veneris in*

Urbe factum, quæ cum anno x v Tiberii conjungenda exiſtimo. Templa enim in Decennalibus & id genus feſtis de more dedicata. Templum Urbis ſeu Romæ extruxerat Hadrianus, ſeu ejus fundamenta jecerat in Quinquennalibus ſuis, ut ibidem diximus. Quare hoc anno ejus dedicatio facta. Extat Hadriani Nummus tertio ejus Conſulatu inſignitus apud Mediobarbum, in cujus poſtica legitur: URBS. ROMA ÆTERNA S. C. Viſitur templum, in quo ſeptem figuræ taurum ad aram ſacrificant. In Epitome edictum Salviani anno ſequenti recitatur, ſed ad præſentem annum revocandum.

III. *Hadriani Alexandriã adventus.* Andreas Morellius Vir eruditiſſimus, in Specimine univerſæ rei nummariæ antiquæ, producit Nummum Alexandriæ percuſſum, in quo expreſſus eſt *Adventûs* typus, & mulier cum galea elephantina, quam Alexandriam denotare probant Numiſmata Galbæ, Veſpaſiani, Titi, Domitiani, & aliorum, in quibus eadem figura cernitur cum adſcripto nomine ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ. Quæ mulier in laudato Nummo repræſentata Hadriani advenientis manus oſculatur, cum hac nota, L. IE, id eſt, *anno XV*. Memorat ibidem Morellius alium Nummum, in quo Alexandria Hadrianum in quadriga advenientem ſalutat, cum eadem nota; L. IE. ſed in eo, quòd cum Petavio & Calviſio Antinoi mortem in hunc Hadriani Alexandriam adventum Morellius differt, minimè audiendus, ut ex dictis conſtat. An verò is Nummus præſenti anno, vel inſequenti, quo decimus quintus Hadriani annus uſque ad diem decimum Auguſti in curſu fuit, percuſſus, ex his quæ anno ſequenti dicemus, manifeſtum fiet.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ
5625. ☉ 1 G F. ☽ 19. P. 21. APRIL.
INDICT. 15.
JESU CHRISTI 132. *ſecundùm Baronium* 134.
TELESPHORI PAPÆ 7.
HADRIANI IMP. 16.

I. *Conſules.* COss. *Sentius Augurinus*, & *Severianus*, ex Onuphrio in Faſtis.

II. *Edictum Salviani.* Edictum Salviani, de quo Baronius hoc anno, ad ſuperiorem pertinet, ut ibidem explicavimus.

III. *Bellum Judaicum.* Bellum *Judaïcum* hoc anno inchoatum. Euſebius enim in Chronico anno Abrahami 2148. qui præcedenti Chriſti anno, Kalendis Septembribus inchoatur, de eo agit, & tam Marianus Scotus, quàm Hermannus Contractus ejus verba alligant anno decimo ſexto Hadriani. Verum quidem eſt, Spartianum in Hadriano cap. 16. proximè antequam narret Arabicam hujus Imperatoris peregrinationem, ſcribere: *Moverunt ea tempeſtate & Judæi bellum, quòd vetabantur mutilare genitalia.* Sed hinc tantùm inferendum, eoſdem tumultum ciere cœpiſſe, non verò Hadrianum tunc exercitum adverſus illos miſiſſe. Teſtatur enim Dio lib. 69. Hadrianum Duces adverſus eos non deſtinaſſe, niſi poſtquam iterum in Syriam adventavit, & Judæos ubique gentium tumultuari accepit. Sed præſtat Dionis verba recitare, ut hujus belli cauſam ac tempus meliùs percipiamus: *Cum autem in urbem Hieroſolymam, quæ everſa fuerat, quamque Æliam Capitolinam appellavit, coloniam deduxiſſet, ac quo in loco templum Dei fuerat, alterum Jovi ædificari curaviſſet, magnum bellum & diuturnum moveri cœpit, Judæis graviter ferentibus, quòd exteræ nationes in urbem ſuam habitatum veniſſent, quódque in ea fieri externa ſacra viderentur. Tamen cùm Hadrianus in Ægyptum ac rurſus in Syriam adventaſſet, quieſcendum ſibi eſſe putabant. Interim verò arma, quæ ipſis erant à Romanis imperata, minùs apta de induſtria fecerunt, ut ſi ea Romani reprobaſſent, ipſi eis uterentur. Pòſt ubi Hadrianus longè abeſſe viſus eſt, palam defecerunt: utque aperto prælio non audebant cum Romanis periclitari, ita capta loca ſuæ regionis opportuna cuniculis muniebant & manibus, ut ad ea, ſi urgeret neceſſitas, perfugerent: utque ad ſe mutuò ſub terram tranſeuntes laterent, vias ſubterraneas deſuper perforaverunt, quò ventum lumenque reciperent. Hos Romani primò nihili faciebant; ſed poſtquam totam Judæam commotam eſſe, Judæoſque omnes ubique gentium tumultuari, & conventus facere intellexerunt, ac multa damna occultè apertéque Romanis inferre, cum iiſque complures alias gentes lucri cupiditate conjungi, ac ferè ob eam cauſam omnem Orbem terrarum commoveri: Hadrianus optimos quoſque Duces adverſus eos mittit*, &c. Hadrianus novam urbem Hieroſolymitanam anno centeſimo decimo nono ædificavit, ut ſuo loco dictum, & ubi Dei Opt. Max. templum fuerat, Jovis Capitolini templum excitavit. Rectè Hieronymus in Epiſtola ad Dardanum ait, Hieroſolyma quinquaginta annis poſt everſionem Titi ab Hadriano inſtaurata, quod verum eſt, ut numeranti patet. Parte alia Hadrianus bis in Syria fuit. Primò, præfato Chriſti anno, quo Hieroſolyma condidit. Secundò, anno Chriſti centeſimo viceſimo octavo, quo Syriam à Phœnice ſeparare voluit. Tunc itaque Judæi tumultuari cœperunt, ut diximus cum Spartiano. Sed quia ab eo tempore Hadrianus ſemper in Oriente vel in Ægypto fuit, Judæi *quieſcendum ſibi eſſe* putarunt. *Pòſt ubi Hadrianus longè abeſſe viſus eſt; palam defecerunt*, ideoque currenti anno, ut accuratè Euſebius in Chronico tradit. Remque ita ſe habuiſſe colligo ex Dione, qui Judaïco bello narrato, inquit: *Eodem tempore Hadrianus templum Jovis Olympii, in quo ipſius quoque ſtatua poſita fuit, Athenis ædificavit, juſſitque in eo draconem allatum ex India collocari: ac Dionyſia defunctus maximo apud eos Magiſtratu, patriaque veſte indutus, magnificè celebravit.* Vides, quàm bellè Dionem inter & Spartianum conveniat. Ex hujus narratione ſuperiùs allata colligitur, Hadrianum anno circiter C XXVIII Athenis fuiſſe, & Jovis Olympii templum dedicaſſe, eaque tempeſtate Judæos bellum moviſſe. Non aliud autem Dio in literas mittit, niſi quòd bellum Judaïcum, quod anno tantùm Hadriani XVIII extinctum, uno tenore recitat, & poſtea ad ea redit, quæ horum tumultuum initio ab Hadriano Athenis geſta ſunt. Quare

Baron. an. 135. num. 1.

Baronius motuum Judaïcorum exordium cum anno Chriſti c x x v i i i rectè collocavit.

IV. *Belli Judaïci origo.*

Euſebius, qui tam in Chronico, quàm in libris de Demonſtratione, *Æliam* ab Hadriano poſt bellum Judaïcum conditam ſcribit, Baronium, alioſque plures in errorem induxit. Tantum enim abeſt, inquit Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis, quem Valeſius in Notis ad lib. 4. Euſebii ſequitur, ut *Ælia* condita fuerit ab Hadriano poſt partam de Judæis victoriam, ut bellum Judaïcum ex Æliæ conditu originem ceperit. Nam cùm Judæi urbis ſuæ ſolum ab alienis occupatum viderent, & in eo ipſo loco, in quo Dei templum olim fuiſſet, ſacra fieri Jovi Capitolino animadverterent, eam injuriam minimè ferendam rati, arma corripuerunt, & initium fecerunt hujus belli ab Euſebio in Hiſtoria deſcripti. Ibi tamen cap. 6. dupliciter fallitur, tum quòd urbem Hieroſolymam ſub Hadriano penitus everſam fuiſſe ſcribit, tum quòd Æliam Capitolinam ab eodem Hadriano conditam eſſe exiſtimavit poſt expugnationem Betthara. Et tamen conſtat ex Joſepho, Hieroſolyma prorſus à Tito fuiſſe everſa, ita ut aratrum etiam ejus ſolo fuerit impreſſum. Certè Euſebius eo in loco apertè non dicit, Hieruſalem ab Hadriano everſam fuiſſe, ſed id tantùm obſcurè innuit. In libris autem de Demonſtratione & in Chronico diſertè affirmat, Hieruſalem funditus ab Hadriano everſam eſſe. Quod verò ad *Æliæ* conditum ſpectat, jam oſtendimus, illum Imperium Hadrianei initio contigiſſe.

V. *Hieruſalem Ælia appellata.*

Euſebii autem error inde proceſſit, ni fallor, quòd cùm Hadrianus anno c x x x v i Vicennalia edidit, & novæ urbi à ſe jam antea conſtructæ, *Æliæ* nomen dedit ex eorum temporum uſu, qui ferebat, ut annis hujuſmodi ſolenniis deſtinatis novæ urbes aut ædificarentur, aut dedicarentur, aut novis nominibus appellarentur, ipſe Euſebius putavit, Æliam fuiſſe tunc conditam. Unde licèt bellum Judaïcum anno x v i i i Hadriani in Hiſtoria geſtum dicat, in Chronico tamen nonniſi anno Hadriani x x ſcribit: *Ælia ab Ælio Hadriano condita*: in Hiſtoria verò: *In hunc modum cùm civitas Judæorum è gente nudata eſſet, poſt hæc alienigenis eò confluentibus, urbs & colonia civium Romanorum effecta, in honorem Ælii Hadriani Imp. Ælia nuncupata eſt.* Ubi vides, Euſebium urbis appellationem cum ejus conditu confundere; qua in re non ſemel ab Antiquis peccatum. Præterea Nicephorus, qui lib. 2. cap. 24. tradit, Hadrianum de ſuo nomine urbem excitaſſe, addit, poſt bellum Judaïcum eam Æliam appellatam eſſe. Hieruſalem numquam dirutam uſque ad ſolum, niſi ſub Hadriano, Hieronymo cap. 10. in Danielem perſuaſit Euſebius, quod à Scaligero loco laudato confutatum.

VI. *Pro everſis Hieroſolymis condita Ælia.*

Non audiendus autem Valeſius citatus, qui ait, Hadrianum Hieroſolyma non inſtauraſſe, neque ejus mentem fuiſſe, ut eam urbem ſuſcitaret, quippe qui infenſiſſimus eſſet Judæis, qui tunc hoſtes populi Romani erant, ſed Æliam urbem condidiſſe. Non audiendus, inquam, quia Zonaras in Hadriano ſcribit: *Urbem in Palæſtina pro everſis Hieroſolymis conditam Æliam Capitolinam nominavit: & quo in loco Dei templum olim fuerat, eo in loco poſt Jovis lucum condidit.* Neque aliter loquitur Hieronymus in Epitaphio Paulæ, cùm dicit: *Ingreſſa eſt Hieruſalem, quæ ab Ælio poſtea Hadriano de ruinis & cineribus civitatis in Æliam ſuſcitata eſt.* Beda pariter, ſeu quis alius in Expoſitione locorum & urbium, quarum mentio fit in Actibus Apoſtolorum: *Hieruſalem Metropolis quondam Judææ, quæ nunc ab Ælio Hadriano Cæſare, quòd eam à Tito deſtructam latiore ſitu inſtauraverit, Ælia cognominata eſt*, &c. Ad has auctoritates reſpondet Valeſius, hos Auctores impropriè locutos eſſe. At hæc reſponſio minimè ſatisfacit. Idem enim Hieronymus in Epiſtola ad Dardanum de terra repromiſſionis ait: *Cùm ipſa Metropolis tua priùs Jebus, poſtea Salem, tertiò Hieroſolyma, & nunc Ælia.* Vides ut ſibi ſemper conſtet Hieronymus. Denique urbes, quæ vel ex aliarum ruinis crevere, vel quæ procul à priori ſitu ædificatæ, & antiquarum nomen ferunt, loco earum ædificatæ dicuntur. De fine belli Judaïci infrà agetur.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5626. ☉ 2 E. ☽ 1. P. 6. April. Olymp. 228.
Indict. 1.
Jesu Christi 133. *ſecundùm Baronium* 135.
Telesphori Papæ 8.
Hadriani Imp. 17.

Coss. *Hiberus*, & *Siſenna*, ut rectè Baronius. I. *Conſules.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5627. ☉ 3 D. ☽ 2. P. 29. Mart.
Indict. 2.
Jesu Christi 134. *ſecundùm Baronium* 136.
Telesphori Papæ 9.
Hadriani Imp. 18.

Coss. *C. Julius Servianus III*, & *C. Vibius Varus*, ut demonſtrat Noriſius in Epiſtola Conſulari pag. 82. I. *Conſules.*

II. *Martyrium Fauſtini & Jovitæ.* Baron. ann. 122. num. 11.

Hoc anno vel ſequentis anni initio ſancti fratres *Fauſtinus* Preſbyter, ac *Jovita* Diaconus Brixiæ in Italia, quò Hadrianus ex Oriente redux agebat, morti traditi ſunt, Hadriano ibidem præſente; quod martyrium à Baronio loco non ſuo recitatum.

III. *Chriſtiani Hadriano imperante vexati.*

Dodwellus in Diſſert. Cyprianica x i *de Paucitate Martyrum*, num. x x x v i i i & x x x i x exiſtimat, ſub Hadriano nullam perſecutionem fuiſſe, quòd reſcriptorum in favorem Chriſtianorum editorum meminerint Scriptores Chriſtiani ab Hadriani ætate proximi, nemo tamen edictorum perſecutionem decernentium mentionem fecerit; quòd hæc perſecutio à Sulpitio Severo quarta appelletur, cùm Euſebius quartam Marco Antonino aſſignet, idemque ſenſerint Euſebio antiquiores, uti Lactantius, Tertullianus, & Melito Sardenſis; quòd S. Juſtinus Martyr, ut pacem Chriſtianis ab Antonino Pio impetraret, Ha-

driani nomine uſus ſit, quod non feciſſet, ſi ipſe Hadrianus Eccleſiam perſecutus eſſet; & quòd curarit Hadrianus templa in omnibus civitatibus ſine ſimulacris conſtruenda, quæ fama erat Chriſto fore dicanda, ut teſtis eſt gentilis ipſe Lampridius, ideoque eum à Chriſtianis vexandis alienum fuiſſe, concludit Dodwellus. At complures Hadriano imperante martyrium paſſos, Hieronymus in Epiſtola LXXXIV ad Magnum Oratorem nos dubitare non ſinit. De Quadrato enim loquens ait: Quadratus Apoſtolorum diſcipulus, & Athenienſis Pontifex Eccleſiæ, nonne Hadriano Principi Eleuſinæ ſacra inviſenti librum pro noſtra Religione tradidit? Et tantæ admirationi omnibus fuit, ut perſecutionem graviſſimam illius excellens ſedaret ingenium? Neque dicat Dodwellus, Hieronymum coævum Auctorem non eſſe. Nam, ut ſuprà dixi, qui in rebus Romanis Auctores coætaneos aut ſuppares non requirit, eoſdem in rebus Eccleſiaſticis immeritò flagitat; cùm res Eccleſiaſticæ pejoris conditionis non ſint, quàm prophanæ, neque Euſebius & Hieronymus qui de Hadrianea perſecutione locuti ſunt, minorem in hac narratione fidem mereantur, quàm dum de aliis ante ſua tempora à Romanis geſtis ſermonem habent. Nullum quidem ab Hadriano adverſus Chriſtianos promulgatum edictum, ſed quæ tam à Nerone, quàm à Domitiano ad abolendam hanc ſectam lata fuerant, tam ſub Trajano, quàm ſub Hadriano executioni mandata. Quod verò hæc perſecutio quarta à Sulpitio Severo appelletur, id mirum videri non debet. Ut enim obſervat Velſerus in Commentario ad converſionem S. Afræ, D. Auguſtini tempore vulgaris erat opinio, decem plagis Ægyptiacis ſignificatas fuiſſe decem Eccleſiæ perſecutiones, quæ à Nerone ad Diocletianum Eccleſiam vexarunt. Quam opinionem Auguſtinus lib. 18. de Civitate Dei cap. 52. ita convellit, ut oſtendat, Eccleſiam ante Neronem, tum in capite Chriſto, tum in Stephano, Jacobo, Petro & fratribus reliquis perſecutionem paſſam, ſed non omnes perſecutiones æquè in numerum redactas eſſe, vel quòd leviores viſæ, vel quòd novis edictis non excitatæ, vel quòd à deceſſoribus cœptæ, non intermiſſo curſu continuatæ, vel denique alia quavis de cauſa, ut rectè ait Velſerus, qui addit, prorſus iniquum eſſe, qui Auctores inter ſe hac de re diſſentientes propterea reprehendendos putet. Cùm enim de rebus convenit, cur in verbis non ſuo quiſque judicio utatur? Similis eſt in conſtituendis perſecutionum principiis ratio.

IV. *Falſum eſt, Hadrianum templa Chriſto ædificare voluiſſe.*

Quod ad Lampridium ſpectat, is de Alexandro Severo in ejus Vita cap. 43. loquens ait: *Chriſto templum facere voluit, eumque inter Deos recipere, quod & Hadrianus cogitaſſe fertur, qui templa in omnibus civitatibus ſine ſimulacris juſſerat fieri: quæ hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur Hadriani, quæ ille ad hoc paraſſe dicebatur: ſed prohibitus eſt ab iis, qui conſulentes ſacra, repererant omnes Chriſtianos futuros, ſi id optato eveniſſet, & templa reliqua deſerenda.* Sed, ut Caſaubonus in Notis ad eum locum obſervat, de Tiberio narrant hoc Tertullianus, & alii Patres Græci ac Latini: de Hadriano verò nemo illorum ſimile quicquam. Et mirum profectò, tam nobilem Hiſtoriam, tot Fidei Chriſtianæ propugnatores acerrimos, viros undecumque doctiſſimos, & quorum intererat hoc ſcire, potuiſſe fugere. Sed videtur hæc de Hadriano ſuſpicio multò poſt ejus ſeculum hominum mentes inſediſſe. Nam neque Juſtinus Martyr, neque Athenagoras, neque Tertullianus, neque Cyprianus, aut omnino quiſquam ex illa veterum Patrum manu, vel tenuiſſimam ejus rei ſuſpicionem fando unquam accepiſſent. Unde autem vulgò multi ſeculo Lampridii hanc de Hadriano concepiſſent opinionem, declarat Auctor ipſe, cùm ſubjicit: *Qui templa in omnibus civitatibus ſine ſimulacris juſſerat fieri; quæ hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur Hadriani, quæ ille ad hoc paraſſe dicebatur.* En fontem & originem hujus opinionis. Juſſerat Hadrianus, templa fieri in omnibus civitatibus ſuo nomini ſine dubio conſecranda; quod & Spartianus in illius Vita teſtatur. Sed mortuo Hadriano priuſquam hæc templa abſolverentur, manſere pleraque illorum imperfecta, neque umquam dedicata ſunt. Exemplo poteſt eſſe illud quod Tiberiade magnificè inchoatum, mox relictum eſt, necdum abſolutum, tandemque in uſum balneorum à civibus deſtinatum, ut teſtatur Epiphanius contra Ebionæos. Talia ædificia in pleriſque civitatibus adhuc Lampridii ætate extabant, inchoata ſolùm, non perfecta, non dedicata; ac proinde, ut ait ipſe, ſine numine & ſimulacro ullo. Hinc factum, ut in animum inducerent multi, quibus aſſentitur Lampridius, non ſibi Hadrianum illa templa extruxiſſe, verùm Chriſto. Ita rectè Caſaubonus. Nec denique ex Juſtini facto Hadrianum nullam perſecutionem moviſſe deduci poteſt; cùm S. Martyr, ut perſecutionis ceſſationem ab Antonino Hadriani filio adoptivo impetraret, Hadriani exemplum propoſuerit, qui agnitâ Chriſtianorum innocentiâ finem perſecutionis ſuo tempore excitatæ impoſuiſſet. Aliæ conjecturæ, quas, ut ſuam opinionem tueatur, Dodwellus in medium adducit, non plus firmamenti ac roboris habent.

Quintus & ultimus Hadriani Romam adventus ad præſentem vel inſequentem annum revocandus. Vide dicenda anno CXXXVI num. 11. V. *Ultimus Hadriani Romam adventus.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5628. ⊙ 4 C. ☽ 3. P. 18. APRIL, INDICT. 3.

JESU CHRISTI 135. *ſecundum Baronium 137.*

TELESPHORI PAPÆ 10.

HADRIANI IMP. 19.

COSS. *Pontianus*, & *Atilianus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari pag. 83. I. *Conſules.*

Ad num. I. Bellum *Judaicum* anno præcedenti profligatum. Euſebius enim in Chronico de ejus fine agit anno Abrahami 2150. qui Kalendis Septembris anni Chriſti CXXXIII inchoatur. In Hiſtoria verò lib. 4. cap. 6. hoc bellum anno Hadriani XVIII finem accepiſſe II. *Finis belli Judaïci.* Baron. num. 1.

tradit, quod Marianus Scotus & Hermannus Contractus ab illo didicerunt. Præterea in Collectaneis Græcis à Scaligero publicatis, anno primo Olympiadis CC XXVIII, qui menſe Julio anni Chriſti C XXXIII incipitur, habetur: Ἰουδαία πᾶσα κεκίνηται. ἔκλειψις σελήνης. id eſt, *tota Judæa commota eſt. Eclipſis Lunæ.* Ptolomeus lib. 10. cap. 1. obſervat eclipſim Lunarem, quæ contigit die viceſima Octobris anni Chriſti C XXXIV, horâ poſt meridiem undecimâ, ut videre eſt, apud Calviſium in Opere Chronologico, ubi aliam eclipſim Lunæ per hæc tempora non annotat. Sed Auctor anonymus eorum Collectaneorum de ea eclipſi loqui non videtur. Denique Dio lib. 69. narrato hoc bello ait: *Periere quoque ex Romanis complures in eo bello. Quamobrem Hadrianus, cùm ſcriberet ad Senatum, non eſt uſus illo exordio, quo uti Imperatores conſueverunt: ſi vos liberique veſtri valetis, bene eſt: ego quidem & exercitus valemus.* Quare nondum Romam redierat Hadrianus, cùm bellum illud finitum, quem tamen certum eſt currenti anno menſis Maii initio Romæ fuiſſe, ut anno ſequenti videbimus: neque enim ad Senatum hujuſmodi literas Hadrianus dedit, niſi cùm Româ abſens erat.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5629. ☉ 5 BA. ☽ 4. P. 9. April. Indict. 4.
Jesu Christi 136. *ſecundum Baronium* 138.
Telesphori Papæ 11.
Hadriani Imp. 20.

I. *Conſules.* COss. *L. Ceionius Commodus*, & *Sex. Vetulenus Civica Pompeianus*, ex duabus Inſcriptionibus ab Onuphrio in Faſtis recitatis.

II. *Hadriani Vicennalia.* Hadrianus Vicennalia Romæ celebravit, quorum indicium Conſulatus Ceionii Commodi, quem hoc anno Cæſarem Hadrianus dixit, ut mox videbitur, Collegâ Civicâ patruo *Veri* Auguſti, ut ait Capitolinus cap. 9. de vita M. Aurelii, ubi patruus pro avunculo accipitur, ut obſervat Noriſius in Epiſt. Conſul. pag. 98. erat enim Vetulenus Civica frater uxoris Ceionii Commodi, poſtea Cæſaris nuncupati. Jam autem ſæpius diximus, Imperatores annis hujuſmodi ſolenniis deſtinatis, ſi Conſulatum non ſumerent, illum in propinquos aut illuſtriores viros transferre ſolitos. Occaſione etiam iſtorum Vicennalium Ceionius Commodus Cæſar nuncupatus, urbs Hieruſalem Ælia appellata, & perſecutio adverſus Chriſtianos continuata.

III. *Quintus & ultimus Hadriani Romam adventus.* Ad num. II. Hadrianus initio menſis Maii anni præcedentis jam Romæ erat. Extant enim Romæ in ædibus Farneſianis Inſcriptiones duæ Athleticæ Græcè exaratæ, quas Gruterus pag. CCC XV, & CCC XVI Latinè recitat: Græcè verò deſcripſit Octavius Falconerius in Diſſert. de Inſcriptionibus Athleticis. Prior his verbis concepta: *Imperator Cæſar Divi Trajani Parthici filius, Divi Nervæ nepos Trajanus Adrianus, Pontifex* (Baron. num. III.) *Maximus, Tribuniciæ Poteſtatis XVIII Coſ. III PP. Congregationi Palaſtricæ, eorum, qui circa Herculem Athletarum ſacrorum victorum coronatorum, Salutem. Etiam locum ubi vultis, jubebo dari vobis, & domum ad recondendas tabulas publicas, & ſi duplicium* [rectiùs Faber Agoniſt. lib. 3. cap. 27. *libros* ſeu *regeſta publica* hîc vertit, inquit Falconerius] *tranſmutationem neceſſariam putatis, hoc in vobis eſt. Legationem obiit Ulpius Domeſticus. Valete. Pridie III Non. Maiarum. Romæ.* Hadrianus die decima menſis Auguſti anni centeſimi triceſimi quarti Tribunitiam Pot. XVIII ſuſcepit, quæ initio menſis Maii anni C XXXV adhuc in curſu erat. Quare initio menſis Maii anni elapſi Hadrianus Romæ jam erat, ad eumque ea Legatio miſſa. Eſt hic quintus Hadriani Romam adventus, quem hujus anni initio contigiſſe arbitror; cùm, ut ſuperiùs dixi, bellum Judaïcum exeunte anno C XXXIV, aut forſan initio ſequentis, confectum fuerit, cùm Romam nondum Hadrianus perveniſſet, ut indicant literæ, quas poſt illud bellum ad Senatum ſcripſit.

IV. *Phlegon floret.* (Baron. num. VII.) Ad num. IV. *Phlegon* neque hoc anno, neque inſequenti, ut perperam Petavius lib. 13. de Doct. Temp. Opus ſuum de Olympiadibus publicavit, ſed anno quarto Olympiadis CC XXIX, qui anno Chriſti C XL exorditur. Unde in Collectaneis Græcis apud Scaligerum anno quarto præfatæ Olympiadis legitur, Phlegontem Hadriani libertum Opus Olympiadum ſcripſiſſe. Legendus Meurſius in Notis ad reliquias hujus Scriptoris, cujus eſt etiam liber de Mirabilibus, & libellus de Longævis; ac pro certo tenendum, Suidam, quando ait, *Phlegontem* ſcripſiſſe Olympiadas libris XVI, *uſque ad Olympiadem CC XXIX*, ultimam ſeu XXIX includere, non verò excludere, & denique eam Olympiadem CC XXIX, non hoc anno, ut habet Baronius, ſed ſequenti, inchoari, ut ibidem in margine annotatur.

V. *Ælius Verus Cæſar dicitur.* (Baron. num. III.) Spartianus in Hadriano cap. 23. de Ceionio Commodo hoc anno Conſule loquens ait: *Adoptavit Ceionium Commodum Verum, invitis omnibus: eumque Ælium Verum Cæſarem appellavit. Ob cujus adoptionem Ludos Circenſes dedit, & donativum populo ac militibus expendit, quem Præturâ honoravit, ac ſtatim Pannoniis impoſuit, decreto Conſulatu cum ſumtibus: eundem Commodum ſecundùm Conſulem deſignavit.* Idem Spartianus in Ælio Vero cap. 3. eodem ferè modo rem narrat: *Adoptatus Ælius Verus ab Hadriano, ſtatimque Prætor factus, & Pannoniis dux ac rector impoſitus, mox Conſul creatus, & quia erat deputatus Imperio, iterum Conſul deſignatus eſt.* Nuncupatus præſenti anno Cæſar Æliuſque dictus, Ceionius Commodus; non ſolùm quia Cæſares in Vicennalibus & id genus feſtis de more creati; ſed etiam quia in antiquis Faſtis & in Epigraphe hoc anno dicata, mox in medium adducenda, Commodus Cæſar non appellatur; in Faſtis verò, ubi ejus ſecundus Conſulatus proponitur, *Ælius Cæſar* vocatur. Gruterus pag. DCCC LXXIV. 5. refert liberti cujuſdam reſcriptum, cujus hoc initium eſt:

C. Julius Cae
dus. lib. Samiaris
Quintianus. Salutem
cum petieritis. a. me
at. si. cui quid veſtrum, &c.
In fine legitur:
Data xiii. K Julias in hortis
Statiliae. Maximae
Ceionio. Commodo. et Cos.
Civica. Pompeiano
Samyaris. Doryphorion.

Kirchmannus lib. 3. de Funeribus Romanorum cap. 14. reſcriptum illud recitat, ſed corruptum: loco enim priorum verborum legit: Ælius. Cæsar. duobus. lib. Sannari. Ex quibus in prima parte Diſſert. Hypaticæ cap. 3. deduxi, Ælium ante xiii Kal. Julias, ſeu diem xix Junii, jam Cæſarem nuncupatum fuiſſe: id enim ex corrupta illa Inſcriptione neceſſariò ſequebatur. Sed Noriſius in Epiſt. Conſulari pag. 49. rectè animadvertit, Kirchmannum eam Inſcriptionem corruptam accepiſſe, & in prioribus ejus verbis *C. Julium Cadum*, non verò *Ælium Verum* haberi. Qua de re non dubitandum; cùm Smetius Vir eruditiſſimus eam legerit, & ad Gruterum miſerit, ut is ſcribit. Initium itaque Imperii Cæſarei quoad menſem & diem L. Ælii, adhuc in obſcuro latet.

VI. *Quo anno Ælius adoptatus.* Quoad *L. Ælii* adoptionem, ea præpoſtero ordine à Spartiano locis numero præcedenti citatis narrata, cùm hoc anno peracta fuerit: Ælius verò anno centeſimo triceſimo Præturam geſſerit. Capitolinus enim in Lucio Vero Ælii filio cap. 1. ait; *Natus eſt Lucius Romæ in Prætura patris ſui XVIII Kalend. Januarias*: cap. verò ſecundo ſubdit: *Poſt ſeptimum annum in familiam Aureliam traductus, Marci moribus & auctoritate formatus eſt.* Factum id anno Chriſti cxxxviii, quo Marcus ab Antonino adoptatus. Quare ſi tunc ſeptimum ætatis annum agebat Lucius, natus erat anno cxxx, & in eundem annum Ælii patris Prætura incidit. Nec dici poteſt, Ælium eo anno adoptatum eſſe; cùm tam Spartianus in Ælio Vero cap. 2. & in Hadriani cap. 23. quàm Dio lib. 69. disertè aſſerant, Hadrianum *peragrato jam Orbe terrarum*, ac *poſtquam Romam venit*, de ſucceſſore cogitaſſe, ac Commodum ſeu Ælium Verum adoptaſſe. Ælii itaque Prætura non loco ſuo à Spartiano narrata, præſertim cùm ante Conſulatum geri ſoleret. Res ita ſe habuit. Hadrianus ex Oriente redux Ælium, qui ab aliquot annis Præturâ functus fuerat, in annum cxxxvi Conſulem deſignavit, cujus anni initio, quia eum Imperio deſtinabat, iterum Conſulem in annum cxxxvii deſignavit, ac non multò pòſt in filium adoptavit, tum Cæſarem renuntiavit, Pannoniâ Provinciâ ei decretâ: interimque ei Urbem pérmiſit. Victor enim de Cæſaribus in Hadriano inquit: *Rus proprium Tibur ſeceſſit, permiſſa Urbe Lucio Ælio Cæſari.* Neque enim Ælius ante hujus anni finem vel ſequentis initium in Pannoniam ſe contulit; cùm omnes Pannonicæ Inſcriptiones, in quibus Ælii Veri mentio, Tribunitiam Pot. xxi anno ſequenti inchoatam præferant. Hinc liquet quantùm Caſaubonus & Salmaſius in Notis hallucinati fuerint, quando ſcripſere, Vitam Ælii Veri, & Vitam Lucii Veri ejus filii ab uno eodemque Auctore ſcriptam; licèt prior Spartiano, poſterior Capitolino attribuatur. Nam idem Auctor de eadem re alio alioque modo locutus non eſſet. Ceterùm non exiſtimo, Ælium Cæſarem ante annum ſequentem Tribunitia Poteſtate decoratum fuiſſe; cùm ea nec in Nummis nec in Inſcriptionibus geminata reperiatur, & *Ælius* Kalendis Januariis anni cxxxiii extinctus fuerit; qui ideo jam Tribunitiam Poteſtatem ii geſſiſſet, ſi eam cum Cæſareo nomine accepiſſet. Ex his detegitur Scaligeri error in Animadverſionibus Euſebianis ad num. 2145. ubi ait, Antinoum mortuum eſſe in Ægypto; in Ægyptum autem veniſſe Hadrianum Conſulatu Serviani anno cxxxiv geſto, idque liquere ex epiſtola, quam ad eum ſcribit Hadrianus, quámque Vopiſcus in Saturnino recitat. Nam cùm in ea epiſtola Hadrianus de Ægyptiis loquens dicat, *In filium meum Verum multa dixerunt*, manifeſtum eſt, eam ante annum cxxxvi, quo Ælius Verus ab Hadriano adoptatus, ſcriptam non eſſe, ideoque Servianum Conſulem, ad quem illam Hadrianus dedit, Conſulatum ſuffectum geſſiſſe, ac diverſum eſſe à Serviano anno cxxxiv Conſule ordinario, & denique eam epiſtolam ab Hadriano Romam ex Oriente reduce exaratam.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5630. ☉ 6 G. ☽ 5. P. 25. Mart. Indict. 5. Olymp. 229.
Jesu-Christi 137. *ſecundùm Baronium* 139. An. Urb. 890.
Hygini Papæ 1.
Hadriani Imp. 21.

I. *Conſules.* Coss. *Lucius Ælius Cæſar II*, & *P. Cælius Balbinus Vibullius*, ex Inſcriptione Gruteriana pag. xxiii. 12. Seldenus tamen lib. 3. de Synedriis cap. 14. ſaxum, in quo ea inciſa eſt, quòd Salonæ olim viſebatur, ſed mutilum, tradit ex conjecturis ſuppletum fuiſſe, & inde Joanni Baptiſtæ Rhamnuſio dono datum, Patavii ad portam civitatis ab eodem collocatum. Hoc autem Inſcriptionis initium: L. Aelio. Caesare. Imp. et P. Coelio. P. F. Balbino. Vibullio. Coss. vii. Idus. Octobres Cn. Domitius. Valens II. vir I. D. praeeunte. &c. Aldus Manutius in Orthographiæ Ratione pag. 37. etiam ipſum ſaxum velut inde verè deſcriptum exhibet, & ut apud Gruterum habetur, ita ſuis Operibus multi inſeruerunt. Apud Joannem Roſſinum Antiquit. Rom. lib. 2. cap. 2. lineâ primâ caret: in fronte autem, ſeu linea illa prima, diſcrepantia eſt non prætereunda. Aldus habet: Balbino. Vibullio. Pio. Coss. atque, ut Gruterus, Aelio. Caesare. Imp. Ita etiam alii, ſed non ſine craſſiſſimo errore. Smetius pag. 18. num. xviii ante Gruterum rectè habet, Ælio Cæsare II. P. Coelio, Coss. Sed pro Imp. legendum II. Ita Seldenus, & quidem rectè, cùm Ælius Cæſar hoc anno ſe-

cundum Conſulatum geſſerit, & Imperatoris nomine cohoneſtatus non fuerit; cùm illud Imperio Proconſulari exornatis, non verò aliis Cæſaribus attribueretur. Baronius in Annalibus ait, *Ælium Verum* Conſulem II deſignatum, *antequam* dignitatem illam *adierit*, morte ſublatum eſſe, hujus anni initio. At ſi Ælius Cæſar Conſulatum non iniiſſet, in Faſtis locum non haberet; cùm in iis Conſules deſignati numquam memorentur, ac parte alia Ælium Cæſarem Kalendis Januariis anni ſequentis diem obiiſſe, & Conſulatum hunc juxta priorem Conſulatuum Cæſareorum regulam ſuſcepiſſe in Diſſert. Hypatica demonſtraverim.

II. *Ælius Verus anno ſequenti mortuus.*

Baron. num. 2.

Dodwellus tamen Vir eruditiſſimus in Appendice ad Diſſertationes Cyprianicas, Baronii ſententiam tuetur, & quæ in Diſſertatione Hypatica ſcripſi, improbat. Ait enim, Spartianum, cujus verba anno præcedenti recitavi, Ælii Veri res ordine alieniſſimo narraſſe, Conſulatum ſecundum Ælii deſignatum tantùm intelligendum, &, cùm capite 4. in Vita Hadriani ait, *Cùm de provincia Ælius rediſſet, atque orationem pulcherrimam paraſſet, quâ Kalendis Januariis Hadriano patri gratias ageret, Kalendis ipſis Januariis periit*, loqui de Kalendis Januariis currentis anni, quòd gratiarum actio de adoptione nimis ſera fuiſſet poſt biennium, ideoque minimè tam diu dilatam fuiſſe. At gratiarum actio de adoptione non ſemel ob morbum, ſed bis dilata. Spartianus enim teſtatur, Ælium anno, quo Cæſar dictus, gratiarum actionem reddere non potuiſſe, ideoque eam in ejus è Pannonia reditum prorogatam. Hæc Spartiani verba in Hadriano cap. 23. *Commodus autem præ valetudine, nec gratias quidem in Senatu agere potuit Hadriano de adoptione*, anno nempe c xxxvi, quo Cæſar ab eo nuncupatus eſt: *Denique accepto largiùs antidoto, ingraveſcente valetudine, per ſomnum periit ipſis Kalendis Januariis*, ſubdit ibidem Spartianus, ubi loquitur de Kalendis Januariis anni c xxxviii poſt adminiſtratas Pannonias, ut in Ælio Vero cap. 4. tradit: *Cùm de Provincia Ælius rediſſet*, &c. ut ſuprà. Bis itaque Ælius Verus infirmitate præpeditus gratias de adoptione Hadriano agere non potuit, ideoque non mirum, ſi ea oratio tamdiu dilata fuerit. Hæc morbi iteratio Spartiani Interpretibus non obſervata, deceptuſque Onuphrius in Faſtis, ubi tradit, *Ælium* non potuiſſe gratias agere de Conſulatu, ideoque anno c xxxvii, quo eum gerere debebat, demortuum. Nam Spartianus de adoptione, non verò de Conſulatu loquitur.

III. *Annus mortis Ælii Cæſaris magis confirmatur.*

Mors itaque *Ælii Cæſaris* Kalendis Januariis anni Chriſti inſequentis certò contigit. Gruterus pag. cc lii. 2. hanc Inſcriptionem refert:

Imp. Caes.
Trajano
Hadriano
Aug. P. P. Trib. Pot.
xxi. Cos. III. Imp. II.
L. Aelius Caes. Fil.
Trib. Potes. Cos. II.
Procos. XV. Trivir.
Sacris faciund.

Tribunitiam Pot. xxi die decima menſis Auguſti præſentis anni Hadrianus ſuſcepit. Quare, ſi poſt eum diem Ælius Cæſar in ejus honorem hanc Inſcriptionem poni juſſit, Kalendis Januariis ejuſdem anni ſupremum diem non obierat; cùm certum ſit, mortem ejus in alium diem, quàm in Kalend. Januarias non incidiſſe. Reſpondet Dodwellus citatus, Tribunitiam illam Pot. xxi ab anno c xvi deducendam, & Conſulatum illum II Ælii, deſignatum intelligendum. Exiſtimat enim Vir doctiſſimus, Trajanum anno integro ante mortem Hadrianum adoptaſſe, ſed adoptionem poſt Trajani mortem tantùm publicatam. Quo pacto, Hadrianus anno Chriſti antecedenti Tribunitiam Poteſtatem xxi ſuſcepiſſet, & Ælius Cæſar Conſul II deſignatus hanc Inſcriptionem dicaſſet. At Hadrianum paucos dumtaxat dies ante Trajani mortem, quæ anno c xvii accidit, adoptatum eſſe, certum indubitatumque, ut ſuo loco dixi. Denique in Cimelio Regio extat Ælii Nummus argenteus, ex quo hunc anno tantùm ſequenti demortuum conſtat: Λ. ΑΙΛΙΟC. ΚΑΙCΑΡ. Caput Ælii ſine corona. In poſtica: ΑΜΙCΟΥ. ΕΛΕΥΘΕΡΑC. ΕΤΟΥC. ΡΞΘ. Id eſt, *Amiſi liberæ, anno* clxix. Cernitur Juſtitia ſtans amicta, quæ dextrâ bilances, ſiniſtrâ cornucopiæ tenet. Amiſeni libertate donati ab Auguſto poſt Actiacam victoriam, ut auctor eſt Strabo lib. 12. pag. 547. ideoque anno Urbis dcc xxiii; cui anno, ſi c lxix, quo is Nummus percuſſus, addas, pervenies ad annum Urbis dcccc xci, qui anno Chriſti c xxxviii inchoatur. Cùm itaque eo anno juſtitia Ælii Cæſaris in Nummis adhuc celebraretur, is Kalendis Januariis præſentis anni è vivis non exceſſerat. Nam Amiſeni, qui Ælii Cæſaris mortem, quæ Kalendis Januariis anni c xxxviii contigit, poſt aliquot menſes ignorarunt, non potuiſſent eam neſcire anno Chriſti c xxxviii, ſi Kalendis Januariis anni c xxxvii accidiſſet; urbs enim *Amiſum* in Paphlagonia poſita, ideoque ab Urbe Roma non multùm diſſita. Nec eſt quòd quis dicat cum Harduino V. C. in Nummis urbium & populorum, illum Ælii Nummum poſt ejus obitum cuſum; cùm præfata Inſcriptio, quæ in eo legitur, illum adhuc in vivis fuiſſe evincat. Ælius igitur Cæſar Kalendis Januariis anni c xxxviii vitâ functus eſt, ſed antequam hujus mortis nuntium ad Amiſenos perveniret, is Nummus percuſſus.

IV. *Ælius Cæſar Verus appellatus.*

Ceionium Commodum, qui poſtquam Cæſarea dignitate ornatus eſt, *Ælii* nomen tulit, dictum etiam fuiſſe *Verum*, Spartianus & Capitolinus teſtantur. Hic in Vero Imperatore Ælii filio cap. 1. ait: *Igitur L. Ceionius Ælius Commodus Verus Antoninus, qui ex Hadriani voluntate Ælius appellatus eſt, ex Antonini conjunctione Verus & Antoninus.* Spartianus in Hadriano cap. 24. de Hadriano habet: *Adoptavit ergo Ceionium Commodum Verum, invitis omnibus; eumque Ælium Verum Cæſarem appellavit.* Immo Hadrianus non alio quàm Veri nomine Ælium appellare ſolitus erat. Extat apud Vopiſcum in Saturnino Epiſtola Hadriani ad Servianum Conſulem, in qua de Ægyptiis loquens inquit: *In filium meum Verum multa*

dixerunt; & Spartianus in Ælio Vero cap. 4. recitatis quibuſdam verſibus ait: *Hadrianus dixiſſe fertur, Hos verſus vita non capit Veri.* Lucius quidem Ælii filius *Veri* nomen non geſſit, antequam à Marco Imperii particeps renuntiaretur, licèt à Spartiano etiam antequam imperet, *Verus* vocetur. Accuratiùs quippe Capitolinus, ut vidit Salmaſius in Notis ad Capitolinum in Marco cap. 7. hoc diligenter obſervavit, ut Lucium Commodum ſemper vocaret, cùm ejus meminit ante adoptionem: pòſt verò non jam *Lucium Commodum*, ſed *Verum* appellat, tam in Vita Marci, quàm in Vita Veri Imperatoris. Ælium autem Cæſarem ſubinde *Verum* vocat.

V. *Ælius in Nummis & Inſcriptionibus numquam* Verus *dictus.*

His tamen refragatur Noriſius in Epiſtola Conſulari pag. 48. quòd neque in Nummis aut Lapidibus cognomen *Veri* Ælio Cæſari attributum legatur; ſed in iis ante adoptionem L. Ceionius Commodus, poſt adoptionem L. Ælius Cæſar tantùm inſcribatur: *Certum eſt*, inquit Noriſius, *L. Ceionium Commodum, antequam ab Hadriano adoptaretur, cognomen Veri non tuliſſe. Cùm anno Urbis DCCC LXXXIX, Chriſti C XXXVI Conſulatum iniſſet, in tribus Inſcriptionibus Gruteri pag. XCIX, CC L, & DCCC LXXIV dicitur*, L. Ceionius Commodus, *nuſquam altero* Veri *cognomine addito. Error Spartiani cap. 2. de vita Ælii Cæſaris, ubi eumdem Ælium Verum appellat, corrigendus eſt ex Capitolino, qui de ejuſdem Ælii Cæſaris filio ac Imperatore Lucio Vero cap. 1. ait:* Igitur L. Ceionius Ælius Commodus Verus Antoninus, qui ex Hadriani voluntate Ælius appellatus eſt, ex Antonini conjunctione Verus & Antoninus. *Itaque cognomen Veri tum primùm L. Ceionio datum eſt poſt mortem Ælii Cæſaris, cui haſtenus auctore Spartiano Veri cognomen paſſim detulerant. Ipſe etiam Capitolinus non ſibi conſtat; nam & Ælium Cæſarem* Verum *nuncupat, & poſtea cap. 7. in Vita M. Aurelii ait:* Et quaſi pater L. Commodi eſſet, Verum eum appellavit, addito Antonini nomine. *Et in Vero cap. 3. de eodem M. Aurelio ſcribit*, illum Imperium cum L. Commodo communicaſſe, *additque:* Verum vocari præcepit, ſuum in eum transferens nomen, cùm antè Commodus vocaretur. *Hæc planè vera ſententia.* Ita Noriſius. Verùm Capitolinus pugnantia non loquitur, cùm Lucium Commodum Ælii Cæſaris filium ante Imperium numquam *Verum* appellet. Sed illud nomen ei, tamdiu cùm imperare cœpit, impoſitum aſſerit: illud enim veriſſimum, ut pluribus Noriſius adſtruit. Sed hinc non ſequitur, malè Capitolinum Ælium Cæſarem *Veri* nomine appellaſſe, cùm non ſemel factum fuerit, ut filii patrum nomen non tulerint. Ipſe Marcus Antoninus avi ſui nomen principio habuit, & poſt virilem togam *Annius Verus* dictus eſt, ut teſtatur Capitolinus in Marco cap. 1. Sed rectè etiam ab eodem Capitolino ſcriptum, Ceionium Commodum Lucii patrem, Verum etiam, quod Anniæ familiæ cognomen erat, appellatum fuiſſe, cùm, ut jam vidimus, ipſemet Hadrianus Ceionium Commodum jam à ſe adoptatum, *Verum* nominet. Nec refert, quòd Ælius Cæſar numquam in Nummis aut Inſcriptionibus *Verus* appelletur; cùm nec Lucius Commodus Ælii Cæſaris filius etiam poſt adeptum Imperium, in iis Commodi nomine, quo tamen vulgò vocabatur, ut infrà videbimus, inſigniatur; nec Valerianus Cæſar Gallieni Auguſti filius in iiſdem Gallienus Cæſar appelletur, quo tamen nomine paſſim vocabatur, ut ſuo loco dicturi ſumus. Denique Caius Auguſtus, qui vulgò *Caligula* appellabatur, in Nummis, ſaltem Latinis, ſemper Caius, numquam Caligula dicitur. Quæ obiter dicta ſunto.

V I. *Teleſphori P P. obitus.*

Teleſphoro Papæ hoc anno demortuo Hyginus ſucceſſit, ut infrà explicabimus.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5631. ☉ 7 F. ☽ 6. P. 14. April.
Indict. 6.
Jesu Christi 119. *ſecundum Baronium* 140.
Hygini Papæ 2.
Antonini Pii Imp. 1.

I. *Conſules.*

Coss. *Camerinus* & *Magnus.*

II. *Adoptio Antonini Pii, Marci Aurelii & Lucii Commodi.*

Ad num. I. Kalendis Januariis præſentis anni *Ælius Cæſar* ſupremum diem obiit, ut anno præcedenti demonſtravimus. *Poſt hunc denique*, inquit Spartianus in Ælio Vero cap. 6. *Hadrianus diu anceps quid faceret, Antoninum adoptavit, Pium cognomine appellatum, cui conditionem addidit, ut ipſe ſibi Marcum & Verum Antoninos adoptaret, filiamque ſuam Vero, non Marco daret.* Rei geſtæ diem nobis conſervavit Capitolinus in Antonino Pio cap. 4. De Antonino enim loquens ait: *Adoptatus eſt quinto Kalendas Martias die, factuſque eſt patri & in Imperio Proconſulari, & in Tribunitia Poteſtate Collega*; ideoque non tantùm Cæſar nuncupatus, ſed etiam Imperii Collega renuntiatus: duabus enim illis partibus, ſcilicet Imperio Proconſulari & Tribunitia Poteſtate honos ille conſtabat. Hinc Antoninus propter Imperium Proconſulare *Imperator* in Nummis dictus, antequam Hadriano ſuccederet. Tres refert Mediobarbus, in quibus legitur: Imp. T. Ael. Cæsar Antoninus. in poſtica: Trib. Pot. Cos. Conſul dicitur Antoninus, non quòd hoc anno Conſulatum honorarium geſſerit, ut exiſtimavit Baronius, ſed quòd anno Chriſti c x x i cum L. Catilio Severo Conſul ordinarius fuerit, dum ipſe *T. Aurelius Fulvus* vocaretur, ut videre eſt apud Onuphrium in lib. 2. Faſt. Fallitur etiam Baronius, qui anno præcedenti Antonini adoptionem factam exiſtimat, & eum hoc anno Conſulatu decoratum ac Tribunitia Poteſtate auctum. Nam, ut oſtendi in Diſſert. Hypat. prima parte cap. 5. Hadrianus Auguſtum hac in re imitatus eſt, qui uno eodemque tempore Tiberium, Germanicum & Agrippam adoptavit, cum eo tamen diſcrimine tunc à me nondum detecto, quòd uno eodemque die Tiberium, Germanicum & Agrippam Auguſtus adoptavit; Marcus verò ab Antonino non adoptatus, niſi poſt duos menſes, quàm ipſe ab Hadriano adoptatus fuerat. Capitolinus enim in Marco

Baron. ann. 139. num. 1. & ann, 140. num. 1.

cap. 5. de Marco ait: *Octavo decimo ætatis anno adoptatus, in ſecundo Conſulatu Antonini jam patris ſui, Hadriano ferente, gratiâ ætatis factâ, Quæſtor eſt deſignatus.* Natus erat Marcus *ſexto Kalendas Maias avo ſuo iterum & avo ſuo Coſ.* inquit ibidem Capitolinus. Quare ſexto Kalendas Maii currentis Chriſti anni decimum octavum ætatis annum Marcus ingreſſus eſt, ac poſt illum diem ab Antonino eſt adoptatus. Conveniunt ſecundò adoptiones ab Auguſto, & ab Hadriano factæ, quòd Tiberius ab Auguſto adoptatus fuerit, poſtquam ipſemet coactus eſt priùs Germanicum fratris ſui filium adoptare, ut ait Suetonius in Tiberio cap. 15. & Hadrianus Antoninum, is verò Marcum Aurelium & Lucium Verum adoptarit. Si enim Marcus Aurelius ſibi Lucium Commodum adoptaſſet, ut vult Capitolinus in Marco cap. 5. huic filiam ſuam Lucillam, poſtquam imperavit, in matrimonium non tradidiſſet, ne inceſtum committeret. Certè Dio lib. 60. hæc ſcribit: *Quo tempore Claudius Neronem Agrippinæ filium adoptavit; generum quoque eum ſibi fecit, filiâ tamen priùs adoptandâ in aliam familiam traditâ, ne ſororem fratri conjungere exiſtimaretur.* Unde cùm Marcus Aurelius Lucium Verum generum ſibi faciens, filiam ſuam in aliam familiam priùs non adoptarit, manifeſtiſſimum eſt, eum non fuiſſe patrem Lucii Veri, ſed tam ipſum, quàm Lucium Verum ab Antonino Pio adoptatos. Tertiò utrique adoptioni peragendæ idem dies conſtitutus, nempe *quintus Kalendas*. Tiberius enim *quinto Kalend.* Julii, ut ſuo loco dictum, Antoninus *quinto Kalend.* Martii adoptatus. Is enim dies in quamdam religionem venerat ab eo tempore, quo Auguſtus victis Antonio & Cleopatra aram Victoriæ dedicavit, *quo Cæſar nimirum oſtendebat, Imperium ſe ex victoria eſſe adeptum*, inquit Dio lib. 51. annoque Urbis conditæ 725. Nam ex veteri Kalendario apud Gruterum pag. 133. ad v Kalend. Septemb. legitur: Ara Victoriæ in Curia dedicata est. Imò Auguſtus v Kal. Jul. Tribunitia Poteſtate exornatus fuerat, ut in Apparatu Chronologico diximus. Quartò, quemadmodum Auguſtus Tiberium adoptando Tribunitiam Poteſtatem eidem contulit, ac poſt aliquot annos Imperium Conſulare, ſic & Antoninus non tantùm ab Hadriano adoptatus, ſed factus *patri & in Imperio Proconſulari, & in Tribunitia Poteſtate Collega*, inquit Capitolinus citatus. Quintò, ſicut Germanicus *à Tiberio patruo adoptatus, Quæſturam, quinquennio antequam per leges liceret, geſſit*, ut ſcribit Suetonius ipſo Caligulæ Vitæ initio; ſic Marcus, *gratiâ ætatis factâ, Quæſtor eſt deſignatus*, inquit Capitolinus loco citato. Quibus lucem accipiunt, quæ in priori parte Diſſert. Hypat. cap. 3. de adoptionibus Marci Aurelii, & Lucii Veri diximus, ubi & oſtendimus, Capitolinum loco citato, quando ait, Marcum adoptatum eſſe *in ſecundo Conſulatu Antonini jam patris ſui*, intelligendum eſſe de Conſulatu Antonini ordinario, non verò honorario, eoque tantùm deſignato, ut perperam explicat Baronius, ac denique Cæſares & Auguſtos ſæpe Conſules abſolutè vocari, licèt ad eam dignitatem tantùm deſtinati eſſent, ut contigit in Antonino Pio, qui in annum ſequentem Conſul II deſignatus erat, quando Marcum Aurelium Hadriani juſſu adoptavit. Prætermiſeram monere, Zonaram ſcribere: *Antonino rerum potito, quem Hadrianus adoptatum, & Cæſarem, & Imperatorem deſignarat*, &c. Imperator itaque dictus Antoninus Pius, ob Proconſulare ſcilicet Imperium, uti ante eum Titus & Trajanus. Id etiam Dio in literas retulerat, ſed acta Antonini Pii apud eum non extant. Xyphilinus tamen ait: *Tantùm invenitur, eum Lucio Commodo, quem Hadrianus adoptaverat, ante Hadrianum extincto, ab eodem Hadriano adoptatum & Imperatorem factum eſſe.* Ita Xyphilinus ex Dione. Denique extat Inſcriptio apud Gruterum pag. 256. ubi dicitur: Imp. Aelio Caesari Antonino, &c. In ea Hadrianus non vocatur Divus; Antoninus verò dicitur Tr. P. Cos. nec additur, Des. II. nec vocatur Pont. Maxim. Quare poſita Inſcriptio vivente Hadriano, & quidem Idib. Mai, ut ibidem dicitur.

III. Obitus Hadriani. Hadrianus, poſtquam die viceſima quinta Februarii Antoninum adoptaſſet, *apud Baias periit, die ſexto Iduum Juliarum*, inquit Spartianus in Hadriano cap. 25. Si itaque Hadrianus die decima menſis Julii interiit, Baron. num. 1. vixit annos ſexaginta duos, menſes quinque, dies ſeptemdecim. Natus enim erat *IX Kal. Febru. Veſpaſiano VII & Tito V Coſſ.* ut habet Spartianus citatus cap. 1. id eſt, die viceſima quarta menſis Januarii anni Chriſti ſeptuageſimi ſexti: quem etiam diem Hadriani natalem, antiquum Kalendarium à Petro Lambecio editum exhibet. Xyphilinus quidem ex Dione ſcribit: *Vixit annos ſexaginta duos, menſes V, dies XIX.* Sed loco, xix, legendum, xvii. Ubi enim in Græco ſcriptum erat, ἑπτὰ ϗ δέκα, id eſt, *ſeptemdecim*, Librarius per errorem repoſuit, ἐννέα ϗ δέκα, id eſt, *novemdecim*. Ex quibus corrigendus Spartianus in Hadriano cap. 25. ubi ait: *Vixit annis ſeptuaginta duobus* (legendum, *ſexaginta duobus*) *menſibus quinque, diebus ſeptemdecim. Imperavit annis viginti uno, menſibus undecim.* Sed ſicut locus in annis vitæ Hadriani exprimendis corruptus, ita & in annis Imperii, niſi utrobique ipſemet Spartianus erraverit. Quare ſicut unitas ex annis Imperii, ita & decem ex annis vitæ, demenda. Victor de Cæſaribus in Epitome, quemadmodum & Eutropius, qui annos xxii Hadrianum imperaſſe tradunt, errorem illum à Spartiano mutuari videntur. Nam eum annos tantùm viginti ac menſes undecim imperaſſe, currentique anno, non verò inſequenti, obiiſſe, ita ſolidè demonſtravi in priori parte Diſſert. Hypaticæ cap. 4. ut non exiſtimem fore in poſterum, qui annum Hadriani emortualem in controverſiam revocet. In medium adduxi ibidem num. 11, Numiſma Hadriani, in quo Providentia ſtans repræſentatur cum his verbis ac litteris Græcis, ΠΡΟΝΟΙΑ Κ. Β. quæ ſic vertit Patinus V. C. in Numiſmatis Imperatorum, *Providentia XXII*, annumque Hadriani viceſimum ſecundum ſignificari dicit. Quod quidem verum, licet duo illi numeri interjecto

interjecto puncto dividantur. In Nummis enim Græcis ſæpe hujuſmodi interpunctiones occurrunt, quæ numeros non variant, uti in iis, quibus utimur, numeris, contingeret, v. g. in numero 22. ſi interpunctum hoc modo 2. 2. interjiceretur. Et tamen eo in loco perperam ſcripſi, etiam Græcos numeros punctis diviſos, non idem ſignificare, ac ſi illa abeſſent. Is itaque Nummus, ſimiléſve poſt Hadriani mortem percuſſi in urbibus longè ab Italia diſſitis; ad quas hujus mortis nuntium nondum perlatum erat. Hadrianus enim, qui die decima Julii è vivis exceſſit, intra menſem, nempe die x Auguſti, viceſimum ſecundum Imperii annum auſpicaturus erat, ideoque non mirum, ſi intra unum poſt obitum menſem, per univerſum Imperium, novi Imperatoris inauguratio divulgata non fuerit; eò magis, quòd Antoninus propter Hadriani infirmitatem omnia adminiſtrabat, & in eo certa ſucceſſio erat.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5632. ☉ 8 E. ☽ 7. P. 6. APRIL. INDICT. 7.
JESU CHRISTI 139. *ſecundùm Baronium* 141.
HYGINI PAPÆ 3.
ANTONINI PII IMP. 2.

I. *Conſules.* COSS. *Antoninus Pius Aug. II. & Bruttius Præſens.* Antonini Conſulatus juxta priorem Conſulatuum Cæſareorum regulam.

II. *M. Aurelius Cæſar dictus.* Hoc anno idem Imperator *Marcum Aurelium Conſulem ſecum deſignavit, & Cæſaris appellatione donavit*, inquit Capitolinus in Marco cap. 6. Neque dubitandum, quin præſenti anno ea nuncupatio facta fuerit; cùm inſequenti Marcus Aurelius Cæſar Conſul proceſſerit.

III. *Fauſtina Junior ſponſa M. Aurelii.* *Poſt exceſſum Hadriani*, inquit ibidem Capitolinus, *ſtatim Pius per uxorem ſuam* (ſcilicet Fauſtinam Seniorem) *Marcum ſciſcitatus eſt: & cùm diſſolutis ſponſalibus, quæ cum Lucii Ceionii Commodi filia deſpondere voluerat, impar adhuc ætati eſſet, habita deliberatione cogitare velle ſe dixit.* Sed locus corruptus eſt, quem ex conjectura Salmaſius reſtituere conatur. Sed præferenda emendatio Caſauboni, qui legit: *Et cùm diſſolutis ſponſalibus, quæ cum Lucii Ceionii Commodi filia deſponderi voluerat, impar adhuc ætate eſſet, de eo habita deliberatione cogitare ſe velle dixit.* Ubi deeſt unum aut alterum vocabulum, cùm binorum ſponſaliorum facta hìc fuerit mentio, Marci nempe cum Lucii filia, *Fabia* dicta, & Veri cum Pii filia *Fauſtina*. Utraque Hadrianus fieri voluerat, quæ tamen poſt ejus obitum diſſoluta voluntate Pii: qui ne temere patris voluntatem videretur irritam feciſſe, hanc cauſam facto prætexuit, quòd Verus filiæ ſuæ nuptiis impar adhuc ætate eſſet. Quod verò *Fabia* Lucii Ælii Cæſaris filia fuerit, docet Capitolinus in Vero Imperatore cap. 8. ubi eam hujus Imperatoris *ſororem* vocat. Hinc de *Fabia* apud Capitolinum in Marco cap. ultimo dicitur: *Eniſa eſt Fabia, ut Fauſtinâ mortuâ in ejus matrimonium coiret; ſed ille* (ſcilicet Marcus

Baron. an. 142. num. 1.

Aurelius) *concubinam ſibi adſcivit Procuratoris uxoris ſuæ filiam, ne tot liberis ſuperduceret novercam.*

IV. *Judæos Antoninus comprimit.* Capitolinus in Antonino Pio cap. 5. geſta ab Antonino breviori ſumma perſtringens ait: *Per Legatos ſuos plurima bella geſſit. Nam & Britannos per Lollium Urbicum Legatum vicit, alio muro ceſpiticio, ſummotis Barbaris, ducto. Mauros ad pacem poſtulandam coëgit: & Germanos, & Dacos, & multas gentes, atque Judæos rebellantes contudit per Præſides & Legatos. In Achaia etiam atque Ægypto rebelliones repreſſit; Alanos molientes ſæpe refrenavit.* Baronius in Annalibus hæc verba refert, exiſtimatque his Conſulibus Judæos rebellantes compreſſos. At Capitolinus unâ ferme ſententiâ totius Antonini Imperii res geſtas explicans, & de Judæis non loquens, niſi poſtquam Britannos, Mauros, Germanos & Dacos victos aſſeruit, Judæorum rebellionem longè poſt hunc annum contigiſſe inſinuat. Ad hæc S. Juſtinus in Apologia apud Euſebium lib. 4. cap. 8. ait: καὶ γὰρ ἐν τῷ νῦν γενομένῳ ἰουδαϊκῷ πολέμῳ, Βαρχωχέβας ὁ τῆς ἰουδαίων ἀποστάσεως ἀρχηγέτης, χριστιανοὺς μόνους εἰς τιμωρίας δεινὰς, εἰ μὴ ἀρνοῖντο ἰησοῦν τὸν χριστὸν καὶ βλασφημοῖεν, ἐκέλευεν ἄγεσθαι, id eſt, ut vertit Valeſius: *Nam & in bello Judaïco, quod nuper geſtum eſt, Barchochebas, is qui Judaïcæ defectionis auctor & ſignifer fuit, ſolos Chriſtianos acerbiſſimis tormentis cruciari juſſit, niſi Chriſtum abnegarent, & maledictis inceſſerent.* Prima illa Juſtini Apologia (ita enim ab Antiquis appellatur) Antonino Pio anno ſequenti præſentata, ut ibidem explicabimus. Quare eo tempore Judæi nondum rebellarant; alioquin bellum Judaïcum ab Hadriano confectum non vocaretur à Juſtino *nuperum bellum*, ſed hoc tantùm de bello Judaïco, quod hoc anno ſub Antonino geſtum eſſet, diceretur. Quod adhuc magis verum eſt in ſententia Baronii priorem illam Apologiam anno decimo Antonini ſcriptam contendentis. Si enim ea eo anno huic Imperatori oblata eſſet, quod tamen ſuo loco confutabimus, ſequeretur, Antoninum poſt decimum Imperii annum Judæos cohibuiſſe; cùm Juſtinus in ſua Apologia de bello Judaïco ab Hadriano geſto loquatur, illudque nuperum ſeu ultimum contra Judæos bellum fuiſſe inſinuet. Certum itaque, longè poſt currentem annum Judæos rebellaſſe. Sed quia in Antonini Pii Nummis Tribunitia Poteſtas ante annum ejus Imperii decimum vix annotatur, & Capitolinus loco laudato unâ ferme ſententiâ multorum annorum, immo & totius Antonini Imperii res geſtas potiùs involvit, quàm explicat, ut rectè Baronius obſervat, quo anno ea rebellio acciderit, incompertum. Videtur tamen ea ſedata, poſtquam Antoninus ſuos circumcidere illis permiſit. Origenes enim lib. 2. contra Celſum hæc ſcribit: *Sed dicet aliquis, etiam Samaritas perſecutionem pati propter ſuam religionem. Et reſpondebimus, ſicarios propter circumciſionem occidi, quòd ſeipſos mutilent contra præſcripta legum, quæ ſolis Judæis id permittunt.* Modeſtinus lib. 6. Regularum, ad Legem Corneliam, DE SICARIIS: *Circumcidere filios ſuos Judæis tantùm reſcripto Divi Pii permittitur: in non*

Baron. num. 1.

ejuſdem religionis, qui hoc fecerit, caſtrantis pœna irrogatur. Jul. Paul. Recept. Sentent. lib. 5. tit. 22. De Seditiosis: *Cives Romani, qui ſe Judaïco ritu, vel ſervos ſuos circumcidi patiuntur, bonis ademtis, in inſulam perpetuò delegantur. Medici capite puniuntur. Judæi, ſi alienæ religionis comparatos ſervos circumciderint, aut deportantur, aut capite puniuntur.* Item Novella 146. Pius igitur Judæis conceſſit, quod Hadrianus denegaverat: *Nam moverunt ea tempeſtate Judæi bellum, quod vetabantur mutilare genitalia*, inquit Spartianus in Hadriano cap 14. niſi fortè, inquit Spencerus in Notis ad lib. 2. contra Celſum, ubi præfata obſervavit, hunc Spartiani locum Cauſabonus rectiùs interpretatus eſt, qui legibus Domitiani, Nervæ & Hadriani, quibus vetita erat marum eviratio, etiam circumciſioni fibulam impoſitam fuiſſe opinatur. Vide Codicem Juſtin. lib. 1. tit. 9. *De Judæis.* tit. 10. *Ne Chriſtianum.* Cod. Theod. lib. 16. tit. 4. Novell. Leonis 55.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5633. ☉ 9 D C. ☽ 8. P. 25. April. Indict. 8.
Jesu Christi 140. *ſecundùm Baronium* 142.
Hygini Papæ 4.
Antonini Pii Imp. 3.

I. *Conſules.*

COss. *Antoninus Pius Aug. III, & M. Aurelius Cæſar.* Conſulatus Antonini juxta tertiam regulam, ut nempe Ælii Cæſaris Collega eſſet: hujus juxta primam, quia ſc. anno præcedenti Cæſar dictus fuerat.

II. *Obitus Fauſtinæ Auguſtæ.* Baron. num. I.

Ad num. II. Capitolinus in Antonino Pio cap. 6. ait: *Tertio anno Imperii ſui Fauſtinam uxorem perdidit.* Tertius Antonini annus die decima menſis Julii currentis anni inchoatus; *Fauſtina* tamen anno tantùm ſequenti, quo adhuc tertius Antonini annus in curſu erat, demortua. Mabillonius enim V. C. in tomo IV Analectorum pag. 500. antiquam Romanorum Inſcriptionum Collectionem exhibet, inter quas hæ duæ leguntur: *Imperatori Cæſari Tito Ælio Hadriano Antonino Aug. Pio, Pontif. Max. Tribunit. Pot. XXIIII, Imp. II. Conſ. IIII. P. P.* Tum: *Divæ Fauſtinæ Auguſtæ Imp. Cæſaris T. Ælii Hadriani Antonini Aug. Pii Pontif. Maximo Trib. Pot. IIII. Conſ. III. P. P.* Utraque Inſcriptio Antonini & Fauſtinæ obitum reſpicit: ille enim, dum Tribunitiam Poteſtatem XXIV gereret, extinctus. Quare cùm Fauſtina, marito Tribunitiam Poteſtatem IV obtinente, ſupremum diem obierit, mors ea anno ſequenti, poſt diem XXV menſis Februarii, quo Antoninus Tribunitiam Poteſtatem IV ſuſcepit, quòve tertius ejus Imperii annus uſque ad menſem Julium occurrebat, contigit. Quot ex ea Antoninus Pius liberos ſuſceperit, cùm de Antonini morte ſermo erit, explicabimus.

III. *Obitus S. Sixti PP.* Baron. num. III.

Ad num III. *Sixtus* Papa anno centeſimo viceſimo ſexto ad Deum migravit. In Chronico enim Damaſi legitur: *Sixtus annis decem, menſibus tribus, diebus viginti uno. Fuit temporibus Hadriani, à Conſulatu Nigri & Aproniani, uſque Vero III & Ambibulo*, qui anno CXXVI Conſulatum geſſere. Sed error irrepſit in numeros, legendumque, *menſibus duobus, die uno*, ut habetur in auctiori Chronico veterum Pontificum, in Catalogo Palatino, & in duobus Catalogis Corbeienſibus. Cùm itaque S. Alexander die tertia Maii anni CXVI paſſus fuerit, Sixtus ejus ſucceſſor martyrium fecit circa diem tertium Julii anni CXXVI. Verum eſt, Anaſtaſium, alioſque ſcribere, Sixtum *III Nonas Aprilis*, ſeu die tertia Aprilis ſepultum, & in Martyrologio Uſuardi, Adonis & Romano ejus Natale conſignari die ſeptima menſis Aprilis. Sed uterque dies non ad primam S. Sixti ſepulturam, ſed ad aliquam ejus tranſlationem referendum. Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Romanorum Pontificum ait, Sixtum Alexandri deceſſoris per annum integrum *Vicarium* fuiſſe, quia arbitratur ſpatium regiminis in Chronico Damaſi ſignati, nonniſi per Vicarium ſervari poſſe, & ſervari commodè, ſi Sixtus tertia die Aprilis dicatur mortuus. At commentitius Vicariatus ille, & ſpatium regiminis Sixto attributum facilè invenitur, ſi initium ejus, ut fieri debet, cum anno Chriſti CXVI copuletur, ejuſque mors diei ejus cultûs ſeu tranſlationis non illigetur. Henſchenius S. Sixti vitam illuſtrat die VI Aprilis; docetque eum martyrio coronatum, non ſub Antonino Pio, ut putavit Baronius, ſed *ſub Hadriano Imperatore*, ut habent Florus, Uſuardus, Ado, Notkerus, & in antiquiſſimis Martyrologiis manuſcriptis legitur. Certè anno CXXVI in Chriſtianos ſævitum fuiſſe oſtendunt Apologiæ Hadriano, qui eo anno Decennalia ſua celebravit, à Chriſtianis oblatæ. Euſebius in Hiſtoria & in Chronico, Hermannus Contractus & Marianus Scotus in Chronicis conſentiunt Martyrologiis citatis.

IV. *Decretales Sixto attributæ.* Baron. num. IV.

Sixti duæ Epiſtolæ circumferuntur, quas Marca, Baluzius, aliique Viri doctiſſimi ſuppoſitionis arguunt. Prima eſt ad omnes Chriſti Fideles, in qua habentur teſtimonia ex Idacio, Enchiridio Xyſti Philoſophi, aliiſque deſumta. Secunda habet hanc inſcriptionem à primitivæ Eccleſiæ Prælulibus alienam: *Sixtus univerſalis Apoſtolicæ Eccleſiæ Epiſcopus omnibus Epiſcopis in Domino Salutem;* continetque quædam teſtimonia ex Hiſtoria tripartita, aliiſque petita. Sixto ſucceſſit Teleſphorus.

V. *Britanni domiti.*

Hoc anno Antoninus Imperator *Britannos per Lollium Urbicum Legatum vicit: alio muro ceſpiticio, ſubmotis Barbaris, ducto,* inquit Capitolinus in Antonino cap. 5. Extat hujus Imperatoris Nummus apud Mediobarbum pag. 194. in cujus averſa parte legitur: P. M. Tr. P. III. Cos. III. viſunturque quadrigæ triumphales. In averſa parte alterius Nummi eadem Tribunitia Poteſtate III notati habetur: Municentia S. C, Capitolinus in Pio cap. 10. ait: *Centum leones una miſſione edidit.* Quare cùm hoc anno Tribunitiam Poteſtatem tertiam Pius inierit, indicetque Capitolinus laudatus, primùm ab eo devictos Britannos, hæ quadrigæ, eaque munificentia ad victoriam Britannicam referendæ.

VI. *Inundatio Tiberis.*

Baron. an. 154. n. IV.

Idem Capitolinus cap. 9. ait: *Fuit & inundatio Tiberis*, quam hoc anno contigiſſe colligo ex Antonini Nummo apud Mediobarbum, in cujus averſa parte habetur: Tr. P. III. Cos. III. S. C. Tiberis. Repræſentatur Tiberis ſedentis ſimulachrum. Hæc inundatio inter adverſa, quæ hujus Imperatoris temporibus evenerunt, à Capitolino recenſita. Baronius eam recitat anno XV Antonini Pii, ideoque loco non ſuo.

Olymp. 230.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5634. ☉ 10 B. ☽ 9. P. 10. April.
Indict. 9.
Jesu Christi 141. *ſecundùm Baronium* 143.
Pii Papæ 1.
Antonini Pii Imp. 4.

I. *Conſules.*

Coss. *M. Peducæo Syloga Priſcinus*, & *T. Hænius Severus*, ex Inſcriptione Onuphriana.

II. *Hygini PP. obitus.*

Hoc anno S. Hyginus Papa ad cæleſtem patriam migravit, ut infrà viſuri ſumus.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5635. ☉ 11 A. ☽ 10. P. 2. April.
Indict. 10.
Jesu Christi 142. *ſecundùm Baronium* 144.
Pii Papæ 2.
Antonini Pii Imp. 5.

I. *Conſules.*

Coss. *Cuſpius Rufinus*, & *L. Statius Quadratus*, ex Inſcriptione Onuphriana.

II. *Quinquennalia Imperii Proconſularis Antonini.*

Imperii Proconſularis Antonini Pii Quinquennalia hoc anno exhibita.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5636. ☉ 12 G. ☽ 11. P. 22. April.
Indict. 11.
Jesu Christi 143. *ſecundùm Baronium* 145.
Pii Papæ 3.
Antonini Pii Imp. 6.

I. *Conſules.*

Coss. *C. Bellicius Torquatus*, & *Ti. Claudius Atticus Herodes*, ex Inſcriptione Onuphriana.

II. *Quindecennalia Imperii Auguſtei Antonini.*

Imperii Auguſtei Antonini Pii Quinquennalia hoc anno edita, & quidem Romæ, ubi hujus anni initio fuit, ut liquet ex Inſcriptione Farneſiana Latinè à Grutero pag. CCCXVI. 1. & Græcè à Falconerio in Inſcriptionibus Athleticis recitata. *Bonum factum. Imperator Cæſar Divi Hadriani filius, Divi Trajani Parthici nepos, Divi Nervæ pronepos T. Ælius Hadrianus Auguſtus, Pontifex Maximus, Tribunicie Poteſtatis III, Imperator II, Conſul III, Pater Patriæ Conventui Palæſtricæ, qui ſunt circa Herculem Athletis, ſacris victoribus coronatis, Salutem. Juſſi vobis demonſtrari locum, in quo & ſacra deponatis, & tabulas prope ipſas thermas, quæ à Divo avo meo extructæ ſunt: ubi etiam maximè* [in Ludis] *Capitolinis convenitis. Feliciter valete. Supplicavit Ulpius Domeſticus in Balneis meis. Scripta ante XVII K. Junii Romæ, Torquato & Herode Coſſ.* Eadem Legatio & ob eandem cauſam, ut ſuo loco dixi, imperante Hadriano miſſa, ſed nonniſi ſub Antonino Pio Athletæ voti compotes facti. Verùm, ut obſervat Noriſius pag. 86. qui hanc Inſcriptionem Latinam reddidit, malè eam deſcripſit. In Græco enim legitur, ΔΗΜΑΡΧΙΚΗ ΕΞΟΥCΙΑC. ΤΟ. Ϛ ΥΠΑΤΟΣ ΤΟ. Γ. Videlicet, *Tribunitiæ Poteſtatis VI, Conſul III*; qui verò eam deſcripſit, legit, ΔΗΜΑΡΧΙΚΗ ΕΞΟΥ. ΙΑC. ΤΟ. Γ. id eſt, *Tribunitiæ Poteſtatis III.* non advertens eam litteram eſſe gamma longiori tractu inferiùs ſinuatum. Similis erroris exemplum anno CXIII propoſuimus. Hunc errorem cùm Falconerius non animadvertiſſet, Faſtos pervertit, dum Conſulatum Torquati & Herodis, qui in hunc annum ſexta Tribunitia Poteſtate Antonini inſignitum, certiſſimè incidit, ut demonſtrat Noriſius laudatus ad annum Chriſti CXL, tertia Tribunitia Poteſtate Pii notatum, retraxit.

III. *Romam Valentinus venit.*

Baron. num. I.

Ad num. I. Euſebius lib. 4. cap. 11. hæc verba Irenæum ſcripſiſſe tradit: *Valentinus Romam venit Pontificatu Hygini. Viguit autem temporibus Pii, & ad Anicetum uſque permanſit.* Adventus verò Valentini Romam conſignatur anno tertio Antonini Pii tam in Chronico Euſebii, quàm in Chronicis Hermanni Contracti, & Mariani Scoti. Et quidem rectè: eo enim anno Hyginus adhuc ſedebat. Ex quo liquet, Pontificiam Chronologiam in Annalibus per veterum Pontificum Romanorum tempora depravatam eſſe, & S. Teleſphorum ad Antonini Pii Imperium non perveniſſe.

IV. *Auctores qui contra Marcionitas & Valentinianos ſcripſere.*

Baron. num. IX.

Ad num. IV. Fallitur Baronius, quando ait, Theodoretum aſſerere, Theophilum Antiochenum & Philippum Gortynæ Epiſcopum, & Modeſtum, & Origenem, & Rhodonem, & Hyppolitum, & Euſebium Emiſſenum contra Valentinianos ſcripſiſſe. Theodoretus enim in lib. 1. Hæreticarum Fabularum, ubi agit de Potito, de Prepone, aliiſque, ait tantùm, citatos Auctores ſcripſiſſe contra Marcionitas, quorum hæreſes diverſæ erant à Valentini hæreſibus. Hæc Theodoreti verba: *Potitus autem, & Blaſtus, & Syneros, & Prepon, & Pithon, diverſis doctrinis præfuerunt: hi verò omnes occaſionem accepere ex blaſphemia Marcionis. Plurimi adverſus hanc impietatem ſcripſerunt. Juſtinus enim Philoſophus & Martyr, & Theophilus Antiochenus Epiſcopus, & Philippus Gortynæ Epiſcopus, & Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus, & Modeſtus & Origenes & Rhodon & Adamantius & Hyppolitus & Euſebius Emiſſenus, hi omnes optimè & doctiſſimè hanc blaſphemiæ rabiem confutarunt.* Loquitur itaque Theodoretus de his, qui contra Marcionem ſcripſere, qui paulò antea in eodem libro agens de Hermogene illos declaraverat, qui contra Valentinum tractatus edidere: *Contra illum* (Hermogenem nempe) *ſcripſit Theophilus Antiochiæ Epiſcopus, & Origenes ſimiliter. Contra Valentinum & ejus ſectatores Irenæus, & Clemens, & Origenes.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5637. ☉ 13 F E. ☽ 12. P. 6. April. Indict. 12.
Jesu Christi 144. *ſecundum Baronium 146.*
Pii Papæ 4.
Antonini Pii Imp. 7.

I. *Conſules.* COss. *Lollianus Avitus*, & *Claudius Maximus*, non verò *C. Gavius Maximus*, qui per annos viginti ſub Antonino Pio fuit Præfectus Prætorio, teſte Capitolino cap. 8. in Pio, ut putabat Onuphrius.

Ex Apologia ſecunda Appulei diſcimus famiſiam Lolliani: *Acceptis*, inquit, *literis Carthaginem pergit: ubi jam propè exacto Proconſulatus ſui munere Lollianus Avitus te, Maxime, opperiebatur*: tunc verò ſæpe ibidem appellat, *Claudium Maximum.* Ita Lollianus Avitus prior Conſul anno ante Collegam, Africam ſortitus adminiſtravit. Conſules juxta ordinem geſti Conſulatus Aſiam & Africam ſortiebantur. Unde Tacitus lib. 3. Annal. ſcribit, Cornelium Maluginenſem, quòd eſſet Flamen Dialis, excluſum fuiſſe ſortitione Aſiæ: *Ita ſors Aſiæ*, addit, *in eum qui Conſularium Maluginenſi proximus erat, collata.* Idem Tacitus in Vita Agricolæ ait: *Aderat jam annus, quo Proconſulatum Aſiæ & Africæ ſortiretur.* Nempe cùm ceteri, qui ante Agricolam fuerant Conſules, Proconſulatum Aſiæ vel Africæ jam ſortiti fuiſſent. Spartianus cap. 1. de Didio Juliano inquit: *Fuit Conſul cum Pertinace, & in Proconſulatu Africæ eidem ſucceſſit.* Ita Claudius Maximus hoc anno Conſul fuit cum Lolliano Avito, eique in eodem Africæ Proconſulatu ſucceſſit. Quæ omnia Noriſio V. C. in literis ad me datis obſervata. His adde, Claudium Maximum unum fuiſſe ex Marci Aurelii Imperatoris Præceptoribus, teſte Capitolino in Marco cap. 3. Ejus non ſemel ipſe Marcus in libris de Vita ſua meminit. Cujus Conſulatum cum anno c lxxii, quo alius *Maximus* Faſtis nomen dedit, Onuphrius perperam copulat.

II. *Chronologia Pontificia illuſtratur.* Ad num. I & II. Euſebius lib. 4. cap. 11. affert Irenæi verba, quibus is teſtatur, Cerdonem Marcionem antèceſſiſſe, eumque, quemadmodum & Valentinum, Romæ Pontificatu Hygini floruiſſe. Quare per hæc tempora Teleſphorus Romæ non ſedebat: cùmque ex Euſebii Chronico pateat, Cerdonem eodem, quo Valentinus, anno Romam veniſſe ad annum c xl, quo Hyginus adhuc ſedebat, Cerdonis Romam adventus referendus.

Baron. num. 1.

III. *Diverſa initia hæreſeos Marcionis.* Marcionem ante præſentem annum hæreſim ſuam diſſeminaſſe apud me certum. Juſtinus enim in priori ſua Apologia anno c xxxix, vel circiter ſcripta, Marcionis duobus in locis meminit. Inſuper Epiphanius hæreſi xlii ſcribit, Marcionem, cùm *ob inceſtum Eccleſiâ pulſus* fuiſſet, popularium ſuorum probra & ludibria non ſuſtinens, clam ab oppido ſeceſſiſſe, ac Romam poſt Hygini Papæ obitum ſe ſe contuliſſe. *Eò ſtatim atque pervenit Marcion*, inquit Epiphanius, *ad Seniores adiens, qui ab Apoſtolorum diſcipulis educti ſupererant, ut in communionem admitteretur, fruſtra ab iis petiit. Quamobrem exſimulatus invidiâ, quòd principem illic locum, ac ne Eccleſiæ quidem aditum impetraſſet, ad impoſturis Cerdonis hæreſim confugere in animum induxit.* Hygini autem Papæ obitus poſt annum c xli differri non poteſt. Eo itaque anno Sede vacante, ac Presbyteris Eccleſiam, ut mos erat, adminiſtrantibus, Marcion, qui jam hæreſim ſuam propalarat, Romam venit. Epiphanius hæreſi xli auctor eſt, eum primò in Syria docuiſſe, ac demum Romam profectum eſſe. Philaſtrius etiam lib. de Hæreſ. cap. 46. ſcribit, primò in Aſia errores docuiſſe, ibique à Joannis Apoſtoli diſcipulis, potiùs quàm ab ipſo Joanne convictum, Romam veniſſe. Marcion itaque jam ante ſuum Romam adventum hæreſim ſuam in Aſia promulgarat, ideoque rectè Petavius in Animadverſionibus Euſebianis ad hæreſim xlvi affirmat, non Antonino demum imperante, ſed ſub Hadriano Marcionem cœpiſſe, ita ut ſub Hadriano primùm eruperit, poſtea verò ſub Antonino longè lateque propagatis erroribus celebre nomen ſibi pepererit. Ac Tertullianus, etſi ſub Antonino Marcionem errorem exhalaſſe ſcribat, negat tamen ſcire ſe quoto ejus anno cœperit: *Quoto quidem anno*, inquit, *Antonini majoris de Ponto ſuo exhalaverit aura canicularis, non curavi inveſtigare.* Neque in hac ſola hæreſi, ſed & in aliis ferè omnibus duo, vel etiam plura diſtinguenda ſunt tempora. Quare Marcion primùm in Syria nefarium ſuum dogma prædicavit, idque Hadriano imperante, vel ſaltem Antonini Pii initio; ac poſtea Romam venit poſt Hygini Papæ mortem, ubi cùm Presbyteri, qui Eccleſiam gubernabant, nihil innovare voluiſſent, ac ne Eccleſiæ quidem aditum impetraſſet Marcion, in Pontum rediit, & majores trahens ſpiritus, vehementiùs in eoſdem illos errores cœpit incumbere, præſertimque anno currenti, à quo Tertullianus ejus hæreſis initium, quod tamen ſe ignoraſſe indicat, repetendum duxit. Certè Cyprianus in epiſtola ad Pompeium, quæ tam novo, quàm veteri ordine eſt lxxiv, ait: *Necdum quoque Marcion de Ponto emerſiſſet, cujus magiſter Cerdon ſub Hygino tunc Epiſcopo, qui in Urbe nonus fuit, Romam venit, quem Marcion ſecutus additis ad crimen augmentis, impudentiùs ceteris & abruptiùs in Deum Patrem creatorem blaſphemare inſtituit.* Ubi vides, Cyprianum de unico Pontifice Romano loqui, ſub quo uterque Hæreticus Romam venerit, & Marcion hæreſim Cerdonis interpolarit. Quod etiam in cauſa eſſe potuit, cur Marcionis hæreſi diverſa initia aſſignentur. Interim ex his intelligis, poſt Hygini Papæ obitum Interpontificium unius aut alterius menſis fuiſſe, perperamque Baronium mortem Hygini cum anno xviii Antonini Pii copulaſſe; ſic enim fieri non poteſt, ut obitus Hygini, & initium hæreſeos Marcionis concurrerint.

Baron. num. 11.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5638. ☉ 14 D. ☽ 14. P. 29. Mart. Indict. 13.
Jesu Christi 145. *ſecundùm Baronium* 147.
Pii Papæ 5.
Antonini Pii Imp. 8.

I. *Conſules.* Coss. *Antoninus Pius Aug. IV*, & *Marcus Aurelius Cæſar II*. Conſulatus Marci juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam, ob nempe ejus Quinquennalia anno uno dilata. Antonini Conſulatus juxta tertiam, ut nempe filii Collega eſſet.

II. *Quinquennalia Imperii Cæſarei Marci Aurelii.* Quæ Quinquennalia hoc anno exhibita fuiſſe, ex Capitolino in Lucio Vero cap. 3. & ex præfato Conſulatu ſimul collatis colligo. Ait Capitolinus: *Qua die togam virilem Verus accepit, Antoninus Pius ea occaſione, quâ patris templum dedicabat, populo liberalis fuit, mediuſque inter Pium & Marcum idem reſedit, cùm Quæſtor populo munus daret.* Dedicationes templorum à domo Auguſta ædificatorum, conceſſio virilis togæ filiis Auguſtorum, aliaque id genus in annos Quinquennalibus & id genus feſtis addictos de more reſervata. Toga virilis anno decimo quinto ætatis ſumi ſolita, ut multis exemplis liquet. Quare cùm Lucius Verus anno Chriſti c x x x menſe Decembri natus fuerit, ut docet Capitolinus in ejus Vita, currenti anno agebat annum ætatis x v, menſe Decembri præcedentis Chriſti anni inchoatum. Neque dici poteſt, togam anno ſuperiori Lucio Vero datam, & ætatis gratiam, ut ſæpe contingebat, factam fuiſſe. Idem enim Capitolinus cap. 3. de eo ait: *Diu autem & privatus fuit, & eâ honorificentiâ caruit, quâ Marcus ornabatur. Namque in Senatu ante Quæſturam non ſedit: neque in itinere cum patre, ſed cum Præfecto Prætorii vectus eſt: nec aliud ei honorificentiæ ad nomen adjunctum eſt, quàm quòd Auguſti filius eſt appellatus.* Unde toga Lucio Vero non maturata; ac præterea liquet, Lucium Verum non anno c x x x i, ut quibuſdam recentibus creditum, ſed anno c x x x in lucem prodiiſſe. Obiter autem obſervandum, Lucium Verum anno c l i i i Quæſturam geſſiſſe, proximè nempe ante Conſulatum ſuum, ideoque loco Capitolini laudato, hæc verba, *mediuſque inter Pium & Marcum*, &c. explicare geſta anno c l i i. Erizzus pag. 283. exhibet Nummum Antonini, in cujus poſtica parte viſitur pulcherrimum templum octo columnarum cum duabus figuris in medio: circùm, Templum Div. Aug. Rest. S. C. infrà, Cos. IIII. Exiſtimavi aliàs, hoc templum aliud non eſſe, quàm quod hoc anno ab Antonino dedicatum, & duas illas figuras Marcum & Lucium repræſentare; cùm Capitolinus in Antonino Pio cap. 8. ubi hujus Imperatoris opera publica recenſet, alicujus templi in honorem Auguſti vel ædificati vel reſtituti mentionem non faciat. Hanc tamen conjecturam peritorum judicio permitto: veroſimile enim Antoninum Pium aliquod Auguſti templum reſtituiſſe, licèt Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ hujus reſtitutionis mentionem non faciant.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5639. ☉ 15. C. ☽ 14. P. 18. April. Indict. 14.
Jesu Christi 146. *ſecundùm Baronium* 148.
Pii Papæ 6.
Antonini Pii Imp. 9.

Coss. *Sex. Erucius Clarus II*, & *Cn. Claudius Severus*, ex Inſcriptione à Baronio relata, quæ dicitur poſita *pridie Nonarum Maji*, quæ eſt ſecundùm Alexandrinos *Pachonia*. Sed legendum *Pachon die undecima*, quæ cum die ſexta Maii concurrit, & in Græco loco, ΠΑΧΩΝΙΑ, legendum, ΠΑΧΩΝ. ΙΑ. ut me per literas Noriſius monuit. I. *Conſules.* Baron. num. 1.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5640. ☉ 16 B. ☽ 15. P. 3. April. Indict. 15. Anno Urbis 900.
Jesu Christi 147. *ſecundùm Baronium* 149.
Pii Papæ 7.
Antonini Pii Imp. 10.

I. *Conſules.* Coss. *Largus* & *Meſſalinus*.

II. *Proconſularis Imperii Antonini Decennalia.* Proconſularis Imperii Decennalia Antoninus Pius exhibuit, quorum indicium, Imperium Proconſulare Marco Aurelio Cæſari attributum. Capitolinus in Marco cap. 6. ait: *Fauſtinam duxit uxorem*, (nempe Marcus) *& ſuſceptâ filiâ, Tribunitia Poteſtate donatus eſt, atque Imperio Proconſulari extra Urbem, addito jure quintæ relationis.* Quod hoc anno factum, certum reddunt Nummi Marci Aurelii, in quibus Tribunitiæ Poteſtatis ejus ultimus annus x x x i i i notatur. Cùm verò die ſeptima Martii anni c l x i Antonino Pio Marcus Aurelius ſucceſſerit, & apud Mediobarbum pag. 216. varia ejuſdem Marci Numiſmata extent, in quibus is dicitur: Caesar Aug. Pii F. Tr. Pot. x v. Cos. III. manifeſtè deducitur, illùm anno c l x i ante diem v i i menſis Martii Antonini Pii emortualem, Tribunitiam Poteſtatem x v inchoaſſe; alioquin non Cæſar, ſed Auguſtus, neque Pii, ſed Divi Pii filius in iis Nummis diceretur. Quamvis, ut verum fatear, nomen Divi non rarò in Inſcriptionibus Nummiſque neglectum, ut liquet ex decreto Antonini Pii anno c x l i i à nobis recitato. Quòd ſi Marcus Tribunitiam Poteſtatem x v ante Antonini obitum ſuſcepit, præſenti anno ante diem ſeptimam menſis Martii Tribunitia Poteſtate decoratus eſt, ut numeranti patebit. Baronius Tribunitiam Poteſtatem Marco in ſecundo ejus Conſulatu collatam putavit, anno nempe Chriſti c x l. At cùm Tribunitiæ Poteſtas ejus x v cum tertio ejus Conſulatu anno c l x i geſto copuletur, eum deceptum eſſe liquet. Alioquin tertius ille Conſulatus anno c l i x ſuſceptus fuiſſet, quod nullus dixerit. Filia hoc anno Marco nata, *Lucilla*, ut teſtatur Herodianus lib. 1. cap. 8. ubi ait: *Lucilla erat Commodo maxima natu ſoror: ea prius L. Vero Imperatori nupſerat*, Baron. an. 163. n. x i.

&c. Porro Marcum Collegam Imperii fuiſſe demonſtrat Melito in Apologia ſua eidem Marco, poſtquam Antonino ſucceſſit, præſentata, cujus fragmentum refert Euſebius lib. 4. cap. 26. Is de perſecutoribus Chriſtianæ Religionis loquens ait: *Imperitiam illorum correxerunt piiſſimi parentes tui*, &c. *Pater quoque tuus, quo tempore cuncta ſimul cum ipſo adminiſtrabat, ſcripſit ad civitates, ne contra nos tumultus concitarent.* Fuit itaque Marcus Aurelius quintus Imperii Collega, ipſo etiam Dione lib. 71. teſte, qui ait, Marcum octo & quinquaginta annos, menſeſque decem, ac dies viginti vixiſſe, *in iiſque cum Antonino patre diu* fuiſſe *cum Imperio.*

II. *Epocha ab excidio Hieroſolymitano.*

Ad num. III. Epocha ab excidio Hieroſolymitano deſumta ab Antiquis quandoque uſurpata: ſed ex ea Chronologia Baronii minimè confirmata. Nam incipit ea Epocha anno Chriſti LXX, non verò LXXII, ut numerat Baronius, à qua ad decimum Antonini annum, qui currenti Chriſti inchoatus eſt, anni LXXVII effluxere, ut rectè Clemens Alexandrinus à Baronio citatus. Vitium itaque aut firmitas Chronologiæ Baronianæ dignoſci non poteſt ex mutua collatione annorum, qui initium Imperii Diocletiani præceſſere, ſed ex annorum ante Diocletianum tranſactorum, eorumque, qui ejus Imperium ſubſecuti ſunt, comparatione, cujus rei paſſim afferemus exempla.

III. *Ludi Seculares hoc anno non celebrati.*

Cenſores quidam in Epiſtola Conſulari à Noriſio Viro Clariſſimo in lucem edita pag. 168. reprehendunt me, quòd negarim, Ludos Seculares *octavos* ab Antonino Pio celebratos, & pag. 185. Diſſert. Hypaticæ ſcripſerim, Cenſorini de his ſilentium illos tunc non fuiſſe editos oſtendere; præſertim cùm dicat, *octavos* à Severo exhibitos. Sed Antoninum Pium currenti anno, qui Urbis nongenteſimus fuit, nullos Ludos Seculares edidiſſe, debet eſſe certiſſimum. Cenſorinus Scriptor accuratiſſimus aureum ſuum librum de Die Natali anno Chriſti CCXXXVIII elucubravit, in eoque cap. 17. Ludos Seculares anno Chriſti CCIV editos, quos *octavos* appellat, videre, & cum iis, qui Antonianos vidiſſent, conferre potuit. Nam à currenti Chriſti anno, quo Antoninus Ludos illos ordinaſſet, ad annum Chriſti CCXXXVIII, anni tantùm nonaginta effluxere; tantoque apparatu Ludi illi celebrari ſoliti, ut eorum memoriam oblivio vix delere poſſet. Præterea Zoſimus lib. 2. pag. 169. Ludos omnes Seculares, qui ſecundùm primævam inſtitutionem, poſt annos nempe CX, habiti fuerant, recenſet: cùm verò ad Claudium, qui Ludos Seculares cum Urbis centenariis cœpit illigare, pervenit: *Poſt Auguſtum*, inquit, *Claudius Ludos celebravit, numero præſtituto annorum neglecto. Poſt eum Domitianus, Claudio valere juſſo, traditam ab initio legem ſervare viſus eſt. Secundùm hos Severus, cùm anni C X jam appetiiſſent;* &c. Quòd ſi Antoninus Pius Ludos Seculares hoc anno celebraſſet, Zoſimus hæc vel ſimilia verba ſcripſiſſet: *Secundum hos Severus, Antonino valere juſſo;* &c. Hic enim in Urbis centenario, quemadmodum Claudius, eoſdem exhibuiſſet. Denique Ludi Seculares, tam qui ab Auguſto, quàm qui à Claudio, Domitiano, Severo ac Caracalla, & ab utroque Philippo celebrati, in horum Imperatorum Nummis, ut apud Antiquarios videre eſt, expreſſi; Antonini verò Seculares Ludos nullum Numiſma exhibet, licèt ſuperſint varia hoc anno percuſſa. Ludi itaque Seculares Antoniani commentitii.

IV. *Seculum Urbis nonum magnificè celebratum.*

Neque verum eſt quod cenſores aſſerunt, Capitolinum nempe cap. 10. de Vita Antonini tacito, Victor verò Schotti expreſſò nomine Seculares Antonini Ludos laudare: quæ enim ibidem ſcribit ad Antonini & M. Aurelii Cæſaris Decennalia pertinent: *Ad indulgentias*, inquit, *proniſſimus fuit. Edita munera, in quibus elephantos & corocottas & ſtrepſicerotas, crocodilos etiam atque hippopotamos, & omnia ex toto orbe terrarum cum tigridibus exhibuit. Centum etiam leones una miſſione edidit.* Quæ tamen miſſio ad annum CXL, quo quadrigæ triumphales Antonino decretæ, contigit, ut ibidem oſtendimus. In Decennalibus & id genus feſtis Indica animalia, aliaque non antea viſa Romam advehebantur, variaque ſpectacula edebantur, ut videre eſt apud Dionem lib. 76. ubi de Decennalibus Severi Imperatoris, & apud Pollionem de Gallienis duobus cap. 8. ubi de Gallieni Imp. Decennalibus ſermonem habet. Quòd ſi Ludos in horum trium Imperatorum Decennalibus celebratos inter ſe conferas, Gallieneos & Severianos, quàm Antonianos, ſumtuoſiores fuiſſe comperies. Sed non magis expreſsè Victor, quàm tacitè Capitolinus Ludos Seculares Antonini laudat. Hæc Victoris de Antonino verba: *Annis quibus publica egit, viginti idem manſit, celebrato magnificè Urbis nongenteſimo*, non Ludis Secularibus, ut perperam cenſores, ſed Circenſibus, aliiſque, qui currenti anno eò magnificentiores fuere, quò Ludi Seculares octavi celebrari debuiſſent. Imperii Proconſularis Decennalia Antoninus edidit, Marcum filium adoptivum Proconſulari Imperio exornavit, hicque ex Fauſtina Antonini improlis filia natam ſuſcepit. Et Victorem ita intelligendum ex ipſomet Victore patet. Is enim de Ludis Secularibus ab utroque Philippo Impp. anno Chriſti CC XLVII editis, inquit: *Annum Urbis milleſimum Ludis omnium generum celebrant*, ac poſtea queritur Ludos Seculares ampliùs exhibitos non fuiſſe. Vides Victorem de anno Urbis milleſimo loquentem, cum *Ludis omnium generum* celebratum tradere: de anno verò Urbis nongenteſimo duntaxat aſſerere, illum ab Antonino *magnificè* celebratum. Porro annis Ludis Secularibus dicatis omnia Ludorum genera edita fuiſſe docet teſtis oculatus, Herodianus ſc. lib. 3. qui de Ludis Secularibus Severi loquens ait: *Vidimus item ſub illo quoſdam omnis generis Ludos, cunctis editos theatris*, &c. quod Victor de Ludis Antonini Pii dicere non prætermiſiſſet, ſi is Ludos Seculares celebraſſet.

V. *Periphraſes à Ludis Secularibus deducta explicantur.*

Sed omnem, inquiunt ibidem cenſores, dubitandi locum præcludit inſigne Epitaphium, quod Gruteri pag. 928, recitatur. Eſt epitaphium cujuſdam Sexti Vigellii, in quo dicitur, hunc attigiſſe annum centeſimum, quódque his verbis clauditur, NAT. LUD.

Saecul. viii. obiit. sequent. *Certum eſt*, ſubjungunt cenſores, *eundem non eſſe natum Ludis Secularibus editis à Severo anno Chriſti CC IV, qui octavi Cenſorino dicuntur, ſiquidem poſt Ludos Seculares anno CC XLVII à Philippo editos, nullos deinceps Ludos celebratos Auctor Regularum optimè eo capite num. V demonſtrat. Itaque Vigellius natus eſt Ludis octavis Secularibus Antonini Pii anno Urbis DCCCC. obiit Ludis ſequentibus Philippi anno Urbis milleſimo.* At vana hæc explicatio. Vigellius natus eſt anno Chriſti cc iv, quo Severus *Octavos* Ludos Seculares celebravit, obiitque anno ccc iv, quo decimi celebrandi fuiſſent. Nam epitaphiorum conditores ac Poëtæ ad ea, quæ fieri ſolitum erat, plerumque alludebant. Sic Claudianus in Panegyrico de ſexto Conſulatu Honorii Imp. anno Chriſti cccc iv geſto, quo ſecundùm priſcam inſtitutionem Ludi Seculares edendi fuiſſent, Romam loquentem inducens, querentemque, quòd à centum annis Imperatores intra ſuum ambitum vix egiſſent, utitur periphraſi à Ludis Secularibus jam diu abrogatis deducta.

Spectandoſque iterum nulli celebrantia Ludos
Circumflexa rapit centena ſecula Conſul.

Ex quibus verbis Viri doctiſſimi deducebant, Honorium Ludos Seculares reſtituiſſe, cùm tamen Poëta nihil aliud indicet, quàm centum annos jam præteriiſſe, alludatque tantùm ad eos Seculares Ludos, qui tam anno ccc iv, quàm anno cccc iv celebrandi de more fuiſſent. Sic etiam illa, quæ apud Martialem lib. x. 63. jactat in epitaphio, ſe vixiſſe annos centum, poſt quos Ludi ſeculares edi ſolebant, ait,

Bis mea Romano ſpectata eſt vita Terento.

Non utique quòd binos Seculares Ludos vidiſſet. Nam intervallum inter Secularia Claudii & Domitiani perexiguum eſt, ſed dicit, ſe tot annos vixiſſe, quod ſatis ſunt ad bis ſpectandum Secularia, ut eruditè explicat Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis ad num. 2108. Certè præfata epitaphii Vigelliani clauſula ad verbum accipi non poteſt, ut eam cenſores interpretantur; cùm inter Ludos Antonini & Philippi, Ludi à Severo celebrati, intermedii fuiſſent. Alioquin qui epitaphium poſuit, ſcripſiſſet: Nat. Lud. Saecul. viii. obiit. x. & tamen dicit, Obiit. sequent. id eſt, ſeculo, in quo Ludi Seculares ſequentes incidebant, ad quod præſertim epitaphii conditor reſpexit. Si quis porro epitaphium illud integrum legere velit, ut certius de hac controverſia judicium ferre poſſit, hîc illud exhibeo:

MEMORIÆ
SEX. VIGELLI. AQUINAT. QUI
ANN. ATTIGIT CENTENS
SET. ALTERUM. ET. NONAGEN
PERPET. INOFFENSA. VALETUD
EXEGIT. RELIQUOS. SEPTEM. ET. D. XIIX
DECUBUIT. ET OCCUBUIT
NAT. LUD. SAECUL. VIII. OBIIT. SEQUENT.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5641. ☉ 17 AG. ☽ 16. P. 25. Mart.
Indict. I.
Jesu Christi 148. *ſecundùm Baronium* 150.
Pii Papæ 8.
Antonini Pii Imp. 11.

Coss. *C Bellicius Torquatus II, & Julianus.* I. *Conſules.*

Antoninus Pius Auguſtei Imperii Decennalia celebravit, utque in Nummis exprimerentur, ſanxit: antea enim implicitis tantùm verbis in Nummis memorabantur, hoc modo, Vota Publica, vel Vota suscepta. Mediobarbus pag. 199. inter alia Numiſmata hæc Decennalia exhibentia, iſtud producit: Antoninus Aug. Pius P. P. Tr. P. xi. in poſtica: Primi Decennales Cos. IIII. II. *Decennalia Imperii Auguſtei Antonini.*

Ad num. I. Magna inter Eruditos controverſia de anno, quo S. Juſtinus Apologias pro Chriſtianis compoſuit. Nunc quidem inter omnes convenit de earundem inter ſe ordine, Euſebiumque lib. 4. cap. 11. & 18. & lib. 2. cap. 12. rectè priorem vocare, quæ nunc in vulgatis editionibus ſecunda dicitur, & Antonino Pio ejuſque liberis nuncupatur: quæ verò in eiſdem editionibus prima legitur, ſecundam dici debere, liquet ex Euſebio lib. 4. cap. 15. Sed an utraque Juſtini Apologia hodie extet, vel tantùm prior, (quo nomine eam, quæ Antonino Pio nuncupatur, ſemper exprimam) à Viris doctis in dubium revocatum. Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis pag. 201. & Papebrocius die xiii Aprilis in Commentario ad Vitam S. Juſtini Martyris, arbitrantur, ſecundum Apologeticum librum, cùm non eodem, quo primus, exceptus eſſet favore atque ſucceſſu, vel ſuppreſſum à Gentilibus Principibus eſſe, neque permiſſum vulgari, vel certè hodie nuſquam extare; Euſebium autem pro una eademque Apologia prima accipere Præfationem & Orationem Apologeticam; ita ut Apologia ſecunda nihil aliud ſit, quàm præfatio ſeu inductio quædam ad Imperatoris, Senatûs, populique animos præparandos, expoſitione injuſtiſſimæ actionis contra Chriſtianos exercitæ; cujus occaſione librum Apologeticum Juſtinus ſcripſerat. Sed hæc opinio non admittenda. Etenim Euſebius in lib. 4. cap. 16. poſtquam dixit, Juſtinum Philoſophum pro Chriſtianis Apologiam Marco & Lucio Imperatoribus obtuliſſe, ſtatim ex eadem inſignem locum affert, in quo Juſtinus adverſus Creſcentem Philoſophum invehitur, ut videre eſt in eadem Apologia pag. 46. editionis Pariſienſis Græco-Latinæ. Ad hanc rationem reſpondet Papebrocius, locum Euſebii non rectè à Valeſio verti. In Græco enim legitur: ἐν τῇ δεδηλωμένῃ, id eſt, ut vertit Valeſius, *in ſupradicta Apologia*; adeo ut intelligatur liber ſecundus Juſtini, de quo immediatè antè locutus erat Euſebius, & ex quo præfatum locum contra Creſcentem attulerat. At, inquit Papebrocius, ſi penitius vox ipſa introſpiciatur, invenietur non aliud ſignificare, quàm *publicata*, ſeu *manifeſtata*, ut ſic ſecernatur ab ea, quæ ab Imperatoribus

III. *Utraque S. Juſtini Apologia adhuc extat.*

Baron. num. 1 & ſeqq.

ſuppreſſa in publicum non prodiit. Verùm Euſebius ex ipſomet Euſebio explicandus. Is autem proximè antè dixerat : κατὰ τούτους δὲ καὶ ὁ μικρῷ πρόσθεν ἡμῖν δηλωθεὶς Ἰουστῖνος, δεύτερον ὑπὲρ τῶν καθ᾽ ἡμᾶς δογμάτων βιβλίον ἀναδοὺς τοῖς δεδηλωμένοις ἄρχουσιν, id eſt : *Iiſdem temporibus & Juſtinus, cujus ſuprà mentionem fecimus, cùm alterum librum pro Fidei noſtræ defenſione Imperatoribus ſuperiùs memoratis obtuliſſet.* Ita ex verſione Valeſii. Ubi vides voces, δεδηλωμένῳ, & δεδηλωμένοις, utrobique eodem ſenſu in eodem capite ab Euſebio uſurpari. Chriſtophorſonus poſteriorem locum Euſebii ſic vertit : *In Apologia ſua, quam dudum commemoravimus* : priorem verò, *temporibus iiſdem de quo paulò antè mentio facta eſt.* Et tamen Papebrocius ait, Euſebium intelligere locum acceptum, non ex ſecunda, ſed ex prima Apologia, de qua jam Euſebius cap. 8. egerat : quod longè ab hujus Hiſtorici mente, qui & capp. 11. ac 12. de eadem prima Apologia poſtea locutus eſt. Auctor Chronici Alexandrini infrà citandus locum affert ex ſecunda, ut eam vocat, Apologia, qui etiamnum in ea legitur.

III. *In utraque S. Juſtini Apologia Lucius poſtea Imperator dicitur Philoſophus.*

Major difficultas eſt, quibus annis eæ Apologiæ ſcriptæ, & quibus Imperatoribus oblatæ fuerint. Hic de prima tantùm loquemur, quam Baronius, Valeſius in Notis Euſebianis in lib. 4. cap. 8. Papebrocius laudatus, aliique hoc anno, vel anno XIII Antonini Pii præſentatam volunt. Sed longè probabilior opinio Scaligeri in Animadverſionibus Euſebianis pag. 298. & Petavii in Animadverſionibus Epiphanianis hæreſi 46. qui arbitrantur, Apologiam primam ſub Antonini Pii initium Juſtinum edidiſſe. Oſtendit illud Apologiæ titulus : αὐτοκράτορι Τίτῳ Αἰλίῳ Ἀδριανῷ Ἀντωνίνῳ Εὐσεβεῖ Σεβαστῷ Καίσαρι, καὶ Οὐηρισσίμῳ υἱῷ φιλοσόφῳ, καὶ Λουκίῳ φιλοσόφου Καίσαρος φύσει υἱῷ, καὶ Εὐσεβοῦς εἰσποιητῷ, ἐραστῇ παιδείας, ἱερᾷ τε συγκλήτῳ, καὶ δήμῳ παντὶ Ῥωμαίων, id eſt, ut vertit Langus, *Imperatori Tito Ælio Hadriano Antonino Pio Auguſto Cæſari, & Veriſſimo filio Philoſopho, Lucii quidem Cæſaris nativo, Pii autem adoptivo filio, eruditionis amatoribus, ſacroque Senatui & populo Romano univerſo.* Sed vox *Lucii* expungenda, & loco, *amatoribus*, vertendum, *amatori*, in ſingulari. Refert eundem titulum Euſebius lib. 4. cap. 12. Verùm loco, καὶ Λουκίῳ φιλοσόφῳ, habet, καὶ Λουκίῳ φιλοσόφου Καίσαρος φύσει υἱῷ, id eſt, *& Lucio Philoſophi Cæſaris naturali filio*, quam lectionem Valeſius in Notis retinendam cenſet, quia eam Rufinus & Nicephorus confirmant. Sed præterquam quòd in quatuor Codicibus manuſcriptis à Valeſio citatis, & in vulgatis Juſtini editionibus habetur, φιλοσόφῳ, id eſt, *Philoſopho*, tam Marcus Aurelius, quàm Lucius, poſtquam imperavit, vocantur *Philoſophi* in titulo Legationis Athenagoræ pro Chriſtianis, ut ſuo loco videbitur. Ex quo certum redditur, *Philoſophi* nomen, quod in utraque Juſtini Apologia legitur, ad Lucium Ælium patrem, non verò ad Lucium filium juxta Juſtini mentem referendum eſſe : neque enim dubitandum, quin Juſtinus Lucio Vero poſtea Imperatori Philoſophi nomen attribuerit ; cùm Athenagoras eundem, dum imperaret, eodem nomine cohoneſtarit. Sed valde fallitur Valeſius in Notis ad Euſebium, ubi arbitratur, *Philoſophi* nomen eo in loco ad ſtudium litterarum ſpectare. Ibi enim eos, qui vitam vivunt auſteram, denotat, quemadmodum & in titulo Legationis Athenagoræ. Idque ipſemet Juſtinus hujus Apologiæ initio manifeſtè indicat, quando ait : *Ac vos quidem Pii, & Philoſophi, & Juſtitiæ cuſtodes, & Eruditionis amatores, quòd ſic vocemini, ubique auditis ; an verò etiam ſitis, res ipſa demonſtrabit* ; ubi Philoſophiam ab eruditione Juſtinus diſtinguit. Immo etiam prioribus Eccleſiæ ſeculis apud Chriſtianos Philoſophi vocati, qui auſteriorem vitam æmulabantur, ut pluribus auctoritatibus oſtendit Suicerus in Theſauro Eccleſiaſtico, verbo φιλόσοφος. Capitolinus in Marco cap. 2. de eo ſcribit : *Philoſophiæ operam vehementer dedit, & quidem adhuc puer. Nam duodecimum annum ingreſſus, habitum Philoſophiæ aſſumſit ; & deinceps tolerantiam, cùm ſtuderet in pallio, & humi cubaret, vix autem matre agente, in ſtrato pellibus lectulo accubaret.* Philoſophiâ acceptâ eo ſenſu Lucius imbutus, licèt tantùm novennis eſſet ; ejuſque nullam in ejus Vita Capitolinus mentionem faciat. Nam Juſtino & Athenagoræ id teſtantibus fides non deneganda.

IV. *Quo anno prior Juſtini Apologia ſcripta.*

Sed, ut ad tempus, quo ea Apologia oblata, redeam, Euſebius in Chronico ad annum Abrahami 2157. qui Kalendis Septembris anni Chriſti CXL inchoatur, ait : *Juſtinus Philoſophus librum pro noſtra Religione compoſitum Antonino reddit* : quod & Hermannus Contractus, & Marianus Scotus anno Antonini quarto habent ; qui licèt in anno errent, hujus tamen Imperatoris initio eam Apologiam editam demonſtrant, & quidem, uti exiſtimo, anno Chriſti CXXXIX, antequam Marcus Cæſar à patre nuncuparetur. Incredibile enim videtur, Juſtinum, qui tam Marco, quàm Lucio titulos Cæſareæ dignitati & Imperio Proconſulari longè inferiores attribuit, Marcum Cæſarem, immo & Imperatorem, ſi Apologia hoc anno præſentata fuiſſet, non appellaſſe. Collegæ enim Imperii Imperatoris nomine cohoneſtati, ut ſæpe inſinuavi.

V. *Fundamenta opinionis contrariæ confutata.*

Euſebius in Chronico anno Abrahami 2166. qui Kalendis Septembris anni Chriſti CXLIX auſpicatur, ait : *Creſcens Cynicus agnoſcitur, qui Juſtino noſtri dogmatis Philoſopho, quia ſe guloſum & prævaricatorem Philoſophiæ coarguebat, perſecutionem ſuſcitavit, in qua ille glorioſè pro Chriſto ſanguinem fudit.* Quibus verbis innixus Baronius, aliique, priorem Apologiam Juſtinum per hæc tempora Antonino obtuliſſe arbitrantur. At Euſebius de Creſcente Philoſopho loqui intendit, & ut moris ejus eſt, uno tenore recitat mortem, quam ille S. Juſtino infligendam curavit ; ſed de priori ejus Apologia ibi loqui non potuit Euſebius, cùm jam eam primis Imperii ejus annis disertè conſignaſſet. Papebrocius citatus, qui hanc priorem Apologiam Antonino Pio anno ejus Imperii XIII porrectam contendit, dicit, hunc & laudatum Euſebii locum commutates inter ſe eſſe, idque non recenter, ſed circa Hieronymi tempora, aut certè ipſiuſmet Hieronymi exemplo, Euſebii Chronicon Latinum facientis. Verùm hæc

hæc conjectura non probatur : ſequeretur enim, Euſebium martyrium Juſtini initio Imperii Antonini enarraſſe : anno verò ejus XIII ſcripſiſſe, Juſtinum Apologiam huic Imperatori reddidiſſe, à quo præpoſtero rerum narrandarum ordine longè abeſt Euſebius in Chronico. Præterea tam varia eventa inter utrumque locum deſcribuntur, ut incredibile ſit, illam tranſpoſitionem fieri potuiſſe. Baronius ait, Juſtinum in prima Apologia ſcribere, Gentiles dicere, *ante annos centum quinquaginta nos aſſeverare, Chriſtum ſub Cyrenio natum* eſſe; ideoque eam Apologiam currenti anno, quem ipſe CL poſt Chriſtum numerat, ſcriptam fuiſſe. Sed præterquam quòd Chriſtiani per hæc tempora nullam peculiarem Eram habebant, Era Chriſtiana, quam aliquando in libris uſurpabant, ab anno Juliano XLIII exordiebatur, ideoque centeſimus quinquageſimus ille annus cum anno Eræ Dionyſianæ CXLVII concurreret. Verùm Gentiles rerum noſtrarum ignari numero rotundo locuti ſunt, nihilque aliud ſignificarunt, quàm Chriſtianos aſſerere, Chriſtum ante annos centum circiter quinquaginta natum. Ait ſecundò Baronius, in ea Apologia bis *Marcionis* Juſtinum meminiſſe; hunc autem ante annum CXLIV hæreſim ſuam non docuiſſe. Sed inde deducendum, Marcionem extremis Hadriani temporibus errores ſuos ſparſiſſe, ut ſuo loco oſtendimus, non verò Juſtinum poſt annum CXLIV Defenſionem ſuam Antonino Pio porrexiſſe. Hâc porro Apologiâ anno ſuo redditâ liquet, ipſo Antonini Pii initio Chriſtianos vexatos; cùm Imperatores vel Imperii initio, vel in Decennalibus & id genus feſtis perſecutiones decernere ſoliti fuerint.

VI. *Juſtinus ſcribit Dialogum cum Tryphone.*

Paulò poſt primam Apologiam Juſtinus ſcripſit Dialogum *cum Tryphone Judæo de veritate Chriſtianæ Religionis*; ipſo enim ejus initio legitur : Τρύφων, φησὶ, καλοῦμαι· εἰμὶ δὲ Ἑβραῖος ἐκ περιτομῆς, φυγὼν τὸν νῦν γενόμενον πόλεμον, id eſt : *Trypho, inquit, vocor. Sum autem ex circumciſione Hebræus, ex bello proximo profugus.* Cùm enim bellum Judaïcum *nuperum* vocet, non multò poſt bellum illud Dialogus ſcriptus; & quidem poſtquam jam Apologiam publicaſſet; ait enim Juſtinus pag. 349. ejuſdem Dialogi : *Atque iſta, quòd nihil omnino, præterquam ut vera loquar, curem, dico: neminem prorſus veriturus, quamvis è veſtigio à vobis diſcerpar: neque enim curam aut rationem aliquam popularium etiam meorum (Samaritanorum dico) habui, ſcripto Cæſarem compellans*, &c. De hoc Dialogo loquitur Baronius anno XI Hadriani; & cùm eo Spondanus. Scaliger in Animadverſionibus Euſeb. ſcribit, Juſtinum Hadriano imperante Dialogum illum compoſuiſſe ob primum locum à nobis citatum; ſed quomodo is intelligendus ſit, ſecundus oſtendit.

Baron. ann. 120. num. V & ſeqq. & ibid. Spondan. num. IV.

VII. *Reſcriptum in favorem Chriſtianorum.*

Ad num. II. De reſcripto ad cohibendam perſecutionem Aſiæ populis dato, anno LII, de quo rurſus ibi in Epitome, agemus.

Baron. num. VI.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5642. ☉ 18 F. ☽ 17. P. 14. APRIL. Olym. 232.
INDICT. 2.
JESU CHRISTI 149. *ſecundùm Baronium* 151.
PII PAPÆ 9.
ANTONINI PII IMP. 12.

I. *Conſules.*

COss. *Ser. Scipio Orfitus*, & *Q. Nonius Priſcus*, ex Inſcriptionibus Onuphrianis.

II. *Imperii Cæſarei M. Aurelii Decennalia.*

Marci Aurelii Cæſaris Decennalia ad hunc annum referenda. Mediobarbus pag. 200. Antonini Nummum XII Tribunitia Poteſtate notatum producit, in cujus poſtica viſitur Saturni templum. Producit & alium ejuſdem Imperatoris Nummum Trib. Pot. XII inſignitum, in cujus poſticâ legitur : COS. IIII. S. C. MUNIFICENTIA AUG. Exhibetur in ea elephas. In poſtica alterius, cujus antica Trib. Pot. XII præfert : COS. IIII. S. C. MUNIFICENTIA AUG. Cernitur figura, dextrâ pateram, ſiniſtrâ haſtam puram tenens, ad pedem dextrum Tigris. Quæ omnia horum ſolennium indicia, ut anno CXLVII diximus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5643. ☉ 19 E. ☽ 18. P. 30. MART.
INDICT. 3.
JESU CHRISTI 150. *ſecundùm Baronium* 152.
ANICETI PAPÆ 1.
ANTONINI PII IMP. 13.

I. *Conſules.*

COss. *Gallicanus*, & *Vetus*, ex Inſcriptione Onuphriana.

II. *Anicetus PP. ſuccedit Pio.*

Pius Papa hoc anno ad Deum migravit, & *Anicetus* in ejus locum ſuffectus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5644. ☉ 20 D. ☽ 19. P. 19. APRIL.
INDICT. 4.
JESU CHRISTI 151. *ſecundùm Baronium* 153.
ANICETI PAPÆ 2.
ANTONINI PII IMP. 14.

I. *Conſules.*

COss. *Gordianus*, & *Maximus*, ut Caſſiodorus; Idacius in Faſtis, Proſper in Chronico, & Liber Cuſpiniani habent. Ita etiam Chronicon Alex. non verò *Condianum*, ut Onuphrius, & Faſti Græci Theonis à Dodwello V. C. publicati. Gordianum etiam Marianus Scotus in Chronico exhibet.

II. *Quinquennalia Imperii Proconſularis M. Aurelii.*

Quinquennalia Imperii Proconſularis Marci. Mediobarbus Nummum ejus producit; in cujus poſtica legitur : TR. P. V. COS. II. S. C. Cernuntur quadrigæ aurigante Imperatore. Quæ repræſentatio viſitur etiam in poſtica Nummi Antonini Trib. Pot. XIIII inſigniti; cum fluvii cujuſdam ſimulacro pone decumbente. Extat & apud Angellonium Antonini Nummus, in cujus poſtica habetur : TR. POT. XIIII. COS. IIII. S. C. PIETAS. Repræſentatur templum octo columnarum, in cujus medio figuræ duæ

ſedentes, quarum una haſtam tenet; extra columnas duæ figuræ. Qui Nummi horum ſolennium teſtes.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5645. ☉ 21 CB. ☽ 1. P. 10. APRIL.
INDICT. 5.
JESU CHRISTI 152. *ſecundùm Baronium* 154.
ANICETI PAPÆ 5.
ANTONINI PII IMP. 15.

I. *Conſules.*

COSS. *Sex. Acilius Glabrio*, & *C. Valerius Omullus Verianus*, ut habet Onuphrius in Chronico, ubi quæ in Faſtis ſcripſit, ſæpe ex verioribus documentis emendat, ut me monuit Noriſius, qui in Epiſtola Conſulari pag. 91. & 117. aliqua de utroque Conſule notat. Quindecennalia Imperii Proconſularis Antonini Pii.

II. *Teleſphori PP. obitus.* Baron. num. 1.

Ad num. I. S. *Teleſphorum* Papam Hadriano imperante ſediſſe probant Acta antiqua SS. Fauſtinæ & Jovitæ, ac præterea Acta S. Calimeri Epiſcopi Mediolanenſis, quorum verba recitat Henſchenius in Explicatione Catalogi veterum Pontificum. Ad hæc Euſebius in Hiſt. lib. 4. cap. 10. ac etiam in Chronico, & Marianus Scotus ac Hermannus Contractus in Chronicis S. Teleſphori martyrium anno primo Antonini Pii conſignant, adeo verum eſt, Teleſphorum ad hæc tempora non perveniſſe. Standum itaque Chronico Damaſi, in quo legitur: *Teleſphorus annis undecim, menſibus tribus, diebus tribus. Fuit temporibus Antonini Macrini* (legendum, *Hadriani*) *à Conſulatu Titiani & Gallicani, uſque Cæſare & Balbino.* Conſulatus Cæſaris & Balbini incidit in annum Chriſti c XXXVII. Quare cùm *Teleſphorus* anno c XXVI Pontificatum inierit, ut ſuo loco dictum, annos XI, m. 3. & d. 3. ſedit, ſi error in numeros non irrepſerit. Colitur in Martyrologiis die quinta menſis Januarii, quo & ſepultus dicitur in auctiori Chronico veterum Pontificum; ſed is dies ad aliquam ejus Tranſlationem referendus videtur, ut ex dictis conſtat. Sedes dicitur vacaſſe diebus ſeptem. Verùm id ex conjectura aſſertum. Teleſphoro ſucceſſit *Hyginus.*

III. *Teleſphori Decretalis.* Baron. num. 11.

Teleſphoro unica attribuitur Decretalis, Viris eruditis ſuppoſititia credita. Scripta eſt ad omnes Epiſcopos, incipitque cum verbis Damaſi Papæ epiſtolâ ad Illyricos: *Credimus S. fidem veſtram in Apoſtolorum eruditione laudatam.* Habet & plura alia ex Damaſi epiſtolis teſtimonia; item ex Pſal. 25. 36. & 51. verſionis S. Hieronymi.

IV. *Reſcriptum pro cohibenda perſecutione à M. Aurelio emiſſum.* Baron. num. V.

Ad num. III. Edictum pro cohibenda perſecutione Scriptores in duas partes diſtraxit. Baronius, Haloixius in Notationibus ad Vitam S. Juſtini cap. 5. & Papebrocius ad diem XIII Aprilis, quo S. Juſtinus colitur, illud ab Antonino Pio emiſſum fuiſſe contendunt, erroreque in eo M. Aurelii nomen legi, & loco, *Conſul III*, legendum, *Conſul IV*. Contrà Valeſius in Notis ad lib. 4. Euſebii cap. 13. ubi ea epiſtola refertur, exiſtimat, erraſſe Euſebium, qui Antonino Pio illud edictum ſeu epiſtolam attribuit; cùm ſit M. Aurelii, ut ex Inſcriptione ipſa apparet, ſcripta primo anno Imperii ejus, cùm ipſe eſſet tertiùm Conſul, inquit Valeſius, cujus opinio præferenda, magiſque explicanda. His verbis titulus epiſtolæ concipitur; Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Μάρκος Αὐρήλιος Ἀντωνῖνος Σεβαστὸς, Ἀρμένιος, ἀρχιερεὺς μέγιστος, δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ πέμπτον καὶ δέκατον, ὕπατος τὸ τρίτον, τῷ κοινῷ τῆς Ἀσίας χαίρειν, id eſt, *Imperator Cæſar M. Aurelius Antoninus Aug. Armenicus, Pontifex Maximus, Tribunitiæ Poteſtatis XV, Conſul III, Communi Aſiæ S.* Titulus *Armenici* conjecturam Valeſii certam reddit: is enim non Antonino, ſed M. Aurelio attributus, ac præterea Lucio Vero, ut ex Nummis certum redditur. At obſervandum, *Armeniaci* nomen Marco & Lucio non tribui, niſi quando ille Tribunitia Pot. XVIII, hic Tribunitia Pot. III donatur; quas Tribunitias Poteſtates uterque Imperator anno c LXIV geſſit. Infrà autem videbimus, *Armeniaci* nomen anno c LXI, quo M. Aurelius Tribunitiam Pot. XV iniit, eidem dari non potuiſſe. Et tamen is titulus in epiſtola ab Euſebio relata legitur. Error itaque in Tribunitiæ Pot. numerum irrepſit.

V. *Auctor Chronici Alex. errorem Euſebii deprehendit.*

Hunc errorem Auctor Chronici Alexandrini obſervaſſe videtur. Is Priſco & Apollinario Coſſ. anno ſcilicet Chriſti c LXIX, ſcribit, *Melitonem* Aſianum Sardienſem Epiſcopum, & aliquot alios Epiſcopos Apologiam pro Chriſtianis M. Aurelio tradidiſſe, & Marcum eorum ſupplicationibus permotum ſcripſiſſe epiſtolam ad *Commune Aſiæ*, quâ vetabat, ne quis in poſterum Chriſtianos Religionis ſuæ causâ calumniaretur. Eam epiſtolam Auctor Chronici Alexandrini refert his verbis: Μαρκὸς Αὐρήλιος Ἀντωνῖνος Σεβαστὸς δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ πέντε καὶ δέκατον, καὶ ὕπατος τὸ τρίτον τῷ κοινῷ τῆς Ἀσίας χαίρειν; &c. id eſt, *M. Aurelius Antoninus Auguſtus, Tribunitiæ Poteſtatis anno XV, Communi Aſiæ, Salutem.* At anno c LXIX Marcus Tribunitiam Poteſtatem XXIII, non verò XV gerebat. Quare tam in Euſebio, quàm in Chronici Alexandrini Auctore, qui hanc epiſtolam ex illo accepit, legendum videtur, τὸ τρίτον καὶ εἰκοστὸν, id eſt, *Tribunitiæ Poteſtatis XXIII.* Dicit Valeſius in Notis ad lib. 4. Euſebii cap. 26. Chronici Alex. Auctorem falli, qui exiſtimat eam epiſtolam anno X Marci ſcriptam. *Scripta* eſt, inquit Valeſius, *anno primo ejus Imperii, ut colligitur ex anno XV Tribunitiæ Poteſtatis in eadem epiſtola prænotato.* Sed ſi Vir eruditiſſimus animadvertiſſet, Armeniaci nomen Marco, dum Tribunitiam Poteſt. XV gereret, datum non fuiſſe, intellexiſſet, Auctorem Chronici Alexandrini eam epiſtolam anno ſuo reddidiſſe, in eoque tantùm peccaſſe, quòd Numerum Tribunitiæ Poteſtatis XV prorſus mendoſum retinuerit.

VI. *Cauſa erroris Euſebii.*

Si quis verò quærat, quæ errandi cauſa Euſebio eſſe potuerit, hanc eſſe puto. Legerat is in Apologia Melitonis, cujus Fragmentum refert lib. 4. cap. 26. Antoninum Pium in favorem Chriſtianorum ſcripſiſſe ad Civitates, ne contra Chriſtianos tumultus concitarent. Quare M. Aurelii epiſtolam ad Aſiæ Commune ſcriptam, & à Melitone impetratam, pro Antonini Pii epiſtola per errorem uſurpavit. Nec placet conjectura Papebro-

cii laudati arbitrantis, titulum eidem epiſtolæ temeraria manu adjectum, qui fortè defeciſſet in antiquo Codice, aut imperitè ſuppletas reſiduas nominum ac temporum notas. Nam cùm ipſe fateatur, eo in titulo *Parthici* nomen aut ejus reſiduum ſuperfuiſſe, liquet, eum titulum de Antonino Pio minimè explicari poſſe, cùm is numquam in Nummis, nec *Armeniacus*, nec *Parthicus* dicatur; quod tamen utrumque nomen Marco in Nummis & Inſcriptionibus attribuitur. Euſebii errorem vidit etiam Nicephorus, qui tamen eum non emendavit. Nam lib. 3. cap. 26. eam epiſtolam inter Antonini Pii geſta refert; poſtea verò cap. 34. illam Marco aſſignat, aitque: *Multos verò & alios Martyres in Aſia fuiſſe conſtat, priuſquam M. Aurelius Antoninus Juſtini aliorumque Chriſtianorum permotus epiſtolâ, quam paulò antè retulimus, ad Aſiæ populos miſſâ, perſecutionem cohibuit.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5646. ☉ 22 A. ☽ 2. P. 26. MART. INDICT. 6.

Olymp. 233. JESU CHRISTI 153. *ſecundùm Baronium* 155.

ANICETI PAPÆ 4.

ANTONINI PII IMP. 16.

I. *Conſules.* COSS. *C. Bruttius Præſens, & A. Junius Rufinus*, ut diſcimus ex Inſcriptione Romæ in Horto Barberino inventa, & recitata à Sponio in Miſcellaneis eruditæ Antiquit. pag. 53. quæ dicitur dedicata C. BRUTTIO PRÆSENTE, AULO JUNIO RUFINO COS. Hic in alia Epigraphe relata à Noriſio in Epiſtola Conſulari dicitur A. JUNIUS RUFINUS, & Præſens ſine numerali nota in ea etiam editur. Quare Rufinus in Annalibus perperam Antoninis adſcribitur, & hic Præſens alius eſt ab eo, qui cum Antonino Pio, ejus Imperii initio, Conſul fuit.

II. *Quindecennalia Imperii Auguſtei Antonini Pii.* Imperii Auguſtei Quindecennalia Antoninus Pius celebravit, ut ex ejus Vicennalibus anno CLIX exhibitis certò conſtat. Numquam enim hujuſmodi ſolennia plus anno uno dilata, ut in Diſſert. Hypatica monui.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5647. ☉ 23 G. ☽ 3. P. 15. APRIL. INDICT. 7.

JESU CHRISTI 154. *ſecundùm Baronium* 156.

ANICETI PAPÆ 5.

ANTONINI PII IMP. 17.

I. *Conſules.* COSS. *L. Aurelius Commodus, & Titus Sextius Lateranus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſt. Conſulari. Erat Commodus Marci per adoptionem frater.

II. *Quindecennalia Marci Cæſaris.* Ex quo apparet, Marcum Imperii Cæſarei Quindecennalia dediſſe. Quare cum anno præcedenti Antoninus ſua ediderit, Marcus alio anno Quindecennalia dediſſe videtur. Extat apud Mediobarbum Nummus inſcriptus: ANTONINUS AUG. PIUS P. M. TR. P. XVII. in poſtica: LIBERALITAS VII. COS. IIII. Figura ſtans, dextrâ congium, ſiniſtrâ cornucopediæ tenens. Quæ liberalitas ad hæc ſolennia referenda.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5648. ☉ 24 F. ☽ 4. P. 7. APRIL. INDICT. 8.

JESU CHRISTI 155. *ſecundùm Baronium* 157.

ANICETI PAPÆ 6.

ANTONINI PII IMP. 18.

COSS. *C. Julius Severus, & M. Rufinus Sabinianus*, ex Inſcriptione Onuphriana. I. *Conſules.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5649. ☉ 25 E D. ☽ 5. P. 24. MART. INDICT. 9.

JESU CHRISTI 156. *Secundùm Baronium* 158.

ANICETI PAPÆ 7.

ANTONINI PII IMP. 19.

COSS. *M. Ceionius Silvanus, & C. Serius Augurinus*, ut habet Onuphrius in Chronico. De hoc pari Conſulum legendus etiam Noriſius in Epiſtola Conſulari, & Phlegon in libro de Mirabilibus, ubi cap. 10. meminit Conſulum M. Plancii Silvani & Senrii Augurini. I. *Conſules.*

Imperii Proconſularis Antonini Pii Vicennalia in hunc annum incidunt: ſed ea Nummis ſculpta non fuere; licèt per inconſiderantiam in Diſſert. Hypatica cap. 7. num. III ſcripſerim, referri Nummum ab Occone & ab Onuphrio in Faſtis lib. 2. in quo legitur, *Antoninus Aug. Pius P. P. Trib. P. XXI.* & in poſtica: *Vota Sol. Dec. II. Coſ. IIII.* Nam Onuphrius nullum ſimile Numiſma habet, & apud Acconem hæ tanquam duorum Nummorum partes proponuntur. Quare Imperii Proconſularis Antonini Pii Vicennalia & id genus feſta Nummis ſignata non fuere, primuſque Commodus fuit, qui Proconſularis Imperii Decennalia & hujuſmodi ſolennia Nummis inſculpi juſſerit. II. *Vicennalia Imperii Proconſularis Antonini Pii.*

Ad num. I & II. Cùm S. *Hygini* Papæ obitus in quibuſdam Martyrologiis die x Januarii, in aliis die XI conſignetur, liquet, priorem diem ad mortem, poſteriorem ad ſepulturam referendum eſſe. Sed de anno major difficultas. Chronicon enim Damaſi hac in parte corruptum; ibi enim legitur: *Hyginus annis duodecim, menſibus tribus, diebus ſex. Fuit temporibus Veri, à Conſulatu Gallicani & Veteris, uſque Præſente & Rufino.* Teleſphorus Hygini deceſſor obiit anno CXXXVII. Conſulatus Gallicani & Veteris in annum CL, Conſulatus Præſentis in annum CLIII incidit. Quare Chronicon illud depravatum, dicendumque, Hyginum annos duntaxat quatuor ſediſſe, ut habent auctius Chronicon veterum Pontificum, Codex Palatino-Vaticanus, Euſebius in Chronico & in Hiſtoria, Nicephorus lib. 3. cap. 25. Luitprandus, Anaſtaſius, aliique tam Græci, quàm Latini; & Onuphrius, qui antea ſolebat tem- III. *Obitus Hygini PP.* Baron. num. 1.

pus Pontificum Romanorum juxta Conſules in Chronico Damaſi memoratos metiri, hic illud contemnit, & Conſules in eo expreſſos non curat. Cùm igitur Hyginus Ælii Cæſaris & Balbini Conſulatu ſedere cœperit, ut ex dictis liquet, obiit anno centeſimo quadrageſimo primo die x menſis Januarii. Euſebius enim, Marianus Scotus, & Hermannus Contractus in Chronicis mortem ejus conjungunt cum anno quarto Antonini Pii, ideoque eo circiter tempore martyrio coronatus eſt. Ipſemet Baronius, qui hinc teſte Hygini mortem ad hunc annum diſtulit, ejus tamen Pontificatu geſta cum prioribus Antonini Pii annis copulavit, quæ ideo rurſus per hæc tempora repetere coactus fuit.

IV. *Decretales Hygini.* Baron. num. 11. Decretales duæ *Hygino* attribuuntur ſuppoſitionis ſuſpectæ. In priori refertur locus ex Idacio contra Warimadum cap. 3. deſumto, aliudque ex Aniano ad Conſtit. 15. tit. 1. lib. 9. aliaque ex Ennodio, qui ſeculi ſexti initio vivebat. Neque ſecunda ad Athenienſes data, magis germana. Hygino ſucceſſit *Pius*, ſed poſt aliquot menſium Interpontificium; quod perſecutioni, quæ tunc furebat, attribuendum. In Libro Pontificali legitur: *Ceſſavit Epiſcopatus eius dies tres.* Quod verum eſſe non poteſt, cùm doceat Epiphanius, Marcionem poſt Hygini mortem Romam veniſſe, dum Preſbyteri Eccleſiam regerent, ut ſuprà oſtendimus. Quare Interpontificii duratio tam in Libro Pontificali, quàm in auctiori Chronico veterum Pontificum notata, parvipendenda, cùm toties falſa comprobetur. Hinc ea à nobis per hæc tempora neglecta.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5650. ☉ 26 D C. ☽ 6. P. 11. April.
Indict. 10.
Olymp. 234. Jesu Christi 157. *ſecundùm Baronium* 159.
Aniceti Papæ 8.
Antonini Pii Imp. 20.

I. *Conſules.* Coss. *Barbarus*, & *Regulus*, de quibus Noriſius in Epiſt. Conſulari, ubi citat Galenum in lib. de Præcognit. cap. 2. ubi docet, Barbarum avunculum fuiſſe Lucii Imperatoris, qui cum Marco imperavit.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5651. ☉ 27 B. ☽ 7. P. 3. April.
Indict. 11.
Jesu Christi 158. *ſecundùm Baronium* 160.
Aniceti Papæ 9.
Antonini Pii Imp. 21.

I. *Conſules.* Coss. *Tertullus* & *Claudius Sacerdos*, ut habet Noriſius in Epiſt. Conſulari. Imperii Cæſarei Marci Aurelii Vicennalia in hunc annum incidunt.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5652. ☉ 28 A. ☽ 8. P. 23. April.
Indict. 12.
Jesu Christi 159. *ſecundùm Baronium* 161.
Aniceti Papæ 10.
Antonini Pii Imp. 22.

Coss. *Plautius Quintillus*, & *M. Statius Priſcus*, ut videre eſt in Ep. Conſul. I. *Conſules.*

Antoninus Pius Auguſtei Imperii Vicennalia in hunc annum diſtulit, ut varia Nummata à Mediobarbo relata certum reddunt. II. *Vicennalia Imperii Auguſtei Antonini Pii.* In uno legitur: Antoninus Aug. Pius P. P. Tr. P. xxii. in poſtica: Vota suscepta Decen. III. Cos. IIII. Cernitur figura ſacrificans. In alio eadem Tribunitia Poteſtate inſignito habetur, Vota Sol. Decen. II. Cos. IIII. ubi etiam figura ſacrificans repræſentata. Ex his duobus Nummis inter ſe collatis liquet, uno eodemque tempore & Vota v. g. Vicennalia ſoluta fuiſſe, & nova in ſequens decennium ſuſcepta. Hoc enim tempore nondum in uſu poſitum erat, ut Vota, quæ viceſimo Imperii anno ſuſcipiebantur, Vota Vicennalia nuncuparentur, ſed Vota tantùm Decennalia ſecunda de more dicebantur. Quare hoc anno Antoninus Pius ſecunda Decennalia ſolvit, & tertia Decennalia ſuſcepit. Mediobarbus citatus Nummum Antonini Pii refert inſcriptum: Antoninus Aug. Pius P. P. in poſtica: Vota suscepta Dec. IIII. Cos. IIII. S. C. ſed non dubito, quin legendum ſit, Dec. III; cùm Antoninus Vota Decennalia quarta ſuſcipere non potuerit, triennio poſt Vota Decennalia III ſuſcepta demortuus. Mediobarbus ibidem pag. 205. hunc Antonini Nummum exhibet: Antoninus Aug. Pius Tr. P. xxii. in poſtica: Aede Divi Aug. rest. Cos. IIII. S. C. Viſitur templum octo columnis ſuffultum. Quare in his Vicennalibus hujus reſtitutionis memoriæ renovata. Quo Nummo, ſimilibúſve innixus hanc regulam ſtatui, in Decennalibus ſc. & id genus feſtis, præcedentium annorum victorias, aliaque præclarè à Principe geſta, Nummis de more inſculpta, ac eorum memoriam inſtauratam eſſe.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5653. ☉ 1 F G. ☽ 9. P. 14. April.
Indict. 13.
Jesu Christi 160. *ſecundùm Baronium* 162.
Aniceti Papæ 11.
Antonini Pii Imp. 23.

Coss. *T. Vibius Barus*, & *Annius Bradua*, ex Inſcriptione Onuphriana. I. *Conſules.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5654. ☉ 2 E. ☽ 10. P. 30. Mart. Indict. 14.

Olymp. 235. Jesu-Christi 161. *ſecundùm Baronium* 163.

Soteris Papæ 1.

M. Aurelii Imp. 1.

I. *Conſules.* COss. *M. Ælius Aurelius Verus Cæſar III*, & *L. Ælius Commodus II*, ut oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari pag. 95. ex Inſcriptione Gruteriana pag. 300. hujus anni initio dedicata, in qua cùm L. Aurelius Commodus Cæſar non dicatur, quemadmodum nec in aliis Inſcriptionibus, in quibus prior ejus Conſulatus Laterano Collegâ geſtus memoratur, Cæſar non appelletur, conſtat, eum, antequam cum Marco imperaret, *Imperii Proconſularis Marci Quindecennalia.* Cæſarem non fuiſſe; Cæſaribus enim & Auguſtis cum Magiſtratum exercentibus, is ſine Auguſti, vel Cæſaris nomine in Inſcriptionibus memorari non ſolitus. Verum itaque eſt quod ſcribit Capitolinus in Vero Imperatore cap. 3. *Fuitque privatus in domo Imperatoria viginti & tribus annis.* Paulò poſt: *Diu autem & privatus fuit, & eâ honorificentiâ caruit, quâ Marcus ornabatur. Namque in Senatu ante Quæſturam non ſedit; neque in itinere cum patre, ſed cum Præfecto Prætorii vectus eſt; nec aliud ei honorificentiæ adnomen adjunctum eſt, quàm quòd Auguſti filius eſt appellatus.* M. Aurelii Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam ſumtus, ob Quindecennalia nempe Proconſularis ejus Imperii.

II. *Obitus Antonini Pii.* Ad num. I. Antoninus Pius die ſeptima menſis Martii è vivis exceſſit, quod certò colligitur ex die emortuali M. Aurelii ſucceſſoris, qui fuit dies XVII menſis Martii anni CLXXX, ut infrà videbimus. Quare poſt Hadriani mortem imperavit annos viginti duos, *Baron. num. I.* menſes ſeptem, dies viginti ſex: à die verò, quo Imperii Collega nuncupatus eſt, annos viginti tres, dies undecim. Xyphilinus quidem, Zonaras, & Cedrenus annos ei viginti quatuor attribuunt; quia nempe utrumque extremum annum incompletum pro integro numerant, qui putandi modus ab Antiquis ſæpe uſurpatus.

III. *Liberi Antonini Pii.* Antoninus Pius liberis ſuis ſuperſtes fuit. Capitolinus in Antonino Pio cap. 1. de ejus filiis loquens ait: *Uxor Annia Fauſtina: filii mares duo: duæ fœminæ; gener per majorem filiam Lamia Syllanus; per minorem Marcus.* Horum filiorum, filiæque natu majoris nomina hactenus magnis tenebris ſepulta diſcimus ex antiqua Romanarum Inſcriptionum Collectione à Mabillonio tomo IV Analectorum publicata, ubi hæc Inſcriptio legitur: *Aurelia Fadilla, filia Imp. Cæſaris Titi Ælii Hadriani Antonini Auguſti Pii P. P.* Capitolinus loco laudato de Antonino Pio verba faciens inquit: *Soror uterina, Julia Fadilla.* Antea dixerat: *Mater Arria Fadilla.* Matris itaque & ſororis cognomen filiæ Antoninus impoſuit. Ejus filiis maſculis hæ Inſcriptiones dicatæ: *M. Aurelius Fulvus Antoninus, filius Imperatoris Cæſaris T. Ælii Hadriani Antonini Aug. Pii P. P.* Docet Capitolinus citatus, Antonini patrem Aurelium Fulvium, avum Titum Aurelium Fulvium dictos eſſe. Alterius filii nomen in hac epigraphe expreſſum: *M. Galerius Aurelius Antoninus filius Imperatoris Cæſaris Titi Ælii Hadriani Antonini Auguſti Pii P. P.* Hic etiam in duabus Inſcriptionibus Græcis apud Mediobarbum in Numiſmatis Imperatorum pag. 205. appellatur *Marcus Aurelius Antoninus.* Porro hujus mater, quæ à Capitolino in Antonino Pio vocatur *Annia Fauſtina*, ab eodem in Marco Philoſopho, dicitur *Galeria Fauſtina*; in Nummis verò Latinis Fauſtina tantùm vocatur. Huic Marcus Galerius filius ſuperſtes fuit, ut conſtat ex Nummo Græco apud Spanhemium Virum eruditiſſimum pag. 658. Viſitur in uno latere ipſius Fauſtinæ caput velatum cum Inſcriptione: ΘΕΑ ΦΑΥϹΤΕΙΝΑ, id eſt, *Diva Fauſtina*: in alio caput puerile cum litteris: Μ. ΓΑΛΕΡΙΟϹ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟϹ. ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ, id eſt, *Marcus Galerius Antoninus Imperatoris Antonini*, ſupple, filius. Neuter ex his filius Cæſar nuncupatus, nec patri ſuperſtes. Cùm igitur Fauſtina Diva appelletur, jam obierat, cum Nummus ille percuſſus.

IV. *L. Ælius in conſortium Imperii aſſumtus.* Ad num. IV. M. Aurelius cognomento Philoſophus, qui jam Collega Imperii erat, Reipublicæ adminiſtrationem ſuſcepit, ſtatimque L. Ælium Aurelium Commodum, non modò Cæſarem, verùm etiam Auguſtum novo exemplo renuntiavit, omnibuſque Auguſtorum titulis, Pontificis tantùm Maximi excepto, cum eo communicavit. *Baron. num. VII.* Patinus in Numiſmatis Imperatorum pag. 241. Nummum Coloniæ Beryti affert, in quo ab altera parte Marcus, Verus ab altera inſculptus cum ſua quiſque aquila, Imperii pro indiviſo communicati argumentum. Quam in rem Diocletianus & Maximianus Herculius in eodem Nummo repræſentati aquilam ferunt ſcipioni eburneo, quem quiſque gerit, impoſitam, quæ communicati utrique Imperii ſymbolum. Harduinus Vir Clariſſimus in Nummis Populorum & Coloniarum pag. 412 Nummum Lucii Veri Imperatoris exhibet, in quo ſcriptum, ΠΟΥΣΙΕΩΝ ΠΡΟϹ ΥΠΙΩ, id eſt, *Pruſium ad Hypium montem.* Eo in Nummo Oriens radiato capite ſingulis manibus ſingulas geſtat aquilas cum lauri ramis, quod ſubactum utriuſque Auguſti auſpiciis Orientem declarat, ut rectè obſervat Harduinus adverſus Triſtanum tom. II. pag. 305.

V. *Tres variæ Imperii Romani adminiſtrandi formæ.* Hic obſervare juvabit, Imperium Romanum tribus modis adminiſtratum fuiſſe. Primò, vel ab unico Auguſto, vel ab uno Auguſto cum Collega Imperii ſibi adjuncto, qui extra Urbem idem jus in exercitus ac Provincias cum illo habebat, quique ob Imperium Proconſulare *Imperatoris* nomine, non tamen Auguſti appellabatur. Duravit hæc regiminis forma, ſub quo etiam varii Cæſares Imperiique ſucceſſores deſignati, uſque ad præſentem annum, quo novum adminiſtrationis genus à Marco Aurelio inductum. Nam *tunc primùm Romanum Imperium duos Auguſtos habere cœpit*, ut inquit Capitolinus in Marco cap. 7. quod & alii Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores confirmant. Duravit hæc ſecunda regiminis forma, in qua aliquando

tres Auguſti viſi, uſque ad Conſtantium Chlorum & Galerium Maximianum, ad annum nempe Chriſti trecenteſimum quintum, quo Diocletianus & Herculius abdicarunt, quove Imperium antea ſolidum atque indiviſum gubernatum, inter Auguſtos tamquam hæreditas quædam diviſum fuit. Quæ tres regendæ Reipublicæ Romanæ formæ ad variarum difficultatum ſolutionem ſedulò notandæ.

VI. *Pluribus Auguſtis ſimul imperantibus unus Pontifex Max. dictus.*

Secundi regiminis generis initio, licèt ſupremi dominii nomina, muneraque duobus aut tribus Auguſtis communia eſſent; unus tamen ſeniorque Pontificis Maximi appellationem gerebat, ut liquet ex Nummis, in quibus Commodus, Caracalla, & Geta, qui cum patribus corregnarunt, non dicuntur Pontifices Maximi, ſed tantùm Pontifices, eo modo, quo in hoc Caracallæ Nummo: ANTONINUS AUGUSTUS PONTIF. TR. P. II. Idque etiam conſtat ex his Dionis verbis lib. 53. quæ non rectè ab Interprete intellecta, Spanhemius V. C. in Diſſert. 8. de Præſtantia & Uſu Numiſmatum ſic vertit: *Ex eo autem quòd omnibus Sacerdotiis inaugurati ſunt Imperatores, & quòd alios in pleraque illa Collegia adſciſcunt, ſemperque unus eorum, ubi duo vel tres ſimul imperant, ſummum Pontificatum gerit, continuo fit, ut omnium Religionum & Sacrorum Domini evadant.* Quare quoad iſtum honorem non plus his Auguſtis in partem Imperii vocatis, quàm Imperii Collegis, qui in prima regiminis forma ſupremi Principatûs conſortes erant, tributum. In Nummis enim Tiberii, Titi, aliorumque Imperii Collegarum, *Pontificis* nomen legitur. Imò hæc inferior *Pontificis* dignitas, cùm initium quoddam ſeu tyrocinium ſupremi faſtigii eſſet, dabatur etiam puris putis Cæſaribus, ut videre eſt in Nummis Caii, Lucii, Getæ, &c. Quod Dio his verbis ſignificat: *Alios in pleraque illa Collegia adſciſcunt*, Cæſares nempe & in ſucceſſionis ſpem vocatos. At ubi Balbinus & Pupienus ad Imperium evecti ſunt, Pontificis Maximi nomen utrique conceſſum; quemadmodum poſtea Gallo & Voluſiano, tum Valeriano & Gallieno; ac denique Diocletiano & Herculio, ut videre eſt in eorum Nummis. An verò ſolùm Pontificis Maximi nomen communicatum fuerit, & poteſtas penes unum remanſerit; aut juniores Auguſti tam in nominis, quàm in poteſtatis conſortium vocati fuerint, hactenus in obſcuro eſt. Illud certum, in tertio regiminis genere, cùm ſinguli Auguſti Imperii partem poſſidebant; apud ſingulos Auguſtos Pontificatus Maximi appellationem & rem reſediſſe; cùm alter in alterius dominio jus aliquod exercere non potuerit. In edicto à Galerio Maximiano in Chriſtianorum favorem anno CCCXI, antequam periret, emiſſo, quod refertur ab Euſebio lib. 8. cap. 17. Galerii, Conſtantini, & Licinii nomina ſeorſim cum titulis cuilibet eorum peculiaribus leguntur, *Pontificis* tamen *Maximi* appellatione ſingulis attributa, ob idque ter repetita. Verum quidem eſt, Nicephorum lib. 7. cap. 25. idem edictum referre, in eoque ſoli Galerio Maximiano Pontificis Maximi titulum dari. Sed brevitatis causâ illum omiſſum exiſtimo: quod eò magis ſuſpicandum, quò Conſtantinus ibidem Auguſtus non appelletur, ſicut nec Licinius. Extant Inſcriptiones duæ apud Goltzium, Gruterum, & alios, quarum altera Valentiniano, qui in Occidente, altera Valenti ejus fratri, qui in Oriente imperabat, dicata, in qua uterque dicitur PONTIF. MAXIMUS TRIB. POT. VII. IMP. VI. CONS. II. Erratum tamen in utraque, vel in nota numerali Conſulatûs, vel Tribunitiæ Poteſtatis. Uterque enim anno CCCLXIV Imperium iniit, annoque CCCLXX Conſulatum III, ac VII Tribunitiam Poteſtatem geſſit. Quare non Conſul II, ſed III, uterque dici debuit, vel ſaltem Tribunitiæ Poteſtatis VIII. Sed quidquid ſit, ex his manifeſtum fit, Pontificis Maximi nomen pluribus Auguſtis eodem tempore in diverſis Romani Orbis partibus regnantibus attributum fuiſſe. Videndus Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. 2. cap. 7.

VII. *Cæſares vocati Reges & Imperatores.*

Quoad *Imperatoris* nomen, illud in priori Imperii Romani diſpoſitione tam Auguſtis, quàm Cæſaribus Imperio Proconſulari exornatis attributum, ut alibi demonſtravi. Sed in ſecunda à Marco Aurelio inducta, tituli Cæſarum aucti, ipſique non minùs, quàm in priori Imperii Collegæ, Imperatores etiam vocati. Ariſtides lib. 4. Sacrarum Orationum ait: ἡμέραις οὐ πολλαῖς ὕστερον ἐξ Ἰταλίας ἀφικνοῦνται ἐπιστολαί μοι παρὰ τῶν βασιλέων, τοῦ τε αὐτοκράτορος αὐτοῦ, καὶ τοῦ παιδὸς, id eſt: *Paucis diebus interjectis venerunt ad me ex Italia Regum literæ, tum Imperatoris ipſius, tum ejus filii.* Loquitur Ariſtides de Marco Aurelio & Commodo Cæſare, & de iis, quæ Severo Aſiæ Proconſule exiſtente, geſta ſunt, *Regiſ*que nomen, tam filio, quàm patri tribuit, ſed *Imperatoris* nomine patrem tantùm appellat. Severus autem, antequam Commodus Tribunitia Poteſtate decoraretur, Aſiam rexit, ut infrà videbimus. Quare eo tempore Cæſares nondum Imperatores, ſed *Reges* tamen vocati. Ante Commodum non exiſtimo, Cæſares *Regis* nomine cohoneſtatos fuiſſe. Spartianus enim in Ælio Vero cap. 6. de hoc Cæſare, qui Tribunitia Poteſtate ornatus fuerat, loquens ait: *Sepultus eſt Imperatorio funere: neque quicquam de Regia, niſi mortem, habuit dignitate.* Cæſares anno Chriſti CXCVII nondum Imperatores nuncupabantur. Nam in duabus Inſcriptionibus infrà referendis Caracalla Severi Aug. filius natu major, qui jam Cæſar erat, dicitur *Imperator deſtinatus*, quòd eo anno à patre Auguſtus deſignatus fuiſſet, ſed nondum Senatûs decretum acceſſiſſet. Cæſares itaque *Imperatoris* titulum tunc non obtinebant. Sed anno inſequenti, quo Severus Quinquennalia exhibuit, Caracalla & Geta *Imperatores* appellati, Caracalla nempe Auguſtus & Geta Cæſar, ut ex Herodiano infrà oſtendo. Quare Geta, Diadumenianus, & Alexander Severus Cæſares, in Nummis Græcis *Imperatores* vocantur, quod nomen iiſdem Cæſaribus in Epigrammatis Latinis aliquando conceſſum. Onuphrius lib. 2. Faſt. hanc Julii Gallieni Cæſaris epigraphen refert: IMP. Q. JULIO. FILIO. GALLIENI. AUG. ET. SALONINÆ. Mediobarbus in Numeriano hoc Numiſma producit: IMP. C. M. AUR. NUMERIANUS, NOB. C.

VIII. *Cæſares Principes vocati.*

In hac ſecunda Imperii Romani forma Cæſares etiam *Principes* vocati. Capitolinus in Maximo & Balbino cap. 3. de Gordiano Cæſare ait: *Quare factum, ut Gordianum adoleſcentem Principem* (id eſt, Cæſarem) *peterent, qui ſtatim factus eſt: nec prius permiſſi ſunt ad palatium ſtipati armis ire, quàm nepotem Gordiani, Cæſaris nomine nuncuparent.* Neque aliter apud Græcos fieri potuit; cùm apud eos vox ὁ ἡγέμων, tam Imperatorem, quàm Principem deſignet. Petavius lib. 11. de Doct. Temp. cap. ait, Imperii Proconſularis conſortes, uti erat Tiberius, Imperatores dictos non fuiſſe, & eodem lib. cap. 24. inquit, Gordianum loco laudato majus aliquid, ampliuſque quàm Cæſaris nomen conſecutum; cùm Capitolinus modò eum Imperatorem, modò eum Principem appellet. Sed ſi Vir doctiſſimus eam vulgarem opinionem magis expendiſſet, falſam eſſe intellexiſſet.

IX. *Cæſarum nomina ſæpe non intellecta.*

Ex his Cæſarum appellationibus rectè explicatis varios doctorum Virorum lapſus facile detegere eſt. Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis ad num. 2215 ſcribit, Getam in ſecundo ſuo Conſulatu, anno nempe Chriſti CCV, Auguſtum dictum eſſe, quòd in Inſcriptione legatur:

IMP. CÆSAR. LUCIUS. SEPTIMIUS.
SEVERUS. PIUS. PERTINAX. AUG.
ARABIC. ADIABENICUS. PARTHICUS.
MAXIMUS PONT. MAX. TRIB.
POTEST. IX. IMP. XI. COS. II.
P. P. PROCOS. ET IMP. CÆSAR.
MARCUS. AURELIUS. ANTONINUS.
PIUS. AUG. TRIB. POT. IV.
PROCOS. ET IMP. P. SEPTIMIUS.
GETA. ANTONIN. VIAS. ET. PONTES.
REST. AB AUG. MIL.
PAS. XXXI.

Sed perperàm, non ſolùm quia ea Inſcriptio anno Chriſti CCI dedicata; ſed etiam quia Geta anno CXCVIII Cæſaris & Imperatoris titulo exornatus fuerat: Auguſtus autem anno tantùm CCVIII nuncupatus eſt, ut ſuo loco dicetur. Sic Valeſius in Notis ad Evagrium, Auctorem Chronici Alexandrini reprehendit, quòd Marcum Baſilici Tyranni filium Imperatorem creatum dixerit, quòd primùm Cæſar, poſtea Auguſtus dictus ſit. Sed, ut anno CCCCLXXV oſtendemus, Auctor ille accuratè locutus eſt; quod & ex dictis liquet. In Actis S. Eutychii Patriarchæ Conſtantinopolitani ab Euſtathio Presbytero, imperante Mauritio, ſcriptis, num. LXX dicitur: Ὡς οὖν τὰς ἐκβοήσεις τοῦ φιλοχρίστου λαοῦ εἰσεδέξαντο οἱ βασιλεῖς Ἰουστῖνος καὶ Τιβέριος, εὐθὺς καὶ πρόσταγμα αὐτῶν . . . τοῦ πάπα, &c. id eſt: *Poſtquam igitur Chriſtianiſſimi populi clamores exaudiſſent, Juſtinus & Tiberius Imperatores*, &c. vel *Reges*, de verbo ad verbum. Juſtinus junior tunc Auguſtus, Tiberius Conſtantinus Cæſar erat: & tamen uterque ab Auctore illo coætaneo dicitur *Rex* vel *Imperator.* Henſchenius die VI Aprilis, ubi laudata Acta illuſtrat, ad eum locum ait: *Imò Juſtinus Imperator, & Tiberius tunc ſolùm Cæſar, poſtea Imperator.* quia eum fugiebat, jam à Quinquennalibus Severi *Imperatoris* titulum Cæſaribus attributum fuiſſe. Euſebius lib. 8. cap. 5. loquens de quodam Chriſtiano, qui Nicomediæ edictum adverſus Chriſtianos propoſitum, Diocletiano Auguſto, & Galerio Maximiano Cæſare præſentibus, ait: δυεῖν ἐπιπαρόντων κατὰ τὴν αὐτὴν πόλιν βασιλέων, quæ verba ſic Valeſius cum Chriſtophorſono vertit: *Cùm duo ex Imperatoribus in civitate adeſſent.* Et tamen uterque vertentes alia duo Euſebii loca lib. 9. cap. ult. ubi Criſpus Conſtantini M. filius dicitur βασιλεύς, hanc vocem, *Cæſarem* interpretantur, quamvis Regis nomen latiùs pateat, quàm Imperatoris, & utrobique idem deſignare videatur. Quare in Auctoribus Græcis Latinè vertendis purus ac ſimplex ſermo, qui Græco reſpondeat, adhibendus, ne ſenſus corrumpatur.

X. *Belli Parthici initium.*

Baron. num. VIII.

Ad num. IV. Lucius Verus Auguſtus hoc anno ad bellum Parthicum profectus, ut rectè Baronius. Noriſius in Epiſtola Conſulari pag. 165. aliique Viri eruditi profectionem hanc in annum ſequentem diſtulere, decepti, uti exiſtimo, Nummo hujus Imperatoris, qui extat apud Mediobarbum, in quo dicitur Lucius, TR. P. II. COS. II. PROFECTIO AUG. Viſitur Imperator eques jaculum per tranſverſum tenens; qui Nummus anno ſequenti, quo Tribunitiam Poteſtatem II Lucius iniit, cuſus. At animadvertere poterant, alia hujus Imperatoris Numiſmata apud Antiquos extare, in quibus legitur: TR. P. III. COS. II. PROFECTIO AUG. S. C. Sicut itaque ex his poſtremis Nummis deduci non poteſt, Lucium Verum anno CLXIII, quo is Tribunitiam Poteſtatem III ſuſcepit, in Orientem profectum eſſe; ita ex Nummis Tribunitia Poteſtate II notatis malè infertur, ſequenti anno Lucium Romà digreſſum, bellumque Parthicum cœptum eſſe. Illi itaque Nummi, non cùm ex urbe Romana, ſed cùm ex Antiochena, ubi Lucium in deliciis vixiſſe prodit Capitolinus in Marco cap. 8. aut ex aliis civitatibus diſceſſit, percuſſi. Certè alii Nummi ejuſdem Imperatoris ſuperſunt, in quibus, nulla Tribunitiæ Poteſtatis mentione facta, habetur: PROFECTIO AUG. vel, PROFECTIO AUG. COS. II. ut videre eſt apud Mediobarbum in Lucio Vero pag. 234. ubi tamen perperam eos cum anno Chriſti CLXII, quo bellum Parthicum inchoatum exiſtimat, conjungit. Quo ex errore alium enaſci neceſſe, ut nempe triumphus Parthicus ſeriùs quàm geſtus ſit, conſignetur.

XI. *Chriſtiani ad frumentationem non vocati.*

Baron. num. XI & ſeqq.

Ad num. V. Capitolinus in Marco cap. 7. de conjugio Lucillæ M. Aurelii filiæ cum Lucio Vero loquens ait: *Ob hanc conjunctionem pueros & puellas novorum hominum frumentariæ perceptioni adſcribi juſſit.* Baronius hæc verba de Chriſtianis palam ad frumentationem à Marco vocatis vult accipi. At nullus Veterum hoc dixit, quod neque Tertullianus, aliique prætermiſiſſent; cùm ille diverſis ſuorum ſcriptorum locis laboret, ut probet, optimum quemque priorum Principum cum Chriſtianis mitiùs egiſſe. Sed ne quidem *Abercii* Epiſcopi Hieropolitani Acta, quæ Baronius profert, quicquam continent, unde huic conjecturæ fides poſſit adſtrui. Ad hæc, Marcus non ſolùm à Chriſtianis alienus fuit, ſed etiam ſæpe in eos ſævìit, & quidem prioribus Imperii ſui annis, quibus Lucilla

Lucio Vero uxor data. Præterquam quòd *novos homines* appellari novæ religionis homines, Latinis auribus inſolens. Ita Caſaubonus in Notis ad Capitolinum, qui exiſtimat, Capitolinum de novis civibus intelligendum, qui recèns ex Lege Pii cives quidem facti, ſed erant deterioris conditionis quàm veterani cives. Quæ conjectura parum veroſimilis. Cur enim novos homines pro novis civibus diceret? Moris enim eſt, Latinos Scriptores *novos homines* appellare non alios, quàm qui ex humili loco ad ſumma evecti merito ſuo vel Principum favore natalibus ſuis nihil debent. Meliùs Salmaſius in Notis ad eundem locum, legendum putat: *Pueros & puellas novorum nominum frumentariæ perceptioni adſcribi præceperunt.* Primus Trajanus pueros & puellas alimentarias conſtituerat, quibus liberalitatis incrementum adjecit Hadrianus. Pius etiam in honorem Fauſtinæ novas puellas adſcribi fecit, quas *Fauſtinianas* appellavit. Nunc Marcus & Verus ob conjunctionem & participationem Imperii *novorum nominum* pueros & puellas adſcribi præcipiunt: cùm enim darent nomina ſua, qui adſcribendi erant huic frumentariæ perceptioni, pueri puellæque ideo *novorum nominum* dicuntur, quòd præter illos & illas, quarum nomina jam habebantur adſcripta, quaſque jam inſtituerant priores Imperatores; novi iſti, Marci & Veri juſſu adſcribebantur. Quòd ſi Chriſtianis Hieropolitanis Abercii civibus aliqua alimenta attributa, ut etiam in Græcorum Martyrologiis legitur, non ut in Chriſtianos ea liberalitas fuit collata; ſed quomodo ſoliti ſæpe boni Principes coloniarum, municipiorum, & aliarum urbium pauperibus alimenta inſtituere; cujus liberalitatis teſtes extant hodieque Lapides. Nec ſoli Principes; ſed & privati interdum genus hoc liberalitatis uſurparunt, ut teſtatur de ſe Plinius epiſt. 8. lib. 1. & 18. lib. 7. Quod Caſaubono eruditè obſervatum.

XII.
Obitus Aniceti PP.

Aniceto Papæ demortuo ſucceſſit *Soter*, de quo infrà.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5655. ☉ 3 D. ☽ 11. P. 19. APRIL. INDICT. 15.

JESU CHRISTI 162. *ſecundùm Baronium* 164.

SOTERIS PAPÆ 2.

MARCI AURELII, & LUCII VERI IMPP. 2.

I.
Conſules.

COSS. *L. Junius Ruſticus*, & *C. Vettius Aquilinus*, ut oſtendit Reineſius epiſtola 34.

Junius Ruſticus à Capitolino in Marco cap. 3. inter Marci Aurelii præceptores nominatur: *quem*, inquit, *reveritus eſt & ſectatus: qui domi militiæque pollebat, Stoicæ diſciplinæ peritiſſimus, cum quo omnia communicavit publica privataque conſilia; cui etiam ante Præfectos Prætorio ſemper oſculum dedit, quem & Conſulem iterum deſignavit; cui poſt obitum à Senatu ſtatuas poſtulavit.* Uterque Imperator Conſulatum de more capeſſere debebant; ſed illum in Junium Ruſticum transferre maluerunt, quia priorum annorum Conſulatus magis honorifici, ideoque in Imperatorum propinquos, vel perſonas illuſtriores & chariores, collati.

II.
Secunda S. Juſtini Apologia Marco, non Antonino oblata.

Ad num. IV. Papebrocius ad diem XIII menſis Aprilis, in Vita S. Juſtini Martyris exiſtimat, ſecundam hujus Sancti Apologiam pro Chriſtianis circa annum CLXX ſcriptam, quo tamen anno jam coronâ martyrii Juſtinus ornatus fuerat. In Chronico enim Alexandrino Pudente & Orphito Coſſ. anno nempe Chriſti CLXV, legitur: *Juſtinus Philoſophus noſtrarum partium, cùm alterum pro noſtra ſententia decretis volumen Marco Aurelio & Antonino Vero Auguſtis porrexiſſet, non longo pòſt tempore, cæleſti martyrii laurea, à Creſcente delatus, exornatur.* Præterea Euſebius in Hiſtoria lib. 4. cap. 16. tradit, eam Marco & Vero oblatam eſſe. Lucius autem Verus ipſo fine anni CLXIX demortuus.

Baron. num. XV & ſeqq.

Valeſius in Notis ad lib. 4. Euſebii cap. 17. contendit, Euſebium deceptum, & Apologeticum illum, non M. Aurelio, ſed Antonino Pio nuncupatum eſſe. Verùm quæ ad id probandum argumenta in medium adducit, rem minimè evincunt. Hæc prima ejus ratio. Initio Apologetici ait Juſtinus, mulierem illam Chriſtianam, cùm a Viro accuſata eſſet, dediſſe libellum Imperatori: *Et illa quidem libello tibi oblato*, inquit, *ſacratiſſime Imperator, poſtulavit*, &c. Si verò Marco & Lucio Apologeticus ille dicatus fuiſſet, ut vult Euſebius, Juſtinus in plurali numero locutus eſſet. Marcus enim & Verus ambo ſimul erant Auguſti. Hæc Valeſius. Verùm videre potuit Vir doctiſſimus in epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis ad Eccleſias Ponti ſcripta poſt Polycarpi martyrium, (quod Marco Aurelio, & Lucio Vero imperantibus contigit) etiam dum plures Imperium adminiſtrarent, in actis publicis ſæpe unius tantùm mentionem factam. Herodes enim Irenarcha, & pater ejus Nicetes dicebant Polycarpo: *Quidnam mali eſt dicere hæc verba, Domine Cæſar, & ſacrificare, atque ita incolumem evadere?* Ibidem narratur, Proconſulem ſemel & iterum his verbis Polycarpum urſiſſe: *Jura per genium Cæſaris.* Martyres Lugdunenſes, Marco Aurelio & Commodo filio cum patre regnante, martyrium paſſi: & tamen in epiſtola à Lugdunenſibus & Viennenſibus ad Chriſtianos Aſiæ & Phrygiæ ſcripta, quam refert Euſebius lib. 5. cap. 1. dicitur: *Reſcriptum fuerat à Cæſare*, (nempe Marco Aurelio) *ut confitentes quidem gladio caderentur: hi verò qui negarent, dimitterentur incolumes.* Pari eademque ratione, licèt plures Imperium Romanum gubernarent, pax tamen v. g. ab omnibus ſancita, in Nummis uni attribuitur, anno ſcilicet CLXVI, quo Orbis Romanus in pace fuit, quóve Marcus & Lucius Verus Imperatores erant, annoque CLXXVII, quo Marcus cum filio Commodo imperabat. In Nummo enim Lucii Veri apud Mediobarbum legitur: TR. P. VI. COS. II. PAX AUG. in Nummo verò Marci Aurelii Tribunitia Poteſtate XXXI notato habetur: PAX ÆTERNA AUG. cùm in utroque Numiſmate dicendum fuiſſet, *Pax Augg.* id eſt, *Pax Auguſtorum*, ſi Valeſii argumenti ratio aliqua habenda eſſet. Præterquam quòd Româ forſan aberat Lucius Verus, quando libellus ille porrectus.

porrectus. Quòd ſi Euſebius, & Auctor Chronici Alexandrini tradant, hanc ſecundam Apologiam Marco & Lucio Vero oblatam eſſe, aliud non intelligere videntur, quàm, iis imperantibus, eandem ſcriptam ac præſentatam. Imò Euſebius, qui lib. 4. cap. 16. prodit, eam Marco & Vero oblatam, cap. 18. nulla Veri mentione facta, ait, eam Marco nuncupatam eſſe.

III. *Marcus Aurelius dictus Antoninus Pius.*

Secunda Valeſii ratio. Scribit Juſtinus, Lucium quemdam, cùm Ptolomeum Chriſtianum ad ſupplicium duci videret, his verbis Judicem compellaſſe: οὐ πρέποντα εὐσεβεῖ αὐτοκράτορι, οὐδὲ φιλοσόφου καίσαρος παιδί. Id eſt, *Non hæc decent Imperatorem Pium, non Philoſophi Cæſaris filium.* Apud Euſebium in cap. 17. lib. 4. rectiùs legitur, οὐδὲ φιλοσόφῳ, id eſt, *neque Philoſophum*: quam lectionem manuſcripti Codices confirmant. Quis eſt igitur qui non videat, Antoninum Pium hîc deſignari? Nam & cognomentum ipſum εὐσεβεῖ id ſatis indicat: & quod ſequitur de Philoſopho Imperatoris filio, ſententiam noſtram manifeſtè confirmat. Dicet fortè aliquis, nomine *Imperatoris Pii* Marcum deſignari, quippe qui patris ſui cognomen aſſumſerit. Sed ſi hoc conceditur, quiſnam erit ille Philoſophus Cæſaris filius? Cur Lucium Verum Auguſtum hic omiſiſſet Juſtinus; cùm in priore Apologetico ejus mentionem faciat? An non luce clariùs apparet, Antoninum Pium hîc à Juſtino deſignari, cui Apologeticum ſuum inſcripſit? Ita Valeſius, qui non obſervaverat, Marcum Aurelium, paſſim Antoninum Pium nuncupatum, qui error illi cum multis Viris eruditiſſimis communis. Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis ad num. 2199. ubi de mirabili illa pluvia, quæ Marci Aurelii tempore contigit, loquens, ait, manifeſtò falſum Themiſtium, graviſſimum alioqui Scriptorem, qui hoc ſub Pio, non ſub Marco accidiſſe ſcripſerit, quale etiam judicium tulit Harduinus V. C. in Notis ad Orationem XV Themiſtii *de regia virtute ad Theodoſium Imp.* Verùm M. Aurelium modò tantùm Antoninum, modò Antoninum Pium, modò Marcum Antoninum nuncupatum ex Nummis apud Mediobarbum liquet. Et ut de Pii tantùm cognomine loquar, pag. 228. Nummi exhibentur, in quibus legitur: DIVUS M. ANTONINUS PIUS. in poſtica: CONSECRATIO. pag. 271. Severus qui ſeſe in M. Aurelii familiam inſeruerat, in multis Nummis dicitur DIVI M. PII F. id eſt, *Divi Marci Pii filius.* Sponius in Miſcellaneis eruditæ Antiq. pag. 269. refert Inſcriptionem Commodi Imperatoris, quæ Romæ extat in Thermis Antonianis, cujus initium,

DIVO COMMODO DIVI. PII. F
COH. VII. VIGIL. L. ANTONINUS
AURELIANUS
&c.

Quare non dubitandum, quin Themiſtius in citata oratione, ubi ait: *Cùm Antonini Romanorum Imperatoris, cui ab eadem illa pietate cognomen inditum fuit, ſiti laboraret exercitus*, &c. ac Juſtinus loco laudato, de M. Aurelio Antonino, non de Antonino Pio intelligendi ſint. Secunda verò pars loci Juſtini citati, non de Marco, ut perperam Valeſius, ſed de Lucio cum Marco imperante omnino exponenda, locuſque, non ut apud Juſtinum corruptè, ſed ut apud Euſebium habetur, legendus hoc modo: οὐ πρέποντα εὐσεβεῖ αὐτοκράτορι, οὐδὲ φιλοσόφῳ καίσαρος παιδὶ, οὐδὲ [τῇ] ἱερᾷ συγκλήτῳ κρίνεις, ὦ Οὔρβικε. id eſt: *Non hoc ſicut Imperatorem Pium, non ut Philoſophum Cæſaris filium decet, non ita ut ſacroſancto Senatui convenit, judicas, Urbici.* Articulus τῇ ab Euſebii editione abeſt, & in editione Juſtini perperam ſcribitur, φιλοσόφου, ut videre eſt loco à Valeſio citato, ac ſuprà deſcripto. Juſtinus igitur Marcum Aurelium, Lucium Verum, ac Senatum Romanum alloquitur, & tam in hoc, quàm in priori Apologetico, Philoſophiæ ac Pietatis nomina frequenter allegat, ut Imperatores Marcum Aurelium, *Pium* cognominatum, & Lucium ejus Collegam, quem in priori Apologia etiam Philoſophum vocat, quique Ælii Cæſaris filius erat, erga pietatem & Philoſophiam Chriſtianorum æquiores reddat ac propenſiores. Nec enim conveniebat, ut Marci & Senatûs Romani, non verò Lucii mentionem faceret. Porro Lucium Cæſaris filium, naturalem nempe, Cæſarem ſine addito vocatum fuiſſe patet ex Inſcriptione Ælii Cæſaris ejus patris, quam ſuo loco de hujus adoptione loquentes retulimus. Unde & in Vita Lucii à Capitolino ſcripta, modò legitur, *mortuoque patre Cæſare*: modò, *illatum ejus corpus eſt Hadriani ſepulchro, in quo & Cæſar pater ejus naturalis ſepultus eſt.* Ex hoc igitur loco, in quo Marci Aurelii, Lucii Veri, & Senatûs Romani, quibus omnibus Apologia illa dedicata, ſermo habetur, noſtra ſententia certa redditur, manifeſtumque fit, deceptum Valeſium, qui Pii nomine Antoninum, Philoſophi verò vocabulo M. Aurelium intelligendos arbitratur. Neque enim M. Aurelius *Cæſaris filius* ullibi appellatus, neque Juſtinus, qui in priori Apologia Antonini Pii, M. Aurelii, & Lucii meminit, hunc prætermiſiſſet, ſi ſecunda Apologia, uti prior, Antonino Pio dicata fuiſſet. Nec eſt quòd Valeſius in *Philoſophi* voce vim faciat; cùm Lucius, tam in priori Juſtini Apologia, quàm in Athenagoræ Legatione pro Chriſtianis, Lucium *Philoſophum* appellet, non eruditionis ejus ratione, ſed propter auſteriorem vivendi formam: ad quam duplicem Philoſophiæ notionem Valeſius animum non advertit.

IV. *S. Juſtinus ſub Marco occiſus.*

Tertia Valeſii ratio. *Urbicus* ille Præfectus cujus ibidem meminit Juſtinus, vixit ſub Antonino Pio. Is enim eſt Lollius Urbicus, qui Legatus Imperatoris Britannos compeſcuit, ut refert Capitolinus in Vita Antonini. Eum Præfectum Urbis fuiſſe imperante Pio, docet Apuleius in Apologia ſub initium. Nam cùm Apuleius eam orationem habuerit ſub Pio, ut ipſemet in ea teſtatur; Lollium quoque Urbicum Præfectum Urbi, à quo Æmilianum damnatum fuiſſe dicit, ſub eodem Pio fuiſſe dicendum eſt. De eodem Q. Lollio Urbico Præfecto Urbi vetus extat Inſcriptio apud Gruterum pag. XXXVIII. Cæterùm ex his, quæ dixi, colligi poteſt, Juſtinum ſub Antonino Pio, non autem ſub Marco feciſſe martyrium. Nullam enim aliam cauſam habuit Euſebius, cur Juſtini marty-

„ rium in tempora M. Aurelii conferret, niſi
„ quòd ſecundum Apologeticum Marco dedi-
„ cavit. Atqui certiſſimis argumentis oſtendi,
„ Apologeticum illum Pio nuncupatum fuiſſe:
„ ruit ergo funditus Euſebii ratio atque ſenten-
„ tia. Quid quod Euſebius ipſe in Chronico,
„ cumque ſecutus Georgius Syncellus, Juſtini
„ mart[y]rium à temporibus Antonini Pii vide-
„ tur adſcribere? Atque ita diſertè ponit Mi-
„ chaël Glycas in Annalibus. Hæc Valeſius.
At quid vetat, *Urbicum*, cujus ſententia in Ptolomeum & Lucium Chriſtianos lata, occaſionem dedit huic Juſtini Apologetico, Præfecturam Urbanam, Antonino Pio imperante, iterumque eandem dignitatem, Marco Imperium adminiſtrante, geſſiſſe? Denique ſi Juſtinus, Antonino Rempublicam Romanam gerente, paſſus eſſet, non dubium quin ſub eodem ſecundam Apologiam Juſtinus ſcripſiſſet. Sed cùm ex ejus martyrii Actis à Baronio laudatis conſtet, illum, Junio Ruſtico Præfecto Urbi exiſtente, morte affectum, eam Apologiam M. Aurelio, non verò Antonino Pio oblatam, certum indubitatumque eſſe debet. Ulpianus D. 49. L. 1. *De appellat.* laudat reſcriptum M. Aurelii & Lucii Veri *ad Junium Ruſticum Præfectum Urbi*, qui in vetuſtis Lapidibus Prætor Urbanus etiam dicitur. Plures à Grutero Inſcriptiones pag. 221. recitantur, in quibus legitur: Q. Jun. Rustici. Pr. Urb. & rurſus pag. 222. Neque dici poteſt, *Ruſticum*, de quo in Juſtini Actis, ſub Antonino Pio Præfectum Urbi fuiſſe; cùm, præterquam quòd id gratis aſſereretur, conſtet, per Marci Imperium, *Ruſticum* quemdam Præfecturam Urbis exercuiſſe, & ut hujus anni initio ex Capitolino diximus, omnia apud ipſum potuiſſe. Hic porro Q. Junius Ruſticus diverſus eſt à Junio Ruſtico hoc anno Conſule; cùm Junius Ruſticus non dicatur Præfectus Urbis à Capitolino loco laudato, ubi ejus dignitates enumerat. Neque verum eſt, Euſebium in Chronico, Juſtini martyrium ſub Antonino Pio conſignare, ut oſtendimus anno c xlviii num. v. Imò cùm Hiſtoria Eccleſiaſtica poſt libros Chronicorum ab Euſebio compoſita ſit, ſi is in iiſdem ſcripſiſſet, Juſtinum ſub Antonino Pio paſſum, cùm contrarium doceat in Hiſtoria, id ſequendum eſſet quod in ea ſcriptum, ut in ſimili obſervat Valeſius in Notis ad lib. 4. cap. 1. Quoad Michaëlem Glycam, is adverſus Euſebium, Hieronymum lib. de Script. Eccleſiaſt. ac Auctorem Chronici Alexandrini, qui Juſtinum ſecundam Apologiam M. Aurelio porrexiſſe tradunt, nullo modo audiendus.

V. *De effectu Apologiæ S. Juſtini.*

Quem effectum hæc Apologia habuerit, incertum. Valde tamen veroſimile, nullam Marcum tunc in Chriſtianorum favorem epiſtolam dediſſe. In Fragmento enim Apologiæ Melitonis ab Euſebio lib. 4. cap. 26. relato ipſemet Melito ait, avum & patrem Marci, Hadrianum nempe & Antoninum Pium, ſcripſiſſe, ne contra Chriſtianos tumultus concitarentur; de Marco verò hæc tantùm habet: *Te verò, quippe qui idem quod illi de nobis ſentias, imò etiam longè humaniùs atque ſapientiùs, tantò magis confidimus omnia eſſe facturum, quæ rogamus.* Scripta Melitonis Apologia anno c lxix, ut infrà oſtendam. Quòd ſi Marcus literas, uti Hadrianus & Antoninus, ad cohibendam perſecutionem dediſſet, id dicere non prætermiſiſſet Melito Sardienſis Epiſcopus. Ex cujus etiam verbis liquet, Epiſtolam *ad Commune Aſiæ* ſcriptam, & à Marco, ut ſuo loco monſtravi, emiſſam, fructum fuiſſe Apologiæ Melitonis; rectéque ab Auctore Chronici Alex. recitari præfato anno. In ea epiſtola Marcus inquit: *Sed & multi ad me de illis* (ſcilicet Chriſtianis) *retulerunt: quibus ego patris mei* (Antonini Pii) *Conſtitutionem* (quæ nunc non extat) *ſecutus reſpondi.* Illud reſponſum ad nos non pervenit. Sed non dubito, quin tam illud, quàm hæc Epiſtola à Melitone impetrata fuerint. Verum eſt, Euſebium lib. 4. cap. 16. recitatâ eâ epiſtolâ dicere: *Hæc quidem ita geſta eſſe Melito Eccleſiæ Sardienſis Epiſcopus, qui iiſdem temporibus floruit, perſpicuè teſtatur in Apologetico illo longè utiliſſimo, quem ad Imperatorem Verum pro Religione noſtra conſcripſit.* Ex quo ſequi videtur, hanc Epiſtolam, non à Marco, ſed ab Antonino datam; ſicque ante annum c lxix, quo Melito Apologiam ſuam emiſit. At cùm ex hujus Apologiæ Fragmento jam laudato deducatur, nullum in favorem Chriſtianorum edictum Marcum conceſſiſſe, antequam Melito illam eidem offerret, exiſtimandum, Epiſtolam *ad Commune Aſiæ* ſubjunctam poſtea fuiſſe libro Apologetico Melitonis, à quo obtenta fuerat, eamque Euſebium in fine ejuſdem Apologetici, in qua tamen nulla ejus mentio, legiſſe, & Antonino Pio per errorem attribuiſſe, ut ſupra diximus.

VI. *Concilia Gentilia ſeminaria perſecutionum.*

Ceterùm Valeſius in Notis Euſebianis in Epiſtolam *ad Commune Aſiæ* eruditè obſervavit, Commune Aſiæ aliter ſumi in inſcriptione Epiſtolæ, aliter in ipſa Epiſtola, ubi dicitur: *Propoſita Epheſi in publico Conventu Aſiæ.* Nam in inſcriptione uſurpatur pro Concilio, ſeu pro Legatis, qui ex tota Aſia Epheſum convenerant ad ſacra, Ludoſque, in honorem Imperatorum. In loco autem laudato ſumitur pro loco ipſo, in quem conveniebant. Poteſt etiam ſumi pro templo, quod Commune Aſiæ conſtruxerat in honorem Romæ, & Auguſti. Extat ſanè Nummus Claudii Imperatoris apud Triſtanum, in quo templum expreſſum eſt hoc titulo: Com. Asi. Rom. et Aug. Quod templum Epheſi fuiſſe autumat Valeſius, quò conveniebant omnes Aſiæ civitates, ad ſacra pro ſalute Imperatoris, & populi Romani celebranda: eratque publici juris totius Aſiæ, utpote communi ſumtu extructum. Ludi quoque eodem nomine dicebantur, κοινὸς Ἀσίας, vel in plurali, κοινά; quorum mentio in Inſcriptione Farneſiana, & in Marmoribus Arundelianis. Ceterùm habuiſſe Aſianos commune Concilium totius gentis, quò ſingulæ civitates Legatos, ſeu *Synedros* mittebant, teſtatur Ariſtides in 4. Orat. Sacr. ubi ait, hoc Concilium in ſuperiori Phrygia conveniſſe, id eſt, *Apameæ* vel *Synadis*, vel aliqua alia urbe. Neque enim, quod jam Viris doctis annotatum, eodem ſemper in loco Commune Aſiæ fuit. De Ludis à Communi Aſiæ *Ancyræ* celebratis, legenda epiſtola à Spanhemio V. C. ad Andream Morellium

ſcripta, quæ extat in *Specimine univerſæ rei nummariæ antiquæ* ab eodem Morellio V. C. compoſito, in qua plura de his ſimilibúſve Ludis & Conciliis diligenter explicantur. Erant & in aliis Provinciis Populi Romani hujuſmodi Concilia, ut v. g. Concilium Provinciæ Africæ, Concilium Byzacenorum, Concilium Tripolitanorum. In his non ſoli Curiales, ſed omnium Ordinum & Collegiorum homines conveniebant: & decreta condere ac Legatos eligere conſueverant, qui deſideria totius Provinciæ Imperatori renuntiarent, ut patet ex titulo Cod. Theod. *De Legatis & Decretis Legationum.* & *Imperatores* ad hæc Concilia ſæpe, ſi opus erat, reſcribebant. Sic Lex 2. Cod. Theod. *Quemadmodum munera civilia indicuntur.* directa eſt ad Concilium Provinciæ Africæ, & Lex 5. ejuſd. Cod. *De inofficioſo teſtamento.* ad Concilium Byzacenorum, ut obſervat Valeſius in Notis ad Ammianum lib. 8. cap. 6. Qua de re legendus etiam Gothofredus in Commentario Codicis Theod. Commune itaque Aſiæ ad M. Aurelium Imp. adverſus Chriſtianos ſcripſerat, ad quod is reſpondet, adverſus eos non eſſe tumultuandum, cùm *in jus vocati mortem oppetere videantur pro Deo ſuo.* Nam fuere hæc Concilia variarum perſecutionum adverſus Chriſtianos ſeminarium; cùm, ut alibi diximus, plebs quoties ad publica ſpectacula conveniebat, quidquid libitum eſſet, vel à Præſide, vel ab Imperatore, junctis vocibus poſtularet. Nec potuit perſecutio adverſus Chriſtianos M. Aurelio imperante non eſſe graviſſima ac diuturna; cùm Quinquennalia & id genus feſta, ideoque & varia ſpectacula, ſæpius fuerint exhibita.

VII. *Calumnia Majeſtatis.* Dodwellus in Diſſert. Cyprianica XI, quæ eſt *de Paucitate Martyrum*, loquens de ſecunda Juſtini Apologia ait, videri primùm hoc tempore excogitatam calumniam *Majeſtatis*, quòd ſcilicet *per genium Cæſaris* jurare nollent Chriſtiani, *nec ſtatuas ejus adorare*, ſed nec eum *Dominum ſaltem agnoſcere*, iiſque artibus legi Polycapum primùm tentatum in Epiſtola Smyrnenſium ad Philomelium apud Euſebium lib. 4. Hiſtoriæ. At eum morem jam in prima perſecutione à Nerone excitata inductum fuiſſe, elicio ex epiſtola Plinii 97. lib. 10. quæ eſt de cauſa Chriſtianorum; ibi enim Plinius ad Trajanum ſcribit: *Quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoque annos, & imaginem tuam & Deorum ſimulachra venerati ſunt: ii & Chriſto maledixerunt.* Trajanus enim nullum edictum ad perſequendos Chriſtianos emiſit; ſed quæ à Nerone, & Domitiano jam lata, vim obtinere voluit. Quare ſicut ſub Trajano ſervatum, ut in Quinquennalibus & id genus feſtis adverſus Chriſtianos quaſi Deorum contemtores ſæviretur, quemadmodum ſub Nerone & Domitiano factum fuerat; ita etiam ut per genium Cæſaris juraretur, ejuſque imagines adorarentur, præceptum. Certè in Nummis Neronis apud Mediobarbum, modò legitur GENIO AUG. modò, GENIO AUGUSTI, quod in Nummis ejus deceſſorum ab eodem Auctore productis non habetur. De juramento per genium Cæſaris variis in locis Annalium agitur, quod ante Antoninum à Chriſtianis poſtulatum non dubito.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5656. ☉ 4 C. ☽ 12. P. 11. APRIL. INDICT. 1.
JESU CHRISTI 163. *ſecundùm Baronium* 165.
SOTERIS PAPÆ 3.
M. AURELII ET L. VERI IMPP. 3.

COSS. *L. Papirius Aelianus*, & *Junius Paſtor.* I. *Conſules.*

Quinta Quinquennalia Imperii Cæſarei M. Aurelii, indeque perſecutio adverſus Chriſtianos aucta. Auctor enim Chronici Alexandrini ſub hujus anni Conſulibus ait: CXXXIII *anno poſt Chriſti in cælum profectionem maximis in Aſia in Chriſtianos motis tumultibus, multi pro Chriſto occubuere Martyres.* Tum Divi Polycarpi martyrio longè poſt hunc annum facto, enarrato addit: *Plurimi quoque Celtarum & Galatarum tunc ultimo ſupplicio pro Chriſto afflicti ſunt.* Hujus Chronici Auctor mortem Chriſti anno Eræ Chriſtianæ tricesimo conſignat. Quare annus CXXXIII poſt Chriſti mortem, anno currenti abſolvitur. Paulus Oroſius lib. 7. cap. 9. de M. Aurelio loquens ait: *In diebus Parthici belli perſecutiones Chriſtianorum quarta jam poſt Neronem vice, in Aſia & in Gallia graves præcepto ejus extiterunt, multique Sanctorum martyrio coronati ſunt.* Ubi tamen uterque variis annis geſta uno tenore recitat. II. *Quinta Quinquennalia M. Aurelii Cæſaris.*

III. *Martyrium S. Juſtini.* Ad num. I & II: Auctor Chronici Alexandrini ſancti *Juſtini* martyrium Orfito & Pudente Coſſ. id eſt, anno CLXV refert, cujus verba ſuperiori anno num. II retuli. Quare cùm nullus alius Auctor alium martyrii ejus annum exhibeat, illud ad annum CLXV revocandum. De ejus ſcriptis legendus Labbeus in Diſſert. de Scriptoribus Eccleſiaſt. ubi tamen varia habet, quæ ex dictis corrigenda ſunt. Baron. num. 1 & ſeqq.

IV. *Fabula Alexandrinorum de Papæ nomine.* Ad num. III. Alexandrini perſuaſum habuere, *Papæ* nomen Alexandriæ Epiſcopis primùm datum, & à populo Ægyptiaco uſurpatum; ac ab illis ad Romanos Pontifices devolutum, ut tradunt Georgius *Homaidius* & *Abulacrus Habbaſides* apud Ecchelenſem. Quare autem hic titulus Heraclæ potiſſimùm, ut ipſi ſupponunt, attributus fuerit, hanc hiſtoriam excogitarunt, populum nempe diſcrimen illud inter Ægypti Epiſcopos nuper ab *Heracla* inſtitutos, & Alexandrinorum Patriarcham animadvertiſſe, ut poſtea vulgarem Epiſcopum *Abba*, Patriarcham *Papam*, id eſt, avum, appellarent; quoniam ipſi Epiſcopi Patriarcham *Abbam* vocarent. Sed, ut obſervat Pearſonius in prima parte Vindiciarum Epiſtolarum S. Ignatii cap. ultimo, omnia hæc falſa futiliaque. Vox enim πάππα numquam *avum* ſignificavit, ſed *patrem*, ut pluribus ipſe demonſtrat, eratque hæc liberorum ab ipſa Linguæ Græcæ origine blanda appellatio patri data, & poſteriores Græci eandem appellationem etiam illis tribuerunt, quos quaſi patrum loco habemus, ut videre eſt apud Scholiaſten Homeri. Et juniores ſenioribus tanquam filii Baron. num. x.

parentibus titulum hunc dabant; & ubi ætati dignitas aliqua acceſſit, titulus venerationis habebatur, ut videre eſt apud Suidam. Sub hac venerationis nota *πάπας* à Græcis, *Papa* à Latinis primævæ Eccleſiæ temporibus attribuebatur Epiſcopis, quos ſpiritualium patrum loco habuerunt. Sed nulla hîc *avi*, nulla *patris patrum* notio. Quod ſecundò apparet ex eo quòd titulus ille eodem ævo, quo de Heracla uſurpatus eſt, aliis Epiſcopis, quàm Patriarchis communis erat. Clerus Romanus ad Clerum Carthaginenſem: *Didicimus ſeceſſiſſe benedictum Papam Cyprianum à Clementino Subdiacono.* Hieronymus in epiſtola ad Theophilum data Anaſtaſium Papam appellat, aliosque etiam eodem nomine indigitat. Ita reliqui ejuſdem ævi nomen *Papa* cuilibet Epiſcopo tribuebant. Denique uſitatum hunc titulum ante Dionyſium & Heraclam docet nos Tertullianus lib. de Pudicitia cap. 13. ubi de Epiſcopo Romano ait: *In eum hominis exitum, quantum potes miſericordiæ illecebris bonus paſtor, & benedictus Papa concionaris.* Cùm igitur vox *Papa* nunquam avum ſignificet, ſed omnibus Epiſcopis ſemper tributa fuerit, & primò quidem Epiſcopo Romano, quàm Alexandrino, inania ſunt omnia, quæ ab Alexandrinis conficta.

V. *Lucilla nubit L. Vero Imp.*

M. Aurelius Imperator *Lucillam* filiam ſuam Lucio Vero nupturam *medio belli tempore Brundiſium uſque deduxit*, ut narrat Capitolinus in Marco cap. 9. qui in Vero Imperatore ait: *Ad Euphratem impulſu Comitum ſuorum ſecundò profectus eſt. Epheſum etiam rediit, ut Lucillam uxorem, miſſam à patre Marco ſuſciperet.* Quod hoc anno contigiſſe, Numiſmata Lucii Veri apud Mediobarbum pag. 234. demonſtrant. In averſa parte unius legitur: Tr. P. III. Cos. II. Profectio Aug. S. C. Viſitur Imperator eques, tribus ſubſequentibus militibus, & uno præeunte, dexterâ haſtam, ſiniſtrâ clypeum gerente. In poſtica alterius habetur: Tr. P. III. Cos. II. Fort. red. Repræſentatur Fortuna ſedens, dexterâ temonem, ſiniſtrâ cornucopiæ tenens. Fortunæ enim Reduci ſacrificatum, cùm ad aliquam expeditionem Imperatores proficiſcebantur, aut longum aliquod iter ſuſcipiebant. In averſa parte alterius Nummi legitur: Felicitati Aug. Tr. P. III. Cos. II. S. C. Prætoria navis exhibetur. Quare mari iter illud factum. Ex anno, quo hæ nuptiæ celebratæ, belli Parthici chronologia non parum obſcura aliquam lucem accipit.

VI. *Celadionis Epiſc. Alex. obitus.* Baron. num. XV.

Ad num. V. Quia Præſulum Alexandrinorum frequens in poſterum mentio occurret, eorum ſeries chronologica, quantùm accuratiùs fieri poterit, deinceps ordinanda. Baronius *Celadionis* Epiſcopi Alexandrini mortem cum Euſebio in Chronico hoc anno recitat: & tamen Euſebius in Hiſtoria lib. 4. cap. 19. ſcribit: *Apud Alexandriam cùm Celadion per annos quatuordecim Eccleſiæ præfuiſſet, Agrippinus ſedem ejus obtinuit.* Quando verò Chronicon ab Hiſtoria diſſentit, parum de eo curandum; cùm Euſebius in ea priorem opinionem damnet.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5657. ☉ 5 B A. ☽ 13. P. 26. Mart. Indict. 2.
Jesu Christi 164. *ſecundùm Baronium 166.*
Soteris Papæ 4.
Marci Aurelii et L. Veri Impp. 4.

Coss. *M. Nonius Macrinus*, & *Celſus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari adverſus Onuphrium, qui C. Julium Macrinum proponit, quem Baronius ſecutus eſt. Sed Inſcriptio, ex qua id deducit Onuphrius, corrupta depravataque, ut doctè Noriſius laudatus. I. *Conſules.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5658. ☉ 6 G. ☽ 14. P. 15. April. Indict. 3.
Jesu Christi 165. *ſecundùm Baronium 167.* Olymp. 236.
Soteris Papæ 5.
Marci Aurelii et L. Veri Impp. 5.

I. *Conſules.*

Coss. *L. Arrius Pudens*, & *M. Gavius Orfitus*, ut ex Inſcriptione Gruteriana oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari.

II. *Vicennalia Imperii Proconſularis Marci.*

Vicennalia Imperii Proconſularis Marcus edidit.

III. *Obitus Pii PP.* Baron. num. 1 & ſeqq.

Ad num. II & III. Quoto *Pius* Papa anno ad cælum migrarit, prorſus incertum. Catalogus enim Damaſi per hæc tempora corruptus: in eo quippe deeſt Anicetus, & de Pio hæc leguntur: *Pius annis viginti, menſibus quatuor, diebus viginti uno. Fuit temporibus Antonini Pii, à Conſulatu Clari & Severi, uſque duobus Auguſtis.* Clari & Severi Conſulatus incidit in annum Chriſti centeſimum quadrageſimum ſextum: Conſulatus verò duorum Auguſtorum ad annum CLXI pertinet. Quare cùm Pii initium anno centeſimo quadrageſimo primo conſignaverimus, & Luitprandus in Catalogo Pontificum annos tantùm decem, menſes quatuor, dies tres eidem *Pio* aſſignet, mors ejus contigiſſe videtur anno centeſimo quinquageſimo primo. Neque enim plus decem annis, & aliquot menſibus ſedere potuit; cùm videatur non poſſe in dubium revocari, quin *Anicetus* Pii ſucceſſor Antonino imperante Pontificatum geſſerit.

IV. *Pii PP. Epiſtolæ.* Baron. num. III.

Pii circumferuntur duæ Decretales, quæ Viris doctis ſuppoſititiæ creduntur. Neque magis, inquit Labbeus, probantur duæ Epiſtolæ Pii Papæ ad *Juſtum* Viennenſem Epiſcopum, quas ex Archivio Viennenſi deſumtas Baronius Annalibus inſeruit.

V. *Quo anno S. Polycarpus Romam venerit.* Baron. num. VII.

Ad num. IV. Valeſius in Notis ad Euſebium lib. 5. cap. 24. ait, veroſimile non eſſe, *Polycarpum* hoc anno Romam veniſſe. Nam cùm annos natus ſex & octoginta martyrium fecerit, idque vel anno Chriſt CLXVII, vel anno CLXIX, ſi Baronii opinio vera eſſet, Polycarpus Romam veniſſet octogeſimo ſuæ

ætatis anno, quod nequaquam credibile. Rectiùs itaque Auctor Chronici Alexandrini, cujus tantùm Faſtos Baronius viderat, Tertullo, & Sacerdote Coſſ. anno ſc. Chriſti c l v i i i, ſcribit: *Polycarpus Smyrnæ Pontifex vir admiratione ſuſpiciendus, Apoſtolorum auditor, & ab ipſis Epiſcopus inſtitutus, adhuc ſuperſtes, Aniceto Pontifice Romam venit, ob controverſiam de tempore quo celebrandum eſſet Paſcha*, &c. Ex quo conſtat, *Anicetum* anno c l v i i i Eccleſiam Romanam gubernaſſe; quem tamen Baronius autumat, hoc tantùm anno Pio ſucceſſiſſe. Porro malè Baronius Hieronymum reprehendit, quòd Polycarpum ad Anicetum Pio imperante, Romam veniſſe ſcripſerit. Nam non tantùm Euſebius in Chronico id in literas retulit, ſed & in Hiſtoria lib. 4. cap. 23. eique adhærent Hieronymus, Marianus Scotus, Ado in Chronico, Suidas in Polycarpo, aliique, à quibus primus diſſenſit Baronius, ut obſervavit Halloixius in Notationibus ad Vitam S. Polycarpi cap. 10.

VI. *Interitus Peregrini Philoſophi.* *Peregrinus* Cynicus Philoſophus, cognomento *Proteus*, cùm Herculis mortem æmulari vellet, in conſpectu totius Græciæ ſe ſe in rogum immiſit Olympiade c c x x x v i, in Panegyri Olympiaca, cùm proxima antè Olympiade id ſe facturum pollicitus eſſet. *Lucianus* ejus mortem ac vitam peculiari libello deſcripſit, & Euſebius in Chronico juxta editionem Scaligeri id contigiſſe ſcribit anno Abrahami 2181. qui Kalendis Septembris anni c l x i v inchoatur, & quidem accuratè. Olympias enim citata menſe Julio præſentis anni acta. *Athenagoras* in ſuo Apologetico de ea re tanquam recenti loquitur, indeque liquet, librum illum anno ſequenti elucubratum, non verò anno c l x x v i i, ut exiſtimavit Baronius. Sed hac de re pluribus infrà.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5659. ☉ 7 F. ☽ 15. P. 7. April. Indict. 4.
Jesu Christi 166. *ſecundùm Baronium* 168.
Soteris Papæ 6.
Marci Aurelii, et L. Veri Impp. 6.

I. *Conſules.* Coss. *Servilius Pudens*, & *L. Fufidius Pollio*, ut oſtendit Noriſius in Epiſt. Conſulari ex Inſcriptione Gruteriana, in qua Pudens nullâ iterati Conſulatus notâ ſignatur, & quidem rectè. Nam Pudens proximi anni Conſul erat è familia *Arria*, hic verò gentis *Servilia*. Præterquam quòd Conſulatus continentes non niſi Principibus aut re aut deſtinatione conceſſi. Memoratur uterque Conſul in Inſcriptione recitata in Miſcell. eruditæ Antiquit. pag. 34. ubi prior dicitur Q. Servilius Pudens. Secundum Baronius perperam vocat *Sufidium* pro *Fufidio*.

II. *Marcus Quinquennalia Imperii Auguſtei dedit.* M. Aurelius Imperii Auguſtei Quinquennalia dedit, quod ex ejus Decennalibus anno c l x i celebratis neceſſariò deducitur.

III. *Triumphus anno quarto L. Veri ductus.* Ad num. I. Licèt vulgaris opinio Marci & Lucii triumphum hoc anno ductum credat, exiſtimo tamen illum ad annum præcedentem pertinere. Caſſiodorus enim ſub Orfiti & Pudentis Conſulatu anno antecedenti geſto, ſcribit: *His Coſſ. Lucius Cæſar de Parthis cum fratre Antonino triumphavit.* Caſſiodoro ſuffragatur Contractus in Chronico, ubi anno quinto utriuſque Imperatoris is triumphus recitatur. (Baron. num. II.) Nec diſſentit Euſebius in Chronico juxta editionem Scaligerianam, qui triumphum iſtum conſignat anno 2181. qui Kalendis Septembribus anni Chriſti c l x i v inchoatur. Ad hæc Capitolinus in Marco cap. 13. ait, Lucium Verum *poſt quinquennium* reverſum eſſe: in Vero autem Imperatore rem magis explicat; cap. enim 7. de Lucii Veri ad Parthicum bellum profectione loquens inquit: *Cùm interfecto Legato, cæſis legionibus, Syriis defectionem cogitantibus Oriens vaſtaretur, ille in Apulia venabatur; & apud Corinthum & Athenas inter ſymphonias & cantica navigabat: & per ſingulas maritimas civitates Aſiæ, Pamphyliæ, Ciliciæque clariores, voluptatibus immorabatur. Antiochiam poſteaquam venit, ipſe quidem ſe luxuriæ dedit, Duces autem confecerunt Parthicum bellum, Statius Priſcus, & Avidius Caſſius, & Martius Verus per quadriennium*, &c. *Egit autem per quadriennium Verus hiemem Laodiceæ, æſtatem apud Daphnen, reliquam partem Antiochiæ.* Capitolinus itaque hoc bellum per quadriennium, completum nempe, & per quinquennium, incompletum ſcilicet, duraſſe ſignificat. Quo pacto, anno Chriſti c l x i cœpit, annoque c l x v deſiit, primaque hiems Laodiceæ tranſacta à menſe Novembri anni c l x i deducenda. Si enim verno tempore, ut veroſimile eſt, itineri ſe commiſit, ſex aut ſeptem menſes ad varias illas regiones perluſtrandas, in iiſque aliquantulùm immorandum, ſuffecere. Turbat tamen Euſebius in Chronico ſecundùm editionem Pontacenam, qui ſecundo M. Aurelii & L. Veri anno ſcribit: *Lucio Cæſari Athenis ſacrificanti, ignis in cælo ab Oriente in Occidentem ferri viſus.* Quo etiam anno Caſſiodorus, Hermannus Contractus, & Marianus Scotus eandem rem recitant, & quidem iiſdem verbis; ita ut ab Euſebio accepiſſe non videatur dubitandum. Verùm, cùm in editione Scaligeriana prodigium illud cum primo utriuſque Imperatoris anno copuletur, nihil inde certi erui poteſt. His, adde M. Aurelium *media belli tempore filiam ſuam nupturam Brundiſium uſque* deduxiſſe, & ad L. Verum miſiſſe, ut prodit Capitolinus in Marco cap. 9. Cœptum autem bellum Parthicum anno centeſimo ſexageſimo primo, ut ſuo loco dixi. Quamobrem, anno c l x v finis illi impoſitus, triumphuſque actus, cùm anno c l x i i i L. Verus Lucillam uxorem duxerit, ut ſuprà me demonſtraſſe arbitror. Certè eo anno adhuc bellum duraſſe inde colligitur, quòd M. Aurelius tertiùm Imperator dictus eſt. Mediobarbus enim Nummos hujus Imperatoris exhibet, in quibus legitur: Tr. P. x i x. Imp. III. Cos. III. in aliis verò: Tr. P. x i x. Imp. II. Cos. III. S. C. Tribunitiam Poteſtatem x i x ſumſit M. Aurelius anno c l x v ante diem ſeptimum menſis Martii:

quare eo anno ob victorias Parthicas Imperatoris titulum multiplicavit, dictuſque Imperator III, quemadmodum & L. Verus, ut videre eſt in ejus Nummis; niſi forſan is titulus ad triumphum referendus ſit, ut mox videbitur.

IV.
Annus triũphi Parthici magis confirmatur.

Nec deſunt alia argumenta, quibus etiam præcedentia certiora redduntur. Capitolinus in Marco cap. 13. inquit: *Et cùm famis tempore populo inſinuaſſet de bello, fratre poſt quinquennium reverſo, in Senatu egit, ambos neceſſarios dicens bello Germanico Imperatores.* Hi famis tempore ſoliti erant ſummâ curâ procurare ex Ægypto, Africa, Sicilia frumenti utilitatem: quod anno CLXV ab Antonino factum conſtat. Mediobarbus M. Aurelii Nummum exhibet in poſtica inſcriptum, P. M. TR. P. XIX. IMP. III. COS. III. Repræſentatur figura muliebris ſtans, dextrâ ſpicas, ſiniſtrâ cornucopiæ, à dextris ad pedes congium frumentarium, à ſiniſtris prora navis. Anno igitur CLXV, quo Trib. Pot. XIX auſpicatur, frumentum nave advectum, & populo diſtributum. Unde non alio anno L. Verus Romam fame afflictam ex Oriente rediit, & triumphavit. Inſuper Capitolinus in Vero cap. 8. ait: *Habuit hanc reverentiam Marci Verus, ut nomina, quæ ſibi delata fuerant, cum fratre communicaret die triumphi, quem pariter celebrarunt.* Loquitur Capitolinus de *Parthici Maximi* titulo, qui in Nummis Marci à Mediobarbo recitatis, ei non attribuitur, niſi quando Tribunitiam Poteſtatem XIX anno CLXV cœptam jam capeſſiit; antea enim in Nummis *Armeniacus* tantùm nuncupatur; cùm contrà in Nummis L. Veri jam *Parthicus* appelletur quarto Imperii ſui anno. Triſtanus tomo 1. pag. 866. hunc Nummum producit: L. VERUS AUG. ARM. PARTH. MAX. in poſtica: TR. P. IIII. IMP. II. COS. II. Viſitur Imperator eques dextrâ elatâ cum jaculo captivum ſupplantans. M. Aurelius verò anno CLXV adhuc *Armeniacus* vocabatur, ut patet ex variis Nummis à Mediobarbo relatis, in quibus dicitur: M. AUREL. ANTONINUS AUG. ARMENIACUS: P. M. in averſa parte, TR. P. XIX. IMP. II. COS. III. S. C. In alio autem habetur: M. AUREL. ANTONINUS AUG. ARM. PARTH. MAX. in poſtica: P. M. TR. P. XIX. IMP. III. COS. III. Lucius igitur priùs Parthicus, quàm M. Aurelius appellatus; ſed hoc nomen Marco die triumphi communicatum, ideoque anno centeſimo ſexageſimo quinto, quo Tribunitiam Poteſtatem XIX Marcus iniit, uterque triumphavit. Mediobarbus in Numiſmatis L. Veri duo in medium affert, in quorum poſtica legitur: FORT. RED. TR. P. V. IMP. II. COS. II. S. C. Viſitur Fortunæ reducis ſedentis typus. In alio habetur: TR. P. V. IMP. III. COS. II. S. C. FORT. RED. cum eodem typo. Prius, in quo L. Verus dicitur tantùm IMP. II, quando ex Oriente digreſſus eſt, percuſſum: alterum, in quo IMP. III appellatur, poſtquam Romam rediit, cuſum; cùm Fortunæ reduci ſacrificia de more offerrentur, & cùm Imperatores profectionem inſtituebant, & quando in urbem redierant. Nulla verò Numiſmata cum Fortuna reduce expreſſa, & ſexto Imperii ejus anno, ſeu Tribunitia Poteſtate ſexta notata producit Mediobarbus in L. Vero, ideoque reditus ejus ex Oriente malè huc uſque in annum ſextum ejus Imperii dilatus. Porro cùm in Nummis laudatis, in quibus Fortuna redux repræſentatur, L. Verus in uno dicatur Imp. II, in altero Imp. III; magna mihi ſuſpicio, titulum Imperatoris III potiùs ob triumphum, quàm ob bellum communicatum eſſe.

V.
Solvuntur fundamenta contraria ſententiæ.

Nec refert, quòd Capitolinus in Marco cap. 12. dicat: *Petiit Lucius, ut ſecum Marcus triumpharet. Petiit præterea Lucius, ut filii Marci Cæſares appellarentur. Sed Marcus tanta fuit moderatione, ut cùm ſimul triumphaſſet, tamen poſt mortem Lucii tantùm Germanicum ſe vocaret, quod ſibi bello proprio pepererat. In triumpho autem liberos Marci utriuſque ſexûs ſecum vexerunt, ita tamen ut & puellas virgines veherent.* Lampridius autem in Commodo, Marci Antonini filio, ait: *Nominatus inter Cæſares quarto Iduum Octobrium, Pudente & Pollione Coſſ.* Jam cap. 1. Lampridius ſcripſerat: *Appellatus eſt autem Cæſar cum fratre ſuo Severo.* Ubi loco *Severo* legendum, *Sex. Vero*, ut ex Galeno lib. de Præcognit. cap. 10. liquet. Cùm itaque Commodus & Verus Marci Aurelii filii currenti anno Cæſares nuncupati fuerint, præſenti etiam anno triumphus ille actus. Verùm malè id ex laudatis Capitolini verbis infertur; cùm Capitolinus ſcribat quidem id triumphi tempore à Lucio petitum, ſed non dicat id tunc executioni fuiſſe mandatum. Marcus Aurelius, ut id obiter dicam, poſtquam imperavit, tres filios genuit, *Commodum* nempe atque *Antoninum* gemellos, patre, patruoque Conſulibus natos, ut tradit Lampridius citatus cap. 1. & Verum ſeptimo ætatis anno demortuum, ut infrà videbitur. Herodianus quidem lib. 1. cap. 2. duos tantùm filios Marco Aurelio attribuit, Commodum ſc. & *Veriſſimum*, ut ipſe appellat, quia *Antonini* quadrimi elati, ut teſtatur Lampridius citatus, nullam mentionem facit. In eo tamen errat, quòd ſecundum *Veriſſimum* vocet. Mediobarbus enim in Commodo Imperatore varios Nummos exhibet, in quibus ille Verus vocatur, & in uno Annius Verus: COMMODUS CAES. ANTONINI AUG. F. Viſitur caput Commodi pueri. In poſtica, ANNIUS VERUS CÆS. ANTONINI AUG. F. Cernitur caput Veri puéruli, adeo ut vocatus fuerit *Sex. Annius Verus.* Neque quis dicat ſecundò, tam M. Aurelium, quàm L. Verum anno Chriſti CLXVI Imperatores IIII appellatos fuiſſe, ut patet ex Nummis apud Mediobarbum, in quibus Marcus dicitur TR. P. XX. IMP. IIII. COS. III. S. C. Lucius verò, TR. P. VI. IMP. IIII. COS. II. ideoque & bellum Parthicum anno ſexto M. Aurelii & L. Veri nondum profligatum fuiſſe. Nam titulus ille utrique Imperatori ob aliud bellum à Ducibus confectum attributus videtur. Capitolinus in Marco cap. 21. ait: *Cùm Mauri Hiſpanias propè omnes vaſtarent, res per Legatos bene geſtæ ſunt. Et cùm per Ægyptum Bucolici milites gravia multa feciſſent, per Avidium*

Caſſium retuſi ſunt. Bellum Bucolicum anno C L X V I I I geſtum, ut infrà dicetur. Quare Mauritanicum hoc anno factum, & ob illud uterque Auguſtus IMP. IIII appellatus. Mihi itaque certa ſtat ſententia, L. Verum anno C L X I, non verò inſequenti in Orientem profectum eſſe; ſed quoad annum quo triumphus ductus, non ita mihi de eo certum. Quæ tamen ad hanc rem attuli argumenta, multùm urgent.

VI. *Pax in Imperio Romano viget.* Poſt bellum Mauritanicum pax in univerſo Orbe Romano fuit. Verum quidem eſt quod ſcribit Capitolinus in Marco cap. 13. *Dum Parthicum bellum geritur, natum eſt Marcomannicum, quod diu eorum, qui aderant, arte ſuſpenſum eſt, ut finito jam Orientali bello, Marcomannicum agi poſſet*: ſed peſtem Marcomannicam expeditionem retardaſſe infrà viſuri ſumus. Hujus pacis mentio tam in Nummis M. Aurelii, quàm in Nummis L. Veri. Mediobarbus hunc Marci Nummum exhibet: M. ANTONINUS AUG. ARM. PARTH. MAX. in poſtica: TR. P. XX. IMP. IIII. COS. III. PAX. Cernitur figura dextrâ ramum, ſiniſtrâ cornucopiæ tenens. Marcus currenti anno Tribunitiam Poteſtatem XX ſuſcepit, ideoque & pax eodem anno ſancita. Idem Mediobarbus duos L. Veri Nummos habet in poſtica inſcriptos: TR. P. VI. IMP. IIII. COS. II. PAX. Producit & tertium, in quo legitur: TR. P. VI. COS. II. PAX AUG. Viſitur Pax dextrâ ramum oleæ tenens. Ita ut certum ſit, pacem hoc anno viguiſſe. Et tamen Mediobarbus, qui illos Nummos recitat, eodem anno Chriſti, nempe C L X V I, ait: *L. Verus ad Euphratem iterum proficiſcitur, ubi res contra Barbaros proſperè geſtæ: hinc Imp. IV.* Tum anno C L X V I I ſcribit: *L. Verus poſt quinquennium Romam reverſus cum M. Aurelio de Parthis triumphat.* Quæ omnia à vero abhorrent, ut conſtat ex conjugio L. Veri & Lucillæ anno C L X I I I, ut oſtendimus, inito, & quidem *medio belli tempore*, quemadmodum habet Capitolinus in Marco cap. 9. quod per quadriennium tantùm geſtum eſt, ut docet idem Capitolinus in Vero cap. 7. Verum eſt, Capitolinum ſcribere, L. Verum *poſt quinquennium* Romam reverſum; ſed quinquennium illud utrimque incompletum fuit; certumque, præſenti anno, ſaltem majori ejus parte, omnia in Imperio tranquilla fuiſſe. Deinde ſecunda Lucii ad Euphratem profectio eodem anno, quo conjugium illud, contigit, ut ex dictis, cùm de eo loqueremur, colligere eſt.
Baron. an. 179. num. XI. Spondan. ibid. num. III. Ex his corrigendum quod ſcribit Baronius ad annum X V I I M. Aurelii, ſc. uſque ad eum annum nunquam ceſſatum eſſe à bello. Hoc enim & inſequenti anno arma quieverunt.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5660. ☉8 E. ☽16. P. 23. MART. INDICT. 5.
JESU CHRISTI 167. *ſecundùm Baronium* 169. Anno Urbis 920.
SOTERIS PAPÆ 7.
MARCI AURELII, ET L. VERI IMPP. 7.

I. *Conſules.* COSS. *L. Aurelius Verus Aug. III, & Quadratus.*

II. *Quinquennalia L. Veri.* Lucii Veri Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam, ob Quinquennalia nempe anno uno dilata, quorum ſolennium multa ſuperſunt veſtigia. Mediobarbus hujus Imperatoris Nummum producit in poſtica inſcriptum: TR. P. VII. IMP. IIII. COS. III. Cernitur Victoria ſtans ad arborem, in qua clypeus, in quo VIC. PAR. id eſt, *Victoria Parthica.* Quia ſc. annis hujuſmodi feſtivitatibus addictis, præcedentium victoriarum memoria renovata. Ibidem in poſtica alterius Nummi: CONG. AUG. IIII. TR. P. VII. IMP. IIII. COS. III. S. C. Repræſentantur duo Impp. in ſubſtructione cum Dea Liberalitate Congiarium diſtribuente figuræ ſcalam aſcendenti. Congiarium autem in Quinquennalibus ſimilibúſve feſtis populo diſtribui ſolitum. Denique in averſa parte Nummi M. Aurelii legitur: TR. P. XXI. IMP. IIII. Viſuntur duo Imperatores in quadriga, quam præcedit triumphalis pompa. Mediobarbus ait, Nummum ad triumphum de Armenis & Parthis hoc anno actum, referendum eſſe. Sed ſine dubio fallitur, cùm jam anno ſuperiori pax ſancita fuerit, ideoque & triumphus ductus. Ad refricandum itaque utriuſque Imperatoris triumphi memoriam Numiſma illud percuſſum.

III. *Perſecutio Chriſtianorum.* Ad num. II. Euſebius in Chronico quartam perſecutionem Chriſtianorum hoc anno conſignat, cujus etiam meminit Idacius in Faſtis ſub hujus anni Conſulibus. Ex quo aliud Quinquennalium L. Veri habemus indicium; perſecutiones enim in Decennalibus & id genus feſtis de more excitatæ. Baron. num. I.

IV. *M[artyrium] Polycarpi.* Ad num. III. Valeſius in Notis ad lib. 4. Euſebii exiſtimat cum hoc Scriptore, S. Polycarpi martyrium hoc anno contigiſſe, eumque die XXIII Februarii, quo colitur in Martyrologiis Latinis, & in Menæis Græcis, paſſum eſſe: Baron. num. II. & ſeqq. præferenda tamen Uſſerii ſententia in Diſſert. de Macedonum & Aſianorum anno ſolari cap. 3 quam probat ex ipſis martyrii Polycarpi Actis, quæ extant apud Euſebium lib. 4. cap. 15. ubi dicitur Polycarpus, poſtquam captus, deductus in civitatem, *die magni Sabbati*, cujus etiam diei in Actis S. *Pionii* Martyris mentio, quod de Sabbato Paſcha proximè antecedenti intelligendum. Neque enim Chriſtiani aliud umquam Sabbatum ita appellarunt, quàm illud quod Paſchalem ſolennitatem antecedebat. Porro anno Chriſti C L X I X terminus Paſchalis juxta Alexandrinos fuit Martii die X X I X; Calippicus verò die Martii X X X, vel X X X I. Sabbatum, quod Lunam hanc X I V anteceſſit, in

Martii diem XXVI incurrit, ſeu in diem VII Kalendas Apriles; quo die paſſum eſſe Polycarpum docet Auctor Chronici Alexandrini, qui Æliano & Paſtore Coſſ. anno ſc. Chriſti CLXIII, ait: *Quos inter* (nempe Martyres) *Smyrnæ Pontifex Polycarpus Joannis Apoſtoli diſcipulus, à quo creatus erat Epiſcopus, captus ab Herode Irenarcho Nicetæ filio, Tatio Quadrato Proconſule VII Kal. Aprilis in profeſto Paſchæ ipſo Sabbato horâ VIII in medium adductus, vivus igne concrematus eſt, cùm ageret annum VII ſupra octogeſimum.* Diem itaque martyrii S. Polycarpi nobis conſervavit Auctor Chronici Alexandrini, licèt in anno, quo paſſus eſt, erraverit. Obſervat autem Uſſerius Smyrnæos à die XXV menſis Martii menſem Xanthicum exorſos eſſe.

V. *Annus hujus martyrii obſcurus.* Valeſius, temporariâ notâ, quæ magno Sabbato exprimitur, neglectâ, ſeu potiùs contemtâ, ait, cùm Smyrnæi paulò ante Pionii martyrium Principatu Decii Imperatoris, id eſt, octoginta circiter annis à paſſione Polycarpi, hujus Sanct. Natalem VI Kalendas Martii celebrarint, ut ex eorum epiſtola, quam recitat, liquet, dubitandum non eſſe de die martyrii hujus. At infirma hæc ratio; Sanctos enim aliis poſtea diebus, quàm quibus paſſi ſunt, cultos fuiſſe, innumera exempla demonſtrant. Deinde ex Ariſtide lib. 4. Orationum ſacrar. conatur oſtendere, Polycarpum præſenti anno martyrium ſubiiſſe. Ariſtides enim, inquit, indicare videtur, *Statium Quadratum*, non verò *Tatium*, (ut perperam legitur in Chronico Alex.) præſenti anno Proconſulatum Aſiæ geſſiſſe, cùm dicit, paulò poſt peſtem illam, quæ in Aſia graſſata eſt, Severum Proconſulem fuiſſe. Euſebius in Chronico eam peſtem confert in annum VIII M. Aurelii: proinde *Severus* anno hujus Imperatoris IX Proconſul Aſiæ fuit. Ante Severum proximo anno Proconſul fuerat *Pollio*, ut ibidem teſtatur Ariſtides. Proximè verò ante Pollionem Proconſul Aſiæ fuerat *Quadratus*. Sic enim Ariſtides in eadem Oratione, ubi poſtquam ea retulit, quæ Pollione Proconſule ſibi acciderant: *Age*, inquit, *quaſi per ſcalam progredientes, id quod ante hæc contigit, memoremus. Cùm Sophiſta ille, cujus paulò antè memini, Proconſul eſſet*, &c. Hic Sophiſta ſine dubio *Quadratus* eſt, cujus mentionem antea fecit Ariſtides in eadem Orat. 4. ubi etiam eum Rhetorem appellat. Sic *Quadratus* Proconſul Aſiæ fuit anno VII Imperatoris Marci, præſenti nempe, quo ſub Quadrato Polycarpus paſſus eſt. Ita Valeſius. Sed incertum, an Ariſtides loquatur de priori peſte, quæ anno VII M. Aurelii contigit, an verò de alia peſte, quæ anno CLXXI graſſata eſt, de qua Euſebius in Chronico mentionem facit. Quòd ſi de poſteriori ſermonem habeat, ut veroſimile eſt, Ariſtides noſtræ ſententiæ manifeſte favet. Quare ex hoc Auctore nihil certi deduci poteſt.

VI. *Lues.* *Lues multas Provincias occupavit, Româ ex parte vexatâ*, ut ait Euſebius in Chronico, de qua Baronius anno ſequenti.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5661. ☉9 D C. ☽17. P. 11. APRIL. INDICT. 6.

JESU CHRISTI 168. *ſecundùm Baronium* 170.

SOTERIS PAPÆ 8.

MARCI AURELII, ET L. VERI IMPP. 8.

I. *Conſules.* COSS. *L. Vettius Paulus*, & *T. Junius Montanus*, ex Inſcriptione Onuphriana.

II. *Tricennalia Imperii Cæſarei Marci.* Imperii Cæſarei Marci Tricennalia in hunc annum incidunt.

III. *Lues bis ſæviit.* Ad num. I. Eutropius lib. 8. de M. Aurelio loquens ait: *Sub hoc tantus caſus peſtilentiæ fuit, ut poſt victoriam Perſicam Romæ ac per Italiam Provinciaſque maxima hominum pars, militum omnes ferè copiæ languore defecerint.* Lues hæc cum Euſebio in Chronico juxta editionem Scaligeri, & Hermanno Contracto in Chronico ad annum ſeptimum Marci referenda. Ad hæc, Capitolinus in Marco cap. 21. loquens de morte Veri Cæſaris, & profectione Marci Aurelii in Germaniam, quæ duo anno CLXX contigere, ait: *Inſtante ſanè adhuc peſtilentia, & Deorum cultum diligentiſſimè reſtituit, & ſervos, quemadmodum bello Punico factum fuerat, ad militiam paravit, quos Voluntarios exemplo Volonum appellavit.* Ea peſte exercitus devaſtatus. Duæ itaque peſtes diſtinguendæ, ſeu veriùs eadem diverſis temporibus ſæviit, præſenti ſc. anno, & anno CLXXI, ut videre eſt in Chronico Euſebii. Baron. num. 1.

IV. *Bellum à Romanis geſtum.* Euſebius in Chronico ait: *Romani contra Germanos, Marcomannos, Quados, Sarmatas & Dacos dimicant*, quod partim hoc anno, partim ſequenti actum. Marcus enim & L. Verus, qui hactenus Imperatores IIII vocabantur, currenti anno, quo Verus Tribunitiam Poteſtatem VIII, & Marcus Tribunitiam Poteſtatem XXII ſuſcepere, uterque Imperator V nuncupatus, ut ex eorum Nummis liquet. Niſi quis velit hunc eiſdem titulum attributum ob Bucolicos in Ægypto ab Avidio Caſſio devictos, quòd Capitolinus in Marco cap. 21. ubi de hac victoria locutus eſt, ſtatim de morte Veri Cæſaris, & de profectione utriuſque Imperatoris in Germaniam ſermonem habeat.

V. *Hermogenes Hæreticus.* Ad num. IV. Hermogenem Hæreticum in Africa docuiſſe, ſine teſte a Baronio affirmatum. Ex eo enim quòd Tertullianus Africanus adverſus illum ſcripſerit, non magis deducitur, cum in Africa vixiſſe, quàm deduceretur, cum Syrum eſſe, eò quòd Theophilus Antiochenus in illum ſcripſit, ut ait Valeſius in Notis ad lib. 4. Euſebii cap. 24. Baron. num. XI.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5662. ☉ 10 B. ☽ 18. P. 3. APRIL. INDICT. 7.

Olym. 237. JESU CHRISTI 169. *ſecundùm Baronium* 171.

SOTERIS PAPÆ 9.

M. AURELII, ET L. VERI IMPP. 9.

I. *Conſules.* COSS. *Q. Soſius Priſcus*, & *P. Cælius Apollinaris*, ut oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari ex Inſcriptione, quæ apud Gruterum pag. CCC legitur, in qua C Licinius Licinianus dicitur cooptatus: Q. SOSIO. PRISCO. P. CÆLIO. APOLLINARE. COS. P. R. C. A. DCCCC XXII, qui annus Urbis hoc anno inchoatur, ideoque & Faſtorum ordo rectè digeſtus.

II. *Quinta Quinquennalia Imperii Proc. M. Aurelii.* M. Aurelium Proconſularis Imperii quinta Quinquennalia dediſſe, ex ſeptimis ejus Quinquennalibus infertur; hæc enim anno CLXXVII peracta. Iſtorum ſolennium occaſione Congiarium, ut moris erat, à Marco Aurelio datum. Mediobarbus enim Nummum exhibet inſcriptum: ANTONINUS AUG. TR. P. XXIII. in poſtica: LIBERALITAS AUG. V. COS. III. Cernitur figura ſtolata ſtans, dextrâ congium, ſiniſtrâ cornucopiæ tenens.

III. *Uterque Imperator Aquileiam contendit.* Ad num. I. Capitolinus in Marco cap. 14. ait: *Profecti itaque ſunt paludati ambo Imperatores, Victovalis & Marcomannis cuncta turbantibus .... nec parum profuit iſta profectio, cùm Aquileiam uſque veniſſent. Nam plerique Reges & cum populis ſuis ſe retraxerunt, & tumultûs Auctores interemerunt.* (Baron. num. 1.) *Quadi autem amiſſo Rege ſuo, non priùs ſe confirmaturos eum, qui erat creatus, dicebant, quàm id noſtris placuiſſet Imperatoribus ..... Denique tranſcenſis Alpibus, longiùs proceſſerunt, compoſueruntque omnia, quæ ad munimen Italiæ atque Illyrici pertinebant.* Quæ omnia præſenti anno contigiſſe Baronius arbitratus eſt; cùm tamen partim ad præcedentem, partim ad præſentem pertineant. Currenti anno uterque Imperator paludatus Aquileiam venerunt, ubi quæ ad bellum neceſſaria appararunt, ut teſtatur Galenus, qui tum vivebat, & Domus Auguſtæ Medicus erat, lib. de Præcognit. cap. 9. *Quare*, inquit, *cùm jam ex Urbe in hoſtes moviſſent, ac dum Aquileiæ hibernarent, exercitum colligere & inſtruere decreviſſent, nuntios ad me miſerunt, quibus ut ad ſe venirent, jubebant.* Ubi de præſentis anni hieme Galenus loquitur, ut mox monſtrabimus. Mediobarbus M. Aurelii Nummum exhibet, in cujus poſtica legitur: FORT. RED. TR. POT. XXII. IMP. V. COS. III. Viſitur figura ſedens, dextrâ gubernaculum, ſiniſtrâ cornucopiæ tenens. Producit & iſtum L. Veri, in quo eadem figura cernitur, & hæc verba leguntur: TR. P. VIII. IMP. V. COS. III. FORT. RED. id eſt, *Fortunâ reduce.* Quare cùm uterque Nummus cuſus fuerit anno ſuperiori, quo L. Verus Tribunitiam Poteſt. VIII, & Marcus XXII inierunt, nullus dubito, quin & eodem anno uterque Imperator Romam reliquerit, & Aquileiam venerit. Aquileiæ non parvo tempore commorati ſunt. Scribit enim Galenus de Libris propriis cap. 2. *Verùm brevi poſt tempore ex Aquileia mihi literæ ab Imperatoribus miſſæ perferuntur, quibus illi me revocabant: ſtatuerant enim ex hibernis expeditionem contra Germanos facere ....: Ceterùm ego Aquileiam cùm perveniſſem, peſtis, quantùm antea nunquam, graſſari cœpit. Unde Imperatores ſtatim Romam cum paucis militibus fugere coacti .... In itinere autem è vivis cùm exceſſiſſet Lucius, Romam deportatus ab Antonino, funeratuſque eſt.* Quæ omnia præſenti anno adſcribenda. Extat M. Aurelii Nummus apud Mediobarbum, in quo habetur: M. ANTONINUS AUG. TR. P. XXIII. in poſtica, SALUS AUG. COS. III. S. C. Cernitur Salutis typus. Qui Nummus cum currenti anno, quo Marcus Tribunitiam Poteſt. XXIII ſuſcepit, percuſſus fuerit, confirmat quod ſcribit Galenus, indicatque, hoc anno peſtem graſſatam eſſe; at non Romæ; cùm ad eam urbem M. Aurelius & L. Verus non fugiſſent, ſi peſte afflicta fuiſſet. Præterea Lucio demortuo, Marcus ejus corpus non detuliſſet, neque denique in Germaniam proficiſcens Commodum filium Romæ reliquiſſet, ſi in ea peſtis arſiſſet. Teſtatur quippe Galenus libro de Libris propriis, M. Aurelium Româ ad bellum Germanicum ſe conferentem, quod anno CLXX contigit, filium Commodum ibidem reliquiſſe; unde anno CLXXV illum ad limitem Germaniæ vocaſſe eo anno videbimus.

IV. *Uterque Imperator in Pannones movet.* Imperatores, poſtquam Barbaris pacem petentibus conceſſiſſent, *tranſcenſis Alpibus longiùs proceſſerunt, compoſueruntque omnia quæ ad munimen Italiæ atque Illyrici pertinebant.* Addit Capitolinus in Vita Veri Imperatoris cap. 9. *Compoſito autem bello in Pannonia, urgente Lucio, Aquileiam rediret,* (nempe Marcus) *in Urbem deſtinatus eſt: ſed non longè ab Altino, ſubitò in vehiculo, morbo, quem apoplexim vocant, correptus Lucius, apud Altinum perit.* Ex quibus verbis colligitur, novam hoc anno ab Imperatoribus in Pannoniam profectionem inſtitutam eſſe, in Numiſmatis diſertè expreſſam. Extat enim in Gaza Regia Nummus æreus majoris formæ inſcriptus: M. ANTONINUS AUG. TR. P. XXIII. Cernitur caput M. Aurelii laureatum. In poſtica, PROFECTIO. AUG. COS. III. Repræſentatur Imperator equo inſidens habitu militari, tenens dextrâ lanceam, miles ante eum graditur, & tres alii eum ſubſequuntur. Cùm itaque præſenti anno M. Antoninus Tribunitiam Pot. XXIII capeſſierit, Pannonica expeditio hoc etiam anno ſuſcepta; ob quam uterque Auguſtus Imperator VI appellatus, ſaltem M. Aurelius, cujus hic apud Mediobarbum Nummus hoc anno percuſſus extat: M. ANTONINUS AUG. TR. P. XXIII. In poſtica, VIC. GER. S. C. in clypeo trunco arboris impoſito, quem Victoria tenet. In poſtica alterius, IMP. VI. COS. III. S.C. Dio lib. 71. Lucii morte breviter memorata, ait, Marcum præfeciſſe Caſſium toti Aſiæ, & eodem tempore Germanos, qui trans Iſtrum incolunt, veniſſe uſque in Italiam, attuliſſeque Romanis maxima ac graviſſima incommoda, quibus Marcus occurrit, Pompeiano

atque Pertinace, Legatis exercitûs factis. Addit: Germanis ſuperatis *Germanicus appellatus eſt*, hoc nempe anno, ut elicio ex hoc Nummo apud Mediobarbum: M. ANTONINUS AUG. TR. P. XXIII. in poſtica, GERMANICO AUG. IMP. VI. COS. III. S. C. Duo captivi ad trophæum, alter ſtans, alter ſedens repræſentantur. Quamobrem jam hoc anno M. Aurelius *Germanicus* nuncupatus. Ex Pannonia Aquileiam rediere, quò eos Galenus convenit, ut ex ejus verbis num. præcedenti citatis liquet.

V. *Obitus Lucii Imp.* Galenus lib. de Præcognit. cap. 10. ait: *Ceterùm Lucio media hieme ad ſuperos concedente, ut cadaver Romam retulit, & quæ conſueta ſunt, fieri peregit, iter in Germanos ſuſcepit.* Mortuus itaque hoc anno L. Verus, ut rectè Baronius vidit, & quidem Decembri exeunte. Hiſtorici enim Græci hiemem à die undecima menſis Novembris incipiunt. Quare errarunt Capitolinus in Vita Marci, Victor in Epitome, Caſſiodorus, & Eutropius, qui annos undecim L. Vero aſſignant: annos enim tantùm novem imperavit, ut ſcribit Auctor Chronici Alex. & liquet ex Nummis, qui ultra Tribunitiam Pot. IX non progrediuntur.

Baron. num. I & II.

VI. *Initium belli Marcomannici.* Ad num. II. Bellum Marcomannicum, non hoc anno, ſed ſequenti inchoatum. Nam M. Aurelius non tantùm corpus L. Veri Romam retulit, ibique eum apotheoſi donavit; ſed etiam aliquo tempore in Urbe manſit. Tradit enim Capitolinus in Marco cap. 21. *Sub ipſis profectionis diebus in ſeceſſu Prænestino agens, filium nomine Verum Cæſarem, exſecto ſub aure tubere, ſeptennem amiſit, quem non plus quinque diebus luxit. Et quia Ludi Jovis optimi maximi erant, interpellari eos publico luctu noluit. Inſtante ſanè adhuc peſtilentia, & Deorum cultum diligentiſſimè reſtituit, & ſervos, quemadmodum bello Punico factum fuerat, ad militiam paravit.* Quare M. Aurelius poſt Lucium in Deorum numerum relatum, *Præneſte* ſeceſſit, annoque centeſimo ſeptuageſimo Verum filium amiſit, & Ludos Capitolinos Jovi ſacros Romæ celebravit. Currenti enim anno Agon Capitolinus viceſimus ſecundus actus, ut ex annorum ſupputatione intelligitur. Capitolinum citatum de rebus currenti anno geſtis (quod aliqui negarunt, & de priori profectione, quando nempe Aquileiam Marcus venit, interpretandum crediderer) ſermonem habere, ex Nummis anno ſequenti percuſſis certum redditur. Mediobarbus Nummum Marci in medium affert, in quo habetur, M. ANTONINUS AUG. TR. P. XXIIII. In poſtica, COS. III. SALUTI AUG. Viſitur figura ſtans coram ara, dextrâ pateram cum ſerpente, ſiniſtrâ haſtam tenens. Marcus anno centeſimo ſeptuageſimo Tribunitiam Pot. XXIIII ingreſſus eſt; eoque anno peſte adhuc vigente, pro ejus ſalute ſacrificatum. Producit ibidem Mediobarbus alium Marci Nummum cum eadem antica, in cujus averſa parte legitur, PROFECTIO AUG. COS. III. S. C. Eo itaque anno Marcus Româ digreſſus expeditionem Marcomannicam ſuſcepit.

Baron. num. IV.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5663. ☉ 11 A. ☽ 19. P. 23. APRIL. INDICT. 8.

JESU CHRISTI 170. *ſecundum Baronium* 172.

ELEUTHERI PAPÆ 1.

M. AURELII IMP. 10.

COSS. *M. Cornelius Cethegus*, & *C. Erucius Clarus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari ex Inſcriptione Forolivienſi à Marcheſio in lib. 1. ejuſdem urbis publicata. I. *Conſules.*

Commodus Cæſar Imperii Cæſarei Quinquennalia dedit. II. *Quinquennalia Commodi Cæſaris.*

III. *Apologia Melitonis.* Ad num. I. Euſebius in Chronico anno Abrahami 2186. qui Kalendis Septembris præcedentis Chriſti anni inchoatur, ait: *Antonino Imperatori Melito Aſianus, Sardenſis Epiſcopus, Apologeticum pro Chriſtianis tradidit*, quod anno præcedenti in finem vergente factum videtur, ut ex Chronico Alex. elicitur. Præterea eo anno Proconſularis Imperii quinta Quinquennalia Marcus edidit, quæ majori pompa, quàm Quinquennalia fieri ſolita. Hujus Apologiæ Fragmentum extat apud Euſebium lib. 4. cap. 26. in qua de Imperio Romano loquens, ait: *Cujus tu hæres ac ſucceſſor adſpirantibus omnium votis potitus es, potierisque deinceps unà cum filio.* Quare Commodus Cæſar Imperii conſors erat, ut etiam ex verbis Julii Pollucis in Præfatione libri primi Onomaſtici ad Commodum Cæſarem, deduci videtur. Ὦ δ παῖδε ἀγαθῦ πατρῷόν ἐςί σοι κτῆμα κατ' ἴσον βασιλεία τε καὶ σοφία. id eſt, *O boni patris fili, paterno ſeu hæreditario jure, & regnum & ſapientiam poſſides.* Valeſius in Notis ad Proœmium lib. 5. Hiſt. Euſebii, laudatum hujus Hiſtorici locum explicans, inquit: *Jam ergo Commodus à patre adſcitus fuerat in conſortium Regni, cùm hunc pro Chriſtianis libellum Melito Imperatori porrigebat. Quod ſub finem Imperii M. Antonini contigiſſe conſtat.* Sed non advertit Valeſius, Commodum jam ab anno centeſimo ſexageſimo ſexto Cæſarem fuiſſe, Imperioque Cæſareo potitum: ideoque de Imperio Auguſteo Commodi Melitonem non loqui, ut Euſebius, & Auctor Chronici Alex. viderunt.

Baron. num. I, II & ſeq.

Hoc anno M. Aurelius, Româ relictâ, adverſus Germanos movit, ut anno præcedenti oſtendi. IV. *Expeditio Germanica.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5664. ☉ 12 G. ☽ 1. P. 8. APRIL. INDICT. 9.

JESU CHRISTI 171. *ſecundum Baronium* 173.

ELEUTHERI PAPÆ 2.

AURELII IMP. 11.

COSS. *L. Septimius Severus II*, & *L. Alfidius Herennianus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari. I. *Conſules.*

His Coſſ. M. Aurelius Imperii Auguſtei Decennalia dedit, ut ex Numiſmatis, in quibus ea diſertè memorantur, indubitatum red- II. *Decennalia Imperii Auguſtei M. Aurelii*

ditur. Unum extat argenteum in Gaza Regia inſcriptum, IMP. M. ANTONINUS AUG. TR. P. XXV. Viſitur caput Marci laureatum. In poſtica, VOTA SOL. DECENN. COS. III. Viſitur Imperator ſtans velatus, qui ſacrificat in tripode. Plura ſimilia apud Mediobarbum videnda. Ex quibus patet, ejus Quinquennalia anno CLXVI, non verò antecedenti exhibita fuiſſe; alioquin extra legitimum tempus acta fuiſſent, ac prætereà verum eſſet quod ſæpe inſinuavimus, Imperatoribus hujuſmodi ſolennia edentibus, viros iterato Conſulatu exornatos Faſtis non rarò nomen dediſſe.

III. *Sub quo Pontifice Praxeas Romam venerit.*

Baron. num. IV.

Ad num. II. Praxeas, Catholicæ Religionis tunc homo, Romam venit, non Aniceto ſedente, ut exiſtimavit Baronius, ſed Victore Romanam Eccleſiam adminiſtrante, ut didici à clariſſimo viro Ludovico *Du Four*, Abbate Sancti Joannis de Jardo ad Melodunum, & Septem Fontium in Theraſcia, qui quæcumque ferè de Tertulliano hoc in Opere ſcripſi, mecum communicavit. Hæc Tertulliani verba lib. adverſus Praxeam cap. 1. *Iſte primus ex Aſia hoc genus perverſitatis* (hæreſim nempe Patripaſſianorum) *intulit Romæ*, &c. *Nam idem tunc Epiſcopum Romanum, agnoſcentem jam prophetias Montani, Priſcæ, Maximillæ, & ex ea agnitione pacem Eccleſiis Aſiæ & Phrygiæ inferentem, falſa de ipſis Prophetis & Eccleſiis eorum aſſeverando, & prædeceſſorum ejus auctoritates defendendo, coëgit & literas pacis revocare jam emiſſas, & à propoſito recipiendorum chariſmatum conceſſare. Ita duo negotia Diaboli Praxeas Romæ procuravit, prophetiam expulit, & hæreſim intulit: Paracletum fugavit, & Patrem crucifixit.* Ait itaque Tertullianus, Epiſcopum Romanum, *Victorem* nempe, olim Montani prophetiam agnoviſſe, literaſque pacis Eccleſiis Aſiæ & Phrygiæ eandem amplexis conceſſiſſe; ſed *Praxeam* coëgiſſe Victorem eas literas revocare, falſa de Prophetis & Eccleſiis Montanizantibus aſſerendo, ac defendendo auctoritate prædeceſſorum Victoris, qui dictam prophetiam exploſerant. Hi autem alii non fuerunt, quàm *Eleutherus* & *Soter*, ſub quo, teſte Euſebio in Chronico, Montanus hæreſim publicare cœpit, quique contra *Montanum* ſcripſit, ut docuit nos Anonymus à Sirmondo poſt Baronii mortem in lucem editus, cui titulus eſt, *Prædeſtinatus*. Is Auctor hæreſi 26. quæ eſt de Cataphrygibus, ait: *Scripſit contra eos librum S. Soter Papa Urbis, & Apollonius Epheſiorum Antiſtes. Contra quos ſcripſit Tertullianus Presbyter Carthaginenſis. Qui cùm omnia bene, & primè, & incomparabiliter ſcripſerit, in hoc ſolùm ſe reprehenſibilem fecit, quòd Montanum defendit, agens contra Soterem ſupradictum Urbis Papam.* Quod & hæreſi LXXXVI repetit, addens, *Tertullianiſtas olim à Sotere Papa Romano damnatos.* Tum Tertullianus inſinuat, ſe dum adhuc Catholicus eſſet, adverſus hæreſim Praxeanam Carthagine diſſeminatam pugnaſſe, & rurſus poſt ſuam à Catholicis, quos *Pſychicos appellat*, ſeparationem impugnare velle: *Fructificaverant*, inquit, *avenæ Praxeanæ: hic* (nempe Carthagine) *ſuperſeminatæ: traducta dehinc per quem Deus voluit, etiam evulſæ videbantur. Et nos quidem poſtea agnitio Paracleti, atque defenſio disjunxit à Pſychicis*, (nempe Catholicis) &c. *nunc denuo erupit: ſed & denuo eradicabitur*, &c. Denique Tertullianus lib. de Præſcriptione Hæreticorum cap. ult. inquit: *Sed poſt hos omnes etiam Praxeas quidam hæreſim introduxit, quam Victorinus* (id eſt, Victor Papa) *corroborare curavit.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5665. ☉ 13 FE. ☽ 2. P. 30. MART. INDICT. 10.
JESU CHRISTI 172. *ſecundùm Baronium* 174.
ELEUTHERI PAPÆ 3.
M. AURELII IMP. 12.

I. *Conſules.*

COSS. *Maximus*, & *Orfitus*.

II. *VII Quinquennalia Marci Cæſaris.*

Septima Quinquennalia Imperii Cæſarei M. Aurelii in hunc annum incidunt.

III. *Opus à Tatiano ſcriptum.*

Baron. num. V.

Ad num. I, II & III. Opus quod poſt *Ammonii* Harmoniam editum eſt, longè differt ab Evangelio *Tatiani*, uti Valeſio obſervatum in Notis ad Euſebium lib. 4. cap. 29. Illud enim Opus, ſicut lectio ipſa indicat, nihil aliud eſt quàm Paraphraſis quatuor Evangeliorum, ſeu potiùs Epitome ab homine Catholico eleganter conſcripta. At Evangelium Tatiani ipſiſmet Evangeliſtarum verbis contextum fuit, reſectis duntaxat iis, quæ ad Davidicam Chriſti genealogiam ſpectant. Præterea in Opere illo quod editum eſt, Chriſtus filius David non ſemel dicitur. Oſtendit etiam Valeſius, Harmoniam illam quatuor Evangeliorum, quæ priori loco relata eſt à Victore Capuano, & in quam *Zacharias Chryſopolitanus* Commentarios ſcripſit, Opus eſſe Ammonii Alexandrini. Nam illud Opus nihil aliud erat, quàm Evangelium Matthæi, cujus ſingulis capitibus adjuncta erant ad latus capitula trium aliorum Evangeliſtarum, qui cum Matthæi Evangelio conſentiebant. Opus itaque illud per columnas diviſum erat, perinde ac Origenis Tetrapla. Quæ res Euſebio Cæſarienſi anſam dedit canones ſuos excogitandi, ut ipſemet in Epiſtola ad Carpianum docet. Ex his liquet, Opus *Tatiani* Hæreſiarchæ non extare, contrà quàm credidit Baronius. Auctor Chronici Alex. ſub præcedentis anni Coſſ. de Tatiano plura habet, quò ideo hæc referenda; cùm Euſebius in Chronico de Tatiano agens anno Abrahami 2188. qui Kalendis Septembris præcedentis Chriſti anni inchoatur, ſcribat: *Tatianus Hæreticus agnoſcitur, à quo Encratitæ.* Inſuper Auctor Chronici Alex. ſub anni ſequentis Coſſ. ait: *Tatianus his antiquior* (Severianis nempe) *neſcio quam Evangeliorum confuſionem & ſynagogam condiderit, quam Diateſſaron appellavit, & verò hodie in manibus paſſim verſatur.* Loquitur poſtea de aliis voluminibus à Tatiano compoſitis, quæ ſuo tempore extabant, ſed quæ ad nos non pervenerunt, non magis quàm illud *Diateſſaron*.

IV. *Severus Hæreſiarcha.*

Ad num. V. Auctor Chronici Alex. ſub ſequentis anni Coſſ. de Severo Severianæ hæreſis architecto loquitur. Neque dubito, quin eo anno agnoſci cœperit. Tatianum Severo

Baron. num. x i. antiquiorem fuiſſe, docet non tantùm Auctor Chronici Alex. cujus verba num. præcedenti recitavi, ſed & Euſebius lib. 4. cap. 39. & Theodoretus in lib. 1. Hæreticarum Fabularum, qui Tatianum Severo præponunt. Imò Irenæus nullam hujus Severi mentionem facit. Quare rectè ſcripſit Valeſius in Notis ad illud Euſebii caput, malè Epiphanium Severum Tatiano antiquiorem facere.

Olymp. 238.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5666. ☉ 14 D. ☽ 3. P. 19. APRIL. INDICT. 11.

JESU CHRISTI 173. *ſecundùm Baronium* 175.

ELEUTHERI PAPÆ 4.

M. AURELII IMP. 13.

I. *Conſules.* COSS. *M. Aurelius Severus II, & T. Claudius Pompeianus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari adverſus Onuphrium, qui priorem credidit Claudium Severum, M. Aurelii præceptorem, qui tamen tantùm Conſul ſuffectus fuit, dum L. Verus Auguſtus bellum in Oriente gereret. Peccavit & Onuphrius in altero Conſule deſignando, ſcribens, fuiſſe Marcum Claudium Pompeianum Marci Aurelii generum, quem errorem ab eo hauſit Baronius. Et tamen M. Claudius Pompeianus anno tantùm CLXXVI Conſul ſuffectus fuit, ut diſcimus ex Vulcatio in Vita Avidii Caſſii cap. 12. ubi M. Aurelius ait, ſe eum *in annum ſequentem Conſulem* dixiſſe, poſt mortem nempe Caſſii anno CLXXV occiſi.

II. *Tricennalia Imperii Proconſularis M. Aurelii.* His Coſſ. M. Aurelius Tricennalia Imperii Proconſularis edidit, ut ex ſeptimis ejuſdem Imperii Quinquennalibus aliiſque indiciis patet.

III. *Obitus Aniceti PP.* Ad num. I. In Chronico Damaſi, à Bucherio in Commentario de Doctrina Temporum publicato, nulla fit mentio *Aniceti* Papæ, ſed poſt *Pium* ſtatim ſermo eſt de *Sotere*, qui cùm in Chronico auctiori veterum Baron. num. 11 & ſeqq. Pontificum dicatur fuiſſe *à Conſulatu Ruſtici & Aquilini uſque Cethego & Claro*, apparet, Aniceti mortem ſub Conſulatu duorum Auguſtorum anno CLXI geſto conſignandam eſſe. Auctor enim auctioris Chronici veterum Pontificum eoſdem Conſules exhibere ſolet, quos Chronicon Damaſi, & Pontificatum ſucceſſoris ordiri à Conſulibus, qui poſt obitum deceſſoris annum aperuere. Aniceto Soter ſucceſſit anno centeſimo ſexageſimo primo, ut ex dictis ſequitur. Aniceti Decretalis unica ad Galliæ Epiſcopos circumfertur, quæ cùm incipiat ab his verbis: *Bonorum operum & ſpiritualium ſtudiorum Deum auctorem eſſe*, &c. non dubium, quin ſuppoſititia ſit, cùm hæc ſint ipſiſſima Leonis I verba Epiſt. 32. juxta veterem ordinem. Sunt & in ea alia loca ex eodem Leone & Vigilio Papa deſumta, quæ de ejus ſuppoſitione nos dubitare non ſinunt.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5667. ☉ 15 C. ☽ 4. P. 4. APRIL. INDICT. 12.

JESU CHRISTI 174. *ſecundùm Baronium* 176.

ELEUTHERI PAPÆ 5.

M. AURELII IMP. 14.

COSS. *Gallus, & Flaccus.* I. *Conſules.*

Ad num. I, II & III. Hermannus II. *Pluvia à M. Aurelio obtenta.* Witſius anno CIƆ IƆC LXXXIII Amſtelodami publicavit Diatribem *de Legione fulminatrice Chriſtianorum ſub Imperatore M. Aurelio Antonino*, in qua ad fidem huic hiſtoriæ conciliandam multa profert, & ad argumenta, quæ in contrarium afferuntur, reſpondere conatur. Baron. num. 11 & ſeq. Nos cum Valeſio in Notis ad lib. 5. Euſebii cap. 5. facilè credimus Apollinari, Euſebio & Tertulliano, qui pluviam à militibus Chriſtianis impetratam teſtantur. Sed non dubitamus, quin multa falſa veris admixta fuerint. Et primò quidem Epiſtola illa, quæ ad calcem poſterioris Apologetici apud Juſtinum legitur, tantùm abeſt, ut ab ipſo Imperatore Græcè dictata, aut ex Latino ipſius in Græcum ſermonem tranſlata fuerit; ut infra ſeculum Juſtiniani Imperatoris, ab imperitiſſimo rerum Romanarum Græculo confictam fuiſſe manifeſtè appareat, ut ex Scaligero, Salmaſio, & Huetio obſervat Witſius. Edictum quoque tale in favorem Chriſtianorum illa occaſione anno XIV Marci, quo bellum Quadicum contigit, ſancitum fuiſſe, in animum ſuum facilè non inducet, qui norit, mox poſt Germanicam ſitim tam mirabiliter depulſam, anno nimirum Marci XVII, innumeram Chriſtianorum multitudinem diris ſubjectam fuiſſe quæſtionibus, & Chriſtianos paſſim ingenti perſecutione acerbè eſſe exagitatos. Non dico tamen, nullum datum fuiſſe edictum: Tertullianus enim non auſus fuiſſet id falsò prætendere paucis pòſt annis tam in ſuo Apologetico, quàm in libro ad Scapulam, Aſiæ Proconſulem. Itaque dici forſan poteſt cum Witſio, edictum quidem emiſſum, ſed ex eo Chriſtianos nullum fructum percepiſſe, propter Proconſulum ac concitatæ plebis crudelitatem, qui aliis quæſitis, non tam cauſis, quàm coloribus, in innoxios ac bene merentes ſæviebant; cùm non deſint exempla, ubi nequicquam prohibentibus Imperatorum reſcriptis in Chriſtianos ſævitum fuerit. Quoad Legionem fulminatricem, ea ab hoc miraculo cognominata non eſt, cùm diu ante M. Aurelii tempora ita appellata fuerit, ut jam Viris doctis obſervatum. Denique extat Nummus argenteus in Gaza Regia inſcriptus, M. ANTONINUS AUG. TR. P. XXVIII. Viſitur caput Antonini laureatum. In poſtica, RELIG. AUG. IMP. VI. COS. III. id eſt, *Religio Auguſti*. Cernitur Mercurius ſtans, qui dextrâ pateram, & ſiniſtrâ caduceum tenet. Tribunitiam Pot. XXVIII currenti anno M. Aurelius iniit. Quare cùm Xyphilinus ſcribat, dicere Dionem, Marcum hanc pluviam Mercurio, cujus cultûs ſtudioſus erat, attribuiſſe, is Nummus Dionis fidei teſtis, ut ab Andrea Morellio, Viro clariſſimo,

me audiviſſe memini. Denique Themiſtius in Orat. 15. de Regia Virtute ad Theodoſium Imperatorem, de illa pluvia hæc habet: *Cùm Antonini Romanorum Imperatoris, cui ab eadem illa pietate cognomen inditum fuit, ſiti laboraret exercitus, manus ille ad cælum erexit. Hac ego manu, inquiens, ſupplex te placare volui, & oravi vitæ largitorem, quia nulli eam eripui; eaque prece divinum ſibi placaſſe numen, ac ſtatim ſerenitate facta, magna imbrium copia ad militarem ſedandam ſitim erupit. Cujus rei deſcriptam in imagine picturam videre memini: in qua media phalange pictus erat Imperator, milites verò galeis imbrem excipientes, divinitus conceſſo liquore ſitim explebant.* Porro Marcum Antonini Pii nomine intelligendum, præter ea quæ ſuprà attulimus, egregiè oſtendit Inſcriptio Reineſiana pag. 511. quæ Panormi viſitur:

IMP. CAES.
L. SEPTIMIO. SEVERO. PIO. PERTI.
AUG. PART. ADIABEN. ARABICO.
P. M. TRIB. POT. XVII. IMP. XII. COS. III.
P. P. PROCOS. V. IMP. CAES. DI
VI. ANTONINI PII. GERMANICI.
SARMATICI F. DIVI COMMODI
FRATRI. DIVI ANTONINI NEPO
TI. DIVI ADRIANI PRONEPOTI
DIVI TRAJANI PARTHICI ABN.
DIVI NERVAE. ADN. INDULGEN
TISSIMO. AC CLEMENTISSIMO
PRINCIPI. NOSTRO
RESP. PANORMITAN.
P SATYRI DONATI ET
M. MARCI RUFFINI
D. D.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5668. ☉ 16 B. ☽ 5. P. 27. MART. INDICT. 13.
JESU CHRISTI 175. *ſecundùm Baronium* 177.
ELEUTHERI PAPÆ 6.
M. AURELII IMP. 15.

I. *Conſules.* COSS. *Piſo, & Julianus.*

II. *Decennalia Commodi Cæſaris.* Commodus Cæſar Decennalia hoc anno exhibuit, ut ex ejus Quindecennalibus, quæ ab anno CLXXIX removeri non poſſunt, manifeſtum fit. Videtur & Marcus octava Quinquennalia Imperii Cæſarei anno uno anticipata, hoc anno edidiſſe; cùm idem Imperator uno eodemque anno duo diverſa hujuſmodi ſolennia non repræſentarit, & Marcus duobus ſubſequentibus annis, quemadmodum videbimus, ſimilia feſta peregerit.

III. *Rebellio Caſſii, & Trib. Poteſtas Commodo conceſſa.* Baron. num. 1. Ad num. I. Noriſius in Epiſt. Conſulari pag. 119. ex eo quod in Diſſert. Hypatica ſcripſi, Tribunitiam Poteſtatem hoc anno poſt diem XVII Martii Commodo Cæſari M. Aurelii filio datam eſſe; ſed ante diem viceſimum octavum Octobris (quod omnino obſervandum erat, ut Decennalia aliaque id genus feſta à Commodo celebrata, hactenuſque magnis tenebris ſepulta, annis ſuis reddi poſſent) occaſionem ſumſit indagandi menſem, quo Tribunitia Poteſtate Commodus decoratus eſt. Ait itaque Noriſius menſe Auguſto id contigiſſe. Nam Dio lib. 71. de M. Aurelio ſcribit: *Cùm autem Caſſius res novas moliretur in Syria, Marcus vehementer perterritus Commodum filium accerſiri ex Urbe jubet.* Commodus à Lampridio cap. 12. in Vita ejuſdem dicitur, Romà *profectus in Germaniam XIV Kal. Aelias iiſdem Conſulibus*, nempe Piſone & Juliano. Quare Commodus currenti anno die decima nona Maii, à patre evocatus, in Germaniam perrexit poſt intellectam rebellionem Caſſii, ut ibidem Dio teſtatur. Capitolinus cap. 22. in M. Aurelio: *Filio Commodo accerſito ad limitem, togam virilem dedit: Quare Congiarium populo diviſit.* Producit Noriſius loco citato Nummum Mediceum inſcriptum: M. ANTONINUS AUG. TR. P. XXIX. In poſtica: LIBERALITAS AUG. VII. Eſt Congiarium Capitolino recitatum, & in Germania militibus datum. Diem delatæ togæ Commodo prodit Lampridius in ejus Vita cap. 2. *Indutus autem togâ eſt Nonarum Juliarum die.* Marcus, quò milites adverſus rebellantem Caſſium in fide contineret, filium depoſitâ prætextâ, jam in toga virum certum Imperii ſucceſſorem oſtentavit. Tum M. Aurelius magnis itineribus in Italiam reverſus, nec Romam ingreſſus, in proximam Campaniam ſeceſſit, brevì cum claſſe in Orientem contra Caſſium tranſmiſſurus. Vulcatius in Avidio Caſſio quædam fragmenta recitat epiſtolarum, quas id temporis Fauſtina Auguſta ad Marcum miſit. In altera earundem ſcribit: *Vide quid agas de Avidio Caſſio, & de ejus conſciis*: & ſtatim: *Sed ſi te Formiis invenire non potuero, aſſequar Capuam.* At iis planè diebus caput Caſſii ab ejuſdem interfectoribus ad Marcum delatum, ingenti eundem ſolicitudine liberavit, qui ſtatim unius tantùm hominis nece obtentæ victoriæ nuntium miſit tum ad Fauſtinam, tum ad Senatum per literas, quarum fragmenta Vulcatius recitat. At Senatus lætis acclamationibus memoratas literas accepit, quas inter conclamarunt, ut refert idem Scriptor cap. 13. *Commodo Antonino Tribunitiam Poteſtatem rogamus, præſentiam tuam rogamus.* Marcus Romam quidem ingredi recuſavit, ſed de altero morem gerens Senatui, filio Commodo Tribunitiam Poteſtatem detulit, ac cum eodem paulò pòſt in Aſiam tranſmiſit. Ex quibus infert Noriſius, tempus collatæ Commodo Tribunitiæ Poteſtatis, intra menſem Auguſtum contrahendum. Commo-

dus Nonis Juliis cùm virilem togam accepit, nondum erat Tribunitia Poteſtate inſignitus, quam accepit poſt nuntium occiſi Caſſii ad patrem in Campaniam delatum. Caſſius imperavit, teſte Dione, menſes tres, dies ſex. Menſe Aprili rebellaſſe dicendus eſt, cùm Marcus celeri defectionis ejus nuntio accepto, filium Româ accerſierit, qui die 19. Maii ad patrem profectus eſt. Itaque menſe Julio occiſo Caſſio, caput ejuſdem certiſſimum compreſſæ rebellionis nuntium ipſimet interfectores Imperatori Marco menſe Auguſto obtulerunt. Tum petita à Senatu, atque etiam impetrata Commodo Cæſari Tribunitia Poteſtas. Mediobarbus Caſſii Nummum profert inſcriptum: IMP. CÆS. AVIDIUS CASSIUS PERPET. In averſa parte, FIDES MILITUM.

IV. *Toga virilis quo anno filiis Auguſtorum data.*

Baron. an. 178. num. 1.

Commodus Cæſar non tantùm Tribunitia Poteſtate, ſed etiam Imperio Proconſulari extra Urbem, licèt Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores id non referant, à patre donatus eſt, & quidem hoc anno, ut, quoad Tribunitiam Pot. certis argumentis in Diſſert. Hypat. oſtendi, & ex intrà dicendis manifeſtum fiet. Quare malè Baronius anno tantùm ſequenti Commodum Tribunitia Poteſtate exornatum credidit. Quoad verò Imperium Proconſulare, eo Commodum ornatum, elicio ex Nummis apud Mediobarbum pag. 241. In uno legitur: AURELIO CAES. AUG. F. SAR. IMP. in poſtica: PROVIDENTIAE AUG. IMP. ubi ſolus Marcus *Auguſtus* appellatur; Commodus verò dicitur *Imp.* ob victorias, qui titulus Cæſaribus Imperio Proconſulari non exornatis non dabatur. In alio Nummo habetur: IMP. CAES. L. AUREL. COMMODUS GERM. SARM. TR. P. COS. qui Nummus anno ſequenti, quo Conſul proceſſit, percuſſus. Prænomen Imperatoris puris putis Cæſaribus non concedebatur. Quare tam ex Imperatoris titulo, quàm ex Imperatoris prænomine Commodum Imperio Proconſulari decoratum fuiſſe detexi. Præterea Senatus, cùm Caſſii necem accepit, abſenti M. Aurelio acclamavit apud Volcatium: *Commodo Imperium juſtum rogamus: Commodo Tribunitiam Poteſtatem rogamus*, ubi priora verba de Imperio Proconſulari, quod juſtum & verum Imperium erat, intelligenda. Cùm verò, *patre patruoque Coſſ.* anno nempe Chriſti C LXI, natus fuerit, ut tradit Lampridius in Commodo cap. 1. toga ei ante legitimum tempus conceſſa. Nam poſt inſtitutum Imperium togam virilem filiis Auguſti dare ſoliti erant, poſtquam annum ætatis XV auſpicati fuerant, Octaviani Auguſti exemplo, qui Caio Cæſari nepoti annum agenti XV eandem dedit. Noriſius quidem in Diſſert. II de Cenotaphiis Piſanis cap. 4. ubi accuratè de virili toga agit, exiſtimat, eam neutiquam Auguſtorum filiis dari ſolitam ante exactum annum XV; Auguſtum verò Caio adhuc annum XV agenti eandem dediſſe, deſignati Conſulatûs causâ. Sed ei non adhæreo; illum enim ætatis annum togæ accipiendæ Auguſtum ſtatuiſſe apparet ex facto aliorum Imperatorum, qui eum hac in re imitati ſunt, ut paſſim videbitur, licèt fatendum ſit, eos interdum togam filiis maturaſſe, aliquando verò tardiùs conceſſiſſe. Certè annus XV ætatis exactus togæ accipiendæ præfixus non eſt, cùm nullus ferè eam illo tempore induerit. Natus erat Commodus die triceſima prima Auguſti, ut habet Lampridius citatus; ideoque hoc anno ante eundem diem dari non debuit: ſed gratiâ ætatis factâ ante duos ferè menſes, quàm annum XIV exegiſſet, togam accepit. Capitolinus in Marco cap. 22. ait: *Filio Commodo accerſito ad limitem togam virilem dedit: quare Congiarium populo diviſit, & eum ante tempus Conſulem deſignavit*, in annum nempe C LXXVII. Nullus hucuſque ante viceſimum ætatis annum Conſulatum geſſerat: Commodus itaque primus fuit qui anno ætatis decimo ſexto ea dignitate exornatus eſt. Qui Conſulatus omen fuit Tribunitiæ Poteſtatis, Imperiique Proconſularis eidem conferendi, juxta ea quæ alibi diximus.

V. *Duplex initium Tribunitiæ Poteſt. Commodi fictitium.*

Tribunitiæ Poteſtatis *Commodi* duplex initium ſtatuendum eſſe, alterum ab hoc anno, alterum ab anno C LXXVIII deductum contendit Lacarryus in Hiſtoria Imperatorum Romanorum; adeo ut eo poſteriori anno Auguſtus nuncupatus fuerit, indeque aliquando ejus Tribunitia Poteſtas inchoata. Verùm, hoc ſecundum ejuſdem Tribunitiæ Poteſtatis initium prorſus commentitium. Ceteri enim Imperii Collegæ, qui hunc præceſſere, nunquam Tribunitiam Poteſtatem ab eo anno, quo Auguſti dicti ſunt, incepere: & aliunde *Commodum* ante eum Chriſti annum Auguſtum appellatum, varia Numiſmata apud Mediobarbum pag. 242. demonſtrant, uti iſtud: L. AUREL. COMMODUS AUG. GERM. SARM. in poſtica: JUNONI SISPITAE TR. P. II. IMP. II. COS. P. P. S. C. Primum Conſulatum anno C LXXVII, ſecundum anno C LXXIX *Commodus* ſumſit; in priori Conſulatu adhuc IMP. II dictus, IMP. III anno C LXXVIII, & IMP. IV anno C LXXIX, ut ex ejus Nummis certum redditur. Quare cùm in laudato, aliiſque apud Mediobarbum videndis, *Commodus* vocetur Auguſtus, Conſul, Imp. II, & Tribunitia Poteſtate ſecunda exornetur, eum ante annum centeſimum ſeptuageſimum octavum Auguſteam dignitatem adeptum eſſe oportet. Nec obſtant Numiſmata à Viro erudito ex Occone in medium allata, in quorum uno legitur: IMP. CÆS. L. AUREL. COMMODUS GERM. SARM. in poſtica: TR. P. II. COS. II. S. C. LIBERALITAS AUG. ubi viſitur Imperator in ſubſtructione Congiarium diſtribuens. Mediobarbus eumdem recitat pag. 242. rectèque exiſtimat, *Congiarium* illud ob nuptias Commodi & Criſpinæ diſtributum eſſe in primo Commodi Conſulatu, annoque C LXXVII. Sed loco COS. II, malè reponit COS. ſine numerali nota; ſicque Nummum corrumpit; nam Conſulatus ille ſecundus Commodi deſignatus tantùm intelligendus. Alibi autem oſtendimus, *Conſulatus deſignatos* Cæſarum vel Auguſtorum in Nummis & Inſcriptionibus non rarò abſolutè & ſine deſignatione memorari; quod in variis Commodi Nummis obſervare licet, uti v. g. in iſto à Mediobarbo pag. 243. producto: IMP. CÆS. L. AUREL. COMMODUS GERM. SARM. in averſa parte: TR. POT. COS. Cernun-

nit in ea *Marcum Aurelium & Commodum* in quadriga, quam trahit miles, dextrâ labarum tenens, in aëre Victoria ſpolia gerens volitat. Qui Nummus teſtis optimus triumphi de *Germanis* à Commodo cum patre acti die XXII Decembris anni centeſimi ſeptuageſimi ſexti, ut rectè explicat Mediobarbus. Conſulatus itaque ille ſimpliciter poſitus nonniſi deſignatus erat.

VI. *Auguſti ſine eo nomine vel filii Auguſtorum in Nummis aliquando dicti.* Porro, occaſione duorum *Commodi* Nummorum mox relatorum, in quibus is non dicitur *Auguſtus*, juvat annotare, *Commodum* in multis Nummis, poſtquam Auguſteam dignitatem obtinuit, percuſſis, Auguſtum non appellari, ſed vel ſimpliciter, vel filium Auguſti nominari, uti in iſto à Mediobarbo pag. 245. deſcripto: M. COMMODUS ANTONINUS. in poſtica: TR. P. V. IMP. IIII. COS. DES. III. P. P. LIB. AUG. Ubi vides, *Commodum* non appellari Auguſtum anno CLXXX, quo Nummus ille cuſus, quóve, mortuo M. Aurelio patre, propter novum Imperium Auguſteum Conſul III in annum inſequentem deſignatus eſt, quintâ ejus Tribunitiâ Poteſtate nondum abſolutâ. Ibidem etiam alter ejuſdem Imperatoris Nummus habetur, in quo is non Auguſtus, ſed tantùm *Auguſti filius* dicitur, licèt jamdiu Auguſteo Imperio decoratus fuiſſet: L. AUREL. COMMODO CÆS. AUG. FIL. GERM. SARM. id eſt, *Cæſari, Auguſti filio, Germanico Sarmatico.* In poſtica: JUPITER CONSERVATOR TR. P. VI. IMP. IIII. S. C. qui Nummus poſt patris mortem, anno CLXXX vel inſequenti cuſus. Neque ſolùm Commodus, ſed etiam multi alii Auguſti in Nummis ſine eo nomine memorati. Mediobarbus pag. 132. duos Domitiani jam Auguſti profert, in quibus is non Auguſtus, ſed Divi Veſpaſiani filius vocitatur, & pag. 302. duos Getæ Cæſaris, in quibus is tantùm Cæſar & TR. P. II dicitur, licèt jam Auguſteam dignitatem conſecutus eſſet; quæ illi ſimul cum Tribunitia Poteſtate collata eſt, ut omnibus notum. Quæ ad majorem Numiſmatum, præſertimque Commodi, intelligentiam dicta ſunto.

VII. *Conſulatus deſignati Commodi aliquando in Nummis abſolutè expreſſi.* Fundatur ſecundò Lacarryus in Nummo iſto: COMMODO CAES. AUG. FIL. GERM. SARM. in poſtica: TR. P. III. IMP. II. COS. III. P. P. in qua cernitur Spei ſedentis typus. Cùm enim anno tantùm CLXXXI Conſul III proceſſerit, tertia ea Tribunitia Poteſtas ab alio anno quàm CLXXVIII non videtur deducenda. Verùm Nummus ille malè deſcriptus, & loco COS. III, legendum COS. II, qui ſecundus Conſulatus, licèt abſolutè poſitus, deſignatus ſolùm erat, adeo ut Nummus ille anno CLXXVIII percuſſus fuerit, antequam *Commodus* diceretur Imperator III. Tunc enim jam Conſulem II deſignatum fuiſſe demonſtrat hic Nummus à Vaillantio tom. 2. pag. 92. recitatus, ſeu, ut veriùs loquar, poſtica Nummi anticâ ſuâ mutilata: TR. P. III. IMP. II. COS. DES. II. P. P. Anno itaque CLXXVIII *Commodus*, dum adhuc eſſet Imp. II, Conſul II in annum ſequentem deſignatus eſt, eaque deſignatio in ejus Nummis aliquando prætermiſſa. Nummum illum corruptum ſic corrigit Mediobarbus pag. 242. TR. P. III. IMP. II. COS. P. P. Sed non monet, ſe illum exhibere, non ut ab Occone repræſentatur, ſed ut à ſe emendatus eſt, quod tamen ſemper fieri debet, ne noſtras hallucinationes tanquam veras lectiones aliis obtrudamus, & errorem detegendi viam omnem occludamus. Denique in medium adducit Lacarryus alium hujus Imperatoris Nummum, in quo tertius ejus Conſulatus anno CLXXXI, poſt patris ſcilicet mortem geſtus, cum quinta ejus Tribunitia Poteſtate jungitur, qui ideo percuſſus videtur anno CLXXXII, quo adhuc Conſul III *Commodus* appellabatur. Hîc illum repræſento: IMP. CAES. AEL. AUREL. COMMODUS ANT. P. FEL. AUG. P. P. in poſtica: IMP. TR. POT. V. COS. III. F. EXERC. Imperator alloquitur cohortes. At Nummus ille cuſus non anno CLXXXII, neque anno CLXXIX, ut malè Mediobarbus pag. 244. ſed anno CLXXX, quo, patre menſe Martio demortuo, in Nummis dictus eſt Conſul III, modò tacita deſignatione, & Conſulatu III abſolutè memorato, modò deſignatione conceptis verbis expreſſa, uti in illo, quem ex Mediobarbo pag. 245. numero præcedenti retuli, in quo *Commodus* dicitur TR. P. V. COS. DES. III. Hinc tandem intelligimus, *Tribunitiam Poteſtatem Commodi* ſemper deſumtam fuiſſe ab anno CLXXV: eum ante annum CLXXVIII *Auguſtum* appellatum: & demum Conſulatus ejus deſignatos non rarò abſolutè, & ſine deſignatione in Nummis expreſſos fuiſſe. Quem Numiſmatum & Inſcriptionum uſum in prima parte Diſſert. Hypat. fusè probavi.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5669. ☉ 17 A G. ☽ 6. P. 15. APRIL. INDICT. 14.
JESU CHRISTI 176. *ſecundùm Baronium* 178.
ELEUTHERI PAPÆ 7.
M. AURELII IMP. 16. ET COMMODI IMP. 1.

I. *Conſules.* COSS. *T. Vitraſius Pollio II, & M. Flavius Aper II*, tam ex Inſcriptione Onuphriana, quàm ex alia à Noriſio in Epiſt. Conſulari pag. 112. recitata.

II. *Quindecennalia Imperii Auguſtei Marci Aurelii.* Imperii Auguſtei Quindecennalia M. Aurelius dedit. Si enim anno præcedenti ea exhibuiſſet, anno CLXXX, quo è vivis exceſſit, Vicennalia edidiſſet; quæ cùm hoc tempore Nummis inſculperentur, aliqui ſupereſſent horum ſolenniorum teſtes, ſi repræſentata fuiſſent. Horum indicia tam iteratus Conſulatus Pollionis, & Apri, quàm nuncupatio Commodi hoc anno Auguſti renuntiati. Baronius exiſtimat, alterutrum ex Conſulibus nominatis ſuffectum fuiſſe, & Pompeianum Marci generum Conſulatum ordinarium geſſiſſe. Sed anno CLXXIII oſtendimus, Pompeiani Conſulatum ſuffectum tantùm fuiſſe; quo fit, ut in nullis Faſtis legatur.

III. *Commodus Auguſtus nuncupatus.* Ad num. II. Commodus non hoc anno, ut exiſtimavit Baronius, ſed præcedenti, ut ibidem diximus, Tribunitia Poteſtate donatus, & quidem menſe Auguſto, &, ſi divi-

Baron. num. 1. nare licet, quinto Kalendas Septemb. quibus Kalendarum diebus Tribunitia Poteſtas de more conceſſa. Lampridius in Commodo cap. 2. ait: *Profectus eſt commendatus militibus cum patre in Syriam & Ægyptum, & cum eo Romam rediit. Poſt hæc veniâ legis annariæ impetratâ, Conſul eſt factus: & cum patre Imperator eſt appellatus quinto Kalendarum Decembrium die, Pollione & Apro Coſſ. & triumphavit cum patre.* Tum cap. 12. inquit: *Triumphavit decimo Kalendas Amazonias, iiſdem Conſulibus*, ſcilicet Pollione iterum & Apro, ideoque decimo Kalendas Januarias. Ex his liquet, primò, Imperatores filios priùs Conſules, quàm Cæſares aut Auguſtos deſignaſſe, ut alibi monuimus. Secundò, quintum Kalendarum diem Collegarum Imperii, & Auguſtorum cum aliis corregnantium nuncupationi de more deſtinatum fuiſſe. Progreſſu temporis quando plures Auguſti eodem tempore imperabant, qui prior creatus fuerat, *ſenior Auguſtus*; qui verò poſterior, *junior Auguſtus* de more nuncupatus; quod Commodo imperante cœptum eſſe oſtendit Nummus Corinthi percuſſus, qui extat apud Mediobarbum pag. 258. in cujus antica legitur, IMP. M. AUR. COMMO. ANTON. AUG. JUN.

IV. *Pax ſancita.* Hoc anno poſt Germanos Sarmataſque devictos, pax in Imperio ſancita, ut liquet ex Nummo à Mediobarbo recitato, in quo legitur, M. ANTONINUS AUG. GERM. SARM. TR. P. XXX. In poſtica: PAX AETERNA AUG. Viſitur figura ſtans, dextrâ facem, quâ comburit ſpolia, ſiniſtrâ cornucopiæ tenens. Cùm itaque M. Aurelius Tribunitiam Pot. XXX hujus anni initio ſuſceperit, pax hoc anno ſtabilita, ſequentique continuata, ut ex Nummis producendis liquebit. Hanc pacem Baronius anno tantùm ſequenti factam putat, quia ſc. præfatum Nummum certum pacis teſtem non viderat.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5676. ☉ 18 F. ☽ 7. P. 31. MART. INDICT. 15.

Olymp. 239.

JESU CHRISTI 177. *ſecundùm Baronium* 179.

An. Urb. 930.

ELEUTHERI PAPÆ 8.

M. AURELII IMP. 17. ET COMMODI IMP. 2.

I. *Conſules.* COss. *L. Aurelius Commodus Aug.* & *Quintillus.* Commodi Conſulatus juxta priorem Conſulatuum Cæſareorum regulam, ob Imperium nempe Auguſteum, quo anno elapſo donatus eſt.

II. *Septima Quinquennalia Imperii Proconſularis Marci Aurelii.* Septima Imperii Proconſularis M. Aurelii Quinquennalia hoc anno exhibita.

III. *Perſecutio in Gallia excitata.* Ad num. I. Septimorum Quinquennalium M. Aurelii teſtis eſt perſecutio, quâ Chriſtiani hoc anno afflicti. Euſebius enim in Proœmio libri quinti ſuæ Hiſtoriæ inquit: *Annus tunc agebatur ſeptimus decimus Imperii Antonini Veri. Quo tempore cùm in nonnullis terrarum partibus violentior adverſus noſtros perſecutio commota eſſet ex incurſione popularium, innumerabiles propè Martyres per univerſum Orbem enituiſſe, ex iis, quæ in unica Provincia contigerunt, conjicere eſt.* Galliam intelligit, in qua multi martyrium pertulere, ut videre eſt apud Baronium. Blondellus in Apologia pro ſententia Hieronymi de Epiſcopis & Preſbyteris cap. 8. exiſtimat, hanc perſecutionem factam eſſe anno ſeptimo M. Aurelii, quo in Chronico Euſebii quarta perſecutio conſignatur. Eandem ſententiam ſequitur Dodwellus in Diſſert. XI de Paucitate Martyrum num. XXXV & XXXVI, ubi ex ipſa Eccleſiæ Lugdunenſis & Viennenſis Epiſtola ab Euſebio relata inveſtigat annum, quo ea ſcripta, ac perſecutio excitata. Ait itaque Dodwellus: *In hujus perſecutionis tempore ſtatuendo diverſus à ſe eſt Euſebius. In Hiſtoria annum Marci XVII ei aſſignat, in Chronico VII duntaxat. Hinc diverſæ à ſe invicem Doctorum ſententiæ. Ego Chronico potiùs accedo, non quòd bellum Parthicum cum ea conjungit Oroſius ex conjectura ſua, nulla prorſus Hiſtoriæ fide; nulla enim belli Parthici mentio in Epiſtola Lugdunenſium & Viennenſium. Ego ex ipſa potiùs Epiſtola repetendum cenſeo.* Verùm Euſebius à ſeipſo minimè diſſentit, & quando ſententiam mutaſſet, ejus Hiſtoriæ poſt Chronicon ſcriptæ ſtandum eſſet. Excitatæ itaque in variis Imperii Romani partibus variæ perſecutiones ab ipſo ferme initio Imperii Marci Aurelii ad ejus ferè finem, qua de re martyrium S. Juſtini, ac S. Polycarpi, Apologiæ Athenagoræ ac Melitonis, aliaque argumenta nos dubitare non ſinunt. Quare Euſebius in Chronico more ſibi familiari anno ſeptimo Marci quartam Eccleſiæ perſecutionem conſignavit, unoque tenore locutus eſt de Martyribus in Gallia paſſis; licèt hi anno tantùm currenti martyrium fecerint, ut ipſemet accuratè in Hiſtoria ſua obſervavit. Euſebium in Chronico imitatus eſt Oroſius libro ſeptimo ſuæ Hiſtoriæ, ubi ait: *In diebus Parthici belli perſecutiones Chriſtianorum, IV jam poſt Neronem vice, in Aſia & in Gallia graves præcepto ejus extiterunt: multique Sanctorum martyrio coronati ſunt.* Ubi Oroſius ex Hiſtoriæ fide bellum Parthicum cum perſecutione conjungit, quia Sanctus Juſtinus ſub finem belli Parthici mortem oppetiit. Nulla quidem belli Parthici mentio in Epiſtola Viennenſium & Lugdunenſium, ſed in illa ejus fieri non debuit; cùm longè poſt illud bellum, currenti nempe anno, Eccleſiæ Lugdunenſis & Viennenſis vexatæ fuerint. Cùm hac de re ad Guillelmum Loydium Dodwelli amicum, & Angliæ ſuæ ornamentum ſcripſiſſem, ut ejus monitu in Diſſertationibus ad D. Irenæum, quæ Londini ſub prælo ſudant, ab ea ſententia diſcederet, ne alia inde in præclaro illo Opere oriantur incommoda, non ſolùm illi amici ſententiam calculo ſuo probavit, ſed magis in literis ad me datis explicavit: *Nam*, inquit, *Euſebium ſententiam mutaſſe conſtat. Cùm enim in Chronico eam perſecutionem in annum VII Marci retulerat, nullius autem uſquam gentium perſecutionis ejus anno XVII meminerat; poſthac, in Hiſtoria ſua abſque ulla mentione perſecutionis VII anno Marci, hanc Gallicam perſecutionem in annum XVII Marci retulit. Liquet, Euſebium mentem mutaſſe, & quamobrem mutavit, non eſt in obſcuro. In Chronico quippe*

non

non cogitaverat, anno V I I Marci Eleutherum nondum Eccleſiæ Romanæ præfuiſſe: hunc autem jam Epiſcopum fuiſſe eo tempore, quando ea perſecutio erupit, Euſebio Hiſtoriam ſcribenti conſtitit ex monimentis Eccleſiæ Lugdunenſis. Eleuthero igitur ſecundum ejus rationes non citiùs Epiſcopo facto, quàm anno X V I aut X V I I Marci Antonini, neceſſe habuit mutare ſententiam, & pro V I I Marci, ſcribere Marci X V I I. Hanc autem emendationem illi malè ceſſiſſe ex eo conſtat, quòd hic annus X V I I non erat annus τῆς ἐνθάδε πανηγύρεως, id eſt, ſolenni apud nos mercatu, *quod verba apud Euſebium ſequentia oſtendunt de Ludis Lugdunenſibus dici. Hi Ludi incidebant in annos Chriſti C L X V I I, C L X X I, & C L X X V. Annus C L X V I I, qui primùm Euſebio viſus eſt, nunc etiam Dodwello meo videtur annus iſtius Gallicæ perſecutionis. Neque enim ille Euſebium ſequitur in annis Eleutheri figendis, ut in ejus ad Irenæum Diſſertationibus propediem videbis. Citiùs integro decennio quàm Euſebius Eleutheri Epiſcopatum auſpicatur. Idacium tuum huic anno perſecutionem Gallicam tribuentem, ut & Oroſium in diebus Parthici belli aientem contigiſſe, Hieronymianam verſionem Chronici Euſebiani ſecutos non dubito. Sancti Polycarpi martyrium Vir ſummus Pearſonus nuper Ceſtrienſis Epiſcopus in annum Chriſti C X L V I I retulit, ut jam indicavit Dodwellus meus Diſſert. Cyprianica X §. 33. Idem Pearſonus cum Faſtis Alexandrinis (non tamen illorum auctoritatem, ſed ſuas rationes ſecutus) Gallicam perſecutionem refert in annum Chriſti C L X X V. Nolo ejus rationes delibando mutilare: nam eas propediem integras accipies in Opere ejus poſtumo, quod Londini nunc prælum exercet.* Ita Vir eruditiſſimus, cui me plurimùm debere profiteor.

IV. *Perſecutio Eccleſiæ Lugdunenſis hoc anno excitata.*

Verùm, licèt egregium illum temporis characterem ex Conventu Ludorum causâ Lugduni fieri ſolito, de quo mox, ſolerter obſervarit Loydius, & poſt eum Dodwellus loco citato; perſecutiones tamen, quæ annis Marci VII & XVII contigere, minimè confundendæ; cùm tam Euſebium quàm reliquos Epitomatores, quæ ad eandem rem ſpectant, licèt diverſis plerumque geſta temporibus, uno eodemque anno non rarò recitare, innumeris exemplis pateat; certumque ſit, Marco Imperium adminiſtrante, Fideles variis temporibus, diverſiſque in regionibus afflictos fuiſſe. Levior eſt autem utriuſque Viri eruditiſſimi conjectura, quàm ut nobis perſuadere poſſit, eum rerum narrandarum modum in loco Chronici, de quo agitur, non ſervaſſe Euſebium, cùm vix exemplum adduci poſſit, quo demonſtretur, eum, retractando in Hiſtoria, quod jam in Chronico ſcripſerat, à vero quod amplexus fuerat, deflexiſſe; quod tamen eidem in caſu, de quo agitur, accidiſſe, uterque contendit. Gallicam itaque perſecutionem non ideo in Chronico anno ſeptimo Marci narravit, quòd ignoraret, Eleutherum nondum Pontificatum adeptum eſſe; ſed quia, ut dixi, morem ſibi conſuetum ſervare voluit, & perſecutionem uno tenore narrare. Quòd ſi revera Euſebius, dum Chronicon ſcriberet, arbitratus eſt, perſecutionem Lugdunenſem & Viennenſem anno ſeptimo Marci contigiſſe, ut ipſi volunt, in Hiſtoria, ut aſſolet, errorem illum correxit, & ſententiam mutavit, tam quoad annum ejuſdem perſecutionis, quàm quoad Eleutheri initium, quod tardiùs in Chronico diſtulerat. Non poterit autem Dodwellus Eleutheri Pontificatum cum prioribus Marci Aurelii annis copulare, quin præcedentium Pontificum annos mutilet, aut Eleutheri annos augeat, vel denique ejus ſucceſſorum Pontificatum antevertat. Denique ſi Pearſonius S. Polycarpi martyrium ad annum C XL VII retraxit, quia in Epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis, in qua Polycarpi martyrium narratur, unius Auguſti mentio fiat, ideoque Marco & Vero imperantibus martyrium illud accidere non potuiſſe, quod tamen Euſebius docuit, ſine dubio fallitur, quia dum plures Imperium regerent, in Actis publicis ſæpe unius tantùm mentio facta, ut anno C L X I I num. II demonſtravi. Verùm cùm nullus inauditus damnari debeat, Opus tanti Viri avidè expecto.

V. *Martyres Lugdunenſes paſſi, dum Ludi Druſiani ederentur.*

Venio nunc ad Ludos, qui durante perſecutione Lugdunenſi celebrari dicuntur in Epiſtola Viennenſium & Lugdunenſium ab Euſebio lib. 5. cap. 1. recitata, qui ejus opinioni, quam in Hiſtoria ſequitur, minimè officiunt. Aiunt ii in ea Epiſtola, τῆς ἐνθάδε πανηγύρεως, &c. id eſt: *Ineunte igitur ſolenni apud nos mercatu, qui maximâ hominum frequentiâ celebratur, utpote ex omnibus populis ac Provinciis eò conveniente virorum multitudine, Præſes beatiſſimos Martyres ad tribunal adduci juſſit, tanquam in theatrali pompa eos populo oſtentans.* Quibus ex verbis Loydius & Dodwellus manifeſtum fieri arbitrantur, Martyres Lugdunenſes anno Chriſti C LXVII ſanguinem effudiſſe. Hæc Dodwelli verba loco laudato: *Ludos inſtituit Druſus Lugduni in honorem Julii an. U. C. DCC XLIII, ut è Dione collegit, & Livii Epitomatore doctiſſimus Pater Epiſcopus Aſaphenſis, Kalendis, ut videtur, Juliis illos dedicaturus. Sed repentino Germanorum incurſu impeditus eſt, ne illo anno dedicare poſſet. Proximo itaque anno venit in Galliam ipſe Auguſtus. Inde Ludi inſtaurati, non in Julii (ut antea conſtitutum erat) honorem ſunt, ſed ipſius Auguſti ipſis Kalend. menſe videlicet Auguſto ſacro. Meminit Suetonius, meminit etiam ſub Hadriano Juvenalis, & ſub Alexandro Severo Dio. Inſtituti ſunt Julo Antonio, Fabio Africano Coſſ. an. U. C. Varroniano DCC XLIV. Pentaeтericos fuiſſe probabile eſt, id eſt, quarto quoque anno abſoluto, quinto ineunte rediiſſe, ut pentaetericos explicat Cenſorinus (de Die Natali cap. 18.) In hos Ludos incidiſſe hanc perſecutionem ex ipſa conſtat Lugdunenſium Epiſtola. Annus itaque Urbis DCCCC XX agonalis fuerit neceſſe eſt, Chriſti nimirum pro Era vulgari C L X V I I.* Ita Dodwellus, ut perſecutionem illam ab anno Chriſti C LXXVII, in quem Ludos illos incidere non potuiſſe arbitratur, ſummoveat.

VI. *Ludi Lugdunenſes*

At licèt certum ſit, aram Lugduni primùm Auguſto dedicatam eſſe, *Kalendis Auguſtis Julo Antonio, Fabio Africano Coſſ.*

quotannis celebrati.

ut diſertè teſtatur Suetonius in Claudio cap. 2. Ludi tamen illi non ſingulis quinquenniis, ſed quotannis celebrati, ut obſervavit Marca in Diſſert. de Primatu Lugdunenſi num. c, & ſequentibus, qui fusè loquitur de Conventu illo populorum Galliæ, qui quotannis fiebat in colonia Lugdunenſi ad aram Auguſto Principi dicatam, ubi & ait, de eo Conventu accipi debere inſignem locum Epiſtolæ Lugdunenſium; de quo agitur, & Rufinum, laudatum Euſebii locum ſic vertere: *Die quodam celeberrimo, in quo ex omnibus Provinciis coeuntes nundinas celebrare ſolent.* Rectè Conventum ſolemnem, inquit Marca, ſeu [illegible], *nundinas* vertit: eo ſignificatu in veteribus Gloſſis, nundinæ, [illegible], quæ mercimonia quoque ſignificant, quòd agitari ſolerent diebus feſtis. Quòd autem apud Euſebium ex omnibus gentibus conflatum Conventum, intelligi debet de omnibus ſaltem trium Galliarum populis, id eſt, de populis Aquitanicæ, Belgicæ, & Lugdunenſis, quibus Galliarum partibus tres Galliarum partes à Julio Cæſare ſubactæ continebantur. Nam præter nundinas ſingulis annis fieri ſolitas, in honorem Auguſtorum primores illarum Provinciarum conveniebant ad hoc templum, & ſolennes feſtos dies agitabant, quam celebritatem ſeu feſtum Dio, non ſub Alexandro Severo, ſed lib. 54. *ſua ætate*, id eſt, ſub Principatu Alexandri Severi, qui anno CCXXII Imperium iniit, adhuc perdurare teſtatur. Quòd ſi contendat Dodwellus, Ludos illos ſingulis annis non eſſe Lugduni editos; unde habet eoſdem pentaetericos fuiſſe, aut aliquando non dilatos, aut anticipatos; cùm Nerone imperante Ludi Olympiaci omnium celeberrimi per biennium dilati fuerint, ipſaque Imperatorum Quinquennalia & id genus feſta ſæpe annis non ſuis celebrata conſtet? Certè anno Chriſti quadrageſimo, Urbis verò conditæ DCCXCIII, qui ſecundùm rationes Dodwelli agonalis non fuit, Caligula, dum Lugduni eſſet, Ludos illos celebrari juſſit, ut docet Suetonius in Caligula cap. 20. *Edidit & peregrè ſpectacula: in Sicilia Syracuſis aſticos Ludos, & in Gallia Lugduni miſcellos. Sed & certamen quoque Græcæ Latinæque facundiæ, quo certamine ferunt victoribus præmia victos contuliſſe, eorum & laudes componere coactos. Eos autem qui maximè diſplicuiſſent, ſcripta ſua ſpongiâ linguâve delere juſſos, niſi ferulis objurgari, aut flumine proximo mergi maluiſſent.* Suetonium verò de Ludis à Druſo inſtitutis loqui, certum facit Juvenalis Satyrâ primâ, ubi ait.

Palleat, ut nudis preſſit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunenſem rhetor dicturus ad aram.

Denique Caligulam anno Chriſti XL eos Ludos edidiſſe, diſcimus tam ex Suetonio loco laudato cap. 17. ubi prodit Imperatorem iſtum *Lugduni* tertium Conſulatum eo Chriſti anno geſtum iniiſſe, quàm ex Dione lib. 59. qui aſſerit, eum præfato anno in Britanniam trajeciſſe, per Gallias ſc. Ludi itaque Lugdunenſes extra legitimum tempus editi, aut, quod longè probabilius, quotannis de more exhibiti; neque propter conjecturas ſuprà recitatas perſecutio Lugdunenſis à præſenti anno dimovenda, certaque pro incertis relinquenda.

VII. *Quo in loco, quove die Martyres Lugdunenſes paſſi.*

Dubitandum non eſt, inquit Marca laudatus, quin ad recitationes iſtas publicas & ſolennes auditorium eſſet in ædibus Auguſti, ſuis gradibus, ſubſelliis, anabathris, & orcheſtrâ inſtructum. Ejuſmodi auditoria, quæ ex Hadriani inſtituto dicta ſunt *Athenæa*, ut patet ex Dione, Lampridio, Capitolino & Victore, quæ dein voce pauliſper deflexa *Athenica* dici cœperunt. Quod verbum uſurpatum à Trebellio ad ſignificandam Bibliothecam publicam. Inde dictum eſt *Athanacum* locus, ubi erat Athenæum, ac ſi diceres Athenaïcum, eadem inflexione, quâ ex Achæo fit Achaïcus. Unde in antiquis inſtrumentis vetus Monaſterium in area ædium Auguſti dirutarum extructum, dicitur *Athanacum*, vulgò *Aiſnay*. Quod nomen eidem loco erat ante Gregorii Turonenſis tempora, qui meminit Martyrum Athanacenſium, ita dictorum, ut ipſe notat, à loco ubi paſſi ſunt Lugduni. Quod indiget interpretatione: Martyres enim confecti ſunt in Amphitheatro, cujus rudera viſuntur in colle *Forviera*: ſed eorum corpora ludibriis plebis expoſita ſunt per ſex dies, dein combuſta, cinereſque dejecti in Rhodanum, Euſebio teſte, ſcilicet ad confluentes fluminum, ante Auguſtorum ædes, ut illis hæc quaſi victima Chriſtianorum devoveretur. Unde Gregorius diſertè obſervavit, in *Athanaco* combuſta fuiſſe Martyrum corpora, quæ tamen ſupplicio affecta in Amphitheatro Euſebius docuerat. Ad hæc, quòd Hieronymus, Ado, Uſuardus, Beda, Notkerus, aliique Natalem Lugdunenſium Martyrum in diem IV Nonas Junii conferunt, nihil nos movere debet; quia, ut ſcribit Valeſius in Notis ad laudatum Euſebii locum, diu poſt illorum necem, cùm illorum reliquiæ inventæ fuiſſent, hic dies potiſſimùm electus eſt, quo omnium ſimul memoria celebraretur; cùm tamen non uno eodemque die omnes paſſi ſint, ut ex Epiſtola Eccleſiarum Viennenſis & Lugdunenſis conſtat. Denique, quod ait Dodwellus citatus, perſecutionem, quæ ſub Marco contigit, ipſum non habuiſſe auctorem, nec tam multos coronatos, quàm putant, Martyres, ex Epiſtola Chriſtianorum Lugdunenſium evertitur. In ea enim dicitur: *Quippe reſcriptum fuerat à Cæſare, ut confitentes quidem gladio cæderentur: hi verò qui negarent, dimitterentur incolumes.* Auctor igitur perſecutionis Imperator; & an pauci fuerint, qui Chriſtum confeſſi martyrium pertulere, docet Euſebius loco numero tertio hujus anni relato. Verum quidem eſt, in quibuſdam Provinciis ex incurſione popularium perſecutionem ortam, ſed hoc non probat, paucos morte affectos, aut perſecutionem atrocem non fuiſſe. Quod non tantùm de Marci perſecutione, ſed & de aliis dicendum. Video enim Dodwellum ad paucitatem Martyrum oſtendendam, identidem Imperatores excuſare, culpamque in populum rejicere, quaſi furor populi Martyrum numerum minuerit. Sarta itaque tectaque Martyrologiorum fides, ſive edictis Principum Romanorum, ſive furore populorum Chriſtiani martyrio coronati fuerint.

Ad num. III. Quo anno, quibuſvis Im-

VIII. *Athenagoras Apologiam Marco & Lucio Vero obtulit.*

Baron. num. XXXIX & ſeqq.

peratoribus, Athenagoræ Athenienſis Philoſophi Legatio pro Chriſtianis contigerit, in controverſiam vocatum; ex titulo præſertim Legationis difficultas orta: *Imperatoribus M. Aurelio Antonino, & L. Aurelio Commodo Armeniacis, Sarmaticis, &, quod maximum eſt, Philoſophis.* Cùm enim tam L. Verus, qui cum M. Aurelio imperabat, quàm Commodus M. Aurelii filius, annoque ſuperiori Auguſtea dignitate cohoneſtatus, L. Aurelii Commodi nomina tulerint, Baronius, aliique multi eam Legationem ad M. Aurelium, & L. Aurelium Commodum, ejus filium, directam credidere; quam alii contendunt ad M. Aurelium & L. Verum ſcriptam eſſe. Verùm eam M. Aurelio & L. Vero, idque anno centeſimo ſexageſimo ſexto, oblatam eſſe, multa probant argumenta. Primùm, in fine Apologiæ Athenagoras ait: *Ecqui enim conſequentur æquius ea, quæ petunt, quàm nos adeo vobis devoti addictique? Nos enim pro Imperio veſtro preces ad Deum fundimus, & ut filius (quod juſtiſſimum eſt) in regno olim parenti ſuccedat.* Quæ verba de M. Aurelio & Commodo ejus filio jam Auguſto intelligi non poſſunt; cùm is jam cum patre imperaret, filioſque, qui ei ſuccederent, non haberet. Sed è contrà anno centeſimo ſexageſimo ſexto, quo Marcus & Lucius Verus imperabant, Commodus à patre, petente Lucio, Cæſar nuncupatus fuit, quem ut patri aliquando ſuccederet, Deum deprecari Chriſtiani poterant. Verum quidem eſt, in eadem Apologia pag. 17. editionis Pariſienſis legi: *Vos quidem in ſumma Imperii majeſtate, adeo conjunctis animis Orbem gubernatis, ut inde cæleſtis etiam Regni contemplationem clariùs animo quis complecti queat. Ut vobis enim patri & filio in poteſtate ſunt omnia, Regno divinitus in vos collato: (Regis enim anima, inquit ſpiritus Propheticus, in manu Dei eſt) ſic uni Deo, & Filio ejus, hoc eſt, Verbo inſeparabili, ſubjecta ſunt omnia.* Quæ verba demonſtrare videntur, eam Apologiam patri & filio Imperatoribus præſentatam eſſe. Sed obſervandum, Athenagoram Chriſtianos impietatis accuſatos defendentem, oſtendere, Deos Gentilium nullam vim atque efficaciam habere, uni verò Deo Chriſtianorum & Filio ejus ſubjecta eſſe omnia, uti in gubernatione Imperii patri & filio in poteſtate cuncta eſſent, Regno divinitus in eos collato; ubi L. Verum, qui M. Aurelii gener erat, filium vocavit, ut comparatio meliùs quadraret: nec aliud in hoc loco arcanum latet, ut rectè vidit Toinardus Vir eruditiſſimus, quando cum eo hanc ſententiam communicabam.

IX. *Hæc ſententia magis confirmata.*

Alterum argumentum deſumitur ex ſecunda Juſtini Apologia M. Aurelio & L. Vero oblata, in qua uterque Philoſophus appellatur, & de qua Hieronymus lib. de Eccleſiæ Scriptoribus loquens ait, pro Religione Chriſti in tantum laboraſſe, ut Antonino Pio librum contra gentes ſcriptum daret, & *alium librum ſucceſſoribus ejuſdem Antonini, M. Antonino Vero, & L. Aurelio Commodo*, ubi vides, L. Verum ab Hieronymo vocari L. Aurelium Commodum, & ſanctum Doctorem eundem titulum ſecundæ Juſtini

Apologiæ attribuere, quem ſuæ Legationi Athenagoras præfixit; quia nempe utrumque ſcriptum iiſdem Imperatoribus oblatum. Nec refert quòd L. Verus in Nummis nunquam dicatur *Commodus*, ſed tantùm *L. Aurelius Verus*, ut videre eſt apud Mediobarbum. Nam, ut ſuprà demonſtravi, Imperatores vulgò ſæpe aliis nominibus vocati, quàm in Nummis & Inſcriptionibus, ut vel locus laudatus Hieronymi nos dubitare non ſinit. Duo itaque illi Philoſophi in titulo Legationis Athenagoræ memorati, M. Aurelius & L. Verus; non verò Marcus & Commodus ejus filius; cùm is nec moribus, nec doctrinâ unquam Philoſophus fuerit, ſed, ut ait Lampridius in ejus Vita, *à prima ſtatim pueritia turpis, improbus, crudelis, libidinoſus, ore quoque pollutus & conſtupratus* fuerit. Præterea in laudato hujus Legationis titulo uterque Imperator *Armeniacus* nuncupatur, quod nomen Commodo M. Aurelii filio attributum non invenimus. Verum quidem eſt, utrumque Imperatorem in eodem *Sarmaticum* etiam appellari, quo nomine L. Verus Marci in Imperio Collega vocatus non fuit; cùm tamen Commodus Marci filius jam ab uno aut altero anno *Sarmaticus* in Nummis dicatur. Sed titulus ille intruſus videtur, & in Græco loco σαρματικοῖς, id eſt, *Sarmaticis*, legendum, παρθικοῖς, id eſt, *Parthicis*.

X. *Quo anno ea Apologia præſentata.*

Baron. num. XL.

Eam Apologiam Athenagoras Marco & Lucio Imperatoribus obtulit anno Chriſti centeſimo ſexageſimo ſexto, quo pacem per Orbem Romanum viguiſſe monſtravimus. In ea enim Legatione legitur: *Univerſus hic terrarum Orbis, veſtra prudentia beneficio, altiſſima pace perfruitur.* Quare Dodwellus, qui in Diſſert. XI Cyprianica de Paucitate Martyrum num. XXXVII, ubi hanc Apologiam M. Aurelio & L. Vero porrectam rectè ſcribit, in anno, quo ea iis Imperatoribus oblata, manifeſtè peccat. Ait enim, Athenagoram eam ſcripſiſſe anno centeſimo ſexageſimo octavo, quo tamen bellum ardebat, & uterque Auguſtus IMP. V. appellatus eſt, ut ſuo loco dictum. Verum quidem eſt, currenti anno pacem præcedenti ſancitam, adhuc ſervatam fuiſſe. Nam Mediobarbus hunc M. Aurelii Nummum producit: M. ANTONINUS AUG. GERM. SARM. TR. P. XXXI. in poſtica: IMP. VIII. COS. III. P. P. S. C. PAX ÆTERNA AUG. Cernitur figura ſtans clypeorum acervum incendens, & ſiniſtrâ cornucopiæ tenens. Refert & alia eandem in rem Numiſmata Mediobarbus, quæ cùm Tribunitia Poteſtate XXXI hoc anno inchoata notentur, apparet, verum eſſe quod ſcribit Baronius, hoc nempe anno Orbem Romanum in pace fuiſſe. Verùm ex ea deduci non poteſt, Legationem Athenagoræ ad præſentem annum pertinere, ut ex dictis liquet. Neque præterea verum eſt quod ſcribit Baronius, uſque ad præſentem annum, M. Aurelii decimum ſeptimum, bellum in Imperio arſiſſe; cùm ſexto Imperii ejus anno omnia tranquilla fuiſſe ſuo loco demonſtraverimus. Denique fallitur doctiſſimus Cardinalis, quando dicit bellum hoc anno rurſus inſtauratum, ut anno ſequenti oſtendemus.

XI. *Obitus S. Soteris PP.*

Ad num. IV. S. *Soter* Pontifex Romanus ad Deum migravit anno centeſimo ſeptuage-

Baron. num. L & LI. ſimo Cethegi & Clari Conſulatu notato, ut habet auctius Chronicon veterum Pontificum. Chronicon enim Damaſi per hæc tempora corruptum, in eoque hæc tantùm verba leguntur: *Soter annis novem, menſibus tribus, diebus duobus. Fuit temporibus Antonini & Commodi à Conſulatu Veri & Erenniani, uſque Paterno & Bradua.* Ubi Eleutheri nomen deſideratur, quamvis hæc verba, *fuit temporibus*, & ſequentia, de eo, non verò de Sotere dicantur, & deſiderentur Conſules, tam quibus *Soter* cœpit, quàm quibus vivendi finem fecit. Is tamen defectus ex auctiori Chronico veterum Pontificum ſuppleri poteſt. Colitur Soter die XXII Aprilis, qui potiùs ad aliquam ejus Tranſlationem, quàm ad ejus mortem referendus. Sedit annos novem & aliquot menſes ac dies, ut in variis Catalogis legitur, eique Eleutherus ſucceſſit.

XII. *Decretales Soteris.* Decretales duæ *Soteri* adſcribuntur, quæ Viris eruditis exiſtimantur ſuppoſititiæ. Prior eſt ad Campaniæ Epiſcopos, in qua habetur teſtimonium ex Idacio deſumtum. Secunda verò epiſtola ad Epiſcopos Italiæ ſcripta, habet varia ex Leone primo & Martino primo, quæ eam commentitiam probant.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5671. ☉19 E. ☽8. P.20. APRIL. INDICT. 1.

JESU CHRISTI 178. *ſecundùm Baronium* 180.

ELEUTHERI PAPÆ 9.

MARCI AURELII IMP. 18. ET COMMODI IMP. 3.

I. *Conſules.* COſs. *Julianus Rufus*, & *Gavini Orfitus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari pag. 113.

II. *Bellum Germanicum, & nuptiæ Commodi cum Criſpina.* Lampridius in Commodo cap. 12. de hoc Imperatore loquens ait: *Iterum profectus* (ſcilicet in Germaniam) *tertio Nonas Commodias*, (nempe menſis Auguſti) *Orfito & Rufo Conſulibus*, ideoque præſenti anno pax rupta, & bellum Germanis illatum. Baronius eam anno præcedenti fractam credidit, (Baron. an. 179. num. LV.) quòd Capitolinus in Marco ſcribat: *Filio ſuo Brutii Præſentis filiam junxit, nuptiis celebratis exemplo privatorum; quare etiam Congiarium populo dedit. Deinde ad conficiendum bellum converſus, in adminiſtratione ejus belli obiit. Triennio bellum poſtea cum Marcomannis, Hermunduris, Sarmatis, Quadis etiam egit.* Quare cùm M. Aurelius anno CLXXX ſupremum diem obierit, illud triennium ab anno præcedenti inchoatum fuiſſe Baronius autumavit. Verùm triennium illud utrimque incompletum intelligendum, & præſenti anno auſpicandum. Dio enim lib. 71. utrumque Imperatorem eam expeditionem ſuſcepiſſe tradit, poſtquam Commodus *Criſpinam* Brutii Præſentis filiam uxorem duxit. Illud autem matrimonium anno præcedenti peractum, quo Marcus Imperii Proconſularis ſeptima Quinquennalia dedit. Animadverti enim, Auguſtorum & Cæſarum nuptias annis hujuſmodi ſolenniis addictis de more celebratas eſſe. Quare cùm hoc tantum anno Commodus in Germaniam profectus ſit, Marci profectio alio anno non contigit; cùm Dio citatus dicat: *Poſtquam res Scythicæ præſentiam ejus iterum poſtulare viſæ ſunt, Criſpinam celeriùs quàm vellet, ob hanc cauſam filio in matrimonium collocavit, &c. Quamobrem ipſi Imperatores neceſſariò profecti ſunt*, menſe nempe Auguſto, ut dixi.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5672. ☉20 D. ☽9. P.12. APRIL. INDICT. 2.

JESU CHRISTI 179. *ſecundùm Baronium* 181.

ELEUTHERI PAPÆ 10.

MARCI AURELII IMP. 19. ET COMMODI 4.

I. *Conſules.* COſs. *L. Aurelius Commodus Aug. II*, & *T. Annius Aurelius Verus II*, ut ex duabus vetuſtis Inſcriptionibus oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari. Commodi Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam: Quindecennalia enim Imperii Cæſarei celebravit. (*Quindecennalia Imperii Cæſarei Commodi.*) Ad ea referendus Commodi Nummus à Mediobarbo recitatus, in cujus poſtica legitur: LIBERALITAS AUG. TR. P. V. COS. II. P. P. S. C. Viſitur Imperator ſedens in ſubſtructione cum alia figura ſtante, Congiarium diſtibui jubens. Congiarium autem in hujuſmodi feſtivitatibus de more diſtributum.

II. *Barbari victi.* Hoc anno *Paternus* Marci Aurelii Legatus adverſus Barbaros miſſus eſt. *Reſtitere Barbari totam diem, tandem verò omnes à Romanis cæſi ſunt. Marcus decimùm Imperator dictus eſt*, inquit Dio lib. 71. Hinc in Nummis notatis Tribunitia Poteſtate XXXIII hoc anno aſſumta dicitur IMP. VIIII, vel IMP. X; & Commodus ejus filius, qui antea dicebatur TR. P. IIII. IMP. III, dicitur TR. P. V. IMP. IIII, ut videre eſt apud Mediobarbum.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5673. ☉21 CB. ☽10. P.3. APRIL. INDICT. 3.

JESU CHRISTI 180. *ſecundùm Baronium* 182.

ELEUTHERI PAPÆ 11.

COMMODI IMP. 5. ET 1.

I *Conſules.* COſs. *L. Fulvius Bruttius Præſens II*, & *Sex. Quintilius Condianus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari pag. 115. Erat Bruttius Præſens pater Criſpinæ uxoris Commodi, ob idque altero Conſulatu hoc anno à M. Aurelio decoratus.

II. *Obitus M. Aurelii.* Ad num. I. M. Aurelius XVI Kalend. April. ut Tertullianus & Dio teſtantur, die nempe decima ſeptima Martii, è vivis exceſſit. Addit Dio, eum imperaſſe annos XIX, dies XI; qui cùm Tribunitiam Pot. XXXIV inierit, ut ex Nummis apud Mediobarbum liquet, eâ anno Chriſti CXLVII, & quidem

ante diem decimum ſeptimum Martii, donatum fuiſſe manifeſtè apparet. Natus erat VI Kalend. Maii anni Chriſti CXXI, ut ex Capitolino in ejus Vita colligitur; quem diem etiam exhibet Calendarium Lambecianum. Quare vixit annos LVIII, menſes X, dies XXII, ut Dio notavit.

III. *M. Aurelii filii maſculi.* Marcus Aurelius, poſtquam ſolus imperavit, tres è Fauſtina juniori ſuſcepit maſculos, Commodum, qui ei in Imperio ſucceſſit, Antoninum quadrimeſtrem demortuum, & Annium Verum ſeptimo ætatis anno extinctum, de quibus ſuis locis actum. Verùm ex veteri Collectione Inſcriptionum Romanarum à Mabillonio V. C. tom. IV veterum Analectorum evulgata diſcimus, Marcum, dum tantùm Cæſar eſſet, duos alios filios genuiſſe, quorum nulla ab Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus mentio, quia, ut videtur, antequam is imperaret, mortem obiere, eamque ob rem ab iiſdem prætermiſſi. In ea Collectione hæ duæ Inſcriptiones recitantur: *T. Aurelius Antoninus M. Aurelii Cæſaris filius, Imp. Antonini Auguſti Pii, P. P. nepos.* Altera: *T. Ælius Aurelius, M. Aurelii Cæſaris & Fauſtinæ Aug. filius, Imp. Antonini Aug. Pii nepos.* In quibus Inſcriptionibus Antoninus non dicitur *Divus*, neque Marcus Aurelius *Auguſtus*, ideoque ante Antonini mortem dedicatæ, ut rectè cenſuit Mabillonius. Bellorius, V. C. in Diſſert. de Nummo Commodi & Annii Veri Cæſarum, qui in una parte habet: COMMODUS CAES. ANTONINI AUG. FIL. in altera: ANNIUS. VERUS. CAES. ANTONINI. AUG. FIL. hos duos Cæſares cum duobus Antonini Pii filiis, ſuo loco à nobis memoratis, confundit; cùm tamen Antonini Pii filii nunquam dignitate Cæſarea exornati fuerint, & diverſa prænomina geſſerint. Quare Marcus Galerius Antonini filius idem non eſt cum Annio Verò Cæſare, quod tamen Bellorius colligi putat ex Annii nomine, quod legitur in Græco Nummo, qui in antica exhibet ſenioris Fauſtinæ caput velatum, in poſtica Annii vultum cum prænomine Marci, & nominibus Annii Galerii Antonini. Nam Annius Verus Cæſar appellatus Annius fuit, quia avus ejus paternus erat Annius Verus, quo etiam nomine proavus ejus vocatus, ut videre eſt apud Capitolinum in Marco cap. 1.

IV. *M. Aurelii filiæ.* Herodianus lib. 1. cap. 2. ſcribit, Imperatorem Marcum *filias* ſuſcepiſſe *complures*, & *optimis ex ordine Senatorio viris* collocaſſe. Major nata Lucilla, ut eam is Auctor appellat, quæ Lucio Vero Imperatori nupſit. Altera *Fadilla*, quem Herodianus lib. 1. cap. 16. maximam natu ſororem Commodi Auguſti etiam nominat, poſtquam nempe is Lucillam occidiſſet; tertia Domitia Fauſtina, ex Epigraphe, quæ in præfata Collectione legitur, nota: *Domitia Fauſtina M. Aurelii Cæſaris filia, Imp. Antonini Auguſti Pii P. P. neptis.* Fauſtina à matre, Domitia ab avia materna appellata; Capitolinus enim in Marco cap. 1. ait, Marci matrem, fuiſſe Domitiam Calvillam. Cùm autem Domitia Fauſtina in ea Inſcriptione dicatur Cæſaris filia, nata erat antequam pater Auguſteam dignitatem conſequeretur. Herodianus lib. 4. cap. 6. poſtquam narravit, Caracallam interfeciſſe Getam fratrem, quod anno CCXII factum, ait, eum & Commodi ſororem jam *anum*, atque ab omnibus Imperatoribus magno in honore habitam, morte affeciſſe. Hæc una ex alterutris, antequam Marcus imperaret, ut videtur, nata. Habuit & alias duas filias Marcus, Sabinam ſcilicet, cujus mentio in Inſcriptione Gruteriana pag. ... & Lucillam minorem nuptam Pertinaci, cujus meminit Herodianus lib. 4. cap. 6. Lucilla major natu filia poſt Lucii Veri Imperatoris obitum Claudio Pompeiano, ut in Annalibus dicitur, nupta. Duos alios Marci Aurelii generos obſervavi, *Antiſtium Burrhum* anno CLXXXI Conſulem ordinarium, & *Petronium Mamertinum* anno CLXXXII Conſulem etiam ordinarium, ut iiſdem annis oſtendo. Sed quarum præcisè Marci filiarum mariti fuerint, mihi incompertum. Porro numerus filiorum Marci malè, ut mihi videtur, à variis Viris doctis ex Nummo Fauſtinæ junioris Auguſtæ, qui apud Mediobarbum pag. 230. & in Cimeliis Principum extat, deductus. In ejus poſtica parte cernitur mulier cum ſex puerulis, quatuor ad pedes, & duos brachiis geſtans, cum his verbis circùm: TEMPOR. FELIC. id eſt, *Felicitas temporum.* Verùm hæc repræſentatio ſymbolica, quæ ideo ad Marci Aurelii genealogiam explicandam nihil conducit. Apud Mediobarbum pag. 186. refertur *Sabinæ*, Hadriani Auguſti conjugis, Numiſma, in cujus averſa parte legitur: PIETAS AUG. S. C. Viſitur figura ſtans ambas manus porrigens, duobus parvulis ad pedes ſtantibus. Ibidem pag. 118. exhibetur Nummus Flaviæ Domitillæ Veſpaſiani conjugis, antequam is imperaret, demortuæ, ut teſtatur Suetonius in Veſpaſiano. In poſtica habetur: PIETAS AUGUST. Repræſentatur figura muliebris ſedens, & pro pedibus puerulus. Pag. 283. habetur Nummus Juliæ Severi Auguſti uxoris, in cujus poſtica, FECUNDITAS S. C. Cernitur figura muliebris ſtans, ſiniſtro brachio puerum tenens, ad cujus pedes duo alii pueri. Denique pag. 239. exhibetur Nummus Lucillæ, Lucii Veri Imp. conjugis, in cujus poſtica; SECURITAS. Cernitur figura ſedens cum tribus infantulis, quorum unus lactens in gremio, duo ad pedes colludunt. Sanè ſi quis his Nummis innixus contenderet, Domitillam unicum filium reliquiſſe, Sabinam duos genuiſſe, Juliam tres, & Lucillam etiam tres, is valde falleretur. Neque denique puerulus in Nummo Domitillæ repræſentatus, Titus eſſe poteſt, aut Domitianus; cùm prior annum ferè triceſimum, poſterior ferè viceſimum ageret, quando Veſpaſianus ad Imperium pervenit, & in defunctæ uxoris honorem Numiſmata percuti cœpere.

Olymp. 240.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5674. ☉ 22 A. ☽ 11. P. 16. APRIL.
INDICT. 4.
JESU CHRISTI 181. *ſecundùm Baronium* 183.
ELEUTHERI PAPÆ 12.
COMMODI IMP. 6. & 2.

I. *Conſules.* COss. *L. Aurelius Commodus Aug. III.* & *Antiſtius Burrhus II.* Burrhum cum nota numerali edendum docent Anonymus Cuſpiniani & Auctor Chronici Alexandrini. Erat *Burrhus*, ſeu, ut alii vocant, *Byrrus*, ſororis Commodi Auguſti maritus, ut teſtatur Lampridius in Commodo cap. 6. ejuſque meminit Capitolinus in Pertinace cap. 3. Spanhemius Diſſert. 11 de Præſtantia & Uſu Numiſmatum, & Noriſius in Cenotaphiis Piſanis pag. 440. obſervant, Antiquos propria nomina ſcribentes, ſæpe pro *V* poſuiſſe *Y*. Unde promiſcuè dixere *Syllam* & *Sullam*, *Syriam* & *Suriam*, *Boryſtenem* & *Boruſtenem*. Priores porro Conſulatus digniores, ideoque propinquis Imperatorum aut viris illuſtrioribus attributi.

II. *Imperii Proconſularis Commodi Quinquennalia, ejuſque triumphus.* Conſulatus Commodi juxta priorem Conſulatuum Cæſareorum regulam: Imperii enim Proconſularis Quinquennalia exhibuit. Extat Nummus Commodi apud Mediobarbum pag. 246. in cujus averſa parte legitur: VOTA DECENN. SUSC. TR. P. VI. IMP. IIII. COS. III. P. P. S. C. Tribunitiam Pot. VI quinto Kalendas Septembris anni elapſi Commodus ſuſcepit, ideoque currenti anno, quo tertium Conſulatum geſſit, ea ſolennia exhibuit, & quidem die XVII Martii poſterioris Imperii Auguſtei natali. Quando enim aliquis Imperator varia hujuſmodi feſta celebrabat, quilibet dies natalis Imperii, ſive Proconſularis, ſive Auguſtei indiſcriminatim uſurpabatur, ut in Diſſert. Hypat. oſtendi. Cum Quinquennalibus, ut moris erat, triumphum conjunxit. Illum enim præſenti anno de Germanis triumphaſſe, non tantùm Euſebius & Marianus Scotus in Chronicis teſtantur; ſed & oſtendit Nummus Commodi, quem Patinus in Numiſmatis Imperatorum producit. In ejus averſa parte repræſentatur quadriga triumphalis cum his verbis circùm, TR. P. VI. IMP. IIII. COS. III. P. P. & infrà, S. C.

III. *Legatos Romam Lucius Britanniæ Rex mittit.* Ad num. I. Uſſerius lib. de Britannicarum Eccleſiarum primordiis cap. 4. quo anno Lucius Britanniæ Rex Legatos ad Eleutherum Papam miſerit, diligenter inquirit, & opiniones viginti tres ea de re recitat, quarum maxima pars in eo convenit cum Beda & Mariano Scoto, quòd initio Pontificatus Eleutheri ea Legatio deſtinata fuerit. Baron. num. III & ſeq. Baronius Lucium Commodo imperante converſum ſcribit, quod primus tradidit Rogerus *de Wendover* in Chronico circa annum 1235. in lucem edito. Citat pro ſua opinione Baronius Adonem in Chronico, qui tamen, quemadmodum & Beda, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, aliique plures ab Uſſerio laudati hanc converſionem ad M. Aurelii tempora retulerunt, quibus longè major fides habenda. Baronius in Annalibus hæc ex vetuſtioribus monumentis de Lucio prodita eſſe ſcribit: *Lucius nunquam ſe Chriſtianæ Religioni infenſum exhibuit, hoſtémve: ſed quòd Chriſtianorum miracula ſimul & vitæ integritatem admiraretur, in eoſdem propenſior videbatur: amplexuſque fuiſſet jam antè Chriſtianam Religionem, niſi avita velut nexibus obligatus eſſet ſuperſtitione, niſi etiam conſpexiſſet Chriſtianos ab Ethnicis ipſis, ut infames vileſque haberi, à Romanis ipſis, apud quos ſumma rerum eſſe videbatur, & gladio & injuriis aſſiduò lacerari. Comperit tamen poſtea, novitque ex Legatis Cæſaris, Senatores etiam aliquos Chriſtianos factos eſſe, & inter alios Pertinacem quemdam atque Trebellium, Imperatoremque ipſum M. Aurelium, victoriâ eorum precibus obtentâ, benignè habuiſſe Chriſtianos. Quibus his aliiſque perceptis, Lucius Legationem miſit ad Eleutherum Romanum Pontificem per Elvanum & Meduinum Britannos: rogans per eos Eleutherum, ut per ſe ſuoſque miniſtros ad Chriſtianam Religionem ſuſcipiendam aditum patefaceret, quod & obtinuit. Nam idem Pontifex Fugatium & Donatianum, aliter Damianum in Britanniam miſit, qui Regem & alios Chriſtiana Religione imbutos ſacris initiarent myſteriis; quod & naviter impleverunt.* Eandem rem narrant Magdeburgenſes Centur. 2. cap. 2. colum. 8. licet verbis aliis ac plenioribus, uſque ad hanc phraſim, *quibus his aliiſque perceptis*, &c. Sed hæc ex vetuſtis monumentis minimè deſcripta, verùm planè fabuloſa, cujus fabulæ originem Uſſerius laudatus detexit. Legerat in Hectore Boëthio lib. 5. Hiſtoriæ Balæus Centuriâ primâ cap. 29. Lucium *de Chriſtianorum pietate & miraculis, à Romanis in Britanniam ſub Trebellio & Pertinace merentibus permulta audiſſe.* Quod ille hunc in modum amplificat: *Erat* Lucius *aliquantulum (ut apparet) in Chriſto paupere cum Judæis ſcandalizatus. Nam licèt à centum & ampliùs annis propagata fuiſſet per Britanniam Chriſtiana Religio, ei nihilominus debito videbatur carere ſplendore, quo illuc uſque adminiſtrata fuiſſet per ſolos pauperes, abjectos & ſimplices homines, ſaltem non fulcita Romana auctoritate. Cùm audiſſet igitur per Cæſaris Legatos, Trebellium & Pertinacem, Romanorum illuſtres aliquot, acquieſcente perſecutione, illam admiſiſſe, cogitabat aliquantò rem ipſe digniorem.* Iſta negligentiùs Magdeburgenſes percurrentes, ipſos Legatos pro illuſtribus illis Romanis acceperunt, à quibus Religionem Chriſtianam ſuſceptam fuiſſe; Luciumque Ceſaris Legatos audiviſſe voluit Balæus. Atque hæc, inquit Uſſerius, vera origo eſt jocularis hujus fabellæ, quæ prorſus rejicienda. Illud enim ridiculum, comperiſſe Lucium ex Legatis Cæſaris, Senatores etiam aliquos Chriſtianos factos eſſe, & inter alios Pertinacem quemdam atque Trebellium. Neque enim alius fuit Pertinax iſte, quàm ille ipſe, qui ſub Commodo Imperatore Legatus miſſus eſt in Britanniam, ut docet Capitolinus, eique poſtea in Imperio ſucceſſit: quem Chriſtianum factum fuiſſe, nullus ſibi perſuaſerit.

Ad num. IV. Auctor Chronici Alex. ſub

IV. *Theodotio & S. Irenæus Opera ſua publicant.*

Baron. ann. 184. num. 1.

Conſulatu Marcelli, ut ipſe vocat, & Æliani anno CLXXXIV geſto ait: *His Conſulibus Theodotio quiſpiam, in Ponto natus, Marcionis Hæreſiarchæ (qui & ipſe Sinope Ponti oriundus erat) poſthumus & ſucceſſor: alienus & ipſe poſtea à Marcione in Judaïſmum inclinavit, illorumque (Judæorum, inquam) literas & linguam complexus, edidit non pauca jam antè per ſeptuaginta duos Interpretes vulgata & reddita, ut Epiphanius Cypri Epiſcopus refert*; libro ſcilicet de Ponderibus & Menſuris. Quare Verſio Theodotionis eo anno, quo Commodus Quinquennalia Imperii poſt patris mortem ſuſcepti celebravit, publicata. Theodotionis mentionem facit Irenæus in libris contra Hæreſes, quos Pontificatu Eleutheri ſcriptos conſtat, ipſo Irenæo teſte in libro tertio illius Operis. Quare exiſtimavit Auctor Chronici Alex. Eleutherum anno CLXXXIV adhuc in vivis fuiſſe: cùmque anno CLXXXV Eleutherus ad cæleſtem patriam migrarit, libros ſuos contra Hæreſes alterutro anno ſcripſit Irenæus, juxta Auctoris Chronici Alex. ſententiam.

V. *Liber Ariſteæ ſuppoſititius.*

Baron. ann. 231. num. XXIX & ſeqq.

Ad num. V. Libellus Ariſteæ *de Legis Divinæ ex Hebraica lingua in Græcam tranſlatione per ſeptuaginta Interpretes*, inter ſuppoſititios cenſetur à Viris doctiſſimis, tum ex Catholicis, tum ex Proteſtantibus. Nec refert, quòd ſancti Patres *Ariſteæ* Hiſtoriam tanquam veram narrationem Operibus ſuis inſeruerint; nam ea utrum eſſet vera, necne, non erat cur criticè inquirerent, quandoquidem Græca ſeptuaginta Seniorum verſio, quâ tunc Eccleſia utebatur adverſos Judæos, qui contextum Hebræum inter diſputandum Chriſtianis paſſim opponebant, illius fidem egregiè tuebatur. Neque erat, quòd Patres verſionem illam non amplexarentur, quam Judæi penitus rejicere non poterant. Hieronymus ea, quæ in omnium ore vulgò habebantur de ſeptuaginta Interpretum cellulis, evertere non dubitavit: *Neſcio*, inquit, *quis primus Auctor LXX cellulas mendacio ſuo ſtruxerit.* Juſtinum deinde cellarum teſtem oculatum deridet, ut virum ſimpliciorem, qui Judæorum fabulas arripuerit. Similiter nec veritus eſt in eodem argumento à reliquis Patribus diſcedere, dum Ariſteæ ipſius & Joſephi auctoritate communitus ſeptuaginta Interpretes *contuliſſe*, non verò *propheta*ſſe aſſerit: *Aliud eſt enim*, inquit, *Vatem, aliud eſt eſſe Interpretem: ibi Spiritus ventura prædicit, hic eruditio & verborum copia, ea quæ intelligit, transfert.* Univerſa libri Ariſteæ oratio ita compoſita eſt, ut à Judæo quodam Helleniſta, gentis ſuæ amantiſſimo, conſtructa fuiſſe videatur. Qua de re legendi Scaliger in Notis ad Chronicon Euſebii, Valeſius in Notis ad lib. 5. Hiſt. Euſebii cap. 9. Humfredus *Ody* in Diſſertatione contra Hiſtoriam Ariſteæ de Interpretibus, aliique plures. Licèt autem Hiſtoria, quæ ſub Ariſteæ nomine circumfertur, commentitia ſit, malè tamen quis inde tranſlationi, quæ diu in Synagoga & in Eccleſia fidem obtinuit, detraheret. Ea ab Apoſtolis laudata, neque alio inſtrumento Fides Chriſtiana per univerſum Orbem propagata eſt. Eam adhuc pleræque Eccleſiæ retinent, neque etiam ætate noſtra aliam fortè retineret Orbis Catholicus, niſi novam Hieronymus ex Hebraïcis fontibus tranſlationem concinnaſſet; ad quam converſionem, quæ non immeritò poſtea in Eccleſiæ uſum ceſſit, graviſſimis rationibus adductus eſt Hieronymus, inquit Simonius in Diſquiſitionibus Criticis de variis Bibliorum editionibus cap. 15.

ANNO PERIODI GRÆCO ROMANÆ 5675. ☉ 23 G. ☽ 12. P. 8. APRIL. INDICT. 5.
JESU CHRISTI 182. *ſecundum Baronium* 184.
ELEUTHERI PAPÆ 13.
COMMODI IMP. 7. & 3.

COss. *Petronius Mamertinus*, & *Trebellius Rufus*. Erat Mamertinus ſororis Commodi Auguſti maritus, ut diſcimus ex Lampridio in Commodo cap. 7. ideoque ipſo Imperii initio Conſulatus in eum collatus. I. *Conſules.*

II. *Vicennalia Imperii Cæſarei Commodi.*

Vicennalia Imperii Cæſarei anno uno Commodus anticipaſſe videtur, quòd prioris ejus Imperii Auguſtei Quinquennalia in annum ſequentem inciderent, neque duo iſtiuſmodi feſta idem Imperator eodem anno unquam celebrarit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5676. ☉ 24 F. ☽ 13. P. 31. MART. INDICT. 6.
JESU CHRISTI 183. *ſecundùm Baronium* 185.
ELEUTHERI PAPÆ 14.
COMMODI IMP. 8. & 4.

COss. *L. Aurelius Commodus Aug. IV*, & *Victorinus II.* Hunc enim cum nota numerali edendum oſtendit Inſcriptio Gruteriana pag. 35. I. *Conſules.*

II. *Quinquennalia prioris Imperii Auguſtei Commodi.*

Conſulatus Commodi juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam; Quinquennalia enim Imperii Auguſtei vivente patre ſuſcepti dedit, ut conſtat ex Nummo qui extat apud Mediobarbum pag. 248. inſcripto: M. COMMODUS ANTONINUS AUG. PIUS BRIT. In poſtica: VOTA DECENN. SUSC. TR. P. VIII. IMP. VI. COS. IIII. P. P. S. C. Viſitur figura ſacrificans coram ara. Sed hæc feſtivitas anno uno dilata fuit; cùm anno præcedenti, quo ſextus prioris ejus Imperii Auguſtei abſolutus eſt, celebrari debuiſſet, ut moris erat; ac præterea die XVII Martii poſterioris ejus Imperii Auguſtei natali peracta eſt; menſe enim Auguſto hujus anni Tribunitiam Pot. IX Commodus iniit; qui cùm in antica *Britannicus* appelletur, & hoc nomen in Nummis Tribunitiâ Poteſtate IX notatis crebrò occurrat, apparet, bellum Britannicum, quod, ut inquit Xyphilinus, *omnium longè maximum fuit*, hoc anno inchoatum eſſe, & Commodum, qui antea dicebatur *Imperator V*, propter victorias à Legatis, per quos illud bellum geſſit, reportatas, nuncupatum eſſe *Imp. VI.* Cùm autem Perennis, quando bellum Britannicum cœptum, adhuc

in vivis eſſet, Xyphilino & Lampridio in Commodo cap. 6. teſtibus, liquet, Mediobarbum laudatum deceptum eſſe, dum ſcripſit, Perennem anno ſuperiori occiſum, eumque perperam belli Britannici initium in annum ſequentem diſtuliſſe. De hoc bello loquitur Baronius anno ſecundo Commodi.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5677. ☉ 25 E D. ☽ 14. P. 19. APRIL.
INDICT. 7.
JESU CHRISTI 184. *ſecundùm Baronium* 186.
ELEUTHERI PAPÆ 15.
COMMODI IMP. 9. & 5.

I. *Conſules.* COss. *M. Eggius Marullus*, & *Cn. Papirius Aelianus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſt. Conſulari ex Inſcriptione Romana à Sponio recitata. *Marcellus* itaque ab Auctore Chronici Alex. Baronioque propoſitus, Conſul tantùm ſuffectus fuit.

II. *Quinquennalia poſterioris Imperii Auguſtei Commodi.* Commodus Quinquennalia Imperii poſt patris mortem initi celebravit, ut demonſtrat Nummus apud Mediobarbum, in cujus poſtica legitur: VOTA DECENN. SUSC. TR. P. VIIII. IMP. VI. COS. IIII. P. P. S. C. Viſitur figura ſacrificans coram ara. Tribunitia Pot. IX adhuc in curſu fuit uſque ad V Kalend. Septemb. hujus anni, quo decimam iniit. Atque hinc liquet, non tantùm Commodum fuiſſe primum, qui Vota Quinquennalia in Nummis expreſſerit, ſed etiam Imperatores tot Quinquennalia & id genus feſta repræſentaſſe, quot modis in Imperium vocati fuiſſent. Quare quia Commodus primùm à patre Cæſar dictus, poſtea Imperio Proconſulari donatus, tum in Auguſtei Imperii conſortium allectus, ac denique quia poſt patris obitum ſolus imperavit, quatuor Quinquennalia, aliaque id genus ſolennia edidit, quorum tria poſteriora Nummis ſculpta, ut oſtendimus; non item priora, quia ſcilicet minori pompa fieri ſolita; quæ tandem tamen in Nummis memorata, ut ſuo loco videbimus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5678. ☉ 26 C. ☽ 15. P. 4. APRIL.
INDICT. 8.
Olym. 241. JESU CHRISTI 185. *ſecundùm Baronium* 187.
VICTORIS PAPÆ 1.
COMMODI IMP. 10. & 6.

I. *Conſules.* COss. *Triarius Maternus*, & *M. Atilius Metilius Bradua*.

II. *Decennalia Imperii Proconſularis Commodi.* Decennalia Imperii Proconſularis Commodi hoc anno edita, ut liquet ex Nummis, quos Mediobarbus pag. 249. recitat, perperamque cum anno præcedenti conjungit. In eorum poſtica legitur: VOTA SUSCEP. DECENN. P. M. TR. P. X. IMP. VII. COS. IIII P. P. S. C. In illis viſitur Imperator ſacrificans. Nec refert, quòd in Decennalibus Vota Decennalia ſecunda, non verò ſimpliciter Vota Decennalia, ut in Quinquennalibus fieri ſolitum erat, nuncuparentur; nam in laudata Epigraphe ſubintelligitur nota numeralis II, ita ut ſenſus ſit, *Vota ſuſcepta Decennalia II.* Sic Vota Decennalia Antonini Pii in Nummo apud Mediobarbum pag. 199. his verbis exprimuntur: VOTA SUSCEP. X. COS. IIII. cùm tamen, poſtquam Conſulatum quartum Antoninus Pius iniit, Vota tantùm ſecunda Decennalia ſuſceperit. Is loquendi modus in Nummis M. Aurelii etiam uſurpatur, ut videre eſt apud Mediobarbum pag. 222. Noriſius in Epiſt. Conſulari pag. 121. præfatum Commodi Nummum repræſentat; ſed Typographi errore, loco, IMP. VII. COS. IIII. perperam habet, IMP. VII. COS. III. Porro cùm Commodus Tribunitiam Poteſtatem undecimam hoc anno V Kalend. Septemb. inierit, patet, hæc Decennalia anticipata fuiſſe, ac die natali poſterioris Imperii Auguſtei celebrata.

Eleutherus Papa hoc anno è vivis exceſſit, eique *Victor* ſucceſſit, ut infrà videbimus. III. *Eleutheri PP. obitus.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5679. ☉ 27 B. ☽ 16. P. 27. MART.
INDICT. 9.
JESU CHRISTI 186. *ſecundùm Baronium* 188.
VICTORIS PAPÆ 2.
COMMODI IMP. 11. & 7.

COss. *Commodus Aug. V*, & *M. Acilius Glabrio II*, ut demonſtrat Noriſius in Epiſt. Conſulari. I. *Conſules.*

Decennalia prioris Imperii Auguſtei hoc anno à Commodo exhibita, qui ideo Conſulatum quintum juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam iniit. Extat hujus Imperatoris Nummus apud Mediobarbum pag. 251. in cujus poſtica legitur: SAEC. FEL. P. M. TR. P. XI. IMP. VII. COS. V. Cernitur Victoria ſtans, dextrâ inſcribens clypeo, VO. DE. id eſt, *Vota Decennalia*, quæ ideo exhibita fuere die natali poſterioris ejus Imperii Auguſtei. Nam hoc anno Commodus die XXVIII Auguſti Tribunitiam Pot. XII iniit, & à patre menſe tantùm Novembri anni CLXXVI Auguſtus renuntiatus fuit. II. *Decennalia prioris Imperii Auguſtei Commodi.*

Lampridius in Commodo cap. 17. ait: *Claſſem Africanam inſtituit, quæ ſubſidio eſſet, ſi forte frumenta Alexandrina ceſſaſſent.* Quæ inſtitutio hoc anno facta, ut conſtat ex Nummo Commodi apud Mediobarbum pag. 251. & Sponium in Diſquiſitionibus Antiquitatis. In ejus poſtica legitur: P. M. TR. P. XI. IMP. VIII. COS. VI. P. P. S. C. PROVID. AUG. id eſt, *Providentia Auguſti.* Repræſentatur eo in Nummo navis in medio maris cum velis abſque remis. Ex quo confirmatur quod in Diſſert. Hypat. dixi, nova nempe inſtituta Romanum Orbem de more vidiſſe annis Decennalibus & id genus feſtis addictis, & Commodum, licèt Imperatorem valde abnormem, in eam legem non peccaſſe. III. *Claſſis Africanæ inſtitutio.*

ANNO

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5680. ☉ 28 A. ☽ 17. P. 17. APRIL.

Ann. Urb. 940.

INDICT. 10.
JESU CHRISTI 187. *ſecundùm Baronium* 189.
VICTORIS PAPÆ 3.
COMMODI IMP. 12. & 8.

I. *Conſules.*

COſs. *Criſpinus*, *&* *Aelianus.*

II. *Poſterioris Imperii Auguſtei Commodi Decennalia.*

Commodus poſterioris Imperii Auguſtei Decennalia anno uno anticipata edidit, ut certò oſtendit Nummus apud Mediobarbum pag. 252. in poſtica inſcriptum: VOTA SOL. DECENN. P. M. TR. P. XII. COS. V. Viſitur Imperator ad aram ſacrificans, ad cujus pedes victima. Feſtum illud die XVII menſis Martii poſterioris Imperii Auguſtei natali celebratum; cùm die XXVIII menſis Auguſti currentis Chriſti anni Commodus Tribunitiam Pot. XIII inierit, ideoque ante eum diem hæc ſolennia exhibuerit. Horum indicium novus *Auctoris pietatis* titulus à Commodo ſumtus. In variis enim Nummis Tribunitiâ Pot. XII inſignitis vocatur, AUCTOR PIETAT. id eſt, PIETATIS, quòd Religionis reſtituendæ ſpecie plures crudelitates commiſerit, ut videre eſt apud Lampridium in Commodo cap. 9. Imperatores annis hujuſmodi ſolenniis dicatis novos titulos ſibi attribuere ſolitos, ſparſim in hoc Opere oſtendimus. De falſa Commodi pietate agit Baronius ejus Imperii initio. Porro ex præfatis Decennalibus egregie confirmatur quod in Diſſert. Hypat. tanquam hujuſmodi ſolennium fundamentum ſtatuimus, annos nempe quinque ultimæ feſtivitatis, non à primo Imperii, ſed ab illo, quo ultima celebrata, ipſo etiam in ſummam collato, deducendos eſſe. Si enim primum horum Decennalium annum ab anno Chriſti centeſimo octogeſimo, quo Commodus patri ſucceſſit, auſpiceris, ea præſenti anno, nequidem extra ordinem, celebrari potuiſſe comperies; cùm die XVII Martii Commodus octavum tantùm Imperii poſt patris mortem ſuſcepti annum exorſus fuerit, & hujuſmodi feſta nunquam plus anno anticipata fuerint; ideoque ſi extra tempus exhibita ſint, ad ſequentem Chriſti annum pertineant, quo Commodus nonum Imperii annum inchoavit. Verùm, annis, ut fieri debet, computatis, & ab anno centeſimo octogeſimo quarto, quo Commodus ejuſdem Imperii Quinquennalia dedit, deſumtis, res difficultatem non habet, liquetque, Decennalia anno uno Commodum prævertiſſe, ac quarto à Quinquennalibus anno illa dediſſe, proindeque extra legitimum tempus peracta eſſe. Monuit me Andreas Morellius Vir Clariſſ. extare in Gaza Regia Numiſmata Commodi tam aurea, quàm argentea ac ærea, in quibus ejus caput collo nudo viſitur, & hæc verba leguntur: VOT. SOL. DECENN. P. M. TR. P. XII. COS. V. &c.

Baron. ann. 183. num. VII.

III. *S. Apollonii martyrium.*

Ad num. I. S. *Apollonii* Senatoris Romani martyrium ante præſentem annum contigit; cùm is, referente Euſebio, *Perennio* Prætorii Præfecto rationem Fidei ſuæ reddere coactus fuerit, Perenniuſque anno præcedenti interfectus fuerit, ut deduco ex Herodiano lib. 1. cap. 9. Ibi Herodianus ait, proditas eſſe inſidias, quas Perennius Commodo parabat, cùm *Ludos Romani Jovi Capitolino* facerent. Agon Capitolinus viceſimus ſextus anno Chriſti centeſimo octogeſimo ſexto celebratus eſt; ideoque & *Perennius* eodem anno occiſus. Nec audiendi, qui hanc mortem conferunt in annum Chriſti CLXXXII, quo XXV Agon Capitolinus editus. Lampridius enim in Commodo cap. 6. bellum Britannicum, antequam Perennius interficeretur, inchoatum fuiſſe indicat, & ex dictis conſtat, bellum illud anno CLXXXIII geri cœptum. Nec etiam refert, quòd Lampridius citatus cap. 8. dicat: *Commodus, cùm adulterum matris Conſulem deſignaſſet, appellatus eſt Pius: cùm occidiſſet Perennem, appellatus eſt Felix:* in Nummis verò Commodus dicatur Felix, cùm gerit Tribunitiam Pot. VII, quæ anno CLXXXII menſe Auguſto deſinit. Nam Commodus, dicitur in Nummis Pius, & Felix ipſo Imperii poſt patris mortem ſuſcepti initio: ideoque ſunt hæc epitheta, non verò cognomina, quod inde certò conſtat, quòd adulter ille interemtus eſt, Cleandro Præfecto Prætorii exiſtente, ut indicat Lampridius in Commodo cap. 7. Gruterus pag. 94. Inſcriptionem exhibet, in qua memoratur Votum ſolutum:

Baron. num. II & ſeqq.

Perennius occiditur.

Baron. num. IV.

IMP. COMM. AUG.
FELICE. V. ET. GLABRIONE
IT. COSS.

anno ſcilicet Chriſti CLXXXVI, quo Perennius occiſus, & Commodus Felix cognominatus, ut ex hac Inſcriptione liquet, quæ & Glabrionem iterum Conſulem fuiſſe demonſtrat. Apollonius itaque ante annum CLXXXVI martyrium fecit. Quæ tamen de eo in Chronico Euſebii juxta editionem Pontacenam dicuntur, deſunt in variis Manuſcriptis, ut ipſemet Pontacus in Notis fatetur; indeque nulla Apollonii in Chronico Euſebii juxta editionem Scaligerianam mentio.

IV. *S. Apollonius nec Scriptor, nec Senator fuit.*

Hieronymus non tantùm *Apollonium* in numerum Scriptorum Eccleſiaſticorum refert epiſt. 84. ſed etiam inter eos numerat, *qui in tantum Philoſophorum doctrinis atque ſententiis ſuos referciunt libros, ut neſcias quid in illis primùm admirari debeas, eruditionem ſeculi, an ſcientiam Scripturarum.* Ad hæc, eum Senatorem facit. Verùm hæc S. Doctor proprio ingenio ex Euſebio exaggeraſſe videtur. Ait quidem Valeſius in Notis Euſebianis, Hieronymum hæc *ſine dubio ex prava Rufini interpretatione hauſiſſe.* Sed hoc nullo modo fieri potuit, cùm tot annis Catalogum Hieronymus ſcripſerit, antequam Euſebium Rufinus verteret. Scripſit hæc Hieronymus anno Theodoſii M. XIV, in libro nempe de Script. Eccleſiaſt. eo anno publicatis: tranſtulit Hiſtoriam Euſebii Rufinus anno Chriſti quadringenteſimo, ut ſuo loco dicetur. Octo igitur ad minimum annis Euſebium Latinè reddidit Rufinus, poſtquam Catalogum ſuum ſcripſerat Hieronymus. Eodem etiam modo in altero Apollonio deſcribendo verſatus eſt Hieronymus: *Apollonius*, inquit, vir diſertiſſimus *ſcripſit adverſus Montanum, Priſcillam & Maximillam, inſigne & longum volumen, in quo aſſerit, Montanum & inſanas vates periiſſe ſuſpendio.* De ſuſpendio enim Montani

locutus quidem eſt Euſebius, ſed ejus narrationem alteri planè Scriptori, & quidem anonymo tribuit lib. 5. cap. 16. à quo ſatis apertè Apollonium diſtinguit cap. 18. Imò & idem Anonymi Opus Rhodoni etiam attribuit Hieronymus in Miltiade, ubi ait: *Miltiades, cujus Rhodon in Opere, quod adverſus Montanum, Priſcillam, Maximillamque compoſuit, recordatur,* &c. Et tamen Auctor, qui Miltiadis meminit, idem eſt, ac ille qui tradidit, Montanum & Maximillam ſuſpendio vitam finiiſſe. Quare in ea narratione non ſemel Hieronymus memoriâ lapſus. Legendi Halloixius in Notationibus ad Vitam S. Apollinaris cap. 3. Valeſius in Notis ad lib. 5. Euſebii cap. 16. & Pearſonius in Vindiciis Epiſtolarum S. Ignatii.

V. *Roma peſte, fame & incendio afflicta.* Peſtilentia, quæ teſte Herodiano lib. 1. cap. 11. univerſam Italiam occupavit, ad annum centeſimum nonageſimum, quo Commodus ſextum Conſulatum geſſit, ſpectat. Mediobarbus enim Commodi Nummum exhibet inſcriptum: SAL. GEN. HUM. COS. VI. P. P. S. C. id eſt, *Salus generis humani*. Cernitur Æſculapius ſtans, ſiniſtrâ baculum cum ſerpente involuto tenens, & dextram porrigens figuræ in genua procumbenti. Producit & alium Commodi Nummum, in cujus poſtica legitur: VOTA SOLUT. PRO SAL. P. R. COS. VI. P. P. Viſitur figura ad aram ſacrificans. Peſte itaque anno CXC graſſante, Vota ſoluta ſunt pro ſalute Populi Romani, & ſanitas ab Æſculapio poſtulata. Eodem pariter anno videtur contigiſſe magnum illud incendium, de quo Herodianus lib. 1. cap. 14. ſcribit: *Sed ubi templum* (Pacis ſcilicet) *conſumtum ignibus eſt, plurima quoque & pulcherrima Urbis ædificia conflagrarunt, inter quæ etiam Veſtæ templum.* Euſebius enim in Chronico anno Abrahami 2227. qui Kalendis Septembris anni Chriſti CXC inchoatur, incendium illud memorat, & Herodianus lib. 1. de illa peſte ac fame, *quæ eodem tempore* Romam opprimebat, ac præterea de illo incendio loquitur, poſtquam narravit clades à Materno Imperio Romano illatas, quæ in annum Chriſti CXC conveniunt. Statim enim iis recitatis ſubjungit: *Per idem tempus accidit, ut ingens Italiam quidem univerſam peſtilentia occuparet,* &c.

Baron. num. V. & an. 193. num. I & II.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5681. ☉ 1 GF. ☽ 18. P. 31. MART. INDICT. II.
JESU CHRISTI 188. *ſecundùm Baronium* 190.
VICTORIS PAPÆ 4.
COMMODI IMP. 13. & 9.

I. *Conſules.* COSS. *C. Allius Faſcianus II, & Dullius Silanus II*, ut oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari pag. 117.

II. *Quo anno Tribunitia Pot. Commodo data.* Mediobarbus varios Commodi Nummos exhibet, in quorum poſtica legitur: TR. P. XIII. P. P. COS. V. DES. VI. Tribunitiam Poteſtatem XIV iniit Commodus V Kalend. Septemb. anni Chriſti elapſi, ideoque hujus anni initio Conſul VI deſignatus eſt, indeque certiſſimum fit, Commodum anno CLXXV, non verò inſequenti, ut autumavit Baronius, Tribunitia Poteſtate decoratum fuiſſe; alioquin anno Chriſti CLXXXIX Conſul tantùm V, deſignatus VI fuiſſet; cùm tamen inter omnes conveniat, eo anno Conſulatum ſextum iniiſſe. Ceterùm, Commodum Imperii Cæſarei Tricennalia anno uno dilata dedit. Neque enim ante præſentem annum potuit; cùm duo id genus ſolennia eodem anno ab uno eodemque Imperatore non celebrarentur.

Ad num. I. Demetrius Epiſcopus Alexandrinus hoc anno Epiſcopatum Alexandrinum III. *Initium Demetrii Epiſcop. Alex.*
conſecutus eſt; obſervat enim Pearſonius in Annalibus Cyprianicis, licèt in Indiculo Niceph ori Pariſiis impreſſo ex Codice valde corrupto legatur: Δημήτριος ἔτη ι΄. Ἡρακλᾶς ἔτη μγ΄. Baron. num.
id eſt, *Demetrius an.* 10. *Heraclas an.* 43. I.
ex Codice tamen mſ. Londinenſi legendum eſſe, Δημήτριος ἔτη μγ΄. Ἡρακλᾶς ἔτη ις΄. *Demetrius annis XLIII, Heraclas annis XVI.* Quare cùm anno CCXXX Demetrius vitâ functus fuerit, hoc anno Eccleſiam Alexandrinam adminiſtrare cœpit. Et tamen Euſebius lib. 6. cap. 2. initium perſecutionis Severianæ anno CCII motæ conſignans ait: *Igitur Severo annum Imperii decimum agente, Alexandriæ & totius Ægypti Præfecturam obtinente Læto, Epiſcopatum verò Eccleſiarum illarum poſt Juliani obitum Demetrio recèns adepto,* &c. Ultima verba in Græco habent, τῶν δὲ αὐτόθι παροικιῶν τὴν ἐπισκοπὴν νεωστὶ τότε μετὰ Ἰουλιανὸν Δημήτριος ὑπειλήφει. Quæ ſic meliùs Chriſtophorſonus vertit: *Et Demetrius nuper tum poſt Julianum ibidem Eccleſiarum Epiſcopatum adeptus fuiſſet.* Quamquam *recèns* quandoque *nuper* ſignificet, ut videre eſt in Theſauro Roberti Stephani. At quomodo *recèns* vel *nuper* Demetrius Epiſcopus factus, qui jam ab annis quatuordecim Alexandriæ ſedebat? Verùm hujuſmodi adverbia ſæpe longum tempus, quemadmodum & adverbium *jampridem* breviſſimum ſpatium, deſignant, quod non rarò Viros eruditiſſimos in errorem impulit. Hinc Divus Cyprianus in Epiſtola Synodica Eccleſiæ Africanæ ad Cornelium Papam cum Collegis ſcripta anno ducenteſimo quinquageſimo ſecundo, de pace Lapſis maturiùs danda ob perſecutionem ingruentem, ait: *Statueramus quidem jampridem, frater chariſſime, participato invicem nobiſcum conſilio, ut qui in perſecutionis infeſtatione ſupplantati ab adverſario, & lapſi fuiſſent, & ſacrificiis ſe illicitis maculaſſent, agerent diu pœnitentiam plenam.* Ubi Cyprianus rem vix ante annum geſtam, *jampridem ſtatutam* dicit, ut obſervat *Fellus* in Notis ad Epiſtolam I. Cypriani, quæ Pamelio eſt LXVI.

Olymp. 242.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5682. ☉ 2 E. ☽ 19. P. 20. APRIL. INDICT. 12.
JESU CHRISTI 189. *ſecundùm Baronium* 191.
VICTORIS PAPÆ 5.
COMMODI IMP. 14. ET 10.

I. *Conſules.* COSS. *Servilius Silanus*, & *Dullius Silanus*, id eſt, duo Silani.

II. *Conſules XXV in annum unum deſignati.* Dio lib. 72. de Cleandro, cujus poſt mortem Perennis ampla fuit auctoritas, ſermonem habens ait: *Neque verò Cleander hæc ſolùm fecit, ſed etiam Conſules XXV in annum unum deſignavit: quod neque ante id tempus, neque poſt unquam factum eſt.* Spar- *Baron. an. 188. num. 1.* tianus verò in Severo Imperatore cap. 4. *Conſulatum cum Appuleio Rufino primum egit, Commodo ſe inter plurimos deſignante.* Onuphrius in Faſtis Baronio, ceteriſque perſuaſit, factum id eſſe Materno & Bradua Conſulibus, anno nempe CLXXXV, quo Commodus quintùm ſe Conſulem deſignavit. At cùm *Perennius* Prætorio Præfectus ac Cleandri deceſſor anno tantùm centeſimo octogeſimo ſexto, quo Commodus Conſulatum quintum geſſit, perierit, liquet, vulgarem opinionem falſam eſſe, abſurdamque illam tot Conſulum deſignationem ad præſentem annum pertinere. Id manifeſtè docet Spartianus loco citato, cùm poſt recitata verba ſtatim dicat: *Poſt Conſulatum, anno ferme fuit Romæ otioſus. Deinde proficiſcens ad Germanicos exercitus, major filius, qui tunc quinquennis erat*, &c. Caracalla major natu filius Severi in lucem prodiit anno Chriſti CLXXXVIII, ut infrà oſtendo; quare anno Chriſti CXCII quintum ætatis annum inchoavit, ideoque anno CXC Severus primum Conſulatum geſſit, anno inſequenti Romæ otioſus fuit, annoque CXCII, quo Caracalla quinquennis erat, in Germaniam profectus *Carnunti* Imperator anno inſequenti renunciatus eſt, ut ſuo loco dicam. Hac Conſulum XXV in unicum annum deſignatione ſuo anno reddita, apparet, Cleandri Præfecti Prætorio interitum, rei frumentariæ inopiam, & peſtilentiam quibus Roma oppreſſa eſt, & novorum nominum menſibus impoſitionem non contigiſſe ante annum CXC; cùm Herodianus in fine libri primi hæc uno tenore recitet, & cum Cleandri interitu, qui anno CXC accidit, copulet.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5683. ☉ 3 D. ☽ 1. P. 12. APRIL. INDICT. 13.
JESU CHRISTI 190. *ſecundùm Baronium* 192.
VICTORIS PAPÆ 6.
COMMODI IMP. 15. ET 11.

I. *Conſules.* COSS. *L. Aurelius Commodus Aug. VI*, & *Petronius Septimianus**, ex Inſcriptione Onuphriana.

II. *Imperii Proconſularis* Commodi Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam; Proconſularis *Seculum II.* enim Imperii Quindecennalia dedit, ut varia *Commodi Quindecennalia.* ejus Numiſmata demonſtrant. Mediobarbus pag. 255. unum exhibet, in cujus poſtica legitur: P. M. TR. P. XV. IMP. VIII. COS. VI. S. C. VOT. XX. in corona quercea. Commodus Tribunitiam Pot. XV anno præcedenti iniit, currentique uſque ad quintum Kal. Septembris geſſit. Quare ea ſolennia die XVII Martii, quo patri ſucceſſit, quóve Tribunitia Pot. XV adhuc in curſu erat, celebrata. Ad ea ſolennia referenda celebris Munerum exhibitio, de qua Baronius & Antiqui mentionem fecere. Videnda Commodi Numiſmata apud Mediobarbum citatum, ubi in eam rem plura.

III. *Maternus occiditur.* Hoc anno *Maternus* miles, qui Gallias Hiſpaniaſque turbarat, quique Commodo Auguſto inſidias paraverat, ut ſcribit Herodianus lib. 1. cap. 10. & 11. *Proditus Imperatori à ſociis quibuſdam, comprehenſus* fuit, ac mulctatus capite, antequam *feſtus dies Matris Deûm* adeſſet. Ait enim Herodianus, *veris initio, ſtatoque ſolennique die, pompam Matri Deûm Romanos* celebrare. Ex hoc temporis charactere *Maternum* currenti anno occiſum intelligimus. Mediobarbus Nummum Commodi exhibet, in cujus poſtica legitur: MATRI DEUM SALUTARI COS. VI. P. P. S. C. Viſitur Dea leonem in- *Baron. an. 183. num. XII.* equitans, qui Nummus ad ſacrificia à Commodo facta in honorem Matris Deûm, cùm Materni inſidiæ detectæ ſunt, referendus, ut rectè Mediobarbus. Non itaque ante præſentem annum, quo Commodus ſextum Conſulatum geſſit *Maternus* interfectus. Quod & demonſtrat alius Commodi Nummus à Vaillantio Viro clariſſimo tom. 1. fol. 95. productus, in cujus poſtica habetur: MATRI DEUM CONSERVAT. TR. P. XVI. IMP. VIII. COS. VI. S. C. Cernitur Cybele leone vecta, dextrâ tympanum, lævâ ſceptrum tenens. Tribunitia Pot. XVI Commodi quinto Kalendas Septembris currentis Chriſti anni inchoata, ideoque & hoc anno *Maternus* interfectus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5684. ☉ 4 C. ☽ 2. P. 28. MART. INDICT. 14.
JESU-CHRISTI 191. *ſecundùm Baronium* 193.
VICTORIS PAPÆ 7.
COMMODI IMP. 16. ET 12.

I. *Conſules* COSS. *Caſſius Apronianus*, & *Valerius Bradua Mauricus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſt. Conſulari, & in literis ad me ſcriptis, ubi Gruterum citat pag. 556. 1. Cúmque Bradua in Inſcriptione à Noriſio ibidem recitata ſine nota iterati Conſulatus proferatur, diverſus eſt à Metilio Bradua anno CLXXXV Conſule, ideoque perperam dicitur Conſul II tam in Annalibus, quàm in Faſtis Onuphrianis.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5685. ☉ 5 B A. ☽ 3. P. 16. APRIL. INDICT. 15.
JESU CHRISTI 192. *ſecundùm Baronium* 194.
VICTORIS PAPÆ 8.
COMMODI IMP. 17. ET 13.

I. *Conſules.* II. *Quindecennalia prioris Imperii Auguſtei Commodi.*

COSS. *L. Aurelius Commodus Aug. VII*, & *P. Helvius Pertinax II.*

Commodi Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam; Quindecennalia enim prioris Imperii Auguſtei dedit, uno anno dilata. Mediobarbus in Commodo pag. 257. hujus Imperatoris Nummum profert, in poſtica inſcriptum: VOT. XX. P. M. TR. P. IMP. VIII. COS. VII. S. C. Deeſt annus Tribunitiæ Poteſtatis; ſed Conſulatus Commodi ſeptimus præſenti anno ſuſceptus ea Vota hoc anno nuncupata certò oſtendit. Dio lib. 72. ſcribit, Commodum ſtatuiſſe Falconem & Clarum anni inſequentis Conſules interficere, ſeque Kalendis Januariis Conſulem, ex loco, in quo Gladiatores aluntur, exire: ſed dum hæc moliretur, venenum die ultima anni c xcii ei propinatum eſſe. Quem Conſulatum octavum Commodum, Quindecennalibus poſterioris Imperii Auguſtei anno uno dilatis, deſtinaſſe non dubitandum; cùm nullum Conſulatum præter leges ac præſcripta eum ſuſcepiſſe appareat. Ante Commodum nullus ex Imperatoribus Quinquennalia & Quindecennalia in Nummis memorari juſſerat; quem tamen agendi modum, ſi ſucceſſores imitati eſſent, tantâ diligentiâ opus non fuiſſet, ut quibus annis ea ſolennia, quibus Hiſtoria Chronologiaque mirum in modum elucidantur, ab Imperatoribus edita fuerint, inveſtigaretur. Sed uſque ad Conſtantini M. tempora, Quinquennalia & Quindecennalia in Nummis non expreſſa; & quando in iis ſculpta, non tantùm Tribunitia Poteſtas, ſed & Conſulatus ut plurimùm prætermiſſi; cùm contrà in Nummis Commodi tam Conſulatus, quàm Tribunitia Poteſtas diſertè enuntientur.

III. *Vota Decennalia nunquam ab Imperatoribus omiſſa.*

Noriſius Vir in re Antiquaria exercitatiſſimus, in Epiſt. Conſulari pag. 121. ſcribit: *Paſſim proſtant Nummi Commodi cum Votis* X *ac* TR. P. XV. *Hæc Vota abs te* (nam ea Epiſtola mihi dicata) *dicuntur nuncupata pro Imperio Cæſareo, deinde pro Imperio Proconſulari, denique pro Auguſteo. Nunquam exactam rationem aſſignari poſſe puto, cur ab* TR. P. VIII *ad* XII *per quinquennium ſingulis quibuſque annis Vota Decennalia nuncupaverit, niſi dicamus quandoque concepta pro ſalute Populi Romani, quæ poſt decennium ſolvit, cùm extent Nummi ejuſdem Commodi inſcripti:* VOTA SOL. PRO SAL. P. R. COS. VI. *aut fortè eadem Vota repetitâ memoriâ in Nummis obſignata iis etiam annis, quibus reapſe concepta non ſunt; vel denique ſtultum illum Principem, qui in unicum annum Conſules viginti quinque deſignavit, pro arbitrio Vota nuncupaſſe. Horum Votorum explicatio minus pro voto mihi ſuccedit. Quare eam tibi dimitto.* Sed cùm omnia Commodi Numiſmata, in quibus hæc Vota expreſſa, explicaverimus, eumque in iis vel ſuſcipiendis, vel ſolvendis, morem deceſſorum Imperatorum ſecutum eſſe demonſtraverimus, nulla de iis in poſterum quæſtio moveri poteſt. Nummi, qui præferunt *Vota ſoluta pro ſalute Populi Romani*, anno c lxxxvii enodati. Denique cùm Quinquennalia & id genus feſta quædam renovatio Imperii eſſent, ut teſtatur Dio lib. 53. neque à Nerone, neque à Commodo, neque ab ullo alio Imperatore unquam omiſſa fuiſſe pro certo habendum. Quod ſi Commodus ea non edidiſſet, Dio, qui frequens cum illo fuit, quique lib. 72. notat, eum Conſules xxv in annum unum deſignaſſe, *quod*, inquit, *neque ante id tempus, neque poſt unquam factum eſt*, rem adeo receptis moribus diſſentaneam in literas mittere oblitus non eſſet.

IV. *Eleutheri PP. obitus.* Baron. num. I.

Ad num. I. Eleutherus die ſecunda menſis Maii anni centeſimi ſeptuageſimi ordinatus fuerat; ſupremum autem diem obiit anno centeſimo octogeſimo quinto; Materni & Braduæ Conſulatu notato, die viceſima quinta menſis Maii, poſtquam ſediſſet annos quindecim, dies viginti quatuor. Ejus quidem nomen deeſt in Chronico Damaſi, ſed hæc de eo ibidem dicta: *Fuit temporibus Antonini & Commodi, à Conſulatu Veri & Erenniani uſque Materno & Bradua*, anno c lxxxv Conſulibus. In auctiori Chronico veterum Pontificum dicitur, eum ſediſſe annos xv, menſes iii, dies ii: Catalogus nominum Apoſtolicorum, Eleuthero annos xv, menſes iv, dies v tribuit; ſed utrobique mendosè. In Martyrologio Hieronymiano ad diem ſextam menſis Septembris habetur: *Romæ viâ Salariâ Natale S. Eleutheri Epiſcopi.* Sed is dies ad aliquam ejus Tranſlationem pertinet. Florentinius enim in Notis ad illud Martyrologium obſervat, Eleutheri Natale ab aliquibus Auctoribus ſignari vii Kalend. Junii, ab aliis viii Kalend. Junii, ab aliis viiii Kalend. Junii. Quare die xxv menſis Maii mortuus eſt, ac poſtridie ſepultus, juxta regulam à nobis ſuo loco explicatam, quæ docet, quando Natale Pontificum in diverſis Martyrologiis duobus ſubſequentibus diebus conſignatur, alterum ad obitum, alterum verò ad ſepulturam referendum eſſe. In auctiori Chronico veterum Pontificum dicitur, ceſſaſſe Epiſcopatum dies ſeptemdecim. Quod ſi verum eſt, Victor ſedere cœpit die xii menſis Junii. Ejus unica circumfertur Decretalis Epiſtola ad Epiſcopos per Gallias conſtitutos, quæ incipit: *Magno munere miſericordiæ Dei, totius Eccleſiæ Catholicæ multiplicata ſunt gaudia*, &c. Sed hæc verba deſumta ex S. Leonis epiſtola 54. juxta veterem ordinem. Sunt & aliæ in eadem epiſtola ſuppoſitionis notæ, Viris eruditis obſervatæ. Eleuthero ſucceſſit Victor.

V. *Interitus Commodi.* Baron. num. III.

Ad num. II. Cùm Commodus die decima ſeptima menſis Martii anni Chriſti c lxxx imperare cœperit, &c, uti habet Lampridius in ejus Vita cap. 1. *pridie Kalendas Septembres patre patruoque Conſulibus*, id eſt, anno Chriſti c lxi°, natus fuerit, rectè ſcribit Dio, regnaſſe Commodum *annos XII, menſes IX, dies XIV*; vixiſſe verò *annos XXXI, menſes IV*, cùm ultimo hujus anni die interfe-

ctus fuerit. Anni quibus cum patre regnavit, leguntur in ejus Epitaphio, in quo Commodus dicitur, *Tribunitiæ Pot. XVIII*, ut videre eſt apud Dionem lib. 72. Ex quo certum fit, Commodum anno c LXXV, non verò inſequenti, ut putavit Baronius, Tribunitia Poteſtate donatum fuiſſe.

VI. *Clemens Alex. Baronii Chronologiæ non favet.* Locus Clementis Alexandrini, qui his diebus vivebat, quique à Chriſto nato ad Commodi mortem annos numerat *centum nonaginta quatuor*, Baronium decepit, qui eo Chronologiam ſuam confirmari exiſtimavit; non enim obſervarat Cardinalis doctiſſimus, Clementem Alexandrinum annos Incarnationis computare ſecundùm Eram Alexandrinam, quæ Dionyſianam in Eccleſia Occidentali uſurpatam biennio integro præcedit. (Baron. num. IV.) Alexandrini itaque Eram Incarnationis ſeu Nativitatis ab anno Juliano XLIII exordiuntur, Latini verò ab anno Juliano XLVI, ideoque laudatus Clementis locus Eræ Chriſtianæ Dionyſianæ confirmandæ non inſervit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5686. ☉ 6 G. ☽ 4. P. 8. APRIL.
INDICT. I.
Olymp. 243. JESU CHRISTI 193. *ſecundùm Baronium* 195.
VICTORIS PAPÆ 9.
SEVERI IMP. I.

I. *Conſules.* COss. *Q. Soſius Falco*, & *Julius Erutius Clarus*, ex Inſcriptione Onuphriana, & ex Gruteriana pag. 209. Norisius enim in literis ad me Florentiâ ſcriptis monet, Exſcriptores Onuphrio & Grutero fucum feciſſe, ac pro ERUTIO, ſcripſiſſe FRUCTO. *Erutius Clarus* Conſul fuit anno Chriſti C XLVI. Erutium Clarum ejus filium & hoc anno Conſulem Severus occidit, ex Spartiano cap. 13. in Severo. Ita ex cognomine *Clari* alteram ejus familiam Norisius reſtituit: cujus emendationi favet Dio lib. 73. ubi utrumque Conſulem vocat, Ἐρύκιον τε Κλάρον, καὶ Σόσσιον Φλάκκον, id eſt, *Erycium Clarum*, & *Syſſium Flaccum*. Verùm ab Exſcriptoribus erratum, ut ex ipſomet Dione liquet, qui libro 73. poſteriorem Conſulem, non *Flaccum*, ſed *Falconem* rectè appellat.

II. *Pertinax Imp. occiditur.* Ad num. I. Ait Baronius in Annalibus, *Ælium* Pertinacem ex Præfecto Prætorio Imperatorem factum eſſe; ſed Norisius in laudatis literis rectè obſervat, Pertinacem, non *Ælium*, ſed *Helvium* vocatum fuiſſe, (Baron. num. I.) quod Nummi indubitatum reddunt, eumque non ex Præfecto Prætorii, ſed ex Præfecto Urbis, factum eſſe Imperatorem. Id enim disertè uterque Victor tradit, & indicat Capitolinus in Pertinace cap. quarto, qui & teſtatur, eum operâ *Læti* Præfecti Prætorio ad Imperium evectum eſſe, cui ſuffragatur Herodianus lib. 2. cap. 1. Imò Pertinacem nunquam Præfectum Prætorio fuiſſe ſatis oſtendit Capitolinus, qui omnes, quas geſſit, dignitates enumerat, & tamen cap. 2. ait: *Doluitque palam Marcus, quòd cùm Senator eſſet, Præfectus Prætorii fieri à ſe non poſſet.* Pertinax *natus eſt Kalendis Auguſti, Vero & Bibulo Conſulibus. Interfectus autem eſt quinto Kalendas Aprilis, Falcone & Claro Coſſ. Vixit annis ſeptuaginta, menſibus ſeptem, diebus viginti ſex. Imperavit menſibus duobus, diebus viginti quinque*, inquit Capitolinus in Pertinace cap. 15. Eundem diem Pertinacis natalem exhibet vetus Kalendarium à Lambecio publicatum. In lucem itaque prodierat Pertinax anno Chriſti C XXVI, quo Annius Verus & Ambibulus, per errorem *Bibulus* dictus, Conſulatum geſſere. Cùm verò quinto Kalendas Aprilis, ſeu die viceſimo octavo Martii interfectus fuerit, liquet, rectè numeraſſe Dionem, quando ſcripſit, Pertinacem vixiſſe *annos LXVII, quatuor menſibus & tribus diebus exceptis*: regnaſſe verò *dies octoginta ſeptem*. Laudatus itaque, Capitolini locus corruptus eſt, legendumque: *Vixit annis ſexaginta ſex, menſibus ſeptem, diebus viginti ſeptem.* De die enim Pertinacis tam natali, quàm emortuali Capitolinum inter & Dionem convenit.

Pertinax primus ex Imperatoribus fuit, qui Vota Decennalia, quæ ipſo die initi Imperii ab Auguſtis nuncupabantur, in Nummis exprimi juſſerit. Mediobarbus enim pag. 261. varios ejus Nummos exhibet, in quibus legitur, VOT. DECENN. qui mos poſtea ſemper ſervatus uſque ad Conſtantinum M. quo tempore ſcribi cœptum, VOT. V. MULT. X. cujus tamen formulæ initium Diocletiano attribuendum, qui in ſuis Decennalibus hoc Numiſma à Mediobarbo productum cudi voluit: IMP. DIOCLETIANUS AUG. in poſtica: PRIMIS X. MULTIS XX. In Nummis itaque Imperatorum, qui ad decimum Imperii annum non pervenere, Vota Decennalia in Nummis memorata de Votis ipſo Imperii initio ſuſceptis ſemper intelligenda uſque ad Conſtantinum M. nunquam verò de Votis Decennalibus quinto Imperii anno nuncupatis; cùm illa ante Conſtantinum M. in Numiſmatis memorata non fuerint. III. *Vota Decennalia initio Imperii nuncupata.*

Pertinax primus fuiſſe dicitur à Capitolino in ejus Vita cap. 5. qui ſimul cum Imperio omnes honorificas appellationes diverſis diebus Auguſtis attribui ſolitas acceperit: *Primus ſanè omnium ea die, quâ Auguſtus eſt appellatus, etiam Patris Patriæ nomen recepit; necnon ſimul etiam Imperium Proconſulare, necnon jus quartæ relationis.* Dio lib. 53. de Imperii inſtitutione loquens, ait, Imperatores ratione eorum nominum, quæ in populari civitatis ſtatu uſurpabantur, omnem totius Reipublicæ poteſtatem accepiſſe, ac Pontifices maximos, Imperatores, Patres Patriæ, aliiſque titulis qui in Inſcriptionibus occurrunt, appellatos fuiſſe. Quæ nomina poſtquam enumeravit Dio, ſubdit: *Hæ ſunt appellationes iſtæ, quibus Imperatores ſecundùm leges ac inſtituta noſtri etiam temporis utuntur. Ac noſtra quidem ætate ſimul omnia eis hæc tribuuntur, Cenſoriâ exceptâ: olim verò ſingula eis ex legibus decernebantur.* Dio anno Alexandri Severi nono Hiſtoriam ſuam abſolvit, qui tamen dum de Pertinace, cujus electioni interfuit, loquitur, novæ illius conſuetudinis inductæ non meminit. Imò ipſemet Alexander Severus, quando Imperator renuntiatus eſt, his verbis Senatui gratias egit, ut ex Actis publicis teſtatur Lampridius in Alexan- IV. *Pertinax uno die omnes appellationes honorificas recepit.*

dro cap. 8. *Gratias vobis, P. C. non nunc primùm, ſed & de Cæſareo nomine, & de vita ſervata & Auguſti nomine addito, quæ omnia novo exemplo uno die in me contuliſtis.* Qua ratione Alexander primus fuiſſe videtur, qui omnia poteſtatis inſignia acervatim & uno die præter antiquum morem receperit. Quidquid ſit, certum eſt, Imperatores omnes honorificas appellationes ante Pertinacem aut Alexandrum Severum uno eodemque die non accepiſſe, imò ex iliis aliquos, aut Patris Patriæ, aut Imperatoris, aut aliorum inſignium honorum nomina diu diſtuliſſe. Quod de Auguſtis Dio tradit, de Cæſaribus etiam intelligendum. Quare, ut vidimus, Trajanus primùm adoptatus, dein Cæſar creatus, ac poſtea Imperio Proconſulari & Tribunitia Poteſtate decoratus. Quæ obſervatio ad Numiſmata explicanda aliquando juvare poterit.

V. *Julianus Imperator occiditur.* Baron. num. II.

Ad num. II. Pertinaci ſucceſſit *Didius Julianus*, qui, ut habet Dio, imperavit *dies ſexaginta ſex*: ideoque die prima Junii occiſus eſt; quod confirmat Spartianus in Juliano cap. ult. ubi ait, imperaſſe Julianum *menſibus duobus, diebus quinque*, quod verum eſt. Nam Dio, ut in morte Severi, Juliani ſucceſſoris vidimus, Natale Imperii Severi à die prima Junii currentis anni auſpicatur. *A Germanicis legionibus, ubi auditum eſt, Commodum occiſum, Julianum autem cum odio cunctorum imperare, multis hortantibus, repugnans Imperator eſt appellatus apud Carnutum Idibus Auguſtis*, inquit Spartianus in Severo cap. 5. de hoc Imperatore loquens. Verùm loco horum verborum, *Idibus Auguſtis*, legendum, *Idibus Aprilis*, ut Baronius notavit. Ab eo die, qui Aprilis decimus tertius, Tribunitia Poteſtas Severi deducta, non verò, ut hactenus exiſtimatum, à die primo menſis Junii, quo Julianus peremtus, quemadmodum in Severi morte oſtendam. Eodem tempore, quo Severus ab exercitu Germanico Peſcennius Niger in Oriente, & Clodius Albinus in Gallia Imperatores appellati ſunt, ut teſtantur Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ. Albinus à Severo bellum cum Nigro geſturo Cæſar appellatus eſt, quia ſc. verebatur ne, ſe bello Orientali implicito, Romam occuparet. Severus autem *intra triginta dies quàm Romam venerat*, eſt profectus, ait Spartianus in Severo cap. 8. neque ad eam venit ante annum Chriſti CXCVIII, ut ſuo loco monſtrabo.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5687. ☉ 7 F. ☽ 5. P. 24. Mart. Indict. 2.
Jesu Christi 194. *ſecundùm Baronium 196.*
Victoris Papæ 10.
Severi Imp. 2.

I. *Conſules.*

COss. *L. Septimius Severus Aug. II, & Clodius Septimius Albinus Cæſar II.* Uterque juxta primam Conſulatuum Cæſareorum regulam.

II. *Niger occiditur.*

Hoc anno *Niger* à Severo poſt aliqua prælia victus, interemtuſque eſt, ut docent Herodianus lib. 2. Spartianus in Nigro, & alii, qui tamen annum non exprimunt. Sed cùm Severus in Nummis Tribunitia Pot. II ſignatis dicatur Imp. II, & Imp. III, & Imp. IIII, non dubium, quin propter victorias de Nigro reportatas, Imperatoris titulum multiplicaverit.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5688. ☉ 8 E. ☽ 6. P. 13. April. Indict. 3.
Jesu Christi 195. *ſecundùm Baronium 197.*
Victoris Papæ 11.
Severi Imp. 3.

COss. *Scapula Tertullus, & Tineius Clemens*, ut oſtendit Noriſius in Epiſt. Conſulari ex Inſcriptione Gruteriana pag. 1027. Ad hunc Scapulam, poſtea Proconſulem Africæ, Tertullianus librum miſit. I. *Conſules.*

II. *Severi victoria.*

Ad num. I. Triennalis *Byzantii* obſidio anno præcedenti poſt interitum *Nigri* cœpta, ut Spartianus in Severo cap. 8. inſinuat. Hoc verò anno contigit expeditio Severi in Oſdroenos, in Arabes, & Adiabenos, pluresque urbes à Severo captæ, inter quas *Niſibis*. Ob eas victorias Severus Imp. V appellatus, ut conſtat ex Nummis.

III. *Caracalla Cæſar.* Baron. num. I & II.

Ad num. II. Antoninus *Caracalla* Severi Auguſti major natu filius anno tantùm ſequenti Cæſar appellatus, anno CXCVII Imperator deſignatus, tandemque anno CXCVIII Auguſtus nuncupatus, eodemque anno *Geta*, alter Severi filius, Cæſar dictus, ut accuratè ſuis locis explicabimus.

IV. *Tertulliani Liber de Præſcriptione.* Baron. num. XXI.

Ad num. V. Tertullianus lib. 1. adverſus Marcionem cap. 1. pollicetur, ſe librum editurum adverſus Hæreticos *de Præſcriptione*. Quare cùm libros adverſus Marcionem anno decimo quinto Imperatoris Severi Tertullianus elucubrarit, is Commentarius poſt annum Chriſti ducenteſimum ſeptimum, quo decimus quintus Severi cœpit, promulgatus.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5689. ☉ 9 DC. ☽ 7. P. 4. April. Indict. 4.
Jesu Christi 196. *ſecundùm Baronium 198.*
Victoris Papæ 12.
Severi Imp. 4.

I. *Conſules.*

COss. *Cn. Domitius Dexter II, & L. Valerius Meſſalla*, ex Inſcriptione Onuphriana. In Faſtis Græcis Theonis, à Dodwello, Viro Græcè Latinéque doctiſſimo, poſt Diſſertationes Cyprianicas nuper publicatis, *Dexter* cum numerali nota etiam editur.

II. *Victor Papa Aſianos excommunicavit.* Baron. num. 1 & ſeqq.

Ad num. I. In controverſiam hodie vertitur, an *Victor* Papa reapſe Aſianos Paſcha decimâ quartâ lunâ celebrandum contendentes excommunicarit, an tantùm eoſdem minatus fuerit. Secundum docuit Valeſius in Notis ad Euſebium lib. 5. cap. 24. A Baronii tamen ſententia non diſcedendum: huic enim favent

verba Euſebii, qui ait: *Victor quidem Romanæ Urbis Epiſcopus illico omnes Aſiæ vicinarumque Provinciarum Eccleſias, tanquam contraria rectæ Fidei ſentientes, à communione abſcindere conatur.* Quibus verbis indicat, quæ Victor accepto Polycratis reſponſo Romæ meditatus fuerit. Subjungit immediatè Euſebius: *Datiſque literis univerſos, qui illic erant, fratres proſcribit, & ab unitate Eccleſiæ prorſus alienos eſſe pronuntiat.* Non potuit Euſebius clariùs loqui, ut oſtenderet, revera latam fuiſſe excommunicationis ſententiam. Si enim eam ſolùm minatus fuiſſet, alii Epiſcopi tam vehementer commoti non fuiſſent, ut habet Euſebius, cùm ante coactum à Polycrate Aſianum Concilium, ipſis quoque minatus fuerit excommunicationem. Unde & poſt Synodum Polycrates in epiſtola ſynodica inquit: *Nihil moveor iis, quæ nobis ad formidinem intentantur.* His adde, ita Socratem Euſebium intellexiſſe. Et ne Proteſtantes opponant, poſt Victoris cenſuram Aſiaticos à communione Fidelium non fuiſſe rejectos, occurrit Marca lib. 3. cap. 3. & docet ex Sozomeno lib. 7. cap. 19. in gratiam ſtatim rediiſſe Polycratem & Aſiaticos Epiſcopos cum Victore Papa. Hæc Sozomeni verba: *Et hæ quidem fuerunt in hujus feſti obſervatione diſcrepantiæ. Porro exortam olim controverſiam ſapientiſſimè diſſolviſſe mihi videtur Victor, tunc temporis Romanorum Epiſcopus, & Polycarpus Smyrnenſis. Nam quoniam Occidentales Epiſcopi traditionem Pauli ac Petri abrogandam non eſſe cenſebant, Aſiani verò Joannem Evangeliſtam ſequi ſe velle affirmabant, ex communi conſilio placuit, ut ſinguli feſtum, prout conſueverant, celebrantes, à mutua inter ſe communione nequaquam diſcederent.* Ex retento *Victoris* nomine rectè colligit Eruditiſſimus Pariſienſium Archiepiſcopus, vitium irrepſiſſe in nomen *Polycarpi*, cùm is longè ante Victoris Pontificatum martyrio coronatus fuerit. Legendum itaque, *Polycrates*, quem certum eſt floruiſſe tempore Victoris Papæ, inter quos pacem initam ad D. Irenæi preces, tum ex ipſius Irenæi literis, tum ex loco laudato Sozomeni deducit laudatus Archiepiſcopus, qui addit: *Licèt probent Nobatici, non rejectos Aſiaticos à communione Occidentalium poſt Victoris cenſuram, hoc de dignitate Sedis Apoſtolicæ nihil demit, cùm ad Irenæi ſuggeſtionem pacem redditam à Victore docuerimus. Ex Euſebio enim & Socrate conſtat de excommunicatione à Victore inflicta; & de Irenæi epiſtola: ex Sozomeno autem de communione Victoris & Polycratis non interrupta, quod aliter contingere non potuit, niſi ſuſpenſo à Victore excommunicationis effectu poſt monita Irenæi, &c.* Legendus Schelſtratius parte 2. Antiquit. Illuſtr. Diſſert. 1 cap. 3. ubi egregiè elucidat contentionem Polycratis contra Victorem Papam pro obſervatione Paſchatis.

III. *Victoris PP. epiſtolæ duæ ſuppoſititiæ.* Baron. num. XVII.

Ad num. III. Epiſtola tertia Victoris ad *Deſiderium* Viennenſem Epiſcopum, aliaque ad *Parocodam* Epiſcopum de quæſtione *Paſchatis*, in quarum ultima dicitur, Orientalem Eccleſiam propter Paſchæ celebrationem ab Occidentali disjunctam, & in priori, Presbyteros, qui Apoſtolos viderunt, uſque ad illa tempora Viennenſem Eccleſiam rexiſſe, ſuſpectæ ſunt, inquit Labbæus tom. 1. Conciliorum; & revera ſtylum recentiorem ſapiunt.

IV. *Caracalla Cæſar dictus.* Baron. ann. 199. num. 1.

Hoc anno Severus Auguſtus *Baſſianum* majorem natu filium, qui Antoninus & Caracalla dictus, Cæſarem appellavit apud *Viminatium* in ſuperiori Myſia, dum contra *Albinum* moveret, ut teſtatur Spartianus in Severo cap. 10. licèt rei geſtæ tempus non exprimat. Sed id hoc anno factum Caracallæ Quinquennalia & id genus feſta demonſtrant. Quare ea nuncupatio à Baronio & Petavio de Doct. Temp. in annum ſequentem perperam dilata. Spartianus laudatus hæc ſcribit: *Circa Arabiam plura geſſit* (nempe Severus) *Parthis etiam in deditionem redactis, necnon etiam Adiabenis. Atque ob hoc reverſus, triumpho delato, appellatus eſt Arabicus, Adiabenicus, Parthicus. Sed triumphum reſpuit, &c. Recuſavit & Parthicum nomen, ne Parthos laceſſeret. Redeunti ſanè Romam poſt bellum civile Nigri, aliud bellum civile Clodii Albini nuntiatum, qui rebellavit in Gallia, &c. Et cùm iret contra Albinum, in itinere apud Viminatium filium ſuum majorem Baſſianum Cæſarem appellavit.* Baronius aliique plures verbis illis innixi crediderunt, Severum hoc anno Romæ fuiſſe. Sed ex illis id minimè ſequitur; cùm Spartianus ſcribat quidem, Severum, dum Romam rediret, bellum Albini accepiſſe; ſed non dicat, ante devictum Albinum ad eam urbem illum adventaſſe. Quando verò tradit, eum reverſum triumphum reſpuiſſe, loquitur de adventu, qui anno CXCVIII contigit. Quare rectè Herodianus lib. 3. cap. 6. *Qui ampliſſimo donativo milites proſecutus, ſtatim univerſos contra Albinum educit: miſſis item qui Byzantium expugnarent, clauſam adhuc receptis Nigri Ducibus.* Ex Oriente itaque Severus non Romam, ſed in Gallias venit, & victo in Galliis Albino, Romam profectus eſt, ut Herodianus narrat. Dum contra Albinum exercitum ducit, *Viminatii* majorem natu filium Cæſarem dicit, inquit Spartianus, quem Paradinus de oppidulo duabus leucis ſupra Lugdunum ſito, vulgóque dicto *Vimy*, nullo teſte, intelligit. Miror autem, Spartianum ſcribere, Severum Parthicum nomen reſpuiſſe; cùm in Nummis hoc anno percuſſis, & à Mediobarbo recitatis, Severus nuncupetur Parthicus, Arabicus & Adiabenicus, & qui huc uſque Imp. V appellatus fuerat, ob novas victorias dicatur Imp. VI, VII, VIII.

Severus Romam hoc anno non pervenit. Baron. num. XVIII.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5690. ☉ 10 B. ☽ 8. P. 24. APRIL. INDICT. 5.
JESU CHRISTI 197. *ſecundùm Baronium* 199. Olymp. 244. Ann. Urb. 950.
ZEPHYRINI PAPÆ 1.
SEVERI IMP. 5.

I. *Conſules.*

COss. *Claudius Lateranus, & Titius Ruſinus*, ut oſtendit Onuphrius in Faſtis.

II. *Caracalla*

Caracalla non hoc anno, ut exiſtimavit Baronius, ſed præcedenti Cæſar dictus, ut

Imperator deſtinatus. ibidem expoſitum. Ea tamen nuncupatio præſenti anno à Senatu rata habita. Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis Inſcriptionem hanc refert : LATERANO. ET RUFINO. COS. COOPTATUS. EX. S. C. M. AURELIUS. ANTONINUS. CAESAR. DESTINATUS. (Baron. num. 1.) Præterea hoc anno Tribunitia Poteſtas eidem Caracallæ à patre in Galliis conceſſa, ſed ea anno tantùm ſequenti decreto Senatûs confirmata. Interim *Imperator deſtinatus* appellatus eſt, ut liquet ex inſigni Inſcriptione in Marchionatûs Badenſis civitate, quæque à Scaligero ad num. 2215. Euſebii excitatur.

M. AURELIO
ANTONINO CÆS
IMP. DESTINATO.
IMP. L. SEPTIMI
SEVERI PERTINACIS
AUG. FILIO.
RESP. AQU.

Currenti itaque anno Caracalla Imperator deſtinatus, & inſequenti Imperatoriis inſignibus, ut tunc videbimus, ex Senatûs decreto decoratus. Hinc ejus Tribunitia Poteſtas aliquando à præſenti anno deducta, ut ſuo loco oſtendam. Exiſtimo autem, illam deſtinationem in Galliis factam eſſe, & quidem in Provincia Lugdunenſi, ubi Severus contra Albinum bellum gerebat. Certe Caracalla Lugduni natus eſt, ut docet Victor in Epitome, & indicat Spartianus in Severo cap. 5. quando ait, Severum Provinciam Lugdunenſem, antequam imperaret, *Legatum* accepiſſe, & dum eam regeret, *Juliam* uxorem duxiſſe, *ex qua ſtatim pater factus eſt.* Natus eſt Caracalla anno Chriſti CLXXXVIII, ut infrà demonſtrabimus. Quare eo anno Severus Lugdunenſem Provinciam regebat, jamque Juliam uxorem duxerat; licet Spartianus in Caracalla cap. 10. à ſe ipſo manifeſtè diſſentiens, Juliam Caracallæ *novercam* vocet. Severus Conſulatum ſuffectum geſſit anno CXC, ut ſuo loco diximus. Spartianus aſſerit, Severum poſt Lugdunenſem Provinciam, *Pannonias* Proconſulari Imperio adminiſtraſſe, dein *Siciliam Proconſularem* ſortitum eſſe, ſuſcepiſſeque Romæ alterum filium. Tum ſubdit : *Conſulatum cum Apuleio primum egit, Commodo ſe inter plurimos deſignante.* Geſtus ille Conſulatus anno CXC, natus verò Geta alter Severi filius anno CLXXXIX, ut infrà dicetur. Quamobrem eo anno Severus Siciliam adminiſtrabat, Conſulque ſuffectus in annum CXC deſignatus eſt. Quæ omnia huc uſque obſcura hic obiter explicare placuit, præſertim ut conſtet, Caracallæ cum Julia noverca matrimonium, cujus primus Auctor Spartianus, fictitium eſſe; quod & ipſemet Spartianus inſinuat, quando ait : *Intereſt ſcire, quemadmodum novercam ſuam Juliam uxorem duxiſſe dicatur,* id eſt, incerto rumore feratur.

III. *Albini interitus.* Albinus Cæſar non hoc anno, ſed inſequenti occiſus, ut tunc commodiùs explicabimus.

IV. *Bellum Judaicum.* (Baron. num. 11.) Ad num. II. Bellum Judaïcum, quod Euſebius in Chronico anno quinto Severi Imperatoris reſumtum ſcribit, à nullo antiquo Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptore memoratum, ideoque ante annum Chriſti CCI Severus contra Judæos bellum non geſſit. Incertum tamen, an de eo bello Euſebius per errorem loquatur quinto hujus Imperatoris anno, currenti nempe, an verò alterius, cujus nullus Hiſtoricus meminerit.

Hoc anno *Victor* Papa è vivis exceſſit, cui *Zephyrinus* ſucceſſit, qua de re infrà. V. *Obitus Victoris PP.*

ANNO PERIODI GRÆCO ROMANÆ
5691. ☉ 11 A. ☽ 9. P. 9. APRIL.
INDICT. 6.
JESU CHRISTI 198. *ſecundum Baronium* 200.
ZEPHYRINI PAPÆ 2.
SEVERI IMP. 6. CARACALLÆ IMP. 1.

COSS. *Ti. Saturninus*, & *C. Gallus*, ex Inſcriptione Onuphriana lib. 2. Faſtorum pag. 238. I. *Conſules.*

II. *Quinquennalia Severi.* Severus Romæ Quinquennalia dedit, quorum varia hoc anno indicabimus veſtigia.

III. *Albinus occiſus.* Ad num. I. Severus anno ſuperiori in Galliam venit, currenti *ad Lugdunum* cum Albino Cæſare pugnavit, eumque XI Kal. Martii, ut habet Spartianus in Severo cap. 11. vicit : *Direpta mox incenſaque Lugdunum, & Albino caput abſciſſum, perlatumque ad Severum eſt*, inquit Herodianus lib. 3. cap. 7. (Baron. ann. 199. num. 1.) Dictus fuerat Cæſar Albinus à Severo, poſtquam ipſe Imperium iniit; ſed *cùm Albinus etiam Imperatoriam dignitatem poſtularet*, ait Dio lib. 75. cumque dolis inſidiiſque tentaret, Albinus ſe ipſum Auguſtum nuncupavit, & Tribunitiam Poteſtatem capeſſiit, ut liquet ex Nummis apud Mediobarbum pag. 266. inter quos iſte legitur : IMP. CAES. D. CLOD. ALB. AUG. in poſtica, AEQUITAS AUG. COS. II.

IV. *Albini Imperium Cæſareum.* Cenſores quidam in Epiſtola Conſulari à Noriſio Viro Clariſſimo publicata invehuntur in illud quod pag. 178. Diſſertationis Hypaticæ ſcripſi, Marcum nempe Aurelium & Commodum ejus filium Imperium Cæſareum ante Auguſteum adeptos eſſe; quod Cæſareum Imperium ut convellant, exemplum Albini Cæſaris afferunt, quem puro puto nomine Cæſareo donatum fuiſſe tuentur. Commodus enim Albino Cæſareum nomen obtulit, utque inſigne aliquod Imperialis majeſtatis accederet, dedit ei facultatem utendi coccinei pallii, ut teſtatur Capitolinus in Albino cap. 2. qui cap. 13. ait, Albinum *Cæſareum nomen* à Commodo oblatum recuſaſſe, quod cap. 6. & cap. 13. repetit. Sed hinc tantum deduci poteſt, aliquando Cæſaris nomen ſine Imperio Cæſareo conceſſum fuiſſe, cujus rei pauciſſima occurrunt exempla. Commodus itaque ſolùm nomen Cæſareum Albino obtulit; ſed Severus cum nomine & Imperio Cæſareo donavit. Herodianus enim lib. 3. cap. 7. Severum laudat, quòd Albinum *Cæſaris honore atque auctoritate præditum in poteſtatem redegerit.* Capitolinus etiam in Albino cap. 3. de eo ait : *Extat illius concio, qua, cùm accepit Imperium, & quidem Severi (ut quidam) voluntate firmatum, bonus rei memoriam facit.* Tum cap. 7. Capitolinus ſcribit : *Ad Imperium venit natu jam grandior.* Paulò poſt refert

epiſtolam

epiſtolam Severi, in qua legitur: *Imperator Severus Auguſtus, Clodio Albino Cæſari, fratri amantiſſimo & deſideratiſſimo, Salutem. Victo Peſcennio*, &c. *Te quæſo, ut eo animo Rempublicam regas, quo dilectus es frater animi mei, frater Imperii.* At inquiunt Cenſores: *Commodus ac reliqui Cæſares ante Imperium Proconſulare, omnis Imperii expertes erant. Hinc cùm anno C LXXV Senatus nuntium necis Avidii Caſſii accepiſſet, inter feſtivas acclamationes abſenti M. Aurelio factas dixerunt:* Commodo Imperium juſtum rogamus. Commodo Tribunitiam Poteſtatem rogamus. *Erat igitur Commodus ſine Imperio, quamvis jam inde ab anno C LXVI Cæſar eſſet, deſtinatus tamen ad Imperium.* Sed vanum hoc argumentum. Commodus in pueritia Imperio Cæſareo ornatus fuerat, cui poſt decem circiter annos Senatus Imperium Proconſulare, quod majus erat, petivit. Quare in laudatis verbis *juſtum Imperium*, ſignificat Imperium Proconſulare, quod plenum Imperium eſt, ut *juſtum prælium*, illud quod verè & propriè prælii nomine cenſeri poteſt, inquit Budeus in Theſauro Roberti Stephani verbo *juſtus*. Addunt Cenſores: *M. Aurelius filios adhuc pueros Cæſares creavit, nullo cum eiſdem Imperio, cujus ob ætatem nondum capaces erant, communicato.* Ita pag. 178. Epiſtolæ Conſularis. Reſpondeo, M. Aurelii filios Cæſares, aliorumque Principum pueros Imperio ineundo, ſed non obeundo maturos eſſe, ut omnes norunt. Fateor tamen, Imperium illud Cæſareum ad pauca tantùm ſe extendiſſe, ab Imperatorum arbitrio pependiſſe, & in quo illud ſitum eſſet, hactenus obſcurum. Quæ obiter dicta ſint ad rem magni momenti magis explicandam.

V. *Albinus hoc anno victus.*

Præſenti anno, non ſuperiori, ut fert vulgaris ſententia, Albinum debellatum, colligo ex Herodiano lib. 3. cap. 8. qui Albinianorum internecione narrata, ait: *Continuò Romam proficiſcitur, exercitum ſecum omnem adducens, quò terribilior videretur. Confectoque magna velocitate itinere, quemadmodum conſueverat, infeſtus adhuc ſuperſtitibus Albini amicis, Romam intrat.* Dio de Albini interitu loquens, inquit: *Prælium verò Severi & Albini apud Lugdunum ita factum eſt.* Spartianus citatus habet: *Victus eſt Albinus die undecima Kalendas Martii*, die nempe decima nona menſis Februarii. Sed cùm, Severum præſenti anno Romæ fuiſſe, ibique Quinquennalia celebraſſe, indubitatum ſit, dies ille decimus nonus Februarii Albino & Albinianis fatalis, non alterius anni quàm currentis eſſe poteſt. Si enim menſe Februario anni præcedentis illa pugna pugnata fuiſſet, & præſenti tantùm anno Severus Romam veniſſet, non continuò, & magna celeritate, ut teſtatur Herodianus, ſed lentè cunctanterque illuc ſe contuliſſet, anno nempe ferè integro, in hoc longo ſpatio conficiendo, inſumto. Nec eſt quòd quis dicat, Severum anno ſuperiori Romam veniſſe. Herodianus enim loco laudato eum, ubi Romam adventavit, Quinquennalia celebraſſe, manifeſtè indicat: *Poſtea verò*, inquit, *quàm in templum Jovis ingreſſus eſt, omniaque ſacrificia de more peregit, reverſus in palatium, magnoque Congiario populum Romanum, victoriæ nomine proſecutus, ac nummos militibus largitus eſt, ſimul alia permulta indulſit, quæ nunquam antea acceperant. Nam & frumenti ſummam primus adauxit, & aureis annulis uti, & domi habere mulierem permiſit.* Quæ novitates gratiæque Quinquennalium Severi indicia. Objici etiam poſſet, Getam die ſeptima menſis Martii Romæ Cæſarem à Severo patre renuntiatum eſſe; cùm in Actis Paſſionis SS. Perpetuæ & Felicitatis, Sancta Martyr dicat: *Munere caſtrenſi eramus pugnaturi. Natale tunc Getæ Cæſaris*, &c. Utraque autem cum ſociis paſſa die VII Martii ex omnibus vetuſtis Martyrologiis, ut oſtendit Holſtenius in Notis ad ea Acta. Quare cùm Albinus die XIX Februarii ſuperatus fuerit, Romam Lugduno intra dies quindecim Severus cum exercitu pervenire non potuit. Verùm in Actis illis non de Natali Imperii Cæſarei Getæ, ſed de Natali ejus genuino ſermo eſt. Natus autem Geta *ſexto Kalendas Junias*, ut prodit Spartianus in Geta cap. 3. & parte alia, hoc anno poſt diem XIII menſis Aprilis, qui Imperii Severi Natalis eſt, Cæſar nuncupatus. Et ratio eſt, quia, ut mox viſuri ſumus, Caracalla poſt eum diem Tribunitiam Poteſtatem & Auguſteam dignitatem à patre obtinuit, & veriſimile non eſt, Getam minorem filium priùs à patre Cæſarem dictum, quàm Caracallam majorem natu filium à patre Auguſtum nuncupatum. Utraque itaque nuncupatio vel eodem tempore poſt menſem Martium facta, vel Caracalla priùs dictus Auguſtus, quàm Geta Cæſar. Quare SS. Perpetua & Felicitas alio die, quàm quo paſſæ ſunt, in Martyrologiis coluntur, quod non raro accidiſſe paſſim in hoc Opere obſervabimus; dieſque ſeptima Martii, dies, quo Carthaginem earum reliquiæ poſtea tranſlatæ, non verò dies obitualis. Porrò, cùm utraque Martyr non *Tuburbi*, ſed *Carthagine* paſſa fuerit, ut oſtendit Valeſius in Præfatione, quam ad laudata Acta præfixit, habemus ex illis Epiſcopum Carthaginenſem, qui tempore Severianæ perſecutionis ac Tertulliani ſedebat. Pag. enim 24. legitur: *Vidimus ante fores Optatum Epiſcopum*, &c. *Nonne tu es Papa noſter?* Quare, cùm hic ſermo ſit de perſonis Carthagine, non verò Tuburbi viventibus, dicendum, *Optatum* fuiſſe tunc Epiſcopum Carthaginenſem, ac Agrippini ſucceſſorem, cujus tamen nulla mentio apud Schelſtratium in Diſſert. Eccleſiæ Africanæ, ubi eorundem Epiſcoporum indicem texit. Hanc ad me obſervationem miſit Clariſſimus Abbas Ludovicus *du Four*, qui non dubitat etiam, quin Perpetua & Felicitas alio die martyrium pertulerint, quàm quo coluntur, & quin Severi Romam adventus ad hunc annum pertineat.

VI. *Caracalla Auguſtus, Geta Cæſar dicitur.*

Severus *ultus graviter Albinianam defectionem, Romam venit, Commodum in Senatu & concione laudavit, Deum appellavit*, inquit Spartianus in Severo cap. 12. Paulò antè ſcripſerat, Severum poſt victum Albinum *inter milites Divum Commodum* pronuntiaſſe, *idque ad Senatum* ſcripſiſſe. Quemadmodum itaque Tribunitiam Poteſtatem Caracallæ conceſſam, ita Commodi apotheoſim à Senatu Severus confirmari voluit. Ex quo

utroque facto intelligimus, adhuc per hæc tempora magnam Senatûs in ſimilibus habitam rationem fuiſſe. Hujuſmodi conſecrationes annis Quinquennalibus & id genus feſtis dicatis de more factæ. Tum cap. 14. ait Spartianus: *Cæſarem deinde Baſſianum filium ſuum, Antoninum à Senatu appellari juſſit, decretis Imperatoriis inſignibus.* Caracalla ſeu Baſſianus anno CXCVI Cæſar nuncupatus fuerat, annoque inſequenti Imperator deſtinatus, ut ſuo loco diximus. Deerat itaque tantùm Senatûs decretum, quod hoc anno acceſſit. Severus non ſolùm Caracallam Auguſtum dixit, ſed etiam Getam filium ſuum natu minorem Cæſarem nuncupavit, quod Herodianus lib. 3. cap. 9. his verbis exprimit: *διατρίψας δ' ἱκανὸν χρόνον ἐν τῇ Ῥώμῃ τούς τε υἱεῖς αὐτῷ κοινωνοὺς τῆς βασιλείας καὶ αὐτοκράτορας ἀποδείξας*, &c. Id eſt: *Igitur aliquandiu Romæ moratus, participato filiis Imperio, decrevit item Barbarorum inclareſcere tropæis.* Petavius lib. 13. de Doct. Temp. pag. 694. ait: *Herodianus ſignificat utrumque Severi filium participem Imperii, & αὐτοκράτορα factum eſſe. Sed Spartianus Getam nonniſi Cæſarem creatum aſſerit, quod & probabilius videtur.* At perperam, nam inter Herodianum & Spartianum egregiè convenit. Illud tamen præter Spartianum Herodianus dicit, Getam nempe, qui tantùm Cæſar renuntiatus eſt, nuncupatum fuiſſe Imperatorem, non minùs quàm Caracallam, qui Auguſtus eſt appellatus. Antea enim Cæſares Imperatoris nomine non cohoneſtabantur, niſi Imperio Proconſulari inſigniti eſſent. Cui rei magno argumento eſt, quòd Caracalla Cæſar, cùm anno præcedenti Tribunitia Poteſtate decoratus eſt, *Imperator deſtinatus* dictus eſt, ut tunc oſtendi, & magis confirmatur ex duobus Nummis Caracallæ Cæſaris apud Mediobarbum: in averſa parte unius legitur: DESTINATO IMPERAT. & in poſtica alterius: DESTINATO IMPERATORI. Ex quibus inferendum, tunc Cæſares nondum Imperatores dictos fuiſſe, & hanc novitatem Severi Quinquennalium effectum fuiſſe: alioquin Caracalla non deſtinatus Imperator, ſed deſtinatus Auguſtus in Nummis & Inſcriptionibus nominatus fuiſſet. Sed quidquid de hac re ſit, Getam alioſque deinceps Cæſares, licèt nec Tribunitia Poteſtate, nec Imperio Proconſulari exornati eſſent, Imperatores appellatos fuiſſe certum. Annis Quinquennalibus & id genus feſtis addictis, Cæſares ac novos Auguſtos de more creatos fuiſſe, prioreſque poſt M. Aurelium Imperatores vocatos, in Diſſert. Hypat. demonſtravi.

VII. *Tribunitia Poteſtas Caracallæ data.*

Hoc anno Caracallam Auguſtum appellatum, eique Tribunitiam Poteſtatem confirmatam, demonſtrant varia hujus Imperatoris Numiſmata apud Mediobarbum extantia. Illud inter cetera argumenta Conſulatus ejus deſignati invictè demonſtrant. Mediobarbus pag. 286. Numiſma ejus jam Auguſtea dignitate præditi exhibet, in quo legitur: TR. P. IIII. COS. DES. Primum Conſulatum Caracalla geſſit anno CCII. Quare Tribunitiam Poteſtatem currenti anno, non verò inſequenti inierat; alioquin anno CCII adhuc Conſul deſignatus fuiſſet, cùm tamen Conſulatum ordinarium eo anno geſſerit. Præterea in alio Nummo Caracalla dicitur: TR. P. X. COS. II. DES. III. Tertius Conſulatus à Caracalla anno CCVIII ſuſceptus, quo tamen anno adhuc Conſul II, deſignatus III fuiſſet, ſi anno ſequenti Tribunitia Poteſtate inſignitus fuiſſet. Nam Tribunitiam Pot. X anno tantùm CCVIII inchoaſſet, ut numeranti patet. Alia in hanc rem argumenta in medium adducit Noriſius in Diſſert. de Votis Decennalibus cap. 4. Ceterùm, poſt diem XIII Aprilis Tribunitiam Poteſtatem Caracallæ conceſſam, mox viſuri ſumus.

VIII. *Tribunitia Poteſtas Caracallæ explicata.*

Sed licèt in Nummis & Inſcriptionibus Caracallæ Tribunitia Poteſtas à præſenti Chriſti anno de more auſpicetur, ſuperſunt tamen variæ Inſcriptiones & aliqui Nummi, in quibus ea à præcedenti exordium ſumit. Ex quo certum redditur, Caracallam eo anno, non verò currenti, ut exiſtimavit Noriſius loco laudato, Imperatorem deſtinatum fuiſſe. Quantum Chronologia ad Inſcriptiones explicandas conferat, ex hujus eruditiſſimi Viri verbis intelligitur. Is poſtquam Caracallam præſenti anno Tribunitiam Poteſtatem iniiſſe probavit, inquit: *His tamen opponuntur inſignia Elogia, quæ etiamnum viſuntur Romæ, ex quibus poſt Kalend. Junias an. CXCVIII evincitur tradita Antonino Tribunitia Poteſtas. In ſuperiori parte Panthei legitur:* Baron. ann. 197. num. 11.

IMP. CAES. L. SEPTIMIUS. SEVERUS. PIUS. PERTINAX. ARABICUS. ADIABENICUS. PARTHICUS. MAXIMUS. PONTIFEX. MAX. TRIB. POT. XI. COS. III. P. P. PROCOS. ET. IMP. CAES. M. AURELIUS. ANTONINUS. PIUS. FELIX. AUG. TRIB. POT. V. COS. PROCOS. PANTHEUM. VETUSTATE. COLLAPSUM. CUM. OMNI. CULTU. RESTITUERUNT.

Severus Aug. anno Chriſti CC III Kal. Junii inibat TR. P. XI, *cum qua ſi copuletur* TR. P. V. *Antonini, fit conſequens ut Antoninus C XCVIII noſtra epocha poſt Kalend. Junias, primam Tribunitiam Poteſtatem auſpicatus fuerit. Rurſus in porticu templi S. Angeli in Foro Piſcario viſitur Epigramma, in quo Tribunitia Poteſtas ſexta Antonini cum undecima Severi jungitur. Habetur apud Gruterum pag. 172. In celebri Arcu Septimii in Foro Romano Severus inſcribitur* TRIBUNIT. POTEST. XI. *Antoninus verò* TRIBUNIT. POTEST. VI. *Si cum Tribunitia Poteſtate undecima Severi concurrit quinta & ſexta Antonini, minùs rectè Panvinus & alii aſſerunt, Kalendis Junii die natali Imperii Severi Antoninum Tribunitiam Poteſtatem accepiſſe. Sanè Panvinus priorem illam Inſcriptionem referens anno Urbis 956. pro XI ſcripſit X. Sed ex altero Elogio rejicitur; neque tam facile eſt Lapides ac membranas corrigere. Laudantur aliæ Inſcriptiones antiquæ, in quibus Tribunitia Poteſtas prima Antonini cum VI Severi conjungitur apud Gruterum 1020. Rurſus cum VII ejuſdem Severi pag. 264. Ex tot Elogiis lucu-*

lenter probatur, Antoninum anno C XCVIII poſt Kal. Junias deſignatum fuiſſe Auguſtum, delata eadem Tribunitia Poteſtate. Quare anno CC XVII ſexto Idus Aprilis occiſus, agebat annum Trib. Pot. XIX. Quî igitur fieri poteſt, ut in Nummis & Lapidibus ejuſdem Tribunitia Pot. XX, & anno CC, die quarta Aprilis, tertia inſcripta fuerit? (jam enim retulerat Noriſius Inſcriptionem eo anno ſcriptam, in qua Tribunitia Poteſtas III Antonini, & dies quartus Aprilis legitur) *Reineſius lib. 1. Variar. cap. 21. Volumen promiſit inſcriptum:* Examen Inſcriptionum veterum: *at ille vitam ante Operis editionem explevit. Hujus eximii Voluminis autographum Joannes Fritzſche Typographus Lipſienſis apud ſe eſſe teſtatur in Epiſtola nuncupatoria. Jacobus Sponius Vir eruditiſſimus ſupra tria millia Inſcriptionum collegit, quæ in Gruteriano Theſauro deſiderantur: idem verò in Græciam navigationem adornat, antiqua Elogia ex temporis ac Barbarorum injuriis æternitati aſſerturus, & in Galliam redux, grandi volumine has omnes ac reliquas inſuper Lapidum difficultates infringet.* Ita Noriſius, cui hæc difficultas non ſine ratione graviſſima viſa. Scripſit poſtea ad me Noriſius, vidiſſe ſe argenteum Nummum in Muſæo Abbatis Bracesii jam demortui cum epigraphe: L. SEP. SEVERUS AUG. P. M. TR. P. VIII. & in poſtica: ANTONINUS AUG. PONT. TR. P. IIII. Severus anno Chriſti CC Tribunitiam Poteſtatem octavam iniit, annoque CC I adhuc continuavit. Rurſus Caracalla Sponii pag. 158. dicitur TRIB. POT. IIII. COS. Igitur ante Junium anni Chriſti CC I accepit Tribunitiam Poteſtatem. Hæc Vir eruditiſſimus: Confert etiam Baronius annos Tribunitiæ Poteſtatis Severi cum annis Tribunitiæ Poteſtatis Caracallæ, & aliquas ex præfatis Inſcriptionibus memorat, ut videre eſt in Annalibus anno tertio Severi, ubi hæc difficultas proponitur quidem, ſed non ſolvitur.

IX. *Tribunitia Pot. Caracallæ diverſimode inchoata.*

Sponius initio currentis anni milleſimi octogeſimi ſexti vitâ functus, varias Inſcriptiones ante obitum publicavit, & Syntagma veterum Inſcriptionum à Reineſio collectarum nuper in lucem prodiit; ſed neuter aliquid attulit quod ad hanc difficultatem ſolvendam faceret. At poſitis duobus principiis Tribunitiæ Poteſtatis Caracallæ, ea evaneſcit, & laudatæ Inſcriptiones, ſimileſve faciles explicatus habent. Tribunitia Poteſtas Severi ab Idibus Aprilis, ſeu die decima tertia ejuſdem menſis anni centeſimi nonageſimi tertii, quo à militibus acclamatus eſt Imperator, deducta, non verò à Kalendis Juniis, ut Onuphrius omnibus perſuaſit. Tribunitia Poteſtas Caracallæ in aliquibus Nummis & Inſcriptionibus ab anno CXCVII, quo Imperator deſtinatus eſt; in aliis autem ab anno C XCVIII, dieque incerto, poſt decimum tertium Aprilis ejuſdem anni, deſumi ſolita. Quare in ſuperiori parte Panthei Tribunitia Poteſtas quinta Caracallæ rectè cum undecima Severi copulatur, quia anno ducenteſimo tertio die XIII Aprilis Severus Tribunitiam Pot. XI iniit, quo tempore Tribunitia Poteſtas quinta Caracallæ adhuc per aliquot dies ac fortè menſes in curſu erat, annoque C XCVIII poſt diem XIII Aprilis inchoata fuerat. In Arcu Septimii Severi eadem Tribunitia Pot. XI cum ſexta Caracallæ conjungitur, quia is anno CC III poſt diem XIII menſis Aprilis ſextam Tribunitiam Poteſtatem ſuſcepit. Propter eandem rationem prima Caracallæ cum ſexta & ſeptima Severi rectè congruit, quia Severus die XIII Aprilis anni C XCIII ſeptimam capeſſiit, eoque die prima Caracallæ nondum abſoluta erat, ideoque cum ſexta & cum ſeptima concurrere potuit. Ad hæc, Caracalla die VIII Aprilis anni CC XVII interemtus, cùm ageret Trib. Pot. XX, ab anno Chriſti C XCVII inchoatam: quo pacto anno Chriſti CC, die quarta Aprilis, tertia Tribunitia Poteſtas Caracallæ currebat, quia quæ cœpit anno C XCVII, die quarta Aprilis anni CC adhuc durare potuit. Denique Tribunitia Pot. IV Caracallæ cum ejus Conſulatu anno CC II geſto conjuncta, ab anno C XCVIII poſt diem XIII menſis Aprilis exordienda. Sic enim anno CC II nondum abſoluta erat. Sed quarta Tribunitia Poteſtas Caracallæ cum octava Severi in eodem Nummo illigata, ab anno C XCVII omnino deſumenda, & juxta hanc methodum ceteræ omnes Tribunitiæ Poteſtates Caracallæ exponendæ.

X. *Eccleſia adhuc tranquilla.*

Ad num. II. Ante decimum Severi Imperatoris annum Chriſtiani vexati non fuere. Libri enim Tertulliani, ex quibus Baronius perſecutionem per hæc tempora cœptam deduxit, ante decimum Imperii Severiani annum non compoſiti; & Plautianus Præfectus Prætorio, & Chriſtianorum perſecutor, quem Romæ relictum Doctiſſimus Cardinalis credidit, Severum in Orientem proficiſcentem comitatus eſt, ut anno ſequenti oſtendemus. Baron. num. VIII.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5692. ☉ 12 G. ☽ 10. P. I. APRIL.
INDICT. 7.
JESU CHRISTI 199. *ſecundùm Baronium* 201.
ZEPHYRINI PAPÆ 3.
SEVERI IMP. 7. CARACALLÆ IMP. 2.

I. *Conſules.*

COSS. *P. Cornelius Anullinus II, & M. Aufidius Fronto*, ex duabus Inſcriptionibus Onuphrianis.

II. *Caracalla Auguſtus dictus.*

Ad num. I. Antoninus Caracalla Auguſtus, & Geta Cæſar anno præcedenti renuntiati fuere; ad quem etiam annum pertinent Munerum editiones, & Congiarium populo datum, ut ibidem oſtendimus. Nec ad rem facit Nummus Severi, quem ex Ligorio recitat Baronius, in cujus antica legitur: SEVERUS PIUS AUG. P. M. TR. P. XI. in poſtica: LIBERALITAS V. Nummus enim ille anno CC III, quo Severus Decennalia celebravit, & rurſus Congiarium dedit, percuſſus. Baron. num. I.

III. *Tertullianus componit librum* de Corona militis.

Ad num. II. Liber *de Corona militis* anno Chriſti ducenteſimo ſecundo, in quem Severi Decennalia incidebant, in lucem editus videtur. Hoc enim ejus initium: *Proximè factum eſt. Liberalitas præſtantiſſimorum Imperatorum expungebatur in caſtris*; &c. id eſt, Baron. num. II.

milites donativum accipiebant, & nomina eorum qui illud acceperant, expungebantur ex catalogo. Quæ liberalitas ad Quinquennalia Caracallæ anno cc i peracta, revocanda videtur. Paulò pòſt: *Muſſitant denique tam longam & bonam pacem periclitari*, quòd nempe miles Chriſtianus coronam lauream ex more, donativum accepturus, in capite geſtare nollet. Ex quo liquet, librum illum ſcriptum in pace Eccleſiæ, quæ jam longa fuiſſet, ſed quæ jam in periculum adducebatur. Eccleſia verò poſt decimum Imperii Severi annum ferè ſemper vexata, & ante annum cc ii nullam perſecutionem ſuſtinuit. Cœpta autem eo anno, & quidem à militibus, ut poſtea Diocletianea. Ex quo liquet, librum *de Spectaculis*, quem Baronius anno cc iv elucubratum credidit, ante annum cc ii publicatum fuiſſe; cùm in libro *de Corona militis* expreſſis verbis citetur. In libro verò *de Idololatria* cap. 13. Tertullianus ait: *De ſpectaculis autem & voluptatibus hujuſmodi ſuum jam volumen implevimus.* Quare tam liber *de Idololatria*, quem Baronius anno cc iv compoſitum arbitratur, quàm liber *de Corona militis*, ſcripti fuere poſt librum *de Spectaculis*, & ante annum cc ii, quo perſecutio decreta. Baronius in Annalibus putat, Tertullianum, cùm ſcriberet librum *de Corona militis*, Romæ præſentem fuiſſe, non autem Carthagine longè poſitum, eumque declarare, ſe de præſenti tempore loqui, voce illa iterata, *nunc nunc*, quæ in eo libro legitur. At nullus Veterum Tertullianum Romæ verſatum eſſe ſcripſit. Nec refert, quòd Hieronymus in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſt. dicat, *invidiâ & contumeliis Clericorum Romanæ Eccleſiæ ad Montani dogma* dilapſum eſſe, cùm Clerus Romanus eundem abſentem injuriis laceſſere potuerit, ut rectè obſervavit eruditiſſimus Abbas Ludovicus *du Four*, in Tertulliani lectione verſatiſſimus.

IV. *Plautianus Comes Severi Imp. per Orientem.*

Ad num. VI. Herodianus lib. 3. cap. 9. poſtquam locutus eſt de iis, quæ Severus Imperator anno præcedenti Romæ egit, ait: *Igitur aliquandiu Romæ moratus, exercitum in Orientem eduxit.* Quod hoc anno factum, rectè à Baronio ſcriptum; ſaltem nihil in contrarium hactenus adductum. Sed quod addit, reliquiſſe Severum Romæ, qui omnium curam ageret, Plautianum, cujus filiam Caracallæ filio ſuo dederat in uxorem, quique Chriſtianos perſecutus eſt, in eo Cardinalis Eruditiſſimus profectò hallucinatur. Nam Dione lib. 75. & Herodiano lib. 3. teſtibus, Plautianus Præfectus Prætorio erat, qui Imperatorem ea ætate expeditionem bellicam adminiſtrantem ſemper comitabatur, eique, ut *Coneſtabilis* Francorum Regi arma tractanti, de more aderat. Præterquam quòd tantâ gratiâ Plautianus apud Severum pollebat, & *Severus ipſe ei ita permiſerat omnia, ut ille Imperatoris, ipſe Præfecti loco eſſet. Quidquid enim diceret aut ageret Severus, id ille perſpectum habebat*, inquit Dio lib. 75. qui paulò pòſt ſubdit: *Patiebaturque illum recipi in potiora diverſoria, reſque ad victum neceſſarias meliores habere & copioſiores. Itaque cùm aliquando Nicææ, quæ mea eſt patria, mugilem poſtularet, quos maximos ille fert lacus, miſit qui à Plautiano peterent, acceptumque ab eo ad ſe perferrent.* Et poſtea Dio diſertis verbis aſſerit, Plautianum Tyanis, quæ urbs Cappadociæ, ægrotantem à Severo viſitatum fuiſſe. Hanc in rem Vir Clariſſimus Noriſius me per literas monuit, extare egregiam Inſcriptionem apud Gruterum pag. cc lxx. 6. quæ licèt in principio & in medio mutila, ſi tamen, ut debet, ſuppleatur, Plautianum utriuſque Imperatoris (Severi nempe & Caracallæ) *per omnes expeditiones eorum* ſemper Comitem fuiſſe magis conſtabit.

Baron. num. xx & xxxix.

IMP. M. AURELI. ANTONINI. AUG
PII. FELICIS. PONTIFICIS. CONS
IMP. L. SEPTIMI. SEVERI. AUG. PII. FELICIS
PONTIFICIS. ET. PARTHICI. MAXIMI. COS. III. NURUI
FILIAE

PONTIFICIS. NOBILISSIMI. PF. PR. NECESSARII
AUGG. ET. COMITIS. PER. OMNES. EXPEDITIONES. EORUM-
T. STATILIUS. CALOCAERUS. NOMENCL
CUM. STATILIO. DIONYSIO. TRIB. LEG. XVI. FLAVIAE
ET. STATILIO. MYRONE. DISSIGNATORE. SCAENAR
FILIIS. ET. STATILIO. DIONYSIO. DISCIPULO. FICTORUM
PONTIFICUM. C. C. V. V. NEPOTE. SUO
AMPLA. BENEFICIA. DE. INDULGENTIA
AUGUSTORUM. SUFFRAGIO. PATRIS. EJUS
CONSECUTUS.

Dedicata Inſcriptio *Plautillæ* Antonini Caracallæ uxori, Severi Imperatoris nurui, & Plautiani Præfecti Prætorio filiæ, idque anno Chriſti cc iii, quo Antonini & Plautillæ conjugium peractum, vel ſaltem anno cc iv. Quare cùm in ea Inſcriptione, cujus initio Plautillæ & in medio Plautiani nomina ſupplenda, dicatur Plautianus Comes *per omnes expeditiones eorum*, utriuſque nempe Auguſti, manifeſtè apparet, Plautianum Præfectum Prætorio, Romæ à Severo in Orientem proficiſcente, relictum non fuiſſe. Porro ideo nomen Plautiani & Plautillæ ejus filiæ eraſum, quia, ut prodit Spartianus in Severo cap. 14. *Plautianum ex amiciſſimo, cognitâ ejus vitâ, ita odio habuit, ut & hoſtem publicum appellaret, & depoſitis ſtatuis ejus per Orbem terræ gravi eum inſigniret injuria*, Severus ſc.

V. *Caracalla Plautillam duxit uxorem.*

Neque Antoninus Plautillam ante annum cc iii uxorem duxit, ut diſertè tradit Dio ipſo libri 76. initio, ubi poſt narrata Severi Impera-

Imperatoris Decennalia eo anno exhibita, inquit: *Eodem anno celebratæ ſunt nuptiæ Antonini filii Severi, & Plautillæ Plautiani filiæ.* Imperatores & eorum filios annis Decennalibus aut id genus feſtis deſtinatis, nuptias de more celebraſſe, multa exempla paſſim in hoc Opere indicanda demonſtrant. Extat Antonini Caracallæ Nummus, in quo legitur: ANTON. P. AUG. PON. TR. P. V. COS. in poſtica: PLAUTILLAE. AUGUSTAE. Cernitur caput Plautillæ. Mediobarbus pag. 286. ait, nuptias Plautillæ anno CC II peractas, ultra Dionem, cum Nummum teſtari. At Dio contrarium aſſerit, oſtenditque, Tribunitiam Poteſtatem quintam Caracallæ eo in Nummo memoratam de Tribunitia Poteſtate quinta exeunte, non verò de eadem ineunte intelligendam eſſe. Error Mediobarbi Viri Clariſſimi, cui multum Literæ debent, ex eo procedit, quòd ipſe exiſtimet, Severum anno CC II Decennalia edidiſſe, & Plautillam Antonino filio copulaſſe, annoque CC III Vicennalia Vota ſuſcepiſſe. Et tamen uno eodemque tempore Vota Decennalia ſoluta fuiſſe, ac Vicennalia ſuſcepta, certum & indubitatum, uti in Diſſert. Hypat. monſtravi. Ex quibus tandem omnibus conſequens eſt, Plautianum hoc anno Severum in Orientem ſecutum eſſe, nondum illum *Plautillam* filiam Antonino Auguſto in matrimonio collocaſſe, neque Romæ Chriſtianos vexaſſe.

VI. *Tertullianus Apologeticũ ſuum compoſuit.*

Ad num. VIII. Chriſtianorum perſecutio ante annum CC II decreta non fuit. Quare cùm Tertullianus Apologeticum ſuum, perſecutione ubique jam à multo tempore flagrante, ut ex ipſomet Apologetico colligitur, ſcripſerit, longè tardiùs præſtantiſſimum illud Opus promulgatum, & quidem, ut conjicere licet, anno ducenteſimo quinto, quo Antoninus Imperii Cæſarei Decennalia celebravit, quóve perſecutio, quæ uſque ad mortem Severi ferè duravit, magis ſæviit. Exiſtimavit Baronius, eam Apologiam Romæ ſcriptam, & ad Senatum miſſam. Verùm, *Romani Imperii Antiſtites in ipſo ferè vertice civitatis* præſidentes *ad judicandum*, Senatum non deſignant, ut Cardinalis Eruditiſſimus putat, ſed Præſides Provinciarum, ut ipſemet Tertullianus teſtatur in fine illius Operis, ubi ait: *Sed hoc agite, boni Præſides, meliores multò apud populum, ſi illis Chriſtianos immolaveritis, cruciate, torquete, damnate, atterite nos.* Et ubicunque eoſdem alloquitur, *Præſides* ſemper appellat, uti & in libro primo ad Nationes cap. 2. Librorum autem ad Nationes, Apologeticus compendium eſt, cùm iiſdem argumentis innitatur, & eadem facta in utroque Opere recitentur. Imò cap. 2. Apologetici non ad Senatum, ſed ad Senatuſconſultorum executores & miniſtros ſermonem convertit: *Niſi enim fallor, Leges malos erui jubent, non abſcondi: confeſſos damnari præſcribunt, non abſolvi. Hoc Senatuſconſulta, hoc Principum mandata definiunt. Hoc Imperium, cujus miniſtri eſtis*, &c. Denique ſe neque Senatum alloqui, neque Romæ ſcribere, ſed Carthagine, teſtatur cap. 45. quando ait, *Deum, non Proconſulem timentes.* Quare *civitatis* nomen, ipſo Apologiæ initio memoratum, non de Roma, quæ non *civitas*, ſed *Urbs* ab Antiquis vocari ſolet, verùm de Carthagine intelligenda, ut rectè vidit eruditiſſimus Abbas Ludovicus *du Four*, qui hæc mecum communicavit. Ex his manifeſtè patet, perſecutionem per hæc tempora adverſus Chriſtianos ſuſcitatam non fuiſſe; cùm Plautianus in Oriente cum Severo fuerit, & liber Apologeticus longè poſt hunc annum lucem viderit; quibus tamen duobus tantùm fundamentis fretus Baronius, quando eam hoc anno recruduiſſe exiſtimavit.

Baron. num. XXVII.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5693. ☉ 13 F E. ☽ 11. P. 20. APRIL. INDICT. 8.

JESU CHRISTI 200. *ſecundùm Baronium* 202.

ZEPHYRINI PAPÆ 4.

SEVERI IMP. 8. CARACALLÆ IMP. 3.

COSS. *Ti. Claudius Severus*, & *C. Aufidius Victorinus*, ex Inſcriptione Onu- I. *Conſules.*
phriana.

FINIS SECULI II.

CRITICA
HISTORICO-CHRONOLOGICA
IN
ANNALES BARONII
SECULUM III.

Olymp. 245.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5694. ☉ 14 D. ☽ 12. P. 5. April. Indict. 9.

Jesu Christi 201. *ſecundùm Baronium* 203.

Zephyrini Papæ 5.

Severi Imp. 9. Caracallæ Imp. 4.

I. *Conſules.* COss. *L. Annius Fabianus*, & *M. Nonius Mucianus*, ut ex duabus Inſcriptionibus Onuphrianis patet.

II. *Perſecutionis initium.* Caracalla Imperii Cæſarei Quinquennalia dedit. Auctor Chronici Alexandrini ait: *His Coſſ. rurſum vexati Chriſtiani, multique pro Chriſto vitam poſuere.* Ubi adverbium *rurſum* ad perſecutionem, quæ ſub M. Aurelio ſæviit, referendum; cùm uſque ad præſentem annum Severus Chriſtianis non nocuerit. Verùm is Scriptor anno uno perſecutionem antevertit, ideoque hac in re non audiendus.

III. *Quinquennalia Imperii Cæſarei Caracallæ.* Porro Caracallam hoc anno ea ſolennia exhibuiſſe, elicitur ex Spartiano in Severo cap. 15. ubi poſtquam victorias Parthicas hujus Imperatoris narravit, eumque Parthicum nomen meruiſſe dixit, ſubjungit: *Ob hoc etiam filium ejus Baſſianum Antoninum, qui Cæſar appellatus jam fuerat, annum decimum tertium agentem, participem Imperii dixerunt milites. Getam quoque minorem filium Cæſarem dixerunt: eundem Antoninum, ut plerique in literas tradunt, appellantes. Harum appellationum causâ donativum militibus largiſſimum dedit, conceſſa omni præda oppidi Parthici. Inde in Syriam rediit victor, & Parthicum deferentibus ſibi Patribus triumphum, filio conceſſit, ut triumpharet, cui Senatus Judaicum triumphum decreverat. Deinde cum Antiochiam tranſiſſet, data virili toga filio majori, ſecum eum Conſulem deſignavit, & ſtatim in Syria Conſulatum inierunt*, Kalendis nempe Januariis anni ducenteſimi ſecundi. Sed Spartianus Caracallæ nuncupationem Auguſteam cum Imperii ejus Cæſarei Quinquennalibus perperam confundit; imò à ſe ipſo manifeſtè diſſentit, niſi eo in loco de Quinquennalibus Caracallæ ſermonem habeat, cùm jam cap. 14. ſcripſerit, Caracallam Romæ à patre dictum Auguſtum fuiſſe, eique Imperatoria inſignia decreta, ut jam ſuprà explicavi. Natus erat Caracalla anno Chriſti centeſimo octogeſimo octavo die ſexta Aprilis. Dio enim lib. 78. aſſerit, vixiſſe eum annos triginta novem, & Spartianus in Severo cap. 6. teſtatur, Caracallam eodem die & natum & mortuum. Quare præſenti anno decimum tertium ætatis annum Caracalla abſolvit, & decimum quartum ingreſſus eſt, ideoque toga in Quinquennalibus & id genus feſtis Imperatorum filiis dari ſolita, ei maturata eſt. De more enim annum decimum quintum incipientibus ea eiſdem conceſſa. In Diſſert. Hypat. pag. 222. ex Nummo Severi inſcripto *Trib. Pot. IX.* in poſtica, *Vota ſuſcepta X.* intuli, Severum duo Decennalia aliaque id genus feſta edidiſſe, alia deducta ab eo tempore, quo ab exercitu, vivente adhuc Didio Juliano, dictus eſt Imperator, alia ab eo, quo eidem ſucceſſit; ſed certum eſt, Severum unica Decennalia celebraſſe, neque nimis feſtinanter ſcribentem averſam illam Nummi

partem ad aliam anticam pertinentem malè conjunxiſſe; de quo monendus fuit Lector, ut errorem illum caveat.

IV. *Triumphus Judaïcus Caracallæ.* Quoad triumphum Judaïcum, rectè à Spartiano cum virili toga Caracallæ conceſſa copulatur. Quemadmodum enim in Quinquennalibus & id genus feſtis, filiis Principum toga data, ſic & triumphi acti, niſi conſultò ad eam pompam exhibendam Conſulatum ordinarium capeſſerent. Monterchius V. C. in Rarioribus maximi moduli Numiſmatis pag. 49. Nummum Græcum Caracallæ producit in poſtica inſcriptum: ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ideſt, *Perinthiorum bis Neocororum*. Cernitur Caracalla in quadrigis triumphalibus, altera manu ſceptrum, altera lauream geſtans: à tergo ſtat Victoria coronam in caput Imperatoris attollens. Currum antecedit pegma cum trophæo inter duos captivos, quod quibuſdam arcus triumphalis videri queat; ſed quod Monterchius credit unum eſſe ex ferculis ſeu feretris, quæ in pompa triumphali circumferri ſolebant. Eſt hoc itaque monumentum triumphi Antonini Caracallæ, quem ei permiſit Severus pater. Perinthii propter beneficia ab eo accepta hunc triumphum celebrarunt, & iterum facti Neocori ſtatuas erexerunt, atque Ludos ſacros Actios, Pythios in honorem Severi & Caracallæ celebratum iri decreverunt, ut liquet ex alio Nummo apud Monterchium pag. 152. Porro Neocororum titulus ſolebat tribui præcipuis civitatibus, quæ curam gerebant ſacrarum pomparum & Ludorum ſolennium, qui in honorem Imperatoris edebantur. Alioquin Neocori ſeu Æditui, qui templa & res ſacras curabant, dicebantur.

V. *Obitus Victoris PP.* Ad num. I. Victor Papa ad Deum migravit anno centeſimo nonageſimo ſeptimo. In Chronico enim Damaſi legitur: *Victor annis novem, menſibus duobus, diebus decem*..... cetera corroſa, ſed ex auctiori Chronico veterum Pontificum Conſules ſupplendi: *Sedit annos decem, menſes duos, dies decem. Fuit à Conſulatu Commodi V, & Glabrionis, uſque Laterano & Rufino.* Codex Palatinus annos etiam decem, menſes duos, dies decem Victori aſſignat, ſicut & Catalogus Nominum Apoſtolicorum, niſi quòd loco *menſes duos*, habent *menſem I.* Quare Chronicon Damaſi, Codex Palatinus & Chronicon auctius veterum Pontificum errant quoad annos, menſes & dies: Codex verò *Nominum* Apoſtolicorum circa annos & dies, non verò circa menſem, quem dicit fuiſſe unicum, licèt erret in die emortuali, quem dicit fuiſſe *XX Aprilis*, ſicuti & in Martyrologio Hieronymiano legitur. Verùm, cùm in Eleutheri obitu Victoris initium die XII menſis Junii anni centeſimi octogeſimi quinti collocaverimus, liquet, Victorem ſediſſe annos duodecim, menſem unum, dies ſedecim, numeranda à die, quo ſedere cœpit, uſque ad diem, quo ſepultus eſt. In Martyrologio quidem Hieronymiano & in Catalogo Nominum Apoſtolicorum Natale ejus legitur ad diem XX menſis Aprilis, ſed ſtandum auctiori Chronico veterum Pontificum, in quo habetur: *Sepultus eſt juxta corpus B. Petri V Kalend. Auguſti, & ceſſavit Epiſcopatus dies undecim.* Obiit itaque Victor die XXVIII menſis Julii anni CXCVII. Verùm, ut jam monui, per duo priora Eccleſiæ ſecula quot menſibus ac diebus ſupra annos Pontifices Romani ſederint, vix ſciri poteſt, numeris in Catalogis expreſſis ferè ſemper corruptis, & duratione Interpontificii incerta.

Baron. num. 1 & ſeqq.

VI. *Victoris PP. Epiſtola.* Duæ Victori Decretales attribuuntur, Viris eruditis ſuſpectæ. Prima eſt ad Theophilum, non Alexandriæ, ſed Cæſareæ Epiſcopum, ut primus error ſit in inſcriptione. Inchoat verò cum verbis Leonis primi Epiſtola 53. juxta veterem ordinem, habetque plura loca ex eodem Leone deſumta. Secunda Epiſtola eſt ad univerſos Africæ Epiſcopos, & iterum incipit cum verbis Leonis primi Epiſt. 4. *Semper enim in æterno conſilio Dei, manſit humani generis*, &c. habetque locum Iſaiæ 24. ex verſione S. Hieronymi. Victori ſucceſſit Zephyrinus.

VII. *Liber Tertulliani ad Scapulam.* Ad num. II. Liber Tertulliani ad *Scapulam* Proconſulem Africæ ſcriptus, dum perſecutio adverſus Chriſtianos flagraret, & ea jam diu duraſſet. Nam *Vigellius Saturninus primus in Africa gladium in nos egit*, inquit Tertull. in eo libro cap. 3. Hunc ſecutus eſt *Minucius Firmianus*, de quo mentio in Actis SS. Perpetuæ & Felicitatis. Minucium excepit *Hilarianus*, de quo ſermo eſt tam in Libro ad Scapulam, quàm in laudatis Actis. Præter hos Tertullianus ibidem cap. 4. meminit quatuor aliorum Proconſulum, qui ſæviente perſecutione in Africa fuerant, nempe *Cincii Severi, Veſpronii Candidi, Alberi & Pudentis*. Quare *Scapula*, qui poſt illos Africam adminiſtravit, nonniſi ſub perſecutionis fine in eam Provinciam miſſus. Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis pag. 110. exiſtimat, Librum ad Scapulam poſt mortem Caracallæ compoſitum fuiſſe, quòd Tertullianus cap. 4. poſtquam nominavit *Proculum* Chriſtianum Severo Imperatori charum, ait: *quem & Antoninus optimè noverat, lacte Chriſtiano educatus*. Quæ verba neminem ſanæ mentis putat Scaliger de Antonino Caracalla vivente ſcribere Tertullianum potuiſſe. Poſſinus in Notis ad Paſſionem SS. Perpetuæ & Felicitatis, Scaligeri ſententiam laudat, additque, *Holſtenium* autumaſſe Librum ad *Scapulam* ſub *Macrino* ſcriptum, & à Macrino Clericos vexatos teſtari Sulpicium Severum, qui tamen de Maximino, non verò de Macrino loquitur. Sed, ut pateat, Viros doctiſſimos falli, Tertulliani locus integer hîc recitandus: *Ipſe Severus pater Antonini Chriſtianorum memor fuit. Nam & Proculum Chriſtianum Euhodiæ Procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requiſivit, & in palatio ſuo habuit uſque ad mortem ejus: quem & Antoninus optimè noverat lacte Chriſtiano educatus*. Ex quibus verbis liquet quidem, Proculum jam demortuum, quando Liber ad Scapulam publicatus eſt; ſed inde rectè non inferri poſſe, Severum & Antoninum, qui eodem tempore regnarunt, è vivis tunc exceſſiſſe; id quidem rectè de Severo dici poſſet, ſi Antoninus nonniſi poſt

Baron. num. V.

ejus mortem imperaſſet, ſed cùm in conſortium Imperii adſcitus fuerit, exiſtimandum, Tertullianum utroque Imperatore adhuc vivente, hunc Librum in lucem emiſiſſe, idque ipſo fine Imperii Severiani. Ex his porro liquet, martyrium SS. *Perpetuæ* & *Felicitatis* anno CCCIII contigiſſe, anno ſc. ſecundo perſecutionis. Secundò, *Dodwellum* in Diſſert. XI Cyprianica de Paucitate Martyrum, ubi arbitratur, perſecutionem Severi brevem fuiſſe, hallucinari: cùm tot Proconſules ea durante in Africa fuerint. Liber Tertulliani ad *Martyras* compoſitus Carthagine graſſante perſecutione, ſicut & Liber *de Teſtimonio Animæ*. In 2. cap. Lib. ad Martyras legitur: *Judicia denique non Proconſulis, ſed Dei ſuſtinet mundus.* Quare tunc Chriſtiani vexabantur. Tertullianus cap. 3. Libri ad Scapulam ait: *Nam & Sol illo in Conventu Uticenſi extincto pene lumine adeo portentum fuit, ut non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati poſitus in ſuo hypſomate & domicilio.* Obſervavit *Antonius Lalovera*, die undecimo Aprilis anni CCII, novilunium eclipticum Uticæ in Africa, ut videre eſt apud Poſſinum laudatum. Verùm Tertullianus non de hac eclipſi Solari, ſi tamen bene computata, ſed de aliqua aliâ intelligendus.

VIII. *Symmachus floret.* Baron. num. XV. Ad num. III. Auctor Chronici Alex. ſub ſequentis anni Conſulibus ſcribit, illis temporibus *Symmachum* tertiam edidiſſe Scripturæ ſacræ interpretationem.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5695. ☉ 15 C. ☽ 13. P. 28. MART. INDICT. 10.

JESU CHRISTI 202. *ſecundum Baronium* 204.

ZEPHYRINI PAPÆ 6.

SEVERI IMP. 10. CARACALLÆ IMP. 5.

I. *Conſules.* COss. *L. Septimius Severus Aug. III*, & *Aurelius Antoninus Caracalla Aug.* Sumtus hic ab utroque Imperatore Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam, propter nempe Severi Decennalia; & Imperii Auguſtei Caracallæ Quinquennalia; utraque tamen in annum ſequentem dilata, quod ſaltem de Severo negari non poteſt, ut tunc videbimus.

II. *Perſecutio adverſus Chriſtianos.* Baron. num. I & ſeq. Ad num. I. Perſecutionem Severianam quamplurimos Martyres feciſſe, oſtendit Euſebius lib. 6. cap. 1. qui ait: *Cùm Severus perſecutionem adverſus Eccleſias excitaſſet, per omnes quidem ubique locorum Eccleſias ab athletis pro pietate certantibus, illuſtria ſunt confecta martyria. Præcipuè tamen Alexandriæ increbuerunt*, &c. Tum capite ſequenti inquit: *Severo annum Imperii decimum agente, cùm perſecutionis ardentiſſimum flagraret incendium, atque innumerabiles martyrio coronarentur, Origenis animum adhuc admodum pueri tanta cupido occupavit martyrii, ut ſe periculis ipſis objiceret.* Dodwellus in Diſſert. Cyprianica XI de Paucitate Martyrum num. XLI & ſequent. rectè obſervat ante decimum Severi annum eo imperante Chriſtianos vexatos non fuiſſe; ſed perperam dicit, poſt VIII Idus Apriles hujus Chriſti anni ortam illam eſſe perſecutionem, quòd ab eo die Imperii ſui natali Tribunitiam Pot. X inierit Severus: nam, ut in hoc Opere oſtendo, perſecutiones annis Decennalibus & id genus feſtis addictis à quocumque die vel menſe indiſcriminatim inchoatæ, quemadmodum & toto illorum annorum decurſu urbes conſtructæ, templa ædificata dedicataque, & quæ ad Principis gloriam conferre cenſerentur, peracta. Immeritò etiam ibidem à Viro doctiſſimo dictum: *Nec ſanè tantam fuiſſe, quantam innuit Euſebius Martyrum multitudinem, ex ipſa Euſebii Hiſtoria facilè colligimus. Nec enim multos ille recenſuit, nec verò admodum multos ſignificat à ſe eſſe prætermiſſos.* Nam Catalogum Chriſtianorum in hac perſecutione pro Chriſti Fide occiſorum, texere non debuit Euſebius, ſed quod ſui muneris erat, diligenter executus eſt, diſertè docens, *innumerabiles* martyrio coronatos fuiſſe, nominatimque proferens athletas, qui in majori numero ac exiſtimatione habebantur. Gregorius Turonenſis lib. 1. Hiſt. cap. 29. de S. Irenæo Lugdunenſi Epiſcopo, qui in perſecutione Severiana martyrium fecit, loquens ait: *Veniente perſecutione, talia ibidem* (ſc. Lugduni) *diabolus bella per Tyrannum exercuit, & tanta ibi multitudo Chriſtianorum ob confeſſionem Dominici nominis eſt jugulata, ut per plateas flumina currerent de ſanguine Chriſtiano: quorum nec numerum nec nomina colligere potuimus. Dominus enim eos in libro vitæ conſcripſit. Beatum Irenæum diverſis in ſua carnifex præſentia pœnis affectum, Chriſto Domino per martyrium dedicavit. Poſt hunc & quadraginta octo Martyres paſſi ſunt, ex quibus primum fuiſſe legimus Vetium Epagatum.* Nec eſt quòd dicat Dodwellus, Gregorium non eſſe Auctorem coævum ac ſupparem. Is enim antiquitates Eccleſiæ Lugdunenſis perſpectas habebat, per aliquod tempus ea in urbe moratus cum Nicetio Epiſcopo Lugdunenſi avunculo ſuo, Actaque Martyrum quæ ad nos non pervenerunt, viderat. Quòd ſi Dodwellus ſolis Scriptoribus coævis aut ſupparibus ſtare velit, neque Gregorium, neque alios Auctores qui res ante ſua tempora geſtas deſcripſere, teſtes adhibere debet. Cui eum ſe ſe legi non aſtricturum exiſtimo. Sed, ut argumentum Dodwelli ab Euſebii ſilentio petitum magis evertatur, obſervandum cum Fortunio in Admonitionibus præviis ad Martyrologium Hieronymianum Admonit. 3. falli Viros doctos, qui exiſtimarunt, *Euſebium* nihil aliud de Martyribus ſcripſiſſe, quàm quòd in ejus Hiſtoria proſtat. Nam Collectionem de Martyribus ſejunctim ab Hiſtoria compoſuiſſe manifeſtè liquet, tum ex lib. 4. cap. 14. ubi de S. *Pionio* lectorem plura cupientem ad proprium Opus de Veterum Martyriis relegat; tum lib. 5. cap. 20. ubi de *Apollonio* Senatore agit. Petierat à Gregorio Magno Eulogius Alexandrinus, *cunctorum Martyrum geſta, quæ piæ memoriæ Conſtantini temporibus, ab Euſebio Cæſarienſi collecta erant.*

Sed S. Pontifex reſpondit, extare tantùm Romæ Codicem, *in quo nomen, locus & dies paſſionis* indicaretur. Volumen itaque & quidem amplum, Euſebius de Martyribus elucubrarat. Vide plura hac de re apud Florentinium citatum. Quid mirum itaque ſi paucos in Hiſtoria Euſebius Martyres memoret, cùm peculiare Opus de illis compoſuiſſet?

III. *Perſecutio Alexandrina graviſſima fuit.* Hiſtoria Euſebii ex Chronico Alex. lucem accipit. In eo ſub Conſulatu Caracallæ Aug. II, & Getæ Cæſaris anno ducenteſimo quinto geſto dicitur: *Horum Conſulatu Severus Alexandriam ingreſſus Chriſtianos perſequi cœpit; ex quibus multi ab Alexandria & Ægypto Auguſtamnica Thebaïdem uſque, pro Chriſto cæſi occubuere.* Ubi quæ ſub primo Caracallæ Conſulatu, præſenti nempe anno, contigere, ad ſecundum ejus Conſulatum perperam revocantur. Ex Herodiano enim, Dione, & Spartiano liquet, Severum ex Oriente anno ſequenti reducem, illuc ampliùs non rediiſſe. Præterea Spartianus in Severo cap. 17. ubi dixit, Severum cum Caracalla filio in Syria Conſulatum iniiſſe, præſenti videlicet anno, ſubdit: *Poſt hoc dato ſtipendio cumulatiore militibus, Alexandriam petiit. In itinere Palæſtinis plurima jura fundavit. Judæos fieri ſub gravi pœna vetuit. Idem etiam de Chriſtianis ſanxit.* Eo igitur tempore, quæ Auctor Chronici Alexandrini narrat, perpetrata ſunt. Euſebius in Hiſtoria, poſtquam paucis verbis perſecutionis initium inſinuavit, fusè & de induſtria diſſerit de iis, quæ Alexandriæ acta: Auctor verò Chronici Alex. loquitur tantùm de perſecutione Alexandrinorum, quam ideo præſenti anno cœptam ſcribit, quando nempe Severus in eam urbem ingreſſus eſt. Quare certum videtur, Auctorem Chronici Alex. ſicut Severi Alexandriam ingreſſum, & Alexandrinorum perſecutionem cum anno Chriſti CCV malè copulavit; ſic anno præcedenti perperam ſcripſiſſe, Chriſtianos vexatos fuiſſe.
Baron. num. II. Euſebius lib. 6. cap. 7. loquens de Juda Scriptore Chriſtiano, qui ſub Severo vixit, hæc habet: *Eodem tempore alius quoque Scriptor Judas de ſeptuaginta apud Danielem ſeptimanis diſſerens, ad decimum uſque annum Imperii Severi ſupputationem perducit. Qui etiam decantatum illum Antichriſti adventum jam tum imminere exiſtimabat. Adeo commota tunc adverſus noſtros perſecutio multorum animos vehementer conturbaverat.*

IV. *Martyrium S. Leonidis.* Ad num. IV. Ex dictis liquet, S. Leonidem Origenis patrem currenti anno martyrium ſubiiſſe, idque *X Kal. Maias*, ut in variis Martyrologiis ab Henſchenio &
Baron. num. VIII. Papebrocio in ejus Vita die XXII laudatis, legitur. Malè tamen ab utroque ſcriptum, Leonidis martyrium, quod Alexandriæ contigit, ad annum ducenteſimum circiter quartum revocandum, quæ Mariani Scoti ſententia fuit. Nam in Chronologia Origeniana ab Euſebio minimè diſcedendum.

V. *Origenis ætas.* Euſebius loco ſuprà citato de Origene ait: *Patre martyrii coronam adepto, ipſe cum matre & parvulis fratribus, numero ſex, orbus relictus eſt, annum agens ætatis ſeptimum decimum.* Baron. num. XI & XII. Quare cùm Leonides anno currenti martyrium fecerit, & Origenes ſexageſimo nono ætatis anno obierit, liquet, hunc anno centeſimo octogeſimo quinto in lucem prodiiſſe, præſenti anno decimum ſeptimum ætatis egiſſe, annoque ducenteſimo quinquageſimo tertio è vivis exceſſiſſe; cùm Euſebius, qui in iis, quæ Origenem ſpectant, accuratiſſimus eſt, teſtetur, hunc paulò antequam Gallus & Voluſianus interficerentur, quod anno CCLIII accidit, ex hac vita migraſſe. Vir clariſſimus Daniel Huetius, Epiſcopus Sueſſionenſis deſignatus, qui magno labore Origenis Vitam & Opera explicavit, ideo Origenem anno CLXXXV natum ſcribit, quia mortem ejus in annum CCLIV confert. Verùm Galli & Voluſiani interitus ab anno CCLIII minimè removendus; annique ſexaginta novem, quos Euſebius Origeni tribuit, incompleti intelligendi. Valeſius in Animadverſionibus Euſebianis Origenis natale cum anno Chriſti CLXXXII non bene illigavit; ſic enim Leonides occiſus non eſſet Origene XVII ætatis annum agente; nec Origenes paulò ante mortem Galli & Voluſiani è vivis exceſſiſſet; quod tamen in dubium revocari non debet.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5696. ☉ 16 B. ☽ 14. P. 17. APRIL. INDICT. II.
JESU CHRISTI 203. *ſecundùm Baronium* 205.
ZEPHYRINI PAPÆ 7.
SEVERI IMP. II. CARACALLÆ IMP. 6.

COSS. *L. Fulvius Plautianus, & P. Septimius Geta.* I. *Conſules.*
II. *Decennalia Severi Imp.* Noriſius in Literis ad me datis obſervat, Onuphrium in Faſtis cognomen *Silani* malè Plautiano attribuere, uti & Septimii nomen. Plautianus enim L. Fulvius Plautianus dicendus, ut liquet ex Spartiano in Severo cap. 6. uti legitur, *Plautianum ad occupandos Nigri liberos miſit* Severus. Idem verò Hiſtoricus in Peſcennio Nigro cap. 6. eandem rem recitans, ait: *Severus Heraclium ad obtinendam Bithyniam miſit: Fulvium autem ad occupandos adultos Nigri filios*, ubi *Fulvium* vocat, quem in Vita Severi *Plautianum* appellarat; quam ſententiam Vir eruditiſſimus magis confirmavit, poſtquam à Toinardo Viro clariſſimo Nummum è Gaza Regia deſcriptum accepit, in quo *Plautilla* Auguſta, Plautiani filia in antica parte dicitur, ΦΟΥΛΒΙΑ ΠΛΑΥΤΙΛΛΑ ΣΕΒ. id eſt, *Fulvia Plautilla Auguſta.* Plautianus itaque Plautillæ pater è Fulviis, non verò è Septimiis oriundus, ut doctè deducit Noriſius tam ex præcedenti, quàm ex multis aliis Nummis Græcis Plautillæ, qui in Cimelio Regio aſſervantur. Geta Plautiani Collega, non Geta Cæſar Severi filius, ut exiſtimavit Baronius, qui & Plautianum perperam Silanum vocavit, ſed Geta Severi Imperatoris

frater, ut certò conſtat ex duobus Getæ Cæſaris Nummis apud Mediobarbum, in quibus is dicitur PONTIF. TR. P. IIII. COS. II. DES. III. P. P. Cùm enim Geta Cæſar anno CCV & anno CCVIII Conſulatum ordinarium geſſerit, anno CCXII, quo à Caracalla fratre occiſus,
Baron. num. II. non Conſul II deſignatus III, ſed Conſul III deſignatus IIII in iis Nummis diceretur. Decennalia Imperator Severus dedit, ut liquet ex Nummo hujus Imperatoris apud Mediobarbum, in cujus poſtica legitur: VOT. SUSC. DEC. P. M. TR. P. XI. COS. III. P. P. Cernitur figura velata coram ara ſacrificans. Tribunitiam Pot. XI hoc anno *Idibus Aprilis* iniit Severus. Quare tempore legitimo ea Decennalia celebrata, licèt Conſulatus iiſdem deſtinatus, anno præcedenti geſtus fuerit. Vides interim *Plautianum*, qui omnia apud Severum poterat & Getam hujus fratrem, annum aperuiſſe, quia, ut ſæpe dixi, annis hujuſmodi ſolenniis addictis, viri illuſtriores Conſules procedebant, quando Imperatores Conſulatum non ſuſcipiebant.

III. *Quinquennalia Caracallæ & Getæ.* Caracallam Imperii Auguſtei, & Getam Imperii Cæſarei Quinquennalia ediſiſſe exiſtimo, quod de utroque inſinuare videtur Spartianus in Severo cap. 14. ubi ait: *Getæ filio minori togam virilem dedit, majori Plautiani filiam matrimonio junxit.* Illud matrimonium præſenti anno peractum, ut ſuperiùs oſtendimus. Imperatores autem & eorum filii annis hujuſmodi feſtivitatibus dicatis uxores ducere ſoliti. Præterea Mediobarbus Nummum Caracallæ refert inſcriptum: ANTONINUS PIUS AUG. PONT. TR. P. VI. in poſtica, INDULGENTIA AUGG. IN CARTH. S. C. id eſt, *Indulgentia Auguſtorum in Carthaginem, Senatuſconſulto.* Viſitur Dea leone vecta, dextrâ ramum, ſiniſtrâ tympanum. Mediobarbus Cybelen interpretatur. Sed ea Dea cæleſtis, quæ Carthagine colebatur, ut ſuo loco dicetur. In Decennalibus & id genus feſtis indulgentia & liberalitas Auguſtorum de more elucebat. Parte alia Geta Cæſar liberâ togâ indutus. Quare ſicut Caracalla anno, quo Imperii Cæſarei Quinquennalia edidit, togam accepit; ita & Geta Cæſar Quinquennalia cum toga virili copulaſſe videtur. Natus erat Geta anno Chriſti centeſimo octogeſimo nono, idque *ſexto Kalend. Junias*, ut habet Spartianus in Geta cap. 3. ideoque currenti anno decimum quintum ætatis annum, quo filiis Imperatorum toga virilis dari ſolita, ingreſſus eſt. Quantâ magnificentiâ hæc Decennalia exhibita fuerint, deſcribit Dio, qui aderat, lib. 76. hincque quæ in aliorum Imperatorum Decennalibus & id genus feſtis fierent, conjicere poſſumus.

IV. *Conſulatus honorarii numerari cœpti.* Ad num. I. Dio lib. 46. ait: *Primus omnium Severus Imperator, cùm Plautiano honores Conſulares tribuiſſet, eumque deinde in Senatum adſcriptum, Conſulem faceret, iterum Conſulem eſſe dixit. Idque exemplum alii deinde ſecuti ſunt.* Hæc novitas horum
Baron. num. I. Decennalium effectus. Sed cùm Baronius Conſules ſuffectos, ab his qui Conſularibus tantùm ornamentis decorati fuerant, non diſtingueret, exiſtimavit uſque ad currentem annum Conſules ſuffectos in Faſtis numeratos non fuiſſe; quo pacto Faſtos Conſulares non ſemel perturbavit. Itaque Conſulatus ſuffecti ante hunc annum computati, nihilque novi nunc inductum, niſi ut Conſules honorarii, eâdem, quâ ſuffecti, prærogativâ potirentur, iterumque Conſules dicerentur, ſi ad Conſulatum ordinarium eos evehi contingeret, quo privilegio jam ab Auguſto Conſules ſuffecti gaudebant.

Ad num II. Herodianus lib. 3. cap. 10. de Severo Imp. loquens, ait: *Ipſe interea rebus ad Orientem ſic geſtis, Romam revertebatur, filios jam puberes ſecum adducens. Urbem dein triumphans invectus eſt.* Ex Nummis Severi & Caracallæ ab Andrea Morellio, Viro clariſſimo, in *Specimine univerſæ rei Nummariæ antiquæ* exhibitis, & inter ſe collatis, liquet, Severum præſenti anno Romam adventaſſe. In Nummo Severi legitur: SEVER. P. AUG. P. M. TR. P. X. COS. III. in poſtica: ADVENT. AUGG. Cernuntur tres figuræ decurrentes, Severus nempe in medio, qui à dextra habet Caracallam, à ſiniſtra Getam. Severus Idibus Aprilis anni ſuperioris Tribunitiam Pot. X ſuſcepit, quæ præſenti anno adhuc in curſu fuit. Nummus Caracallæ inſcribitur: ANTONINUS PIUS AUG. PONT. TR. P. VII. in averſa parte: ARCUS AUGG. S. C. Eſt arcus trium fornicum, qui hodieque Romæ viſitur, ſed adeo vetuſtate conſumtus, ut vix agnoſci poſſint effigies, inſcriptuſque eſt Severi & Caracallæ nominibus & titulis. Is Caracallæ Nummus præſenti anno percuſſus, & Tribunitia Pot. VII ab anno centeſimo nonageſimo ſeptimo, quo Caracalla Imperator eſt deſtinatus, deducta. Quòd cùm non animadverteret Mediobarbus in præſtantiſſimo ſuo Opere de Numiſmatis Impp. pag. 287. eum anno ducenteſimo quarto illigavit. Cùm itaque triumphalis ille arcus præſenti anno, quo Severus cum filiis triumphavit, erectus fuerit, illum Caracallæ Nummum eodem anno cuſum, minimè dubitandum. Notandum etiam in Nummo Severi legi, ADVENT. AUGG. cum duplici GG, licèt Geta cum Severo & Caracalla Romam venerit; quia nempe nondum uſus ferebat, ut Cæſares in Nummis & Inſcriptionibus, ſimul cum Auguſtis memoratis, Auguſti & ipſi vocarentur. Contrà verò in Nummis Philippi Junioris Cæſaris cum Philippo patre imperantis apud Mediobarbum pag. 349. habetur: M. JUL. PHILIPPUS NOB. CAES. in poſtica: PIETAS AUGG. vel, VIRTUS AUGUSTOR. ubi Philippus Junior, qui tantùm Cæſar erat, Auguſtus dicitur ob conjunctionem cum patre qui Auguſtus erat. Ex quibus diſcimus, morem illum poſt Severi mortem introductum. Diſcimus etiam, Decennalia & triumphos eodem anno exhiberi ſolitos, niſi ad hos agendos Imperatores Conſulatum ſumerent. Joſephus Suareſius, Epiſcopus Vaſionenſis, mihi, dum viveret, amiciſſimus, triumphi Severi Anaglypha Romæ anno

V. *Triumphus Severi & filiorum.* Baron. num. II.

M DC LXXVI publicavit.

VI. *SS. Perpetuæ & Felicitatis martyrium.* Baron. num. XXI & ſeqq.

Ad num. V. Acta paſſionis SS. Martyrum Perpetuæ & Felicitatis, quæ Baronius periiſſe arbitrabatur, Holſtenius Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus in lucem edidit, quibus Henricus Valeſius præfationem præfixit, in qua oſtendit, SS. Martyres non apud *Tuburbum* Mauritaniæ, ut in Martyrologio Romano legitur, ſed *Carthagine* paſſas eſſe, ut Proſper in auctiori Chronico, Beda in libro de ſex Ætatibus, Rabanus in Martyrologio, aliique teſtantur. Nec eſt quòd quis objiciat auctoritatem Auguſtini. Hic enim, cùm *Tuburbitanas* Martyres dicit in Sermone XXXII, non Perpetuam ac Felicitatem, ſed *Maximam, Donatillam, ac Secundam*, quæ imperante Valeriano & Gallieno martyrium fecerunt apud *Tuburbum*, tertio Kalendas Auguſti, intelligit, ut ibidem oſtendit Holſtenius laudatus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5697. ☉ 17 A G. ☽ 15. P. 8. APRIL. INDICT. 12.
JESU CHRISTI 204. *ſecundùm Baronium* 206.
ZEPHYRINI PAPÆ 8.
SEVERI IMP. 12. CARACALLÆ IMP. 7.

I. *Conſules.*

COſs. *L. Fabius Cilo II*, & *M. Annius Libo*, ex Inſcriptione Onuphriana. In Faſtis etiam Theonis Cilo cum numerali nota editur.

II. *Ludi Seculares octavi.* Baron. num. IV.

Ad num. II. Imperatores Severus & Antoninus ejus filius *octavos* Ludos Seculares Romæ exhibuere, anno Urbis nongenteſimo quinquageſimo ſeptimo, ut docet Cenſorinus lib. de Die Natali cap. 17. Quos Ludos Severus, nulla Claudii ac Domitiani Ludorum Secularium ratione habita, anno CCXX, poſt exhibitos ab Auguſto Ludos Seculares quintos, edidit. Quidam cenſores in Epiſt. Conſulari à Noriſio V. C. publicata contendunt, Cenſorinum malè hos Ludos *octavos* appellaſſe, eoſque *nonos* appellandos. Verùm cùm Antoninus Pius nullos Ludos Seculares repræſentarit, ut ſuo loco demonſtravimus, Ludi Seculares ſub Severo habiti, omnino octavi fuere. Severus Conſulatum, ut moris erat, non ſumſit, ſive quia ab ea dignitate annis, quibus ea ſibi debita, ſæpius abſtinuit, ſive quia ad Ludos Auguſti, qui, privatis Conſulatum gerentibus, illos celebravit, reſpexit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5698. ☉ 18 F. ☽ 16. P. 24. MART. INDICT. 13. Olymp. 246.
JESU CHRISTI 205. *ſecundùm Baronium* 207.
ZEPHYRINI PAPÆ 9.
SEVERI IMP. 13. CARACALLÆ IMP. 8.

I. *Conſules.* II. *Decennalia Imperii Cæſarei Caracallæ.*

COſs. *M. Aurelius Antoninus Caracalla Aug. II*, & *P. Septimius Geta Cæſar.* Eſt hic primus Getæ Cæſaris Conſulatus, non verò ſecundus, ut putavit Baronius. Legenda quæ initio anni CCIII hac de re ſcripſi.

Sumtus hic Conſulatus à Caracalla juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam, à Geta verò juxta tertiam, ut ſc. Collega eſſet fratris Decennalia Imperii Cæſarei celebrantis. In Diſſert. Hypat. pag. 224. Nummum ex Occone recitavi inſcriptum, *Trib. Pot. VIIII*, in poſtica, *Vota ſuſcepta X*; ſed hæc poſtica ad aliam anticam pertinet, quàm ad præfatam, ideoque Nummus ille vitioſus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5699. ☉ 19 E. ☽ 17. P. 13. APRIL. INDICT. 14.
JESU CHRISTI 206. *ſecundùm Baronium* 208.
ZEPHYRINI PAPÆ 10.
SEVERI IMP. 14. CARACALLÆ IMP. 9.

I. *Conſules.*

COſs. *Nummius Albinus*, & *Fulvius Æmilianus*, ex Inſcriptione Onuphriana, non Fulvius Æmilius, ut perperam Baronius habet.

II. *Origenes ſeipſum caſtrat.* Baron. num. I.

Ad num. I. Corpus ſuum eviravit Origenes, ſive ferro exactis genitalibus, ut crediderant Hieronymus Epiſt. 65. & Nicephorus lib. 5. cap. 8. ſive medicamento exſiccatis, ut aliis perſuaſum. Rem in incerto Epiphanius hæreſi 64. relinquit. Utraque tamen caſtratio ab Origene tandem damnata, qui alios ne ſimile quid in ſe aliquando conciperent, vehementer abſterruit, cùm aliis locis, tum præſertim ſuis in Matthæum Commentariis, ut videre eſt tom. 15. ad cap. 19. Demetrius Epiſcopus Alex. primùm laudibus Origenem proſecutus, eum confirmavit, ſtrenuéque ſuſceptum munus continuare juſſit. Unde nullo ſexûs diſcrimine univerſos ad ſe audiendi cauſâ venientes admiſit. Qua de re legendus eruditiſſimus Huetius lib. 1. Origenian. cap. 2. ex quo hæc excerpſimus.

Anno Urbis 960.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5700. ☉ 20 D. ☽ 18. P. 5. APRIL.
INDICT. 15.
JESU CHRISTI 207. *ſecundùm Baronium* 209.
ZEPHYRINI PAPÆ 11.
SEVERI IMP. 15. CARACALLÆ IMP. 10.

I. *Conſules.* COSS. *Aper*, & *Maximus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari.

II. *Quindecennalia Severi.* Videtur Severus hoc anno Quindecennalia celebraſſe, ob eaque ſolennia Imp. XII appellatum eſſe, quando iniit Tribunitiam Pot. XV, ut videre eſt in Nummis & Inſcriptionibus ea Tribunitia Poteſtate notatis. Mediobarbus in Numiſmatis Impp. pag. 277. ait, Severum hunc titulum multiplicaſſe propter victorias Britannicas per Duces reportatas. Sed licèt verum ſit, per hæc tempora bellum in Britannia geſtum, ut docet Dio lib. 76. & propter victorias Imperatoris titulum de more auctum, ſuſpicor tamen, Severum cum Tribunitia Pot. VI titulum Imperatoris XI ob Quinquennalia, & titulum Imperatoris XII propter Decennalia ſuſcepiſſe. Et ratio eſt, quia intra illud quinquennium multas victorias retulit, nec titulum illum multiplicavit, & poſt currentem annum Caledonios, alioſque Barbaros in Britannia vicit, indeque Britannicus dictus eſt; nec tamen nomen Imperatoris XIII in Nummis ejus & Inſcriptionibus legitur. Quòd ſi poſt Britannicas victorias Vicennalia edidiſſet, Imperator XIII appellatus eſſet; cùm in Vicennalibus & id genus feſtis victoriæ antea reportatæ in Nummis & Inſcriptionibus rurſus memorari ſolerent. Quam conjecturam Chronologiæ quandoque dirigendæ non parum utilem, Viris eruditis magis diſcutiendam proponere volui. Caracalla Severi filius hoc anno Tribunitiam Pot. X ſuſcepit, & Imperator II appellatus eſt, ut ejus Numiſmata oſtendunt, quia cum patre titulum illum geminavit.

III. *Tertullianus ſcribit adverſus Marcionem.* Ad num. I. Tertullianus hoc anno, Imperii Severi decimo quinto, contra Marcionem ſcripſit, ut rectè Baronio obſervatum. Fervebat tunc perſecutio, ut ex lib. 1. adverſus Marcionem liquet, quæ Severi Quindecennalium occaſione de more aucta. Dodwellus in Diſſert. Cyprianica XI, quæ eſt de Paucitate Martyrum, perſecutionem Severi intra biennium, primum videlicet & ſecundum hujus Imperatoris annum coarctat; cùm tamen ex laudato Opere Tertulliani conſtet, eam per hæc tempora graſſatam eſſe, & ex Sulpicio Severo liqueat, eam uſque ad Severi finem continuatam. Ubi enim de ea locutus eſt, ait: *Interjectis deinde annis VIII & XXX pax Chriſtianis fuit: niſi quòd medio tempore Maximinus nonnullarum Eccleſiarum Clericos vexavit.* Ab anno autem CCXI Severi emortuali ad annum CCXLIX, quo Decius perſecutionem inſtauravit, anni XXXVIII interjiciuntur. Quare Severus uſque ad mortem ſuam Chriſtianos vexavit, vel vexari permiſit, quod perinde illis erat. Dodwellus quidem loco citato num. LII dicit, reponendam eſſe decadem, quam intercidiſſe arbitratur, legendumque, *XLVIII*, loco *VIII & XXX*; ſicque annos illos à decimo Severi, quo perſecutio cœpit, ad CCL, in quem incidit maxima pars primi anni Imperii Deciani, numerandos eſſe. Verùm ex laudato Tertulliani Libro manifeſtum fit, præfatum numerum XXXVIII annorum retinendum, & quod gratis & ſine alicujus exemplaris teſtimonio aſſeritur, rejiciendum. Pax itaque Eccleſiæ non reddita, niſi poſt Severi interitum; quod indicare videtur Dio lib. 77. ubi poſtquam retulit, Caracallam Severi filium & ſucceſſorem occidiſſe fratrem Getam, ait, illum dixiſſe in Senatu: *Audite, inquit, rem maximam, ut totus terrarum Orbis gaudeat. Omnes exules rei facti cujuſvis ſceleris, quomodocumque damnati ſint, reſtituantur*, &c. Perſecutio igitur Severiana non ſolùm ſanguinolenta, ſed etiam longinqua extitit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5701. ☉ 21 CB. ☽ 19. P. 24. APRIL.
INDICT. 1.
JESU CHRISTI 208. *ſecundùm Baronium.* 210.
ZEPHYRINI PAPÆ 12.
SEVERI IMP. 16. CARACALLÆ IMP. 11. GETÆ IMP. 1.

COSS. *M. Aurelius Antoninus Caracalla Aug. III*, & *P. Septimius Geta Cæſar II.* I. *Conſules.*

Sumtus hic Conſulatus à Geta juxta tertiam Conſulatuum Cæſareorum regulam, à Caracalla juxta ſecundam; Imperii enim Auguſtei Decennalia celebravit, ut certò demonſtrat ejus Nummus, in cujus poſtica legitur: VOTA SOL. DEC. PONTIF. TR. P. XI. COS. III. S. C. Baronius Getam hoc anno Auguſtum nuncupatum ſcribit; alii verò tradunt incertum eſſe, an hoc anno, vel ſequenti dignitatem illam obtinuerit; cùm initio anni CCXII, quo interfectus fuit, Tribunitiam Poteſtatem quartam gereret, quæ tam à ſequenti anno, quàm à præſenti inchoari potuit. Verùm eam nuncupationem currenti anno factam Caracallæ Decennalia evincunt; cùm, ut ſæpius diximus, annis hujuſmodi ſolenniis addictis novi Cæſares, aut Auguſti creari ſolerent. II. *Decennalia Imperii Auguſtei Caracallæ.*

Incidunt & in hunc annum Decennalia Imperii Cæſarei Getæ, ad quæ referendum Numiſma à Scaligero, in Animadverſionibus Euſebianis ad num. 2215. recitatum, IMP. CÆS. P. SEPT. GETA. PIUS. AUG. SECULARIA SACRA. S. C. Anno Chriſti ducenteſimo quarto *Ludi Seculares* à Severo, Caracalla, & Geta editi, ut conſtat ex Nummis apud Mediobarbum. Quo tempore Geta tantùm Cæſar erat. Sed quia in Decennalibus victoriæ ante decennium reportatæ, aliaque ad gloriam Principum magis conferentia Nummis inſcul- III. *Decennalia Imperii Cæſarei Getæ.*

pebantur, eorumque memoria renovabatur; ideo in præfato Getæ Nummo, poſtquam Auguſteam dignitatem conſecutus eſt, cuſo, Ludi Seculares in Imperii ejus Cæſarei Decennalibus memorati. In quod arcanum cùm Scaliger non penetraret, exiſtimavit, Getam anno ducenteſimo quarto Auguſtum nuncupatum, idque ex citato Nummo manifeſtè conſtare. Sed cùm Geta Tribunitiam Poteſtatem quartam dumtaxat inierit, Scaligeri error manifeſtus. Poſſinus in Notis ad Paſſionem SS. Perpetuæ & Felicitatis arbitratus eſt, ſe laudati Numiſmatis beneficio, annum, quo illæ martyrium paſſæ, detexiſſe. In earum enim Sanctarum Actis dicitur, eas morti addictas, quando celebrabatur *Natale Getæ Cæſaris*, ideoque martyrium illud ante finem anni CCIV, quo Getam Auguſtum renuntiatum credit, accidiſſe. Mediobarbus in Geta pag. 301. eundem Getæ Nummum refert, citatque Noriſium pag. 170. in Cenotaphiis Piſanis Caii & Lucii Cæſarum, ubi illum ex Scaligero recitat; ſed, quod omnino intolerabile, nulla ſuæ immutationis, ſeu veriùs depravationis, ratione reddita, legit: GETA CÆSAR PONTIF. COS. in averſa parte, SECULARIA SACRA. S. C. licèt apud Noriſium, quem citat, Geta cum nomine Auguſti legatur. Vix credi poteſt, quantùm Antiquarii Literis nocuerint, dum inſcriptiones Nummorum & Lapidum, quas non percipiebant, corrupere, vel prorſus omiſere; ſic enim errori viam patefecerunt, & veritati è tenebris eruendæ occluſerunt.

Olymp. 247. ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5702. ☉ 22 A. ☽ 1. P. 9. APRIL. INDICT. 2.
JESU CHRISTI 209. *ſecundùm Baronium* 211.
ZEPHYRINI PAPÆ 13.
SEVERI IMP. 17. CARACALLÆ IMP. 12. GETÆ IMP. 2.

I. *Conſules.* COSS. *Claudius Pompeianus*, & *Avitus*, quem ultimum Baronius perperam Lollianum Avitum appellat, ut oſtendit Noriſius in Epiſt. Conſulari.

II. *Caracalla Britannicus dictus.* Baron. num. 1. Severus annò tantùm ſequenti Britannicus dictus, & celebris murus à mari ad mare per mediam Britanniam ab eo ductus. Spartianus enim in Severo cap. 18. ait: *Britanniam (quod maximum ejus Imperii decus eſt) muro per tranſverſam inſulam ducto, utrimque ad finem Oceani munivit: unde etiam Britannici nomen accepit.* Caracalla in Nummis apud Mediobarbum non dicitur Britannicus, niſi quando gerit Tribunitiam Pot. XIII anno ſequenti inchoatam. Quarè cùm Britannicus eodem tempore, quo pater, appellatus fuerit, magnificum illud opus illo anno ædificatum.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5703. ☉ 23 G. ☽ 2. P. 1. APRIL. INDICT. 3.
JESU CHRISTI 210. *ſecundùm Baronium* 212.
ZEPHYRINI PAPÆ 14.
SEVERI IMP. 18. CARACALLÆ IMP. 13. GETÆ IMP. 3.

COSS. *M. Acilius Fauſtinus*, & *Triarius Rufinus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſt. Conſulari ex Inſcriptione Gruteri pag. 300. I. *Conſules.*

Quindecennalia Imperii Cæſarei Caracallæ. In Diſſert. Hypatica pag. 225. retuli Nummum ex Occone pag. 374. inſcriptum: *Severus Pius Aug. P. M. Tr. P. XII. Coſ. III.* in averſa parte, *Vot. ſolut. dec. Coſ. III.* Sed ſunt duæ partes duorum Nummorum per inconſiderantiam conjunctæ. II. *Quindecennalia Imperii Cæſarei Caracallæ.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5704. ☉ 24 F. ☽ 3. P. 14. APRIL. INDICT. 4.
JESU CHRISTI 211. *ſecundùm Baronium* 213.
ZEPHYRINI PAPÆ 15.
CARACALLÆ IMP. 14. GETÆ IMP. 4.

COSS. *Lollianus Gentianus*, & *Pomponius Baſſus*, ex variis Faſtis. I. *Conſules.*

Ad num. I. Dio lib. 76. de Severo ſcribit; *Morbo extinctus eſt pridie Nonas Februarii*, id eſt, die quarta Februarii. Paulò pòſt ſubjungit: *Vixit annos LXV, menſes IX, dies XXV: erat enim natus III Idus Aprilis. Regnavit annos decem & ſeptem, menſes octo, dies tres.* Natus itaque erat Severus anno Chriſti centeſimo quadrageſimo quinto, ut rectè etiam habetur in Collectaneis Græcis à Scaligero, poſt Euſebium publicatis, ubi dicitur Severus natus anno quarto Olympiadis CCXXX, qui anno Chriſti CXLV uſque ad menſem Julium in curſu eſt. Quoad diem natalem Severi, Dioni ſuffragatur Kalendarium Hervartianum, quod ad III Idus Aprilis habet: N. DIVI SEVERI, id eſt, *Natale Divi Severi.* Idem legitur in exemplari Bucheriano; ſed in eo quod Petrus Lambecius tom. 4. Bibliothecæ Cæſareæ publicavit, illud Severi Natale cum quarto Idus Aprilis, errore ſine dubio Librariorum, conjungitur. Similes in iiſdem exemplaribus tranſpoſitiones occurrunt; ideoque quando res, de qua agitur, alicujus momenti eſt, tria illa exemplaria, ut faciliùs error vitetur, inter ſe conferenda. Quòd cùm Diſſertationem Hypaticam componens non præſtiterim, pag. 67. ex fide Kalendarii Lambeciani perperam ſcripſi, Severum quarto Idus Aprilis natum. Interim erravit Spartianus in Vita Severi cap. 1. ubi ait: *Ipſe natus eſt Erucio Claro bis, & Se-* II. *Severi Imp. obitus.* Baron. num. 1.

vero Conſulibus ſexto Idus Apriles, anno ſc. Chriſti CCXLVI, die octava Aprilis; quod utrumque falſum, ut Dio, qui tunc vivebat, nos dubitare non ſinit. Qui error ex ipſomet Spartiano cap. 22. magis innoteſcit: ibi enim ſcribit, vixiſſe Severum annos octoginta novem. Anni, menſes & dies, quibus Severus imperavit, rectè à Dione numerati, qui Imperium ejus ab Idibus menſis Aprilis anni CXCIII exorditur, & diem emortualem excludit. Mediobarbus in Numiſmatis Impp. varia hujus Imperatoris producit, Tribunitia Pot. XIX notata, ad quæ cùm hærerem, ſcripſi ad Virum clariſſimum Rainſantium, Gazæ Regiæ Præfectum, ut pro ſua erga me benevolentia ſignificaret, an in ea ſimilia extarent, qui reſpondit, unicum reperiri æreum medii moduli, in cujus antica, SEVERUS PIUS AUG. BRIT. Repræſentatur caput Severi laureatum. In poſtica: FORTUNA RED. P. M. TR. P. XIX. COS. III. P. P. Cernitur Fortuna ſedens, dextrâ temonem in globo poſitum, ſiniſtrâ cornucopiæ tenens: & juxta ſedem rota erecta. Certum itaque Tribunitiam Pot. XIX Severi in quibuſdam Numinis ſignatam fuiſſe, non quòd eam attigerit; cùm quarto Februarii die currentis anni obierit; & anno CXCIII, quo imperare cœpit, die quarta Februarii Pertinax Rempublicam Romanam gereret, cui exeunte menſe Martio Didius Julianus ſucceſſit; ſed quod Monetarii ejus mortem ignorantes eoſdem percuſſerint. Præfatus itaque Nummus, aliique à Mediobarbo recitati, hoc anno ante Idus Aprilis, quibus vivente adhuc Juliano Carnunti Imperator acclamatus fuerat, cuſi, dum vivus Severus crederetur, & ſacrificia pro felici ejus reditu offerrentur. Cùm enim Eboraci mortem oppetierit, ea per univerſum Imperium tam citò ſciri non potuit. Præterquam quòd mortem ejus aliquamdiu celatam fuiſſe, licèt id nullus Hiſtoricus in literas miſerit, veroſimile. Atque hinc liquet, Tribunitiam Poteſtatem Severi ab Idibus Aprilis ſæpe deductam fuiſſe, quod nullus hactenus animadvertit; cùm ſi à Kalendis Juniis inchoata fuiſſet, nulli reperirentur Nummi Tribunitia Pot. XIX inſigniti; incredibile enim videtur, Monetarios paulò ante eaſdem Kalendas Severi mortem ignoraſſe, quæ tamen eis facilè ignota eſſe potuit paulò ante Idus Apriles. His adde, valde veroſimile eſſe, Monetarios Nummos nova Tribunitia Poteſtate notatos non cudiſſe, donec primus novæ illius Tribunitiæ Poteſtatis dies adventaſſet; alioquin quot annis quilibet Imperator regnaſſet, ex Nummis nunquam probari poſſet. Numiſmata itaque Severi XIX Tribunitia Poteſtate obſignata, vel uno circiter menſe antequam ea inchoaretur, vel ſtatim ac incepta eſt, percuſſa; ſicque ejus Tribunitia Poteſtas ab Idibus Aprilis deducta.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5705. ☉ 25 E D. ☽ 4. P. 5. MART. INDICT. 5.
JESU CHRISTI 212. *ſecundùm Baronium* 214.
ZEPHYRINI PAPÆ 16.
CARACALLÆ IMP. 15. GETÆ IMP. 5.

COSS. *Julius Aſper*, & *Julius Aſper*, ut oſtendit Noriſius in Epiſt. Conſulari; & Leges pleræque Antonini, quemadmodum & vetuſtæ Inſcriptiones *duobus Aſperis Coſſ.* ſignantur. I. *Conſules.*

Ad num. I. Occiſus hoc anno Geta à Caracalla fratre, ſed non quinto Kalendas Martii, ut Onuphrius in Faſtis exiſtimavit, & Baronio, aliiſque perſuaſit. Nam *natus eſt Geta, Severo & Vitellio Coſſ. Kalendas Junias ex Julia*, inquit Spartianus in Geta cap. 3. Incidit is Conſulatus ſuffectus, ab Onuphrio omiſſus, in annum centeſimum octogeſimum nonum. Quando verò Geta à fratre peremtus, *natus erat duos & viginti annos, menſeſque novem*, ait Dio lib. 77. Ubi cum menſes numero rotundo exprimere non videtur dubitandum. Quare cùm die XXVII Maii anni CLXXXIX in lucem prodierit, menſe Februario, vel Martio præſentis anni necatus. In Nummis apud Mediobarbum Geta dicitur PONTIF. TR. P. IIII. COS. II. DES. III. P. P. Ex quibus liquet, primò, deſignationem Conſulum ordinariorum in annum ſequentem ipſo anni initio de more fieri ſolitam, quod tamen à quibuſdam cenſoribus in Epiſtola Conſulari valde improbatum. In Laterculo Silvii apud Bollandum tomo I. Sanctorum menſis Januarii in Præfatione pag. XLIII ad V Idus Januarii habetur: *Senatus legitimus. Suffecti Conſules deſignantur, ſive Pratores.* Sed loco *ſive*, videtur legendum, *ſicut*. In Kalendario Lambeciano ad eundem diem habètur tantùm, *Senatus legitimus*. Eò itaque die Conſules ſuffecti ac Prætores de more in annum ſequentem deſignati. An verò Conſules ordinarii ante eam diem, vel poſt illum deſignarentur, incertum. In eodem Laterculo ad V Kalend. Januarii legitur, *Natalis Titi*, qui tamen dies natalis ex Suetonio & Kalendario citato incidit in III Kalend. Januarii. Quare aliqui errores in illum Laterculum irrepſere. Secundò, Getam anno ſequenti Quinquennalia Auguſtei Imperii celebrare debuiſſe; cùm frater ejuſdem Imperii Quindecennalia ederet; unde & hic præſenti etiam anno Conſul quartùm deſignatus in Nummis apud Mediobarbum dicitur. Quòd ſi uterque eodem anno hæc ſolennia exhibere debuerit, non dubitandum, quin anno CCVIII Geta Imperii Cæſarei Decennalia dederit, cùm Caracalla Imperii Auguſtei Decennalia edidit. Patet denique, Scaligerum & Poſſinum valde hallucinatos, quando ſcripſere, Getam anno CCIV, aut CCV, Auguſtum renuntiatum eſſe. Nam cùm Tri- II. *Geta occiditur.* Baron. num. I.

bunitiam Poteſtatem quartam, quando occiſus eſt, tantùm numeraret, ante annum CCVIII Auguſtus dici non potuit. Nec audiendus Petavius in lib. 13. de Doct. Temp. quando ait, ex Tribunitia Poteſtate IV Getæ non magis inferri, eum anno CCVIII, quàm inſequenti, Auguſtum nuncupatum eſſe. Cùm enim Cæſares & Auguſti annis Decennalibus addictis de more crearentur, clarum eſt, Severum anno CCVIII Antonini Decennalibus celebri, ante ſuum ex Urbe diſceſſum, minorem filium eo honore exornaſſe.

III. *Julia non noverca, ſed mater Caracallæ.* Baron. num. 11.

Ad num. II. Cùm tam Dio, quàm Herodianus, & Oppianus initio librorum *de Venatione*, quos Caracallæ dicavit, hunc, filium fuiſſe *Juliæ Domnæ* ſecundæ Severi uxoris aſſerant, magis illis Auctoribus Caracallæ coætaneis, quàm Spartiano in Caracalla, ubi eum *Martiæ* prioris Severi conjugis filium facit, credendum. Præterquam quòd Spartianus hac in re à ſe ipſo diſſentit, ut anno CXCVII manifeſtè demonſtravi. Hinc nefandum Caracallæ cum Julia noverca conjugium, quod poſt mortem Getæ factum ſcribit Spartianus in Caracalla cap. 9. merè commentitium, cùm Julia non noverca, ſed mater Caracallæ fuerit, & Dio, qui tunc vivebat, lib. 78. dicat, Caracallam paulò ante mortem exercitum eduxiſſe in Parthos, quòd Artabanus ei filiam, quam ambiverat, nollet uxorem dare; quod & ſcribit etiam Herodianus lib. 4. cap. 10. qui hoc tempore florebat.

Olymp. 248.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5706. ☉ 26 C. ☽ 5. P. 25. MART.
INDICT. 6.
JESU CHRISTI 213. *ſecundùm Baronium* 215.
ZEPHYRINI PAPÆ 17.
CARACALLÆ IMP. 16.

I. *Conſules.*

COSS. *Antoninus Caracalla Aug. IV*, & *D. Cælius Balbinus II*, ut oſtendit Noriſius in Epiſt. Conſulari ex Inſcriptione apud Gruterum pag. 44. qui & demonſtrat, hunc Balbinum diverſum non eſſe ab eo, qui poſtea imperavit.

II. *Quindecennalia Imperii Auguſtei Caracallæ.*

Conſulatus Caracallæ juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam, Quindecennalia enim Imperii Auguſtei celebravit. Neque enim hic Conſulatus ad primam regulam revocandus, cùm ante fratris interitum ad eum deſignatus fuerit, ut anno præcedenti diximus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5707. ☉ 27 B. ☽ 6. P. 17. APRIL.
INDICT. 7.
JESU CHRISTI 214. *ſecundùm Baronium* 216.
ZEPHYRINI PAPÆ 18.
CARACALLÆ IMP. 17.

COSS. *Silius Meſſalla*, & *Sabinus*, ex variis Faſtis. I. *Conſules.*

II. *Vicennalia Imperii Cæſarei Caracallæ.*

Imperii Cæſarei Caracallæ Vicennalia, ad quæ revocandum quod ſcribit Caſſiodorus in Chronico: *His Coſſ. Antoninus Caracalla cognominatur propter genus veſtis, quod Romæ erogaverat.* Quæ novitas horum ſolennium indicium.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5708. ☉ 28 A. ☽ 7. P. 2. APRIL.
INDICT. 8.
JESU CHRISTI 215. *ſecundùm Baronium* 217.
ZEPHYRINI PAPÆ 19.
CARACALLÆ IMP. 18.

COSS. *Æmilius Lætus II*, & *Anicius Cerealis*, ex Inſcriptione Onuphriana, aliaque Gruteriana pag. 312. I. *Conſules.*

II. *Controverſia de rebaptizatione.* Baron. num. 1 & ſeqq.

Ad num. I. Dogma de rebaptizandis Hæreticis, quod Epiſcopi Africani tuebantur, habebatur ab illis, tamquam ad œconomiam dumtaxat, & diſciplinam Eccleſiaſticam, non verò ad Fidem pertineret, quod patet ex Epiſtola S. Cypriani & Synodi Africanæ ad Stephanum Pontificem Romanum, in qua dicitur: *Ceterùm ſcimus quoſdam, quod ſemel imbiberint, nolle deponere, nec propoſitum ſuum facilè mutare, ſed ſalvo inter Collegas pacis & concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud ſe ſimul ſint uſurpata, retinere; qua in re nec nos vim cuipiam facimus, aut legem damus; cùm habeat in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium unuſquiſque Præpoſitus, rationem actûs ſui Domino redditurus.* Controverſiam itaque de Hæreticorum baptiſmate ad Fidem non ſpectare, Cyprianus ejuſque Collegæ cenſebant; cùm cuique Epiſcopo, vel ſentire, vel ſervare quod velit, in iis liberum non ſit. Imò Nicæni Patres *Paulianiſtarum* baptiſma iterari jubentes, canone 19. eos anathemate non percuſſere, qui aliorum baptiſmum non reciperent; quod ſanè feciſſent, ſi quæſtionem hanc ad Fidem pertinere arbitrati eſſent. Denique ſi hoc credidiſſent, non fuiſſet neceſſarium univerſæ Eccleſiæ Concilium, ut inexcuſabiles eſſent Africani & Orientales. Nam non excuſatur, qui errorem contra Fidem à Sede Apoſtolica damnatum tuetur ante Concilii œcumenici celebrationem, ut in cauſa Pelagianorum videre eſt, quibus Auguſtinus ſpem Concilii Generalis adimit: qui Cyprianum excuſat, quòd morem Africanum rebaptizandi Hæreticos, etiam poſt Stephani decretum propugnaret; quia nondum celebratum fuerat plenarium totius

Eccleſiæ Concilium. Cenſuit itaque Synodus Nicæna controverſiam illam meræ diſciplinæ fuiſſe.

III. *Origenes Romam venit.*

Baron. ann. 20. num. VII & ſeqq.

Ad num. III & IV. Euſebius lib. 6. cap. 14. ait : *Adamantius Zephyrino Romanam Eccleſiam gubernante, ſe in urbem Romam adveniſſe ſcribit, cùm ſibi in votis fuiſſet, ſicut ipſemet alicubi dixit, Romanam Eccleſiam omnium antiquiſſimam coràm videre. Ibi pauliſper moratus Alexandriam rediit.* Tum cap. 18. Ambroſi converſionem narrat. Mortuus eſt Zephyrinus anno CCXVII. Quare ante eum annum, Caracalla imperante, Romam venit Origenes, anno incerto. Ideoque hanc profectionem, quam Baronius in Annalibus in primum Heliogabali annum perperam conjecerat, in hunc rectè Spondanus retraxit. Non multò pòſt in Arabiam Origenes profectus eſt, indeque Alexandriam reverſus, impia arma Caracallæ fugiens, quibus funeſtiſſimam cladem Alexandrinis intulit, ut docet Herodianus lib. 4. cap. 11. ex ea clam exivit, ſeceſſitque in Palæſtinam, & Cæſareæ pedem poſuit, ut prodit Euſebius cap. 19. qui cùm poſtea cap. 20. Caracallæ mortem narret, liquet hæc omnia eo imperante geſta eſſe, erraſſeque eos, qui prius hoc Origenis iter in Palæſtinam confuderunt cum altero, quod ad Achaiæ Epiſcopos proficiſcens, per ea loca habuit, cùm Alexander Severus Imperium adminiſtraret, ut patet ex Euſebio cap. 21. & 23. Qua de re plura doctiſſimus Huetius lib. 2. Origenianorum cap. 2.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5709. ⊙ 1 GF. ☽ 8. P. 21. APRIL.
INDICT 9.
JESU CHRISTI 216. *ſecundùm Baronium* 218.
ZEPHYRINI PAPÆ 20.
CARACALLÆ IMP. 19.

I. *Conſules.*

COSS. *C. Atius Sabinus II, & Cornelius Anullinus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſt. Conſulari.

II. *Quinquennalia Auguſtei Imperii Caracallæ.*

Caracalla poſterioris Imperii Auguſtei Quinquennalia dedit, ad quæ referendum quod ſcribit Caſſiodorus in Chronico : *His Coſſ. Antoninus Thermas ſui nominis ædificavit* : quod & Euſebius in Chronico hoc anno habet. Thermas enim annis hujuſmodi feſtivitatibus dicatis ædificari ſolitas, multis exemplis liquet.

Anno Urbis 970.
Olymp. 249.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5710. ⊙ 2 E. ☽ 9. P. 13. APRIL.
INDICT. 10.
JESU CHRISTI 217. *ſecundùm Baronium* 219.
CALLISTI PAPÆ 1.
MACRINI IMP. 1.

I. *Conſules.*

COSS. *C. Bruttius Præſens, & T. Meſſius Extricatus II*, ut ex Inſcriptione Gruteriana oſtendit Noriſius in Epiſt. Conſulari.

Seculum III.

II. *Vicennalia prioris Imperii Auguſtei Caracallæ.*

Caracalla prioris Imperii Auguſtei Vicennalia dedit, ut certum facit hujus Imperatoris Nummus apud Occonem, in cujus poſtica parte legitur : TR. P. XX. COS. IIII. P. P. VICT. PART. ubi cernitur Victoria in clypeo ſcribens, VOT. XX.

III. *Interitus Caracallæ.*

Baron. num. 1.

Ad num. I. *Caracalla die Natalis ſui, octavo Idus Aprilis, ipſis Megalenſibus, inſidiis à Macrino Præfecto Prætorii poſitis, qui poſt eum invaſit Imperium, interemtus eſt*, inquit Spartianus in Caracalla cap. 6. Sed in die natali & emortuali Caracallæ hic Auctor errat. Dio enim lib. 78. Caracallam occiſum teſtatur *VI Idus Aprilis*, die nempe octava menſis Aprilis, additque poſtea : *At illo ſublato, non apertè quidem, nec ea die, nec duabus ſequentibus, Imperium invaſit.* Tum : *Sic quarta demum die, qua Severi natalis erat, Imperator ab eis* (nempe militibus) *quaſi vi coactus ſcilicet, creatus fuit.* Natale Severi in diem undecimam menſis Aprilis incidit. Quare cùm ea quarta eſſet à Caracallæ interitu, eum die octava Aprilis interfectum, & Spartianum hallucinatum eſſe, certum. Dioni Herodianus ſuffragatur lib. 4. cap. 14. qui ait : *Extincto Antonino, incerti ignarique quid agerent milites, biduo ſine Imperatore fuerunt* ; ubi diem octavum Aprilis, Caracallæ emortualem Herodianus excludit, & Macrinum die undecima ejuſdem menſis Imperium iniiſſe ſupponit. Paulò antea ſcripſerat, Juliam Caracallæ matrem poſt filii necem ; ſibi mortem conſciviſſe. Ex quo magis detegitur commentum, cui Spartianus fidem adhibuit, Caracallam nempe Juliam uxorem duxiſſe, cùm jam cap. 10. Herodianus ſcripſerit, Caracallam Artabani Parthorum Regis filiam uxorem petiiſſe. Juliam itaque Caracalla conjugem non acceperat, ut jam ſuprà demonſtravimus.

IV. *Quot annis Caracalla vixit.*

Spartianus citatus cap. 9. ſcribit, Caracallam *annos quadraginta tres* vixiſſe, quod Euſebius in Chronico, aliique habent. Rectiùs Xyphilinus ait : *Vixit annos XXIX, regnavit annos VI, menſes duos, dies* * ; ubi locus dierum vacuus eſt. Dio lib. 78. ſupra annos ſex & menſes duos habet *dies duos*. Vidit difficultatem Zonaras, qui Dionem & Xyphilinum legerat, aitque periiſſe Caracallam *anno ætatis XXIX, Imperii VI, cum duobus menſibus & aliquot diebus.* Verùm ſi Caracalla die octava Aprilis occiſus ; ut notat Spartianus, regnavit annos VI, menſes duos, & diem unum ; cùm dies natalis Caracallæ & dies funereus concurrerint. Natus itaque erat die octava Aprilis anni Chriſti centeſimi octogeſimi octavi, mirumque inventos eſſe ex Recentibus, qui Spartianum hac in re Dioni præferendum cenſuerint ; cùm Spartianus non ſolùm in ætate Caracallæ à ſemetipſo diſſentiat ; ſed etiam Dionis, qui Caracallam viderat, ſententiam confirmet. In Severo enim cap. 4. ait, Caracallam quinquennem fuiſſe, cùm Severus dictus eſt Imperator. Quare cùm Severus anno CXCIII ad Imperium evectus fuerit, Caracalla anno CLXXXVIII natus erat. Præterea nato Getâ *Baſſianus natum ovum quaſi parvulus oppleſum ad terram fregit*, inquit Spartianus in Geta cap. 3. quod

in opinione Dionis veriſſimum, qui annum Baſſiano ſeu Caracallæ, plus quàm Getæ tribuit, ut ſuo loco oſtendimus. Mitto alia Spartiani loca, quæ hunc ſibi hac in re contradicere, & Dionem de Caracalla vera narrare demonſtrant.

V. *Macrinus Diadumenianum filium Collegam aſſumit.* Ad num. II. *Macrinus* die undecima menſis Aprilis Imperator nuncupatus eſt, ut ſuprà diximus, ſtatimque *Diadumenianum* filium Cæſarem, ac poſtea Auguſtum creavit, ut liquet ex Nummis apud Mediobarbum, in quorum uno Diadumenianus dicitur: Tr. P. II. Cos. II. P. P. Hinc Lampridius in Diadumeniano cap. 8. ait: *Hic quarto decimo menſe Imperii interfectus eſt cum patre.* Ipſo itaque Imperii paterni initio Cæſar appellatus eſt, & Tribunitia Poteſtate exornatus. Ea nuncupatione facta, Macrinus qui in Nummis Conſul II dicitur, *Diadumenianum* filium Conſulem ſuffectum creavit, ejuſque Collega eſſe voluit, juxta tertiam Conſulatuum Cæſareorum regulam. Nam, ut in literis ad me ſcriptis rectè obſervavit Noriſius, priorem Conſulatum ſuffectum Macrinus jam Imperator geſſit; non enim fuerat Senator, ſed tantùm Præfectus Prætorio; quam dignitatem, cùm Imperium arripuit, obtinebat. Omnes verò Conſules ex Senatorum corpòre de more aſſumebantur; eamqueob rem *Adventi* Præfecti Prætorio Conſulatus, anno ſequenti geſtus, monſtruoſus fuit, ut videre eſt apud Dionem.

Baron. num. 11.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5711. ☉ 3 D. ☽ 10. P. 29. Mart. Indict. 11.
Jesu Christi 218. *ſecundùm Baronium.* 220.
Callisti Papæ 2.
Elagabali Imp. 1.

I. *Conſules.* Coss. *Macrinus Aug. II. & Adventus*, ut teſtatur Dio lib. 76. qui ait, reprehenſum fuiſſe Macrinum, *quòd Adventum non modò Senatorem, ſed etiam Collegam in Conſulatu, & Præfectum Urbis creaſſet.* De familia Adventi legendus Cujacius lib. 15. Obſervat. cap. 3. Poſt Macrini verò interitum, nomen ejus è Faſtis eraſum, & Antoninus Elagabalus in ejus locum ſubſtitutus, ut mox dicemus. Is Macrini Conſulatus juxta priorem regulam, uti & ſecundus Diadumeniani Auguſti, qui tamen ſuffectus fuit, non verò ordinarius, ut Baronius, aliique crediderunt.

II. *Macrini interitus.* Ad num. I. Militibus adverſus Macrinum rebellantibus, is in prælio victus, ac non multò pòſt à ſatellitibus Elagabali interfectus. Ea pugna tertiâ Junii die, non verò ſextâ, ut credidit Baronius, pugnata, quod deduco ex verbis Dionis, qui lib. 78. ait: Macrinus *anno duntaxat uno, duobuſque menſibus, tribus demtis diebus, ſiquidem ad pugnam uſque cogitationes noſtras referamus, Imperio præfuit.* A die autem octava Aprilis anni elapſi, quo Caracalla occiſus, ad tertium menſis Junii hujus anni, eo die incluſo, hujuſmodi tempus effluxit. Sedulò enim animadvertendum, Dionem Macrini Imperium à die mortis Caracallæ, octava nempe menſis Aprilis anni ſuperioris, non verò à die undecima ejuſdem menſis, quâ Imperator dictus fuerat, numerare. Primò, quia eodem modo in annis Severi Imperatoris computandis jam ſe geſſerat: hos enim non à die decima tertia menſis Aprilis, quâ apud Carnuntum Imperator dictus fuerat, ſed à Kalendis Juniis, qua die Julianus interfectus, repetit. Secundò, quia niſi Dionem ita interpreteris, ſequentium duorum Imperatorum initium haud aſſequeris, & Dionem ac Lampridium de Alexandri Severi initio loquentes, pugnantia inter ſe ſcripſiſſe affirmare cogèris; cùm tamen planè inter eoſdem conveniat, & Dio cuilibet ex illis duobus menſibus triginta dies attribuat; adeo ut ſecundus menſis ſexto Junii die deſinat, ex eoque tres dies tollendi ſint, ſextus nempe, quintus & quartus, & Macrinus die tertia debellatus fuerit. Natale itaque Imperii Elagabali in diem tertium Junii, ſecundùm Dionem incidit.

Baron. num. 1 & 11.

III. *Secundus Macrini Conſulatus è Faſtis eraſus.* Elagabalus, ſeu Heliogabalus perditiſſimus Imperator multa innovavit, inquit Dio, inter quæ *Conſulatûs Macrini loco, qui jam geſtus erat, nomen ſuum ſubſtituit, cum nec Conſulatum à nobis accepiſſet, nec prorſus eum attigiſſet, quòd initio tribus in literis annum indicavit per Adventi Conſulatum, quaſi qui ſolus eum geſſiſſet.* Itaque, ut doctè obſervavit Noriſius in Epiſt. Conſulari pag. 130. auctor eſt Dio, Macrinum Imperatorem, & Adventum Conſules hunc annum aperuiſſe. Macrinum verò bimeſtri Conſulatu perfunctum, eodem ſe abdicaſſe, illis verbis deſignat: *Qui jam geſtus erat.* Suffectos Conſules ſuppreſſo nomine idem lib. 78. recenſet, ſcribens Pſeudantoninum Elagabalum perduellionis à Macrino datis ad Senatum literis incuſatum, quæ cùm recitatæ eſſent, *dixere quidem*, inquit, *aliqua tum Conſules in Pſeudantoninum.* Hi erant ſuffecti in locum Macrini & Adventi. Addit Dio, Elagabalum, occiſo Macrino, tribus literis, nomen prioris ejus anni Conſulis Macrini hoſtis ſui execratum, Collegæ tantùm Adventi nomen adpoſuiſſe, ac poſtea ſuummet nomen Macrini loco, ante Adventum ſubſtituiſſe, nomine Macrini eo facto è Faſtis eraſo, quando Macrini ac Adventi Conſulatus priori parte ejus anni *jam geſtus erat*, quem *nec prorſus attigiſſet*, quippe qui menſe Junio, poſt abdicatum à Macrino Conſulatum, acclamatus fuerat Imperator. Macrini verò nomen è Faſtis eraſum fuiſſe demonſtrat Noriſius, ex Inſcriptione Gruteriana pag. 300.

Imp. .... Severus.......
Cooptatus
C. Bruttio. Praesente. T. Messio.
Extricato
II. Cos
P. R. C. Ann. dcccclxx.

nempe: *Imp. Opelius Severus Macrinus Auguſtus cooptatus*, &c. Certum itaque, Macrini nomen è Faſtis expunctum, ideoque & in hoc marmoreo Elogio detritum. Affert & alterum teſtimonium Noriſius.

Extat lib. 2. Cod. L. 8. *De nuptiis geſtis*. reſcriptum Antonini Elagabali, quod ſignatur: *Dat. VI Kal. Auguſti, Antonino & Advento Conſulibus*. Antoninus prior Conſul non eſt Macrinus; nam Elagabalus, teſte Dione, recuſavit literas ab ſe datas, Conſulis Macrini nomine obſignare; ac proinde nec ſuamet reſcripta odioſo hoſtis ſui nomine ſignavit. Eſt itaque ipſemet Antoninus Elagabalus, qui *Conſulatus Macrini loco, nomen ſuum ſubſtituit*, ut Dio teſtatur. Hinc factum, ut veteres Faſtorum Scriptores hunc annum *Antonini & Adventi* Conſulatu in Faſtorum tabulis indicarint. Quod cùm Diſſertationem Hypaticam ſcribens, parte ſecunda, cap. 7. num. 6. animadvertiſſem, dixi in hujus anni Conſulibus conſignandis à recentioribus Faſtorum Scriptoribus peccatum, qui Antoninum Diadumenianum Adventi Collegam hoc anno obtruderent; cùm Dio doceat Macrinum hoc anno Conſulatum geſſiſſe, & Capitolinus in ejus Vita prodat, ipſum modò Severum, modò Antoninum ſe ſe appellaſſe. Sed cùm in mentem non veniret, Macrini nomen è Faſtis eraſum fuiſſe, aliorum errores corrigens ipſemet in novum incidi, & Macrinum ac Adventum tanquam totius anni Conſules propoſui. De quo errore primùm me monuit Toinardus, Vir clariſſimus, laudato Dionis loco, pag. 910. quem ſuprà recitavi, obſervans loco, αὐτὸ ἐπιτινέχειν, legendum eſſe, αὐτὸν, uti pag. 907. B. lin. 10. Is itaque Elagabali, Imperatoris ſtolidiſſimi Conſulatus contra regulas capeſſitus.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5712. ☉ 4 C. ☽ 11. P. 18. April. Indict. 12.
Jesu Christi 219. *ſecundùm Baronium* 221.
Callisti Papæ 3.
Elagabali Imp. 2.

I. *Conſules.* Coss. *M. Aurelius Antoninus Elagabalus Aug. II, & Licinius Sacerdos II.* Conſulatus Elagabali, juxta primam regulam; Sacerdos verò cum nota numerali legitur apud Gruterum pag. 300.

II. *Zephyrini PP. obitus.* Baron. num. I. Ad num. I. *Zephyrinus* anno ducenteſimo decimo ſeptimo, Præſentis & Extricati Conſulatu inſignito è vivis exceſſit. In Chronico quidem Damaſi nomen ejus deſideratur; ſed hæc verba, quæ ibi leguntur, *à Conſulatu Saturnini & Galli, uſque Præſente & Extricato*, ad eum, non verò ad Victorem referuntur. In duplici Codice Corbeienſi anni octodecim & aliquot menſes ac dies ei tribuuntur. Sed cùm Calliſtus die decima octava menſis Julii ei, ut infrà videbimus, ſucceſſerit, poſtquam Epiſcopatus dies quinque vacaſſet, ut habet auctius Chronicon veterum Pontificum, ſedit Zephyrinus annos decem & novem, menſes undecim, dies quinque, mortuus die duodecima Julii anni CCXVII. Pontificatum enim inierat anno CXCVII, die ſeptima Auguſti. In Martyrologio Hieronymiano Natale ejus conſignatur die XX Decembris, in aliis verò Martyrologiis, quibus Baronius adhæret, die viceſima ſexta Auguſti. Sed uterque dies ad ejus tranſlationes referendus. Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Chronologiam veterum Pontificum exiſtimans, in Martyrologio Hieronymiano dies natales Pontificum Romanorum ſignari, obitum Zephyrini cum die XX Decembris anni CCXVII illigavit; & quia conſtat ante eum diem Calliſtum ejus ſucceſſorem ſediſſe, dicit eum Zephyrini conſtitutum fuiſſe Vicarium. Sed, ut ſæpius obſervavimus, hujuſmodi Vicariatus ſuppoſititii. Duæ Zephyrini circumferuntur Epiſtolæ commentitiæ exiſtimatæ. Prior eſt ad Epiſcopos Siciliæ, & incipit cum verbis Hilari Papæ epiſt. 3. *Divinæ circa nos gratiæ memores*. Poſterior eſt ad Epiſcopos Ægypti, & ab his verbis exorditur: *Tantam à Domino hujus ſanctæ Sedis & Apoſtolicæ Eccleſiæ fundatore*, &c. Leguntur in utraque Epiſtola, S. Proſperi aliorumque variæ ſententiæ. Zephyrino ſucceſſit Calliſtus.

III. *Quadrigæ Heliogabali.* Baron. num. III. Ad num. III. Scribit Lampridius in Heliogabalo cap. 23. hunc Imperatorem elephantorum quadrigas agitaſſe. Quod anno ſequenti factum videtur. Mediobarbus enim producit varia Numiſmata tertio Heliogabali Conſulatu, aliaque tertia ejus Tribunitia Poteſtate ſignata, in quibus quadrigæ triumphales cernuntur.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5713. ☉ 5 BA. ☽ 12. P. 9. April. Indict. 13.
Jesu Christi 220. *ſecundùm Baronium* 222.
Callisti Papæ 4.
Elagabali Imp. 3.

I. *Conſules.* Coss. *M. Aurelius Antoninus Elagabalus Aug. III*, & *Eutychianus Comazon.*

Sumtus hic ab Heliogabalo, exlege & ſtolido Imperatore Conſulatus, præter regulas, quod à Dione lib. 79. obſervatum: *Adverſus inſtituta*, inquit, *patria, ſanè non magni quædam momenti, nec inſigne malum aliquod nobis afferentia, niſi quatenus à recepta conſuetudine aliena erant, innovata ab ipſo fuere.* Inter quæ numerat, *quod initio tribus in literis annum indicavit per Adventi Conſulatum, quaſi qui ſolus eum geſſiſſet, ac nihilominus alterum ſibi Conſulatum adrogare conatus eſt, cùm nullum antea nec Magiſtratum, nec titulum honorarium accepiſſet.* Quæ verba de Conſulatu anno præcedenti ab Heliogabalo geſto intelligenda non ſunt; cùm is quemadmodum & quartus, quem Collega Alexandro Cæſare capeſſiit, juxta inſtituta patria fuerint; tertii verò currenti anno initi nulla ratio aſſignari poſſit.

II. *Nicopolis condita.* Ad num. IV. Legatio *Julii Africani* ad reædificationem Urbis Nicopolis petendam, ad annum ſequentem pertinet. Euſebius enim in Chronico anno Abrahami 2237. qui Kalendis Septembribus currentis Chri-

ſti anni inchoatur, ait: *In Palæſtina Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, Urbs condita eſt, Legationis induſtriam pro ea ſuſcipiente Julio Africano, Scriptore temporum.* Cùm enim Heliogabalus anno CCXXII Quinquennalia edere deberet, miſſus ad eum Africanus, qui eam civitatem inſtaurandam peteret, ut annis hujuſmodi ſolenniis addictis, fieri ſolitum erat. Imò ipſemet Africanus docet, ſe anno Legationis ſuæ abſolviſſe Opus ſuum *Grato & Seleuco Coſſ.* ut videre eſt apud Georgium Syncellum pag. 212. ubi & dicit Africanus, ſe perduxiſſe Opus illud uſque ad annum mundi ſecundùm Alexandrinos 5723. Incarnationis verò ſecundùm eoſdem 223. qui uterque annus cum anno Æræ vulgaris CCXXI convenit, in eoque menſe Auguſto abſolvitur; ideoque Africanus Conſulatum Grati & Seleuci includit uſque ad Kalendas Septembres, quo die annus Incarnationis ſecundùm Alexandrinos CCXXIV incepit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5714. ☉ 6 G. ☽ 13. P. 25. MART.
Olymp. 250. INDICT. 14.
JESU CHRISTI 221. *ſecundùm Baronium* 223.
CALLISTI PAPÆ 5.
ELAGABALI IMP. 4.

I. *Conſules.* COSS. *Gratus Sabinianus*, & *Claudius Seleucus.* Prioris cognomen prodidit Africanus apud Georgium Syncellum pag. 212. In Digeſto verò l. 13. memoratur Claudius Seleucus.

II. *Alexander Cæſar renuntiatur.* Baron. num. I. & II. Ad num. V. Rectè ſcripſit Baronius, Alexandrum Heliogabali Imperatoris conſobrinum anno currenti Cæſarem nuncupatum eſſe; cùm ejus Conſulatus ſequenti anno geſtus, ejuſque Imperii Quinquennalia Decennaliàve eum hoc anno illa dignitate exornatum demonſtrent, & oſtendant, Lampridium in Heliogabalo cap. 10. ubi ait, Alexandrum Cæſarem dictum *à Senatu, eo tempore, quo Macrinus*, hallucinatum eſſe. Herodianus à Baronio citatus, rei geſtæ tempus non memoravit. Notanda porrò ejus verba, poſtquam dixit, eum Cæſarem appellatum fuiſſe, & Heliogabali inſtitutis imbui noluiſſe; *Quibus rebus*, inquit Herodianus, *magnopere Antoninus indignabatur, jamque adoptionis, Imperiique participati pœnitebat.* Ea enim oſtendunt, Cæſares non tantùm Imperii ſucceſſores deſignatos eſſe; ſed & in ejus ſocietatem vocatos. Quando Lampridius à Baronio citatus ait Alexandrum novo exemplo, uno eodemque die Cæſaris nomen, aliaſque appellationes à Senatu accepiſſe, loquitur de iis, quæ in ejus nuncupatione Auguſtea contigerunt, non verò de iis, quæ ab Heliogabalo, vel à Senatu acta, cùm Alexander Cæſar eſt renuntiatus, ut Lampridium legenti patet. Attigerat Alexander annum ætatis decimum ſextum, ut ex dicendis planum fiet. Quare corrigendus error, qui in Herodianum lib. 6. cap. 7. irrepſit, ubi dicitur, Heliogabalum fuiſſe tum natum annos circiter quatuordecim, Alexandrum verò duodecim. Heliogabalus enim annum ætatis XVII agebat, quando Alexandrum Cæſarem dixit. Qui error Librariis, qui in numeris facilè labuntur, non verò Hiſtorico accuratiſſimo imputandus videtur. Quo verò tempore Mammea, Alexandri mater, Origenem Antiochiam accerſierit, anno CCXXIX explicabitur.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5715. ☉ 7 F. ☽ 14. P. 14. APRIL.
INDICT. 15.
JESU CHRISTI 222. *ſecundùm Baronium* 224.
URBANI PAPÆ I.
ALEXANDRI IMP. I.

COSS. *M. Aurelius Antoninus Elagabalus Aug. IV*, & *M. Aurelius Severus Alexander Cæſar.* I. *Conſules.*

Conſulatus Alexandri juxta priorem regulam, quia nempe anno præcedenti Cæſar nuncupatus eſt; Elagabali verò juxta ſecundam, quia ejus Quinquennalia in hunc annum incidebant. Verùm antequam eorum celebrandorum dies adventaſſet, tumultu militari occiſus eſt, poſtquam regnaſſet *annos tres, menſes novem, & dies quatuor*, inquit Dio lib. 79. qui ſtatim addit: *Quod tempus ego numero, ex quo prælio facto, omnem potentiam adeptus eſt.* Quare cùm Lampridius in Alexandro Severo cap. 6. referat acclamationes Senatûs in inauguratione Alexandri habitas, *ex Actis Urbis ante diem pridie Nonas Martias*, die ſc. ſexta menſis Martii, liquet, non tantùm eo die Heliogabalum interfectum, & Alexandrum Auguſtum nuncupatum; ſed etiam Macrinum anno CCXVIII, die tertia menſis Junii fuſum fugatumque fuiſſe, & Heliogabalum Imperium ſuſcepiſſe. Ab eo enim die ad ſextum Martii currentis anni fluxerunt anni tres, menſes novem, & dies quatuor, die emortuali comprehenſo. Neque exiſtimandum cum Onuphrio, Petavio, Calviſio, cæteriſque Chronologis, Lampridium & Dionem quoad diem Imperii Alexandri natalem inter ſe diſſentire; cùm illum Lampridius ex Actis publicis acceperit, & Dio à ſe viſa ſcripſerit, ut ipſemet teſtatur. Qui cùm tradat, Heliogabalum occiſum fuiſſe, cùm eſſet *decem & octo annos natus*, apparet, perperam in Herodiano lib. 6. cap. 7. natum eum annos circiter XIV, quando Alexandrum anno præcedenti Cæſarem dixit. II. *Heliogabalus occiditur.* Baron. num. I.

III. *Chronologia Canone Paſchali Hippolyti validè confirmata.* Baron. num. X. Ad num. V. Canon Paſchalis Hippolyti inventus eſt Romæ anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo, & in ſeptimo libro Emendationis Temporum à Scaligero primùm publicatus. Incipit Canon à primo anno Alexandri Severi, in eoque dicitur, eo anno terminum Paſchalem incidiſſe in diem decimum tertium Aprilis, & Paſcha celebratum eſſe die viceſima prima; ac denique decimum tertium Aprilis fuiſſe diem Sabbati: quod per hæc tempora præſenti tantùm Chriſti anno, Cyclo Solis VII,

Littera Dominicali F. inſignito, contingere potuit, nullo verò pacto anno Chriſti CC XXIV, ut exiſtimavit Baronius, quia annus ille Cyclo Solis IX. Littera Dominicali D C. ſignatur, & biſſextilis eſt. Quare vel hoc ſolo argumento Baronii Chronologia à Chriſto nato uſque ad præſentem annum depravata oſtenditur; cùm in præfato Canone anni biſſextiles accuratè notentur, & primus Alexandri ſimplici Littera Dominicali inſigniatur. Unde & nullum biſſextum ante præſentem annum in Annalibus ſuo loco collocatum, ac præterea anno Chriſti CC XXIV, quem cum primo Alexandri Baronius copulat, dies XIII Aprilis & Sabbatum non concurrunt. Ex quibus tandem omnibus manifeſtè deducitur, Baronium Æram Chriſtianam inchoare debuiſſe à Conſulatu Caii Cæſaris, & Lucii Æmilii Pauli, annoque Juliano XLVI, non verò à biennio antea. Denique ab anno primo Alexandri Severi ad primum Diocletiani, ſeu Chriſti CC LXXXIV, anni ſexaginta duo, utroque extremo anno incompleto pro integro numerato, interjiciuntur: in Annalibus verò, utroque extremo comprehenſo ſexaginta duntaxat numerantur. Quare intra illud temporis intervallum anni duo à Baronio præmiſſi, quos ſuo loco reſtituemus.

IV. *Urbanus ſuccedit Calliſto.* Hoc anno Calliſtus ad cæleſtem patriam migravit, eique Urbanus ſucceſſit, ut infrà oſtendetur.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5716. ☉ 8 E. ☽ 15. P. 16. APRIL. INDICT. 1.
JESU CHRISTI 223. *ſecundùm Baronium* 225.
URBANI PAPÆ 2.
ALEXANDRI IMP. 2.

I. *Conſules.* COSS. L. *Marius Maximus II*, & L. *Roſcius Ælianus*, ut oſtendit Noriſius ex Tabula ænea nuper reperta, & ex variis Codicis Juſtinianei reſcriptis, in quibus Maximus cum nota numerali effertur. Vides Alexandrum, qui juxta priorem Conſulatuum Cæſareorum regulam hoc anno Conſul procedere debebat, ſuum in locum virum jam eâ dignitate functum ſubrogaſſe; adeo verum eſt quod ſæpe indicavimus, annos celebriores Senatoribus iterato Conſulatu cohoneſtatis aſſignatos fuiſſe.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5717. ☉ 9 DC. ☽ 16. P. 28. MART. INDICT. 2.
JESU CHRISTI 224. *ſecundùm Baronium* 226.
URBANI PAPÆ 3.
ALEXANDRI IMP. 3.

I. *Conſules.* COSS. *Julianus II*, & *Criſpinus*, ex Noriſio in Epiſt. Conſulari, ubi Inſcriptionem refert, & varia Codicis Juſtinianei reſcripta citat, in quibus *Julianus* cum nota numerali effertur. His adde Faſtos Græcos Theonis, in quibus *Julianus* dicitur Conſul II, quia primorum Imperii annorum Conſulatus honorificentiores erant, vel in propinquos Imperatorum, vel in Perſonas illuſtriores, ac jam eâ dignitate exornatas, de more conferebantur.

Ad num. I. *Calliſtus* Papa anno ducenteſimo viceſimo ſecundo ad Deum migravit. II. *Calliſti PP. obitus.* In Chronico enim Damaſi legitur: *Calliſtus annos quinque, menſes duos, dies decem. Fuit temporibus Macrini, & Heliogabali, à Conſulatu Antonini & Adventi, uſque Antonino III, & Alexandro.* Baron. num. 1 & ſeq. Quæ totidem verbis Guſpinianus in Faſtis habet. Pontificatum inierat Calliſtus die decima octava menſis Julii anni Chriſti CC XVII, Præſentis & Extricati Conſulatu notati. Quare ſedit annos quinque, menſes duos, dies decem, dieque Sabbati ordinatus fuerat. Dies enim mortis aſſumitur à Papebrocio in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum Romanorum, ex Actis in quibus dicitur, quòd corpore Sancti in puteum præcipitato, *poſt dies decem & ſeptem veniens Aſterius cum Clericis noctu ad puteum, levavit corpus B. Caliſti Epiſcopi, & ſepelivit in Cœmeterio Calepodii viâ Aureliâ, pridie Idus Octobris.* Subdit Papebrocius, hanc cauſam eſſe ipſum tali die colendi, & inſcribendi Hieronymiano Martyrologio his verbis: *Romæ viâ Aureliâ in Cœmeterio Calepodii Caliſti Epiſcopi: ſed propter hoc nos formidare non debere, ne aliorum etiam, quorum Acta non extant, dies notati in dicto Martyrologio, non ſint verè mortuales.* At perperam. Si enim in Martyrologio Hieronymiano dies obitualis Calliſti notaretur, non ad diem XIV Octobris, ſed ad diem XXVIII Septembris, S. Calliſti Depoſitio memoraretur; cùm eo die martyrii gloriâ coronatus, & die XIV Octobris terræ mandatus fuerit. Ex hoc itaque aliiſque locis paſſim referendis liquet, in Martyrologio Hieronymiano non ſemper diem mortis notari, quod valde obſervandum. Nam Papebrocius dies in eo inſcriptos de Pontificum Natalibus ſemper explicandos exiſtimans, *Zephyrini* mortem ad diem XX Decembris anni CC XVII diſtuli, & *Calliſtum* ab eo Vicarium menſe Julio illius anni renunciatum ſcribere coactus eſt; qui tamen Calliſti Vicariatus ſuppoſititius, & Zephyrini obitus ante finem Decembris anni CC XVII omnino conſignandus. In Indiculo Depoſitionis Martyrum apud Bucherium lib. de Doct. Temp. menſe Octobri legitur: *Pridie Idus, Calliſtus, in via Aurelia, miliario III.* Quare, cum die XIV menſis Octobris ſepultum eſſe, certum. In antiquo Kalendario à Frontone publicato legitur: *XIV die menſis Octobris Nat. S. Caliſti Pontificis.* Eum tamen martyrio coronatum fuiſſe ex laudato Libello Bucheriano conſtat. Quare ex eo quòd in aliquibus Martyrologiis Sanctus aliquis dicitur Epiſcopus, vel Pontifex, eum Martyrem non fuiſſe, inde deduci non poteſt. Poſt ejus obitum vacavit Sedes *dies quinque*, ut legitur in auctiori Chronico veterum Pontificum: ſed incertum, an quinque dies illos

à die emortuali Calliſti, vel à die quo ſepultus eſt, illius Chronici Auctor auſpicetur. Quidquid ſit, Urbanus menſe Octobri Calliſto ſucceſſit.

III. *Decretales Calliſti.* Decretales duæ Calliſto attribuuntur, quæ à Viris doctis inter ſuppoſititias numerantur. Prior incipit cum verbis Gelaſii epiſt. 9. *Fraternitatis amore conſtringimur, & Apoſtolico*, &c. habetque varia loca ex Proſpero, Ambroſio, Leone I, Concilio Romano ſub Symmacho, aliiſque deſumta. Poſterior data eſt ad omnes Galliarum Epiſcopos, incipitque cum verbis Simplicii Papæ epiſt. 1. *Plurimorum relatu comperimus*, &c.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5718. ☉10 B. ☽17. P.10. April.
Indict. 3.
Jesu Christi 225. *ſecundùm Baronium* 227.
Urbani Papæ 4.
Alexandri Imp. 4.

Olymp. 251.

I. *Conſules.* Coss. *Fuſcus II*, & *Dexter*. Priorem cum nota numerali efferendum eſſe, oſtendit Noriſius in Epiſt. Conſulari, tam ex duabus Inſcriptionibus Gruterianis, quàm ex variis reſcriptis Codicis Juſtinianei. Referunt quidem Onuphrius, ac Gruterus Inſcriptionem dicatam, *Dextro, M. Maecio Rufo Coſ.* Sed hic Conſul tantùm ſuffectus fuit incerta anni parte, ut ibidem Noriſius habet. In Faſtis Theonis *Fuſcus* cum numerali nota etiam profertur.

II. *Quinquennalia Imperii Cæſarei Alexandri.* Alexander Imperii Cæſarei Quinquennalia dedit, ut ex ejus Decennalibus colligitur.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5719. ☉11 A. ☽18. P. 2. April.
Indict. 4.
Jesu Christi 226. *ſecundùm Baronium* 228.
Urbani Papæ 5.
Alexandri Imp. 5.

I. *Conſules.* Coss. *Alexander Aug. II*, & *C. Quintilius Marcellus*.

II. *Quinquennalia Imperii Auguſtei Alexandri.* Alexandri Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam, ob nempe Imperii ejus Auguſtei Quinquennalia, quorum indicium Thermæ Alexandrinæ hoc anno ædificatæ, ut oſtendit Alexandri Nummus, à Vaillantio V. C. tom. 2. fol. 134. recitatus, in cujus poſtica legitur: P. M. TR. P. V. COS. II. P. P. Cernuntur Thermæ Alexandrinæ.

III. *Perſarum Regni inſtitutio.* Tranſlatum hoc anno Parthorum Regnum ad Perſas. *Artaxerxes* enim Perſa Parthos tribus prœliis ſuperavit, & *Artabanum* eorum Regem interfecit, ut docet Dio lib. 80. Agathias lib. 4. cap. 11. rei geſtæ tempus his verbis deſignat: *Artaxerxes annus octo & triginta ad quingentos poſt magni Alexandri Macedonis Principatum, quaternis poſt alterius Alexandri Mammæi, Perſarum ſuſcepit Imperium*; ideoque currenti Chriſti anno, quo quartus Alexandri menſe Martio abſolutus eſt, & Kalendis Octobris annus Alexandreus, ſeu Seleucidarum quingenteſimus triceſimus octavus auſpicatur. Quare Agathias menſes anni quinti Alexandri jam inchoati negligit, & *Artaxerxem* poſt menſem Septembrem regnare cœpiſſe indicat. Ejus tamen verba Scaligerum lib. 5. de Emendat. Temp. irretitum tenuere: ait enim duos in iis inſignes eſſe errores; cùm tamen ipſemet erret, dum exiſtimat annos Seleucidarum Alexandreos ab initio Monarchiæ Alexandri M. deduci: deinde quòd annos DXXXVIII fluxiſſe putat ab initio Seleucidarum, ad quartum Alexandri Mammæi annum. Non enim animadverterat Scaliger, annos Seleucidarum plerumque etiam vocari annos à morte Alexandri, & Agathiam annum Alexandri quartum integrum numerare, menſeſque quinti in ſummam non conferre. Hæc epocha, quòd res Romanæ & Eccleſiaſticæ Perſicis in poſterum non rarò illigentur, valde obſervanda. Ex ea manifeſtum fit, erraſſe Euſebium in Chronico, qui primo Alexandri Imperatoris anno Perſas ab hoc Imperatore victos tradit; cùm tamen ante præſentem annum Perſarum Regnum inſtitutum non fuerit.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5720. ☉12 G. ☽19. P.22. April.
Indict. 5.
Jesu Christi 227. *ſecundùm Baronium* 229.
Urbani Papæ 6.
Alexandri Imp. 6.

Anno Urb. 980.

I. *Conſules.* Coss. *M. Nummius Albinus*; & *Maximus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſt. Conſulari, non verò Balbinus & Maximus, ut Onuphrius & Baronius habent. Balbinus enim cum Caracalla IV Conſul II fuit, conſtatque ex Capitolino cap. 7. de Vita ejuſdem, Balbinum fuiſſe *iterum* Conſulem, non verò *tertium*. Porro priorem hujus anni Conſulem *Albinum* dictum fuiſſe, ex duabus Inſcriptionibus, variiſque Codicis Juſtinianei reſcriptis oſtendit ibidem Noriſius.

II. *Perſici belli initium.* Artaxerxes Perſarum Rex *irruit in Armeniam, ex qua pulſus ab incolis, Mediſque nonnullis, & filiis Artabani, in fugam ſe conjecit, ut quidam putant. Nam alii ſe receſſiſſe aiunt, ut majores copias compararet. Hic igitur nobis formidoloſus fuit, quòd maximis copiis, non modò Meſopotamiam invaderet, ſed etiam Syriam; minareturque ſe recuperaturum omnia, quæ Perſæ olim tenuiſſent uſque ad mare Græcum, quæque ad ſe propter Majores ſuos pertinerent*, inquit Dio lib. 80. qui cùm Hiſtoriam ſuam uſque ad annum Chriſti CCXXIX excluſivè perducat, liquet, *Artaxerxem* hoc, vel ſequenti anno Romanos bello laceſſiviſſe: certè ante annum Chriſti CCXXIX; alioquin de hujus belli initio Dio neutiquam loqui potuiſſet. Malè itaque illud ad finem Imperii Alexandri

di vulgaris opinio differt. Liquet ſecundò, Dionem de rebus in eo geſtis parum edoctum fuiſſe; cùm in ea narratione, ſolo rumore & famâ innitatur.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5721. ☉13 F E. ☽1. P. 6. APRIL. INDICT. 6.
JESU CHRISTI 228. *ſecundùm Baronium* 230.
URBANI PAPÆ 7.
ALEXANDRI IMP. 7.

I. *Conſules.* COss. *Ti. Manilius Modeſtus*, & *Sergius Calpurnius Probus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſt. Conſulari.

II. *Antiochenorum Epiſcoporum ſucceſſio.* Baron. num. 1. Ad num. I. In poſterum Antiochenorum Epiſcoporum ſeries accuratè conſignanda, quòd ab eorumdem exordio & fine varia magni momenti pendeant. *Zebennus* anno tantùm ſequenti Pontificatum iniit. Euſebius enim in Chronico ſecundùm editionem Pontacenam ejus initium illigat cum anno Abrahami 2245. qui Kalendis Septembris currentis Chriſti anni inchoatur. Cùm verò, Philetus Zebenni deceſſor anno ſequenti adhuc in vivis fuerit, non dubium, quin Euſebius de poſteriori anni Abrahamitici parte intelligendus ſit. Marianus Scotus in Chronico initium Zebenni cum tertio Alexandri Conſulatu anno ſequenti geſto conjungit, quod ab Euſebio in Chronico accepit, & editionem Scaligeri per Alexandri tempora corruptam oſtendit, quòd Scaliger annum primum hujus Imperatoris, anno uno tardiùs conſignarit. Cùm verò Origenes ſedente Zebenno Presbyter ordinatus fuerit, ejus ordinatio in ſequentem annum differenda.

III. *Perſici belli initium non bene aſſignatum.* Baron. ann. 226. num 1. Noriſius in Diſſert. de Numiſmate Diocletiani & Maximiani cap. 6. ſcripſit, Alexandrum Imperatorem *anno Trib. Pot. VIII Romæ & in Campania commoratum*, neque *eo anno in Oriente cum Perſis* pugnaſſe. Tribunitia Pot. VIII, anno CC XXIX, menſe Martio ab Alexandro ſuſcepta, & ad menſem Martium anni CC XXX continuata. Quare autumavit Vir eruditiſſimus, bellum Perſicum poſt diem ſextum Martii anni ducenteſimi triceſimi inchoatum, aut ſaltem ante illum diem Alexandrum in Orientem profectum non eſſe. Ego verò in ſecunda parte Diſſertationis Hypaticæ cap. 9. oſtendi, bellum Perſicum currenti anno inchoatum, deceptoſque paſſim recentiores Chronologos, qui illud in annum XIII Alexandri Imp. differunt; ac denique Conſulatum tertium ejuſdem Imperatoris ſecundùm quintam Conſulatuum Cæſareorum regulam ſuſceptum fuiſſe, ob triumphum nempe Perſicum ab Alexandro ductum. Noriſius in Epiſt. Conſulari priorem opinionem ſuam rurſus propugnat, aitque, exiſtimare Cenſores quoſdam, tertium illum Alexandri Conſulatum regulas à me ſtatutas falſas oſtendere. Quod mirum mihi neutiquam accidit; cùm opiniones, quæ unà cum ſeculis ætatibuſque hominum inveterarunt, ex animis facilè non evellantur. Ceterùm bellum Perſicum currenti anno, ac inſequenti geſtum, & Alexandri in Orientem profectionem anno CC XXIX conſignandam, apud me certum: Conſulatus tamen tertius Alexandri ob Decennalia Imperii ejus Cæſarei ſuſceptus, ut infrà manifeſtiſſimè oſtendo, ideoque & juxta regulas à me poſitas, licèt tunc eum ad propriam regulam non reduxerim, quod tamen nullo Hiſtoriæ detrimento à me factum.

IV. *Herodiani textus emendatus.* Unus Herodianus lib. 6. cap. 2. hujus expeditionis annum notaverat, ſed Librariorum errore numeri corrupti: ἐπὶ μὲν ἐν τρισκαίδεκα ἔτεσι, ὅσον ἐπ᾽ αὐτῷ, τὴν βασιλείαν ἀμέμπτως διῴκει, τῷ δὲ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ ἔτει αἰφνιδίως ἐκομίσθη γράμματα τῶν κατὰ Συρίαν καὶ Μεσοποταμίαν ἡγεμόνων, &c. id eſt, ſecundùm verſionem Angeli Politiani: *Igitur cùm ad hunc modum tredecim annos (quod quidem ad ſe attineret) ſine querela cujuſquam Imperium gubernaſſet, ecce tibi haud opinato litera è Syria, Meſopotamiaque reddita à Ducibus, in quibus ſcriptum eſſet, Artaxarem Perſarum Regem excurrere per Meſopotamiam, Syriæque minitari*, &c. Cùm tamen ſic vertere Politianus debuiſſet: *Ecce tibi anno decimo quarto haud opinato litera è Syria, Meſopotamiaque reddita à Ducibus.* Sed cùm duobus aliis in locis Herodianus teſtetur, Alexandrum *annos quatuordecim*, (Julianos utique, ac utrimque incompletos) imperaſſe, & poſt bellum Perſicum, Germanicum ſuſcepiſſe, hæc verba, τῷ δὲ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ ἔτει, id eſt, *anno decimo quarto*, addititia eſſe Politianus exiſtimavit, ideoque & ea in verſione ſua prætermiſit. Verùm non tantùm hæc verba, aut addita, aut corrupta; ſed etiam priora, quæ annum decimum tertium denotant. Certum enim, Herodianum Hiſtoricum accuratiſſimum, & qui, ut Photius in ſua Bibliotheca ait, *omnibus Hiſtoriæ virtutibus paucis cedit*, annos tantùm quatuordecim, Julianos, utrimque incompletos, ut illum numerare ſolere infrà demonſtrabo, Alexandro attribuere; præſertim cùm hac de re inter Antiquos omnes conveniat. Quomodo itaque bellum Perſicum anno XIII aut XIV Alexandri inchoatum fuiſſe ſcribere potuit, cùm infrà cap. 6. dicat, Barbaros *triennio aut quadriennio* poſt illud bellum quieviſſe, ac poſtea Alexandrum relicto Oriente in Germanos moviſſe? Quo poſito, non annos XIV, ſed annos XVIII Alexander imperaſſet. Non dubium igitur, quin locus corruptus ſit, & pro, τρισκαίδεκα, id eſt, *tredecim*, legendum ſit, ἑπτά, id eſt, *ſeptem*, alioquin Herodianus ſibimetipſi contradiceret. Hujus loci depravationem cùm Viri doctiſſimi non animadvertiſſent, bellum Perſicum in annum XII aut XIII Alexandri paſſim diſtulere, contra expreſſa Herodiani, quem tamen ſe ſequi profitentur, verba.

V. *Bellum Perſicum inchoatum.* Dio lib. 80. ait, ſe Hiſtoriam ſuam uſque ad ſuum ſecundum Conſulatum anno ſequenti geſtum perduxiſſe, fidemque facit, bellum Perſicum jam inchoatum fuiſſe, cùm ſcribere deſiit, & in narrandis hujus belli initiis, eadem ferè, quæ Herodianus, ſcribit, tam loco laudato, quàm in Excerptis à Valeſio publicatis. Certum itaque

indubitatumque, Romanos inter & Perſas currenti anno bellum jam exortum, & inter eoſdem aliqua prælia habita; cùm ultra præſentem annum Dionis Hiſtoria non procedat. Porro bellum illud, ut ex Herodiano & Zonara liquet, non intermiſſum, & poſtea reſumtum, ſed ſemel cœptum, continuatum fuit. Quamobrem cùm Dio teſtetur, Perſas jam hoc vel præcedenti anno in Romanos hoſtiliter incurſiones feciſſe, communis opinio, quæ bellum illud in annum XII aut XIII Alexandri differt, nullam veriſimilitudinem præ ſe fert. Profectò Artaxerxes Perſarum Rex, qui jam ab anno CCXXVI regnabat, bellicoſior erat, quàm ut per tot annos à bello Romanis inferendo ſe ſe contineret; præſertim cùm ſibi vindicaret omnia, *quæ Perſæ olim tenuiſſent*, ut inquit Dio laudatus, & confirmat Herodianus lib. 6. cap. 2. Ipſemet Noriſius loco citato refert Alexandri Nummum in averſa parte ſignatum quadrigis triumphalibus, cum Victoria ſtantem in curru Imperatorem coronante, & cum epigraphe: P. M. TR. P. VII. COS. II. P. P. S. C. ut planè conſtet, Alexandrum anno currenti, quo Tribunitiam Poteſtatem ſeptimam iniit, victoriam alicubi contra hoſtes conſecutum fuiſſe, unde quadrigæ triumphales S. C. decretæ ſunt, inquit Noriſius. Sed ubi ea victoria reportata, niſi in Oriente?

VI. *Perſicum bellum ante alia ab Alexandro ſuſceptum.* Lampridius enim in Alexandro cap. 25. ait: *Expeditiones bellicas habuit, de quibus ordine ſuo differam.* Tum bellum & triumphum Perſicum fusè deſcribit, & cap. 58. ait: *Acta ſunt res feliciter & in Mauritania Tingitana per Furium Celſum, & in Illyrico per Varium Macrinum affinem ejus, & in Armenia per Junium Palmatum; atque ex omnibus locis ei tabellæ laureatæ ſunt delatæ, quibus in Senatu & apud Populum lectis, omnibus nominibus eſt adornatus.* Quare cùm Lampridius bella ab Alexandro geſta ordine ediſſerat, primumque Perſicum fuiſſe dicat, non videtur dubitandi locus, quin Nummus præcedenti numero recitatus ad aliquam victoriam in Oriente reportatam referendus ſit; præſertim cùm etiam Dio nullius belli præterquam Perſici mentionem faciat, & Herodianus loco nuper citato tradat, Alexandrum uſque ad bellum Perſicum in pace vixiſſe. Herodianus lib. 6. cap. 2. & 3. narrat quæ ante Alexandri in Orientem profectionem ibi geſta ſunt, aitque, Imperatorem Legatos cum literis miſiſſe, qui ſpem Perſarum Regis conatuſque inhiberent, & in Italia Provinciiſque reliquis delectus haberent, qui tantæ Barbarorum multitudini pares forent. Huc etiam referenda quæ de bello Perſico Dio lib. 80. habet.

VII. *Origenes adverſus Hæreticos pugnat.* Ad num. IV. Profectio Origenis in Græciam, ob ſextam Scripturæ editionem hoc tempore inventam, minimè contigit, ut exiſtimavit Baronius. Scribunt enim Hieronymus lib. de Script. Eccleſiaſt. cap. 65. & Rufinus in Expoſitione cap. 23. libri ſexti Euſebii, Achaiæ Eccleſias plurimis tunc hæreſibus fuiſſe vexatas, quibus expugnandis idoneum præ ceteris viſum Origenem, eam illi cauſam in Græciam proficiſcendi fuiſſe, ut eruditiſſimo Huetio lib. 1. Origenianorum cap. 2. obſervatum.

Baron. num. VII.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5722. ☉ 14 D. ☽ 2. P. 29. MART. INDICT. 7.
JESU CHRISTI 229. *ſecundùm Baronium* 231. Olymp. 252.
URBANI PAPÆ 8.
ALEXANDRI IMP. 8.

I. *Conſules.* COSS. *Alexander Aug. III, & Caſſius Dio II.*

II. *Imperii Cæſarei Alexandri Decennalia.* Sumtus ab Alexandro Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam; Cæſarei enim Imperii Decennalia dedit, ut demonſtrat Nummus, qui extat apud Erizzum pag. 478. in cujus antica parte legitur: IMP. SEV. ALEXANDER AUG. in poſtica cernitur Imperator ſedens, qui à tergo coronatur à Victoria; à latere miles armatus, tenens in manu ſcutum, & ſtans in columna, in qua legitur: VOT. X. id eſt, *Votis Decennalibus*; circùm verò: P. M. TR. P. VIII. COS.... P. P. S. C. Alexandrum die ſexta menſis Martii Tribunitiam Poteſtatem octavam ſuſcepiſſe certum. Verùm cùm Decennalia Imperii Cæſarei ante Conſtantium Chlorum Nummis inſculpta non fuerint, quod ſaltem in meam venerit cognitionem, arbitror, ultimam lineolam Tribunitiæ Poteſtatis præfati Nummi, qui æreus eſt, progreſſu temporis detritam fuiſſe; quemadmodum in notis numeralibus, quæ poſt vocem *Coſ.* exprimebantur, contigit. Ad hæc, Mediobarbus in Numiſmatis Impp. varia Alexandri recitat, in quibus legitur: TR. P. VIIII. COS. III. P. P. S. C. & VOT. X memorantur, Vota ſc. Decennalia ejus Imperii Auguſtei anno ſequenti ſoluta; neque tamen vel unicum habet, in quo TR. P. VIII. & VOT. X. enuntientur. Quare cùm hæc Decennalia unico Nummo, eoque ex parte eraſo innixa ſint, ad ejus Imperium Auguſteum pertinere mihi perſuadeo, cùmque ea ad annum ſequentem ſpectare certiſſimum ſit, Decennalia Imperii ejus Cæſarei, quæ illa antecedere debuere, currenti anno acta, & ob ea Conſulatus tertius ab Alexandro ſuſceptus. Dum Diſſertationem Hypaticam componerem, ad ea Decennalia animum non advertens, perperam ſcripſi, capeſſitum illum ab Alexandro Conſulatum ob bellum ac triumphum Perſicum; cùm mihi conſtaret, per hæc tempora Romanos inter & Perſas bellum arſiſſe; indeque à cenſoribus quibuſdam capta anſa, in Conſulatuum Cæſareorum regulas à me ſtabilitas invehendi, quibus an ſufficiens fundamentum præbuerim, aliorum judicio relinquo.

III. *Alexander Imp. verſatur in Campania.* Hujus anni initio Alexander in Campania agebat, ut ex Dione lib. 80. elicitur: *Prætoriani*, inquit, *poſt Ulpianum me quoque criminati ſunt. At Alexander horum rationem habuit nullam, ſed contrà me magis honeſtavit, ſecumque unà deſignavit ſecun-*

dum Conſulem (anno nempe præcedenti.) *Quamobrem cùm moleſtè ferrent Prætoriani, timui ne me, ut viderent cum inſignibus Imperii,* (Conſulatûs nempe, ideoque præſenti anno) *interficerent. Itaque juſſit Alexander, ut alicubi extra Urbem commorarer in Italia tempore hujus Conſulatus mei* (ideoque currenti anno.) *Quod cùm feciſſem, Romam veni* (ſc. poſt Conſulatum per duos priores menſes hujus anni geſtum :) *deinde profectus ſum ad ipſum in Campaniam, verſatuſque cum eo per aliquot dies, viſuſque à militibus cum magna ſecuritate domum redii.* Ita doctè Dionem explicat Noriſius, tam in Diſſert. de Numiſmate Diocletiani & Maximiani cap. 6. quàm in Epiſt. Conſulari pag. 142. Cùm ergo Conſules ſuffecti Kalendis Martiis dignitatem de more inirent, eo menſe Alexander in Campania erat, eumque ibi Dio inviſit.

IV. *In Orientem proficiſcitur.* Non multò pòſt cum exercitu in Orientem Alexander profectus eſt, quòd Artaxerxes Perſarum Rex, Romanorum Provincias incurſaret. Antiquarii varia Alexandri recitant Numiſmata, in quorum antica habetur : IMP. SEV. ALEXANDER AUG. in poſtica, PROFECTIO AUG. S. C. Sed cùm in nullis nec Conſulatus, nec annus Tribunitiæ Poteſtatis notetur, nullum inde ſubſidium accipere poſſumus. Præterea Imperatoris titulus, qui victorias denotabat, quique multiplicari ſolebat, poſt Caracallæ Imperium in Nummis ampliùs non legitur, ideoque & Chronologia Cæſarea magis quàm antea obſcura, quæ hîc tamen nobis elucidanda. Ubi Antiochiam venit Alexander, *in ea civitate, quæ belli uſus poſtularet, diligenter comparabat*, inquit Herodianus lib. 6. cap. 4. ubi geſta hoc anno Romanos inter & Perſas deſcribit, aitque capite ſequenti : *Exercitus contendere per Armeniam juſſus, vix ægréque ſuperatis ejus regionibus aſperrimis, prærupti ſſimiſque montibus (quamquam æſtas tolerabilius iter faciebat) impetu in Mediam facto, vicos concremavit, prædamque abegit.* Addit Herodianus, Perſarum Regem omnem Romanorum exercitum profligaſſe, dum Alexander graviſſimè ægrotaret ; qui cùm Antiochiam copias reduxiſſet, convaluit, copiaſque inſtauravit. Perſarum Rex milites ſuos dimiſit, quorum pars præliis crebris in Media Parthiaque geſtis ceciderant ; alii attriti & ſauciati ſuperfuerant, ut fusè Herodianus narrat, qui ſubjungit, Romanos non ſegniter devictos, ſed ipſos quoque interdum hoſtibus exitioſos fuiſſe. Bellum itaque *æſtate* geſtum.

V. *Dio de geſtis Alexandri parum edoctus.* In ſecunda parte Diſſert. Hypat. cap. 9. dixi, parum fauſta hujus belli initia in cauſa eſſe potuiſſe, *cur Dio de diſceſſu Alexandri, & adverſis ejus caſibus ex induſtria ſiluerit, ſi tamen ea ſciverit.* At inquit Noriſius in Epiſt. Conſulari pag. 145. illud primum optimi Hiſtorici fidei notam importare ; cùm præſertim Dio tot illatas Romanis clades memoraverit ; alterum, virum diligentiſſimum inſcitiæ incuſare, qui belli in Armenia geſti ſucceſſus ignoraverit, & quidem in Bithynia degens ; non in remotiori Græcia aut Italia, aut aliqua ultra Alpes Provincia. Verùm audiendus ipſemet Dio lib. 80. ubi de Alexandro agere incipit : *Ceterùm*, inquit, *ea quæ ſuprà dicta ſunt* (nempe de Severo, Caracalla, Macrino & Elagabalo) *ego quidem accuratè diligenterque conſcripſi, ut potui : quæ verò reſtant, mihi non licet perſequi pari diligentia, quòd Romæ non ſum diu commoratus, quódque in morbum incidi, cùm ex Aſia in Bithyniam veniſſem : ex qua profectus ſum ad Præfecturam Ægypti. Poſt ubi reverti in Italiam, penè rectà in Dalmatiam, atque inde in Pannoniam ſuperiorem miſſus ſum, &c. quibus ex rebus factum eſt, ut ea quæ ſequuntur, non potuerim pariter cum iis quæ præceſſerunt, intelligere. Dicam tamen in ſumma ea, quæ uſque ad ſecundum Conſulatum meum geſta ſunt,* eo nempe excluſo, licèt præſenti anno, quo Conſulatus ille geſtus, bellum acriùs arſerit. Ipſemet itaque Dio fatetur, ſe de iis, quæ Alexandro imperante uſque ad præſentem annum geſta ſunt, parum edoctum fuiſſe. Contrà Herodianus lib. 1. cap. 1. ait : *Quæ poſt Marci obitum per univerſam ætatem viſa mihi auditaque ſunt, nonnulla item in experiundo cognita, utpote in publicis officiis principalibuſque verſato, ea nunc conſcribenda ſuſcepi.* Quare Herodiano in rebus Alexandri ſtandum, perperamque ab aliquibus traditum, eum odiſſe Alexandrum ; cùm ex optimi Hiſtorici officio damna Romanis à Perſis illata diſſimulare non debuerit, & aliunde Alexandrum laudibus ſæpius exornarit. Certè ſi Alexander proſperè hoc bellum confeciſſet, Dio qui ſecundo Conſulatu, honore ſc. maximo, ab illo decoratus fuerat, grati animi teſtandi & Alexandri geſta deſcribendi præclaram adeo occaſionem non prætermiſiſſet.

VI. *Bellum Perſicum Alexandro parum fauſtum.* Inter Epiſtolas Reineſianas, in XLIX legitur : *Extat ipſius Alexandri epiſtola apud Lampridium, ubi de hac victoria magnificè glorĭatur. At Orientalium Libri, quorum narrationes vulgavit Wilelmus Schigkardus in Tarich, aliud loquuntur, Alexandrum Severum tot ſtragibus affectum eſſe, ut Perſis cederet terram Elam & Hamat, & Sinear, cum parte Ion, item terram Iſrael uſque ad Arabiam. Sic apud Livium & alios, exterorum ferè ſepulta eſt omnis memoria, quòd ad Romani nominis gloriam nihil admodum facerent,* &c. Ita Chriſtophorus Rupertus in Epiſtola ad Reineſium ſcripta pag. 438. Non mirum itaque ſi Herodianus hanc expeditionem Alexandro parum proſperam fuiſſe ſcripſerit ; & Dio, qui tantum huic Imperatori debebat, eam in literas mittere noluerit.

VII. *Hoc anno inchoatum.* Hoc porro anno Alexandrum hanc adverſus Perſas expeditionem ſuſcepiſſe, inſinuant Numiſmata, quæ apud Mediobarbum pag. 323. extant. In uno legitur : IMP. SEV. ALEXAND. AUG. in poſtica : P. M. TR. P. VIII. COS. III. P. P. S. C. viſiturque Solis gradientis typus, quæ figura Alexandri in Orientem proficiſcentis. Sumſit is Tribunitiam Pot. VIII, die ſexta Martii currentis anni, at non multò pòſt in Orientem ſe contulit. In altera poſtica Tribunitiâ Pot. VIII, & Conſulatu III

ſignata, cernuntur quadrigæ cum Imperatore, dextrâ ramum lauri, ſiniſtrâ ſignum militare tenente; in alia eodem Conſulatu eademque Tribunitia Poteſtate inſignita, repræſentantur quadrigæ, in quibus Imperator à Victoria coronatur, militibus hinc inde aſſiſtentibus; adeo verum eſt, Alexandrum hoc anno in armis fuiſſe. Primum autem bellum ab eo ſuſceptum, Perſicum fuit, ut jam oſtendimus.

VIII.
In Germanos pugnatum durante bello Perſico.

Secundò Lampridius in Alexandro cap. 56. de triumpho Alexandri anno ſequenti ducto loquens, hæc verba ex Actis Senatûs recitat: *Alexander Auguſte, Dii te ſervent. Perſice maxime, Dii te ſervent. Per te victoriam de Germanis ſperamus. Per te victoriam undique præſumimus.* Bellum per Legatos *in Illyrico*, & quidem *feliciter*, eodem ferè tempore, quo in Oriente pugnabatur, geſtum, ut ex Lampridio cap. 25. liquet: *Acta ſunt res feliciter & in Mauritania Tingitana per Furium Celſum, & in Illyrico per Varium Macrinum affinem ejus.* Illyrici autem veteris pars, Vindeliciæ ſc. & Noricum, inter Germaniæ Provincias numerabatur. Porro Mediobarbus profert Nummum Alexandri, in cujus poſtica habetur: P. M. TR. P. VIII. COS. III. P. P. DE GERMANIS. Cernuntur in ea quadrigæ triumphales, quibus inſidet Imperator, dextrâ ramum, ſiniſtrâ globum tenens, cui Victoria lauream imponit, & in medio laureæ: VIC. AUG. id eſt, *Victoria Auguſti.* Quæ de Germanis ſeu Illyricianis victoria, vel hoc anno, vel ſaltem ſequenti ante diem ſextum Martii, quo Tribunitiam Pot. IX iniit Alexander, à Romanis reportata, & quadrigæ illæ triumphales Imperatori decretæ. Imò Noriſius in Diſſert. de Nummo Diocletiani & Maximiani cap. 6. Nummum Alexandri majoris magnitudinis producit, in quo extant quadrigæ triumphales cum his verbis: P. M. TR. P. VIII. COS. III. P. P. S. C. quas quadrigas Alexandri victorias per Legatos obtentas, & de quibus Lampridius nuper citatus ſignificare, Noriſius rectè animadvertit. Ex utroque igitur Nummo manifeſtiſſimum fit, bellum Perſicum ante præſentem annum inchoatum; cùm expeditio Perſica, Lampridio, Herodiano & Dione teſtibus, prima Alexandri fuerit. Quare cùm hoc anno, quo Tribunitiam Pot. VIII Alexander ſuſcepit, bellum in Germania geſtum, annoque ſequenti continuatum ſit, apparet, Alexandrum hoc anno in Orientem profectum eſſe. Neque enim in triumpho anno ſequenti geſto acclamatum fuiſſet: *Per te victoriam de Germanis ſperamus*, niſi ante triumphum jam bellum Germanicum motum fuiſſet. In Germania verò hoc vel ſequentis anni initiò dimicatum eſſe, Nummus mox productus certiſſimum facit. Tertia ratio ab Alexandri triumpho deducta, ut anno ſequenti explicabimus.

IX.
Origenes Antiochiam à Mammæa vocatus.

Quartò, Euſebius in Hiſtoria lib. 6. cap. 21. ubi narravit, Philetum Epiſcopatum Antiochenum ſortitum eſſe, ait, Mammæam Imperatoris matrem Antiochiæ degentem, miſſo militari ſatellitio Origenem acceriſſe, *qui apud eam aliquandiu commoratus, ad conſuetas maturè ſedes regreſſus eſt.* Philetus currenti anno ante menſem Septembrem è vita migravit, ut anno ſuperiori dixi. Quare cùm Mammæa Alexandrum filium in Orientem comitata fuerit, quando is bellum Perſis intulit, ut prodit Herodianus lib. 6. cap. 5. profectio Alexandri in Orientem ultra præſentem annum differri non poteſt. Rectè igitur Hermannus Contractus in Chronico anno VIII Alexandri Imp. ſcribit: *Mammæa mater Alexandri Origenem celeberrimum doctorem ad ſe vocatum audire curavit.* Proximè Zebennum Antiochiæ Epiſcopum conſtitutum, dixerat Contractus, quia Phileti obitum malè collocat. Tangit Baronius Origenis Antiochiam adventum anno primo Heliogabali, Huetius verò lib. 1. Origenianorum cap. 2. num. 7. hanc Origenis peregrinationem initio Imperii Alexandri, quo & bellum Perſicum geſtum exiſtimat, conſignavit, Euſebii in Chronico auctoritate fretus. Verùm non Euſebius, ſed D. Hieronymus bellum Perſicum cum anno primo Alexandri copulavit. Verba enim, quæ in Chronico Euſebiano de hoc bello recitantur, in ultimo libro Eutropii, qui poſt Euſebii mortem ſuam Hiſtoriam ſcripſit, leguntur. Ex quo liquet, non tantùm ea verba Euſebii non eſſe; ſed etiam quæcumque ex Eutropio in illo Chronico habentur, à D. Hieronymo addita fuiſſe. Neque bellum Perſicum anno primo Alexandri geri potuit, cùm quarto Imperii ejus anno Artaxerxes, cum quo dimicavit Alexander, regnare cœperit. Præterea Herodianus lib. 6. cap. 4. de Alexandro in Orientem proficiſcente loquens ait, nullum fuiſſe, qui *ſiccis oculis abeuntem Alexandrum* aſpexerit, *Imperio tam multos annos modeſtiſſimè adminiſtrato*, per annos nempe ferè octo. Quare neque Alexander Imperii ſui initio cum Perſis pugnavit, neque tunc Origenes à *Mammæa* in Orientem vocatus. Cúmque ex Euſebio, cui quoad Origenianam Chronologiam omnis fides habenda, ut rectè eruditiſſimus Huetius, & ex Hermanno Contracto conſtet, Origenem currenti anno à *Mammæa* Antiochiam accerſitum, non dubium, quin Alexander præſenti anno in Orientem ſeſe contulerit. Certè poſt illum, bellum Perſicum non ſuſcepiſſe, ex dicendis anno ſequenti magis patebit.

Baron. ann. 220. num. VI.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5723. ☉15 C. ☽3. P. 18. APRIL.
INDICT. 8.
JESU CHRISTI 230. *ſecundùm Baronium* 232.
PONTIANI PAPÆ 1.
ALEXANDRI IMP. 9.

I.
Conſules.

COSS. *L. Virius Agricola*, & *Sex. Catius Clementinus*, ut oſtendit Noriſius in Epiſt. Conſulari ex Grutero pag. 300.

II.
Imperii Auguſtei Alexandri Decennalia.

Alexander Imperii Auguſtei Decennalia dedit, ut diſcimus ex Nummo hujus Imperatoris à Vaillantio V. C. tom. 1. recita-

to, in cujus averſa parte legitur: P. M. Tr. P. viiii. Cos. III. P. P. S. C. Viſitur Imperator ſedens, dextrâ Victoriolam tenens, coronatus à Victoria: ante Imperatorem ſtat figura militaris dextrâ clypeum gerens, in quo: Vot. x. Mediobarbus in Alexandro duos alios hujus Imperatoris Nummos eadem Tribunitia Poteſtate & Conſulatu inſignitos exhibet, in quibus etiam Vota Decennalia leguntur. Sed cùm Tribunitia Pot. ix die ſexta Martii currentis anni ab Alexandro ſuſcepta fuerit, hæc Decennalia in annum ſequentem malè à Mediobarbo dilata. Non bene etiam profectio Alexandri ad bellum Perſicum hoc anno ab eo collocata, & triumphus in annum cc xxxii dilatus; quando enim Imperatores ad eum ducendum Conſulatum non ſumebant, cum Decennalibus & id genus feſtis ea pompa ab eis exhiberi ſolita. In Diſſert. Hypatica pag. 228. Nummum Alexandri retuli decima Tribunitia Poteſtate notatum, in quo figura clypeum tenet cum his verbis, *Vot. X.* Sed hæc averſa pars alterius eſt Nummi, in qua Tribunitia Poteſtas non expreſſa, quod à me per inconſiderantiam factum.

III. *Alexandri Imperatoris triumphus.* Baron. an. 236. num 1.

Alexander poſt expeditionem Perſicam Romam venit, & *die ſeptimo Kalendas Octobres*, ut ex Actis publicis Lampridius in Alexandro cap. 56. habet, triumphavit. De quo triumpho capite ſequenti loquens, ait: *Pedes palatium conſcendit, cùm retro currus triumphalis à quatuor elephantis traheretur.* Noriſius in Diſſert. de Numiſmate Diocletiani & Maximiani cap. 6. hæc verba referens, inquit: *Hinc quadrigæ elephantorum Perſici triumphi propriæ evaſere, quòd iiſdem prior de Perſis triumphus Romæ ab Alexandro peractus ſit.* Verùm jam diu elephantorum quadrigæ triumpho Parthico deſtinatæ. Mediobarbus enim in Numiſmatis Neronis, tria hujus Imperatoris producit, in quorum priori legitur: Nero Claud. Divi F. Cæs. Aug. Ger. Imp. Tr. P. Cos. in averſa parte: Agripp. Aug. Divi Claud. Neronis Cæs. Mater. ex S. C. Cernuntur quadrigæ elephantorum, quibus Nero & Agrippina inſident, ſignum militare tenentes. Alia duo Numiſmata idem repræſentantia apud Mediobarbum videnda, in quibus cùm Nero Conſul dicatur, liquet, ea anno Chriſti lv cuſa, quo tempore *Vologeſes* Parthorum Rex, à Corbulone victus, ut videre eſt apud Tacitum lib. 13. ubi de rebus anno liv geſtis ait: *Sed apud Senatum omnia in majus celebrata ſunt, ſententiis eorum, qui ſupplicationes & diebus ſupplicationum veſtem Principi triumphalem, utque ovans Urbem iniret, effigieſque ejus pari magnitudine ac Martis Ultoris eodem in templo cenſuere,* inquit Tacitus lib. 13. ad annum Urbis dccc. vii, Chriſti ſc. liv, quo alter Nummus ejuſdem Neronis cuſus videtur, in cujus poſtica: Agripp. Aug. Divi Clau. Neronis Caes. Mater. Viſitur quadriga elephantorum, in qua Nero & Agrippina ſedent. Videndus is Nummus apud Mediobarbum, in quo cùm Nero non dicatur *Conſul*, apparet, eum anno liv percuſſum. Hanc itaque Taciti narrationem quatuor illa Neronis Numiſmata ſupplent, fidemque faciunt, Alexandrum primum ex Imperatoribus non fuiſſe, qui quadrigas elephantorum in victoriis de Parthis relatis adhibuerit; cùm Parthorum Regnum à Perſico diverſum non fuerit; ſed tantùm à Parthis ad Perſas per *Artaxerxem* tranſlatum ſit. Verùm quia præſtantiſſimum Opus de Numiſmatis Impp. à Mediobarbo elucubratum, quando Diſſertationem Hypaticam compoſui, lucem non viderat, in ea Noriſii opinionem ſecutus ſum. Denique etiam ſtante veteri Republica elephanti in triumphis adhibiti. Plinius lib. 7. cap. 43. *L. Metellus primus elephantos primo bello Punico duxit in triumpho.* Bello Pyrrhi confecto, Roma in triumpho ductos vidit elephantos; quod etiam Plinius lib. 8. cap. 6. ſcribit. Sed ait, *primus primo bello Punico.* Nec hoc extra dubium, inquit Reineſius epiſt. 48. nam habemus Nummum A. Calatini, qui de Pœnis ante Metellum triumphavit, in quo ab una parte quadrigæ elephantorum, quòd forſan Nummo elephanti inſculpti fuerint, ut victoriam de Pœnis indicarent. Sunt enim in Nummis elephantus, pegaſus, & ſcorpius, Africæ ſymbola, inquit ibidem Reineſius.

IV. *Quo anno Alexander triumphavit.*

Triumphum porro *Alexandri* ad præſentem annum pertinere certum videtur. Cùm enim bellum *æſtate*, ut teſtatur Herodianus anno elapſo citatus, geſtum ſit, & Alexander exeunte Septembri triumpharit, ut mox ex Lampridio docuimus, bellum & triumphum diverſis annis contigiſſe neceſſe eſt. Anno autem præterito Imperium Romanum in armis fuit, ideoque & bellum *Perſicum*, quod primùm Alexandri fuit, tunc factum, & hoc anno triumphus ductus. Præterea triumphus actus, vel cùm bellum *Germanicum* immineret, vel cùm jam inchoatum eſſet, ut ex Lampridii verbis anno elapſo citatis conſtat. Bellum autem in Germania, vel anno præterito, vel præſentis initio flagravit. His adde, inter bellum Perſicum, ultimumque Germanicum tres aut quatuor annos fluxiſſe, ut ex Herodiano infrà patebit. Quare cùm illud poſtremum Germanicum ad annum ducenteſimum triceſimum quartum revocandum ſit, triumphus Perſicus hoc anno exhibitus. Denique, cùm triumphi omnes poſt Veſpaſianum, vel ab Imperatoribus annis, quibus Conſulatum geſſere, vel ab iiſdem Decennalia & id genus feſta edentibus peracti fuerint, Alexandri triumphus in alium, quàm in præſentem annum conferri non poteſt, neque uſque ad ejus Quindecennalia differri. Herodianus lib. 6. cap. 6. narrato bello Perſico ſcribit: *Triennio mox aut quadriennio Barbari nequaquam arma reſumſerunt. Quibus intellectis, Alexander Antiochiæ commorabatur, hilariorque jam & liberior, laxatis bellorum curis, urbis ejus deliciis indulgebat.* Quibus ex verbis liquet primò, Alexandrum poſt triumphum Româ Antiochiam rediiſſe: ſecundò, ibidem per tres aut quatuor annos ante bellum Germanicum egiſſe: tertiò, communem ſenten-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tiam, quæ bellum Perſicum in poſtremos Alexandri annos conjicit, Herodiano adverſari, qui tradit, Perſas poſt bellum triennio aut quadriennio quieviſſe. Si enim poſtquam tredecim annos Alexander regnavit, bellum in Perſas moviſſet, ut locus corruptus Herodiani habet, eo confecto, Antiochiæ Alexander per tres aut quatuor annos minimè commorari potuiſſet. Nec eſt quòd quis dicat, triumphum anno præcedenti, quo Alexander Imperii Cæſarei Decennalia dedit, agi potuiſſe. Nam Dio geſta Alexandri per ſumma capita referens uſque ad initium anni Chriſti CCXXIX, quo Opus ſuum abſolvit, profectionis Alexandri in Orientem nullam mentionem facit, ideoque anno præcedenti Alexander non triumphavit; cùm inter bellum *æſtate* geſtum, & triumphum die viceſima quinta Septembris ductum annus ferè integer intercedat, & Alexander menſe Martio anni præcedentis in Campania adhuc fuerit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5724. ☉ 16 B. ☽ 4. P. 3. APRIL.
INDICT. 9.
JESU CHRISTI 231. *ſecundùm Baronium* 233.
PONTIANI PAPÆ 2.
ALEXANDRI IMP. 10.

I. *Conſules.* COSS. *Pompeianus*, & *Pelignianus*, ut Auctor Chronici Alexandrini, Auctor Chronici Damaſi, Anonymus Cuſpiniani, & varia reſcripta Codicis Juſtinianei habent. Baronius cum Onuphrio & Caſſiodoro, quem Marianus Scotus in Chronico ſequitur, Pompeianum & Felicianum edit; ſed Codex Juſtinianeus *Pelignianum* profitendum evincit, licèt in eo per errorem *Pelignus* dicatur. *Pelignianum* etiam profitentur Faſti Græci Theonis à Dodwello nuper è tenebris eruti.

II. *Urbani PP. obitus.* Baron. num. 1, 11 & ſeqq. Ad num. I. *Urbanus* Papa anno ducenteſimo triceſimo Agricolæ & Clementini Conſulatu notato mortalitatem explevit. In Chronico enim Damaſi legitur: *Urbanus annos octo, menſes undecim, dies duodecim. Fuit temporibus Alexandri à Conſulatu Maximi & Æliani.* Quæ verba etiam Cuſpinianus habet ex eodem libro Damaſi deſumta. *Acta*, inquit Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum Romanorum, diem martyrii indicant, *tertium poſt* XII Kalendas, *id eſt*, IX Kalendas Junii, *ac ſepultum VIII Kalendas; idque in Cœmeterio Prætextati viâ Appiâ. Verùm hinc poſtea in oppoſitam prorſus Urbis partem tranſlatum fuiſſe corpus videtur; cùm in Hieronymiano Martyrologio ad XII Kalend. Junii ſic legatur:* Viâ Nomentanâ milliario octavo Natalis Urbani Epiſcopi. Ita Papebrocius, qui ex eo Martyrologii Hieronymiani loco intelligere poterat, in eo plerumque mentionem fieri Tranſlationum SS. Pontificum, aliudque arcanum detegere, eas nempe ſæpe conſimili die factas, quo ſepulturæ eorum corpora mandata fuerant. Nam Urbanus die XXV Maii ſepultus in Cœmeterio Prætextati, quod apud Baronium inter Cœmeteria Romana octavum numero eſt; indeque poſtea ſimili die, anno incerto, tranſlatus ad quintum Cœmeterium *ad Nymphas* dictum viâ Nomentanâ, ſeptimo ab Urbe lapide. Ex his liquet, errorem in Chronicon Damaſi irrepſiſſe, & Urbanum annos octo, menſes undecim ac dies duodecim ſedere non potuiſſe; cùm die viceſima quarta menſis Maii anni ducenteſimi triceſimi ad cæleſtem patriam advolarit, & anno ducenteſimo viceſimo ſecundo menſe Octobri Pontificatum inierit. Sedit itaque tantùm annos ſeptem & aliquot menſes ac dies. Papebrocius laudatus, ut totidem annos Urbano attribuat, quot in Chronico Damaſi per errorem leguntur, ſcribit *Calliſtum*, dum in carcere eſſet, *Urbanum* ſuum Vicarium conſtituiſſe; ſed ſi hoc eſſet, non magis Urbanus, quàm Calliſtus mortem tunc vitaſſet, & aliquod veſtigium rei tanti momenti, ſæpiuſque iteratæ extaret. Unica Decretalis *Urbano* attribuitur, eaque ad omnes Chriſtianos ſcripta; ſed cùm ea conſarcinata ſit ex teſtimoniis Pomerii, Iſidori, Eucherii, aliorumque, non poteſt non eſſe ſuppoſititia. Poſt Urbani mortem Sedes ceſſavit *dies triginta*, ut habet Auctor auctioris Chronici veterum Pontificum, idque accuratè, ut in Pontiani morte videbimus. Quare Pontianus Urbano ſucceſſit die viceſima ſecunda menſis Junii, in quam anno CCXXX feria tertia incidebat.

Tranſlationes SS. Pontificum eo die factæ, quo ipſi aliàs ſepulti.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5725. ☉ 17 AG. ☽ 5. P. 25. MART.
INDICT. 10.
JESU CHRISTI 232. *ſecundùm Baronium* 234.
PONTIANI PAPÆ 3.
ALEXANDRI IMP. 11.

COSS. *Lupus* & *Maximus*, ex variis reſcriptis Codicis Juſtinianei. I. *Conſules.*

Ad num. I. Mors Demetrii Epiſcopi Alexandrini, & initium Heraclæ ad annum CCXXX pertinent, ex Chronico Euſebii tam juxta editionem Pontaci, quàm Scaligeri. Marianus Scotus Heraclæ initium etiam copulat cum anni illius Conſulibus. II. *Demetrii Epiſc. Alex. obitus.* Baron. num. 1.

Eutychius Patriarcha Alexandrinus ſcribit, à Marco uſque ad Demetrium totam Ægyptiacam Eccleſiam unicum Epiſcopum habuiſſe, quam ſententiam *Dallæus*, vir è ſecta Proteſtantium, ambabus manibus amplexus eſt. Sed, ut notavit *Pearſonius* Epiſcopus Ceſtrienſis ejuſdem ritûs, in prima parte Vindiciarum S. Ignatii cap. ultimo, hiſtoriola illa, in qua etiam dicitur, tres Epiſcopos à Demetrio primùm in Ægypto creatos fuiſſe, minimè fide digna; non ſolùm quia *Eutychius* decimi ſeculi Scriptor Alexandrinæ Eccleſiæ Hiſtoriam parum diligenter pertexuit; ſed etiam quia contrarium ex optimis Auctoribus colligitur. Hadrianus Imperator epiſtolam ad *Servianum* Conſulem ſcripſit, ideoque diu antequam III. *Plures in Ægypto ante Demetrium Epiſcopi erant.*

Demetrius Eccleſiæ Alexandrinæ præficeretur, in qua ait: *Illi qui Serapin colunt, Chriſtiani ſunt: & devoti ſunt Serapi, qui ſe Chriſti* EPISCOPOS *dicunt*. Refertur ea epiſtola à Vopiſco in Vita Probi Imperatoris. Certè illa de tribus Epiſcopis à Demetrio primò in Ægypto creatis traditio Græcis atque Latinis ignota fuit: traditio verò illi contraria de Epiſcopis à S. Marco in Ægyptiaca Diœceſi inſtitutis, & Græcis & Latinis atque Arabibus innotuit, ut videre eſt apud Simeonem Metaphraſtem in Vita S. Marci, & Synaxario Græco, ubi de S. Marco. Rhabanus Maurus eadem cum Metaphraſte tradit, ut & Norkerus, Alfridus Cantuarienſis Epiſcopus, & Ordericus Vitalis. Inter Arabas Martyrologium Melchitarum ait, Marcum in *Barcam* profectum eſſe, & Eccleſiis conſtituiſſe Epiſcopos. Et Severus de Vitis Patriarcharum Alexandrinorum apud Ecchelenſem inquit, *Marcum* Pentapolim perrexiſſe, & Epiſcopos ordinaſſe. Qua de re plura *Pearſonius* laudatus.

IV. *Origenes Ammonii diſcipulus.* Ad num. II. Baronius mirari ſe dicit, qui audire Ammonium potuerit Origenes, ipſo ferè ætate ſuppar, & aliorum ipſe inſtitutioni ante annum ætatis triceſimum præfectus. Verùm iis temporibus jam grandes natu viros Scholas frequentare ſolitos docet doctiſſimus Huetius lib. 1. Origenian. cap. 2. Porphyrius in Vita Plotini aſſerit, ad *Plotinum* Romæ publicè docentem aliquando acceſſiſſe Origenem quemdam, de quo infrà agetur, eoque conſpecto, victum pudore Plotinum finem dicendi feciſſe. Ipſemet *Plotinus*, ut dicit Spondanus, eundem Ammonium annos natum viginti octo, audiit annos undecim. Quare poſt Porphyrii ab Euſebio lib. 6. cap. 19. citati, Euſebii ibidem, Suidæ in Origene, & Nicephori teſtimonium, Origenem Ammonium audiiſſe in dubium non revocandum. Hierocles in Libro de Providentia, hunc Ammonium, θεοδίδακτον appellat, eumque primum Platonicæ & Ariſtotelicæ Philoſophiæ concordiam ait hominibus oſtendiſſe: idque diſcipulis ſuis Platoni atque Origeni aperuiſſe, ut refertur in Bibliotheca Photii. A D. Hieronymo inter Scriptores Eccleſiaſticos *Ammonius* recenſetur. Ejus hodie nihil extat: nam Commentarii in Ariſtotelem, alterius ſunt Ammonii Hermiæ filii, qui Anaſtaſii temporibus Procli auditor fuit.

Baron. num. III.

Olymp. 253.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5726. ☉ 18 F. ☽ 6. P. 14. APRIL. INDICT. 11.
JESU CHRISTI 233. *ſecundùm Baronium* 235.
PONTIANI PAPÆ 4.
ALEXANDRI IMP. 12.

I. *Conſules.* COss. *Maximus & Paternus*. Prior ſine nota numerali ab Anonymo Cuſpinianeo, Theone, Heraclio, & Caſſiodoro effertur.

Dum Alexander Antiochiæ commorabatur, accepit, Germanos Rhenum Danubiumque tranſgreſſos, Romanos in fines hoſtiliter intraſſe, & *opus eſſe ipſius præſentiâ, totoque quantum ſecum exercitum haberet*, inquit Herodianus lib. 6. cap. 7. qui ſubdit: *Confectoque celeriter itinere, conſtitit ad Rheni ripas, atque ibi res ad bellum neceſſarias comparabat*. Verùm, Alexandrum Antiochiâ Romam veniſſe, indeque adverſus Germanos moviſſe, ex iis, quæ anno ſequenti dicemus, conſtabit. Extat apud Mediobarbum Alexandri Nummus in poſtica inſcriptus: P. M. TR. P. XII. COS. III. P. P. S. C. in quo cernitur Solis nudi typus. Hinc apparet, Alexandrum, qui menſe Martio currentis anni Tribunitiam Pot. XII iniit, Antiochiâ Romam hoc anno profectum eſſe. Quem Nummum de hac profectione intelligendum, deducitur ex ſimili, anno ſequenti percuſſo, ibique referendo.

II. *Alexander Imp. adverſus Germanos movet.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5727. ☉ 19 E. ☽ 7. P. 6. APRIL. INDICT. 12.
JESU CHRISTI 234. *ſecundùm Baronium* 236.
PONTIANI PAPÆ 5.
ALEXANDRI IMP. 13.

COss. *Maximus II, & C. Cælius Urbanus*. Caſſiodorus, Idacius, Theon, Heraclius, Proſper in auctiori Chronico, Victorius, & Auctor Fragmenti Conſularis à Bucherio publicati, & quædam Leges Codicis Juſtinianei *Maximum* cum numerali nota profitentur. Sed neutiquam exiſtimandum, illum eundem eſſe cum Maximo anno antecedenti Conſule: neque enim iteratus Conſulatus duobus conſequentibus annis, aliis quàm Auguſtis aut Cæſaribus tribuebatur. *Urbanus* in Inſcriptione apud Reineſium pag. 407. vocatur *C. Cælius*. I. *Conſules.*

Alexander Quindecennalia hoc anno exhibuit, ſive Imperii Cæſarei, ſive Imperii Auguſtei, quorum indicium iteratus Maximi Conſulatus. II. *Quindecennalia Alexandri Imp.*

Ad num. II. Bellum *Perſicum* longè ante præſentem annum confectum, ut ſuprà demonſtravi. Quare pro certo habendum, locum Herodiani, quo dicitur anno XIII Alexandri hoc bellum geſtum, corruptum eſſe. Qua de re ſuprà. Alexander itaque, qui poſt bellum Perſicum triennio aut quadriennio Antiochiæ commoratus eſt, cùm accepiſſet, Germanos oppugnare jam exercitus Romanos ripis Danubii Rhenique inſidentes, Romam venit, ut anno ſuperiori oſtendimus. Inde *ad Germanicum bellum profectus eſt, deducentibus cunctis per centum & quinquaginta millia*, inquit Lampridius in Alexandro cap. 59. Quibus ex verbis manifeſtum fit, Alexandrum Antiochiâ in Germaniam rectà non proceſſiſſe, ſed ex ea urbe Romam veniſſe, ex qua præſenti anno ad bellum Germanicum profectum indicant Numiſmata duo Alexandri apud Mediobarbum, in quorum poſtica legitur: P. M. TR. P. XIII. COS. III. P. P. Viſitur III. *Belli Germanici initium.*

Solis gradientis typus ; in altero eadem Tribunitia Poteſtate ſignato extat Solis nudi typus. Quare præſenti anno, quo Tribunitiam Pot. XIII inchoavit Alexander, bellum Germanicum conſignandum, quod *æſtate* geſtum inſinuat Herodianus lib. 6. cap. 7. ubi de adventu Alexandri ad Rheni ripas loquens ait : *Pontemque primò, junctis inter ſe navigiis, fecit in Rheno flumine, ut per eum exercitus transgrederetur: quippe hi maximi fluminum ſub Septemtrione feruntur, Rhenus ac Danubius. Atque æſtate quidem navigabiles, altiſſimo latiſſimoque alveo, per hiemem dein concreti gelu, camporum in morem perequitantur.* Quæ in eo bello geſta Herodianus citatus deſcribit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5728. ☉ 20 D. ☽ 8. P. 19. APRIL. INDICT. 13.
JESU CHRISTI 235. *ſecundùm Baronium* 237.
ANTERI PAPÆ
MAXIMINI IMP. I.

I. *Conſules.* COSS. *Severus & Quinctianus.*

II. *Alexander Imp. occiditur.* Baron. num. 1 & ſeqq. Ad num. I. Alexander hoc anno Maximini juſſu occiſus. Lampridius in Alexandro cap. 60. ait : *Imperavit annis XIII, diebus novem. Vixit annis viginti novem, menſibus tribus, diebus ſeptem.* Eutropius verò habet : *Periit XIII Imperii anno & die VIII*, quia nempe diem emortualem, quem Lampridius numerat, excludit. Alexander itaque die decima quarta Martii occiſus, non verò decima octava, ut perperam in Annalibus. Si enim à die ſexta Martii anni CCXXII, quo Imperium ſuſcepit, ad diem XIV Martii hujus anni numeres, annos illos & dies colliges. In annis, menſibus, & diebus ejus vitæ à Lampridio memoratis errorem detego, hactenus non animadverſum. Ait Lampridius in Alexandro cap. 5. Alexandrum Severum eo die natum, quo Alexander M. exceſſit è vita, quod non ſemel poſtea repetit. Quæ verba Salmaſio in Notis ad Lampridium, Crombacho in Hiſtoria Urſulinarum, in qua integrum caput de utriuſque Alexandri emortuali die habet, aliiſque Viris eruditis crucem fixere, dum diem mortis Alexandri M. & Alexandri Severi natalem in concordiam adducere conati ſunt. Obiit Alexander M. die viceſimo octavo menſis Dæſii, ut inquit Plutarchus, id eſt, die viceſima ſecunda menſis Maii. Qui tamen dies Alexandri Severi natalis eſſe non poteſt juxta locum Lampridii citatum. Scaliger in Animadverſionibus Euſeb. ad num. 2242. ait : *Non puto tam eruditos illos Syrophœnicas fuiſſe, ut diem obitûs Alexandri tenerent, quem docti ignorant.* Verùm credibile non eſt, Lampridium in die natali Alexandri Severi memorando hallucinatum eſſe. Nam Mediobarbus hujus Imperatoris Nummum producit, in quo legitur : ALEXANDER. MAG. Viſitur caput Severi Alexandri leoninâ pelle tectum. In alio legitur, ALEXANDER MAGNUS MACEDON. cum eodem typo. Quare Lampridius ſine dubio ſic intelligendus. Alexander Severus in Syria natus eſt *Kalendis Octobris*, ut diſcimus ex veteri Kalendario ab Herwarto, Bucherio & Lambecio publicato, in quo ad Kalendas Octobris habetur : N. ALEXANDRI, id eſt, *Natale Alexandri.* Suriani annos Alexandreos, quos à morte Philippi & Alexandri vocant, à Kalendis Octobris incipiunt, noſtro etiam tempore, ii ſaltem qui in Syria Chriſtianam Religionem profitentur, non quòd ea die Alexander M. obierit, ſed quòd eis annum ab illo die placuit auſpicari, & quidem duodecim annis poſt mortem Alexandri M. Ex quo tandem myſterium innoteſcit, conſtatque Alexandrum Severum anno Alexandreo quingenteſimo decimo ſeptimo, qui Kalendis Octobris anni CCV inchoatur, primo illius anni Alexandrei, qui ab obitu Alexandri dicitur, die natum eſſe, & Lampridium populari opinione deceptum exiſtimaſſe, diem primam menſis Octobris, Alexandri Severi natalem, fuiſſe diem obitualem Alexandri M. quòd annus, qui ab ejus obitu dicitur, ab eo die exordium ſumeret. Quare error, qui irrepſit in laudata ejus verba, corrigendus, legendumque : *Vixit annis viginti novem, menſibus quinque, diebus quatuordecim* ; cùm enim de die ejus natali conſtet, quemadmodum & de die ejus emortuali, dici non poteſt, eum ſuper annos viginti novem vixiſſe menſibus tribus, & diebus ſeptem, ut apud Lampridium per errorem legitur. Mediobarbus in Numiſmatis Impp. Alexandri Severi mortem uſque ad menſem circiter Octobrem differt, quòd in Codice Juſtinianeo *L. 2. De off. Prætor.* data dicatur ab Imperatore Alexandro *Idibus Aug. iiſdem Coſſ.* ſc. Severo & Quinctiano. Sed eam ſubſcriptionem mendoſam certum, cùm præter mox dicta Maximinum jam menſe Martio hujus anni imperaſſe, in morte ejus viſuri ſimus. Loco itaque *Idibus Aug.* legendum, *Idibus Januarii*, vel *Idibus Februarii.*

Ad num. III. Firmilianus Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus, in epiſtola ad Cyprianum in Annalibus recitata, loquens de Maximini perſecutione & de Fidelibus huc atque illuc fugientibus, ait : *Erat tranſeundi facultas, eò quòd perſecutio illa non per totum mundum, ſed localis fuiſſet.* Eam verò in Cappadocia arſiſſe, docet ibidem Firmilianus. Quoad Africam, cùm Pontius in Vita S. Cypriani teſtetur, ante *Cyprianum* nullum Epiſcopum in Africa ſediſſe, qui ad paſſionem veniſſe memoretur, Maximini perſecutionem adverſus Antiſtites præcipuè decretam, in Africam tranſiſſe non arbitror ; præſertim cùm Optatus lib. 3. contra Parmenianum, Decianæ tantùm & Diocletianeæ perſecutionis in Africa excitatæ meminerit, & de Deciana ſcribat : *Prima fuit ut leo. Hæc erat perſecutio ſub Decio & Valeriano.* Euſebius lib. 6. cap. 28. de hac perſecutione verba faciens ſcribit : *Quo tempore Origenes librum de Martyrio compoſuit, quem Ambroſio & Protocteto Cæſarienſis Eccleſiæ Presbytero dedicavit.* Græcè III. *Perſecutio Maximini localis fuit.* Baron. num. V & ſeqq.

Græcè & Latinè liber ille Origenis *de Exhortatione ad martyrium* à paucis annis Baſileæ prodiit, ex quo diſcimus, utrumque *in Germania* carceri vexatum fuiſſe, eoque tempore Origenem ad eos librum illum miſiſſe. Sed ubi urbs *Germania* dicta, ſita fuerit, in obſcuro verſatur. Monuit me Toinardus V. C. Procopium in Hiſtoria Vandalica lib. 1. cap. 11. ſcribere, Beliſarium ab urbe Germania originem duxiſſe. Hæc Procopii verba: *Origo Beliſario ex illa Germania, quæ Thraeas Illyrioſque interjacet.* Quare exiſtimo, Ambroſium & Protoctetum ibidem detentos fuiſſe, ideoque & Maximini perſecutionem per Thraciam & Illyricum flagraſſe veroſimile. Eam enim in Italia graſſatam S. Pontiani martyrium demonſtrat.

IV. *Per annos circiter tres duravit.*

Dodwellus in Diſſert. XI Cyprianica de Paucitate Martyrum num. 2, ut oſtendat, paucos Maximino imperante Martyres fuiſſe, dicit, aberraſſe à ſcopo vulgus Chronologorum, qui ante menſem Auguſtum Natalem Maximini conſtituant, quòd Lex 2. Cod. Juſtinianei *De off. Prætor.* data dicatur ab Imperatore Alexandro *Idibus Aug. iiſdem Coſ.* Severo nempe & Quintiano, qui præſenti anno nomen dedére, indeque infert, vix potuiſſe occîdi hoc anno Hippolytum Portuenſem Epiſcopum die XIII Auguſti, quo in Martyrologio Romano aliiſque colitur: imò neque Auguſto menſe anni inſequentis, quo ſuſpicatur, nullam Romæ Maximini fuiſſe poteſtatem, ſubdens, duos Gordianos eo anno in Africa dictos Imperatores, annoque CCXXXVII utrumque periiſſe. *Quæ ſi vera*, inquit, *eſſe concedantur, jam intelligimus, quàm brevis illa neceſſariò fuerit Maximini perſecutio. Intelligemus præterea, cur nulla fuerit in Africa, quia defecerunt ibi Gordiani.* Sed cùm nulla ex iis eidem concedi poſſint, liquet, hanc perſecutionem ſaltem per biennium duraſſe. Ex dictis enim conſtat, hujus Legis ſubſcriptionem mendoſam eſſe, Maximinum menſe Martio Imperium iniiſſe, & Hippolytum die XIII menſis Auguſti præſentis anni ad Deum migraſſe. Ex iis verò quæ ſuo loco dicentur, liquebit, Gordianos anno tantùm CCXXXVII in Africa dictos Imperatores, eodemque anno peremtos eſſe. Ceteras Viri eruditiſſimi conjecturas, quia dubiis incertiſque fundamentis fultas, non moror, eâ exceptâ quæ tam ex Oroſio lib. 7. deducitur, ubi ait, in Sacerdotes & Clericos hanc perſecutionem excitatam eſſe, quàm ex eo quòd ea localis fuerit, quia utrumque verum. Inde enim conſequitur, minorem Martyrum numerum feciſſe, quàm ſi perſecutio in omnes Chriſtianos decreta fuiſſet, ac ubique exercita.

V. *Martyrium Pontiani PP.*

Baron. num. X.

Ad num. VI. S. Pontiani Papæ martyrium huic anno à Baronio rectè illigatum. In Chronico enim Damaſi legitur: *Pontianus annos quinque, menſes duos, dies ſeptem. Fuit temporibus Alexandri, à Conſulatu Pompeiani & Pelogniani. Eo tempore Pontianus Epiſcopus, & Hippolytus Presbyter exules ſunt deportati in inſulam nocivam Sardiniam, Severo & Quinctiano Coſ. In eadem inſula diſcinctus eſt IV Kal. Octobris, & loco ejus ordinatus eſt Anteros XI Kalend. Decemb. Conſulibus ſuprà ſcriptis.* Anaſtaſius ſeu Auctor Libri Pontificalis, qui Chronicon Damaſi legerat, loco horum verborum, *diſcinctus eſt*, habet, *defunctus eſt*, ſed perperam, cùm in auctiori Chronico veterum Pontificum dicatur, Pontianum *defunctum III Kalend. Novembris*, & Cuſpinianus in Faſtis locum Damaſi integrum referat, niſi quòd loco, *menſes II*, habeat, *menſes III*, & quidem rectè, cùm Pontianus die viceſima ſecunda menſis Junii anni CCXXX ordinatus fuerit, & die XXVIII menſis Septemb. currentis anni terræ mandatus. Sedit itaque Pontianus annos quinque, menſes tres, & dies ſeptem, à die nempe viceſima ſecunda Junii anni ducenteſimi triceſimi ad diem viceſimum octavum Septembris currentis Chriſti anni, quo exul in Sardinia inſula abdicavit, quam abdicationem hæc verba exprimunt, *diſcinctus eſt IV Kal. Octobris.* Papebrocius V. C. in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum Romanorum, arbitratur, Pontianum anno CCXXX Urbani Vicarium ordinatum eſſe, ei poſtea anno CCXXXI ſucceſſiſſe, eamque ob rem ſediſſe annos quinque, menſes duos, dies quatuor, quos ponit pro diebus VII, ut Pontianus in Dominicâ ordinari potuerit. Sed tam modus ſupputandi Conſulatus in Chronico Damaſi memoratos, quàm Vicariatus & Inſtitutiones Romanorum Pontificum diebus Dominicis in prioribus Eccleſiæ ſeculis, nullum fundamentum habent, & ex ordinatione Anteri, qui Pontiano ſucceſſit, *XI Kal. Decemb.* ut habet Chronicon Damaſi, hoc anno peracta, ea opinio de ordinationibus Pontificum diebus Dominicis, evertitur. Nam dies XI Kalend. Decembris, ſeu dies viceſimus primus Novembris hoc anno in Sabbatum incidit.

VI. *Quo die Pontianus morte affectus.*

In Martyrologio Hieronymiano ad XIII menſis Auguſti habetur: *Romæ Natale SS. Ypolyti Martyris, Pontiani Epiſcopi, Luciani, Cornelii, Caſſiani, Caleſti, cum ſociis eorum.* Papebrocius laudatus ea verba referens ait, ad Pontianum Pontificem Romanum ſpectare; quod verum eſſe non dubito, non quòd in eo Hieronymi Martyrologio dies obitûs Romanorum Pontificum, non verò Tranſlationis aut ſepulturæ ſemper memorentur, ſed quia ei Anterus die XXI Novembris ſucceſſit. Cùm enim Pontianus in Sardinia die XIX ejuſdem menſis obierit, mors ejus intra biduum Romæ ſciri non potuit, ſi contigit XIII Kalend. Decemb. quo in Martyrologio Romano colitur, ubi tamen perperam dicitur ſub Alexandro paſſus. In *Pontiano* ſecunda pars Chronici Damaſi inchoatur, quæ nonniſi in *Liberio* finitur. In ea diſtinctiùs, quàm in priori, initium & finis Romanorum Pontificum annotantur; cùm Conſules, ſub quibus Pontificatus finitur, tam in fine unius, quàm in principio alterius repetantur. Ex quo, Auctorem hujus ſecundæ partis diverſum ab eo, qui priorem compoſuit, manifeſtè deducitur. Pontiano duæ Decretales adſcribuntur, quæ cùm ex Gregorii M. & Sixti præſertim laciniis conſutæ ſint, Viris

doctis ſuppoſititiæ reputantur.

VII. *Maximinus Germanicus appellatus.* Baron. num. XIV.

Poſt Alexandri Imp. mortem *Maximinus* bellum Germanis intulit, & hoſtilem ingreſſus agrum, diu nemine, qui reſiſteret, invento, (quippe omnes abſceſſerant Barbari) regionem illorum depopulabatur, *maturis jam ſegetibus*, vicoſque omnes incendendos, diripiendoſque militibus tradebat, inquit Herodianus lib. 7. cap. 2. Qui addit, pugnâ poſtea initâ, nullum penè Barbarorum fuiſſe reliquum, & *inſtante hieme in Pannoniam* Maximinum reverſum eſſe. Hinc in Nummis apud Mediobarbum *Germanicus* appellatus, quos licèt Mediobarbus cum anno ſequenti alliget, non dubito tamen, quin præſenti cuſi fuerint, eodemque, ut rectè Baronius, Maximinus propter eam victoriam reportatam *Germanicus* nuncupatus. De hac etiam victoria Germanica Capitolinus in Maximinis duobus cap. 12. legendus.

VIII. *Filium Cæſarem appellat.* Baron. ibid.

Idem Capitolinus cap. 8. ait: *Maximinus primùm è corpore militari, & nondum Senator, ſine decreto Senatûs, Auguſtus ab exercitu appellatus eſt, filio ſibimet in participatum dato.* Ubi adverbium *primùm* non refertur ad hæc verba, *nondum Senator*; cùm nec Macrinus ante Imperium Senator fuerit. Tum in Maximino juniori cap. 3. inquit, Maximinum *filium ſuum appellaſſe Imperatorem*, & in epiſtola, quam refert, ipſe Maximinus ait: *Maximinum meum Imperatorem appellari permiſi*; additque capite inſequenti Capitolinus, Aruſpices viſo quodam prodigio dixiſſe, *duos Imperatores non diuturnos ex una domo, iiſdem nominibus futuros.* Ubi Imperatoris nomen aliud non deſignat, quàm Cæſaris appellationem. Ad hæc, cap. 17. de Maximino ſcribit: *Cauſa iracundiæ contra filium hæc fuit, quòd eum Romam ire juſſerat, cùm primùm Imperator factus eſt; & iſte nimio amore patris neglexerat.* Denique Herodianus lib. 8. cap. 4. de Aquileienſi obſidione loquens dicit, Maximinum filium ſuum Cæſarem creaſſe, & in Nummis Caii Julii Veri Maximi Maximini filii, Cæſaris tantùm nomen legitur. Imò Sponius pag. 187. refert Inſcriptionem, quæ legitur in Lapide milliari extante apud Forum Sebuſianorum in Gallia, in qua habetur:

IMP. CAES. C.
JUL. VERO MA
XIMINO PIO FEL
AUG. GERMANICO
M. DAC. M. SAR. MAX.
PONT. M. TR. POT. III
COS. PROCOS P. P. O. M. PR.
N. ET G. JUL. VERO
MAXIMO GER. M.
NOBIL. CAES. AUG. N.
FILIO A. P. SEG.
L. III.

Sed loco *G. Jul.* legendum, *C. Jul.* Vides, anno tertio Maximini Auguſti Caium Julium Maximum ejus filium, vocari Germanicum Maximum nobiliſſimum Cæſarem, ſed Auguſti noſtri filium, non verò Auguſtum. Quare duo Nummi Latini Julii Veri Maximi à Goltzio recitati, in quibus *Auguſtus* dicitur, videntur ſuppoſititii. Ipſemet enim Capitolinus in Maximinis duobus cap. 22. loquens de obſidione Aquileienſi, in qua Maximinus periit, ait: *Inter hæc Maximinus cum filio ſuo adoleſcente, quem Cæſarem appellaverat, circumvenire muros, &c.* Quare Maximini filius nunquam Auguſtus fuit, dictus tamen à Capitolino Imperator eſt, quia per hæc tempora Cæſares paſſim Imperatores appellati, ut magis anno ſequenti patebit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ
5729. ☉ 21 CB. ☽ 9. P. 10. APRIL.
INDICT. 14.
JESU CHRISTI 236. *ſecundùm Baronium* 238.
FABIANI PAPÆ 1.
MAXIMINI IMP. 2.

COSS. *C. Julius Verus Maximinus Aug. & Julius Africanus.* Conſulatus Maximini ſecundùm priorem Conſulatuum Cæſareorum regulam. I. *Conſules.*

II. *Obitus Anteri Papæ.* Baron. num. 1 & ſeqq.

Ad num. I. In Chronico Damaſi legitur: *Anteros menſe uno, diebus decem. Dormit III Nonas Januarii, Maximino & Africano Conſulibus*, præſenti ſc. anno. Ordinatus fuerat anno præcedenti die viceſima prima menſis Novembris, & currenti è vivis exceſſit, die tertio Januarii. Quare error irrepſit in præfatum locum, quemadmodum & in auctius Chronicon veterum Pontificum, in quo dicitur Anteros ſediſſe *annos undecim, menſem unum, dies duodecim.* Sedit enim menſem unum, & dies tredecim, die emortuali excluſo. Anaſtaſius Antero etiam annum tribuit præter illum menſem & dies, ſed annus ille ut temere adjectus, omnino expungendus. *Niſi opinari quis velit*, inquit Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum veterum Pontificum, *Anterum jam olim fuiſſe ordinatum Epiſcopum Vicarium Urbani Papæ; ſed priuſquam hic caperetur, captum etiam aut relegatum fuiſſe, unde factum ſit, ut ejus loco ordinaretur Pontianus primùm Vicarius, deinde Pontifex.* Sed Vicariatus illi, utpote ex numerorum errore orti, ſuppoſititii, ut ſæpe diximus; quod hîc eò magis exiſtimandum, quòd prorſus incredibile videatur, Anteron ab Urbano Vicarium creatum fuiſſe, huicque poſtea non ipſum, ſed Pontianum ſucceſſiſſe.

III. *Decretalis Anteri.*

Epiſtola unica Antero attribuitur, ſcripta ad Epiſcopos Provinciarum Bæticæ ac Toletanæ de mutatione Epiſcoporum, de qua Antonius Auguſtinus cap. 62. Hadriani ait, ſuſpectum nomen eſſe Toletanæ Provinciæ, cùm illis temporibus Toletum oppidum fuerit minùs nobile. Præterea incipit cum verbis Siricii Papæ epiſt. 2. *Optatum, fratres chariſſimi, ſemper dilectionis & pacis veſtræ*, &c. continetque plura teſtimonia ex Ennodio, & inſignem locum ex D. Hieronymo, qui incipit: *Habeant omnes ſimplicitatem columbæ.*

IV. *Fabianus ſuccedit Antero.*

Ad num. III. Poſt *Anteri* mortem fuit Interpontificium aliquot dierum. In auctiori Chronico Pontificum dicitur, ceſſaſſe

Baron. num. VI.

Epiſcopatum *dies duo*; liber de Romanis Pontificibus habet *dies tredecim*. Sed Pearſonius in Annalibus Cyprianicis rectè ſcribit, Sedem vacaſſe dies octo, quia in Chronico Damaſi legitur, *Fabianum* Anteri ſucceſſorem ſediſſe annos XIV, menſem unum, dies X, & obiiſſe die XX Januarii, anni ſc. ducenteſimi quinquageſimi: menſis tamen ille abundat, & Fabianus ſedit tantùm annos XIV & dies X. Papebrocius citatus ait, Fabianum non potuiſſe ſedere annos XIV, menſes XI, & dies X; & in auctiori Chronico Pontificum legi, ſediſſe Fabianum annos XIV, menſem I, dies XI; ideoque poſt Anteri martyrium ceſſaſſe Epiſcopatum menſes XI, dies VII; quia, inquit, *annum unum detrahendum cenſent Conſules*, ſub quibus Fabianus paſſus, Decius nempe II, & Gratus, qui anno CCL Magiſtratum geſſerunt; *iidemque jubent, ut pro XI menſibus* ſumamus unum, *qui ſolus habetur in ſecundo Catalogo*, in Chronico ſc. auctiori Pontificum. Verùm non ſolùm in ſecundo Catalogo, ſed etiam in primo Damaſo attributo habetur, ſediſſe Fabianum annos XIV, menſem unum, dies decem. Quia itaque in variis Catalogis ſupra annos XIV & menſem unum, quibus Fabianus ſediſſe dicitur, habentur præterea dies X, ut hic numerus ſervetur, Fabiani initium die XI Januarii currentis anni conſignandum, eique anni XIV, & dies X in Chronico Damaſi memorati relinquendi, rejecto menſe illo addititio, & multò magis menſibus undecim, qui leguntur in Catalogo octavo ſeculo ſcripto, quia à præſentis anni Conſulibus ad Conſulatum Decii II, & Grati, diemque XX Januarii anni CCL, anni XIV & dies X intercurrerunt; ideoque malè Papebrocius tam diuturnum Interpontificium poſt Anteri mortem ſtatuit, ut ex dicendis magis liquebit.

V. *Uterque Gordianus Imperator in Africa dictus.*

Baron. num. VII.

Ad num. IV. *Gordianus* ſenior anno tantùm ſequenti Imperator in Africa acclamatus eſt. Herodianus enim lib. 7. cap. 4. refert, Afros adverſus Maximinum rebellaſſe, πεπληρωμένων αὐτῷ ἀρχῆς τριῶν ἐτῶν, id eſt, *exacto Imperii triennio*. Quæ tamen à Viris doctiſſimis non intellecta. Exiſtimarunt enim, Herodianum ſignificare voluiſſe, Afros adverſus Maximinum rebellaſſe poſt tertium Imperii ejus annum completum; cùm tamen Herodianus, aliique Auctores Græci eâ loquendi formulâ, ſimilibúſve, nihil aliud plerumque denotent, quàm tertium Imperii annum jam inchoatum. Photius in ſua Bibliotheca, quem nullus dicet phraſis Græcæ vim non calluiſſe, Herodiani Hiſtoriam in ſummam redigens ait: ἦρξε δὲ Μαξιμῖνος ἐπὶ ἔτη τρία ὠμοθύμως καὶ τυραννικῶς, id eſt, *Maximinus verò annos ferè tres ferociter ac tyrannicè imperavit*. Herodianus itaque qui rem ſua ætate geſtam ſcribit, eo in loco non errat, neque ſignificat, eam rebellionem quarto Imperii Maximini anno contigiſſe; cùm illum tantùm delibaverit, & tamen poſt eam defectionem per annum ferme vixerit. Dicit itaque Herodianus, Afros ab eo defeciſſe poſt ſecundum Imperii ejus annum. Quem loquendi modum alii paſſim uſurpant. Joſephus in lib. 1. de bello Judaïco cap. II. rem, quam geſtam dicit μετ᾽ ἔτη δύο, id eſt, *poſt duos annos*, eandem lib. 14. Antiquit. cap. 23. factam refert δευτέρῳ ἔτει, id eſt, *anno ſecundo*. Hæ igitur formulæ, *poſt biennium*, vel poſt exactum biennium, quæ tot recentibus Scriptoribus errandi cauſa fuere, unum & idem ſignificant, & non rarò annum ſecundum inchoatum tantùm deſignant, ut paſſim in hoc Opere videbimus. Præterea Herodianus, cùm de annis, quos Imperatores regnarunt, loquitur, non annos Imperii, ſed annos Julianos, & utrimque incompletos pro completis de more numerat. Sic Alexandrum annos quatuordecim imperaſſe ſcribit, licèt annos tantùm XIII, & aliquot dies Imperium tenuerit. Sic etiam lib. 5. cap. 8. Heliogabalum ſexennium Imperium occupaſſe dicit, quamvis annos duntaxat tres, menſes novem, & dies quatuor regnaverit. Denique lib. 4. cap. 13. tradit, Caracallam *ſexennium tantùm ſine parente, germanoque ſuo* imperaſſe, licèt annos ſolùm quinque & paucos dies poſt Severum & Getam Imperium ſolus tenuerit. Quare modo ſibi uſitato Herodianus ſcribit, exacto anno tertio Imperii Maximini Gordianum in Africa Imperatorem nuncupatum eſſe, ſub ſequentis nempe anni Conſulibus. Herodiano ſuffragatur Victor de Cæſaribus, qui de Maximino & ejus filio loquens ait: *Quis bienniùm ſummis potitis, repentè Antoninus Gordianus Africa Proconſul, ab exercitu Princeps fit.*

VI. *Quo anno Gordiani Auguſti dicti.*

Facta ea nuncupatio circa diem duodecimum menſis Aprilis anni inſequentis. Eo enim die horâ poſt meridiem quartâ, feriâ quartâ eclipſis Solis magna accidit, Calviſio aliiſque obſervata, quo circiter tempore Gordianum dictum Imperatorem colligitur primò, ex eo quòd menſe Maio inſequenti Romani occaſione hujus nuncupationis, quæ in Africa facta fuerat, deficere cœperunt à Maximino, omneſque ejus amicos interfecere. Capitolinus in Maximinis duobus cap. 16. refert, *ſexto Kalendas Junias* Gordiani literas Romæ acceptas fuiſſe, utroque Gordiano jam Imperatore declarato. Præterea Victor in Epitome hoc clarè indicat, dum ait: *C. Julius Maximinus Imp. filiuſque ejus pari nomine Cæſar eſt factus. Quis biennium ſummis potitis, repentè* (circa nempe diem XII Aprilis anni CCXXXVII) *Antonius Gordianus Africæ Proconſul ab exercitu Princeps apud Thyſdri oppidum abſens fit, qui Carthaginem petit. Ibi cùm avertendis prodigiis*, (magna videlicet illa Solis eclipſi) *quorum metu haud inanè angebatur, rem divinam ſolitis ageret, repentè hoſtia partum edidit. Id Aruſpices atque ipſe ita accepere, illum deſtinatum neci, liberis pariturum Imperium, progreſſiſque conjectu longiùs liberi quoque exitum denuntiavere, mitem atque innoxium præfantes fore, ut illud pecus, nec diuturnum tamen, ſubjectumque inſidiis.* E quibus Victoris verbis, inquit Herwartus in ſua Chronologia, apparet ab Aruſpicibus & ipſo quoque ſeniore Gordiano creditum fuiſſe, illam Solis eclipſim deſignare breve Imperium Gordiani III, ſexto Imperii anno occiſi. Dodwellus Vir eru-

Baron. ibid.

doctiſſimus in Diſſert. Cyprianica XI num. 50. arbitratur, Gordianos currenti anno Imperatores dictos, ſequentique interfectos, ita ut annum imperarint: quia, inquit, die Maii XXVII nuntius de eorum inauguratione Romam pervenit, & initio menſis Julii interemti ſunt. Sed brevius eſt intervallum, quàm ut eodem anno utroſque nuntios acceperit Senatus; nec ſufficiebat rebus à Gordiano geſtis. Sequente itaque anno CCXXXVII menſe Julio tribuendum Gordianorum interitum, veriſimile eſt. Aliter mitti non potuerunt Legati à Maximino ad Senatum, cùm nuntium jam de Gordianorum morte accepiſſet in Pannonia ipſe Maximinus, quos tamen rejectos à Senatu docet Capitolinus. Ita Dodwellus innixus verbis Capitolini in Gordianis tribus cap. 10. qui ait, magna gratulatione Senatum accepiſſe, Gordianos duos Imperatores factos: tuncque Legationes à Maximino Romam veniſſe, ſed viciſſe Gordianorum Legationem. Unde miſſi fuerant ex Africa in Pannoniam, qui Gordianos dictos Imperatores Maximino renuntiarent, hicque Legatos Romam deputavit, qui viventibus adhuc Gordianis à Romanis rejecti ſunt. Verùm, ſi Dodwellus animadvertiſſet, utrumque Gordianum menſe Aprili anni CCXXXVII Imperatorem creatum, comperiſſet, ab eo menſe ad menſem Julium, quo occiſi ſunt, ſufficiens tempus fuiſſe ad præfata omnia agenda. Argumentum itaque Dodwelli eos tantùm urget, qui exeunte Maio Gordianos Imperatores dictos volunt, & initio Julii ejuſdem anni trucidatos.

VII. *Uterque Gordianus occiſus.* Baron. ibid.

Interim cùm Gordiano ſeniori bellum illatum fuiſſet, is rebus deſperatis mortem ſibi conſcivit, ac poſtea Gordianus filius, quem *ſibi multitudo Ducem elegerat*, cæſus eſt, ut habet Herodianus lib. 7. cap. 9. quod & ſcribit Capitolinus in tribus Gordianis cap. 16. ubi addit: *Imperaverunt anno uno, menſibus ſex*, qui locus ſine dubio corruptus, ut ex dicendis manifeſtum fiet. Gordiani enim ſenioris Imperium breviſſimum fuiſſe Herodianus lib. 7. cap. 9. inſinuat, quando ſcribit: *Hac finis Gordiani fuit felicis anteactâ vitâ, atque in quadam Principatûs imagine extincti.* Legendum itaque videtur: *Imperaverunt menſes tres.* Capitolinus in Gordianis tribus cap. 9. ait: *In pluribus libris invenio, & hunc Gordianum & filium ejus pariter Imperatores appellatos, & Antoninos cognominatos, alii verò Antonios.* Verùm ex Nummis utriuſque apud Mediobarbum conſtat, eos quidem Auguſtos appellatos, ſed *Antonios*, non verò *Antoninos* dictos fuiſſe.

VIII. *Maximus & Balbinus Gordianis ſuccedunt.* Baron. ibid.

Utroque Gordiano anno ſequenti interemto, Senatus pertrepidus in ædes Concordiæ ſeptimo Kalendas Junii concurrit, Ludis Apollinaribus, inquit Capitolinus initio Vitæ Maximi & Balbini, ubi poſtea Maximum & Balbinum Auguſtos acclamatos fuiſſe narrat. Sed hic etiam locus depravatus. Nam, ut videre eſt in veteri Kalendario tempore Conſtantini M. filiorum ſcripto, Ludi Apollinares tertio Nonas Julii inchoabantur, & tertio Idus ejuſdem menſis abſolvebantur. Legendum itaque: *Septimo Idus Julii concurrit, Ludis Apollinaribus.* Qua ex emendatione, quæ certiſſima eſt, liquet, locum Capitolini numero præcedenti citatum, rectè etiam reſtitutum fuiſſe, & Gordianum ſeniorem circa XII Aprilis, anni nempe CCXXXVII, dictum fuiſſe Imperatorem, eoque cum filio in Africa occiſo, die nona Julii Senatum Romæ Clodium Pupienum Maximum, & D. Cælium Balbinum (ſic vocantur in Nummis) Auguſtos renuntiaſſe. Capitolinus in Maximo & Balbino cap. 3. ait, populum Romanum Imperio Maximi contradixiſſe: *quare factum eſt, ut Gordianum adoleſcentulum Principem peterent, qui ſtatim factus eſt: nec priùs permiſſi ſunt ad Palatium ſtipati armis ire, quàm nepotem Gordiani Cæſaris nomine nuncuparent*: quod Senatuſconſulto factum eſſe ſubdit Capitolinus, & Herodianus lib. 7. cap. 7. confirmat. Idem habet Capitolinus in duobus Maximinis cap. 20. *Quibus* (nempe Maximo & Balbino) *à populo Auguſtis appellatis, per milites & eundem populum etiam parvulus nepos Gordiani Cæſar eſt dictus. Tribus igitur Imperatoribus fulta Reſpublica eſt.* Vides, Gordianum juniorem à Capitolino & Cæſarem & Principem & Imperatorem appellari, & immeritò me à quibuſdam cenſoribus in Epiſt. Conſulari reprehenſum, quòd Cæſaribus Imperium Cæſareum attribuerim. Verum eſt, Petavium lib. 11. de Doct. Temp. cap. 24. ex præfatis Capitolini locis deducere, Gordianum III cum Maximo & Balbino creatum etiam Auguſtum. Sed Vir eruditiſſimus non animadverterat, Imperatoris & Principis nomen in ſecunda diſpoſitione Imperii Romani Cæſaribus etiam conceſſum fuiſſe. Gordianum enim tertium dictum tantùm tunc Cæſarem infrà certiſſimè demonſtrabo. Quæ poſtea contigere, commodiùs duobus ſubſequentibus annis narrabitur. Res enim hæc hactenus obſcuriſſima, nobis accuratè diſcutienda.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5730. ☉ 22 A. ☽ 10. P. 2. APRIL.
INDICT. 15. Olymp. 254.
JESU CHRISTI 237. *ſecundum Baronium* 239.
FABIANI PAPÆ 2. Anno Urb. 980.
BALBINI ET PUPIENI IMPP.

COSS. *L. Ovinius Cornelianus*, & *P. Titius Perpetuus*, ex duabus Inſcriptionibus Onuphrianis. I. *Conſules.*

Hoc anno duo Gordiani in Africa adverſus Maximinum Imperatores dicti, ac non multò pòſt occiſi, & in eorum locum ſubrogati Pupienus & Balbinus & Gordianus junior ſenioris ex filia nepos Cæſar deſignatus, ut anno præcedenti demonſtravimus.

II. *Quo tempore Maximinus occiſus.*

Ad num. V. Maximinum cum filio anno ſequenti interemtos mox demonſtrabo, & dubiis à Baronio hoc anno motis ſatisfaciam.

a

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5731. ☉ 23 G ☽ II. P. 23. APRIL. INDICT. I.
JESU CHRISTI 238. *ſecundùm Baronium* 240.
FABIANI PAPÆ 3.
GORDIANI IMP. I.

I. *Conſules.* COSS. *Pius* & *Pontianus*, ex variis Faſtis, Codice Juſtinianeo, & Inſcriptione Gruteri pag. C IV. 3. ut obſervat Noriſius in literis ad me ſcriptis. Corrigendi itaque Cenſorinus lib. de Die Natali, qui Pium vocat *Ulpianum*, quem Baronius aliique ſecuti ſunt, & Auctor Chronici Alex. qui eundem *Ulpicum* appellat. In Faſtis Græcis tam Theonis quàm Heraclii editur *Pius*.

II. *Maximinus Aquileiam obſidet.* Baron. num. III. Ad num. VI. Interfectis anno ſuperiori utroque Gordiano Auguſtis, & Pupieno cum Balbino in ejus locum Romæ ſuffecto, Maximinus Auguſtus ad Italiæ fines venit; cúmque Aquileia portas occluſiſſet, is magis magiſque acceleravit. Ut autem ad fluvium pervenit, qui ad lapidem XII procul eſt ab urbe, invenit ipſum maxima alvei profunditate ac latitudine defluentem. *Etenim anni tempore ſolutæ vicinorum montium nives, quas longa hiems duraverat, maximum torrentem effecerant*, ſic ut nullo pacto tranſire exercitus poſſet, inquit Herodianus lib. 8. cap. 4. Paulò pòſt addit: Sed in magna lignorum ac navigiorum penuria, quibus inter ſe junctis pons fabricaretur, nuntiarunt quidam è fabris, *eſſe permultas in agris illis deſertis inanes cupas*, formâ rotundâ, *quibus videlicet incolæ quondam ad vinum importandum utebantur.* Harum ope facilè milites in ulteriorem ripam tranſgreſſi, & Aquileia fortiter obſeſſa. Sed milites, qui omnium rerum penuriâ laborabant, Maximinum cum Maximo filio obtruncarunt, ut fusè Herodianus, ex quo hæc deſcripta. Magna porro inter Hiſtoricos controverſia, quo anno hæc cædes patrata. Onuphrius lib. 2. Faſtorum, quem alii poſtea communiter ſecuti ſunt, eam præcedenti Chriſti anno circa Kalendas Octobris accidiſſe ſcribit, quòd vindemiæ tempus fuiſſe Herodianus citatus indicare videatur. Sed cùm hic diſertè prodat, Aquileienſes cupis illis quondam ad vinum importandum uſos eſſe, conjectura illa vana. Præterquam quòd obſidionem illam hieme factam manifeſtè Herodianus teſtatur.

III. *Maximinus occiditur.* Baron. ibid. Mediobarbus in Numiſmatis Impp. pag. 329. duos Maximini Nummos exhibet, alterum ex Occone, alterum ex Gaza Medicea deſcriptos, in quibus legitur: MAXIMINUS PIUS AUG. GERM. in poſtica, P. M. TR. P. IIII. COS. P. P. S. C. Qui Nummi Maximinum quartum Imperii annum attigiſſe demonſtrant. Præterea Patinus in Theſauro Mauroceniano pag. 134. refert Nummum Græcum Maximini Aug. in quo viſitur trophæum cum captivis & L. Δ. id eſt, *anno quarto*, ſc. Imperii. Refertur etiam ibidem Nummus Maximi ejus filii, in quo legitur, L. Δ. id eſt, *anno quarto*. Sed cùm Nummi non rarò ab Antiquariis mendosè proferantur, hac de re ad Noriſium V. C. ſcripſi, qui ad me reſpondit, Gazam Mediceam Maximini Nummos cum TR. P. IIII optimæ fidei continere, ſeque deſcriptos, ſi vellem, tranſmiſſurum. Addidit, ſe non dubitare, quin verno tempore currentis anni Maximinus peremtus fuerit, quod ex laudatis Herodiani verbis demonſtrat. Nam verno tempore ineunte Maximinus Aquilejam venit, qua tempeſtate induratæ hieme nives ſolvuntur, non verò menſe Septembri. Flumen, inquit Noriſius, nivibus liquefactis auctum dicitur *Alſa*. Victor in Epitome de Conſtantino juniore prope Aquileiam cæſo inquit: *Projectus in fluvium, cui nomen Alſa eſt, non longè ab Aquileia.* Capitolinus in Maximino juniori cap. 2. ſcribit: *Calceamentum ejus poſitum in luco, qui eſt inter Aquilejiam & Arciam*: alii Arziam legunt, quam oppidum putat Caſaubonus. Sed errat; nomen enim eſt parvi fluminis, quod nive aut imbre ſoluta auctum, vadari nequit. Alſa etiam Plinio dicitur lib. 3. cap. 18. Sabellicus tamen putat, ab Herodiano deſignari Natizonem, nunc *Liſonzo*, & quidem probabilius; tum quia Alſa eſt citra Aquileiam, tum quia Natiſo longè Alsâ tumidior fluit, ſtatimque occurrit in planitie ſupra Aquileiam verſus Noricum, unde deſcenderat Maximinus. Ex quibus Noriſius infert, hunc Imperatorem menſe Martio præſentis anni peremtum. Cùm is, ſalva Norici urbe, tranſiret, adulationis gratiâ Inſcriptio dicata, VICTORIAE AUG. Kal. Febr. eodem anno apud Gruterum pag. C IV. Maximinus itaque poſt diem decimum quartum menſis Martii præſentis anni, quo Tribunitiam Pot. IV iniit, trucidatus, recteque ab Eutropio ſcriptum: *A Pupieno Aquileiæ occiſus eſt, deſerentibus eum militibus ſuis cum filio adhuc puero, cum quo imperaverat triennio, & paucis diebus.* Victor in Epitome, Euſebius tam in Chronico, quàm in Hiſtoria, Oroſius, S. Epiphanius, aliique, qui Maximino annos tres aſſignant, numero rotundo loquuntur, hancque ſententiam, quæ in poſterum extra controverſiam eſſe debet, confirmant. Hinc liquet, quantum hallucinati fuerint Viri doctiſſimi in aſſignando initio Imperii Maximini laudati, qui hunc anno CCXXXV ante menſem Auguſtum non imperaſſe contendunt: ſic enim quartam Tribunitiam Poteſtatem inire non potuiſſet, neque Gordianus III ſeptimam, quod tamen certum, ut infrà monſtrabo.

Ad num. VI. Hoc anno Pupienus & Balbinus Auguſti, dum inter ſe concordes non ſunt, à militibus contrucidantur, ut docent Herodianus lib. 8. cap. 8. & Capitolinus in Maximo & Balbino, qui, quæ de iis habet, fatetur ſe accepiſſe ab Herodiano, ut videre eſt cap. 15. Unde in hac Gordianorum & Maximinorum Hiſtoria, Herodiano ſtandùm. *Imperarunt Maximus & Balbinus anno uno*, inquit Capitolinus ibidem, quibus verbis annus incompletus intelligendus. Idem Capitolinus in Gordiano IV. *Pupienus & Balbinus cæſi.* Baron. num. IV.

juniori cap. 22. ait : *Cùm extinctis Maximinis, Maximus etiam & Balbinus militari ſeditione interemti eſſent, qui biennio imperaverant, Gordianus adoleſcens Auguſtus eſt appellatus.* Quæ verba mox recitatis non adverſantur; Balbinus enim & Pupienus, partim anno præcedenti, partim currenti Rempublicam adminiſtrarunt, & Capitolinus eo in loco annos tantùm Julianos, eoſque utrimque incompletos numerat. Eodem modo explicandus Victor de Cæſaribus, qui dicit : *Horum Imperio ad biennium per hujuſmodi moras annus quæſitus*, quamvis hic loquendi modus obſcurior. Cùm verò Capitolinus aſſerat, utroque occiſo Gordianum juniorem Auguſtum nuncupatum eſſe, liquet, hunc ante præſentem annum hanc dignitatem conſecutum non eſſe, & Capitolinum ex ipſomet Capitolino & explicandum & emendandum.

V. *Qua anni tempeſtate Ludi Capitolini celebrati.*

Herodianus ſeditionem adverſum Balbinum & Pupienum Impp. factam dicit, *cùm Ludi Capitolini celebrarentur.* Certum autem, hoc anno Agonem Capitolinum triceſimum nonum actum eſſe; ſed quo menſe, incompertum. Petavius in Paralipomenis librorum de Doctrina Temp. pag. 855. contendit, hos Ludos *æſtivo tempore* celebratos. Sed præterquam quòd nihil afferat, quod eam opinionem probabilem reddat, initium Gordiani junioris eam prorſus evertit, oſtenditque verno tempore exhibitos fuiſſe. Nam Balbinus & Pupienus ante finem menſis Maii interfecti; cùm Gordianus junior ſeptimum Imperii annum attigerit, annoque Chriſti ducenteſimo quadrageſimo quarto ante Kalendas Julias perierit, ut ex dicendis conſtabit. Quare hoc anno, quo Balbinus & Pupienus occiſi, Ludi Capitolini poſt diem XIV menſis Martii, & ante Maii exitum editi.

VI. *Pupienus & Balbinus ſecundum Imperii annum non inchoarunt.*

Scripſit ad me Noriſius V. C. ut examinarem, an Pupienus & Balbinus ſecundum Imperii annum attigerint; cùm Mediobarbus in Numiſmatis Impp. Balbini Nummum referat in poſtica inſcriptum : P. M. TR. P. II. P. P. & pag. 83. Theſauri Mauroceni à Patino V. C. nuper publicati recitetur maximus Nummus æreus, cujus in antica caput Pupieni radiatum cum hac epigraphe : ΑΥΤ. Κ. Μ. ΚΛΟΔ. ΠΟΠΗΝΙΟϹ ϹΕΒ. id eſt, *Imperator Cæſar Marcus Clodius Pupienus Auguſtus.* In poſtica viſuntur tria capita, ſc. Pupieni & Balbini adverſa, intermedio Gordiano puero cum epigraphe, ΤΑΡϹΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ. Supra capita legitur, Α. Μ. Κ. & infra Γ. Β. quas duas litteras numerales annum ſecundum Imperii Balbini & Pupieni ſignificare Patinus exiſtimat. Triſtanus tom. 2. pag. 497. ſimilem Pupieni & Balbini Nummum repræſentat, in cujus etiam inferiori parte legitur, Γ. Β. ita ut utrumque Imperatorem ſecundum Imperii annum inchoaſſe appareat videatur. Verumenimvero, re maturè diſcuſſa, à vulgari opinione diſcedendum non eſſe comperi. Primus enim Nummus, quem Mediobarbus ait ſe accepiſſe à Clariſſimo Minio Clericis Minoribus Præpoſito, nullam fidem facit. Cùm enim anno præterito Vaillantius Vir in re Antiquaria exercitatiſſimus, ad Numiſmata præſertim videnda Pariſiis Italiam peteret, rogatus eſt à Toinardo, cum quo de præfato Nummo ſimul contuleramus, ut quando Bononiam, ubi Minius degit, perveniret, examinare vellet, an ſpurius, vel malè deſcriptus eſſet. Ex Italia redux Vaillantius Toinardo mihique aſſeruit, ſe eum Nummum præ manibus habuiſſe, ac legitimum eſſe comperiſſe; ſed in eo tantùm legi, P. M. TR. P. nullas verò in eo numerales notas ſe deprehendere potuiſſe, imò de facto nullas in eo extare. Alia duo Numiſmata Græca anno ſecundo Pupieni & Balbini minimè percuſſa. Holſtenius enim in Notis ad Stephanum de Urbibus in Hollandia editis in voce ΤΑΡΣΟΣ, varios hujus urbis Nummos ſub variis Imperatoribus cuſos affert, in quibus hæ duæ litteræ Γ. Β. etiam leguntur. Ex quo manifeſtum fit, eas non ad ſecundum illorum Imperatorum annum, ſed ad aliquid aliud nobis ignotum referri. In Nummo Gordiani circa leonem taurum diſcerpentem, legitur, ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ. id eſt, *Tarſi Metropolis*, & ſubtus, Α. Μ. Κ. Γ. Β. In Nummo Alexandri Severi circum Apollinem dextrâ ramum, ſiniſtrâ arcum tenentem, ΑΔΡ. ΣΕΟΥΗ. ΑΛΕΞΑΝ. ΜΗΤΡ. ΤΑΡΣΟΥ, & intus ad dextrum brachium Apollinis, Α. Μ. Κ. ad ſiniſtram ſub arcu, Γ. Β. In Nummo Caracallæ circum elephantem, ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΗΣ. ΣΕΟΥΗ. ΑΔΡΙΑ. & ſubtus, ΤΑΡΣΟΥ, circa coronam, ſuper tergum elephantis, Μ Α. Κ. & ſuper ejus caput, Γ. Β. In alio Alexandri Severi Nummo circum Imperatorem Victoriolam ſuſtinentem & militem fundibularium, ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑΝΩΝ ΑΔΡΙΑΝΩΝ, & intus, Α. Μ. Κ. ſubtus, Γ. Β. Cùm itaque hæ duæ notæ Γ. Β. & numquam aliæ in Numiſmatis Tarſi percuſſis exhibeantur, ſecundum Imperii annum eas denotare nullus in poſterum jure dixerit. Malè etiam ibidem Holſtenius, & Harduinus in Nummis Urbium & Populorum pag. 487. has litteras Α. Μ. Κ. idem ſignificare aiunt, ac *prima Metropolis Ciliciæ*, vel *primæ Metropolis Ciliciæ.* Nam cùm in Tarſi Nummis ea disertè *Metropolis* appelletur, idem illis characteribus non expreſſum. Tautologia enim illa nunquam in Nummis uſurpata. Certum itaque maneat, Balbinum & Pupienum ſecundum Imperii annum non delibaſſe, nullumque hactenus Numiſma ab Antiquariis productum, ex quo illud inferri debeat.

VII. *Gordianus III Auguſtus dictus.*

Herodianus lib. 8. cap. 8. de Prætorianis Balbini & Pupieni interfectoribus loquens, ait : *Relictis in ipſa via cadaveribus,* (Balbini nempe & Pupieni) *tollentes in altum manibus Gordianum Cæſarem, quando aliud nihil occurrit, Imperatorem conſultabant.* Gordianus itaque nonniſi poſt Balbini & Pupieni interitum Auguſtus renuntiatus, falſóque Eutropius, quem aliqui recentes Chronologi ſecuti ſunt, narrata Maximini morte, ait : *Poſteà tres ſimul Auguſti fuerunt, Pupienus, Balbinus & Gordianus.* Nam in poſtica parte Nummorum Pupieni legitur : CONCORDIA AUGG. vel, FIDES MUTUA AUGG. vel, AMOR MUTUUS

Augg. In poſtica etiàm parte Nummorum Balbini habetur: vel PIETAS MUTUA AUGG. vel, ABUNDANTIA AUGG. vel, FELICITAS TEMPORUM AUGG. vel quid ſimile, & nunquam in alterutrius Nummis tres Auguſti, tribus litteris GGG deſignati exprimuntur. Idem Mediobarbus tria Gordiani Numiſmata recitat, in quibus legitur: M. ANT. GORDIANUS CAES, in poſtica, PIETAS AUGG. Notabilia ſunt verba Capitolini in Gordiano tertio cap. 22. ubi de hoc loquens, ait: *Indumento Imperatorio tectus, Cæſar eſt appellatus*; ex illis enim patet, Cæſares per hæc tempora Imperatores nuncupatos eſſe. Hæc poſt utriuſque Gordiani obitum peracta. Capitolinus ibidem capite ſequenti, poſtquam narravit, Maximum & Balbinum militari ſeditione interemtos, Gordianum adoleſcentem, *qui Cæſar eatenus fuerat*, Auguſtum appellatum eſſe, ſubjungit: *Hic finis belli inteſtini fuit, cùm eſſet delatus Gordiano puero Conſulatus.* Quòd ſi anno præcedenti is Auguſtus creatus fuiſſet, diceretur in Nummis hoc anno cuſis AUGUSTUS COS. DESIG. non verò CAES. PONT. COS. DES. PRINC. JUVENTUT. ut videre eſt in ejus Nummis apud Goltzium. Conſulatum enim ordinarium anno ſequenti Gordianus junior geſſit: quare ad eam dignitatem vel currenti, vel præcedenti anno deſignatus fuit. Præterea in quibuſdam Nummis Gordianus dicitur: TRIB. P. III. COS. in aliis, TRIB. P. III. COS. II. Sumſit ſecundum Conſulatum Gordianus anno CCXLI. Unde cùm eo anno tertiam tantùm Tribunitiam Poteſtatem haberet, ea illi & nomen Auguſti præſenti duntaxat anno delata. Si enim antecedenti Auguſtus dictus eſſet, Tribunitia Poteſtas ejus III cum ſecundo ejus Conſulatu concurrere non poſſet.

VIII. *Gordianus III poſt Balbini & Pupieni mortem Auguſtus dictus.*

Neque quis dicat, Victorem de Cæſaribus, Pupieni & Balbini nuncupatione narrata, ſtatim ſcribere: *Iiſdemque per Africam diebus Gordianum Gordiani filium Auguſtum creavere*: Victorique utpote Afro omnem fidem adhibendam. Nam Victor de Gordiano ſecundo, non verò de Gordiano tertio, prioris ex filia nepote, loquitur, ut ipſa lectio manifeſtum facit, quamvis ea narratio non parum confuſa ſit. Neque Gordianus tertius in Africa erat, ſed Romæ. In Senatuſconſulto quidem in duobus Maximinis capite ultimo à Capitolino recitato, legitur: *Maxime Auguſte, tibi gratias. Balbine Auguſte, tibi gratias. Tibi gratias, Gordiane Auguſte.* Sed locus ille ſine dubio corruptus, alioquin Capitolinus non ita ſæpe inculcaſſet, Gordianum tertium Cæſarem, Balbinum verò & Pupienum Auguſtos dictos eſſe. Non audiendus itaque Petavius lib. 11. de Doct. Temp. cap. 24. ubi pluribus contendit, poſt utriuſque Gordiani interitum tres Auguſtos creatos eſſe. Dodwellus in Diſſert. XI. Cyprianica ait, Balbinum & Pupienum hoc anno ante menſem Junium peremtos: Junii enim, inquit, XXIII; & deinceps Leges habemus Gordiani Auguſti, lib. 2. Cod. Juſt. tit. 2. L. 2. Sed hæc Lex non à Gordiano, ſed ab Alexandro; Lex verò 3. data eſt à Gordiano, III Idus Auguſti; & hæc prima quæ extet, Legum ab eo emiſſarum. Illum tamen ante menſem Junium jam Imperium adminiſtraſſe, infrà demonſtrabitur.

IX. *Eclipſis brevitatem Imperii Gordiani III indicat.*

Sed indicium non diu imperaturi Gordiani hoc fuit, quod eclipſis Solis facta eſt, ut nox crederetur, neque ſine luminibus accenſis quidquam agi poſſet, inquit Capitolinus in Gordiano III cap. 23. poſtquam eum creatum fuiſſe Auguſtum aſſeruit. Viſæ per hæc tempora eclipſes duæ Romæ; altera, die duodecima menſis Aprilis præcedentis Chriſti anni: altera, die ſecunda ejuſdem menſis præſentis, feriâ ſecundâ, horis ante meridiem quatuor. Petavius loco citato, qui utramque computavit, ait: *Ex iis Solaribus deliquiis, prius ſine dubio congruit ad Hiſtoriam Capitolini. Nam longè majus poſteriore fuit. Itaque Gordianus jam tum Imperator, & Auguſtus fuiſſe videtur ex anno Chriſti CC XXXVII, Cyclo Lunæ X, Solis XXII.* Sed hæc poſtrema verba perperam à Petavio addita; ut enim anno elapſo diximus, Gordianus ſenior eo ferè tempore, quo eclipſis die XII Aprilis viſa accidit, Imperator electus eſt, & quia *hujus ſcientiæ uſu immodicè prudens erat*, ut inquit Victor de Cæſaribus, credidit eam eclipſim Imperium Gordiani tertii portendere. Quamobrem ea à Capitolino ſub initio Imperii Gordiani tertii notata eſt, ut advertit Herwartus cap. 256. ſuæ Chronologiæ.

X. *Chronologia Chriſtiana valido argumento probata.*

Scribebat hoc anno Cenſorinus librum de Die Natali, qui capite 21. celebriores epochas in unum ſimul conjicit. *Cujus loci*, inquit Petavius lib. 9. de Doct. Temp. cap. 42. *ſanctiſſimam auctoritatem meritò omnes ſuſpiciunt. Neque enim inventus eſt hactenus quiſquam, qui vel Cenſorinum ipſum, vel ejus Librarium leviſſimi hac in parte in ſuſpicionem erroris adduceret; aut de verborum* Baron. num. 1. *ejus fide ac veritate dubitaret. Nemo ad hunc diem Chronologiam, Hiſtoriam, Annales attigit, quin eundem locum ſibi vindicare, & ad mentem opinionemque ſuam applicare non ſtuduerit. Quod mihi ſingulare & admirabili quadam Dei providentia factum videtur: ut antiquiſſimorum memoria temporum, atque inſignium epocharum tituli incolumes ad nos & incorrupti, hoc ſequeſtre & fidejuſſore, pervenirent: ut eſſet denique in Hiſtoria, temporumque ſcientia certi & explorati aliquid, quod omnium conſenſu & confeſſione conſtaret.* Hos porro annos Cenſorinus ſimul connectit.

Pontiani & Pii Conſulatum,

Annum Olympiadicum	1014.
Annum Urbis	991.
Annum Julianum	283.
Annum Auguſtorum	265.
Annum Actiacæ victoriæ	268.
Annum Nabonaſſaris	986.
Annum Philippi & obitûs Alexandri	562.

Cùm itaque anno, quo librum de Die Natali Cenſorinus exarabat, memorati illi variarum Ærarum anni in curſu eſſent, manifeſtum eſt, librum illum ſcriptum poſt Kalendas Octobris præſentis anni, à quo die annus Philippi & obitûs Alexandri 562. incipit. Aliqui Codices habent, hunc eſſe

annum Actiacæ victoriæ 267. ſed correctiores ferunt 268. Baronius eum annum, quo Cenſorinus librum ſuum ſcripſit, cum anno Chriſti ducenteſimo quadrageſimo copulat, indeque factum, ut ante Diocletianum Chronologia ejus corrupta ſit, & poſt Diocletianum, cujus Imperii initio veram Eram Chriſtianam amplectitur, omnes eæ epochæ biennio in Annalibus mutilentur, & annus, v. g. CCCXL in iis concurrat cum anno

Baron. num. 1.

Olympiadico 1114.
Urbis 1091.
Juliano 383.
Auguſtorum 365.
Actiacæ victoriæ 367.
Nabonaſſaris 1086.
Philippi & obitûs Alexandri 662.

Et tamen nihil hodie certius in Chronologia, quàm præfatos annos cum anno Chriſti CCCXXXVIII concurrere; quod ex alio provenire non poteſt, quàm ex eo quòd antequam centenarius numerus cuilibet harum Erarum adderetur, eæ cum anno Chriſti CCXXXVIII concurrerent. Ex quo maniſeſtiſſimum redditur, præſentem Chriſti annum, quo Pius & Pontianus Conſulatum geſſere, illigari debere, non cum anno CCXL, ſed cum anno CCXXXVIII. Ex hoc prochroniſmo falſaque annorum Chriſti ad præfatas Eras accommodatione, Chronologia Chriſtiana non parum labefactata, quæ ideo reſtituenda erat.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5732. ☉ 24 F. ☽ 12. P. 7. APRIL. INDICT. 2.
JESU CHRISTI 239. *ſecundùm Baronium* 241.
FABIANI PAPÆ 4.
GORDIANI IMP. 2.

I. *Conſules.* COss. *M. Ant. Gordianus Aug.* & *M. Acilius Aviola.*

Sumtus is à Gordiano Conſulatus juxta primam regulam, atque, ut conjicere licet, propter nomen Cæſareum anno CCXXXVII poſt Gordianorum mortem, acceptum. Nam, ut anno præcedenti oſtendimus, in Nummo apud Goltzium Gordianus dicitur Cæſar & Conſul deſignatus, & quidem in præſentem annum; quod elicio ex Capitolino in Maximinis duobus capite ultimo, ubi utriuſque Maximini interitu recitato, Senatuſconſultum refert, quo Pupienus ac Balbinus Auguſti, & Gordianus junior Cæſar ſunt appellati. Inter alia in Senatu acclamatum: *Præſentem annum Conſules vos ornetis: in locum Maximini Gordianus ſufficiatur.* Quæ verba, neque ab Onuphrio in Faſtis, neque à Caſaubono & Salmaſio in Notis ad Capitolinum, explicata. Baronius locum illum explanare tentavit, ſcripſitque, diviſo civili bello Imperio, alios à Senatu, alios à Maximino creatos Conſules, ac anno CCXXXVIII, quo Maximinus occiſus, Conſulem ordinarium ipſummet fuiſſe. Verùm cùm decretum illud anno CCXXXVII factum ſit, ſi conjectura Baronii vera eſſet, Gordianus Cæſar anno CCXXXVIII Conſul ordinarius, vel ſaltem Conſul ſuffectus, & in Maximini locum ſubrogatus fuiſſet, quod nullus dixerit; cùm duos tantùm Conſulatus eum geſſiſſe conſtet. Exiſtimo itaque, ante rebellionem, Maximinum in annum CCXXXIX, in quem ejus Quinquennalia incidebant, ſe ſe Conſulem deſignaſſe, & Senatum, cùm Gordianum III Cæſarem dixit, in Maximini odium eum Gordiano Conſulatum attribuiſſe, quem ſibimet Maximinus elegerat: Pupienum verò & Balbinum ultimis menſibus anni CCXXXVII Conſulatum ſuffectum geſſiſſe, relicto Conſulatu ordinario anni CCXXXVIII Pio & Pontiano, ad quem ante rebellionem deſignati fuerant, quique, ut veroſimile eſt, à Senatu, quemadmodum & tota Italia, non verò à Maximino, ſtabant.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5733. ☉ 25 ED. ☽ 13. P. 29. MART. INDICT. 3.
JESU CHRISTI 240. *ſecundùm Baronium* 242.
FABIANI PAPÆ 5.
GORDIANI IMP. 3.

COss. *Sabinus II*, & *Venuſtus*, ex duplici Inſcriptione Onuphriana. In Faſtis etiam Theonis Sabinus cum numerali nota effertur. I. *Conſules.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5734. ☉ 26 C. ☽ 14. P. 18. APRIL. INDICT. 4.
JESU CHRISTI 241. *ſecundùm Baronium* 243. Olymp. 255.
FABIANI PAPÆ 6.
GORDIANI IMP. 4.

COss. *M. Ant. Gordianus Aug. II*, & *Pompeianus.* I. *Conſules.*

Gordiani Conſulatus juxta ſecundam regulam; in hunc enim annum Imperii ejus Cæſarei Quinquennalia inciduntt. Quo ex Conſulatu liquet, eum anno CCXXXVII Cæſarem nuncupatum eſſe. Capitolinus in Gordiano III cap. 23. ait: *Gordiano iterum & Pompeiano Conſulibus bellum Perſicum natum eſt. Quare adoleſcens Gordianus, priuſquam ad bellum proficiſceretur, duxit uxorem filiam Miſithei.* Ea in Nummis vocata Furia Sabinilla Tranquillina; nuptiæ autem Imperatorum annis Quinquennalibus & id genus feſtis addictis de more celebratæ. II. *Imperii Cæſarei Gordiani Quinquennalia.*

Ad num. I. *Artaxerxes* primus Perſarum Rex, poſtquam *annos quindecim, menſibus demtis duobus, regnaſſet*, obiit currenti anno, quem excepit *Sapores*, qui *ingentibus jacturis Romanos affecit*, inquit Agathias lib. 4. III. *Romani à Perſis vexati.*

ANNO

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5735. ☉ 27 B. ☽ 15. P. 3. APRIL. INDICT. 5.
JESU CHRISTI 242. *ſecundùm Baronium* 244.
FABIANI PAPÆ 7.
GORDIANI IMP. 5.

I. *Conſules.* COSS. *C. Vettius Atticus*, & *C. Aſinius Prætextatus*, ex Inſcriptione Onuphriana.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5736. ☉ 28 A. ☽ 16. P. 26. MART. INDICT. 6.
JESU CHRISTI 243. *ſecundùm Baronium* 245.
FABIANI PAPÆ 8.
GORDIANI IMP. 6.

I. *Conſules.* COSS. *Arrianus* & *Papus*.

II. *Quinquennalia Imperii Auguſtei Gordiani.* Gordianus Imperii Auguſtei Quinquennalia exhibuit, quorum veſtigium retuli in Diſſert. Hypat. pag. 229. ubi tamen Nummum Occonis, in quo ſcriptum, *Votis Decennalibus*, per inconſiderantiam copulavi cum alio Nummo, in quo Tribunitia Pot. VII hujus Imperatoris exprimitur. Nummus itaque ille, in cujus poſtica legitur, VOTIS DECENNALIBUS, ipſo initio Imperii Auguſtei Gordiani, ut moris erat, percuſſus. Fellus V. C. in Notis ad Computum de Paſcha, cujus S. Cyprianum Auctorem credit, quíque producitur *uſque ad annum quintum Gordiani, Arriano & Papo Conſulibus*, obſervat, Chronicorum Scriptores res perducere ad annum aliquem inſigniorem etiam paulò præteritum, idque in eo Opere videri factum, nimirum ad annum Gordiani Imp. ultimum. Verùm Auctor non ad ultimum Gordiani annum, ſed ad ejus Quinquennalia reſpexit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5737. ☉ 1 GF. ☽ 17. P. 14. APRIL. INDICT. 7.
JESU CHRISTI 244. *ſecundùm Baronium* 246.
FABIANI PAPÆ 9.
PHILIPPI IMP. 1.

I. *Conſules.* COSS. *Peregrinus*, & *Fulvius Æmilianus*.

II. *Gordianus occiditur.*
Baron. num. 1.
Ad num. I. Philippus Arabs, qui anno elapſo Præfectus Prætorii factus fuerat, ſtatim Gordiano inſidias paravit; effectumque ut palam ad Imperium poſceretur, inquit Capitolinus in Gordiano III cap. 29. qui ſubdit: *Amici Gordiani primùm vehementiſſimè reſpondebant: ſed cùm milites fame vincerentur, Imperium Philippo mandatum eſt: juſſumque à militibus, ut quaſi tutor ejus Philippus cum eodem Gordiano pariter imperaret. Suſcepto igitur Imperio, cum & Philippus ſe contra Gordianum ſuperbiſſimè ageret, & ille ſe Imperatorem atque Imperatorum prolem recognoſceret, in tribunali conqueſtus eſt, ſperans, poſſe Imperium Philippo abrogari. Sed hac conqueſtione nihil egit*, &c. qui ait poſtea, Philippi juſſu Gordianum occiſum. Uno itaque eodemque tempore Philippus cum Gordiano imperavit; cùmque inter eos non conveniret, quilibet in particulari Leges emiſit, quod nemini obſervatum vidi. In Codice Juſtinianeo Lex 6. *Ad exhibendum.* à Philippo Auguſto data eſt *II Id. Mart. Peregrino & Æmiliano Coſs.* Lex verò 6. *De collationibus.* data eſt à Gordiano *VII Kalend. Maii Peregrino & Æmiliano Coſs.* Ex quo liquet, Gordianum exeunte menſe Aprili adhuc in vivis fuiſſe, deceptoſque paſſim recentiores Chronologos, qui cum menſe Martio, quo præfata Lex à Philippo data, interemtum ſcripſere, quemadmodum & qui arbitrati ſunt in ſecundo reſcripto, loco, *VII Kalend. Maii*, legendum eſſe, *VII Kalend. Martii.* Gordianus enim ſeptimum Imperii annum attigit, quod ex Nummo à Mediobarbo in Numiſmatis Impp. è muſæo ſuo producto, certum redditur. In eo legitur: IMP. GORDIANUS PIUS FEL. AUG. in poſtica: P. M. TR. P. VII. COS. II. P P. S. C. Alium jam Occo eâdem Tribunitiâ Pot. VII ſignatum retulerat. Accuratè itaque Euſebius lib. 6. cap. 24. eum ſex annis integris, ἔτη ὅλοις ἕξ, Imperium adminiſtraſſe, Oroſius verò lib. 7. Hiſt. eum ſeptem annis in Imperio manſiſſe ſcripſere. Quare non dubium, quin ſeptimam Tribunitiam Poteſtatem, ſeu ſeptimum Imperii annum inchoarit, ideoque quin VII Kalendas Maii adhuc imperarit. Uterque Victor aliique, qui ei annos ſex tribuunt, numero rotundo loquuntur. Capitolinus in Gordiano III cap. 22. ſcribit, Gordianum viceſimo ſecundo ætatis anno periiſſe, à quo diſſentit Herodianus, qui ait, *cùm annorum eſſet ferme tredecim*, Romanum Imperium ſuſcepiſſe.

III. *Philippus junior Cæſar dictus, & Tribunitia Poteſtate donatus.*
Philippus unà cum Philippo filio in ejus (Gordiani nempe) *locum ſucceſſit*, inquit Euſebius loco citato. Ipſo itaque Imperii initio M. Julius Philippus M. Julium Philippum filium adhuc puerum Cæſarem renuntiavit, & Tribunitia Poteſtate donavit. Quod ipſemet Euſebius in Chronico anno primo Philippi indicat, quando ait: *Philippus Philippum filium ſuum conſortem Regni fecit.* Cùm enim in eodem Chronico Tiberium Imperatorem Druſo filio Tribunitiam Poteſtatem tribuiſſe ſignificare vult, aliis verbis non utitur quàm iſtis: *Tiberius Druſum conſortem Regni facit.* Id etiam demonſtrant Inſcriptiones duæ, quarum altera infrà adducetur; in alterius verò principio legitur:

IMP. CAESAR. M. JULIUS. PHILIPPUS. PIUS. FELIX. AUG
PONT. MAX. TR. POT. IIII. COS. III. DES. P. P. PROC. ET
IMP. CAESAR. M. JULIUS. PHILIPPUS. PIUS. FELIX AUG
PONT. MAX. TR. POT. IIII. COS DESIGNAT. P. P.

In ſine verò hæc verba habentur:

IMP. M. JULIO. PHILIPPO. PIO. FEL. AUG. COS. DES. III

ET IMP. M. JULIO. PHILIPPO. PIO FE. AUG. COS. II. DES. COS.

Extat hæc Inſcriptio Neapoli in lamina ærea, integraque refertur à Sponio in Miſcellaneis erudit. Antiquit. pag. 244. Cùm verò dedicata fuerit anno CC XLVII, quo Philippus ſenior ſecundum Conſulatum gerebat, & Conſul III deſignatus erat, liquet, Philippum juniorem currenti anno Tribunitia Poteſtate exornatum fuiſſe; alioquin anno CC XLVII, quo Conſul III deſignatus erat, quartam Tribunitiam Poteſtatem, quemadmodum & pater, non numeraſſet. Quamobrem duos Philippi junioris Nummos, à Goltzio relatos, mendoſos eſſe oportet; cùm in iis legatur: IMP. PHILIPPUS AUG. TR. P. II. COS. II. nec ſinceriores duo alii ibidem recitati, in quibus is dicitur: TR. POT. III. COS. II. cùm non tantùm præfatæ Inſcriptioni repugnent, ſed etiam Numiſmati à Mediobarbo relato pag. 350. in cujus poſtica dicitur: P. M. TR. P. IIII. COS. P. P. Quare rectè Caſſiodorus in Chronico ſcribit, Philippum Imperatorem factum *mox Philippum filium ſuum conſortem Regni* feciſſe. Hinc factum, ut in variis Codicis Juſtinianei Legibus hoc anno emiſſis, nomen Philippi Imperatoris & Philippi Cæſaris legatur. Zonaras ſcribit, occiſo Gordiano Philippum Imperium occupaſſe, *Philippo filio in via Collega adſcito.* Facta igitur ea nuncupatio, dum ex Oriente Romam Philippus veniret.

Olymp. 256.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5738. ☉ 2 E. ☽ 18. P. 30. MART.
INDICT. 8.
JESU CHRISTI 245. *ſecundùm Baronium* 247.
FABIANI PAPÆ 10.
PHILIPPI IMP. 2.

I. *Conſules.* COSS. *M. Julius Philippus Aug.* & *T. Fabius Titianus.* Conſulatus Philippi juxta primam regulam.

II. *Philippus anno elapſo Romam venit.* Ad num. I. Utriuſque Philippi Romam adventus anno præcedenti contigit, ut ex iis, quæ tunc diximus, certum redditur. Addit Baronius in Annalibus: *Hoc item anno ſecundo, quo è Perſide Imperator Romam advenit, Philippum filium creatum fuiſſe Auguſtum Nummi ſignificant, quibus hæc ineſt Inſcriptio*, ADVENTUS AUGG.

Baron. num. IV. S. C. Mediobarbus, qui rectè vidit, Philippum juniorem anno tantùm CC XLVII appellatum Auguſtum fuiſſe, quod & infrà demonſtrabimus, perperam tamen hoc anno ſcribit, Philippum Romam rediiſſe cum filio, & eidem in itinere Tribunitiam Poteſtatem communicaſſe. Utrumque enim ad annum præcedentem omnino referendum, quo & ei conſignanda erant Numiſmata Philippi ſenioris, in quorum poſtica legitur: vel, ADVENTUS AUGG. vel, FORTUNA REDUX, vel, CONCORDIA AUGG. ea enim anno præcedenti, quo Philippus Romam venit, percuſſa. Sed ex illis malè deduxit Baronius, Philippum juniorem, quando Romam cum patre rediret, Auguſtum ab eo appellatum eſſe. Deprehendi enim, Cæſares conjunctim cum Auguſtis in Nummis memoratos, Auguſtorum etiam nomine deſignatos eſſe, quod tot exemplis infrà demonſtrabo, ut res in dubium revocari non debeat. Hinc non mirum, ſi in præfatis Nummis duo Auguſti exprimantur, licèt Philippus junior Cæſar tantùm eſſet, quando ii cuſi. Ea loquendi formula in Nummis uſurpari ſolitæ, Maximino Auguſto imperante, quæ poſtea in magno uſu fuit. Licèt enim Julius Maximus ejus filius Cæſar ſolùm eſſet, tamen Mediobarbus duo ejus Numiſmata producit inſcripta: MAXIMUS CAES. GERM. in poſtica utriuſque, VICTORIA AUGUSTORUM: quæ epigraphe in duobus etiam Maximini Auguſti Nummis ſculpta. Certum itaque, Maximum Cæſarem ideo in iis Nummis Auguſti nomine deſignatum, quia in illis conjunctim cum patre Auguſto enuntiatur.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5739. ☉ 3 D. ☽ 19. P. 19. APRIL.
INDICT. 9.
JESU CHRISTI 246. *ſecundùm Baronium* 248.
FABIANI PAPÆ 11.
PHILIPPI IMP. 3.

COSS. *Bruttius Præſens*, & *Nummius Albinus.* I. *Conſules.*

Ad num. II. Baronius exiſtimavit, Origenem illum, cujus mentio in Vita Plotini, diverſum non eſſe ab Origene Adamantio. II. *Duo Origenes in unum non confundendi.* Sed Valeſius in Notis Euſebianis lib. 6. cap. 19. & Huetius lib. 1. Origenianorum cap. 1. num. 7. doctè oſtendunt, geminum Origenem Ammonio operam ad audiendum dediſſe, Baron. num. 1. alterum Adamantium Leonidis Martyris filium, alterum illum qui cum Herennio & Plotino à condiſcipulatu conjunctè vixit, & cujus frequens occurrit mentio in Vita Plotini à Porphyrio conſcripta, & in libri de Fine à Longino elucubrati Fragmento, quod huic ipſi Vitæ Porphyrius intexuit. Hæ eorum rationes. Adamantium Origenem Ammonii auditorem multam ex ſcriptis apud poſteros gloriam fuiſſe conſecutum, à Porphyrio traditum eſt; at Origenem alterum Plotini ſodalem nihil præter libellum de Dæmonibus ſcriptum reliquiſſe, docent iidem Porphyrius & Longinus. Imperantibus præterea Gallo & Voluſiano Origenem eum, qui Adamantius vocatur, extremum clauſiſſe diem, prodit Euſebius; Origenem verò alterum ſub Gallieno librum quemdam elaboraſſe in eadem Plotini Vita ſcriptum Porphyrius reliquit. Quibus tertium illud argumentum additur. Origenem Adamantium ſibi valde adoleſcenti cognitum aliquando fuiſſe Porphyrius tradidit; quod profectò non dixiſſet, ſi diuturna ſibi cum illo & conſtans interceſſiſſet neceſſitudo: Origenis autem alterius Romæ condiſcipulum & æqualem fuiſſe Porphyrium, me-

moriæ prodidit Eunapius. Sanè Imperium tenente Philippo, iter Romam neutiquam ſuſcepiſſe Origenem Adamantium, & Româ omnino per id tempus abfuiſſe certiſſimum eſt; nec enim tam longam peregrinationem credibile eſt fuiſſe prætermiſſuros Euſebium & Hieronymum: at Origenem alterum ad Plotinum Romæ tum in Scholis publicè diſſerentem acceſſiſſe, idem Porphyrius eſt auctor. Id ſi animadvertiſſet Doctiſſimus Cardinalis, neque contra Euſebii fidem Origenem Adamantium, quem ab alio non diſtinxit, ſecundò Romam abiiſſe ad Fabianum Papam, purgandi ſui cauſâ, excogitaſſet, neque aliis idem ut crederent, cauſam præbuiſſet: hoc enim unus ille Porphyrii locus Viro magno perſuaſit.

III. *Dionyſius Alex. Origeni favet.*

Præterea ſcribit Baronius, *Heraclam* Epiſcopum Alexandrinum Origeni in omnibus faviſſe, ideoque poſt Demetrii hujus deceſſoris mortem turbas adverſus Origenem conſopitas fuiſſe; Dionyſium verò Heraclæ ſucceſſorem Origeni infenſiſſimum ſe præbuiſſe. Verùm, ut Huetius Vir eruditiſſimus lib. I. Origenian. cap. 2. num. 15. annotavit, non aliter in Origenem *Heraclas* animatus fuit, ac deceſſor ipſius *Demetrius*. Gennadius enim in lib. de Viris Illuſtribus ſcribit, Theophilum Alexandrinum Epiſcopum tradidiſſe Origenem, *non à ſe primum, ſed ab antiquis Patribus, & maximè Heracla fuiſſe & à Preſbyterio ejectum, & de Eccleſia pulſum, & de civitate fugatum*. Idem habet Scriptor Vitæ S. Pachomii, & Epiſtola Synodica Epiſcoporum Ægypti, cujus Fragmentum affert Juſtinianus in Epiſtola ad Menam: *Cùm enim impias orationes habere cœpiſſet, beatæ memoriæ Heraclas Epiſcopus, qui tunc florebat, tanquam arator, & vinitor veritatis, ſtudioſus Eccleſiaſtici agri, eum è medio pulchræ ſegetis, ſic tanquam verè malam Zizaniam evellit*. Eſt ſimile quidpiam apud Petrum Alexandrinum in Myſtagogia, cujus particulam recitat Juſtinianus in eadem Epiſtola: *Quid autem dicam Heraclam & Demetrium beatos Epiſcopos? quales tentationes ab inſano Origene paſſi ſunt, cùm & diſſidia ſereret in Eccleſia, quæ ad hanc uſque diem turbas in ea excitarunt*. Denique Photius in Bibliotheca codice c XVIII ait, edicto Demetrii ſubſcripſiſſe quotquot ipſi Origeni antea ſuffragati fuerant. Cauſam verò cur Origenem à Dionyſio Epiſcopo Alex. oppugnatum crediderit Baronius, nullam affert. Quare meritò Halloixius in Notat. ad Origen. Defen. lib. 1. cap. 22. & Huetius citatus cap. 3. num. 10. hanc ejus opinionem repudiarunt, & Origenem, quoad vixit, ſummopere à Dionyſio obſervatum, & poſt ejus mortem etiam laudatum fuiſſe contendunt. Certè Origeni in tormentis exiſtenti Dionyſius Alex. qui ejus fuerat diſcipulus, librum de Martyrio ſcripſit, quo animum illi dolore ac miſeriâ tabeſcentem relevaret, & ei ſolatii præſtaret vicem, qui aliis hanc omnibus præbere ſolitus erat. Tum vitâ functum laudibus proſecutus eſt in Epiſtola ad Theotechnum, ſeu Theoctiſtum Cæſarienſem Epiſcopum, ut à Gobaro apud Photium codice CCXXXII proditum eſt.

IV. *Heraclæ Alex. Epiſcopi obitus.*

Heraclæ obitus anno Chriſti ducenteſimo quadrageſimo ſeptimo contigit. Scaliger in Animadverſ. Euſeb. notat, Codicum omnium tam ſcriptorum, quàm editorum Chronici Euſebiani unâ conſpiratione Heraclæ mortem conjici in annum quintum Philippi: ideoque ſtare non poſſe quod tradit Euſebius in Hiſtoria lib. 6. cap. 35. anno nempe Philippi tertio Heraclam *poſt ſexdecim Epiſcopatûs annos* diem extremum obiiſſe. Jam Pontacus in Notis ad Chronicum Euſebii obſervarat, hunc lib. 7. cap. 28. Hiſtoriæ aſſerere, Dionyſium è vivis exceſſiſſe *anno Principatûs Gallieni duodecimo, cùm Alexandriæ Epiſcopatum ſeptemdecim annos occupaſſet*: annum verò XII Gallieni in annum Chriſti CC LXIV incidere, ideoque Dionyſii initium cum tertio Philippi Imperatoris anno concurrere non potuiſſe. Sed ſi anni illi XVII anno ſequenti incipiantur, quo tertius Philippi adhuc in curſu erat, Heraclas annos ſedecim, quot ei Euſebius aſſignat, ſederit. Inanis itaque doctorum Virorum conjectura, qui exiſtimant, in Hiſtoriam Euſebii, ubi de Heraclæ annis ſermo eſt, errorem irrepſiſſe. De annis enim XVI conſentit Indiculus Nicephori juxta MS. Londinenſe. Nam editio Pariſienſis corrupta, ut obſervat Pearſonius in Annalibus Cyprianicis, qui addit, in eodem Manuſcripto annos XVII Dionyſio attribui. Quare mors Heraclæ ad annum CC XLVII pertinet.

V. *Origenes ſedente Fabiano PP. Romæ non fuit.*

Euſebius lib. 6. cap. 36. de Origene jam ſexagenario majore ait: *Sed & ad Fabianum Romanæ urbis Epiſcopum & ad complures alios Eccleſiarum Antiſtites de rectâ fidei ſuæ ratione epiſtolas ſcripſit*. Cùm verò exiſtimaret Baronius, Origenem Philippi Imperatoris temporibus Romam ſe contuliſſe, ibique Plotinum audiviſſe, putavit, eum à Fabiano in re tanta ad dicendam cauſam fuiſſe vocatum: vel quòd ille non recepiſſet ab eo ſcriptam Fidei confeſſionem, ipſum ſponte Romam apud eum ſe purgaturum acceſſiſſe, idque Euſebium dolo reticuiſſe. Verùm licèt incertum ſit, quid de hac Fidei profeſſione contigerit, Origenem tamen, Philippo imperante, Romam non veniſſe, neque illum Plotini Romæ auditorem fuiſſe, ſed quendam alium Origenem ab Adamantio diverſum, ex ſuprà dictis certum redditur. Ad Fabianum autem ſcribere coactus fuit Origenes, quòd dum nomen ejus maximè celebraretur, à nonnullis infamaretur.

Baron. num. III & IV.

Anno Urbis 1000.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5740. ☉ 4 C. ☽ 1. P. 11. APRIL.
INDICT. 10.
JESU CHRISTI 247. *ſecundùm Baronium* 249.
FABIANI PAPÆ 12.
PHILIPPI IMP. 4. ET PHILIPPI JUNIORIS IMP. 1.

I. *Conſules.*

COSS. *M. Julius Philippus Aug. II*, & *M. Julius Philippus Cæſar.*

Sumtus hic Conſulatus à Philippo ſeniori juxta ſextam regulam, propter Ludos nempe Seculares hoc anno inchoatos, quos in ſuo & filii Conſulatu edidiſſe teſtatur Capitolinus in Gordiano III cap. 33. Philippus junior, qui juxta tertiam regulam Conſul proceſſit, hujus anni initio adhuc Cæſar erat, ut oſtendit Inſcriptio, quam Gruterus pag. 273. ſeſe ex Cambdeno accepiſſe dicit:

IMP. CAES
PHILIPPO
PIO, FELI
CI
AUG
ET M. IMP. PHI
LIPPO NOBILIS
SIMO TR. P. COS.

II. *Philippus junior Auguſtus renuntiatur.*

Porro Philippum juniorem præſenti anno Auguſtum nuncupatum fuiſſe, non verò ſecundo Imperii paterni anno, ut arbitratus eſt Baronius, evincit locus Panegyrici ab Auctore incerto Maximiano Herculio & Conſtantino M. anno CCCVII recitati. In eo num. 3. poſtquam Orator dixit, Conſtantinum per ſocerum, Herculium nempe, cujus filiam Fauſtam eo anno conjugem duxit, nomen Imperatoris accepiſſe, gratiaſque utrique Principi reddidit, quòd in ſuſcipiendis liberis omnibus ſeculis prodeſſent, ait: *Quod huic veſtro in Rempublicam merito poſſumus dignum nomen adſcribere? Qui non plebeio germine, ſed Imperatoria ſtirpe Rempublicam propagatis, ut quod milleſimo anno poſt Urbem conditam eveniſſe tandem gratulabamur, ne mutatoria per novas familias communis ſalutis gubernacula traderentur, id eſt, omnibus dureſ ætatibus, Imperatores ſemper Herculii.* Sed hæc verba, *ut quod milleſimo anno poſt Urbem conditam eveniſſe tandem gratulabamur*, inter duas parentheſes, ut ſenſus verborum conſtet, claudenda: vox verò, *ut*, in eo loco ſignificat *quemadmodum*, vel *ſicut*, id eſt, ſicut eandem rem anno Urbis milleſimo eveniſſe gratulabamur. Currenti itaque anno, quo milleſimus Urbis celebratus fuit, Philippus ſenior Philippum filium Auguſtum dixit. Agebat hic annum ætatis decimum, cùm anno vitæ duodecimo, Aurelio Victore teſte, perierit; indicatque Orator, non tantùm eum Auguſtum renuntiatum, ſed & ſponſalia, conceptis de futuro verbis, pacta fuiſſe. Toto enim eo numero de liberorum procreatione & educatione Orator agit.

Baron. an. 245. num. IV.

III. *Congiarium ob Philippi junioris nuncupationem populo datum.*

Extant Philippi ſenioris duo Numiſmata, quorum primum à Monterchio in Rarioribus maximi moduli Numiſmatis pag. 97. alterum à Strada pag. 117. refertur. In priori legitur: CONCORDIA AUGUSTORUM. Viſuntur tria capita, conjuncta duo, Philippi ſc. & Otaciliæ uxoris, Philippi filii caput reſpicientia. In poſtica: P. M. TR. P. III. COS. in eaque inſignis largitionis imago exhibetur. In poſteriori Nummo etiam majoris moduli habetur: IMP. CAES. M. JUL. PHILIPPUS AUG. in poſtica, P. M. TR. POT. III. COS. II. P. P. Repræſentantur tres viri togati ſedentes, treſque alii ſimiles è regione, in medio quorum ambo Philippi, pater & filius, in ſublimiori ſuggeſtu ſedent. Ulteriùs eſt populus, viri nempe, ac mulieres, ac pueri, qui concurrunt ad accipiendum Congiarium, quod expreſſum eſt in viro quodam, qui teſſeram tenet. Monterchius V. C. exiſtimat, in utroque Nummo cerni magnificam Largitionem Philippi, ſeu Congiarii populo dati in celebratione novi ſeculi, ſeu anni milleſimi Urbis, quòd Baronius obſervatit, milleſimum illum annum à die XXI Aprilis Urbis natali incepiſſe, & ſequenti Chriſti anno terminatum eſſe. Verùm non dubito, quin ſecundus Nummus ad inaugurationem Philippi junioris pertineat, cùm ſoliti eſſent Imperatores Congiarium populo dare, quando filios Cæſares renuntiabant, aut Imperii Collegas nuncupabant. Præterquam quòd in Nummis, in præcedentibus Ludis Secularibus percuſſis, nullum cernitur Congiarii veſtigium. Quoad primum Nummum ejuſdem Philippi ſenioris, cùm is in eo dicatur Conſul ſine ulla numerali nota, ante præſentem annum ac poſt annum CCXLV, quo Philippus ſenior primum Conſulatum geſſit, percuſſus, eo ſc. tempore quo Philippus junior adhuc tantùm Cæſar erat. Ex quo & intelligimus, Cæſares cum Auguſtis in Nummis conjunctè memoratos, Auguſtos & ipſoſmet appellatos fuiſſe, quod magis in hujus Operis decurſu declarabitur.

IV. *Ludos Seculares Zoſimus memorare non debuit.*

Ad num. III. In 2. part. Diſſert. Hyp. c. 10. n. V, & in Prolegom. ejuſdem Diſſert. num. XI & XII oſtendi, Zoſimum lib. 2. perperam à Baronio reprehenſum, quòd Ludorum Secularium ab utroque Philippo editorum mentionem non fecerit. Zoſimus enim de Ludis Secularibus centenariis Urbis reſpondentibus, quales fuerunt qui hoc anno celebrati, ſermonem non inſtituit; ſed de his tantùm, qui juxta ordinationem Auguſti exhibiti ſunt, quibus credebant, Urbem, juxta vetus oraculum, bellis & morbis liberandam. Quare non mirum, ſi de Ludis Secularibus hoc anno exhibitis mentionem non fecerit; cùm eos hanc vim non habere, eoſque irregulares eſſe crediderit, ut in præfatis Prolegomenis demonſtravi. Neque enim eoſdem ſilentio Zoſimus prætermiſit, quòd à Chriſtiano Imperatore celebrati fuerint, ut credidit Baronius. Philippus enim nondum Chriſtianam Religionem ſuſceperat, quando hos Ludos edidit. In Actis S. Pontii ex correcta editione Baluzii Viri eruditiſſimi tom. 2. Miſcellan. dicitur, utrumque Philippum *tertio Imperii eorum anno* milleſi-

Baron. num. IV & ſeqq.

mum Urbis celebraſſe, ideoque currenti anno, quo tertius Philippus annus abſolvitur: *& ex illa die & deinceps ſacrificia idolorum declinantes, ſpectacula tantùm pro concluſione milleſimi anni, quo Natalem Urbis celebrabant, fieri imperaverunt.* Sed certius argumentum deſumitur ex Euſebio in Chronico, ubi de iiſdem Ludis dicitur; *Ob quam ſolennitatem innumerabiles beſtiæ in Circo magno interfectæ: Ludique in Campo Martio theatrales tribus diebus ac noctibus populo pervigilante celebrati.* Quibus ex verbis liquet, immolatas fuiſſe beſtias, Ludoſque Terentinos Diis conſecratos, ut docet Zoſimus lib. 2. celebratos fuiſſe.

V. *Philippus nondum Chriſtianus, quando Ludos Seculares celebravit.*

Ludi hi tribus diebus ac tribus noctibus perdurabant, ut ſcribit idem Zoſimus, cui conſentit Auſonius,

Trina Terentino celebrata trinoctia Ludo.

Omnia verò ſpectacula in Ludis à Philippo editis repræſentata fuiſſe, prodit Capitolinus in Gordiano juniori cap. 33. *Fuerunt ſub Gordiano*, inquit, *Romæ elephanti triginta & duo, quorum ipſe duodecim miſerat, Alexander decem: alces decem, tigres decem, leones manſueti ſexaginta, leopardi manſueti triginta, belbi, id eſt, byenæ, decem: gladiatorum fiſcalium paria mille: hippopotamus & rhinoceros unus, archoleontes decem, camelopardali decem, onagri viginti, equi feri quadraginta; & cetera hujuſmodi animalia, innumera & diverſa: quæ omnia Philippus Ludis Secularibus vel dedit, vel occîdit. Has autem omnes feras manſuetas, & præterea efferas parabat ad triumphum Perſicum: ſed votum publicum nihil valuit. Nam omnia hæc Philippus exhibuit Secularibus Ludis & Muneribus, atque Circenſibus: cùm milleſimum ab Urbe condita annum in Conſulatu ſuo & filii ſui celebravit.* Denique in Philippi Secularibus Ludis hoſtias *Pontificum lege* mactatas eſſe, ſcribit Victor de Cæſaribus; & Euſebius laudatus dicens, Ludos celebratos eſſe in Circo magno & in Theatro, ſupponit, Philippum in Capitolium aſcendiſſe; quia, ut tradit Zoſimus laudatus, conſcenſo Capitolio, & conſuetis ibidem immolatis hoſtiis, ad conſtructum inde Theatrum progreſſus fiebat, & Apollini ac Dianæ Ludi dedicati edebantur, ut oſtendit Blondellus in libro contra Primatum. Philipporum itaque converſio Ludos Seculares ſubſecuta eſt, non verò præceſſit. Baronium decepit Paulus Oroſius, qui lib. 7. cap. 13. ait: *Ludis magnificis auguſtiſſimus omnium præteritorum hic natalis annus à Chriſtiano Imperatore celebratus eſt. Nec dubium eſt, quin Philippus hujus tantæ devotionis gratiam & honorem ad Chriſtum & ad Eccleſiam reportarit: quando vel aſcenſum fuiſſe ab eo Capitolium, immolataſque ex more hoſtias, nullus Auctor oſtendit*; cùm tamen tam in Chronico Euſebii, quàm in Victore de Cæſaribus id diſertè legatur.

VI. *An dici poſſit, Philippum initio Imperii fuiſſe Chriſtianum.*

Clariſſimus Huetius lib. 1. Origenian. cap. 3. num. 12. ait, ſi duæ illæ ſupereſſent epiſtolæ, quas Origenes ad *Philippum* Imperatorem ejuſque uxorem *Otaciliam Severam* ſcripſit, certò conjici poſſe, veréne Chriſto adhæſerint, quemadmodum ab Auctoribus Chriſtianis proditum eſt; an à Chriſtianis partibus fuerint alieni; quod perſuadet Ethnicorum Auctorum de nova ab iis ſuſcepta Religione ſilentium; & multorum præterea tum Chriſtianorum, tum Ethnicorum conſenſus, à quibus primus inter Imperatores Chriſtum profeſſos Conſtantinus celebratur. Si publicè Chriſtianorum Fidem profeſſus fuiſſet Philippus, veriſimile non eſt, tacituros id fuiſſe Ethnicos Scriptores. Nec multò veriſimilius, ſi Chriſtianus non fuiſſet, id prodituram Euſebium, temporibus illis proximum; cùm utramque eum ad Philippum & uxorem ejus ab Origene ſcriptam epiſtolam vidiſſe conſtet. Sic itaque Huetius ſentit, initiatum ſc. Chriſti ſacris à Fabiano Papa fuiſſe Philippum, ſed occultè, idque clam Ethnicos habuiſſe; ne quid inde res ſuæ detrimenti caperent, quas priſtinæ Religionis ejuratæ fama forſitan conturbaſſet. Hinc ab Ethnicis Scriptoribus tacitum illud eſt, à Chriſtianis celebratum. Quod autem ex Euſebio lib. 6. cap. 34. objici poteſt, publicè eum in Eccleſiam ab Epiſcopo (is fuit Babylas) admiſſum, precationum participem fuiſſe factum, poſtquam crimina confeſſus in pœnitentium ordinem redactus eſt; id ſanè animadvertendum eſt, ex incerta auditione Euſebium retuliſſe. Antiochiæ præterea contigiſſe fertur illud, ubi florebant res Chriſtianorum, quibus tum præerat Epiſcopus *Babylas*; in extremis videlicet Romanæ ditionis oris, procul à Romanorum conſpectu, quos præ ceteris hujuſmodi facinus poterat commovere. Huc accedit, in medio Chriſtianorum cœtu, conſcio cum paucis Epiſcopo, Imperatorem facilè deliteſcere potuiſſe, mutata veſte, & Imperatoriis inſigniis detractis. Sub ipſa porro Imperii ſui initia Chriſti doctrinam amplexum fuiſſe Philippum, ex eo liquet, quòd in cœtum Chriſtianorum jam creatus Imperator recipi poſtulaverit Antiochiæ, quò niſi poſt arreptum recèns Imperium ſe ſe uſquam contulit. Hoc eruditiſſimi Huetii judicium, quod hîc proponere viſum. Quæ verò adverſus illud proferri poſſunt, non difficilem ex iis, quæ ex illo mox retulimus, ſolutionem habent.

VII. *Ludi Seculares Philippi noni & ultimi fuere.*

Ceterùm, Zoſimum immeritò Baronius reprehendit, quòd Ludorum Secularium ab Honorio Imperatore Chriſtiano celebratorum non meminerit. Nullos enim Ludos Seculares Honorius edidit, neque alii poſthac celebrati, ut infrà videbimus, & conſtat ex iis, quæ in Diſſert. Hypatica cap. 10. num. 7. & in Prolegomenis ad eandem Diſſert. num. 11. & 12. ſcripſi. Quare Ludi illi ab utroque Philippo celebrati noni & ultimi fuere.

VIII. *Ludi Seculares magnificentiſſimi.*

Ex laudato Capitolini loco liquet, hos Ludos magnificentiſſimos fuiſſe, ac pluribus diebus perduraſſe, quod Mediobarbus in Numiſmatis Impp. pag. 346. ex Nummis Philippi ſenioris colligit, in quibus ſingulo die aſſignatum ferarum peculiare genus videtur. Nam iis in Nummis Seculares Aug. I, II, III, uſque ad X, cernuntur, ex quibus genus ferarum primo, ſecundo, vel decimo die exhibitarum indica-

tur. v. g. in averſa parte Nummi Philippi ſenioris habetur: SAECULARES AUGG. I. Cernitur leo gradiens. In averſa parte alterius, SAECULARES AUGG. II. Lupa cum Romulo & Remo. In alia: SAECULARES AUGG. III. Ibix. In alia: SAECULARES AUGG. V. Cervus. In alia: SAECULARES AUGG. VI. Hyena. In alia denique: SAECULARES AUGG. X. Panthera. Quibus Nummis præfatus Capitolini locus luculenter explicatus. Dicit ibidem Capitolinus, Philippum hos Ludos *in Conſulatu ſuo & filii ſui* celebraſſe, ad hunc ſc. annum celebriorem reddendum. Denique hi Ludi, quemadmodum & ceteri Seculares, ætate editi, ut jam dixi in Ludis Secularibus Domitiani, ubi & indicavi, Ludos Philippi fuiſſe tantùm ſignatos in Nummis, qui Conſulatum III anno ſequenti geſtum exhibent, quòd mos tuliſſe videatur, ut ii Nummis non inſculperentur, donec celebrati eſſent. Nec video hujus rei aliam rationem dari poſſe.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5741. ☉ 5 BA. ☽ 2. P. 28. MART. INDICT. II.
JESU CHRISTI 248. *ſecundùm Baronium* 250.
FABIANI PAPÆ 13.
PHILIPPI IMP. 5. ET PHILIPPI JUNIORIS IMP. 2.

I. *Conſules.* COSS. *M. Julius Philippus Aug. III, & M. Julius Philippus Aug. II.*

Sumtus Conſulatus a Philippo ſeniori, juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam, ob nempe ejus Quinquennalia; à Philippo verò juniori, juxta primam, quia ſc. anno præcedenti Auguſtus dictus eſt. In Diſſertatione Hypatica pag. 231. ſcripſi, apud Occonem extare Nummum Philippi ſenioris cum Tribunicia Pot. IV, ac Conſulatu III, & in poſtica cum Votis Decennalibus, cùm tamen hæ ſint partes duorum diverſorum Nummorum, & qui exhibent Vota Decennalia initio Imperii, non verò in Quinquennalibus, per hæc tempora cuſi fuerint. Per inconſiderantiam etiam hæ duæ partes duorum diverſorum Philippi ſenioris Numiſmatum, in quarum altera, *Trib. Pot. V. Coſ. III.* cum alia, in qua habetur, *Saeculum novum*, ibidem à me copulatæ, quod omnino corrigendum.

II. *S. Cyprianus fit Epiſc. Carthag.* Baron. num. II. Ad num. I. Ideo Baronius, Pearſonius in Annalibus Cyprianicis, aliique Viri docti S. Cyprianum ſub hujus anni Conſulibus Epiſcopum Carthaginienſem conſtitutum eſſe exiſtimant, quia ipſe Cyprianus in epiſtola quinquageſima nona ad Cornelium, ſub initio perſecutionis Galli Imperatoris anno CCLII menſe Julio data, ſe *plebi ſuæ in Epiſcopatu quadriennio jam probatum* ſcribit. Verùm cùm incertum ſit, an Cyprianus eo in loco annos integros, vel tantùm utrimque incompletos intelligat, incertum pariter, an hoc vel ſequenti anno Epiſcopatum illum Cyprianus obtinuerit. Neque enim deprehendere poſſumus, an Antiqui quadriennio, aut ſimilibus loquendi formulis annos integros ſignificent, niſi adjuncta ac circumſtantiæ, hac in parte deficientes, ad id animum determinent.

III. *Primordia S. Cypriani.* Baron. num. v & ſeqq. Ad num. II & III. *Cyprianus* in ipſa urbe Carthagine Fidem ſuſcepit, ut ipſe teſtatur in epiſtola ad Clerum Carthaginienſem, dum ait: *Ubi enim aut melius poſſit eſſe aut lætius, quàm illic, ubi me Deus credere voluit, & creſcere?* Idque rectè Suidæ obſervatum: Converſus eſt autem operâ *Cæcilii* Preſbyteri Carthaginienſis, *cùm priùs idololatriæ aſſertor fuiſſet*, ut teſtatur Hieronymus. Unde quaſi in familiam divini ſenis aſſumtus prænomen *Cæcilii* poſtea ſortitus eſt. Hunc Cæcilium fuiſſe aliquando Diadumeniani Imperatoris magiſtrum conjicit Baronius. Verùm cùm Afer ille Rhetor nec Cæcilius, nec Cæcilianus apud Capitolinum, quem unicum pro ſua ſententia adducit, ſed *Celianus* ſcribatur etiam in omnibus vetuſtis membranis, teſte Caſaubono, ea conjectura minimè admittenda. Docet etiam Baronius, Cyprianum jam ſenem ad Chriſtum converſum; cùm Pontius, quamvis per tredecim ferme annos poſt converſionem multa ac dura paſſum dicat, nunquam ſenectutis mentionem faciat. Adhibet quidem Baronius hoc Cypriani teſtimonium ad Donatum: *Quî poſſibilis, aiebam, eſt tanta converſio, ut repentè & perniciter exuatur, quod genuinum ſitu materiæ naturalis obduruit, vel uſurpatum diu ſenio vetuſtatis inolevit?* Sed teſtimonium illud ad rem non facit; cùm ibi ſummus ille Orator non de ſua ætate, ſed de conſuetudine peccandi longo uſu roborata loquatur. Hæc omnia Pearſonio in Annalibus Cyprianicis obſervata.

IV. *Cyprianus ante converſionem uxoratus.* Baron. num. x. Cyprianum uxoratum fuiſſe, ex his Pontii in ejus Vita verbis deducit Fellus in Notis ad eam Vitam: *Non illum penuria, non dolor fregit. Non uxoris ſuadela deflexit: non proprii corporis dira pœna corripuiſſet.* Quare perperam Pearſonius citatus, Cyprianum uxoratum fuiſſe, quod Baronius ſcribit, non conſtare tradit. Rectè tamen obſervat, deceptum eſſe Baronium, dum ait, ſcribere Pontium, *Cyprianum*, cùm primùm Fidei Chriſtianæ Sacramenta libavit, ſeculo nuntium remiſiſſe, chariſſima conjuge & dulciſſimis liberis, Chriſti amore, commendatis illis Cæcilio Preſbytero, relictis, eminentioris vitæ iter confeſtim arripuiſſe. Loquitur enim ibi Pontius de uxore & liberis Cæcilii Preſbyteri Carthaginienſis. *Denique*, inquit Pontius, *ille* (nempe Cæcilius) *demulſus ejus* (ſcilicet Cypriani) *obſequiis, in tantum dilectionis immenſæ merito provocatus eſt, ut de ſeculo excedens, arceſſitione jam proxima commendaret illi* (nempe Cypriano) *conjugem & liberos ſuos, & quem fecerat de ſecta communione participem, poſtmodum faceret pietatis hæredem.* Quæ Pontius de conjuge & liberis, non Cypriani, ſed Cæcilii, qui Cyprianum Chriſtianum fecerat, ſcribit. Sed quod ſubjicit Pearſonius, Vir Sectæ Proteſtantium, dum vixit, addictus, à veritate alienum: *Erant*, inquit, *tunc temporis, quemadmodum antea, Preſbyteri in Eccleſia Afri-*

cana conjugati, ut hic Cecilius, & Novatus, qui uterum uxoris calce percuſſit: quibus addi fortaſſe debent Felix cum uxore Victoria; & Numidicus, qui uxorem adhærentem lateri ſuo concrematam lætus aſpexit ipſe ſeminuſtulatus: quod hinc obſervari noluit Cardinalis. Verùm vana hæc omnia; jam enim Pamelius in Notis ad epiſtolam Cypriani LII, quæ ipſi eſt XLIX, in qua de Novati ſceleribus agitur, & Schelſtratius in Eccleſia Africana Diſſert. III cap. 4. annotarunt, hæc ſimiliáve exempla aliud non probare, quàm ex matrimonio junctis ad Sacerdotium fuiſſe promotos, quos poſtea matrimonio uſos oſtendere debuiſſet Pearſonius, ut ejus argumentum vim haberet. Adeo autem verum eſt, ex Apoſtolico inſtituto Presbyteros continentiæ legi fuiſſe obſtrictos, ut in ſecundo Carthaginienſi Concilio ſub *Genethlio* anno CCCXC celebrato, in quo ſtatutum, *ut Epiſcopi, Preſbyteri, vel Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes, etiam ab uxoribus ſe abſtineant*, Genethlius ſubjunxerit: *Ut, quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit Antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.* Quid clarius? Verùm hæc obiter dicta ſunto; in Hiſtoria enim elucidanda, & Chronologia reformanda totus labor noſter verſari debet. Ceterùm, Cyprianum fuiſſe genere illuſtrem, & primum ſuæ civitatis Senatorem dixit Baronius, quia exiſtimabat, noſtrum Cyprianum eundem eſſe ac illum, de quo Nazianzenus Orat. 18. Sed ex ea Oratione manifeſtum eſt, eum diverſum eſſe; quod Billius jam obſervarat, quódque nunc extra controverſiam eſt.

V.
Libri à S. Cypriano editi.

Cyprianus poſt baptiſmum ſcripſiſſe videtur epiſtolam, ſive libellum potiùs ad Donatum & in Oratoria profeſſione & in baptiſmo ſocium; in quo Opuſculo Chriſtianæ Religionis vim atque virtutem mirè extollit, & ſtylo planè oratorio depingit. Videtur & adhuc Laïcus libellum *de Vanitate Idolorum* conſcripſiſſe; tum quòd illius non meminit Pontius, dum ſeceſſum Epiſcopi ſui excuſat; tum quòd tales libri Apologetici pro Chriſtianis adverſus Gentes à viris eruditis ad Fidem converſis ſcribi ſolerent: tum quod de hoc argumento quamprimum ſcribere voluiſſe videatur, quòd ipſe antea idololatriæ aſſertor fuiſſet. Hoc verò anno, aut ſaltem inſequenti ſub exordio Epiſcopatûs ſui, dum continentiæ maximè ſtuderet, & diſciplinæ inſerviret, ſcripſit præclarum Opuſculum *de habitu Virginum*, ut conjicit Pearſonius.

VI.
Perſecutio Alexandriæ excitata.

Baron. ann. 2?? num 11 & ſeqq.

Orta hoc anno perſecutio Alexandriæ ex motu populari; quales motus ea in urbe frequentes fuiſſe ex quacumque vel leviſſima cauſa, præſertimque annis Quinquennalibus & id genus feſtis addictis, aliunde notiſſimum eſt. Dionyſius enim Alexandrinus, cujus teſtimonium extra omnem aleam eſſe debet, in epiſtola ad Fabium Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum ſub Imperio Decii ſcripta, & ab Euſebio lib. 6. cap. 41. recitata, aſſerit, hanc perſecutionem popularem integro anno ante edictum Decii contigiſſe, cùm aliæ Eccleſiæ alta pace ſub Philippo Imperatore fruerentur: *Nequaquam*, inquit Dionyſius, *ex Imperatoris edicto perſecutio apud nos cœpta eſt: quippe quæ integro anno anteverterat.* Quare cùm anno ſequenti circa menſem Julium Decius imperare cœperit, nullus dubito, quin præſenti ea perſecutio mota ſit, licèt Pearſonius in Annalibus Cyprianicis eam ad annum ſequentem pertinere contendat. Nam jam per annum integrum graſſata fuerat, tempore Paſchali anni Chriſti inſequentis, quo deſiit. Sulpicius Severus ſcribit: *Severo imperante Chriſtianorum vexatio fuit: interjectis deinde annis VIII & XXX pax Chriſtianis fuit, niſi quòd medio tempore Maximinus nonnullarum Eccleſiarum Clericos vexavit.* Severus anno CCXI è vivis exceſſit, ideoque anni illi triginta octo currenti Chriſti anno terminantur. Pearſonius tamen eam perſecutionem doctè explicat, verbis de incerto Auctore hujus præviæ perſecutionis proximè ſequentibus, nondum rectè intellectis: ἔφθασεν ὁ κακῶν τῇ πόλει ταύτῃ μάντις, καὶ ποιητὴς, ὅστις ἐκεῖνος ἦν, κινήσας καὶ παρορμήσας καθ' ἡμᾶς τὰ πλήθη τῶν ἐθνῶν. Hinc enim Magum quendam populum Alexandrinum inſtigaſſe vult Baronius, & quidem eum ipſum, qui poſtea Valerianum adverſus Eccleſiam concitavit: ſed Vatem & Poëtam potiùs eum fuiſſe ſtatuit Valeſius in Notis ad præfatum locum, quia Poëtæ cum Vatibus magnam habent ſocietatem, & Ægyptii Poëticâ delectabantur: unde ea Dionyſii verba ſic tranſtulit: *Etenim infauſtus quidam Vates ac Poëta, quiſquis ille fuit, commoverat jam antea, atque incitaverat adverſus nos Gentilium turbas.* Sed neuter, inquit Pearſonius, mentem magni illius Rhetoris aſſecutus eſt: ſimpliciter enim vertendum: *Et prævertens malorum huic urbi vates & auctor, quiſquis ille fuit, commovit & incitavit adverſus nos Gentilium turbas.* Hoc quippe voluit Dionyſius, neſcio quem, priorum civitati malorum auctorem fuiſſe ſub Philippo, futurorum autem ſub Decio Vatem: qua occaſione arrepta, luculentam rerum, quæ tunc in Imperio Romano contigerunt, obiter hiſtoriam texit: quam alibi certo temporis intervallo ſignatam vix reperies, quæque hîc cum Pearſonio explicanda.

VII.
Civile bellum perſecutioni finem imponit.

Etenim hæc perſecutio Alexandriæ ſub Imperio Philippi Chriſtianis maximè benigno, ex motu populari & tumultuario orta, referente Dionyſio, ἐπιπολὺ, hoc eſt, *diu*, non *diutiſſimè* (ut Valeſius) duravit. Uſque ad feſtum Paſchatis, quod edictum Decii præceſſit, ſævuiſſe, Dionyſius ipſe indicat in epiſtola Paſchali apud Euſebium lib. 7. cap. 22. *Multa quidem & acerba ante hanc calamitatem nobis contigerunt. Primum enim nos expulerunt; cùmque ſoli ab omnibus fugaremur, & morti exponeremur, etiam tum feſtum celebravimus, Paſchale* ſc. de quo agit. Hæc ſanè de hac perſecutione populari, quæ prima ſub Dionyſio fuit, & ſolos ſpectabat Alexandrinos, omnino intelligenda ſunt, ut rectè animadvertit Valeſius; qua adhuc durante, Confeſſores Alexandrini urbe pulſi & fugati, in ipſa ſolitudine feſtum Paſchale celebrabant. Orta enim inter ipſos Gentiles ſedi-

tio perſecutionem eam popularem repreſſit. Ita Dionyſius: Διαδεξαμένη δὲ τοὺς ἀθλίους ἡ στάσις καὶ ὁ πόλεμος ὁ ἐμφύλιος τὴν καθ' ἡμῶν ὠμότητα πρὸς ἀλλήλους αὐτῶν ἔτρεψαν. Ubi pro ἀθλίους, mallem legere ἄθλους, quæ vox agonibus ſeu certaminibus & paſſionibus Martyrum frequenter attributa eſt, & in hac ipſa epiſtola poſtea ita uſurpatur, ut ſenſus ſit: *Excipiens autem hos agonas ſeditio cum civili bello, crudelitatem contra nos in ipſos mutuò convertit.* Id enim διαδέχεσθαι poſtulat, quod ſucceſſionem ſignificat: quæ quidem hoc loco non perſonas, ſed res ſpectat. Verùm quocumque modo legas, ſeditio cum civili bello inſperatò exorta perſecutioni huic populari, quæ integro anno ante edictum Decii eruperat, poſt Paſcha anni CC XLIX finem impoſuit.

VIII. *Marinus & Jotapianus tyrannidem arripiunt.* Secundò, ſeditio illa, quæ perſecutionem Alexandrinam tunc temporis ſedavit, variorum motuum cauſa extitit, ut diſcimus ex Zoſimo lib. 1. *Cùm autem rerum perturbationes eodem tempore plures incidiſſent, Orientales quidem partes, novas ad res converſa, Jotapianum ad ſummam rerum provexerunt, itidemque Myſorum & Pannoniorum legiones Marinum.* Jotapiani nulla ſuperſunt Numiſmata, ſed Marini duo Græca Mediobarbus in Numiſmatis Impp. recitat. In quorum antica legitur, ΘΕΩ ΜΑΡΙΝΩ, id eſt, *Divo Marino.* In averſa parte: ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙΤΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑΣ. S. C. id eſt, *Colonia Philippopolitanorum, Senatuſconſulto.* Quam conſecrationem Mediobarbus ad Philippopolitanos ingenioſè refert, fortè ob defenſionem hujus urbis contra Scythas à Marino (vel cùm Sarmatici Limitis Dux, vel cùm Auguſtus fuit) ſuſceptam. Hoſtes enim eidem inhiabant, utpote opulentiſſimæ, & regionis capiti, & quam Decio imperante, captam direpſere. Sed quidquid ſit, Jotapianus & Marinus *non magno labore* deturbati, ut Zoſimus teſtatur. Quo tempore Chriſtiani Alexandriæ paululum reſpirarunt, ut ait Dionyſius; qui adhuc progreditur, & rerum in Republica ſtatum ſic deſcribit: *Subitò autem Imperii illius erga nos benignioris mutatio nuntiata eſt.* Et mutatio illa non *animi mutatio* fuit, ut non benè locum vertit Chriſtophorſonus, cui adhæſit Baronius, ſed ipſius Imperii ex ſubita utriuſque Philippi nece. *Decius* enim ſublato Marino ad Pannonicas legiones caſtigandas à Philippo miſſus, in Pannonia renuntiatus eſt Imperator ab exercitu. Qui purpurâ indutus Philippum ſeniorem Veronæ occidit, poſt quem Philippus junior Romæ interfectus. Hæc erat benignioris erga Chriſtianos Imperii mutatio, cujus ad Alexandrinos famâ perlatâ, graviſſimæ Chriſtianis minæ intentabantur. Huc uſque Dionyſius, Epiſcopus ea tempeſtate Alexandrinus, apud Euſebium partim lib. 7. cap. 22. partim lib. 6. cap. 41. utrobique enim de una eademque re intelligendus. Concludit Pearſonius, quantùm ex ejus epiſtolis conjectura capi poſſit, ineunte menſe Maio anni CC XLIX *Marinum* in Pannonia ſumſiſſe Imperium; exeunte Julio Decium, ſublato Marino, ſumſiſſe purpuram; menſe Auguſto occiſum eſſe ſeniorem Philippum Veronæ, & paulò pòſt juniorem Romæ: ac denique menſe Septembri ineunte, Decium ſe Imperatorem renuntiaſſe. Sed anno ſequenti videbimus jam circa menſem Julium *Decium* imperaſſe, Philippoſque occiſos; ideoque Marinum circa ſequentis anni initium ſeſe Auguſtum dixiſſe. Atque in hunc modum poſt perſecutionem Eccleſiæ Alexandrinæ ex motu populari ortam, poſt ſeditionem populi cum bello civili excitatam; Philipporum Imperium, qui omnium hactenus Imperatorum maximè Chriſtianis faverant, penitus exciſum eſt. Quæ Imperii *mutatio* cùm Alexandrinis nuntiata eſt, ſtatim terror & minæ intentabantur; donec ex edicto novi Imperatoris Chriſtianis maximè infenſi, graviſſima perſecutio erupit. Quæ omnino, inquit Pearſonius, mens eſt Dionyſii Alexandrini de anno Decianam perſecutionem præcedente hiſtoricè explicata, & cum reliquis veræ Antiquitatis monumentis collata. Quæ tamen tam in Annalibus, quàm in Epitome jejunè ac loco non ſuo recitata. In iiſdem etiam Marinus perperam *Macrinus* appellatur, & de *Jotapiano* nulla fit mentio.

Baron. an. 253. num. IV.

Baron. an. 253. num. CII.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5742. ☉. 6 G. ☽ 3. P. 15. APRIL. Olymp. 257.
INDICT. 12.
JESU CHRISTI 249. *ſecundùm Baronium* 251.
FABIANI PAPÆ 14.
DECII IMP. 1.

I: *Conſules;*

COss. *Fulvius Æmilianus II. & Vettius Aquilinus.* Æmilianus tam in Inſcriptione Onuphriana, quàm in Faſtis Theonis & Heraclii cum numerali nota profertur.

Mediobarbus in Numiſmatis Imperatorum pag. 351. Philippi junioris Nummum à ſe viſum producit, in cujus poſtica parte legitur: PONTIFEX MAX. TR. P. V. COS. III. P. P. Cùm verò Philippum juniorem duos tantùm Conſulatus geſſiſſe, & hoc anno Faſtis nomen non dediſſe indubitatum ſit, hæc ad Nummi explicationem ſcribit Mediobarbus: *Vel hujus Nummi averſa pars ex patris Nummo mutuata eſt, vel Pontificatus maximus Philippo juniori à patre communicatus eſt, & tertium Conſulatum extraordinarium geſſit Philippus itidem junior anno CC XLIX, antequam fato cederet.* Ex quibus conjecturis prima certiſſima. Nam in poſtica parte Nummorum unius Imperatoris tituli alterius non rarò leguntur. Mediobarbus in Severo hunc Nummum exhibet: SEVERUS AUG. PARTH. MAX. in averſa parte: PRINC. JUVENT. COS. Repræſentantur tres figuræ equeſtres decurrentes; & hæc verba *Princeps Juventutis Conſul*, non ad Severum, qui Auguſtus erat, ſed ad Getam, qui tantùm Cæſar ac Princeps Juventutis, referuntur, ut ipſemet Mediobarbus rectè obſervavit pag. 277. Ex quo, aliiſque multis hujuſmodi Nummis manifeſtè apparet, poſticam partem præfati Numiſmatis Philippi junioris intelligendam eſſe de Philippo ſeniore patre, qui ter Conſul fuit, quique anno præcedenti quintam Tribunitiam Poteſtatem & Conſulatum tertium ſuſcepit. Harduinus.

Harduinus V. Cl. in Nummis Populorum & Urbium pag. 55. Nummum Philippi patris profert inſcriptum : ΑΥΤΟΚΡΑ. Μ. ΙΟΥΛ. ΦΙΛΙΠΠΟϹ. ϹΕΒ. id eſt, *Imperator M. Julius Philippus Aug.* ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥϹΙΑϹ. ΥΠΑΤΟ. Δ. ΑΝΤΙΟΚΙΑ. S. C. Viſitur aquila. Ea verba ſic vertit Harduinus, *Tribunitiæ Poteſtatis, Conſul IV.* Et tamen Philippum ſeniorem nunquam quartum Conſulatum geſſiſſe certiſſimum. Quare cùm Harduinus ſcribat, eum Nummum in Cimelio Collegii Pariſienſis Ludovici Magni aſſervari, Virum eruditiſſimum & bene de me meritum adii, ut ſcirem, an revera ea poſtica ita inſcripta eſſet, vel Typographus erraſſet, vidique, Nummum integrum & optimæ fidei eſſe, ac Inſcriptionem in nullo vitiatam. Ea itaque littera Δ ad Conſulatum proximè delineatum non refertur, ſed aliam ſignificationem habet, mihi, aliiſque, quos conſului, ignotam. Unde hoc anno nec Philippus ſenior quartùm, nec Philippus junior tertiùm Conſul fuit.

II. *Chronologia Annalium corrupta.*

Ad num. I. Quia Baronius annos ſeptem Philippo ſeniori, qui ſextum tantùm inchoavit, attribuit, ejus Chronologia per decennium & ampliùs prorſus corrupta. Annorum enim numerus & rerum geſtarum ordo Imperatorum temporibus ad amuſſim quadrare debent. Depravata & in Annalibus Faſtorum Conſularium ſeries, quibus inniti debet Chronologia, ad eoſque dubii Imperatorum anni reduci. Et quidem Auguſtorum tempora perquam obſcura reddidit veterum Hiſtoricorum penuria, ut obſervavit Pearſonius in Præfatione ad Annales Cyprianicos. Nam & Hiſtoriæ Auguſtæ corpus hìc potiſſimùm truncatum eſt, cùm Vitæ Philipporum, Deciorum, Galli & Voluſiani à Trebellio Pollione ſcriptæ perierint; Valeriani & Gallieni mutilatæ ſint; præterea Faſti Onuphrii, aliorumque Recentiorum perturbati, & Caſſiodori Faſti, quos ſibi ſequendos ſtatuit Baronius, per hæc quidem tempora rectè diſpoſiti, ſed malè cum Imperatorum annis connexi; imò eoſdem Baronius interpolavit. Quare Faſtorum corruptio non in Faſtos veteres, ſed modernos refundenda, ut vidit Pearſonius citatus: quippe in Fragmento Conſulari à Bucherio evulgato Conſules accuratè digeſti: aliqui in initio Indiculi de Præfectis Urbi rectè exhibiti, & in Victorini Canone Paſchali omnes ſuo ordine repræſentati. Faſti etiam Siculi conſentiunt, uno excepto, quòd Decios Gallo & Voluſiano ſubjungunt, manifeſta tranſpoſitione. Denique omnes Conſulatus Imperatorum, qui non pauci fuere, Nummis & Inſcriptionibus ac Conſulatuum Cæſareorum regulis confirmantur: & non tantùm illi, ſed & reliqui quoque omnes Conſulatus, cum reſcriptis Principum in Codice Juſtinianeo, nullo alio intermixto, inveniuntur. Jam autem in Diſſert. Hypat. oſtendi, nullos Conſules in Codice tam Juſtinianeo, quàm Theodoſiano legi, qui ordinarii non fuerint. Annalium itaque reſtitutio nobis impigrè proſequenda, quamvis de ea

Spondan. poſt num. II.

non pauci deſperaverint, ipſeque Spondanus ſcripſerit, nihil ſibi libuiſſe immutare, ne aliorum errores augeret, & Alfordus tom. I. Annal. Eccleſiaſt. Britanniæ anno 262. dixerit, hos nodos ſolvere ſuarum non fuiſſe virium.

Nobis tamen ſæpius ordo hactenus ſervatus, ut narratio clarior procedat, néve tempora confundantur, immutandus erit.

III. *Perſecutio.*

Hoc anno perſecutio Alexandriæ jam ſuperiori cœpta adhuc ſæviit, ut videre eſt anno præcedenti, num. v & ſeqq.

IV. *Philippus Imp. occiſus.*

Hoc etiam anno, uterque Philippus pater & filius Impp. circa menſem Julium occiſi ſunt, ſexto Imperii anno inchoato. Victor quidem de Cæſaribus, Victor alter, & Eutropius, quinquennio Philippum ſeniorem imperaſſe ſcribunt, quia nempe ſextum annum tantùm delibavit. Mediobarbus pag. 347. duos ejus Nummos producit in poſtica inſcriptos. P. M. TR. P. VI. COS. III. P. P. In duobus etiam Philippi Nummis Græcis apud Goltzium ſextus Imperii annus legitur. Euſebius tam in Chronico, quàm in Hiſtoria, aliique quidam Philippum ſeptem annis imperaſſe ſcripſere; quam opinionem Baronius amplexus eſt, motus præcipuè ſeptem Conſulatibus, qui ſub Philippo in Faſtis Caſſiodori leguntur, & pſeudographa Inſcriptione, quæ Veronæ extat, in qua annus mortis Philippi numeratur Chriſti CCLIII. Verùm frivola utraque ratio. Onuphrius enim, qui Veronæ natus erat, eam Inſcriptionem, uti à quodam imperito poſitam, contemſit. Neque ante ſextum Eccleſiæ ſeculum Era Chriſtiana, quâ nunc utitur Eccleſia Occidentalis, à Latinis uſurpata. Caſſiodorus in Chronico minimè audiendus; cùm enim per totum Conſulatum Decii & Grati, ac etiam per Conſulatum utriuſque Decii regnaſſe ſcribat, ſibi nullam fidem hac in re deberi oſtendit. Currenti quippe anno jam Decium imperaſſe, & ſub utriuſque Decii, ſuo videlicet & filii, Conſulatu, peremtum eſſe, certis argumentis conſtat.

V. *Quo menſe occiſus.*

Quoad menſem, quo uterque occiſus, eliciendus ex lib. 8. Cod. Juſtinianei tit. 55. ubi L. I. *De revocandis donationibus*, inſcripta eſt: *Imp. Philippus Aug. Caſmino*; ſubſcripta verò, *XV Kal. Jul. Æmiliano & Aquilino Coſſ.* Præterea in eodem Codice extat reſcriptum lib. 4. tit. 16. cum hac inſcriptione, *Imp. Decius A. Thelemacho*, cum ſubſcriptione, *P. P. XIV Kal. Novemb. Æmiliano & Aquilino Coſſ.* Quibus ex Legibus certiſſimum fit, non tantùm Philippum ſub hujus anni Conſulibus interiiſſe, & ſub iiſdem Decium imperare cœpiſſe; ſed etiam XV Kal. Julias, ſeu die decima ſeptima menſis Junii Philippum adhuc in vivis fuiſſe. His ſi addas quæ in morte Decii in medium adducemus, liquebit, Philippum circa menſem Julium peremtum, nec uſque ad menſem Auguſtum, quod voluit Pearſonius in Annalibus Cyprianicis, vitam protrahere potuiſſe. Zonaras de Philippo ſcribit: *Regnavit, ut quidam tradunt, annos V, ut alii, VI & totidem menſes*; quod ab aliquo antiquo Scriptore mutuatum. Si itaque Philippus annos quinque & totidem menſes imperavit, menſes illi utrimque incompleti fuere, & initio menſis Julii aut circiter Decius Imperium ſuſcepit, occiſo Philippo, qui anno CCXLIV menſe Februario aut Martio regnare cœperat. Sextum enim Imperii annum inchoaſſe inter omnes nunc convenire debet.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5743. ☉ 7 F. ☽ 4. P. 7. APRIL. INDICT. 15.
JESU CHRISTI 250. *ſecundùm Baronium* 252.
Sedes vacat.
DECII IMP. 2.

I. *Conſules.*

COSS. *Cn. Meſſius Quintus Trajanus Decius Aug. II, & Annius Gratus.* Decii Conſulatus juxta primam Conſulatuum Cæſareorum regulam. Iterati honoris notam in Decio exhibent Fragmentum Conſulare Bucherii, Faſti Græci à Dodwello publicati, Faſti Idaciani, Chronicon Damaſi, & reſcriptum Codicis Juſtinianei lib. 3. tit. 22. datum *Decio II & Grato Coſſ.*

II. *Imperatores initio Imperii ſemel tantùm Conſulatum ſumunt.*

Pearſonius in Annalibus Cyprianicis ait: *Decius anno ſuperiori, occiſis Philippis, ſe ſtatim Conſulem non minùs quàm Imperatorem renuntiavit: & hunc annum poſtea more veteri aperuit, ac Faſtos reſeravit, ſumto Conſulatu ordinario poſt ſuffectum.* Verùm hæc opinio, quæ huc uſque invaluit, quæque ſtatuit, Imperatores, qui proximis poſt conſecutum Imperium Kalendis Januariis iterum Conſules procedunt, prioribus Imperii menſibus Conſulatum ſuffectum ſuſcepiſſe, falſiſſima. Si enim anno præcedenti Decius Conſulatum ſuffectum geſſiſſet, præſenti Faſtis nomen non dediſſet, Auguſtis Imperii initio non bis, ſed ſemel Conſulatum ſumentibus. Ille itaque vulgaris error, quem prioris Conſulatum Cæſareorum regulæ beneficio detexi, procul in poſterum eliminandus. Sub Philippo Decius Conſulatum illum ſuffectum obtinuit. In Vita enim S. *Genulphi* Epiſcopi Cardurcenſis, qui ſub Decio martyrium paſſus eſt, ab Auctore anonymo ſcripta, & à Bollando die XVII Januarii illuſtrata num. III legitur: *Philippo itaque cum filio Auguſtalem agente dignitatem, Decius in Conſulatu Cæſaream agebat procurationem.* Et licèt is Anonymus, ut ex eadem Vita colligitur, poſt annum Chriſti nongenteſimum nonageſimum vixerit, quia tamen triennio poſt S. Genulphi mortem, S. *Sebatus* Acta ejus deſcripſit, ut in Notis Bollandus obſervat, non videtur dubium, quin poſterior hæc Vita à primigenia fuerit excerpta. Baronius priorem Decii Conſulatum ordinarium credidit, indeque tertiùm annum aperuiſſe ſcripſit; quam ſententiam in interitu Decii à veritate alienam demonſtrabimus.

III. *Perſecutio ſub Philippo cœpta.*

Baron. num. II & ſeq.

Ad num. II. Perſecutio Alexandriæ, vivente adhuc Philippo, excitata, de qua hoc anno Baronius, pertinet ad annum CCXLVIII, ubi eam explicavimus. Martyres itaque, de quibus Dionyſius Alexandrinus in Epiſtola ad Fabium Epiſcopum Antiochiæ, ab Euſebio recitata lib. 6. cap. 41. ante Philippi Imperatoris obitum morte affecti; licèt in Martyrologiis *Serapio*, aliique ſub Decio paſſi dicantur. Idem error in omnibus Martyrologiis admiſſus de *Apollonia* virgine, quam ſub Decio martyrio coronatam dicunt die IX Februarii, ut obſervat Valeſius in Notis Euſebianis. Quod factum, quia perſecutionem ſub Philippo & Decio motam Antiqui pro unica reputarant. Vita S. Apolloniæ à Bollando die IX Februarii fusè explicata.

IV. *Perſecutio Deciana.*

Decius, hoſtium nece lætus Romam venit, ubi *aliquantùm moratur mœnium gratiâ, qua inſtituit, dedicandorum. Et interea ad eum Jotapiani, qui Alexandri tumens ſtirpe, per Syriam tentans nova, militum arbitrio occubuerat; ora, uti mos eſt, inopinato feruntur,* inquit Victor de Cæſaribus. Jamque in Imperio confirmatus graviſſimam perſecutionem molitus eſt. Dionyſius Alexandrinus in epiſtola ad Fabium Epiſcopum Antiochiæ, relata ab Euſebio lib. 7. cap. 41. tempus indicat: *Sed continuò*, inquit, *Imperii illius erga nos benigniſſimi mutatio nobis nuntiata eſt, & graviſſimus nobis minarum terror intentabatur. Jamque aderat edictum Imperatoris,* &c. Quæ verba explicans Pearſonius in Annalibus Cyprianicis ait, poſt initium Imperii Deciani primò minas intentatas fuiſſe, deinde edictum prodiiſſe, circa finem anni præcedentis, aut præſenti ineunte.

Baron. ann. 253. num. X & ſeqq. Spond. ibid. num. IV.

V. *Fuga S. Cypriani.*

Baron. ann. 253. num. XXX. Spond. ibid. num. IV.

Geſta in hac perſecutione ſic digerit Pearſonius citatus, quem ut plurimùm ſequemur. Hujus anni initio S. Cyprianus iterum flagitatus & quæſitus, & ſæpius ad leonem petitus in Circo, in Amphitheatro, Dominicæ dignationis teſtimonio honoratus eſt. Tandem verò à Deo juſſus ſeceſſit cum Victore Diacono ſuo: *Dicata enim in omnibus Deo mens, & Fides divinis admonitionibus mancipata credidit ſe, niſi Domino latebram tunc jubenti paruiſſet, etiam ipſa paſſione peccare,* ut loquitur Pontius. Quamobrem cùm non appareret, proſcriptus eſt, applicito & adjuncto Epiſcopatûs nomine; cùm publicè legeretur, *Si quis tenet vel poſſidet de bonis Cæcilii Cypriani Epiſcopi Chriſtianorum*, &c.

VI. *Plures perſecutioni ſuccumbunt.*

Baron. ann. 253. num. XVI & ſeqq. Spond. ibid. num. V.

Sub initio perſecutionis, dum multi confeſſione facta coram Magiſtratibus in carcerem conjecti ſunt, multò plures Fidem denegabant, de quibus conqueritur Cyprianus libello *de Lapſis*. Baronius receſſui Cypriani ſtatim ſubnectit: *Sed & illud nefandum tunc accidit, ut ex Clero Carthaginienſi quinque Preſbyteri deſertores facti ſeſe ad perſequendos Fideles adjunxerint Magiſtratibus.* Sed locus ad id probandum ab eo adductus longè aliter explicandus, ut anno ſequenti, quo ſcriptus eſt, videbimus.

VII. *S. Fabianus PP. martyrio coronatur.*

Baron. ann. 253. num. XXVII. Spondanus ibid. num. III & VII.

Decius Dei Sacerdotibus infeſtus S. Fabianum Romanum Pontificem morte affecit. In Chronico Damaſi de Fabiano dicitur: *Fabianus annos quatuordecim, menſem unum, dies decem. Fuit temporibus Maximini, & Gordiani, & Philippi. A Conſulatu Maximini & Africani, uſque Decio II & Grato. Paſſus XII Kalendas Februarii.* Loco *XII Kalendas Februarii*, Henſchenius legit *XIII Kalendas Februarii*, ita ut Fabianus die viceſimo Januarii currentis anni martyrio coronatus dici poſſit, quòd eum diem, & Chronicon auctius veterum Pontificum & Martyrologia agnoſcant, exhibeatque Indiculus Depoſitionis Martyrum à Bucherio publicatus, in quo legitur: *Decimo tertio Kalendas Februarii, Fabiani in Calliſti.* Henſchenii conjecturam probat Pearſonius citatus. Verùm in eo Indiculo diem mortis, in Chronico verò Damaſi diem ſepulturæ notari non dubito; eò magis quòd exemplar, quo Cuſpinianus uſus, habeat etiam: *Paſſus XII Kal. Feb.* Unde Henſchenii emendatio rejicienda. Sedit Fabianus annos XIV, & dies X, non verò dies IV, ut tradit Baronius. Qua de re anno CCXXXVI egimus. Scribit Henſchenius, Se-

dem vacaſſe menſibus IV, diebus XV, adeoque Cornelium creatum eſſe circa IV Junii præſentis anni. Quod ſtare non poteſt; cùm clarè pateat ex literis Cleri Romani (quas ante menſem Auguſtum ſcriptas non fuiſſe conſtat) *poſt exceſſum nobiliſſimæ memoriæ viri Fabiani nondum Epiſcopum propter rerum & temporum difficultates* conſtitutum eſſe. De qua epiſtola in editione Oxonienſi triceſima, loquens Pacianus, nondum Epiſcopum factum eſſe Cornelium, cùm illa ſcriberetur, docet: *Cur igitur Novatianus tunc ne falſo quidem adhuc Epiſcopatu Sacerdos, longè antequam Cornelius Romæ Epiſcopus fieret, antequam Sacerdotio ejus invideret, hæc ſuaſit.* Et rurſum: *Adhuc Cornelius, pro quo omnis hæc veſtra prorupit invidia, Epiſcopus non erat.* Quare uſque ad annum ſequentem Sedes vacavit, licet in libro Pontificali tradatur, poſt obitum Fabiani ceſſaſſe Epiſcopatum dies VI. Sed Interpontificia priorum ſeculorum plerumque malè in eo libro, & in auctiori Chronico veterum Pontificum annotata, ideoque & à me plerumque neglecta.

VIII. *Perſecutio in Africa ſævit.*

Baron. ann. 253. num. XC.

Non diu poſt Fabiani paſſionem, *Moyſes* Preſbyter inſignis Eccleſiæ Romanæ cum aliis in carcerem conjectus eſt, ut legitur in laudato Damaſi Chronico: *Poſt paſſionem ejus* (Fabiani) *Moyſes & Maximus Preſbyteri, & Nicoſtratus Diaconus comprehenſi ſunt, & in carcerem miſſi.* Quin etiam *Celerinus* (cujus avia Celerina, & patruus & avunculus Laurentius & Ignatius diu antea martyrium paſſi fuerant) Moyſi & Maximo fidei & virtutis comes fuit. Dum autem perſecutio Romæ præſente Imperatore ſeviùs, Carthagine multò remiſſiùs per Magiſtratus exercebatur, Cyprianus in ſeceſſu ſuo deliteſcens, cùm ſe jam incolumem ſentiret, & eorum etiam, quæ Carthagine agebantur, certior factus eſſet, ſcripſit ad Clerum ſuum de diſciplina & diligentia ſuâ vice præſtanda, ac præcipuè de cura pauperum & quiete plebis. Quippe hoc eſt *datum Clero conſilium*, cujus primo loco meminit in epiſtola viceſima maximè notabili; & hæc eſt epiſtola, & Fello & Pamelio V, ex tredecim illis, quas poſtea ad Clerum Romanum tranſmiſit, omnino prima.

IX. *Qui Extorres Cypriano dicantur.*

Baron. ann. 253. num. LXVII. Spondan. num. XI.

Dum aliqui, qui nomen Chriſti primò confeſſi ſunt, in carcerem fuiſſent conjecti, alii ob ſimilem coram Magiſtratibus confeſſionem extorres potiùs facti ſunt, & eorum bona in Fiſcum redacta, ut patet ex literis de Mappalico, menſe Aprili ſcriptis: *Gloriata eſt nuper quidem Eccleſia, cum confeſſione perſtante, ſuſcepta pœna eſt, quæ Confeſſores Chriſti fecit extorres.* Quibus verbis, & quando facti, & quales eſſent, qui *Extorres* dicebantur, oſtenditur. Baronius quidem eos à Cypriano *Extorres* dictos eſſe docet, qui ne Fidem proderent, relictis omnibus aliò commigrabant, ſive qui ne Chriſtum negare cogerentur, dimiſſis omnibus ſe ſubtrahebant. Verùm Cypriano *Extorres* ſunt, qui nomen Chriſti coram Magiſtratibus liberè confeſſi, patria per eoſdem Magiſtratus expulſi ſunt, ut ex loco citato conſtat. Quæ expulſio in pœnam confeſſionis & irrogata & accepta eſt, de quâ *gloriata eſt*, inquit Cyprianus, *Eccleſia*, propter confeſſionem præcedentem & pœnam exilii ſubſequentem, non propter ſeceſſum aut ſubſtractionem ſui, aut proſcriptionem inde ſequentem. *Extorres* enim non minùs Confeſſores erant, quàm qui in carcerem conjecti ſunt: quod clariſſimè oſtendit Cypriani adverſus Lapſos pacem præpropere flagitantis epiſtola XIX, quæ Pamelio XIV eſt: *Ceterùm quàm irreligioſum eſt, & ipſis quoque feſtinantibus pernicioſum; ut cùm extorres facti & patriâ pulſi, ac bonis omnibus ſpoliati nondum ad Eccleſiam redierint, quidam de Lapſis Confeſſores ipſos prævenire, & antè ad Eccleſiam introire feſtinent.* Extorres igitur erant, non qui, ne Chriſtum negarent, ſe ſubtrahebant, ſed qui apud Magiſtratus Chriſtum liberè profeſſi, in pœnam confeſſionis per eoſdem patriâ pulſi ſunt, quales erant Aurelius, Satis, & Severianus, aliique, qui Carthagine pulſi Romam profecti ſunt, quos *Celerinus* nobilis Confeſſor Collegas ſuos, & Confeſſores, & Extorres vocat. Ita Pearſonius in Annalibus Cyprianicis hoc anno num. VII.

X. *Cyprianus ſcribit epiſtolam de precando Deo.*

Baron. ann. 253. num. XLVIII. Spond. ibid. num. XIV.

Menſe circiter Aprili ſcripſit Cyprianus epiſtolam XI, quæ Pamelio eſt VIII, quæ tempus ipſum, quo ſcripta eſt, pluribus indicat: ut *ubi*, inquit, *tormenta venerunt*, ut de recenti: & loquitur de *præſentis preſſuræ conflictatione*, ut antea de præſenti prælio, eo que, ad quos ſcribit, *poſitos* eſſe docet *inter plangentium ruinas, & timentium reliquias*, ut matrem Eccleſiam antè deſcripſerat *plangentem ruinas & funera plurimorum.* Quæ omnia eidem tempori & rerum ſtatui planè conveniunt. Fallitur autem Baronius, cùm putat, ex his illius epiſtolæ verbis: *Dic illi, inquit, ſecurus ſit; quia pax ventura eſt, ſed quòd interim morula eſt, ſuperſunt adhuc aliqui, qui probentur*: demonſtrari poſſe, Decium annum tantummodo unum ac menſes tres imperaſſe, idque ex Sede adhuc vacante & morula prædicta, poſt quam pax ventura erat. Nam decem menſibus, antequam hæc epiſtola ſcriberetur, Decius purpuram ſumſerat, & Cornelius diu ante necem Decii Romæ ſedit. Neque verò pax illa, quæ poſt morulam ventura erat, de ſtatu illo Eccleſiæ, qui poſt mortem Decii contigit, intelligenda eſt; ſed de ſedata perſecutione, quæ haud diu poſt ſecuta eſt; quam pacem ipſe Cyprianus alibi appellat, qui viſionem ſuam optimè interpretari potuit, ut inquit Pearſonius citatus num. IX.

XI. *Cyprianus ad Clerum ſuum ſcribit.*

Menſe circiter Maio Cyprianus, qui jam binas literas de iis, qui tormenta paſſi ſunt, ſcripſerat, ad Clerum ſuum de Confeſſoribus, qui ſub Proconſule in carceribus graviùs vexati ſunt, dedit epiſtolam XII, quæ Pamelio eſt XXXVII, ſed quæ à Baronio rectiùs ad hæc tempora refertur. Mandat enim, ut *corporibus omnium, qui etſi torti non ſunt in carcere, tamen glorioſo exitu mortis excedunt, impertiatur & vigilantia & cura propenſior.* Monet etiam, ut *dies eorum, quibus excedunt, annotarentur, ut eorum commemorationes inter memorias Martyrum celebrari poſſent.* Quæ duo ſatis oſtendunt, hanc epiſtolam tum ſcriptam eſſe, cùm jam in carcere plures mortui eſſent, & quotidie morerentur: quod tempus *Luciani* literæ ad Celerinum ſatis indicant. Eodem menſe jam affecto,

iterum ad *Confeſſores* Cyprianus literas dat, poſt eas quas jampridem ſcripſerat *verbis exultantibus congratulatus*, hoc eſt, poſt epiſtolam decimam, quæ ſic incipit: *Exulto lætus & gratulor, fortiſſimi ac beatiſſimi fratres*, quamque Pamelius & Baronius periiſſe fruſtra ſuſpicati ſunt. Tres enim epiſtolas à ſe ad Confeſſores ante illam in cauſa Lapſorum ſcriptas ſatis apertè indicat epiſtolâ viceſimâ, quæ Pamelio eſt XV: primam ante tormenta, quæ ſexta eſt, Pamelio XXXI; ſecundam inter tormenta, quæ decima eſt, Pamelio nona; tertiam poſt gravem vexationem carceris, poſt paucorum Extorrium reditum, quæ XIII eſt, Pamelio ſeptima, & inter tredecim una. Unde Moyſes & Maximus, viſis tredecim epiſtolis ad Clerum Romanum miſſis, Cyprianum maximè laudarunt, *quòd literis Confeſſores frequenter corroboraſſet*.

XII. *Clerus Romanus ad Cyprianum ſcribit.* Baron. num. XXXV & ſeq.

Menſe Auguſto, Clerus Romanus ſcribit ad Cyprianum literas, non quidem illas, quas voluit Pamelius, ſed quas Baronius loco ſuo rectè reſtituit. Hæc autem eſt epiſtola XXX, Pamelio XXXI, poſt literas de Fabiani martyrio, prima à Clero Romano ad Cyprianum propriè data, ut ex ipſa patet, & ex mentione literarum Cypriani ad ſe cum excuſatione facta, & earum etiam, quæ ad Confeſſores Romanos eodem tempore ſcriptæ ſunt, & miſſæ per Saturum & Optatum. Scribit quidem Valeſius, hanc epiſtolam datam, cùm jam Moyſes annum in carcere exegiſſet; idque ex Cypriani epiſtolis ad Moyſem priùs datis apertè colligi. Nam una tantùm epiſtola ante hanc à Cypriano ad Moyſem data eſt; & illa, quæ annui ſpatii mentionem facit, diu poſt hanc ſcripta eſt. Sunt autem hæ Cleri Romani literæ præclarè ſcriptæ, & literis ipſius Cypriani penè æquandæ; ex quibus de *Novatiani* ingenio & eloquentia judicium ferri poteſt. Ille enim hanc epiſtolam exaravit, ut patet ex ipſo Cypriano ad Antonianum, dum, recitatis harum literarum ipſiſſimis verbis, ſubjungit: *Additum eſt etiam, Novatiano tunc ſcribente, & quod ſcripſerat ſua voce recitante, & Presbytero Moyſe ſubſcribente, ut Lapſis infirmis & in exitu conſtitutis pax daretur.* Ita hæc verba expoſuit S. Pacianus epiſt. III. Adjecerunt etiam Confeſſores Romani literas ſuas, & hæc eſt epiſtola XXXI, Pamelio XXVI, primo loco à Confeſſoribus ad Cyprianum ſcripta, ut ex ipſa ſatis apertè liquet.

XIII. *Perſecutio in Africa ſedata.*

Menſe circiter Novembri nobilis Confeſſor *Celerinus* Româ venit Carthaginem, & in ſeceſſu Cyprianum adit: qui Moyſis reliquorumque Confeſſorum affectus repræſentat, deque iis dulciter ac ſæpe loquitur. Cyprianus autem hiſce ſermonibus intimè permotus ſcribit ad eos epiſtolam XXXVII, quæ Pamelio eſt XVI, circa finem hujus menſis, ut apparet. Conſtat enim, Moyſem alioſque, vel exeunte Januario, vel Februario ineunte poſt paſſionem Fabiani, hieme adhuc ſæviente, in carcerem fuiſſe conjectos; ibique *jam revertentis anni volubilem circulum tranſgreſſos eſſe*, ut ipſe loquitur; annui circuli ſpatium per quattuor tempeſtates deſcribens atque definiens. Scripſit igitur jam affecto menſe Novembri. Circa idem tempus in Africa ſedata eſt perſecutio, ut patet ex ipſo Cypriano, qui teſtatur, *Aurelium* auſpicatum eſſe pacem, *dum dedicat Lectionem.* Neque Baronius debuit primum pacis radium in annum ſequentem ante Paſchæ tempus referre, aut bellum ſub Decio contra barbaros in Africa comminiſci. Satis enim eſt ad hanc ſedationem perſecutionis in hac Provincia hoc tempore ſtatuendam, finem jam annui Proconſulatûs appropinquaſſe, novum Proconſulem mox in Provinciam adventurum eſſe, ſatis ſanguinis ab eo, qui deceſſurus erat, hauſtum jam fuiſſe. Quæ ratio ſedandæ perſecutionis valere Romæ non potuit, ubi non tantùm Imperator ipſe præſens fuit, ſed & perſecutioni Præfecti in Urbe inſiſtebant. Hoc radio pacis jam apparente, veniunt ad Cyprianum in ſeceſſu ſuo Epiſcopi nonnulli, tempore ad ordinationem Clericorum accommodatiſſimo, unde & eorum, ut Collegarum, operâ uſus eſt. Baron. ann. 254. num. XL.

XIV. *Feliciſſimus inſcio Cypriano Diaconus conſtituitur.* Baron. ann. 253. num. XXXIX & ſeqq. Spond. ibid. num. XVI.

Quocircà menſe Decembri ineunte, Cyprianus cum Collegis ſuis, inconſulto Clero ſuo, & *Aurelium* Confeſſorem ordinavit Lectorem, idque, ut opinatur Pearſonius, ex quo, quæ tribus præcedentibus numeris diximus, mutuati ſumus, ipſis Kalendis Decembribus; nam, ut ipſe Cyprianus refert, *quoniam ſemper gaudium properat, nec poteſt moras ferre lætitia. Dominico legit.* Hoc autem anno dies primus Decembris Dominicalis fuit. Ipſe proinde Clerum ſuum hujus ordinationis certiorem facit epiſtolâ XXXVIII, quæ Pamelio eſt XXXIII. Eodem die etiam Lector fuerat ordinandus ex ſententia Cypriani & Collegarum, *Celerinus* Confeſſor illuſtris, qui nuper Româ venerat. Sed ille conſentire dubitavit Eccleſiæ, donec Dei ipſius admonitu & hortatu in viſione per noctem compulſus eſt, ne negaret: qua occaſione ſcripta eſt epiſtolâ XXXIX, quæ Pamelio eſt XXXIV. Eodem etiam tempore ſe divinitus admonitum fuiſſe ſignificat, ut *Numidicum* Presbyterum, qui nempe alicubi Presbyter fuerat, & hortatu ſuo copioſum Martyrum numerum lapidibus & flammis necatum ante ſe miſerat; Presbyterorum Carthaginienſium numero adſcriberet. Id autem ut fieret, monet Clerum ſuum epiſtolâ XL, quæ Pameliô eſt XXXV. Interim temporum dum Cyprianus ordinationi Clericorum in ſeceſſu ſuo incumberet, Novatus Feliciſſimum Cypriano ſemper infenſum, ipſo nec permittente nec ſciente, *Diaconum Cypriani ſua factione & ambitione conſtituit*, inquit Cyprianus in epiſtola LI, quæ Pamelio eſt XLVII.

XV. *Novatus Presbyter erat.* Baron. ann. 254. num. LIX. Spond. ibid. num. XVII.

Euſebius tam in Chronico quàm in Hiſtoria, Pacianus epiſtolâ ſecundâ, Socrates, Hermannus Contractus, Marianus Scotus & Antiqui omnes, Novatum *Presbyterum* vocant. Baronius tamen ait, eum in Africa Epiſcopum fuiſſe, ex eo certò deduci, *quòd de eo S. Cyprianus tradit, fuiſſe ab ipſo ordinatum Diaconum* Feliciſſimum. Verùm hoc non dicit Cyprianus: hæc ejus de Novato ad Cornelium verba in epiſt. LI, quæ Pamelio eſt XLVII. *Ipſe eſt qui Feliciſſimum ſatellitem ſuum Diaconum, nec permittente nec ſciente, ſua factione & ambitione conſtituit.* Ubi non dicit Cyprianus, Novatum ordinaſſe Feliciſſimum, neque ſua manu, ſed ſua factione eum conſtituiſſe Diaconum, hoc eſt, potentiâ ſa-

ctionis ſuæ, ut Diaconus ordinaretur ſine venia aut notitia Epiſcopi ſui, effeciſſe. Hæc mens Cypriani fuit, ut ex ſequentibus clariſſimè patet. Nam *ſimilia & paria* cum Romæ *molitum eſſe* docet: *Qui*, inquit, *illic*, hoc eſt, Carthagine *adverſus Eccleſiam Diaconum fecerat, illic*, hoc eſt, Romæ, *Epiſcopum fecit*. Simili planè & pari modo factione ſua & ambitione utrumque fecit, ſed neutrum ordinavit. Certè Novatianum *Epiſcopum fecit*, id eſt, ſua factione, ut fieret, procuravit: eum autem minimè ordinavit, quem à tribus Epiſcopis ex Italia accitis ordinatum eſſe ſuo loco videbimus. Ita Pearſonius citatus num. XXI.

XVI. *Feliciſſimus unus, non plures.*

Baron. ann. 254. num. LXI.

Hunc *Feliciſſimum* Novati Diaconum diverſum eſſe putat Baronius ab illo Feliciſſimo, qui Sedi Cypriani adverſatus, ſchiſmatiſque auctor factus eſt. Sed eam ſententiam Pearſonius citatus, & Lombertus, qui in ordine epiſtolarum Cyprianicarum diſponendo non parvam poſuit operam, meritò rejiciunt, quia argumenta duo, quibus inductus eſt Cardinalis Doctiſſimus, rem non evincunt. Primum eſt, quòd *Feliciſſimus* ille, qui adverſatus eſt Cypriano, ipſius Preſbyter jam fuiſſe dicitur epiſtola ſcilicet XLIII, quæ Pamelio eſt XL. Sed in ea epiſtola Feliciſſimus Cypriani Preſbyter non dicitur; tantummodo *quinque Preſbyteros Feliciſſimo copulatos ejuſque ſatellites fuiſſe*, illic refertur. Preſbyteri autem non Preſbytero copulari potuerunt. Imò quoties meminit Feliciſſimi & Preſbyterii ejus, toties eum à Preſbyteris diſtinguit, neque unquam Feliciſſimi alicujus tanquam Preſbyteri mentionem fecit. Secundum Baronii argumentum pariter infirmum, quòd nempe cùm duæ eſſent inter ſe contrariæ ſectæ Schiſmaticorum, *Feliciſſimus* ille ſententiæ Novati adverſarius erat, quòd diceret, Lapſos omnes abſque pœnitentiæ mora recipiendos. Nam hæc nihil probant. Quippe Novatus, quamdiu in Africa fuit, ſemper ſe ejuſdem cum Feliciſſimo ſententiæ de Lapſis recipiendis profeſſus eſt. Cùm autem Romam veniſſet, & ſe Novatiano adjunxiſſet, ut Romanum ſchiſma promoveret, illius ſententiam amplexus eſſe videbatur, ſive ſeriò, ſive ficte; ut & ipſe Novatianus ſententiam ſuam jam mutaverat, ut Cornelio fortiùs contradiceret. Hic autem Feliciſſimus, qui ab initio Cypriani electioni reſtiterat, Diaconus jam factus, portionem plebis cum Epiſcopo ſuo diviſit, & perſecutione jam ſedata, in monte quodam ſuos colligebat, quò Lapſi petulantiores præcipuè convolarent.

XVII. *Feliciſſimus & ſocii excommunicantur.*

Baron. ibid. num. XXXVII. Spond. ibid. num. III.

Interea temporis Cyprianus *Caldonium* & *Herculanum* Epiſcopos & Collegas ſuos cum *Numidico* Preſbytero, quem nuper Clero Carthaginienſi adjunxerat, Carthaginem mittit, eoſque cum *Rogatiano* vicem ſuam acturos Vicarios conſtituit, ut neceſſitates fratrum ſumtibus expungerent, ſimul etiam & ætates eorum & conditiones & merita diſcernereſit; unde ipſe cognoſcere poſſet, quos ad Eccleſiaſticæ adminiſtrationis officia promoveret. Dum autem illi his rebus incumberent, *Feliciſſimus* interceſſit, ne quis poſſet expungi, néve ſingulorum merita poſſent diligenti examinatione diſcerni; propterea interminatus, quòd ſecum in monte non communicarent, qui Cypriano obtemperare voluiſſent. Quamobrem *Caldonius* reliquique ſcribunt ad Cyprianum literas, quibus eum monent, quid à Feliciſſimo ſibi factum eſſet; quid etiam ab *Augendo* altero, ut videtur, Diacono, qui ſe cum Feliciſſimi conſpiratione ſociaverat. Quibus Cyprianus graviter commotus ſcribit ad Vicarios ſuos epiſtolam XLI, Pamelio XXXVIII, quâ illis in mandatis dat, ut *Feliciſſimum* excommunicarent, & *Augendum* etiam, ſi perſeveraret, alioſque, qui conſpirationi & factioni Feliciſſimi ſe adjungerent. Qua auctoritate muniti *Caldonius* & *Herculanus* Epiſcopi cum Preſbyteris Rogatiano & Numidico Feliciſſimum & Augendum, alioſque nonnullos obſcuriores communicatione *abſtinuerunt*, ut ipſi indicant epiſtolâ XLII, quæ Pamelio eſt XXXIX.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5744. ☉ 8 E. ☽ 5. P. 23. MART. INDICT. 8.
JESU CHRISTI 251. *ſecundum Baronium* 253. & 254.
CORNELII PAPÆ 1.
DECII IMP. 2.

I. *Conſules.*

COss. *Cn. Trajanus Decius Aug. III*, & *Q. Herennius Etruſcus Decius Cæſar.* In Fragmento Conſulari à Bucherio edito diſertè hoc anno legitur: *Decio III, & Decio Cæſare.* In Inſcriptione etiam à Sponio in Miſcellaneis eruditæ Antiq. pag. 243. Conſulatus Etruſci Cæſaris diſertè memoratur: indeque liquet, ſumtum tertium à Decio Conſulatum fuiſſe juxta tertiam Conſulatuum Cæſareorum regulam, ab Etruſco verò ejus filio etiam Decio appellato, juxta ſecundam, quia nempe anno præcedenti Cæſar nuncupatus fuerat. Vocatur communiter is Conſulatus duorum Deciorum, ut dicitur apud Pollionem in Valeriano. Verùm, cùm Baronius priorem Decii Auguſti Conſulatum, qui ſuffectus fuerat, ordinarium crederet, hunc ejuſdem Decii cum Etruſco filio ſecundum Conſulatum ordinarium vocavit, annoque poſtea CCLIV, ut ipſe vocat, Trajanum Decium III, & Gratum II Conſules proponit, innixus Actis S. Pionii Martyris, quæ ſubſcripta ſunt: *Conſule tertium Meſſio quinto Trajano Auguſto, & Deltio Grato ſecundùm.* Sed ea verba in Actis legitimis Pionii non leguntur, ut videre eſt apud Bollandum die prima Februarii, ubi illa recitat. Falſa itaque inepta illa temporis notatio, certumque, *Gratum* unum tantùm Conſulatum ordinarium, *Decium* verò duos geſſiſſe, & in nullis antiquis Faſtis duos priori, & tres poſteriori Conſulatus aſſignari. Non potuit autem Baronius Conſulatum illum in Annales ſuos inſerere, quin annum Conſulatui illi ſuppoſititiò reſpondentem adderet. Quare poſt Conſulatum illum in ſuos Faſtos intruſum, non jam ampliùs biennio, ut antea, ſed triennio ab Era Dionyſiana diſſidet. Is itaque annus hic nobis rejiciendus, ut Notæ noſtræ rebus à Baronio narratis conſentire poſſint, ejuſque Chronologiæ depravatio magis innoteſcere. Hinc in hujus anni titulo dixi, hunc annum eſſe Ba-

ronio 253. & 254. quia ſcilicet unum ex illis expunxi.

II. *Interitus Philippi Imp.*

Ad num. II. Utriuſque Philippi Imperatorum interitus anno ducenteſimo quadrageſimo nono, quo contigit, à nobis narratus; quo etiam anno *Decii* Imperium inchoandum certis argumentis adſtruximus.

III. *Fabiani PP. martyrium.*

Ad num. III. *Fabiani* Papæ martyrium anno præcedenti contigit, ut ibidem dictum. Baronius autem ideo illud cum hoc anno copulavit, quia in Chronico Damaſi dicitur, *Fabianum* Decio II & Grato Coll. martyrio coronatum. Verùm, ſecundus Decii Conſulatus ordinarius, de quo in eodem Chronico ſermo, anno præcedenti geſtus.

IV. *Perſecutio Deciana.*

Ad num. IV uſque ad num. XV. *Decii* perſecutio anno CCXLIX inchoata, annoque CCL continuata, ut præfatis annis oſtendimus. Quare quæ hîc dicuntur, ad eos annos revocanda.

V. *D. Antonius Abbas naſcitur.*

Baron. num. CXIV.

Ad num. XV uſque ad num. XIX. Quæ in Annalibus & in Epitome de Martyribus Alexandrinis recitantur, anno præcedenti acta, quo & D. Antonius Magnus natus eſt, ut ex iis, quæ in morte ejus dicemus, conſtabit. Nam rectè Spondanus Baronium emendat, oſtenditque, S. Antonium Abbatem obiiſſe anno decimo nono Conſtantii, ætatis verò centeſimo quinto, ideoque anno Chriſti treceteſimo quinquageſimo ſexto, dieque decima ſeptima Januarii, quâ colitur. Euſebius enim in Chronico anno Abrahami 2267. qui Kalendis Septembribus anni Chriſti CCL auſpicatur, accuratè ſcribit: *Antonius Monachus in Ægypto naſcitur.* Ex annis porro D. Antonii rectè conſtitutis ætatem S. Pauli primi Eremitæ, qui ſæviente Deciana perſecutione in ſolitudinem fugit, colligere facile eſt.

VI. *Origenis lapſus.*

Baron. num. CXVII & ſeq.

Ad num. XIX. Negat Baronius, Origenem in hac perſecutione lapſum, ejuſque ſententiam Valeſius in Notis Euſebianis, aliique multi ſecuti ſunt. Præferenda tamen ſententia Petavii in Animadverſionibus ad Epiphanium hæreſi LXIV cap. 2. & ad librum ejuſdem de Ponderibus & Menſuris cap. 18. atque Huetii V. C. lib. 1. Origenianorum cap. 4. ſancto Epiphanio id aſſerenti fidem adhibendam cenſentium. Hæc Epiphanii verba: *Ob eximiam ſanctitatem & eruditionem ſummam in invidiam eſt adductus: eaque res Magiſtratus ac Præfectos majorem in modum acuit. Tum illud verò Diaboli calliditate improbitatis artifices commenti ſunt, ut ad turpitudinis neceſſitatem hominem adigerent, atque ejuſmodi pœnam ſtatuerent, ut ad illius corpori ſtuprum inferendum, Æthiopem compararent. Ad hæc, Origenes fraudulentum illud Diaboli conſilium non ſuſtinens, vocem illam edidit, quâ duobus illis propoſitis ſacrificare maluit. Quanquam non omnino ſponte illud ſua præſtitiſſe vulgò dicitur: ſed ubi ſemel hoc ſe eſſe facturum aſſenſus, thus in manum illius impoſitum, in ſubjectum aræ focum excuſſiſſe Gentiles aſſerunt. Hoc modo & à martyrii gloria, Confeſſorumque Martyrumque, qui illis temporibus erant, judicio excidit, & ab Eccleſia dejectus eſt. Accidit hoc Alexandriæ, ubi cùm exprobrantium ludibria ferre non poſſet, illinc abiit, & in Palæſtina ſive Judæa domicilium conſtituit. Fortè contigit, ut Hieroſolymam profectus ad verba in Eccleſia facienda ſolicitaretur: cùmque ab iis, qui tunc Sacerdotalem in Eccleſia dignitatem obtinebant, vi propemodum ad id agendum impelleretur, ille in pedes conſurgens reliquis verſibus prætermiſſis: poſtquam hunc unum è Pſalmo XLIX locum attuliſſet:* Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? *complicatum librum reddidit, flenſque & lachrymans reſedit, flentibus cum eo, qui aderant, univerſis.* Quæ verba licèt ab aliquo Origeniani nominis hoſte in Epiphanii textum intruſa dicat Baronius, tamen vel ipſa ſtyli ſimilitudo, ut inquit Petavius, ſatis Epiphanio adjudicat. Facti illius etiam meminerunt Nemeſius cap. 20. Leontius Byzantius, & Juſtinianus Imperator adverſus Origenis errores, qui à Synodo Quinta probatus eſt. Et profectò incredibile videtur, hunc Imperatorem in encyclica epiſtola ad univerſos Epiſcopos deſtinata, quæ in Concilii Quinti Acta refertur, vel qui nomine ejus eandem ſcripſit, mendacium re nulla poſtulante confictum, Patribus in os objeciſſe viris non illiteratis, & rei inauditæ novitatem proculdubio miraturis, ejuſque falſitatem facilè perſpecturis.

VII. *Rationes in contrarium ſoluta.*

Sed, inquit Baronius, ſi res ita ſe haberet, uti expreſſa habetur apud Epiphanium, meminiſſent utique ejus, vel objiciendo Origenis adverſarii Theophilus & Hieronymus; vel refutando fautores ejus Euſebius, Pamphylus, & Rufinus; vel vetuſti Patres Auguſtinus, Vincentius Lirinenſis, aliique, qui de eo fusè & explicatè egerunt, & in controverſiis Juſtiniani ævo adverſus Origenem tanto ſtudio agitatis, aliqua tandem facinoris ejus fuiſſet injecta mentio; nec id quoque prætermiſiſſet Porphyrius, cùm Ammonium à Chriſto ad Ethnicorum partes transfugiſſe commentus eſt: res hæc ab illis eſt ſilentio prætermiſſa; igitur ne vera quidem. Verùm, ut Petavius & Huetius rectè obſervarunt, Origeniani nominis oppugnatores ad ventilanda Origenis dogmata attenti, admiſſum humanitus flagitium neglexere; vel emendatum pœnitentiæ crimen objicere, illiberale & iniquum eſſe duxerunt. Præterea id reticuerunt, quòd licèt ſacrificaturum ſe Origenes receptiſſet, non ipſe tamen, ſed qui eum circumſtabant, facinoris auctores & impulſores, manibus ejus apprehenſis & excuſſis, ipſi viderentur foco thus intuliſſe: quòd licèt capitalis ſit vel tenuis admiſſæ idololatriæ ſuſpicio, & graviter peccaſſe Origenem fatendum ſit, minimè tamen hoc nomine poſſet accuſari, quin ejus ingens pudicitiæ ſtudium unà prædicaretur. Quod ergo nullus vitio dederat, quamobrem quiſquam excuſaret, ratio nulla fuit. Inde par apud multos ea de re ſilentium. Euſebium autem quod ſcribendo prætermitteret, eo fuiſſe impulſum, quòd in Apologia pro Origene hoc & ejuſmodi plurima fuiſſet complexus, quæ ad Hiſtoriæ ſuæ propoſitum non omnino accommoda, quippe quæ res ad univerſam Eccleſiam ſpectantes exequeretur, repetere inſuper habuit.

VIII. *Origenes Decio impe-*

Rem geſtam Decio Eccleſiam perſequente ſcribit Epiphanius, quo tempore eum floruiſſe ſubjungit; quod ſe ſatis mirari non poſſe di-

...rant lapſus. cit Petavius in Animadverſionibus Euſebianis pag. 257. quòd à Severi temporibus deinceps ſumma in omnium admiratione fuerit Origenes, ideoque Decii tempore, quo ſexageſimum ſextum ætatis annum attigerat, celebris fuiſſe dici non poſſe videatur. Præterea Epiphanius in libro de Ponderibus & Menſuris ait: *In perſecutione Decii martyrium ſubiit Babylas, Antiochiâ; Fabianus, Romæ; Alexander Epiſcopus Hieroſolymorum, Cæſareæ. Quin & Origenes ipſe, quamvis multa ſit paſſus, martyrii exitum minimè eſt adeptus. Qui Cæſaream Stratonis primùm, inde Hieroſolyma ſeſe conferens, paululum iſtic moratus, Tyrum poſtea conceſſit*, &c. Quæ profectiones, cùm diu ante Decium ab Origene ſusceptæ fuerint, *videtur*, inquit Petavius, *pro Severo imprudenti obrepſiſſe Decius.* At vanæ hæ conjecturæ, textuſque Epiphanii minimè ſolicitandus. Hic enim non alio modo loquitur, ac illius ſeculi Scriptores. Hieronymus in Chronico anno decimo tertio Valentiniani ſenioris de Baſilio Magno ſcribit: *Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus Cappadociæ clarus habetur*; & tamen Baſilius, qui triennio pòſt obiit, jam diu celeberrimus fuerat. Non mirum itaque, ſi Epiphanius in libro de Ponderibus, de Origene ſcripſerit: *Decii tempore illuſtris habitus eſt Origenes.* Ibi enim occaſione lapsûs ejus de eo loquitur, indeque quæcumque de eo dicenda habebat, refert. Qui res præpoſterè narrandi modus ab Antiquis non ſemel uſurpatus. Petavii tamen conjecturam amplexus eſt Doctiſſimus Huetius lib. 1. Origenianorum cap. 2. num. XIV, quòd exiſtimet, Origenem, poſtquam Alexandriâ eliminatus fuit, Cæſaream Stratonis conceſſiſſe, ibi ſedem fixiſſe anno Chriſti CCXXXI, vel inſequenti, & poſtea Alexandriam regreſſum non eſſe. Verùm, licèt nullus ex Antiquis de illa Origenis profectione, ejuſque Alexandriam reditu mentionem fecerit; cùm tamen ex urbe Cæſareæ Stratonis Alexandriam transjectus brevis ſit, & Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus Origeni faveret, ad eumque, dum in tormentis eſſet, librum *de Martyrio* ſcripſerit, ipſo Viro Clariſſimo fatente, illud Antiquorum ſilentium hac in re in minimis ponendum. Quotidie enim experimur quàm infirmum argumentum ſit à ſola negatione deductum. Imò ex libello *de Martyrio* ad Origenem à Dionyſio Alexandrino ſcripto, ut teſtatur Euſebius lib. 6. cap. 46. Epiphanii fides ſarta tectaque haberi videtur, cùm Severi Imperatoris tempore Dionyſius annò CCLXV demortuus, adoleſcens eſſe debuit, libriſque componendis immaturus. Quare liber ille, qui periit, à Dionyſio poſt annum CCXLVII, quo Epiſcopus Alexandrinus creatus eſt, ſcriptus, & poſt eum annum Origenes perſecutioni expoſitus. Denique Euſebius in Deciana perſecutione Origenem graviſſimos cruciatus paſſum prodit lib. 6. cap. 9. ſed eum Severo imperante malè habitum minimè inſinuat, licèt tunc illius frequentem mentionem fecerit.

IX. *Decius non adverſus Perſas, ſed adverſus Gothos movit.*

Ad num. XXII. Decius hoc anno *VI Kalendarum Novembrium die* adhuc in vivis erat, ut liquet ex Pollione in Valeriano cap. 1. ubi ait, *duobus Deciis Conſulibus*, Decium Valerianum Cenſorem delegiſſe, additque: *Jam ille in procinctu cum Decio tunc agebat*, id eſt, ad pugnam accinctus. Hoc itaque anno, dieque viceſima ſeptima menſis Octobris, Decius adhuc vivebat, Romæque Senatum congregavit, ubi ex Senatuſconſulto atque decreto Decii Imperatoris collata eſt Valeriano, qui poſtea imperavit, ſumma cum poteſtate Cenſura. (Baron. num. CXXXIX & ſeqq.) Bellum autem ſuſcepturus tunc erat Decius non adverſus Perſas, ut credidit Baronius, ſed adverſus Gothos, qui pleraque Thraciæ loca diripuerant, ut teſtatur Victor de Cæſaribus, confirmatque Zoſimus lib. 1. qui ait, Scythas Tanaïm transgreſſos, *vicina Thraciæ loca prædis agendis* infeſtaſſe, eoſque Decium aggreſſum eſſe, & à Barbaris undique telis petitum periiſſe, ut mox videbimus. Quod verò Baronius ait ex Cenſura Valeriano conceſſa accidiſſe, ut in edictis nomina inſcriberentur Decii atque Valeriani, nullum fundamentum in veteri Hiſtoria habet, ubi edictorum Valeriani adverſus Chriſtianos nulla mentio ante quintum Imperii ejus annum. Acta S. Mercurii à Surio die XXV Novembris ex Simeone Metaphraſte recitata, & à Baronio hanc in rem laudata ſublectæ fidei ſunt ac adulterina. In iis enim decretum adverſus Chriſtianos, ut ſuppoſitur, emiſſum, his verbis inchoatur: *Imperatores, Triumphatores, Victores, Auguſti, Pii Decius & Valerianus ſimul cum Senatu hoc communi conſilio*, &c. Quæ prorſus fabuloſa, ſicut quod in iiſdem Actis deſcribitur, Decium ingenti in Perſide victoria potitum ſeveriſſimè Chriſtianos Perſas exagitaſſe: is enim poſtquam Imperium adeptus eſt, nunquam in Perſide fuit.

X. *Annus commentitius abjicitur.*

Venio nunc ad annum à Baronio in Annales infartum, Conſulatuque tertio ordinario Decii & Grati ſecundo, qui nunquam geſtus fuit, ab eo inſignitum. Niſi enim hîc reſecetur, illuſtrationem noſtram parum gratam, parumque utilem fore neceſſe eſt.

XI. *Martyrium S. Pionii.* Baron. ann. 254. num. 11 & ſeqq.

Ad num. I. In Aſianorum Martyrum Actis, quæ in unum Codicem redacta olim circumferebantur, ſimul conjunctæ legebantur binæ Smyrnenſis Eccleſiæ epiſtolæ; de Polycarpi Epiſcopi Smyrnenſis martyrio una; de Pionii altera: quæ propter omiſſam fortaſſe poſterioris epiſtolæ epigraphen, cùm pro una continua eſſent acceptæ, erroris inde data eſt occaſio, ut eodem anno uterque Martyr Smyrnæ paſſus exiſtimaretur. Sed *Polycarpum*, imperante Marco Aurelio, martyrii gloriâ coronatum eſſe ſuo loco oſtendimus: Sanctum verò *Pionium* Smyrnenſis Eccleſiæ Preſbyterum præſenti anno, Nonis Aprilis, die Sabbati, Decio imperante, morti traditum oſtendit Uſſerius in Diſſert. de Macedonum & Aſianorum Anno Solari cap. 3. Pionii Acta die prima Februarii à Bollando illuſtrata, & ex iis mendoſus ille Conſulatus Decii III, & Grati II, ad quem Eruditiſſimus Cardinalis offendit, rejectus.

XII. *S. Agatha martyrium.* Baron. ann. 254. num. XXVIII.

Ad num. II. De Martyribus in perſecutione Deciana paſſis, prætertimque de S. Agatha, die V Februarii morti tradita, legendus Bollandus in Actis Sanctorum; nobis enim ab inſtituto non divertendum.

XIII. *Epiſtolarum*

Ad num. III. uſque ad XIV & ultimum, varia tractantur, quæ ſine epiſtolis D. Cypriani ſuis temporibus redditis plerumque

Cyprianica-rum Chronologia.

obſcura ſunt. Quare cùm Pearſonius in Annalibus Cyprianicis Operum D. Cypriani Oxonii nuper editorum initio præfixis eaſdem epiſtolas accuratè digeſſerit, ac non raro ordinem Pamelii, Baroniique immutarit, ut noſtræ Animadverſiones clariores evadant, ſtatutum à Pearſonio ordinem plerumque ſequar, & quæ hoc habet, in compendium redigam; cùm alioqui ei, utpote viro ex Proteſtantium ſecta, in dogmatibus minimè favere intendam.

XIV. *Obitus Moyſis & Maximi.*

Baron. ann. 255. num. XXXVII & ſeqq.

Auctor anonymus Chronici Damaſi, Fabiani Romani Pontificis martyrio narrato, ait: *Poſt paſſionem ejus Moyſes & Maximus Preſbyteri, & Nicoſtratus Diaconus comprehenſi ſunt, & in carcerem miſſi. Eo tempore ſupervenit Novatus ex Africa; & ſeparavit de Eccleſia Novatianum & quoſdam Confeſſores, poſtquam Moyſes in carcere defunctus eſt, qui fuit ibi menſes undecim, dies undecim.* Sub initio itaque Januarii Novatus, relicto in Africa Feliciſſimo, Romam venit, & *ſeparavit ab Eccleſia Novatianum.* Quare Novatianum antea ſibi maximè familiarem Moyſes Preſbyter & Confeſſor illuſtris, *adhuc ſuperſtes*, ſed paulò ante mortem à communione ſua ſeparavit, ut habet Cornelius epiſtolâ ad Fabium Antiochenſem Epiſcopum apud Euſebium lib. 6. cap. 43. Moyſes autem paulò pòſt moritur in carcere, hoc ipſo menſe exeunte, poſtquam ibi fuiſſet *menſes undecim, & dies undecim*, ut refert Chronicon laudatum. Tempus obitûs hujus Confeſſoris anno ſecundo Galli & Voluſiani à Baronio conſignatum, licèt Martyrologium Romanum, quod ipſemet Notis illuſtravit, teſtetur, Moyſem ſub Decio paſſum eſſe, & ipſe fateatur, Cornelium Romæ Epiſcopum factum eſſe ante mortem Decii, conſtetque, Moyſem ante electionem Cornelii defunctum. Præterea fatetur Baronius, Cornelium de morte Moyſis tanquam præterita ad Fabium Antiochiæ Epiſcopum ſcripſiſſe; & notiſſimum eſt ex literis Dionyſii Alexandrini ad Cornelium datis, Fabium illum ſub initio Imperii Galli & Voluſiani obiiſſe. Denique Cornelium & Moyſem eodem anno paſſos tradit, & quidem Cornelium decimâ quartâ Septembris, quod verum eſt. Quòd ſi Moyſes eodem anno, Novembris vigeſimâ quintâ, ut Martyrologium Romanum habet, paſſus ſit, Moyſem poſt Cornelii mortem vixiſſe dicendum eſſet; quod omnem hujus Hiſtoriæ ſeriem penitus evertit.

XV. *Liber* de Laude Martyrii *Cypriani non eſt.*

Baron. ibid.

In hanc opinionem Cardinalem Doctiſſimum conjecit Tractatus quidam Cypriano adſcriptus, vel potiùs titulus hujus *de Laude Martyrii ad Moyſem & Maximum & ceteros Confeſſores.* Cùm enim in illo Tractatu lues memoretur, quæ ſub Gallo & Voluſiano cœpit, ipſumque Tractatum à Cypriano ſcriptum, & ab eodem ad Moyſem miſſum putaret, inde aſſerere non dubitavit, Moyſem poſt illius peſtilentiæ ortum, ac *poſt ſtrages populatarum urbium* vixiſſe, & demum ſecundo Galli anno defunctum eſſe. Verumenimvero Tractatus ille à S. Cypriano ſcriptus non eſt, multò minùs ad Moyſem miſſus, ſed à Declamatore aliquo compoſitus, ut vel hæc oſtendunt: *Etſi incongruens eſt, fratres chariſſimi, in hoc favore dicendi aliquid trepidationis afferre*; &, *Quæ vox, quæ latera, quæ vires inſtar tanti muneris capiant ſuſtinere?* ut alia quamplurima, quæ Cyprianus ad Moyſem & Confeſſores nunquam ſcripſiſſet. Quamobrem cum Veteribus ſtatuendum, Moyſem in carcere defunctum eſſe, & quidem hujus anni initio, ſed non die Novembris XXV, quo colitur. Martyrologia enim eum diem memoriæ ejus aſſignant, quod fieri ſolet, ubi dies paſſionis ignoratur.

XVI. *Quinque Preſbyteri ſe ab Eccleſia Africana ſeparant.*

Menſe Februario jam affecto, poſtquam *Feliciſſimus & Augendus*, aliique fuerant abſtenti, & jam Romæ Novatus ſchiſma excitare totis viribus nitebatur; quinque Preſbyteri Carthagine ſe ab Eccleſia Africana ſeparabant, & Feliciſſimo adjungebant. Id autem eorum malignitas & perfidia effecit; illi enim ipſi erant, qui ordinationi Cypriani cum Feliciſſimo ſe oppoſuerant, de quibus queſtus fuerat antè Cyprianus epiſtolâ XVII, quæ Pamelio eſt XII. Ita tandem apparebat *Feliciſſimi* factio, unde veniſſet, & quibus radicibus ſtaret. Horum quinque Preſbyterorum defectione comperta, maximè angebatur animi S. Cyprianus, quia ſtatuerat eo ipſo tempore Carthaginem redire. *Quas nunc pœnas patior*, inquit, *fratres chariſſimi, quòd ipſe ad vos inpræſentiarum venire non poſſum.* Altera enim perſecutione jam ſedata, hanc defectionem quaſi novam perſecutionem aliamque tentationem interpretatus eſt. Quamobrem ad plebem ſuam poſtea ſcribit epiſtolam XLIII, Pamelio XL, eos vehementer urgens, ut Eccleſiæ adhærere pergerent, nec ætate vel auctoritate illorum Preſbyterorum ſe divelli paterentur. Quinetiam promittit, ſe ad eos poſt Paſchæ diem cum Collegis ſuis venturum.

XVII. *Cyprianus adhuc in ſeceſſu verſatur.*

Baron. ann. 254. num. XXXI.

Toto igitur menſe Martio in ſeceſſu ſuo ſe continuit Cyprianus, propter minas & inſidias factionis Feliciſſimi, prodire tutum ſibi & Eccleſiæ minimè ratus. Et quamvis tempus Paſchatis jam appropinquaret, quod ſecundùm Canonem Hippolyti hoc anno Cyclo Solis 8. littera Dominicali E. in viceſimum tertium Martii incidit, quódque cum ſuis Carthagine celebrare maximè in votis habuit, diſtulit tamen adventum ſuum ad ea tempora, quæ ſolennia Paſchatis proximè ſecuta ſunt. Itaque epiſtola XLIII ad plebem ſuam ſcripta hoc ipſo menſe ſignificat, quinque Preſbyterorum malignitatem & perfidiam perfeciſſe, *ne ad eos ante diem Paſchæ venire licuiſſet.* Hoc igitur menſe Martio hæc epiſtola ſcripta, quâ Cyprianus ſatis exprimit, quamdiu ipſe, tunc cùm ſcripſit, in ſeceſſu delitiſcerat, his verbis: *Non ſuſſicerat exilium jam biennii, & à vultibus atque ab oculis veſtris lugubris ſeparatio.* Hoc enim de biennio tantùm inchoato, non autem expleto neceſſariò eſt intelligendum, inquit Pearſonius cum Baronio.

XVIII. *Primum Concilium Carthaginenſe ſub S. Cypriano.*

Baron. num. LXXXV & ſeqq.

Interea Epiſcopi Africani poſt Paſchatis ſolennia domi celebrata ſuas ſedes pro more relinquunt, & Carthaginem petunt. Quinetiam Cyprianus jam de factione *Feliciſſimi* ſecurus e ſeceſſu prodit, & ſedem ſuam occupat. Jamque Epiſcopos ex Provincia ſua convolantes ad Concilium rite ac pro more celebrandum præparavit, qui toties cauſam *Lapſorum* ad communne conſilium reſervaverat,

ſeque

ſeqq. Spondan. ibid. num. XI.

ſeque cum Collegis ſuis de factione Feliciſſimi judicaturum promiſerat. Menſe Maio primum *Carthaginienſe* Concilium ſub Cypriano celebratum eſt, de quo ipſe literis ad Antonianum ante ſecundum Concilium datis: *Secundum quod tamen antè fuerat deſtinatum, perſecutione ſopita, cùm data eſſet facultas in unum conveniendi, copioſus Epiſcoporum numerus, quos integros & incolumes Fide ſua Domini tutela protexit, in unum convenimus.* Tempus conveniendi his verbis accuratè deſcriptum eſt: deſtinatum enim fuit, quamprimùm *Epiſcopis in unum convenire indulgentia Divina permitteret*, quod poſt hujus anni Paſcha contigiſſe multa conv incunt. Factum eſt *perſecutione ſopita*, nondum penitus finita, hoc eſt, ante mortem Decii, qui hoc anno affecto periit; imò & ante electionem Cornelii, qui Decio adhuc imperante ordinatus eſt. *Diu* quidem continuatum eſt hoc Concilium, *ſcripturis ex utraque parte prolatis: diu multumque tractatu inter eos habito*, imò & *frequenter actum* eſt & ſæpius prorogatum, ut inferiùs patebit.

XIX. *Cornelius fit Papa.*

Baron. num. XLII & ſeqq. Spondan. num. IV.

Interim Romæ de eligendo Pontifice agebatur, quod quidem imperante adhuc Decio contigiſſe conſtat. *Sediſſe* enim Cornelium *intrepidum Romæ in Sacerdotali Cathedra, cùm Tyrannus infeſtus Sacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur*, teſtatur ipſe Cyprianus in epiſtola ad Antonianum, ubi de Decio intelligendus. Mox ſubjungit: *Cum multò patientiùs & tolerabiliùs audiret levari adverſus ſe æmulum Principem, quàm conſtitui Romæ Dei Sacerdotem.* Princeps ille alius non videtur quàm *Lucius Priſcus*, de quo Victor de Cæſaribus: *Per eos dies Lucio Priſco delata dominatio, Gothorum concurſu, poſtquam direptis Thraciæ pleriſque illo pervenerant. Qua cauſa Decio, quam potuit maturrimè, Româ digreſſo*, &c. Poſt Decii itaque Româ diſceſſum novus Pontifex electus. Ordinatio autem Cornelii diu ante necem illius perſecutoris facta eſt, ut conſtat ex his Cypriani verbis de Cornelio: *qui tantum temporis ſedit exſpectans corporis ſui carnifices, & Tyranni ſui ultores*, ut legitur in epiſtola LV, quæ Pamelio eſt LII. Decius autem ante menſem Novembrem hujus anni non periit. Non igitur opus eſt, ut Aprili Cornelium ſediſſe cum Baronio ſtatuamus, quòd ante necem Decii factus ſit Epiſcopus, *& Tyrannum armis & bello poſtmodum victum prior Sacerdotio ſuo vicerit*, ut dicitur in eadem epiſtola; aut quòd Concilium Carthaginenſe menſe Maio celebratum ſit: illud enim ante electionem Cornelii coactum. Quamobrem Cornelius menſe Junio ineunte Romæ Epiſcopus ordinatus, & quidem die ejus menſis quarto. In Chronico quidem Damaſi legitur: *Cornelius annos duos, menſes tres, dies decem. A Conſulibus Decio IV, & Decio II, uſque Gallo & Voluſiano.* Sed locus corruptus eſt; legendum enim *Decio III, & Decio*, & locò *annos II*, legendum *annum I.* Exemplar, quo uſus Cuſpinianus præter eoſdem errores alium habet, nempe *menſes IIII*, loco *menſes III.* Veterem lectionem conſervavit nobis auctius Chronicon veterum Pontificum, in quo legitur: *Sedit annum unum.* Quam emendationem neceſſariò poſtulant ipſa Chronici Damaſi verba, quæ ſequuntur, *uſque Gallo & Voluſiano*, qui Conſulatus anno ſequenti geſtus. Qui enim creatus eſt utroque Decio Coſſ. & obiit Gallo & Voluſiano Coſſ. duobus annis & menſibus aliquot ſedere nullo modo potuit. Jam verò ab ejus deceſſu retro numerando colligitur initium Pontificatûs ejuſdem. Cùm enim obierit decimo quarto die menſis Septembris, ut Martyrologium Romanum, Hieronymianum, Uſuardi, Adonis, & aliorum tradunt; ſi annum unum, menſes tres, dies decem ſederit, eundem quarto Junii die Cathedram occupaſſe pariter fatendum; præcipuè cùm hæc omnia ſcriptis Cornelii, Cypriani, & Dionyſii Alexandrini optimè conſentiant.

XX. *Novatianus fit Epiſcopus.*

Baron. num. XLIX & ſeqq. Spondan. n. VIII & IX.

Novatianus contra Cornelii ordinationem apertè diſputavit, eamque ut illegitimam abrogare conatus eſt. Ita diſcordia gliſcente, Novatianus factione ſua jam corroboratus, magna parte plebis etiam ſeparata, duos deploratæ conditionis homines ſibi ſocios adjunxit, ut eos in exiguam & viliſſimam Italiæ partem mitteret, atque illinc accitos tres Epiſcopos pelliceret, ſimulatè quaſi Romæ ortam diſcordiam ſedaturos. Revera autem cùm Romam tres illi Epiſcopi ex Italia veniſſent, *Novatianus* ab illis ſe ordinari procuravit, præcipuè per epiſtolam à Confeſſoribus miſſam. Unde Cornelius ipſe per tres Epiſcopos ordinatum eſſe Novatianum epiſtolâ ad Fabium fatetur; Pacianus autem eum ſine conſecratione legitima Epiſcopum factum, ideoque nec factum tradit per epiſtolam eorum, qui ſe Confeſſores eſſe ſimularent. Non quòd Confeſſores antea non fuiſſent, ſed quòd tunc Schiſmatici eſſent, & confeſſionis gloriam perdidiſſent. Ipſi enim poſtea confeſſi ſunt, *circumductos commiſiſſe ſe quoque ſchiſmata, & hæreſis auctores fuiſſe, ut paterentur ei manus, quaſi in Epiſcopum, imponi.* Conſtat igitur, *Novatianum* à tribus Epiſcopis ordinatum eſſe, & quidem Italicis, quorum manus ei imponebantur, non autem *Novati.* Licèt enim apud Chronicon Damaſi in Cornelio legatur: *Sub Epiſcopatu ejus Novatus extra Eccleſiam ordinavit Novatianum in urbe Roma, & Niceſtratum in Africa*; id tamen non Novati manu factum, ſed factione ejus effectum eſſe jam diximus.

XXI. *Concilium Carthaginienſe prorogatum.*

Baron. num. LXXXVI. Spondan. num. XI.

Menſe Junio jam affecto Cyprianus in Concilio, acceptis Cornelii & Collegarum literis, quibus tum Cornelii electio, tum grave ſchiſma repræſentabatur, nondum audita *Novatiani* ordinatione, *Caldonium* & *Fortunatum* Epiſcopos Africanos è Concilio Legatos cum literis ad *Cornelium* & Coepiſcopos miſit. Per eoſdem etiam Epiſcopos duarum epiſtolarum exempla, quadrageſimæ primæ, Pamelio XXXVIII, de Feliciſſimo, & quadrageſimæ tertiæ, Pamelio XL, de Preſbyterio ejus ad Cornelium tranſmiſit, ut toti fraternitati legerentur. Miſſis autem his Legatis, à Concilio ſtatutum eſt, ut omnia interim integra ſuſpenderentur, donec Legati redirent. Atque ita Concilium quaſi prorogatum eſt, ut etiam poſtea patebit. Neque enim aliter Cyprianus ipſe & *Liberalis* in

Hadrumetinam coloniam, ſedente Concilio, proficiſci voluiſſent. Et quidem hoc Concilium non tantùm diu habitum, ſed etiam *frequenter actum* eſſe legimus: quod de eo frequenti Epiſcoporum conventione per intervalla intelligendum videtur, ut non tantùm diu continuatum, ſed & aliquoties prorogatum fuiſſe videatur. *Frequenter* enim hic accipiendum non pro magno numero, ſed pro multis vicibus, ut Sulpicius Severus de Ariminenſi Synodo: *Igitur frequentibus Conciliis nihil actum; noſtris in Fide permanentibus, illis de perfidia non cedentibus.* Qui aliter illa verba, *ut omnia interim integra ſuſpenderentur*, interpretantur ac ſi decretum eſſet, neque Cornelio, neque Novatiano communicandum, ſed literas ad Clerum Romanum dirigendas eſſe, hallucinari videntur; nondum enim Novatianum Epiſcopum factum eſſe noverant: imò Baronius tradit, *Caldonium & Fortunatum* Legatos Romæ agentes, cùm omnia in caſſum pertentaſſent, *vidiſſe ex improviſo velut ex portis inferorum Novatianum creatum Romanum Epiſcopum.*

XXII. *Feliciſſimus & quinque Preſbyteri excommunicati.* Baron. num. LXXXVII. Spondan. num. III.

Menſe Julio ineunte Legati à Novatiano miſſi Carthaginem veniunt, ex quorum ſermone & aſſeveratione, ut & ex literis, quas ſecum ferebant, Cyprianus & Collegæ *Novatianum* Epiſcopum factum eſſe didicerunt; qui illicitæ ordinationis pravitate commoti, Legatos à communione ſua ſtatim cohibendos eſſe cenſuerunt. Tum verò ſupervenerunt *Pompeius* & *Stephanus* Epiſcopi Africani, qui Cornelii ordinationi interfuerant, ſuaque teſtimonia protulerunt, unde Cyprianus & Collegæ Legatos *Novatiani* haud ultra audiendos eſſe ſtatuerunt. Quamobrem Legati à Novatiano miſſi, & à Concilio Carthaginienſi rejecti, oſtiatim per multorum domos, & oppidatim per aliquas civitates diſcurrentes quærebant ſibi comites. Quorum omnium *Cornelium* fratrem ſuum certiorem reddidit Cyprianus epiſtolâ XLIV, Pamelio XLI, hoc menſe jam affecto, per Primitivum Preſbyterum miſsâ. Tum verò Cyprianus & Collegæ de legitima Cornelii ordinatione ſatis perſuaſi, ad negotia Eccleſiæ Africanæ pertractanda diligentiùs acceſſerunt: ac primò in Concilio, *Feliciſſimum* & quinque Preſbyteros nuper ab Eccleſia profugos audierunt, eoſque auditos abſtinuerunt. Et quoniam ex reditu & relatione *Caldonii* & *Fortunati* ordinationis Cornelii & ratio juſta & glorioſa innocentia apparuit, omnes Epiſcopi Carthagine coacti in totam Africæ Provinciam, in *Numidiam* etiam & *Mauritanias* literas ſcripſerunt, ut univerſi Collegæ *Cornelium*, & communicationem ejus firmiter tenerent. Quinetiam Synodicæ literæ ad Cornelium ſcriptæ, ut quid de *Feliciſſimo* & Preſbyterio ejus actum eſſet, ſcire poſſet; quas Epiſcopi omnes manu ſua ſubſcriptas miſerunt: ſed hæ literæ deſiderantur.

XXIII. *Cyprianus ad Confeſſores de Novatiano ſcribit.* Baron. num. XLII.

Menſe igitur Auguſto ineunte, Cyprianus ſcripſit epiſtolam XLV, Pamelio XLII, eamque cum literis Synodicis ad *Cornelium* miſit per *Mettium* Hypodiaconum, & *Nicephorum* Acoluthum, literarum ſuarum de *Feliciſſimo* & Preſbyterio ejus exemplaria ruſius ſubjungens. Et quoniam Confeſſorum nomine per omnes Eccleſias literæ, calumniis & maledictis plenæ, frequentes miſſæ ſunt; ipſe ad eos dat epiſtolam XLVI, Pamelio XLIV, quâ eos ut ad matrem Eccleſiam revertantur, breviter hortatur, quam arbitrio Cornelii permittit proximâ ad eum per *Mettium* datâ. Circa idem tempus ſcripſit etiam ad eoſdem Confeſſores Dionyſius Alexandrinus, dum adhuc Novatiani ſententiæ favebant, ut obſervat Euſebius. Quo etiam tempore videtur, literas ad Novatianum dediſſe, breves certè, ſed præclaras, quæ apud Euſebium lib. 6. cap. 45. leguntur.

XXIV. *Finis Concilii Carthaginenſis.* Baron. num. LXXXVIII

Poſt Feliciſſimi & quinque Preſbyterorum abſtenſionem, de cauſa Lapſorum ſynodicè concluſum eſt: & Synodi Placita libello ſunt inſcripta, ut ſcribit Cyprianus ad Antonianum. Magno autem temperamento Placita hæc concepta ſunt, quæ omnia ad duo generalia capita à Cypriano redacta. Primò, ne in totum ſpes communicationis & pacis Lapſis denegaretur, contra Novatiani ſententiam. Secundò, ne cenſura Evangelica ſolveretur, ut ad communicationem temere proſilirent, contra Feliciſſimi factionem. Hic autem libellus Canonum, in quo ſingula Placitorum capita conſcripta ſunt, à Synodo ad Cornelium Collegam ſuum miſſus eſt, & ad alios etiam in Africa Epiſcopos. Hunc autem libellum non bene in duos diviſit Baronius, eoſque à Cypriano ad Confeſſores diu poſtea miſſos eſſe putavit. Interea *Primitivus* cum literis ad Cornelium priori menſe miſſus Carthaginem redierat cum literis Cornelii ad Cyprianum, quæ deſiderantur. Sed earum argumentum ex Cypriani reſponſo ſatis dignoſcitur. Significaverat enim, ſe motum fuiſſe, quòd, cùm *Polycarpus* Epiſcopus ad ipſum poſt electionem ſuam ſcripſiſſet, tanquam legitimum Romæ Epiſcopum, poſteaquam Cyprianus & Liberalis in Hadrumetinam coloniam veniſſent, cœpiſſent illuc ad Preſbyteros & Diaconos literæ dirigi, quaſi ſcilicet nondum Romæ legitimus Epiſcopus conſtitutus eſſet. Quocirca Cyprianus epiſtolâ XLVIII, Pamelio XLV, ei reſpondet. Cùmque jam omnia Concilii auctoritate compoſita eſſent, Maximus & Longinus & Machæus Legati à Novatiano miſſi Africâ expulſi ſunt.

XXV. *Unicū Concilium Romanum Cornelius celebravit.* Baron. num. XC & ſeqq. & anno 255. num. II. Spondan. ibid. num. XI. & anno 255. num. I.

Menſe Septembri Cornelius accepto à Synodo Carthaginienſi Canonum libello; ipſe Concilium convocare ſtatuit, & quidem numero quàm potuit maximè copioſo, ut ipſe Cyprianus ad Antonianum indicat. Curavit igitur, ut ſexaginta Epiſcopi Romæ convenirent quamprimum fieri potuit, ut ex Euſebio conſtat. Neque enim aſſentior Baronio, qui duo Concilia Romæ à Cornelio coacta eſſe tradit; primum hoc tempore, cujus meminit Cyprianus; ſecundum anno ſequente, cujus mentionem fecit Euſebius. In quam opinationem incidit, quòd putaret, epiſtolam ad Antonianum *ipſo Cornelii Sedis exordio ſcriptam eſſe*, in qua mentio Romani Concilii facta eſt; cùm literæ illæ ſequenti ſcriptæ ſint, ut poſtea patebit. Labbeus, qui Baronium ſecutus eſt in diſtinguendis duobus Romanis Conciliis, ut primum ſit in quo decretum Carthaginienſis Concilii confirmatum; ſecundum, in quo Novatianus, ejuſque fau-

tores excommunicatione percuſſi; ſtatim addit, *cùm utrumque in uno fortè potuerit perfici*; quod verum eſt.

XXVI.
Novatianus in Concilio Romano excommunicatus.

Baron. an. 255. num. II. Spondan. ibid. num. I.

Menſe itaque Octobri celebratum Concilium *Romanum*, quo Synodi Carthaginienſis decreta de *Lapſis* recipiendis corroborata, & *Novatianus* cum ſuis anathemate percuſſus. Erant in ea Synodo ſexaginta Epiſcopi & multò plures Preſbyteri ac Diaconi. Concilio finito, *Cornelius* decreta ejus Eccleſiis longè diſſitis communicavit, & ad Fabium Antiochiæ Epiſcopum de iis ſcripſit. Et quia non pauci in Italia Epiſcopi Concilio minimè interfuerant, eorum quoque ſententias ſeorſim poſtulavit; unde *Concilium Italicum* ex Hieronymo conflatum eſt. Interim *Novatianus*, cùm videret, *Maximum* Preſbyterum cum ſuis Africâ expulſum, & in Concilio Carthaginienſi Cornelii electionem confirmatam, ſuam ſententiam *de Lapſis* condemnatam, & condemnationem eam à Synodo Romana roboratam, jamque omnes per Italiam Epiſcopos in ſuam excommunicationem conſenſuros præviderer; proſtratus denuo reſurrexit, & miſit in Africam *Evariſtum* ſuæ partis Epiſcopum, *Novatum* Carthaginienſis Eccleſiæ Preſbyterum, *Nicoſtratum* Diaconum, unum ex Confeſſoribus cum *Primo* etiam & *Dionyſio*. Quare Cornelius literis per *Augendum* Confeſſorem miſſis de eorum diſceſſu Cyprianum admonuit; ſed literæ illæ deſiderantur. Interea Confeſſores Romani, quos è carcere prodeuntes ſchiſmaticus & hæreticus error exceperat, & jamdiu palabundos populus viderat, *Cypriani* & *Dionyſii* literis primò molliti, & lecto, ut videtur, libello de *Unitate*, quem hoc tempore ſcripſit, & Romam miſit Cyprianus, bene inſtructi, de reditu ad Eccleſiam cogitaverant, idque fratribus nonnullis ſignificaverant, *Novato* jam cum reliquis tanquam procella & turbine recedente, Preſbyteros Romanos adierunt, circumventos ſeſe affirmarunt, & ad Eccleſiam ſe redire cupere proteſtati ſunt.

XXVII.
Confeſſores ad pacem reverſi.

Baron. num. XCVII & ſeqq. Spondan. num. XIII.

Menſe Novembri, cùm jam *Confeſſorum* animus ſatis eſſet perſpectus, Cornelio placuit contrahi Preſbyterium, cui adfuerunt etiam Epiſcopi quinque; coram quibus & Confeſſores *Maximus*, *Urbanus*, *Sidonius*, & *Macarius*, (Nicoſtratus enim eorum in confeſſione ſocius, in ſchiſmate perſeveravit) & plerique fratres, qui ſe iis adjunxerant, ſummis precibus deſiderabant, ut quæ antea fuerant geſta, in oblivionem cederent. Qua de re Epiſcopi cum Preſbyteris ſuas dixere ſententias. Et actu omni populo mox inſinuato, & magno fraternitatis concurſu facto, profeſſionem fecerunt, & ad communicationem & pacem Eccleſiæ admiſſi ſunt. Quinetiam eadem horâ *Cornelius* horum omnium Cyprianum certiorem facit epiſtolâ XLIX, Pamelio XLVI, per *Nicephorum* Acoluthum miſſâ. Qui etiam ſubjungendas curavit ſententias Epiſcoporum & Preſbyterorum eo negotio prolatas, quæ deſiderantur. Scripſit etiam feſtinanter breves literas, quibus Africanos docere voluit, quales eſſent qui à Novatiano jam miſſi ſunt, ac præcipuè *Nicoſtratus* & *Evariſtus*.

XXVIII.
Pax Eccleſiæ reddita.

Decio Imperatore ſub hujus anni finem ſublato, ut mox dicemus, plena inde pax

Eccleſiæ, finita prorſus perſecutione, à Deo indulta eſt, & paulò pòſt Cyprianus edidit libellum *de Lapſis*, eumque Romam miſit, cujus initium hoc ipſum indicat: *Pax ecce, dilectiſſimi fratres, Eccleſia reddita eſt: & quod difficile nuper incredulis, ac perfidis impoſſibile videbatur, ope atque ultione divinâ ſecuritas noſtra reparata eſt.* Ultio enim illa divina ad Deciorum interitum manifeſtè refertur. Exeunte anno, Cyprianus acceptis literis à Cornelio per *Nicephorum* Acoluthum miſſis, reſpondet duabus epiſtolis, LI, quæ Pamelio XLVII, de reditu Confeſſorum congratulatoriâ, & LII, Pamelio XLIX, de *Novati* ſceleribus. Ita Cypriani literæ à Pearſonio in Annalibus Cyprianicis hoc anno ordinatæ, & quæ in Annalibus ac in Epitome, ut videtur, ordinandæ: quod quiſque proprio marte præſtare poterit ope numerorum in margine notatorum. Hîc ſolùm monendum, rectè cenſuiſſe Baronium, apud Epiphanium hæreſi LXV Novati nomen irrepſiſſe, & Novatianos quod Trinitatem attinet, nihil à Catholicis diſſenſiſſe.

Baron. num. CII. Spondan. num. VII.

Spondan. num. XIV.

XXIX.
Deciorum interitus.

Baron. an. 254. num. XLVII & ſeqq. Spondan. num. V.

Hic itaque tantùm agendum reſtat de Decii Imperatoris interitu, de quo in Epitome ad num. V & VI. Decius Româ, ubi adhuc die vigeſima ſeptima Octobris erat, ut ſuprà diximus, adverſus Scythas Tanaïm tranſgreſſos profectus, *Abruti* cum filio periit, ut habent Victor de Cæſaribus, & Dexippus horum temporum Scriptor apud Georgium Syncellum, quod confirmat Jornandes lib. de Rebus Geticis cap. 18. *Veniensque Adabritto Mæſiæ civitatem, circumſeptus à Gothis, & ipſe extinguitur.* Sed loco *Adabritto*, legendum; *Abruto*. Duos ex *Herennia Etruſcilla* uxore filios ſuſcepit, *Quintum Herennium Etruſcum* Meſſium Decium, & *Caium Valentem Hoſtilianum* Meſſium Quintum. *Etruſcillam* enim Decii conjugem fuiſſe oſtendit ejus Nummus à Seguino illuſtratus, in quo *Etruſcilla* ex averſa parte ſculpta reperitur. Præterea Mediobarbus in Numiſmatis Imperatorum Decii Nummum producit in poſtica inſcriptum: CONCORDIA AUGG. Viſuntur capita *Etruſcillæ* in dimidiata Luna, & *Meſſii Decii* & *Hoſtiliani* ſeſe reſpicientia: & Spanhemius lib. de Uſu & Preſtantia Numiſmatum pag. 593. alterius Nummi Decii poſticam exhibet, in qua legitur: Q HER. ETR. DECIUS C. VALEN. HOSTIL. Cernuntur capita Etruſci & Hoſtiliani ſeſe reſpicientia; adeo ut indubitatum ſit, Etruſcillam uxorem Decii fuiſſe, matremque Etruſci & Hoſtiliani. Baronius *Herenniam Salluſtiam*, aliqui Antiquarii *Salluſtiam Barbiam Orbianam* uxorem Decii faciunt. Verùm prior fictitia; poſterior verò Alexandri Severi Imperatoris conjux, ut in ejus Nummis apud Mediobarbum videre eſt. Decius non multò poſtquam Imperium invaſit, *Etruſcum* majorem natu filium Cæſarem dixit, & Tribunitia Poteſtate exornavit. Extat enim Nummus apud Erizzum pag. 546. in quo legitur: Q. HER. ETR. MES. DECIUS NOB. C. in poſtica: ΔΗΜΑΡΧ ΕΞΟΥϹΙΑϹ. & infrà, S. C. id eſt, *Quintus Herennius Etruſcus Meſſius Decius Nobiliſſimus Cæſar Tribunitiæ Poteſtatis, Senatuſconſulto.* Præterea Patinus V. C. in The-

ſauro Mauroceniano pag. 140. ejuſdem Herennii Cæſaris Nummum profert, in quo legitur, I. B. id eſt, *anno ſecundo.* Decius pater cùm ad bellum Gothicum profectus eſt, eum Auguſtum nuncupavit; eo enim nomine in Nummis apud Mediobarbum appellatur. Sed uterque in ea expeditione interiit, *exacto Regni biennio*, ut habet Victor de Cæſaribus, vel, ut alter Victor, poſtquam imperaſſet *menſes triginta*, utroque ſc. extremo menſe incompleto pro integro numerato. Nam, ut ejus Imperii initio oſtendi, die decima ſeptima Junii anni ducenteſimi quadrageſimi noni adhuc *Philippus* ejus deceſſor vivebat; certumque, Gallum & Voluſianum ſub hujus anni finem imperandi initium feciſſe, non quidem ante ſextum Kalendarum Novembrium diem; eo enim Decius adhuc Romæ erat, ſeque ad expeditionem adverſus Scythas, in qua periit, parabat, ut diximus ex Pollione in Valeriano cap. 1. Quare cùm anno ſequenti *Gallus* & *Voluſianus* de more novorum Principum trabeam ſumſerint, Decius exeunte Novembri, aut Decembri ineunte, cum filio Decio interfectus eſt poſt Imperium triginta menſium, quod ex morte Gallieni Imperatoris magis ſuo loco confirmabitur.

XXX. *Chronologia Deciana reſtituitur.*

Porro qui annum unum & aliquot menſes *Decio* aſſignant, quos Baronius ſecutus eſt, valde hallucinati ſunt. Nam, ut monſtravi in priori parte Diſſert. Hypaticæ cap. 7. num. 5. tam ex Nummis, quàm ex Inſcriptionibus conſtat, Decium tertium Imperii annum inchoaſſe. Extat in urbe Vencienſi ſub Archiepiſcopo Ebredunenſi Decii Inſcriptio, quæ ibidem parum correctè à Typographo edita, hic prout jacet exhibetur.

IMP. CÆS
C. MESSIO QUIN
TO TRAJANO DE
CIO PIO FEL. INVIC
TO AUG. P. M. TRIB
POT. III. COS. II.
PROC
CIVIT. VINT.

Hujus Inſcriptionis beneficio errores duo in Imperio Deciano à Baronio commiſſi certò emendantur, & Chronologia per hæc tempora in integrum reſtituitur. Ex ea enim certum fit primò, *Decium* tertiam Tribunitiam Poteſtatem, ſeu tertium Imperii annum exorſum eſſe; ideoque Philippum ſeptimum Imperii annum nullo modo attingere potuiſſe, & qui annum tantùm unum & aliquot menſes Decio tribuerunt, ejus Imperii durationem mutilaſſe. Nam ſuppoſito, quod nunc in dubium revocari non poteſt, *Gallum* & *Voluſianum*, exeunte hoc anno, Decio ſucceſſiſſe, quomodo *Philippus*, qui anno CC XLIV regnare cœpit, ad ſeptimum Imperii annum pervenire potuit, cùm Decius tertium Imperii annum auſpicatus fuerit. Neque dici poteſt, eam Inſcriptionem mendoſam eſſe, cùm etiamnum in civitate Vencienſi aſſervetur, & Gruterus pag. CC LXXIII aliam Decii proferat, in qua hic etiam dicitur TRIB. POT. III. COS. II. P. P. PR. COS. id eſt, *Proconſul*, idemque in Nummis apud Goltzium legatur. Certum fit ſecundò, priorem Decii Conſulatum, quem ordinarium Baronius credidit, ſuffectum tantùm fuiſſe, ideoque & annum unum ei reſpondentem in Annales perperam infartum eſſe. Nam, ut in Diſſert. Hypat. demonſtravi, paſſimque in hoc Opere inſinuavi, Conſulatus ſuffecti in Nummis & Inſcriptionibus ſæpe neglecti. Quare cùm Decius Conſul II dicatur, quando gerit Tribunitiam Poteſtatem tertiam, tres Conſulatus ordinarios non ſuſcepit; alioqui in laudatis Inſcriptionibus diceretur Conſul III, non verò Conſul II, cùm Conſulatus quidem ſuffecti quandoque prætermittantur; Conſulatus verò ordinarii, vel omnes enuntientur, vel omnes omittantur, vel denique Imperator ſimpliciter & ſine numerali nota dicatur *Conſul.* Dubitari itaque non poteſt, quin Baronius Conſulatum unum in Faſtos intruſerit, & quin jam non biennio, ut antea, ſed triennio ab Era Dionyſiana differt. Quo factum, ut annus emortualis Decii, qui cum anno Chriſti CC LI illigari debet, in Annalibus Baronii cum anno Chriſti CC LIV copuletur. Quo ex errore alius enatus. Anni enim Urbis, Olympiadum, ceterarumque Erarum, qui huc uſque in Annalibus rectè conſignati erant, inpoſterum in iiſdem nonniſi extra proprium locum eſſe poſſunt, ut infrà demonſtrabo.

XXXI. *Gallus, Hoſtilianus, & Voluſianus Decio ſuccedunt.*

Sublato Decio cum filio natu majori alii Imperatores nuncupati. Victor de Cæſaribus, utriuſque Decii interitu narrato, ait: *Hæc ubi Patres comperere, Gallo, Hoſtilianoque Auguſta Imperia: Voluſianum Gallo editum Cæſarem decernunt. Dein peſtilentia oritur: qua atrocius ſæviente, Hoſtilianus interiit.* Zoſimus tamen lib. 1. ſcribit, Gallum alterum ex filiis Decii ſuperſtitem adoptaſſe, & progreſſu temporis veritus ne Romani ei ſummam rerum traderent, occidi curaſſe. Magis tamen Victori de Cæſaribus credendum. Quòd ſi peſte periit, mors ejus ante autumnum anni inſequentis non contigit. Unde quamplurima ejus ſuperſunt Numiſmata, in quorum aliquibus Cæſar, in aliis verò Auguſtus appellatur, ut videre eſt apud Mediobarbum. (Baron. num. XLVIII. Spondan. an. 255. num. V.) Baronius deceptus ab Aurelio Victore in Epitome *Hoſtilianum* cum *Perpenna* confundit. Mediobarbus enim *Perpennæ* Nummum exhibet inſcriptum: IMP. CAES. M. AUG. PERPENNA LICINIAN. AUG. in poſtica: P. M. TR. P. P. P. Sed loco *M. Aug.* legendum, *M. Auf.* ut in Indice errorum monet idem Auctor, & ut videre eſt apud Occonem & Goltzium, qui eundem numero Nummum referunt. Neque enim alium extare credo. Marcus itaque Aufidius Perpenna longè diverſus ab Hoſtiliano, & Tyrannus, non verò Imperator à Senatu creatus, ſaltem quantùm conjecturâ aſſequi poſſumus. Eutropius interitu Decii recitato, ait: *Mox Imperatores creati ſunt, Gallus, Hoſtilianus, & Galli filius Voluſianus.* [illegible] enim legendum, non ut in editionibus vulgaribus, *Gallus Hoſtilianus*, cujus interpunctionis defectu factum, ut Eutropium, Gallum cum Hoſtiliano confudiſſe ſibi perſuaſerit Baronius. Voluſianus cum nomine Cæſareo Tribunitiam Poteſtatem accepit, cùm in variis Nummis dicatur, TR. P. II. COS.

II, quam Tribunitiam Poteſtatem ſecundam ſuſcipere non potuiſſet, ſi hoc anno, vel ſequentis initio eâ decoratus non fuiſſet.

Olymp. 258. *ſecundum Baronium.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5745. ☉ 9 D C. ☽ 6. P. 11. APRIL. INDICT. 15.

JESU CHRISTI 252. *ſecundum Baronium* 255.

LUCII PAPÆ I.

GALLI, VOLUSIANI, HOSTILIANI IMPPP. I.

I. *Conſules.* COss. *C. Vibius Trebonianus Gallus Aug. II*, & *C. Vibius Voluſianus Cæſar*; uterque juxta primam Conſulatuum Cæſareorum regulam: ille enim anno elapſo *Auguſtus*; hic *Cæſar* renuntiatus eſt. In veteribus quidem Faſtis Voluſianus non dicitur Cæſar, quia in iis Auguſti & Cæſaris nomina, imò & nota numeralis plerumque negliguntur. Verùm Voluſianum Kalendis Januariis adhuc fuiſſe Cæſarem oſtendunt & Numiſmata ejus apud Mediobarbum, qui varia refert, in quibus tantùm *Cæſar* inſcribitur, & Conſulatus ſecundus anno inſequenti ab eo geſtus, propter Auguſteam dignitatem hoc anno acceptam, ut tunc dicemus. Porro Gallum ante Imperium Conſulatu ſuffecto exornatum fuiſſe, certum faciunt tam Fragmentum Conſulare, quo uſus Cuſpinianus, quódve Bucherius publicavit, in quo Gallus cum numerali nota editur, quàm Inſcriptio ab Onuphrio libro ſecundo Faſtorum relata, in qua legitur: ACTUM. PR. KAL. AUG. IMP. DD. NN. GALLO. AUG. II. ET. VOLUSIANO. AUG. COSS. His adde, Georgium Syncellum ſcribere: *Gallum quemdam Exconſulem, & cum eo Voluſianum Decii filium milites ſalutant Imperatorem.* Græcum habet, Βασιλέα, id eſt, *Regem*, quod nomen tam Auguſtis, quàm Cæſaribus datum. Eo tamen in loco Voluſianus Decii filius per errorem dictus. His nonobſtantibus Baronius Gallum & Voluſianum II Conſules proponit, aitque: *Ex antiquis Numiſmatum inſcriptionibus ambos ſimul ſecundum Conſulatum geſſiſſe colligitur, quibus ſecundus Conſulatus cum Tribunitia Poteſtate ſecundo repetita ponitur.* Verumenimvero ſi argumentum illud ex Nummis deductum valeret, ſequeretur, Gallum tam hoc anno, quàm ſequenti, quo Tribunitiam Poteſtatem ſecundam geſſit, & occiſus eſt, Conſulem ordinarium proceſſiſſe, quod nullus conceſſerit. Contrà Pearſonius in Annalibus Cyprianicis Gallum hoc anno ſecundum Conſulatum iniiſſe ex Nummis clarè patere ſcribit, uti ex iſto: *Imp. Cæſ. C. Vib. Trebonianus Gallus Aug. P. M. Tr. P. Coſſ. II. P. P.* quem hoc anno cuſum arbitratur, quia Tribunitia Poteſtas in eo ſine numerali nota editur. Sed hic Nummus ſimiléſve ad hanc rem nihil faciunt; in illis enim Tribunitia Poteſtas abſolutè ponitur, ideoque quo anno Imperii cuſi, incertum. Sic nullus dixerit, hunc Severi Nummum à Mediobarbo relatum primo Imperii ejus anno percuſſum: SEVERUS PIUS AUG. IMP. XII. PARTH. MAX. in poſtica: TR. P. COS. III. P. P. S. C. quia, licèt Tribunitia Poteſtas ſine numerali nota efferatur, non ideo tamen ejus Imperii initio cuſus, cùm nonniſi decimo Imperii anno Conſulatum tertium capeſſierit. Ex Nummis itaque hæc difficultas diffiniri non poteſt, ideoque tam à Baronio, quàm à Pearſonio fruſtra adhibiti.

II. *Cyprianus componit libros de Unitate & de Lapſis.* Pearſonius citatus res hoc anno geſtas hoc modo digerit. Ipſo ſtatim hujus anni initio S. Cyprianus ad Confeſſores Romanos dat epiſtolam LIV, quæ Pamelio eſt LI, de eorum ad Eccleſiam reditu congratulatoriam; poſtquam non tantùm à Cornelio, ſed ab ipſis etiam poſtea literas de regreſſione ſua & fraterna redintegratione accepiſſet. His autem literis duos libellos à ſe ſcriptos illis commendat, *de Unitate* unum, quem ad Romanos dudum, antequam Confeſſores ad Eccleſiam reverſi ſunt; *de Lapſis* alterum, quem nuper poſt interitum Decii apud ſuos legerat, & Romam tranſmiſerat; cujus brevem ſynopſin his verbis proponit: *Ubi Lapſis nec cenſura deeſt, quæ increpet; nec medicina, quæ ſanet.* Ad hæc enim duo capita omnia in illo libello præclarè dicta facilè reduci poſſunt; ut appareat, libellum *de Lapſis* decretis in Concilio nuper factis planè conformem fuiſſe. Duo igitur libelli, quorum hac in epiſtola mentio, erant Tractatus duo ab ipſo Cypriano exarati, & Carthagine lecti, & Romam tranſmiſſi, *de Unitate & de Lapſis*; non autem libelli Canonum à Concilio Carthaginienſi editi, ut putat Baronius. Singula enim placitorum ejus Concilii capita uno libello conſcripta ſunt, ut Cyprianus ipſe ad Antonianum teſtatur. Circa idem tempus S. Cornelius ſcripſit ad Fabium Epiſcopum Antiochenum, epiſtolam de facinoribus Novatiani, cujus inſigne fragmentum extat apud Euſebium lib. 6. cap. 43. quod cum Cyprianicis collatum, lumen dat, accipitque viciſſim. In hac epiſtola reditum *Confeſſorum* deſcribit, & *Novatianum* jam fere ab omnibus deſertum eſſe narrat, quod ante hoc tempus dici non potuit, cùm jam *Confeſſores* in Eccleſiam recepti, & *Nicoſtratus*, *Novatus*, *Evariſtus*, *Primus & Dionyſius*, magna Novatiani partis præſidia, Româ in Africam profecti, & ab Eccleſia Africana rejecti eſſent.

Baron. an. 254. num. LXXXVIII.

III. *Antonianus in Numidia Epiſc. titubat.* Menſe Februario ſcribit Cyprianus ad *Antonianum* Numidiæ Epiſcopum, epiſtolam LV, Pamelio LII, prolixam ſanè atque inſignem, & ad hujus temporis Hiſtoriam illuſtrandam apprimè neceſſariam, quam Baronius *ipſo Cornelii Sedis exordio* ſcriptam eſſe perperam exiſtimavit. Nam poſt ordinationem Novatiani primas ad Cyprianum literas dederat *Antonianus*, quibus ſignificavit, ſe non cum Novatiano, ſed cum Cornelio communicare. Poſtmodum Novatianus literas ad *Antonianum* dedit, quæ ſcriptæ ſunt, poſtquam *Trophimus* & Thurificati à Cornelio admiſſi fuerant in Eccleſiam. His literis permotus *Antonianus* alias ad Cyprianum dedit, quibus ſe nutare cœpiſſe ſignificavit, iiſque hàc epiſtolâ reſpondet Cyprianus, quæ ipſo Cornelii Sedis exordio exarari non potuit. Quinimo ex ipſa epiſtola conſtat, poſt Concilium prioris anni Carthagine diu habitum,

Baron. an. 254. num. CIII.

imò poſt Concilium Romanum, quo Carthaginienſe confirmatum, poſt Confeſſorum ad unitatem Eccleſiæ reditum, Deciique interitum eam ſcriptam fuiſſe. Et ſanè præclara eſt ea epiſtola, in qua Cyprianus de Lapſorum cauſa plenè diſſerit, ſe ipſum ſedulò purgat, Cornelium copiosè defendit, Novatianum acriter perſtringit, prioris Concilii placita ita explicat & tuetur, ut ante ſecundum Concilium hoc anno Idibus Maii celebratum ſeſe ſcripſiſſe apertè ſignificet.

IV. *Antiochenũ Concilium adverſus Novatianũ.*

Baron. num. xxxv & ſeqq. Spondan. n. I & IV.

Menſe Martio *Fabius* Antiochiæ Epiſcopus, qui Novatiani partibus nimis favebat, acceptis Cornelii literis de facinoribus Novatiani, ut Pearſonio videtur, Concilium indicendum curavit, quod Antiochiæ de ſchiſmate deliberaturum conveniret. Tum verò *Helenus* cum ſuis è Cilicia, & *Firmilianus* ex Cappadocia, & *Theoctiſtus* è Palæſtina Sedi Antiochenæ ſubditi *Dionyſium* Alexandriæ Epiſcopum ad idem Concilium invitabant, quòd ſentirent, Antiochiæ nonnullos ad Novatiani ſchiſma confirmandum paratos fuiſſe. Sed antequam Concilium Antiochiæ conveniret, mortuus eſt Fabius, & ejus loco electus *Demetrianus*, ut ad Cornelium ſcribit Dionyſius. Quare Fabii obitus rectè à Baronio hoc anno conſignatus. Hujus Concilii Antiocheni à Demetriano Fabii ſucceſſore adverſus Novatianum celebrati meminit Libellus Synodicus poſt Baronii mortem in lucem editus.

V. *Cyprianus reſpondet ad quæſtionem de Lapſis recipiendis.*

Hoc anno Paſcha celebratum eſt ſecundùm Canonem Hippolyti *III Idus Aprilis.* Cyprianus autem inter Paſchæ prima ſolennia ſcribit epiſtolam LVI, Pamelio LIII, ad Fortunatum aliosque Epiſcopos, qui in Capſenſi civitate propter Epiſcopi ordinationem convenerant, reſpondens ad quæſtionem ſibi propoſitam, an Lapſos per triennium pœnitentes ad communicationem jam fas eſſet admittere. Ceterùm tum ex temporis notatione, tum ex ipſa quæſtionis natura palam eſt, ad ſe literas poſt prioris anni Concilium datas eſſe, in quo decretum, ut Lapſi priuſquam communicationem acciperent, pœnitentiam plenam agerent. Eaſdem etiam patet ante hujus anni Concilium exaratas; tum quòd Epiſcopi peterent, ut Cyprianus cum pluribus Collegis de hoc ipſo pleniſſimè tractaret, & Cyprianus id ſe ſtatim facturum ſponderet, cùm jam Epiſcopi plures convenirent, ut de eo quod conſuluerunt, figatur & reſcribatur firma illa ſententia, multorum Sacerdotum conſilio ponderata. Quod quidem in Concilio *Idibus Maii* celebrato mox conſtitutum, neque poſt illius decretum hac de re poſtea dubitari potuit. Triennium igitur in his literis non pro exacto, ſed pro inchoato ſumendum eſt: & ii, de quibus agitur, ſub initio perſecutionis lapſi ſunt. Hujus epiſtolæ Baronius in Annalibus hoc anno meminit.

Baron. num. IV.

VI. *Secundum Concilium Carthaginienſe.*

Baron. num. IV & ſeqq. Spondan. num. II.

Menſe Maio, cùm jam Epiſcopi poſt Paſchæ ſolennia, quibus apud ſe cum fratribus demorati ſunt, Carthaginem ſe contuliſſent, habitum eſt *Concilium Carthaginienſe II*, rectè à Baronio hoc anno conſignatum, & quidem *Idibus Maiis*, ut claré patet ex epiſtola Cypriani LIX, quæ Pamelio eſt LV, in qua & hujus meminit, & alterius etiam, quod anno priori celebratum eſt. In hac autem Synodo relaxatio quædam facta eſt decreti in ſuperiori conſtituti; quòd Lapſi ſc. agerent diu pœnitentiam plenam, &, ſi periculum infirmitatis urgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent. Loco igitur illius decreti, aliud in hunc modum condiderunt: *Eis, qui de Eccleſia Domini non receſſerunt, ſed pœnitentiam agere & lamentari, ac Dominum deprecari à primo lapſus ſui non deſtiterunt, pacem dandam eſſe.* Quod Synodus tunc cenſuit, non tantùm ut [illegible] Lapſis verè pœnitentibus præſtarent, ſed neceſſitate cogente; quia crebris atque aſſiduis oſtenſionibus admonebantur, diem alterius perſecutionis jam appropinquare cœpiſſe: unde Lapſos verè pœnitentes ad prælium, quod tum imminebat, armari & inſtrui oportere putabant. Hoc decreto facto Synodica epiſtola miſſa eſt ad S. *Cornelium* Romanum Pontificem, quæ eſt LVII, Pamelio verò LIV. Concilio hoc ſedente, Carthaginem venit *Privatus* Lambeſitanus, veterator Hæreticus, de quo in Annalibus & in Epitome.

Baron. num. X. Spondan. num. III.

VII. *Cyprianus perſecutionem prævidet.*

Baron. num. XII & ſeqq.

Menſe Junio Cornelius *Feliciſſimum* Legatione ſua & comitum catervà turgidum magno vigore de Eccleſia pepulit, & literas ejus accipere recuſavit; atque confeſtim ad Cyprianum literas ipſe ſcripſit dilectionis fraternæ, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ & Sacerdotalis cenſuræ ſatis plenas, quæ deſiderantur. Tum verò *Feliciſſimus* ejuſque comites hanc repulſam indignè ferentes, pro ſolita ſua audacia Cornelium minis atque terroribus aggrediuntur, multa turpia & probroſa in Cyprianum & ſuos proferunt, viginti quinque Epiſcopos ordinationi *Fortunati* adfuiſſe jactitant, ac denique ſumma deſperatione comminantur, quòd, ſi *Cornelius* literas quas attulerant, non accepiſſet, ipſi eas publicè recitarent. Hiſce comminationibus *Cornelius* ipſe nimis commotus, *Feliciano* Acolutho nondum adventante, literas alias prioribus ſubjunxit, quibus culpam in Cyprianum tranſfert, quòd ille de *Fortunato* hoc pſeudo-Epiſcopo nihil adhuc ſcripſiſſet. Sed & hæ literæ perierunt. Dum hæc Romæ aguntur, appropinguante jam, imò imminente *Galli* perſecutione, Cyprianus ſcripſit ad *Thibaritanos*, qui frequenter deſideraverant, ut ipſe *Thibarin* veniret, & exhortatione ſua præſens fraternitatem corroborare dignaretur. Sed cùm nec rerum ratio, nec temporis conditio permitteret, epiſtolâ LVIII, quæ Pamelio eſt LVI, docet eos propter crebras admonitiones pro certo credere & tenere debere, preſſuræ diem ſuper caput eſſe cœpiſſe, & rationibus multis ex Scriptura deductis ad martyrium accendit. Quæ epiſtola rectè hoc anno à Baronio recitata.

Baron. num. XLIII.

VIII. *Perſecutio peſtis occaſione non decreta.*

Baron. num. XLI. Spondan. num. IV.

Sub finem ejuſdem menſis perſecutio à Gallo tandem excitata, de qua Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 7. cap. 1. cujus occaſio peſtilentia, de qua mox, Pearſonio fuiſſe videtur. Cùm enim magis ac magis ea ingraveſceret, Gallus & Voluſianus ad aras Deorum ſuorum confugiebant, & Nummos cudi curabant cum hac inſcriptione: APOLLINI SALUTARI. Unde edictis ſacrificia præſcribebant, quæ cùm Chriſtiani celebrare recuſarent, graviter vexati. Hæc

Pearſonii conjectura. Verùm, cùm peſtilentia tempore autumnali orta ſit, ut mox videbimus, ejuſque initio ſacrificia decreta, ut dubitare non licet, hujus perſecutionis origo aliunde repetenda.

IX.
Libellus de Exhortatione Martyrii, *& epiſtola Cornelii ad Lupicinum.*

Baron. num. XLV & XLVII. Spond. ibid. num. V.

Hoc ipſo tempore poſt literas ad *Thibaritanos* datas, perſecutione non jam appropinquante, ſed incumbente, ad *Fortunatum* ſcripſit Cyprianus libellum *de Exhortatione Martyrii*, ut rectè Baronius obſervavit, qui eodem tempore miſſam vult à Cornelio ad Lupicinum Epiſcopum Viennenſem epiſtolam, quæ Pearſonio, aliiſque multis adulterina viſa, prætertim quòd in ea dicatur: *In urbe Romana Imperator ad hoc conſtitutus eſt*, ſcilicet ad perſecutionem proſequendam, quod rectè Baronius interpretatur de Voluſiano quaſi tunc primo à patre Auguſto nomine inſignito. At, inquit Pearſonius, ad finem anni ſuperioris ante Conſulatum Auguſtus nominatus eſt, ut ex Nummis patet. Verùm ideo anno elapſo Voluſianus Conſul deſignatus, quia Cæſar renuntiatus fuit. Cùm verò anno inſequenti rurſus Conſul proceſſerit, factum id ex veteri more & juxta primam Conſulatuum Cæſareorum regulam, quia ſcilicet hoc anno Auguſtus appellatus eſt.

X.
Cornelius PP. in exilium miſſus.

Baron. num. XLIX. Spondan. num. VIII.

Cùm menſe Julio Romæ non minùs quàm Carthagine aræ ubique fumarent, & Chriſtiani Diis ſacrificare recuſarent, *Cornelius* Romanus Pontifex à Gallo Imperatore in exilium miſſus, & quidem *Centumcellas*, ut ex Chronico Damaſi liquet. Menſe Auguſto Cyprianus ſcripſit ad *Cornelium* in exilio, ut dicitur, de ejus confeſſione, epiſtolam LX, quæ Pamelio eſt LVIII, in qua ſe oſtendit incredibili lætitia exultare propter glorioſam confeſſionem Cornelii, & fratrum, ac præcipuè Lapſorum, qui in hoc agone reſtituti ſteterunt fortes & inſuperabiles. Quæ epiſtola à Baronio loco ſuo recitata.

XI.
Cornelii PP. obitus.

Baron. num. LV, LVI & ſeqq. Spond. num. II.

Menſe Septembri *Cornelius* Pontifex Romanus *Centumcellis* obiit die decima quarta illius menſis. Locum, in quo mortuus eſt, nos docet Chronicon Damaſi: *Poſt hoc Centumcellas expulſus, ibi cum gloria dormitionem accepit.* De die nos certiores facit Hieronymus in Catalogo, de Cypriano loquens: *Paſſus eſt ſub Valeriano & Gallieno Principibus, perſecutione octava, eodem die, quo Romæ Cornelius, ſed non eodem anno.* Conſtat autem, Cyprianum XVIII Kal. Octob. paſſum eſſe, quo die in Martyrologiis utriuſque paſſio celebratur. Et non tantùm eodem die menſis, ſed etiam ſeptimanæ, feriâ nempe tertiâ, ut oſtendit littera Dominicalis C. quæ tam hoc anno, quàm anno Chriſti CCLVIII, quo Cyprianus martyrium fecit, in curſu erat. Annum nos edocet Chronicon Damaſi, in quo legitur, *Cornelium* ſediſſe à Conſulatu utriuſque Decii *uſque Gallo & Voluſiano*, qui præſenti anno nomen dedêre. Neque in annum ſequentem obitus ejus ullo modo dejici poteſt, cùm *Stephanus* ipſe, qui poſt mortem *Lucii* Cornelii ſucceſſoris Epiſcopatum obtinuit, *à Conſulatu Voluſiani & Maximi* ſediſſe dicatur, qui anno proximo Conſules fuiſſe noſcuntur. Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum veterum Pontificum exiſtimat, *Cornelium* quinto die Auguſti currentis anni morte affectum, die XIV Septembris Romam tranſlatum; eumque diem, ut magis celebrem, Natali ejus attributum fuiſſe. Sed ex iis, quæ initio ejus Pontificatûs, ac mox diximus, liquet, eam conjecturam admittendam non eſſe. Veriùs ſcripſit Vir eruditiſſimus, Acta Cornelii ſuppoſititia eſſe & adulterina. Varia etiam frivola & inania de morte & exilio Cornelii Liber Pontificalis & Ado in Martyrologio habent, quæ fruſtra Baronius explicare conatus eſt.

XII.
Lucius fit Papa.

Baron. num. LXIV. Spondan. num. IX.

In Chronico Damaſi de Lucio Cornelii ſucceſſore legitur: *Lucius annos tres, menſes octo, dies decem. Fuit temporibus Galli & Voluſiani uſque Valeriano III, & Gallieno II. Hic exul fuit, & poſtea nutu Dei incolumis ad Eccleſiam reverſus eſt,* * *tertio Nonas Martias Conſulibus SS.* Bucherius ait, poſt ea verba, *reverſus eſt*, videri deeſſe, *deceſſit*. Verùm, ut inquit Pearſonius, totus locus maximè corruptus; neque quicquam aliud inde colligi poteſt, quàm Lucium, Gallo & Voluſiano Conſulibus, ordinatum eſſe. Nam Gallus & Voluſianus uſque ad tertium Valeriani Conſulatum non pervenere. Secundò, quòd ibidem dicatur, Stephanum Voluſiano & Maximo Coſſ. inauguratum eſſe biennio ante tertium Valeriani Conſulatum. Ac denique Lucium & Stephanum iiſdem Conſulibus ordinatos eſſe. Certum itaque dumtaxat, Lucii ordinationem poſt diem XIV Septembris contigiſſe. Verùm dies ejus ordinationis, duratio Sedis, ejuſque poſt Cornelii mortem vacatio in obſcuro ſunt. Liber Pontificalis poſt Cornelii obitum ait, ceſſaſſe Epiſcopatum dies XXXV, ſed minus intervallum verbis Cypriani magis congruit. Pearſonius decem dies, qui ſoli in Chronico Damaſi veri eſſe poſſunt, ſumit, & tot menſes adjicit, quot ab obitu Cornelii ad exitum Lucii numerari poſſunt; qui quinque tantùm integri ſunt. Eutychius quidem menſes octo, Euſebius totidem, ſed non integros, Nicephorus Lucio haud ſeptem integros tribuit, qui veritatem proximè attingere videtur. Quare exiſtimat Pearſonius, Lucium Romæ ordinatum eſſe die Septembris vigeſimo quinto, menſes quinque integros, & dies decem ſediſſe, & quarto die menſis Martii anni inſequentis obiiſſe. Quæ opinio ceteris præferenda. Nam non audiendus Papebrocius loco laudato, ubi ſcribit, Lucium die XXIII Junii præſentis anni Cornelii Vicarium creatum eſſe, eidem ſucceſſiſſe die nona Octobris, ac ſediſſe annos duos, menſes octo, dies decem uſque ad quartum Martii anni CCLIV. Præterquam enim quòd Vicariatus ille ſuppoſititius, uſque ad eum annum Lucius pervenire non potuit.

XIII.
S. Cyprianus literas communicatorias ad Lucium ſcribit.

Baron. ann. 256. num. III & ſeq. Spond. ibid. num. I.

Menſe Octobri ineunte *Lucius* à perſecutoribus in vitæ diſcrimen adductus eſt. Cùmque jam *Cyprianus* tum ordinationis, tum confeſſionis ejus certior factus eſſet, ipſe cum Collegis ſuis literas communicatorias ad *Lucium* ſtatim dedit. Quæ quidem non ſuperſunt, ſed earum ſatis diſertè meminit ipſe Cyprianus in exordio epiſtolæ ad eundem poſt reditum miſſæ: *Et nuper quidem tibi, frater chariſſime, gratulati ſumus, cùm te honore geminato in Eccleſia ſua adminiſtratione Confeſſorem pariter & Sacerdotem conſtituit Di-*

vina dignatio. Launoius hoc argumento ductus id negavit: *Cyprianus*, inquit, *ſe quidem gratulatum fuiſſe ait, ſed gratulatum ſe per literas non ait. Et reverà Cyprianus ſecum & cum aliis Epiſcopis de gemino Lucii honore gratulari potuit, quamvis per alias ab citata literas non fecerit.* Sed ratio illa frivola: nam, ut ait Pearſonius, Cyprianus & Collegæ ſignificant, ſe non minùs poſt reditum gratulatos eſſe Lucio, quàm poſt ordinationem & confeſſionem eidem gratulati fuerant. Non dicunt, ſe ſibi, ſed illi gratulatos eſſe tempore utroque; & malè Launoius vocem *ſibi* utrobique omiſit, nec vim ejus perſpexit; neque animadvertit, hanc eſſe ſolennem in epiſtolis Cypriani formam, ut in illa ad Confeſſores de Mappalico: *Exulto lætus & gratulor, fortiſſimi & beatiſſimi fratres, cognita Fide & virtute veſtra.* Cùm autem Gallus Imperator Lucium, non minùs fortiter quàm Cornelium, confeſſionem nominis facere, & plebem ad moriendum pro Fide Chriſtiana impellere videret, illum etiam pari exilio mulctavit. De quo Chronicon Damaſi: *Hic exul fuit.* De hac re præcipuè intelligenda ſunt illa Dionyſii Alexandrini verba apud Euſebium lib. 7. cap. 1. ubi de Gallo ait: τοὺς ἱεροὺς ἄνδρας τοὺς περὶ τῆς εἰρήνης αὐτοῦ καὶ τῆς ὑγείας πρεσβεύοντας πρὸς τὸν Θεὸν ἤλασεν. Quæ ſic Valeſius vertit: *Viros ſanctos, qui pro pace & incolumitate ipſius preces ad Deum allegabant, inſectatus eſt.* Chriſtophorſonus ultimum verbum ſic interpretatur, *crudeliter exegit.* Sed, ut obſervat Pearſonius, ἤλασεν eſt, *agitavit, ſuis ſedibus expulit, in exilium miſit*; ut Coriolanus Dionyſio Halicarnaſſenſi dicitur, φυγῇ ἀϊδίῳ ἐλαθεὶς, *exilio perpetuo multatus.* Gallus itaque Cornelium & Lucium cum aliquibus ex Clero Romano, qui propriè πρεσβεύειν πρὸς τὸν Θεὸν dicuntur, exilio multavit.

XIV. *Sub Gallo Chriſtiani Romæ tantùm vexati.*

Ex his Dionyſii Alexandrini verbis aliiſque conjecturis colligo, Galli & Voluſiani perſecutionem localem fuiſſe, ac Romæ tantùm excitatam; indeque factum, ut neque Euſebius in Chronico, neque Divus Auguſtinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 51. neque Sulpitius Severus eam numeraverint, neque Euſebius in Hiſtoria Martyres ſub Gallo & Voluſiano paſſos memorarit. Imò Oroſius qui lib. 7. decem perſecutiones, quibus Eccleſia afflicta, cum decem plagis, quibus percuſſa eſt Ægyptus, confert, ſeptimam plagam ſub Gallo & Voluſiano deducit ex peſtilentia, quæ omne propemodum genus hominum & pecudum neci dedit, non verò ex tormentis Fidelibus inflictis. Cap. enim 21. ait: *Gallus Hoſtilianus Regnum adeptus vix duobus annis cum Voluſiano filio obtinuit. Exoritur ultio violati nominis Chriſtiani: & quatenus ad profligandas Eccleſias edicta Decii cucurrerunt, eatenus incredibilium morborum peſtis extenditur: nam nulla ferè Provincia Romana, nulla civitas, nulla domus fuit, quæ non illâ generali peſtilentiâ correpta atque vaſtata ſit. Hac ſola pernicie inſignes Gallus & Voluſianus*; ubi tamen Gallum cum Hoſtiliano Decii filio perperam confundit. Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 7. cap. 22. poſtquam locutus eſt de iis, quæ in Decii perſecutione Chriſtiani paſſi eſſent, de iis quæ Gallo & Voluſiano imperantibus ſuſtinuiſſent, ait: *Poſt hæc* (ſcilicet poſt perſecutionem Decianam) *bellum & fames excepit* (barbaris videlicet in Imperium Romanum undique irruentibus) *quæ quidem nos cum Gentilibus junctim pertulimus.* (Nam ex irruptiones non minùs Chriſtianos, quàm Paganos afflixere) *Et ea quidem mala, quibus nos attriverant, ſoli ſuſtinuimus.* (Videtur hîc loqui Dionyſius de Cornelii & Lucii Pontificum Romanorum perſecutione) *Quæ autem ſibi invicem intulerunt, ac paſſi ſunt, eorum partem toleravimus. Sed rurſus oblectavit nos pax illa, quam nobis ſolis Deus indulſit. Cum autem breviſſimo temporis ſpatio nos & illi reſpiraſſemus, repentè ingruit lues illa*, &c. Loquitur Dionyſius de peſte illa generali, quæ autumno currentis anni exorta eſt, quamque Zonaras in Æthiopia cœpiſſe teſtatur; quæ ideo ſub hujus anni finem, poſt martyrium nempe Cornelii, & Lucii relegationem, Alexandriam invaſit. In Oriente itaque perſecutio ſæviſſe non videtur.

XV. *Perſecutio in Africam non penetravit.*

Sed nec ea in Africa graſſata. Cyprianus enim in epiſtola LXI, quæ Pamelio eſt LVIII, indicare videtur, perſecutionem non in Africa, ſed tantùm Romæ ſuſcitatam fuiſſe, quando eidem gratulans de reditu ſuo ab exilio ait: *Intelligimus Divinæ majeſtatis ſalutaria & ſancta conſilia: unde illic* (nempe Romæ) *repentina perſecutio nuper exorta ſit, unde contra Eccleſiam Chriſti & Cornelium beatum Martyrem, voſque omnes ſecularis poteſtas ſubitò proruperit: ut ad confundendos Hæreticos oſtenderet Dominus, quæ eſſet Eccleſia; quis Epiſcopus ejus unus, Divina ordinatione delectus: qui cum Epiſcopo Preſbyteri Sacerdotali honore conjuncti*, &c. Ubi indicare videtur Cyprianus, inquit Lombertus in Præfatione ad Opera S. Cypriani, perſecutionem Romæ excitatam *ad confundendos Hæreticos*, nempe Novatianos, & ut *oſtenderet Dominus quæ eſſet Eccleſia*, Romana nempe, de qua ſola ibi agitur, utpote in qua Novatianus, nonobſtante Cornelii ordinatione, ſeſe eligendum Epiſcopum voluerat. Præterea neque in epiſtola citata ad Lucium, neque in altera ad Cornelium, alicujus Chriſtiani in Africa ſub Gallo paſſi meminit Cyprianus; qui cùm dicat, ideo permiſiſſe Deum brevem hanc & ſubitam perſecutionem, *ut oſtenderet*, non Novatianum, ſed Cornelium verum eſſe Pontificem, inſinuat, neceſſarium non fuiſſe, ut aliæ Provinciæ affligerentur.

XVI. *Perſecutio Cypriano revelata, ſed non tempus perſecutionis.*

Quod ſi quis opponat revelationes, quas de hac perſecutione Cyprianus habuit, imò & Pœnitentes ſubitò ab eo reconciliatos dicat, reſpondet Lombertus, Deum quidem Cypriano revelaſſe futuram perſecutionem, non verò tempus, quo ea contingeret, & utrum adverſus univerſam Eccleſiam decernenda foret. Cujus rei ratio ex epiſtola LVII Cypriani, Pamelio LIV, deducenda. In ea is ſcribit, eam perſecutionem Decianâ acerbiorem futuram ſibi à Domino revelatum eſſe: *Nos*, inquit, *quod Fidei, & charitati, & ſollicitudini congruebat, quæ erant in conſcientia noſtra, protulimus; diem certaminis appropinquaſſe,*

pinquaſſe, hoſtem violentum citò contra nos exurgere: pugnam non talem qualis fuit, ſed graviorem multò & acriorem venire. Hoc nobis divinitus frequenter oſtenditur, &c. Idem habet in epiſtola LVIII, Pamelio LVI, ad plebem Thibarienſem ſcripta. Certum tamen, Galli perſecutionem Decianâ longè minùs violentam fuiſſe. Quare Deus, qui ſimiles gratias certâ menſurâ concedere ſolet, Cypriano aliquid de hac perſecutione detexerat, & aliquid celarat. Sic Cypriano Curubi in exilio exiſtenti, in viſione quâ eum dignatus eſt, ſententiam paſſionis quaſi jamjam futuram oſtendit. Sed cùm ille frequenter peteret, ut ea vel uno die differretur, mox ea conceſſio revelata; ſed ille dies dilationis annum revera denotavit, quem Cyprianus poſt eam viſionem vivere debebat. Nam eo die poſt annum exactum martyrio coronatus eſt, ut teſtatur Pontius in ejus Vita. Cyprianus igitur eum diem annum ſignificare non capiebat. Neque etiam obſtat, quòd in libro contra Demetriadem aliqua contineantur, quæ oſtendere videntur, Chriſtianos Africæ, vel tunc vexatos fuiſſe, vel ſaltem à paucis diebus perſecutionem ceſſaſſe. Nam Cyprianus de iis tantùm intelligendus, quæ Decio regnante paſſi eſſent, eo ſcilicet modo, quo de rebus magni momenti, (ut fuit perſecutio Deciana) quæ nuper acciderunt, ſæpe ſermo habetur. Denique, ut ab hac perſecutione me expediam, ita breve *Galli* Imperium fuit, totieſque Barbari in Romanorum terras irruerunt, ut exiſtimandum ſit, omnium Provinciarum Imperii Romani Præfectos, potiùs in propriam conſervationem & populorum quietem, quàm in Chriſtianorum perniciem intentos fuiſſe, ut rectè Lombertus loco citato.

XVII. *Lucii Papæ exilium breve fuit.*

Baron. ibid. Spond. ibid. num. 1.

Lucius cum comitibus ſuis haud diu in exilio fuit. Cauſa relaxationis à nemine exprimitur; Pearſonius tamen circa finem Novembris currentis anni eos Romam rediiſſe non improbabiliter exiſtimat. Cyprianus enim iiſdem literis, quibus Lucii reditum celebrat, ſub eadem perſecutione adhuc durante eum rediiſſe clarè oſtendit: *Regredientibus vobis breviata non eſt in Epiſcopo confeſſionis ſua dignitas, ſed magis crevit Sacerdotalis auctoritas, ut altari Dei aſſiſtat Antiſtes, qui ad confeſſionis arma ſumenda & facienda martyria non verbis plebem, ſed factis cohortetur, & imminente Antichriſto paret ad prælium milites, non ſolùm ſermonis & vocis incitamento, ſed Fidei & virtutis exemplo.* In media igitur perſecutione Galli, cùm nondum pax expectaretur, Lucius cum comitibus ab exilio reverſus eſt, idque hoc ipſo anno, poſt admodum breve exilium, quod ex Cypriani literis poſt Lucii reditum ſibi & Collegis ſuis cognitum exaratis, certò colligi autumavit Pearſonius. Nam primò, *nuper* ſe Lucio gratulatum eſſe de ordinatione & confeſſione ſignificat: diu igitur in exilio eſſe non potuit. Secundò, non tantùm Lucium nuper relegatum, ſed & Cornelium etiam *nuper* exilio mulctatum, & perſecutionem ipſam Romæ nuper exortam fuiſſe iiſdem literis tradit: *Intelligimus, frater chariſſime, & tota cordis noſtri luce perſpicimus divinæ majeſtatis ſalutaria & ſancta conſilia, unde illinc repentina perſecutio nuper exorta eſt, unde contra Eccleſiam Chriſti & Epiſcopum Cornelium, beatum Martyrem, voſque omnes, ſecularis poteſtas ſubitò proruperit.* Quiſquis hæc animadvertit, nunquam majus quam ſemeſtre ſpatium inter perſecutionis hujus exordium & epiſtolæ Cyprianicæ ſcriptionem, nunquam quinquemeſtre plenum inter exilium Cornelii & reditum Lucii interceſſiſſe putabit. Ita Pearſonius, cujus tamen ratio infirma. Hoc enim temporis adverbium, *nuper*, de longiori tempore aliquando dicitur, ut ex ipſomet Cypriano liquet. Is ad Stephanum Papam adverſus Marcianum Arelatenſem Epiſcopum Novatiano ſtudentem, epiſtolam LXVIII, Pamelio LXVII ſcribens ait: *Quàm vanum eſt, frater chariſſime, ut Novatiano nuper retuſo & refutato, nunc adulatores adhuc nobis patiamur illudere*, &c. Data ea epiſtola anno CCLIV, ipſo Pearſonio teſte, & Novatianus anno CCLI retuſus; quando miſſi in Africam à Novatiano Maximus Preſbyter, & Augendus Diaconus, & Macheus & Longinus, ut apparet ex epiſtola Cypriani LXIV, Pamelio XLI, eo anno ſcripta, ut rectè Fellus in Notis obſervavit. Plura alia paſſim exempla occurrent, ex quibus patebit, illud adverbium ad plures quandoque annos referri. Quamobrem incertum, an ſub hujus anni finem, vel initio ſequentis, ut Baronius credidit, Lucii reditus contigerit. Certum tamen, Cyprianum de eo certiorem factum ſcripſiſſe epiſtolam LXI, quæ Pamelio eſt LVIII, in qua ei de eodem magnopere gratulatur. Is ordo epiſtolarum hoc anno à D. Cypriano datarum juxta Pearſonium laudatum.

XVIII. *Peſtis quindecim annorum.*

Reſtat, ut de peſtilentia hoc anno exorta agamus. Cedrenus de Gallo & Voluſiano loquens ait: *Eo tempore peſtis invaluit, ab Æthiopia in Occiduam uſque terræ partem propagata: neque ulla fuit urbs ejus expers, multa etiam bis ea lue infeſtata. Obtinuit annos XV, cœpit autumno, & deſiit ſub ortum Caniculæ.* Quæ Cedrenus ab aliquo antiquo Auctore mutuatus, & forſan à Philoſtrato, de quo Evagrius lib. 4. cap. 29. dum loquitur de peſte, quæ, Juſtiniano imperante, per plures annos ſæviit: *Lues iſta*, inquit, *per duos & quinquaginta annos graſſata eſt, cunctas, quæ priùs graſſatæ ſunt lues, ſupergreſſa. Nam Philoſtratus quidem miratur, quod ſua ætate peſtis quindecim annis graſſata ſit.* Georgius Syncellus anno primo Aureliani Imperatoris meminit Philoſtrati Athenienſis Hiſtorici, cujus tamen nulla mentio apud Voſſium lib. 2. de Hiſtoricis Græcis, ubi de variis ejuſdem nominis Hiſtoricis ſermonem habet. Zonaras eandem ſub Gallo & Voluſiano peſtem recitat, annoſque etiam XV duraſſe tradit. Quod verò Baronius hanc peſtem decennalem fuiſſe ſcribit, acceptum id à *Pomponio Læto* recenti futilique Hiſtorico.

XIX. *Peſtis ſub Gallo, non verò ſub Decio orta.*

Eam verò ſub Gallo & Voluſiano ortam præter citatos Scriptores disertè teſtantur uterque Victor, Eutropius, Jordanus lib. de Rebus Geticis cap. 19. ac Paulus Oroſius. Valeſius tamen in Notis ad lib. 7. Euſebii cap. 11. contendit eam ſub Decio graſſari cœpiſſe, Euſebiumque deceptum, qui, quæ ſcribit Diony-

ſius Alexandrinus in epiſtola ad Didymum & Domitium, Valeriano & Gallieno imperantibus contigiſſe narraverit. Ibi Dionyſius duo dicit. Primùm, ſe cum Caio & Fauſto vinctos ductos, ſed ſupervenientibus Mareotis per vim abſtractos eſſe. Secundò ait Dionyſius: *διάκονοι δὲ οἱ μετὰ τοὺς ἐν τῇ νόσῳ τελευτήσαντας ὑπολειφθέντες, Φαῦστος, Εὐσέβιος, Χαιρήμων*, id eſt, ut vertit Valeſius: *Diaconi verò poſt illos, qui morbo conſumti ſunt, ſuperſtites Fauſtus, Euſebius, Charemon.* Dionyſius, inquit Valeſius, in perſecutione ſub Valeriano deductus non eſt in exilium, nec ſupervenientes *Mareota* eum in libertatem aſſeruerunt; nec Caium & Fauſtum Preſbyteros tunc ſecum habuit. Sed hæc contigerunt in perſecutione paulò ante Imperium Decii incepta, ut ipſe teſtatur in epiſtola adverſus Germanum, quam refert Euſebius in lib. 6. cap. 40. Deinde dicit Valeſius, Dionyſium *morbi* nomine peſtem intelligere, quæ Galli & Voluſiani temporibus graſſata eſt. At licèt verum ſit, Euſebium per vocem, *νόσος*, peſtem intelligere, cùm luem & gravius malum ſemper denotet, ea tamen, quæ in epiſtola ad Didymum & Domitium ſcribit Dionyſius, partim ſub Decio, partimque ſub Valeriano & Gallieno acciderunt.

XX. *Decio imperante peſtis nondum exorta.*

Quare non Euſebius, ſed ipſemet Valeſius fallitur, qui putat, eam ad Didymum & Domitium epiſtolam datam eſſe regnante Decio, ut ipſemet ait in Notis ad lib. 6. cap. 40. & lib. 7. cap. 20. Ea enim Valeriano & Gallieno imperantibus ſcripta, ut teſtatur Nicephorus lib. 6. cap. 18. *Dionyſius Alexandrinus nondum pace Eccleſiis à Gallieno reddita, alias quoque de Paſchate feſtas compoſuit epiſtolas, quarum unam quidem ad Flavianum dedit, aliam ad Didymum & Domitium.* Imò ipſemet Euſebius lib. 7. cap. 20. idem manifeſtè inſinuat, dum ait: *Præter ſupradictas epiſtolas idem Dionyſius Paſchales illas quas habemus epiſtolas tunc temporis conſcripſit. Harum unam Flavio nuncupavit; alteram Domitio ac Didymo*, ubi Euſebium de rebus imperante Gallieno geſtis loqui certiſſimum. In ea itaque epiſtola Dionyſius, quæ in perſecutione Deciana pertulit, obiter narrat, ac poſtea dicit, ſe nunc in deſerto Lybiæ loco concludi, Fauſtum verò, Euſebium, & Chæremonem Diaconos ſuperſtites eſſe, poſt illos, *qui morbo conſumti ſunt*, regnante ſcilicet Valeriano, quo tempore, quemadmodum & ſub Decio Dionyſius in *Libyam* relegatus eſt. Unde Dionyſius in epiſtola adverſus *Germanum*, quæ extat apud Euſebium lib. 7. cap. 11. loquens de ſecunda ſua perſecutione ſcribit, Fauſtum, Euſebium, & Chæremonem ſecum fuiſſe, quando ab Æmiliano Præfecto in exilium miſſus eſt. Hanc autem epiſtolam Gallieno imperante datam, indubitatum. Denique non tantùm antiquos Scriptores omnes, qui de hac peſte locuti ſunt, ſed etiam Nummos Valeſius contrarios habet. Nam in poſtica parte quorumdam Galli & Voluſiani legitur: APOLLO SALUTARIS. Quæ etiam verba tam Æmiliani, quàm Valeriani Auguſtorum Nummis inſcripta, cùm tamen nullum Decii Auguſti Numiſma *Apollinem Salutarem* repræſentet, ut videre eſt apud Mediobarbum in Numiſmatis Imperatorum, & quæ eam inſcriptionem præferunt, ab Antiquariis in ſtudium horum Imperatorum ad reſtinguendam peſtem meritò referantur. Decio itaque imperante peſtis nondum exorta.

XXI. *Hoſtiliani Aug. obitus.*

Cùm *Hoſtilianus* Auguſtus peſte conſumtus fuerit, ut cum utroque Victore initio ejus Imperii diximus, regnavit uſque ad autumnum præſentis anni, quo peſtilentia orta. Multa ejus ſuperſunt Numiſmata tam Græca, quàm Latina apud Antiquarios videnda. Sed de rebus ab eo geſtis nulla apud Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ mentio. Extat Hoſtiliani Nummus apud Goltzium, in quo dicitur: AUG. PONTIF. TR. P. COS. DESIG. Quare in annum ſequentem Conſul deſignatus fuerat cum Voluſiano Auguſto, qui eo anno ſecundum Conſulatum geſſit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5746. ☉ 10 B. ☽ 7. P. 3. APRIL. INDICT. 1.
JESU CHRISTI 253. *ſecundum Baronium* 256. Olymp. 258
STEPHANI PAPÆ 1.
VALERIANI ET GALLIENI IMPP. 1.

COSS. *C. Vibius Voluſianus Aug. II. & M. Valerius Maximus.*

I. *Conſules.*

Sumtus is à Voluſiano Conſulatus juxta primam Conſulatuum Cæſareorum regulam: anno enim præcedenti Auguſtus dictus, idque ante menſem Auguſtum, ut ex Inſcriptione initio illius anni recitata manifeſtum fit. Baronius, Voluſiano expuncto, Maximum & Valerianum, qui poſtea imperavit, Conſules proponit; ſed contra omnium antiquorum Chronicorum Conſularium fidem, in quibus hoc anno *Voluſianus II*, & *Maximus* Conſules exhibentur. Ita Auctor Fragmenti Conſularis apud Bucherium, Auctor Chronici Alexandrini, Victorius, & Caſſiodorus. Certè cùm in Nummis Voluſianus COS. II. dicatur, annoque præcedenti priorem Conſulatum cum Gallo iterum Conſule geſſerit, ut ex Inſcriptione Onuphriana tunc relata certum redditur, ſecundus ille Conſulatus ad præſentem annum omnino pertinet. Pearſonius in Annalibus Cyprianicis ſcribit, *Valerianum* Imperatorem hoc anno factum, ſe Conſulem ſtatim ſuffectum declaraſſe; nec eum ante ſumtam purpuram Conſulem, ſed Cenſorem fuiſſe. Vulgari errore à nobis anno ſuperiori confutato, decipitur Vir doctiſſimus. Zoſimus enim lib. 1. de Maximino Imperatore loquens ait: *Afri Gordiani, eique cognomine filio deſignatis Imperatoribus, cùm alios Romam Legatos miſere, tum Valerianum virum Conſularem, qui deinceps Imperio potitus eſt.* Quibus verbis tam Pearſonii, quàm Baronii opinio planè evertitur, conſtatque, jam ab annis ampliùs ſedecim Valerianum primum ſuum Conſulatum, qui ſuffectus fuit, geſſiſſe.

II. *Lucii Papæ obitus.*

Ad num. I. Incertum, an *Lucius* Papa ſub finem præcedentis anni, vel hujus initio, in libertatem aſſertus fuerit, ideoque & an Cyprianus ad eum epiſtolam gratulatoriam

Baron. num. III & ſeqq. LXI, quæ Pamelio eſt LVIII, ſcripſerit. Exiſtimo tamen, Lucium die quarta Martii currentis anni è vivis exceſſiſſe, & poſtridie ſepultum fuiſſe. In Indiculo enim Depoſitionis Epiſcoporum apud Bucherium legitur: *Tertio Nonas Martii, Lucii in Calliſti.* Auctor Chronici Damaſi: *Deceſſit tertio Nonas Martias.* Convenit Auctor auctioris Chronici veterum Pontificum. *Solus liber Pontificum*, inquit Pearſonius in Annalibus Cyprianicis hoc anno, IV *Nonas aſſignat. Unde error unius diei in Martyrologia irrepſiſſe videtur.* Verùm Martyrologia diem obitûs; Chronicon Damaſi, & Chronicon auctius veterum Pontificum diem ſepulturæ notarunt: & ex illo unius diei diſcrimine manifeſtum fit, Lucii mortem die quarta Martii contigiſſe, juxta regulam à nobis ſæpius inculcatam.

III. Baron. ann. 257. num. II & ſeqq. De anno major eſt difficultas. Veruntamen ex iis, quæ in Chronico Damaſi ſana ſunt, quando agit de Cornelio & Stephano, tempus, quo ſedit *Lucius* inter utrumque, ſatis certò colligit Pearſonius loco citato. Nam Cornelius juxta illud Chronicon deceſſit, Gallo II, & Voluſiano Coſſ. hoc eſt, anno ſuperiori. *Stephanus* ordinatus eſt ſecundùm idem Chronicon, Voluſiano II, & Maximo Coſſ. id eſt, præſenti anno. Neque enim inter primum Voluſiani & ſecundum ejus Conſulatum alii Conſules in Faſtis habentur. Quare Lucius anno elapſo poſt deceſſum Cornelii ordinatus, ante Pontificatum Stephani, currenti anno deceſſit. Henſchenius quidem hunc Cornelii exitum, & Stephani initium rectè agnovit. Sed annis Lucii, quos ex corrupto Damaſi Catalogo ſumſerat, mirè conciliavit. Docet enim, *Stephanum* per biennium fere Lucii Vicarium, & menſibus tantummodo quinque verum Pontificem fuiſſe. Sed Vicariatus ille veterum Pontificum ſæpe à nobis confutatus, & peculiaris Lucii Vicariatus à Pearſonio laudato profligatus. Baronius ſub anni ſequentis Conſulibus *Lucium* paſſum credit, innixus auctoritate libri Pontificalis, qui tradit, eum duas ordinationes per menſem Decembrem feciſſe. Sed, ut obſervat Pearſonius in Præfatione ad Annales Cyprianicos, illius Operis Auctor numerum ordinationum à poſterioribus Pontificibus factarum ſcire potuit; annuarum verò ordinationum priorum Pontificum nullam notitiam habere potuit, ideoque hac in re vix ei fides adhibenda. Unus Nicephorus lib. 6. cap. 7. Sedis Lucii durationem accuratè notavit; ait enim: *Non integris ſeptem menſibus Eccleſiâ adminiſtratâ, Stephanum habuit ſucceſſorem.* Qui quidem menſes utrimque incompleti fuere, ut ex dictis liquet.

IV. *S. Stephanus fit Papa.* Sancto Lucio S. *Stephanus* ſucceſſit, de quo in Chronico Damaſi legitur: *Stephanus annos quatuor, menſes duos, dies viginti unum. Fuit temporibus Valeriani & Gallieni, à Conſulatu Voluſiani & Maximini uſque Valeriano III, & Gallieno II.* Sed locus ille depravatus. Loco enim *Maximini*, legendum, *Maximi.* Præterea loco horum verborum, *uſque Valeriano III, & Gallieno II*, legendum ex libro Pontificali, *uſque Valeriano IV, & Gallieno III.* Dubitari enim non poteſt, quin *Stephanus* diu poſt Conſulatum Valeriani III, & Gallieni II, anno CCLV geſtum vixerit, ut infrà demonſtrabitur. Præterquam quòd in eodem Chronico dicitur, Lucium fuiſſe *uſque Valeriano III, & Gallieno II.* Quo pacto Lucius & Stephanus uno eodemque anno è vivis exceſſiſſent, quod prorſus abſurdum. Cùm itaque Stephanus ſederit *annos quatuor, menſes duos, dies viginti unum*, præſenti anno die decimo tertio menſis Maii Pontifex Romanus ordinatus eſt, ſicque vacavit Sedes poſt Lucii obitum menſes duos, dies ſex; neque *Stephanus* electus, niſi poſtquam *Valerianus* imperavit, quantùm conjecturâ aſſequi poſſumus. Ceterùm, cùm Lucii obitus in Indiculo *Depoſitionis Epiſcoporum*, non verò in Indiculo *Depoſitionis Martyrum* memoretur, is inter Confeſſores numerandus. Nec refert, quòd S. Cyprianus à Baronio citatus ſcribat: *Servandus eſt anteceſſorum noſtrorum beatorum Martyrum Cornelii & Lucii honor glorioſus.* Nam ex modo loquendi illorum temporum Lucius vocatur Martyr, quia pro Fide in exilium miſſus fuit, multaque pro ea pertulit. Quod & de Stephano ejus ſucceſſore propter eandem rationem dicendum, cùm præfati Libelli auctoritas major ſit, quàm Actorum ac Martyrologiorum poſt aliquot ſecula à morte ſanctorum Pontificum elucubratorum.

V. *Imperium Romanum à Scythis aliiſque vaſtatum.* Ad num. II. Motus Scytharum & Perſarum, qui Gallo imperante contigere, cum fine illius Imperii Baronius conjunxit, eoſque tunc accidiſſe, omnibus qui poſt eum ſcripſere, perſuaſit. Certum tamen, illius Imperii initio, annoque præcedenti incurſiones illas factas; antequam nempe lues, quæ autumno illius anni cœpit, graſſata eſſet. Hujus inundationis teſtes tres habemus, qui mirè in hac narratione inter ſe conveniunt. Baron. num. XXI. Primus eſt Dionyſius Alexandrinus, qui tum vivebat, qui apud Euſebium lib. 7. cap. 22. calamitates, quas paſſi eſſent Alexandrini, narrans, poſtquam egit de oppreſſionibus ſub Decio toleratis, ait: *Poſt hæc bellum & fames excepit: quæ quidem nos cum Gentilibus junctim pertulimus. Et ea quidem mala, quibus nos attriverunt, ſoli ſuſtinuimus. Quæ autem ipſi ſibi viciſſim intulerunt ac paſſi ſunt, eorum partem toleravimus. Sed rurſus oblectavit nos pax illa, quam Chriſtus nobis ſolis indulſit. Cùm autem breviſſimo temporis ſpatio nos & illi reſpiraſſemus, repentè ingruit lues illa*, &c. Quare hæc bella lues non præceſſit, ſed ſubſecuta eſt. Secundus eſt Zoſimus pag. 644. ubi ſcribit: *Cùm autem negligenter Imperium Gallus adminiſtraret, primùm quidem Scythæ nationibus ſibi finitimis turbas dabant: deinde paulatim progreſſi ad ipſum uſque mare ſita rapinis exhauriebant: adeo quidem, ut nulla Romanæ ditionis gens ab eis non vaſtata manſerit: ſed omnia propè dixerim oppida deſtituta mœnibus & iiſdem munitorum magna pars capta fuerint. Nec minùs bello, quod undique ſcaturiendo velut emerſerat, lues etiam peſtilens in oppidis atque vicis ſubſecuta, quidquid erat humani generis reliquum aſſumſit: ac nunquam ſanè ſuperioribus ea ſeculis tantam hominum ſtragem ediderat.* Narrat poſtea, Gothos alioſque populos, civitates

in Europa diripuiſſe, *Perſas* in Syriam progreſſos *Antiochiam* totius Orientis Metropolim vaſtaſſe ac diruiſſe. Vides, antequam lues exorta eſſet, *Scythas* in Imperium Romanum influxiſſe, urbeſque ac oppida depopulatos eſſe. Denique Zonaras ait, ſub Imperatore Gallo motus Perſarum recruduiſſe, Scytharum multitudinem penè innumerabilem, in Italiam, Macedoniam, Theſſaliam, & Græciam impreſſionem feciſſe. Additque: *Sunt & aliæ plures gentes contra ditiones Romanorum concitatæ. Peſtis quoque tum Provincias invaſit*, &c. Certum itaque, antequam peſtis ſæviret, *Scythas* Provincias Romanas incurſaſſe, & graviter afflixiſſe, ac devaſtationes illas continuatas, donec ſub præcedentis anni finem Barbari ab Æmiliano legionum Pannoniæ Duce Romano fuſi fugatique ſunt, ut mox dicetur.

VI.
Epiſtola S. Cypriani ad Epiſcopos Numidiæ quando ſcripta.

His Imperii Romani vaſtationibus ſuo anno redditis, liquet, epiſtolam D. Cypriani LXII, quæ Pamelio eſt LX, in qua agitur de dira illa Barbarorum incurſione in Numidia facta, qua Chriſtiani captivi abducti ſunt, ſcriptam eſſe ad Numidiæ Epiſcopos, non anno CCLV, ut Baronius, neque currenti, ut Pearſonius citatus exiſtimavit, ſed anno CCLII. Difficultas inde oritur, quòd Cyprianus refert, fratres à Barbaris in captivitatem abductos fuiſſe; quos alii Gothos ſive Scythas, alii Perſas, qui Antiochiam diruerunt, fuiſſe putant. Pearſonius miratur, cuiquam in mentem venire potuiſſe, aut Scythas, aut Perſas in Africam perveniſſe, atque Barbaros, de quibus conqueruntur Numidæ, alios non fuiſſe, quam *Mauros* Barbaros Numidiæ finitimos, Imperio Romano minimè ſubjectos, hoc anno fame & peſtilentiâ ſævientibus, Gallo negligenter & ſupinè Imperium adminiſtrante, in Numidiam militum copiis haud bene munitam ingreſſos, qui eam latè populati ſint, & Chriſtianos complures captivos abduxerint, qui ob hoſtium viciniam haud difficulter redimi potuerint. Obſervat enim Vir doctiſſimus fuiſſe in Africa ante ætatem Auguſtini varias gentes barbaras, & Romanis infeſtas, præſertimque Mauros, de quibus Herodianus lib. 7. de rebus Maximini agens hæc narrat: *Erat enim quidam nomine Capellianus ex Senatorio ordine. Præſidebat autem Mauris Romano Imperio ſubjectis, qui Numidæ vocantur. Hæc autem gens caſtris munita eſt propter multitudinem Maurorum Barbarorum circumjacentium, ut eorum incurſus & populationes coercerent.* Hæc Pearſonius, qui plura in eandem rem congerit. Verùm cùm Zoſimus teſtetur, antequam peſtis exoriretur, Scythas *ad ipſum quoque mare ſita rapinis* exhauſiſſe, ut videre eſt numero præcedenti, fruſtra ad Mauros Numidis vicinos recurrit Pearſonius; cùm eos per hæc tempora in Numidas irruiſſe nullus Veterum tradat; contra verò Scythas per Galli Imperium omnes Romanæ ditionis regiones vaſtaſſe, tam Zoſimus, quàm Zonaras ſcribant. Quidquid ſit, non ſub finem Imperii Galli, ſed ſub ejus initium, quæ in laudata Cypriani epiſtola continentur, acciderunt, ideoque & ea anno præcedenti data. Si enim, ut vult Pearſonius, Mauri Numidiam invaſerint, factum id ab eis, cùm viderunt ſubjectas Imperio Romano urbes à Scythis aliiſque Barbaris direptas ac devaſtatas.

Baron. ann. 254. num. CVIII & ſeqq.

VII.
Cyprianus ſcribit libellum ad Demetrianum.

Pearſonius citatus ad annum CCLII, num. XIV, arbitratur, eo anno, cùm jam lues & fames ſævirent, ſcripſiſſe Cyprianum libellum ad *Demetrianum*, qui ei vulgare illud argumentum objecerat, omnia nempe mala, quæ Rempublicam premebant, propter Chriſtianos, qui ſacra Deorum negligebant, contigiſſe. Verùm rectiùs Fellus in Notis ad illum librum cum Baronio tenet, hunc librum non ante ſecundum à morbi initiis annum, hoc eſt, currentem, ſcriptum fuiſſe: quandoquidem fames ceſſanti agriculturæ, hoc eſt, peſti adultæ & diutinæ ſuccedere dignoſcitur. Baronius hunc Demetrianum Africæ Proconſulem fuiſſe dicit. Sed longè probabiliùs Pearſonius & Fellus ſcribunt, *Demetrianum* hunc fuiſſe tantum Judicem aliquem Cypriano familiariter notum. A Cypriani enim moribus longè videtur abeſſe, ut principem virum verbis parum honorificis exciperet *ut oblatrantem eum & ore ſacrilego & verbis impiis obſtrepentem*, *contemnere* ſe profiteretur; & *indocilem*, *impium*, *furentem*, *cæcum*, *ſurdum*, & *brutum* compellaret. Certè Pontius in Vita Cypriani non alio illum titulo ornat, quam *gentilis blaſphemi*. Et Lactantius ſine aliqua honoris præfatione appellat *hominem veritatis ignarum*.

Baron. num. XXIII & ſeqq.

VIII.
Æmilianus fit Imperator.

Ad num. III. Zoſimus ſuprà laudatus, poſtquam vaſtitates à Scythis, Peſtique illatas narravit, ait: *Scythæ vero cum quidquid occupaverant in Europa, ſecuri planè poſſiderent, etiam in Aſiam quoque tranſgreſſi eſſent, omniaque ad Cappadociam & Peſſinuntem, & Epheſum uſque diripuiſſent. Æmilianus legionum Pannoniæ Dux . . . . præter exſpectationem Barbaros in iis locis repertos, aggreſſus eſt*; additque, poſtquam illos viciſſet, Italiam verſùs moviſſe, & milites, qui cum Gallo erant, hunc cum filio Voluſiano necaſſe. Sed Valerianum cum tranſalpinis viribus in Italiam veniſſe, Æmilianum debellaſſe, & Imperium adeptum eſſe. Vides, ut id obiter dicam, Scythas *quidquid occuparant in Europa*, ſecuros poſſediſſe, ideoque non currenti anno, ut communiter creditum, ſed præcedenti, initioque Imperii Galli, in Romanorum terras irrupiſſe. Æmilianus imperavit *menſes tres*, ut habent Victor de Cæſaribus, Eutropius, & Zonaras, vel *menſes quatuor*; ut legitur in Epitome Victoris; ſed non poſt Galli & Voluſiani interitum, ut recentiores Chronologi paſſim tradunt; verùm partim ſub Gallo & Voluſiano, partim ſub Valeriano & Gallieno, licèt nullus ex Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus id expreſſis verbis ſcripſerit. Nam cum certum indubitatumque ſit, Claudium die viceſima quarta menſis Martii anni ducenteſimi ſexageſimi octavi jam imperaſſe, & Gallienum ejus deceſſorem annos quindecim integros, vel ſaltem ferè integros regnaſſe, tardiùs, quàm menſe Maio præſentis anni Imperium is non ſuſcepit; nec etiam citiùs quàm eo menſe Gallus & Voluſianus hoc anno de medio ſublati. Ne itaque Galli & Voluſiani mors, ac Valeriani & Gallieni initium à loco ſuo removeantur, pro certo ponendum, tres

Baron. ann. 257. num. VI.

aut quatuor Imperii menſes, qui Æmiliano attribuuntur, inter Galli & Valeriani Imperium intermedios nullomodo fuiſſe, ſed Æmilianum regnare cœpiſſe ante Galli & Voluſiani cædem, ac poſt electum ab exercitibus Noricis & Rhæticis Valerianum, quam electionem poſtea Senatus confirmavit. Superſunt varia Æmiliani Numiſmata, in quibus Auguſtus vocatur, apud Mediobarbum videnda.

IX. *Valerianus ſit Imperator.* Valerianum *in Rhætia & Norico* agentem, *ab exercitu* Imperatorem, & mox Auguſtum eſſe factum, teſtatur Eutropius. Victor verò in Epitome de Gallo & Voluſiano agens, ait: *Sub his etiam Æmilianus in Mœſia Imperator effectus eſt, contra quem ambo profecti, apud Interamnam ab exercitu ſuo caduntur.* Quare antequam Gallus & Voluſianus à propriis militibus trucidarentur, Æmilianus pro Imperatore ſe gerebat. Victori ſuffragatur Zoſimus, qui poſtquam narravit Æmiliani de Scythis Romanum Imperium affligentibus victoriam, ait, eum à militibus Imperatorem electum, ac poſtea Italiam versùs moviſſe, cum Imperatore Gallo manum conſerturum. Certum itaque maneat, poſt Gallum & Voluſianum interfectos ſtatim Valerianum Tranſalpinarum legionum Ducem à militibus, *qui contracti undique apud Rhætias ob inſtans bellum morabantur*, ut Victor de Cæſaribus ſcribit, dictum fuiſſe Imperatorem. Antea Victor de Æmiliano dixerat, *Proceres primò hoſtem, dein extinctis ſuperioribus*, (nempe Gallo & Voluſiano) *Auguſtum* appellaviſſe. Jam itaque ante Galli & Voluſiani interitum inviro Senatu ſeſe Imperatorem Æmilianus dicebat. Hinc in poſtica parte Nummi Æmiliani apud Mediobarbum legitur: PACI AUG. in poſtica alterius: PAX AUG. Quæ Numiſmata, poſtquam à Senatu Auguſtus agnitus, percuſſa.

X. *Galli & Voluſiani Impp. interitus.* Galli porro & Voluſiani, qui ſub finem anni ducenteſimi quinquageſimi primi Imperium inierant, interitum præſenti anno circa menſem Maium contigiſſe, certum indubitatumque eſſe debet. Primò, quia Eutropius eos *non completo biennio* interfectos prodit.

Baron. ann. 256. num. XXXV. Idem habet Victor de Cæſaribus, ubi de Gallo, Hoſtiliano, Voluſiano, & Æmiliano ſimul agit: *His ſanè*, inquit, *omnibus biennio profecit.* His adde Euſebium lib. 7. cap. 18. ubi ait, Gallum è medio ſublatum, οὐδ᾽ ὅλοις ἔτεσι δύο τὴν ἀρχὴν ἐπικρατήσαντες, id eſt, *non integris duobus annis Imperio occupato.* Denique Oroſius lib. 7. tradit, Gallum *vix duobus annis* Regnum obtinuiſſe. Verum eſt, Euſebium in Chronico, Caſſiodorum, S. Epiphanium, & alios quoſdam annos duos & menſes quatuor Gallo & Voluſiano aſſignare. Sed hi ab Euſebio in Chronico decepti, dum non animadverterunt, illum in Hiſtoria, quæ perperam in Chronico ſcripſit, ſæpe corrigere. Secundò, Dexippus à Georgio Syncello pag. 366. laudatus, de Gallo & Voluſiano loquens ait: οἱ καὶ ἐβασίλευσαν μῆνας ιη, id eſt, *qui & imperant menſibus decem & octo*, quod & in Anaſtaſio legitur. Progreſſu temporis numeri ab aliis immutati. Zonaras enim ſcribit, utrumque occiſum, *cùm biennium & menſes octo imperaſſet*; quod ex dictis falſum eſſe conſtat. Dexippo enim eò major fides adhibenda, quò Gallieni tempore floruerit, & Hiſtoriam ſuam, quæ periit, ſcripſerit, ut diſcimus ex Pollione in duobus Gallienis cap. 13. Tertiò, Valerianum & Gallienum, qui Gallum & Voluſianum excepere, currenti annò Imperium auſpicatos eſſe, Numiſmata demonſtrant. Mediobarbus enim pag. 374. tres Gallieni Nummos in medium adducit in poſtica inſcriptos: P. M. TR. P. VIIII. COS. IIII. P. P. Quæ Tribunitia Poteſtas nona anno ducenteſimo ſexageſimo ſecundo inchoata fuiſſet, ſi Gallienus anno dumtaxat ſequenti Imperator acclamatus eſſet: inter omnes enim convenire debet, Gallienum anno ducenteſimo ſexageſimo ſecundo Conſulatum quintum capeſſiiſſe, quartum verò anno ducenteſimo ſexageſimo primo.

XI. *Cædes Galli, & Valeriani initium ab hoc anno removeri non poſſunt.* Quartò, quæcumque à Baronio in Annalibus, à Cointio in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum, & à Petavio lib. 11. de Doct. Temp. afferuntur ad oſtendendum, Gallum & Voluſianum quartam Tribunitiam Poteſtatem inchoaſſe, ideoque & quartum Imperii annum, licèt inſolubilia videantur, facilem tamen explicationem habent. Producunt illi varia utriuſque Imperatoris Numiſmata, in quibus uterque dicitur: P. M. TR. P. III. COS. II. vel P. M. TR. P. IIII. COS. II. Et quod Antiquariis obſervatum, hujuſmodi Numiſmata in cimeliis Principum paſſim obvia, eaque indubitatæ antiquitatis & fidei. Verum de Philippo Imperatore loquentes diximus, in averſa parte Nummi alicujus Imperatoris inſcriptionem quandoque legi alteri Imperatori convenientem, non verò illi, qui in antica parte repræſentatur. Nunc addo, id ſæpe etiam contigiſſe Monetariorum errore, uti in caſu, de quo agitur. Pars enim illa averſa Nummorum præfatorum Galli & Voluſiani, referenda vel ad Gordianum juniorem, vel ad Philippum etiam juniorem, qui cum Conſulatu ſecundo tertiam & quartam Tribunitiam Poteſtatem junxere. Et ne quis gratìs hoc à me dictum aſſerat, videri poteſt Beggerus in Theſauro Palatino pag. 338. ubi delineat poſticam partem Nummi Galli Imperatoris, in quo viſitur Templum ſex columnarum idolo medio, cum his verbis circùm: SAECULUM NOVUM. Quam poſticam cum ſimili inſcriptione præfert Nummus Philippi junioris apud Beggerum, qui non advertens, errore Monetarii, Nummo Galli eam poſticam inſcriptam, nonniſi Philippo juniori anno, quo Ludos Seculares cum patre celebravit, convenientem, ait, Gallum in his Nummis ſine Hiſtoriæ fulcro jactare novum ſeculum, quod quidem ſub Philippo novum erat, ſed ſub eo, inquit Beggerus, *poſt exactos aliquos annos jam novitas deſcribuerat.* At Gallus novitatem non jactavit, ſed Monetarius poſticam partem Nummi Philippi junioris ei per errorem attribuit. Similis erroris tot infrà exempla in medium adducemus, ut certum indubitatumque eſſe debeat, Numiſmata Galli & Voluſiani Tribunitiam Poteſtatem tertiam vel quartam cum Conſulatu ſecundo in averſa parte præferentia, nullo modo indicare, eos tertium vel quartum Im-

Baron. ann. 256. num. XXXVI.

perii annum exorſos eſſe, ſed tantùm Monetarios in iis Nummis cudendis erraſſe, & averſam partem Nummorum unius Imperatoris alterius Imperatoris Nummis imprudenter tribuiſſe.

XII. *Tribunitia Poteſtas abſolutè poſita Baronium & Pearſonium decepit.*

Ultimum argumentum à Baronio in medio adductum, ex Gallieni Nummis deſumitur. Duos enim hujus Imperatoris exhibet, in quorum priori Gallienus dicitur: P. M. Tr. P. III. Cos. in poſteriori: P. M. Tr. P. IIII. Cos. II. Ex quibus infert, Gallienum ſecundum Conſulatum geſſiſſe, quando jam à triennio imperabat; ſecundum verò quarto Imperii anno. Pearſonius in Annalibus Cyprianicis tam hoc anno, quàm inſequenti utrumque Nummum adulterinum eſſe contendit. Sed tam ipſe, quàm Baronius manifeſtè hallucinantur. In primo enim Nummo Conſulatus abſolutè, ut plerumque fit, memoratur; alioquin dicendum eſſet, Gallienum ſeptimo Imperii anno nondum ſecundum Conſulatum geſſiſſe, cùm in Nummo ejus à Mediobarbo producto legatur: P. M. Tr. P. VII. Cos. Et tamen jam tertiùm Conſul fuerat. Unde in alio ejuſdem Imperatoris Nummo habetur: P. M. Tr. P. V. Cos. III. Gallienus itaque currenti anno Imperium certiſſimè iniit, annoque inſequenti primùm Conſul proceſſit; tum anno CCLV ſecundum Conſulatum geſſit, & tertiam Tribunitiam Poteſtatem capeſſiit; quo pariter anno prior Nummus à Baronio adductus, percuſſus eſt, Conſulatu ſine numerali nota ac ſimpliciter expreſſo. Anno verò CCLVI ſecundus Nummus à Baronio recitatus, cuſus fuit, & Conſulatus non ampliùs ſimpliciter & abſolutè, ſed cum numerali nota deſcriptus. Neque de hac re difficultas eſſe poteſt.

Baron. ann. 257. num. 1.

XIII. *Valerianus & Gallienus ante æſtatem Impp. dicti.*

Cùm itaque certum ſit, Valerianum & Gallienum currenti anno imperare cœpiſſe, dici non poteſt, Gallum & Voluſianum uſque ad ſequentem annum Imperium prorogaſſe, & omnino incredibile quod ſtatuit Baronius, Gallum & Voluſianum annos duos ſolos imperaſſe, & per alterum biennium ſimul cum Valeriano & Gallieno Rempublicam rexiſſe. Qualis enim, inquit Pearſonius, Chriſtianorum conditio fuiſſet ſub quatuor Imperatoribus, quorum duo eos atrociter perſecuti ſunt, duo autem maximè fovebant? Legendus Noriſius in Diſſert. de Votis Decennalibus cap. 5. ubi Baronii Chronologiam per Gallieni tempora ex ipſomet Baronio corruptam eſſe oſtendit. Quo die, quóve menſe Valerianus & Gallienus regnare cœperint, incompertum eſt. Tardiùs tamen quàm menſe Maio purpuram non ſumſere; tum quia Gallus & Voluſianus, qui menſes octodecim, ut diximus, imperarunt, anno CCLI, exeunte Novembri aut Decembri incipiente, ad menſem circiter Maium præſentis anni pervenerunt, utroque extremo menſe, etiam incompleto, pro completo numerato; tum quia Victor de Cæſaribus, ubi Valerianum & Gallienum Imperatores renuntiatos narravit, ſubjungit: *Statimque Tiberis adulta æſtate diluvii facie inundavit.* Ex quibus tamen verbis à Viris doctis malè deductum, Valerianum & Gallienum *æſtate* dictos Imperatores. Nam *ſtatim*, *ſubitò*, ſimiliave adverbia breviſſimum tempus non ſemper deſignant, ut manifeſtè patet ex hoc loco Anonymi Valeſiani: *Poſtquam verò Conſtantius in Britannia mortuus eſt, & Conſtantinus filius ſucceſſit, ſubitò in urbe Roma Prætoriani milites Maxentium filium Herculi Imperatorem crearunt.* Et tamen Conſtantius Chlorus die XXV Julii anni CCCVI obiit, & Maxentius nonniſi die XXVIII menſis Novembris ejuſdem anni Romæ Auguſtus appellatus. Denique Mediobarbus Nummum Gallieni producit inſcriptum: P. M. Tr. P. XVI. Cos. VII. non quòd decimam ſextam Tribunitiam Poteſtatem inierit, ſed quia, cùm anno CCLXVIII, exeunte Martio, in Italia occiſus eſt, menſe Maio, quo Tribunitiam Poteſtatem XVI inſcipere debebat, à Monetariis ab Urbe diſſitis mors ejus adhuc ignorata fuit, poſt duos nempe menſes quàm contigerat; quod dici non poſſet, ſi currenti anno adulta æſtate imperandi initium feciſſet. Sic enim Tribunitia Poteſtas XVI Nummis inſcripta fuiſſet poſt quatuor aut quinque menſes ab ejus cæde exactos; quod nullus ſibi perſuaſerit.

XIV. *Valerianus pacem Eccleſiæ reddidit.*

Ubi Valerianus ad Imperium pervenit, ſtatim Eccleſiæ pacem conceſſit. Nam, ut ſcribit Dionyſius Alexandrinus in epiſtola ad Hermammonem apud Euſebium lib. 7. cap. 10. *familiariter & amanter in initio Principatus ſui* Chriſtianos accepit. Eaque pax non tantùm per biennium, ut Cointius in Annalibus Francorum cum Baronio ſcribit, ſed uſque ad ejus Quinquennalia anno CCLVII celebrata duravit. Ex quo liquet, erraſſe Viros doctiſſimos, qui Lucii Papæ, aliorumque Sanctorum martyrium ſecundo vel tertio Imperii Valeriani anno contigiſſe crediderunt. Sed de hac præpropera perſecutionis conſignatione infrà agetur.

XV. *Cyprianus innocentiam ſuam adverſus Pupianum defendit.*

Ad num. IV. Cùm in epiſtola S. Cypriani ad *Florentium Pupianum*, quæ inter Cyprianicas eſt LXVI, Pamelio LXIX, dicatur, Cyprianum *jam ſex annis* Epiſcopum eſſe, & valde veroſimile ſit, eum anno tantùm CCXLIX Carthaginienſem Epiſcopatum adeptum, ea epiſtola anno ſequenti ſcripta, quod etiam hac ratione Pearſonius anno ſequenti oſtendit, quòd Cyprianus longum tempus interceſſiſſe ſignificet, ex quo *Pupianus* Epiſcopus, ut videtur, Africanus turpia de Cypriano concepiſſet, ob quæ ſanctus Doctor *Pupianum* acriter & vehementer corripit, ac innocentiam ſuam ordinationemque copiosè defendit.

XVI. *Origenis obitus.*

Ad num. V. Annus emortualis *Origenis* in controverſiam vocatus. Euſebius lib. 7. cap. 1. ait: *Quo tempore* (Galli nempe Imperatoris) *Origenes ſexageſimo ætatis anno ex hac vita migravit.* Inde Valeſius in Notis ad eum locum, Origenem anno ducenteſimo quinquageſimo ſecundo mortuum deducit. Petavius in Animadverſionibus Euſebianis hæreſi LXXXIV vitam ejus producit uſque ad currentem Chriſti annum, vel inſequentem, quo Gallum & Voluſianum interfectos credit. Huetius lib. 1. Origenianorum cap. ultimo ſequenti pariter anno Origenem è vivis exceſſiſſe arbitratur. Verumenimvero, cùm Gallum & Voluſianum currenti anno trucidatos, Origenemque anno centeſimo octogeſimo quinto in lucem prodiiſſe ex dictis

Baron. num. XXXVIII & ſeqq.

conſtet, mortalitatem exuit Origenes prioribus currentis anni menſibus, paulò ante Galli & Voluſiani interitum, vixitque annos ſexaginta novem utrinque incompletos. Si enim ſexaginta novem anni, qui ei ab Euſebio tribuuntur, hoc modo numerentur, Gallique & Voluſiani cædes anno ſuo reddatur, omnis difficultas evaneſcet; ſin minùs, ſuperari nullo modo poterit. Hieronymus in epiſtola ad Pammachium, quæ ordine LXV eſt, Origenem *Tyri* mortuum teſtatur, cujus ſepulchri veſtigia hodie ſupereſſe dicuntur.

XVII. *Libri Origenis.* Baron. num. XLIV.

Ad num. VI. Petrus Daniel Huetius Epiſcopus Sueſſionenſis deſignatus, linguarum & Antiquitatis Eccleſiaſticæ peritiâ clariſſimus, libris tribus, quæcumque ad Origenis Vitam, Scripta, erroreſque ſpectant, ſolidè enucleavit, & quod diu à Viris doctis optatum fuerat, Opera ejus Græco-Latina Notis illuſtrata duobus tomis ab aliquot annis publicavit. Alii Origenis Tractatus, qui in variis Bibliothecis deliteſcebant, ſeorſim in lucem poſtmodum editi: libri *adverſus Celſum* & *Philocalia* à Spencero in Anglia cum aliquot Notis publicati, liber *de Exhortatione ad Martyrium*, cum Opuſculo *adverſus Marcionitas* falsò Origeni adſcripto, Baſileæ impreſſus, & anno elapſo in Anglia Opuſculum *de Oratione Dominica*; ita ut quæcumque Opera Græca Origenis ſuperſunt, typis mandata ſint.

XVIII. *An plures fuerint Origenes.* Baron. num. XLVII.

Ad num. VII. Quemadmodum ex duplici Origene, Adamantio nempe, & Plotini diſcipulo, communis opinio unum confinxit, ut ſuprà oſtendimus; ſic ex uno codemque *Origene* duo facti, ut notavit Huetius lib. 1. Origenian. cap. 1. verum alterum, à quo orti ſunt Origeniſtæ ſimpliciter dicti; alterum Origeniſtarum, qui *Fœdi* cognominati ſunt, principem & anteſignanum. Quod mirum à nonnullis affirmari, cùm Epiphanius hæreſi LXIII & LXIV id ignorare ſe teſtetur. Epiphanii verba parum ſincerè reddidit Auguſtinus lib. de Hæreſibus cap. 42. Cùm enim conceptis verbis neſcire ſe profeſſus fuiſſet Epiphanius, an ab Adamantio Origene, an ab alio impuri Origeniſtæ propagati ſint, hæc ita reddidit Auguſtinus: *Origeniani à quodam Origene dicti ſunt, non ab illo qui ferè omnibus notus eſt, ſed ab alio neſcio quo, de quo vel ſectatoribus ejus Epiphanius loquens*, &c. Atque ita duóne extiterint Origenes, Origeniſtarum principes, addubitavit Epiphanius, temporum illorum proximus; aſſeverarunt Auguſtinus, Sophronius Hieroſolymitarum Epiſcopus in epiſtola ad Sergium, ut notat Photius codice 231, Joannes Damaſcenus lib. de Hæreſibus, treſque denique finxit Origenes Auctor Prædeſtinati à Sirmondo publicatus. Qua de re plura Huetius laudatus, qui addit, Baronium acutè perveſtigare, cur duplex Origenes effictus fuerit.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5747. ☉ 11 A. ☽ 8. P. 23. April. Indict. 2.
Jesu Christi 254. *ſecundùm Baronium* 257.
Stephani Papæ 2.
Valeriani et Gallieni Impp. 2.

I. *Conſules.*

Coss. *P. Licinius Valerianus Aug. II, & P. Licinius Gallienus Aug.* Cùm Valerianus anno ſequenti iterum Conſul proceſſerit, non dubium, quin ad præſentem Conſulatum à Gallo & Voluſiano, antequam occiderentur, deſignatus fuerit, quemadmodum de ſecundo Conſulatu ordinario tam Claudii, quàm Hadriani ſuis locis oſtendimus, & infrà de primo Probi Imperatoris videbitur. Valerianus enim non ſolùm jam ſuffectum Conſulatum geſſerat; ſed etiam Cenſor ac Tranſalpinarum legionum Dux erat, quando Æmilianus Gallo & Voluſiano adhuc viventibus Imperium uſurpavit. Ex duobus itaque Conſulatibus continentibus à Valeriano geſtis ſecundus tantùm ad ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam revocandus. *Gallieni* verò Conſulatus juxta regulam tertiam ſumtus, ut nempe patris Collega eſſet. Quæ verò ex Numiſmatis Baronius habet, ut oſtendat, hunc Conſulatum cum tertio Valeriani & Gallieni anno conjungendum eſſe, anno præcedenti à nobis prorſus everſa.

II. *Decretalis Lucii ſuppoſititia.*

Ad num. II. & III. Quæ pertinent ad mortem S. Lucii Papæ & S. Stephani ejus ſucceſſoris initium à nobis anno præcedenti explicata. Omiſimus tamen obſervare circumferri unicam Lucii epiſtolam ad Galliæ atque Hiſpaniæ Epiſcopos Viris eruditis ſuppoſititiam. Incipit enim cum verbis Leonis primi epiſtolâ XXVIII ſecundùm veterem ordinem: *Literas dilectionis veſtræ, quas ad B. Petri Apoſtoli Sedem*, &c. Habetque plura Conciliorum ſubſequentium teſtimonia, locum Pſalmi LXXXII ex interpretatione Hieronymi, & quædam Agathonis Papæ verba.

III. *Eccleſia ante Valeriani Quinquennalia non vexata.* Baron. num. VIII.

Ad num. IV. Quæ pertinent ad mortem Galli & Voluſiani, & ad Æmiliani Imperium, anno præcedenti à nobis explicata, ubi & diximus, verum non eſſe quod hic ſcribit Baronius, ſcilicet Eccleſiam ferme biennio quieviſſe. Chriſtiani enim ante quintum Imperii Valeriani & Gallieni annum minimè vexati.

IV. *Cyprianus refellit eos qui aquam ſine vino in Sacrificio offerebant.* Baron. num. IX & ſeqq.

Ad num. V. Ideo Baronius epiſtolam LXIII Cypriani, quæ & Pamelio LXIII eſt, & in qua eos refellit, qui in Sacrificio aquam tantùm offerebant abſque aliqua vini commixtione, præſenti anno illigavit, quia vigente Eccleſiæ pace eam ſcriptam autumavit. Sed ſub perſecutione potiùs exaratam hæc verba innuere obſervat Pearſonius in Annalibus Cyprianicis: *Et quia jam ſecundus ejus adventus appropinquat, magis ac magis benigna ejus & larga dignatio corda noſtra luce veritatis illuminat.* Præterea, quia illi, quos confutat Cyprianus, dicebant, quòd ſi prima manè vinum ſumatur, in calice

Dominico ſe Ethnicis prodituros Chriſtianos, & argumentum illud à perſecutione deductum ibidem Cyprianus retorquet. Quare ea epiſtola anno præcedenti, antequam Valerianus imperaret, durante adhuc perſecutione, ſcripta. Porro non hàc epiſtolà *Aquarios* confutat Cyprianus, ut exiſtimat Baronius, quorum error in hoc maximè verſabatur, quòd vinum quaſi rem profanam & abominandam averſarentur, ut ait Epiphanius; ſed aliquos, qui vel ex ignorantia aut ſimplicitate delinquebant, ut ait Cyprianus, vel qui hoc non ſemper faciebant, ut Aquarii, ſed in matutinis ſacrificiis tantùm, neque in illis ſemper, ſed perſecutionis tempore.

V. *Concilium Africanum fictitium.* — Baron. num. XII & ſeqq.

Ad num. VI. Nullum hoc anno à S. Cypriano Concilium in Africa celebratum videtur. Nam epiſtola tertia, Pamelio LXV, & epiſtola prima, Pamelio LXVI, quibus innititur Baronius, anno CCXLIX initio Epiſcopatûs Cypriani ſcripta. Itaque in epiſtola, quæ modò prima eſt ad Clerum & plebem *Furnitanorum* de Victore, qui *Fauſtinum* Presbyterum tutorem nominavit, tempore, quod perſecutionem præceſſit, data, ut Cyprianus lib. de Lapſis exprimit & deſcribit: *Quando Epiſcopi plurimi, quos & hortamento eſſe oportet ceteris & exemplo, Divina procuratione contemta, procuratores rerum ſeculi fierent.* Nec refert, quòd Cyprianus de ſacra Synodo loquatur, quia eam *Collegæ, qui præſentes aderant*, apud Cyprianum ſemper facere non ſolent. Propter eandem rationem epiſtola, quæ nunc tertia ordine eſt, ad *Rogatianum* Epiſcopum de ſuperbo ſive contumelioſo Diacono, qui eum contumeliis & injuriis ſuis exacerbaverat, eodem tempore ac præcedens ſcripta. Quæ contra hanc ſententiam dici poſſent, ſoluta à Pearſonio in Annalibus Cyprianicis anno CCXLIX, num. IX, & à Fello in Notis ad epiſtolam primam Cypriani.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5748. ☉ 12 G. ☽ 9. P. 8. APRIL. INDICT. 3.

JESU CHRISTI 255. *ſecundum Baronium* 258.

STEPHANI PAPÆ 3.

VALERIANI ET GALLIENI, IMPP. 3.

I. *Conſules.*

COSS. *P. Licinius Valerianus Aug. III, & P. Licinius Gallienus Aug. II*, ut libellus de Præfectis Urbi, Idacius in Chronico Conſulari, aliique habent. Sumtus hic ab utroque Conſulatus juxta priorem Conſulatuum Cæſareorum regulam, ut anno præcedenti explicavimus.

II. *Epiſtola Cypriani de Baſilide & Martiali Hiſpanis Epiſcopis.* — Baron. num. II & ſeqq. Spond. ibid. num. II.

Ad num. II. Epiſtola Cypriani LXVIII, quæ etiam Pamelio eſt LXVIII, quæque continet reſponſum Synodicum Eccleſiæ Africanæ ad Epiſcopos Hiſpanos in cauſa Baſilidis & Martialis Epiſcoporum, in nova editione Operum S. Cypriani à Joanne Fello curata, collocatur anno Chriſti CCLIV, ſed nulla allata ratione, quæ id innuat.

III. *Epiſtola Cypriani de cauſa Marciani Epiſc. Arelatenſis.* — Baron. num. VIII & ſeqq. Spond. ibid. num. III.

Ad num. III. Epiſtola Cypriani LXVIII, quæ Pamelio eſt LXVII, quam Cyprianus *Fauſtini* Lugdunenſis Epiſcopi literis ſollicitatus ad Stephanum Pontificem Romanum ſcribit, quâve eum hortatur, ut *Marciano* Arelatenſi Epiſcopo Novatianarum partium patrono ſe opponat, ſubleſtæ fidei & diu poſt Cypriani ætatem ſcripta dicitur a Joanne Launoio in libello de ea epiſtola ſcripto. Verùm Pearſonius laudatus anno Chriſti CCXLIV ea, quæ à violatione temporum argumenta deducit *Launoius*, ad examen revocat. Hoc præcipuum *Launoii* fundamentum. Si Cypriani ea ſit epiſtola, oportet, eam ſcriptam eſſe, antequam inter eum & Stephanum oriretur diſſenſio. Nam poſtquam eorum animi exarſerant, nec *Fauſtinus* ad Cyprianum tanquam favorabilem in Urbe patronum literas dediſſet, neque Cyprianus eo modo in cauſa Marciani Stephanum compellaſſet. Quam argumenti partem cùm omnes admittant, ulteriùs objicit *Launoius*, ante eam diſſenſionem hanc epiſtolam ſcribi non potuiſſe, quia iſtud jurgium ſecundo ſtatim Stephani anno ortum; ea autem, quæ in his literis continentur, clarè oſtendunt, primo ejus Pontificatûs anno perfici iſta non potuiſſe, quæ Cyprianum ad ſcribendum pepulerunt. Nam Epiſcopi in Provincia conſtituti ad Stephanum de Marciano Novatiano ſcripſerant; ad eundem etiam ſcripſerat *Fauſtinus* Epiſcopus Lugdunenſis, nec ab eo quicquam obtinere potuerant: de eadem igitur re ad Cyprianum ſcribit *Fauſtinus*, ſemel atque iterum. Intra primum Stephani annum nemo putabit, hæc omnia contigiſſe: præſertim ſi ſimul conſtetur ſub initio Pontificatûs Stephani pacem Eccleſiæ nondum redditam fuiſſe. Quis enim exiſtimabit, Epiſcopos Gallicanos ſub ipſa perſecutione, communi conſilio aliquid molitos eſſe; aut Stephanum poſt recens Lucii martyrium in eadem conditione poſitum ſolicitare voluiſſe; aut de his rebus componendis tum cogitaſſe, cùm Valerianus in colligendis Celticis legionibus verſaretur, ut cum Æmiliano confligeret? Sine dubio pax plena à Valeriano Eccleſiæ reddita & confirmata eſt, antequam Epiſcopi Gallicani de rejiciendo Marciano, ſuperbo & contumace Hæretico, conſilium commune inierunt. Præterea alia ſunt de Marciano ipſo dicta, quæ oſtendunt, epiſtolam hanc ſub initio Pontificatûs Stephani ſcribi non potuiſſe. Ut cùm de eo Cyprianus dicit: *Jampridem jactat & prædicat, quòd Novatiano ſtudens à communicatione ſe noſtra ſegregaverit.* Hoc enim tempus aliquod haud exiguum poſtulat; quod quàm longum fuerat, aliis verbis ſatis disertè indicatur: *Sufficiat multos illic ex fratribus noſtris, annis iſtis ſuperioribus exceſſiſſe ſine pace.* Anni igitur aliquot interceſſerant, ex quo Marcianus Novatiano ſtudens pacem fratribus denegaverat. At ſub initio Pontificatûs Stephani nondum biennium elapſum erat, ex quo Marcianus Novatiano adhærere potuit, ſi ab ipſo iſtius ſchiſmatis exordio in illius partes tranſiiſſet. Nam ante menſem Junium anni CCLIII. Pontificatum iniit Stephanus. Superiores igitur anni, quibus tot fratres ſine pace ſub Marciano mortui ſunt, longius profectò temporis intervallum poſtulant. Et revera qui ſecundo ſtatim Stephani anno Marcianum abſtentum eſſe concedunt, huic argumento ſatisfacere non potuerunt.

runt. Ad quod argumentum Pearſonius reſpondet, hanc epiſtolam non eſſe ſcriptam ante ſecundum Pontificatûs Stephani annum jam adultum: ſed ſimul aſſerit, jurgium inter Stephanum & Cyprianum minimè ortum eſſe ante tertium Stephani annum, & quidem jam affectum. Nulla itaque hujus argumenti vis eſt, quod in errore communi, ſed manifeſto fundatur.

IV. *S. Trophimus Decio imperante in Gallias non miſſus.*

Secundum argumentum à miſſione S. *Trophimi* Arelatenſis Epiſcopi deductum. Volunt enim, Trophimum à Pontifice Romano Epiſcopum factum, & Decio ac Grato Coſſ. anno nempe CCL, Arelatem miſſum, primum ejus Sedis Antiſtitem fuiſſe. Quamobrem quis ferre poteſt, epiſtolam S. Cypriano attribui, quæ tradit, Marcianum quendam, cujus nomen in Hiſtoria alibi inauditum, Decio imperante, Arelates Antiſtitem ſediſſe, Novatiano Antipapæ adhærentem; multos ab eo Chriſtianos ad Novatiani ſchiſma adductos eſſe; multos etiam Catholicos ei minimè conſenſiſſe? Sed hæc objectio non multum roboris habet, cùm una Gregorii Turonenſis auctoritate nitatur, aliaque extet celebrior traditio, quæ *Trophimum* Apoſtolorum ætate Româ Arelatum miſſum docet. Ex qua ſaltem intelligitur, traditionem alteram de adventu Trophimi, Decio & Grato Coſſ. haud eſſe ſatis firmam.

V. *Ante Marcum Aurelium martyria in Galliis viſa.*

Duo quidem afferuntur pro tuenda Gregorii auctoritate teſtimonia, primum Sulpitii Severi, ſecundum Auctoris Paſſionis Saturnini: ſed neutrum id quod intendit Launoius, præſtat. Sulpitii teſtimonium his verbis continetur: *Sub Aurelio Antonini filio perſecutio quinta agitata; ac tum primum intra Gallias martyria viſa, ſeriùs trans Alpes Dei Religione ſuſcepta.* Verùm, cùm Sulpitius in Hiſtoria quarti ſeculi Eccleſiæ, quo vixit, ſæpius erraverit, ut ſuo loco videbimus, cum in antiquiori nunquam hallucinatum, nullus, ut puto, ſibi facile perſuaſerit. Sulpitius itaque, qui Euſebii Hiſtoriam in compendium redigebat; cùm videret in Hiſtoria Euſebiana, ante Imperium Marci Aurelii, Fidei in Galliis annuntiatæ mentionem non fieri, quemadmodum nec aliquorum Martyrum in ea regione ante Irenæum paſſorum, credidit tum primùm intra Gallias martyria viſa eſſe, & ſeriùs Religionem Chriſtianam trans Alpes ſuſceptam, cùm in Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebii, quæ Sulpitii Severi ſeculo tantùm non odorabatur, nullum ejus prædicationis in Galliis veſtigium extaret. Unde hæc Sulpitii auctoritas epiſtolæ Cypriani de Marciano ſub Decio, Gallo & Valeriano, Epiſcopo Arelatenſi exiſtenti minimè officit. Imò ex ea auctoritas Gregorii Turonenſis planè evertitur. Si enim jam anno CLXXVII viſa ſunt in Galliis martyria, falſum eſt quod ſcribit Turonenſis, anno nempe Chriſti CCL, imperante Decio, Fidem in Gallias primùm illatam. Turonenſis enim uſque ad eum Chriſti annum Fidem Gallis annuntiatam non fuiſſe ſupponit.

VI. *Ex Vita S. Saturnini non rectè deducitur, Fidem tardè in Galliis predicatam.*

Secundò, Auctor Paſſionis Saturnini, quiſquis fuit, non ſatis firmiter probat, inquit Pearſonius citatus, Trophimum primum Arelatenſem Epiſcopum fuiſſe, aut Decio & Grato Coſſ. illuc primò perveniſſe. Nam Gregorius ipſe, qui tam ſecurè docet, *Sixtum* Pontificem Romanum, & *Laurentium* Archidiaconum, & *Hippolytum* ſub Decio paſſos eſſe, & *Valentinianum* & *Novatianum* ſub eodem Hæreticorum principes extitiſſe; ſatis etiam confusè reliqua pertexit: *Hujus tempore ſeptem Preſbyteri Epiſcopi ordinati in Gallias miſſi ſunt. Sicut Hiſtoria Paſſionis S. Martyris Saturnini denarrat. Ait enim, ſub Decio & Grato Conſulibus, ſicut fideli recordatione retinetur, primum ac ſummum Tholoſana civitas S. Saturninum habere cœperat Sacerdotem. Hi ergo miſſi ſunt, Turonicis Gratianus Epiſcopus, Arelatenſibus Trophimus Epiſcopus, Narbonæ Paulus Epiſcopus, Tholoſæ Saturninus Epiſcopus, Pariſiacis Dionyſius Epiſcopus, Arvernis Aſtremonius Epiſcopus, Lemovicinis Martialis eſt deſtinatus Epiſcopus.* Sed Gregorius citat quidem Hiſtoriam Paſſionis S. Saturnini. Verùm verba, quæ refert, ad Saturninum ſolum pertinent, quæ adhuc etiam in ejus Paſſione reperiuntur. Reliqua verò, *Hi ergo miſſi ſunt*, &c. non ſunt verba Paſſionis, ſed ipſius Gregorii, qui hanc epocham *Saturnini* inde nactus, reliquorum ſex Epiſcoporum tempora, quorum certa initia ignoravit, ad eam referenda eſſe duxit. Neque ſi Auctor Paſſionis reliqua etiam addidiſſet, ſatis firma eſſet ejus auctoritas de primis tot Sedium Epiſcopalium initiis, qui quæ habet de ſuo *Saturnino*, ita tantùm narrat, *Sicut fideli recordatione retinebatur.* Quamobrem ſive Gregorius Turonenſis ad epocham *Saturnini* reliquorum ſex Epiſcoporum tempora retulerit, quod maximè probabile eſt; ſive Auctor Paſſionis & notæ & temporis incerti vir, ipſe ad ſui Martyris Hiſtoriam obiter adjunxerit, neuter ſufficit ad probandum, tot Sedium Gallicarum primos Antiſtites uno anno miſſos & receptos eſſe; quod, cùm per ſe ſit minùs credibile, tum verò ex anno, quo ordinati eſſe dicuntur, & loco à quo miſſi eſſe putantur, omnem fidem amittere videtur. Cùm enim Decius ipſe perſecutioni exercendæ ſeveriſſimè Romæ incumberet, cùm Romanus Pontifex Fabianus ſtatim paſſus ſit, cùm Preſbyteri Sedem Romanam per anni ſpatium & ampliùs ſupplere per novi Epiſcopi electionem auſi non ſint, ut eo ipſo tempore ſeptem Preſbyteri ordinationem Epiſcopalem Romæ acciperent, & in Gallias fervente perſecutione mitterentur, & nullæ tam preclaræ actionis, vel à Preſbyteris Romanis, vel ab aliis mentio fieret, quis credet? Hæc doctè Pearſonius. Ceterùm, ut de celebri hac ætate controverſia, an ſcilicet Fides primo Eccleſiæ ſeculo in Galliis prædicata fuerit, vel tantùm ſub Imperio Decii iiſdem Evangelium innotuerit, hìc fusè agamus, hujus Operis brevitas non patitur.

VII. *Controverſia de Baptiſmo Hæreticorum confusè tractata.*

Ad num. IV & ſeqq. Pearſonius in iiſdem Annalibus Cyprianicis rectè obſervavit, peſſimè Viros doctos hactenus conjeciſſe quinque Synodos de Baptiſmo Hæreticorum in annum unum, & intra menſes octo ejuſdem anni concluſiſſe, *Carthaginienſes* tres, *Orientales* duas. Quarum duæ poſteriores diu antè habitæ ſunt; tres autem reliquæ intra tam breve tempus compingi non debuerunt, ut literæ utrinque datæ inter primam & ultimam

apertè oſtendunt. Motus ad id faciendum Baronius, quia *Stephani* Papæ ordinationem tardiùs conſignavit: ſic enim biennium neceſſariò tribuendum ejus Pontificatui, in pace Eccleſiæ ante ortam de Baptiſmo Hæreticorum diſſenſionem; & alterum biennium, quo illa controverſia, & ortum ſuum & progreſſum, *Stephano* adhuc vivente & ſedente, habuit, invenire non potuit; coactuſque fuit, totum de *Baſilide* cum Hiſpanis, & de *Martiale* cum Gallis negotium, & tria etiam Concilia de controverſia in cauſa Baptiſmi in præſentem annum, vel potiùs in novem hujus anni menſes conferre, quod ex re ipſa & ex Cypriano planè evertitur. Quare, ut hæc noſtra Critica clarior evadat, & in majorem Lectorum utilitatem cedat, hîc rurſus ordinem Baronii derelinquemus, & quæ ad præſentem annum pertinent, ex Pearſonio laudato explicabimus, ceteris à Baronio hoc anno tractatis, ad tempora quibus contigere, remiſſis.

VIII. *Ea controverſia hoc anno orta.*

Hoc itaque anno novæ in dies de *Baptiſmo* ortæ ſunt controverſiæ, & in iis judicium S. *Cypriani* petitum. Ut antè *Fidus* de infantibus recèns natis quæſiverat, an omnino baptizari poſſent; ita *Magnus* quidam de Clinicis quærit, *An qui in infirmitate & languore gratiam Dei conſequuntur, habendi ſint legitimi Chriſtiani, eò quòd aqua ſalutari non loti ſint, ſed perfuſi.* Quod argumentum ſic expreſſit Auguſtinus de Baptiſmo lib. 6. cap. 7. *Sic in epiſtola, quam ſcripſit ad Magnum, cùm de Baptiſmo tinctorum & perfuſorum quæreretur, utrum aliquid intereſſet.* Rurſus ut *Antonianus* antè quæſiverat, quam hæreſim *Novatianus* introduxit; ita nunc *Magnus* quærit, an inter ceteros Hæreticos, eos quoque, qui à *Novatiano* venerunt, baptizari oporteret. Et hæc videtur de hoc negotio primò ſcripta à Cypriano epiſtola, ut Baronio obſervatum eſt: non tantùm, quòd nulla in ea mentio habeatur de ſcriptis antè literis ad diverſos Epiſcopos, aut de Conciliis in Africa ea de cauſa collectis, quorum neceſſaria citatio videri poterat: ſed etiam quia Cyprianus ipſe ex ſua tantùm ſententia tum de *Clinicis*, tum de *Novatianorum* Baptiſmo ſe reſcripſiſſe ſignificat. *Quantum Fidei*, inquit, *noſtra capacitas, & Scripturarum Divinarum ſanctitas ac veritas ſuggerit.* Et rurſus: *Reſcripſi, quantùm parva noſtra mediocritas valuit, & oſtendi quid nos, quantum in nobis eſt, ſentiamus.* Pearſonius locum, ex quo quidam Viri docti colligerunt, hanc epiſtolam poſt ceteras ejuſdem argumenti ſcriptam eſſe, rectè interpretatur, ut in Annalibus Cyprianicis hoc anno num. II videre eſt.

Baron. ann. 258. num. XXII.

IX. *Qua ratione motus Cyprianus ad reiterationem Baptiſmi defendendam.*

Deceptus eſt autem Baronius, quando ſcripſit, *Cyprianum*, quia *Novatianus* Catholicos ad ſe venientes, ut immundos denuo baptizavit, *provocatum ad æmulationem* idem de *Novatianis* ſtatuiſſe. Non enim exiſtimandum, ſanctiſſimum Antiſtitem tali ſtimulo ad ſententiam ſuam ferendam incitatum eſſe. Illud potiùs dicendum, nihil illum poſt hanc ortam controverſiam de *Novatianis* aut hîc, aut alibi ſcripſiſſe, niſi quod ſemper verum eſſe putavit, quodque ab ipſa hujus Schiſmatis origine diſertè ſcripſerat. Sic enim mentem ſuam ante triennium in libello *de Unitate* clarè expreſſerat: *Quando aliud Baptiſma præter unum eſſe non poſſit, baptizare ſe poſſe opinantur. Vitæ fonte deſerto, vitalis & ſalutaris aquæ gratiam pollicentur. Non abluuntur illic homines, ſed potiùs ſordidantur: nec purgantur delicta, ſed imò cumulantur. Non Deo nativitas illa, ſed diabolo filios generat.* Hâc ille primùm doctrinâ imbutus fuit, hanc à prædeceſſore *Agrippino*, hanc à magiſtro ſuo *Tertulliano*, qui & Catholicus & Montaniſta eandem docuit, hauſerat. Quare non *provocatus ad æmulationem*; ſed *Agrippini* ſucceſſor, *Tertulliani* admirator, Scripturarum de unitate & privilegiis ſanctæ Eccleſiæ, & de odio omnium hæreſeon aſſiduus ſcrutator, illis præſidiis ſatis munitum ſe putans in hanc arenam deſcendit, & præſenti anno ſcripſit ad *Magnum*, eos qui à *Novatiano* ad Eccleſiam venerunt, legitimo & Eccleſiaſtico Baptiſmo tingendos eſſe, epiſtolâ LXIX, quæ Pamelio eſt LXXVI.

Baron. ann. 258. num. XII. Spond. num. VII.

X. *Synodum de reiteratione Baptiſmi Cyprianus celebrat.*

Cùm jam *Cyprianus* ſententiam ſuam de *Schiſmaticis* tam apertè explicuiſſet, quæ adeo *Novatianos* feriebat, ut plerique eos ad Eccleſiam venientes ſine Baptiſmo admittere nollent; res tota in dubium vocatur, diſputatumque, an Hæreticorum non minùs, quàm Schiſmaticorum Baptiſma ratum haberi deberet. Hæc controverſia primùm in Numidia publicè ventilata, ubi octodecim Epiſcopi ſimul convenientes, & quid ſtatuerent aut facerent, incerti, Cyprianum & Africanæ Provinciæ Epiſcopos per literas ſuas, quæ non extant, conſulunt. Quare ſuam ſententiam Cyprianus & Collegæ in Concilio conſcribunt, & ad Collegas quoſdam, ut loquitur Auguſtinus, mittunt. Erat autem Concilium plurimorum Epiſcoporum, cum Compreſbyteris, qui aderant, ut ipſe loquitur Cyprianus epiſtolâ ad Quintum. In hoc Concilio Patres cenſuerunt: *Neminem foris baptizari extra Eccleſiam poſſe; ideoque de errore & pravitate venientibus per omnia Divinæ gratiæ Sacramenta unitatem & Fidei veritatem dari debere:* quia neque apud Hæreticos, neque apud Schiſmaticos Baptiſmum fieri potuiſſe putabant, ut ex ipſa Synodali epiſtola conſtat, quæ novo ordine eſt LXX, quemadmodum & Pamelio.

Baron. ann. 258. num. XXIV.

XI. *Epocha hujus Synodi magis explicata.*

Pearſonius hoc Concilium *Carthaginienſe* de Baptiſmo *primum* hoc anno celebratum exiſtimat adverſus Baronium, alioſque, qui illud ad annum ſequentem dejecere. Imò Cointius in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum habitum eſſe ſtatuit anno ſequenti in autumno, quòd Acta ejus Cyprianus ad Firmilianum ſtatim ſcripſerit, & *Firmilianus* nullâ morâ reſponſionem fecerit, hieme jam imminente. Sed licèt verum ſit, anno ſequenti, hieme imminente, reſpondiſſe *Firmilianum*, non tamen inde ſequitur, *primum* hoc Concilium ejuſdem anni autumno celebratum. Apparet enim ex reſponſione *Firmiliani*, ſcripſiſſe ad eum Cyprianum poſt Concilium *ſecundum*, poſt Stephani literas acceptas, poſt ſuas ad Jubajanum & Pompeium datas, quas omnes per Rogatianum miſit, quaſque *Firmilianus* in ſua epiſtola ſemper reſpexit. Meliori itaque jure, quia Firmilianus ſequenti anno, imminente hieme, ad Cyprianum ſcri-

pſit, Pearſonius concludit, *primum* hoc Concilium ſub hujus anni autumno celebratum eſſe.

XII. *Aliqui Africæ Epiſcopi huic Synodo contradicunt.* Baron. num. XIV & XIX.

Quamvis hæc de Baptiſmo Hæreticorum ab Epiſcopis Provinciæ Africæ in Concilio Carthaginienſi, ut diximus, decreta fuerant; à nonnullis tamen Africæ Epiſcopis conſenſum minimè obtinuerunt. Qui duobus argumentis, de uno Baptiſmo, & de veteri conſuetudine ducti, potiùs ſtatuebant, eos qui apud Hæreticos tincti ſunt, quando ad Eccleſiam venerint, baptizari non oportere. Unde *Lucianus* Preſbyter retulit ad Cyprianum, *Quintum* in Mauritania Epiſcopum deſideraſſe, ut illi ſignificaret, quid ea de re ſentiret. Quare *Cyprianus* circa hujus anni finem ſcribit ad Quintum epiſtolam LXXI, tam novo, quàm veteri ordine, quâ duobus illis argumentis ſecundùm ſuam ſententiam reſpondet, ſimulque literarum, quæ à Concilio ad Epiſcopos *Numidas* datæ fuerant, exemplar tranſmittit, ut illæ non tantùm *Quinto*, ſed & reliquis *Mauritaniæ* Epiſcopis innoteſcerent. Quæ epiſtola rectè hoc anno etiam à Baronio conſignata. Hæc de iſta controverſia ex Pearſonio mutuata.

XIII. *Synodus Iconienſis rebaptizationem ſtatuit.* Baron. num. XIV & XIX. Spondan. num. V.

Ad num. V. Baronius erroris arguit *Ruffinum*, qui ad lib. 7. Euſebii cap. 2. addidit, ſub Cornelio Papa exortam fuiſſe de Baptiſmo controverſiam, *ipſo refragante*, inquit, Euſebio, *quem invitum cogit adſtipulari mendacio, cùm aliter ſe habeat Græca lectio.* Verùm, ut notat Lombertus in Præfatione ad Opera Cypriani, immeritò culpatur *Ruffinus*. Præterquam enim quòd Græcum Euſebianum præcisè non determinat hanc quæſtionem in Oriente agitatam, certum eſt, Concilium *Iconienſe*, in quo rebaptizatio Hæreticorum decreta, ante *Stephani* Pontificatum celebratum. Id enim disertè teſtatur *Firmilianus* in epiſtola ad Cyprianum, quæ novo ordine LXXV eſt, ubi de Iconienſi Synodo ita loquitur: *Quod totum nos jampridem in Iconio, qui Phrygiæ locus eſt, collecti, in unum convenientibus ex Gallatia & Cilicia, & ceteris proximis regionibus, confirmavimus.* Ubi pronomen *nos* non de ipſius Firmiliani perſona, ſed potiùs de ejus deceſſoribus accipiendum; cùm Firmilianus eam Synodum jampridem collectam affirmet; & in fine ejuſdem epiſtolæ Synodi hujus vetuſtatem manifeſtiſſimè indicet, ut obſervavit Valeſius in Notis Euſebianis ad lib. 7. cap. 7. Nam cùm *Stephanus* Papa Cypriano ſcribens, antiquam Eccleſiæ conſuetudinem in recipiendis Hæreticis adverſus aſſertores novi dogmatis oppoſuiſſet, *Firmilianus* hoc argumentum adverſus Afros fortaſſe valere dicit; & quomodo Afri id refutare poſſint, ibidem docet. Contra Orientales nullam vim illud habere demonſtrat, apud quos ſemper rebaptizati fuerint Hæretici, jam inde ab *Iconienſi* Synodo, quæ ob Montaniſtas fuerat indicta.

XIV. *Concilii Iconienſis epocha.*

Firmiliani verba hæc ſunt: *Quod quidem adverſus Stephanum vos dicere Afri poteſtis, cognita veritate, errorem vos conſuetudinis reliquiſſe. Ceterùm nos veritati & conſuetudinem jungimus, & conſuetudini Romanorum conſuetudinem, ſed veritatis opponimus: ab initio hoc tenentes, quod à Chriſto & ab Apoſtolo traditum eſt. Nec meminimus, hoc apud nos aliquando cœpiſſe, cùm ſemper iſtic obſervatum ſit, ut nonniſi unam Dei Eccleſiam noſſemus, & ſanctum Baptiſma nonniſi ſanctæ Eccleſiæ computaremus. Planè quoniam quidam de eorum Baptiſmo dubitabant, qui etſi novos Prophetas recipiunt, eoſdem tamen Patrem & Filium noſſe nobiſcum videntur: plurimi ſimul convenientes in Iconio diligentiſſimè tractavimus, confirmavimus, repudiandum eſſe omne Baptiſma quod ſit extra Eccleſiam conſtitutum.* His addit Valeſius, Dionyſium Alexandrinum in epiſtola ad Philemonem Romanæ urbis Preſbyterum, quam ſcripſit ſub initia Pontificatûs Xyſti Papæ, ubi ait: *Illud præterea didici, non ab Afris ſolis hunc morem nunc primum invectum fuiſſe: ſed & multò antea ſuperiorum Epiſcoporum temporibus in Eccleſiis populoſiſſimis, & in Conciliis fratrum apud Iconium, & Synnada, & apud alios plurimos idem ſancitum fuiſſe.* Hinc ſub extrema Alexandri Severi tempora, quibus Firmilianus ad Cæſarienſis Eccleſiæ Sacerdotium recèns promotus fuerat, ut docet Euſebius in lib. 6. Synodum *Iconienſem* collectam credit Valeſius, ideoque ante Cornelii Papæ Pontificatum. Sed quidquid ſit de certa hujus Concilii epocha, manifeſtum eſt, Baronium deceptum, quòd diſcrimen non poſuerit inter tempus, quo hæc quæſtio primùm agitata fuit, illudque, quo turbas in Eccleſia excitare cœpit. Primum ante Stephani Pontificatum, ſive in Africa ſub Agrippino, ſive in Oriente, dum Iconii & Synnadæ Concilia celebrata, contigit; ſecundum præſenti anno, aut tardiùs inſequenti, Stephano Eccleſiam adminiſtrante, ſine dubio evenit. Cetera quæ tam in Annalibus, quàm in Epitome hoc anno tractantur, ex dictis, annoque ſequenti dicendis quivis proprio marte ſuis temporibus reddere poterit.

XV. *Gallienus junior Cæſar creatur.*

Valerianus, cùm hoſtes undique in Imperium Romanum ingruere videret, *Gallienum filium Imperii conſortem deligit: & quòd publica res infeſtarentur, ipſe verſus Orientem movet, ut Perſis reſiſteret: Europæos exercitus filio tradit*, inquit Zoſimus pag. 646. quod ipſo Imperii Valeriani initio factum. Licèt enim Victor de Cæſaribus, Galli & Voluſiani morte narrata, ſcribat: *Milites Licinio Valeriano Imperium deferunt: ejus filium Gallienum Senatus Cæſarem creat: Cæſaris* tamen nomine Victor *Auguſtum* intelligit; cùm in omnibus, quæ extant, Gallieni Numiſmatis, is *Auguſtus*, nunquam verò *Cæſar* appelletur. Valerianus Auguſtus Gallienum filium ad Imperium evexiſſe non contentus, hoc vel præcedenti anno Gallienum juniorem ex eodem filio nepotem, qui & Cornelius Valerianus, ac etiam Saloninus dicebatur, Cæſarem nuncupavit, & ut ex Nummis mox recitandis, in quibus Imperii ejus Cæſarei anni notantur, conjicere eſt, Tribunitia Poteſtate exornati fuerint. Hanc dignitatem alterutro anno Gallienum juniorem conſecutum eſſe plura oſtendunt. Primùm, Conſulatus ſuffectus anno CCLIX ab eo geſtus, ad Quinquennalia nempe edenda. Secundùm, ejus interitus, qui anno CCLX contigit ſexto Imperii ejus Cæſarei anno. Patinus enim V. C. in Theſauro Numiſmatum Mauroceniano pag. 14. Nummum Cornelii

Valeriani Gallieni Auguſti filii exhibet, in quo legitur: L. ς. id eſt, *anno ſexto*; ideoque hoc vel præcedenti anno Valerianus Cæſar appellatus. Hallucinatur autem ibidem pag. 16. Patinus, ubi duos alios Nummos Græcos Valeriani Cæſaris recitat, in quorum altero viſitur Aquila cum his litteris, L. Γ. id eſt, *anno tertio*; in altero Fortuna ſtans, cum his literis, L. E. id eſt, *anno quinto*, & utrumque Valeriano Cæſari Valeriani Auguſti filio attribuit. Hic enim *Valerianus* ſub finem tantùm Imperii Gallieni Auguſti fratris Cæſar ab eo dictus eſt, vixque ſecundum Imperii Cæſarei annum inchoare potuit.

XVI. *Valerianus Gallieni Aug. à Valeriano hujus fratre diſtinguendus.*

Antequam Diſſert. Hypaticam elucubrarem, is error vulgaris fuit, paſſimque creditum, *Valerianum* Cæſarem, cujus mentio in Codice Juſtinianeo, in Nummis, Actiſque publicis, alium non eſſe, quàm *Valerianum* Valeriani Auguſti filium; qua ex prava interpretatione alii errores exorti, quos infrà profligabimus. Tertiùm, in lib. 2. Codicis Juſtinianei tit. 4. Lex 11. dicitur *P. P. XV. Kalend. Decemb. Valeriano & Gallieno AA. utriſque II Coſſ.* inſcribitur verò *Imp. P. P. Valerianus, Gallienus AA. & Valerianus nobilis Cæſar Caiano militi*, qui Conſulatus in præſentem annum incidit, primuſque Valeriani, qui ſuffectus fuit, ut ſæpe fit, ibidem prætermittitur. Ante hunc annum nulla in Codice Juſtinianeo Valeriani Cæſaris mentio, quæ poſtea ſæpe in eo occurrit. Denique Jornandes lib. de Regnorum Succeſſion. cap. 84. de Claudio Imperatore ſcribit: *Qui Gothos jam per quindecim annos Illyricum Macedoniamque vaſtantes bello adortus incredibili ſtrage delevit.* Quæ victoria anno ducenteſimo ſexageſimo nono reportata, ut ſuo loco videbimus. A quo Chriſti anno, ſi per quindecim retrocedas, ad currentem, vel ſuperiorem pervenies, quorum ideo alterutro Gothi Illyricum Macedoniamque vaſtare cœperunt, & ad eos feliciùs repellendos *Valerianus* Gallienum juniorem nepotem Cæſarem renuntiavit, & *Poſtumi* fidei ac tutelæ commiſſum in Gallias miſit, ubi per ſexennium imperavit. Quæ diligenter explicanda fuere, non ſolùm, ut Conſulatus ſuffectus *Gallieni* Cæſaris & *Valeriani* patrui, in quo Viri doctiſſimi cum magno Faſtorum detrimento offenderunt, faciliùs infrà explicari poſſit; ſed etiam, ut Hiſtoria Gallica per hæc tempora valde negligenter ab illis, qui illam illuſtrandam ſuſcepere, tractata aliquam lucem accipere poſſit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5749. ☉ 13 F E. ☽ 10. P. 30. MART. INDICT. 4.

JESU CHRISTI 256. *ſecundùm Baronium* 259.

STEPHANI PAPÆ 4.

VALERIANI ET GALLIENI IMPP. 4.

Olymp. 259. *ſecundùm Baronium.*

Anno Urbis 1010. *ſecundùm Baron.*

I. *Conſules.*

COSS. *Valerius Maximus*, & *M. Acilius Glabrio.* Maximum cum numerali nota edit Onuphrius, quia illum eundem putat cum Maximo Voluſiani in ſecundo Conſulatu Collega. Sed Auctor libelli de Præfectis Urbi, Anonymus Cuſpiniani, Idacius, Victorius, Faſti Græci Theonis & Heraclii, ac Auctor Chronici Alexandrini diverſum eſſe oſtendunt, cùm Maximum hoc anno Conſulem ſine nota numerali profiteantur. Illum *Valerium* vocavi, quia in libello de Præfectis Urbi *Valerius Maximus* anno præcedenti Præfectus Urbi dicitur, qui ideo currenti anno Conſulatum poſt Præfecturam Urbis adeptus videtur. Quare deceptus Onuphrius, quando M. Valerium Maximum Voluſiani Collegam vocavit.

II. *Cyprianus ſcribit libellum* de Bono patientiæ.

Per totum hunc annum Maximi & Glabrionis Conſulatu notatum nihil ferme habuit Baronius, quod de Cypriano, aut Eccleſia Africana, de Dionyſio, aut Eccleſia Alexandrina, aliiſve Aſiaticis aut Orientalibus ſcriberet. Nam poſtquam locutus eſt de reconciliatione, quam cum Stephano factam credit, fusè de perſecutione agit, quam certum eſt, anno tantùm ſequenti fuiſſe decretam. Quare Annales Eccleſiaſtici ex Pearſonio in Annalibus Cyprianicis, aliiſque ſupplendi, & quæ Baronius anno præcedenti, loco ſcilicet non ſuo, narravit, huc revocanda. Cyprianus itaque, cùm videret nonnullos etiam Epiſcopos, nec nuperi Concilii, nec vetuſtioris ſub *Agrippino* prædeceſſore Synodi decreto motos, ſed veteri quadam conſuetudine, quæ ante *Agrippinum* obtinuerat, potiùs ductos docere, homines ab Hæreticis venientes non Baptiſmo Eccleſiaſtico, ſed ſola manuum impoſitione recipiendos eſſe, ſcripſit libellum *de Bono patientiæ*, præſentem controverſiam, ne nimis moleſtus Collegis ſuis videretur, parciſſimè perſtringens, eamque ad *Jubajanum* poſtea pro mutua dilectione tranſmiſit. Baronius anno præcedenti hujus Operis meminit, nec malè: poſt motam enim de Hæreticorum Baptiſmo litem, illud exaratum; ſed an hoc anno vel præcedenti, incompertum.

Baron. anno 258. num. XXXV & XXXVII. Spondan. ibid. num. VII.

III. *Concilium II à Cypriano de Baptiſmo celebratum.*

Propter eandem rationem, ut nempe exacerbatis hinc inde partium animis aliquod remedium afferret, neceſſe tunc habuit cogere & celebrare Concilium de hoc negotio ſecundum, cui præſentes ſtatim erant LXXI Epiſcopi, non tantùm ex Provincia Africæ, ſed & ex Numidia, ubi controverſia maximè fervebat, quæ nuperi Concilii ex ſolis Africæ Proconſularis Epiſcopis conflati auctoritate ſopiri non potuit. Hujus Concilii epocha incerta, ideoque anno ſuperiori à Baronio, ab aliis hoc anno memoratur. Cyprianus & Collegæ in Concilio Synodicas literas ad *Stepha-*

Baron. ann. 258. num. XXVII & ſeqq. Spondan. num. VII.

num Romanum Pontificem miſerunt, tranſmiſſis etiam Cypriani literis ad *Quintum*, ipſiſque Synodicis in priori Concilio ad Epiſcopos Numidiæ ſcriptis. Atque hæc eſt epiſtola LXXII, etiam Pamelio. *Jubajanus* ſcripſit ad Cyprianum de hac controverſia literas, quæ non extant; & cum iis ſimul miſit exemplum epiſtolæ contra ſententiam Cypriani ſcriptæ, quæ pariter periit. Cyprianus verò Jubajano plenè reſpondit, & ad argumenta epiſtolæ incerti Auctoris ſolutiones ſuas adhibuit, epiſtolâ LXXIII, etiam ſecundùm ordinem à Pamelio ſtatutum. Et *Jubajanus* ſtatim iis literis, quæ nunc non extant, ſed in proximo Concilio recitabantur, ſibi ſatisfactum eſſe docuit, Cyprianoque gratias egit. Mox etiam Stephanus ſcripſit ad Cyprianum epiſtolam, quæ non extat, cujúſque pauciſſima fragmenta in literis ad Pompeium, nec alibi ſuperſunt. In ea autem ſententiam Concilii Carthaginienſis rejicit & condemnat, ipſumque Cyprianum, & reliquos Africanos Epiſcopos, qui in eo Concilio conſenſerant, abſtinendos docet, & hæc eſt epiſtola LXXIV, etiam Pamelio.

IV. *Quæ fuerit Stephani PP. de Baptiſmo Hæreticorum ſententia.*

Pearſonius citatus exiſtimat, Cypriani & Stephani Papæ ſententiam univerſali propoſitione conſtaſſe: ſi Stephanum ſpectes, omnes ab Hæreticis quibuſcumque baptizati, reverſi ab hæreſi, in Eccleſia recipi debent ſine legitimo Baptiſmo: ſi Cyprianum ſpectes, nullus in aliqua hæreſi aut ſchiſmate primò baptizatus, ab hæreſi aut ſchiſmate reverſus, ſine Baptiſmo legitimo recipi debet: quæ Blondelli, imò & aliquorum Catholicorum ſententia fuit. Exiſtimarunt enim, Stephanum, damnando morem Cypriani & Africanorum Antiſtitum, necnon Firmiliani & Orientalium de rebaptizandis Hæreticis, in extremum errorem lapſum eſſe, ac decreviſſe, quorumcumque Hæreticorum Baptiſma, etiamſi conſueta & ſolenni Eccleſiæ forma & ritu collatum non eſſet, ratum eſſe ac legitimum, proindeque non iterandum. Verùm hæc opinio improbabilis. Si enim in eum errorem lapſus fuiſſet Stephanus, univerſa Eccleſia his temporibus verſata eſſet in errore: omnes enim Epiſcopi vel Cypriani, vel Stephani ſententiam tuebantur; & utraque ſecundùm Blondelli hypotheſim erronea erat. Præterea Cyprianus in epiſtola laudata ad Pompeium teſtatur, Stephanum Baptiſmum Hæreticorum ratum habuiſſe ob vim & efficaciam verborum Evangelicorum, quibus confertur: *Aut ſi*, inquit Cyprianus, *effectum Baptiſmi majeſtati nominis tribuunt, ut qui in nomine Chriſti ubicumque & quomodocumque baptizantur, innovati & ſanctificati judicentur*, &c. Quare ſemper Stephanus ſuppoſuit, Baptiſmum verbis Evangelicis, ut ratus eſſet, conferri debere. Ad hæc, Vincentius Lirinenſis in Commonitorio, ubi de errore ab Agrippino invecto loquitur, ait: *Cum ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, huic beatæ memoriæ Stephanus, cum ceteris Collegis ſuis, ſed tamen præ ceteris, reſtitit. Quis ergo tunc univerſi negotii exitus, niſi uſitatus & ſolitus? Retenta eſt ſcilicet antiquitas, exploſa novitas.* Stephanus itaque, qui antiquitatem retinuit, & novitatem exploſit, in errorem lapſus non eſt. Legendus Schelſtratius parte 2. Antiq. Illuſtratæ Diſſert. 1. art. 2. ubi fusè oſtendit, totam quæſtionem Stephanum inter & Cyprianum fuiſſe de Baptiſmo Hæreticorum, ſuppoſito quòd in nomine Chriſti ſeu Trinitatis Baptiſmum conferrent.

V. *Non docuit Stephanus, omnes Hæreticos non eſſe ampliùs baptizandos.*

Neque quis dicat cum Pearſonio, Cyprianum in epiſtola citata ad Pompeium, ſuam ſententiam proferre, quâ à quacumque hæreſi venientes baptizari in Eccleſia vetat. Hæc Cypriani verba: *Si quis ergo à quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam: cum ipſi Hæretici propriè alterutrum ad ſe venientes non baptizent, ſed communicent tantùm.* Quod & confirmat, inquit Pearſonius, S. Auguſtinus cap. 14. contra Petilianum, ubi ait: *Baptiſmum Chriſti in nullo iterandum eſſe cenſebat*, nempe Stephanus. Sed jam Vir doctiſſimus ad has ſimiléve auctoritates reſpondit, his ſc. verbis, *à quacumque hæreſi*, ſolas illas hæreſes Stephanum intellexiſſe, qui Baptiſmi formam integram ſervaverant: eundem ſermo loquendi modum Hieronymum uſurpaſſe in finem Dialogi adverſus Luciferianos, ubi Baptiſma Hæreticorum receptum ſemper fuiſſe in Eccleſia Romana aſſerit, nec illos excipit, qui Baptiſmi formam violabant: neque tamen illorum Baptiſma S. Hieronymi temporibus ab Eccleſia fuiſſe ſuſceptum, aliquem affirmaſſe. Stephanus itaque alio modo locutus non eſt, quàm poſt ipſum S. Hieronymus: *Si Hæretici*, inquit S. Doctor, *Baptiſma non habent, & ideo rebaptizandi ab Eccleſia ſunt, quia in Eccleſia non fuerunt: ipſe quoque Hilarius non eſt Chriſtianus: in ea quippe Eccleſia baptizatus eſt, quæ ſemper ab Hæreticis Baptiſmum recepit.* Et infrà: *Quòd ſi negandum quiſpiam putaverit, Hæreticos à majoribus noſtris ſemper fuiſſe ſuſceptos, legat B. Cypriani epiſtolas, in quibus Stephanum Romanæ urbis Epiſcopum, & inveteratæ conſuetudinis lacerat errorem. Legat & ipſius Hilarii libellos, quos adverſus nos de rebaptizandis Hæreticis edidit, & ibi reperiet, ipſum Hilarium confiteri à Julio, Marco, Silveſtro, & ceteris veteribus Epiſcopis, ſimiliter in pœnitentiam* OMNES HÆRETICOS *ſuſceptos.* Denique laudat Hieronymus Nicænum Concilium, *quòd* OMNES HÆRETICOS *ſuſcepit, exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis*: id eſt, omnium Hæreticorum, præterquam Paulianiſtarum, Baptiſma ratum habuit.

VI. *Quanta fuerit S. Cypriani celebritas.*

Launoius in epiſtola ad Jacobum Bevilaquam dicit, Cyprianum pluris quàm Stephanum ſemper in Eccleſia habitum fuiſſe, ideoque, ipſa Eccleſia judice, videri Stephanum, errorem Cypriani damnando, in contrarium errorem abreptum. Suam propoſitionem probat ex laudibus, quibus Sancti Patres penè univerſi proſecuti ſunt Cyprianum, non Stephanum: ex Canone Miſſæ, in quo adſcriptum habetur nomen Cypriani, non Stephani: ex veteribus Litaniis, in quibus Cyprianus invocatur, non Stephanus; quas Litanias ex Romano Ordine, & XIX Ritualibus Eccleſiarum Galliæ Launoius laudat. Quòd in S. Gregorii Sacramentario, & in antiquis Miſſalibus habeatur Præfatio in feſto Sanctorum Cornelii & Cypriani, non in feſto S. Stephani. Quòd in feſtum S. Cypriani ritu ſolen-

niori celebretur. Quòd in Kalendario veteri, quod ſub Romani nomine Joannes Fronto publici juris fecit, poſt Natale Apoſtolorum Petri & Pauli ponatur: *Hebdomada I, II, III, IV, V, & VI poſt Natale Apoſtolorum.* Et ſimiliter poſt Natale Sanctorum Cornelii & Cypriani XIV Septemb. continuò ſubjungitur: *Hebdomada I, II, III, IV, V, & VI, poſt Natale S. Cypriani*: ſed non ponatur quid ſimile poſt feſtum Stephani Papæ. Quod Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita Stephani aliarum ejus Conſtitutionum meminerit; non illius, quæ ad Baptiſmum Hæreticorum pertinet; quaſi qui Romæ ſcribunt, illud eloqui non auderent, vel etiam erubeſcerent. Quòd in Romano Breviario, Clementis VIII & Urbani VIII auctoritate recognito, decretum de non rebaptizandis Hæreticis aliter quam à Stephano editum eſt, referatur: *Baptizatos ab Hæreticis iterum baptizari vetuit, reſiſtens S. Cypriano verbis illis: Nihil innovetur, niſi quod traditum eſt*, ut refertur Lect. 2. Verùm hæc ſolùm probant, majorem Eccleſiæ de S. Cypriano exiſtimationem, venerationemque propenſiorem, tum ob ſanctitatem, dum vixit, illuſtriorem, cùm ob Chriſtianæ diſciplinæ ſtudium & animi fortitudinem in ea propugnanda, ſæviente perſecutionum tempeſtate, eximiam; cùm ob amorem Eccleſiæ univerſæ & Catholicæ unitatis; cùm ob doctrinæ præſtantiam ac famam, quâ ipſi inter Eccleſiæ Patres nobilem locum obtinuit; quæ doctrina, ſi errorem de Hæreticorum Baptiſmo exceperis, Fidei propugnaculum, Traditionum promptuarium, diſciplinæ palladium, Moralis Evangelicæ firmamentum eſt; tum denique ob martyrii claritatem, celebritatemque majorem. At quantumvis Stephani obſcurior ſit in Eccleſia, quàm Cypriani memoria, inferri inde non poteſt, Stephani decretum ab ea non probari. Nec movere debet, vel Anaſtaſii Bibliothecarii ſilentium de hujuſmodi decreto, vel Romani Breviarii Lectio 2. cùm iis prævaleat veterum monumentorum fides, ut jam ad Launoium à Viro eruditiſſimo reſponſum.

VII. *Hiſtoria diſſidii Stephanum inter & Cyprianum ac Orientales magis elucidatur.*

Baron. ann. 258. num. XIV & XVIII. Spondan. ibid. num. VIII.

Cùm jam reſponſum Stephani ad manus Cypriani perveniſſet, *Pompeius* quidam Epiſcopus Africæ à Cypriano petiit, ut ea, quæ Stephanus reſcripſerat, ad notitiam ſuam perferrentur. Quapropter *Cyprianus*, qui aliarum epiſtolarum ad eum exempla tranſmiſerat, hujus etiam reſcripti exemplum Pompeio miſit; ac ne eo moveretur, literis ſuis ad Stephani argumenta reſpondit. Stephanus ſcripſit etiam ad Orientales, eoſque excommunicandos fore pariter minatur. Hanc epiſtolam perſtringit Dionyſius Alexandrinus literis poſtea ad Xyſtum datis, in quibus de Stephano agens, hæc habet: *Antè quidem literas ſcripſerat de Heleno & Firmiliano, οὐδὲ ἐκείνοις κοινωνήσων, neque cum illis communionem habiturus*: quibus verbis ſignificat, Stephanum Afris idem priùs minatum eſſe. Veruntamen Baronius hæc omnia invertit, & jurgium Stephani primo loco proponit cum Orientalibus, ejuſque iram contra eos, ac præcipuè Firmilianum, ſummopere exaggerat. Quamobrem *primos tempeſtatis hujus fluctus motos eſſe in Oriente* docet, & (cùm tunc temporis celebraretur *Iconienſe* Concilium) Stephanum Papam omnes Patres illius Concilii communione privaſſe tradit. Quinetiam Orientales Epiſcopos, Apoſtolicæ Sedis communione privatos, Legatos Epiſcopos ad Stephanum Romam miſiſſe vult, reddituros rationem de iis, quæ in Synodo ab Epiſcopis geſta eſſent. Hos etiam Legatos ab Orientalibus Epiſcopis miſſos à Stephano nec auditos, nec receptos eſſe, & Firmilianum, quòd communione Apoſtolica interceptus eſſet, ſtomachatum vehementer poſtea ad Cyprianum ſcripſiſſe. *Poſt hæc autem*, inquit Baronius, *re ipſâ in controverſiam ubique deductâ, Eccleſia Africana nutavit.* Sed hæc omnia de primo cum Orientalibus jurgio ipſi hiſtoriæ à Cypriano, Firmiliano, & Dionyſio Alexandrino proditæ apertè repugnant.

VIII. *Stephano ſedente diſſidium de Baptiſmo Hæreticorum in Africa cœpit.*

Euſebius enim, qui Dionyſii ſcripta diligenter legerat, in hunc modum narrationem orditur lib. 7. cap. 3. ut eum Valeſius ex MSS. rectè reſtituit. Πρῶτος τῶν τότε Κυπριανὸς, τῆς κατὰ Καρχηδόνα παροικίας ποιμὴν, οὐδ᾽ ἄλλως ἢ διὰ λουτροῦ πρότερον τῆς πλάνης ἀποκαθαρθέντας προσίεσθαι δεῖν ἡγεῖτο: id eſt, ex nova verſione Pearſonii: *Primus omnium ea tempeſtate Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus, Hæreticos nonniſi per Baptiſmum ab errore prius purgatos admittendos eſſe cenſuit.* In Africa igitur primùm hæc ſub Pontificatu Stephani orta eſt controverſia; & à Cypriano pro Baptiſmo Hæreticorum ſententia primùm ea tempeſtate lata eſt, quæ Stephanum commovit. Valeſius pluribus fruſtra probat, Cyprianum hujus ſententiæ primum auctorem non fuiſſe. Ipſe enim priora illa verba Græca malè vertit: *Primus omnium Cyprianus, qui tunc temporis Carthaginienſem regebat Eccleſiam*; dum non perciperet, quò illud, τότε, referre debuit. Certè, inquit Pearſonius, πρῶτος τῶν τότε, aliud Græcè non ſonat, quàm *primus eorum qui tunc temporis extitere, vel floruere.* Neque *Iconienſe* Concilium ad tempora Stephani pertinebat, ut omnes Iconienſis Concilii Patres communione privarit.

IX. *Legati Africani ad Stephanum PP. miſſi.*

Baron. ann. 258. num. XVI.

Quod etiam de Legatis Epiſcopis ab Orientalibus Romam miſſis tradit Baronius, ſubſiſtere non poteſt. Firmilianus enim, quem pro ſe adducit, clarè docet, non ab Orientalibus, ſed ab Afris eos Legatos miſſos eſſe. *Quid enim*, inquit, *humilius aut lenius, quàm cum tot Epiſcopis per totum mundum diſſenſiſſe, pacem cum ſingulis vario diſcordiæ genere rumpentem, modò cum Orientalibus, quod nec vos latere confidimus; modò vobiſcum qui in Meridie eſtis: à quibus Legatos Epiſcopos patienter ſatis & leniter ſuſcepit, ut eos nec ad ſermonem ſaltem colloquii communis admitteret.* Quid enim ex illorum verborum ſerie exploratius eſſe poteſt, quàm Legatos eos Epiſcopali honore conſpicuos, non ab Orientalibus, ſed ab iis, qui in Meridie erant, hoc eſt, Afris, miſſos fuiſſe? Neque aliter hæc Firmiliani verba, quæ citata præcedunt, intelligenda: *Niſi quòd nos gratiam referre Stephano in iſto poſſumus, quòd per illius inhumanitatem nunc effectum ſit, ut Fidei & ſapientiæ veſtræ experimentum caperemus.* Illa enim *inhumanitas* nihil aliud erat, quàm Legatorum rejectio, per quam nec confabulatio jam poſſet eſſe, aut ſermo com-

munis. Qui Legati à Synodo Carthaginienſi ſecunda miſſi. Hæc Pearſonius.

X. *Stephanus nec Afros nec Orientales excommunicavit.*

Tertiò, non admittunt Eruditi quod ſcribit Baronius, *Stephanum* nempe, *Firmilianum* cum Coëpiſcopis excommunicaſſe. Nam nec Firmilianus cum Orientalibus, nec Cyprianus cum Afris ob diſcordiam de Hæreticorum Baptiſmate, fuerunt re ipſa excommunicati. Certè *Stephanum* ultra minas non proceſſiſſe ex eo apparet, quòd *Dionyſius* Alexandrinus poſt ejus obitum ad Xyſtum Papam iterum ſcripſit, ut ejus ſententiam ſupra ea re flagitaret. Nam Dionyſius in Afrorum & Orientalium ſententiam magis propendebat, teſte Hieronymo in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Præterea *Firmilianus* adfuit celebri Concilio contra Paulum *Samoſatenum* Antiochiæ convocato, & ſecundi Concilii Antiocheni adverſus eundem Paulum celebrati Patres, in ſua epiſtola Synodica ad Dionyſium Romanum Pontificem, Maximum Alexandrinum, omneſque Orbis Catholici Epiſcopos data, vocant Firmilianum æquè ac Dionyſium Alexandrinum: *Beatæ recordationis virum: Nam*, inquiunt, *& ad Dionyſium Alexandrinum & ad Firmilianum Cappadociæ Antiſtitem, beatæ recordationis viros, literas dedimus.* Quòd ſi Firmilianus excommunicatus fuiſſet, eum Epiſcopi *beatæ recordationis virum* non appellaſſent, nec Eccleſia Græca, quæ die XXVIII Octobris in Menologio ejus memoriam celebrat, hominem ab Apoſtolica Sede excommunicatum faſtis ſuis inſeruiſſet. Firmilianus quidem in epiſtola ad Cyprianum ſub finem, loquens de epiſtola, quam Stephanus Papa ad Orientales ſcripſerat, ait: *Pacem cum ſingulis vario diſcordiæ genere rumpentem: modò cum Orientalibus, (quod nec vos latere confidimus) modò vobiſcum qui in Meridie eſtis.* Sed Firmilianus Oratorum more rem amplificat. Neque enim Stephanus aut cum Afris, aut cum Orientalibus pacem rupit, ſed tantùm minatus eſt, ſe pacem cum iiſdem rupturum, ut diſertè teſtatur Dionyſius Alexandrinus in epiſtola ad Xyſtum Papam apud Euſebium lib. 7. cap. 5. *Seſe ob eam cauſam ab illorum communione diſceſſurum, quòd Hæreticos rebaptizarent.* Quòd ſi Stephanus excommunicationis ſententiam in eos protuliſſet, non utique vario genere pacem cum utriſque rupiſſet, ſed uno eodemque modo, excommunicationis videlicet ſententiâ, tam Afros, quàm Orientales percuſſiſſet, inquit Valeſius in Notis ad citatum Euſebii locum.

Baron. ann. 258. num. XV & XLVI. Spondan. num. V.

XI. *Stephanus PP. Legatos Africani Concilii durius habet.*

Sed videamus cum eodem Valeſio, quo modo cum Afris pacem Stephanus ruperit. Declarat hoc Firmilianus his verbis: *Modò vobiſcum, à quibus Legatos Epiſcopos patienter ſatis & leniter ſuſcepit, ut eos nec ad ſermonem ſaltem colloquii communis admitteret: adhuc inſuper præciperet fraternitati univerſæ, ne quis eos in domum ſuam reciperet, ut venientibus non ſolùm pax & communio, ſed & tectum & hoſpitium negaretur.* Quæ Firmiliani verba rem quidem ipſam magnopere exaggerant; ſed nullum in illis excommunicationis à Stephano prolatæ indicium reperitur. Graviter quidem commotus eſt *Stephanus*, & indignè tulit, quòd Africana Synodus adverſus receptam totius Eccleſiæ conſuetudinem Hæreticos rebaptizandos eſſe ſtatuiſſet, remque tanti ponderis ac momenti, non conſulto priùs Romanæ urbis Epiſcopo decernere auſa eſſet. Itaque Epiſcopos, quos Cyprianus & reliqui Collegæ ad ipſum miſerant unà cum decretis illius Synodi, primò quidem admittere noluit, ut docet Firmilianus. Poſtea verò eos admiſit, & ad literas Cypriani reſcripſit, ſicut colligitur ex epiſtola Cypriani ad Pompeium. Quæ quidem Stephani literæ, licèt paulò acerbiores & iniquiores viſæ tunc fuerint Cypriano, nihilominus tamen pacem inter ſe ambo retinuerunt. *Cyprianus* certè etiam poſt illas Stephani literas, eum fratrem nominat in epiſtola ad Pompeium ſub initium. Idque apertè confirmat Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos, de Cypriano ita loquens: *Sciens illum hac non cum anathemate eorum, qui ſe ſequi noluerant, edidiſſe: ſiquidem in communione eorum permanſit, qui ſententiæ ſuæ contraïerant.* Hæc Valeſius loco citato.

XII. *Epiſcopi Orientales Schiſma Novati abdicant.*

Quartò, hallucinatus eſt Cardinalis Doctiſſimus, quando ſcripſit, hanc de Baptiſmate Hæreticorum quæſtionem ſopitam fuiſſe tempore Cypriani & Firmiliani, quòd Euſebius lib. 7. cap. 4. narret de Dionyſii Alexandrini ad Stephanum Papam ſuper hac quæſtione epiſtolis: *Ad hunc igitur, ut dixi, multa de hoc argumento Dionyſius per literas ſcripſit, in quibus id tandem illi indicat, omnes ubique Eccleſias, mollito jam perſecutionis furore, Novati turbulentam novitatem deteſtantes inter ſe pacem iniiſſe.* Sic autem ſcribit: *Scias autem, frater, cunctas per Orientem & ulteriùs poſitas Eccleſias, quæ priùs erant diſciſſæ, nunc autem ad unitatem reverſas eſſe: & omnes Eccleſiarum ubicumque Antiſtites unum idemque ſentire, & ob redditam inſperatò pacem, incredibili gaudio exultare: Demetrianum ſcilicet Epiſcopum Antiochiæ, Theoctiſtum Cæſareæ, Æliæ poſt mortem Alexandri Mazabanem, Marinum Tyri, Laodiceæ verò poſt Thelymidris obitum Heliodorum: Helenum Tarſi, cunctaſque Ciliciæ Eccleſias: Firmilianum denique cum univerſa Cappadocia.* Ex quibus Baronius infert, omnes Orientales, mutatâ ſententiâ, Stephani Papæ decretum amplexos fuiſſe, poſtquam Stephanus tam Firmilianum Cappadocem, quàm Helenum Tarſenſem cum finitimis Epiſcopis excommunicationis ſententiâ innodare minatus eſſet: Appellat autem Euſebius, inquit Baronius, ſententiam de rebaptizatione pravitatem Novati, ſeu potiùs Novatiani hæreſim, ea nimirum ex cauſa, quòd *Novatianus* hoc tempore rebaptizare aggreſſus eſſet. Verùm, ut notavit Schelſtratius parte 2. Antiquit. Illuſtrat. Diſſert. 1. cap. 5. art. 3. hæc conjectura admitti non poteſt; cùm aliud ſit *Novati* Schiſma, aliud de rebaptizatione Hæreticorum contentio. De Schiſmate enim *Novati* diviſas fuiſſe Orientis Eccleſias conſtat, & de hac diviſione ſcribit ad Stephanum Dionyſius Alexandrinus, quòd ſciret, hoc non parum Pontificem permoturum ad relinquendam pacem Eccleſiæ, quæ antea tam fœdè diſrupta, nunc primùm nova facie ad gaudium Fidelium incipiebat floreſcere. Significat itaque Dionyſius concordiam Eccleſiarum Orientis, quæ *Novatiani* Hæreſim dam-

Baron. ann. 259. num. I & ſeqq.

naverant, & *Lapſos* recipiendos eſſe ſtatuerant; nuntiatque, huic ſententiæ *Demetrianum* Epiſcopum Antiochiæ, quæ caput erat Orientis, & reliquos ſubſcripſiſſe. Quare Euſebius tantùm loquitur de unione Eccleſiarum Orientis inter ſe, non verò cum Stephano: & deinde ipſe Dionyſius, qui hæc ſcripſit ad Stephanum, quique Firmiliani, & Cypriani ſententiæ, teſte Hieronymo adhæſit, nondum ſententiam ſuam mutarat initio Pontificatûs Xyſti ſucceſſoris Stephani, utpote cui hanc rem perpendendam objicit apud Euſebium lib. 7. *At vide, quæſo, gravitatem negotii: revera enim in maximis, ut audio, Epiſcoporum Conciliis decretum eſt; ut qui ab Hæreticis ad Catholicam Eccleſiam accedunt, primùm Catechumeni fierent, ac deinde veteris & impuri fermenti ſordibus per Baptiſmum purgarentur.* Magis ſeſe explicat Dionyſius in epiſtola, quam ſcripſit ad Philemonem Eccleſiæ Romanæ Presbyterum apud Euſebium lib. 7. cap. 7. Unde, cùm poſt Stephani mortem has duas Dionyſius ſcripſerit epiſtolas, apparet, quæ de unione Eccleſiarum ſcripta erant ad Stephanum, non de Hæreticorum rebaptizatione, ſed, ut verba ſonant, de *Novati* Schiſmate intelligenda eſſe.

XIII. *Tertium Concilium Cypriani de Baptiſmo Hæreticorum.*

Cyprianus poſtquam Stephani decretum accepit, *Concilium* convocavit ex omnibus Provinciis cùm Africæ, tum Numidiæ, atque Mauritaniæ, in quo Epiſcopi comparebant minimùm octoginta ſeptem, qui omnes unanimiter Cypriani ſententiam confirmarunt. Celebratum illud Kalendis Septembribus, ut ex ipſomet patet, & quidem hoc anno; eſtque tertium à Cypriano de Hæreticorum Baptiſmate coactum. Omnes porro Synodi Africanæ ſub Cypriano à Concilio VI in Trullo can. 2. fuere confirmatæ.

Baron. ann. 258. num. XLIII. Spondanus ibid. num. VIII.

XIV. *Reſponſum Firmiliani ad Cyprianum de Baptiſmo Hæreticorum.*

Cùm *Cyprianus* non dubitaret, quin *Stephanus* de eadem controverſia ad Orientales Epiſcopos etiam ſcriberet, dedit ad Firmilianum Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopum literas, eaſque cum ſuis ad Stephanum & Jubajanum per Rogatianum Diaconum miſit, quæ deſiderantur. Firmilianus autem in eadem controverſia diu antè verſatus, & eandem cum Africana Eccleſia ſententiam amplexus reſpondet Cypriano, ipſi in omnibus conſentiens, epiſtola LXXV, etiam juxta Pamelium, per Rogatianum hoc eodem anno, ingruente hieme, tranſmiſsâ. Ipſe & annum, & anni tempus indicat: primum his verbis: *Ante viginti & duos ferè annos, temporibus poſt Alexandrum Imperatorem, multæ iſtic conflictationes & preſſuræ acciderunt;* ſecundum autem iſtis: *Quoniam verò Legatus ille à vobis miſſus regredi ad vos feſtinabat, & hibernum tempus urgebat: quantùm potuimus ad ſcripta veſtra reſcripſimus.* Occiſus Alexander Imperator menſe Martio anni ducenteſimi triceſimi quinti. Quamobrem annos illos viginti duos utrimque incompletos pro integris numerat *Firmilianus*, qui nullo modo de anno ſequenti intelligi poteſt; cùm eo anno perſecutio orta ſit, & *Stephanus* deceſſerit, & *Cyprianus* exilio multatus ſit.

Baron. ann. 258. num. XLIII & ſeqq. Spond. ibid. num. IX.

XV. *Perſecutio anno ſequenti cœpta.*

Ad num. I. Perſecutio, quæ *octava* ab Hieronymo, aliiſque dicitur, non hoc anno, ut exiſtimavit Baronius, ſed tantùm ſequenti, excitata. Decepere Annaliſtam Doctiſſimum verba Dionyſii Alexandrini, qui ſignificat, duraſſe eam annos tres, & menſes ſex; quieviſſe autem, quando Valerianus à Perſis captus; quod contigit anno abhinc quarto. Loquitur enim Dionyſius non de perſecutione generali, ut eum Baronius, aliique Viri eruditiſſimi hactenus interpretati ſunt; ſed de perſecutione peculiari, quæ *Ægyptum* afflixit, etiam poſt captum Valerianum, & redditam ceteris Eccleſiis à Gallieno pacem; ita ut eodem quidem tempore, quo in aliis regionibus, perſecutio in *Ægypto* ſuſcitata fuerit; ſed in ea diutius duraverit: quod revera contigiſſe infrà demonſtrabimus.

Baron. num. V.

XVI. *Euſebii & ſociorum martyrium.*

Ad num. II. Si Acta S. *Euſebii* Presbyteri & ſociorum, à quibus Baronius perſecutionem orditur, legitima germanaque eſſent, ut ipſe exiſtimat, perſecutio jam ab anno præcedenti inchoata fuiſſet, cùm in iis dicatur, *Maximum* Commentarienſem, qui Chriſtianam Fidem amplexus erat, Valerianum juſſiſſe præcipitari per pontem: *Poſtea autem*, inquiunt Acta, *corpus inventum Euſebius ſepelivit in Cœmeterio viâ Appiâ XIII Kal. Febr.* Quòd ſi *Euſebius*, qui iiſdem Conſulibus menſe Octobri paſſus eſſe dicitur, corpus illud, & quidem poſtea inventum, XXII Januarii ſepeliverit; aut ipſo initio horum Conſulatûs, aut etiam antea, Valeriano nempe III, & Gallieno II Coſſ. incœperit perſecutio. Antè enim Valerianus Imperator juſſerat, illos, qui Chriſtianam Religionem amplexi fuerant, inquiri; & *Maximus* eos invenire ſatagens, à dæmone correptus eſt, & mox curatus, & demum baptizatus cum Stephano habitavit aliquot diebus; & poſt multos dies requiſitus, & captus, tandem de ponte præcipitatus eſt. Præterea, ut obſervat Pearſonius in Annalibus Cyprianicis hoc anno, multa in illis Actis continentur parum credibilia. Quare omnino dicendum, aut Acta illa longo poſt illorum martyrium tempore conſarcinata, aut notam Conſularem, quod non raró contingit, mendoſam eſſe.

Baron. num. VI & ſeqq.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5750. ☉ 14 D. ☽ 11. P. 19. APRIL. INDICT. 5.
JESU CHRISTI 257. *ſecundum Baronium* 260. — Ann. Urb. 1010.
SIXTI PAPÆ 1. — Olymp. 259.
VALERIANI ET GALLIENI IMPP. 5.

I. *Conſules.*

COSS. *P. Licinius Valerianus Aug. IV, & P. Licinius Gallienus Aug. III.*

II. *Quinquennalia Valeriani & Gallieni.*

Baronius, qui præſentem annum ſextum Gallieni eſſe credebat, ait: *Eſt Nummi vetus inſcriptio, quâ cum Gallieni tertio Conſulatu Tribunitia Poteſtas ſextùm ponitur iterata*, (rectè quidem, nec Nummus improbandus) *planè ſignificans, tertium Conſulatum Gallieni in annum ſextum ejus Imperii contigiſſe.* Sed hæc inſcriptio, ut habet Pearſonius in Annalibus Cyprianicis hoc anno, nec planè, nec ullo modo hoc ſignificat. Tertius enim Gallieni Conſulatus cum ſingulis annis Tribunitiæ Poteſtatis conjungendus fuit, donec

quartùm

quartùm Conſul eſſet. Tres autem anni poſt Conſulatum Gallieni tertium, & ante ejuſdem quartum interfluerunt, ut ex Faſtis certiſſimum redditur. Quinto itaque Imperii ſui anno, Chriſti verò CCLVII Valerianus quartum, & Gallienus tertium inierunt Conſulatum, & quidem juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam, ad Quinquennalia ſcilicet exhibenda. Quo ex Conſulatu, Quinquennalibúſve intelligimus, Valerianum & Gallienum anno CCLIII imperandi initium feciſſe, & hoc anno perſecutionem excitatam eſſe. In Diſſert. Hypatica parte II, cap. 12. num. XI, retuli Nummum Gallieni Trib. Pot. V, & Conſulatu III notatum, cum hac epigraphe in poſtica, *Secur. tempo. m. 5.* Verùm per errorem; ſunt enim partes duorum diverſorum Nummorum, non verò unius. Perſecutionem verò hoc anno cœpiſſe certum.

III. *Martyrium S. Stephani Papæ.* Ad num. I. Sancti *Stephani* Papæ obitus accuratè hoc anno à Baronio conſignatus. Rectè enim in Libro Pontificali ſediſſe dicitur *uſque Valeriano IV, & Gallieno III.* Obiit ſecundo die menſis Auguſti. In Indiculo enim *Depoſitionis* Epiſcoporum apud Bucherium legitur: *Quarto Nonas Auguſti Stephani in Calliſti.* In Chronico quidem auctiori veterum Pontificum dicitur: *Sepultus in Cœmeterio Calliſti Viâ Appiâ, III Nonas Auguſti. Ceſſavit Epiſcopatus dies viginti duos*, quia ſcilicet Auctor illius Chronici diem, quo ſepulturæ *Stephanus* mandatus, non verò quo ad Deum migravit, notat. *Sixtus* die viceſimo quarto Auguſti, aut circiter, in ejus locum ſubrogatus. *Stephano* duæ adſcribuntur Decretales, quæ Viris doctis adulterinæ habentur. Prima eſt ad Hilarium Epiſcopum, & incipit cum verbis Leonis primi epiſtolâ XLVI, juxta veterem ordinem: *Quamquam ſperem, dilectionem tuam ad omne opus bonum, &c.* in eaque habentur plura teſtimonia ex Codice Theodoſiano, aliiſque deſumta. Secunda eſt ad univerſos Epiſcopos, incipitque cum verbis Leonis I epiſtolâ XL, juxta veterem ordinem; meminit *Patriarcharum*, quod nomen Stephani tempore nondum uſurpatum, refertque loca ex epiſtolis XXV & XXVI Bonifacii, & aliorum.

Baron. ann. 260. num. II & ſeqq.

IV. *Macrianus auctor perſecutionis.* Ad num. II. Baronius anno elapſo ſcribit, auctorem, qui Valerianum impulit, ut adverſus Chriſtianos perſecutionem excitaret, fuiſſe Magum Ægyptium, & eum ipſum, qui perſecutionem illam, quæ Decianam prævertit, Alexandriæ movit. Verùm ſtylus Dionyſii Alexandrini tam illic, quàm hîc rhetoricus, rectéque à Valeſio & Pearſonio intellectus. Sic loquitur Dionyſius de Valeriano in epiſtola ad Hermammonem, apud Euſebium: ἀποσκευάσασθαι δὲ παρέπεισεν αὐτὸν ὁ διδάσκαλος, καὶ τῶν ἀπ' Αἰγύπτου μάγων ἀρχισυνάγωγος. id eſt: *Magiſter autem & Magorum, qui ex Ægypto erant, archiſynagogus, Valeriano perſuaſit, ut Chriſtianos deſereret atque rejiceret.* Magiſter ille, neque Magus, neque Ægyptius fuiſſe dicitur, ſed Magorum ex Ægypto archiſynagogus, hoc eſt, maximus patronus, utpote qui illis frequenter & familiariter uſus eſt, & auctoritate ſua, quâ pollebat apud Imperatorem maximâ, protexit. Erat autem iſte non alius, quàm no-

Baron. ann. 257. num. VIII.

tiſſimus ille *Macrianus*, eo nomine ab ipſo Dionyſio ſtatim indigitatus; qui à Magis admonitus, fore ſe aliquando Imperatorem, & novarum rerum exinde cupidus, hanc illis gratiam rependit, ut Chriſtianis, qui illorum malis artibus maximè adverſati ſunt, Valerianum infenſum reddiderit. Hoc volunt illa verba Dionyſii: καλὰ γοῦν αὐτοῖς Μακριανὸς τῆς ἐλπιζομένης βασιλείας ἀπετίνετο χαριστήρια. id eſt: *Egregiam verò gratiam ob ſperatum Imperium, & præclara munera Macrianus eis obtulit.* Et paulò pòſt: ὁ μὲν γὰρ Οὐαλεριανὸς εἰς ταῦτα ὑπὸ τούτου προαχθεὶς, εἰς ὕβρεις καὶ ὀνειδισμοὺς ἐκδέδοται. id eſt: *Etenim Valerianus ad hujuſmodi facinora ab hoc homine* (Macriano nempe) *impulſus, contumeliis & opprobriis expoſitus fuit*, ſecundùm Prophetam; nempe cùm à Perſis caperetur. Et verò non tantùm hominem diſertè nominavit; ſed & in illo nomine luſit Dionyſius. Nam cùm eum καθολικὸν aliquando fuiſſe, nempe ſummæ rei *Rationalem*, & tamen nihil rationale aut catholicum ſenſiſſe ludens dixiſſet, in eodem genere ſcribendi pergit: *Alienum autem & extorrem ſe à miſericordia Dei fecit, & quàm longiſſimè à ſua ſe ſalute fugavit, in hoc exprimens veritatem nominis ſui*, quod ſcilicet ἀπὸ τῦ μακρὰν, deductum eſſe voluit. Hic certè *Macrianus*, quo nemo eo tempore ſapientior Ducum habebatur, hic vir tantus in Republica Romana, non Magus Ægyptius, cùm Valerianus periculoſiſſimo tempore optimos Duces quæreret, ei facilè perſuaſit, ut Chriſtianos deſereret, & ad ſurgentium bellorum impetus quamprimùm præpararet.

V. *Dionyſius in exilio varias ſcribit epiſtolas.* Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus Alexandriâ per Æmilianum Præfectum pulſus, & in *Cephro* conſtitutus ad *Sixtum* ſecundam ſuam de Baptiſmo ſcribit epiſtolam: primam enim ad *Stephanum* miſerat. Scribit etiam ad *Philemonem* Romæ Preſbyterum quartam; eodemque tempore utramque, quo ſcripſit ad Baron. an.
Sixtum ſecundam, ut patet ex literis ad Sixtum datis lib. 7. cap. 7. Scripſerat quidem 260. num.
ante ad *Philemonem & Dionyſium* Romanum, ſed breviter, dum illi *Stephano* adhærebant; unde illæ epiſtolæ non extant: nunc autem copioſiùs ſub Sixto ſcripſit. Baronius epiſtolam ad *Philemonem*, cujus pars inſignis extat cum altera ad Dionyſium Preſbyterum, tradit exaratam & miſſam eſſe ſub Pontificatu Stephani; ſed contra mentem ipſius Dionyſii Alexandrini, qui breviter tantùm ad *Philemonem* ſe ſcripſiſſe ſub Stephano indicat; cùm fuerit hæc epiſtola, ut ex ipſis fragmentis patet, ſanè prolixa. Sic enim, cùm haud pauca recitaſſet, loquitur Euſebius: *Rurſus autem, cùm quæſtionem abundè ventilaſſet, hæc addit*, vel, *ſubdit*; non verò, *concludit in hunc modum*, ut Valeſius perperam interpretatur. Qua de re legendus Pearſonius citatus, qui etiam exiſtimat, ſub hujus anni finem Dionyſium quintam ordine ad *Sixtum* ſcripſiſſe epiſtolam de *Baptiſmo*, quæ quoad ipſum Sixtum ſecunda erat; quam inverſo ordine Baronius, creato Sixto Romano Pontifice quaſi ſtatim ſcriptam adducit.

(margin, beside "Sixtum ſecundam … ante ad Philemonem": XIII & ſeqq.)

VI. *S. Cypria-* Ad num. III. Triceſimo Auguſti die, S. Cypriani confeſſio ſecuta eſt, ut referunt ejus

nus in exilium mittitur.

Baron. ann. 160. num. XXXIII.

Acta: *Imperatore Valeriano quartùm, & Gallieno tertiùm Coſſ. tertio Kalendarum Septembrium*, &c. Hanc autem Cypriani confeſſionem primam omnino fuiſſe in Africa ſub hac Valeriani perſecutione factam, teſtantur literæ à Confeſſoribus reliquis ad ipſum poſtea ſcriptæ, qui habent, cum *primos impetus non timuiſſe*, & *in acie prima* pugnantem ſpiritali gladio diabolum interfeciſſe: unde colligitur, hanc Valeriani perſecutionem in Africa ante menſem Auguſtum non cœpiſſe. Locus exilio deſtinatus erat *Curubis*, ut teſtantur Pontius, Acta paſſionis & S. Auguſtinus: erat autem *Curubis* in Zeugitana Provincia ſub juriſdictione Proconſulis poſita. Decimo quarto Septembris ad hunc locum exilio deſtinatum, comitante Pontio Diacono deductus eſt, eodem menſis die, quo poſt anni ſpatium paſſus eſt. Quamobrem, inquit Pearſonius citatus, nihil inter Sixtum & Cyprianum commercii legitur, quod ſententiam de undecim menſibus Pontificatûs Sixti maximè confirmat.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5751. ☉ 15 C. ☽ 12. P. 15. April. Indict. 6.

Jesu Christi 258. *ſecundùm Baronium 261.*

Sedes vacat.

Valeriani et Gallieni, Impp. 6.

I. *Conſules.*

Coss. *M. Aurelius Memmius Tuſcus*, & *Baſſus.* Ita omnes antiqui Faſti, in quibus etiam pluribus prior dicitur *Tuſcus*, non verò *Fuſcus*, ut perperam quandoque vocatur; quam depravatam lectionem Baronius ſecutus eſt. Sed tam Chronicon Alexandrinum, quàm Caſſiodorus, Faſti Græci tam Theonis quàm Heraclii, Auctor Chronici Damaſi, & Acta paſſionis S. Cypriani *Tuſcum* exhibent; & Noriſius in Diſſert. de Votis Decennalibus cap. 5. obſervat, extare antiquum epigramma dicatum Tusco et Basso Coss.

II. *Martyrium S. Sixti PP.*

Baron. num. 3 & ſeqq.

Ad num. I. S. *Sixti* Papæ martyrium ſub hujus anni Conſulibus à Baronio rectè recitatum; qui in eo tantùm errat, quod Tuſci & Baſſi Conſulatum, qui in annum Chriſti CCLVIII incidit, cum anno CCLXI ejuſdem Eræ perperam copulet, ſicque prochroniſmi triennio peccet, ob tertium nempe Decii Auguſti Conſulatum ordinarium ſuppoſititium in Faſtos infartum. De Sixto in Chronico Damaſi legitur: *Sixtus annis duobus, menſibus undecim, diebus ſex. Cœpit à Conſulatu Maximi & Glabrionis, uſque Tuſco & Baſſo, & paſſus eſt VIII Idus Auguſti, à Conſulatu Tuſci & Baſſi, uſque in diem XII Kalendas Auguſti, Æmiliano & Baſſo Coſſ.* Sed duo illi anni per errorem additi, ob Conſulatum priùs corruptum Valeriani III, & Gallieni II, loco Valeriani IV, & Gallieni III. Sedit itaque tantùm *menſes undecim, dies ſex.* Euſebius in Hiſtoria annos XI Pontificatui ejus aſſignat, cùm menſes totidem ei tribuendi fuiſſent; quia novum non eſt, inquit Pearſonius in Annalibus Cyprianicis hoc anno, annos pro menſibus ponere, ut Georgius Syncellus, qui triennium Imperio Æmiliani aſſignat, qui per très menſes aut quatuor tantùm imperavit. Quod Græcis in rebus Romanis hoſpitibus non tantùm contingit, quando res Latinas tractant, ut credebat Pearſonius; ſed etiam quando de rebus in Oriente geſtis agunt. Imò Scriptores Latinos in eundem errorem quandoque incidere, variis exemplis in hoc Opere paſſim afferendis conſtat. Porro duas Decretales Sixto attributas adulterinas eſſe earum lectio manifeſtat.

III. *S. Sixtus corpora SS. Apoſtolorum transfert.*

Nihil à *Sixto* in ſuo Pontificatu geſtum reperimus, niſi quòd in Indiculo Depoſitionis Martyrum habetur: *Tertio Kalendas Julii, Petri in Catacumbas, & Pauli Oſtienſe, Tuſco & Baſſo Coſſ.* Bucherius cùm hoc arcanum non intelligeret, ſcripſit in margine: *Neſcio quid hîc ſibi velint hi Conſules, fortè aliunde luxati.* Verùm non de Sanctorum Apoſtolorum paſſionis, ſed de Tranſlationis tempore hic agitur. Idem habet Geſtorum Pontificalium Auctor, ſed Pontifices permutavit, ut ſæpe ſolet, & pro Sixto Cornelium poſuit, indeque Pſeudo-Iſidorus eandem hiſtoriam fictitiæ Cornelii epiſtolæ inſeruit. Caius, qui circa annum Chriſti CC ſcripſit, tradit, Apoſtolorum trophæa tunc temporis in Vaticano & Oſtienſi aſſervata fuiſſe. Hæc igitur trophæa in Catacumbas tranſtuliſſe videtur *Sixtus*, magis in dies ſæviente perſecutionis ardore, ut ibi tutiùs ſtationes haberi poſſent. Ita rectè Pearſonius, qui ſubjungit: *Hujus obſervationis utilitas diem reſpicit, quo facta eſſe dicitur Tranſlatio, nempe tertium Kalendas Julii; quo die vulgò putant, eos Apoſtolos paſſos eſſe contra Veterum ſententiam, qui ultimò Neronis anno eorum Martyrium adſcribunt. Ultimo enim Neronis anno viceſimo nono Junii pati non potuere, quia ipſe Nero ſexto die Junii periit. Sed ſi alio die Depoſitio facta eſt, alio Tranſlatio, quam ſecuta eſt poſtea ſolennitas, ſalva erit Veterum ſententia. Et ſanè ante Pſeudo-Iſidori ætatem, ante Geſta Pontificalia alius dies aſſignabatur. Nam Polemius Sylvius in Laterculo ſuo ſacra prophanaque feſta continente, anno Chriſti CCCCXLIX evulgato, hæc habet:* VIII Kal. (*Martii*) Depoſitio SS. Petri & Pauli. *De qua varietate alibi latiùs à nobis diſputatum eſt.* Hæc Pearſonius, cujus librum, in quo de ea varietate agit, non vidi. Verumenimvero obſervatio hæc vaniſſima. Petrus enim non ultimo Neronis anno, ſed undecimo martyrium ſubiit, ut ſuo loco demonſtravi, ejuſque Natale ſemper die decimo nono Junii celebratum. Sed quia Tranſlationes Sanctorum eo ſæpe die, quo ad Deum migrarunt, fieri ſolitæ erant, is dies à Sixto ad eam Tranſlationem faciendam electus, quod etiam in S. Urbani Papæ Tranſlatione præſtitum fuiſſe anno CCXXXI num. II notavimus. Neque refert, quod in Laterculo Sylvii legitur. Hinc enim tantùm inferendum, aliam SS. Apoſtolorum Tranſlationem, quæ etiam *Depoſitionis* nomine ab Antiquis deſignatur, in feſto Cathedræ S. Petri factam eſſe. Nam VIII Kalendas Martii Cathedram S. Petri, non verò Natalem ejus celebratum fuiſſe, certum fit ex Indiculo

Baron. ann. 221. num. III & ſeqq.

Depoſitionis Martyrum, Laterculo Sylvii antiquiore; in eo enim legitur: *Octavo Kalendas Martii, Natale Petri de Cathedra*; ubi vides etiam Natalis nomen cuilibet feſto attributum fuiſſe. Ex hac Tranſlatione apparet, immeritò negaſſe Baronium, SS. Apoſtolorum corpora ad Catacumbas ſæpius fuiſſe tranſlata. Vide dicta in morte S. Petri.

IV.
Martyrium Quarti, Agapiti & Feliciſſimi.
Baron. num. IV.

S. Cyprianus de martyrio Sixti certior factus, eodem die cum Sixto paſſum eſſe *Quartum* docet, in epiſtola ad Succeſſum ſtatim ſcripta, quod ex hoc loco Auctor Martyrologii Bedæ rectè colligit, neque aliunde hauſit, ut ex ipſius verbis apparet: *Paſſus eſt cum eis & beatus Quartus, ut ſcribit S. Cyprianus.* Sed dum *Feliciſſimum* & *Agapitum* Sixti Diaconos fuiſſe, & eodem die paſſos eſſe tradit, omnino fallitur, inquit Pearſonius. Aliud verba Cypriani, quæ ſequuntur, ſuadent: *Sed & huic perſecutioni quotidie inſiſtunt Præfecti in Urbe, ut ſi qui oblati fuerint, animadvertantur, & bona eorum Fiſco vindicentur.* Inſtitiſſe perſecutioni quotidie Præfectos docet, ſed præter Sixtum & Quartum neminem tunc, cùm literæ Româ ſcriptæ ſunt, paſſum eſſe innuit. Auctorem auctioris Chronici veterum Pontificum hujus erroris fontem fuiſſe ex Beda conſtat: *Decollati ſunt cum eis & alii quatuor, ut in Geſtis Pontificalibus agitur. Januarius, Magnus, Vincentius, Stephanus, Subdiaconi.* Error ejuſdem Chronici quod Feliciſſimum & Agapitum ſpectat, ex mala vetuſtiſſimi Indiculi Depoſitionis Martyrum interpretatione ortus eſt; cujus hæc verba ſunt: *Octavo Idus* (nempe Auguſti) *Xyſti in Calliſti, & Prætextati Agapiti & Feliciſſimi.* Sed nullum ex his Diaconum fuiſſe dicit, nullum cum Sixto paſſum eſſe tradit; eodem tantùm die horum omnium ſtationes habitas eſſe oſtendit, quod rectè fieri potuit; licèt nec eodem loco, nec eodem anno paſſi ſint. Hæc, ut defenderet Baronius, ait primò, mentionem Diaconorum & Subdiaconorum à Cypriano, qui ſolius *Quarti* cum Sixto paſſi meminit, idcirco prætermiſſam, quòd Sixtus in Cœmeterio Calliſti, reliqui in Cœmeterio Prætextati ſepulti ſint. Sed illud prorſus incertum. Primus, qui hos Diaconos in eo Cœmeterio ſepultos eſſe docuit, eſt Auctor auctioris Chronici Pontificum, qui errorem eum ex verbis Depoſitionis Martyrum nuper citatis derivaſſe videtur. Ubi legimus, *& Prætextati*, (quod indicat; Prætextatum eodem die paſſum eſſe) ille legiſſe videtur, *& in Prætextati*, quod ſignificaret in ejus Cœmeterio celebratos eſſe Natales Agapiti & Feliciſſimi. Sed demus, veriorem ibi lectionem eſſe, *& in Prætextati*; non tamen loci diſtantia aut diverſitas tanta fuit, ut qui certò cognoſceret, Sixtum paſſum eſſe in Cœmeterio Calliſti, neſcire poſſet, Diaconos ejus in Cœmeterio Prætextati truncatos eſſe. Nam utrumque Cœmeterium in Via Appia fuit: imò hoc Prætextati illi Calliſti adhærebat; & quaſi pars fuit, ut teſtatur Aringhus in Roma Subterranea. Ait ſecundò Baronius, nuntios Cypriani adeo feſtinanter rediiſſe, ut omnes præter Sixtum & Quartum eadem die in Urbe paſſos, haud facilè compertos habuerint. Verùm quomodo *Laurentius* ſeptem Diaconorum primus Sixti jamjam morituri lateri adhærere potuit, cùm reliqui omnes capite mulctati ſunt? Quomodo duo Diaconi, & quatuor Subdiaconi, vel, ut alii volunt, ſex Diaconi, eodem die truncari potuere; & nuntios illos, qui nihil aliud in mandatis habuerunt, quàm ut omnia diligenter obſervarent, latere, ut inquit Pearſonius? Horum itaque Sanctorum martyrium alio die contigiſſe videtur.

V.
Dionyſius anno ſequenti Papa ordinatus.

Ad num. III. *Dionyſius* hoc anno Pontifex ordinatus non fuit, ut perperam dicitur in Annalibus. Sed poſt martyrium S. Sixti vacavit Sedes anno ferè uno, nempe *uſque in diem XI Kal. Auguſti, Æmiliano & Baſſo Coſſ.* ut legitur in Chronico Damaſi, ad diem videlicet XXII Julii anni inſequentis. Chronicon Damaſi ex auctiori Chronico Pontificum, ac libro Pontificali ita ſupplendum: [*Et Preſbyteri præfuerunt*] *à Conſulatu Tuſci & Baſſi, uſque in diem XI Kal. Auguſti, Æmiliano & Baſſo Coſſ.* Dionyſium ante eum annum & diem Pontificatum non iniiſſe, ex iis, quæ in morte ejus dicemus, magis conſtabit. Hic ſolùm obſervandum, ex ceſſatione Sedis uſque ad præfatum diem & annum, apparere, pacem anno inſequenti menſe Julio redditam, ſtatimque novum Pontificem electum. Nam Valerianum circa illud tempus captivum in Perſidem abductum, non verò anno CCLX, me demonſtraturum ſpero.

Baron. num. XI.

VI.
Martyrium S. Cypriani.
Baron. num. XII & ſeqq.

Ad num. IV. Martyrium S. Cypriani Epiſcopi Carthaginienſis, *Tuſco & Baſſo Coſſ.* ut in ejus Paſſione legitur, idque XVIII Kal. Octobris, ut ibidem legitur, certiſſimè contigit; id eſt, anno Chriſti ducenteſimo quinquageſimo octavo, non verò, ut perperam Baronius numerat, anno ducenteſimo ſexageſimo primo. In eadem S. Cypriani Paſſione ex Manuſcripto S. Victoris extracta Proconſul exprobrat Cypriano, quòd *pii & ſanctiſſimi Principes Valerianus & Gallienus Auguſti & Valerianus nobiliſſimus Cæſar, ad ceremonias percolendas* eum revocare non potuerint. Ex quibus verbis liquet, Gallieni junioris Cæſaris, qui Valerianus Cæſar etiam nuncupabatur, in Actis publicis & reſcriptis plerùmque mentionem factam.

VII.
Opera S. Cypriani.

Opera S. *Cypriani* anno CIↃ IↃC LXXXII Oxonii edita, curâ & ſtudio *Joannis Felli* Oxonienſis Epiſcopi, è Secta Proteſtantium, in quorum cumulum acceſſit Hiſtoria Cyprianica tredecim annorum, quibus poſt ſuſceptam Fidem uſque ad martyrium Cyprianus vixit; Auctore *Joanne Pearſonio* Ceſtrienſi Epiſcopo, etiam Proteſtante. Utriuſque laborem ſupplevit variis Diſſertationibus ſeorſim editis, *Henricus Dodwellus*, Hiberniæ ſuæ ornamentum, ejuſdem etiam Sectæ, ſolus ex illis ſuperſtes; Fello & Pearſonio magnis Literarum in Anglia patronis hoc anno CIↃ IↃC LXXXVI vitâ functis, & quod magis dolendum, in Secta Proteſtantium, quam vivendo profeſſi ſunt. Eo in Opere epiſtolæ Divi Cypriani ordine Chronologico digeſtæ: genuina & legitima ejus Opera à dubiis & ſpuriis diſtincta cum mantiſſâ quorundam huc uſque ineditorum. Sed prætermiſit obſervare Fellus, Auctorem Tractatûs adverſus eos, qui Hæreticos rebaptizandos decernunt, à Rigaltio primùm publicati, fuiſſe Urſinum

Monachum Afrum, cujus Gennadius & Honorius Auguſtodunenſis meminere, cuique librum illum ex fide Codicis MS. attribuit Labbeus tomo I. Conciliorum pag. 770. Hujus Operis titulus ex Trithemio lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, (ubi dicit, ſe repeririſſe, eum claruiſſe ſub Theodoſio juniore anno Domini CCCC XL) reſtituendus. Teſtatur enim ibidem Trithemius, ejus titulum eſſe: *De modo rebaptizandis Hæreticis*: & *Urſinum* multos alios Tractatus a ſe non viſos edidiſſe. Opus *de Singularitate Clericorum*, quod Baronius, aliique Viri docti Cypriano tribuerunt, eidem perperam, quemadmodum & Auguſtino & Origeni, attributum oſtendit Fellus, qui quòd habeat aliqua Fidei Catholicæ repugnantia, Opus ejus notatur in novo Decreto librorum prohibitorum hoc anno Romæ emiſſo, ut mihi per literas ſignificat Vir eruditiſſimus Antonius Magliabechius Magni Etruriæ Ducis Bibliothecæ Præfectus.

VIII. *Martyrium S. Fructuoſi & ſociorum.*

Ad num. VII. Baronius martyrium S. *Fructuoſi* Epiſcopi Tarraconenſis & ſociorum in Annalibus anno inſequenti recitavit, quod malè Spondanus ad præſentem annum retraxit. In ejus enim Actis, quæ apud Bollandum die XXI Januarii extant, Fructuoſus paſſus dicitur, *Valeriano & Gallieno Impp. Æmiliano & Baſſo Coſſ. XVII Kal. Februarias; die Dominico.* Anno autem inſequenti dies XVI Januarii in diem Dominicum incidit, ut Methodus Cyclica docet. Præterea de ſociis ejus in iiſdem Actis legitur: *Et fecerunt in carcere dies ſex: & producti ſunt duodecimo Kal. Februarii, feriâ ſextâ, & auditi ſunt. Augurius* nempe & *Eulogius.* Quæ nonniſi anno ſequenti geſta, quo littera Dominicalis B. in curſu erat, ideoque dies XII Kal. Februar. ſeu dies XXI Januarii, cum feria ſexta concurrebat. Hinc liquet, Petavium lib. 13. de Doct. Temp. Faſtos ſuſdeque vertiſſe, quando Æmiliani & Baſſi Conſulatum loco ſuo movit, & in annum CCLXI tranſtulit. Sic enim *Fructuoſum*, & ſocios jam à biennio occiſos Martyres facit: adeo refert, ut Conſules ſuis annis reddantur. Ex *Fructuoſi* itaque Actis germanis & legitimis Baſſi & Æmiliani Conſulatum anno ſequenti geſtum eſſe, certò intelligimus.

Baron. ann. 262. num. LIX & ſeqq.

IX. *Aurelianus & Crinitus in annum ſequentē Conſules ſuffecti deſignantur.*

Hoc anno Valerianus Aurelianum, antequam is exercitum adverſus Gothos duceret, in locum Ulpii Criniti ſubrogavit, ut *exercitum duceret, limitem reſtitueret, prædam militibus daret*, &c. idque dum *apud Byzantium* Valerianus eſſet, ut ſcribit Vopiſcus in Aureliano cap. 10. qui cap. ſequenti epiſtolam Valeriani Auguſti ad Aurelianum tunc ſcriptam refert, in qua Valerianus eum alloquens ait: *Conſulatum cum eodem Ulpio Crinito in annum ſequentem à die Kalendarum Juniarum in locum Gallieni & Valeriani ſperare te convenit, ſumtu publico.* Quæ epiſtola hoc anno, non verò præcedenti data, ut perperam putavit Pearſonius in Annalibus Cyprianicis, quòd Aurelianus exercitum duxerit, limitem reſtituerit, & prædam militibus dederit, & poſt hæc omnia contigerit quod ibidem ſcribit Vopiſcus: *Tunc enim Ulpius Crinitus, publice apud Byzantium ſedenti Valeriano in thermis egit gratias, dicens, magnum de ſe judicium habitum, quòd eidem vicarium Aurelianum dediſſet.* Subjungit Pearſonius, Vopiſcum cap. 13. tradere: *Cum conſediſſet Valerianus Auguſtus in thermis apud Byzantium, præſente exercitu, præſente etiam officio Palatino, aſſidentibus Memmio Fuſco Conſule ordinario, Bæbio Macro Præfecto Prætorii*, &c. *Ulpio Crinito Duce Illyriciani limitis & Thracii, Valerianus Auguſtus dixit: Gratias tibi agit, Aureliane, Reſpublica, quòd eam Gothorum poteſtate liberaſti. Abundamus per te prædâ, abundamus gloriâ*, &c. Et ibidem jubet Valerianus, Aurelianum inter alia victoriæ præmia, ſellam eboratam capere: *Nam te Conſulem, inquit, hodie deſigno, ſcripturus ad Senatum, ut tibi deputet ſcipionem, deputet etiam faſces.* Ita, quod anno priori Valerianus promiſerat, præſenti, dum Byzantii eſſet, perimplendum curavit, eo ipſo anno quo Fuſcus & Baſſus Conſulatum ordinarium gerebant. Hæc Pearſonius. Verumenimvero fallitur Vir doctiſſimus; Aureliani enim Conſulatus ſuffectus, non præſenti anno Tuſci vel Fuſci & Baſſi Conſulatu notato; ſed inſequenti, quo Æmilianus & Baſſus annum aperuerunt, ſuſceptus. Quod manifeſtiſſimè verbis laudatis indicat Vopiſcus, quando ait, Valerianum apud Byzantium, præſente Memmio Fuſco Conſule ordinario, Aureliano dixiſſe: *Te Conſulem hodie deſigno.* Deſignatio enim ad Conſulatum nonniſi in annum ſequentem fieri ſolita, & quidem, ut Valerianus in epiſtola citata ad Aurelianum ſcribit: *Conſulatum cum eodem Ulpio Crinito in annum ſequentem à die undecimo Kalendarum Juniarum in locum Gallieni & Valeriani ſperare te convenit.* Vides, Conſulatum Aureliano in ea epiſtola ab Imperatore tantùm promiſſum; ſed poſt debellatos Gothos Aurelianum Byzantii exiſtentem ad eundem à Valeriano deſignatum fuiſſe, quod is iſtis verbis diſertè exprimit: *Nam te Conſulem hodie deſigno*, &c. Quare verum eſt quod ſcribit Pearſonius, prius ad Aurelianum ſcripſiſſe Valerianum, eumque in locum Ulpii Criniti ſuffeciſſe, ac poſtea tam Aurelianum, quàm Ulpium Crinitum Conſules ſuffectos deſignatos fuiſſe, ſed non in præſentem annum, ut ipſe perperam autumat; verùm in annum CCLIX. At, inquit Pearſonius, ſtatim Aurelianus Imperatori ſic reſpondit: *Ago ergo tibi gratias, & accipio Conſulatum, quem das.* Et mox Ulpius Crinitus: *Jube igitur, ut lege agatur, ſitque Aurelianus hæres ſacrorum, nominis & bonorum, totiuſque juris Ulpio Crinito jam Conſulari viro, ipſe actutum, te judice, Conſularis.* Fuit igitur Aurelianus Conſul ſuffectus, inquit Pearſonius poſt Gallienum & Valerianum Conſules honorarios, ſeu ſuffectos: ſed eo ipſo anno, quo Fuſcus & Baſſus Faſtis nomen dabant. Sed vana hæc effugia: Aurelianus enim accepit quidem Conſulatum, Memmio Fuſco Conſule ordinario præſente, ſed in annum ſequentem gerendum, id eſt, admiſit, ac non recuſavit. Crinitus verò petit, *ut lege agatur*, id eſt, ut in Ulpiam familiam tranſeat, ibi enim de Aureliani adoptione ſermo eſt, diciturque Ulpius Crinitus jam *Conſularis* vir, non quòd tunc Conſulatum acceperit ac geſſerit, ut perperam Pearſonius; ſed quòd ab anno CCXXXVIII,

quo Conſulatum ordinarium geſſit, Conſularis eſſet. Sic Aurelianus dicitur *actutum Conſularis*, quia quamprimùm, id eſt, intra aliquot menſes Conſulatum initurus eſſet; ſi enim tunc actu illum ſuſcepiſſet, non *Conſularis*, ſed *Conſul* ab Ulpio Crinito appellatus fuiſſet; neque dixiſſet Valerianus, ſe ſcripturum ad Senatum, ut Aureliano ſcipionem & faſces deputaret; quia hæc cum Conſulatu, non verò poſt illum geſtum tradi mos erat. Verum itaque eſt, quod Pearſonius primus omnium obſervavit, Valeriani ad Aurelianum epiſtolam, in qua de hujus cum Crinito ad Conſulatum deſignatione agitur, ſcriptam fuiſſe, antequam Aurelianus in Gothos moviſſet, ac poſtquam Byzantium rediit, Valerianum Imperatorem, cum coram Memmio Fuſco Conſule ordinario, aliiſque ſummis laudibus ob reportatas victorias exornaſſe; ſed falſum, hæc diverſis annis acta eſſe, & Aurelianum cum Crinito currenti Conſulatum ſuffectum geſſiſſe. Hoc enim anno ſequenti factum eſſe certum & indubitatum, ut ex dicendis anno ſequenti magis patebit: hujus enim temporis Hiſtoria Chronologiaque, niſi Conſulatus Aureliani ac Gallieni cum Valeriano rectè explicentur, confuſæ, perturbatæque.

X. *Valerianus Antiochiam à Scythis vaſtatam venit.* Anno itaque præſenti, *Valerianus*, qui cum exercitu apud *Byzantium* fuit, ut mox ex Vopiſco in Aureliano oſtendimus, cum eodem exercitu æſtate *Antiochiam* pervenit, ut videre eſt apud Zoſimum pag. 648. & 649. *Antiochiam* cùm inveniret miſere devaſtatam, acceſſivit *Succeſſianum*, qui tunc Dux exercitûs circa Helleſpontum fuit, & Scythas in ea loca irrumpentes nuperrime vicerat, abegeratque. Hunc *Præfectum Prætorio* dixit, *& cum eo res Antiochenæ civitatis, & inſtaurationem ejus* ordinavit, inquit Zoſimus. Ex quo intelligimus, *Succeſſianum* Bæbio Macro currenti anno Præfecto Prætorii, ut mox ex Vopiſco diximus, ſucceſſiſſe. Abſente *Succeſſiano* Scythæ priores, qui abacti fuerunt, in Helleſpontum redeunt, Pityuntem & Trapezuntem capiunt. Scythæ autem alii prioribus finitimi *expectato hiemis tempore*, pedeſtri exercitu ad fretum Byzantinum contenderunt, ubi de hieme hoc anno inchoato ſermo, non verò de anni præteriti fine, ut Zoſimum interpretatur Pearſonius citatus. Nam, cùm Valerianus poſtquam *Antiochiam* venit, & *Succeſſianum* Præfectum Prætorio renuntiavit, ampliùs Byzantium non redierit, ut manifeſtè ibidem inſinuat Zoſimus, ac denique Bæbius Macrus præſenti anno Præfectus Prætorio fuerit, ac Byzantii cum Valeriano aliquam moram fecerit, profectio hujus Imperatoris Antiochenam, & collatio Præfecturæ Prætorii in *Succeſſianum* ad præſentem annum in finem tendentem omnino ſpectant; cùm Valerianus æſtate anni inſequentis vel circiter à Perſis captus fuerit. Cum *Antiochiam* peteret Valerianus, *Macriano* totam Rempublicam credidit, ut ipſe oratione ad Senatum è Perſidis finibus miſſa teſtatur apud Pollionem: *Ego P. S. bellum Perſicum gerens, Macriano totam Rempublicam credidi . . . . Ille vobis fidelis, ille mihi devotus, illum & amat & timet miles.* Unde ratio optima redditur, inquit Pearſonius citatus, cur hoc potiſſimùm tempore perſecutio maximè ſub Valeriano ſæviret. Nam ea unius *Macriani* ſuaſu primò incepit: nunc autem ab eodem incitatus Imperator, cùm ei totam Rempublicam certè militarem credendam eſſe duxit, multò in Chriſtianos acerbior & crudelior evaſit. Atque ita tandem: *Reſcripſit Valerianus ad Senatum, ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diacones animadvertantur; Senatores verò, & viri egregii, & equites Romani, dignitate amiſſa, etiam bonis ſpolientur*, &c. ut habet Cyprianus in epiſtola ad Succeſſum, quæ nunc LXXX eſt, Pamelio verò LXXXII, ſcripta.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5752. ☉ 16 B. ☽ 13. P. 28. MART. INDICT. 7.
JESU CHRISTI 259. *Secundùm Baronium vacat.*
DIONYSII PAPÆ 1.
VALERIANI ET GALLIENI IMPP. 7.

COSS. *Æmilianus* & *Baſſus*, ut teſtantur libellus de Præfectis Urbi, Fragmentum Conſulare, quo uſus Cuſpinianus, Faſti Græci tam Theonis, quàm Heraclii, Faſti Idaciani, & varia reſcripta Codicis Juſtinianei à Noriſio in Diſſert. de Votis Decennalibus cap. 5. & Pearſonio in Annalibus Cyprianicis citata: in quibus omnibus reſcriptis, libriſque *Baſſus* ſine numerali nota effertur. Quare idem non eſt cum *Baſſo* anno præcedenti Conſule, ut putabat Onuphrius in Faſtis. Neque enim duo Conſulatus non interrupti aliis, quàm Auguſtis & Cæſaribus concedebantur. Cùm autem in Diſſert. Hypatica tanquam principium certiſſimum ſtatuerim, Conſules omnes, quibus Leges, tam Codicis Juſtinianei, quàm Theodoſiani notantur, ordinarios fuiſſe, liquet, Conſulatum Æmiliani & Baſſi omnino retinendum eſſe. Baronius è Faſtis expungere eum non potuit, quin annum illi reſpondentem etiam abjiceret. Quare in poſterum non triennio, ut antea, ab Era vulgari diſtabit, imò neque biennio, ut ei ante Imperium Decianum mos fuit, ſed unico tantùm anno, quòd, ut viſuri ſumus, anno ſequenti alium Conſulatum reſecarit. At dicet Baronius, in Codice Juſtinianeo *Baſſus* ſemel tantùm cum Collega Æmiliano poſitus invenitur, & *Æmilianus* idem fuit cum Aurelio Memmio Fuſco, *cui fuerit quoque cognomentum Æmilianus*. Verùm Æmiliani & Baſſi Conſulatus non tantùm ſæpius in eo Codice memoratus; ſed etiam ter in Excerptis Codicis Gregoriani, ideoque à Conſulatu Tuſci & Baſſi ſæpius in Legibus Codicis Juſtinianei etiam expreſſo diverſus, ut ex dictis conſtat. I. *Conſulat.*

II. *Conſulatus Gallieni & Valeriani, de quo Vopiſcus, ſuffectus fuit.* Baronius, Petavius & Cointius Æmiliani & Baſſi loco *Gallienum IV* & *Valerianum* (Cæſarem nempe) proponunt, Æmiliano & Baſſo à Baronio penitus rejectis, & à Petavio Cointioque in alios annos dilatis. Hujus Faſtorum inverſionis & perturbationis cauſa & origo, locus Vopiſci in Aureliano cap. 11.

Baron. ann. 262. num. 1. Spondan. ibid. num. 1.

ubi Valerianus Aurelianum alloquens ait: *Conſulatum cum eodem Ulpio Crinito in annum ſequentem à die undecimo Kalendarum Juniarum in locum Gallieni & Valeriani ſperare te convenit.* Quæ deſignatio, Memmio Fuſco Conſule ordinario anno præcedenti, Byzantii facta, ut tunc oſtendimus, & tanquam certiſſimum Baronius, Petavius & Cointius ponunt. Quare cùm alium Gallienum, quàm Gallienum Auguſtum, aliumque Valerianum, quàm Valerianum Auguſtum, & Valerianum ejus filium non agnoſcerent, huncque Valerianum juniorem jam Cæſarea dignitate exornatum fuiſſe, ac præterea apud Vopiſcum ſermonem eſſe de Conſulatu ordinario Gallieni Auguſti & Valeriani Cæſaris, exiſtimarent, ex Vopiſco manifeſtiſſimum fieri concluſerunt, poſt Conſulatum Memmii Fuſci anno præcedenti geſtum, Gallieni Auguſti IV & Valeriani Cæſaris Conſulatum omnino edendum eſſe. Verùm jam in prima parte Diſſert. Hypaticæ demonſtravi, in præfato Vopiſci loco ſermonem eſſe de Conſulatu ſuffecto Gallieni junioris Cæſaris, Gallieni Auguſti filii, & Valeriani ejus patrui, qui tantùm ultimis Gallieni Imperatoris annis Cæſar nuncupatus eſt. Et quia ex hac licentia in eradendis, commutandis, tranſponendiſve Faſtis, Chriſtiana Chronologia per hæc tempora prorſus labefactata fuerat, ad eam in integrum clariùs certiúſque reſtituendam aliqua huc ex eadem Diſſertatione in hanc Criticam transferenda.

III. *Genealogia Valeriani ſenioris.*

Valeriano Auguſto duo filii fuere; *Gallienus*, qui cum ipſo, & poſt ipſum imperavit, ac *Valerianus*, in Nummis appellatus *P. Licinius Valerianus*, quem Gallienus Auguſtus aliquot annis poſt patris captivitatem primùm Cæſarem, ac dein Imperatorem nuncupavit, ut ſuo loco videbitur. *Gallienus* Auguſtus duos pariter filios habuit, Valerianum, in Nummis *P. Licinium Cornelium Saloninum Valerianum* vocatum, & *Q. Julium Saloninum Gallienum*, poſt fratris interitum Cæſarem nuncupatum. Valerianum majorem natu Gallieni Auguſti filium jam ab anno CCLV Cæſarem appellatum oſtendimus; & ne quis cum vulgari ſententia dicat, Valerianum illum Cæſarem dictum, Gallieni Auguſti fratrem, non filium fuiſſe, audiendus Victor in Epitome, qui de Valeriano Auguſto loquens ait: *Hic filium ſuum Gallienum Auguſtum fecit, Gallienique filium Cornelium Valerianum Cæſarem.* Valerianus autem Gallieni Auguſti frater nullibi Cornelius nominatus. Sed aliis mox argumentis patebit, eum diu poſt patris captivitatem ad Cæſaream dignitatem evectum eſſe. *Cornelius* porro Valerianus, *Gallienus* etiam dictus. Pollio librum de duobus Gallienis compoſuit, patre nempe Auguſto & filio Cæſare, & in Valeriani Gallieni Auguſti fratris Vita ait: *Saloninus filius etiam Gallieni, qui & Gallienus dictus eſt.* Tum in Salonino Gallieno inquit: *Multi eum Gallienum, multi Saloninum in Hiſtoriis prodiderunt.* Imo Valerianus Auguſtus in epiſtola ad Antoninum Gallum Conſulem ſcripta, quæ extat apud Vopiſcum in Aureliano cap. 8. Cornelium Valerianum, ſeu Saloninum non alio, quàm Gallieni nomine indigitat: *Culpas me familiaribus literis, quod Poſtumio filium meum Gallienum magis quàm Aureliano commiſerim; cùm utique & ſeveriori & puer credendus fuerit, & exercitus.* Ubi cùm Gallienum puerum vocet, Saloninum intelligit, quem Poſtumio Valerianum Auguſtum commiſiſſe certum; non verò Gallienum Auguſtum, ut perperam Caſaubonus interpretatur.

IV. *Gallienus Egnatius à Gallieno ſimpliciter dicto non diſtingnitur.*

Reineſius in Syntagmate antiquarum Inſcriptionum pag. 317. ex eo quòd Pollio in Gallienis duobus cap. 11. epithalamium refert à Gallieno Auguſto compoſitum, *cùm fratrum ſuorum filios conjugaret*, ſcribit, *Valerianum* ſeniorem patrem fuiſſe, & Gallieni Auguſti, & P. Licinii *Ignatii* Gallieni, Auguſti etiam in Nummis appellati. Patet id ex iſto apud Triſtanum tom. 3. pag. 90. ΠΟΤ. ΛΙΚ. ΙΓΝΑ. ΓΑΛΛΙΗΝΟC. id eſt, *Publius Licinius Ignatius Gallienus.* Viſitur in eo effigies Gallieni laureati. In poſtica legitur: ΠΡΟΤCΙΕΩΝ ΠΡΟΒΕΙΝΩ, id eſt *Pruſienſium Probino.* Extat alius Nummus Græcus apud Gruterum pag. 275. in quo Gallienus dicitur etiam *Ignatius.* Denique Reineſius citatus hanc Inſcriptionem exhibet:

IMP.
EGNATI
PII. FEL. AUG.
MAX. TRI. P.
P. P. COS. II. P.

Verùm *Ignatius* Gallienus alius non eſt ab eo, qui Gallienus abſolutè & ſine addito vocatur, & ex his ac ſimilibus Inſcriptionibus non duos Gallienos Auguſtos fuiſſe, ſed unum eundemque, quod & de Gallieno Cæſare contigiſſe diximus, diverſa nomina habuiſſe inferendum erat. Quoad fratres Gallieni Auguſti, ejuſdemque nepotes, ii nobis penitus incogniti, uno excepto P. Licinio Valeriano, quem ante mortem Cæſarem primùm, ac poſtea Auguſtum ipſe Gallienus dixit. Pro certo itaque tenendum, tres Valerianos, tréſve Gallienos fuiſſe, *Valerianum* nempe ſeniorem Auguſtum, *P. Licinium Valerianum juniorem* ejus filium ac Gallieni Auguſti fratrem, & *P. Cornelium Valerianum Saloninum*, Gallienum juniorem etiam appellatum: Gallieni verò nomen tuliſſe, & *Gallienum* Auguſtum Valeriani ſenioris filium natu majorem, *Ignatium* vel *Egnatium* etiam nuncupatum, & duos hujus filios; quorum prior Valeriani & Salonini nominibus etiam indigitatus; poſterior verò *Q. Julius Saloninus Gallienus* vocatus: ac denique, antequam Valerianus ſenior captivus in Perſidem duceretur, unum Licinium Cornelium Valerianum, ſeu Gallienum juniorem Gallieni Auguſti filium Cæſarem fuiſſe; quod manifeſtiſſimè liquet ex literis à *Balero* Caduſiorum Rege ad Saporem Perſarum Regem ſcriptis, & à Pollione in Valeriano cap. 5. relatis. In iis *Balerus*, ut Saporem ad Valerianum Auguſtum in libertatem aſſerendum inducat, ait: *Age, ut prudentem decet: nec fortuna te inflet, quæ multos decipit. Valerianus & filium Imperatorem habet, & nepotem Cæſarem. Et quid? Habet & omnem Orbem illum Romanum, qui contra te totus inſurget.* In epiſtola verò ad eundem Saporem ab *Artabaſde* Armeniorum Rege miſſa, ibidemque cap. 6. recitata, *Artabaſdes* ait: *Valerianum & filius repetet &*

nepos. Quid clarius? Omiſiſſetne uterque Rex Valerianum Valeriani ſenioris filium, ſi tum Cæſar, quemadmodum Gallienus Saloninus fuiſſet.

V. *Conſulatus Gallieni & Valeriani, de quo Vopiſcus, magis explicatur.*

Anno itaque ducenteſimo quinquageſimo quinto *Gallienus* junior, ſeu *Valerianus Saloninus* Cæſar appellatus, ut eo anno diximus, & in Galliam ſub Poſtumi cura miſſus, ut ex Zonara, aliiſque conſtat. Tum anno præcedenti Conſul ſuffectus Valeriano patruo Collega in præſentem annum deſignatus, juxta ſecundam nempe Conſulatuum Cæſareorum regulam, ob Quinquennalia Imperii Cæſarei celebranda. Et de hoc ſuffecto utriuſque Conſulatu intelligendus Vopiſcus cap. 11. in Vita Aureliani, ubi Valerianus ad Aurelianum ſcribit: *Conſulatum cum eodem Ulpio Crinito in annum ſequentem à die undecimo Kalendarum Juniarum in locum Gallieni & Valeriani ſperare te convenit.* Certè Conſulatus ille non potuit eſſe ordinarius, cùm in nullis antiquis Faſtis memoratus fuerit, primuſque Baronius ſit, qui ex prava eorum verborum interpretatione illum eduxerit. Quòd ſi ordinarius fuiſſet, eum Gallienus & Valerianus circa Kalendas Martias, ut moris erat, depoſuiſſent; neque uſque ad undecimum Kalendas Junias continuaſſent. Denique Valerianus, cujus mentio in citata epiſtola, erat quidem filius Valeriani ſenioris, ac frater Gallieni Auguſti, ſed nondum Cæſaream dignitatem obtinebat. Gallienus itaque qui primo loco nominatur, non *Gallienus Auguſtus*, ut perperam omnibus hactenus perſuaſum fuerat, ſed *Gallienus junior* Gallieni Auguſti filius, qui ideo primus nominatur, quia jam ab aliquot annis Cæſar erat, & Poſtumo creditus Gallias adminiſtrabat. Sed cùm Baronius hunc Conſulatum Gallieni & Valeriani præſenti anno geſtum, ordinarium crederet, illum in Faſtos infarſit, & *Æmilianum* cum *Baſſo*, qui huic anno nomen dedêre, è Faſtis eraſit. Unus Pearſonius in Annalibus Cyprianicis hunc Gallieni & Valeriani Conſulatum ſuffectum fuiſſe vidit: ſed valde hallucinatus eſt, quando eum anno præcedenti, quemadmodum & Conſulatum Ulpii Criniti & Aureliani, geſtum fuiſſe autumavit; & hunc Gallienum, filium Valeriani Auguſti credidit. Hic enim Conſulatus, ut anno elapſo demonſtravi, currenti anno ſuſceptus, & *Gallienus* ille, de quo Vopiſcus, non *Gallienus* pater, ſed *Gallienus* filius erat. Quòd ſi *Gallienus Auguſtus* præter ſeptem Conſulatus ordinarios in Faſtis, Nummis & Inſcriptionibus memoratos, octavum illum ſuffectum iniiſſet, cùm quartus ordine fuiſſet, aliqua ejus vel in Nummis, vel in libris mentio extaret. Licèt enim Conſulatus ſuffecti ſæpe in Nummis & publicis monumentis prætermittantur; tamen ſæpe etiam in iiſdem exprimuntur; ſed Gallieni Auguſti IV, & Valeriani Cæſaris Conſulatus à nemine ante Baronium repertus, nihilque de eo in Vopiſco, cui uni innititur, ſcriptum. Petavii, aliorumque hoc in Conſulatu hallucinationes in priori parte Diſſert. Hypaticæ detexi, & fuſiùs confutavi.

VI. *Valerianus ſenior à Perſis captus.*

Valerianus Auguſtus hoc anno à Perſis captus. Res geſta variè narratur; ſed Zoſimus, rerum per hæc tempora geſtarum diligentiſſimus Scriptor, audiendus. Valerianus, inquit, cùm intellexiſſet, Bythiniam à Scythis invaſam, ejuſque civitates deletas, Nicomediam, aliaſque urbes ſuccenſas, miſit Felicem, *qui Byzantium tueretur, ipſe ab Antiochia ad Cappadociam uſque progrediebatur, & tranſitu duntaxat attritis oppidis, pedem referebat. Cumque peſtis invaſiſſet exercitus, eorumque majorem partem abſumſiſſet, Sapores Orientem aggreſſus exitio dabat omnia.* Valerianus Legatos ad Saporem miſit, ut datâ pecuniâ bello finem imponeret. Sed *Sapores*, ut Imperator ipſe ſecum in colloquium veniret, poſtulavit. Ille verò inconſultò cum paucis ad *Saporem* profectus, ab hoſtibus ſubitò comprehenſus eſt. Ita Zoſimus. *Valerianus* à Cappadocia pedem retulit, ſed Antiochiam non rediit, ut Zoſimum interpretatur Pearſonius citatus; verùm in Meſopotamiam, ubi Eutropius eum captum aſſerit. Zonaras ait, *Valerianum* cùm Edeſſæ in Meſopotamia ageret, ne à ſuis militibus occideretur, *ad Saporem profugum hoſti ſe tradidiſſe.* Et poſtea Perſas Antiochiam ad Orontem, Tarſum, & Cæſaream Cappadociæ cepiſſe. Huc referenda, quæ Lactantius lib. de Mortibus Perſecutorum à paucis annis à Baluzio V. C. in lucem edito hac de re habet. Lactantius poſtquam de Decio & perſecutione ab eo ſuſcitata locutus eſt, cap. 5. ait: *Non multò pòſt Valerianus quoque non diſſimili furore correptus, impias manus in Deum intentavit, & multùm, quamvis brevi tempore, juſti ſanguinis fudit. At illum Deus novo ac ſingulari pena genere affecit, ut eſſet poſteris documentum, adverſarios Dei ſæpe dignam ſcelere ſuo recipere mercedem. Hic captus à Perſis, non modò Imperium, quo fuerat inſolenter uſus, ſed etiam libertatem, quam ceteris ademerat, perdidit, vixitque in ſervitute turpiſſimè. Nam Rex Perſarum Sapores, qui eum ceperat, ſi quando libuerit, aut vehiculum aſcendere, aut equum, inclinare ſibi Romanum jubebat, ac terga præbere, & impoſito pede ſuper dorſum ejus, illud eſſe verum dicebat, exprobrans ei cum riſu, non quod in tabulis aut parietibus Romani pingerent. Ita ille digniſſimè triumphatus, aliquandiu vixit, ut diu Barbaris Romanum nomen ludibrio ac deriſui eſſet. Etiam hoc ei acceſſit ad pœnam, quòd cùm filium haberet Imperatorem, captivitatis ſuæ tamen ac ſervitutis extremæ non invenit ultorem, nec omnino repetitus eſt. Poſtea verò quàm pudendam vitam in illo dedecore finivit, direpta eſt ei cutis, & exuta viſceribus pellis, infecta rubro colore, ut in templo Barbarorum Deorum ad memoriam clariſſimi triumphi poneretur, Legatiſque noſtris ſemper eſſet oſtentui, ne nimiùm Romani viribus ſuis fiderent, cùm exuvias capti Principis apud Deos ſuos cernerent.* Vixit in ea ſervitute Valerianus uſque ad annum CCLXIX, Auctore Chronici Alexandrini teſte, cui hac in re fides habenda: *His Coſſ.* (Claudio nempe & Paterno) *Valerianus Auguſtus à Perſis oppreſſus periit. Vixit annos LXI.* Pollio tamen in Valeriano cap. 1. ait, eum annos ſeptuaginta natum factum eſſe Imperatorem: quod verum non exiſtimo, niſi forte numero rotundo loquatur. Valerianum anno CCLXI

Baron. ann. 262. num. LXXI. Spondan. ibid. num. 11.

adhuc in vivis fuiſſe, ſub Conſulatu ſc. Gallieni VI & Saturnini, teſtatur Pollio lib. de duobus Gallienis cap. 10.

VII. *Valerianus à Perſis captus hoc anno.*

Quo anno *Valerianus* à *Sapore* captus fuerit, hactenus in controverſiam vocatum, quòd Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 7. cap. 10. de perſecutione ab eo excitata loquens hæc verba Apocalypſis 13. eidem applicet: *Et data eſt illi poteſtas faciendi per menſes quadraginta duos*: quibus ex verbis Baronius intulit, hanc perſecutionem per annos tres ac menſes ſex continuatam fuiſſe. Quare cùm eam Maximo & Glabrione Coſſ. anno nempe Chriſti CCLVI, cœptam exiſtimarit, currenti anno finem ejus conſignavit, ideoque & Valeriani captivitatem; eo enim in Perſidem abducto, Gallienus Eccleſiæ pacem reddidit. Pearſonius verò, aliique, qui perſecutionem anno CCLVII ſuſcitatam fuiſſe deprehenderunt, ſervitutem *Valeriani* & Eccleſiæ pacem anno inſequenti contigiſſe autumarunt; neque defuere, qui utrumque in annum CCLXI magno errore diſtulerint. Sed Dionyſius Alexandrinus à Viris doctiſſimis non intellectus. Quod enim de ſua Eccleſia Ægyptoque ſcripſit, illi de univerſa Eccleſia interpretati ſunt; quamvis certiſſimum ſit, perſecutionem in Ægypto, præſertimque Alexandriæ, etiam poſt *Valeriani* captivitatem arſiſſe, ut mox demonſtrabimus. Annus itaque capti Valeriani independenter ab illa prophetia explicandus. Quo pacto certum eſt, currenti anno Valerianum *ad mancipii fortunam*, ut Zoſimi verbis utar, redactum fuiſſe, inchoato ſeptimo Imperii anno, ideoque æſtate circiter ineunte. Primò, quia Dionyſius Romæ die viceſima ſecunda Julii Pontifex creatus, poſtquam Sedes ferè per annum integrum vacaſſet; quæ diuturnior vacatio perſecutioni adſcribenda, ejus verò finis Valeriani captivitati attribuendus. Secundò, ex Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus alii, ut Pollio & Victor de Cæſaribus, Imperii anno ſexto, Victor in Epitome anno ſeptimo captum tradidere, extantque tam in Cimeliis Principum, quàm apud Antiquarios, Numiſmata Græca Valeriani, in quibus legitur, L. Z. id eſt, *anno ſeptimo*. Quare ſeptimum Imperii annum inchoavit per aliquot menſes, qui ab Hiſtoricis negliguntur, qui eum anno Imperii ſexto ſuperatum ſcripſere. Sed, inquit Pearſonius, Secularis & Donatus, qui ante ſeptimum ejus Imperii annum Conſules non fuere, toties reſcriptis Valeriani & Gallieni ſubſcribuntur, ut anni CCLX aliqua parte eum adhuc libertate gaviſum eſſe neceſſe ſit. At ſi hæc ratio valeret, ſequeretur, anno CCLXI Valerianum adhuc in libertate poſitum eſſe; cùm in Codice Juſtinianeo Leges reperiantur, quæ in titulo præferunt *Gallienum* & *Valerianum* Augg. Mendoſæ itaque eæ, ac ſimiles Inſcriptiones, & ab eo, qui Leges collegit, perperam additæ, ut notavit Baronius, loquens de quodam reſcripto Imperatoris Severi anno primo Imperii ejus dato, quod Severi & Antonini ejus filii nondum Imperatoris nomen exhibet. Similes errores tam in Caro, quàm in Diocletiano infrà indicabimus. Affert ſecundò Pearſonius hunc Victoris in Epitome de Gallieno loquentis locum: *Regnavit annis quindecim, cum patre ſeptem, ſolus octo.* Sed Victor ſeptem annos, quibus cum patre Gallienus imperavit, utrimque incompletos ac Julianos, non verò Imperii annos enumerat; contrà verò, dum annos, ſine patre regnavit, notat, annos tantùm Julianos integros, utroque extremo incompleto prætermiſſo, in ſummam confert; qui numerandi modus ab aliis Antiquis, quamvis rariùs, etiam uſurpatus. Sed Valerianum præſenti anno in Perſidem abductum, ex dicendis certiùs conſtabit.

VIII. *Macrianus cum filiis in Oriente & Ægypto Imperium uſurpat.*

Gallieno igitur & Voluſiano Coſſ. Macrianus & Baliſta in unum exercitûs reliquias convocant, & cùm Romanum in Oriente nutaret Imperium, quem facerent Imperatorem requirunt, Gallieno tam negligenter ſe agente, ut ejus ne mentio quidem apud exercitum fieret. Conſilii hujus finis erat, ut Macriano cum filiis *Macriano* & *Quieto* deferretur Imperium, qui ſtatim cum filio *Macriano* contra Gallienum venire cœpit, Baliſta & Quieto in Oriente relictis. Sed Conſulatus ille Gallieni & Voluſiani anno CCLXI geſtus, in citatum locum Pollionis ſine dubio infartus. Neque enim Pollio, qui disertè ſcribit, *Valerianum* anno ſexto Imperii captum, aſſerere potuit, anno tantùm octavo in finem vergente, Gallieno nempe & Voluſiano Coſſ. *Macrianum* & *Baliſtam* de Imperatore eligendo deliberare cœpiſſe, cùm tam eodem Pollione, quàm Zoſimo teſtibus, poſt illam cladem *omnia, velut deſtituta Principe, confuſa pariter & indefenſa* jacerent, & undique Tyranni inſurgerent. Præterea infrà Nummum Græcum *Macriani* recitabo, in quo ſecundus Imperii ejus annus exprimitur, locumque *Dionyſii Alexandrini* afferam, ex quo conſtat, nono Imperii Gallieni anno, eoque ac Voluſiano Coſſ. *Macrianum* jam periiſſe. Quomodo itaque exiſtimare poterimus, ſcripſiſſe Pollionem, *Valerianum* anno ſexto Imperii captum fuiſſe, ac tantùm biennio pòſt de Imperatore creando tractatum fuiſſe. Hoc igitur Pollio in literas non miſit, vel ſi ſcripſit, valde deceptus eſt. Sed Conſulatum illum non apposuiſſe liquet ex iis, quæ habet Salmaſius in Notis ad librum de duobus Gallienis, ubi ait, priora illius libri verba uſque ad iſta, *Gallieno igitur & Voluſiano Coſſ.* ex officina Correctorum prodiiſſe, qui iſta ſic conglutinarunt, ut tegerent & diſſimularent labem, quæ hunc locum temporum injuriâ Codicumque vitio inſedit. Unde, inquit Salmaſius, in Palatino Codice lacer & mutilus totus hic locus eſt relictus, uſque ad illa verba, *Gallieno igitur & Voluſiano Coſſ.* Verumenimvero hæc ultima verba non minùs ſpuria & addititia, quàm ea, quæ in Palatino Codice deſiderantur; ideoque non minùs rejicienda, licèt in eo illa reperiri negari non poſſit, verumque exiſtimem quod apud ſe conſtare affirmat Salmaſius, alios omnes, quotquot Hiſtoriæ Pollionis exarati Codices reperiuntur, à Palatino exſcriptos fuiſſe. Macrianum autem anno jam affecto Imperatorem dictum ex eo liquet, quòd poſt *Aureolum* Imperium arripuerit, illudque toto octavo Gallieni anno in Oriente geſſerit, ac ſecundo Regni anno perierit, ut infrà oſtendetur.

Antequam *Macrianus* purpuram in Oriente

ſumeret,

IX. *Ante Macrianum Aureolus in Illyrico purpuram ſumſerat.*

Baron. ann. 262. num. LXXV. Spondan. ibid. num. III.

ſumeret, jam Aureolus *Illyricianos exercitus regens*, ut teſtatur Pollio in libro de Triginta Tyrannis cap. 11. Imperium arripuerat. Quando enim cap. ſequenti Pollio refert, *Macrianum*, & *Baliſtam* de creando Imperatore conſilium iniiſſe, ait: *Tuncque conſtitit, Gallieno longè poſito, Aureolo uſurpante Imperium, debere aliquem Principem fieri, & quidem optimum, ne quiſpiam Tyrannus exiſteret.* Et poſtea *Macrianum* cum filiis dictum Imperatorem fuiſſe narrat. *Valens* etiam Proconſul Achaiæ, cùm accepiſſet, *Gallienum* adverſum ſe *Piſonem* mittere, ſumſit Imperium, ſed brevì à militibus interemtus eſt, poſtquam ipſemet *Piſonem*, qui in Theſſalia Imperator appellatus fuerat, occidendum juſſiſſet; ſed *Piſo* anno ſequenti tantùm interfectus, ut tunc dicemus. Baronius inter Tyrannos, qui hoc anno inſurrexere, *Æmilianum* Ægypti Præfectum numerat; ſed Pollio eum poſt *Macriani* interitum, anno nempe CCLXI, Imperium in Ægypto uſurpaſſe docet. Certè, cùm totus ferè Oriens cum Ægypto *Macrianum* Imperatorem agnoverit; iſque ſecundum Imperii annum inchoarit, nonniſi eo occiſo *Æmilianus* in Ægypto Imperator nuncupatus. Ægyptum verò *Macriano* paruiſſe oſtendit Nummus Græcus à Triſtano recitatus, in cujus poſtica legitur: ΑΥΤ. Κ. Μ. ΦΟΥΛ. ΜΑΚΡΙΑΝΟΣ. id eſt, *Imperator Cæſar Marcus Fulvius Macrianus*: in altera parte: ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ. id eſt, *Alexandria.*

X. *Imperium Romanum peſte & hoſtium incurſionibus devaſtatum.*

Parte alia, ut ſcribit Zoſimus pag. 650. *Scythæ* parte quadam copiarum ſuarum *Illyricum* agebant, & civitates ejuſdem vaſtabant; cùm alia verò parte *Italiam* ingreſſi ad ipſam uſque Romam perrexerunt, ſed *Gallieno* Tranſalpina loca, ut Romam defenderet, relinquente, Romam illi quidem reliquere, ſed univerſam propè pervagando afflixerunt *Italiam*. Interim *tanta peſtis in civitatibus exorta, quanta nunquam priùs ullo tempore extiterat.* Hæc Zoſimus.

XI. *Pace Eccleſiæ conceſſa Alexandrini & Ægyptii non potiuntur.*

Baron. ann. 262. num. LXXVI. Spond. ibid. num. III.

Gallienus, dum res Romana in tantis verſaretur periculis, pacem Chriſtianis conceſſit, ſed edictum illud periit: quod enim refert Euſebius lib. 7. cap. 13. datum in favorem Ægyptiorum, poſtquam *Macrianus* & filii occiſi ſunt. Quare neque Ægyptus, neque Alexandria pacis beneficio potitæ; & perſecutio, quæ hoc anno in aliis regionibus deſiit, ibidem continuata, & quidem uſque ad menſem quadrageſimum ſecundum, ut teſtatur Dionyſius in epiſtola ad Hermammonem, quem Baronius, Pearſonius, & Lombertus in rebus Cyprianicis explicandis, aliique paſſim malè interpretantes, ſcripſere, perſecutionem Valerianeam per annos tres & menſes ſex Eccleſiam afflixiſſe; quod tamen nonniſi de Alexandria & Ægypto aſſeruit Dionyſius, qui in citata epiſtola de rebus tantùm in ſuo Patriarchatu geſtis, non verò de iis, quæ in univerſa Eccleſia contigere, mentionem facit, ut magis anno CCLXI explicabo.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5753. ☉ 17 AG. ☽ 14. P. 15. APRIL. INDICT. 8.
JESU CHRISTI 260. *Secundum Baronium vacat.*
DIONYSII PAPÆ 2.
GALLIENI IMP. 8.

I. *Conſules.*

COSS. *Cornelius Secularis II, & Julius Donatus.* Hos Conſules omnes antiqui Faſti exhibent, & in Codice Juſtinianeo tredecim Leges iiſdem notantur. Certum autem, Conſulatus in eo Codice memoratos, ordinarios fuiſſe, non verò ſuffectos. Contra quod chronologicum principium Onuphrius in Faſtis, Baronius in Annalibus, Petavius in lib. 11. de Doct. Temp. & Cointius in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum peccantes, in Faſtis ordinandis aliquos Conſules vel expunxere, vel prætermiſere, vel loco ſuo movêre, & in alienum tranſtulere. Baronius, qui anno elapſo *Æmilianum & Baſſum*, currenti *Secularem & Donatum* exploſit, & cum duobus illis Conſulum paribus annos duos, quibus Magiſtratum geſſere, reſecavit, eoque pacto annos Urbis, Olympiadum, & ceterarum omnium Erarum mutilavit, ut videre eſt in annis Urbis, in margine hujus Operis deſcriptis, qui poſt Imperium Decii annis Chriſti diverſi generis à prioribus reſpondent, v. g. annus Urbis 1000. reſpondet vero anno Chriſti CCXLVII, Baroniano CCXLIX. Quare annus Urbis 1010. reſpondere deberet vero anno Chriſti CCLVII, anno autem Baroniano CCLIX; & tamen, ut videre eſt in illius anni margine, jungitur quidem cum vero anno Chriſti CCLVII, ſed cum anno Baroniano CCLX, propter ſcilicet Conſulatum primum Decii tanquam ordinarium in Faſtos à Baronio infartum. Sequentibus annis ante Imperii Diocletianei initium, unico tantùm anno à vera Era Chriſtiana Baronius diſſidebit, ob Conſulatus anno elapſo, currentique prætermiſſos. Imò anno ſequenti veram Dionyſianam Eram aſſecutus eſſet, niſi primum *Decii* Conſulatum, quem ſuffectum eſſe conſtat, ſuis Annalibus inſeruiſſet. Ut tamen meæ Animadverſiones ejus narrationi congruere poſſent, Conſulatum illum fictitium rejeci, & cum vero anno Chriſti CCLI annos duos Baronianos, ſcilicet CCLIII & CCLIV, copulavi, ſeu, ut accuratiùs loquar, unum ex illis annis expunxi. Quo pacto mea narratio Baronianæ conſonare & conſentire potuit. Verùm, ſuppoſititius ille annus à me quidem rejectus, ſed non à Baronio, ut fieri debuit; indeque factum, ut mea quidem narratio Baronianæ reſpondeat; ſed ipſe adhuc unum annum ampliùs quam me numeret; donec tertium Conſulatum abjecerit, ob priorem nempe *Decii* ſuffectum in Faſtos ſuos perperam inſitum. Porro *Secularem* cum nota numerali edendum oſtendunt varia reſcripta Codicis Juſtinianei, & libellus de Præfectis Urbi, & Faſti Græci Herwlii.

II. *Poſtumus in Galliis Im-*

Hoc anno Poſtumus in Galliis Imperator creatus, de quo Eutropius ait: *Tum jam deſperatis rebus, & deleto penè Imperio Roma-*

perium uſurpat.

no. *Poſtumus in Gallia obſcuriſſimè natus purpuram ſumſit.* Quare non ſtatim poſt Valerianum in Perſidem abductum, Poſtumus Imperium uſurpavit; ſed hoc, & non alio anno: cujus rei validum argumentum deduco ex Pollione lib. de XXX Tyrannis cap. 21. ubi legitur, *Piſonem à Macriano* miſſum ad interficiendum *Valentem*, qui in *Achaia* Imperium ſumſerat, ipſum etiam in *Theſſalia* ſe.c Imperatorem appellaſſe, & *Valentis* juſſu peremtum fuiſſe. Poſt quam mortem, *Senatusconſultum de Piſone factum*, inquit Pollio die *ſeptimo Kalendas Julias*, & *Atellium Fuſcum* Conſularem primæ ſententiæ conſultum dixiſſe: *Divinos honores Piſoni decerno, Patres Conſcripti: Gallienum, & Valerianum, & Saloninum Imperatores noſtros eſſe confido*, Gallienum nempe Auguſtum, & utrumque ejus filium, Valerianum ſeu Gallienum juniorem, & Quintum Julium Saloninum; quem ideo Gallienus pater poſt Valeriani Auguſti captivitatem Cæſarem renuntiarat, ut his verbis manifeſtum redditur. Cùm autem *Poſtumus* Imperium in Galliis non arripuerit, niſi poſtquam Gallienum juniorem occîdit; quando hoc Senatusconſultum factum, nondum Poſtumus regnabat. Illud autem anno præcedenti non conditum; quia *Valerianus* ſeptimum Imperii annum attigerat, quando ſuperatus eſt, ideoque non ante menſem Maium anni præcedentis. Eo capto, non ſtatim *Macrianus* Imperator dictus, ſed poſt unum ſaltem aut alterum menſem. Dein *Macrianus Piſonem* in Achaiam miſit, ipſeque in Theſſaliam ſe contulit indeque cùm peremtus fuiſſet, nuntium Romam perlatum; quæ omnia ante diem XXVI menſis Junii, quo Senatusconſultum laudatum ſcriptum, anno elapſo minimè fieri potuere. Præterquam quòd illo Senatusconſulto facto ſtatim *Gallienus junior* in Galliis interfectus non eſt. Quamobrem Senatusconſultum die XXVI Junii præſentis anni factum, eoque die ac menſe *Valerianus Cæſar*, ſeu Gallienus junior adhuc in vivis erat.; ſed non multò pòſt à *Poſtumo* de medio ſublatus. Nec enim in annum ſequentem hæc uſurpatio conferri poteſt, ut ex iis, quæ in morte ejus dicemus, apparebit. Ad hæc, Zoſimus pag. 651. de quibuſdam Tyrannis qui poſt Valeriani ſervitutem inſurrexere, loquens, ſubjicit: *Ceteri propemodum omnes pœnas dederunt. ſolus Aureolus infeſto erga Imperatorem animo eſſe perrexit. Secundùm hæc Poſtumus quoque, cui magiſterium militum apud Celtas commiſſum fuerat, animum ad res novas adjecit; ſumtiſque ſecum militibus, qui cum ipſo defecerant, Agrippinam contendit, urbem maximam ad Rhenum ſitam: ubi Saloninum Gallieni filium obſedit.; minatus obſidionem ſe minimè ſoluturum, niſi deditus ſibi ille fuiſſet. Militibus obſidionis neceſſitate compulſis, ut & ipſum, & ipſius cuſtodia præfectum à patre Silvanum traderent; utroque Poſtumus interfecto, rerum apud Celtas potitus eſt.* Eandem rem narrat Zonaras, niſi quòd loco *Silvani* Albanum habet, & Saloninum filium Gallieni *juniorem Gallienum* appellat. Coloniæ itaque Gallienus junior Cæſar interfectus.

Poſt mortem *Gallienus junior*, qui ſemper in Nummis *Valerianus* appellatur, à Gallieno patre apotheoſi donatus eſt, ut oſtendunt paria Numiſmata ejus conſecrationem repræſentantia, in quibus legitur: DIVO VALERIANO CAES. vel, DIVO CAESARI VALERIANO; in poſtica parte, CONSECRATIO S. C. Qui Nummi, cùm Cæſaris tantùm nomine ſignentur, de Valeriano Valeriani Auguſti filio, & ante mortem à Gallieno fratre Auguſto nuncupato intelligi non poſſunt; cùm Auguſti titulus ei in conſecratione denegatus non fuiſſet. Andreas Morellius Vir clariſſimus in Specimine univerſæ rei antiquæ nummariæ pag. 117. Nummum Græcum refert inſcriptum: ΑΥΤΟΚ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟϹ. ΓΑΛΛΙΗΝΟϹ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟϹ. ϹΕΒΒΒ. id eſt, *Imp. Valerianus, Gallienus, Valerianus Auggg.* In eo cernuntur tria capita, Valeriani nempe Imperatoris & filii ejus Gallieni, & Valeriani Gallieni Auguſti filii; non verò Valeriani ſenioris filii, ut explicat Morellius, qui etiam ex titulo, ϹΕΒΒΒ. cum triplici ΒΒΒ. infert, Valerianum juniorem vivente adhuc patre Auguſtum dictum, & tres illas litteras denotare, hanc appellationem omnibus tribus attribuendam eſſe. At *Valerianum* Valeriani filium, quemadmodum & *Valerianum* Gallieni Auguſti filium in eo Nummo expreſſum ante hujus captivitatem Auguſtos non fuiſſe certiſſimum. Valerianus autem Cæſar ibidem Auguſtus appellatur juxta regulam jam à nobis ſtatutam, quòd nempe Cæſares junctim cum Auguſtis in Nummis memorati, Auguſti & ipſi in Nummis ſæpe vocentur. Verum eſt, in Cimelio Regio duos Gallieni junioris Nummos æreos aſſervari, in quorum antica legitur: Π. ΛΙΚ. ΚΟΡ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟϹ. ΚΑΙϹ. ϹΕΒ. id eſt, *Publius Licinius Cornelius Valerianus Cæſar Auguſtus*: qui titulus eidem Salonino in alio Nummo Græco ab Occone pag. 476. inter Nummos Valeriani Gallieni Auguſti fratris relato, etiam attributus. Sed id adulationi tribuendum videtur; neque enim aliam rationem inpræſentiarum aſſignare poſſum. In ſecunda quidem parte Diſſert. Hypaticæ cap. 6. num. VII, hoc Nummo Occoniano & hac Inſcriptione, quæ etiamnum in territorio Nicienſi extat, innixus:

III. *Gallienus junior conſecratus, & Auguſtus non appellatus.*

CORNELIÆ SALO
NINÆ
SANCTISSIM. AUG.
CONJUG. GALLIENI
JUNIORIS AUG. N.
ORDO CEMENEL-
CUR. ANT. AURELIO
JANUARIO. V. E.

ſcripſi, *Gallienum juniorem* ante mortem Auguſtum nuncupatum fuiſſe, & uxorem duxiſſe *Corneliam Saloninam* de nomine matris mariti appellatam. Sed *Gallienum juniorem* puerum & valde juvenem in Nummis poſtea repræſentatum deprehendi, eamque Inſcriptionem de *Gallieno* ejus patre reſpectu *Valeriani* ſenioris juniore nuncupato omnino interpretandam eſſe deprehendi; ita ut vox *junior* non ad *Gallienum*, ſed ad *Auguſtum noſtrum* referenda ſit. Cujus rei jam exem-

plum in medium adduxi, cùm de Commodo Marci Aurelii filio in Nummo à me recitato *juniore Auguſto* dicto, ſermonem haberem, aliudque infrà referam de Galerio Maximiano reſpectu Maximiani Herculii, *Maximiano jun. Aug.* in Nummis appellato. Hæc igitur regula ſtatuenda. Vox *junior* nominibus poſtponitur, dignitatibus verò præponi ſolita. Sic Probus junior Conſul, Paulinus junior Conſul in epigraphis vocati, ibique vox *junior* non ad Conſulatum, ſed ad Probum & Paulinum refertur. Quandonam verò ea ad nomen, & quando ad dignitatem referatur, nihil certi ſtatuere poſſum.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5754. ☉ 18 F. ☽ 15. P. 7. April. Indict. 9.

Olymp. 260. Jesu Christi 261. *ſecundùm Baronium 262.*

Dionysii Papæ 3.

Gallieni Imp. 9.

I. *Conſules.* COss. *Gallienus Aug. IV*, & *Petronius Voluſianus*.

Sumtus hic à Gallieno Conſulatus juxta primam Conſulatuum Cæſareorum regulam, quòd ſcilicet ſolus poſt captum Valerianum regnaturus eſſet, ut in Diſſert. Hypatica indicavi; cujus tamen rei arcanum, cùm eam elucubravi, nondum plenè detexeram. Hinc Dionyſius Alexandrinus in Fragmento epiſtolæ mox citando, narrato Macriani Tyranni interitu, ait: *Gallienus renuntiatus, & communi omnium conſenſu approbatus eſt: Vetus ſimul Imperator ac novus*, &c. quod etiam poſtea in uſu vocatum, ut oſtendam in Conſtantio Conſtantini Magni filio, qui debellatis Tyrannis rurſus Imperator appellatus eſt, & ſe ipſum Conſulem in annum ſequentem deſignavit. Quod itaque conjecturâ aſſecutus fueram, certis exemplis probari poteſt. Baronius currenti anno, quem CCLXII appellat, Gallienum IV, & Valerianum Cæſarem Conſules proponit, quòd Vopiſcus in Aureliano cap. 13. ex Actis publicis hæc verba recitet: *Cum conſediſſet Valerianus Auguſtus in thermis apud Byzantium, aſſidentibus Memmio Fuſco Conſule ordinario*, &c. Aurelianum Conſulem ſuffectum declaravit, ut Vopiſcus cap. 11. jam retulerat: *Conſulatum cum eodem Ulpio Crinito in annum ſequentem à die undecimo Kalend. Juniarum in locum Gallieni & Valeriani ſperare te convenit.* Ex quibus Baronius deducit, poſt Conſulatum Memmii Fuſci anno CCLVIII ſecundùm Baronium, anno CCLXI Conſulis ordinarii, ſtatuendos eſſe Conſules ordinarios Gallienum IV, & Valerianum, à Kal. Januariis uſque ad XXII Mai, à qua die iniere ſuffectum Conſulatum Crinitus II, & Aurelianus, qui poſtea imperavit. Sed ne novum par Conſulum in Faſtos insereret, loco *Voluſiani*, qui in omnibus antiquis Faſtis Collega Gallieni in quarto ejus Conſulatu dicitur, ponit *Valerianum Cæſarem* Valeriani Auguſti filium, quem *Voluſianum* etiam in Faſtis appellari dicit. Verùm, *Valerianum* illum ante Valeriani patris captivitatem, Cæſarem non fuiſſe ſuperiùs demonſtravi: & Noriſius in Parergo de Votis Decennalibus cap. 5. doctè obſervat, *Valerianum* non potuiſſe *Voluſianum* etiam cognominari. Nam *Valerianus* erat cognomen Liciniæ familiæ, ut ex Nummis Valeriani ſenioris, ac Gallieni patet: & *Valerianus junior* in Numiſmatibus dicitur P. Lic. Valerianus Caes. At Voluſianus fuit ex familia *Petronia*, & bis, imperante Gallieno, Præfectus Urbi fuit, ut ex Indiculo Præfectorum Urbis à Cuſpiniano publicato intelligitur. Perperam itaque duo Conſulatus, qui in omnibus Faſtis ante Conſulatum Gallieni IV ponuntur, exploſit Baronius, & cum illis annos duos eiſdem reſpondentes malè abjecit; cùm decantatiſſimus Conſulatus ille Gallieni & Valeriani à Vopiſco memoratus, ſuffectus tantùm fuerit, & *Gallienus* ille non Gallienus Auguſtus, ſed *Gallienus Cæſar* ejus filius, & *Valerianus* Gallieni junioris Collega, & Valeriani Auguſti filius per hæc tempora nondum Cæſaream dignitatem adeptus eſſet; quod extra controverſiam me poſuiſſe exiſtimo. Vides interim, ob duos præfatos Conſulatus rejectos, Baronium, qui res geſtas annis CCLIX, & CCLX alieno loco recitavit, jam anno dumtaxat uno ab Era vulgari diſtare.

Ad num. II. *Valeriani* Auguſti captivitas, quam hoc anno Baronius narrat, ſub Conſulatu Æmiliani & Baſſi, ideoque & anno Chriſti CCLIX accidit, ut eo anno oſtendimus. Cedrenus ſcribit, *Valerianum* à Sapore captum eſſe *apud Cæſaream*; ſed major fides Zonaræ, qui id *Edeſſæ* factum dicit, adhibenda. II. *Valeriani ſervitus.*

Ad num. III. *Macrianum* in Oriente, & *Aureolum* in Illyrico anno etiam CCLIX tyrannidem arripuiſſe, ibidem etiam docuimus. III. *Macrianus & Aureolus.*

Ad eundem pariter annum referenda pax Eccleſiæ à Gallieno conceſſa, poſtquam patrem captum accepit. IV. *Pax Eccleſiæ.*

Ad num. IV. *Paulus Samoſatenus* anno poſt captivitatem Valeriani dicitur factus Epiſcopus Antiochenus in Chronico Euſebii editionis Scaligerianæ, ideoque præcedenti anno Chriſti. Vides itaque in Annalibus nihil penitus recitari, quod ad præſentem annum pertineat, propter rationem jam ſuprà aſſignatam. V. *Paulus Samoſatenus fit Epiſc. Antioch.*

Hoc itaque anno *Macrianus* & duo ejus filii *Macrianus* & *Quietus* interemti, & Eccleſia Alexandrina edicto pacis à Gallieno conceſſo tandem potita. Euſebius enim lib. 7. cap. 23. refert poſteriorem partem epiſtolæ Dionyſii Alexandrini ad Hermammonem, in qua Dionyſius narrat, quomodo *Valerianus* Imperator à *Macriano* ad acerbam perſecutionem adverſus Chriſtianos excitandam impulſus eſt, ac ab eodem proditus, juſto Dei judicio, *Sapori* traditus eſt. *Macrianus* autem, eo capto, Imperium, cui inhiaverat, cum filiis obtinuit, & in Ægypto ab omnibus receptus eſt. Hunc *Macrianum* nubi aſſimilat Dionyſius, quæ radios Solis aliquandiu intercipit, ipſumque Solem obſcurat: poſtea verò Sol, ea evaneſcente, quaſi novus & clarus apparet. Tum de Gallieno hæc ſcribit: *Religioſiſſimus verò Deique amantiſſimus Impe-* VI. *Macrianus & filii interemti.*

Baron. ann. 263. num. XII.

rator ſeptennalem circulum jam emenſus, nonum Imperii annum degit, quo nos feſta celebraturi ſumus. Scripta itaque ea epiſtola præſenti anno, quo nonum Imperii annum Gallienus auſpicatus eſt. Neque enim, ut Baronius credidit, ea anno ſequenti data; quia, ut viſuri ſumus, Gallienus anno CCLXII Decennalia celebravit, de quibus ſub feſti nomine in laudato loco mentio, & ante illud feſtum hæc epiſtola exarata. Quare cùm in priori parte epiſtolæ Dionyſii ad Hermammonem, quam refert Euſebius lib. 7. cap. 10. Dionyſius dicit: *Joanni quoque ſimiliter revelatum eſt. Ait enim: Et datum illi os loquens magna & impia; & data eſt illi poteſtas & menſes quadraginta duo*; (Apocal. 13.) *utrumque porro in Valeriano impletum mirari licet*; illi XLII menſes hoc anno in interitu Macriani ac filiorum terminantur. Nam per tot menſes Ægyptus & Alexandria vexatæ; de illis enim ſolis loquitur Dionyſius, non verò de perſecutione Eccleſiæ in univerſum, ut communiter locus ille ab omnibus explicatur. Pearſonius, qui vulgarem illam opinionem tenuit, laudata Dionyſii verba, *Religioſiſſimus verò Deique amantiſſimus*, &c. optimè explicavit. Quis, inquit, unquam ita locutus eſt, ut quis poſt ſeptennium diceretur nonum annum jam agere? Neceſſe eſt, ut illud ſeptennale aliquid peculiare deſignet, & diverſum ab eo tempore, quod poſtea ſecutum eſt. Eſt autem illud ſeptennium Imperii, quod cum patre adminiſtraverat. Ut Victor: *Regnavit annos quindecim, cum patre ſeptem, ſolus octo.* Sed fallitur in eo quod ſubjicit, Gallienum nempe ſeptennium tranſcendiſſe, & octavo Imperii anno Macrianum Imperialem honorem adeptum eſſe, præſertim in Ægypto. Nam Gallienus ſeptennium illud incompletum imperavit; ſed antequam abſolveretur, *Macrianus* in Ægypto purpuram ſumſit, & ab eo tempore nulla in Ægypto auctoritas Gallieno fuit. Toto itaque octavo Imperii ejus anno *Macrianus* in Ægypto regnavit, neque ante præſentem, quo *Gallienus* nonum exorſus eſt, ipſe & duo ejus filii interemti. Et ratio eſt, quia *Macrianus* ſecundum Imperii annum inchoavit. Extat enim apud Goltzium Nummus Græcus inſcriptus: ΑΥΤ. Κ. Μ. ΦΟΥΛ. ΜΑΚΡΙΑΝΟΥ. ΕΥΣ. ΣΕΒ. L. Β. id eſt, *Imperator Cæſar Marcus Fulvius Macrianus Pius Auguſtus. Anno ſecundo.* Cùm igitur toto octavo Gallieni anno tyrannidem in Ægypto exercuerit, ſeptimo ejuſdem Gallieni anno ab eo deſciverat. Verùm, eo hoc anno occiſo, majeſtas Gallieni etiam apud Ægyptios agnita eſt: *Gallienus verò*, inquit Dionyſius, *renuntiatus, & communi conſenſu omnium iterum approbatus eſt, vetus ſimul Imperator ac novus*: *prior* illis, *ac poſt illos præſens*, poſt *Macrianum* nempe & filios. *Gallienus* itaque uſque ad ſeptimum Imperii annum inchoatum cum patre regnavit; per aliquot menſes ſolus: ſed toto octavo ejus anno *Macrianus* Imperio potitus eſt, & nonniſi anno nono poſtquam *Macrianus* & filii periere, majeſtas Gallieno apud Ægyptios reſtituta fuit.

VII. *Pax Eccleſiis per Ægyptum conſtitutis reddita.*

Sublatis in Ægypto Tyrannis, Gallienus hoc reſcriptum ab Euſebio lib. 7. cap. 13. recitatum, ad Dionyſium Alexandrinum, aliosque Ægypti Epiſcopos miſit, quo perſecutionem ſedavit: *Imperator Cæſar P. Licinius Gallienus, Pius Felix Auguſtus Dionyſio, Pinnæ, Demetrio, & reliquis Epiſcopis. Indulgentiam beneficii noſtri per univerſum Orbem diffundi præcipimus, ut cuncti à religioſis locis abſcedant. Quocirca & vos reſcripti noſtri formâ uti poteſtis, ut nullus vobis deinceps moleſtiam faceſſat. Atque id quod vobis exequi licet, jamdudum à me conceſſum eſt.* Gallienus itaque, qui jamdiu pacem Eccleſiæ dederat, eam in Ægyptum diffundi voluit, præcepitque, ut cuncti à religioſis locis recederent, quod jam poſt captivitatem patris aliis Epiſcopis conceſſerat; ſed quâ conceſſione propter Macriani tyrannidem Patriarchatus Alexandrinus potiri non potuerat. Euſebius paulò pòſt addit: *Eſt & alia ejuſdem Imperatoris Conſtitutio ad alios Epiſcopos data, quâ iis permiſit, ut Cœmeteriorum ſuorum loca recuperarent.* Quamobrem falluntur Viri doctiſſimi, qui autumant, hæc duo reſcripta ſtatim poſt Valerianum captum emiſſa fuiſſe. Illud enim, quod tunc à Gallieno publicatum, & cujus mentio in priori reſcripto laudato, ad nos non pervenit, & quod recitat Euſebius, ad Epiſcopos tantùm Ægypti directum, ut potiri poſſent priori illo decreto, in omnium favorem emiſſo, quo hactenus propter Macriani tyrannidem gaudere non potuerant.

VIII. *Rufinus agnovit, duo edicta ad ſedandam perſecutionem emiſſa fuiſſe.*

Unus *Rufinus*, quod legerim, hoc agnoviſſe videtur. Nam licèt Euſebius in libro ſeptimo, poſtquam cap. 12. de iis, qui apud Cæſaream Palæſtinæ martyrio perfuncti ſunt, cap. 13. de pace à Gallieno reddita agat; cap. 14. *de Epiſcopis, qui tunc floruere*; cap. 15. *quomodo Marinus apud Cæſaream martyrio decoratus eſt*; cap. 16. *de Aſtyrio Chriſti causâ etiam cæſo*; cap. 19. *de Throno Jacobi Epiſcopi*: nihilominus Rufinus ordinem immutavit; quod conſiderans Valeſius in Notis Euſebianis ad lib. 7. cap. 13. ait: *Porro monendus eſt Lector, capitum ordinem hîc à Rufino commutatum. Hæc enim duo capita 13. & 14 Rufinus collocavit poſt caput 19. quod eſt de Cathedra Jacobi. In Indice tamen capitulorum, quem idem Rufinus huic libro præfixit, idem eſt ordo capitulorum, qui in Græcis Euſebii exemplaribus. Cur autem Rufinus ordinem capitum mutaverit, cauſam non video: niſi fortè quia commodius eſſe cenſuit, Marini & Aſturii martyria ſubnectere paſſioni Martyrum Cæſarienſium. Sed animadvertere debuerat, diverſis hæc temporibus contigiſſe. Nam Cæſarienſes quidem illi paſſi ſunt in perſecutione Valeriani. Marinus autem & Aſturius ſub Gallieno. Rufini errorem Uſuardus, & Ado, ac reliqui deinceps ſecuti, martyrium Marini, atque Aſterii in Valeriani tempora contulerunt. Sed eos fefellit Euſebius, ut dixi.* Ita Vir doctiſſimus. Verùm, licèt licentia illa, libertaſque aliquid in veteribus Auctoribus immutandis minimè toleranda ſit, ex ea tamen, quam ſibi Rufinus ſumſit, intelligimus, ipſi perſuaſiſſimum fuiſſe, edictum Gallieni ad Dionyſium alioſque Epiſcopos Ægypti miſſum, aliud fuiſſe ab eo, quo per univerſum Imperium perſecutio vetita. Nam Euſebius cap. 15. lau-

ſtato tradit, *pace cunctis ubique Eccleſiis reddita, apud Cæſaream Palæſtinæ* Marinum quemdam *militari dignitate* decoratum, ob confeſſionem Chriſti capite truncatum, eodemque ſupplicio *Aſterium* ſeu Aſturium affectum fuiſſe, quòd corpus ejus *decenti* tradidiſſet *ſepulturæ*: quod cùm factum ſit poſt decretum generale, quo pax cunctis Eccleſiis conceſſa, & ante decretum ad Epiſcopos Ægyptiacos poſt cladem Macriani datum, Rufinus hoc ultimum utrique martyrio poſtponendum, & Euſebii ordinem majoris claritatis gratiâ invertendum duxit. Hinc non malè Uſuardus, & Ado, ac reliqui deinceps Rufinum ſecuti, martyrium Marini atque Aſterii in Valeriani tempora contulere; licèt uterque poſt Valerianum in Perſidem ductum paſſus ſit: edicti enim Valeriani, etiamſi à Gallieno reſciſſi, vi & auctoritate morti traditi ſunt.

IX. *Æmilianus Imperium in Ægypto uſurpat.*

Baron. ann. 263. num. VI & ſeqq.

Poſt *Macriani* & filiorum interitum, *Æmilianus* ſumſit Imperium, *Thebaïdem totamque Ægyptum peragravit*, quem tandem Dux Gallieni *Theodotus* Imperatori Gallieno vivum tranſmiſit, ut teſtatur Pollio in duobus Gallienis cap. 4. & libro de Triginta Tyrannis cap. 22. ubi cùm de eo agat, antequam Gallienum & Fauſtinum anni inſequentis Conſules, & res ſub iis geſtas memoret, apparet, *Æmilianum* poſt Macriani cladem & epiſtolam Dionyſii ad Hermammonem, de qua ſuprà egimus, ſcriptam, Imperium in Ægypto uſurpaſſe: de quo cùm ſub laudatis Conſulibus rurſus Pollio mentionem faciat, ſub iiſdem interfectus eſt, cùm in Nummis ſecundus Imperii ejus annus non legatur.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5755. ☉ 19 E. ☽ 16. P. 23. MART. INDICT. 10.

Olymp. 260. ſecundùm Baronium.

JESU CHRISTI 262. *ſecundùm Baronium 263.*

DIONYSII PAPÆ 4.

GALLIENI IMP. 10.

I. *Conſules.*

COSS. *P. Licinius Gallienus Aug. V*, & *Fauſtinus*, ut libellus de Præfectis Urbi, Anonymus Cuſpiniani, ceterique Antiqui Faſtorum conditores habent.

II. *Decennalia Gallieni.*

Sumtus is à Gallieno Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam, ob ejus nempe Decennalia, celebrata *novo genere Ludorum, nova ſpecie pomparum, exquiſito genere voluptatum*, inquit Pollio in duobus Gallienis cap. 8. ubi pluribus hanc pompam deſcribit, & Gallienum medium *cum picta toga & tunica palmata inter Patres*, Capitolium petiiſſe dicit. Quare Conſulatum nondum Gallienus abdicarat, quando hanc feſtivitatem edidit. Conſtatque, verum eſſe quod ſæpe inſinuavi, in hujuſmodi ſc. feſtis nova de more inducta fuiſſe, ideoque & Gallieni Decennalia novum Ludorum genus, & novam ſpeciem pomparum decoraſſe. Cùm porro apud Vaillantium V. C. averſam partem Numiſmatis Gallieni vidiſſem, tomo 2. pag. 172. in qua habetur in laurea: VOTIS X ET XX, in dubio ſtatim fui, an nova hæc formula, ante hunc annum, quod ſaltem ſciam, nondum Nummis inſculpta, ipſo Imperii initio, quo Vota Decennalia ſuſcepta, vel hoc anno, quo eadem Vota ſoluta, uſurpari cœpta fuerit. Quare ſcripſi ad Virum Clariſſimum Andream Morellium Regiis Numiſmatis delineandis totum intentum, ut pro ſua erga me benevolentia Nummum illum integrum deſcribendum curaret: qui ſtatim reſcripſit, in antica parte conſpici caput radiatum Gallieni cum veſte Conſulari, & his verbis circùm: GALLIENUS AUG. in poſtica verò legi: VOTIS X ET XX in corona, Nummumque illum aureum in Cimelio Regio aſſervari. Gaviſus ſum vidiſſe citatum Pollionis locum hoc Numiſmate confirmatum, hujus formulæ, quæ poſtea magno in uſu fuit, originem à Gallieni Decennalibus repetendam, ac præclaram occaſionem nactum eſſe, Antiquarios monendi, ut Numiſmata integra edant; cùm alioquin non ſolùm eruditioni plerumque inutiles ſint, ſed & ipſa Numiſmata, eorumque ſtudioſos ac editores in contemtionem adducant. Baronius, qui Imperium Valeriani & Gallieni tardiùs inchoavit, præſentem annum nonum Gallieni appellat, quòd in Nummis nona Tribunitia Poteſtas Gallieni ejuſdem Conſulatui quinto conjungatur. Verùm vana hæc ratio; Tribunitia enim Poteſtas nona Gallieni, quâ nonus Imperii ejus annus deſignatur, per priores hujus anni menſes in curſu fuit, & Tribunitia Poteſtas X nonniſi circiter menſe Maio à Gallieno ſumta.

III. *Duæ ſeditiones Alexandrinæ diſtinguendæ.*

Baron. num. 11 & ſeqq.

Ad num. II. Euſebius lib. 7. cap. 21. de Dionyſio Alexandrino ſcribit: *Poſt hæc, pace vixdum reſtituta, Alexandriam regreſſus eſt. Verùm, cùm ſeditio bellumque rurſus illic exortum fuiſſet, iterum ipſo Paſchæ die ex urbe Alexandria tanquam extorris eos per literas alloquitur.* Tum narrat graviſſima mala ex illa ſeditione exorta. Quare anno præcedenti paulò poſt pacem reſtitutam, Dionyſius Alexandriam rediit, ubi hoc anno tempore Paſchatis in epiſtolis ſuis mentionem fecit illorum tumultuum, qui ſub finem anni præcedentis contigere, quando Æmilianus tyrannidem in Ægypto arripuit. Hæc enim de Æmiliano intelligenda obſervat Valeſius in Notis Euſebianis. Porro Baronius malè confundit hanc ſeditionem cum altera in eadem urbe excitata, Claudio regnante, & ab Euſebio lib. 7. cap. 32. narrata, qua durante *Euſebius* & *Anatolius* celeberrimi Epiſcopi Alexandrinæ urbi laboranti operam commendarunt; quo tempore jam Dionyſius Alexandrinus ad cæleſtem patriam migrarat. Sed de hac ſecunda ſeditione infrà accuratè agemus.

IV. *Variæ clades Imperii Romani.*

Baron. num. XVIII & ſeqq.

Ad num. III. Quia Pollio in duobus Gallienis ſub hujus anni Conſulibus, variarum gentium in Imperium Romanum irruptiones, & quæ in ejus Decennalibus facta, narrat, & Conſulibus anni ſequentis, Albino nempe & Maximo, & rebus eo Conſulatu geſtis prætermiſſis, ſtatim ſubdit: *Gallieno & Saturnino Conſulibus, Odenatus Rex Palmyrenorum obtinuit totius Orientis Imperium*: hinc factum, ut Mediobarbus V. C. in Numiſmatis Imperatorum pag. 375. hæc anno ſequenti ex Pollione narret: *Gothi occupatis*

Thraciis, Macedoniam vaſtant, & Theſſalonicam obſident, mox victi recedunt: Scythæ Aſiam vaſtant, & Templum Dianæ Epheſiæ ſpoliant. Byzantii milites omnes interimit Gallienus, mox Romam convolat, & Decennalia magnificè celebrat. Sed hæc omnia currenti anno acta; cùm certum ſit, Gallienum Decennalia, ut jam oſtendimus, exhibuiſſe, & Pollio omnes illas devaſtationes & incurſiones narret, antequam ea, quæ in Decennalibus geſta, & Gallieni Romæ reditum recitet. Porro quando ibidem ait Pollio: *Pugnatum eſt in Achaia Macriano Duce contra eoſdem Gothos, unde victi per Achæos receſſerunt*: cave *Macriani* nomine Tyrannum, aut Macrianum ejus filium intelligas: jam enim uterque anno præcedenti perierat, ipſomet Pollione teſte. Codex Palatinus habet, *Mariano Duce*, ut obſervat Gruterus in Notis ad Pollionem. Sed, ut rectè Salmaſius, legendum, *Marciano Duce*, de quo loquitur Zoſimus pag. 651. cui Gallienus contra Poſtumum profecturus, belli Scythici, vel Gothici ſummam mandavit. Ait præterea ibidem Pollio: *Contra Poſtumium Gallienus cum Aureolo & Claudio Duce, qui poſtea Imperium obtinuit, bellum incepit, & cùm multis auxiliis Poſtumius juvaretur Celticis ac Francicis, in bellum cum Victorino proceſſit, cum quo Imperium participaverat. Victrix Gallieni pars fuit, pluribus præliis eventuum ratione decurſis.* Quibus ex verbis intelligimus, Victorinum, qui poſt Poſtumum occiſum imperavit, jam hoc anno ab eo in conſortium Regni vocatum fuiſſe.

V.
Porphyrius Romam venit.

Ad præſentem annum referenda, quæ ſequenti de Porphyrio & Plotino num. III & IV dicemus. Ea enim anno quo *Gallienus* Decennalia dedit, contigiſſe in dubium revocari non poteſt. Mirum itaque videri non debet, ſi tantâ diligentia ea ſolemnia explico; cùm eorum beneficio varia è tenebris educantur.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5756. ☉ 20 D. ☽ 17. P. 12. April. Indict. II.

Jesu-Christi 263. *ſecundùm Baronium 264.*

Dionysii Papæ 5.

Gallieni Imp. 11.

I.
Conſules.

COss. *M. Nummius Albinus II, & Maximus Dexter.* Albinum cum numerali nota proponit liber de Præfectis Urbi, & Reineſius in Syntagmate Inſcriptionum pag. 465. unam refert, in qua legitur: M. Nummio Albino Consuli ordinario iterum; fuerat enim Conſul ordinarius anno Chriſti CCXXVII, ut oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari. Notam etiam numeralem exhibent Faſti Heracliani.

II.
Liber Dionyſii Alex. adverſus Millenarios.
Baron. num. 1 & ſeqq.

Ad num. I. Cùm ex Euſebio lib. 7. cap. 24 conſtet, librum Dionyſii Alexandrini *de Promiſſionibus* ſcriptum fuiſſe adverſus *Nepotem* Epiſcopum Ægypti, qui *Millenariorum* errorem docebat, mirum, inquit Valeſius in Notis ad Euſebium, Hieronymum in Præfatione libri 18. Commentariorum in Iſaïam affirmare, librum illum adverſus Irenæum Lugdunenſem Epiſcopum à Dionyſio fuiſſe conſcriptum; ait enim Hieronymus: *Irenæi tantùm Lugdunenſis Epiſcopi faciam mentionem: adverſus quem vir eloquentiſſimus Dionyſius, Alexandrinæ Eccleſiæ Pontifex, elegantem ſcripſit librum, irridens mille annorum fabulam.* Fuit quidem Irenæus ex eorum numero, qui regnum Chriſti mille annorum ſpatio in terris futurum crediderunt. Verùm, Dionyſii liber non contra *Irenæum*, ſed contra *Nepotem* exaratus, ut ex Euſebio laudato, & ex ipſo etiam Hieronymo in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis liquet.

III.
Porphyrius occaſione Decennaliũ Gallieni Romam venit.

Ad num. II. *Porphyrius* Philoſophus Platonicus, non Judæus, ſed Tyrius fuit, ut anno CCCII num. VIII demonſtrabo, neque hoc anno, ſed præcedenti Romam venit anno ætatis ſuæ triceſimo, ut ex Vita Plotini ejuſdem ſectæ Philoſophi, quam in literas miſit, intelligimus, ideoque natus erat anno Chriſti ducenteſimo triceſimo ſecundo, aut circiter. Illud manifeſtè liquet ex eadem Vita, in qua dicitur: *Agebat Plotinus annos (ut retulit Euſtochius) ſex & ſexaginta, ſecundo Claudii Imp. anno jam peracto.* Et paulò pòſt: *Jam verò ſi computemus à ſecundo Claudii Imp. anno exacto jam annos ſex & ſexaginta, nativitatis illius tempus cum tertio decimo Severi Imp. anno concurrit.* Quare in lucem prodiit *Plotinus* anno ducenteſimo quinto, quo decimus tertius *Severi* cœpit, obiitque anno ducenteſimo ſeptuageſimo, quo *Claudius* etiam è vivis exceſſit, annique illi ſexaginta ſex utrimque incompleti fuere. Antea ſcripſerat Porphyrius: *Decimo Gallieni Imp. anno ego Porphyrius è Græcia unà cum Antonio Rhodio Romam veniens Amelium reperi, octo & decem jam annos Plotino familiariter uſum.* Poſtea ait: *Hi ergo libri unus atque viginti, quando eum primùm conveni, ſcripti jam erant, quando Plotinus nonum & quinquageſimum ætatis annum agebat, ego autem & hunc ipſum annum, & quinque inſuper deinceps cum Plotino verſatus ſum.* Plotinus itaque anno Chriſti ducenteſimo ſexageſimo ſecundo, quo Gallienus decimum Imperii annum inchoavit, quinquageſimum nonum ætatis ingreſſus eſt, eodemque anno Porphyrius Romam venit, ibique toto illo anno & quinque inſuper uſque ad annum Chriſti CCLXVII manſit, ut liquet ex ſequentibus Porphyrii verbis: *Quo verò tempore in Sicilia vitam agebam, quò perveneram circa quintum decimumque Gallieni Imp. annum, Plotinus libros quinque compoſuit, & ad me in Siciliam miſit.* Neque dici poteſt, decimum illum Gallieni annum intelligendum eſſe de ultima ejus parte, quæ cum præſenti Chriſti anno concurrit: ſic enim *Porphyrius* non potuiſſet pervenire in Siciliam *circa quintum decimumque Gallieni Imp. annum.* Quamobrem *Porphyrius* occaſione Decennalium Gallieni anno antecedenti magnâ pompâ celebratorum Romam venit.

IV.
Plotinus de Platonopoli condenda fruſtra agit.

Ad num. III. Quid *Plotinus* tentaverit, docet idem Porphyrius: *Gallienus Imp. uxorque ejus Salonia Plotinum honorabant, maximéque colebant. Hic igitur eorum benevolentia fretus, ut dirutam quandam olim in Campania civitatem Philoſophis aptam inſtaurarent, regionemque circumfuſam culta

civitati donarent, concederentque civitatem habitaturis Platonis legibus gubernari, atque ipſam Platonopolim appellari, pollicebatur ſe illuc habitatum unà cum amicis omnibus profecturum. Quod facilè Philoſophus ad votum impetraviſſet, niſi quidam Imperatoris familiares invidiâ, vel indignatione, vel alia iniqua de cauſa acriter obſtitiſſent. Quibus ex verbis luculenter confirmatur, quod ſæpius alibi inſinuavi, annis ſc. Decennalibus & id genus feſtis addictis urbes aut conſtructas, aut reædificatas, aut novis nominibus de more appellatas fuiſſe. Quæ ſimiliàve lubenter inculco, quia hactenus nemini obſervata, plurimumque ad Antiquitatis notitiam conducentia. Ex dictis etiam manifeſtum fit, *Gallienum* anno CC LIII Imperium ſuſcepiſſe; alioquin initium Imperii ejus incidere non poſſet in annum CC LXII. *Porphyrium* enim in ea Vita annos incompletos pro completis numerare certum.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5757. ☉ 21 CB. ☽ 18. P. 3. APRIL. INDICT. 12.

JESU CHRISTI 264. *ſecundùm Baronium* 265.

DIONYSII PAPÆ 6.

GALLIENI IMP. 12.

I.
Conſules.

COSS. *Gallienus Aug. VI*, & *Saturninus*. Gallieni Conſulatus juxta quintam Conſulatuum Cæſareorum regulam, ob *triumphum* nempe *Perſicum* Gallieni, de quo mox ſermo erit. Imperatores enim, ſi annis Decennalibus & id genus feſtis addictis triumphos non ducerent, ad eos aliis annis exhibendos Conſulatum ſuſcepiſſe jam ſæpius indicavi.

II.
Triumphus Gallieni, qui Odenatum Auguſtum dicit.
Baron. num. I.

Ad num. I. Pollio in duobus Gallienis cap. 10. ait: *Gallieno, & Saturnino Conſulibus Odenatus Rex Palmyrenorum obtinuit totius Orientis Imperium*; additque, illum ſtatim bellum Perſis indixiſſe, Niſibin & Carras occupaſſe. Tum ſubjicit: *Vincente Odenato triumphavit Gallienus, nulla mentione patris facta: quem nec inter Deos quidem, niſi coactus, retulit, cùm mortuum audiſſet, ſed adhuc viventem: nam de illius morte falsò compererat.* Quæ verba confirmant quod ſcribit Auctor Chronici Alexandrini, Valerianum ſeniorem in ſervitute vixiſſe uſque ad annum Chriſti CC LXIX, ut jam ſuprà anno CC LIX, quo in Perſidem eſt abductus, diximus. *Odenatus* non ſemel, ſed iterum *Cteſiphontem* uſque proceſſit, & Perſas intra munitiones ſuas compulſos occluſit, inquit Zoſimus pag. 651. quod & confirmat Pollio citatus, qui ſubdit, Gallienum, ubi comperit, *Cteſiphontem* eſſe perventum, fugiſſe Regem, captos Satrapas, plurimos Perſarum occiſos, *Odenatum participato Imperio Auguſtum* vocaſſe. Cùm verò Mediobarbus Nummum Græcum Odenati Auguſti producat, in quo legitur, L. Δ. id eſt, *anno quarto*, & Odenatus anno CC LXVII occiſus fuerit, liquet, hanc nuncupationem præſenti anno factam. Certè annis, quibus Imperatores triumphabant, eadem quæ annis eorum Decennalibus & id genus feſtis addictis, de more præſtita.

III.
An epiſtola Dionyſii ad Paulum Samoſatenſem ſuppoſititia.
Baron. n. v & ſeqq.

Ad num. III. Epiſtola Dionyſii Alexandrini adverſus *Paulum Samoſatenſem* Epiſcopum Antiochenum, falſa & ſuppoſititia creditur à Valeſio in Notis ad lib. 7. Euſebii cap. 30. Nam Patres quidem, inquit Valeſius, Antiocheni Concilii affirmant, *Dionyſium* non dediſſe literas ad Paulum, ſed tantùm ad Eccleſiam Antiochenſem. In illa autem epiſtola, quæ Dionyſii nomine publicata eſt, Dionyſius bis *Paulo* ſcripſiſſe dicitur. Sed nec ſtylus illius epiſtolæ ac reſponſionis, reliquis Dionyſii Scriptis reſpondet. Itaque Opus illud adulterinum eſſe, ob eas quas dixi rationes, mihi perſuadeo, licèt Baronius eam epiſtolam pro vera ac germana habuerit. Ita Valeſius, ea præcipuè ratione motus, quòd in epiſtola ab Euſebio lib. 7. cap. 30. recitata, Epiſcopi, qui Antiochenæ Synodo contra Paulum Samoſatenſem coactæ interfuerant, de Dionyſio Alexandrino loquentes dicant: *Scripſit quidem Antiochiam, ſed erroris ducem* (videlicet Paulum) *ne ſalutatione quidem dignatus eſt, neque ad eum nominatim, verùm ad univerſam Antiochenſem Eccleſiam literas ſuas direxit*: & nihilominus ea epiſtola, quæ Græcè & Latinè tomo 1. Conciliorum refertur, his verbis incipitur: *Reſcripſimus ad ea, quæ priùs ſcripſiſti.* Ob quæ verba ea epiſtola Valeſio falſa credita, unà cum decem propoſitionibus ejuſdem Pauli, & Dionyſii ad eas in ea epiſtola reſponſionibus. Verùm ex illis verbis illud tantùm inferri debet, falsò eam epiſtolam Dionyſio Alexandrino attribui, non autem ſcriptam non fuiſſe ab aliquo ex Epiſcopis, qui Synodis adverſus Paulum Antiochenum celebratis interfuerunt. Innumeris enim exemplis conſtat, indubitatæ antiquitatis epiſtolas Exſcriptorum errore falſos titulos præferre. Porro plures Synodos adverſus Paulum coactas fuiſſe ipſemet Valeſius obſervat ex Euſebio lib. 7. cap. 28.

IV.
Synodus Romana adverſus Samoſatenſem ſuppoſititia.
Baron. num. x & ſeqq.

Quod verò ibidem dicit Baronius, teſtari Athanaſium lib. de Synodis, ſublatum fuiſſe à Dionyſio Romano Pontifice, & Dionyſio Alexandrino *Paulum Samoſatenſem*, Valeſium in Notis ad Euſebium, Petavium lib. 13. de Doct. Temp. alioſque Viros eruditos decepit. Exiſtimarunt enim, *Paulum* in aliqua Synodo Romana damnatum fuiſſe, quod tamen non dicit Athanaſius; cujus hæc ſunt verba: *Duo enim Dionyſii diu ante eos ſeptuaginta fuere, qui Samoſatenſem ſuſtulere; quorum alter Romæ, alter Alexandriæ Præſul erat.* Quæ verba ſic explicavit Baronius, quaſi relativum *qui* ad utrumque Dionyſium referretur, licèt ordinem dicat ad ſeptuaginta Epiſcopos, qui in ſecundo Concilio Antiocheno Paulum condemnavere: hos enim in eodem de Synodis libro Athanaſius vocat *Septuaginta Epiſcopos Pauli Samoſatenſis condemnatores*, quod Athanaſium legenti magis conſtabit. Synodus itaque Romana in cauſa Pauli Samoſatenſis ſuppoſititia eſt.

Olymp. 261.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5758. ☉ 22 A. ☽ 19. P. 23. APRIL. INDICT. 13.
JESU CHRISTI 265. *ſecundùm Baronium 266.*
DIONYSII PAPÆ 7.
GALLIENI IMP. 13.

I. *Conſules.* COss. *P. Licinius Valerianus II*, & *L. Lucillus Macer Rufinianus.* Prior erat Valeriani Auguſti filius, qui tam in libro de Præfectis Urbi & Anonymo Cuſpiniani, ac Faſtis Heraclianis, quàm in Inſcriptione ab Onuphrio lib. 2. Faſtorum relata, editur cum numerali nota, quia nempe anno ducenteſimo quinquageſimo nono, Gallieno juniore Cæſare Collega, Conſulatum ſuffectum geſſerat, quem præſenti anno nondum Cæſarem fuiſſe demonſtrat eadem Inſcriptio, dedicata currenti anno *pr. Non. Decembris*, ut in ea legitur, quæ his verbis incipit: COLONIA. AUGUSTA. VERONA. NOVA. GALLIENIANA. VALERIANO. II. ET. LUCILLO. CONS. Quòd ſi jam hoc anno *Valerianus* Cæſar fuiſſet, is titulus in ea Inſcriptione legeretur. Ex quo conſtat, perperam hactenus creditum, Valerianum iſtum ante patris captivitatem Cæſarem fuiſſe, quòd Pollio in Valeriano juniore dicat: *A patre abſente Cæſar eſt appellatus, à fratre (ut Celeſtinus dicit) Auguſtus.* Verùm Pollionem erraſſe certiſſimum: ex iis enim, quæ jam ex ipſomet Pollione retuli, manifeſtiſſimum redditur, hunc Valerianum, quando Valerianus ſenior ejus pater in Perſidem ductus eſt, nondum Cæſarem fuiſſe. Lucillus, cujus egregiam Onuphrius citatus Inſcriptionem recitat, Gallieni Auguſti, & Valeriani hoc anno Conſulis propinquus erat, ut docet Pollio in duobus Gallienis cap. 12. Fallitur autem Baronius, quando hunc *Valerianum* Gallieni Auguſti filium fuiſſe, Nummos declarare ſcribit. Nam jam ab aliquot annis *Gallienus junior* à Poſtumo, qui hoc tempore in Galliis regnabat, interfectus fuerat, illeque in Nummis dictus: P. CORN. SAL. VALERIANUS CAES. vel P. LIC. COR. VALERIANUS CAES. id eſt, *Publius Licinius Cornelius Valerianus Cæſar:* Valerianus verò Valeriani Auguſti frater, & hoc anno Conſul, nunquam in Nummis *Cornelius* vocatus, ſed tantùm P. LIC. VALERIANUS CAES; licèt uterque quandoque in Nummis tantùm dicatur VALERIANUS CAESAR.

II. *Poſterior Synodus Antiochena adverſus Samoſatenſem.* Ad num. I. Poſterior *Synodus Antiochena*, non verò prior, ut Baronius exiſtimabat, epiſtolam ad *Paulum Samoſatenſem* ſcripſit, in qua Patres Fidem ſuam de Chriſto ipſi ſignificant, & utrum eadem cum ipſis ſentiat, ſciſcitantur. Extat hæc epiſtola in Bibliotheca Patrum data à Synodo inter initia conſeſſûs, antequam Marchion Preſbyter adverſus Paulum diſputaſſet. Certè, inquit Valeſius in Notis Euſebianis lib. 7. cap. 30. vel ipſe illius epiſtolæ titulus eam in priori Synodo Antiochena ſcriptam apertè convincit: *Exemplum epiſtolæ miſſæ Paulo Samoſatenſi ab Orthodoxis Epiſcopis, priuſquam deponeretur.* Atqui conſtat, Paulum Samoſatenſem in ſecunda demum Synodo Antiochena depoſitum fuiſſe. Nam in priori Synodo deceptis per ſimulationem Epiſcopis indemnis abſceſſerat. Addit Valeſius, Epiſcoporum nomina illi epiſtolæ præfixa idem indicare: *Hymenæus, Theophilus, Theotecnus, Maximus, Proclus, Bolanus, Paulo in Chriſto ſalutem.* Neque enim Hymenæus in priori Antiochena Synodo, ſed Firmilianus Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus præſedit.

Baron. ann. 266. num. 11.

III. *Obitus Dionyſii Alexandrini.* Ceterùm, cùm Euſebius lib. 7. cap. 28. de hac Synodo Antiochena loquens ſcribat: *Dum hæc aguntur, Dionyſius extremum diem obiit, anno Principatûs Gallieni duodecimo, cùm Alexandriæ Epiſcopatum ſeptemdecim annis obtinuiſſet. In ejus locum ſubrogatus eſt Maximus:* liquet, hanc Synodum Antiochenam vel anno præcedenti, quo duodecimus Gallieni annus inchoatus, vel ſaltem currenti, quo abſolutus eſt, celebratam fuiſſe. Colitur *Dionyſius Alexandrinus* in Martyrologio Romano die XVII Novembris, obſervatque Valeſius in Notis ad Euſebium lib. 7. in Proœmio, cognomentum *Magni* non ſolùm ab Euſebio, ſed ab omnibus ferè antiquis Patribus Dionyſio Alexandrino attributum fuiſſe, uti à Baſilio in epiſtola Canonica ad Amphilochium, & à Maximo in Scholiis ad Dionyſium Areopagitam.

Baron. ibid. num. 2.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5759. ☉ 23 G. ☽ 1. P. 8. APRIL. INDICT. 14. Olymp. 261 *ſecundum*
JESU CHRISTI 266. *ſecundùm Baronium.*
Baronium 267.
DIONYSII PAPÆ 8.
GALLIENI IMP. 14.

I. *Conſules.* COss. *Gallienus Aug. VII*, & *Sabinillus.* Gallieni Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam, ob Quindecennalia nempe hoc anno celebrata. Quare rectè Baronius ſcribit, *Valerianum* Gallieni Auguſti fratrem hoc anno ab eo Auguſtum nuncupatum eſſe; cùm annis hujuſmodi ſolenniis addictis Cæſares & novi Auguſti creari ſoliti eſſent. Antea tamen hoc ipſo anno *Valerianus* Cæſar, ipſoque anno exeunte *Auguſtus* dictus: Tribunitia enim Poteſtas in Nummis ejus cum nota numerali non exhibetur. Hinc Mediobarbus in Numiſmatis Imperatorum pag. 378. Gallieni Nummum in poſtica inſcriptum: LIBERALITAS AUGG. S. C. ad Liberalitatem à Gallieno factam cùm Auguſti titulo *Valerianum* fratrem donaret, non malè refert; ſed in eo non audiendus, quòd Valerianum, *Odenato* hoc anno occiſo, eam dignitatem obtinuiſſe tradit. *Odenatus* enim nonniſi anno ſequenti ſublatus, ut tunc dicemus. In Diſſertatione Hypatica ſub hujus anni Conſulibus de Gallieni Quindecennalibus loquens retuli ex Occone pag. 472. Nummum Gallieni XV Tribunitia Poteſtate notatum cum hac poſtica: *col. . . . hie. fel. hel.* id eſt, *Colonia Ricina felix Helvia*; vel, *Colonia Aventic. felix Helvetiorum*, ut alii explicant. Sed hæ duæ partes duorum diverſorum Nummorum ibidem à me minùs conſiderate conjunctæ.

ANNO

Ann. Urb. 1020.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5760. ☉ 24 F. ☽ 2. P. 31. Mart.
Indict. 15.
Jesu Christi 267. *ſecundum Baronium* 268.
Dionysii Papæ 9.
Gallieni Imp. 15.

I. *Conſules.* Coss. *Paternus* & *Arceſilaus*, ut rectè Baronius.

II. *Zenobia ſuccedit Odenato marito.* Hoc anno *Odenatus inſidiis conſobrini ſui interemtus eſt cum filio Herode, quem & ipſum Imperatorem appellaverat. Tum Zenobia uxor ejus, quod parvuli eſſent filii ejus, qui ſupererant, Herennius & Timolaus, ipſa ſuſcepit Imperium, diuque rexit non muliebriter, neque more femineo*, inquit Pollio in duobus Gallienis cap. 13. Perveniſſe ad hunc annum oſtendit Numiſma jam ſuperiùs allatum, in quo quartus Imperii ejus annus legitur. De Zenobia Odenati uxore, & Palmyrenorum Regina ſermo infra recurret.

III. *Finis peſtis quindecennalis.* Clauditur hoc anno periodus *quindecennalis peſtis*, quam anno ducenteſimo quinquageſimo ſecundo autumno exortam fuiſſe; & ſub ortum Caniculæ deſiiſſe diximus. Sed Baronius, qui eam tantùm annos decem graſſatam eſſe exiſtimavit, finem ejus cum Conſulatu Gallieni ſexto, Saturnino Collega, in Annalibus copulavit. *Baron. ann. 265. num. XV.*

Ann. Urb. 1020. *ſecundum Baronium.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5761. ☉ 25 ED. ☽ 3. P. 19. April.
Indict. 1.
Jesu Christi 268. *ſecundum Baronium* 269.
Dionysii Papæ 10.
Claudii Imp. 1.

I. *Conſules.* Coss. *Paternus II*, & *Marinianus*, ut libellus de Præfectis Urbi, Anonymus Cuſpiniani, Auctor Chronici Alexandrini, Caſſiodorus, Victorius, Idacius, Proſper, ac Theo, & Heraclius in Faſtis Græcis habent; qui omnes cùm Paternum iterum Conſulem appellent, liquet, eum à Paterno, qui anno præcedenti Faſtis nomen dedit, diverſum eſſe. Nam duo Conſulatus continentes Auguſtis tantùm & Cæſaribus attributi.

II. *Gallieni Imp. interitus.* Ad num. I. Zoſimus pag. 651. ait: *Gallieno bellum Scythicum naviter urgenti nuntius adfertur, Aureolum Ducem omnium copiarum equeſtrium, qui ad urbem Mediolanum, Poſtumi tranſitum in Italiam obſervare juſſus fuerat, res novas moliri, & Imperii ſummam ſibi polliceri. Ad ejus rei famam conturbatus, ſtatim ad iter Italicum ſemet accingit*; ſubditque, eum iter Italicum perſequentem inſidiis ſublatum fuiſſe. Addit Pollio lib. de duobus Gallienis, Gallienum occiſum, *ut quidam ferunt, circa Mediolanum: ubi continuò & frater ejus Valerianus eſt interemtus.* Interitum ejus Mediolani contigiſſe uterque Victor ac Eutropius diſertè tradunt; dies tamen, quo Gallienus peremtus, incompertus. Cùm tamen conſtet ex Pollione in Claudio cap. 4. Romæ nuntiatum eſſe *nono Kalendas Aprilis, ſanguinis die, Claudium Imperatorem* factum, aliquot ante dies Gallienum Mediolani cum fratre occiſum neceſſe eſt. Zonaras tamen ſcribit, Senatum Romanum, Gallieni cæde cognita, fratrem illius & filium etiam occidiſſe. Erat is Quintus Julius Saloninus Gallienus Cæſar: Gallienus enim junior, ſeu Valerianus Julii frater, jam ab aliquot annis trucidatus fuerat. *Baron. num. I & II.*

III. *Quot annis Gallienus imperavit.* Imperavit *Gallienus* poſt patrem à Perſis captum, annos novem, ut Eutropius & Victor de Cæſaribus habent, vel annos octo, ut ſcribit Victor in Epitome, qui ſolùm in modo numerandi differunt. Pollio in Gallienis duobus, alios *novem*, alios *decem etiam Gallienum imperaſſe in literas* mittere, prodit. Quibus ex ultimis verbis intelligimus, Gallienum anno ducenteſimo quinquageſimo nono ſolùm regnare cœpiſſe: ab eo enim anno ad currentem, decem utrinque incompleti fluxere; novem verò non plane integri. Imperavit in univerſum annos quindecim, ut omnes Antiqui produnt, quos vel integros, vel ferè integros fuiſſe duo oſtendunt. Primùm, Euſebius lib. 7. cap. 28. ait: *γαλλιῆνος δὲ ἐφ' ὅλοις ἐνιαυτοῖς πεντεκαίδεκα τὴν ἀρχὴν κρατήσας, κλαύδιος κατέστη διάδοχος*; quæ verba ſic Valeſius vertit: *At Gallienus, Imperio per quindecim continuos annos adminiſtrato, Claudium ſucceſſorem reliquit*: ſed perperam. Euſebius enim non de annis quindecim continuis & non interruptis, ſed de annis integris intelligendus eſt. Quare præferenda verſio Chriſtophorſoni, qui Græca de verbo ad verbum reddit: *Gallienus ubi quindecim annos integros gubernaſſet*, &c. Secundùm, Mediobarbus in Numiſmatis Imperatorum unum ex ſuo Muſæo producit in poſtica inſcriptum: P. M. Tr. P. XVI. Cos. VII. Ex quo deducendum, Gallienum, qui hoc anno circa diem decimum nonum menſis Martii occiſus fuit, anno CCLIII menſe circiter Maio Imperium ſuſcepiſſe, quo circiter menſe hoc anno Nummus ille percuſſus, in aliqua urbe, ubi mors ejus nondum innotuerat; nam Imperatorum Nummos Tribunitiam Poteſtatem exhibentes, antequam ea, quæ in iiſdem legitur, incepta fuiſſet, percuſſos, non videtur veroſimile. Quidquid hac de re ſit, ex præfato Gallieni Nummo colligitur, Gallienum anno CCLIII ante æſtatem Imperium iniiſſe, erraſſeque Chronologos, qui Gallo & Voluſiano vel quadriennium, vel etiam biennium integrum, & Gallieno annos quindecim utrinque incompletos aſſignarunt; quod eorundem Imperatorum annos retrogrado ordine numeranti certò conſtabit. Ex anno enim & menſe, quibus Gallienus interfectus, quorum uterque manifeſtus, præcedentium Imperatorum Chronologia pendet; neque certior & expeditior ratio quærenda, ad eam per hæc tempora reſtituendam. Baronius anno CCLV Gallieni initium, annoque CCLXIX, ut ipſe numerat, conſignavit, ſicque annos circiter XIV eidem aſſignat; cùm menſe Martio currentis anni cum interfectum fateatur. Sed ex dictis Gallienum diutius Regnum obtinuiſſe manifeſtum redditur.

Ad num. II. Verum eſt, audita Gallieni

IV. *Barbari in Gallias irrumpunt.*

Baron. num. III.

morte varias gentes ſeſe in Romanum Imperium effudiſſe; ſed literæ Claudii Imperatoris à Pollione recitatæ, in quibus mentio trecentorum millium Barbarorum, anno ſequenti ſcriptæ, quo multitudo illa debellata, & Tetricus in Galliis Hiſpaniiſque regnabat, ut infrà videbimus. Hoc autem anno *Scytharum diverſi populi in Romanum ſolum & Rempublicam venerunt, atque illic pleraque vaſtarunt, dum aliis occupatus eſt Claudius*, inquit Pollio in Claudio cap. 6.

V. *Nulla perſecutio a Claudio Imp. excitata.*

Baron. num. V & VI. & ann. 270. n. 11 & ſeqq.

Ad num. IV. Baronius *Claudium* Imperatorem edictum adverſus Chriſtianos promulgaſſe ſcribit duplici fundamento innixus. Primum conſiſtit in Actis ſanctorum Martyrum Marii & Marthæ ejus conjugis, & filiorum Audifacis & Abachum, quorum Actorum mentio die quarta Aprilis in Vita S. Valentini: quæ integra ex variis Manuſcriptis refert Bollandus die XIX Januarii, quo Marius & ſocii coluntur. Secundum deſumitur ex Actis S. Laurentii die X Auguſti à Surio recitatis, in quorum fine memoratur martyrium S. *Cyrillæ* filiæ S. *Tryphoniæ* uxoris quondam Decii Cæſaris, quarum prior die XXVIII Octobris, poſterior die XVIII ejuſdem menſis in Martyrologio Romano colitur, & quorum Baronius & Spondanus præſenti anno mentionem faciunt, *Marii* & ſociorum martyrio in annum ſequentem dilato. Verùm, nullus ex Antiquis perſecutionis à Claudio motæ meminit, & Acta S. Laurentii à Surio recitata, planè adulterina & ſuppoſititia. In iis enim disertè legitur, *Laurentium & Sixtum* Papam, Decio imperante, morte affectos Valeriani Præfecti juſſu; & tamen utriuſque martyrium, Valeriano & Gallieno imperantibus, contigiſſe certum. Secundò, in iiſdem Actis legitur, veniſſe *Decium* Imperatorem in Perſidem, & occupaſſe *Babyloniam, Bactrianam, Hyrcaniam & Aſſyriam*, quæ merè fabuloſa; cùm Decius poſt adeptum Imperium in Perſidem profectus non fuerit. Mors itaque Triphoniæ ac Cyrillæ filiæ martyrium ſub Valeriano Imperatore, non verò ſub Claudio contigit. Nec minùs adulterina Acta Sanctorum Marii, Marthæ ac filiorum, quidquid dicat Bollandus citatus: in iis enim dicitur, *Marium & Mattham* cum filiis miſiſſe *ſe ad pedes B. Calliſti*, qui, imperante Elagabalo, Pontifex Romanus creatus eſt, quique ideo hoc tempore non ſedebat. Ait Bollandus in Notis ad ea Acta: *Erat in quibuſdam Roſweydi ſchedis annotatum, in his Actis pro Calliſto reponendum Dionyſium. Quod num in veteri copia MS. repereris, non ſolâ conjecturâ definieris, haud liquet.* Verùm, ſi hoc Roſweydus in aliquo veteri monumento legiſſet, illud indubiè indicaſſet. Baronius ait, Calliſti Epiſcopi nomen in cunctis exemplaribus legi, & ſi quis ad illum hæc referre maluerit, ſub Alexandro collocanda eſſe: quæ conjectura optima, & omnino amplectenda. Nam Claudium Eccleſiam perſecutum eſſe, nullam præ ſe veriſimilitudinem præfert.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5762. ☉ 26 C. ☽ 4. P. 4. APRIL. INDICT. 2. Olymp. 262

JESU-CHRISTI 269. *ſecundùm Baronium* 270.

DIONYSII PAPÆ II.

CLAUDII IMP. 2.

COSS. *M. Aurelius Claudius Aug. II, & Paternus.* Claudii Conſulatus juxta primam Conſulatuum Cæſareorum regulam. I. *Conſules.*

Ad num. V. Epiſtola Dionyſii Papæ de diviſione Parochiarum ad Severum Cordubenſem Epiſcopum ſcripta, Viris doctis ſuppoſititia creditur. Incipit enim verbis Leonis I epiſt. 24. ſecundùm antiquum ordinem: *Olim & ab initio tantam percepimus à B. Petro Apoſtolorum Principe*, &c. continetque varia loca ex ſancto Gregorio Magno deſumta. Sed hanc ſimiléſve Romanorum Pontificum epiſtolas, Hiſpaniarum Eccleſiis ſpectantes, vel ad limam vel ad incudem revocabit Eminentiſſimus Cardinalis Aguirrus in Summa Conciliorum Hiſpanicorum tomos quinque complexura, cujus Conſpectum Salmanticæ hoc anno editum nuper ſingulari gaudio accepi. Ex egregio enim illo Opere Hiſtoriæ Hiſpanicæ ſiccitatem quamplurimis in locis irrigatam iri non dubito; cùm tot epiſtolas, Concilia, Chronicaque hactenus inedita exhibiturum ſit.

II. *Decretalis Dionyſii PP. adulterina.*

Baron. num. XVII.

III. *Poſtumi in Galliis regnantis interitus.*

Hoc anno *Poſtumus*, qui in Galliis jamdiu imperabat, interfectus eſt cum filio *Poſtumo*, quem Auguſtum renuntiarat. Occiſus eſt autem rebellione *Lolliani*, qui & ipſe deinde à ſuis militibus interemtus eſt, ut prodit Pollio in lib. de XXX Tyrannis, qui addit, *Poſtumum* virum extitiſſe fortiſſimum, magnumque Gallorum erga eum fuiſſe amorem. Sed valde hallucinatur, quando cap. 3. & 5. *per annos ſeptem* Gallias inſtauraſſe ſcribit. Eutropius enim & Oroſius decem ei annos aſſignant, eorumque ſententiam confirmat Nummus Poſtumi in Cimelio Regio aſſervatus, & in poſtica inſcriptus: P. M. TR. P. X. COS. V. P. P. Viſitur Victoria ſtans, ſiniſtro pede globum calcans, ſiniſtrâ ſcutum tenens, in quo manu dextrâ ſcribit, VO. XX. id eſt, *Votis Vicennalibus.* Decimum autem annum illum tantùm inchoatum fuiſſe certum eſt, quia ex dictis anno CCLX, poſt menſem Maium Imperium ſuſcepit, & ante annum inſequentem ſublatus fuit. Mediobarbus ceterique recentiores Scriptores, Gallieno imperante *Poſtumum* trucidatum volunt. Sed cum Claudio Imperium adminiſtrante adhuc Gallias rexiſſe, apud me indubitatum. Primò, quia Zoſimus, qui multa ſingularia per hæc tempora habet, teſtatur, tempore, quo Gallienus occiſus, *Aureolum* ad urbem Mediolanum *Poſtumi* tranſitum in Italiam obſervare juſſum. Zoſimi verba anno præcedenti a me recitata ſunt. Secundò, Zonaras in Vita Claudii hæc refert: *Cùm Poſtumus adhuc tyrannidem obtineret, & Barbari Mæotide palude ſuperata, Aſiam Europamque vaſtarent, ac utrum bellum*

priùs conficiendum eſſet, deliberaretur: Claudius dixit: Bellum Poſtumicum meâ intereſt, barbaricum Reipublicæ, cujus inprimis habenda eſt ratio. Tertiò, Victor in Epitome de Claudio Imperatore loquens, ait: *His diebus Victorinus Regnum cepit.* Victorinum autem *Victorinæ* ſeu *Victoriæ* filium poſt Poſtumum in Galliis imperaſſe, docet Pollio in libro de XXX. Tyrannis.

IV.
Poſtumi cædes ſub Gallieno non contigit.

Baron. ann. 267. num. 1.

Quæ tamen adverſus hanc opinionem militant, levia non ſunt. Pollio enim laudatus cap. 5. ſcribit, *Poſtumum Lolliani* rebellione interemtum eſſe, *Gallieno perdente Rempublicam*: & cap. 7. recitat primam concionem *Marii*, qui *Victorino, Lolliano & Poſtumo interemtis, triduo tantùm imperavit*, in qua ait: *Non vino, non floribus, non mulierculis, non popinis, ut facit Gallienus, depeream.* Verùm, Pollionem, qui imperante Conſtantino M. ſcripſit de Triginta Tyrannorum Vita & geſtis, parum edoctum fuiſſe, ejus lectio manifeſtat. Nec mirum, *Poſtumi* interitum Gallieno imperante contigiſſe, Pollionem ſcripſiſſe; cùm ei annos tantùm ſeptem attribuerit; hoc enim pacto ad Claudii Regnum pervenire non potuiſſet. Neque obſtat ſecundò Victor de Cæſaribus, qui in Gallieni Vita civiles motus ortos narrans, ait, primum omnium Poſtumum Imperium uſurpaſſe, tum *Lollianum*, dein *Marium*, & eo jugulato *Victorinum*, ac denique *Victoriam*, quæ amiſſo Victorino filio *Tetricum* Imperatorem fecit. Sed perperam hinc deducitur, *Poſtumum* Gallieno imperante extinctum; alioquin dicendum eſſet, Tetricum ante Gallieni cædem in Galliis imperaſſe; cùm tamen certum videatur, paulò ante mortem, Claudii Victorino ſucceſſiſſe. Victor itaque citatus uno tenore de illis Tyrannis loquitur, nulla ratione habita temporis, quo incepere, aut quo deſiere. Imò perperam ſcribit, fuiſſe primum *Poſtumum* qui Imperium uſurparit; cùm ex Pollione, Eutropio ac Zoſimo conſtet, alios jam Tyrannos inſurrexiſſe, antequam ipſe ſeſe in Galliis Imperatorem diceret. Denique quando in acclamationibus in inauguratione Claudii Auguſti factis, & à Pollione in Claudio cap. 4. recitatis dicitur: *Claudi Auguſte, tu nos à Zenobia & à Victoria libera: dictum ſepties: Claudi Auguſte, Tetricus nihil fecit: dictum ſepties*: non inde ſequitur, *Victoriam* ac *Tetricum* jam tum imperaſſe, ſed tantùm Romanos graviter tuliſſe, quòd in Oriente & in Occidente à fœminis urgerentur, quod eis magis intolerandum videbatur. Poſtumo enim imperante Victorinus conſors Imperii fuit, & tam Victoria, quàm Tetricus, qui Aquitaniæ præſidebat, in partem adminiſtrationis Reipublicæ venère. Extant Numiſmata Poſtumi, in quorum poſtica legitur: QUINQUENNALES POSTUMI AUG. Ignoratum hactenus, an ipſo Imperii ejus initio, vel quinto ejus anno cuſa fuerint; quod ut ſcire poſſem, ſcripſi ad Virum clariſſimum Andream Morellium, ut videret, an in iis, quæ in Gaza Regia ſervantur, *Poſtumus* cum habitu Conſulari exhiberetur; ex Nummis enim apparet, eum in Quinquennalibus Conſulatum tertium, in Decennalibus verò Conſulatum quintum ſuſcepiſſe. Cumque Vir eruditiſſimus reſponderit, tria ibidem reperiri varia aurea-que Poſtumi Numiſmata inſcripta, QUINQUENNALES POSTUMI AUG. in quorum altero videtur caput ejus laureatum, & in duobus aliis galeâ tectum, ac in ſingulis Poſtumum collo nudo repræſentatum eſſe, non dubito, quin ea ipſo ejus Imperii exordio, quo Vota Quinquennalia nuncupavit, percuſſa fuerint; ideoque, quin primùm ſub Conſtantino M. Vota Quinquennalia quinto Imperii anno Nummis inſculpi cœperint. Ex quibus intelligis, quantum reprehenſione digni ſunt Antiquarii, qui Numiſmata mutilata ac detruncata nobis obtrudunt, quaſi antica eorum pars, quæ ad nundinandum non neceſſaria, eruditioni etiam inutilis eſſet, & Numiſmatographia nonniſi ad vendendum & emendum inſtituta eſſet. Poſt Poſtumum Victorinus, qui jam cum eo corregnabat, Imperium Galliarum accepit, & quidem dum Claudius Rempublicam Romanam regeret.

V.
Gothi debellati.

Jornandes lib. de Regnorum Succeſſionibus cap. 84. de Claudio Auguſto loquens ait: *Qui Gothos jam per quindecim annos Illyricum Macedoniamque vaſtantes bello adortus, incredibili ſtrage delevit, ſcilicet, ut in Curia ei clypeus aureus, & in Capitolio ſtatua aurea poneretur.* Quam victoriam hoc anno contigiſſe indicat Pollio in Claudio, ubi de ea loquitur, antequam anni inſequentis Conſules, Antiochianum nempe & Orfitum, memoret. Hinc in Nummo apud Triſtanum tomo III legitur: IMP. C. M. AUG. CLAUDIUS GOTHICUS. Viſitur caput Claudii laureatum. In poſtica: INVICTUS AUG. Cernitur caput Claudii galeatum. In poſtica parte quorundam aliorum Claudii Nummorum habetur: VICTORIA GOTHICA.

VI.
Geſta in Ægypto à Zenobia.

Baron. ann. 269. num. III.

Dum hæc à Divo Claudio aguntur, Palmyreni, Ducibus Saba & Timogene, contra Ægyptios bellum ſumunt; atque ab his Ægyptiâ pervicaciâ & indefeſſâ pugnandi continuatione vincuntur. Dux tamen Ægyptiorum Probatus Timogenis inſidiis interemtus eſt. Ægyptii verò omnes ſe Romano Imperatori dediderunt, in abſentis Claudii verba jurantes, inquit Pollio citatus cap. 11. qui ſtatim geſta ſub Conſulatu anni ſequentis narrare incipit. Quare hoc anno Zenobia Ægyptum aggreſſa eſt, & ſi fides adhibenda Zoſimo, qui rem aliter ac Pollio narrat, Ægyptus in Palmyrenorum poteſtatem redacta fuit. Hinc intelligimus, quod Euſebius in Chronico anno primo Claudii, quem à Kalendis Septembris anni præcedentis inchoat, refert, ad præſens bellum pertinere, ut rectè Valeſius in Notis Euſebianis lib. 7. cap. 32. *Alexandriæ Bruchium*, inquit Euſebius, *quod per multos annos fuerat obſeſſum, tandem capitur.* Erat *Bruchium* inſtar vici ſuburbani, occaſione ſeditionis Alexandrinæ obſidione cinctum. Quæ tamen refert Euſebius in Hiſtoria de hac obſidione, faciles explicatus non habent. Ait is, ea in obſidione plurimas res præclarè geſtas ab *Anatolio & Euſebio*, domo Alexandrinis, viriſque celeberrimis, qui deinceps Eccleſiam Laodicenam rexere. De Anatolio, qui Euſebio in eo Epiſcopatu ſucceſſit, ait Euſebius Hiſtoricus: *Cauſam ex patria migrandi ei præbuit negotium Pauli Samoſatenſis. Cujus gratiâ cùm in Syriam veniſſet, domum redire*

prohibitus eſt. Paulò pòſt: *Poſtea cùm eum Synodus adverſus Paulum congregata Antiochiam evocaſſet, per urbem Laodiceam iter faciens, à fratribus illius loci, mortuo tunc Euſebio, detentus eſt.* De Euſebio verò tradit, eum cunctos diuturna obſidione maceratos omni cura recreaſſe, concluditque: *Hujuſmodi duos Paſtores continua ſerie ſibi ſuccedentes Laodicenſis Eccleſia Divino nutu ſortita eſt, cùm uterque eorum poſt ſupradicti belli tempora ex Alexandrina urbe in Syriam migraviſſet.* Parte altera idem Euſebius in Chronico ſub anno ſecundo Aureliani ſcribit: *Euſebius Laodicenus inſignis habetur*: anno verò tertio Probi ait: *Anatolius Laodicenus Epiſcopus Philoſophorum diſciplinis eruditus plurimo ſermone celebratur.* Quæ omnia facilè inter ſe conciliari non poſſunt; cùm ſecunda Synodus Antiochena adverſus Paulum autumno currentis anni inchoata fuerit, & Euſebius anno CCLXXII adhuc Laodiceæ Epiſcopatum adminiſtrarit.

VII. *Euſebius & Anatolius Laodiceæ ſucceſſivè Epiſcopi.*

Baron. ann. 263. num. VIII & ſeqq.

Vidit difficultatem Baronius in Annalibus, quam ut ſolveret, ſeditionem, de qua Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 7. cap. XI. confundit cum iſta, quæ imperante Claudio facta eſt, & Euſebium ac Anatolium, Gallieno imperante, Alexandriæ laboranti operam commodaſſe dicit. At has duas ſeditiones diverſis temporibus contigiſſe certum; cùm Dionyſius Alexandrinus, quando prior excitatur, Alexandriæ fuerit, nondumque è vivis exceſſerit; quando verò *Bruchium* obſeſſum, jam ab aliquot annis ſupremum diem obierit. Hæc igitur explicatio nullatenus admitti debet. Valeſius in Notis Euſebianis autumat, *Euſebium* poſt eam obſidionem factum eſſe Epiſcopum Laodicenum anno primo Aureliani, Euſebiumque Hiſtoricum erraſſe, dum ſcribit, *Anatolium*, cùm ad Synodum Antiochenam poſt eam obſidionem profectus eſt, Laodicenum Epiſcopum creatum fuiſſe. Sed cùm Euſebius ſcribat, utrumque *poſt ſupradicti belli tempora ex Alexandrina urbe in Syriam* migraſſe, liquet, Bruchio ſub finem anni currentis expugnato, Euſebium & Anatolium ſimul Antiochiam perrexiſſe, & poſt celebratam ſub hujus anni finem ſecundam Synodum Antiochenam, Euſebium à Laodicenſibus detentum, eorum Epiſcopum renuntiatum eſſe; ac poſt ejus mortem, poſt annum nempe ſecundum Aureliani Imp. Anatolium, qui ſimul cum Euſebio Laodiceæ detentus fuerat, in ejus locum ſubrogatum eſſe. Hinc Euſebius Hiſtoricus ait: *Poſtea verò cùm eum* (Anatolium) *Synodus adverſus Paulum congregata Antiochiam evocaſſet, per urbem Laodiceam iter faciens, à fratribus illius loci, mortuo tunc Euſebio detentus eſt.* Jam ſcripſerat Euſebius: *Apud Laodiceam poſt Socratem Epiſcopus fuit Euſebius, domo Alexandrinus. Cauſam ex patria migrandi ei præbuit negotium Pauli Samoſatenſis. Cujus gratiâ, cùm in Syriam veniſſet, ab iis qui cœleſtium rerum amore illic flagrabant, detentus, domum redire prohibitus eſt.* Quo pacto, Euſebius Cæſarienſis, quem Valeſius in hac ejuſdem narrationis repetitione defendi non poſſe dicit, rectè explicari poteſt; licèt eum ſubobſcuriùs locutum eſſe negari non debeat. Ceterùm, de rebus ab Euſebio Anatolioque geſtis, ac utriuſque inſigni doctrinâ inſtructior erat, ut ex ejus narratione conſtat, quàm ut *Bruchii* expugnati tempus ignorare potuerit. Unde cùm Ammianus in fine lib. 22. ubi de Alexandria loquitur, ait: *Aureliano Imperium agente, civilibus jurgiis ad certamina internecina prolapſis, dirutiſque mœnibus amiſit regionem maximam partem, quæ Bruchion appellatur*; intelligendus eſt de alia ſeditione, quæ poſt præſentem annum contigerit, licèt Scaliger in Notis Euſebianis num. 2274. eum de eadem, quâ Euſebius, obſidione locutum exiſtimet, & Euſebium reprehendat, quòd eam obſidionem regnante Claudio accidiſſe tradiderit.

Hoc anno ſecunda *Synodus Antiochena* adverſus Paulum Samoſatenſem inchoata; quæ dum celebraretur, *Dionyſius* Papa ſupremum diem obit, eique *Felix* ſuccedit, ut infrà explicabimus. VIII. *Secunda Synodus Antiochena.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5763. ☉27 B. ☽5. P. 27. MART. INDICT. 3.

JESU CHRISTI 270. *ſecundùm Baronium* 271. Olymp. 262. *ſecundum Baronium.*

FELICIS PAPÆ 1.

AURELIANI IMP. 1.

COSS. *Flavius Antiochianus, & Furius Orfitus.* I. *Conſules.*

Ad num. I. De bello Gothico ſub hujus anni Conſulibus finito, & Barbarorum reliquiis deletis, legendus Pollio in Claudiano ſub hujus anni Conſulibus, & Zoſimus pag. 654. Senatus ob eas victorias ſtatuit, *ut in Curia clypeus ipſi aureus, item in Capitolio ſtatua aurea poneretur*, inquit Eutropius. Sed factum id poſt mortem ejus, ut tam Eutropius, quàm Victor in Epitome, & Pollio in Claudio cap. 3. teſtantur; licèt Euſebius in Chronico id ante mortem ejus decretum indicare videatur. II. *Bellum Gothicum finitum.* Baron. num. 1 & ſeqq.

Mors Claudii tertio Imperii ejus anno jam inchoato contigit, ut tam ex Pollione in Claudio, quàm ex Porphyrio in Vita Plotini demonſtrat Baronius, quod & confirmant Inſcriptio Gruteriana pag. 276. in qua Claudius dicitur TRIB. POT. III. COS. II. & Nummus æreus medii moduli in Regia Gaza aſſervatus, in quo legitur: ΑΥΤ. Κ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ. CEB. id eſt, *Imperator Cæſar Claudius Auguſtus.* Cernitur caput Claudii laureatum. In poſtica, L. Γ. id eſt, *anno tertio.* Viſitur aquila, quæ in roſtro coronam, & ſuper alam palmam defert. Norifius in Parergo de Votis Decennalibus cap. 6. obſervat, Legem 2. Codicis Juſtinianei *De diverſ. reſcript.* in titulo notari: *Imp. Claudius Aug. Epagatho*; & ſignari: *Dat. VIII Kal. Novemb. Antiochiano & Orſito Coſſ.* Quare die viceſima ſexta Octobris currentis anni Antiochiani & Orfiti Conſulatu inſigniti adhuc Claudius in vivis erat; ideoque Calviſius in Opere Chronologico, Petavius in lib. 13. de Doct. Temp. paſſimque recentiores Chronologi errarunt, quando annum unum & aliquot menſes Claudio aſſignarunt, decepti ab III. *Interitus Claudii Imp.* Baron. ibid.

Euſebio lib. 7. cap. 28. & quibuſdam aliis Veteribus, qui numero rotundo loquentes, Claudium annos duos regnaſſe dixere. Claudio frater ejus Quintillus ſucceſſit; ſed eo poſt diem decimum ſeptimum extincto, ut Pollio, Eutropius, Caſſiodorus, & alii teſtantur, Aurelianus Imperator appellatus eſt menſe Novembri aut inſequenti.

IV. *Geſta ab Aureliano.* *Aurelianus, confirmato Imperio, cùm Româ moviſſet, Aquileiam contendit: & inde Pannonicas ad nationes acceſſit, quas à Scythis invadi cognoverat;* inquit Zoſimus pag. 654. qui addit, *in Pannonia prælio ancipiti* dimicatum eſſe, ac poſtea de pace actum, & Imperatorem ſatis magno Pannoniæ relicto præſidio, verſus Italiam perrexiſſe. Sed hæc ſub finem anni ſequentis acta. Quæ enim antea in Italia geſſerit Aurelianus adverſus Marcomannos, qui *omnia circa Mediolanum* devaſtabant, narrat Vopiſcus in Aureliano cap. 18. & nos ex eo anno ſequenti exponemus. Vopiſcus autem de hac prima Aureliani Romam profectione, quæ omnes ejus bellicas expeditiones præceſſit, nullam mentionem habet.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5764. ☉ 28 A. ☽ 6. P. 16. APRIL. INDICT. 4.
JESU CHRISTI 271. *ſecundùm Baronium 272.*
FELICIS PAPÆ 2.
AURELIANI IMP. 2.

I. *Conſules.* COss. *L. Domitius Aurelianus Aug. II, & M. Ceionius Virius Baſſus*, ut demonſtrat Inſcriptio à Reineſio pag. 384. relata, quam licèt, cùm Diſſertationem Hypaticam compoſui, non vidiſſem, demonſtravi tamen, Aurelianum præſenti anno ſecundùm priorem Conſulatuum Cæſareorum regulam Conſulem proceſſiſſe, non verò Aurelianum hominem privatum, ut exiſtimavit Onuphrius in Faſtis, ac cum numerali nota proferri debere, non verò ſimpliciter & abſolutè, ut paſſim fit ab omnibus Faſtorum Conditoribus; cùm Valeriano imperante, Crinito Collega, ſuffectum Conſulatum geſſerit. Rationes, quibus uſus ſum, certas tandem oſtendit præfata Inſcriptio, quæ dedicata dicitur IMP. CAES. VALERIO. AURELIANO. AUG. II. ET M. CEIONIO VIRIO BASSO COS. Hinc etiam, inquit Noriſius in Epiſtola Conſulari pag. 148. Baſſi Aureliani Collegæ hactenus ab Onuphrio, aliiſque Pomponiæ genti deputati vera familia innoteſcit. In Lapidis quidem Inſcriptione, *N. Ceionius Virius*, legitur, quaſi prænomine *Numerius* diceretur; verùm, quòd Reineſius in explicatione Epitaphii *Marcum* appellat, illudque prænomen Noriſius retinuit, immutandum eſſe non exiſtimavi. Vopiſcus in Aureliano cap. 31. recitat fragmentum epiſtolæ, cujus titulus: *Aurelianus Auguſtus Ceionio Baſſo.* In hac tantùm ſepulchrali Inſcriptione *Valerius* Aurelianus nuncupatur. Sed Valeriam familiam eidem gentilem fuiſſe, demonſtrat Noriſius ex datis ad eundem ante Imperium à Claudio Auguſto literis, in quarum titulo apud Vopiſcum cap. 17. legitur: *Flavius Claudius Valerio Aureliano ſuo ſalutem.* Denique in Faſtis Græcis tam Theonis, quàm Heraclii à doctiſſimo Dodwello nuper publicatis Aurelianus dicitur Auguſtus.

II. *Epocha ſecundæ Synodi Antiochenæ.* Ad num. I & II. Secunda Synodus Antiochena adverſus Paulum Samoſatenum celebrata eſt autumno anni ducenteſimi ſexageſimi noni, ſequentique continuata, quod colligitur ex epiſtola Synodica, quam Epiſcopi ad Dionyſium Romanum Pontificem ſcripſere, quamque Euſebius lib. 7. cap. 30. recitat. Baron. num. 1 & ſeqq. Dionyſius autem, ut mox videbimus, die viceſima octava Decembris illius anni ad Deum migravit. Quare hæc Synodus ad eum annum retrahenda. In citata Synodica Epiſcopi ad Dionyſium ſcribunt: *Nunc quoque Antiochiam venturus erat Firmilianus, & jam Tarſum uſque* (Ciliciæ oppidum eſt) *pervenerat. Sed cùm nos jam conveniſſemus, interea loci dum accerſimus, dum ejus adventum expectamus, abiit è vita.* Græci, ut in eorum Menologio videre eſt, S. Firmiliani Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopi feſtum die viceſima octava Octobris celebrant. Quare ſi eo die Firmilianus ad Superos tranſiit, Synodus Antiochena tunc jam congregata erat. Ex quo detegitur etiam annus emortualis Firmiliani, errorque Blondelli in libro contra Primatum Pontificis Romani pag. 63. ubi ex inſcriptione epiſtolæ Synodicæ ad Dionyſium Papam colligi exiſtimat, inter Pontificem Romanum & Epiſcopos Orientales exiguum interceſſiſſe commercium, hoſque parum de illius ſtatu edoctos; cùm poſt diem XXVIII Octobris, quo Firmilianus mortuus, ad Dionyſium ſcriberent, ignorantes, eum die XXVI Decembris antecedentis anni jam è vivis exceſſiſſe. Inde enim deducere debuit Blondellus, ſecundam Synodum Antiochenam ſub finem anni CCLXX coactam non fuiſſe, ut ipſe perperam arbitratur; cùm Orientales Epiſcopos Pontificis Romani ſocietatem coluiſſe, ejuſque Primatum agnoviſſe, tot aliunde argumentis conſtet. Denique Baronii, Blondelli, & aliorum paſſim ſententia planè evertitur ex libello Conteſtationis Cleri Cpolitani publicè in Eccleſia propoſito, *quòd Neſtorius ejuſdem ſententiæ ſit cum Paulo Samoſateno ante annos centum ſexaginta ab Orthodoxis Epiſcopis condemnato.* Scriptus is libellus anno quadringenteſimo viceſimo nono, ut Epheſinam Synodum OEcumenicam explicantes oſtendemus. A currenti autem anno ad annum CCCCXXIX ſunt tantùm anni CLIX, utroque etiam extremo incompleto pro integro numerato.

III. *II Synodus Antiochena ſub Claudio celebrata.* Hactenus creditum fuerat, Synodum hanc, Aureliano imperante, habitam fuiſſe; niſi quòd Valeſius in Notis Euſebianis eam partim ſub Claudio, partim ſub Aureliano celebratam fuiſſe autumavit. Sed Principatûs Aureliani initio tempori ſuo reddito conſtat, verum eſſe quod in tertia parte Diſſert. Hypaticæ cap. ultimo num. II ſcripſimus, illam Claudio imperante inchoatam & finitam, & ita aliàs exiſtimaverunt Hermannus Contractus, Marianus Scotus, qui & Methodium citat, Abbas Urſpergenſis in Chronicis; imò

& Euſebius lib. 7. cap. 30. ut mox oſtendo. Neque enim ſub aliis, quàm ſub anni ducenteſimi ſexageſimi noni Conſulibus congregari potuit; cùm ſub iiſdem Dionyſius Pontifex Romanus, ad quem Epiſcopi ſcripſere, hominem exuerit, & vulgaris opinio alii fundamento, quàm Euſebii loco malè in linguam Latinam converſo, ac corruptæ chronologiæ Aurelianeæ non innitatur. Euſebius itaque non ſcripſit, poſteriorem Synodum Antiochenam ſub Aureliano coactam; ſed tantùm eo Imperium Romanum regente, Paulum Samoſatenum jam ab ea damnatum, ex Eccleſia exturbatum fuiſſe, quod ante Zenobiam captam, cui Antiochia parebat, fieri non potuerat. Hæc Euſebii verba lib. 7. cap. 29. καθ' ὃν τελευταίας συγκροτηθείσης πλείστων ὅσων ἐπισκόπων συνόδου, φωραθεὶς καὶ πρὸς ἁπάντων ἤδη σαφῶς καταγνωσθεὶς ἑτεροδοξίαν, ὁ τῆς κατ' Ἀντιόχειαν αἱρέσεως ἀρχηγὸς, τῆς ὑπὸ τὸν οὐρανὸν καθολικῆς ἐκκλησίας ἀποκηρύττεται. Quæ verba ſic à Valeſio verſa: *Hujus temporibus* (nempe Aureliani) *poſtrema Synodus innumerabilium ferè Epiſcoporum congregata eſt: in qua auctor ille nefariæ apud Antiochiam hæreſeos Paulus convictus, & ab omnibus manifeſtiſſimè deprehenſus falſi dogmatis reus, ab univerſa, quæ ſub cælo eſt, Eccleſia Catholica eliminatus eſt.* Sed ea verſio ab Euſebii mente aliena; quod ipſemet Valeſius intellexiſſet, niſi jam vulgari opinione imbutus fuiſſet. Præferenda itaque Chriſtophorſoni interpretatio, quæ licèt in multis imperfecta, in aliquibus tamen obſervatur accuratior: *Cujus* (nempe Aureliani) *temporibus Paulus dux & auctor erroris qui Antiochiæ graſſabatur, in poſtremo Concilio Epiſcoporum numero prope infinitorum contra eum convocato, ſui erroris & peregrinæ opinionis perſpicuè convictus, & omnium jam conſenſu palam condemnatus, ab univerſa & Catholica Eccleſia, quæ ſub cælo eſt, penitus exturbatus fuit.* Nihil aliud itaque Euſebius ſignificat, quàm Paulum jam in ſecundo Concilio Antiocheno, Claudio regnante, coacto, convictum & condemnatum, Aureliani temporibus, poſt Zenobiam videlicet debellatam, ab Eccleſia Antiochena exturbatum fuiſſe. Euſebius enim in ea narratione magis ad Concilii executionem, quàm ad ejus celebrationem reſpexit. Alioquin dicendum eſſet, eum erraſſe, & quod actum ſub Claudio, ſub Aureliano geſtum, perperam perſuaſum habuiſſe. Poſſet ſimpliciùs, imò & veriùs is Euſebii locus ſic Latinè reddi: *Cujus temporibus* (cùm poſtrema congregata fuiſſet quamplurimorum Epiſcoporum Synodus) *convictus & ab omnibus jam manifeſtè falſi dogmatis damnatus auctor illius hæreſeos, quæ erat Antiochiæ, à Catholica, quæ ſub cælo eſt, Eccleſia eliminatus eſt.* Sed Paulus anno tantùm CCLXXIII, quo Zenobia ab Aureliano capta, ab Eccleſia penitus exturbatus, non verò eodem anno, ut videtur exiſtimaſſe Baronius.

IV. *In quo ſitus erat error Pauli Samoſateni.* Epiſcopos fuiſſe numero ſeptuaginta teſtatur Athanaſius in lib. de Synodis pag. 707. In Concilio tamen Epheſino, in libello quodam ſupplici, quem Baſilius Diaconus & Monachi contra Neſtorium obtulerunt, centum & octoginta numerantur; ſed alios ad Synodi initium, alios ad ejus finem reſpexiſſe exiſtimandum. Leontius in lib. de Sectis Actione 3. aſſerit, Paulum Samoſatenum tam in Trinitatis, quàm in Incarnationis Fide lapſum eſſe. In priori quidem, quòd ſolum Patrem Deum eſſe putaret; in poſteriori verò, quòd Chriſtum merum hominem eſſe diceret, & in eo Verbum extitiſſe negaret; ita ut non eadem ac Neſtorius ſentiret. Siquidem hic, etſi ſimplicem hominem Chriſtum eſſe diceret, idem tamen Dei Verbum per ſe ſubſiſtens, & Filium aſſerebat in illo homine fuiſſe. Unde in Trinitate non peccabat. At Paulus non dicebat, ſubſiſtens per ſe Verbum in Chriſto fuiſſe, ſed Verbum nihil aliud eſſe, niſi juſſum ac mandatum: tanquam Deus per illum hominem, quæ vellet, imperaret & faceret. A Sabellio verò diſſenſiſſe in hoc Leontius exiſtimat, quòd Sabellius eundem affirmabat eſſe Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, ſed Patrem volebat eſſe Deum, qui omnia condidit: Filium nudum hominem: Spiritum puram gratiam, quæ ſuper Apoſtolos advenit. Quæ hæreſis à Socinianis & Anabaptiſtis inſtaurata eſt, ut in lib. 3. de Trinitate oſtendit Petavius, qui & lib. 1. de Incarnatione cap. 3. Pauli Samoſateni hæreſim pluribus explicat.

V. *Profeſſio Filii dei Antiochenæ Synodo perperam adſcripta.* Baronius Euſebium conniventiæ arguit, quòd Profeſſionem Fidei Patrum Synodi illius Antiochenæ, quæ hæreſim Arianorum prorſus jugulabat, conſultò prætermiſerit. Verùm, Valeſius in Notis Euſebianis lib. 7. cap. 30. Euſebium hic immeritò reprehendi oſtendit. Nam Profeſſio illa Fidei, quam Baronius profert ex Actis Epheſinæ Synodi, non eſt Profeſſio Sanctorum Patrum Antiocheni Concilii, ut Baronius exiſtimavit, ſed ipſius Nicæni. In parte enim III ſeu tomo III Actorum Epheſinæ Synodi pag. 378. titulus Profeſſionis illius ita conceptus legitur: *De Incarnatione Verbi Dei, Filii Patris, definitio Epiſcoporum, qui Nicææ in Synodo convenerunt, & expoſitio ejuſdem Synodi adverſus Paulum Samoſatenum.* Vides, Profeſſionem illam Fidei adverſus Paulum Samoſatenum adſcribi Synodo Nicænæ, non autem Antiochenæ. Itaque non video, inquit Valeſius, quid Baronium impulerit, ut Profeſſionem illam Antiochenæ Synodo attribuerit; niſi fortè mendoſos Codices nactus eſt, aut pro Nicæna Synodo Antiochenam reſtituendam putavit. Certè in Synodo Nicæna hæc non leguntur. Sed quis neſcit; cuncta ferè Acta illius Synodi intercidiſſe? Videtur tamen mentio fieri illius definitionis in canone XIX Concilii Nicæni, qui eſt *de Paulianiſtis*. Binius, ac poſt eum Labbeus, eandem Profeſſionem Antiochenæ Synodo II in Collectione Conciliorum falsò attribuerunt. Scripſit præterea hæc Synodus epiſtolam ad Paulum Samoſatenſem, quam Baronius priori Synodo Antiochenæ perperam tribuit, ut ibidem oſtendimus, ideoque ea huc revocanda erit. Baron. num. XV & ſeqq.

VI. *Geſta ab Aureliano Aug.* Ad num. IV. Marcomanni *omnia circa Mediolanum* devaſtarunt, quos poſtea Aurelianus ſuperavit, ut tradit Vopiſcus in Aureliano cap. 18. *In illo autem timore, quo Marcomanni cuncta vaſtabant, ingentes Romæ ſeditiones motæ ſunt.* Quare etiam libri Sibyllini inſpecti. Senatuſconſultum,

quo ii libri inſpici juſſi, *die tertio Idus Januarias* factum, inquit idem Auctor, qui illud refert. Aurelianus, addit Victor in Epitome, *tribus præliis victor fuit, apud Placentiam, juxta amnem Metaurum ac Fanum Fortunæ, poſtremo Ticinenſibus in campis*. Vopiſcus prælia tantùm apud Placentiam habita meminit, quo Marcomanni victi: & poſtea ait, Aurelianum plenum irarum Romam petiiſſe. Verùm, ex Zoſimo conſtat, Aurelianum, antequam Romam iterum veniret, in Pannoniam profectum eſſe; ait enim: *Aurelianus confirmato Imperio, quum Româ moviſſet* (& Marcomannos apud Placentiam ſuperaſſet, ut ex Vopiſco retulimus) *Aquileiam contendit: & inde Pannonicas ad nationes acceſſit, quas à Scythis invadi cognoverat*. Subjungit, in Pannonia ancipiti prælio dimicatum eſſe, & Imperatorem, intellecto, *Alemanos Italiam incurſionibus vexare* decreviſſe, in Italiam perrexiſſe. Narrat poſtea, Romæ aliquos Senatores *velut inſidiarum Imperatori ſtructarum participes* morte multatos eſſe, tuncque mœnibus cinctam Romam. His jungenda quæ habet Vopiſcus citatus cap. 21. *Finito prælio Marcomannico, Aurelianus plenus irarum Romam petiit, vindictæ cupidus, quam ſeditionum aſperitas ſuggerebat. Interfecti ſunt enim nonnulli etiam nobiles Senatores*, &c. Tum ſubdit Vopiſcus, Aurelianum muros Urbis dilataſſe. Quare inter utrumque Hiſtoricum rectè convenit, alterque ex altero ſupplendus. Rei geſtæ annum unus Idacius in Faſtis nos docuit. Nam ſub Aureliani & Baſſi Conſulatu hoc anno geſto, inquit: *His Coſſ. Urbis muri cœpti fieri*. Quocirca, cùm Urbis murorum dilatatio poſt bellum Marcomannicum & libros Sybillinos conſultos contigerit, dies tertius Idus Januarias, quo laudatum Senatuſconſultum conditum, de menſe Januario præſentis anni certiſſimè intelligendus. Porro Mediobarbus Nummum Aureliani exhibet in poſtica inſcriptum: PANNONIAE; quem cum anno CCLXXII perperam conjungit. Ex quo diſcimus, expeditionem Pannonicam Aureliano glorioſam fuiſſe, licèt ejus unus Zoſimus meminerit.

VII. *Obitus Dionyſii Papæ.* Baron. num. XXI & XXII.

Ad num. V. *Dionyſius* Romanus Pontifex anno ducenteſimo ſexageſimo nono, Claudii & Paterni Conſulatu inſignito hominem exuit. Nam in Chronico Damaſi legitur: *Dionyſius annis octo, menſibus duobus, diebus quatuor. Fuit temporibus Gallieni ex die XI Kal. Auguſti, Æmiliano & Baſſo Coſſ. uſque in diem ſeptimum Kal. Januarii, Conſulibus Claudio & Paterno*. Eadem verba ex libro Damaſi refert Cuſpinianus in ſuis Faſtis. Sed loco, *annis octo*, legendum, *annis decem*, & loco, *menſibus duobus*, legendum, *menſibus quinque*, ut uterque Conſulatus, & dies tam ordinationis, quàm emortualis in eo Chronico notati certum reddunt. Menſes quinque uterque Catalogus Corbeïenſis exhibent, in aliis numeris, quemadmodum & alii Catalogi, depravati. *Dionyſius* itaque die vigeſima ſecunda menſis Julii anni CCLIX Æmiliani & Baſſi Conſulatu notati, quæ cum feria ſexta concurrebat, ordinatus fuit, dieque viceſima ſexta menſis Decembris anni ducenteſimi ſexageſimi noni ſupremum diem obiit, ſicque ſedit annos decem, menſes quinque, dies quatuor, emortuali nempe excluſo. Ideo autem Baronius, Aureliano Imperium adepto, *Dionyſium* mortuum credidit, quia arbitrabatur, docere Euſebium, ſecundam Synodum Antiochenam, quæ ad eundem Dionyſium ſcripſit, Aureliano imperante, congregatam fuiſſe. Sed cùm jam oſtenderimus, eam epiſtolam, Claudio imperante, ad Dionyſium datam, deceptoſque Viros doctiſſimos, qui ita Euſebium interpretati ſunt, quaſi ſcripſerit, ſecundam Synodum Antiochenam, à qua ea epiſtola ſcripta, Aureliani tempore indictam fuiſſe, annus emortualis Dionyſii extra controverſiam eſſe debet.

VIII. *De die ordinationis & mortis Dionyſii PP.*

Papebrocius V. C. in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Romanorum Pontificem, de Dionyſio agens ait: *Diem ordinationis reſcribo*, non XI, *ſed* IX Kal. Auguſti, *ut habeatur Dominica, quâ facta ſit: & ex diebus* IIII *ſolùm retineo dies* III; *niſi quis malit* pro VII Kal. Januarii, *legere* VI, *ut Sanctus obierit* XXVII Decembris. Sed perperam. Dionyſium enim XI Kal. Auguſti ordinatum, tam exemplar, quo Henſchenius uſus, quàm illud, quod Cuſpinianus habuit, & Anaſtaſius teſtantur, & ſatis indicant dies quatuor, quibus ſupra annos & menſes ſedit. Præterea Dionyſium die XXVI Decembris demortuum, docent non tantùm Chronicon Damaſi, & Catalogus *Nominum Apoſtolicorum*; ſed etiam Chronicon auctius veterum Pontificum; & liber de Pontificibus Romanis, quando aiunt, Dionyſium *VI Kalend. Januarii* ſepultum eſſe. Nam juxta regulam à nobis ſtatutam, quando Scriptores in morte alicujus Pontificis narranda uno ſolùm die inter ſe diſſident, alter de die obituali, alter de die ſepulturæ intelligendus. Sicque Dionyſius die XXVI menſis Decembris animam Deo reddidit, & poſtridie ſeu VI Kal. Januarii ſepultus eſt. Hinc in Indiculo Depoſitionis Epiſcoporum à Bucherio relato legitur: *Sexto Kalendas Januarias Dionyſii in Calliſti*. Sed non tantùm Dionyſius die Dominica ordinatus non eſt; ſed nec etiam S. *Felix*, qui ei ſucceſſit, ut mox dicemus. Porro ex die emortuali Dionyſii luculentum deſumitur argumentum ad probandum, in Martyrologio Hieronymiano Natale Pontificum Romanorum non ſemper notari; ſed vel eorum Tranſlationem, vel Reliquiarum elevationem ſæpe memorari: ad diem enim XIV Septembris legitur: *Depoſitio S. Dionyſii Epiſcopi*: cùm tamen certum ſit, hunc uſque ad finem menſis Decembris vitam produxiſſe.

IX. *Felix Dionyſio ſucceſſit.*

Circumferuntur aliquæ Decretales ſub Dionyſii nomine: ſed eas ſuppoſititias eſſe Schelſtratius in ſecunda parte Antiquit. Illuſtr. aliique Viri docti jam demonſtrarunt. Tam Chronicon auctius veterum Pontificum, quàm liber de Romanis Pontificibus, habent, Epiſcopatum *dies quinque* ceſſaſſe; quod tamen à veritate alienum. In Martyrologio enim Hieronymiano ad IV Kal. Januarii, ſeu ad diem XXVIII Decembris, legitur: *Romæ Felicis & Bonifacii Epiſcopi de ordinatione*: ubi licèt aliqua verba deeſſe videantur, non dubium tamen, quin de ordinatione Felicis primi Diony-

ſui ſucceſſoris ibidem ſermo ſit. Quare uno tantùm die Sedes vacavit, & Felix ordinatus eſt die viceſima octava Decembris, quæ anno CC LXIX cum feria tertia concurrebat. Porro ordinationes Epiſcoporum ante Conſtantiniana tempora diebus Dominicis fieri ſolitas non fuiſſe habemus, tam ex Chronico Damaſi, quàm ex Martyrologio Hieronymiano, quod in S. Marcello Papa aliud nobis exemplum ſuppeditabit.

X. *Obitus Saporis Perſarum Regis.*

Obiit hoc anno *Sapores* Perſarum Rex, qui regnavit *unum & triginta integros annos, & ingentibus jacturis Romanos affecit*, inquit Agathias lib. 4. Eo mortuo *Ormiſdas* ejus filius Regnum ſuſcepit poſt annum unum & decimum diem demortuus. Huic *Vraranes*, qui tres annos regnavit, ſucceſſit, quem *Vraranes II* ejus filius excepit.

XI. *Tetricus in Galliis imperat.*

Victorinus, qui Poſtumo ſucceſſerat, *poſt biennii Imperium, Agrippinæ* occiſus eſt, inquit Victor de Cæſaribus, *Imperii ſui anno ſecundo*, inquit Eutropius, qui addit: *Huic ſucceſſit Tetricus Senator, qui Aquitaniam honore Præſidis adminiſtrans, abſens à militibus Imperator electus eſt*: quod currentis anni initio vel ſub finem præcedentis factum ex anno emortuali Poſtumi, & fine Imperii Tetrici manifeſtum fit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5765. ☉ 1 GF. ☽ 7. P. 31. MART. INDICT. 5.

JESU CHRISTI 272. *ſecundùm Baronium* 273.

FELICIS PAPÆ 3.

AURELIANI IMP. 3.

I. *Conſules.*

COSS. *Quietus, & Voldumianus.*

II. *Zenobia, quæ Paulo Samoſateno patrocinabatur, victa.* Baron. num.

Ad num. I. *Aurelianus* non hoc anno, ut exiſtimavit Baronius, ſed præcedenti *plenus irarum* iterum Romam petiit, & Senatores quoſdam morte affecit, ut anno præcedenti demonſtravimus ex Zoſimo, Vopiſco & Idacio inter ſe collatis. Ubi Zoſimus & Vopiſcus de ea Aureliani vindicta, & murorum Urbis dilatatione locuti ſunt, communi conſenſu ſcribunt, hunc *contra Palmyrenos, id eſt, contra Zenobiam, quæ filiorum nomine Orientale tenebat Imperium*, iter flexiſſe; quod præſenti anno factum, ex iis, quæ mox dicemus, conſtabit. Multa in itinere ac magna bellorum genera confecit. Nam in Thraciis & in Illyrico occurrentes Barbaros vicit. Receptâ *Thyanâ* Antiochiam brevi certamine obtinuit. Pugnatum eſt poſt hæc de ſumma rerum contra *Zenobiam* & Zabam ejus ſocium apud *Emeſſam*. Fugata eſt *Zenobia* cum Zaba, & pleniſſimè parta victoria. Dein undique *Palmyram* obſedit, & poſt multa mulierem potentiſſimam vicit. Victor itaque Aurelianus, totiuſque jam Orientis poſſeſſor, cùm in vinculis Zenobiam teneret, in *Europam* rediit. Hæc ſummariè ex Vopiſco in Aureliano excerpta, quæ currenti anno geſta eſſe oſtendit Euſebius in Chronico ſecundùm editionem Scaligeri, ubi Zenobiam Palmyrenorum Reginam ab Aureliano captam tradit anno Abrahami 2288. qui cum menſe Auguſto currentis Chriſti anni abſolvitur. Præterea extat in Gaza Regia Nummus æreus mediæ magnitudinis Zenobiæ Auguſtæ, in cujus poſtica legitur: L. E. id eſt, *anno quinto*. Tres ſimiles recitat Mediobarbus eodem anno inſignitos. Quare non dubium, quin *Septimia Zenobia*, ſic in Nummis vocata, currenti anno in poteſtatem Aureliani venerit; cùm jam ab anno CC LXVII Regnum inierit. Mediobarbus, qui initium ejus Imperii perperam cum anno Chriſti CC LXVI copulavit, non bene etiam eam anno inſequenti captam ſcripſit: ſic enim non annis quinque, ſed annis ſeptem imperaſſet. Ex hac Aureliani victoria anno ſuo reddita intelligimus, *Paulum Samoſatenum* ante præſentem annum ex Eccleſia Antiochena deturbatum non eſſe, licèt jam à triennio à Synodo Antiochena ſecunda tanquam novæ hæreſeos Auctor damnatus fuiſſet. Cùm enim penes Zenobiam Antiochia eſſet, eaque illi patrocinaretur, poſterioris Concilii Antiocheni decretum executioni mandari non potuit ante præſentem annum, quo Aurelianus Antiochiam, & Imperium Orientale recepit. Baronius hoc bellum adverſus Zenobiam malè in annum ſequentem diſtulit.

III. *Perſecutio ab Aureliano decreta.* Baron. num. III & ſeqq.

Ad num. II. Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, perſecutionem Aurelianeam brevem fuiſſe accuratè ſcripſerat: ſed hanc ſententiam ob ingentem eorum numerum, qui, Aureliano imperante, martyrium ſubiere, in Annalibus mutavit, ejuſque initium præſenti Chriſti anno illigavit. Baronium omnes deinde ſecuti ſunt, contra fidem Antiquorum, qui eam breviſſimam fuiſſe tradidere. Quòd ſi præſenti anno ea decreta fuiſſet, non ſolùm per aliquot annos duraſſet; ſed & Aurelianus eodem tempore Chriſtianis faviſſet, & in eoſdem deſæviſſet, quod nullus ſibi perſuaſerit. Imperiale enim edictum hoc anno adverſus Paulum Samoſatenum emiſit, ut mox diximus. Imò Euſebius lib. 7. cap. 30. poſtquam de affectu Imperatoris erga Chriſtianos locutus eſt, ait: *Proceſſu verò temporis aliter de nobis ſentiens, quorundam conſiliis cœpit impelli, ut perſecutionem adverſus noſtros commoveret.* Imperatoris itaque judicium in favorem Pontificis Romani, & Pauli Samoſateni dejectio perſecutionem præceſſit, eaque nonniſi proceſſu temporis poſt Imperiale edictum excitata eſt, ut docet Euſebius citatus, qui ideò in Hiſtoria confirmat quod jam in Chronico ſcripſerat, Zenobiam nempe præſenti anno captam, & *proceſſu temporis*, ſeu ſub finem Imperii Aureliani, perſecutionem ab eo decretam. Antiqui omnes, qui de ea locuti ſunt, brevem eam fuiſſe affirmarunt. Lactantius lib. de Mortibus Perſecutorum cap. 6. *Aurelianus*, inquit, *qui eſſet naturâ veſanus & præceps, iram Dei crudelibus factis laceſſivit. Verùm, illi ne perficere quidem quæ cogitaverat, licuit; ſed protinus inter initia furoris ſui extinctus eſt. Nondum ad Provincias ulteriores cruenta ejus ſcripta pervenerant, & jam Cœnofrurio, qui locus eſt Thraciæ, cruentus ipſe humi jacebat, falſa quadam ſuſpicione ab amicis interemtus.* Euſebius lib. 7. cap. 30. ait: *Eum paratum jam, & compoſitis contra nos edictis, ut ita dixerim, ſubſcribentem, ulta eſt Divina juſtitia, quaſi conſtricto cubito*

bito conatum ejus reprimens. Jam in Chronico perſecutionem ultimo Imperii Aureliani anno recitarat. Mitto hic Georgium Syncellum, Hermannum Contractum, Marianum Scotum, Zonaram in Aureliano aliosque, qui idem cum Euſebio ſcripſere.

IV. *Antiqui de perſecutione Aureliana locuti ſunt.* » Baronius in Annalibus ait: Aurelianus, licèt ſic jam in Chriſtianos permotus eſſet, nequaquaquam tamen, quod vehementer optaret, cùm primùm voluit perſecutionem lege ſtatuere, ſibi licuit: divinitus enim, quominus id faceret, eſt impeditus, prout Euſebius narrat, ſic dicens: *Verùm, Aurelianus tempore ſui Imperii progrediente, aliena opinione, & propè contraria de nobis concepta, quibuſdam jam conſiliis impulſus fuit, ut perſecutionem contra nos cieret. Creber de hac re apud omnes ſermo ferebatur. Sed tamen jamjam propè dixerim, Aurelianum, cùm literas contra nos compoſitas manu ſubſcriberet, Divina ultio ſubito occupavit: quæ cùm, brachiorum commiſſuris enervatis, illum ab inſtituto repreſſit, tum omnium oculis clarè & manifeſtò ſpectandum objecit, quo modo mundi Principibus ne minima quidem data ſit facultas aliquid contra Chriſti Eccleſiam moliendi, niſi prepotens Dei manus Divino ſuo & cæleſti judicio, temporibus quibus Eccleſiam probare decrevit, iſtud diſciplinæ & caſtigationis cauſâ perfici & expleri permiſerit.* Hucuſque de perſecutione indicenda, » potiùs quàm indictâ, Euſebius. Verùm, ipſum perſecutum eſſe Fideles, & ob eam cauſam cæleſti vindictâ eſſe ſublatum, alibi (in Chronico) affirmat. At fefellit Oroſium (lib. 7. cap. 23.) cùm putavit, nullam ſub eo perſecutionem vexaſſe Fideles; ſed eo tempore quo Aurelianus in Chriſtianos perſecutionem decerneret, eſſe, Deo ulciſcente, necatum; ac proinde perſecutionem fuiſſe tantummodo intentatam. Hæc Baronius, qui poſtea Euſebium explicare conatur, & perſecutionem graviſſimam fuiſſe dicit, addens, in eumdem quoque errorem lapſum videri *Severum* Hiſt. lib. 2. qui hanc neque inter perſecutiones recenſuit. Verùm, neque Euſebius, neque Oroſius negant, perſecutionem ab Aureliano reapſe excitatam fuiſſe; ſed Euſebius per exaggerationem & oratoriè loquitur, ut ſæpe in ſua Hiſtoria & in Vita Conſtantini; ideoque in Hiſtoria non retractat, quod jam in Chronico ſcripſerat. Eum rhetoricè locutum duo demonſtrant. Primum, *edictis, ut ita dixerim, ſubſcribentem ulta eſt Divina juſtitia.* Nota hæc verba, *ut ita dixerim.* Secundum, *quaſi conſtricto ſubitò conatum ejus reprimens*, ex verſione Valeſii. Quare Euſebius contrarius non eſt Lactantio, qui prodit, perſecutionis decretum reipſa emiſſum fuiſſe, ſed antequam ad ulteriores Imperii Provincias perlatum eſſet, Aurelianum interiiſſe. Ipſemet Euſebius nobis conſervavit Orationem Conſtantini Magni ad Sanctorum cœtum, ubi hic Imperator in cap. 24. quod inſcribitur: *De Decii, Valeriani, & Aureliani calamitoſo vitæ exitu, ob perſecutionem Eccleſiarum*, Aurelianum ita alloquitur: *Tu etiam, Aureliane, omnium ſcelerum incentivum, cùm in Thraciam quaſi aperto marte & inſana mentis impetu ferebaris, in media via caſus, orbitas in via impreſſas impio cruore complevisti?* Quod ſi minas tantùm Aurelianus intentaſſet, nullumque Chriſtianum ſanguinem fudiſſet, eum inter ſæviores Eccleſiæ perſecutores Conſtantinus non recenſuiſſet. Quare Euſebio in mentem venire non potuit, ab Aureliano nullam reapſe perſecutionem exercitam eſſe. Neque aliter loquitur Oroſius, qui caput à Baronio citatum ita inſcribit: *De IX perſecutione per Aurelianum in Chriſtianos facta*; illudque his verbis incipit: *Noviſſimè cùm perſecutionem adverſum Chriſtianos agi, IX à Nerone decerneret: fulmen ante eum magno terrore circumſtantium ruit: ac non multò pòſt in itinere occiſus eſt.* Neſcio an Oroſius Opus ſuum per capita diviſerit, an verò, quod non raro contigit, id ab alio præſtitum fuerit, cùm hujus Scriptoris MSS. evolvendi nunc facultas non ſit; ſed non dubito, quin ille tantùm indicare voluerit, eam perſecutionem brevem fuiſſe; cùm non ſolùm Aurelianum nonum à Nerone perſecutorem vocet, ſed etiam ſcribat, eum, cùm perſecutionem agi decerneret, non multò pòſt in itinere occiſum eſſe, ideoque & poſt edictum aliquanto tempore adhuc vixiſſe. Nec refert, quòd Severus Sulpicius perſecutionis Aurelianeæ mentionem non fecerit; cùm eam, quæ ſub Antonino Pio excitata eſt, prætermiſerit, &, poſtquam locutus eſt de perſecutione Diocletianea, ſcribat: *Etenim ſacris vocibus, decem plagis mundum afficiendum, pronuntiatum eſt: ita cùm jam novem fuerint, quæ ſupereſt, ultima erit*, ſc. ea quæ ab Antichriſto excitabitur. Quare Severus novem tantùm perſecutiones numerat, quia denarius perſecutionum numerus arbitrarius eſt, & quam perſecutionem unus recenſet, alter omittit.

V. *Perperam, tantùm intentatam, à quibuſdam ſcriptum.* Hæc in Diſſertatione Hypatica parte 3. cap. ultimo num. 13. & ſequenti delibavi, & Cardinalem Doctiſſimum in Euſebii, Oroſii & Severi mentem non ſatis penetraſſe ſcripſi. Poſt eam in lucem emiſſam prodiere Diſſertationes Cyprianicæ, Auctore Henrico Dodwello Proteſtante Hiberno doctiſſimo, in quarum undecima num. LXIV probare conatur, *intentatam* duntaxat fuiſſe ab Aureliano, non item executioni mandatam perſecutionem, Baronium rectè Euſebium & Oroſium intellexiſſe, & immeritò me illum hoc nomine rejeciſſe. Ad illud oſtendendum non ſolùm laudatum à me Oroſii locum, ſed etiam alium ex eodem Auctore cap. 27. in medium adducit, quem clariorem priore eſſe dicit: *Nona correptio fuit, cùm Aureliano perſecutionem decernenti diris turbinibus terribile ac triſte fulmen ſub ipſis pedibus ruit.* Planè » innuit, inquit Dodwellus, cùm moveretur ab Aureliano perſecutio, lapſum illud eſſe fulmen, non cùm illam moviſſet, & unum duntaxat intervallum conſtituit à decreto Aureliani ad ejuſdem cædem, non duo, ut Hieronymus; à decreto ad fulmen aliud, aliud à fulmine ad necem Aureliani. Ita Dodwellus. At nullus ſui melior interpres quàm ipſemet. Quare cùm Oroſius jam capite 23. inter decretum Aureliani ejuſque interitum aliquod temporis intervallum fluxiſſe ſcripſerit, deìn hoc ultimo loco de edicto ac fulminis caſu tantùm loquatur, Oroſium clariùs in hoc,

quàm in priori loco locutum, immeritò Vir Clariſſimus aſſerit, præſertim cùm in ultimo Aureliani mortem taceat, quam tamen in primo diſertè commemoraverat. Denique idem intervallum inter edictum & cædem hujus Imperatoris Hieronymus in Chronico Euſebiano etiam obſervavit; ait enim: *Aurelianus, cùm adverſum nos perſecutionem moviſſet, fulmen juxta eum comiteſque ejus ruit: ac non multò pòſt inter Conſtantinopolim & Heracleam in Cœnophrurio viæ veteris occiditur.* Nec ſatisfacit Dodwelli reſponſio, qui de » Hieronymo ait: Profectò malè mentem Eu- » ſebii quæſivit potiùs in Chronico, quam in » Hiſtoria; in primis Euſebii, quam in ſecundis » ejuſdem cogitationibus; in Interprete, quàm » in Græco ejus originali; in Opere interpo- » lato, quàm in puro nulliſque interpolationi- » bus ab Auctoris mente immutato. Nam Hieronymus hoc in loco, ſi illum Chronico Euſebiano addiderit, Euſebii mentem rectè aſſecutus eſt, licèt magis apertè quàm Euſebius in Hiſtoria rem explicarit. Certè ipſemet Dodwellus in laudata Diſſertatione num. XXXVI exiſtimans, Euſebium perſecutionem Marci Aurelii in Hiſtoria anno hujus Imperatoris XVII conſignaſſe, in Chronico verò anno ejus VII duntaxat, Chronicon ſequitur contra regulam à ſe ſtatutam, & mox à nobis relatam; neque hunc locum, uti eum qui de perſecutione Aurelianea eſt, Hieronymo attribuit. Verum itaque eſt, Euſebium potiùs in Hiſtoria, quàm in Chronico ſequendum, ut etiam Valeſius in Notis ad Euſebium lib. 4. cap. 1. monet; ſed à veritate alienum, quoad perſecutionem Aurelianeam Euſebium in Hiſtoria aliter ſentire, quàm in Chronico, & denique perſecutionem, quæ in Chronico anno ſeptimo Marci legitur, eamdem eſſe cum ea quæ in Hiſtoria anno decimo ſeptimo ejuſdem Imperatoris recitatur, ut ſuo loco dixi.

VI. *Ea opinio magis confutatur.* Producit etiam Dodwellus Lactantii locum numero tertio à nobis citatum, aitque, ſi *perficere quæ cogitaverat* (Aurelianus) *non licuit*, ut tradit Lactantius, nullos ejus decreto ſactos Martyres fuiſſe neceſſe eſt. Verùm, ex eo loco Lactantii iſtis temporibus proximi ea Dodwelli ſententia jugulatur. Lactantius enim dicit quidem, Aurelianum, quæ cogitaverat, perficere non potuiſſe, non verò ei illa inchoare non licuiſſe; perſecutionem verò inchoaſſe ſtatim ſubdit: *Sed protinus inter initia ſui furoris extinctus eſt*: non itaque ante ejus initium, ſed antequam eam perficere & ad finem perducere poſſet: quod ſequentibus verbis magis confirmat. *Nondum*, inquit Lactantius, *ad Provincias ulteriores cruenta ejus ſcripta pervenerant, & jam cruentus ipſe humi jacebat*: pervenerant ergo ad Provincias viciniores Thraciæ, ubi interfectus eſt. Quibus etiam verbis Lactantius confirmat quod in Chronico Euſebii & apud Oroſium citatum traditur, inter decretum perſecutionis & Aureliani cædem, aliquod temporis ſpatium interceſſiſſe. Imò ex his Lactantii verbis intelligimus, Euſebii in Hiſtoria loquendi modum paulò obſcuriorem, cùm de hac perſecutione loquitur: quia inter Euſebium in Hiſtoria, & Lactantium in libro de Mortibus Perſecutorum egregiè convenit, ut ex collatione utriuſque manifeſtum ſit. Quare alius Euſebii locus, quem Dodwellus in medium adducit, nobis negotium faceſſere non debet. Euſebius lib. 8. cap. 4. loquens de perſecutione, quam Diocletianus adverſus milites excitavit, antequam in omnes generatim Chriſtianos ſæviret, ait: *Tunc cùm Diabolus, qui poteſtatem accepit hujus mundi, tanquam ex altiſſimo ſopore excitari primùm cœpiſſet, & poſt illud temporis intervallum, quod perſecutionem Decii ac Valeriani ſubſecutum eſt, clam adhuc & occultè inſidiaretur Eccleſiæ, tunc, inquam, cernere erat quamplurimos, qui abjectâ militiâ privatam vitam amplecti maluerunt*, &c. ubi à Valeriani perſecutione ad Diocletianeam Euſebius tranſit. Verùm, ideo Euſebius eo in loco Aureliani non meminit, quia perſecutio ab eo excitata breviſſima fuit; cùm è contrà tam Decii, quàm Valeriani perſecutiones diuturnæ fuerint; ob quam etiam rationem Numeriani & Maximiani Herculii mentionem non facit, qui tamen ante perſecutionem Diocletianeam, Eccleſiam vexarunt, ut ex Annalibus liquet. Denique S. Auguſtinus, qui ſeculo poſt Aurelianum vixit, lib. 18. de Civitate cap. 52. Eccleſiæ perſecutiones recenſens, nonam ab Aureliano excitatam ſcribit, cujus fidem nullus jure elevabit, aut eum de perſecutione tantùm intentata cum aliqua veriſimilitudine explicabit. Nec magis quàm Auguſtinus hoc ignorare potuit S. Leo, qui Auguſtinum videre potuit. Is ſermone 2. de Pentecoſte de perſecutione Aurelianea ſcribit: *Cùm octava jam in Chriſtianos ebulliret perſecutio, & innumera Martyrum millia ipſis ſuis victoriis probaviſſet*, &c. Occiſo Aureliano, uno aut altero menſe, ut videtur, poſtquam perſecutionis edictum emiſit, ea poſt ejus interitum per aliquot menſes duravit, per interregnum videlicet, quod ſex menſium fuit; & quicumque Chriſtiani martyrium tunc paſſi ſunt, ſub Aureliano in Martyrologiis paſſi dicuntur, quia videlicet virtute ejus decreti occiſi.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5766. ☉ 2 E. ☽ 8. P. 20. APRIL. Olymp. 263.
INDICT. 6.
JESU CHRISTI 273. *ſecundùm Baronium* 274.
FELICIS PAPÆ 4.
AURELIANI IMP. 4.

I. *Conſules.* COSS. *M. Claudius Tacitus*, & *Placidianus*, ut habent Fragmentum Conſulare, quo uſus Cuſpinianus, libellus de Præfectis Urbis, Auctor Chronici Alexandrini, Caſſiodorus, Idacius, & Marianus Scotus; ut mirum ſit, Onuphrium exhibere *Tacitum*, & *Furium Placidum*, quia ex Inſcriptione, quam anno Chriſti CCCXLIII refert, conſtat, *M. Macium Furium Placidum* eo anno Conſulem ordinarium fuiſſe. Verùm, is Placidus eo Chriſti anno, Romulo Collega, Conſul ordinarius, à Placidiano valde diverſus.

II. *Bella hoc anno geſta.* Ad num. I. Bellum ab Aureliano adverſus *Zenobiam* Palmyrenorum Reginam ge-

Baron. num. I. ſtum ad annum præcedentem pertinet, ut ibidem oſtendimus; triumphus verò hujus Imperatoris anno tantùm inſequenti exhibitus, ut tunc dicemus. Hic itaque quæ hoc anno ab Aureliano acta, paucis verbis ex Vopiſco in Aureliano cap. 30. & ſeqq. narranda: *Pacato igitur*, inquit Vopiſcus, *Oriente in Europam Aurelianus redit victor, atque illic Carporum copias afflixit.* Addit Vopiſcus, *Aureliano rebus Europenſibus occupato* nuntiatum eſſe, quoſdam apud Palmyram rebellionem excitaſſe, huncque ex Europa reverſum, Palmyram evertiſſe: deinde iterum in Europam rediiſſe: atque illic omnes *qui vagabantur hoſtes*, ſua virtute contudiſſe; interim, *res per Thracias Europamque omnem Aureliano ingentes agente, Firmum* quemdam Ægyptum ſibi vindicaſſe *ad defendendas partes, quæ ſupererant Zenobiæ*: ſed Aurelianum *de Carris* (urbs eſt Meſopotamiæ) redeuntem Tyrannum ſuperaſſe, ut habet idem Vopiſcus in Firmo & aliis Tyrannis cap. 5. Cùm verò in Aureliano cap. 22. ait: *Ad quem* (nempe Firmum) *continuò Aurelianus revertit*: non intelligit, inquit Caſaubonus in Notis, Aurelianum ex Europa in Ægyptum revertiſſe, ut poſſet aliquis ex ſuperioribus colligere: ſed cùm Europam peteret deletâ Palmyrâ, & Carras jam perveniſſet, iter in Ægyptum flexit, ſtatimque eam *recepit, & cùm adhuc Tetricus Gallias obtineret, Occidentem petiit: atque ipſo Tetrico exercitum ſuum prodente, quòd ejus ſcelera ferre non poſſet, deditas ſibi legiones obtinuit*, inquit Vopiſcus in Aureliano. His adde quæ habet Victor in Epitome de Aureliano loquens: *Iſte haud diſſimilis fuit Magno Alexandro, ſeu Cæſari Dictatori. Nam Romanum Orbem triennio ab invaſoribus receptavit*, annis videlicet CCLXXI, CCLXXII, & CCLXXIII.

III. *Galliæ ab Aureliano receptæ.* Euſebius in Chronico ad annum primum Aureliani ſcribit: *Aurelianus, Tetrico apud Catalaunos prodente exercitum ſuum, Gallias recepit.* Sed Gallias hoc tantùm anno ab Aureliano receptas ex Vopiſco citato intelligimus, qui de *Tetrico* loquitur, poſtquam Palmyræ everſionem narravit. Victor de Cæſaribus *Tetricum* per biennium imperaſſe ſcribit, quod completum fuiſſe diſco ex Nummo à Mediobarbo pag. 400. relato, in quo dicitur, IMP. TETRICUS PIUS AUG. in poſtica: P. M. TR. P. III. COS. P. P. Ex quo Chronologia noſtra mirum in modum confirmatur. Cùm enim conſtet, *Tetricum* præſenti anno in poteſtatem Aureliani veniſſe, tertio Imperii anno inchoato, anno CCLXX aut inſequenti eum regnare in Galliis cœpiſſe oportet, ac Victorinum, qui etiam per biennium imperavit, anno CCLXIX Poſtumo ſucceſſiſſe, ſicque falſam eſſe vulgarem ſententiam, quæ hunc Gallieno imperante occiſum fert. Cointius in Annal. Eccleſiaſt. Francorum de tribus his Tyrannis, qui per annos tredecim Gallias adminiſtrarunt, non ſolùm exiliter ac jejunè locutus eſt; ſed etiam quo quiſque anno Regnum inierit, aut ſucceſſori locum dederit, non ſatis diligenter examinavit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5767. ☉ 3 D. ☽ 9. P. 12. APRIL.
INDICT. 7. Olymp. 263.
JESU CHRISTI 274. *ſecundùm Baronium* 275. *ſecundùm Baronium.*
FELICIS PAPÆ 5.
AURELIANI IMP. 5.

COSS. *Aurelianus Aug. III, & C. Julius Capitolinus*, cujus mentio in Inſcriptione ab Onuphrio lib. 2. Faſtorum relata, in qua cùm Aurelianus edatur cum nota numerali II, Onuphrius deduxit, hunc Aureliani Conſulatum ſecundum dici reſpectu prioris ſuffecti ſub Valeriano geſti, non verò reſpectu Conſulatus Aureliani & Baſſi, qui in annum CCLXXI incidit, quique à viris privatis ſuſceptus. Verumenimvero hallucinatus eſt Vir doctiſſimus, ut ex dictis certò conſtat. Ideo autem Aurelianus Auguſtus in ea Inſcriptione dicitur Conſul II, quia Conſulatus ſuffecti, qualis fuit, quem ante adeptum Imperium Aurelianus iniit, plerumque in Inſcriptionibus ceteriſque monumentis publicis prætermiſſi. Sumtus autem hic ab Aureliano Conſulatus juxta quintam Conſulatuum Cæſareorum regulam, propter nempe triumphum hoc anno geſtum, de quo mox ſermo erit. I. *Conſules.*

Ad num. I. In Chronico Damaſi de S. Felice Papa habetur: *Felix annis quinque, menſibus undecim, diebus viginti quinque. Fuit temporibus Claudii & Aureliani, à Conſulatu Claudii & Paterni, uſque in Conſulatum Aureliani II & Capitolini.* Quæ verba Cuſpinianus in Faſtis ex eodem Chronico etiam recitat. Sed loco horum verborum, *annis quinque*, legendum, *annis quatuor*, quemadmodum in Chronico auctiori veterum Pontificum, in Catalogo Palatino-Vaticano, & in priori Catalogo Corbeienſi legitur. *Felix* itaque, qui die vigeſima octava Decembris anni ducenteſimi ſexageſimi noni, Claudii & Paterni Conſulatu notati, Pontificatum ſuſceperat, currenti anno ad Deum migravit, die vigeſima ſecunda menſis Decembris. In Martyrologio enim Hieronymiano ad eum diem ſcriptum eſt: *Romæ Viâ Portuenſi Depoſitio S. Felicis Epiſcopi*: qui dies obitæ mortis procul dubio fuit; ſicque ex Martyrologio Hieronymiano, in quo Felicis ordinatio & Depoſitio disertè memorantur, liquet, non tantùm eum annos quatuor, menſes undecim, dies viginti quinque ſediſſe, ut Chronicon Damaſi emendatum teſtatur, ſed etiam tempus, quo quilibet Pontifex ſedit, accuratè in eo Chronico aliàs notatum fuiſſe, ſed proceſſu temporis tranſcribentium culpâ errores in numeros irrepſiſſe: quod de loco citato neceſſariò aſſerendum; cùm à fine Conſulatûs Claudii & Paterni, quo Felix ordinatus, ad finem Conſulatûs Aureliani II & Capitolini, quo certum eſt, eum ad cælum evolaſſe, anni quinque & menſes undecim nullo modo numerari poſſint. Porro dies XXV ſupra annos & menſes conſervarunt etiam Chronicon auctius veterum Pontificum, & Catalogus Palatino-Vaticanus, indeque dies emortualis II. *Felicis PP. obitus.* Baron. num. II.

Felicis magis confirmatur. Baronius *Felicem* mortuum dicit *tertio Kalendas Junii*, uti apud Anaſtaſium & in Chronico auctiori veterum Pontificum habetur. In Indiculo verò Depoſitionis Epiſcoporum à Bucherio publicato dicitur: *Tertio Kalendas Januarii, Felicis in Calliſti.* Quæ dierum diverſitas Librariis attribuenda, qui non rarò pro *Jan.* ſcribunt *Jun.* ut multis exemplis liquet. Qui tamen dies alicujus Felicis Tranſlationi, non verò ejus morti adſcribendus. Diem tertium Kalend. Junii Martyrologia Romanum, Bedæ, Uſuardi & Adonis etiam exhibent. Quare error cubat in Indiculo Bucheriano. Baronius Felici aſſignat annos duos & menſes quinque uno minùs die, ſed contra Catalogorum antiquorum fidem. An verò Martyr fuerit, vide quæ dicam anno CCCLVIII num. XIV, ubi de Felice II agitur.

III.
Eutychianus Felicem excepit.

Baron. ibid.

Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum Romanorum, exiſtimans, locum laudatum Damaſi purum eſſe, ſcribit, *Felicem* per annum integrum Dionyſii deceſſoris Vicarium fuiſſe; ſicque annos quinque ac menſes undecim ſediſſe, quà Vicarium, quà Pontificem. At ſicut in eo Chronico anni *Dionyſio* attributi corrupti ſunt, ut ipſe Vir eruditiſſimus non negat, ita & in eodem anni *Felicis* mendosè deſcripti, & Vicariatus hujuſmodi, ſi unquam alibi, hic certè prorſus commentitius. Parte aliâ Baronius, ut Felicis initium ſub hujus anni Conſulibus conſignare poſſet, quia *Eutychiani* Felicis ſucceſſoris principium conſequentis Chriſti anni exordio neceſſariò concurrere videbat, *Felicis* Pontificatum ad annos duos, menſes quinque, uno minùs die, nullo teſte reſtrinxit; ideoque quemadmodum Conſulatus duos è Faſtis expungere, & *Probi* Imperatoris annos decurtare coactus fuit, ut Eram Dionyſianum aſſequi poſſet: ita veram Pontificum Romanorum Chronologiam nonniſi *Felicis* annis mutilatis conſequi non valuit. Ex hac interim mutilatione innoteſcit, Annaliſtam Doctiſſimum in præcedentibus Pontificibus ordinandis rectam viam non tenuiſſe, eamque ob rem annos duos non potuiſſe non prætermittere. In auctiori Chronico veterum Pontificum de Felice dicitur: *Sepultus eſt in Cœmeterio ſuo, Viâ Aureliâ, milliario ſecundo, III Kalend. Junii: & ceſſavit Epiſcopatus dies quinque.* Idem legitur in libro Pontificali, & in Martyrologio Romano, ac in Indiculo *Depoſitionis Epiſcoporum* apud Bucherium, ubi ad III Kalend. Januarii, ſeu diem XXX Decembris habetur: *Felicis in Caliſti*, id eſt, *Cœmeterio Caliſti.* Sed is dies ad ſepulturam S. Felicis aliquot diebus poſt martyrium dilatam referendus. Tres Felicis primi circumferuntur Decretales, prima ad *Paternum* Epiſcopum, altera ad Galliæ Præſules, tertia ad *Benignum* Epiſcopum; ſed ex ſuppoſititiæ, ut pluribus à Viris doctiſſimis demonſtratum. *Eutychianus* Felici ſucceſſit, ſed die tantùm quinta Januarii anni inſequentis, ordinatus feriâ tertiâ, quæ eo anno cum die quinta Januarii concurrit. Quare vacavit Sedes dies tredecim, non verò dies quinque, ut locis laudatis dicitur. *Eutychianum* ante eum diem non ſediſſe, ex iis, quæ in morte ejus dicemus, liquebit. Chronologia Pontificia in poſterum in Annalibus longè minùs depravata.

IV.
Triumphus Aureliani.

Baron. ann. 274. num. I.

Ad num. II. Vopiſcus in Aureliano cap. 32. & ſeqq. poſtquam quæ Aurelianus anno præcedenti tam in Oriente, quàm in Occidente egit, narravit: *Princeps igitur*, inquit, *totius Orbis Aurelianus, pacatis Oriente, Gallis, atque undique terris, Romam iter flexit, ut de Zenobia & Tetrico, hoc eſt, de Oriente & Occidente triumphum Romanis oculis exhiberet.* Deſcribit poſtea pluribus hujus magnifici triumphi pompam, concluditque: *Denique vix nonâ horâ in Capitolium pervenit*, (nempe Aurelianus ad Vota celebranda) *ſerò autem ad Palatium. Sequentibus diebus data ſunt populo voluptates Ludorum Scenicorum, Ludorum Circenſium, venationum, Gladiatorum, naumachiæ.* Zonaras in Aureliano ait: *Romam reverſus quadrigis elephantorum triumphavit*: quod ab Auctore claſſico deſumtum non dubito. In triumpho enim de Perſis Imperatores quadrigis elephantorum de more uſi. Teſtatur autem Vopiſcus in Aureliano cap. 17. Perſas *Zenobiæ* auxilia ſubminiſtraſſe, eamque cum Perſis, Armeniis & Saracenis captam. Baronius anno præcedenti triumphum iſtum ductum exiſtimavit. Sed præterquam quòd toto triennio elapſo Aurelianus partim in Occidente, partim in Oriente, partim in utroque adverſus hoſtes pugnavit, Caſſiodorus in Chronico ſub hujus anni Conſulibus habet: *His Coſſ. Aurelianum Romæ triumphantem Tetricus & Zenobia præceſſerunt.* Vopiſcus in Aureliano cap. 38. ait: *Hoc quoque ad rem pertinere arbitror, Balbati filii nomine Zenobiam, non Timolai & Heremiani, Imperium tenuiſſe quod tenuit.* Zoſimus pag. 661. ſcribit etiam, Aurelianum verſus Europam moventem *Zenobiam cum filio* ſecum duxiſſe, qui alius non eſt, quàm *Vabalathus* ſic in Nummis Græcis nuncupatus, ex quibus Vopiſci locus corrigendus. Triſtanus tomo 3. pag. 42. oſtendit, Odenatum ex priori uxore innominata ſuſcepiſſe *Herodem*, ut indicat Pollio in Triginta Tyrannis cap. 16. & Herodem patrem fuiſſe *Vabalathi*: ex Zenobia autem *Odenatum*, *Herennianum*, & *Timolaum* genuiſſe, ut ibidem ſcribit Pollio cap. 27. Idem Triſtanus pag. 213. hunc Nummum exhibet: ATT. K. Λ. Δ. ΑΥΡΗΛΙΑΝΟC. CEB. L. A. id eſt, *Imperator Cæſar Lucius Domitius Aurelianus Auguſtus, anno primo*: in poſtica: ATT. ΕΡΜΙΑC. ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟC. ΑΘΗΝΟΥ. L. Δ. id eſt, *Imperator Hermias Vabalathus Atheni, anno IV*; ideoque videtur Herodes Athenus vocatus fuiſſe. Qua ex epigraphe Chronologia noſtra egregiè confirmatur. Cùm enim annus quartus Vabalathi cum anno primo Aureliani concurrat, Zenobiam & Vabalathum anno CCLXVII Odenato interfecto regnare cœpiſſe, & cùm hæc annos quinque imperarit, anno ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo captam eſſe maniſeſtè apparet.

V.
Geſtæ Romæ ab Aureliano.

Baron. num XII.

Ad num. III. *Aurelianus*, poſtquam Imperator renuntiatus eſt, ter Romam venit. Primùm, ſtatim ac Imperator dictus, cujus profectionis unus Zoſimus ſuprà loco ſuo citatus meminit. Secundùm, poſtquam Marco-

mannos Italiam depopulantes debellavit, ſub finem nempe primi ejus Imperii anni, ut ſcilicet qui in ſuſpicionem rerum novarum venerant, pœnas darent. In ſecundo ejus adventu contigit quod ſcribit Zoſimus pag. 655. *Tunc & mœnibus cincta fuit Roma, quibus antea carebat; & cœptus ab Aureliano murus, Probo imperante, perfectus fuit.* Quare res hæc perperam hoc anno in Annalibus recitata. Tertiò, Aurelianus hoc anno Romam ad triumphandum rediit, ubi *Leges plurimas ſanxit, & quidem ſalutares: Sacerdotia compoſuit, Templum Solis fundavit, & Pontifices roboravit*, inquit Vopiſcus in Aureliano. Imperatores enim annis, quibus triumphabant, liberalitate, operibus publicis, aliiſque hujuſmodi nomen ſuum illuſtrabant, quemadmodum annis Decennalibus & id genus feſtis addictis eos eſſe ſolitos ſæpius inculcavimus. Baronius aliique eum ſecuti priorem Aureliani Romam adventum à ſecundo non diſtinguentes, in Chronologia Aurelianea ordinanda non potuere non peccare.

VI. *Bella Aureliani poſt triumphum.* *His geſtis*, inquit Vopiſcus citatus, *ad Gallias profectus Vindelicos obſidione Barbarica liberavit: deinde ad Illyricum rediit, paratoque magno potiùs, quàm ingenti exercitu, Perſis, quos eo quoque tempore, quo Zenobiam ſuperavit, glorioſiſſimè jam vicerat, bellum indixit. Sed cùm iter faceret, apud Canophrurium manſionem, quæ eſt inter Heracleam & Byzantium, malitiâ Notarii ſui, & manu Mucaporis interemtus eſt.* Sed hæc cædes menſe Martio anni inſequentis, ut tunc dicemus, patrata. Quare tantam viam conficere non potuit Aurelianus, quin circiter medium annum Româ digreſſus fuerit.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5768. ☉ 4 C. ☽ 10. P. 28. Mart. Indict. 8.
Jesu Christi 275. *ſecundùm Baronium 276.*
Eutychiani Papæ 1.
Taciti Imp. 1.

I. *Conſules.* Coss. *L. Domitius Aurelianus Aug. IV, & T. Avenius Marcellinus*, ut patet ex Inſcriptione Onuphriana, in qua tamen Aurelianus Conſul III dicitur, priori nempe ejus Conſulatu, qui ſuffectus fuit, neglecto. Sumtus is Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam: in hunc enim annum ejus Quinquennalia incidunt, quæ tamen ne exhiberet, fatalis ejus dies impediit. Horum ſolennium occaſione perſecutio ab eo in Chriſtianos decreta: *Verum illi ne perficere quidem quæ cogitaverat, licuit, ſed protinus inter initia ſui furoris extinctus eſt*, ut inquit Lactantius lib. de Mort. Perſec. cap. 6. de qua perſecutione anno cclxxiii, quo eam Baronius conſignavit, pluribus egi.

II. *Interitus Aureliani.* Ad num. I. Cùm Aurelianus in Orientem proficiſceretur, interfectus eſt *inter Conſtantinopolim & Heracliam*, ut ait Victor in Epitome, & anno præcedenti num. ult. diximus. Imperavit itaque annos quatuor, menſes circiter quatuor. Euſebius in Hiſtoria, aliique qui annos ſex ei tribuunt, annos Julianos utrinque incompletos numerant: qui verò annos quinque & menſes aliquot eum regnaſſe ſcribunt, ſine dubio hallucinati ſunt. Ulteriùs tamen proceſſit Baronius, annoſque ſeptem Aureliano aſſignavit, fretus auctoritate Chronici Alexandrini per hæc tempora manifeſtè depravati, & Nummi, qui apud Occonem extat, in cujus poſtica legitur: P. M. Tr. P. v. Cos. III. P. P. Verùm, hæc poſtica, quæ Nummis Gallieni convenit, errore Monetariorum, quod per hæc & ſequentia tempora ſæpius contigiſſe obſervavi, Nummo Aureliani inſculpta. Beggerus in Theſauro Numiſmatum Sereniſſimi Electoris Palatini alium Aureliani Nummum produxit in poſtica inſcriptum: P. M. Tr. P. vii. Cos. II. Sed hic priori adverſatur, cùm Conſulatum tantùm ſecundum exhibeat; & hæc averſa pars ex Nummo Gordiani junioris, in cujus Numiſmatis ſeptima Tribunitia Poteſtas cum Conſulatu ſecundo jungitur, Monetarii errore mutuata convincitur. Baron. ann. 278. num. 1 & ſeqq.

III. *Quo menſe Aurelianus occiſus* Exiſtimatum hactenus, Aurelianum menſe Januario hujus anni cæſum, quòd Vopiſcus in Vita Aureliani cap. 41. literas ab exercitu poſt ejus mortem ad Senatum ſcriptas tradat, recitatas fuiſſe in Senatu, *die tertio Nonas Februarias*, die nempe tertia menſis Februarii, currentis ſcilicet Chriſti anni. Verùm, loco *die tertio Nonas Februarias*, legendum, *die tertio Nonas Aprilis*, die videlicet tertia menſis Aprilis: quo pacto, Aureliani cædes circa diem viceſimum menſis Martii patrata fuerit. Conſtat enim, Tacitum Imperatorem renuntiatum vii Kalend. Octob. id eſt, die viceſima quinta menſis Septembris, ut legitur in Senatuſconſulto, quo Auguſtus acclamatus eſt apud Vopiſcum in Tacito cap. 7. Quare cùm interregnum, quod poſt Aureliani interitum contigit, ſex tantùm menſes integros, aut ſeptem utrinque incompletos durarit, ejus initium à die circiter viceſima Martii non removendum. Vopiſcus in Tacito cap. 1. ait: *Sex totis menſibus factum eſt*, ſcilicet interregnum. Idem habet in Aureliano cap. 40. Victor de Cæſaribus: *Menſe circiter poſt Aureliani interitum ſexto, Senatus Tacitum Imperatorem creat.* Victor in Epitome: *Hoc tempore ſeptem menſibus interregni ſpecies evenit*, extremis ſcilicet menſibus incompletis pro integris numeratis. Et tamen ſi Aurelianus exeunte menſe Januario trucidatus fuiſſet, non per menſes ſex, aut per menſes ſeptem, ſed per menſes octo, eoſque integros Imperium ſine Imperatore fuiſſet. Unde, ne dicamus, tam Vopiſcum, quàm alios in eo interregno narrando erraſſe, præfatus locus, eo quo dixi modo, corrigendus; quod eò magis dicendum, quòd idem mendum irrepſerit in Senatuſconſultum, quo Probus dictus eſt Imperator. Vopiſcus enim in Probo cap. 11. ait, illud factum die tertio Nonas Februarias; & tamen inter omnes convenit, locum illum corruptum, legendumque, *die tertio Nonas Apriles*. Qui error in eodem die exprimendo, eodemque Auctore deſcribendo commiſſus, uni eidemque Librario

attribuendus videtur. Tacitum verò currenti anno, die viceſima quinta Septembris Imperatorem appellatum, in dubium revocari non poteſt.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5769. ☉ 5 B A. ☽ 11. P. 16. APRIL. INDICT. 9.
JESU CHRISTI 276. *ſecundùm Baronium* 277.
EUTYCHIANI PAPÆ 2.
PROBI IMP. 1.

I. *Conſules.* COSS. *M. Claudius Tacitus Aug. II, & Fulvius Æmilianus*, ut Fragmentum Conſulare à Bucherio publicatum, Idacius, optimique Faſtorum Conditores habent.

Tacitus, qui Aureliano imperante jam Conſul ordinarius fuerat, anno præcedenti, antequam Auguſtus crearetur, in hunc annum Conſul iterum deſignatus fuit. Quod colligo ex Vopiſco in Probo cap. 7. ubi epiſtolam Taciti Auguſti ad Probum adhuc privatum ſcriptam refert, in qua Tacitus ait: *Nos tibi decreto totius Orientis Ducatu, Conſulatum in annum proximum nobiſcum decrevimus: te enim manet pro virtutibus tuis Capitolina palmata.* Scripta currenti anno epiſtola, ideoque Conſulatus à Tacito hoc anno geſtus non eſt juxta primam Conſulatuum Cæſareorum regulam; quemadmodum nec Conſulatus, quem Probus Auguſtus anno ſequenti ſuſcepit. Sed ſicut Probus adhuc privatus ad eum deſignatus fuerat, ita & Tacitus ad currentis anni Conſulatum, quod manifeſtè indicat ejus jam Imperatoris in annum ſequentem deſignatio; ex qua, uti & ex deſignatione Probi, certam conjecturam feci, primum Conſulatum ordinarium Valeriani Auguſti eidem, antequam imperaret, à Gallo Imperatore decretum fuiſſe; licet nullus ex Antiquis id in literas miſerit. Baronius, qui Aurelianum nonniſi anno inſequenti occiſum putabat, præſenti Probum & Paulinum Conſules profeſſus eſt; ſicque rerum per hæc tempora geſtarum ordinem turbavit, quem ut majori Lectorum fructu reſtituam, hìc tantùm tangam quæ præſenti anno acta ſunt.

II. *Origo Manichæorum.* Ad num. II & ſeqq. Origo hæreſis *Manichæorum* ab Euſebio in Chronico rectè in annum ſequentem collata, quo ideo eam explicabimus.

III. *Expeditio Taciti in Scythas.* *Tacito*, inquit Zoſimus, *Romanum Imperium conſecuto, Scythæ transjecta palude Mæotide, per Pontum ad Ciliciam uſque ſita, incurſionibus vexarunt. quos aggreſſus Tacitus partim ipſe debellatos ad internecionem delevit, partim Floriano deſignato Prætorii Præfecto debellandos tradidit, & in Europam contendit: ubi lapſus in inſidias ex hujuſmodi cauſa necatur*, &c. Ad hanc victoriam referendus Taciti Auguſti Nummus à Clariſſimo Mediobarbo è ſuo Muſæo deſcriptus, in cujus poſtica legimus: VICTORIA GOTHIC. P. Cernitur Victoria ſtans, dextrâ lauream, ſiniſtrâ palmam tenens. Hanc, inquit Mediobarbus, vel in Germania, vel in Illyrico reportatam, ſuadet Cornificii Gordiani Coſ. Oratio ad Senatum apud Vopiſcum in Tacito cap. 3. Verùm, ea ad victoriam à Zoſimo memoratam pertinere non dubito: Gothi enim ſæpius Scythæ appellati; & Tacitum in Germania vel in Illyrico bellum geſſiſſe nullus prodit. Zonaras autem poſtquam ſcripſit, Aurelianum *cùm expeditionem contra Scythas ſuſcepiſſet, juxta Thraciæ Heracleam* eſſe occiſum, de Tacito ait: *Cùm autem Scythæ, Mæotide palude & Phaſide amne ſuperato, Pontum, Cappadociam, Galatiam, & Ciliciam invaſiſſent: Tacitus & Florianus Præfectus multos occiderunt, reliqui fugâ ſalutem quæſiverunt.* Hæc itaque unica, quod ſciamus, Taciti Auguſti expeditio, cujus & Vopiſcus etiam meminit in Tacito cap. 13.

IV. *Taciti Aug. obitus.* Tacitus à *ducenteſima Regni luce Tyanæ*, quæ urbs Cappadociæ, *mortuus eſt*, inquit Victor de Cæſaribus. Alter verò Victor: *Ducenteſima Imperii die apud Tarſum* (Ciliciæ urbem) *febri moritur.* Idacius in Faſtis ſub anni ſequentis Conſulibus, ideoque loco non ſuo, inquit: *His Conſſ. occiſus eſt Tacitus Tyanâ.* Baron. ann. 279. num. 1. Quare cùm Tacitus die XXV Septembris anni præteriti Imperator dictus fuerit, die XIII Aprilis vel interfectus, aut febre ſublatus; incertum enim quo mortis genere extinctus fuerit. Qui verò intra *VI menſem Imperii* morte præventum dicunt, quemadmodum Eutropius & Euſebius in Chronico, ejus Imperium à die viceſima quinta menſis Septembris elapſi etiam auſpicantur; ſed numero rotundo loquuntur.

V. *Probus & Florianus de Imperio certant.* Zoſimus pag. 662. narrata Taciti morte, quam violentam fuiſſe dicit, ait: *Hinc ad tumultum civilem res redierunt, aliis in Oriente Probum Imperatorem deligentibus, aliis Romæ conſtitutis, Florianum. Ac Probus quidem obtinebat Syriam, & Phœnicen, & Palæſtinam, & Ægyptum univerſam: ſitas verò à Cilicia regiones ad Italiam uſque,* Baron. ann. 279. num. v. *Florianus. Eidem & Tranſalpinæ nationes parebant, Galli & Hiſpani cum inſula Britannica: prætereaque omnis Africa cum Mauritanis gentibus. Ambobus ad bellum inſtructis, Tarſum Florianus veniens, ibidem caſtra locanda ſtatuit, victoriâ contra Scythas in Boſporo ſemi-imperfectâ relictâ.* Idem ferè habet Zonaras in Annalibus. Uno itaque eodemque tempore per tres ferè menſes Florianus & Probus imperarunt.

VI. *Florianus extinguitur.* Quod recentes Chronologi non animadvertentes, initium Probi in quintum diem Nonas Julii cum Onuphrio in Faſtis, quem in digerendis per hæc tempora Imperatorum annis paſſim ſecuti ſunt, diſtulerunt; licèt revera vel à tempore mortis Taciti, vel à die, quo Romæ à Senatu Imperator acclamatus eſt, deducendum ſit. Verum eſt, Vopiſcum in Probo cap. 11. ſcribere, *Probum* Romæ acclamatum Imperatorem *die tertio Nonas Februarias.* Sed locum mendoſum eſſe in omni ſententia affirmandum. Nam ſi ducentos, quibus Tacitus imperavit, dies à XXV Septembris anni elapſi, ut fieri debet, incipias, pervenies ad diem XIII Aprilis præſentis anni. Dein, ut ejus mortis nuntium Romam perferri potuerit, quindecim circiter dies elapſi fuerint. Sicque poſſibile non fuit, ut *tertio Nonas Februarias* Taciti mors, quæ in Cap-

padocia, vel in Cilicia contigit, Provinciis ſcilicet ab urbe Romana diſſitis, in ea ſciri potuerit. Quare locus ille Vopiſci ſine dubio depravatus.

§ VII. *Interitus Floriani Imp.* Tacito itaque die decima tertia menſis Aprilis extincto, *Probus* in Illyrico, ut docet Victor de Cæſaribus, & *Florianus* Romæ Imperatores dicti, qui uno eodemque tempore in diverſis Orbis Romani partibus ſimul
Baron. ann. 279. num. IV. regnarunt, donec *Florianus apud Tarſum ab ſuis interficitur*, inquit Victor de Cæſaribus, & confirmant Vopiſcus in Floriano, & Zoſimus, vel *incisis à ſemetipſo venis effuſo ſanguine* conſumitur, ut ait Victor in Epitome. Sed non ante currentis anni æſtatem. Zoſimus enim pag. 663. de Floriano ſcribit: *Cùm in æſtate ad Tarſum æſtus exiſteret, qui erant à partibus Floriani milites, caloris inſueti, quòd major eſſet illius exercitus pars ex Europa, gravem in morbum incidebant.* Et poſtea ejus interitum narrat. Imperavit dies ſexaginta, ut habet Victor in Epitome, aut veriùs, *duobus menſibus & diebus viginti*, ut prodit Eutropius, vel diebus LXIV, ut habet Caſſiodorus, vel denique diebus LXXXIX, ut legitur in Chronico Euſebii. Quo pacto, uſque ad æſtatem currentis anni vitam producere potuit. Eliminandus itaque recentiorum Chronologorum error exiſtimantium, duos vel tres menſes, quibus Florianus imperavit, Probi Imperium anteceſſiſſe, hujuſque annos à Floriani morte auſpicandos eſſe; cùm revera uno eodemque tempore regnaverint, & ſequentium Imperatorum tempora labefactari neceſſe ſit, ſi Probi initium à morte Taciti non deducatur.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5770. ☉ 6 G. ☽ 12. P. 8. April. Indict. 10.
Olymp. 264.
Jesu Christi 277. *ſecundùm Baronium* 278.
Ann. Urb. 1030.
Eutychiani Papæ 3.
Probi Imp. 2.

I. *Conſules.* COss. *M. Aurelius Probus Aug.* & *M. Aurelius Paulinus*, ut liquet ex egregia Inſcriptione à Noriſio in Cenotaphiis Piſanis pag. 325. recitata, quæ dicitur Ded. III. non. Jul. D. N. M. Aur. Probo Aug. et M. Aur. Paulino Coss. Ex qua intelligimus, Probum, poſtquam Imperator fuit, Conſulatum primum geſſiſſe, quod negavit Baronius; eumque Conſulem ordinarium fuiſſe, quod negavit Onuphrius: hoc enim tempore publica Monumenta ſolis Conſulum ordinariorum nominibus obſignabantur. Habemus etiam, inquit Noriſius, prænomen ac familiam Paulini Conſulis, quæ hactenus latuere. Hunc Conſulatum jam idem Vir eruditiſſimus in Parergo de Votis Decennalibus cap. 6. adſtruxerat reſcripto ejuſdem Imperatoris, ſeu Lege 2. Codicis Juſtinianei *De revocand. donat. P. P. III Non. Maii Sirmii, Probo Aug. & Paulino Coſſ.* & in Faſtis Græcis tam Theonis quàm Heraclii legitur: Πρόϐος σεϐαςὸς ϗ Παυλῖνος, id eſt, *Probus Auguſtus & Paulinus.* Quare miror, Onuphrium hunc Conſulatum tanquam ſuffectum prætermiſiſſe; cùm Conſules tam in Codice Juſtinianeo, quàm Theodoſiano memoratos ordinarios fuiſſe, certiſſimum haberi debeat. Porro hic Probi Conſulatus non eſt juxta primam regulam, ſeu propter initium ejus Imperii, quia, ut anno præcedenti num. I oſtendimus, ad eum, antequam imperaret, deſignatus fuerat. Baronius, qui hujus anni Conſules in ſuperiorem annum retraxit, & Taciti Æmiliano Collega Conſulatum in annum CCLXXIX diſtulit, hoc anno *Probum* & *Paternum* II profitetur; cùm tamen is Conſulatus anno CCLXXIX geſtus fuerit, Conſulatus ſaltem Paterni cum Probo Auguſto III; qua de re infrà.

Ad num. I. *Aureliani* Imperatoris interitus à Baronio hoc anno recitatus, retrahendus ad initium anni CCLXXV, ubi de eo egimus: & ſatis liquet, Aurelianum ante præſentem Conſulatum occiſum fuiſſe; cùm Probus Kalendis Januariis jam Imperator fuerit, & ante eum Tacitus Rempublicam Romanam adminiſtrarit. Quare Taciti initium malè à Baronio hoc anno conſignatum. II. *Aureliani Imp. interitus.* Baron. ann. 279. num. II.

S. Patroclus, qui Trecis in Gallia martyrium fecit, non ſub Aureliano Imperatore, ſed ſub Aureliano Præſide occubuit; quamvis Auctor anonymus, qui Vitam ejus à Surio relatam compoſuit, Aurelianum illum cum Aureliano Imperatore confundat. Bollandus tomo 2. Sanctorum menſis Januarii aliam antiquiorem hujus Sancti Vitam recitat, cujus initium dicitur: *Tempore illo ſub Aureliano Præſide facta eſt Chriſtianis tam valida tempeſtas perſecutionis*, &c. In fine *Patroclus* dicitur decollatus *XII Kal. Febr. die, VI feria.* Feria ſexta cum die XXI Januarii, regnante Aureliano, non concurrit, niſi anno CCLXXI, qui primus hujus Imperatoris erat, quóve tempore Chriſtianis favebat. Cùm itaque Aurelianus ante adeptum Imperium in Gallia fuerit, ut liquet ex Vopiſco in Aureliano cap. 7. ubi ait, eum Francos per totam Galliam irruentes afflixiſſe, & in Actis S. Alexandri Papæ, quæ extant tomo I Sanctorum menſis Maii, ſermo ſit de alio Aureliano utriuſque militiæ Comite, qui ſub Trajano Chriſtianos perſecutus eſt, alibique aliorum hujus nominis in dignitate conſtitutorum mentio etiam occurrat, incertum quo anno, quáve perſecutione S. *Patroclus* martyrii gloriâ coronatus fuerit. III. *S. Patrocli Paſſio.* Baron. num. III.

Ad num. III. Papebrocius V. C. in Notis ad Ephemerides Græco-Moſcas ad diem IV Kalend. Septembris, quo S. *Charito* ibidem colitur, obſervat, Baronium in Romani Martyrologii amplificatione prætermiſiſſe S. *Charitonem*, ſicque quod de eo hoc anno in Annalibus ſcripſerat, correxiſſe, *Charitonem* nempe ſub Aureliano Fidem confeſſum, & diu ante hujus ſeculi finem habuiſſe ædificatam Lauram, & Monachos in ea collectos, obiiſſeque circa annum trecenteſimum quartum. Animadvertit enim poſtea Baronius, quòd iſte Sanctus gloriaretur coram Præſide ſe eſſe diſcipulum Theclæ & Pauli, & deinde vidit nominari *Macarium* Hieroſolymitanum Epiſcopum, qui dedicavit Eccleſiam à *Charitone* conſtructam: quod fieri non potuit, priuſquam *Macarius* ordinaretur Epiſcopus, *S. Charito ſeculo ſequenti floruit.* Baron. ann. 279. num. III.

ac ante annum trecenteſimum decimum ſextum, cùm jam in Palæſtina floreret Hilarion, Monachorum in eadem, teſte Hieronymo, omnium primus. Certè fatetur Metaphraſtes *Charitonis* Vitæ Auctor, ad diem XXVIII Septembris, nihil eorum, quæ narrat, ſe ſcriptum inveniſſe; ſed ſolùm per traditionem accepiſſe: ideoque non mirum, ſi in ea Vita falſa veris admiſceantur; cùm ſimiles traditiones quoad loca, perſonas & tempora parum tutæ ſint.

V. *Origo hæreſeos Manichæorum.*

Baron. anno 280. num. III.

In Annalibus & Epitome origo hæreſeos *Manichæorum* anno præcedenti conſignatur, ſed eam ad præſentem retrahendam eſſe evincit Euſebius in Chronico, ubi hæc ſcribit: *Secundo anno Probi juxta Antiochenos CCC XXV, anno juxta Tyrios CCCC II, juxta Laodicenos CCC XXIV, juxta Edeſſenos D LXXXVIII, juxta Aſcalonitas CCC LXXX, inſana Manichæorum hæreſis in commune humani generis malum exorta.* Quibus certis temporum characteribus Chronologia noſtra validè confirmatur. Nam primus annus Antiochenus Kalendis Septembribus anno Periodi Græco Romanæ 5445. cœpit. Quare annus Antiochenus CCCXXV cum menſe Auguſto currentis Chriſti anni abſolutus eſt; ideoque ſecundus Probi annus tunc in curſu erat, & ante menſem Septembrem præſentis anni *Manes* hæreſim ſuam publicavit. Primus *Tyriorum* annus deducitur ab anno Periodi Græco-Romanæ 5368. quo *Alexander Zebina*, occiſo *Demetrio* Syriæ Rege, regnare cœpit. Petavius quidem lib. 13. de Doct. Temp. & Calviſius in Opere Chronologico hanc Tyriorum Eram anno uno tardiùs conſignant; ſed quæ anno CCCXLVIII dicemus, eos erraſſe oſtendent. Era *Laodicenorum* ab anno Periodi Græco-Romanæ 5446. proficiſcitur, cùm annum unum minùs Antiochena colligat. *Edeſſenorum* eadem eſt cum Era *Seleucidarum*, ideoque ab anno ejuſdem Periodi 5182. repetenda. Quo pacto, annus *Edeſſenorum* DLXXXVIII ab autumno anni Chriſti antecedentis inchoatur, & præſenti cum menſe Septembri deſinit. Denique *Aſcalonitæ* Eram ſuam deducunt ab *Ariſtobulo* primo Rege *Hazamonæorum*, qui regnare cœpit anno Periodi Græco-Romanæ 5390. Sicque annus CCCLXXX Aſcalonitarum ab autumno antecedentis anni Chriſti inchoatus, hæreſiſque Manichæorum anno Periodi Græco-Romanæ 5770. præſenti nempe Chriſti anno, ac ſecundo Probi Imperatoris exorta, & ſecundus annus Probi Imperatoris cum nullo alio Chriſti anno, quàm cum præſenti concurrere poteſt.

VI. *Varia initia hæreſeos Manichæorum.*

Verum eſt, varias ſub idem ferè tempus eruptiones monſtri illius fuiſſe, & inſignibus alicujus facinoris notis celebratas. Quæ cauſa fuit, cur non iiſdem Imperatoribus hæreſis iſtius origo mandata fuerit. Quod mirum videri non debet; cùm Hæreticorum mos fuerit, diu clam docere, ita ut tunc à quibuſdam cognoſcantur, & ab aliis ignorentur. Quare ex Auctoribus diverſa hac de re ſcribentibus, alii de ejus magiſtris Scythiano & Budda intelligendi, alii de ipſa origine monſtri ipſius, nonnulli de variis ejus in Eccleſiam eruptionibus, partim Orientalem, partim Occidentalem, ac demum alii de ejus errorum damnatione. Epiphanius hæreſi LXVI numerat *ab Aſſumptione Chriſti uſque ad Manem, & Aurelianum ac Probum Imperatores, annos CC LXXVI ſecundùm nonnullos Chronographos, juxta alios CC XLVI*; ubi prior epocha ab Incarnatione arceſſitur, & inchoatur anno Juliano XLV; altera verò epocha à morte Chriſti, annoque Eræ vulgaris XXXI videtur deducta, ſicque ea ſententia ab Euſebiana non differt, niſi in modo numerandi. Verùm, ibidem Epiphanius initium hujus hæreſis in quartum Aureliani annum conjicit, & in libro de Ponderibus & Menſuris anno IX Gallieni aſſignat. Denique Divus Leo à Baronio citatus rectè ſcripſit, Manichæorum hæreſim *Probo Imperatore Paulinoque Coſſ.* innotuiſſe: ſed perperam Baronius ait, ideo Probum Imperaorem à S. Leone nominari, quòd poſtea imperarit; non verò quòd quando hæreſis illa orta tunc jam Imperium obtinuerit, cùm ex dictis conſtet, Probum ante Conſulatum Imperatorem fuiſſe, & omnes Erarum ab Euſebio memoratarum anni in præſentem Chriſti annum incidant. Quando verò ait Leo, eam hæreſim innotuiſſe CC LX anno impleto poſt Reſurrectionem Chriſti, pro certo habendum, numeros illos corruptos eſſe, ut numeranti patebit. Queſnellus in Notula ad Sermonem II S. Leonis de Pentecoſte obſervat, in uno MS. Oxonienſi pro CC LX haberi CC L, indeque infert, Leonem ſic numero rotundo loco CC XLVI inter concionandum locutum eſſe; ſed Librarium, ut ſæpe fit, numerum unum, nempe X ante L, per errorem ſuperaddidiſſe. Quæ conjectura valde veroſimilis. Nam ſummam illam à Paſſione Chriſti ſeu à Conſulatu duorum Geminorum deducit Leo, à quo Conſulatu ad Conſulatum Probi & Paulini fluxerùnt anni CC XLVI, & numero rotundo loquentes, CC L.

VII. *Gallia à Probo Imp. recepta.*

Baron. ann. 280. num. I.

Euſebius in Chronico, ſecundo Probi anno ait: *Probus Gallias à Barbaris occupatas ingenti virtute reſtituit.* Galliæ enim, ut obſervat Vopiſcus in Probo cap. 13. *interfecto Aureliano à Germanis poſſeſſæ. Tanta autem illic prælia feliciter geſſit, ut à Barbaris ſexaginta per Gallias nobiliſſimas reciperet civitates.* Hinc Cornificius Gordianus Conſul die ſeptimo Kalendas Octobres anni Chriſti CCLXXV, quando actum eſt de Imperatore in locum Aureliani ſubrogando ait: *Imperator eſt deligendus: exercitus ſine Principe rectè diutius ſtare non poteſt; ſimul quia cogit neceſſitas. Nam limitem trans Rhenum Germani rupiſſe dicuntur, occupaſſe urbes validas, nobiles, divites & potentes*, ut ſcribit Vopiſcus in Tacito cap. 3. quod à Baronio loco non ſuo recitatum. Durante itaque interregno, quod poſt mortem Aureliani fuit, Germani Gallias invaſerunt, neque adverſus eos Tacitus movit, ut autumavit Mediobarbus anno præcedenti à nobis confutatus, ſed Probus poſtquam Saturninum Tyrannum & Victorinum Britanniæ Præſidem, qui rebellarat, ſuſtuliſſet, ut teſtatur Zoſimus, eam expeditionem ſuſcepit.

ANNO

Anno Urbis 1030. *ſecundùm Baron.*

Olymp. 264. *ſecundùm Baronium.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5771. ☉ 7 F. ☽ 13. P. 31. April.
Indict. II.
Jesu Christi 278. *ſecundùm Baronium 279.*
Eutychiani Papæ 4.
Probi Imp. 3.

I. *Conſules.* Coss. *Probus Aug. II*, & *Furius Lupus*: quod non tantùm Faſti Idacii, Theonis, & Heraclii, libellus de Præfectis Urbi, aliique veteres Faſtorum Conditores oſtendunt; ſed & Codex Juſtinianeus, in quo, ut obſervavit Noriſius in Parergo de Votis Decennalibus cap. 6. Lex 1. *Ut nemini*, quæ inſcribitur, *Probus Aug.* dicitur data *IV. Kal. Julias*, *Probo Aug. & Lupo Coſſ.* Quare malè hic Conſulatus à Baronio expunctus, ideoque & annus ei reſpondens. Fallitur autem Cardinalis Eruditiſſimus, quando ait, Probi & Lupi Conſulatum ſuffectum fuiſſe, ac anno CCLXXIX geſtum. Conſulatus enim ſuffecti in ſubſcriptione Legum Codicis Juſtinianei nunquam leguntur; quod tam certum, quàm quod in Faſtis certiſſimum, ut diximus in Diſſertatione Hypatica. Præterea, nullus ex Conſulibus in libello de Præfectis Urbi, Faſtis Idacianis, & Fragmento Conſulari Bucherii memoratis ſuffectus dici poteſt; ideoque nec ſecundus Probi, Lupo Collega, inter ſuffectos recenſendus. Sumtus porro hic Conſulatus à Probo juxta primam Conſulatuum Cæſareorum regulam; ad eum enim, quem anno præcedenti geſſit, ante adeptum Imperium deſignatus fuerat, ut ſuprà dixi. Et Auguſtos Conſulatus ſibi, dum privati eſſent, decretos, poſt conſecutum Imperium ſemper ſuſcepiſſe, pluribus exemplis liquet.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5772. ☉ 8 E. ☽ 14. P. 13. April.
Indict. 12.
Jesu Christi 279.
Eutychiani Papæ 5.
Probi Imp. 4.

I. *Conſules.* Coss. *M. Aurelius Probus Aug. III*, & *Ovinius Paternus*, ut libellus de Præfectis Urbi, Idacius & Fragmentum Conſulare Bucherii teſtantur. In libello de Præfectis Urbi, anno Chriſti CCLXXXI *Ovinius Paternus* Præfecturam Urbis geſſiſſe dicitur; indeque conjectura eſt, *Paternum* hoc anno Conſulem *Ovinium* appellatum fuiſſe. Is Probi Imperatoris Conſulatus ad nullam aliam regulam revocari poteſt, quàm ad quartam; ideoque propter victorias ab eo per hæc tempora reportatas, eidem decretus. Baronius, qui anno elapſo Probi II, Collega Lupo, Conſulatum abdicavit, currenti tandem Eram Dionyſianam aſſecutus eſt; ſed quia anno CCLXXVI loco Taciti Aug. II & Æmiliani Probum & Paternum utrumque iterum Conſules profeſſus eſt; hoc anno è contrà loco Probi & Paterni Tacitum & Æmilianum Conſules propoſuit, crediditque, Tacitum anno tantùm præcedenti Imperium iniiſſe, eoque currenti anno extincto, Probum ac Florianum appellatos Imperatores, & poſt paucos menſes, ſublato Floriano, Probum ab univerſo Orbe Romano agnitum fuiſſe Imperatorem; cùm tamen certum ſit, Taciti mortem jam à biennio contigiſſe.

Decipitur autem Baronius, quando ſecundum Probi Conſulatum cum ſecundo Paterni conjungit, innixus, ut ait, Faſtis Siculis ſeu Chronico Alexandrino, & Caſſiodori Chronico. Nam Auctor Chronici Alexandrini his verbis ſecundum Probi Conſulatum exprimit: *Probo Aug. II, & Lupo Coſſ.* Tum, *Probo Aug. III, & Paterno Coſſ.* Quare Conſulatum Probi & Lupi tanquam ordinarium exhibet, Paternum ſine numerali nota effert, & quidem Collegam Probi in tertio ſuo Conſulatu, non verò in primo; ac denique certos nos facit, *Probum* jam imperaſſe, quando, *Paterno* Collega, tertium Conſulatum iniit: & tamen Baronius tam primum, quàm ſecundum Probi Conſulatum ab eo, antequam regnaret, ſuſceptum ſcribit, licèt præter ea, quæ in medium adduximus, nunquam contigerit, ut aliquis privatus duobus annis conſequentibus Faſtis nomen dederit. Quoad Caſſiodorum, verum eſt, eum ſecundum Probi Conſulatum cum ſecundo Paterni, & tertium Probi cum tertio Paterni copulare, & mortem Aureliani ſub ſecundo Probi Conſulatu conſignare; ſed in Probi ac Diocletiani Imperio ejus Faſti perturbatiſſimi, & pleraque extra proprium locum recitata. Certum itaque maneat, præſenti anno *Probum* Auguſtum III, *Paterno* Collega, annum aperuiſſe. II. *Faſti apud Baronium depravati.*

Dum Probus in Europa eſt, *Lydius* quidam latro Pamphyliam & Lyciam invadit, omniaque longè lateque vaſtat, ſed à Ducibus Probi coactus, ſe *Cremme* Lyciæ oppido includit, obſidionemque fortiter longo tempore toleravit, donec tandem ex inſidiis Dux vulneratus occubuit, & reliqui ſe dediderunt, ut ſcribit Zoſimus pag. 665. Vopiſcus in Probo cap. 16. teſtatur, hunc Imperatorem ad hoſce motus ſedandos in *Pamphyliam* moviſſe. III. *Bella à Probo geſta.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5773. ☉ 9 DC. ☽ 15. P. 4. April.
Indict. 13.
Jesu Christi 280.
Eutychiani Papæ 6.
Probi Imp. 5.

Coss. *Meſſala*, & *Gratus*, ut libellus de Præfectis Urbi, Fragmentum Conſulare Bucherii, Baronius, & omnes Faſti habent. Quòd ſi Probus anno præcedenti, ut exiſtimabat Baronius, Imperium ſuſcepiſſet, præſenti, ut moris erat, Conſul proceſſiſſet. I. *Conſules.*

Baronius regiam tandem viam Eræ Dionyſianæ ingreſſus eſt, poſtquam Conſulatus tres reſecavit, Æmiliani nempe & Baſſi, Secularis II & Donati, ac Probi II, Lupo Collega. Quia enim Eram Chriſtianam ſeu Dionyſianam biennio anteverterat, duo ei Conſulatus omnino expungendi fuere; & quia II. *Emendatio Faſtorum ab Herwarto tentata.*

Conſulatum tertium ordinarium Decio Imperatori, Grato I I Collega, perperam attribuit, ei alius Conſulatus ordinarius abjiciendus erat: quo pacto, Eram quidem Chriſtianam aſſecutus eſt, ſed omnium aliarum Erarum annos mutilare coactus fuit, eaſque biennio decurtare; Vir tamen immortalitate digniſſimus, qui, ut veram temporum rationem indagaret, nullum non movit lapidem; nullumque recuſavit laborem. Sed cùm, antequam Annales ſuos ſcribendos ſuſcepiſſet, Chronologi tempora ferè confuſa, dubia incertaque reliquiſſent, & uſus Cyclorum Solis, Lunæ & Indictionis nondum innotuiſſet, ad majorem perfectionem Annales Eccleſiaſticos adducere ferè potis non fuit. Aliquot poſt mortem ejus annis tentatum fuit à Viris doctiſſimis Annales in rectum flectere; ſed cùm omnium aberrationum capita detegere non poſſent, quos deprehenderunt calles in viam reducentes, indicarunt. Georgius *Herwartus* Vir diligentiſſimus in ſua nova Chronologia inveſtigavit, qua ratione Eccleſiaſticorum Annalium ſeries ad verum, legitimum atque exactum temporum ordinem reſtitui poſſet, & poſt multa, in quibus rem acu, ut aiunt, tetigit, tandem cap. 263. vix incertus ait: *Sed & poſt Fulvii Æmiliani & Pomponii Baſſi ſecundum Conſulatum, quos ipſe anno Chriſti CC LXII ſignat, cùm alioquin revera anno CC LIX in Magiſtratu fuerint, Baronius integrum biennium cum totidem Conſulum paribus omittit, Cornelio ſcilicet Seculari II & Julio Donato Coſſ. ac Gallieno Auguſto quartum & Petronio Voluſiano Coſſ. ideoque hinc in annum uſque Chriſti CC LXXV, quem ipſe Chriſti CC LXXVI vocat, unico item anno plus æquo in annis Chriſti numerat. Dehinc annum alium cum ſuis omittit Conſulibus, Tacito nimirum Auguſto ſecundùm. Deinceps autem velut Regiam Prætoriamque veritatis ingreditur viam.* Verumenimvero Baronius quartum Gallieni Conſulatum, Petronio Collega geſtum, minimè prætermiſit, ſed tantùm ad annum, quo geſtus non eſt, retraxit, & loco *Voluſiani Valerianum* juniorem obtruſit, cùm perſuaſum haberet, Conſulatum illum alium non eſſe, quàm illum, de quo apud Vopiſcum ſermo. Et tamen Vopiſcus de Conſulatu ſuffecto Gallieni junioris Cæſaris Valeriano patruo Collega geſto locutus eſt. Præterea Baronius non tantùm uſque ad annum CC LXXV, quem ipſe CC LXXVI vocavit, unico anno plus æquo in annis Chriſti numeravit; ſed etiam uſque ad annum Chriſti ducenteſimum ſeptuageſimum nonum. Ad quem cùm pervenit, Conſulatum *Taciti* Aug. II & *Fulvii Æmiliani* proponit, qui tamen jam anno CC LXXVI eam dignitatem geſſerant. Quare Conſulatum illum Baronius non eraſit, ſed transpoſuit, & ab anno CC LXXVI in annum CC LXXIX tranſtulit. Poſtea, cùm Conſulatum Probi II, Furio Lupo Collega, edere deberet, eo, quaſi ſuffectus fuiſſet, rejecto, Meſſalam & Gratum, qui anno ducenteſimo octogeſimo Faſtis nomen dedère, rectè eidem anno illigat, licèt juxta inſtitutum ſuum cum anno ducenteſimo octogeſimo primo eos connectere debuiſſet. Verùm Probi II & Furii Lupi Conſulatu abdicato, non potuit in veram Chriſti Eram non incidere, cùm ab ea unico tantùm anno ſeu Conſulatu antea diſtaret.

III.
Emendatio Faſtorum tentata à Petavio.

Petavius in Doctrina Temporum exercitatiſſimus, tam in Notis Epiphanianis, quàm in lib. 11. de Doct. Temp. de Faſtorum vulgarium perturbatione pluribus egit, & quos Conſules Onuphrius, quos verò Baronius diſſimularint, in lucem proferre conatus eſt. Sed cùm ipſemet lib. 13. de Doct. Temp. anno ducenteſimo quinquageſimo non Gallienum IV & Valerianum Cæſarem; anno verò ducenteſimo ſexageſimo primo Gallienum V & Voluſianum Conſules ſtatuerit; eaqu ratione Conſulatus octo ordinarios Gallieno Aug. qui tantùm ſeptem geſſit, aſſignarit, Faſtos corrupit, dum emendare voluit. Quare, cùm anno CC LIX Gallienum IV & Valerianum Cæſarem in locum Æmiliani & Baſſi perperam Petavius ſubſtituerit, annoque CC LX expuncto Secularis II & Donati Conſulatu, eoſdem Æmilianum & Baſſum Conſules obtruſerit, Baronii errorem deprehendere non potuit, quòd ipſemet in pari errore verſaretur. Addit Petavius, Onuphrium, Baroniumque, cùm ad Probum Imp. perventum eſt, biennium tacitè utrumque diſſimulaſſe. Et tamen Onuphrius, qui uno tantùm anno Eram Chriſtianam anticipavit, quique nullum Conſulatum ſuffectum in locum ordinariorum ſubrogavit, biennium ſeu Conſulatus duos abdicare non potuit; alioquin poſt Probum Imperatorem Eram Chriſtianam uno ſemper anno moratus fuiſſet, & primum, v. g. Diocletiani annum, quem nos CC LXXXIV Chriſti, ipſe CC LXXXIII vocaſſet, errore priori contrario, cui ideo medelam non attuliſſet, ſed in alium errorem deflexiſſet. Onuphrius itaque nonniſi Probi Imp. & Paulini Conſulatum omiſit; quo facto, Eram Chriſtianam, à qua unico anno diſtabat, ſtatim conſecutus eſt. Baronius verò antequam ad Probi Imp. Paulinique Conſulatum perveniret, jam duo Conſulum paria, Æmilianum ſcilicet & Baſſum, ac inſuper Secularem II & Donatum abjecerat; & tamen anno uno adhuc ab Era vulgari diſſidebat, quia videlicet tres Conſulatus ordinarios Decio Imperatori attribuerat, cujus tamen prior ſuffectus tantùm fuit.

IV.
Conſulatus à Baronio omiſſos Petavius detegere non potuit.

Sed Petavius, qui ad ſuffectum illum Decii Conſulatum Faſtis à Baronio infartum, animum non advertebat, exiſtimavit, duos tantùm ab eo Conſulatus prætermiſſos, idque poſt Conſulatum Probi & Paulini; cùm tamen poſt Probum & Paulinum, unum dumtaxat par Conſulum Baronius diſſimularit. Poſtquam igitur Petavius aſſeruit, Probi II & Lupi Conſulatum primum fuiſſe, quem Baronius prætererierit, inquirit poſtea quodnam aliud par Conſulum poſt Probi & Paulini Conſulatum eraſerit; & quò ſe verteret, non habens, ait: *At quodnam par alterum Conſulum in illorum Faſtis* (Onuphrii nempe & Baronii) *deſideretur, id verò difficile eſt conjicere; nec in horum tantùm duorum tabulis, ſed in ceteris unum aliquod par Conſulum deeſſe videtur.* Paulò pòſt ſubjicit: *Sed nihilominus par unum Conſulum in Faſtis vulgaribus inſerendum arbitror, ſive Imperatore Probo, ſive alio quopiam, quod nominatim concipere propter Conſulum in illis depra-*

vata vocabula minimè poſſumus. Atque hoc ex annis ipſius conditæ Urbis, qui apud Onuphrium adnotati ſunt, cernere licet, quorum ſumma uno anno deficit. Sed fruſtra Petavius poſt Probi & Paulini Conſulatum duo Conſulum paria à Baronio exploſa quærit; cùm is unum tantùm diſſimularit, Conſulatum videlicet Probi II & Furii Lupi, quem ſuffectum autumabat. Quòd ſi Onuphrius poſt eraſum Probi & Paulini Conſulatum annos Urbis uno numero decurtarit, id accidit, quia Conſulatum unum ordinarium abjicere non potuit, quin non ſolùm annos Urbis, ſed etiam omnium aliarum Erarum, præterquam Chriſtianæ, anno uno mutilaret; quia error in Faſtis commiſſus nonniſi alio errore reſarciri potuit. Petavius in Animadverſionibus Epiphanianis ad librum de Menſuris & Ponderibus, eundem Annalium errorem emendare conatus fuerat: ſed ibi res illi feliciùs, quàm in libris de Doct. Temp. non ſucceſſit; adeo perplexa variiſque ambagibus implicita Chronologia eſt apud Baronium, à Decii Imperio ad Diocletianea uſque tempora.

V. *Cointius Annales magis depravavit.* Carolus Cointius doctiſſimus Annalium Eccleſiaſticorum Francorum Scriptor, ad Faſtos Baronianos expediendos, omnem curam cogitationemque contulit primo ſuorum Annalium tomo; ſed cùm, errore nunc non ferendo, Eram Chriſtianam ab eodem, quo Baronius Conſulatu, Auguſti nempe XIII & Plautii Silvani, auſpicatus fuerit, ſeſe inextricabilibus difficultatum laqueis non potuit non involvere. Baronium quidem temporis, quo ſcripſit, infelicitas defendit: nondum enim tunc Periodus Juliana inventa, nondum Cycli Solis ac Lunæ in uſum vocati, nondumque certis demonſtrationibus conſtabat, primum Eræ Chriſtianæ annum cum Conſulatu Caii Cæſaris & Lucii Æmilii Pauli concurrere. At poſt annum milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimum quintum, quo Cointius primum illum tomum publicavit, res tanti momenti totque demonſtrationibus confirmata non erat in dubium revocanda, niſi ad argumenta, quæ opinionem, quam ſequitur, convellunt, reſponderetur. Cointius itaque Eram Chriſtianam biennio antevertens, Conſulatus ordinarios Secularis II & Donati, ac præterea Conſtantii Cæſaris V & Galerii Maximiani Cæſaris V, quorum prior anno CC LX; poſterior anno CCC V geſtus, expungere coactus fuit, & Diocletiani initium cum anno Chriſti ducenteſimo octogeſimo quinto copulare: eoque pacto uſque ad Conſtantini Magni Imperium anno trecenteſimo ſexto inchoatum, extra viam vagatus errorem non correxit, ſed propagavit.

VI. *Noriſius Faſtos rectè emendavit.* Unus Noriſius in Parergo de Votis Decennalibus Faſtos Conſulares à Decio Auguſto uſque ad Diocletianum Chronologico ſplendori reſtituit, nullo ſuffecto in locum ordinarii ſubrogato, omnibuſque Conſulum paribus certis argumentis comprobatis. Verum eſt, Virum doctiſſimum, vexatiſſimum Vopiſci locum, in quo Critici omnes hactenus offenderant, non extricaſſe, & hæc verba Valeriani Auguſti Aurelianum alloquentis, *Conſulatum cum Ulpio Crinito in annum ſequentem à die undecimo Kalendarum Juniarum in locum Gallieni & Valeriani ſperare te convenit*, in quibus veluti cardo quidam Chronologiæ per Valeriani & Gallieni Augg. tempora vertitur, de Gallieno Auguſto & Valeriano ejus fratre, ut alii omnes, interpretatum eſſe. Attamen, licèt vulgarem expoſitionem ſecutus fuerit, laqueos ſanè, in quos alii incidêre, defugit, nullumque Conſulatum ordinarium loco ſuo movit: ait enim, eodem anno, quo deſignatio illa facta, Valerianum Auguſtum in Perſidem abductum eſſe, eamque ob rem tam Conſulatum illum Gallieni Auguſti Valeriano Cæſare Collega, quàm Conſulatum Aureliani Crinito Collega geſtum non fuiſſe; ſed Gallienum alia Conſulum Collegia pro arbitrio deſignaſſe. Quo pacto Gallieni Auguſti Conſulatus non auxit, ut Petavius, neque aliquos Conſulatus ordinarios in annos, quibus ſuſcepti non ſunt, uti idem Petavius, Baronius, & Cointius, tranſtulit, ſed veram & integram Conſulatuum ordinariorum ſeriem exhibuit. At nodus expediendus erat, non ſecandus; duo enim Conſulatus illi ſuffecti, Gallieni ſcilicet Cæſaris Valeriano patruo Collega, ac Aureliani & Criniti abdicari potuere, quin notæ numerales Aureliani Auguſti Conſulatibus ordinariis adjiciendæ perverterentur, & Conſulatus Aureliani Baſſo Collega anno CC LXXI initus, qui ſecundus fuit, tanquam primus proponeretur; & ſic deinceps de duobus ejus aliis Conſulatibus ordinariis, quorum alter tertius, alterque quartus in Faſtis omnino appellandus. Quare lecta Diſſertatione noſtra Hypatica & inſcriptione Reineſiana, in qua primus Aureliani Auguſti Conſulatus ordinarius cum nota numerali effertur, ut ſuprà oſtendimus, ab ea ſententia in Epiſtola Conſulari pag. 147. Vir eruditiſſimus & veritatis ſtudioſiſſimus diſceſſit, & pro ſua erga me benevolentia ad Faſtos variis in locis corrigendos plura ſuppeditavit. Quæ accuratiùs expendenda fuere, quia in Conſulatibus ordinariis à Viris doctiſſimis aut diſſimulatis, aut loco motis, & explicatione duorum præfatorum Conſulatuum ſuffectorum Chronologiæ Chriſtianæ reſtitutio pendet.

VII. *Omnes Eræ poſt Diocletianum, exceptâ Chriſtianâ, in Annalibus biennio mutilatæ.* Porro Baronium duos Conſulatus ordinarios eradendo, omnes alias Eras biennio decurtaſſe, apparet ex Olympiadibus anniſque Urbis, tam ſecundùm veritatem, quàm ſecundùm Baronii ſententiam in hujus Operis margine uſque ad quintum Eccleſiæ ſeculum annotatis. Imò, cùm Conſulatus tres ordinarios abjecerit, eaſdem Eras triennio mutilaſſet, niſi primum Decii Auguſti Conſulatum, qui ſuffectus tantùm fuit, in Faſtos inſeruiſſet. Ex quibus tandem omnibus manifeſtè apparet, tam ante Diocletianum, quàm poſt ipſum, Chronologiam Baronii depravatam eſſe, ad eamque reſtituendam non aliam viam, quàm à nobis factum, ineundam, nec minorem laborem, minorémve induſtriam conferendam fuiſſe.

VIII. *Probus pacem cum Perſis facit.* Ad num. II. Galliæ anno CC LXXVII Barbaris à Probo Imperatore liberatæ. Hoc verò anno Probus in *Orientem* movit, ubi Barbaros in Iſauria compeſcuit, à *Parthis* dona, quæ offerebant, non accepit, pacem tamen iis dedit, & in Thracias rediit, ubi centum Baſtarnarum millia in ſolo Romano Baron. num. II.

conſtituit, qui poſtea Imperio fideles fuerunt. *Gepidæ* verò & *Vandali*, fide rupta fines Romanos latè populati ſunt; quos Probus oppreſſit, ut teſtatur Vopiſcus in Probo cap. 16. Erat tunc Parthorum ſeu Perſarum Rex *Narſeus*, ut docet Vopiſcus loco citato. Quare, verum non eſt quod ſcribit Agathias Wraracem II annos XVII regnaſſe.

Anno Periodi Græco-Romanæ
Olymp. 265. 5774. ⊙ 10 B. ☽ 16. P. 27. Mart.
Indict. 14.
Jesu Christi 281.
Eutychiani Papæ 7.
Probi Imp. 6.

I. *Conſules.* COſs. *M. Aurelius Probus Aug. IV*, & *C. Junius Tiberanius*, qui ſub Diocletiano Conſul iterum fuit.

II. *Probi Quinquennalia.* Sumtus hic à Probo Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam, ob ejus videlicet Quinquennalia. Mediobarbus V. C. pag. 412. ex ſuo Muſæo Probi Nummum profert in poſtica inſcriptum: Votis X. Probi Aug. et XX. in laurea; quem anno primo Probi rectè recitat: quod certò conſtaret, ſi nos monuiſſet, Probum in antica ſine veſte Conſulari expreſſum eſſe. Ex alio tamen Nummo etiam æreo medii moduli in Gaza Regia aſſervato hunc Probi Nummum Imperii ejus initio, quo Vota Quinquennalia nuncupavit, percuſſum intelligimus. Eſt Nummus Taciti Auguſti, qui ſex tantùm menſes imperavit, quique ideo Vota Quinquennalia ſolvere non potuit. In ejus poſtica legitur, Votis X. et XX. Quare ea formula à Gallieno primùm in Decennalibus uſurpata, & poſtea à Tacito & Probo ipſo Imperii exordio Nummis inſculpta. Ex eo porro quòd Nummi Imperii initio, in Quinquennalibus ac Decennalibus percuſſi eandem poſticam formulamque plerumque præferant, factum, ut quibus annis cuſi fuerint, detegere potis non ſit. Certum tamen videtur, ante Conſtantinum Magnum Quinquennalia in Nummis non fuiſſe expreſſa.

Anno Periodi Græco-Romanæ
5775. ⊙ 11 A. ☽ 17. P. 16. April.
Indict. 15.
Jesu Christi 282.
Eutychiani Papæ 8.
Cari Imp. 1.

I. *Conſules.* COſs. *M. Aurelius Probus Aug. V*, & *Pomponius Victorinus*.

II. *Triumphus Probi Aug.* Conſulatus Probi juxta quintam Conſulatuum Cæſareorum regulam. *Triumphavit* enim *de Germanis & Blemyis*; quem triumphum Vopiſcus in Probo cap. 19. fuſè deſcribit. Hunc triumphum Mediobarbus in annum præcedentem, Baronius in annum ſequentem perperam diſtrahunt. Sed utrumque Probi Conſulatus V refellit. Malè etiam Probi interitus à Baronio in annum ſequentem dilatus: præſenti enim anno contigiſſe

Baron. ann. 282. num. 1.

certum; ideoque Carus hoc anno Imperium ſuſcepit.

Anno Periodi Græco-Romanæ
5776. ⊙ 12 G. ☽ 18. P. 1. April.
Indict. 1. Olymp. 265. *ſecundùm Baronium.*
Jesu Christi 283.
Caii Papæ 1.
Cari Imp. 2.

COſs. *M. Aurelius Carus Aug. II*, & *M. Aurelius Carinus Cæſar*. Sumtus hic ab utroque Conſulatus juxta primam regulam: ex eoque liquet, anno elapſo *Carum* Auguſtum; Carinum verò & Numerianum Cæſares nuncupatos eſſe. Baronius *Carum* ſine numerali nota profitetur, quòd Caſſiodorus & Auctor Chronici Alexandrini eandem prætermiſerint; indeque perperam deducit, Carum anno ſequenti ſecundum Conſulatum geſſiſſe. Nam in Diſſertatione Hypatica demonſtravi, numeralem notam plerumque à Faſtorum Conditoribus, licèt non mediocri Chronologiæ damno, ac Conſulatus ſuffectos prætermiſſos. Quare ex eo ſilentio inferendum erat, primum *Cari* Conſulatum ſuffectum dumtaxat fuiſſe. Ceterùm, hunc Cari Conſulatum cum nota numerali profitentur Idacius, Heraclius, Pſeudo-Damaſus in Catalogo veterum Pontificum, Auctor libelli de Præfectis Urbi, & Inſcriptio infrà adducenda. Omittebam monere, Auctorem Chronici Alexandrini Conſulatus ſuffectos de more tacere, ideoque mirum non eſſe, ſi hoc anno Carum ſine numerali nota proponat. I. *Conſules.*

Ad num. 1. Probus non hoc anno, ut autumavit Baronius, ſed præcedenti occiſus eſt. Vopiſcus ejus triumpho narrato, ait: *Quibus peractis, bellum Perſicum parans, cùm per Illyricum iter faceret, à militibus ſuis per inſidias interemtus eſt.* Ita is Hiſtoricus in Probo cap. 20. ubi cap. ſequenti perperam ait, interfectum Probum *anno Imperii ſui quinto*. Certum eſt enim, eum ſeptimum Imperii annum inchoaſſe. Julianus in Cæſaribus ſcribit, eum imperaſſe *ſeptem annos nondum completos*: Eutropius, Euſebius in Chronico, Oroſius in Hiſtoria ei tribuunt *annos ſex, menſes quatuor*: denique Caſſiodorus in Chronico ait, eum imperaſſe *annos ſex, menſes tres*. Quare cùm Tacitus die decima tertia menſis Aprilis anni CCLXXVI è vivis exceſſerit; & aliquot poſt dies Probus in Illyrico à militibus Imperator renuntiatus fuerit, apparet, eum anno præcedenti circa initium menſis Auguſti à militibus interemtum eſſe; ſicque imperaſſe annos ſeptem nondum completos, vel annos ſex ac menſes quatuor utrinque incompletos, vel annos ſex, & menſes tres integros, & valde hallucinatos eſſe Onuphrium, Calviſium, Petavium & pleroſque Chronologos, qui Probum menſe circiter Novembri antecedentis Chriſti anni trucidatum ſcribunt, non animadvertentes, Florianum & Probum uno eodemque tempore in diverſis Orbis Romani partibus imperaſſe, & initium Imperii Probi non ab interitu Floriani, ſed à Taciti morte ab Antiquis deductum fuiſſe; ut, quæ in morte Numeriani

II. *Probi Aug. interitus.*

Baron. num. III.

Auguſti dicemus, manifeſtum facient. Graviùs peccavit Baronius, qui non tantùm Probi mortem in hunc annum diſtulit, & unius Vopiſci auctoritate & Inſcriptione infrà adducenda explicandaque innixus annos tantùm quinque huic Imperatori attribuit, quòd nempe annos duos plus æquo Aureliano aſſignaſſet. Hoc enim pacto Cari & filiorum annos mutilare coactus fuit.

III.
Carus Auguſtus dictus; Carinus & Numerianus Cæſares.
Baron. num. VI.

Ad num. II. Probo ſucceſſit Carus, qui ut ait Vopiſcus in Caro cap. 7. *ubi primùm accepit imperium, conſenſu omnium militum bellum Perſicum, quod Probus parabat, aggreſſus eſt, liberis Cæſaribus nuncupatis: & ita quidem ut Carinum ad Gallias tuendas cùm viris lectiſſimis deſtinaret: ſecum verò Numerianum adoleſcentem, cùm lectiſſimum, tum etiam diſertiſſimum duceret.* Paulò pòſt addit, Carinum priorem Cæſarem eſſe appellatum, & *habuiſſe in animo Carum, ut Carino Cæſareum abrogaret imperium.* Tum cap. 16. de eodem Carino ſcribit: *Hic cùm Cæſar decretis ſibi Galliis atque Italia, Illyrico, Hiſpaniis ac Britanniis & Africâ, relictus à patre Cæſarianum teneret imperium, ſed eâ lege, ut omnia faceret, quæ Auguſti faciunt, enormibus ſe vitiis & ingenti fœditate maculavit.* Quibus ex verbis patet, quàm immeritò contendant Cenſores quidam apud Noriſium in Epiſt. Conſulari pag. 177. Imperium Cæſareum à me confictum fuiſſe, & Cæſares omnes ante Imperium Proconſulare omnis Imperii expertes fuiſſe. Carinus & Numerianus, qui anno præcedenti Cæſareâ dignitate decorati fuerant, currenti ante menſem Septembrem, ac poſt inchoatum annum ſecundum Imperii paterni, Auguſti dicti ſunt; quod à Baronio aliiſque malè negatum, hîc oſtendendum. Et primò quidem in Nummis Græcis Numeriani anni duo Imperii ejus Auguſtei leguntur; in Nummis verò Carini anni tres: quod verum eſſe non poteſt, niſi currenti anno ante menſem Septembrem Auguſti renuntiati fuerint, ut ex iis, quæ in utriuſque morte dicemus, conſtabit. Secundò, complures leges in Codice Juſtinianeo habentur hujus anni Conſulibus ſubſcriptæ, in quarum titulo legitur: *Carus, Carinus, Numerianus A A A.* id eſt, *Auguſti.* Verum eſt, eundem titulum præfigi etiam aliquibus legibus, quæ ante menſem Junium hujus anni latæ ſunt: ſed error irrepſit in hujuſmodi titulos; quemadmodum & in Leges quaſdam primò Imperii Diocletiani anno datas, ac inſcriptas: *Imp. Diocletianus & Maximianus A A.* cùm id temporis unus Diocletianus Auguſtus, Maximianus Herculius Cæſar tantùm eſſet. Imo plures Leges primis Imperii Diocletiani annis emiſſæ hoc titulo inſigniuntur: *Impp. Diocletianus & Maximianus A A. & C C.* id eſt, *Auguſti & Cæſares*, Conſtantinus nempe & Galerius Maximianus nonniſi anno ducenteſimo nonageſimo ſecundo Cæſares nuncupati. Tertiò, Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis num. 2297. affert Nummum Cari, in quo notatur: VIRTUS AUGGG. XXII E. Δ. Tres itaque Auguſti uno eodemque tempore viſi. Spanhemius Vir eruditiſſimus in Cæſaribus Juliani Imperatoris à ſe in linguam Gallicam verſis exiſtimat, Scaligerum hallucinatum, vel ab aliis deceptum, nullaque adhuc ad ſuas manus perveniſſe Numiſmata triplici illa littera inſignita. Addit, illorum temporum Scriptores indicare, Carinum & Numerianum vivente Caro patre Cæſares tantùm fuiſſe. At argumentum inficiativum valdè infirmum ac plerumque fallax. Mediobarbus enim in Imperatorum Romanorum Numiſmatis eodem tempore, quo Notæ Spanhemii in Cæſares Juliani Imp. in lucem editis, idem ac ſimile Numiſma, quod aureum eſſe dicit, repræſentavit. Nec Scriptorum ſilentium, ubi Numiſmata loquuntur alicujus ponderis; cùm aliquos tum Cæſares, tum Auguſtos ab Hiſtoricis prætermiſſos Nummi exhibeant. Certe Carinum vivente patre Auguſtum fuiſſe demonſtrare videtur Nummus, qui extat apud Mediobarbum pag. 419. inſcriptum: CARUS ET CARINUS AUGG. in quo viſuntur capita jugata Cari & Carini. In averſa parte cernitur Victoria gradiens cum his verbis circùm: VICTORIA AUGG. Quare Baronii & Spanhemii ſententia non videtur ampliùs ſuſtineri poſſe.

IV.
Carinus & Numerianus Auguſti dicti.
Baron. num. VII.

Venio nunc ad Inſcriptionem, quæ Baronium impulit, ut Probi cædem in hunc annum, & ſecundum Cari Conſulatum in annum ſequentem differret; ex qua & liquebit, Carinum & Numerianum currenti anno ante ſecundum Imperii paterni annum dignitate Auguſtea exornatos non fuiſſe, & Annales non parum illuſtrabuntur.

VICTORIOSISSIMO
PRINCIPI JUVENT.
M. AURELIO CARINO
NOBILISS. CAESARI
COS. PRO. COS.

FORTISSIMO ATQUE
CLEMENTISSIMO
IMP. CAES. M. AURELIO
CARO INVICTO AUG.
P. M. TR. POT. II. COS. II.
P. P. PRO. COS.

VICTORIOSISSIMO
PRINCIPI JUVENT.
M. AUREL. NUMER.
NOBILISS. CAESARI
PROCOS.

M. AURELIUS VALENT. V. C. LEG. AUGG. PROPR.
HISPANIÆ. CITERIORIS. D. N. M. Q. EORUM.

Ex antiqua hac Epigraphe deducitur primò, anno ſequenti non Carum II & Numerianum, ut putabat Baronius, ſed Carinum II & Numerianum Conſules proceſſiſſe; cùm in eo Conſulatus II Cari eodem tempore cum primo Carini componatur, quo Numerianus nondum Conſul, ſed Proconſul tantùm appellatur: proindeque ſecundus Cari Conſulatus in præſentem annum convenit, non autem in ſequentem, priorque ſuffectus duntaxat fuit. Secundò, Baronium deceptum, cùm ex ea Inſcriptione infert, hoc anno *Carum* imperare cœpiſſe; ideoque & hoc anno Probum periiſſe; *quia*, inquit, *ſecundus Cari Conſulatus anno CC L X X X I V geſtus inſcriptus reperitur cum Tribunitia Poteſtate II*, quâ *ſecundus Imperii ejus annus notatur.* At cùm certò conſtet, Carinum & Numerianum

anno ſequenti Faſtis nomen dediſſe, ut ibidem oſtendetur, præſentique Numerianum nondum Conſulem fuiſſe, neceſſariò ſequitur, primum Cari Conſulatum ſuffectum fuiſſe. Tertiò, deducitur Carinum & Numerianum anno primo Imperii patris nondum Auguſtos fuiſſe, cùm in laudata epigraphe ſecundo Imperii patris anno dicata, uterque Cæſar tantùm vocetur. Quartò, *Valentinianum* ideo vocari *Legatum* Auguſtorum, quia licèt Carinus Cæſar tantùm eſſet, ut ea Inſcriptio nos dubitare non ſinit, junctim tamen cum patre nominatus, Auguſtus & ipſe nominari debuit, juxta ea, quæ de Philippo Cæſare loquentes jam diximus. Onuphrius in Faſtis, ubi Præfatam Inſcriptionem integram recitat, quia non animadverterat, Cæſares in Nummis & Inſcriptionibus, quando ſimul cum Auguſtis nominantur, dictos etiam fuiſſe Auguſtos, præfatam Inſcriptionem corrupit, & loco, LEG. AUGG. id eſt, *Legatus Auguſtorum* ſcripſit, LEG. AUG. id eſt, *Legatus Auguſti*. Sed perperam; cùm in quatuor aliis Inſcriptionibus à Grutero pag. 277. relatis non alium titulum Valentinianus uſurpet. Imò ipſemet Carinus Nummum aureum percutiendum juſſit, in cujus antica parte ejus effigies cernitur cum his verbis circùm: M. AUR. CARIN. NOB. CAES. & in averſa viſuntur duæ figuræ (Cari nempe & Carini, ut interpretatur Spanhemius loco citato pag. 120. ubi Nummum illum exhibet) quæ Victoriam tenent cum his verbis circùm: VICTORIA AUGUSTORUM. Exiſtimat Vir Doctiſſimus, Carinum Cæſarem poteſtate faciendi, quæ Auguſti facerent, innixum, hujuſmodi Nummos cudi voluiſſe, dum Carus Auguſtus pater in Perſide & in Oriente ageret. Verumenimvero, uſum tuliſſe, ut puri puti Cæſares cum Auguſtis conjunctim nominati nuncuparentur & ipſi Auguſti, ſparſim in hoc Opere demonſtravi. Mediobarbus tam in Carino, quàm in Numeriano varia exhibet Numiſmata utriuſque Cæſaris, in quorum averſa parte legitur: PIETAS AUGG. vel, TRAJECTUS AUGG. vel, MONETA AUGG. vel, VIRTUS AUGG. Quæ verba in Carini Cæſaris Nummis de eo & Caro Auguſto, in Nummis verò Numeriani Cæſaris de eo & Caro Auguſto intelliguntur, & regulam à nobis ſtatutam certam reddunt; Numerianus enim non acceperat à patre poteſtatem faciendi, quæ Auguſti facerent; quod in unius Carini favorem videtur factum.

V. *Tres Dorothei diſtinguendi.* Baron. num. IX & X.

Ad num. III. *Timæi* Epiſcopi Antiocheni obitus ad annum CCLXXXI ex Euſebio in Chronico retrahendus. Cyrillo ejus ſucceſſore Eccleſiam Antiochenam regente floruit Antiochenus Preſbyter, nomine Dorotheus, de quo Euſebius in Hiſt. cap. 32. ſed diſtinguendi *Dorothei* tres, *Dorotheus* ſcilicet Cubicularius Martyr, ab Euſebio lib. 8. commendatus; *Dorotheus* Preſbyter, de quo Euſebius loco citato, & *Dorotheus* tertius, Preſbyter Tyri, qui ſub Juliano Apoſtata trucidatus eſt die V Junii. Baronius in Notationibus ad Martyrologium Romanum primum & ultimum Dorotheum inter ſe confundit: quem errorem jam notavit Blondellus in Apologia pro ſententia Hieronymi pag. 274. Sed, ut obſervat Valeſius in Notis Euſebianis lib. 7. cap. 32. dum Baronium reprehendit Blondellus, multò graviùs ipſemet errat; *Dorotheum* enim Antiochenſem Preſbyterum confundit cum Dorotheo Cubiculario Imperatoris Diocletiani; quos tamen diverſos eſſe certis argumentis conſtat. Preſbyter Antiochenus vir fuit nobilis, & Magiſtratum geſſit, antequam Preſbyter fieret. Alter verò *Dorotheus* ſervilis fuit conditionis, utpote Cubicularius eunuchus. Deinde Dorotheus Preſbyter Antiochenſis Martyr non fuit. Certè Euſebius id de illo non dicit, neque loco laudato, neque libro 8. cap. 13. ubi Eccleſiaſticos viros recenſet, qui in illa perſecutione martyrium ſubierant. Qua de re plura Valeſius laudatus.

VI. *Obitus Eutychiani Papæ.* Baron. num. XIV & ſeqq.

Ad num. IV. In Chronico Damaſi legitur: *Eutychianus annis octo, menſibus undecim, diebus tribus. Fuit temporibus Aureliani à Conſulatu Aureliani III & Marcellini uſque in diem VII Idus Decembris, Caro II & Carino Conſulibus.* Aurelianus III & Marcellinus anno CCLXXV; Carus & Carinus præſenti anno Magiſtratum geſſere. Quare, cùm Eutychianus die ſeptima Decembris hujus anni è vivis exceſſerit, rectè dicitur ſediſſe annis octo, menſibus undecim, diebus tribus; ejuſque initium die quinta Januarii anni CCLXXV, quæ feria tertia fuit, omnino contigit. In Martyrologio Hieronymiano ad VI Idus Decembris, ſeu ad diem octavum Decembris legitur: *Romæ Eutychiani*; indeque Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum Romanorum occaſionem ſumſit exiſtimandi, locum Chronici Damaſi, ubi dicitur, *uſque ad diem VII Idus Decembris*, corruptum eſſe, legendumque uſque in diem VI Idus Decembris, *idque eò libentiùs*, inquit, *quòd, ſic retrogradiendo ad ordinationem ipſius, veniatur ad feſtum Epiphaniæ ſolitum devotione maxima Fidelium, etiam ſub cryptis degentium, celebrari. Correctionem probat Hieronymianum Martyrologium.* Verùm, ex diverſitate diei in Martyrologio Hieronymiano & in Chronico Damaſi notati inferendum, in Hieronymiano Martyrologio non diem mortis, ſed ſepulturæ memorari, quemadmodum & in Indiculo Depoſitionis Epiſcoporum apud Bucherium, ubi legitur: *Sexto Idus Decembris, Eutychiani in Calliſti*; in Chronico verò Damaſi diem obitualem exprimi juxta regulam à nobis poſitam, ac præterea Romanorum Pontificum ordinationes per hæc tempora diebus Dominicis aut Feſtis ſolennioribus fieri ſolitas non fuiſſe. Quod utrumque, cùm ad Chronologiam Pontificiam reſtituendam magni momenti ſit, ſatis non poſſumus inculcare. Rectiùs Papebrocius ex eo quòd in auctiori Chronico veterum Pontificum, Anaſtaſio aliiſque legatur, Eutychianum *VI* vel *VIII Kalend. Auguſti* fuiſſe depoſitum aut ſepultum, colligit, diem natalem Pontificum Romanorum alibi, quàm in Præfatis Auctoribus quærendum, eiſque hoc ſcribendi anſam præbuiſſe, Elevationem vel Tranſlationem aliquam factam tali die ſeculo V ſub Innocentio I, cùm is in Cœmeterio Calixti ædificavit inſignem S. Sebaſtiani Baſilicam ad Catacumbas, ſuper Platoniam, ſub qua Sanctorum Petri & Pauli corpora diu jacuerant. In Martyrologio Romano Eutychianus dicitur

paſſus ſub Numeriano, cujus martyrii teſtem, cùm nullum neque in Annalibus, neque in Notis ad illud Martyrologium afferat Baronius, & Eutychianus non in Indiculo *Depoſitionis Martyrum* apud Bucherium, ſed in Indiculo *Depoſitionis Epiſcoporum* apud eundem, hic ſanctus Pontifex inter Confeſſores numerandus videtur. Certe uterque Indiculus Conſtantio Conſtantini Magni filio imperante ſcriptus omnibus Martyrologiis antiquior eſt, ideoque ei magna fides habenda.

VII. *Caius Eutychiano ſucceſſit.* Ad num. V. Decretales, quæ Eutychiani nomine circumferuntur, ſuppoſititiæ ſunt, ut ex iis quæ anno CCXCVI dicemus, patebit. Auctor auctioris Chronici veterum Pontificum, narrata Eutychiani morte, ait: *Et ceſſavit Epiſcopatus dies octo.* Quamobrem Caius Eutychiani ſucceſſor die decima quinta menſis Decembris præſentis anni, in quam Sabbatum incidebat, ordinatus eſt, ideoque dies octo Sedem vacaſſe, eo in Chronico rectè ſcriptum, à quo non differt liber Pontificalis, qui dies novem habet. Includit enim diem emortualem, qui in eo Chronico excluditur. Baronius Caii initium malè cum die decima ſeptima Decembris illigavit, ut ex iis, quæ in morte ejus dicemus, liquebit.

VIII. *Reſcriptum Theodoſii junioris perperam Caro Aug. attributum.* Ad num. VI. Baronius reſcriptum de remiſſione tributi Theſſalonicenſi Eccleſiæ conceſſa Caro Auguſto attribuit, indeque eum de Eccleſia bene meritum ſcribit. Sed Gothofredus in Commentario ejuſdem Legis, quæ eſt 37. *De annona & tributis.* oſtendit, tucum illi feciſſe Codicem Juſtinianeum, ubi reſcriptum illud octava Lex *De ſacroſanctis Eccleſiis.* nuncupatur. Emiſſum itaque illud à Theodoſio juniore *Victore V. C. Conſule*, anno nempe Chriſti CCCCXXIV, ut in eodem Commentario videre eſt. Baron. ann. 284. num. V.

IX. *Chronologia Cari Carini & Numeriani aliàs obſcurior.* Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis ad num. 2299. ait: *Nihil eſt incertius, nihil perturbatius temporibus trium horum Auggg. & initio Diocletiani*: additque, Numerianum triginta tantùm dies imperaſſe, conſtare ex libro priore Euſebii. Baronius verò in Annalibus, ubi tantùm ei Imperium bimeſtre aſſignat, ait: *Cum Numerianus paulo poſt patrem interfectus ſit, unde quaſo quòd nonnulli Martyres ſub Numeriano paſſi legantur in cunctis Martyrologiis; haud res eſt facilis demonſtratu.* Verùm, Numerianum poſt patris interitum menſes circiter octo ſuperſtitem fuiſſe, anno ſequenti oſtendemus. Ex quo manifeſtum fiet, quantum conferat ad Chriſtianam Chronologiam Cæſarea ad exactos calculos revocata.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5777. ☉ 13 FE. ☽ 19. P. 20. April. Indict. 2.
Jesu-Christi 284.
Caii Papæ 2.
Diocletiani Imp. 1.

I. *Conſules.* Coss. *M. Aurelius Carinus Aug. II, & M. Aurelius Numerianus Aug.* ut docent libellus de Præfectis Urbi, Anonymus apud Bucherium, Damaſus in Catalogo veterum Pontificum in Eutychiano Papa, cujus verba anno præcedenti à nobis deſcripta; imò & Chronicon Alexandrinum, quod pro ſe citat Baronius, qui Carum II & Numerianum perperam proponit, innixus præſertim Inſcriptione, quam anno præcedenti explicavimus. Sumtus hic ab utroque Conſulatus juxta primam Conſulatuum Cæſareorum regulam; uterque enim anno præcedenti à patre Auguſtus nuncupatus.

II. *Cari Aug. obitus.* Ad num. I. Incertum, an *Carus* Auguſtus ſub præcedentis anni finem, vel currentis initio perierit. In titulo Legis Codicis Juſtinianei 1. *De prædiis.* Cari, Carini, & Numeriani AAA. nomina leguntur. Ea autem Lex dicitur *PP. VI. Id. Decemb. Caro & Carino AA. Coſſ.* ideoque initio Decembris anni elapſi adhuc in vivis *Carus* erat, ſi in eam Inſcriptionem error non irrepſerit. Die verò duodecima menſis Januarii præſentis anni jam extinctus erat. Nam, ut obſervat Noriſius in Diſſert. de Numiſmate Impp. Diocletiani & Maximiani cap. 1. Leges Codicis Juſtinianei 3. *De revocand. donat.* dicitur *PP. II Idus Januarias.* Lex 5. *De donat.* dicitur *PP. Romæ VI Kal. Februarias.* Lex 19. *Ex quibus cauſis.* dicitur *PP. XVII Kal. Febr.* quæ omnes dicuntur datæ *Carino & Numeriano Coſſ.* inſcribunturque: *Impp. Carinus & Numerianus.* Jam itaque ineunte Januario Carinus & Numerianus ſoli imperabant. Cum filiis *regnavit duobus annis*, inquit Eutropius, de Caro loquens, ubi eum numero rotundo Imperii ejus durationem exprimere certum eſt. Baron. num. 1.

III. *Diocletianus Numeriano ſuccedit.* Numerianus, quem *Carus* pater ſecum adverſus Perſas duxerat, cùm è Perſide rediret, *Apro* impulſore, dum *lecticulâ veheretur, per inſidias occiſus eſt*, inquit Eutropius; ſed non ante menſem Septembrem. Libro enim 10. Codicis Juſtinianei recitatur Lex 4. *De delat. PP. III. Kal. Septembris, Carino & Numeriano Coſſ.* In illius verò titulo legitur: *Impp. Carinus & Numerianus.* Quare ipſo fine Auguſti adhuc vivebat Numerianus. Baronius autem ideo Numeriani poſt patris mortem bimeſtre tantùm Imperium fuiſſe autumavit, quia Diocletianum ejus ſucceſſorem *undecimo Kalendas Maii* præſentis anni regnare cœpiſſe putavit, deceptus his verbis Panegyrici, quem Mamertinus Maximiano dixit: *Revera enim*, inquit Orator, *ſacratiſſime Imperator, meritò quivis te, tuumque fratrem* (nempe Diocletianum) *Romani Imperii dixerit conditores. Eſtis enim, quod eſt proximum, reſtitutores: & ſit licèt hic illi Urbi natalis dies, quòd pertineat ad originem populi Romani; veſtri Imperii primi dies ſunt principes ad ſalutem.* Quibus ex verbis Baronius aliique deducebant, eundem Urbi, qui & Maximiano Herculio ac Diocletiano fuiſſe Natalem, ideoque eos Imperatores *ipſis Parilibus* dictos fuiſſe. Verùm, inquit Petavius lib. 11. de Doct. Temp. cap. 30. nulla in iis verbis littera, quæ id oſtendat; imò diverſi ibidem dies illi conſtituuntur, & cum primo die Romæ conditæ per antitheſim primi Imperatorum illorum dies comparantur; qui tam ab Urbis Natali, quàm à ſe mutuò differre, vel in Panegyrico ſignificantur. Diem itaque natalem Diocletiani Baron. num. 1, 11 & ſeqq.

unus nos docuit Auctor Chronici Alexandrini, quod Baronius, ejus Faſtis exceptis, non legerat. Ibi ſub hujus anni Conſulibus habetur: *Tandem Numerianus ab Apro Præſide Perinthi Thraciæ, quam nunc Heracleam vocant, necatus eſt.* Tum ſubdit: *Diocletianus Imperator XV Kalendas Octob. Chalcedone renuntiatus, V Kalendas Octobres Nicomediam purpuratus intravit, & Kalendis Januariis Conſul prodiit.* Dies itaque natalis Diocletiani decimus ſeptimus menſis Septembris fuit, ideoque aliquot ante dies Numerianus Auguſtus occiſus fuerat. In Gaza Regia aſſervatur Nummus æreus parvi moduli, in quo legitur: A. K. M. A. NOY-MEPIANOC CEB. id eſt, *Imp. C. M. Aurelius Numerianus Aug.* Viſitur caput Numeriani coronatum. In poſtica, L. B. id eſt, *anno ſecundo.* Roma ſedens Victoriam tenet. Similem refert Goltzius, aliumque præterea in poſtica inſcriptum, L. A. id eſt, *anno primo.* Ex quibus certò liquet, non tantùm Numerianum ſecundum Imperii Auguſtei annum delibaſſe; ſed etiam Probum & Florianum eodem tempore regnaſſe, ac poſt Taciti mortem, quæ die XIII menſis Aprilis anni CCLXXVI contigit, Probum à militibus renuntiatum Imperatorem, annoque CCLXXXII circa initium menſis Auguſti interemtum fuiſſe. Quo pacto Numerianus ſecundum Imperii Auguſtei annum auſpicari potuit, cùm menſe Septembri hujus anni interierit. Quòd ſi Antiqui durationem Imperii Probi à Floriani morte deſumſiſſent, ut recentibus Chronologis viſum fuit, *Numerianus* ſecundum Auguſtei Imperii annum nullo modo inchoare potuiſſet, ut ex dictis certum redditur. Extat apud Mediobarbum Numeriani Nummus inſcriptus: IMP. C. M. AUR. NUMERIANUS NOB. C. in poſtica: VIRTUS AUGG. Ex quo apparet, verum eſſe quod ſæpe diximus, Cæſares nempe hoc ſeculo *Imperatores* in Nummis & Inſcriptionibus appellatos fuiſſe, imò & Auguſtos, ſi conjunctim cum ipſis in Nummis nuncuparentur. Poſtica enim illa de Caro Auguſto & Numeriano Cæſare interpretanda videtur. Carinus anno tantùm ſequenti ſublatus.

IV. *Diocletiani initium ab hoc anno repetendum.*

Ad num. II. *Diocletianum* hoc anno Imperatorem renuntiatum, non verò ſequenti, ut Scaliger in lib. de Emendat. Temp. & Cointius in Annal. Eccleſiaſt. Franc. autumarunt, extra omnem controverſiam eſſe debet. Diem Imperii ejus natalem unus Auctor Chronici Alexandrini nobis conſervavit, quem planè aureo teſtimonio Noriſius in Diſſert. de duobus Nummis Diocletiani & Licinii cap. 1. confirmavit. In libro enim 3. Codicis Juſtinianei refertur Lex *Ut nemo invitus.* in cujus titulo legitur: *Imp. Diocletianus Auguſtus Camerio*; dicitur verò, *Dat. Idibus Octobris, Carino II & Numeriano Coſſ.* Quare die decima quinta menſis Octobris præſentis anni jam Diocletianus imperabat; ideoque verum eſt quod dicitur in Chronico Alexandrino, eum die decima ſeptima Septembris Imperatorem appellatum fuiſſe; totoque cælo erraſſe Scaligerum & Cointium, qui ejus initium in annum ſequentem diſtulere.

V. *Era Diocletianea.*

Diocletianum hoc anno imperare cœpiſſe evincit etiam Era Diocletiana, quæ & *Era Martyrum* dicta, à Chriſtianis Ægypti etiamnum uſurpata, quæ proficiſcitur à die viceſima nona Auguſti currentis Chriſti anni, à qua etiam die Era Actiaca, in cujus locum ſubrogata eſt, auſpicabatur. Cùm enim Ægyptii, ut notat Calviſius in Opere Chronologico hoc anno, & in 3. parte Iſagoges cap. 16. qui hac anni forma utebantur jam à morte Antonii & Cleopatræ, Calippi Periodum Lunarem novemdecim annorum in uſum revocare vellent, & Cyclum Paſchalem condere, ab hoc anno ejus initium ſumere voluerunt, quòd Novilunium in ipſum diem XXIX Auguſti incideret, qui propterea annus primi Cycli Lunaris appellatus eſt, ut & hodie fit. Latini enim, cùm Cyclum ſuum Paſchalem à Paſchate incipiant, ſequentem annum pro Cyclo Lunari primo habent, ubi Novilunium in Paſcha proximè poſt diem XXI Martii incidit. Diſtat enim XXI Martii à die XXIX Auguſti præcedente diebus CCVI, qui efficiunt ſeptem menſes Lunares, & paulò plus. Sed hac de re plura Calviſius laudatus. Baron. num. III.

VI. *Maximianus Herculius Cæſar dictus.*

Ad num. III. Carinus, qui in Galliis, Italia, Hiſpaniis, aliiſque regionibus Occidentalibus imperabat, ubi Diocletianum in Oriente, & Julianum in Italia Imperatores dictos accepit, nihil prætermiſit, ut æmulos ab Imperio detruderet; hincque civile bellum exortum. Quare Diocletianus, ut Carinum faciliùs opprimeret, M. Aurelium Valerium *Maximianum Herculium* Cæſarem nuncupavit, ac poſt biennium Auguſtum. Baronius hujus nuncupationis nullam mentionem fecit; imò Noriſius in Diſſert. de Numiſmate Impp. Diocletiani & Maximiani cap. 2. ait, ſe vix in communem ſententiam trahi poſſe, quæ docet eundem Maximianum antequam Auguſtus crearetur, Cæſaream dignitatem obtinuiſſe. Quam ſententiam in ſecunda parte Diſſert. Hypaticæ cap. 7. num. VII & VIII confutavi, oſtendique non tantùm Maximianum Herculium priùs Cæſarem, quàm Auguſtum dictum eſſe, ſed eos etiam omnes, qui à Marco Aurelio ad Valentinianum ſeniorem, ab aliis Auguſtis dignitate Auguſtea exornati ſunt. Ammianus enim lib. 27. tradit, Valentem & Gratianum poſt Marcum Aurelium & Lucium Verum, primos fuiſſe, qui Auguſti dicti ſint, eodem tempore, quo & Cæſares appellati: *In hoc tamen negotio,* inquit Ammianus, *Valentinianus morem inſtitutum antiquitus ſupergreſſus, non Cæſares, ſed Auguſtos, germanum nuncupavit & filium,* (Valentem nempe & Gratianum) *benivolè ſatis. Nec enim quiſquam antehac adſcivit ſibi pari poteſtate Collegam præter Principem Marcum, qui Verum adoptivum fratrem abſque diminutione aliqua majeſtatis Imperatorem ſocium fecit.* Cùm itaque Ammianus tam Marci, quàm Valentiniani factum tanquam novum & antea inauditum proponat, non ſolùm Maximianum Herculium, ſed & Licinium ſeniorem ex Cæſare Auguſtos factos fuiſſe indubitatum eſſe debet; licèt id etiam de Licinio Noriſius laudatus negaverit. Porro *Julianum* in Italia Imperium arripuiſſe docet uterque Victor. Victor de Cæſaribus,

Diocletiani

Docletiani inauguratione narrata, ait: *Interim Carinus eorum quæ acciderant, certior, ſpe faciliùs erumpentis ſedatum iri: Illyricum properè Italiæ circuitu petit. Ibi Julianum, pulſus ejus acie, obtruncat. Namque is cum Venetos correcturâ ageret, Cari morte cognita, Imperium avens eripere, adventanti hoſti obviam proceſſit.* Alter Victor ſcribit, *Julianum*, acto per coſtas pugione, in ignem ſe abjeciſſe. Quæ dum in Italia fiunt, *Carini diſceſſu* Bagaudæ tumultus in Galliis concitant, quos ut reprimeret Diocletianus, hoc anno Maximianum Herculium, quem Cæſarem dixerat, adverſus eos miſit, qui ſequentis anni initio eos aggreditur, & *in ipſo ortu Numinis ſui Gallias Reipublicæ ad obſequium reddidit*, inquit Mamertinus in Epithalamio cap. 8. quod tamen magis oratoriè quàm hiſtoricè dictum, ut infrà videbitur.

VII. *Natale Imperii Cæſarei Max. Herculii.* Maximianum Herculium die viceſima menſis Novembris, ſeu XII Kal. Decemb. Cæſarem appellatum fuiſſe oſtendi in prima parte Diſſert. Hypaticæ cap. 2. num. VIII ex Lactantio lib. de Mortibus Perſecutorum cap. 17. ubi poſtquam narravit, Diocletianum anno CCCIII perſecutionem adverſus Chriſtianos decreviſſe, tradit: *Hoc igitur ſcelere perpetrato Diocletianus, cùm jam felicitas ab eo receſſiſſet, perrexit ſtatim Romam, ut illic Vicennalium diem celebraret, qui erat futurus ad duodecimum Kalendas Decembres.* Vicennalia & id genus feſta die natali Imperii celebrari ſolita. Quòd ſi contingeret, ea vel anticipari, vel differri, quod non tardò factum, dies ſimilis denominationis cum die natali, quo ſuſceptum fuerat Imperium, eligebatur, vel feſtum die natali Collegæ Imperii aſſumebatur. Sic Conſtantius Auguſtus, qui *ſexto Idus Novembris* Cæſar dictus fuerat anno CCCXXIII, cùm anno CCCLIII ſimili die Tricennalia edere non poſſet, ſextum diem Idus alterius menſis hujuſmodi ſolenniis deſtinavit, ut docet Ammianus lib. 14. *Arelate hiemem agens Conſtantius, poſt theatrales Ludos atque Circenſes ambitioſo editos apparatu die ſexto Idus Octobres, qui Imperii ejus annum triceſimum terminabat*, &c. Qui locus Viris doctis crucem fixerat, quòd certum ſit, Conſtantium ſexto Idus Novembris Cæſarem renuntiatum fuiſſe. Unde & Ammianum erraſſe, aſſerere non dubitabant: ſed poſitâ regulâ, quam in præfata Diſſertatione ſtatuimus, Decennalia nempe & id genus feſta exhibita fuiſſe vel die natali Imperii, vel die natali Collegarum, vel ſaltem die ejuſdem denominationis cum eo, in quem Natale Imperii inciderat; conſtat, Ammiani locum minimè depravatum eſſe, & Diocletianum, qui XV Kalend. Octob. Imperator dictus fuit, ideo anno CCCIII *ad duodecimum Kalendas Decembres* Vicennalia diſtuliſſe, quia hoc anno eodem die Maximianum Herculium Imperio Cæſareo exornarat; alioquin non XII Kal. Decemb. ſed XV Kal. Octobris ea ſolennia exhibuiſſet. Certus itaque nunc dies natalis Imperii Cæſarei Maximiani Herculii, de quo plura anno CC XCVIII. Sed annus hujus nuncupationis non minùs certus, ut Herculii Conſulatuum diſpoſitio, Tricennalia, ac hujuſmodi feſta oſtendunt.

VIII. *Fames.* Idacius in Faſtis ſub Carini II & Numeriani Conſulatu hoc anno geſto ſcribit: *His Conſſ. magna fames fuit*, cujus alium Auctorem meminiſſe non obſervavi.

IX. *Mores Diocletiani graphicè deſcripti.* Lactantius in lib. de Mortibus Perſecutorum cap. 7. quibus moribus Diocletianus imbutus fuerit, nos edocet; cujus verba recitabo ad Annalium illuſtrationem, quia egregium illud Opus Baronii tempore non extabat: *Diocletianus*, inquit Lactantius, *qui ſcelerum inventor & malorum machinator fuit, cùm diſperderet omnia, nec à Deo quidem manus potuit abſtinere. Hic Orbem terræ ſimul & avaritiâ & timiditate ſubvertit. Tres enim participes Regni ſui fecit, in quatuor partes Orbe diviſo, & multiplicatis exercitibus, cùm ſinguli eorum longè majorem numerum militum habere contenderent, quàm priores Principes habuerant, cùm ſoli Rempublicam gererent. Adeo major eſſe cœperat numerus accipientium, quàm dantium, ut enormitate indictionum conſumtis viribus colonorum deſererentur agri, & culturæ verterentur in ſilvam. Et ut omnia terrore complerentur, Provinciæ quoque in fruſta conciſæ, multi Præſides & plura officia ſingulis regionibus ac penè jam civitatibus incubare, item Rationales multi & Magiſtri & Vicarii Præfectorum, quibus omnibus civiles actus admodum rari, ſed condemnationes tantùm & proſcriptiones frequentes, exactiones rerum innumerabilium, non dicam crebræ, ſed perpetuæ, & in exactionibus injuriæ non ferendæ. Hæc quoque tolerari poſſunt, quæ ad exhibendos milites ſpectant.* (id eſt, ad præſtanda militibus ſtipendia) *Idem inſatiabili avaritiâ theſauros nunquam minui volebat, ſed ſemper extraordinarias opes ac largitiones congerebat, ut ea quæ recondebat, integra atque inviolata ſervaret. Idem, cùm variis iniquitatibus immenſam faceret caritatem, legem pretiis rerum venalium ſtatuere conatus eſt. Tunc ob exigua & vilia multus ſanguis effuſus, nec venale quicquam metu apparebat, & caritas multò deterius exarſit, donec lex neceſſitate ipſâ poſt multorum exitium ſolveretur. Huc accedebat infinita quædam cupiditas ædificandi, non minor Provinciarum exactio in exhibendis operariis & artificibus & plauſtris omnibus, quæcumque ſint fabricandis operibus neceſſaria. Hic baſilicæ, hîc circus, hîc moneta, hîc armorum fabrica, hîc uxori domus, hîc filiæ. Repentè magna pars civitatis exceditur. Migrabant omnes cum conjugibus & liberis, quaſi urbe ab hoſtibus capta. Et cùm perfecta hæc fuerant cum interitu Provinciarum, Non rectè facta ſunt, aiebat, alio modo fiant. Rurſus dirui ac mutari neceſſe erat, iterum fortaſſe caſura. Ita ſemper dementabat, Nicomediam ſtudens urbi Romæ coæquare. Jam illud prætereo, quàm multi perierint, poſſeſſionum aut opum gratiâ. Hoc enim uſitatum & ferè licitum conſuetudine malorum. Sed in hoc illud fuit præcipuum, quòd ubicumque cultiorem agrum viderat, aut ornatius ædificium, jam paratâ domino calumniâ & pœnâ capitali, quaſi non poſſet rapere aliena ſine ſanguine.* Hæc Lactantius. Diocletianum tamen prioribus Imperii annis, Chriſtianis faviſſe teſtatur Euſebius lib. 8. cap. 1. ubi quantam gloriam ante perſecutionem anno CCCIII

excitatam Religio Chriſtiana conſecuta eſſet indicans, ait: *Argumento eſſe poſſit Imperatorum benignitas erga noſtros, quibus regendas etiam Provincias committebant, omni ſacrificandi metu eos liberantes ob ſingularem, quâ in Religionem noſtram affecti erant, benevolentiam. Quid opus eſt dicere de iis, qui in Imperatorum palatiis verſabantur? quid de Imperatoribus ipſis?* &c. quæ huc referenda.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5778. ☉ 14 D. ☽ 1. P. 4. APRIL.
INDICT. 3.
Olymp. 266. JESU CHRISTI 285.
CAII PAPÆ 3.
DIOCLETIANI IMP. 2.

I. *Conſules.* COss. *C. Valerius Diocletianus Aug. II, & Ariſtobulus.* Diocletiani Conſulatus juxta primam regulam; ex quo & liquet, eum anno præcedenti jam imperaſſe. Fuerat antea Conſul ſuffectus, ut nota numeralis, quæ in variis Faſtis legitur, certum reddit; ſed non poſtrema anni ſuperioris parte, ut exiſtimavit Noriſius in Diſſert. prima de Numiſmate Impp. Diocletiani & Maximiani cap. 2. vulgarem enim illam opinionem prima Conſulatuum Cæſareorum regula prorſus evertit. Quòd ſi anno ſuperiori Conſulatum ſuffectum iniiſſet Diocletianus, præſentem annum privati aperuiſſent; cùm initio Imperii unicus Conſulatus, non verò duplex ſuſceptus fuerit. Is itaque Conſulatus ſuffectus Baſſo Collega paulò ante Imperium à Diocletiano geſtus, ut diſcimus ex Chronico Alexandrino, ubi tamen tanquam Conſulatus ordinarius obtruditur. Hinc anno CCLXXXIX Baſſus, qui Collega Quinctiano Faſtis nomen dedit, dicitur Conſul II. Noriſius ibidem doctè Valeſium in Notis ad lib. 23. Ammiani confutat, qui contendit Carinum III & Ariſtobulum Conſulatum hoc anno iniiſſe, & Diocletianum, Carino anno præcedenti debellato, ejuſdem nomen è Faſtis tunc expunxiſſe, ſeque ſuffectum Conſulem deſignaſſe. Nam Diocletianum annum aperuiſſe demonſtrat Lex 2. *Si quis aliquem.* quæ emiſſa eſt à Diocletiano, & dicitur *propoſita Kal. Januariis Diocletiano II Aug. & Ariſtobulo Coſſ.* Quòd autem Carini nomen è Faſtis à Diocletiano eraſum non fuerit, patet ex L. *Ut nemo invitus.* quæ licèt à Diocletiano emiſſa anno præcedenti, *Carini* tamen Conſulatu ſubſignatur. Sirmondus, ne Carinum tertiò Conſulem in Faſtis, quos Idacii nomine inſcriptos omnium primus publicavit, contra ceteras Conſulares tabulas obtruderet, Idacii textum corrupit, & loco horum verborum, quæ in Manuſcripto Pariſiis in Bibliotheca Collegii Ludovici Magni aſſervato ipſimet legimus: *Diocletiano II & Ariſtobulo. His Coſſ occiſus eſt Carinus Margo, qui ipſo anno cum Ariſtobulo Conſul proceſſerat:* Sirmondus poſuit: *Diocletiano II & Ariſtobulo. His Coſſ. occiſus eſt Carinus Margo, & levatus eſt Diocletianus Imperator, qui ipſo anno cum Ariſtobulo Conſul proceſſerat*: ut non Carinus, ſed Diocletianus Kalendis Januariis currentis anni Conſulatum ordinarium adhuc privatus inierit, & non multò pòſt purpuram induerit: quod tam à veritate, quàm à mente Idacii, ſeu optimi Faſtorum illorum Scriptoris alienum. Ariſtobulus itaque, ut obſervat Noriſius citatus, in caſtris Carini Præfectum Prætorio agebat, cùm Diocletianus contra Carinum movit, teſte Victore de Cæſaribus, qui de Diocletiano victore ſcribit: *Ceteris venia data, retentique hoſtium ferè omnes, ac maximè vir inſignis Ariſtobulus Præfectus Prætorio per officia ſua.* Quare Diocletianus Kal. Januariis non ſuſcepit Conſulatum cum Ariſtobulo, cùm is in Carini caſtris id temporis militaret, ac præcipuus partium Dux haberetur, nec niſi occiſo demum ſuo Principe, ad Diocletianum ſe contulerit. Verùm, quia Ariſtobulus à Carino in trabeæ ſocietatem adſcitus fuiſſet, Diocletianus, quò probatæ virtutis Ducem in partes traheret, eundem unà ſecum Conſulem deſignavit, quod eximiæ Ariſtobuli virtuti tribuendum, inquit Noriſius, ut vel ab ipſo hoſte tam honorifico teſtimonio commendatæ.

Noriſius in literis ad me ſcriptis hæc Victoris laudati verba, *per officia ſua*, dicit notatu digna eſſe: anno enim præcedenti, quo Diocletianus in Carinum movit, *Ariſtobulus* Præfectus Prætorio Carini erat, ab eoque Conſul ordinarius in hunc annum deſignatus; quæ duo officia illi à Diocletiano confirmata. Nam, ut anno CCXVIII num. 1. demonſtravi, ex decreto Alexandri Severi Præfecti Prætorio Senatores renuntiati ſunt; ideoque & Conſulatu exornari poterant. Hujus rei aliud exemplum profert Noriſius. *Aſclepiodotus* anno ducenteſimo nonageſimo ſecundo, Hannibaliano Collega, Conſul ordinarius fuit, quem tamen Præfectum Prætorio fuiſſe conſtat ex Victore in libro de Cæſaribus, qui in Vita Diocletiani de Allecto Magnæ Britanniæ Tyranno loquens ait: *Quo* (nempe Imperio) *uſum brevi, Conſtantius, Aſclepiodoto, qui Prætorianis præfectus præerat, cum parte claſſis ac legionum præmiſſo, delevit*, anno ſcilicet CCXCVI, ut ibidem num. V oſtendam. En Præfectum Prætorio, qui ante aliquot annos Conſulatum ordinarium geſſerat. Valeſius in Notis Euſebianis lib. 9. cap. 11. hæret, an *Picentius* ter Conſul à Galerio Maximino Aug. creatus, Præfectus etiam Prætorii fuerit, quòd Euſebius de iis, qui eidem Galerio devicto adhæſere, ſermonem habens ſcribat: *Ex quorum numero fuit Picentius, in ſummo honore ac veneratione ab eodem habitus, & ſodalium omnium longè cariſſimus: quem ille iterum ac tertiò Conſulem & Præfectum ac Procuratorem ſummæ rei creaverat.* Quæ ultima verba ſic in Græco habentur: δεύτερον ϗ τρίτον ϗ τῶν καθόλου λόγων ἔπαρχον προσαναβεβασμένος. Nam, inquit Valeſius, ἔπαρχος non dicitur niſi de Præfectis Prætorio aut Urbi. Adde quòd, cùm Euſebius affirmet, *Picentium* ſummis honoribus & geminato Conſulatu ornatum fuiſſe à Maximino, ineptum eſſet dicere, eum Procuratorem ſummæ rei ab illo factum fuiſſe, quæ exilis admodum dignitas fuit. Sed contra hanc ſententiam facit primò, quod τῶν καθόλου λόγων vocabulo ſemper Euſebius Rationalem ſeu Procuratorem ſummæ rei deſignat. Nec verò dignitas illa Procuratoris ſummæ rei

II. *Præfecti Prætorio ad Conſulatum evehi poterant.*

» inter viles ac poſtremas numeranda eſt. Nam » & Macrianus, is qui ſub Gallieno Imperium » arripuit, eum honorem geſſit; & Euſebius » ipſe in lib. 8. cap. 7. *non vulgarem Magi-* » *ſtratum* appellat, ubi de Philoromo Martyre » loquitur. Ita rectè Valeſius, qui tamen immeritò dubitavit, an vox ἡγεμὼν de aliis dicatur, quàm de Præfectis Prætorio aut Urbi; cùm Divus Athanaſius, qui eodem, quo Euſebius, ſeculo vixit, tam in Epiſtola ad Solitarios, quàm in Oratione ad Orthodoxos, Præfectos Ægypti alio nomine non deſignet, ſicuti & Julianus Imp. epiſt. 23. & epiſt. 50. Meliùs itaque locum illum Chriſtophorſonus vertit: *Generalis omnium rationum in ejus Imperio referendarum Præfectus ab eo conſtitutus.* Sed exempla Præfectorum Prætorio ad Conſulatum evectorum poſt Alexandrum Severum Imp. non deſunt.

III. *Obitus Maximi Epiſc. Alex.* Baron. num. xv.

Ad num. II. *Maximus* Alexandrinus Epiſcopus è vivis exceſſit anno ducenteſimo octogeſimo ſecundo, eodem ſcilicet anno, quo Probus Imperator interfectus eſt, ut diſcimus ex Euſebio in Chronico, ubi ſub eodem numero & interitum Probi & Theonæ Maximi ſucceſſoris initium recitat. Quare Euſebius à Baronio perperam laudatus. Secundò, in Hiſtoria Patriarcharum Coptitarum *Maximus* mortuus dicitur *XIV Barmuda, die Dominica*; qui dies cum nona Aprilis concurrit, & anno CC LXXXII in Dominicam incidit, ut methodus Cyclica docet. Denique, cùm S. Petrus Alexandrinus Epiſcopus anno CCC Pontificatum inierit, & *Theona* annis novemdecim miniſterio perfunctus fuerit, ut prodit Euſebius lib. 7. cap. ultimo, *Theonæ* Epiſcopatûs initium, Maximique obitus alio anno, quàm CC LXXXII non contigit: præſertim cùm Euſebius in Chronico ſcribat, *Maximum* poſt Dionyſium anno CC LXIV demortuum, Eccleſiam Alexandrinam annis octodecim rexiſſe. Auctor Hiſtoriæ Coptitarum annos viginti inchoatos Maximo tribuit; ſed vel numeri corrupti, vel ipſemet hac in re errat.

IV. *Initium Cyclorum.*

In Chronico Alexandrino ſub hujus anni Conſulibus legitur: *Ab his Conſulibus Diocletianei anni in Paſchali digeruntur.* Qua de re legenda ſunt quæ anno præcedenti num. IV diximus.

V. *Carinus Imp. occiditur.* Baron. num. II.

Idacius in Faſtis jam laudatus ſcribit: *His Conſſ. occiſus eſt Carinus Margo*, de quo oppido in Tabulis Peutingerianis legitur: *Aureo monte X. Margum XIV. Viminacio*: eſtque ad ripam Iſtri in Myſia ſuperiori. *Carinus*, inquit Victor de Cæſaribus, *ubi Mœſiam contigit, illico Murgum juxta Diocletiani congreſſus, dum victos avidè premeret, ſuorum ictu interiit.* Antiqui Mœſiam & Myſiam, Margum & Murgum indiſcriminatim dixere. Diocletianus victoriâ modeſtè uſus, neminem famâ, dignitate ac bonis ſpoliavit, ſolumque Aprum, cujus dolo Numerianus perierat, *proximè aſtantem ictu transegit*, inquit Victor de Cæſaribus. Reportata hæc victoria poſt initium menſis Auguſti; Carinus enim tertium Imperii Auguſtei annum circa illius menſis exordium ingreſſus eſt. Goltzius tria Numiſmata Græca hujus Imperatoris exhibet, in quibus Carinus Auguſtus dicitur, & in priori legitur, L. A. id eſt, *anno primo*; in altero, L. B. id eſt, *anno ſecundo*; in tertio, L. Γ. id eſt, *anno tertio*, qui tertius annus habetur etiam in Numiſmate Regio, æreo ac minoris magnitudinis. In Actis S. Sebaſtiani Martyris à Baronio anno ſequenti in Annalibus recitatis, ipſo eorum initio legitur: *Occiſo Carino ad Murgum, Conſulibus Maximo & Aquilino, tam immanis exorta eſt perſecutio, ut*, &c. Quibus verbis innixus Baronius Carini interitum in annum ſequentem diſtulit. Verùm, ex Faſtis Idacii, qui ejus tempore nondum è tenebris prodierant, liquet, Auctorem illorum Actorum ſignificare voluiſſe, occiſo ſub hujus anni finem Carino, ſub anni ſequentis Conſulibus, Maximo nempe & Aquilino, ſævitum fuiſſe in Chriſtianos.

VI. *Maximianus Herculius dicitur Cæſar.*

Victor de Cæſaribus, poſtquam Carini mortem narravit, de Diocletiano ſcribit: *Ubi comperit Carini diſceſſu Ælianum Amandumque per Galliam excitâ manu agreſtium ac latronum, quos Bagaudas incolæ vocant, populatis latè agris pleraſque urbium tentare, Maximianum ſtatim fidum amicitiâ, quamquam ſemiagreſtem, militiæ tamen atque ingenio bonum, Imperatorem jubet.* Eutropius eandem rem his verbis narrat: *Ita rerum Romanarum potitus, cùm tumultum ruſticani in Gallia concitaſſent, & factioni ſuæ Bagaudarum nomen imponerent, Duces autem haberent Amandum & Ælianum, ad ſubigendos eos Maximianum Herculium Cæſarem miſit, qui levibus præliis agreſtes domuit, & partem Galliæ reformavit.* Oroſius lib. 7. cap. 16. hæc Eutropii verba mutuavit, corrupitque: *Maximianum*, inquit, *cognomento Herculium Cæſarem fecit, miſitque in Gallias*, &c. Verùm, tam Eutropius, quàm Victor laudati ſupponunt, Herculium jam Cæſarem fuiſſe, ab anno nempe primo Diocletiani; quod & diſpoſitio Conſulatuum Maximiani manifeſtat: anno enim CC LXXXVIII Januario Collega ſecundum Conſulatum geſſit, qui ad nullam aliam Conſulatuum Cæſareorum regulam, quàm ad ſecundam pertinet; pauciſſimi quippe Imperatores propter bella & victorias Conſulatum iniere, ut Faſtos noſtros percurrenti liquebit. Ælianus & Amandus Auguſti in Nummis à Mediobarbo recitatis appellantur. Thebæorum militum martyrium, quod Baronius cum anno CC XCVII copulavit, ad præſentem retrahendum, ut eo anno videbitur. Denique licèt Victor de Cæſaribus, nonniſi Carini morte narratâ, Herculium Cæſarem dictum referat, hunc tamen ante Carini interitum & poſt ejus è Galliis diſceſſum, ſeu dum in Italia adverſus Julianum Tyrannum pugnaret, Cæſarem nuncupatum fuiſſe manifeſtè indicat, ut ſuo loco diximus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5779. ☉ 15 C. ☽ 2. P. 28. MART. INDICT. 4.
JESU CHRISTI 286.
CAII PAPÆ 4.
DIOCLETIANI IMP. 3. MAXIMIANI HERCULII IMP. I.

I. *Conſules.* COss. *Maximus II*, & *Vettius Aquilinus*. Maximus cum nota numerali efſertur in Inſcriptione Onuphriana, in libello de Præfectis Urbi, & in Anonymo à Bucherio recitato; videturque eſſe Junius Maximus, qui hoc anno & ſequenti Præfectus Urbi fuit, ut legitur in libello de Præfectis Urbi.

II. *Maximianus Herculius Aug. dictus.* Ad num. I. Carini interitus anno præcedenti contigit, ut ibidem demonſtravimus; Maximianus autem Herculius, qui eatenus Cæſar fuerat, rerum publicarum neceſſitate exigente, Auguſtus dictus, & Tribunitia Poteſtate exornatus, ut ex antiquis Lapidibus Baron. num. 11. conſtat. Facta ea nuncupatio die *Kal. April.* ut in Faſtis Idacii legitur, idque Nicomediæ, extra civitatem ad millia ferè tria, ut nos docet Lactantius lib. de Mortibus Perſecutorum cap. 19. ubi de abdicatione Diocletiani & ejuſdem Herculii loquens ait: *Erat locus altus extra civitatem ad millia ferè tria, in cujus ſummo Maximianus ipſe purpuram ſumſerat, & ibi columna fuerat erecta cum Jovis ſigno*, &c. Prope Nicomediam itaque ea nuncupatio facta, ut, antequam liber de Mortibus Perſecutorum lucem vidiſſet, collegerat Clariſſimus Noriſius ex *L. 6. De fide inſtrum. dat. Nicomediæ XIII Kal. Februarias Maximo II & Aquilino*, hoc nempe anno, quo Maximianum Kal. Aprilis Nicomediæ in Hibernis morans, ac bellum adverſus Perſas ibidem adornans, Auguſtum renunciavit. Ita Noriſius in Diſſert. 1. de Numiſmate Impp. Diocletiani & Maximiani cap. 4. Corrigendus itaque error Collectorum Codicis Juſtinianei, qui in titulis Legum emiſſarum Diocletiano II & Ariſtobulo Coſſ. ac Maximo II & Aquilino, ante Kal. Aprilis ſcripſere: *Impp. Diocletianus & Maximianus AA.* cùm id temporis unus Diocletianus imperaret. Porro in titulos Legum Cod. Juſtin. & in horum ſubſcriptiones toties error irrepſit, ut fateri cogamur valde plerumque urgentia non eſſe, quæ inde deducuntur argumenta.

III. *Maximianus Bagaudas vicit, cùm adhuc Cæſar eſſet.* Noriſius ibidem ait, Maximianum novum Auguſtum cum parte legionum, atque auxiliaribus copiis in Gallias contra Ælianum & Amandum, qui ibidem Imperium occuparant, profectum, utrumque Tyrannum uno ferè impetu oppreſſiſſe, hancque Maximiani victoriam paucis perſtringere Auctorem incertum Panegyrici Maximiano & Conſtantino dicti cap. 8. *Hic eſt*, (inquit is Orator de Maximiano) *qui in ipſo ortu Numinis ſui Gallias priorum temporum injuriis efferatas, Reipublicæ ad obſequium reddidit, ſibi ipſas ad ſalutem.* Addit Noriſius, Carauſium egregiam hoc in bello operam Maximiano navaſſe, teſte Victore de Cæſaribus, qui ait: *Quo bello Carauſius Menapiæ civis factis promptioribus enituit: eòque eum, ſimul quia gubernandi (quo officio adoleſcentiam mercede exercuerat) gnarus habebatur, parandæ claſſi, & propulſandis Germanis maria infeſtantibus præfecere.* Ex quibus Noriſius deducit, errare Calviſium, alioſque, qui rebellionem Carauſii hoc anno referunt, cùm id temporis, inquit, Carauſius in caſtris Maximiani ſumma cum laude militarit, & in partem victoriæ venerit, ac poſtea adornandæ claſſi incubuerit. Verumenimvero Herculius, ut jam oſtendimus, antequam dignitate Auguſtea donaretur, Bagaudarum victor fuit, ideoque anno præcedenti Carauſius inſtruendæ claſſi præpoſitus, præſentique Germani, qui, cùm Romanos civili bello occupatos viderent, ſuperato Rheno in proximæ ora Galliæ oppida impetum facientes, omnia igne ferroque vaſtabant, à Maximiano debellati. Audiatur Mamertinus in Panegyrico Maximiano Aug. dicto cap. 5. *Quod ſtatim, vixdum miſero illo furore ſopito*, (ſc. civili bello cum Bagaudis & ruſticis) *cùm omnes Barbaræ nationes excidium univerſæ Galliæ minarentur, neque ſolùm Burgundiones & Alamani, ſed etiam Chaibones, Erulique viribus primi Barbarorum, locis ultimi, præcipiti impetu in has Provincias irruiſſent, quis Deus tam inſperatam ſalutem nobis attuliſſet, niſi tu affuiſſes?* Pluribus poſtea Maximiani victorias Mamertinus proſequitur. Bagaudæ itaque & Germani eodem ferè tempore debellati. Interim etiam per Legatos rem feliciter in Britannia Diocletianus geſſit; unde à Senatu Britannicus ac Germanicus appellatus fuit, quod colligitur ex hoc antiquo Lapide à Baronio anno præcedenti recitato.

IMP. CAES. C. VALERIO.
DIOCLETIANO. PIO.
FELICI. INVICTO. AUG.
PONT. MAX. BRITANNIC.
MAX. GERM. MAX. TRIB.
POTEST. II. COS. II. P. P.
PROCOS.
HONORATI. ET DECURIONES.
ET NUMERUS. MILITUM.
CALIGATORUM.

Poſita eſt hæc Inſcriptio, quam ipſemet etiam Noriſius laudatus refert, anno præcedenti, vel ſaltem currenti, ante diem XVII Septembris, quo Diocletianus Tribunitiam Poteſtatem III ſuſcepit. Quamobrem anno præcedenti Carauſius in caſtris Maximiani militavit, eodemque anno & Germani & Britanni devicti, vel ſaltem vere aut æſtate anni currentis, & ante hæc omnia Bagaudæ à Maximiano adhuc Cæſare ſuperati. Nec refert, quòd Mamertinus citatus dicat: *Hic eſt, qui in ipſo ortu Numinis ſui Gallias Reipublicæ ad obſequium reddidit.* Nam capite præcedenti de ruſticis & Bagaudis locutus erat Orator, ideoque ibidem de ortu Imperii Cæſarei, non verò de ortu Imperii Auguſtei ſermonem habet. Ex his verbis potiùs deduceretur, Maximianum anno præcedenti, quo Bagaudas oppreſſit, Cæſarem appellatum eſſe; ſic enim ortus ejus & reſtitutio Galliarum in idem ferè tempus inciderent. Verùm, ut mox diximus, Maximianus jam ſub finem anni

CCLXXXIV Cæſar nuncupatus fuerat, ſequentique, ſc. CCLXXXV, *in ipſo ortu Numinis ſui* Gallias ad obſequium redegit. Mamertinus enim oratoriè, non verò hiſtoricè loquitur: ſic enim nec ſuperiori anno, *in ipſo ortu* ruſticos vincere potuit; cùm priùs Cæſar dictus, ac poſtea in Gallias adverſus Bagaudas miſſus ſit, quocumque tandem anno cum Cæſaream dignitatem obtinuiſſe volueris.

V.
Carauſius Imperium in Britanniis uſurpat.

Carauſius igitur hoc anno Imperium in Britannia arripuit, idque, ut videtur, contigit antequam Maximianus Auguſtus appellaretur. Eutropius enim de eo loquens ait: *Cùm apud Bononiam per tractum Belgicæ & Armoricæ pacandum mare accepiſſet, quod Franci & Saxones infeſtabant, multis Barbaris ſæpe captis, nec præda integra aut Provincialibus reddita, aut Imperatoribus miſſa,* (Diocletiano nempe Auguſto & Maximiano Cæſari, Imperatori etiam à Victore de Cæſaribus dicto) *cùm ſuſpicio eſſe cœpiſſet, conſultò ab eo admitti Barbaros, ut tranſeuntes cum præda exciperet, atque hac ſe occaſione ditaret: à Maximiano juſſus occìdi, purpuram ſumſit, & Britannias occupavit. Ita cùm per omnem Orbem terrarum res turbatæ eſſent; Carauſius in Britanniis rebellaret; Achilleus in Ægypto; Africam Quinquegentiani infeſtarent; Narſeus Orienti bellum inferret; Diocletianus Maximianum Herculium ex Cæſare fecit Auguſtum, Conſtantinum & Maximianum, Cæſares.* Ubi *Conſtantini* nomine Conſtantium ejus patrem intelligit, & Tyrannos, qui vel nuncupationem Herculii, vel creationem Cæſarum, ſc. Conſtanti & Galerii, diverſis temporibus præceſſere, uno tenore commemorat. Oroſius lib. 7. Eutropii verba ferè exſcribit. Quare *Carauſius* non anno ſequenti, ut autumavit Noriſius citatus, ſed præſenti rebellavit, idque antequam *Herculius* Auguſtus appellaretur. Noriſius, ut oſtendat, *Carauſium* anno tantùm ſequenti Britannias invaſiſſe, obſervat, Mamertinum in Panegyrico Maximiano Herculio dicto, celebrare ingentem victoriam, quam Herculius primo ſui Conſulatûs die de Barbaris reportavit: *Tranſeo*, inquit Mamertinus cap. 6. *innumerabiles tuas totâ Galliâ pugnas*, &c. *Illum tamen primum Conſulatûs tui auſpicalem diem tacitus prætterire nullo modo poſſum*, &c. aitque Noriſius, Maximianum Treviris hiemantem ingenti clade affeciſſe, ac procul à mœnibus propulſaſſe *Germanos*, qui populabundis agminibus in Gallias effuſi, Treviros uſque pervenerant: poſtea appetente vere, *Erulos*, *Chaibones* alioſque Germaniæ populos ſuis in ſedibus aggreſſurum, *Carauſium* maritimæ claſſi præfeciſſe. Scribit enim idem Orator cap. 7. *Tale igitur auſpicium illius anni quid ſequebatur, niſi novum aliquod & ingens miraculum? Quod autem majus evenire potuit?* Itaque, inquit Noriſius, *Maximianus*, Rheno ſuperato, victrices Aquilas per Germaniam latè circùm tulit. *Carauſius* verò, qui claſſi præerat, privatas prædas agere totâ maritimâ Galliâ ſinebat, ut ſpoliis onuſtos in reditu interciperet. Tandemque in Britanniam tranſmiſit, ac occupata legione, anno CCLXXXVII Imperium ibidem capeſſiit. Ita Vir doctiſſimus. Verùm Mamertinus locis laudatis *Carauſii* nullo modo meminit, iſque maritimæ claſſi non præfectus, niſi anno ac tempore, quo *Maximianus* Cæſar adverſus Bagaudas levibus præliis pugnabat, ut disertè teſtatur Victor de Cæſaribus. Quamobrem rectè quidem Noriſius victoriam illam Maximiani Auguſti cum primo ejus Conſulatu Kalendis Januariis ſequentibus ſuſcepto copulavit; ſed perperam in ejus partem *Carauſium* vocat, cùm ex dictis is jam rebellaſſet, neque Orator eam celebrans, *Carauſii* ullam mentionem faciat.

VI.
Diocletianus Nicomediæ hiemem egit.

Auctor Chronici Alexandrini ait: *Diocletiano Aug. III & Maximiano Herculio Auguſto Coſſ. Hôc anno Diocletianus Imperium cum Maximiano Herculio communicavit. Inchoante tertio Imperii ſui anno Nicomediam hibernavit.* Diocletianus tertiùm Conſul Maximiano Auguſto Collega anno ſequenti Faſtis nomen dedit. Quare ſi jam tum *Maximianus* Auguſtus erat, ut Auctor Chronici Alexandrini fatetur, conſtat, hunc locum tranſpoſitum eſſe, & Diocletianum, qui hujus anni initio *Nicomediæ* fuit, uti ſuprà oſtendimus, inclinante anno illuc rediiſſe, in eaque urbe hibernaſſe. Quas verò currenti anno victorias de Perſis retulerit, anno ſequenti explicabimus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5778. ☉ 16 B. ☽ 3. P. 17. APRIL. INDICT. 5.
JESU CHRISTI 287.
CAII PAPÆ 5.
DIOCLETIANI IMP. 4. MAXIMIANI HERCULII IMP. 2.

Ann. Urb. 1040.
Olymp. 226. *ſecundum Baronium.*

I.
Conſules.

COſs. *C. Valerius Diocletianus Aug. III*, & *M. Aurelius Valerius Maximianus Herculius Aug.* Herculii Conſulatus juxta priorem regulam, ob Imperium nempe Auguſteum anno præcedenti ſuſceptum; Diocletianus juxta tertiam, ut nempe Maximiani Collega eſſet. Baronius cum Onuphrio *Maximianum* cum nota numerali profitetur: imò Onuphrius Auctorem Chronici Alexandrini, Caſſiodorum, & Auctorem anonymum Cuſpiniani reprehendit, quòd *Maximianum* ſine numerali nota edant, quam in libellum de Præfectis Urbi inſeruit; licèt in correcto exemplari, quod Bucherius publicavit, *Maximianus* ſine ea exhibeatur. Verùm Onuphrii, Baroniique errorem egregiè confutat Noriſius in Diſſert. 1. de Numiſmate Impp. Diocletiani & Maximiani cap. 3. tam ex Inſcriptione Gruteriana, quæ dicitur dedicata *Kal. Jan.* D. D. N. N. DIOCLETIANO ET MAXIMIANO COSS. quàm ex variis reſcriptis hoc anno datis, cum hac ſubſcriptione: DIOCLETIANO III ET MAXIMIANO COSS. Quamobrem tertium Diocletiani Conſulatum cum priori Maximiani geſtum fuiſſe, ut etiam in Faſtis Heraclii legitur, certum, indubitatumque eſt.

II.
Maximia-

Ipſis Kalendis Januariis Maximianus Auguſtus inſignem victoriam reportavit de

...nus Aug. Germanos; Diocletianus Perſas vincit.

Germanis, qui ad Treviros uſque, in qua urbe, Galliarum Metropoli, ipſe agebat, pervenerant, ut anno præcedenti oſtendimus. Hinc cujus Nummus majoris magnitudinis in Gaza Medicea aſſervatus, & à Noriſio egregia Diſſertatione explicatus, in cujus antica parte viſuntur Imperatores Diocletianus & Maximianus laureati, ac Conſularibus trabeis induti, ſcipionem eburneum ſtringentes; in cujus ſuperiori parte aquila apparet. In poſtica eminet currus triumphalis junctis quatuor elephantis. Imperatores ſtant in quadriga triumphali, & deſuper Victoria, quæ hinc inde palmas ſpargit. In antica legitur: IMPP. DIOCLETIANO ET MAXIMIANO AUGG. in poſtica: IMPP. DIOCLETIANO III ET MAXIMIANO COSS. Rectè obſervat Noriſius, Auguſtos victis hoſtibus laureatas literas Romam mittere ſolitos, ubi eiſdem triumphus Senatuſconſulto decernebatur, & in delati honoris monumentum Numiſmata cudebantur. Quare quadrigæ in Nummis aliquando triumphos Romæ actos, aliquando tantùm ibidem à Senatu decretos deſignant. Sed cùm nonniſi poſt debellatos hoſtes decretæ fuerint, inveſtigandæ ſunt victoriæ Diocletiano & Maximiano partæ, ob quas in eo Nummo, hoc anno percuſſo, currus triumphalis eiſdem S. C. decretus fuerit. Et quidem de *Maximiani* victoriis anno præcedenti, ac Kalendis Januariis præſentis ab eodem in Occidente relatis jam egimus; reſtat itaque, ut de *Diocletiano* loquamur. Is cum ingenti exercitu anno præcedenti ex urbe Nicomedienſi, ubi Kalendis Aprilis *Maximianum Herculium* Auguſtum appellavit, diſcedens in Perſas movit, ac bellum de proximo oſtentans, tantum *Narſeo* Perſarum Regi terrorem incuſſit, ut hic abductis propere è Syria præſidiis, non modò eandem adventanti Imperatori ultro ceſſerit, verùm etiam miſſa cum muneribus Legatione, pacem ſupplex rogaverit. Diocletianus Antiochiâ, aliiſque urbibus incruentâ victoriâ potitus, recenti terrore utendum ratus, bellum undique urgebat, quo metum hoſtium intenderet. Mamertinus in Panegyrico Maximiano Auguſto dicto victorias Diocletiano nullo ſuorum cruore, Maximiano verò cum ingenti hoſtium clade partas deſcribens, ducta ſimilitudine à Jove & ab Hercule, quorum agnomina iidem Auguſti aſſumſerant, hæc ſcribit cap. 7. *Credo itidem, optimam illam, fertilemque Syriam velut amplexu ſuo tegebat Euphrates, antequam Diocletiano ſponte ſe dederent regna Perſarum. Verùm hoc Jovis ſui more, nutu illo patrio, quo omnia contremiſcunt, & Majeſtatis veſtræ nominis conſecutus eſt. Tu autem Imperator invicte, feras illas indomitaſque gentes vaſtatione, præliis, cædibus, ferro, igniqne domuiſti.* Quas inter victorias hiemem clauſiſſe annum CCLXXXVI ſcribit Noriſius in Diſſert. I. de Numiſmate Impp. Diocletiani & Maximiani cap. 4. Ex quo Vir eruditiſſimus intelligere poterat, *Carauſii* rebellionem, quam in hunc annum diſtulit, ſuperiori contigiſſe; cùm Eutropius indicet, eodem tempore *Carauſium* in Britannia rebellaſſe, & *Narſeum* Orienti bellum intuliſſe; & parte alia Euſebius in Chronico, licèt per hæc tempora tam in editione Pontaci, quàm in editione Scaligeri, ob Diocletiani initium perperam conſignatum, turbato, rectè ſub eodem numero annoque Diocletiani tertio habeat: *Carauſius ſumtâ purpurâ Britannias occupavit. Narſeus Orienti bellum intulit.* Quæ verba ex Eutropio ab Hieronymo in illud Chronicon inſerta. Poſt eam victoriam Diocletianus hieme appropinquante *Nicomediam* rediit, ibique hibernavit, ut in fine anni præcedentis diximus.

III. *Apparatus bellici adverſus Carauſium.*

Cùm verò, ut ibidem cap. 8. Noriſius notat, quadrigæ elephantorum Perſici triumphi propriæ eſſent, non dubium, quin triumphales in laudato Nummo ſcalptæ deſignent eorumdem Principum victorias ante annum CCLXXXVIII Germanico ac Perſico bello reportatas. *Diocletianus*, receptâ anno ſuperiori Syriâ, bellum impigrè urgebat. Tandemque pace cum *Narſeo* Perſarum Rege compoſita, in Europam ſe contulit, cum *Maximiano* de bello contra Carauſium, ut conjicere licet, adminiſtrando conſulturus. Utriuſque colloquium Mamertinus citatus cap. 9. laudat: *In quo*, inquit, *vobis mutua præbuiſtis omnium exempla virtutum, atque invicem vos (quod fieri jam poſſe non videbatur) auxiſtis: ille oſtendendo dona Perſica, tu illi ſpolia Germanica.* Quem congreſſum præſenti anno contigiſſe exiſtimo, quo etiam *ferè toto* naves adverſus Carauſium ædificatæ, ut teſtatur idem Orator cap. 12. *Quid nunc animi habet ille Pirata, cùm fretum illud, quo ſolo mortem ſuam huc uſque remoratus eſt, penè veſtros exercitus videat ingreſſos, oblitoſque navium, refugium mare ſecutos eſſe quà cederet? Quam nunc inſulam remotiorem, quem alium ſibi optet Oceanum? Quo denique pacto effugere pœnas Reipublicæ poteſt? niſi ſi hauſtu terræ devoretur, aut turbine aliquo in devia ſaxa rapiatur? Ædificatæ ſunt ornataque pulcherrima claſſes, cunctis ſimul amnibus Oceanum petituræ. Neque ſolùm ad perficiendas eas certatim homines laborarunt, ſed etiam ad excipiendas flumina repentè creverunt. Tota ferè anno, Imperator, quo tibi opus erat ſerenitate, ut navalia texerentur, ut trabes cæderentur, ut artificum animi vigerent, ne manus torpeſcerent, nullus ferè dies imbre fœdatus eſt.* Et poſtea his verbis Orationem concludit: *Facilè itaque quivis intelligit, Imperator, quàm proſperi te ſucceſſus in re maritima ſecuturi ſint, cùm jam ſic tempeſtatum opportunitas obſequatur.* Habita hæc Oratio, uti exiſtimo, anno ſequenti, ut tunc dicam, cùm Maximianus claſſem contra Carauſium totis Germaniæ ac Galliæ fluviis educeret. Quare currenti anno naves illæ ædificatæ, & colloquium illud inter duos Imperatores habitum. Noriſius utrumque in annum ſequentem confert. Sed ſi *Carauſii* initium rectè collocaverimus, non dubito, quin ad currentem revocanda ſint. Neque enim ratio ulla erat, cur colloquium illud naviumque conſtructionem tandiu Maximianus & Diocletianus differrent.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5781. ☉ 17 AG. ☽ 4. P. 8. APRIL. INDICT. 6.
JESU-CHRISTI 288.
CAII PAPÆ 6.
DIOCLETIANI IMP. 5. MAXIMIANI HERCULII IMP. 3.

I *Conſules.* COſſ. *M. Aurelius Valerius Maximianus Herculius Aug. II*, & *Pomponius Januarius*, non verò Maximus II & Januarius, ut perperam Baronius cum Onuphrio. Hic, cùm hæc verba apud Ammianum lib. 25. legiſſet: *Julianus jam ter Conſul adſcito in collegium trabea Salluſtio Præfecto per Gallias, quater ipſe ampliſſimum inierat magiſtratum: & videbatur novum, adjunctum eſſe Auguſto privatum, quod poſt Diocletianum & Ariſtobulum nullus meminerat geſtum*: ut illud ſubſiſtere poſſet, *Maximum II*, loco *Maximiani II*, contra omnium antiquorum Faſtorum, Heraclii & libelli de Præfectis Urbi fidem repoſuit. Sed Noriſius in Diſſert. 1. de Numiſmate Impp. Diocletiani & Maximiani ſolidè vulgatem illum errorem refellit, ideoque Ammianus vel memoriâ lapſus, vel locus citatus corruptus, cùm à tertio anno à Diocletiani & Ariſtobuli Conſulatu, currenti videlicet, Maximianus Auguſtus Januarium in trabea Conſulari Collegam habuerit. Ejus Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam, ob Quinquennalia nempe ejus Imperii Cæſarei.

Quinquennalia Imperii Cæſarei Maximiani.

II. *Panegyricus Maximiano dictus.* Hoc anno die natali Urbis, viceſima ſcilicet prima menſis Aprilis, Mamertinus Panegyricum Maximiano Auguſto dixit. Noriſius in Diſſertatione mox laudata exiſtimat, illum anno tantùm ſequenti recitatum. Verùm hæc verba, quæ cap. 10. leguntur, citiùs habitum inſinuant: *Hoc eodem modo Rex ille Perſarum nunquam ſe antè dignatus hominem confiteri, fratri tuo* (ſcilicet Diocletiano) *ſupplicat, totumque, ſi ingredi ille dignetur, Regnum ſuum pandit, offert; interim varia miracula eximiæ pulchritudinis feras mittit, amicitiæ nomen impetrare contentus, promeretur obſequio.* Oſtendimus autem, bellum Perſicum anno CCLXXXVI inchoatum fuiſſe, annoque præterito quadrigam triumphalem Diocletiano decretam ob victoriam Perſicam. Quare *Narſeus* Perſarum Rex pacem petere non videtur diſtuliſſe. Præterquam quòd Orationes coram Imperatoribus annis Quinquennalibus addictis de more dictæ, iiſdemque annis animalia non antea viſa, populo exhibita. Denique nihil in eo Panegyrico legitur, quod ante præſentem annum non contigerit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5782. ☉ 18 F. ☽ 5. P. 24. MART. INDICT. 7. Olymp. 267.
JESU CHRISTI 289.
CAII PAPÆ 7.
DIOCLETIANI IMP. 6. MAXIMIANI HERCULII IMP. 4. Anno Urbis 1040. *ſecundum Baron.*

COſſ. *Baſſus II*, & *Quinctianus*. Baſſum cum nota numerali edunt libellus de Præfectis Urbi, Faſti Græci Theonis, & Lex 9. Codicis Juſtinianei *De accuſationibus & inſcriptionibus*. Qui iteratus Conſulatus indicium aliquod eſt Quinquennaliorum hoc anno à Diocletiano editorum. In Faſtis Heraclii Baſſus dicitur *Tiberius Baſſus*. I. *Conſules.* *Quinquennalia Diocletiani.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5783. ☉ 19 E. ☽ 6. P. 13. APRIL. INDICT. 8.
JESU CHRISTI 290.
CAII PAPÆ 8.
DIOCLETIANI IMP. 7. MAXIMIANI HERCULII IMP. 5.

COſſ. *Diocletianus Aug. IV*, & *Maximianus Herculius Aug. III*. Diocletianus ſecundùm tertiam regulam, Maximianus juxta ſecundam; Imperii enim Auguſtei Quinquennalia dedit. I. *Conſules.* *Quinquennalia Imperii Auguſtei Maximiani.*

Ad num. I. Baronius refert Acta Paſſionis SS. Martyrum *Tharaſci*, *Probi & Andronici*, Tarſi in Cilicia, quæ dicuntur publicè excepta, *Coſſ. Diocletiano IV, & Maximiano III, octavo Kalend. Aprilis.* Sed, ut rectè obſervat Valeſius in Notis ad lib. 9. Euſebii cap. 5. mendoſa videtur inſcriptio illa, ſcribendumque, *Coſſ. Diocletiano VIIII, & Maximiano VIII.* Nam in Actis illis mentio fit præcepti Imperatorum, quo juſſum erat, ut omnes Diis ſacrificarent, quod ad annum XIX Diocletiani pertinet. Secundò, in iis hæc leguntur: *Præſes dixit: Maledicis Principes, qui diuturnam & altam pacem præſtitere. Andronicus dixit: Ego execratus ſum peſtem & ſanguibibulos, qui evertunt mundum.* Primum illud *de alta & diuturna pace* convenire non poteſt in quartum Conſulatum Diocletiani, cùm eo tempore Barbari Imperium Romanum undique aggrederentur. Deinde, quomodo *ſanguibibuli* dici potuerunt Diocletianus & Maximianus ante annum XIX Diocletiani, quo perſecutionem adverſus Chriſtianos decrevere? II. *Martyrium Tharaſci & ſociorum tardius contigit.* Baron. num. 1 & ſeqq.

III. *Carauſius in Britannia pacificè regnat.* *Carauſius* bello navali ſuperior, Maximiani claſſe partim capta, partim adverſa tempeſtate disjecta, pacem ab eodem & Auguſti titulum obtinuit. Scribit enim Eutropius: *Cum Carauſio tamen, cùm bella fruſtra tentata eſſent contra virum rei militaris peritiſſimum, ad extremum pax convenit.* Hujus pacis varii Nummi teſtes, præſertimque, qui ex Gaza Medicea producitur à Noriſio in Diſſert. 1. de Numiſmate Impp. Diocletiani & Maximiani cap. 4, in cujus poſtica viſitur *Carauſius*, cum his verbis circùm:

Imp. C. Carauſius P F Aug. in poſtica: Pax Auggg. Cernitur Pax ſtans, dextrâ ramum, ſiniſtrâ haſtam per tranſverſum tenens. Qui tres Auguſti alii non ſunt, quàm Diocletianus, Maximianus & Carauſius. Sed quo anno pax hæc ſancita, incompertum.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5784. ☉ 20 D. ☽ 7. P. 5. April.
Indict. 9.
Jesu Christi 291.
Caii Papæ 9.
Diocletiani Imp. 8. Maximiani Herculii Imp. 6.

Olymp. 267. ſecundum Baronium.

I. *Conſules.* Coss. *Junius Tiberianus II, & Caſſius Dio.* Tiberianus cum nota numerali in Faſtis Græcis Heraclii, & in libello de Præfectis Urbi effertur. Junius Tiberianus & Caſſius Dio fuere Præfecti Urbi.

II. *Mores Maximiani Herculii.* Cùm hic annus *rerum Eccleſiaſticarum jejunus* ſit, ut ait Baronius, referendum hîc quod ſcribit Lactantius lib. de Mortibus Perſecutorum cap. 8. loquens de moribus Maximiani Auguſti: *Quid frater ejus* (nempe Diocletiani) *Maximianus, qui eſt dictus Herculius, non diſſimilis ab eo? nec enim poſſent in amicitia tam fideli cohærere, niſi eſſet in utroque mens una, eadem cogitatio, par voluntas, æqua ſententia. Hoc ſolùm differebant, quòd avaritiæ minori altero fuit plus, majori verò minùs, ſed plus timiditatis, plus verò animi, non ad bene faciendum, ſed ad malè. Nam cùm ipſam Imperii ſedem teneret Italiam, ſubjacerentque opulentiſſimæ Provinciæ vel Africa vel Hiſpania, non erat in cuſtodiendis opibus tam diligens, quarum illi copia ſuppetebat. Et cùm opus eſſet, non deerant locupletiſſimi Senatores, qui ſubornatis indiciis affectaſſe Imperium dicerentur, ita ut effoderentur aſſiduè lumina Senatûs. Cruentiſſimus Fiſcus malè partis opibus affluebat. Jam libido in homine peſtifero, non modò ad corrumpendos mores, quod eſt odioſum ac deteſtabile, verùm etiam ad violandas primorum filias. Nam quacumque iter fecerat, avulſæ à conſpectu parentum virgines, ſtatim præſtò. His rebus beatum ſe judicabat, his conſtare felicitatem Imperii ſui putabat, ſi libidini & cupiditati malæ nihil denegaret.* Hi mores hominis, qui poſtea Eccleſiam perſecutus eſt.

III. *Colloquium inter utrumque Auguſtum.* Bellis undique orientibus *Diocletianus & Maximianus* veniunt Mediolanum, & de Cæſaribus creandis, quibus exercitus tutò committi poſſent, & cum quibus curas bellicas communicarent, deliberant, ut deducitur ex Genethliaco ab Eumenio dicto Maximiano Auguſto, cap. 11. Quæ Oratio hoc anno recitata videtur, cùm nulla in ea de Conſtantio & Galerio Cæſaribus ſit mentio.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5785. ☉ 21 C B. ☽ 8. P. 24. April.
Indict. 10.
Jesu Christi 292.
Caii Papæ 10.
Diocletiani Imp. 9. Maximiani Herculii Imp. 7.

I. *Conſules.* Coss. *Annibalianus & Aſclepiodotus.*

II. *Conſtantius & Galerius Maximianus Cæſares dicti.* Ad num. I. Hoc anno, ut rectè apud Baronium legitur, *Conſtantius Chlorus* Conſtantini Magni pater, & *Galerius Maximianus* Cæſares creati, & Tribunitia Poteſtate exornati, ut ex iis, quæ in Galerii Maximiani interitu dicemus, certum fiet. Errarunt itaque Idacius in Faſtis & Auctor Chronici Alexandrini, qui hanc nuncupationem anno præcedenti factam ſcripſere. Rectè tamen Auctor Chronici Alexandrini, qui etiam in die peccavit, tradit, eam *Nicomediæ* factam fuiſſe. *Kalendis Martiis* eoſdem Cæſares appellatos, non ſolùm Idacius in Faſtis, ſed etiam Eumenius in Panegyrico Conſtantio Cæſari dicto cap. 3. teſtantur. *Conſtantius privignam Herculii Theodoram accepit, ex qua poſtea ſex liberos Conſtantini fratres habuit: Galerius filiam Diocletiani Valeriam: ambo uxores, quas habuerant, repudiare compulſi,* inquit Eutropius, *diremtis prioribus conjugiis,* ait Victor de Cæſaribus, *ut in Nerone Tiberio, ac Julia filia Auguſtus quondam fecerat,* quem ſcilicet Imperatores omnes tanquam exemplar ſibi proponebant. Addit Victor: *Et quoniam bellorum moles acriùs urgebat, quaſi partito Imperio, cuncta, quæ trans Alpes Galliæ ſunt, Conſtantio commiſſa: Africa Italiaque Herculio: Illyricique ora ad uſque Ponti fretum, Galerio: cetera Valerius retentavit.* Galerius, *cui cognomen Armentario erat,* ut inquit idem Victor, à Diocletiano, quando eum adoptavit, *Maximianus* appellatus eſt; quod ex Lactantii in libro de Mortibus Perſecutorum cap. 18. loco, ſi emendetur, colligitur: *Alterum quem dabis?* (dixit Diocletianus Galerio Maximiano, quando poſt abdicatum à Diocletiano Imperium, de creandis Cæſaribus actum eſt) *Hunc,* inquit, *oſtendens Daiam adoleſcentem quendam ſemibarbarum, quem recèns juſſerat Maximinum vocari de ſuo nomine. Jam & ipſi Diocletianus nomen ex parte mutaverat hominis cauſâ, quia Maximianus fidem ſumma religione præſtabat.* Ubi loco horum verborum, *hominis cauſâ,* legendum cum editione Anglicana, *ominis cauſâ.* Quare ex hac emendatione, quæ certiſſima eſt, diſcimus Diocletianum, quando Galerium Armentarium hoc anno Cæſarem renuntiavit, ei nomen ex parte mutaſſe, eumque *Galerium Maximianum* fauſto, ut ſibi videbatur, omine vocari præcepiſſe; quia Maximiani cognomento Herculii erga ſe fides nunquam defuerat. Quo exemplo motus Galerius Maximianus anno ccc v, quo *Daiam* Cæſarem dixit, huic ex toto nomen mutavit, eumque de ſuo nomine *Galerium Maximinum* appellari voluit. Galerius enim

Maximinus

Maximianus *ſorore Armentarii progenitus, vero nomine ante Imperium Daza dictus*, inquit Victor in Epitome. Indeque factum, ut nec Armentarii nec Dazæ nomina in Nummis, Inſcriptionibus, ceteriſve monumentis publicis unquam legantur. Porro *nomen cùm dicimus, cognomen quoque & agnomen intelligatur oportet*, ait Cicero 2. de Invent. Denique in hac creatione *Conſtantius* priorem locum obtinuit, ut colligo ex Euſebio lib. 8. cap. 5. ubi ait, edictum perſecutionis anno CCC III in publico Nicomediæ loco affixum, à quodam pio viro detractum fuiſſe: *Idque duobus Imperatoribus in eadem urbe commorantibus, quorum alter ſenior Auguſtus* (nempe Diocletianus) *primum inter omnes Imperii gradum; alter verò* (videlicet Galerius Maximianus) *quartum obtinebat*; ubi in Græco legitur: δυοῖν ἐπιδημούντων κατὰ τὴν αὐτὴν πόλιν βασιλέων, id eſt, *duobus in ipſa urbe Regibus commorantibus*; quia non ſolùm Auguſti, ſed etiam Cæſares Regis nomine compellabantur, quemadmodum & Imperatoris, ut alibi oſtendi. Denique Conſtantius Cæſar & prior Conſulatum geſſit; & prior Quinquennalia exhibuit; quæ eum primum locum in hac nuncupatione obtinuiſſe argumento ſunt.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5786. ☉ 22 A. ☽ 9. P. 9. APRIL. Olymp. 268.
INDICT. 11.
JESU CHRISTI 293.
CAII PAPÆ 11.
DIOCLETIANI IMP. 10. MAXIMIANI HERCULII IMP. 8.

I. *Conſules.* COSS. *Diocletianus Aug. V, & Maximianus Herculius Aug. IV*, uterque juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam. Auguſtei enim Imperii Diocletiani, & Cæſarei Maximiani Decennalia in hunc annum incidunt. Sed an uterque eodem anno, uti poſtea Vicennalia, dederit, incompertum. *Decennalia Imperii Auguſtei Diocletianus, Cæſarei Herculiùs edit.* Mediobarbus in Numiſmatis Imperatorum, egregium Diocletiani Nummum ex ſuo Muſeo profert, in cujus antica legitur: IMP. DIOCLETIANUS AUG. in averſa parte: PRIMIS X. MULTIS XX. Quæ formula jam antè à Gallieno, ut vidimus, uſurpata, poſthac in uſu fuit. Idem verò Mediobarbus quatuor Maximiani Herculii Numiſmata exhibet, in quorum poſtica legitur: VOT. XX. quæ in prioribus, vel in poſterioribus ejus Decennalibus percuſſa. Si Vir doctiſſimus annotaſſet, an Diocletianus in laudato Nummo cum habitu Conſulari repræſentetur, utrum hoc anno Decennalia ediderit, certò conſtaret. Eum tamen hoc anno ea ſolennia exhibuiſſe, intelligimus ex Euſebio in Chronico, ubi hoc anno habet: *Primus Diocletianus adorari ſe ut Deum, & gemmas veſtibus calceamentiſque inſeri juſſit, cùm ante eum omnes Imperatores in modum Judicum ſalutarentur, & chlamydem purpuream à privato plus haberent.* Scaliger ad numerum Euſebianum 2210. ait, Hieronymum hæc ad verbum ex Eutropio accepiſſe, atque ſe haud ſcire, an decimo dumtaxat anno Imperii ſui Diocletianus & ut Deus adorari, & gemmatis calceis uti cœperit; ſed hoc unum ſe ſcire, cum morem eſſe Hieronymo, ut ejuſmodi multa in quemvis annum conjiciat. Sed ſi Viro eruditiſſimo Conſulatuum Cæſareorum regulæ innotuiſſent, non dubitaſſet, quin ea novitas inſolentiaque hoc anno primùm viſa eſſet.

II. *Carauſius occiditur.* *Carauſius*, qui in Britannia regnabat, ab *Allecto* ejus ſocio occiſus eſt, *poſt ſeptennium*, inquit Eutropius; Victor de Cæſaribus ait, *poſt ſexennium*, ideoque ſeptimum annum tantùm inchoavit. In Nummis Græcis ſextus Imperii ejus annus legitur. Poſt ejus interitum *Allectus* triennio imperavit; Eutropio & Oroſio teſtibus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5787. ☉ 23 G. ☽ 10. P. 1. APRIL.
INDICT. 12.
JESU CHRISTI 294.
CAII PAPÆ 12.
DIOCLETIANI IMP. 11. MAXIMIANI HERCULII IMP. 9.

I. *Conſules.* COSS. *Fl. Valerius Conſtantius Cæſar, & C. Galerius Valerius Maximianus Cæſar*, uterque juxta primam regulam. Anno quidem antecedenti hic Conſulatus geri debuit; ſed propter Auguſtorum Decennalia in hunc dilatus eſt. Hincque intelligimus, & Auguſtos annò præcedenti Decennalia dediſſe, & utrumque Cæſarem anno CC XCII eam dignitatem conſecutum eſſe. Si enim anno CC XCI, ut tradidit Idacius in Faſtis, Cæſares nuncupati fuiſſent, anno CC XCII non privati, ſed ipſimet Conſules proceſſiſſent. *Decennalia Imperii Auguſtei Herculius edit.* Incidunt & in hunc annum Decennalia Auguſtei Imperii Maximiani Herculii. Unde Nummi ejus anno præcedenti laudati, quos videre non licuit, illum repræſentare debent ſine veſte Conſulari; ideoque ex iis nihil certi deduci poteſt, ſed tantùm ex Nummo Diocletiani ibidem citato, qui ſine dubio eo anno Decennalia edidit, ſi in eo cum palmata ac veſte Conſulari exhibeatur; anno verò CC XCII, ſi eo in Nummo illâ indutus non videatur. Porro nondum mihi liquet, an Decennalia Imperii Cæſarei Herculii in Nummis deſcripta fuerint, cùm Tribunitiam Poteſtatem non acceperit, quando Cæſar eſt appellatus.

II. *S. Suſanna uxor Galerii Cæſaris non fuit.* Ad num. II. Quod ait Baronius ex Actis S. *Suſannæ*, eam ſcilicet ad nuptias Galerii Maximiani nulla arte induci potuiſſe, eamque anno ſequenti martyrio coronatam fuiſſe, & deinde patrem, ut filiæ defunctæ memoriam conſecraret æternitati, Pannoniæ partem ejus nomine inſtitui atque cognominari voluiſſe; verum eſſe non poteſt, ruente fundamento; ſuper quo poſitum fuerat, id eſt, morte Valeriæ, quam diu ſupervixiſſe Galerio conſtat, ut obſervavit Baluzius Vir doctiſſimus in Notis ad librum Lactantii de Mortibus Perſecutorum cap. 15. ubi Lactantius loquens de iis, quæ geſta ſunt anno CCC III, poſtquam Diocletianus perſecutionem adverſus Chriſtianos excitavit, ait: *Furebat ergo Imperator jam non in domeſticos tantum*; Baron. num. V & ſeqq.

ſed in omnes, & primam omnium filiam Valeriam conjugemque Priſcam ſacrificio pollui coëgit. Imò tam *Valeria*, quàm *Priſca* Maximiano Auguſto anno CCC XIII extincto ſuperſtites fuere, ut infra ex eodem Lactantio cap. 50. demonſtrabo. Deinde locum Ammiani lib. 19. quem Baronius citat, aliud non dicit, ut rectè ibidem Baluzius, quàm eam Pannoniæ partem ad honorem Valeriæ Diocletiani filiæ & inſtitutam & ita cognominatam. Hæc Ammiani verba: *Valeriam venit partem quondam Pannoniæ, ſed ad honorem Valeriæ Diocletiani filiæ & inſtitutam & ita cognominatam:* non à Diocletiano, ſed à Galerio Maximiano, ut tradit Victor de Cæſaribus: *Provinciam uxoris nomine Valeriam appellavit:* ideoque hæc ad rem non faciunt, cùm Valeria vivente id nomen ea Provincia acceperit. Bollandus die XXIII Januarii in Vita S. Suſannæ eadem, quæ Baronius, refert. Neuter enim laudatum Lactantii librum ſummo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ emolumento nuper à Clariſſimo Baluzio publicatum viderat.

III. *S. Serena uxor Diocletiani Imp. non fuit.* Ad num. III. Quæ de S. *Serena* Diocletiani uxore à Baronio dicuntur juxta fidem Actorum S. Suſannæ, corruunt ex dictis numero præcedenti; indeque conſtat, ea Acta vel in toto, vel ſaltem in parte eſſe ſuppoſititia. Etenim ſi *Priſca* Diocletiani uxor mater *Valeriæ* fuit, ut ſanè fuit, neceſſe eſt, eam Diocletiano nupſiſſe, antequam is fieret Imperator; cùm Valeria Galerio Maximiano juncta matrimonio ſit anno CC XCII, ætatis ſuæ ut minimùm duodecimo. Vixiſſe autem tum *Priſcam* matrem ejus hinc certò colligitur, quòd diu poſtea ſuperſtes fuit, & anno tantùm CC XIII extincta eſt, poſt victoriam, quam Licinius de Maximino reportavit. Baronius, licèt librum Lactantii de Mortibus Perſecutorum non vidiſſet, ſuſpicabatur tamen futuros, qui eam de *Serena* Auguſta hiſtoriam in dubium revocarent; quòd nulla penitus de ea mentio alibi habeatur, neque apud Scriptores Ethnicos, neque in antiquis Inſcriptionibus; ac tanquam ei difficillimæ quæſtioni finem impoſuiſſet, interrogat litteratulos, ſi his diſpliceat nomen *Serenæ* Auguſtæ, ut dicant quonam alio nomine Diocletiani conjux Auguſta ab Antiquioribus dicta inveniatur, & cùm non invenenerint, non faciant de nomine controverſiam. Verùm huic interrogationi ſatisfactum eſt cumulatiſſimè, inquit Baluzius loco citato, ubi & rejicit Hadriani Valeſii opinionem in Defenſionem Diſceptationis ſuæ de Baſilicis, ubi colligit ex Anaſtaſio Bibliothecario in Vita Vigilii Papæ, *Eleutheriam* verè Diocletiani uxorem fuiſſe. Sed cùm certum ſit, Diocletianum toto Principatûs ſui tempore aliam uxorem non habuiſſe, quàm *Priſcam*, locus Anaſtaſii, ubi de Diocletiano & Eleutheria ſermo, corruptus. Corrupta & Acta S. *Georgii* Martyris, in quibus agitur de S. *Alexandra* Diocletiani conjuge, licèt Henſchenius & Papebrocius tomo III Sanctorum menſis Aprilis, die XXI, de S. Alexandra, tanquam ſi Diocletiani uxor fuiſſet, loquantur, aſſerantque, *Serenam* priorem Diocletiani uxorem circa annum CC XCVI extinctam, coli XIX menſis Auguſti; *Alexandram* verò alteram ejus conjugem anno CCC III glorioſam ad cælum evolaſſe, ejuſque ſacram memoriam celebrare Græcos die XXI Aprilis; ac denique aſſerant encomium, quod Alexandræ tribuitur in perantiquo Menologio Baſilii Porphyrogeniti Imp. ſeculo Chriſti X conſcripto, aliaque ex Græcorum Menæis. Non enim Lactantii librum Viri doctiſſimi viderant, cùm hæc ſcripſere.

Baron. ann. 295. num. IV.

IV. *Sarmatæ aliique populi à Galerio devicti.* Diocletianus adverſus Baſtarnas, Carpos, & Sarmatas rebelles, Galerium Maximianum mittit. In Faſtis enim Idacii ſub hujus anni Conſulibus legitur: *His Conſſ. caſtra facta in Sarmatia contra Acinco & Bononia.* Aquincum ſeu Acincum, Cluverio teſte, Buda eſt; Bononia verò, quæ olim urbs, nunc oppidum Pannoniæ interioris ad Danubium. De hoc bello Eutropius intelligendus: *Varia deinceps & ſimul & viritim bella geſſerunt,* (nempe Diocletianus & Galerius Maximianus) *Carpis & Baſternis ſubactis, Sarmatis victis, quarum nationum ingentes captivorum copias in Romanis finibus locaverunt.* Mediobarbus duo Diocletiani Numiſmata profert, quorum alterum in poſtica parte habet: VICTORIAE SARMATICAE; in averſa parte alterius legitur: VICTORIA SARMATICA. Sequentibus annis Sarmatæ rurſus ſuperati, poſtquam ſc. Galerius Cæſar Perſas debellavit, teſte Eutropio. Denique ex Codice Juſtinianeo apparet, hoc anno Diocletianum fuiſſe in Illyrico & Thracia, Sirmii, Viminiaci, Singedini, Philippipoli, & Heracleæ, ideoque & adverſus Sarmatas bellum geſſiſſe.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5788. ☉ 24 F. ☽ 11. P. 21. APRIL. INDICT. 13. — Olymp. 268. *ſecundum Baronium.*
JESU CHRISTI 295.
CAII PAPÆ 13.
DIOCLETIANI IMP. 12. MAXIMIANI HERCULII IMP. 10.

I. *Conſules.* COSS. *Nummius Tuſcus & Annius Annulinus*, ut colligitur ex libello de Præfectis Urbi. Idacius in Faſtis habet: *His Conſſ. Carporum gens in Romania ſe tradidit.* Idem habet Eutropius loco præcedenti anno relato. *Carpi in ſolum Romanum tranſlati.* Erant Carpi ſeu Carpiani, ut Cluverius docet, populi Sarmatiæ Europææ inter Carpatem montem & Viſtulam fluvium. De hac Carporum & Baſternarum in ſolum Romanum tranſlatione loquitur Euſebius in Chronico anno Abrahami 2209. qui anno Chriſti CC XCIII menſe Auguſto deſinit. Sed Chronologia per hæc tempora in eo Chronico perturbata.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5789. ☉ 25 E D. ☽ 12. P. 5. APRIL. INDICT. 14.
JESU CHRISTI 296.
MARCELLINI PAPÆ 1.
DIOCLETIANI IMP. 13. MAXIMIANI HERCULII IMP. 11.

I. *Conſules.* COSS. *Diocletianus Aug. IV*, & *Conſtantius Cæſar II.*

II. *Quinquennalia Conſtantii Cæſaris.* Diocletiani Conſulatus juxta tertiam regulam; Conſtantii juxta ſecundam: Quinquennalia enim Imperii Cæſarei dedit. Horum indicium Oratio Eumenii pro reparandis Scholis Auguſtodunenſibus, in cujus priori parte oſtendit, Orator mentem Imperatorum & Cæſarum eſſe, ut non templa modò & publica opera, ſed multò magis *Æduenſes Scholæ* Bagaudicæ factionis irruptionibus collapſæ ad Gallicæ Nobilitatis educationem inſtaurentur. Quare cùm ædificatio urbium & templorum, aliaque monumenta publica ſigna ſint Quinquennaliorum & id genus feſtorum, ea Oratio hoc anno certiſſimè habita. Onuphrius in Faſtis ſub Titiano II & Nepotiano Coſſ. anno nempe CCCI, dicit, in antiqua marmorea baſi legi, CAESARUM DECENNALIA, ideoque eo Chriſti anno Conſtantium & Galerium Cæſares Decennalia edidiſſe. Verùm, hæc epigraphe anno CCXCII, quo Conſtantius & Galerius Cæſares dicti ſunt, & Vota Decennalia de more ſuſceperunt, ſculpta; non verò in eorum Votis Decennalibus aut Quinquennalibus ſolutis, quod, ut ex dicendis apparebit, diverſis annis ab utroque præſtitum.

III. *Caii Papæ obitus.* Baron. num. II & III. Ad num. I. In Chronico Damaſi legitur: *Caius annos duodecim, menſibus quatuor, diebus ſeptem. Fuit temporibus Cari & Carini ex die XVI Kalend. Januarii, Conſulibus Caro II & Carino uſque in X Kalend. Maii Diocletiano VI & Conſtantio II Conſulibus.* Cari II & Carini Conſulatus incidit in annum ducenteſimum octogeſimum tertium, quo Caium die decima quinta menſis Decembris ordinatum fuiſſe diximus. Conſulatus verò Diocletiani VI, Conſtantio II Collega, currenti anno geſtus. Quare Pontificatûs Caii duratio accuratè in Chronico Damaſi & in Annalibus Baronii conſignata. Papebrocius tamen in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum Romanorum, ait: *Initium Pontificatus in eodem primo Catalogo notabatur à XVI Kalendas Januarii; ſed vel hîc erratum à Librario eſt detractione unitatis, vel ejus additione in numero dierum VII præter annos XII & menſes IV Sedi Caii attributorum. Hi enim à X Kal. Maii retrotracti perveniunt uſque ad XVII Kal. Januarii, qui dies cùm anno CCLXXXIII Dominicus fuerit, patet ratio cur priori numero potiùs quàm poſteriori correctionem adhibendam eſſe ſtatuerimus.* Sed fruſtra laborat Vir doctiſſimus, ut Pontificum ordinationes cum diebus Dominicis conjungat, quas vel ſolus hic locus aliis diebus, ante pacem Eccleſiæ redditam, peractas evincit. Caius igitur, qui die decima quinta Decembris anni CCLXXXIII Pontificatum iniit, & uſque ad diem XXI Aprilis præſentis anni Eccleſiam gubernavit, ſedit annos XII, menſes IV, dies VII, die ſcilicet emortuali in ſummam collato. Ex quo & liquet, perperam Baronium ejus Pontificatum inchoaſſe à die XVII Decembris. In Martyrologio Hieronymiano ad diem XXII Aprilis legitur: *Romæ in Cœmeterio Caliſti eſſe S. Gai*, vel *Gagi Papæ*. In Indiculo Depoſitionis Epiſcoporum apud Bucherium: *Decimo Kalendas Maii, Caii in Caliſti.* Verùm, dies *X. Kalend. Maii*, ſive dies XXII menſis Aprilis, tam in Chronico Damaſi, quàm in Martyrologiis citatis memoratus, non dies emortualis *Caii*, ſed dies, quo ſepulturæ mandatus eſt. Ejus enim depoſitio in Wandelberto & in nonnullis MSS. jungitur cum die XXI Aprilis, argumento manifeſto, alterum diem ad obitum, alterum ad ſepulturam pertinere, juxta regulam à nobis ſtatutam.

IV. *Marcellinus fit Papa.* Baron. num. IV. Ad num. II. Caio ſucceſſit Marcellinus non *quinto Nonas Maii*, ut habet Baronius, ſed *ex die pridie Kalendas Julias*, ut legitur in Chronico Damaſi, id eſt, die triceſima menſis Junii, quæ in feriam tertiam incidit. Quare Sedes vacavit poſt Caii mortem, non *dies undecim*, ut in Annalibus ex libro Pontificali legitur, ſed menſes duos, dies octo, ut numeranti liquet. Eutychiano & Caio Decretales adſcriptæ ſuppoſititiæ ſunt, cùm in iis Leonis Papæ loca integra recitentur, & alia ſuppoſitionis indicia habeantur. Marcellino etiam Decretales affictas fuiſſe demonſtrat Epiſtola LXII Hormiſdæ pro exordio aſſumta. Non minùs adulterina Marcellini Epiſtola in Annalibus hoc anno memorata, quæ dicitur ſcripta ad Salomonem Epiſcopum. Incipit enim cum verbis Leonis primi Epiſt. XCIII juxta veterem ordinem: *Quam laudabiliter pro Catholicæ fidei veritate.* Concarcinata eſt ex teſtimoniis Idacii ad Warimadum cap. 51. 52. 53. & 55. & Hormiſdæ Papæ Epiſt. XXIV, XXV, aliiſque, ut jam Viris doctis obſervatum.

V. *Bella hoc anno geſta.* Britanniæ hoc anno receptæ. Eutropius enim de *Allecto* Tyranno, qui Auguſtus in Nummis dicitur, quique Carauſium occiderat, loquens, ait: *Eum* (nempe Carauſium) *poſt ſeptennium Allectus ſocius ejus occidit; atque ipſe poſt eum Britannias triennio tenuit: qui ductu Aſclepiodoti Præfecti Prætorio eſt oppreſſus. Ita Britannia decimo anno recepta.* Paulò pòſt: *Maximianus quoque Auguſtus bellum in Africa profligavit, domitis Quinquegentianis & ad pacem redactis;* quæ duo non ſolùm uno tenore Zonaras recitat; ſed etiam Eumenius in Panegyrico Conſtantio Cæſari poſt victoriam Britannicam dicto cap. 13. ubi poſtquam retulit, Conſtantium Cæſarem bellum Britannicum ſuſcepiſſe, ait: *Primò omnium, in quo præcipuè conſulendum fuit, ne quid barbaræ nationes, converſo illuc numine tuo, novare tentarent, invocata patris tui* (nempe Maximiani Herculii, cujus privignam duxerat) *majeſtate proviſum eſt. Tu enim ipſe tu, Domine Maximiane, Imperator æterne, novo itineris compendio adventum divinitatis tuæ accelerare dignatus, repentè Rheno inſtitiſti, omnemque*

illum limitem non equeſtribus, neque pedeſtribus copiis, ſed præſentia tua terrore tutatus es. Quantoſlibet valebat exercitus Maximianus in ripa. Tu verò, invicte Cæſar, inſtructis armatiſque diverſis claſſibus ita hoſtem incertum conſiliique inopem reddidiſti, ut tunc denique ſenſerit, quòd non munitus eſſet Oceano, ſed incluſus. Jam itaque Maximianus Herculius Africam verſus copias eduxerat; ſed ut accepit, Conſtantium in Britanniam tranſiiſſe, rediit illico, ut interea Rhenum contra Francos tutaretur. Quæ hoc anno geſta oſtendit Eumenius in Panegyrico *pro reſtaurandis Scholis*, hoc anno recitato, in cujus calce ait: *Ibi* (ſc. in Scholis Auguſtodunenſibus) *fortiſſimorum Imperatorum pulcherrima res geſtæ per diverſa regionum argumenta recolantur, dum calentibus ſemperque venientibus victoriarum nuntiis reviſuntur gemina Perſidos flumina*, (nempe Tigris & Euphrates, ideoque bellum adverſus Perſas à Galerio Maximiano tunc gerebatur) *& Libyæ arva ſitientia*, (Quinquegentianos in Libya ſitos intelligit) *& connexa Rheni cornua*, (de bello adverſus Francos loquitur) *& Nili ora multifida*; (quod ad bellum Ægyptiacum referendum) *dumque ſibi ad hæc ſingula intuentium animus affingit, aut ſub tua, Diocletiane Auguſte, clementia, Ægyptum furore poſito quieſcentem*: (jam itaque Achilleus, qui Ægyptum invaſerat, perierat) *aut te, Maximiane invicte, perculſa Maurorum agmina fulminantem*, (Mauritani igitur ante præſentem annum à Maximiano Herculio domiti, de qua victoria Incertus in Panegyrico Conſtantino & Maximino dicto cap. 8.) *aut ſub dextera tua, Domine Conſtanti, Bataviam, Britanniamque ſqualidum caput ſilvis & fluctibus exerentem, aut te, Maximiane Cæſar, Perſicos arcus pharetraſque calcantem*, quæ Galerium Maximianum adverſus Perſas occupatum reſpiciunt.

VI. *Britannia & Ægyptus recuperata, ac bellum Perſicum inchoatum.*

Hic locus egregius ad Chronologiam per hæc tempora præſidiis deſtitutam, elucidandum. Primò enim conſtat, Britanniam hoc vel præcedenti anno, idque *decimo anno*, ut habet Eutropius, recuperatam fuiſſe; ideoque & Carauſium anno CCLXXXVI in ea regnare cœpiſſe. Huic inſulæ poſt Carauſium *Allectus* imperitabat, adverſus quem *Aſclepiodotum, qui Prætorianis Præfectus præerat, cum parte claſſis ac legionum* præmiſit Conſtantius, inquit Victor de Cæſaribus, ipſemet Conſtantius cum reliquis copiis ſubſecuturus. Is ubi in Britanniam pervenit, ſimul univerſis navibus ignes injicit, ut nullo fugæ ſuæ præſidio reſervato, in ſola victoria ſpem ponerent, ut ait Eumenius in Panegyrico Conſtantio Cæſari dicto cap. 15. *Allectus* audito nuntio adventûs Conſtantii, claſſem portumque deſeruit, ſed mari Conſtantium fugiens, terra in *Aſclepiodotum* incidit, à quo victus interfectuſque eſt, ut legitur in eodem Panegyrico cap. 16. Regnavit in Britannia annos tres, ut diximus ex Eutropio. Secundò apparet, in Oriente Diocletianum Alexandriam octavo obſidionis menſe cepiſſe, ibique interfecto ſeditionis auctore, eamdem diripuiſſe, everſiſque ejus muris, totam Ægyptum vaſtaſſe, poſtquam Buſirim ac Coptum urbes ejus primarias funditus à paucis annis diruiſſet. Euſebius enim in Chronico juxta editionem Scaligeri anno Abrahami 2304. qui Kalendis Septembribus anni Chriſti CCLXXXVII incipit, ait: *Ægyptum Achilleus obtinuit. Ob quæ Conſtantius & Galerius Maximianus Cæſares aſſumuntur in regnum*; ubi tamen quæ diverſis annis accidêre, uno tenore narrat, citiúſque quàm par erat, Imperium Achillei in Ægypto auſpicatur. At cùm in Nummis Græcis ſextus Imperii ejus Auguſtei annus legatur, Conſtantius & Galerius anno CCXCII dicti ſint Cæſares, & in Chronico Euſebii juxta editionem Scaligeri anno Abrahami 2313. qui Kalendis Septembris præſentis Chriſti anni inchoatur, ſcriptum ſit: *Alexandria cum omni Ægypto per Achilleum Ducem à Romana poteſtate deſciſcens, octavo obſidionis menſe à Diocletiano capta eſt. Itaque plurimi per totam Ægyptum gravibus proſcriptionibus exiliiſque vexati, interfectis his, qui auctores perduellionis extiterant*: Euſebius ex ipſomet Euſebio corrigendus, dicendumque *Achilleum* anno Chriſti CCXCI aut CCXC purpuram in Ægypto ſumſiſſe, & hoc anno, Imperii ejus ſexto, interfectum fuiſſe. Denique bellum Perſicum, de quo anno ſequenti, inchoatum jam fuiſſe Eumenius nos certos facit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5790. ☉ 26 C. ☽ 13. P. 28. MART. INDICT. 15. Olymp. 269.
JESU-CHRISTI 297. Ann. Urb. 1050.
MARCELLINI PAPÆ 2.
DIOCLETIANI IMP. 14. MAXIMIANI HERCULII IMP. 12.

I *Conſules. Quinquennalia Imperii Cæſarei Galerii Maximiani.*

COSS. *Maximianus Herculius Aug. V, & Galerius Maximianus Cæſar II.* Herculii Conſulatus juxta primam regulam, Galerii juxta ſecundam; Imperii enim Cæſarei Quinquennalia dedit.

II. *Martyrium militũ Thebæorum.* Baron. num. I & II.

Ad num. I, II & III. Acta Martyrum *Agaunenſium*, quæ Baronius ex Surio mutuatus eſt, quæque ab *Eucherio* Lugdunenſi Epiſcopo in literas relata credidit, ſpuria ſunt, atque ſub falſo *Eucherii* nomine publicata, poſtquam ea, quæ Eucherius ſcripſerat, periere. In iis enim Pſeudo-Eucherius Thebæorum militum mortem ad Marcellini Pontificatum, & ad Maximiani Herculii profectionem in Galliam adverſus Bagaudas refert. Et tamen ea profectio initio Imperii Diocletiani contigit, Caio Eccleſiam Romanam adminiſtrante, cui Marcellinus anno tantùm præcedenti ſucceſſit. Petrus Franciſcus Chiffletius in Paulino Illuſtrato genuinam Eucherii lucubrationem ex Codice manuſcripto Monaſterii Jurenſis in lucem dedit, in qua nulla neque Bagaudarum, neque Marcellini Papæ, nec denique Æliani & Amandi mentio, ſed tantùm Maximiani cum Diocletiano Collega Imperium tenentis; hæcque martyrii, quod Thebæi milites feliciter conſummaverunt, ſola & vera cauſa, quòd *hi, cùm ſicut & ceteri militum ad pertrahendam Chriſtianorum multitudinem deſtinarentur, ſoli crudelitatis miniſterium detrectare auſi ſunt*, atque *hujuſmodi præceptis ſe obtemperaturos negarunt.*

Mauritii itaque & ſociorum martyrium ante univerſalem perſecutionem à Diocletiano anno CCC III, quo Marcellinus Papa adhuc vivebat, non contigit, ſi *Octodurum*, circa quam urbem tunc Herculius verſabatur, & *Agaunum*, in quo Sancti Martyres occiſi, ejuſdem Herculii Imperio ſubjacebant, ut valde veroſimile. Quòd ſi utrumque oppidum Conſtantio Cæſari paruerit, cùm intra fines antiquæ Galliæ continerentur; non dubium, quin illud martyrium ad annum CC LXXXV, quo Bagaudæ cum Æliano & Amando eorum Ducibus ab Herculio in Gallia deleti ſunt, pertineat. Conſtantio enim in Galliis imperante Chriſtianos ſumma pace potitos fuiſſe infrà demonſtraturi ſumus.

III. *Perſecutionem à militibus Galerius incipit.*

Ad num. IV. Perſecutio adverſus Chriſtianos à militibus cœpit, ut non tantùm Euſebius in Chronico de *Veturio* militiæ Magiſtro loquens, & in Hiſtoria lib. 8. cap. 1. & cap. 4. ſed etiam Lactantius lib. de Mortibus Perſecutorum cap. 9. & 10. teſtantur. Recitanda hîc Lactantii verba, quibus Galerius Maximianus ſuis coloribus depingitur, & Hiſtoria Eccleſiaſtica per hæc tempora mirum in modum illuſtratur: *Alter verò Maximianus, quem ſibi generum Diocletianus aſciverat, non his duobus tantùm, quos tempora noſtra ſenſerunt, ſed omnibus qui fuerant, malis pejor. Inerat huic beſtiæ naturalis barbaries, efferitas à Romano ſanguine aliena. Non mirum, cùm mater ejus Tranſdanuviana infeſtantibus Carpis in Daciam novam transjecto amne confugerat. Erat etiam corpus moribus congruens, ſtatu celſus, caro ingens, & in horrendam magnitudinem diffuſa & inflata. Denique & verbis & actibus & aſpectu terrori omnibus ac formidini fuit. Socer quoque eum metuebat acerrimè. Cujus timoris hæc fuit cauſa. Narſeus Rex Perſarum concitatus domeſticis exemplis avi ſui Saporis, ad occupandum Orientem cum magnis copiis inhiabat. Tunc Diocletianus, ut erat in omni tumultu meticuloſus animique disjectus, ſimul & exemplum Valeriani timens, non auſus eſt obviàm tendere, ſed hunc per Armeniam miſit, ipſe in Oriente ſubſiſtens & aucupans exitus rerum. Ille inſidiis ſuis Barbaros, quibus mos eſt cum omnibus ſuis ad bellum pergere, multitudine impeditos, & ſarcinis occupatos non difficiliter oppreſſit; fugatoque Narſeo Rege, reverſus cum præda & manubiis ingentibus, ſibi attulit ſuperbiam, Diocletiano timorem. In tantos namque faſtus poſt hanc victoriam elevatus eſt, ut jam detrectaret Cæſaris nomen. Quod cum in literis ad ſe datis audiſſet, truci vultu ac voce terribili exclamabat: Quouſque Cæſar? Exinde inſolentiſſimè agere cœpit, ut ex Marte ſe procreatum & videri & dici vellet, tanquam alterum Romulum: maluitque Romulam matrem ſtupro infamare, ut ipſe Diis oriundus videretur.* Tum de Diocletiano ſcribit: *Quam verò cauſam perſequendi habuerit, exponam. Cùm ageret in partibus Orientis, ut erat pro timore ſcrutator rerum futurarum, immolabat pecudes, & in jecoribus earum ventura quærebat. Tum quidam miniſtrorum ſcientes Dominum, cùm adſiſterent immolanti, impoſuerunt frontibus ſuis immortale ſignum. Quo facto fugatis dæmonibus, ſacra turbata ſunt. Trepidabant aruſpices, nec ſolitas in extis notas videbant: & quaſi non litaſſent, ſæpius immolabant. Verùm identidem mactatæ hoſtiæ nihil oſtendebant, donec magiſter ille aruſpicum Tages, ſeu ſuſpicione, ſeu viſu, ait, idcirco non reſpondere ſacra, quòd rebus Divinis profani homines intereſſent. Tunc irâ furens, ſacrificare non eos tantùm qui ſacris miniſtrabant, ſed univerſos qui erant in Palatio, juſſit, & in eos, ſi detrectaſſent, verberibus animadverti: datiſque ad Præpoſitos literis, etiam milites cogi ad nefanda ſacrificia præcepit, ut qui non paruiſſent, militiâ ſolverentur. Hactenus furor ejus & ira proceſſit, nec ampliùs quicquam contra legem aut religionem Dei fecit. Deinde interjecto aliquanto tempore in Bithyniam venit hiematum.* Cùm verò Veturius milites anno ſequenti perſequi cœperit, ut mox dicemus, ea perſecutio ante eum annum non contigit.

Præterea ex victoria Perſica eam perſecutionem ad annum ſequentem pertinere intelligimus. Bellum Perſicum anno præcedenti renovatum, quando ſcilicet Diocletianus ex Ægypto, ubi Alexandriam obſidebat, Galerium Cæſarem ad expeditionem Perſicam deſtinavit: IV. *Perſæ à Galerio Cæſare victi.* *His tempeſtatibus interim Jovio Alexandriam profecto, provincia credita Maximiano Cæſari, uti relictis finibus in Meſopotamiam progrederetur, ad arcendos Perſarum impetus. A quis primò graviter vexatus, contracto confeſtim exercitu è veteranis ac tyronibus per Armeniam in hoſtes contendit: quæ ferme ſola ſeu facilior vincendi via eſt. Denique ibidem Narſeum Regem in ditionem ſubegit: ſimul liberos, conjugeſque & aulam regiam*, ait Victor de Cæſaribus. Quod bellum ab Eutropio adhuc magis explicatum. *Pace facta*, inquit Rufus in Breviario, *Meſopotamia eſt reſtituta, & ſuper ripam Tigridis limes eſt reformatus, ita ut quinque gentium trans Tigridem conſtitutarum ditionem aſſequeremur. Quæ conditio fœderis in tempus Divalis Conſtantii reſervata duravit. Narſeum* autem hoc anno debellatum, tam ex Idacio in Faſtis, quàm ex Auctore Chronici Alexandrini manifeſtè deducitur. In priori legitur: *His Conſſ. victi Perſæ.* In poſteriori: *Perſæ maximo bello à Conſtantio & Maximino Jovio Cæſaribus devicti ſunt.* Paulò pòſt: *Iiſdem Coſſ. à Maximiano Herculio Perſæ prælio victi ſunt.* Quæ duo loca corrupta quidem, cùm nec Herculius Auguſtus, nec Conſtantius Cæſar in Orientem profecti fuerint; ex illis tamen conſtat, Perſas præſenti anno ſuperatos fuiſſe. Libanius in Baſilico ait, Perſas poſt ingentem illam cladem à Galerio acceptam, *quadraginta annos* in apparatu conſumſiſſe, ut eam reſarcirent, & paulò ante Conſtantini Magni obitum bellum Romanis intuliſſe. Ab hoc verò anno ad Conſtantini Magni obitum anni quadraginta fluxere. Ex quibus manifeſtiſſimum fit, bellum Perſicum cum anno CCC perperam à Baronio illigatum fuiſſe; magiſque à recto tramite deviaſſe Dodwellum in Diſſert. Cyprianica XI, num. LXVIII, ubi tam militum perſecutionem, quàm reditum Galerii ex expeditione Perſica, in annum trecenteſimum ſecundum differt.

Euſebius in Chronico anno Abrahami 2314. V.

Conſtantius Cæſar Alemannos debellat.

qui Kal. Septemb. currentis Chriſti anni inchoatur, ait: *Juxta Lingonas à Conſtantio Cæſare L X millia Alemanorum cæſa.* Quam illuſtrem victoriam Eutropius, Zonaras, aliique memorant. Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis de hac victoria loquens ait: Mirum, Eumenium verba habentem ad Conſtantium, tam inſignem victoriam obiter perſtrinxiſſe, hominem alioqui laudum Conſtantii prodigum: *Cum toties*, inquit cap. 10. *proculcata eſſet Alamannia.* Verùm hinc intelligere poterat Vir doctiſſimus, eam Eumenii Orationem, quæ tota eſt de recuperata Britannia, ac coram Conſtantio Cæſare recitata, vel ſub finem præcedentis anni, vel currentis initio, antequam ſcilicet Barbari in Gallias irrupiſſent, habitam fuiſſe; alioquin amplam illam Conſtantii laudandi materiam Orator non prætermiſiſſet, qui nec verbum quidem in eo Panegyrico de eo habet. Verba enim laudata ad victorias aliàs de Alemannis reportatas referuntur. Hinc Eumenius cap. 5. antequam de expeditione ac victoria Britannica loquatur, ait: *Adorata ſint igitur mihi Sarmaticæ expeditiones, quibus illa gens propè omnis extincta eſt, & penè cum ſolo nomine relicta, quo ſerviat. Dent veniam tropæa Niliaca*, (de Achilleo nempe victo & Alexandria capta) *ſub quibus Æthiops & Indus intremuit. Contenta ſit voce gloria ſuæ etiam proxima illa ruina Carporum.* (quæ anno CC XCV contigit) *Reſervetur nuntiis jam jamque venientibus Mauris immiſſa vaſtatio. Aliis hæc, permittente Majeſtate veſtra, celebrabo temporibus.* Cùm itaque Eumenius victorias à Conſtantii Collegis reportatas enumeret, ſeque eas alio tempore celebraturum promittit, nullamque victoriæ Alemanicæ, quæ Conſtantio propria erat, mentionem faciat, apparet, quando hæc Oratio recitata, eam nondum relatam fuiſſe. Quando autem Eumenius hunc Panegyricum dixit, Maximianus Herculius in Mauritania pugnabat, non contra Quinquegentianas gentes, ut Vir doctus exiſtimavit; eæ enim in Libya ſitæ; ſed contra alios populos in Mauritania poſitos, de quorum clade nuntii expectabantur. Unde Incertus in Panegyrico Maximiano & Conſtantino dicto cap. 8. Maximianum Herculium alloquens ait: *Tu ferociſſimos Mauritaniæ populos inacceſſis montium jugis, & naturali munitione fidentes expugnaſti, recepiſti, tranſtuliſti:* quod hoc anno contigiſſe videtur.

VI. *Perſecutio à militibus cœpit.* Baron. num. XXVI.

Ad num. IV. Euſebius in Chronico juxta editionem Pontaci ad annum Abrahami 2305. qui Kalendis Septembribus anni Chriſti CC XCVIII inchoatur, ait: *Veturius Magiſter militiæ Chriſtianos milites perſequitur, paulatim ex illo jam tempore perſecutione adverſus nos incipiente.* In editione ejuſdem Chronici Scaligeriana, hæc uno anno tardiùs conſignantur. Anno itaque ſequenti perſecutio adverſus milites decreta, de qua legendus Euſebius in Hiſtoria lib. 8. cap. 4. & Lactantius lib. de Mortibus Perſecutorum, cujus verba num. III recitavimus. Legenda etiam quæ de ea perſecutione anno CCC II num. IV ſcripſimus. Hujus perſecutionis occaſione Arnobius libros ſeptem adverſus gentes publicavit, ut infrà eodem anno oſtendemus. Porrò cùm dicat Euſebius, paulatim ex illo jam tempore perſecutionem adverſus Chriſtianos incepiſſe, liquet, hallucinatos Viros doctiſſimos, qui autumarunt militum perſecutionem anno tantùm CCC II decretam fuiſſe.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5791. ☉ 27 B. ☽ 14. P. 14. APRIL.
INDICT. I.
JESU CHRISTI 298.
MARCELLINI PAPÆ 3.
DIOCLETIANI IMP. 15. MAXIMIANI HERCULII IMP. 13.

I. *Conſules.*

COSS. *Anicius Fauſtus II*, & *Severus Gallus*, ut rectè Auctor Chronici Alexandrini, qui cùm Conſulatus ſuffectos pro more non numeret, iterati Fauſti Conſulatus non meminit; verùm in Faſtis Theonis, in Anonymo Cuſpiniani, & in libello de Præfectis Urbi Fauſtus cum numerali nota editur. Diocletianus, qui ſub Baſſo iterum Conſule Quinquennalia, ſub Fauſto ſecundùm Conſule Quindecennalia in Oriente, quemadmodum & in Occidente Herculius Imperii Cæſarei Quindecennalia, dedit.

Imperii Cæſarei Herculius, Auguſtei Diocletianus Quindecennalia edidit.

II. *Militum perſecutio.* Baron. num. 1 & ſeqq.

Ad num. I. Perſecutio adverſus milites hoc anno inchoata, ut rectè Proſper in Chronico. Sicut igitur perſecutio generalis in ipſis utriuſque Auguſti Vicennalibus cœpit, ſic & ejus quædam velitatio in utriuſque Quindecennalibus. Quare martyrium S. *Marcelli* Centurionis à præſenti anno non removendum, cùm in Breviario Eborenſi ſub hujus anni Conſulibus accidiſſe dicatur, & Acta S. Marcelli à Surio die XXX Octobris relata hanc temporis notam præferant: *Jam die XII Kalend. Auguſtarum, quando diem feſtum Imperatoris veſtri celebraſtis, publica voce reſpondi, me Chriſtianum eſſe*, inquit Marcellus, qui in civitate Tingitana Herculio ſubdita paſſus eſt. Quæ verba non de genuino Herculii Natali, quod ſingulis annis celebrabatur, ſed de Natali ejus Imperii Cæſarei intelligenda. Dies autem natalis Imperii nonniſi ſingulis quinquenniis, decenniis, ac deinceps feſtum habebatur. Euſebius lib. 8. in Appendice de Martyribus Palæſtinæ cap. 2. ſcribit, S. *Romanum* ante diem *XV Kalend. Decembris*, anno primo perſecutionis Diocletianeæ, Chriſti ſcilicet CCC III, martyrio coronatum fuiſſe; & ubi narravit, S. Martyri linguam abſciſſam eſſe, ait: *Poſt quod ſupplicium contruſus in carcerem ac diutiſſimè ibidem maceratus, tandem cùm Imperatoris Vicennalia jam adeſſent, & ex ſolenni more, univerſis qui in cuſtodia tenebantur, indulgentia publicè per præconem annuntiata eſſet, martyrio, ſicut optaverat, exornatus eſt*, die nempe XV Kal. Decemb. Antequam liber de Mortibus Perſecutorum publicatus fuiſſet, non dubitabam, quin Euſebius intelligendus eſſet de Vicennalibus Diocletiani, quæ Conſulatus VIII anno CCC III ſuſceptus, tunc peracta indicabat. Et licèt *XV Kal. Octobres* Imperii ejus Natali celebrari debuiſſent,

dilata fuiſſe autumabam in xii Kal. Decemb. quem ſuſpicabar Imperii Cæſarei Herculii Natalem eſſe, eoque anno, quo paſſus eſt Marcellinus, Quindecennalia Imperii ejus Cæſarei aliquot menſibus anticipata fuiſſe. Auguſti enim & Cæſares, ſi Decennalia & id genus feſta vel differre vel antevertere contingeret, non alio die ea celebrabant, quam die natali, vel die natali Collegarum, vel ſaltem die ejuſdem denominationis cum eo, quo Imperium iniiſſent. *Herculius* autem die Kal. Aprilis Auguſtus dictus, *Diocletianus* xv Kal. Octobres purpuram ſumſit: neque enim Herculius à Diocletiano anno cc lxxxiv, xii Kalend. Auguſti Cæſar creari potuit, cùm eo anno Diocletianus nondum Imperator eſſet. Quare perſuaſum mihi erat, ideo *Herculium* xii Kalend. Aug. Quindecennalia celebraſſe, quia anno cc lxxxiv, xii Kalend. Decembres, Cæſar nuncupatus fuerat; alioquin *Diocletianus* anno ccc iii poſt diem xv Kalendas Decembris, Vicennalia non edidiſſet. In ea mente animum obfirmabam, quia omnes loci Euſebii citati quæ afferebantur interpretationes, frivolæ & inanes mihi viſæ. Aliqui enim dicebant, præfatum locum mendoſum eſſe, ac loco *Novembris*, legendum eſſe *Septembris*, quo menſe Diocletianus Imperium capeſſierat; quaſi verò Imperatores nunquam aliis menſibus, quàm quibus Imperium ſuſceperant, has feſtivitates exhibuiſſent. Alii ſuſpicabantur, Diocletianum, uti poſtea Conſtantinum, Vicennalia iteraſſe; quod cùm de Conſtantino falſum ſit, de Diocletiano aſſeri non poterat. Alii Euſebii verba ad Herculium nullo modo referri volebant, quòd eum nunquam fuiſſe Cæſarem exiſtimarent. Dum in ea mente eram, in lucem editus eſt liber Lactantii de Mortibus Perſecutorum, qui omnem ſcrupulum ex animo tandem evulſit; cap. enim 17. ait: *Diocletianus perrexit Romam, ut illic Vicennalium diem celebraret, qui erat futurus ad XII Kalendas Decembres*: qui dies cùm non poſſit eſſe natalis Imperii Diocletiani, nec ab eo eligi ad præfata ſolennia, (decimus enim quintus Kalendas Decembris electus fuiſſet, cùm xv Kal. Octobris purpuram induerit) ſequitur omnino, ideo Diocletianum xii Kal. Decembris Vicennalia celebraſſe, quia eo die Herculium Cæſarem nuncuparat, ob eamque etiam rationem currenti anno Herculium in Africa xii Kal. Auguſti Imperii Cæſarei Quindecennalia celebraſſe, die ſcilicet ejuſdem denominationis cum eo, quo Cæſar dictus fuerat. Quamobrem quocumque tandem anno Herculius Cæſar renuntiatus fuerit, non dubito, quin ea nuncupatio in diem xii Kal. Decembris inciderit.

III. Thermæ Diocletiani & Maximiani.

Ad num. II. In Chronico Euſebii juxta editionem Pontaci anno Abrahami 2316. qui Kalendis Septembris anni Chriſti cc xcix inchoatur, legitur: *Thermæ Diocletianæ Romæ factæ, & Maximianæ Carthagine.* Anno itaque trecenteſimo Conſtantii Cæſaris Decennalibus inſignito Thermæ illæ conſtructæ, annoque trecenteſimo quinto, quo Quindecennalia celebravit, dedicatæ, ut liquet ex Inſcriptionibus à nobis in II parte Diſſert. Hypaticæ cap. 6. num. XI recitatis. Thermæ enim, templa, aliaque opera publica quinquennii initio de more inchoabantur, eoque expleto dedicabantur, ut multis exemplis liquet.

Baron. num. xv...

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5792. ☉ 28 A. ☽ 15. P. 2. APRIL. INDICT. 2.
JESU CHRISTI 299.
MARCELLINI PAPÆ 4.
DIOCLETIANI IMP. 16. MAXIMIANI HERCULII IMP. 14.

Ann. Urbis 1050. *ſecundùm Baronium.*
Olymp. 269. *ſecundum Baronium.*

I. Conſules. Quindecennalia Imperii Auguſtei Herculii.

COss. *Diocletianus Aug. VII*, & *Maximianus Herculius Aug. VI.* Diocletianus juxta tertiam regulam, Maximianus juxta ſecundam; Imperii enim Auguſtei Quindecennalia dedit, ut ex ejuſdem Imperii Vicennalibus etiam apparet.

II. Victi Marcomanni.

Hoc anno Idacius in Faſtis habet: *His Conſſ. victi Marcomanni*; quos etiam poſt bellum Perſicum devictos memorat Eutropius.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5793. ☉ 1 GF. ☽ 16. P. 24. MART. INDICT. 3.
JESU CHRISTI 300.
MARCELLINI PAPÆ 5.
DIOCLETIANI IMP. 17. MAXIMIANI HERCULII IMP. 15.

I. Conſules. Quindecennalia Imperii Cæſarei Galerii.

COss. *Conſtantius Cæſar III*, & *Galerius Maximianus Cæſar III.* Con-ſulatus Galerii juxta tertiam regulam, Conſtantii juxta ſecundam; Decennalia enim exhibuit.

II. S. Petrus Martyr fit Epiſc. Alexandriæ.

Ad num. III. Auctor Hiſtoriæ Patriarcharum Coptitarum tradit, *Theonam* Epiſcopum Alexandrinum obiiſſe *Tuba octavo, die Mercurii*, hoc nempe anno, quo tertia Januarii dies & feria quarta concurrerunt. Theonæ ſucceſſit S. *Petrus*, cujus inaugurationem Euſebius in Chronico in annum ſequentem perperam differt, quem errorem in Hiſtoria lib. 7. cap. ultimo correxit, quando ait, eum præfuiſſe annis duodecim, & ante perſecutionem quidem *tribus ferè annis*, id eſt, tribus circiter annis. Quare rectè in Chronico Alexandrino ſub hujus anni Conſulibus ejus initium recitatur.

Baron. num. II.

FINIS SECULI III.

CRITICA
HISTORICO-CHRONOLOGICA
IN
ANNALES
BARONII
SECULUM IV.

Olymp. 270. ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5794. ☉ 2 E. ☽ 17. P. 13. APRIL. INDICT. 4.

JESU CHRISTI 301.

MARCELLINI PAPÆ 6.

DIOCLETIANI IMP. 18. MAXIMIANI HERCULII 16.

I. *Conſules.*

COss. *Titianus II*, & *Nepotianus*. In libello de Præfectis Urbi, & in Inſcriptione Onuphriana Titianus cum nota numerali effertur. Præter hunc autem, Voluſianum anno CCC XIV, & Merobaudem anno CCC LXXXIII Conſulem, nullus ex privatis toto hoc ſeculo in Faſtis Conſul iterum dicitur.

II *Triumphus Diocletiani & Maximiani.*

Baron. n. 1.

Ad num. I. Triumphus Diocletiani & Maximiani Herculii de Perſis, non hoc anno, ut Baronius, neque ſequenti, ut Valeſius in Notis Euſebianis lib. 8. cap. 13. aliique arbitrati ſunt, ſed anno CCC III, quo Lactantius lib. de Mortibus Perſecutorum cap. 17. Diocletianum Romæ Vicennalia celebraſſe tradit. Nam cùm triumphus ille Romæ ductus fuerit, ut Euſebius in Chronico, Eutropius, & Caſſiodorus teſtantur, & ante annum CCC III poſt victoriam Perſicam Diocletianus Romæ non fuerit, liquet, eo anno triumphum hunc actum eſſe. Præterea triumphos cum Vicennalibus & id genus feſtis de more exhibitos fuiſſe, ſæpeque dilatos non ſemel inſinuavi. Certè pax inter Romanos & Perſas jam ab anno CC XCVI ſancita fuerat, & tamen triumphus de Perſis anno tantùm CCC III actus. Victis itaque hoſtibus ſive per ſe, ſive per Legatos, quadrigas triumphales ſibi decerni curabant Imperatores, ſed triumphum plerumque differebant. Hinc Mamertinus in Panegyrico Maximiano Herculio die natali dicto cap. 4. ſic eundem Imperatorem & Diocletianum alloquitur: *Hos fructus capitis operum maximorum: ſic interim meritoriâ conſcientiâ triumphatis, dum triumphos ipſos ſæpe vincendo differtis.* Hæc cauſa cur tot Imperatores, quibus decretæ quadrigæ triumphales, morte præventi non triumpharint. Quod Antiquarii non animadvertentes, Imperatorum triumphos cum annis, quibus quadrigæ triumphales eiſdem tantùm decretæ, illigarint. *Narſeus* Perſarum Rex, cujus filii in triumphum ducti, anno incerto *Miſdatem* ſucceſſorem nactus eſt, de quo Agathias lib. 4. ait: *Miſdates hujus filius & hæres non ſolum potentia, ſed annorum æqualitatis & ſpatii.* Hunc excepit Sapores, qui plura cum Romanis bella geſſit, ut ſuo loco videbitur.

III. *Sævitur in milites.*

Baron. num. II & ſeqq.

Ad num. II. Diocletianus non hoc anno, ſed anno CC XCIII, quo Decennalia celebravit, ſe ut Deum adorari voluit, ut ibidem oſtenſum. Præterea nullum hoc anno de perſecutione Chriſtianorum promulgatum edictum, ſed tantum in milites ſævitum. Quare Martyres, de quibus Baronius, ante annum CCC III paſſi non ſunt. Certè in Paſſione S. *Savini* Epiſcopi & Martyris, cujus Fragmentum edidit Baronius, & quam integram ex Codice MS. Colbertino publicavit Baluzius V. C. nullus temporis character extat, ex quo certam anni rei geſtæ notitiam eruere poſſimus; ideoque rectè Baluzius martyrium illud cum anno trecenteſimo tertio, quo revera perſecutio decreta, copulavit. Subjungit in Notis, *Savinum*, quem Baronius *Sabinum* appellat, Spoleti quidem

martyrium feciſſe, ſed Epiſcopum Aſſiſienſem non extitiſſe; cùm in Actis ejus ſolum dicatur captus *in civitate Aſſiſinati, & in eodem loco cuſtodiæ mancipatus cum duobus Diaconibus & multis Clericis cum eis.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5795. ☉ 3 D. ☽ 18. P. 5. APRIL. INDICT. 5.
JESU CHRISTI 302.
MARCELLINI PAPÆ 7.
DIOCLETIANI IMP. 19. MAXIMIANI HERCULII IMP. 17.

I. *Conſules.* COSS. *Conſtantius Cæſar IV*, & *Galerius Maximianus Cæſar IV.*

II. *Decennalia Galerii Maximiani.* Conſulatus Conſtantii ſecundùm tertiam regulam, Galerii juxta ſecundam; Imperii enim Cæſarei Decennalia dedit. Ex quo utriuſque Cæſaris Conſulatu diſcimus, eos ante annum CCXCII Cæſaream dignitatem non obtinuiſſe; alioquin Maximiani Decennalia ante hunc annum exhibita fuiſſent; cùm nullum extet indicium, ea fuiſſe dilata. Ad hæc ſolennia referenda quæ hoc anno Idacius in Faſtis habet: *His Conſulibus vilitatem juſſerunt Imperatores eſſe.* Annis enim, quibus Imperatores & Cæſares Decennalia celebrarunt, eos erga populum liberales ac munificos fuiſſe in Diſſertatione Hypatica oſtendi.

III. *De perſecutione indicenda deliberatum.* Ad num. I & II. Non tantùm Baronius, ſed & Petavius in lib. de Doct. Temp. aliique plures Viri docti perſecutionis Diocletianeæ initium in hunc annum contulere. Verùm liber Lactantii de Mortibus Perſecutorum controverſiam tandem diremit, & Valeſii ſententiam certam eſſe oſtendit. Is in Notis ad lib. 8. Euſebii eam anno tantùm ſequenti cœptam adeo ſolidè demonſtravit, ut mirum mihi acciderit, poſt ejus Notas in lucem emiſſas, inventos fuiſſe qui contrarium ſenſerint. Hoc itaque anno *per totam hiemem* de Chriſtianis perſequendis actum. Lactantius enim poſtquam cap. 10. de militum perſecutione, quam anno CCXCVIII inchoatam eſſe diximus, egit: *Deinde*, inquit, *interjecto aliquanto tempore in Bithyniam venit hiematum:* (nempe Diocletianus) *eodemque tum Maximianus quoque Cæſar inflammatus ſcelere advenit, ut ad perſequendos Chriſtianos inſtigaret ſenem vanum, qui jam principium fecerat. Cujus furoris hanc cauſam fuiſſe cognovi. Erat mater ejus Deorum montium cultrix, mulier admodum ſuperſtitioſa. Quæ cùm eſſet, dapibus ſacrificabat penè quotidie, ac vicariis ſuis epulis exhibebat. Chriſtiani abſtinebant; & illa cum gentibus epulante, jejuniis hi & orationibus inſiſtebant. Hinc concepit odium adverſus eos, ac filium ſuum non minùs ſuperſtitioſum querelis muliebribus ad tollendos homines incitavit. Ergo habito inter ſe per totam hiemem conſilio, cùm nemo admitteretur, & omnes de ſummo ſtatu Reipublicæ tractari arbitrarentur, diu ſenex furori ejus repugnavit, oſtendens quàm perniciosum eſſet inquietari Orbem terræ, fundi ſanguinem multorum. Illos libenter mori ſolere: ſatis eſſe ſi Palatinos tantùm ac milites ab ea Religione prohiberet. Nec tamen deflectere potuit præcipitis hominis inſaniam. Placuit ergo amicorum ſententiam experiri. Nam erat hujus malitiæ. Cùm bonum quid facere decreviſſet, ſine conſilio faciebat, ut ipſe laudaretur. Cùm autem malum, quoniam id reprehendendum ſciebat, in conſilium multos advocabat, ut aliorum culpæ adſcriberetur quicquid ipſe deliquerat. Admiſſi ergò Judices pauci & pauci Militares, ut dignitate antecedebant, interrogabantur. Quidam proprio adverſus Chriſtianos odio inimicos Deorum & hoſtes Religionum publicarum tollendos eſſe cenſuerunt, & qui aliter ſentiebant, intellecta hominis voluntate, vel timentes, vel gratificari volentes in eandem ſententiam congruerunt. Nec ſic quidem flexus eſt Imperator, ut accommodaret aſſenſum: ſed Deos potiſſimùm conſulere ſtatuit, miſitque Aruſpicem ad Apollinem Mileſium:* (hanc hiſtoriam narrat Euſebius in lib. 2. de Vita Conſtantini cap. 1.) *reſpondit ille ut divinæ Religionis inimicus. Traductus eſt itaque à propoſito. Et quoniam nec amicis, nec Cæſari, nec Apollini poterat reluctari, hanc moderationem tenere conatus eſt, ut eam rem ſine ſanguine tranſigi juberet, cùm Cæſar vivos cremari vellet, qui ſacrificio repugnaſſent.* Quæ ſub finem præſentis anni, non verò præcedenti, ut exiſtimavit Baronius, decreta. Perſecutio itaque adverſus milites anno CCXCVIII inchoata: *Deinde interjecto aliquanto tempore*, annis nempe quatuor, Diocletianus *in Bithyniam venit hiematum*, in urbem nempe Nicomedienſem, quæ ſedes Regia erat, quò ſub hujus anni finem ſe contulit, & ubi perſecutio univerſalis adverſus Chriſtianos deſtinata fuit.

Baron. num. 1 & ſeqq.

Baronius Euſebium reprehendit, quòd perſecutionis cauſam in Chriſtianos jam turpiter moribus depravatos, & in Epiſcoporum diſcordias rejecerit. Verùm cùm ſchiſma Meletianum, quod Baronius in annum trecenteſimum ſextum differt, anno trecenteſimo vel trecenteſimo primo, ut infrà oſtendam, contigerit, Euſebius hac in re omni culpa vacat. Hæc Euſebii verba: *Cùm ex nimia libertate in negligentiam ac deſidiam prolapſi eſſemus; cùm alter alteri invidere atque obtrectare cœpiſſet; cùm inter nos quaſi bella inteſtina gereremus, verbis tamquam armis quibuſdam haſtiſque nos mutuò vulnerantes; cùm Antiſtites adverſus Antiſtites, populi in populos colliſi, jurgia ac tumultus agitarent; denique cùm fraus & ſimulatio ad ſummum malitiæ culmen adoleviſſet: tum divina ultio levi brachio, ut ſolet, integro adhuc Eccleſiæ ſtatu, & Fidelium turbis liberè convenientibus, ſenſim ac moderatè in nos cœpit animadvertere; orſa primùm perſecutione ab iis, qui militabant.* (Hæc Euſebius de diſcordiis Antiſtitum nobis ignotis, quæ militum perſecutionem præceſſere: hæc verò de ſchiſmate Meletiano, quod aliquot annis poſt militum perſecutionem excitatum Euſebius inſinuat, ſcribit.) *Cùm verò ſenſu omni deſtituti de placando Dei numine ne cogitaremus quidem: quin potius inſtar impiorum quorumdam res humanas nulla ſolicitudine ac providentia gubernari rati, alia quotidie crimina aliis adjiceremus, cùm Paſtores noſtri ſpretâ Religionis regulâ, mutuis inter ſe contentio-*

IV. *Cauſa perſecutionis vitia Chriſtianorum, & Antiſtitum diſcordia.*

Baron. num. VI & VII.

nibus decertarent, nihil aliud quàm jurgia, minas, æmulationem, odia ac mutuas inimicitias amplificare ſtudentes; Principatum quaſi tyrannidem quandam contentiſſimè ſibi vindicantes: tunc demum juxta dictum Hieremiæ, obſcuravit Dominus in ira ſua filiam Sion, & dejecit de cælo gloriam Iſrael; &c. Valeſius in Notis Euſebianis ad hæc verba, *Principatum quaſi tyrannidem quandam contentiſſimè ſibi vindicantes*, ait: *Dum ſcilicet Epiſcopi inter ſe certant de honoris prærogativa aut de finibus Parœciarum ſuarum*, quia ſcilicet is non magis ad præfatum ſchiſma, quàm Baronius, animum adverterat; quod tamen jam in Ægypto graſſatum eſſe infrà demonſtrabimus. Ex citatis etiam Euſebii verbis liquet, deceptos eſſe Viros doctiſſimos, qui autumarunt, Lactantium citatum indicare, militum perſecutionem præſenti anno cœptam, ſequentique adverſus omnes Chriſtianos decretam fuiſſe. Nam in hac Hiſtoria explicanda Euſebius & Lactantius inter ſe conferendi, alterque ex altero explicandus; in pauciſſimis quippe diſſentiunt. Cùm itaque Euſebius in Chronico militum perſecutionem cum anno Chriſti CC XCVIII diſertè conjungat, & loco Hiſtoriæ mox recitato indicet etiam, inter initium perſecutionis adverſus milites, & perſecutionis univerſalis aliquot annos fluxiſſe, non dubium, quin hæc Lactantii de Diocletiano verba, *deinde* (poſt decretam nempe militum perſecutionem) *interjecto aliquanto tempore in Bithyniam venit*, de intervallo aliquot annorum, non verò de intervallo aliquot menſium interpretanda ſint.

V.
Quibus anno, menſe ac die perſecutio decreta.
Baron. num. XVI.

Ad num. III & IV. Certum hujus perſecutionis non tantùm annum, ſed menſem ac diem, Lactantius libro citato, poſt longam tot ſeculorum ignorationem nos docuit cap. 12. & 13. *Inquiritur peragenda rei dies aptus & felix, ac potiſſimùm Terminalia deliguntur, quæ ſunt ad ſeptimum Kalendas Martias, ut quaſi terminus imponeretur huic Religioni.* (Cœpit itaque perſecutio die XXIII Februarii, ut patet etiam ex cap. 48. ejuſdem libri) *Ille dies primus leti primuſque malorum cauſa fuit, quæ & ipſis & Orbi terrarum acciderunt. Qui dies cùm illuxiſſet, agentibus Conſulatum ſenibus ambobus octavum & ſeptimum*, (anno ſcilicet ſequenti, quo Diocletianus VIII, & Maximianus VII Conſules proceſſere, quóve ideo perſecutio certò cœpit) *repentè adhuc dubia luce ad Eccleſiam profectus cum Ducibus & Rationalibus venit; & revulſis foribus ſimulacbrum Dei quæritur. Scripturæ repertæ incenduntur, datur omnibus præda. Rapitur, trepidatur, diſcurritur. Ipſi verò in ſpeculis (in alto enim conſtituta Eccleſia ex palatio videbatur) diu inter ſe concertabant, utrum ignem potiùs ſupponi oporteret. Vicit ſententia Diocletianus, cavens ne magno incendio facto pars aliqua civitatis arderet. Nam multæ ac magnæ domus ab omni parte cingebant. Veniebant igitur Prætoriani acie ſtructa cum ſecuribus & aliis ferramentis; & immiſſi undique, tamen illud editiſſimum paucis horis ſolo adæquarunt. Poſtridie* (die videlicet XXIV Februarii) *propoſitum eſt edictum, quo cavebatur, ut Religionis illius homines carerent omni honore ac dignitate, tormentis ſubjecti eſſent, quocumque ordine aut gradu venirent, adverſus eos omnes actio valeret, ipſi non de injuria, non de adulterio, non de rebus ablatis agere poſſent; libertatem denique ac vocem non haberent. Quod edictum quidam, etſi non rectè, magno tamen animo diripuit & conſcidit, cùm irridens diceret victorias Gothorum & Sarmatarum propoſitas, ſtatimtimque productus, non modò extortus, ſed etiam legitimè coctus, cum admirabili patientia poſtremò exuſtus eſt.* Hæc Lactantius. Euſebius tamen lib. 8. cap. 2. ſcribit, propoſitum fuiſſe edictum menſe Martio, appetente die feſto Dominicæ Paſſionis. Auctor verò Chronici Alexandrini die XXV Martii ipſo die Paſchæ. Verùm hæc ſic conciliat Baluzius V. C. ut primò edictum illud propoſitum fuerit *Nicomediæ*, ubi agebat Lactantius, velut in civitate Regia, die XXIV Februarii, deinde miſſum ad ceteras Imperii civitates, menſe quidem Martio propoſitum in eo loco, ubi tum Euſebius habitabat, & in Palæſtina menſe Aprili, *Alexandriæ* vel alibi, ipſo die Paſchæ. Quam conjecturam certam eſſe mox oſtendo.

VI.
Incendium Chriſtianis malitioſè imputatum.
Baron. num. XXX.

Pergit Lactantius cap. 14. *Sed Cæſar* (Galerius nempe Maximianus) *non contentus eſt edicti legibus. Aliter Diocletianum aggredi parat. Nam, ut illum ad propoſitum crudeliſſimæ perſecutionis impelleret, occultis miniſtris palatio ſubjecit incendium.* (Euſebius lib. 8. cap. 6. neſcire ſe fatetur, quo caſu excitatum fuerit; Conſtantinus verò in Oratione ad Sanctorum cœtum cap. 25. ait, palatium fulmine ictum conflagraſſe) *Et cùm pars quædam conflagraſſet, Chriſtiani arguebantur velut hoſtes publici, & cum ingenti invidia ſimul cum palatio Chriſtianorum nomen ardebat: illos conſilio cum eunuchis habito de extinguendis Principibus cogitaſſe, duos Imperatores domi ſuæ penè vivos eſſe combuſtos. Diocletianus verò, qui ſemper ſe volebat videri aſtutum & intelligentem, nihil potuit ſuſpicari: ſed irâ inflammatus, excarnificari omnes ſuos protinus præcepit. Sedebat ipſe, atque innocentes igne torrebat. Item Judices univerſi, omnes denique qui erant in palatio Magiſtri, data poteſtate torquebant. Erant certantes quis prior aliquid inveniret. Nihil uſquam reperiebatur; quippe cùm familiam Cæſaris nemo torqueret. Aderat ipſe & inſtabat, nec patiebatur iram inconſiderati ſenis deflagrare. Sed quindecim diebus interjectis aliud rurſus incendium molitus eſt. Sed celeriùs animadverſum, nec tamen auctor apparuit. Tunc Cæſar medio hiemis profectione parata prorupit, eodem die conteſtans fugere ſe, ne vivus arderet.* Hæc cap. 14. Tum cap. 15.

VII.
Diocletianus & Galerius domui Regiæ non parcunt.

Furebat ergo Imperator jam non in domeſticos tantùm, ſed in omnes, & primam omnium filiam Valeriam, conjugemque Priſcam ſacrificio pollui coëgit. Potentiſſimi quondam eunuchi necati, per quos Palatium & ipſe antè conſtabat. Comprehenſi Presbyteri ac Miniſtri, & ſine ulla probatione ad confeſſionem damnati, cum omnibus ſuis deducebantur. Omnis ſexûs & ætatis homines ad exuſtionem rapti. Nec ſinguli, quoniam tan-

ta erat multitudo, & gregatim circumdato igni ambiebantur domeſtici, alligatu ad collum molaribus mari mergebantur. Nec minùs in ceterum populum perſecutio violenter incubuit. Nam Judices per omnia templa diſperſi univerſos ad ſacrificia cogebant. Pleni carceres erant. Tormentorum genera inaudita excogitabant; & ne cui temere jus diceretur, aræ in ſecretariis ac pro tribunali poſita, ut litigatores priùs ſacrificarent, atque ita cauſas ſuas dicerent: ſic ergo ad Judices tanquam ad Deos adiretur. Et jam literæ ad Maximianum atque Conſtantium commeaverant, ut eadem facerent. (Verum itaque eſt quod ſuprà diximus, edictum ſcilicet priùs in civitate Regia, quàm in aliis Imperii urbibus, imò priùs in Oriente, quàm in Occidente propoſitum fuiſſe) *Eorum ſententia in tantis rebus expectata non erat. Et quidem ſenex Maximianus libens paruit per Italiam, homo non adeo clemens. Nam Conſtantius, ne diſſentire à majoribus preceptis videretur, conventicula, id eſt, parietes, qui reſtitui poterant, dirui paſſus eſt, verum autem Dei templum, quod eſt in hominibus, incolume ſervavit.* Tum cap. 16. *Vexabatur ergo univerſa terra, & præter Gallias, ab Oriente uſque ad Occaſum tres acerbiſſimæ beſtiæ ſæviebant. Non mihi ſi linguæ centum, oraque centum, ferrea vox, omnes ſcelerum comprendere formas, omnia pœnarum percurrere nomina poſſem, quæ Judices per Provincias juſtis atque innocentibus intulerunt. Verùm quid opus eſt illa narrare, præcipuè tibi, Donate chariſſime, qui præter ceteros tempeſtatem turbidæ perſecutionis expertus es? Nam cùm incidiſſes in Flaccinum Præfectum, non puſillum homicidam, deinde in Hieronem ex Vicario Præſidem, qui auctor & conſiliarius ad faciendam perſecutionem fuit, poſtremò in Priſcillianum ſucceſſorem ejus, documentum omnibus invictæ fortitudinis præbuiſti.* Ex prioribus Lactantii verbis diſcimus, tam uxorem Diocletiani *Priſcam*, cujus etiam nomen ignorabamus, quàm *Valeriam* ejus filiam & Galerii Maximiani conjugem Chriſtianas fuiſſe.

VIII. *Locus Euſebii notatu dignus, à Valeſio non intellectus.*

Baron. n. 11.

Id quidem Euſebius lib. 8. cap. 1. indicarat, ſed verbis obſcurioribus, & ab ejus Interpretibus plerumque non intellectis. Hæc ejus verba: Τί δεῖ περὶ τῶν κατὰ τοὺς βασιλικοὺς λέγειν οἴκους, καὶ τῶν ἐπὶ πᾶσιν ἀρχόντων; οἳ τοῖς οἰκείοις εἰς πρόσωπον ἐπὶ τῷ θείῳ παρρησιαζομένοις λόγῳ τε καὶ βίῳ, συνεχώρουν γαμεταῖς καὶ παισὶ καὶ οἰκέταις, μονονουχὶ καὶ ἐγκαυχᾶσθαι ἐπὶ τῇ παρρησίᾳ τῆς πίστεως ἐπιτρέποντες. Quæ verba ſic Valeſius vertit: *Quid opus eſt dicere de iis, qui in Imperatorum palatiis verſabantur, quid de Imperatoribus ipſis? Qui domeſticis ſuis eorumque uxoribus, liberis ac ſervis, ea quæ Religionis ſuæ erant, tam verbis, quàm factis liberè exequendi coram ſemetipſis, poteſtatem dederunt; ipſis ob hanc Fidei ſuæ libertatem gloriari ac ſe oſtentare quodammodo permittentes.* In Notis verò ait: *Hæc verba de Imperatorum conjugibus intellexit Chriſtophorſonus, quibus ſcilicet Imperatores permiſerint, Chriſtianam Fidem liberè profiteri. Sed quæ ſequuntur, ſenſum hunc aperte refutant.* Verumenimvero, locum illum Chriſtophorſonus meliùs quàm Valeſius intellexit, quando eum ſic vertit: *Quid de his attinet dicere, qui ſunt in Imperatorum palatio magnam dignitatem adepti; déque ipſis Imperatoribus, qui domeſticis ſuis pro ſermone divino propagando, & pia vita ratione degenda, ipſi velut inſpectantes, copiam fecerunt liberè & ingenuè dicendi: atque adeo ſuis ipſorum uxoribus, liberis & ſervis, quaſi palam de mira Fidei libertate gloriandi exultandique poteſtatem permiſerunt?* Is itaque locus ſic verbo ad verbum reddendus: *Quid attinet de iis dicere, qui ſunt in Imperatoriis domibus, & de iis, qui omnibus imperant: qui domeſticis coram ſe in iis, quæ ad numen ſpectant, ſermone & vita inſtituto liberè agentibus indulgebant, uxoribus ſuis ac liberis & famulis tantumnon quoque gloriari de libertate Fidei permittentes?* Cui explicationi, cùm Vir clariſſimus Toinardus in Euſebii Lactantiique lectione exercitatiſſimus calculum album adjecerit, ea explorata atque omnino certa haberi debet. Eam etiam Rufinus amplectitur. Euſebius lib. 8. cap. 6. confirmat quod ſcribit Lactantius, Diocletianum nempe in domeſticos ſæviiſſe, & inſuper perſecutionem in Gallia, quam Conſtantius regebat, locum non habuiſſe, qua de re fusè anno ſequenti. Denique is Lactantii locus confirmat conjecturam Baronii, inquit Baluzius Vir eruditiſſimus in Notis ad Lactantium, qui ſequentia Lactantii verba lib. 5. de Inſtitut. cap. 2. de Hierocle intelligenda exiſtimavit: *Alius eandem materiam mordaciùs ſcripſit, qui erat tum è numero Judicum, & qui auctor inprimis faciendæ perſecutionis fuit.* Bithyniæ Præſidatum geſſit *Hierocles*, antequam Præfecturam Ægypti, quâ eum ornatum fuiſſe docet Valeſius in Annotationibus ad Euſebium in libro de Martyribus Palæſtinæ cap. 5.

IX. *Porphyrius Judæus non fuit.*

Baron. num. XLV & ſeqq.

Ad num. VI & VII. Ex duobus Ethnicis, quos Lactantius citatus adverſus Chriſtianos ſcripſiſſe prodit, de *Hierocle* numero præcedenti egimus; reſtat, ut de *Porphyrio* aliquid dicamus. Holſtenius in libello de Vita & Scriptis Porphyrii cap. 5. oſtendit, Baronium deceptum, quando Hieronymi auctoritate innixus ſcripſit, Porphyrium Judæum fuiſſe: *Quod nequaquam intelligens Bataneotes & ſceleratus ille Porphyrius in primo Operis ſui adverſus nos libro, Petrum à Paulo objecit eſſe reprehenſum*, &c. Batanæa autem Judææ civitas eſt: ſed quòd eum patriæ generiſque tæderet, falsò mentitum fuiſſe Phœnicium, quo olim & nunc vulgò creditur. Verumenimvero, ſi *Porphyrius* falsò ſe Tyrium appellaſſet, id ſtatim innotuiſſet, cùm ex maxima Phœniciæ civitate plurimi & Alexandriam & Romam quotidie commigrarent, quorum indicio fraus facilè detecta eſſet; eóque magis quòd ipſemet patrem Tyrium nominet, & Eunapius eum non ignobili genere apud ſuos ortum teſtetur. Et quomodo id latere potuit Longinum, Iamblichum, alioſque Syros, qui cum eo verſabantur? Ipſe Longinus Epiſtolam Plotini Vitæ inſeruit ex Phœnicia ad ſe ſcriptam, quò ex Sicilia evocatur, ubi Longinus Tyri patriæ ejus meminit. Et cùm Libanius Sophiſta Syrus oratione funebri in Julianum Imp. Porphyrium *Tyrium ſenem* honoris causâ ap-

pellaſſet, Socrates, qui lib. 3. cap. 25. ea Sophiſtæ verba conquiſitis rationibus verbiſque operosè confutat, de patria tamen nullam ei litem intendit. Ceterùm, certum eſt, *Porphyrium* univerſam ſacram Scripturam legiſſe, ea mente ut falſam oſtenderet divinorum oraculorum fidem, quod Euſebius in libris de Præparatione Evangelica, & Theodoretus ſerm. 7. teſtantur. Sed inde nullo modo ſequitur, eum fuiſſe Judæum. Locus tamen laudatus Hieronymi facilem explicationem non habet. Tres affert Holſtenius, quarum nulla mihi ſatis probata. Exiſtimo, Porphyrium gravi alicui vitio deditum fuiſſe, quod ei Hieronymus exprobrans, illum Batanæotem ſcommate vocat, quia nempe illius urbis cives eo infectos eſſe famâ paſſim jactatum erat.. Hinc & Chryſoſtomus Homil. 6. in Epiſt. ad Corinth. *Sufficientes teſtes ſunt ad probandam librorum vetuſtatem, qui contra nos invecti ſunt, Celſus ſc. & poſt illum Bataneotes.*

X. *Porphyrius in Chriſtianos non ſcripſit Diocletiano Eccleſiam perſequente.* Lactantius à Baronio citatus ait, duos extitiſſe, qui dum Dei templum everteretur, adverſus Chriſtianos ſcripſerint, Philoſophum alterum, & alterum Judicem. Et hunc quidem ultimum *Hieroclem* fuiſſe rectè judicavit Baronius. Sed in eo quòd putat, Philoſophum illum alium non fuiſſe quàm *Porphyrium*, eum hallucinari demonſtrat Holſtenius citatus cap. 3. Porphyrius in Sicilia cùm

Baron. num. 11 & ſeqq. alios libros plurimos, tum ſceleratos illos contra Chriſtianam Religionem ſcripſit, ut teſtatur Euſebius lib. 6. cap. 19. & poſt ipſum Hieronymus in Catalogo illuſtrium Scriptorum, ubi & Euſebii Opera recenſet. Id certè non obſcurè colligi poteſt, vixiſſe eum aliquot annos in Sicilia, & quidem famâ maximâ. Nam & Longinus poſt Plotini obitum, inde illum in patriam evocat, & Plotini libros ad ſe mitti petit: tum Divus Auguſtinus Retractat. lib. II. cap. 31. ob longiorem in inſula commorationem, alium ab hoc noſtro Philoſopho credit fuiſſe Porphyrium *Siculum illum*, ut ait, cujus *celeberrima eſt fama.* Qua in re ſimilis ferè error eſt, vel Nicephori Calliſti, vel ejus Interpretis, lib. 1. cap. 13. ubi Euſebii citati locus tranſcribitur: nam cùm Euſebius dicat: τί δεῖ ταῦτα λέγειν ὅτε καὶ ὁ καθ' ἡμᾶς ἐν Σικελίᾳ καταστὰς Πορφύριος, &c. id eſt, *Sed quid de iis dico, quando & ipſe Porphyrius, qui noſtrà propemodum memoriâ in Sicilia degens, contra Fidem noſtram libros conſcripſit?* pro eo apud Nicephorum, *Porphyrius Siculus* nunc legitur: ὁ ἐν Σικελίᾳ Πορφύριος. Unde videre eſt, illum in Siculo receſſu magnum ſibi & illuſtre nomen paraſſe; quod unius alteriúſve anni ſpatio vix fieri potuit. Ad iſtum ſeceſſum reſpiciebat Hieronymus in Præfatione Commentariorum in Ezechielem, quando dicebat: *Verùm, quia & tu indeſinenter hoc flagitas, & magno vulneri cicatrix paulatim obducitur: ſcorpiuſque inter Enceladum & Porphyrium Trinacriæ humo premitur*, &c. ubi *ſcorpii* nomine Rufinum intelligit, qui captâ Româ in Siciliam ſe receperat, ut ſuo loco dicam. Præterea Lactantius Philoſophum illum libros tres adverſus Religionem Chriſtianam ſcripſiſſe prodit; Porphyrius verò libros quindecim edidit, Hieronymo & Suida teſtibus; neque temporum vitæque ratio Baronii conjecturæ favet. Non enim ætas, nec vitæ Pythagoricæ inſtitutum cum aliis convenire videntur, quæ Lactantius de Aſiatico illo Philoſopho tradidit. Nam cùm initium perſecutionis Diocletiani & Eccleſiarum demolitio, cujus ibidem Lactantius meminit, in annum CCCIII incidant, & ſexageſimum ætatis Porphyrii, aliorum ego judicium facio, inquit Holſtenius laudatus, an ea, quæ de libidinibus, de luxuria, de aſſentatione, & paraſitiſmo aulico Aſiatici illius Philoſophi Lactantius refert, ſeni decrepito conveniant; ei præſertim qui ſiccum & ſobrium Pythagoricæ vitæ inſtitutum ſemper fuerat ſectatus, quod diligentiſſimè ſervatum libri περὶ ἀποχῆς ad Firmium Patricium ſcripti aliunde probant. Neque enim amico optimo, intimo & fraternæ neceſſitudinis vinculo ſibi conjuncto eam vitæ & philoſophandi rationem tam operoſo volumine ſuaſurum fuiſſe exiſtimandum, ſi ipſe eam neglexiſſet.

XI. *Antiqui non dicunt, Porphyrium hoc tempore ſcripſiſſe.* Nec quiſquam Veterum, hujuſmodi quid *Porphyrio* objicit; quem rabidum, furioſum, impium, blaſphemum, veritatis & Dei hoſtem Euſebius, Hieronymus, Auguſtinus, aliique perpetuò cognominant: qui nullam ejus exagitandi materiam anſamque prætermiſerunt. Inſuper Methodius Patarenſis, Epiſcopus Tyri, qui *nitidi compoſitique ſermonis adverſus Porphyrium confecit libros*, (ut verbis Hieronymi lib. de Script. Eccleſiaſt. in Methodio, utar) *ad extremum noviſſimæ perſecutionis (ſive, ut alii affirmant, ſub Decio & Valeriano) in Chalcide Græciæ martyrio coronatus eſt.* Verùm, ut poſterior illa opinio de conſummatione martyrii ſub Decio, manifeſtè falſitatis convinci poteſt, ex eo quòd, Decio imperante, Porphyrius, quem Methodius refutavit, viceſimum ætatis annum attigiſſet, & poſt XVI annos integros in Siciliam profectus fuerit: ita poſterior illa ab Hieronymo memorata apertè oſtendit, ante prædictum annum XIX Diocletiani, & Porphyrium ſuas blaſphemias ediſſe, & Methodium iiſdem reſpondiſſe; cùm Lactantius Chriſtianos *temporis gratiâ* conticuiſſe disertè affirmet, quod nemo illum dicturum fuiſſe exiſtimaverit, ſi Methodius tum ſolus communem Eccleſiæ cauſam defendendam ſuſcepiſſet: nec reticuiſſent Euſebius atque Hieronymus diligentiſſimi harum rerum obſervatores.

XII. *Quid de Porphyrio S. Auguſtinus ſcripſerit.* Denique Auguſtinus, cùm lib. 10. Civit. Dei cap. 32. *Porphyrium* eo tempore vixiſſe dixiſſet, quo *Diocletianus* Eccleſiam Chriſti perſequebatur, nec tot Martyrum conſtantiâ ad veritatis viam agnoſcendam permotum doleret, id tam opportuno loco non omiſiſſet, Porphyrium eo ipſo tempore furentem Imperatoris animum impiis ſuis libris adverſus innocentes Chriſtianos vehementiùs concitaſſe, & veritati armis oppreſſæ importunâ inſultaſſe proterviâ; quo nomine Lactantius Aſiaticum illum Philoſophum maximè accuſat. Auguſtinus, cùm ſub principium capitis ſcripſiſſet, Porphyrium in libris *de Regreſſu animæ* dixiſſe, *nondum receptam unam quandam ſectam, quæ univerſalem viam animæ contineat liberandæ*, ſubjungit deinde: *Quænam iſta eſt univerſalis via, niſi quæ non ſua*

cuique genti propria, ſed univerſis gentibus, quæ communis eſſet, divinitus impertita eſt? Quàm certè iſte homo non mediocri ingenio præditus eſſe non dubitat. Providentiam quippe divinam ſine iſta univerſali via liberandæ animæ genus humanum relinquere potuiſſe non credit. Neque enim ait non eſſe, ſed hoc tantum bonum, tantumque adjutorium nondum receptum, nondum in notitiam ſuam eſſe perlatum. Nec mirum: tunc enim Porphyrius erat in rebus humanis; quando iſta animæ univerſalis via, quæ non eſt alia, quàm Religio Chriſtiana, oppugnari permittebatur, ab idolorum dæmonumque cultoribus Regibuſque terrenis, propter aſſerendum & conſecrandum Martyrum numerum; hoc eſt, teſtium veritatis, per quos oſtenderetur, omnia corporalia mala pro fide pietatis & commendatione veritatis eſſe toleranda. Videbat ergo iſta Porphyrius, & per hujuſmodi perſecutiones citò iſtam viam perituram, & proptereà non eſſe ipſam liberandæ animæ univerſalem putabat, non intelligens hoc quod eum movebat, & quod in ejus electione perpeti metuebat, ad cujus confirmationem robuſtioremque commendationem potiùs pertinere. Ita Auguſtinus. Quo ex loco certò colligitur, inquit Holſtenius citatus, vel Porphyrium poſtremæ illius perſecutionis tempore non ſcripſiſſe, vel ſupinam Divi Auguſtini fuiſſe ignorantiam aut oblivionem, qui tali loco rem tantam præteriret.

XIII. *Varia de Porphyrio.*

Baron. num. LIV.

Holſtenius obſervat etiam, deceptum eſſe Baronium, quando ait, *Porphyrium* ſcribere, ſe decem & octo annos Romæ Plotinum audiſſe. Quod enim Porphyrius Amelio, Baronius Porphyrio per inadvertentiam attribuit. Hæc Porphyrii in Vita Plotini verba: *Decimo Gallieni Imp. anno ego Porphyrius è Græcia unà cum Antonio Rhodio Romam veniens, Amelium reperi XVIII jam annos familiariter Plotino uſum. Plotinus autem decimo Gallieni Imp. anno quinquageſimum ætatis annum agebat, ego verò Porphyrius, cùm primùm huic adhæſi, triginta tunc annos impleveram.* Ad hæc, Holſtenius cap. 4. ait, Baronium contra Eunapii & Suidæ fidem, Porphyrii vitam uſque ad XXIII annum Conſtantini produxiſſe, perperamque Porphyrium Phyloſophum cum *Optatiano Porphyrio* Poëta Chriſtiano confudiſſe, qui error à Spondano jam correctus. Notat denique Holſtenius, in eo etiam hallucinatum Baronium, quòd ex Gilda Britanno *Porphyrium* de Conſtantino contumelioſa locutum, atque ob eam cauſam exilio damnatum fuiſſe colligat; cùm potiùs contrarium ex Gildæ verbis evincatur: *Igitur*, inquit, *nunc omittens priſcos communeſque omnibus gentibus errores, nec enumerans patria portenta ipſa diabolica penè numero Ægyptiaca vincentia, & tacens vetuſtos immanium Tyrannorum annos, qui aliis longè poſitis regionibus vulgati ſunt: ita ut Porphyrius rabidus Orientalis adverſus Eccleſiam canis dementiæ ſuæ ac vanitatis ſtylo hoc etiam adnecteret: Britannia, inquit, fertilis Provincia Tyrannorum.* Quid, quæſo, hîc de Conſtantino aut ejus ævo, cùm diſertè de iis temporibus loquatur, quibus Britanni, nec Romani Imperii potentiam, nec Chriſtianæ Religionis veritatem agnoverant? Audiendus Hieronymus, à quo Gildas Porphyrii verba tranſcripſit. Is in libro ad Cteſiphontem ait: *Et ad extremum, quod ſolet nobis objicere contubernalis veſter Porphyrius, qua ratione clemens & miſericors Deus ab Adam uſque ad Moyſem, & à Moyſe uſque ad Chriſti adventum paſſus ſit univerſas gentes perire ignorantiâ legis & mandatorum Dei; neque enim Britannia fertilis Provincia Tyrannorum, & Scoticæ gentes, omneſque uſque ad Oceanum per circuitum barbaræ nationes Moyſem Prophetaſque cognoverant.* Ubi nihil de Conſtantino; ſed ea deſignantur tempora, quæ Chriſti adventum & Romani Imperii propagationem ad Britannos præceſſerunt. Nec de Porphyrii mente dubitare nos ſinit, quòd eadem quæſtio ex Porphyrii libris contra Chriſtianos deſumta Divo Auguſtino inter alia propoſita fuit, cui ille fusè reſpondet Epiſtolâ XLIX ſecundùm veterem ordinem ad *Deogratias*. Vide etiam quæ anno CCCXXV de Porphyrio dicam. Is itaque non eſt ille Philoſophus, quem Lactantius ait adverſus Chriſtianos ſcripſiſſe, quando Diocletianus Eccleſiam perſecutus eſt. Quiſnam autem ille fuerit, nondum liquet.

XIV. *Arnobius ſcribit adverſus Gentes.*

Baron. num. XVIII.

Ad num. IX. *Arnobius* lib. 2. teſtatur, ſe Opus adverſus Gentes ſcribere anno Urbis conditæ milleſimo quinquageſimò, ideoque ante præſentem annum. Si enim Varonianam putationem ſecutus eſt, libros ſuos ſeptem adverſus Gentes ſcripſit anno Chriſti CCXCVII. Sed quia Scriptores ſæpe putationem Capitolinam aut etiam Frontinianam uſurpant, & militum perſecutio ante annum CCXCVIII inchoata non eſt, ut ſuo loco diximus non dubito, quin libri illi eo anno, aut anno CCXCIX ſcripti fuerint, ideoque quin Auctor annos Urbis ſecundùm ſupputationem Capitolinam aut Frontinianam numeraverit. Et ratio eſt, quia, ut obſervavit Baronius, *Arnobius* in fine libri primi diſertè agit de perſecutione, quæ tunc exercebatur. Ea autem ante annum CCXCVIII adverſus milites non ſæviit, nec adverſus omnes Chriſtianos ante annum CCCIII. Hinc magis doctorum Virorum opinio evertitur, qui militum perſecutionem anno CCCII incepiſſe volunt, adverſus Arnobii tum viventis ac ſcribentis teſtimonium.

XV. *Eugenius in Syria Tyrannidem arripit.*

Baron. num. XXXIII.

Ad num. XI. Euſebius lib. 8. cap. 6. poſtquam locutus eſt de iis, quæ in ipſo perſecutionis exordio *Nicomediæ* geſta ſunt, ſubdit: *Ceterùm paulò pòſt cùm alii in Melitina Armeniæ regione, alii in Syria Imperium arripere conati eſſent: promulgatum eſt Imperatoris edictum, ut omnes ubique Eccleſiarum Antiſtites vincti in carcerem truderentur.* Valeſius in Notis ad eum Euſebii locum ait, ſe nihil legiſſe de Tyranno, qui in minori Armenia, ubi Melitina ſita, Imperium arripuit; ſed Tyranni qui in Syria inſurrexit, quique in ea brevì regnavit, nomen & hiſtoriam ex Libanii Orationibus primus omnium eruit. Erat quidam Tribunus Seleuciæ, nomine *Eugenius*, qui quingentis militibus præerat. His opus id injunctum erat, ut os portûs, aditumque excavarent. Milites, cùm diu noctuque laborarent, ægrè id ferentes, Præpoſitum ſuum ad Imperium capeſſendum

compellant, qui coactus, purpurâ ex ſimulacro Dei cujuſpiam abreptâ, Imperator ſalutatur. Mox Antiochiam militibus vacuam tendit, eamque circa occaſum Solis occupat. At milites ſolitâ per totum iter laſciviâ uſi, agros vaſtaverant, vinoque ac epulis ſeſe ingurgitaverant. Quo comperto *Antiochenſes*, paucitatem militum ebrietatemque deſpectui habentes, lapidibus ac cujuſque modi telis, ipſis mulieribus adjuvantibus, tam Tyrannum in palatium tendentes, quàm milites omnes interfecerunt: ita ut circa primam vigiliam nemo ex ipſis ſupereſſet. At Diocletianus, qui multam gratiam Antiochenſibus habere debuiſſet, in Antiochenſis & Seleucenſis ordinis principes gladio animadvertit; cùm nec hi, nec illi quicquam commeruiſſent. Ita Valeſius ex Libanio, tum in Oratione ad Theodoſium poſt reconciliationem pag. 411. tum in Antiochico pag. 365. tum in Oratione ad Theodoſium de ſeditione Antiochena pag. 399. Hæc occaſio novi adverſus Eccleſiarum Antiſtites edicti hoc anno publicati.

XVI. *Lapſus Marcellini P P. commentitius eſt.*

Baron. num. LXXXVIII & ſeqq.

XVI. Ad num. XII uſque num. XVII. Lapſus *Marcellini* Papæ commentitius eſt, quod & de Synodo *Sinueſſana*, in qua ſupponitur coram centum octoginta Epiſcopis pœnituiſſe, etiam dicendum. Harum ſuppoſitionum certa indicia Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum pag. 43. aliique Viri doctiſſimi exhibent. Cur enim Donatiſtæ, qui omnem verterunt lapidem in tot Conciliis & Collationibus, ut unum Cæcilianum traditionis arguerent; *Marcellini* Pontificis lapſum ac thurificationem ſæpius non prodiderunt ac probaverunt? Certè in celeberrima illa mandato Pontificis facta Collatione Carthagine Catholicos inter & Donatiſtas, cùm ſe ſeparatos jactitarent Hæretici ad convincendum traditionis *Melchiadem* Romanum Pontificem, & prolixa admodum Acta legi petiviſſent; nihil in eis, quo reus probaretur, penitus inventum eſt, ut refert Auguſtinus in Breviculo Collationis cap. 18. & libro poſt Collationem edito cap. 12. & 13. At ſi verè lapſus eſſet *Marcellinus*, ibi lapſum ejus objicere non omiſiſſent, ad creandum negotium *Melchiadi*, qui ejus Presbyter fuerat; ſicut ex perſona *Felicis* Aptungitani Cæciliano moverunt quæſtionem, quòd ab eo fuiſſet ordinatus, qui fuerat ſacrorum librorum traditor. In Actis illis *Marcellini* ſuppoſititiis dicitur, Marcellini condemnationem ad Diocletianum eſſe perlatam, cùm eſſet in bello Perſarum; quod apertè convincitur falſitatis; cùm biennio antequam ſe Imperio Diocletianus abdicaret, de Perſis profligatis Romæ triumphum cum Herculio Collega egerit. Præterea in Actis illis habetur, multitudinem Chriſtianorum ad templum idolorum perrexiſſe, ut de rumore, qui ſparſus erat contra *Marcellinum*, certiores fierent, & teſtimonium contra ipſum ferre poſſent, ſi eum viderent idolis ſacrificantem. Qua in narratione multa ſunt, quæ veri ſpeciem nullam habent. Primò, quòd tempore perſecutionis, quo Fidei Chriſtianæ profeſſores deliteſcebant, tot Chriſtiani catervatim prodierint in publicum. Secundò, quòd ad templum idolorum acceſſerint, ſacrificii aut thurificationis ſacrilegæ futuri teſtes, quibus ſacrificia & quoſvis impiæ ſuperſtitionis ritus ſpectare nullatenus licebat, ut conſtat ex Tertulliano paſſim in libro de Spectaculis, præſertim cap. 13. ubi poſtquam præmiſit, Chriſtianos abſtinere ab idolothytis ex horrore idololatriæ, hæc addit: *Si ergo gulam & ventrem ab inquinamentis devitemus, quantò magis auguſtiora noſtra, oculos & aures, ab idolothytis voluptatibus abſtinemus, quæ non inteſtinis tranſiguntur, ſed in ipſo ſpiritu & anima digeruntur, quorum munditia magis ad Deum pertinet, quàm inteſtinorum.* Quòd ſi ſpectacula Chriſtianis adire non licebat, *quia ex idololatria conſtabat univerſa eorum paratura*, ut ait Tertullianus; quantò magis ipſis erat illicitum ſacrificia ipſa falſis exhibita numinibus ſpectare?

XVII. *Alia ſuppoſitionis Actorum Marcellini indicia.*

XVII. Ad hæc, Acta illa referunt, LXX teſtes adductos fuiſſe in mediam Synodum, qui ſacrilegæ thurificationis Marcellinum convincerent, & nihilominus dixiſſe ipſi univerſam Synodum: *Tu eris judex: ex te enim damnaberis, & ex te juſtificaberis: tamen in noſtra præſentia.* Et poſt depoſitionem dicitur: *Ore ſuo condemnatus: nemo enim*, inquit aliquis ex fictitiis Patribus Synodi Sinueſſanæ, *unquam judicavit Pontificem, nec Præſul Sacerdotem ſuum, quoniam prima Sedes non judicatur à quoquam.* Quæ ſi verè dicta eſſent, quam ob cauſam tot prolata eſſent adverſus Marcellinum teſtimonia? quorum neceſſarii ad convictionem rei, qui judicari à nemine mortalium poteſt? Inſuper Pontificem Romanum illo ævo purpurâ fuiſſe indutum nemo ſibi facilè perſuadebit. Quod tamen ſupponunt Acta Sinueſſana, in quibus unus teſtium quærenti Marcellino, quo die ipſum thurificantem vidiſſet, reſpondiſſe fertur: Quo die exuiſti purpuram, & induiſti coccum, & gaudebat ſuper te Diocletianus; & quos paulò antè negabas, eis ante ejus tribunal thurificabas. Alia etiam in iiſdem Actis narrantur cum circumſtantiis & formulis ita peregrinis, ut mirum ſit, ea in Compilationibus Conciliorum abſque debita cenſura tolerari.

XVIII. *Nicolaus P P. I, & Breviarium Romanum favent lapſui Marcellini.*

XVIII. Neque objicias auctoritatem *Nicolai* Papæ I ad Michaëlem Imperatorem ſcribentis, & Breviarii Romani eadem, quæ ille de lapſu *Marcellini* ac reſponſo Synodi, referentis. Nam quoad *Breviarium*, non cenſeri debent exploratæ & inconcuſſæ auctoritatis quæcumque eidem ſunt inſerta: quod illius tot locis antea factæ correctiones evidenter probant. Et quoad *Nicolaum*, is bona fide allegavit, quæ ſuo tempore referebantur ut certò vera, quæ tamen nunc ab Eruditis ut certò falſa repudiantur. Qua in re nihil commiſit quod Pontificiæ dignitati probro verti poſſit: alioquin tantò juſtiùs eidem objiceretur *Marcellini* thurificatio, quantò gravius foret, Pontificem aliquem thus obtuliſſe cum idololatris, quàm in alicujus rei narratione erraviſſe cum vulgo hominum ceterorum etiam optimorum: præterquam quòd in recipiendis Sinueſſani Concilii ſuppoſititii Actis decipi potuit Nicolaus. Nam in eadem Epiſtola ad Michaëlem paulò antè allegat etiam Acta cujuſdam pſeudo-Concilii Romani ſub Sixto III in cauſa Polychronii Hieroſolymitani Epiſcopi, quem nullum unquam in rerum

natura fuiſſe ad annum cccc xxxiii agnoſcit demonſtratque Baronius. Ille tamen poſt ſuam reſtitutionem ſediſſe dicitur adhuc *annos ſeptem & menſis ſex*: auditus autem in judicio fuiſſe Valentiniano VII & Avieno Coſſ. id eſt, anno x poſt Sixti obitum. Hæc aliaque cùm expendiſſet Baronius, & quaſi objeciſſet ſibi, *Acta ea ut legitima citata à Nicolao Romano Pontifice, & à Petro Damiani, atque ab aliis poſtea recentioribus de illis minimè dubitantibus*, tandem concludit: *Libenter equidem audirem, ſi quis eſſet* (quod idem de Sinueſſanis Actis dicendum) *qui eadem Acta veritati in omnibus redderet conſentanea, vel ſaltem aliqua ex parte veriſimilia. Licèt enim in his plurimum laboris inſumſerim, nihil præterea ſum conſecutus, niſi ut impoſſibile eſſe repererim, ad veritatis lineam eadem revocari aliquo modo poſſe.*

XIX. *Acta Sinueſſana fruſtra defenſa.* Aſt, inquies, idem Baronius, qui & ipſe *Sinueſſana* Acta in priori ſua editione Romana habuerat de ſuppoſitione ſuſpecta, in ſecunda Antuerpienſi conatus eſt ſuſpicionem detergere, eaque veriſimilia facere: quod in cauſa *Polychronii* non fecit. Fateor, ſed eatenus tantùm id conatus eſt, (ut apparet ex Appendice ad annum ccc ii poſt x Tomum) quatenus utcumque ſatisfaciat vehementiſſimis Virorum doctiſſimorum querelis *de Martyrologio atque Breviario Romano, quòd iſta in Eccleſia recitanda contineant*; ſuadeatque, *Eccleſiam Romanam, quæ ante octingentos annos ita publicè lecta reperit, quamvis ſibi valde moleſta, haud adeo vanè leviterque iſta hactenus legenda reliquiſſe.* Atque in hoc libenter Baronio ſubſcribimus, quæ tamen hactenus abolita non ſunt, aliquando abolenda non diffitemus, cùm ſcilicet inter omnes convenerit de eorum falſitate. Dicimus autem, Baronium non niſi paucas ex multis objectionibus ſolvendas ſuſcepiſſe, idque languidè ſatis & parum efficaciter per diſſimillima valde exempla. Quod autem ait de tempore octingentorum annorum, quibus *ita lecta* in Eccleſia fuerint, id neque certo aliquo documento probat; nec, ut probaret, ſufficere poſſet fidei indubitatæ Actis Sinueſſanis aſſerendæ: cùm ſimiliter aut etiam diutius tolerata in Actis S. Silveſtri, aliorumque nonnullorum nunc ſine ſcrùpulo examinentur, & fide indigna judicentur. Utrum autem Romana Eccleſia morem aſſumſerit legendi Sanctorum Acta ſub matutinum Officium ante annos plures quàm quadringentos aut quingentos, & quidem dubito vehementer; adeoque privati ſolùm uſûs, non publici, erant, ſi quæ antea extabant in Romanis Baſilicis Paſſionaiia vel Legendaria, inquit Papebrocius loco ſuprà citato, ex quo hæc mutuati ſumus.

Baron. anno 302. n. c iv.

XX. *Paſſio S. Felicis Epiſc. Africani.* Ad num. XIX. Acta S. *Felicis* Epiſcopi Tubyzacenſis in Africa primus edidit Surius, & ex eo Baronius, ſed valde mendoſa & mutila. Poſtea integriora in Tomo xii ſui Spicilegii dedit Dacherius, & cum quatuor antiquis & optimis Manuſcriptis contulit Baluzius, retulitque lib. 2. Miſcellaneorum. Horum autem initium eſt: *Diocletiano octies & Maximiano ſepties Conſulibus Auguſtis, exivit edictum eorundem Cæſarum vel Imperatorum*, &c. *Tum programma poſitum eſt in civitate Tubyzacenſe, die Nonarum Januariarum.* In annum ccc iii Conſulatus ille incidit; ſed cùm hæc acta ſint Carthagine & in Africa menſe Januario, referenda omnino ſunt ad annum ccc iv. Malè itaque apud Surium ſcriptum eſt: *Diocletiano novies & Maximiano octies Conſulibus.* In iiſdem Actis correctis legitur: *Decollatus eſt die octavo decimo Kalendas Februarii, ibique in Nola corpus ejus poſitum eſt.* Apud Surium habetur, *tertio Kalendas Septembris.* Et in vetuſtis Martyrologiis Paſſio S. Felicis refertur ad diem ix Kal. Novembris, quòd, ut conjicere licet, eo die aliqua ejus reliquiarum tranſlatio facta fuerit.

Baron. num. c xviii & ſeqq.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5796. ☉ 4 C. ☽ 19. P. 18. April. Indict. 6.
Jesu Christi 303. Olymp. 270. *ſecundum Baronium.*
Marcellini Papæ 8.
Persecutionis Diocletiani 1.
Diocletiani Imp. 20. Maximiani Herculii Imp. 18.

I. *Conſules.* Coss. *Diocletianus Aug. VIII, & Maximianus Herculius Aug. VII.*

II. *Vicennalia, & triumphus Diocletiani & Maximiani.* Sumtus ab utroque Conſulatus juxta ſecundam regulam; ille enim Auguſtei, hic Cæſarei Imperii Vicennalia Romæ celebrarunt. De Diocletiani Vicennalibus loquitur Lactantius lib. de Mortibus Perſecutorum cap. 17. ubi poſtquam narravit, quæ in perſecutione adverſus Chriſtianos hoc anno geſta ſunt, quæ nos anno ſuperiori recitavimus, ſubdit: *Hoc igitur ſcelere perpetrato, Diocletianus cùm jam felicitas ab eo receſſiſſet, perrexit ſtatim Romam*, (anno nempe currenti) *ut illic Vicennalium diem celebraret, qui erat futurus ad duodecimum Kalendas Decembres. Quibus ſolennibus celebratis, cùm libertatem populi Romani ferre non poterat, impatiens & æger animi prorupit ex Urbe, impendentibus Kalendis Januariis, quibus illi nonus Conſulatus deferebatur.* Acta ea ſolennia die natali Imperii Cæſarei Herculii, ut anno cc xcviii demonſtravi. Hoc pariter anno, eodemque circiter tempore uterque de Perſis aliiſque hoſtibus Romæ triumphavit, ut oſtendi anno ccc i, ubi & obſervavi, triumphum cum Decennalibus & id genus feſtis de more conjunctum fuiſſe. Horum autem Vicennalium indicium decima Eccleſiæ perſecutio, quam hoc anno decretam fuiſſe anno præcedenti certis argumentis probavi. Quare quæ ibi de ea dixi, huc transferenda.

III. *Concilium Cirtenſe.* Ad num. I & II. Concilium *Cirtenſe* Baronium & Petavium in 2. parte Rationarii Temporum induxit, ut crederent, perſecutionem Diocletianeam anno ſuperiori cœptam eſſe. Auguſtinus enim, inquiunt, in Breviculo Collationis poſt Paſſionem Martyrum illud Concilium congregatum eſſe affirmat: coactum eſt autem Diocletiano VIII & Maximiano VII Coſſ. uti docent ipſius Concilii Acta ab Auguſtino in lib. 3. contra Creſconium relata, anno ſcilicet ccc iii. At, ut rectè advertit Valeſius in Notis ad lib. 8. Euſebii cap. 2. mendum eſt in Actis illius Concilii, legendumque: *P. C. Diocletiani*

Baron. num. 1 & ſeqq.

IX

IX & Maximiani VIII, anno ſcilicet ccc v. Id enim apertiſſimè deducitur ex Breviculo Collationis die III cap. 17. ubi dicitur: *Nam geſta Martyrum, quibus oſtendebatur tempus perſecutionis, Coſſ. geſta ſunt Diocletiano IX & Maximiano VIII prid. Id. Februarias. Geſta autem Epiſcopalia decreti Cirtenſis, poſt eorundem Conſulatum III Non. Martias.* Neque hanc ſcripturam ſuſpicari quiſpiam de falſo poteſt. Addit enim ibidem Auguſtinus, Officiales juſſos à Judice inſpicere, quantum temporis intertuiſſet inter Paſſionem Martyrum & Concilium Cirtenſe, deceptos fuiſſe, ac per imprudentiam falſum renuntiaſſe. Nam cùm Geſta Martyrum inſcripta eſſent Diocletiano IX & Maximiano VIII, pridie Idus Feb. Acta verò Concilii Cirtenſis poſt Conſulatum Diocletiani novies & Maximiani octies, III Nonas Martias, Officiales poſt-Conſulatum pro Conſulatu ſumentes, menſem duntaxat inter utraque Geſta interpoſitum eſſe reſponderunt; cùm tamen XIII menſium ſpatium revera interpoſitum fuiſſet, ut rectiſſimè tradit Auguſtinus. Extant quidem ipſa Martyrum Geſta, quæ in Collatione illa deſignantur; verùm in iis nec dies, nec Conſul adſcriptus eſt, ut videre eſt apud Baronium. Aut igitur hunc locum ex Breviculo Collationis, ubi Geſta Martyrum Diocletiano IX & Maximiano VIII Coſſ. confecta memorantur, mendoſum eſſe neceſſe eſt, aut inſcriptionem Concilii Cirtenſis in libro 3. contra Creſconium. Atqui inſcriptio illa Geſtorum Martyrum falſa eſſe non poteſt, ut patet ex dictis. Celebratum igitur fuit anno ccc v, quo perſecutio ceſſavit, poſtquam Diocletianus & Maximianus Imperium depoſuerunt.

IV.
Concilium Cirtenſe anno CV celebratum.

Affert Valeſius laudatus aliud argumentum, quo convinci poteſt, *Cirtenſe* Concilium Conſulatu Diocletiani VIII hoc anno geſto collectum non fuiſſe. Cùm enim id Concilium coactum fuerit ad ordinandum Cirtenſis Eccleſiæ Epiſcopum, teſte Auguſtino, quæro quis Epiſcopus ab Epiſcopis illis ordinatus ſit? Non *Silvanus*. Hic enim hoc ipſo anno adhuc Subdiaconus erat Pauli Cirtenſis Epiſcopi, ut liquet ex Geſtis Munatii Felicis. *Paulum* igitur dicent cum Baronio, creatum ab illis Epiſcopum Cirtæ. Sed neque hoc ſtare poteſt. Etenim ſub Paulo orta eſt perſecutio, ut docent Acta apud Zenophilum Conſularem Numidiæ, quæ referuntur in lib. 3. contra Creſconium: *Zenophilus Conſularis dixit: Quid adminiſtrabat tunc Silvanus in Clericatu? Reſpondit: Sub Paulo Epiſcopo orta eſt perſecutio, & Silvanus Subdiaconus fuit.* At in Cirtenſi Concilio Coſſ. Diocletiano VIII & Maximiano VII Paulus Epiſcopus factus eſt; quomodo illud verum eſſe poterit, ſub Paulo ortam eſſe perſecutionem, cùm Cirtenſe Concilium, in quo creatus dicitur Epiſcopus, anno, ut minimùm dicam, poſt initium perſecutionis geſtum ſit. Sed omnino veriſſimum eſt, quod in illis Actis dicitur, ſub Paulo Cirtenſium Epiſcopo ortam eſſe perſecutionem, Diocletiano VIII & Maximiano VII Coſſ. quo anno *Munatius Felix* Curator Reipublicæ Cirtenſium ingreſſus domum Pauli Epiſcopi, juſſit ut traderet Scripturas, ut legitur in Actis apud Zenophilum Conſularem, quæ referuntur in lib. 3. contra Creſconium, & in Epiſt. Auguſtini 165. juxta veterem ordinem, & quæ poſt Collationem Carthaginenſem edita ſunt, illud, inquam, veriſſimum eſt; falſum verò eſt, *Cirtenſe* Concilium geſtum fuiſſe Diocletiano VIII & Maximiano VII Coſſ. Denique conſtat, *Cirtenſe* Concilium coactum fuiſſe anno poſt Geſta illa Martyrum Africanorum, ſeu potiùs XIII menſibus. Nam Concilium geſtum eſt III Nonas Martias; Martyrum autem Geſta pridie Idus Feb. Ergo ſi Concilium *Cirtenſe* actum eſt Diocletiano VIII Conſule, Paſſio Martyrum Conſtantio IV Conſule, anno nempe ccc II pridie Februarii contigerit neceſſe eſt. Atqui perſecutio cœpta eſt ſeptimo Kalendas Martias, ut habet Lactantius lib. de Mortibus Perſecutorum cap. 11. aut menſe Martio, ut ſcribit Euſebius; ex cujus utriuſque teſtimonio aliiſque argumentis perſecutionem præſenti anno inchoatam eſſe certiſſimum redditur. Hæc Valeſius citatus.

V.
Saturninus & alii in Africa martyrio coronati.

Ad num. III & IV. Baluzius tomo 2. Miſcellaneorum refert Acta S. *Saturnini* & ſociorum, quibus hunc titulum in Codice MS. præfigi dicit: *Incipiunt Confeſſiones & Actus Martyrum Saturnini Presbyteri, Felicis, Dativi, Ampelii, ceterorumque infrà ſcriptorum, qui propter collectas & ſcripturas dominicas ſub Anulino Proconſule Africæ die pridie Idus Februarii Carthagine Dominum confeſſi diverſis locis, temporibuſque diſcretis beatiſſimum ſanguinem profuderunt.* Cùm itaque perſecutio die tantùm XXIII Februarii excitata fuerit, Sancti illi poſt præſentem annum martyrio coronati. Scripta ſanè ſunt Acta illa, inquit Baluzius in Notis, ab aliquo Donatiſta, ſed docto & erudito, & qui non admodum remotus fuit ab ævo Diocletiani. Falluntur autem vehementer, qui auctoritate Auguſtini abutuntur, ut probent, ea eſſe ipſa Proconſularia geſta excepta à Notariis, cùm è contrà ex teſtimonio Auguſtini colligatur, non extare hodie ea geſta, ſed tantùm hiſtoriam quam Donatiſta ille ex iiſdem geſtis concinnavit. Nam Auguſtinus in Breviculo diei tertiæ cap. 17. docet, Geſta Martyrum notata fuiſſe Diocletiano IX & Maximiano VIII Conſulibus, pridie Idus Februarii, cum in hoc libro ſcriptum ſimpliciter ſit, abſque ulla temporis nota, bellum, ex quo orti ſunt Traditores, commotum fuiſſe temporibus Diocletiani & Maximiani. Præterea quæ in capite 16. & ſeqq. dicuntur de Menſurio & Cæciliano, ea profectò non pertinent ad geſta Proconſularia; & lecta in Collatione Carthaginenſi non fuiſſe, rectè obſervatum eſt à Baronio.

Baron. num. XXXVI & ſeqq.

VI.
Plures Martyres hoc anno.

Ad num. V & VI. Cùm perſecutio anno tantùm præſenti cœperit, martyria anno præcedenti à Baronio relata ad præſentem, & quæ hoc anno recitat, ad ſequentem magna ex parte revocanda, & ſic deinceps. Baronius enim, qui anno uno perſecutionem antevertit, toto decennio, quo ea duravit, anno uno à via deflectit.

Baron. num. C VIII & ſeqq.

VII.
Perſecutio Diocletianea Galliæ non affixit.

Ad num. VII. Exiſtimavit Baronius, durante Diocletiani perſecutione *Gallias* Martyrum ſanguine exundaſſe. Certum tamen videtur, eam in illis, ubi Conſtantius impe-

Baron. num. c x x i v & & ſeqq.

rabat, locum non habuiſſe; id enim diſertè affirmat Lactantius lib. de Mortibus Perſecutorum cap. 15. cujus egregia verba anno antecedenti retulimus. Neque Lactantius, qui Criſpum Cæſarem Conſtantini Magni filium in Gallia jam ſenex Latinis literis imbuit, hoc ignorare potuit. Lactantio ſuffragatur Euſebius lib. 8. cap. 13. ubi poſtquam de Conſtantii morte locutus eſt, ait: *Denique tum aliis in rebus humaniſſimum ſe ac beneficentiſſimum erga omnes præſtitit: tum concitati adverſus nos belli nullatenus particeps fuit. Sed cùm veri Dei cultores, qui ſub Imperio ſuo degebant, immunes ab omni noxa & calumnia ſervaſſet, nec aut Eccleſiarum ædes ſubvertiſſet, aut quidquam adverſus noſtros eſſet molitus, tandem feliciſſimum ac beatiſſimum vitæ exitum conſecutus eſt.* Vides, Lactantium & Euſebium in eo convenire, quòd nullam, quæ in Conſtantii ditione Martyres fecerit, perſecutionem fuiſſe uterque aſſerat; eò magis quòd ipſemet Lactantius citatus cap. 24. de Conſtantino jam Auguſto loquens jam ſcribat: *Suſcepto Imperio Conſtantinus Auguſtus nihil egit priùs, quàm Chriſtianos cultui ac Deo ſuo reddere. Hæc fuit prima ejus ſanctio ſanctæ Religioni reſtitutæ.* At ut rectè obſervat Dodwellus in Diſſert. x i Cyprianica, quæ eſt de Paucitate Martyrum num. l x x v, nihil habuit agendum Conſtantinus, ſi nihil fuiſſet à patre ejus Conſtantio in Chriſtianorum cauſa innovatum. Quare verum eſt quod ſcribit Lactantius loco laudato: *Conſtantius ne diſſentire à majorum præceptis videretur, Conventicula, id eſt, parietes, qui reſtitui poterant, dirui paſſus eſt, verum autem Dei templum quod eſt in hominibus, incolume ſervavit.* Baluzius in Notis ad cap. 16. Lactantii confirmat ejus ſententiam ex Libello precum Conſtantino M. oblato à Donatiſtis apud Optatum Milevitanum lib. 1. *Rogamus te, ô Conſtantine optime Imperator, quoniam de genere juſto es, cujus pater inter ceteros Imperatores perſecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis eſt Gallia, petimus ut è Gallia nobis Judices dari præcipiat Pietas tua.* Galliæ ergo fuerunt immunes ab hac perſecutione. Quin & Eutropius initio libri 10. dicere videtur, Gallicum ſanguinem non fuiſſe fuſum in hac perſecutione; cùm de Conſtantio ſcribat. *Hic non modò amabilis, ſed etiam venerabilis Gallis fuit, præcipuè quòd Diocletiani ſuſpectam prudentiam, & Maximiani ſanguinariam temeritatem Imperio ejus evaſerant.*

VIII. *Plures in Gallia paſſi dicuntur.*

Sed adverſus hæc reclamant Hiſtoriæ plurimarum Galliæ civitatum ac Provinciarum, quæ ſuos Martyres hac perſecutione ad Deum tranſlatos prædicant, ita ut vix ulla civitas fuerit intra Gallias, quæ tum non dicatur maduiſſe ſanguine Chriſtianorum. Quæ ſic conciliari poſſe exiſtimat Baluzius, initio quidem Gallias à perſecutione non fuiſſe prorſus immunes, occupato videlicet Conſtantio contra Barbaros, ut Boſquetus in lib. 4. Hiſtoriarum Eccleſiæ Gallicanæ cap. 11. ac pro conſuetudine & ſolito Gentilium furore multos Chriſtianos in Galliis cæſos fuiſſe. Confirmat hæc Euſebius in fine libri de Martyribus Palæſtinæ: *Nam quæ ulteriùs ſita ſunt regiones, Italia videlicet tota, & Sicilia, Gallia quoque, & quæcumque ad occaſum Solis porriguntur, Hiſpania, Mauritania, & Africa, cùm vix duobus primis perſecutionis annis integris furorem belli experta eſſent, divini Numinis præſentiſſimum auxilium & pacem brevì ſunt conſecuta.* Veroſimilius forſan dici poſſet, Martyres, qui Diocletiano & Maximiano ſævientibus, paſſi in Gallia dicuntur, morte affectos fuiſſe initio Imperii Diocletiani, quando Herculium adhuc Cæſarem in Gallias adverſus Bagaudas miſit. Neque enim antiqua Martyrum Acta reperire eſt, in quibus Conſtantio Cæſare imperante perſecutionem in Gallia viguiſſe legatur. Quare exiſtimo, Scriptores perſecutiones peculiares in quibuſdam Provinciis & urbibus, primis Diocletiani & Maximiani Herculii annis excitatas, cum perſecutione generali, quæ hoc anno contigit, confudiſſe, ut ante me Baronius obſervavit. Quoad Euſebium, is loco mox citato confirmat quod Lactantius ſcripſit, Conſtantium nempe templa dirui paſſum eſſe, à populo nimirum, vel à Præfectis. Quòd ſi nulla templa diruta fuiſſe Euſebius exiſtimaret, ſibimet contradiceret; cùm Galliam inter Provincias numeret, quæ belli furorem expertæ ſunt, & alibi tradat, Conſtantium nec Eccleſiarum ædes ſubvertiſſe, nec quidquam adverſus noſtros eſſe molitum. Quòd ſi nihil etiam adverſus Chriſtianos à populo vel à Præfectis molitum eſſet, immeritò ſcriberet, Galliam, cùm vix duobus primis perſecutionis annis integris furorem belli experta eſſet, pacem brevì conſecutam eſſe. Quamobrem Euſebius in poſteriori loco mox laudato iis, quæ in priori dixerat, non contradicit; ſed tantùm indicat, perſecutionem in Occidentalibus Provinciis poſt biennium ceſſaſſe; in *Gallia* verò, ubi nulli Martyres facti, templa à populi furore fuiſſe immunia. Exiſtimo autem, anno trecenteſimo quinto, quo Diocletianus & Maximianus abdicarunt, ideo perſecutionem in regionibus Occidentalibus Severo Cæſari commiſſis ceſſaſſe; quia is ipſo dignitatis exordio populos à ſe alienare noluit.

Ad num. VIII. *Victorinus* Epiſcopus fuit, non *Pictavienſis*, ut Baronio aliiſque multis creditum, ſed *Petavienſis* ſeu Pitabionenſis in ſuperiori Pannonia, ut ſingulari libello docuit Joannes Launoius Doctor Theologus Facultatis Pariſienſis. Floruit exeunte tertio Eccleſiæ ſeculo, & hoc anno quarto Nonas Novembris Martyr pro Fide Chriſti occubuit. Scripſit multa in pleroſque ſacræ Scripturæ libros: qua de re legendus Labbeus in Diſſert. de Scriptoribus Eccleſiaſt.

IX. *Victorinus Epiſc. Petavienſis.*

Baron. num. c x x v i.

Ad num. X & XI. Dodwellus in Diſſert. x i Cyprianica de Paucitate Martyrum num. l x x v, exiſtimat, nullos Martyres in Hiſpaniis hoc tempore fuiſſe, quòd eas Conſtantius regeret. Victor enim de Cæſaribus, qui ſcribit, Italiam & Africam Maximiano Herculio paruiſſe, de Conſtantio ait: *Quaſi partito Imperio, cuncta quæ trans Alpes Galliæ ſunt, Conſtantio commiſſa.* Quare cùm Hiſpanias aliis ditionibus Victor non accenſuerit, putat Dodwellus Vir eruditiſſimus, Hiſpanias, Britannias, & Gallias Conſtantio Cæſari creditas fuiſſe, indeque infert, nullos in Hiſpaniis Martyres fuiſſe; cùm nullum ac-

X. *Plures in Hiſpaniis martyrium paſſi.*

Baron. num. c x x x i i i & ſeqq.

ceſſerit Conſtantii edictum, & Urbici Magiſtratus, cùm gladii poteſtate carerent, nullos martyrio coronare poſſent. Verùm Victoris verba citata tantùm oſtendunt, Conſtantium Gallias rexiſſe; Hiſpanias autem Maximiano Herculio ſubditas fuiſſe docet Lactantius lib. de Mortibus Perſecutorum cap. 8. *Nam cùm ipſam Imperii ſedem teneret Italiam*, (nempe Herculius) *ſubjacerentque opulentiſſimæ Provinciæ, vel Africa, vel Hiſpania, non erat in cuſtodiendis opibus tam diligens, quarum illi copia ſuppetebat.* Quare Prudentius à Baronio citatus verè ſcripſit, innumeram Chriſtianorum multitudinem in Hiſpaniis martyrium pertuliſſe, quod tamen perperam etiam negavit Morinus lib. 19. de Adminiſtrat. Sacrament. Pœnitent. cap. 19.

XI.
Fortes Oſius.

Ad num. XII. Quo anno *Oſius* Cordubenſis Epiſcopus Chriſti Fidem coram Præſide confeſſus ſit, hactenus obſcurum, ut infrà videbimus, cùm de Concilio Illiberitano verba faciemus.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5797. ☉ 5 A B. ☽ 1. P. 9. April. Indict. 7.
Jesu Christi 304.
Marcellini Papæ 9.
Persecutionis 2.
Diocletiani Imp. 21. Maximiani Herculii Imp. 19.

I.
Conſules.

Vicennalia Imperii Auguſtei Herculii.

Coss. *Diocletianus Aug. IX*, & *Maximianus Herculius Aug. VIII.* Hic Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam; Imperii enim Auguſtei Vicennalia celebravit: Diocletiani Conſulatus juxta tertiam.

II.
Diocletianus & Maximianus abdicant.

Baron. num. 1 & ſeq.

Ad num. I & ſeqq. Euſebius in Hiſtoria, Zoſimus lib. 2. Idacius in Faſtis, Auctor Chronici Alexandrini, aliique Diocletianum & Maximianum Herculium hoc anno abdicaſſe ſcribunt, quæ communis ſententia Eruditorum fuit, antequam Lactantii liber de Mortibus Perſecutorum lucem videret. Sed eo publicato omnibus patuit, anno tantùm ſequenti utrumque Imperatorem novo exemplo, ut habet Eutropius, vitam privatam amplexum eſſe. Juvat hîc Lactantium audire: *Vicennalibus celebratis, cùm libertatem populi Romani ferre non poterat, impatiens & æger animi prorupit ex Urbe impendentibus Kalendis Januariis, quibus illi nonus Conſulatus* (hoc anno geſtus) *deferebatur. Tredecim dies tolerare non potuit, ut Romæ potiùs, quàm Ravennæ procederet Conſul. Sed profectus hieme, ſæviente frigore atque imbribus verberatus, morbum levem ac perpetuum traxit: vexatuſque per omne iter, lecticâ plurimùm vehebatur. Sic æſtate tranſacta* (currentis nempe Chriſti anni) *per circuitum ripæ ſtrigæ Nicomediam venit* (per ripam nempe Danubii, qui antiquus erat Imperii limes, ubi erant prætenturæ Illyricianæ, *ſtrigæ* dictæ, ut doctè oſtendit Dodwellus in ſingulari Diſſertatione de *Ripa ſtriga*) *morbo jam gravi inſurgente. Quodcumque ſe premi videret, prolatus eſt tamen, ut Circum, quem fecerat, dedicaret anno poſt Vicennalia repleto. Deinde ita languore oppreſſus, ut per omnes Deos pro vita ejus rogaretur, donec Idibus Decembribus* (currentis ſc. anni) *luctus repentè in palatio, mœſtitia & lacrymæ, Judicum trepidatio & ſilentium. Tota civitate jam non modò mortuum, ſed etiam ſepultum dicebant, cùm repentè mane poſtridie pervagari fama quòd viveret, domeſticorum ac Judicum vultus alacritate mutari. Non defuerunt, qui ſuſpicarentur celari mortem ejus, donec Cæſar veniret, ne quid fortè à militibus novaretur. Quæ ſuſpicio tantum valuit, ut nemo crederet eum vivere, niſi Kalendis Martiis* (anni nimirum 305.) *prodiſſet, vix agnoſcendus, quippe qui anno ferè toto ægritudine tabuiſſet. Et ille Idibus Decembribus morte ſopitus animam receperat, nec tamen totam. Demens enim factus eſt, ita ut certis horis inſaniret, certis reſipiſceret.*

III.
Hæc abdicatio coacta.

Nec multis poſt diebus Cæſar (nempe Galerius Maximianus) *advenit, non ut patri gratularetur, ſed ut eum cogeret Imperio cedere. Jam conflixerat nuper Maximiano ſene, eumque terruerat injecto armorum civilium metu. Aggreſſus eſt ergo Diocletianum primùm molliter & amicè, jam ſenem eſſe dicens, jam minùs validum & adminiſtrandæ Reipublicæ inhabilem, debere illum requieſcere poſt labores. Simul & exemplum Nervæ proferebat, qui Imperium Trajano tradidiſſet. Ille verò aiebat, ei indecens eſſe, ſi poſt tantam ſublimis faſtigii claritatem in humiles vitæ tenebras decidiſſet, & minùs tutum, quòd in tam longo Imperio multorum ſibi odia quæſiſſet. Nervæ verò uno anno imperante, cùm pondus & curam tantarum rerum vel ætate vel inſolentiâ ferre non quiret, abjeciſſe gubernaculum Reipublicæ, atque ad privatam vitam rediſſe, in qua conſenuerat. Verùm ſi nomen Imperatoris cuperet adipiſci, impedimento nihil eſſe, quominus omnes Auguſti nuncuparentur. At ille qui Orbem totum jam ipſe inhiaverat, cùm inde ſibi aut nihil præter nomen aut multùm videbat accedere, reſpondit, debere ipſius diſpoſitionem in perpetuum conſervari, ut duo ſint in Republica majores, qui ſummam rerum teneant: item duos minores qui ſint adjumento. Inter duos facilè poſſe concordiam ſervari, inter quatuor pares nullo modo. Si ipſe cedere noluiſſet, ſe ſibi conſulturum, ne ampliùs minor & extremus eſſet. Jam fluxiſſe annos quindecim in Illyricum vel ad ripam Danubii relegatus cum gentibus barbaris luctaret, cùm alii intra laxiores & quietiores terras delicatè imperarent. His auditis, ſenex languidus, qui jam Maximiani ſenis literas acceperat ſcribentis quæcumque locutus fuiſſet, & didicerat augeri ab eo exercitum, lacrymabundus, Fiat, inquit, ſi hoc placet. Supererat ut communi conſilio omnium Cæſares legerentur. Quid opus eſt conſilio, cùm ſit neceſſe illis duobus placere quidquid nos fecerimus? Ita planè, nam illorum filios nuncupari neceſſe eſt. Erat autem Maximiano* [*filius*] *Maxentius, hujus ipſius Maximiani gener, homo pernicioſæ ac malæ mentis, adeò ſuperbus & contumax, ut neque patrem, neque ſocerum ſolitus ſit adorare. Et idcirco utrique inviſus fuit. Conſtantio quoque filius erat Conſtantinus, ſanctiſſimus adoleſcens, & illo faſtigio digniſſimus, qui inſigni & decoro habitu corporis, & induſtria militari, & probis moribus, & comitate ſin-*

gulari, à militibus amaretur, à privatis & optaretur. Eratque tunc præſens, jam pridem à Diocletiano factus Tribunus ordinis primi. Quid ergo fiet? Ille, inquit, dignus non eſt. Qui enim me privatus contemſit, quid faciet, cùm Imperium acceperit? Hic vero & amabilis eſt, & ita imperaturus, ut patre ſuo melior & clementior judicetur. Ita fiet ut ego non poſſim facere quæ velim. Eos igitur oportet nuncupari, qui ſint in mea poteſtate, qui timeant, qui nihil faciant niſi meo juſſu. Quos ergo faciemus? Severum, inquit. Illumne ſaltatorem, temulentum, ebrioſum, cui nox pro die, & dies pro nocte? Dignus, inquit, quoniam militibus fideliter præfuit; & eum miſi ad Maximianum, ut ab eo induatur. Eſto. Alterum quem dabis? Hunc, inquit, oſtendens Daiam adoleſcentem quendam ſemibarbarum, quem recèns juſſerat Maximinum vocari de ſuo nomine. Jam & ipſi Diocletianus nomen ex parte mutaverat hominis (legendum *ominis*, ut oſtendi anno CC XCII) *causâ, quia Maximianus* (nempe Herculius) *fidem ſumma religione præſtabat. Quis eſt hic quem mihi offers? Meus, inquit, affinis. At ille gemebundus, Non, inquit, eos homines mihi das, quibus tutela Reipublicæ committi poſſit. Probavi illos, inquit. Tu videris, qui regimen Imperii ſuſcepturus es. Ego ſatis laboravi & providi, quemadmodum me imperante Reſpublica ſtaret incolumis. Si quid acceſſerit adverſi, mea culpa non erit.*

IV. *Sverus & Maximinus Cæſares creati.*

Cùm hæc eſſent conſtituta, proceditur Kalendis Maiis. Conſtantinum omnes intuebantur. Nulla erat dubitatio. Milites qui aderant, & priores militum electi & acciti ex legionibus, in hunc unum intenti gaudebant, optabant & vota faciebant. Erat locus altus extra civitatem ad millia ferè tria, in cujus ſummo Maximianus ipſe purpuram ſumſerat; & ibi columna fuerat erecta cum Jovis ſigno. Eò pergitur. Concio militum convocatur. Inquit ſenex cum lacrymis, alloquitur milites, ſe invalidum eſſe, requiem poſt labores petere, Imperium validioribus tradere, alios Cæſares ſubrogare. Summa omnium expectatio quid afferret. Tunc repentè pronuntiat Severum & Maximinum Cæſares. Obſtupefiunt omnes in tribunali. Conſtantinus adſtabat ſuſum: (ita Veteres pro *ſurſum*) *ſciſcitari inter ſe, num Conſtantini immutatum nomen eſſet, cùm in conſpectu omnium Maximianus manum retrorſum extendens protraxit à tergo Daiam, Conſtantino repulſo, & exuto veſtem privatam, conſtituit in medium. Mirari omnes qui eſſet, unde eſſet. Nemo tamen reclamare auſus eſt, cunctis inſperata novitate rei turbatis. Huic purpuram Diocletianus injecit ſuam, quâ ſe exuit, & Diocles iterum factus eſt. Tum deſcenditur, & rhedâ per civitatem veteranus Rex foras exportatur, in patriamque dimittitur. Daia verò ſublatus nuper à pecoribus & ſilvis, ſtatim ſcutarius, continuò Protector, mox Tribunus, poſtridie Cæſar, accepit Orientem calcandum & conterendum, quippe qui nec militiam, neque Rempublicam ſciret, jam non pecorum, ſed militum paſtor.* Ita Lactantius in lib. de Mortibus Perſecutorum, qui Baronii tempore lucem non viderat.

Hanc itaque Cæſarum nuncupationem & Imperatorum abdicationem non hoc anno, ſed ſequenti, idque *Kalendis Maiis*, ut Lactantius prodit, contigiſſe, certum eſſe debet. A Lactantio ſtat Victor de Cæſaribus, qui de Auguſteo Conſtantii Chlori & Galerii Maximiani Imperio loquens inquit: Galerio Maximiano *quinquennii Imperium, Conſtantio annuum fuit*: quod verum eſſe non poteſt, ſi ante annum CCC V uterque Auguſtus renuntiatus: Conſtantius enim anno CCC VI menſe Julio; Galerius verò anno CCC XI vitâ functi ſunt. Conſtantius primus Auguſtus dictus eſt, prioremque gradum obtinuit, ut teſtatur Euſebius lib. 1. de Vita Conſtantini cap. 18. Solent autem Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ, dum loquuntur de Imperatoribus, qui proxime poſt Diocletianum Imperium adminiſtrarunt, eorum annos numerare à morte illius, qui primum locum adeptus erat, ut liquet ex exemplis, quæ anno CCC XIV & anno CCC XVIII in medium afferam. Quare cùm Conſtantius ſupremum honoris faſtigium conſecutus fuerit, & annum tantùm cum aliquot menſibus à Victore neglectis imperarit, is Hiſtoricus Galerii Maximiani annos ab anno tantùm Chriſti CCC VI Conſtantii emortuali deduxit; quo pacto, quinquennium Galerio anno CCC XI demortuo rectè aſſignat. Secundò, Victor alter in Epitome Diocletianum anno dumtaxat ſequenti abdicaſſe indicat, quando ſcribit: *Vixit annos ſexaginta octo, ex quibus communi habitu propè novem egit.* Diocletianus autem anno CCC XIII ineunte periit, ut infrà dicetur. Et quamvis hic Scriptor trahi poſſet in communem, quæ hactenus obtinuit ſententiam: cùm tamen jam de veritate conſtet, Diocletianum ſcilicet & Maximianum anno ſolùm ſequenti Imperium depoſuiſſe, non dubium, quin inter Lactantium & utrumque Victorem hac in re conveniat. Tertiò, Auctor incertus Panegyrici Maximiano & Conſtantino anno CCC XVII dicti, Diocletianum & Maximianum anno ſequenti abdicaſſe inſinuat, quando num. VIII de triumpho Romæ anno præcedenti ab utroque Imperatore exhibito loquens, ait: *Te primo ingreſſu tuo tantâ lætitiâ, tantâ frequentiâ populus excepit: ut cùm te ad Capitolini Jovis gremium vel oculis ferre geſtiret, ſtipatione ſua vix ad portas Urbis admitteret. Te rurſus viceſimo anno Imperatorem, octavo Conſulem ita ipſa amplexu quodam ſuo Roma voluit detinere, ut videretur augurari jam & timere quod factum eſt, nempe Imperii abdicationem.* Herculius itaque, de quo in eo Panegyrico ſermo, anno antecedenti Romæ cum Diocletiano triumphavit, annoque currenti, quo octavum Conſulatum geſſit, quóve Auguſtei Imperii Vicennalia edidit, Romæ eundem Conſulatum VIII iniit, cùm Diocletianus nonum Ravennæ auſpicatus eſt: quo tempore populus Romanus vereri cœpit, ne Herculius Imperium deponeret. Quòd ſi, dum Conſulatum illum VIII Herculius gereret, abdicaſſet, non ita Orator loqueretur.

V. *Abdicatio Impp. anno ſequenti facta.*

VI. *Annus abdicationis ex Faſtis probatus.*

Quartò, in Faſtis Theonis à Dodwello V. C. nuper in Anglia publicatis legitur: Κωνστάντιος καῖσαρ τὸ ι, καὶ Μαξιμῖνος καῖσαρ τὸ ι. Κωνσταντῖνος σεβαστὸς τὸ ς, καὶ Μαξιμιανὸς σεβαστὸς τὸ ς.

id eſt, *Conſtantius Cæſar V, & Maximianus Cæſar V. Conſtantinus Auguſtus V I, & Maximinus Auguſtus V I.* Ubi errore Græcis Auctoribus familiari *Conſtantinus* loco *Conſtantii*, & *Maximinus* loco *Maximiani* ſcribitur. Conſtantius itaque & Maximianus, Galerius nempe, adhuc Cæſares erant anno trecenteſimo quinto, quo quintum Conſulatum ſuſcepere: anno verò trecenteſimo ſexto, quo ſextum Conſulatum iniere, jam Auguſti erant. Quòd ſi Conſtantius & Galerius Maximianus anno ſequenti adhuc Cæſares erant, profectò Diocletianus & Herculius præſenti anno Imperium non abdicarunt; cùm eadem die hi Imperium depoſuerint, & Conſtantius ac Galerius Auguſti nuncupati fuerint. Denique in Faſtis Græcis Heraclii Imperatoris a Dodwello etiam in lucem emiſſis, Conſtans Cæſar & Maximinus Cæſar anno ſequenti Conſules etiam proponuntur, (loco Conſtantii & Maximiani Cæſarum) & Diocletiano anni x x I aſſignantur. Ex quibus tandem omnibus conſequens eſt, Diocletianum & Herculium anno tantùm ſequenti Imperii gubernacula abjeciſſe, & Euſebium tam in Vita Conſtantini lib. 1. cap. 18. quàm in lib. de Martyribus Palæſtinæ cap. 3. & in lib. 8. Hiſtoriæ cap. 13. currenti anno eam abdicationem malè conſignaſſe.

VII. *Nova Imperii diviſio.* *Conſtantius Chlorus* & *Galerius Maximianus* Imperium inter ſe partiti ſunt, novaque Romani Imperii regendi forma inducta. Huc uſque enim licèt plures Auguſti ſimul imperarent, tamen Imperium Romanum
Baron. num. x I I. ſolidum atque indiviſum gubernarunt, nullaque facta fuerat Imperii diviſio, cùm nec Provincias nec legiones inter ſe partiti eſſent. Sed, ut habet Eutropius lib. 10. de Diocletiano & Herculio loquens: *His abeuntibus ab adminiſtratione Reipublicæ, Conſtantius & Galerius Auguſti creati ſunt, diviſuſque inter eos Romanus Orbis.* Quæ Imperii diviſio etiam ab Euſebio lib. 8. cap. 13. obſervata. Ubi enim Diocletiani & Maximiani abdicationem retulit, ait: *Vix hæc geſta fuerant, cùm Imperium Romanum totum in duas partes diviſum eſt, quod quidem nunquam antea factum eſſe memoratur.* Poſt hanc tertiam regiminis formam inductam ſummus Pontificatus cum tota ejus poteſtate omnibus Auguſtis communicatus, licèt in ſecunda ejuſdem Imperii diſpoſitione ea ſeniori Auguſto reſervata videretur, & nomen Pontificis Maximi duntaxat ceteris Auguſtis datum, quod eiſdem etiam ejuſdem diſpoſitionis initio denegatum. Unitatis tamen aliqua umbra poſt Imperii diviſionem ſervata. Quamvis enim Lex aliqua ab uno Imperatore ſcripta eſſet, ea tamen omnium nomina ex æquo præferebat. In operibus publicis omnium etiam Imperatorum nomina de more memorata, licet ab uno tantùm opus poſitum eſſet. Quibus autem viis internoſci poſſit, cui Lex aliqua tribuenda ſit, oſtendit Gothofredus in Prolegomenis Codicis Theodoſiani cap. 8. & 9.

VIII. *Baronii Chronologia corrupta.* Incidebant in hunc annum decimi Ludi *Seculares*, qui tamen exhibiti non ſunt, de quibus Zoſimus lib. 2. loquens ait: *A Conſulatu Chilonis & Libonis, quo Severus Ludos Seculares exhibuit, uſque ad Diocletiani nonum, Maximiani octavum Conſulatum, centum & unus annus elapſi fuerunt: ac tum quidem privatus ex Imperatore Diocletianus factus eſt: cujus exemplum Maximianus eſt ſecutus.* Quoad abdicationis annum, Zoſimum hallucinari, ex dictis conſtat. Sed quoad Ludos Seculares, hoc anno edi debuiſſe, & ex iiſdem Baronii Chronologiam depravatam eſſe demonſtrari poteſt. Conſulatum enim Chilonis & Libonis confert in annum Chriſti c c v I, Conſulatum verò Diocletiani I X & Maximiani V I I I cum currenti Chriſti anno alligat. Unde differentia inter annum c c v I & c c c I V eſt tantùm annorum nonaginta octo, cùm tamen centum annorum eſſe debeat, ut obſervavit Calviſius in Iſagoge Chronologica cap. 47. Conſulatum itaque Chilonis & Libonis non cum anno c c v I, ſed cum anno c c I v copulandum, certum eſſe debet. Sic enim verum eſt quod ſcribit Zoſimus, à Conſulatu Chilonis & Libonis ad Conſulatum I X Diocletiani, & V I I I Maximiani annos centum & unum fluxiſſe, ultimo extremo anno tantùm inchoato pro integro numerato. Quam numerandi rationem non animadvertens Scaliger lib. 5. de Emendat. Temp. pag. 497. exiſtimavit, Zoſimum abdicationem Diocletiani cum anno Chriſti c c c v conjunxiſſe. Baronius verò, cùm Conſulatum Chilonis & Libonis cum anno Chri- Baron. n. 1.
ſti c c c v I perperam alligaſſet, Zoſimum in ea ſupputatione deceptum ſibi in animum induxit, cùm inter utrumque Conſulatum centum & unius annorum intervallum reperire non poſſet.

IX. *Marcellini P P. obitus.* Ad num. V I I. In Chronico Damaſo attributo legitur: *Marcellinus annis octo, menſibus tribus, diebus viginti quinque. Fuit temporibus Diocletiani & Maximiani, ex die pridie Kalendas Julias, à Conſulibus* Baron. num. x x I I I & ſeqq.
Diocletiano V I, & Conſtantio I I, uſque in Conſulatum Diocletiani I X, & Maximiani V I I I. Quo tempore fuit perſecutio, & ceſſavit Epiſcopatus annis V I I, menſibus V I, diebus X X V. Ita legitur in exemplari, quo Bucherius uſus. Is tamen in margine ait, videri legendum: *Ceſſavit Epiſcopatus annis I I I*: & quidem rectè, ut mox dicam. Obiiſſe itaque videtur Marcellinus die viceſima quarta Octobris, licèt die x x v I Aprilis colatur. Nam ordinatus fuerat die triceſima menſis Junii anni ducenteſimi nonageſimi ſexti. Porro Marcellinum martyrium ſubiiſſe, ut habet Baronius ex Anaſtaſio, parum veroſimile. Nomen enim ejus legitur in Indiculo *Depoſitionis Epiſcoporum* apud Bucherium: *Decimo octavo Kalendas Februarii, Marcellini in Priſcillæ*: qui tamen dies alicui Marcellini Tranſlationi, non verò ejus morti attribuendus. Ejus lapſus commentitius videtur. Qua enim ratione, inquit Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum Romanorum, illum ignorare potuiſſet Auguſtinus, cùm totam Eccleſiam conturbaſſet. Vulganda quippe fuiſſet quaquaverſum pœnitentia, ut communi omnibus ſcandalo communiter opponeretur majoris ædificationis exemplum. Tale autem nihil factum ſupponit Auguſtinus, cùm in libro de Unico Baptiſmo cap. 16. ſic reſpondet Petiliano: *Quid jam opus eſt, ut Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ, quos incredibilibus calumniis inſectatus eſt,*

objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus & Presbyteri ejus Melchiades & Marcellus & Sylveſter traditionis codicum divinorum & thurificationis ab eo crimine arguuntur. Sed nunquid ideo convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monſtrantur? Ipſe ſceleratos & ſacrilegos fuiſſe dicit: ego innocentes fuiſſe reſpondeo. Quid laborem probare defenſionem meam, cùm ille nec tenuiter probare conatus ſit accuſationem ſuam? Verum quidem eſt, quòd Auguſtinus peculiariter deſcendens ad defenſionem Melchiadis, qui potiſſimùm impetebatur, oſtendat, id ei nunquam antea, (cùm maxime opus fuiſſet) à Donatiſtis exprobratum, de ceteris autem taceat: manet tamen quòd ut minimùm de iis ignoraverit, & manet difficultas quomodo potuerit ignorare lapſum ſummi Paſtoris tam memorabili pœnitentia reparatum: manet etiam quòd Auguſtini tempore, poſt Carthaginenſem tamen Collationem, in qua altum ſilentium de lapſu illo, rumor aliquis primus à Petiliano temere jactatus & ab ejus partiariis Donatiſtis omni modo ſatagentibus, ut hujus contra ſe latam ſententiam elevarent, & nullius ponderis eſſe ſuaderent. Quem rumorem, ut falſus in Melchiade & Compresbyteris ejus fuerit, aſſerente id Auguſtino, verum fuiſſe in Marcellino, eodem Auguſtino id non expreſsè negante, credere non debemus, niſi fortiori aliqua auctoritate convincamur, quàm ſit eorum, quos Acta proculdubio commentitia ſecutos, ſecuta deinceps eſt poſteritas reliqua ſine ulla eorundem Actorum diſcuſſione. Ita Papebrocius.

X. *Marcellinus & Marcellus non confundendi.* Marcellini Papæ mentio nulla neque in Chronico Euſebiano, neque in Martyrologio Hieronymiano: quo fit, ut aliqui Viri doctiſſimi Marcellinum & Marcellum diſtinguendos non eſſe exiſtimarint. Sed hi meo judicio decipiuntur. Auctor enim Chronici Damaſo attributi Liberio ſedente vixit, & utriuſque Pontificis non ſolùm meminit, ſed etiam quot quilibet annis ac diebus ſedit, memorat. Præterea Auguſtinus, qui exeunte hoc ſeculo floruit, utrumque agnovit, quemadmodum & Optatus Milevitanus a Baronio citati.

XI. *Vacatio Sedis.* In Chronico Damaſi laudato dicitur, poſt Marcellini obitum ceſſaſſe Epiſcopatum annis VII, menſibus VI, diebus XXV. Sed, ut, jam dixi, locus ille corruptus, legendumque videtur, *annis III, menſibus III, diebus XXV.* Nam S. Marcelli Marcellini ſucceſſoris initium inchoandum à die decima octava menſis Februarii anni trecenteſimi octavi, ut in morte ejus demonſtro.

XII. *Anni perſecutionis accurate ab Euſebio deſcripti.* Dodwellus in Diſſert. XI Cyprianica de Paucitate Martyrum num. LXXIII ait: *Quod Euſebius anno primo perſecutionis tribuit,* (libro de Martyribus Palæſtinæ cap. 2.) *id ſecundo tribuendum exiſtimo, anno nimirum Eræ vulgaris CCC IV. Hoc enim anno finem fuiſſe ait Vicennalium,* τέλος τῆς εἰκοσαετηρίδος [illegible], *quod non obſervavit in ſua interpretatione Valeſius. Legendum itaque* [illegible]. *Neque vero eſt, ut hoc excidiſſe putemus Euſebio. Quamquam enim rectè ille perſecutionem XIX Diocletiani anno aſſignaverit tam in Chronico, quam etiam in Hiſtoria; idem tamen ſui oblitus, de eo anno ita loquitur, quaſi fuiſſet etiam XX. Ita Imperatores, ait, dum benevolo in Chriſtianos animo fuiſſent,* [illegible] (Euſeb. lib. 8. cap. 13.) *Vicennalia itaque prima, quæ fine anni XIX, principio XX celebrata eſſent, jam preterita aſſeruit, cùm inciperet perſecutio, quæ tamen eo ipſo perſecutionis anno celebrata eſſe tradit Auctor certiſſimæ fidei Lactantius. Inde etiam eſt, quòd ſecundo perſecutionis anno perperam depoſuiſſe tradit Diocletianum atque Maximianum, quod tamen non ante III annum, Chriſti nimirum CCC V, feciſſe conſtat è Lactantio.* Hæc Dodwellus qui ſine dubio fallitur. Nam Valeſius laudatum Euſebii locum non diſſimulavit, ſed accuratè vertit hoc modo: *Cùm Imperatoris Vicennalia jam adeſſent,* & quidem meliùs quàm Chriſtophorſonus, qui eum ita Latinè reddidit: *Cùm vigeſimus annus regni Imperatoris adventaret.* In Diſſertatione autem Hypatica parte II cap. 2. num. XXIII demonſtravi, annos ante Quinquennalia elapſos quinquennii nomine a Veteribus appellatos fuiſſe, ſive quatuor tantùm anni elapſi eſſent, ſive quintus ſolum inchoatus fuiſſet, ſive denique initio ſeptimi Quinquennalia edita eſſent. Quod de Decennalibus & Vicennalibus pariter dicendum. Quare rectè Euſebius ſcripſit, anno CCC III, menſe Novembri, quo Diocletianus & Maximianus Vicennalia celebrarunt, viceſimum Imperii eorum annum adventaſſe, rectéque pariter tradidit, ante perſecutionem utrumque Imperatorem Decennalia & Vicennalia compleviſſe. Hæc enim feſta epocham quandam conſtituebant, & Euſebius Decennalia ac Vicennalia pro decimo & viceſimo anno, eoque Juliano, ac præterea utroque extremo incompleto pro completo numerato uſurpat, ut loco laudato certis exemplis oſtendi. Græcos autem Auctores annum inchoatum tranſactum vocare ſolitos multis exemplis ſuis locis patebit. Verum itaque non eſt, Euſebium, anno primo perſecutionis tribuiſſe quod ad ſecundum pertinebat.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5798. ☉ 6 G. ☽ 2. P. 1. APRIL. INDICT. 8. Olymp. 271.

JESU CHRISTI 305.

Sedes vacat.

PERSECUTIONIS 3.

CONSTANTII IMP. 1. GALERII MAXIMIANI IMP. 1.

COSS. *Conſtantius Cæſar V, & Galerius Maximianus Cæſar V.* I. *Conſules.*

Is Conſulatus, dum Diſſertationem Hypaticam componerem, mihi crucem fixit; quo enim fine ab utroque Cæſare capeſſitus fuiſſet, non inveniebam. Sed Conſtantii Decennalibus anno ſuo redditis, res difficultatem non habet, liquetque, eum præſenti anno Quindecennalia celebraſſe, & ſecundùm tertiam Conſulatuum Cæſareorum regulam Galerium Maximianum in trabeæ ſocietatem vocaſſe. Porro perperam uterque Conſul *Auguſtus* in Annalibus dicitur; cum enim Ka- II. *Conſtantii Cæſaris Quindecennalia.*

lendis tantùm Maiis antecedentis anni Diocletianus & Maximianus Herculius abdicarint, ut ex iis, quæ anno elapſo diximus, liquet, Conſtantius & Galerius, dum adhuc Cæſares eſſent, annum aperuere; ideoque tam in Faſtis Theonis, quàm in Faſtis Heraclii uterque *Cæſar* duntaxat appellatur.

III. *Martyrium S. Bonifacii.* Baron. num. XII.

Ad num. II. Henſchenius die decima quarta menſis Maii refert Acta pervetuſta martyrii S. *Bonifacii* Romani, in quibus dicitur martyrio coronatus *temporibus Diocletiani quater, & Maximiani ter*, anno nempe Chriſti CC XC, quo Maximianus Herculius Imperii Auguſtei Quinquennalia dedit. Sed ſuſpicor, errorem in numeros irrepſiſſe; nam tunc in Chriſtianos ſævitum fuiſſe aliunde non conſtat.

IV. *Petri Alex. Canones.* Baron. num. XVIII.

Ad num. III. Cùm S. *Petrus Alexandrinus* quarto perſecutionis anno, *inſtante Paſchate*, Canones ſuos ediderit, ut in iiſdem legitur, Opus illud anno ſequenti, qui perſecutionis quartus eſt, in lucem emiſſum. Ideo verò eo anno frequens *Lapſorum* numerus fuit, quia *Galerius Maximianus* Cæſarei Imperii Quindecennalia edidit, eaque occaſione Chriſtianos graviſſimè vexavit.

V. *Illiberitana Synodus.* Baron. num. XXXIX.

Ad num. IV & V. *Illiberitani* Concilii epocha hactenus obſcura. Eidem magnus Oſius interfuit, cujus confeſſio contigit ſub Maximiano Herculio anno CC XCVI, ut oſtendit ejus Epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem, relata à S. Athanaſio in Epiſtola ad ſolitariam vitam agentes. Ait enim Athanaſius: *Neque quòd Confeſſor erat, pudore moti ſunt, neque quòd ſexageſimum annum & eo ampliùs à confeſſione agebat, reſpexerunt.* Si enim Sirmienſis Synodi anno CCC LVII coactæ tempore, Oſius annum ſexageſimum à confeſſione ſua agebat, circa annum CC XCVI Oſius confeſſione illuſtris fuit, & poſtea ex Hiſpaniis receſſit; indeque aliqui inferunt, paulò ante annum illum Synodum Illiberitanam habitam fuiſſe. Sed parum veroſimile eſt, eo tempore Epiſcopos Hiſpanos conveniſſe; ut enim ex Canonibus ejuſdem Synodi conſtat, ea celebrata ipſo perſecutionis tempore: anno verò CC XCVI nulla perſecutio fuit. Cùm itaque *Oſius* anno CCC XIII in comitatu Conſtantini Magni fuerit, jam tùm *Illiberitana* Synodus anno perſecutionis Diocletianeæ incerto congregata fuerat; antequam enim *Donatus* cauſam Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi ad Conſtantinum primùm deferret, *Oſius* erat in aula Conſtantini, ut patet ex hujus Conſtitutione ad Cæcilianum data, quâ curam illi commiſit diſtribuendi munera certis quibuſdam Catholicæ Religionis miniſtris per Provincias omnes Africæ, Numidiæ & Mauritaniæ: quam Conſtitutionem refert Nicephorus lib. 7. cap. 42. Porro *Cæciliani* cauſam à Donato primùm delatam ad Imperatorem anno Chriſti CCC XIII colligitur ex Optato Milevitano lib. 1. contra Parmenianum. Quo pacto, exiſtimandum, *Oſium* anno CC XCVI in aliqua peculiari perſecutione Chriſtum confeſſum eſſe, & ex Hiſpania ejectum ad eas poſtea rediiſſe. Octoginta ſunt illius Concilii legitimi Canones, in quibus nihil eſt, quod ſanctum & religioſum non ſit, ut videre eſt apud Mendoſam, qui illos explicavit.

VI. *Galerius de Imperio aliquando deponendo cogitabat.*

Revocanda huc quæ anno præcedenti de abdicatione *Diocletiani & Maximiani*, & novorum Cæſarum nuncupatione diximus ex Lactantio, cujus Opus de Mortibus Perſecutorum cùm Baronius videre non potuerit, ideo quæ poſt narratam illam abdicationem Lactantius cap. 20. & ſeqq. habet, ſubjiciam: *Maximianus, poſtquam ſenibus expulſis, quod voluit & fecit, ſe jam ſolum totius Orbis Dominum eſſe ferebat. Nam Conſtantium, quamvis priorem nominari eſſet neceſſe, contemnebat, quòd & naturâ mitis eſſet, & valetudine corporis impeditus. Hunc ſperabat brevì obiturum: & ſi non obiſſet, vel invitum exuere facilè videbatur. Quid enim faceret, ſi à tribus cogeretur Imperium deponere? Habebat ipſe Licinium, veteris contubernii amicum, & à prima militia familiarem, cujus conſiliis ad omnia regenda utebatur. Sed eum Cæſarem facere noluit, ne filium nominaret, ut poſtea in Conſtantii locum nuncuparet Auguſtum atque fratrem, tunc verò ipſe Principatum teneret, ac pro arbitrio ſuo debacchatus in Orbem terræ Vicennalia celebraret, ac ſubſtituto Cæſare filio ſuo, qui tunc erat novennis, & ipſe deponeret, ita cùm Imperii ſummam tenerent Licinius ac Severus, & ſecundum Cæſarum nomen Maximinus & Candidianus, inexpugnabili muro circumſeptus, ſecuram & tranquillam degeret ſenectutem. Hoc conſilia ei oſtendebant. Sed Deus, quem ſibi fecit infeſtum, cuncta illius cogitata diſſolvit.* Galerius Maximianus ex Valeria conjuge filium non habuit, ſterilis enim erat, ut docet Lactantius cap. 50. Loquitur itaque hîc Lactantius de Candidiano, qui paulò pòſt nominatur, & quem Lactantius cap. 50. notat ex concubina natum, à Valeria adoptatum eſſe, ac deſponſum filiæ ſeptenni Maximini Auguſti, ut obſervat Baluzius in Notis ad Lactantium.

VII. *Galerius ſævit in Chriſtianos.*

Pergit Lactantius cap. 21. *Adeptus igitur maximam poteſtatem, ad vexandum Orbem, quem ſibi patefecerat, animum intendit. Nam poſt devictos Perſas, quorum hic ritus, hic mos eſt, ut Regibus ſuis in ſervitium ſe addicant, & Reges populo ſuo tanquam familiâ utantur, hunc morem nefarius homo in Romanam terram voluit inducere, quem ex illo tempore victoriæ ſine pudore laudabat. Et quia id apertè jubere non poterat, ſic agebat, ut & ipſe libertatem hominibus auferret. In primis honores ademit. Torquebantur ab eo non modò Decuriones, ſed primores etiam civitatum, egregii ac perfectiſſimi viri. Et quidem in cauſis levibus atque civilibus, ſi morte digni viderentur, cruces ſtabant: ſin minùs, compedes parati. Matres familias ingenuæ ac nobiles in gynecæum rapiebantur. Si quis eſſet verberandus, defixi in ſtabulo pali quatuor ſtabant, ad quos nullus unquam ſervus diſtendi ſolebat. Quid luſorium,* (theatrum ſeu amphitheatrum, ubi Ludi publici edebantur) *vel delicias ejus referam? Habebat urſos ferociæ ac magnitudinis ſuæ ſimillimos, quos toto Imperii ſui tempore elegerat. Quoties delectari libuerat, horum aliquem afferri nominatim jubebat. His hominus non*

planè comedendi, ſed obſorbendi objectabantur: quorum artus cùm diſſiparentur, ridebat ſuaviſſimè: nec unquam ſine humano cruore cœnabat. Dignitatem non habentibus pœna ignis fuit, & exilii primò adverſus Chriſtianos permiſerat, datis legibus ut poſt tormenta, damnati lentis ignibus urerentur. Qui cùm deligati fuiſſent, ſubdebatur primò pedibus lenis flamma tandiu, donec callum ſolorum contractum igni ab oſſibus revelleretur. Deinde incenſæ faces & extinctæ amovebantur ſingulis membris, ita ut locus nullus in corpore relinqueretur intactus. Et inter hæc ſuffundebatur facies aquâ frigidâ, & os humore abluebatur, ne areſcentibus ſiccitate faucibus, citò ſpiritus redderetur. Quod poſtremo accidebat. Tunc per multum diem decocta omni cute, vis ignis ad intima viſcera penetraſſet. (ſed legendum, *cùm per multùm diem*) *Hinc rogo facto cremabantur. Corpora jam cremata, lecta oſſa & in pulverem comminuta, jactabantur in flumine ac mare.* Tum cap. 22.

VIII. *Galerius ſævit in Romanos.* *Quæ igitur in Chriſtianis excruciandis didicerat, conſuetudine ipſa in omnes exercebat. Nulla pœna penes eum levis, non inſulæ, non carceres, non metalla; ſed ignis, crux, feræ, in illo erant quotidiana & facilia. Domeſtici & adminiſtratores lanceâ emendabantur. In cauſa capitis animadverſio gladii admodum paucis, quaſi beneficii* [*loco*] *deferebatur, qui ob merita vetera impetraverant bonam mortem. Jam illa his levia fuerant. Eloquentia extincta, Cauſidici ſublati, Jureconſulti aut relegati, aut necati. Literæ autem inter malas artes habitæ; & qui eas noverant, pro inimicis hoſtibuſque protriti & execrati. Licentia rerum omnium, ſolutis legibus, aſſumta & Judicibus data. Judices militares, humanitatis literarum rudes, ſine adſeſſoribus in Provincias immiſſi.* Tum cap. 23. pergit.

IX. *Galerius Romanos vectigalibus opprimit.* *At verò illud publicæ calamitatis & communis luctus omnium fuit, cenſus in Provincias & civitates ſemel miſſus, cenſitoribus ubique diffuſis, & omnia exagitantibus, hoſtilis tumultûs & captivitatis horrendæ ſpecies erant. Agri glebatim metiebantur, vites & arbores numerabantur, animalia omnis generis ſcribebantur, hominum capita notabantur, in civitatibus urbanæ ac ruſticæ plebes adunatæ, foras omnia gregibus familiarum referta, unuſquiſque cum liberis, cum ſervis aderant, tormenta ac verbera perſonabant, filii adverſus parentes ſuſpendebantur, fideliſſimi quique ſervi contra dominos vexabantur, uxores adverſus maritos. Si omnia defecerant, ipſi contra ſe torquebantur; & cùm dolor vicerat, adſcribebantur quæ non habebantur. Nulla ætatis, valetudinis excuſatio. Ægri & debiles deferebantur, æſtimabantur ætates ſingulorum: parvulis adjiciebantur anni, ſenibus detrahebantur. Luctu & mœſtitiâ plena omnia. Quæ veteres adverſus victos jure belli fecerant, & ille adverſus Romanos Romaniſque ſubjectos facere auſus eſt, quia parentes ejus cenſui ſubjugati fuerant, quem Trajanus Dacis, aſſiduè rebellantibus, pœnæ gratiâ victor impoſuit. Poſt hoc pecuniæ pro capitibus pendebantur, & merces pro vita dabatur. Non tamen iiſdem cenſitoribus fides habebatur; ſed alii ſuper alios mittebantur, tanquam plura inventuri. Et duplicabatur ſemper, illis non invenientibus, ſed ut libuit addentibus; ne fruſtra miſſi viderentur. Interea minuebantur animalia, & mortales obibant, & nihil minùs ſolvebantur tributa pro mortuis, ut nec vivere jam, nec mori ſaltem gratìs liceret. Mendici ſupererant ſoli, à quibus nihil exigi poſſet, quos ab omni genere injurietatis miſeria & infelicitas fecerat. Atquin homo impius miſertus eſt illis, ut non egerent. Congregari omnes juſſit, & exportatos naviculis in mare mergi. Adeo hominem miſericordem, qui providerit ne quis illo imperante miſer eſſet. Ita dum cavit, ne quis ſimulatione mendicitatis cenſum ſubterfugiat, multitudinem virorum miſerorum contra omne jus humanitatis occidit.* Hæc Lactantius.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5799. ☉ 7 F. ☽ 3. P. 11. APRIL.
INDICT. 9.
JESU CHRISTI 306.
Sedes vacat.
PERSECUTIONIS 4.
GALERII MAXIMIANI IMP. 2.
CONSTANTINI IMP. 1.

COSS. *Galerius Maximianus Aug. VI, & Conſtantius Aug. VI.* I. *Conſules.*

Sumtus à Galerio Conſulatus juxta ſecundam regulam, à Conſtantio juxta tertiam: ille enim Cæſarei Imperii Quindecennalia celebravit. Quæ etſi non exhibuiſſet, tamen cum Conſtantio Faſtis nomen dediſſet, quòd anno ſuperiori uterque Auguſtus nuncupatus fuerit. In Faſtis Theonis uterque Conſul *Auguſtus* appellatur. II. *Quindecennalia Imperii Cæſarei Galerii.*

Ad num. I. Eſt hic quartus perſecutionis annus, quo *Agapius* martyrium pertulit, ut docet Euſebius lib. de Martyribus cap. 6. de quo martyrio agitur in Epitome anno præcedenti num. 11. *Theodoſia* autem & *Pamphilus*, de quibus Euſebius ibidem cap. 7. paſſi ſunt anno quinto perſecutionis, ideoque ſequenti tantùm, non currenti, ut exiſtimabat Baronius. III. *Quartus annus perſecutionis.* Baron. num. I & II.

Ad num. II, III & IV. *Severus & Maximinus* anno CCCV Cæſares nuncupati ſunt, non verò anno currenti, ut ex iis, quæ anno CCCIV diximus, certum redditur. Præterea ea creatio non in Italia, ut perperam Socrates, quem Baronius ſequitur, ſed *Nicomediæ* facta, ut ibidem ex Lactantio lib. de Mortibus Perſecutorum oſtendi. Una itaque eademque die, ſcilicet *Kalendis Maiis* anni CCCV *Diocletianus & Herculius* abdicarunt, & *Galerius* ac *Conſtantius* Auguſti, *Severus* verò ac *Maximinus* Cæſares appellati, ut eo in loco demonſtratum. Errarunt tam Socrates & Theophanes, quàm Eutropius, qui ſcribunt, Galerium utrumque Cæſarem non creaſſe, niſi poſtquam in Italiam adventavit. Errat & Idacius in Chronico, dum abdicationem anno CCCIV Kalendis Aprilis factam dicit, quæ omnia ex iis, quæ jam in medium attulimus, certa ſunt. IV. *Severus & Maximinus Cæſares dicti.* Baron. num. V & VI.

Venio nunc ad mortem Conſtantii Chlori Auguſti Conſtantini Magni patris, de qua Lactantius V. *Conſtanti-*

nus obſes apud Diocletianum & Galerium. Lactantius citatus cap. 24. hæc habet : *Jam propinquavit illi* (ſcilicet Galerio Maximiano) *judicium Dei, ſecutumque tempus eſt, quo res ejus dilabi ac fluere cœperunt. Nondum animum intenderat ad evertendum pellendumque Conſtantium, dum eſt occupatus his* (Baron. num. IX.) *rebus, quas ſuperiùs expoſui, & expectabat obitum ejus, ſed tam celeriter non putabat obiturum. Qui cùm graviter laboraret, miſerat literas, ut filium ſuum Conſtantinum remitteret ſibi videndum, quem jamdudum* [*fruſtra repetierat.*] *Ille verò nihil minùs volebat. Nam & in inſidiis ſæpe juvenem appetiverat, quia palam nihil audebat, ne contra ſe arma civilia, &, quod maximè verebatur, odia militum concitaret. Sub obtentu exercitii ac luſûs feris illum objecerat. Sed fruſtra, quoniam Dei manus hominem protegebat, qui illum de manibus ejus liberavit in ipſo cardine. Namque ſæpius, cùm jam diu necare non poſſet, dedit illi ſigillum inclinante jam die, præcepitque, ut poſtridie manè acceptis mandatis proficiſceretur, vel ipſe illum occaſione aliqua retentaturus, vel præmiſſurus literas, ut à Severo teneretur. Quæ cùm ille proſpiceret, quieſcente jam Imperatore, poſt cœnam properavit exire; ſublatiſque per manſiones multas omnibus equis publicis, evolavit. Poſtridie Imperator, cùm conſultò ad medium diem uſque dormiſſet, vocari eum jubet. Dicitur ei poſt cœnam ſtatim profectus. Indignari ac fremere cœpit. Poſcebat equos publicos, ut eum retrahi faceret. Nudatus ei curſus publicus nuntiatur. Vix lacrymas tenebat. At ille incredibili celeritate uſus, pervenit ad patrem jam deficientem, qui ei, militibus commendato, Imperium per manus tradidit; atque ita in lecto ſuo requiem vitæ, ſicut optabat, accepit. Suſcepto Imperio Conſtantinus Auguſtus nihil egit priùs quàm Chriſtianos cultui ac Deo ſuo reddere. Hæc fuit prima ejus ſanctio ſanctæ Religionis reſtitutæ.* Hæc Lactantius. Paulò aliter Zoſimus lib. 2. aliique rem narrant, perperamque ſcribunt, Conſtantinum à Galerio Romæ obſidem tunc detentum fuiſſe. Nam, ut obſervat Baluzius in Notis ad cap. 24. Lactantii, Romam tunc temporis Galerius non viderat, ut certò colligitur ex Lactantio cap. 27. Præterea Conſtantinus obſes apud Diocletianum & Maximianum fuit, in Bithynia ſcilicet, ubi Diocletianus habitabat, ut docet Euſebius lib. 1. de Vita Conſtantini cap. 19. Philoſtorgius lib. 1. cap. 5. Anonymus Valeſianus, & Nicephorus lib. 7. cap. 18. & 19.

VI. *Conſtantii Chlori obitus.* (Baron. num. X, tom. II.)

Ceterùm, Conſtantium Chlorum hoc anno *VIII Kalend. Aug.* ut habent Idacius in Faſtis & Socrates, vitâ functum eſſe, quæ in Diſſert. Hypatica cap. 2. num. XIX in medium adduxi, evincunt. Neque, ut putarunt aliqui Viri doctiſſimi, contrarius eſt Socrates in lib. 1. cap. 1. ubi ait, eum diem obiiſſe *primo ducenteſimæ ac ſeptuageſimæ primæ Olympiadis anno*, qui currenti Chriſti anno menſe Julio abſolvitur. Nam Socrates, multorum Orientalium more, qui Eras omnes menſe Septembri auſpicantur, annum ſecundum Olympiadis ducenteſimæ ſeptuageſimæ primæ, menſe tantùm Septembri hujus Chriſti anni inchoat, ut alibi oſtendo. Nam neque Scaliger, neque Petavius, neque Calviſius hunc nodum ſolvere potuere. Hankius in libro de Byzantinarum rerum Scriptoribus Græcis parte 1. cap. 1. num. XIX & ſeqq. pluribus contendit, Conſtantium anno præcedenti è vita migraſſe, eodemque Conſtantinum Imperatorem levatum eſſe. Sed ejus fundamenta in laudata Diſſertatione à nobis everſa, licèt, cùm eam in lucem edidimus, librum illum non vidiſſemus.

VII. *Olympiadum rectè ſupputandarum ratio.* (Baron. num. IV tom. III.)

Baronius, qui duos Conſulatus è Faſtis expungendo, duos pariter tam Olympiadum quàm ceterarum Erarum annos, ubi ad Imperium Diocletiani pervenit, reſecare coactus fuit, nullam in anno Olympiadico à Socrate citato memorato, qui alios Viros doctos excruciavit, difficultatem invenit: & tamen is annus ſecundùm ejus opinionem cum præſenti Chriſti anno non concurrit. Nam cùm Baronius Olympiadem CCLXX in anno Chriſti CCCIII exordiri debeat, Olympiadem ducenteſimam ſeptuageſimam primam menſe tantùm Julio anni Chriſti CCCVII inchoare debuit, ideoque & eo anno Conſtantii mortem conſignare, quod ex Olympiadibus in margine hujus Operis à nobis annotatis facile dignoſci poteſt.

VIII. *Conſtantinus Britannus non fuit.* (Baron. num. XII & ſeqq.)

Ad num. V. Conſtantini Magni patriam fuiſſe *Naiſſum*, oppidum Daciæ mediterraneæ, nunc *Serviæ* dictæ, certum eſſe debet. Hoc enim Stephanus de Urbibus, qui nuper cum Notis in Hollandia lucem vidit, Conſtantinus Porphyrogeneta lib. 2. περὶ θεμάτων, Firmicus lib. 1. Matheſeos ſub initium, & Anonymus Valeſianus diſertis verbis docent: *Hic igitur Conſtantinus natus Helena matre viliſſima* (id eſt, infimæ conditionis) *in oppido Naiſſo, atque eductus, quod oppidum poſtea magnificè ornavit, literis minus inſtructus, obſes apud Diocletianum & Galerium, ſub iiſdem fortiter in Aſia militavit*, inquit Anonymus Valeſianus. Accedit Cedrenus, qui Conſtantinum apud urbem Daciæ natum ſcribit. Decepit Anglos, alioſque Viros doctiſſimos locus Panegyrici Maximiano & Conſtantino dicti, in quo legitur: *Liberavit ille* (Conſtantius Conſtantini M. pater) *Britannias ſervitute, tu etiam nobiles eſſe illic oriendo feciſti.* Quæ & ſimilia ita ab illis de Britannia accepta, quaſi natus illic Conſtantinus eſſet: cùm tamen Oratoris mens ſit gratulari ſe, ibi ortum factumque Imperatorem Conſtantinum, ac uno verbo de Natali Imperii, non de Natali genuino loquatur. Quare quòd Conſtantinus Anglus ſive Britannus fuerit, inter fabulas computandum.

IX. *Conſtantinus Cæſar, Severus Auguſt. dictus.*

Ad num. VIII. Lactantius poſtquam de morte Conſtantii locutus eſt cap. 25. ſubjicit: *Paucis poſt diebus laureata imago ejus* (nempe Conſtantini) *allata eſt ad malam beſtiam.* (ad Galerium ſcilicet Maximianum) *Deliberavit diu an ſuſciperet. In eo penè res fuit, ut illam & ipſum qui attulerat, exureret, niſi eum amici ab illo furore flexiſſent, admonentes eum periculi, quòd univerſi milites, quibus invitis ignoti Cæſares erant facti, ſuſcepturi Conſtantinum fuiſſent, atque ad eum concurſuri alacritate ſumma, ſi veniſſet armatus. Suſcepit itaque imaginem admodum invitus, atque ipſi purpuram miſit, ut ultro aſciviſſe illum in ſocietatem videretur. Jam*

turbatæ rationes ejus fuerant, nec potuerat alterum extra numerum nuncupare ut voluerat. Sed illud excogitavit, ut Severum, qui erat ætate maturior, Auguſtum nuncuparet, Conſtantinum verò non Imperatorem, ſicut erat factus, ſed Cæſarem cum Maximino appellari juberet, ut eum de ſecundo loco rejiceret in quartum.

X. *Maxentius fit Imperator.* Baron. num. XXII.

Tum cap. 26. *Compoſita ei res quodam modo jam videbantur, cùm ſubitò illi alius terror allatus eſt, generum ipſius Maxentium Romæ factum Imperatorem. Cujus motûs hæc fuit cauſa. Cùm ſtatuiſſet cenſibus inſtitutis Orbem terræ devorare, ad hanc uſque proſilivit inſaniam, ut ab hac captivitate ne populum quidem Romanum fieri vellet immunem. Ordinabantur jam cenſitores, qui Romam miſſi deſcriberent plebem. Eodem ferè tempore caſtra quoque Prætoria ſuſtulerat. Itaque milites pauci, qui Romæ in caſtris relicti erant, opportunitatem nacti, occiſis quibuſdam Judicibus, non invito populo, qui erat concitatus, Maxentium purpuram induerant. Quo nuntio allato, aliquantum rei novitate turbatus eſt, nec tamen nimiùm territus. Et oderat hominem, & tres Cæſares facere non poterat. Satis viſum eſt, ſemel feciſſe quod voluit. Severum arceſſit, hortatur ad recipiendum Imperium, mittit eum cum exercitu Maximiani ad expugnandum Maxentium, & mittit Romam, in qua milites illi ſummis deliciis ſæpiſſime excepti non modò ſalvam eſſe illam urbem, ſed ibi vivere optarent. Maxentius tanti facinoris ſibi conſcius, licèt jure hæreditatis paternos milites traducere ad ſe poſſet, cogitans tamen fieri poſſe, ut Maximianus ſocer, idipſum metuens, Severum in Illyrico relinqueret, atque ipſe cum ſuo exercitu ad ſe oppugnandum veniret, quærebat quatenus ſe à periculo impendente muniret. Patri ſuo poſt depoſitum Imperium in Campania moranti purpuram mittit, & bis Auguſtum nominat. Ille verò & rerum novarum cupidus, & qui depoſuerat invitus, libenter arripuit. Severus interim vadit, & ad muros urbis armatus accedit. Statim milites ſublatis ſignis abeunt, & ſe contra quem venerant, tradunt. Quid reſtabat deſerto, niſi fuga? Sed occurrebat jam reſumto Imperio Maximianus, cujus adventu Ravennam confugit, ibique ſe cum paucis militibus incluſit. Qui cùm videret futurum ut Maximiano traderetur, dedit ſeſe ipſe, veſtemque & purpuram eidem, à quo acceperat, reddidit. Quo facto, nihil aliud impetravit, niſi bonam mortem. Nam venis ei inciſis, leniter mori coactus eſt*, anno ſc. Chriſti inſequenti.

XI. *Quo die & menſe Maxentius Auguſt. dictus.*

Hanc Lactantii narrationem Numiſmata confirmant. Nam, ut videre eſt apud Mediobarbum, *Conſtantinus* in pluribus Nummis Cæſar, *Severus* verò Auguſtus dicitur; qui tituli utrique hoc anno ſine dubio dati. Diem, quo Conſtantinus Cæſar nuncupatus, Baluzius V. C. in Notis ad Lactantium, viceſimum quintum Decembris fuiſſe exiſtimat, quòd in veteri Kalendario tomo 4. Bibliothecæ Cæſareæ à Lambecio publicato ad VIII Kalendas Auguſti legatur, N̄. D. CONSTANTINI, id eſt, *Natale Divi Conſtantini*, & ad VIII Kalendas Januarias, N̄. INVICTI. id eſt, *Natale Invicti*, & quoties in eo Kalendario legitur ſimpliciter nomen *Divi*, aut *Invicti* abſque alio nomine addito, toties intelligi debeat Conſtantinus Magnus. Sed hæc conjectura non probatur, cùm Conſtantinus Cæſar à Galerio Auguſto appellatus ſit, antequam Maxentius Romæ purpuram ſumeret, aut ſaltem iis circiter diebus, ideoque ante diem viceſimum quintum Decembris, ſeu VIII Kalendas Januarii. Maxentius enim, ut ex Lactantio citato cap. 46. liquet, *VI Kalendas Novembris*, id eſt, XXVII Octobris, Imperator Romæ appellatus eſt, & teſte eodem Lactantio cap. 46. Galerius Maximianus Maxentium Imperatorem dictum non accepit, niſi poſtquam Severum Auguſtum & Conſtantinum Cæſarem appellavit. Inſuper quòd cùm *Conſtantinus*, ubi die XXV Julii, ſeu VIII Kal. Aug. patri ſucceſſit, ſtatim lauream imaginem ſuam ad Galerium Maximianum Aug. miſerit, non dubium, quin ante diem XXVII Octobris Cæſar à Galerio Maximiano appellatus fuerit. Hanc enim nuncupationem poſt tres menſes dilatam fuiſſe nullo modo veroſimile. Lactantius citatus cap. 44. ait: *Imminebat dies, quo Maxentius Imperium ceperat, qui eſt ad VI Kalendas Novembris, & Quinquennalia terminabantur*, quæ ſolennia die Imperii natali celebrari mos erat. In veteri quidem Kalendario Conſtantio imperante ſcripto, ad V Kalend. Novembris habetur, EVICTIO TYRANNI, ad IV verò ejuſdem menſis, ADVENT. DIVI: ſed hæc verba non de Maxentio & Conſtantino, ſed de Licinio & Conſtantino intelligenda, ut ex Libello de Præfectis Urbi manifeſtum fit. In eo enim ad annum Chriſti CCC XII dicitur, *V Idus Februar.* Aradium Rufinum Præfectum Urbi creatum eſſe, & *VI Kalend. Novembris* Annium Anulinum. Quare *VI Kalend. Novemb.* Maxentius devictus, & alter Urbi Præfectus à Conſtantino renuntiatus. Neque aliter locus ille, quem anno CCC XII num. 1. integrum referam, explicandus. Falluntur ergo quicumque verba laudata Kalendarii Conſtantiani de *Maxentio* interpretanda volunt.

XII. *Plures Natales Conſtantino attributi.*

Sed cùm plures *Natales* Conſtantino M. attribuantur, paululum in illis immorandum. Et quidem cum *Conſtantio* patri octavo Kalendas Auguſti præſentis anni ſucceſſiſſe, poſt librum Lactantii de Mortibus Perſecutorum in lucem editum, inter omnes convenire debet; cùm ex illo conſtet, *Conſtantinum* ante patris obitum Cæſarem non fuiſſe. Tota itaque difficultas eſt de aliis Natalibus in variis Kalendariis, & quidem antiquiſſimis memoratis. Primum eſt Kalendarium *Herwarti*, ſeu ab Herwarto publicatum, quod Petavius in ſuum Uranologium inſeruit. Secundum, Kalendarium *Philocali*, ſic à Furio Dionyſio Philocalo poſſeſſore, cujus nomen ejus initio legitur, vocatum, quod Bucherius in lib. de Doct. Temp. publicavit. Tertium eſt Kalendarium à *Lambecio* in tomo IV Bibliothecæ Cæſareæ publici juris factum. Quæ tria Kalendaria inter ſe non diverſa, ſed è diverſis MSS. eruta, & Conſtantio Conſtantini M. filio imperante ſcripta, ut apparet ex iis, quæ initio Kalendarii Philocali de Cæſarum creatione dicuntur; ibi enim Natalis Conſtantii

his verbis exprimitur : *Dn. Conſtantii VII Idus Auguſti.* Ubi Conſtantius *Dominus* vocatur, non Divus, quia cùm hæc Auctor ſcriberet anno Chriſti CCCLIV, adhuc ille vivebat, ut Bucherio obſervatum. Quartum denique Kalendarium eſt *Polemii Sylvii*, cujus Fragmentum exhibet Bollandus in Præfatione ad menſem Januarium pag. 43. ubi & ex eodem Kalendario oſtendit, illud *Aſterio Conſule*, anno nempe Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo nono, promulgatum fuiſſe. In eo ſunt aliqua magni momenti, quæ in tribus præcedentibus non leguntur. In iſtis tribus tres alii *Natales* Conſtantini habentur. III Kalend. Martii in illis legitur: *Natalis Divi Conſtantini C M. XXIIII.* id eſt, *centum miſſus*. Idem Natalis in Laterculo Sylvii reperitur. Pridie Kalend. Aprilis in Kalendario tam Herwarti quàm Lambecii ſcriptum eſt: *N. Divi Conſtantini C M. XXIIII.* In Laterculo verò Sylvii : *Natalis Conſtantini. Circenſes.* Denique VII Idus Auguſti in Laterculo Sylvii habetur : *Natalis Conſtantini junioris*; cùm tamen tam in Kalendario Lambeciano, quàm Herwartiano ſcriptum ſit, N̄. CONSTANTII. CM̄. XXIIII. & quidem rectiùs. Conſtantii enim, qui tum imperabat, Natalis genuinus non videtur fuiſſe prætermiſſus. Solùm itaque difficultas de Natali Conſtantini III Kalend. Martii illigato, & de altero ejuſdem Principis, qui pridie Kalendas Aprilis annotatur. Neuter certè nec Natali Imperii Cæſarei Conſtantini à tempore, quo Cæſar à Galerio appellatus eſt, nec Natali Imperii ejus Auguſtei, ei ſc. quo ab Herculio Auguſtus nuncupatus eſt, convenire poteſt. Alterutrum tamen ad Natalem genuinum Conſtantini M. referendum eſſe non videtur dubitandi locus. Unicum ergo Natale reſtat, quod Conſtantino Juniori Conſtantini M. filio tribuendum eſſe exiſtimo. Obſtat quidem nomen *Divi*; *Conſtantinus* enim Junior inter Deos relatus non eſt, ſicut tam Conſtantius, quàm Conſtantinus M. ejus filius, qui apotheoſi honorati fuere. Sed vel illud epithetum *Conſtantino juniori* honoris ergò adſcriptum; vel in illa Kalendaria perperam intruſum; ſicut vidimus vocem *Junioris* Sylvii Laterculo malè additam fuiſſe. Denique Natale, quod VIII Kalend. Januarii in illis Kalendariis his verbis deſcribitur, N̄. INVICTI, id eſt, *Natale Invicti*, ad *Solem*, quem Romani ut Deum adorabant, referendum eſſe, indicant varia Numiſmata Imperatorum, in quorum averſa parte legitur: SOLI INVICTO, ut in illo Conſtantini M. à Cangio in *Conſtantinopoli Chriſtiana* recitato, in cujus poſtica legitur : SOLI INVICTO COMITI. Quæ inſcriptio frequens in Numiſmatis ejuſdem Imperatoris.

XIII. *Herculius hoc anno Imperium reſumſit.*

Ante hujus anni finem *Severus* in Italiam mitti non potuit, cùm *Maxentius* die tantùm viceſima ſeptima menſis Octobris Imperium Romæ arripuerit. Præſenti tamen anno *Severum* Auguſtum nuncupatum fuiſſe, idque antequam *Maxentius* purpuram ſumeret, ex dictis manifeſtum redditur, & indicat Conſulatus ſuffectus anno inſequenti juxta primam Conſulatuum Cæſareorum regulam geſtus. Currenti etiam anno *Maximianus*

Seculum IV.

Herculius, qui poſt depoſitum Imperium in Lucania morabatur, à Maxentio filio, dum is in Campania eſſet, Romam vocatus eſt, ab eoque iterum Auguſtus nuncupatus, ut jam ex Lactantio diximus, quod præſenti anno factum, non tantùm ex laudatis Lactantii verbis, ſed etiam ex ejus Conſulatu ordinario anno ſequenti juxta primam Conſulatuum Cæſareorum regulam aſſumto colligitur. Non potuit Galerio Maximiano non grave accidere, quòd Herculius à *Maxentio* filio rurſus Imperator dictus eſſet; ejus tamen nuncupationem eidem tandem probatam ex eò deduco, quòd anno ſequenti Maximianus Herculius Faſtis nomen dederit, & Galerius Maximianus in Nummis apud Mediobarbum pag. 443. dicatur : IMP. MAXIMIANUS JUNIOR AUG. Nam, ut ait Auctor Panegyrici Maximiano Herculio & Conſtantino anno ſequenti dicti num. 3. ſenior Auguſtus, qualis in Nummis Herculius, poſt reſumtum Imperium appellatur, *majeſtate* præcedebat, *junior* eum ſequebatur. Herculium autem ſeniorem Imperatorem dictum fuiſſe liquet ex variis Nummis apud Mediobarbum pag. 435. inter quos is legitur: D. N. MAXIMIANO BEATISSIMO SEN. AUG.

XIV. *Maxentius Herculii filius, & Galerii gener fuit.*

Denique deceptus eſt Baronius, quando ſcripſit, *Maxentium* Maximiani Herculii generum fuiſſe, non verò filium. *Maxentius* enim filius fuit Herculii, ut non tantùm teſtantur Eutropius, Victor de Cæſaribus, Zoſimus, Euſebius in Hiſtoria, Socrates, Anonymus Valeſianus & Auctor Chronici Alexandrini pag. 443. ſed etiam Lactantius lib. de Mortibus Perſecutorum ſuprà à nobis citatus, qui & docet, *Maxentium* Galerii Maximiani generum fuiſſe, quemadmodum & Anonymus Valeſianus, quod confirmat Valeſius in Notis ex Victore in Epitome. Nummus itaque à Baronio recitatus, in quo legitur, IMP. MAXENTIUS DIVO MAXIMIANO SOCERO, cuſus eſt in honorem Galerii Maximiani, non verò in honorem Maximiani Herculii, ut putavit Baronius; ex eoque liquet, Galerium Maximianum inter Deos à Maxentio genero fuiſſe relatum. Apotheoſim verò Herculii à Maxentio filio peractam oſtendit hic Nummus apud Mediobarbum : DIVO MAXIMIANO PATRI MAXENTIUS AUG. F. Varia alia ibidem Numiſmata Herculium eo honore decoratum oſtendunt, ſed an à Maxentio, vel à Galerio Maximiano, clarè non indicant. Ex laudato tamen Nummo manifeſtum eſt, eam apotheoſim Maxentio, non verò Galerio Maximiano attribuendam eſſe.

Baron. num. XXIII.

XV. *Alexander & Valerius Valens tyrannidē arripiunt.*

Ad num. IX uſque ad num. XIV. Anno ſequenti *Alexander*, qui Præfecti Prætorii Africæ munere fungebatur, inquit Zoſimus, à militibus purpurâ indutus eſt. Alexandri meminere tam Victor de Cæſaribus, quàm Victor in Epitome, quem annos quatuor imperaſſe liquet ex ejus Nummis Græcis apud Goltzium, in quibus quartus Imperii ejus annus legitur. Debellatus eſt autem à Maxentio anno trecenteſimo undecimo, qui anno inſequenti propter illam victoriam triumphavit, & Chriſtianis libertatem in Africa reſtituit, ut mox explicabimus. Eodem ferè tempore, quo Alexander apud Carthaginem Im-

Baron. num. XXVIII.

perator fit, *Valens Imperator creatur*, inquit Victor in Epitome, qui poſtquam Maximini mortem narravit, ſubjungit: *Valens à Licinio morte mulctatur.* De hoc Valente loquitur Lactantius lib. de Mortibus Perſecutorum cap. 50. ut primus omnium obſervavit eruditiſſimus Abbas Ludovicus *du Four* in literis ad me ſcriptis. Ibi Lactantius, Maximini morte recitata, ait: *Licinius ſummâ rerum potitus, inprimis Valerium, quem Maximinus iratus nec poſt fugam quidem, cùm ſibi videret eſſe pereundum, fuerat auſus occidere, necari juſſit.* Nec dubitari poteſt, quin *Valerius* ille idem ſit cum *Valente* à Victore memorato, cùm Goltzius inter Nummos triginta Tyrannorum, qui imperante Gallieno Rempublicam Romanam afflixere, hunc referat: ΑΥΤ Κ. ΠΟΥ ΟΥΑΛΕΡ ΟΥΑΛΕΝΣ ΣΕΒ. L. Α. id eſt, *Imperator Cæſar Publius Valerius Valens Auguſtus. Anno primo.* Nummus tamen ille ad Valerium Valentem Licinii juſſu occiſum, non verò ad Valentem, qui poſt Valerianum in Perſidem abductum tyrannidem arripuit, (ut teſtatur Pollio lib. de Triginta Tyrannis cap. 19.) omnino pertinet, licèt Mediobarbus huic Valenti, qui brevi in Macedonia imperitavit, attribuat.

XVI.
Initiũ ſchiſmatis Donatiſtarum.

Baron. num. XXVIII & ſeqq.

Cùm porro *Maxentius* nonniſi poſt devictum *Alexandrum* Tyrannum in Africa regnaverit, ſchiſma Donatiſtarum ante annum CCCXI non contigit, ut doctè animadvertit Valeſius in Diſſertatione de Schiſmate Donatiſtarum. Originem ſchiſmatis ab ordinatione *Majorini* eſſe repetendam, docent Optatus & Auguſtinus. Sed promotio *Cæciliani* & ſchiſma Majorini ad præſentem annum non pertinent, ut putavit Baronius. Nec hæc Euſebii verba lib. 8. cap. 16. *Hujus* (nempe Herculii Maximiani) *filius Maxentius principio quidem Fidei noſtræ profeſſionem ſimulavit, ut in eo morem gereret, blandireturque populo Romano. Itaque ſubditis ſuis præcepit, ut à perſecutione Chriſtianorum deſiſterent*, connexionem ullam habent cum iſtis verbis Optati lib. 1. *Tempeſtas perſecutionis peracta & definita eſt. Jubente Deo, indulgentiam mittente Maxentio, Chriſtianis libertas eſt reſtituta. Botrus & Celeuſius, ut dicitur, ordinari cupientes*, &c. Nam Euſebii verba reſpiciunt initium Imperatoris Maxentii in Italia; Optatus verò ſermonem habet de indulgentia, quam Maxentius in Africam miſit poſt Alexandrum Tyrannum interfectum. Et quo pacto Maxentius hoc anno indulgentiam, id eſt, edictum de libertate Chriſtianorum miſiſſet in Africam, cùm poſt Severi Cæſaris, cui Africa parebat, necem, quæ anno ſequenti accidit, Maxentii imagines Carthaginenſes admittere noluerint, ut teſtatur Zoſimus lib. 2. Quo comperto, Maxentius dolo agendum ratus, ſcripſit ad Alexandrum, qui tunc Præfecti Prætorio in Africa vicem gerebat, mandans, ut quoniam totius Italiæ Imperio jam ſine controverſia potiebatur, ipſe quoque partibus ſuis adjungeretur. Hoc cùm *Alexander* facere recuſaſſet, *Maxentius* miſſis quibuſdam militibus, interficere eum conatus eſt. Sed detectis inſidiis, milites, qui in Africa erant, Alexandrum Imperatorem creaverunt. Quare anno tantùm ſequenti, aut forte anno CCCVIII, Alexander Auguſtus appellatus. Addit Zoſimus: *Maxentius occaſionem belli adverſus Conſtantinum quærere cœpit; infenſus erga illum, ut præ ſe ferebat, eò quòd patri ſuo Maximiano Herculio cauſam mortis præbuiſſet. Itaque in Rhætias cum exercitu progredi jam parabat, ſperans ſe Dalmatiam & Illyricum, omneſque Licinii copias facilè ad partes ſuas traducturum. Hæc in animo habens ante omnia res Africanas componere decrevit. Quare coactis copiis Rufium Voluſianum Præfectum Prætorio cum Duce Zena in Africam mittit: à quibus Alexander primo prælio victus, interfectus eſt.* Paulò pòſt Zoſimus ſcribit: *Bello in hunc modum finito, latus calumniatoribus apertus eſt campus, omnes propè dixerim, quotquot in Africa vel genere vel opibus præſtabant, vel ut Alexandri partium ſectatores deferendi: nec ullis omnino parcebatur, dum alii necarentur, alii facultatem ſuam amitterent. Quin & Romæ triumphatum eſt ob perpetrata Carthagine mala.* Hæc Zoſimus.

XVII.
Schiſma poſt Maxentii triumphum cœpit.

Triumphus ille *Maxentii* anno CCCXII ductus, ut ejus Quinquennalia in eum annum dilata manifeſtum faciunt. Triumphi enim de more cum Quinquennalibus & id genus feſtis copulati, niſi ad triumphandum Imperatores Conſulatum ſumerent. Quare cùm anno CCCXI Maxentius Conſul non proceſſerit, ejus triumphus anno inſequenti actus. Præterea ex dictis apparet, *Alexandrum* ante mortem Severi Cæſaris & finem ejus anni CCCVII purpuram non induiſſe, & quatuor annos imperaſſe; ideoque interitus anno CCCXI contigit. Ad hæc, ex libello de Præfectis Urbi diſcimus, *Rufium* ſeu Rufinum Voluſianum menſe Septembri anni Chriſti CCCXI Conſulem ordinarium proceſſiſſe. Ex quo colligimus, eo anno *Alexandrum* occiſum, Maxentiumque Africâ potitum eſſe, qui ob operam fortiter à Rufio ſeu Ruſo, ut eum vocat Victor de Cæſaribus, navatam ad Conſularem dignitatem illum evexit. Anno itaque CCCXII ſui triumphi occaſione indulgentiam in Africam Maxentius miſit, contigitque quod ſcribit Optatus lib. 1. *Tempeſtas perſecutionis peracta & definita eſt. Jubente Deo, indulgentiam mittente Maxentio, Chriſtianis libertas eſt reſtituta. Botrus & Celeuſius, ut dicitur, ordinari cupientes*, &c. Annis quibus Quinquennalia & id genus feſta celebrata, triumphique ducti, reis venia de more data, & Chriſtianis libertas Religionis reſtitui ſolita, ut in Diſſertatione Hypatica oſtendi. Baronius anno CCXCIX refert Severi Imperatoris Numiſma, in quo viſitur Severus, & circùm hæc verba leguntur: SEVERUS PIUS AUG. P. M. TR. P. XI. à tergo expreſſa eſt Carthaginenſium Dea *Cæleſtis* dicta, vehente leone, ad cælum commeans, & circùm hæc verba: INDULGENTIA AUGG. id eſt, Severi & Caracallæ. Severus anno CCCIII Decennalia celebravit, ac triumphum de Parthis exhibuit, & utriuſque feſtivitatis occaſione indulgentiam, ut vocabant, in Africam miſit. Mitto alia exempla, quæ paſſim occurrunt. Ex quibus inferre licet, indulgentiam, de qua Optatus citatus loquitur, quæ aliud non erat quàm libertas Religionis, in Africam miſſam eo anno, quo Maxentius trium-

phavit, Chriſti ſcilicet CCC XII, ideoque & eodem anno ſchiſma Donatiſtarum inchoatum eſſe.

XVIII. *Schiſma ſedente Melchiade inchoatum.*

Baronius, ut ſchiſma illud hoc anno cœpiſſe oſtendat, utitur auctoritate Divi Auguſtini, quem ait, in Breviculo Collationis diei III cap. 18. & libro poſt Collationem cap. 13. affirmare, *Melchiadem* (hoc tempore Romanum Presbyterum, poſtea Pontificem, inquit Baronius ex Auguſtino, ut ſupponit) miſiſſe *Stratonem* Diaconum unà cum literis Maxentii Imperatoris & Præfecti Prætorio, ad Præfectum Urbis, ut reciperent loca, quæ fuerant à Chriſtianis tempore perſecutionis ablata. Eadem Auguſtini verba citat Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum die XVII Kalendis Februarii, quo S. Marcellus Papa colitur, ſed pariter interpolata; ait enim: *Melchiades tunc Romanus Presbyter miſit Diaconos cum literis Maxentii*, &c. Verùm Auguſtinus nullo modo dicit, Melchiadem fuiſſe tunc Presbyterum. Imò Melchiades Epiſcopi fungitur muneribus in eo Breviculo, quod patet ex ſequentibus Auguſtini verbis; ait enim, *Donatiſtas ex Actis oſtendere conatos fuiſſe, Stratonem Diaconum, quem cum aliis ad recipienda loca Eccleſiaſtica miſerat, ſuperioribus geſtis recitatum, eſſe Traditorem, & ideo volebant etiam Melchiadem crimine Traditionis aſpergere, quòd Diacono illo non degradato uteretur.* Degradatio Diaconorum, ſicut & Presbyterorum, ad ſolos Epiſcopos pertinet. Unde Melchiades jam Epiſcopus erat, cùm crimen illi impingeretur, quòd *Stratonem* Diaconum non degradaſſet, imò eo uſus fuiſſet in Eccleſiæ miniſterio. In Collatione Orthodoxi omnia in Actis relata tanquam vera admittebant, ſed contra Donatiſtas contendebant, *Stratonem* illum Diaconum in Actis relatum, quo uſus eſt Melchiades, alium fuiſſe à *Stratone* Traditore. His prorſus ſimilia narrat Auguſtinus tractatu contra Donatiſtas poſt Collationem cap. 13.

XIX. *Duæ paces Maxentianæ non confundendæ.*

Porro diſtinguendæ ſunt *duæ paces* Chriſtianis à Maxentio Imperatore datæ, quas in unum Baronius confundit. Prior eſt, quam Imperii ſui initio Romanis Italiſque conceſſit, de qua loquitur Euſebius lib. 8. cap. 14. ubi ait: *Subditis ſuis præcepit, ut à perſecutione Chriſtianorum deſiſterent.* Altera quam Africanis largitus eſt anno trecenteſimo duodecimo, poſtquam *Alexandrum* Africæ Tyrannum profligavit, de qua pace loquitur Optatus lib. 1. ubi ſermonem habet de initio ſchiſmatis Donatiſtarum; quo etiam in loco Alexandri Tyranni meminit: *Iiſdem temporibus Felix quidam Diaconus, qui propter famoſam, neſcio quam, de Tyranno Imperatore tunc factam epiſtolam, appellatus eſt, periculum timens apud Menſurium Epiſcopum delituiſſe dicitur. Quem cùm poſtulatum Menſurius publicè denegaret, relatio miſſa eſt. Reſcriptum venit, ut ſi Menſurius Felicem Diaconum non reddidiſſet, ad palatium dirigeretur. Conventus non leves patiebatur anguſtias. Erant enim Eccleſiæ ex auro & argento quamplurima ornamenta, quæ nec defodere terræ, nec ſecum portare poterat. Quaſi Fidelibus Senioribus commendavit, commentario facto, quod cuidam aniculæ dediſſe*

Baron. num. XV & XVI.

dicitur: ita ut ſi ipſe non rediret, reddita pace Chriſtianis, anicula illa illi daret, quem in Epiſcopali cathedra ſedentem inveniret. Profectus cauſam dixit. Juſſus eſt reverti Carthaginem: pervenire non potuit. (id eſt, in via deceſſit) *Tempeſtas perſecutionis peracta & definita eſt. Jubente Deo, indulgentiam mittente Maxentio, Chriſtianis libertas eſt reſtituta.* Res illa geſta, dum Alexander Tyrannus Africæ Eccleſiam perſequeretur, de quo, non verò de Maxentio, ut perperam Balduinus in Annotationibus ad primum librum Optati, ejuſdem Optati locus intelligendus, quando ait, *de Tyranno Imperatore tunc factam epiſtolam*: de Maxentio enim poſtea Optatus loquitur. Ex quo, ut id obiter advertam, liquet, *Alexandro* in Africa imperante, Chriſtianos vexatos fuiſſe, & poſt ejus interitum à Maxentio perſecutione liberatos, paceque donatos. Verùm hæc pax non hoc anno, ut putavit Baronius, ſed poſt quinquennium aut circiter, Afris conceſſa; ideoque & diverſa ab ea, quam ſui Imperii initio largitus eſt *Maxentius*.

XX. *Series Romanorum Pontificum ex Auguſtino firmata.*

Baronius perperam ad utramque pacem refert Auguſtini locum lib. poſt Collationem cap. 12. & 13. ubi de Donatiſtis Melchiadi Papæ crimen Traditionis impingentibus Auguſtinus loquens ait: *Recitaverunt etiam* (Donatiſtæ) *alia Geſta, ubi Melchiadem legebatur miſiſſe Diaconos cum literis Maxentii Imperatoris & Præfecti Prætorio ad Prætorem Urbis, ut reciperet loca, quæ fuerant à Chriſtianis tempore perſecutionis ablata. Ubi cùm Melchiadis crimen penitus nullum appareret, dixerunt, ſuperioribus Traditionis Geſtis Traditorem Stratonem fuiſſe recitatum.* Hæc enim circa annum CCC XI, quo Melchiades Pontificatum Romanum adeptus eſt, in Italia geſta; Præfecti enim Urbis juriſdictio non extendebatur ultra milliarium. Quare ſignificat Auguſtinus, *Maxentium* Imperii ſui initio Chriſtianis juſſiſſe reddi, quæ tempore perſecutionis, antequam ipſemet regnaret, excitatæ, fuerant ablata. Quæ reſtitutio cùm tunc peracta non fuiſſet, Melchiades poſt aliquot annos Pontifex creatus, ut fieret, omnem induſtriam adhibuit. Ad hæc Auguſtinus in Breviculo & Collatione tertii diei eandem hiſtoriam recitans ait: *Et cùm his quoque Geſtis nullum Melchiadis crimen & Cognitori & Catholicis Defenſoribus appareret, dixerunt Donatiſtæ, Stratonem Diaconum, quem cum aliis Melchiades ad recipienda loca Eccleſiaſtica miſerat, ſuperioribus Geſtis recitatum eſſe Traditorem, & ideo volebant etiam Melchiadem crimine traditionis aſpergere, quòd Diacono illo non degradato uteretur. In proſecutione autem ſua dixerunt, Melchiadem tertium Epiſcopum fuiſſe ab illo, qui tunc erat, cùm Traditio illa facta eſſet.* Sed rectè ibidem reſponderunt Catholici, Stratonem illum, quo uſus fuerat Melchiades, vel diverſum eſſe à Stratone illo Traditore, vel quod, *etſi demonſtraretur, quod omnino non demonſtrabatur, eundem Stratonem Diaconum tradidiſſe, quem poſtea Melchiades ad recipienda loca Eccleſiaſtica cum aliis Diaconis miſit, non continuò Melchiadem iſto crimine aſpergi, quem potuit perſecutio longè facere abſentem, ut hoc omnino ne-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſciret, eumque innocentem putaret, quem nemo reum accuſando monſtrarat. Quæ verba egregia ſunt ad confirmandam Chronologiam & ſeriem Pontificiam, non parum per hæc tempora obſcuram. *Strato* enim ille, de quo Donatiſtæ, Traditor fuerat Romæ vel in Italia ante menſem Maium anni trecenteſimi quinti, quo poſt abdicationem Diocletiani & Maximiani Herculii perſecutio in Occidente ceſſavit; ideoque verum eſt, quod legitur in Catalogo Damaſi, videlicet poſt S. Marcellini Papæ obitum, qui anno CCC IV contigit, longum fuiſſe Interpontificium; nec ante annum CCC VIII Marcellum Pontificem Romanum renuntiatum eſſe. Ait enim Auguſtinus, *Melchiadem tertium Epiſcopum fuiſſe ab illo, qui tunc erat, cùm Traditio illa facta eſſet.* Cùm enim inter omnes conveniat, Melchiadem ante annum Chriſti CCC XII Sedem Romanam adeptum eſſe, tres illi Pontifices ibidem ſignificati, alii eſſe non poſſunt, quàm ipſemet Melchiades, qui in cenſum confertur, Euſebius ejus deceſſor, & Marcellus, qui anno CCC VIII Pontificatum adeptus eſt. Nam *Maxentius* anno CCC VI, quo Romæ levatus eſt Imperator, perſecutioni finem impoſuit, ideoque ante eum annum *Strato* Traditor fuerat, idque vigente perſecutione; Sedes vacabat, ut ex Chronico Damaſi intelligimus; & Marcellinus ad Deum tranſierat: alioquin *Melchiades* non tertius Pontifex ab illa Traditione fuiſſet, ut in laudato Auguſtini loco dicunt Donatiſtæ, ſed quartus.

XXI. *Marcellus & Marcellinus non cõfundendi.*

Liquet etiam, Marcellinum malè cum Marcello ab aliquibus confundi, exiſtimantibus memoratum Auguſtini locum, in quo dicitur: *Legebatur, Melchiadem miſiſſe Diaconos cum literis Maxentii Imperatoris & literis Præfecti Prætorii ad Præfectum Urbis, ut ea reciperent, quæ tempore perſecutionis ablata, memoratus Imperator Chriſtianis juſſerat reddi*; explicandum eſſe de pace à Maxentio anno CCC VI Chriſtianis Italiæ præſtita, ideoque tres illos Epiſcopos, de quibus Auguſtinus, alios non eſſe quàm Marcellinum, Euſebium & Melchiadem, huncque tunc, anno nempe CCC VI, jam Pontificem fuiſſe, veramque eſſe Euſebii ſententiam, quæ Marcellum Pontificem non agnoſcit. Ita diſſerit Vir eruditiſſimus Ludovicus *du Four*, cum quo per literas de hac difficultate egi, qui addit, libellum Anonymum *Depoſitionis Epiſcoporum* ſedente Liberio ſcriptum, & à Bucherio publicatum, unius Marcellini ad diem XVI Januarii, quo Marcellus Papa in Martyrologio Romano colitur, meminiſſe. Verùm cùm de Marcello Papa ea die Beda ac ceteri omnes, teſte Baronio in Notis ad Martyrologium Romanum agant, error in eundem libellum irrepſiſſe videtur, & loco *Marcellini*, nomen *Marcelli* legendum, & parte alia locus ab auctoritate negativa parum urget. *Marcellini* meminit Euſebius ſeu Hieronymus in Chronico, Marcelli verò Damaſus Papa & Auctor Martyrologii antiquiſſimi Hieronymo attributi. Denique Marcellinus non poteſt unus eſſe ex tribus Pontificibus ab Auguſtino memoratis, cùm vel ipſo Euſebio in Chronico teſte, antequam *Maxentius* in Italia regnaret, ſupremum diem obierit. Quoad Auguſtinum, aliud non indicat, quàm, Melchiadem Pontificem Romanum (ideoque poſt annum CCC X) miſiſſe Diaconos cum literis Maxentii, ut ea reciperent, *quæ tempore perſecutionis*, antequam nempe hic imperaret, *ablata* memoratus Imperator juſſerat reddi Chriſtianis, quæ tunc initio ſc. Imperii ſui propter cauſas nobis ignotas reddita non fuerant, ut ſuprà explicavi. Vide quæ de Marcellino & Marcello ſuis locis dixi.

XXII. *Cauſa Sylvani Traditoris.*

Valeſius in Diſſert. de Schiſmate Donatiſtarum cap. 2. alium Annalium errorem emendat. Scribit Baronius, Acta apud *Zenophilum* Conſularem Numidiæ, quibus Cæcilianus purgatus, & *Sylvanus* Cirtenſis, unus ex ordinatoribus Majorini, Traditor convictus eſt, ad hunc annum pertinere. (Baron. num. XXXIX.) Sed vel ipſe titulus Actorum eam ſententiam refellit. Sic enim prænotantur hæc Geſta: *Conſtantino Maximo Auguſto, & Conſtantino juniore nobiliſſimo Cæſare Conſulibus*, &c. Apud Auguſtinum verò perperam legitur: *Conſtantio Maximo Auguſto.* Qua lectione inductus Baronius, Conſtantium Chlorum hîc deſignari cenſuit, qui currenti anno dum ſextum Conſulatum gereret, finem vivendi fecit; eique ſuffectum fuiſſe vult Conſtantinum, gravi errore. Nam ſi hoc anno Conſul fuiſſet Conſtantinus, ſequenti iterum Conſul dici debuiſſet in Faſtis, cùm tamen tunc Conſul ſine numerali nota ubique legatur. Deinde ſi Conſtantinus in locum patris ſuffectus eſt Conſul, cur nomen Conſtantii patris adhuc in Faſtis remanet? Sed & cognomina quæ in Actis illis utrique tribuuntur, ſatis indicant, Conſtantium Chlorum hîc deſignari non poſſe. Neque enim Conſtantius Chlorus *Maximi* titulum unquam geſſit; nec Conſtantinus ejus filius *junior* cognominatus eſt. Cùm enim *junior* dicatur ad diſtinctionem ſenioris qui eodem appellatur nomine, quomodo dici potuit *junior* Conſtantinus, cùm ante ipſum nemo hoc nomine fuerit inſignitus? Quare non dubium eſt, quin corrupta ſit Auguſtini lectio, ſcribendumque in Geſtis Purgationis Cæciliani: *Conſtantino Maximo Auguſto, & Conſtantino juniore nobiliſſimo Cæſare Conſulibus.* Fuit hic annus Chriſti viceſimus ac trecenteſimus, quo Zenophilus Conſularis Numidiæ, cauſâ cognitâ, Sylvanum Cirtenſem Epiſcopum Traditorem fuiſſe pronuntiavit.

XXIII. *Quo anno agitata.*

Porro hæc apud Zenophilum Acta hoc anno fieri non potuiſſe, pluribus argumentis probat Valeſius. Primò, *Conſtantina* civitas & Conſtantienſes in iis Geſtis dicuntur cives urbis Conſtantinæ. Nam Victor Grammaticus ait, patrem ſuum fuiſſe Decurionem Conſtantienſem. Atqui certum eſt, nonniſi poſt Maxentii mortem, Cirtam oppidum Numidiæ, quod *Alexandri* Tyranni obſidione ceciderat, à Conſtantino inſtauratam, ejuſque vocabulo appellatam fuiſſe, ut teſtatur Aurelius Victor. Deinde jam tum Cæciliani innocentia multis indiciis probata fuerat, cùm hæc apud Zenophilum geſta ſunt. Sic enim initio Actorum legitur: *Cur ergo intermiſſo eo, cujus innocentia probata eſt, Sylvano communicas?* Adde, quòd Clerici adverſus Sylvanum interrogati reſpondent, ſe à majoribus & ſenioribus Clericis ita accepiſſe,

quòd Traditor eſſet Sylvanus, id eſt, quòd tradidiſſet lucernam argenteam tempore perſecutionis, Diocletiano VIII & Maximiano VII Coſſ. anno Chriſti 303. Quòd ſi hæc Acta apud Zenophilum currenti anno geſta eſſent, Clerici utique non dicerent, accepiſſe ſe à majoribus ſuis rem adhuc recentis memoriæ, quam ipſi videre potuerant. Denique quis Zenophilo præceperat, ut de crimine Traditionis Sylvani tantâ curâ ac diligentiâ cognoſceret? Certè non Galerius. Hic enim Chriſtianos acerbiſſimè perſequebatur. Nec Maxentius. Nam & hic paganus fuit, ut ex Euſebio & Zoſimo conſtat; & hoc anno, quo hæc Baronius acta affirmat, nondum Africam ſub ſuam ditionem redegerat; paruit enim illa *Severo* Cæſari, & poſt hujus mortem quæ anno ſequenti contigit, *Alexandro* Tyranno, quem quartum Imperii ſeu Tyrannidis annum inchoaſſe, ex Nummis diſcimus. Sed neque dici poteſt, Conſtantinum Imp. eam cognitionem mandaſſe *Zenophilo*; quippe qui hoc anno nihil in Africa Conſtantinus poſſideret. Ex quibus manifeſtè convincitur, Acta hæc apud Zenophilum Conſularem Numidiæ, non hoc anno, ſed anno CCC XX geſta eſſe, Conſtantino M. Auguſto, & Conſtantino Juniore nobiliſſimo Cæſare Coſſ. Hæc rectè Valeſius.

XXIV.
Origo ſchiſmatis Meletianorum.
Baron. num. XLIV & ſeqq.

Ad num. XIV. Initium ſchiſmatis *Meletianorum* anno trecenteſimo primo, vel circiter, contigit. Athanaſius enim in *Epiſtola Encyclica contra Arianos ad Epiſcopos Ægypti & Lybiæ*, quæ ſub nomine *Orationis primæ contra Arianos*, ejus Operibus inſeritur, loquens de quadam Fidei formula ab Euſebianis conſcripta, quam ii ab Ægyptiis ſubſcribendam volebant, ait: *Ob eandem cauſam Georgium quendam ex Cappadocia conduxerunt mittendum ad vos, cujus tamen nulla habenda eſt ratio; dicunt enim in his partibus, quòd ne quidem Chriſtianus omnino ſit, ſed idolorum Zelator, & moribus carnifex: ideoque ab his electum, ut poſſit injurias, rapinas & cædes facere: ad hæc enim exercitatus eſt diu, & quæ Chriſtianæ Fidei ſunt, prorſus ignorat.* Baronius exiſtimans, eam Epiſtolam ſeu Orationem primam adverſus Arianos anno trecenteſimo ſexageſimo ſecundo ſcriptam eſſe, ſchiſmatis *Meletianorum* originem huic anno illigavit; quòd in ea Epiſtola dicatur, quinquaginta ſex annos ab initio ſchiſmatis Meletiani effluxiſſe; quos ideo à currenti Chriſti anno auſpicandos arbitratus eſt. At ex laudatis Athanaſii verbis patet, nondum ſedem Alexandrinam *Georgium* invaſiſſe; imò nec famâ adhuc Ægyptiis notum fuiſſe, quando Athanaſius eam ſcripſit Epiſtolam. Quare cùm initio anni trecenteſimi quinquageſimi ſexti, ut ſuo loco dicetur, in Eccleſiam Alexandrinam Georgius irruperit, conſtat, eam Epiſtolam circa ejuſdem anni initium ad Ægyptios miſſam, & quinquaginta ſex annos in ea memoratos ab anno trecenteſimo primo vel circiter inchoandos.

XXV.
Euſebius de eo ſchiſmate loquutus eſt.

Præterea Euſebius initio libri 8. de perſecutione Diocletianea verba facturus ait: *Cum ſenſu omni deſtituti, de placando Dei numine ne cogitaremus quidem; quin potiùs inſtar impiorum quorundam res humanas nulla ſolicitudine ac providentia gubernari rati, alia quotidie crimina aliis adjiceremus: cùm Paſtores noſtri, ſpretâ Religionis regulâ, mutuis inter ſe contentionibus decertarent, nihil aliud quàm jurgia, minas, æmulationem, odia ac mutuas inimicitias amplificare ſtudentes; Principatum quaſi tyrannidem quandam contentiſſimè ſibi vendicantes: tunc demum juxta dictum Jeremiæ, obſcuravit Dominus in ira ſua filiam Sion, & dejecit de cælo gloriam Iſraël.* Id eſt, Diocletianum & Maximianum in Eccleſiam ſævire permiſit. Quæ Euſebii verba Baronius referens, reprehendit Euſebium, culpatque, quòd Sacerdotibus detrahat, & infenſum planè in eos animum præferat: *Sed & quæ de Epiſcoporum diſcordiis*, inquit, *idem etiam Euſebius recitat, pariter refutantur. Certè quidem nec leve veſtigium diſcordiarum, quas jactat inter Eccleſiarum Præſides interceſſiſſe, his temporibus, antequam Meletiani in Ægypto ſchiſma conflaret, vel Arius hæreſim excogitaret, (quæ omnia facta ſunt poſtea) aliquis poterit demonſtrare.* Sed Meletiani ſchiſmatis initio anno ſuo reddito, ſua Euſebio fides ſtat, conſtatque, illud perſecutionem Diocletianeam præceſſiſſe, ac hujus ſeculi initio in Ægypto ortum eſſe.

Baron. anno 302. n. VI & X.

XXVI.
Acta Meletianorum falſa.

Porro Petavius in Animadverſionibus Epiphanianis ad hæreſim 68. quæ eſt *Meletianorum*, ſubſcribit Baronio quoad Meletiana Acta, ac quoad totam ſchiſmatis hiſtoriam, quam ibidem proponit Epiphanius. Certiſſimum enim eſt, à Meletiano aliquo Scriptore falſa Meletii Acta conſcripta fuiſſe; in quibus turpiſſimam hominis infamiam & execrabilia facinora diſſimulare conatus eſt. In ea quippe cùm imprudens incidiſſet Epiphanius, veram ac ſinceram illam eſſe narrationem fruſtra credidit. Acta etiam S. Petri Alexandrini, in quibus de Meletio agitur, quæque Baronius legitima & germana eſſe putavit, licèt vetuſtiſſima ſint, ſpuria tamen eſſe infrà oſtendemus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5800. ☉ 8 E. ☽ 4. P. 6. APRIL. INDICT. 10.
JESU CHRISTI 307.
Sedes vacat.
PERSECUTIONIS 5.
GALERII MAXIMIANI 3.
CONSTANTINI 2. LICINII ET MAXIMINI 1.

Anno Urbis 1060.
Olymp. 271. *ſecundum Baronium.*

I.
Conſules in Italia.

A Currenti Chriſti anno ad annum CCC XII, Faſtorum Conſularium diſpoſitio obſcura, quòd ob Imperatorum diſcordiam alii in Italia, alii in reliquo Orbe Romano Conſules agnoſcerentur. Quo factum, ut recentes Faſtorum conditores non ſemel in his per hæc tempora cæcutierint. Ex Idacio tamen in Faſtis, Fragmento Conſulari à Bucherio edito, Faſtis Græcis tam Theonis quàm Heraclii à Dodwello V. C. in Appendice ad Diſſertationes Cyprianicas ſubjectis, & Auctore Anonymo de Præfectis Urbis, à Cuſpiniano primùm & Onuphrio, tum à Bucherio in lucem edito, quid actum fuerit, aperire conabimur. In Italia itaque, ubi Maxentius imperabat, hic annus hâc formulâ notatus

eſt, *Poſt ſextum Conſulatum*, ut ex Idacio laudato, & libello de Præfectis Urbi colligitur, poſt ſextum nempe Conſulatum Conſtantii & Galerii Maximiani anno præcedenti geſtum. Initio tamen anni *Maximianum Herculium IX* & *Maximinum Cæſarem* Conſules proceſſiſſe, ex libello de Præfectis Urbi, licet hac in parte corrupto, deduci videtur. Hæc editionis Bucherii verba: *Maximiano VII*, (ſed legendum, *Maximiano VIIII*, nempe Herculio, jam enim Coſ. VIII fuerat) *& Maximiano* (legendum, *& Maximino*, ut habetur in editione Cuſpiniani, quæ fatetur, quædam hoc in loco corrupta eſſe. Certè Maximinus anno CCCXIII ſecundum Conſulatum geſſit, nulloque alio in loco prioris mentio habetur) *Ex menſe Aprili factus eſt ſextus Conſulatus*, (ſed uſurpari ſolito intelligitur) *quod eſt novies & Conſtantino. VI Kalend. Septemb. Juſteius Tertullus P. V.* id eſt, Præfectus Urbi. Onuphrius rectè legit *Maximinum*, loco *Maximiani*, ſed loco horum verborum, *novies & Conſtantino*, perperam habet, *Diocletiano novies & Conſtantino.* Anni itaque initio, ut conjicere licet, Conſules in Italia proceſſere. Maximianus Herculius Aug. IX, & Maximinus Cæſar, qui ultimus à Maxentio in locum Conſtantini, à quo abhorrebat, deſignatus. Sed poſtquam Maxentius deprehendit, Herculium inſidias ſibi parare, hunc Conſulatum abrogavit, & quidem menſe Aprili, juſſitque Acta publica hâc formulâ notari: *Poſt ſextum Conſulatum.* Quare ante menſem Aprilem Herculius Româ non fugit, indeque præfatus locus hac in parte emendandus.

II. *Conſules in reliquo Orbe.* In reliquo Orbe Romano, qui Galerium Maximianum tanquam ſeniorem Auguſtum venerabatur, Conſulatus his verbis expreſſus: *Novies & Conſtantino*, ut legitur in præfato libello de Præfectis Urbi, in Faſtis Idacii, & in Fragmento Bucheriano, id eſt, *Maximiano Herculio IX & Conſtantino.* Ille enim Imperium reſumſerat, & juxta primam regulam uterque Faſtis nomen dedit. Quare valde hallucinatus eſt Onuphrius, qui adverbium illud de Diocletiano explicat; is enim non Conſul *novies*, ſed Conſul *decies* proceſſiſſet. Illud obiter notandum, Conſulatus Herculii, poſtquam reſumſit Imperium, in Faſtis & Actis publicis de more expreſſos fuiſſe per adverbia, ſc. *novies*, vel *decies*, tacito ejus nomine. Quod factum exiſtimo, ut diſcrimen aliquod eſſet inter Conſulatus ante abdicationem, & poſt eam geſtos. In Faſtis quidem Theonis hoc anno legitur: Σεβῆρος σεβαςὸς, καὶ Μαξιμιανὸς Καῖσαρ, id eſt, *Severus Auguſtus & Maximianus Cæſar*, ubi *Maximini* loco, errore Græcis familiari, legitur *Maximianus.* Sed Conſules illi ſuffecti fuere, non verò ordinarii, ut arbitratus eſt Dodwellus, qui non animadvertit, in illis Faſtis Græcis non rarò Conſules deſignatos aut Conſules ſuffectos pro ordinariis obtrudi. Eoſdem Conſules ſuffectos, Severum nempe & Maximinum exhibet Marianus Scotus in Chronico; indeque certò nobis conſtat, in loco laudato libelli de Præfectis Urbi loco *Maximiani* legendum eſſe *Maximinum*: & datur locus conjiciendi, Maxentium ideo Maximinum in Italia Conſulem ordinarium propo-fuiſſe, quòd eum Conſulem ſuffectum Galerius Maximianus nominaſſet, ut rejiciendo Conſtantinum minùs ab eodem Galerio Maximiano diſſentire videretur.

Ad num. I, II & III. Lactantius lib. de Mortibus Perſecutorum cap. 27. poſtquam retulit, Maximianum Herculium Imperium in Italia reſumſiſſe, & Severum dictum Auguſtum, in Italiam adverſus Maxentium miſſum eſſe, ait: *Herculius verò cùm Maximiani noſſet inſaniam, cogitare cœpit, illum, audita nece Severi, inflammatum irâ, cum exercitu eſſe venturum, & fortaſſe adjuncto Maximiano*, (legendum Maximino) *ac duplicatis copiis, quibus reſiſti nullo modo poſſet, urbe munita & rebus cœptis inimicis diligenter inſtruens, proficiſcitur in Galliam, ut Conſtantinum partibus ſuis conciliaret ſua minoris filiæ nuptiis. Ille interea coacto exercitu invadit Italiam, ad Urbem accedit, Senatum extincturus, populum trucidaturus. Verùm clauſa omnia & munita offendit. Nulla erat ſpes inrumpendi, oppugnatio difficilis, ad circumſedenda mœnia non ſatis copiarum, quippe qui nunquam viderat Romam, æſtimaretque illam non multò eſſe majorem, quàm quas noverat civitates. Tunc quædam legiones deteſtantes ſcelus, quòd ſocer* (nempe Galerius Maximianus) *generum* (nempe Maxentium) *oppugnaret, & quòd Romani milites Romam; tranſlatis ſignis Imperium reliquerunt. Et jam cæteri milites nutabant, cùm ille fractâ ſuperbiâ dimiſſiſque animis, Severi exitum metuens, ad pedes militum provolutus orabat, ne hoſti traderetur, donec promiſſis ingentibus flexit animos, quorum & retro ſigna convertit ac fugam trepidus capeſſivit, in qua opprimi facillimè potuit, ſi cum paucis quiſpiam ſequeretur. Quod cùm timeret, dedit militibus poteſtatem, ut diſperſi quàm latiſſimè diriperent omnia vel corrumperent: ut ſi quis inſequi voluiſſet, utenſilia non haberet. Vaſtata eſt igitur ea pars Italiæ, quò peſtiferum illud agmen inceſſit, expilata omnia, mulieres corruptæ, virgines violatæ, extorti parentes & mariti, ut filias, ut conjuges, ut opes ſuas proderent. Abactæ tamquam de barbaris præda pecorum ac jumentorum. Hoc modo ſe ad ſedes ſuas recepit, cùm Romanus quondam Imperator, nunc populator Italiæ hoſtiliter univerſa vexaſſet. Olim quidem ille, ut nomen Imperatoris acceperat, hoſtem ſe Romani nominis erat profeſſus: cujus titulum immutari volebat, ut non Romanum Imperium, ſed Daciſcum cognominaretur*, quia ſc. Galerius Maximianus de quo loquitur, in Dacia natus erat. Ex his Lactantii verbis habemus, Herculium Auguſtum in Galliam non veniſſe niſi poſtquam Severus Auguſtus interiit. Quare cùm ex loco laudato libelli de Præfectis Urbi menſe Aprili in Actis publicis adhibita ſit hæc formula, *Poſt ſextum Conſulatum*, eo circiter menſe Herculius ex Italia fugit, ideoque & paulò antea Severus interfectus fuerat. Euſebius in Chronico ait, hunc *ſecundo Imperii ſui anno* occiſum; ubi annos Julianos utrimque incompletos numerat.

III. *Galerius Romam obſidet.* Baron. num. 11.

IV. *Nuptiæ Fauſtæ & Conſtantini.* Certum itaque, *Severum* hoc anno extinctum, quamquam de menſe non conſtet. Maximianus Herculius *Fauſtæ* pater in Galliam profectus

Baron. num. VII & ſeqq. profectus eſt, ut Conſtantinum partibus ſuis conciliaret, promiſſis illi *Fauſtæ* minoris filiæ nuptiis, eoque promiſſo impleto, perſuadere conabatur Conſtantino, ut diſcedentem ex Italia Galerium Maximianum perſequeretur. Ex quibus verbis colligere eſt, nuptias illas eò tempore, quo Galerius erat in Italia, vel circiter, celebratas. Cùm autem Galerius Maximianus in Illyricum ex Italia redux hoc anno fuerit ante *III Idus Novembris*, quo die Licinium Imperatorem creavit, & ex Lactantio citato cap. 28. pateat, Herculium Romam iterum profectum poſt Galerii fugam, ac cùm rurſum eodem anno rediiſſet in Gallias, ibi aliquantulum moratum eſſe, & poſtea in Illyricum ad urbem Pannoniæ *Carnuntum* veniſſe, ibique fuiſſe, quando Licinius dictus eſt Imperator, liquet, eas nuptias medio circiter hoc anno coiiſſe. Percuſſi duo Conſtantini Magni Nummi, qui apud Mediobarbum pag. 460. extant. In prioris poſtica legitur: CONCORDIA FELIX D. D. N. N. P. L. C. Repræſentantur duæ figuræ paludatæ dextras jungentes, & ſiniſtrâ haſtas tenentes. In poſterioris averſa parte habetur: SECURITATI PERPETUAE DO. N. N. P. L. C. Viſitur figura muliebris ſtans, ſiniſtrâ nixa columnæ, dextram capiti admovens. At hæc concordia brevis & ſecuritas inſidioſa fuit, ut mox videbimus. Tres illæ litteræ P. L. C. denotant, ut exiſtimo, *percuſſa Lugduni*, moneta ſcilicet. C. nomen Monetarii Conſtantini Magni.

V. *Herculius Aug. Româ fugere cogitur.*

Nuptiis itaque illis circa menſem Maium celebratis Herculius rurſus in Italiam rediit, & ex Italia in Galliam, indeque in Illyricum, ubi Galerius Maximianus agebat, ſe contulit, ut ex his Lactantii lib. de Mortibus Perſecutòrum cap. 28. verbis nobis innoteſcit: *Poſt hujus* (nempe Galerii Maximiani) *fugam, cùm ſe Maximianus alter è Gallia recepiſſet, habebat Imperium commune cum filio* (nempe Maxentio.) *Sed juveni magis parebatur quàm ſeni, quippe cùm prior & major filii poteſtas, qui etiam patri reddiderat Imperium. Ferebat iniquo animo ſenex, quòd non poſſet liberè facere quod vellet, & filio ſuo puerili æmulatione invidebat. Cogitabat ergo expellere adoleſcentem, ut ſibi ſua vindicaret. Quod facile videbatur, quia milites erant, qui Severum reliquerant. Advocavit populum ac milites quaſi concionem de præſentibus Reipublicæ malis habiturus. De quibus cùm multa dixiſſet, convertit ad filium manus, & illum eſſe dicens auctorem malorum, illum principem calamitatum, quas Reſpublica ſuſtineret, diripuit ab humeris ejus purpuram. Exutus ille, præcipitem ſe de tribunali dedit, & à militibus exceptus eſt. Quorum ira & clamore perturbatus eſt ſenex impius, & ab urbe Roma tanquam ſuperbus alter* (ſc. Tarquinius Romanorum Rex ultimus) *exactus eſt.*

VI. *Herculius inſidias Conſtantino ſtruit.*

Tum cap. 29. Lactantius ſtatim ſubjicit: *Rediens rurſus in Gallias,* (currenti ſc. anno circa menſem Auguſtum, ut ex libello citato de Præfectis Urbi intelligitur) *ubi aliquantulum moratus eſt, profectus ad hoſtem filii ſui Maximianum* (ſc. Galerium) *quaſi*

Baron. n. v. *ut de componendo Reipublicæ ſtatu cum eo diſputaret, re autem vera ut illum per occaſionem reconciliationis occideret, ac Regnum ejus teneret, excluſus à ſuo, quocumque veniſſet. Aderat ibi Diocles à genero nuper accitus, ut quod ante non fecerat, præſente illo Imperium Licinio daret, ſubſtituto in Severi loco. Itaque fit utroque præſente. Sic uno tempore ſex fuerunt.* (ſc. Herculius, Galerius, Conſtantinus, Maximinus, Maxentius, & Licinius) *Quare impeditis conſiliis ſenex Maximianus tertiam quoque fugam moliebatur, redit in Galliam plenus malæ contagionis ac ſceleris, ut Conſtantinum Imperatorem generum ſuum, generi filium dolo malo circumveniret: & ut poſſet fallere, deponit regiam veſtem. Francorum gens in armis erat. Perſuadet nihil ſuſpicanti, ne omnem ſecum exercitum duceret, paucis militibus poſſe barbaros debellari, & ut ipſe haberet exercitum quem occuparet, & ille opprimi poſſet ob militum paucitatem. Credit adoleſcens ut perito ac ſeni, paret ut ſocero, proficiſcitur relicta militum parte majore. Ille paucis diebus expectatis, cùm jam Conſtantinum æſtimaret intraſſe fines Barbarorum, repente purpuram ſumit, theſauros invadit, donat ut ſolet largè, fingit de Conſtantino, quæ in ipſum protinus reciderunt. Imperatori properè, quæ geſta ſunt, nuntiantur. Admirabili celeritate cum exercitu revolat. Opprimitur homo ex improviſo, nondum ſatis inſtructus: milites ad Imperatorem ſuum redeunt. Occupaverat Maſſiliam, & portas obſeraverat. Accedit propius Imperator, & in muro adſtantem alloquitur, non aſperè, nec hoſtiliter, ſed rogat quid ſibi voluiſſet, quid ei defuiſſet, cur faceret quod ipſum præcipuè non deceret. Ille verò ingerebat maledicta de muris. Tum ſubitò à tergo ejus portæ reſerantur, milites recipiuntur. Adtrahitur ad Imperatorem rebellis Imperator, pater impius, ſocer perfidus. Audit ſcelera quæ fecit, detrahitur ei veſtis, & increpito vita donatur.* Hæc Lactantius.

VII. *Herculius & Dioclețianus Carnuntum veniunt.*

Herculius itaque hoc anno menſe Novembri in Pannonia fuit. Venerat ad Diocletianum, ut Zoſimus ait, id temporis *Carnunti* degentem, ut eum impelleret ad reſumendum Imperium. Qua de re Victor in Epitome. Dum ab Herculio atque Galerio ad recipiendum Imperium rogaretur, tanquam peſtem aliquam deteſtans, in hunc modum reſpondit: *Utinam Salonæ poſſetis viſere olera noſtris manibus inſtituta. Profectò nunquam iſtud tentandum judicaretis.* Quòd ſi tunc Salonæ fuiſſet, locus non erat huic exclamationi, *utinam*, &c. Ex hoc itaque Lactantii loco liquet, Herculium ad Diocletianum profectum eſſe anno, quo Licinius factus eſt Imperator, currenti nempe. Ex Pannonia *Herculius* in Galliam venit, vel ſub hujus anni finem, vel ſequentis initio, ut Conſtantinum fallere poſſet, ibique depoſuit iterum Imperium, anno adhuc incerto. Illud Francorum bellum, de quo Lactantius loquitur, non videtur ab eo diverſum, de quo Euſebius in Vita Conſtantini lib. 1. cap. 25. ubi ait, Conſtantinum adverſus *Britannicas* gentes trajeciſſe. Quam expeditionem Valeſius in Notis ad illum librum, in annum CCCXI confert, quòd eam Euſebius recitet ante illam, quam adverſus *Maxentium* Conſtantinus ſuſ-

cepit. At cùm ſecunda hæc Conſtantini in *Britanniam* trajectio, Herculio adhuc vivente, contigerit, iſque anno trecenteſimo decimo perierit, liquet, eam vel anno ſequenti, vel anno trecenteſimo nono ſuſceptam.

VIII. *Maximiani Herculii interitus.* Ad num. IV. Euſebius in Chronico *Herculii Maximiani* mortem cum ſequenti Chriſti anno conjungit; Idacius verò in Faſtis ſub Conſulibus anni CCCX habet: *Diem functus Maximianus ſenior,* quod videtur probabilius. Rem geſtam narrat Lactantius laudatus cap. 30. Hiſtoricoſque, qui mortem Herculii non bene calluerant, in viam reducit. *Sic amiſſo Imperatoris ac ſoceri honore, humilitatis impatiens, alias rurſus inſidias machinatus eſt. Quia ſemel abiit impune, vocat filiam Fauſtam; eamque nunc precibus, nunc blandimentis ſollicitat ad proditionem mariti, alium digniorem virum pollicetur, petit, cubiculum patens relinqui, & negligentiùs cuſtodiri ſinat. Pollicetur illa facturam, & refert protinus ad maritum. Componitur cœna quâ manifeſtò facinus teneretur. Supponitur quidam vilis eunuchus qui pro Imperatore moriatur. Surgit ille nocte intempeſta, videt omnia inſidiis opportuna. Rari excubitores erant, & ii quidem longiùs; quibus tamen dicit vidiſſe ſomnium, quod filio ſuo narrare vellet. Ingreditur armatus, & ſpadone obtruncato, proſiliit gloriabundus, ac profitetur quod admiſerit. Repentè ſe ex altera parte Conſtantinus oſtendit cum globo armatorum. Profertur è cubiculo cadaver occiſi, hæret manifeſtarius homicida, & mutus ſtupet, quaſi* (Baron. num. x & ſeqq.)

Dura ſilex aut ſtet Marpeſia cautes.

Impietatis ac ſceleris increpatur. Poſtrema datur ei poteſtas liberæ mortis,

Ac nodum informis leti trabe nectit ab alta.

Ita ille Romani nominis maximus Imperator, qui per longum temporis intervallum cum ingenti gloria viginti annorum vota celebravit, eliſo & fracto ſuperbiſſimo gutture, vitam deteſtabilem turpi & ignominioſa morte finivit, idque Maſſiliæ, ut Euſebius in Chronico, Victor in Epitome, & Oroſius in Hiſtoria docent. Euſebius autem in Chronico eodem anno & Severi & Herculii mortem narrat, ita ut poſt menſem Septembrem, à quo annum incipit, Severus perierit, & anno ſequenti Herculius. Epitomatores enim poſtrema geſta cum prioribus conjungere ſolent, & temporis ordinem in omnibus non ſervant. Non dubito tamen, quin Severus ante menſem Septembrem occiſus fuerit.

IX. *Euſebius in morte Herculii non erravit.* Euſebius in Vita Conſtantini lib. I. cap. 47. poſtquam cap. 38. & ſeqq. Maxentii interitum, & Conſtantini in urbem Romam ingreſſum, hujuſque præclaras virtutes enarravit, ait: *Hac dum ab eo* (ſcilicet Conſtantino) *geruntur, alter eorum qui ſe Imperio abdicaverant, cùm inſidias in ejus necem compararet, deprehenſus, turpiſſima mortis genere interiit,* videlicet Herculius, de quo Euſebium loqui nullus negaverit. *Quod ſi verum eſt,* inquit Valeſius in Notis, *fœdiſſimum errorem hìc admiſit Euſebius, qui Herculii mortem refert poſt victoriam de Maxentio: cùm tamen certum ſit, Maximianum Herculium mortuum eſſe biennio ante cladem Maxentii anno CCCX Natalis Dominici. Quis verò credat tantum errorem ab Euſebio horum temporum æquali admitti potuiſſe? Adde quòd titulus hujus capitis non Maximiani, ſed Maximini nomen præfert. Itaque facilè adducor ut credam, hunc locum corruptum eſſe, atque ita emendari debere, τῶν εἰς βασιλείαν προκεχειρισμένων ὑπὸ τῶν τὴν ἀρχὴν ἀποθεμένων ὁ δεύτερος, ut Maximinus hìc intelligatur, qui unà cum Severo Cæſar factus eſt à Diocletiano & Maximiano, tunc cùm purpuram depoſuerunt, ut inquit Idacius in Faſtis, & ſic temporum ordo apud Euſebium rectè procedit. Maximinus enim poſt victoriam de Maxentio interiit, & quidem genere turpiſſimo, ut ſcribit Euſebius lib. 8. & 9.* Sed miror, Valeſium in Euſebii, Socratis, Sozomeni, & Theodoreti lectione exercitatiſſimum non animadvertiſſe, hos Scriptores in rebus quas narrant, accuratum temporis ordinem non ſemper ſervare, & non raró poſtponere quæ præponenda fuiſſent, ſive ut res per plures annos geſtas uno tenore recitent, ſive ob alias circumſtantias à rebus, quas referunt, deductas, imò & aliquando nulla apparenti ratione; quod pluribus exemplis oſtendi poſſet. Euſebius itaque in eo libro cap. 22. de Conſtantini Imperio ſermonem inſtituit, & narrato Conſtantii patris obitu, caput 23. his verbis incipit: *Qualis verò fuerit exitus aliorum, qui Eccleſiam Dei tanquam indicto bello oppugnarunt, nequaquam hìc commemorandum eſſe duxi, nec bonorum memoriam attexta commemoratione eſſe violandam.* Tum per plura capita victorias Conſtantini ejuſque virtutes deſcribit, tandemque de Herculii interitu, quem hujuſmodi narrationi interſerere noluit, ſermonem habet.

Non itaque cap. 47. laudato de Maximino Euſebius loquitur, nec licèt de Herculio ſermonem habeat, hunc poſt Maxentium debellatum periiſſe intelligit. Nam hoc pacto ſibimetipſi contradiceret, cùm lib. 8. cap. 13. poſtquam retulit, Maximinum Auguſtum à ſemetipſo renuntiatum eſſe, quod hoc anno factum, ſtatim ſubjungit: *Sub id tempus Maximianus, quem poſt depoſitum Imperium iterum purpuram ſumſiſſe retulimus, fœdiſſimo mortis genere interiit:* ac poſtea cap. ſequenti de Maxentii & Tyrannorum moribus loquitur. Non dubitavit itaque Euſebius, quin Herculius ante Maxentium & Galerium Maximianum mortem appetierit. Et hæc valde obſervanda, ne Chronologiam labefactemus dum reformare volumus, & Auctoribus abſurdas opiniones, à quibus procul abſunt, adſcribamus, aut denique eorum verba emendationis intuitu depravemus. Ceterùm præfatum caput 47. hunc titulum quidem præfert: Μαξιμίνου θάνατος ἐπιβουλεύσαντος, καὶ ἄλλων, ὧν ἐξ ἀποκαλύψεως κατεμήνυσε θεός; quæ verba ſic vertit Valeſius: *Mors Maximiani & aliorum, quorum inſidias Deo revelante Conſtantinus deprehenderat.* Et rectè quidem, ubi in Græco *Maximinus* legitur, Valeſius in verſione *Maximianum* habet, quia Græci Maximianum cum Maximino, Conſtantium cum Conſtantino, & vice verſa, familiari errore confundunt. Quare capitis citati 47. titulum in ſuæ emendationis confirmationem perperam adducit Valeſius; cùm ipſemet in eo errorem cubare fateatur, &

X. *Herculius ante Maxentium mortuus.*

Maximianum Maximini loco in ſua verſione ponat. Certum igitur maneat, Euſebium in Herculii interitu narrando minimè erraſſe.

XI. *Corpus Herculii balſamo perfunditur.*

In Fragmento Chronici Novalicienſis Monaſterii à tempore potiſſimùm Hugonis & Lotharii Regum Italiæ, uſque ad Conradum cognomento Salicum, quod à Ducheſnio tom. 3. Hiſt. Franc. refertur, lib. 5. de Maximiano Herculio legitur: *Cùm diſpoſitis inſidiis generi ſuo Conſtantino mortem moliretur, deprehenſo dolo apud Maſſiliam captus eſt, nec multò poſt ſtrangulatus, teterrimo ſupplicio effectus, impiam vitam digna morte finivit. Circa igitur hæc tempora* (circa nempe annum MLIV, quo Raiambardus Arelates Archiepiſcopus erat) *apud Maſſiliam civitatem ſepulchrum ejuſdem Maximiani Chriſtianorum ingentis perſecutoris inventum eſt. Nam ſicut nobis retulerunt qui interfuerunt, erat mirabiliter corpus ejus intus & extra unctionem balſami & alia nonnulla genera odoramentorum oppidò perfuſum. Corpus quoque ejus totum integer, tetro pilo, caro candida, barba permaxima. Ad caput ejus pocula erant auro obriſo plena balſamis. Ipſe verò in locello plumbeo quieſcebat in quodam labro ex marmore candidiſſimo cum literis aureis deſuper ſcriptis. Nam conſilio Raimbaldi Archiepiſcopi Arelatenſis & ceteris fidelibus actum eſt, ut in mari magno cum totis libris jactaretur. Nam diebus ac noctibus maris æquora ibi videntur ſemper ardere, ubi jactum eſt corpus ejus.... defuncto quoque Henrico Chuonradus Regnum arripuit Longobardorum*, &c. Quæ viſum eſt non prætermittere, licèt motum illum maris inſolitum fabuloſum eſſe non dubitem. Nec mirum videri debet, Herculii corpus demortuum balſamo imbutum fuiſſe; cùm Conſtantinus junior Auguſtus poſt Conſtantini Magni patris obitum *Divi Maximiani* Herculii nepos vocari gloriæ duxerit, ut diſcimus ex Lapide milliari, qui extat apud Nicolaum Bergerum lib. 3. cap. 23.

IMP. CAES. FL. VAL.
CONSTANTINO P. F.
AUG DIVI MAXIMIANI
AUG. NEPOTI DIVI CONS
TANT. AUG. PII FILIO
XXXIIII.

Hinc tamen inferre non licet, Herculium à Conſtantino genero in Deorum numerum relatum fuiſſe; cùm ex Nummo anno antecedenti num. XIV recitato, Herculii conſecrationem in Maxentium filium conferendam conſtet.

XII. *VI Perſecutionis annus.*

Ad num. V. Sexto perſecutionis anno eam in Oriente ſeu in ditione Maximini recruduiſſe teſtatur Euſebius à Baronio citatus; ideoque non hoc anno, ut ipſe Baronius exiſtimat, ſed ſequenti, in quem quinta Maximiani Herculii Quinquennalia inciderunt, martyria in Annalibus & Epitome recitata, revocari debent.

Baron. num. XVI.

XIII. *S. Catharinæ martyrium.*

Ad num. VI. Verba Euſebii lib. 8. cap. 27. quæ Baronius explicat de certamine ſanctæ *Catharinæ* Virginis & Martyris, de ea intelligi non poſſunt, alioquin ea martyrium ſub Maximino non conſummaſſet, quod tamen Baronius adſtruere intendit. Hæc Euſebii verba: *Sola mulier quædam Chriſtiana, inter alias à Tyranno adulterii labe turpificatas; ex Alexandrinis mulieribus nobiliſſima, ſplendidiſſimaque, Maximini animum libidine furentem, & laſcivientem intemperantiâ, magnitudine altiſſimi animi devicit: quæ, quamquam aliis rebus, ut opibus, generis ſplendore, & exquiſitâ doctrinâ inſignis fuit, tamen iſta omnia præ pudicitia poſtputavit. Iſtam quidem Maximinus licèt ſæpius oraſſet, uti ipſius cupiditati obſequeretur, eaque denegaſſet, ſeque mori paratam oſtenderet, tamen interficere non potuit, (quippe libido potiùs quàm iracundia mentis ſuæ tenebat imperium) ſed illam fugâ mulctatam omnibus facultatibus ſpoliavit.* Ita ex verſione Chriſtophorſoni: nam in editione Valeſiana leguntur hæc lib. 8. cap. 14. Et tamen S. Catharinæ Acta apud Surium ad diem XXV Novembris tradunt, ipſam Maximini juſſu martyrio affectam; mulier verò de qua loquitur Euſebius, exilio tantùm mulctata eſt. Sed nec ipſa, quæ apud Metaphraſten extant Acta, nec quæ Leo Allatius in ſua de Simeonibus Diatriba refert, legitima; cùm in iſtis dicatur: *Anno trigeſimo quinto, imperante impio ac ſcelerato Maxentio*; quæ prorſus fabuloſa. Papebrocius in Ephemeridibus Græco-Moſcis, quas priori tomo SS. menſis Maii præfixit, ad diem XXV menſis Novembris ait: Hæcaterinan Græci, Latini Catharinam appellant. Acta apud utroſque quantum habent admirabilitatis, tantò etiam plus difficultatis patiuntur ad obtinendam fidem. Nihilo levior objicitur moleſtia circa ſacri corporis ad montem Sinaï tranſlationem, indubitabilem illam quidem quoad ſubſtantiam, ſed quoad auctores ejus ac tempus, perquam obſcuram. Hoc certum, nullam eſſe Sanctam, cujus fama cultuſque primis poſt perſecutiones ſeculis ignotior, celebrior autem ætatibus poſterioribus fuerit, non ſolùm in Orientali, ſed etiam in Occidentali Eccleſia. In noſtro certè Belgio, ut de aliis taceam regionibus, haud facilè reperias ullam urbem, ac ne oppidum quidem vel municipium, ubi hæc Sancta non habeat vel altare, vel templum: quod factum eſſe non potuit, niſi propter illuſtria & frequentia ac paſſim nota miracula, ad ejus invocationem patrata. Hæc Papebrocius.

Baron. num. XXXI & ſeqq.

XIV. *Licinius Auguſtus dicitur.*

Ad num. VIII. *Licinium* currenti anno Auguſtum appellatum, rectè ſcripſit Baronius, & nos in Diſſert. Hypat. demonſtravimus. Quare errat Idacius in Faſtis, ubi hanc dignitatem anno ſequenti ei collatam tradit. Rectè tamen uterque annotavit, eam nuncupationem *Carnunti* in Pannonia, idque *III Idus Novembris*, peractam. Sed *Licinius* priùs Cæſar, ac non multò poſt Auguſtus appellatus, ut ibidem oſtendi. Lactantius laudatus poſtquam cap. 29. de hac inauguratione locutus eſt, cap. 32. ait: *Nuncupato igitur Licinio Imperatore, Maximinus iratus nec Cæſarem ſe, nec tertio loco nominari volebat. Mittit ergo ad eum ſæpe Legatos,* (ſc. Galerius Maximianus) *orat ſibi pareat, diſpoſitionem ſuam ſervet, cedat ætati, & honorem deferat canis. At ille tollit audaciùs cornua, & præſcriptione temporis pugnat, ſe priorem eſſe debere, qui prior ſumſerit purpuram, preces ejus & mandata contemſit. Dolet beſtia & mugit, quòd cum ideo*

Baron. num. XXV.

ignobilem feciſſet Cæſarem, ut ſibi obſequens eſſet, is tamen tanti beneficii ſui oblitus, voluntati ac precibus ſuis impiè repugnaret. Victus contumaciâ (Maximianus) *tollit Cæſarum nomen, & ſe Liciniumque Auguſtum appellat, Maxentium & Conſtantinum filios Auguſtorum. Maximinus poſtmodum ſcribit quaſi nuntians in campo Martio proximè celebrato, Auguſtum ſe ab exercitu nuncupatum. Recepit ille* (nempe Galerius Maximianus) *mœſtus ac dolens, & univerſos quatuor Imperatores jubet numerari.* Lactantio ſuffragatur Euſebius lib. 8. cap. 13. ubi cùm dixiſſet, Licinium Imperatorem declaratum eſſe, addit: *Quod quidem Maximinus ægrè admodum tulit, qui hactenus Cæſar duntaxat ab omnibus appellatur. Hic ergo præ cæteris tyrannico ingenio præditus, Auguſtus à ſemetipſo renuntiatus eſt*, anno nempe currenti, menſeque circiter Decembri, quod deduco ex Conſulatu ſuffecto anno CCCXI, ad Quinquennalia ſc. Auguſtei Imperii celebranda aſſumto. Secundò ex Conſulatu ordinario ab Herculio & Galerio Maximiano Auguſtis anno ſequenti inito, poſt concordiam ſc. inter Auguſtos ſub iſtius anni finem coagmentatam. Tertium argumentum præfatis validius deſumitur ex Victore in Epitome, quod infrà, cùm de Galerii Maximiani interitu agemus, explicabimus. Quòd ſi Maximinus præſenti anno Auguſtus appellatus eſt, *Licinium* hoc etiam anno eo honore affectum certiſſimum; cùm *Maximinus* non priùs ſe Auguſtum appellavit, quàm Licinium Carnunti hanc dignitatem conſecutum audivit. Unde quemadmodum & *Maximinus*, Conſulatum anno CCCXI, ob Quinquennalia nempe, ſuſcepit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5801. ☉ 9 DC. ☽ 5. P. 28. MART. INDICT. 8.
JESU CHRISTI 308.
MARCELLI PAPÆ 1.
PERSECUTIONIS 6.
GALERII MAXIMIANI 4. CONSTANTINI 3. LICINII & MAXIMINI 2.

I. *Conſules.* Baron. n. 1.

COSS. in Italia *M. Aurel. Maxentius Aug.* & *M. Aurelius Romulus*, ejus filius, ut liquet ex Idacii Faſtis, & ex libello de Præfectis Urbi, in quo legitur: *Conſules, quos juſſerint DD. NN. Auguſti, ex XII Kalendas Maii factum eſt, Maxentio & Romulo: quod eſt Decies & Maximiano. VII Idus Aprilis, Statius Ruſinus P. V.* id eſt, *Præfectus Urbi.* Quibus ex verbis intelligimus, propter diſcordias inter Imperatores ortas, Conſulum deſignationem uſque ad XII Kalend. Maii dilatam fuiſſe; quod non tantùm de Conſulibus in Italia, ſed & de iis, qui à Galerio Maximiano deſignati ſunt, exiſtimandum. In reliquo enim Orbe Romano Conſules proceſſere *Maximianus Herculius X*, & *Galerius Maximianus VII*, ut non tantùm in eo libello de Præfectis Urbi, ſed etiam in Fragmento Conſulari Bucherii, in Faſtis Idacii, in Chronico Damaſi & in Chronico Alexandrino legimus, in quibus omnibus hic Conſulatus his verbis exprimitur: *Decies & Maximiano VII*, quemadmodum anni ſuperioris Conſulatus iſtis memoratur: *Novies & Conſtantino*, neutrobi Maximiani Herculii nomine deſcripto. Non deſunt, qui cum Baronio per illa adverbia *Novies* & *Decies* Diocletianum intelligant, quos pluribus confutavi in 2. parte Diſſert. Hypat. cap. 13. num. 5. Hunc Conſulatum capeſſiit *Maximianus Herculius* juxta ſecundam regulam, occaſione nempe quintorum Quinquennalium Imperii ſui Cæſarei, quæ in hunc annum incidebant; cujus, honoris ergò, Galerius Maximianus Collega eſſe voluit juxta tertiam regulam. Ob ea ſolennia *Maximinus* Auguſtus antiqua adverſus Chriſtianos edicta renovavit, ut anno præcedenti num. XII dixi. *Maxentii* verò Conſulatus juxta primam regulam ſumtus; non raro enim anno tantùm ſecundo Imperii Imperatores Conſules proceſſere. Spondanus, qui cum Baronio exiſtimavit, Diocletianum hoc anno Conſulem fuiſſe, ait, mirum quibuſdam viſum eſſe, hominem, qui privatam vitam ad exitum uſque agere inſtituiſſet, neque pedem ex agro ſuo tollere conſentiſſet, creatum eſſe Conſulem, indeque Aurelium Victorem putaſſe rexiſſe Imperium annis viginti quinque. Verùm ex dictis anno præcedenti conſtat, Diocletianum eo anno *Carnunti* in Pannonia fuiſſe, ubi aliquo tempore manſit, ut teſtatur Zoſimus. Victor verò in Epitome de Diocletiano ait: *Imperavit annis viginti quinque*, non quòd hoc anno Conſulatum geſſerit; ſic enim non *Decies*, ſed *Undecies* Conſul diceretur: verùm quia uſque ad præſentem annum, qui vigeſimus quintus eſt ab eo quo Imperium ſuſcepit, publicorum negotiorum particeps fuit. Denique ex ſeptimo Galerii Maximiani Conſulatu hoc anno geſto, liquet, libellum de Præfectis Urbi, tam à Cuſpiniano, quàm à Bucherio publicatum, in anni præcedentis Conſulibus corruptum eſſe; cùm ſi Galerius Maximianus eo anno Conſul VII, ut in eo libello legitur, proceſſiſſet, currenti non ſeptimum, ſed octavum Conſulatum iniiſſet, quod tamen falſum eſſe conſtat; cùm is Conſulatus ad annum CCCXI, eodem libello teſte, pertineat, & in eo libello Galerius Maximianus hoc anno Conſul VII diſertè appelletur.

Ad num. I & ſeqq. Quæ in Annalibus & in Epitome de ſeptimo perſecutionis anno narrantur, ad annum ſequentem referenda; cùm perſecutio anno tantùm CCCIII inchoata fuerit. II. *Annus VII perſecutionis.* Baron. num. 1 & ſeqq.

Ad num. V. Auguſtinus in epiſtola ad Vincentium de Concilio Carthaginenſi à ducentis & ſeptuaginta Epiſcopis celebrato loquens, ait: *Scribit enim ille Tychonius, homo, ut dixi, veſtræ communionis, à ducentis & ſeptuaginta Epiſcopis veſtris Concilium Carthaginenſe celebratum, in quo Concilio per ſeptuaginta & quinque dies, poſthabitis omnibus præteritis, limitatam eſſe ſententiam, atque decretum, ut Traditoribus immenſi criminis reis, ſi rebaptizari nollent, pro integris communicaretur. Deuterium etiam Macrinenſem Epiſcopum communionis veſtræ dicit Traditorum plebem congregatam Eccleſiæ miſcuiſſe: & ſecundùm ſtatuta illius Concilii à ducentis & ſeptuaginta Epiſcopis ve-* III. *Epocha Cõcilii Carthagin. juxta Baronium.* Baron. num. XXVIII.

ſtris facti, feciſſe cum Traditoribus unitatem; eique Deuterio poſt hoc factum jugiter communicaſſe Donatum: nec ſolum Epiſcopis per quadraginta annos, quos dicit uſque ad perſecutionem per Macarium factam, Traditoribus ſine baptiſmo communicaſſe. Quibus ex verbis deducit Baronius, Concilium aliud Donatiſtarum celebratum quadraginta ante Macarianam perſecutionem annos, ſeu ante annum Chriſti CCCXLVIII, vel circiter, quo ea perſecutio excitata. At, ut Valeſius in Diſſert. de Schiſmate Donatiſt. cap. 3. obſervat, nequaquam id innuit Auguſtinus. Sed tantùm dicit S. Doctor, ſeu potiùs *Tychonius*, Donatum Deuterio & reliquis Maurorum Epiſcopis per quadraginta annos communicaſſe, eoſdemque Maurorum Epiſcopos ſemper uſque ad Macariana tempora Traditoribus abſque iteratione baptiſmi communicaſſe. Quid enim aliud ſonant hæc verba Auguſtini? *Eique Deuterio poſt hoc factum jugiter communicaſſe Donatum: nec ſolum Deuterio, ſed etiam univerſis Maurorum Epiſcopis per quadraginta annos, quos dicit uſque ad perſecutionem per Macarium factam, Traditoribus ſine baptiſmo communicaſſe.* Quibus ex verbis colligi poteſt, Epiſcopos Mauritaniæ, qui erant partis Donati, non rebaptizaſſe, niſi poſt tempora Macariana. Nam ante hæc tempora Catholicos ad ſe venientes, ſi rebaptizari nollent, tanquam integros ſuſcipiebant. Poſt perſecutionem autem Macarii, Catholicos nonniſi rebaptizatos communioni ſuæ ſociarunt, in odium, ut videtur, perſecutionis illius, cujus auctores Catholicos eſſe criminabantur.

IV. *Vera epocha Concilii Carthagin. Donatiſtarum.* Sed quidquid ſit, Synodus illa ducentorum ac ſeptuaginta Epiſcoporum hoc anno celebrari non potuit; cùm ſchiſma Donatiſtarum ante annum trecenteſimum duodecimum conflatum non fuerit. Exiſtimo itaque cum Valeſio, Synodum illam congregatam fuiſſe *Donati Carthaginenſis* Epiſcopi temporibus, aliquot poſt Nicænam annis. Nam novo adhuc & recenti ſchiſmate tot Epiſcopos Donatiſtæ habere non potuerunt. Roborata quippe & maximè confirmata fuerit hæc factio, cùm tantus Epiſcoporum numerus in urbem Africæ primariam convenit. Conſtat autem, *Donatiſtarum* factionem magni illius Donati temporibus præcipuè viguiſſe. Itaque ſub illius Epiſcopatu hoc Concilium coactum. Certè ſalvo ac ſuperſtite Cæciliano id videtur fieri non potuiſſe. Nam & Cæcilianus plurimùm poterat apud Conſtantinum, poſtquam innocentiam ſuam ei coram approbaverat, nec Imperator ipſe id laturus fuiſſet; quippe qui & Baſilicas Donatiſtis ademerit. Sed & Auguſtini, ſeu potiùs Tychonii, verba indicare videntur Synodum hanc ſub Donato celebratam. Poſtquam enim dixit, *Deuterium* ſecundùm ſtatuta illius Concilii periiſſe cum Traditoribus unitatem, addit, eidem Deuterio poſt hoc factum jugiter communicaſſe *Donatum*. Ex quibus rectè infert Valeſius, hoc Concilium Deuterii & Donati temporibus congregatum fuiſſe.

V. *Marcelli PP. initium.* Hoc anno die decima octava Februarii *S. Marcellus* Pontifex Romanus ordinatus eſt, ut ex duratione ejus Sedis, de qua anno ſequenti, quo ad Deum migravit, colligere eſt.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5802. ☉ 10 B. ☽ 6. P. 17. APRIL.
INDICT. 12.
JESU CHRISTI 309. Olymp. 272.
MARCELLI PAPÆ 2.
PERSECUTIONIS 7. Anno Urbis 1060. *ſecundùm Baronium.*
GALERII MAXIMIANI 5. CONSTANTINI 4. LICINII & MAXIMINI 3.

I. *Conſules.* CONSULES in Italia *Maxentius Aug. II, & Romulus Cæſar II*, ut docent Idacius in Faſtis, & Auctor libelli de Præfectis Urbi. Epiſtolæ enim Marcelli Papæ à Baronio laudatæ, in quibus Conſulatus Maxentii & Maximini legitur, ſuppoſititiæ ſunt. Baron. n. 1.

Onuphrius utrumque Conſulem à nobis propoſitum ſuffectum fuiſſe exiſtimat; quia non animadverterat, per hæc tempora alios in Italia, alios in reliquo Orbe Romano Conſules ordinarios creatos fuiſſe. Romuli Cæſaris Conſulatus juxta priorem regulam; ex eo enim intelligimus, eum anno præcedenti Cæſarem nuncupatum eſſe: Maxentii Conſulatus juxta tertiam. In reliquo Orbe Romano, ut ex Idacio & Fragmento Conſulari Bucherii diſcimus, Acta publica hac formulâ notata ſunt: *Poſt Conſulatum X & VII*, id eſt, poſt decimum Herculii & ſeptimum Galerii Maximiani. Hincque colligere eſt, nullos hoc anno ob Imperatorum diſcordiam creatos eſſe Conſules, & Galerium Maximianum; qui Herculium ut ſeniorem Auguſtum coluerat, jam ab anno præcedenti, quo in præſentem deſignandi erant Conſules, ab eo diſſenſiſſe; ideoque nec hoc anno nec ſequenti Conſules creatos eſſe; quia ea deſignatio ad Herculium tanquam ſeniorem Auguſtum pertinebat. Hinc etiam intelligemus, erraſſe Euſebium in Chronico, ubi Herculii mortem cum anno Chriſti CCCVIII copulat; quia tam anno CCCVII & CCCVIII, quàm anno CCCXI Conſules ordinarii renuntiati fuere, ſolùmque hoc anno & ſequenti, quo Herculium occiſum diximus, extram Italiam, quæ Maxentio parebat, Conſules non creati; cujus rei ratio nulla alia aſſignari poteſt, niſi quia Galerius Maximianus non ampliùs Herculium ut ſeniorem Auguſtum agnoſcebat. Porrò quæ habet Baronius de annis hâc formulâ *Poſt Conſulatum* notatis, ac Maxentii Conſulatibus, corrigenda ſunt ex his quæ diximus, tam hîc, quàm in Diſſert. Hypat. ubi pluribus de ea formula egimus. Denique in Faſtis Græcis Theonis perperam hoc anno Conſules eduntur *Conſtantinus Aug. I, & Licinius I.* Faſti enim illi hoc & duobus ſequentibus annis depravati.

II. *Obitus Marcelli PP.* Ad num. III. *S. Marcellum* Romanum Pontificem hoc anno ad cæleſtem patriam migraſſe teſtatur Chronicon Damaſi, in quo legitur: *Marcellus anno uno, menſibus ſeptem, diebus viginti. Fuit temporibus Maxentii à Conſulatu X, & Maximiani VII, uſque Poſt Conſulatum X & VII.* Id eſt, fuit ab anno Chriſti CCCVIII uſque ad annum CCCIX, ideoque anno præcedenti, die decima octava Februarii ordinatus fuit; cùm die ſeptima Octobris præſentis anni è vivis exceſſerit. In Martyrologio Hieronymiano ad diem VII Octo- Baron. num. IV.

bris habetur: *Romæ viâ Appiâ Depoſitio S. Marcelli & Marci Epiſcopi.* Quare cùm eo die S. Marcus Papa ſupremum diem obierit, ut ſuo loco videbimus, idem etiam dies Marcelli Papæ natalis fuit. Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum pag. 50. eum locum referens ait: *Ubi, ſi non fruſtra geminata ſunt nomina, (quod vehementer ſuſpicor) videri poterit, indicari aliqua S. Marcelli Tranſlatio, necdum aliunde nota.* Hæc autem ejuſdem Martyrologii verba, quæ ad diem XVI Januarii leguntur: *Romæ viâ Salariâ in Cœmeterio Priſcillæ Depoſitio Marcelli Epiſcopi & Confeſſoris*, Papebrocius pag. 45. de die S. Marcelli natali explicat. Verùm ex Chronico Damaſi, quod Vir doctiſſimus ſe ſequi profitetur, conſtat, *Marcellum* præſenti anno demortuum, nempe *poſt Conſulatum X & VII*, ideoque obitus ejus in diem XVI Januarii incidere non potuit; ſic enim Marcellinus annum unum & aliquot menſes ſedere non potuiſſet. Is itaque dies XVI Januarii ad aliquam S. Marcelli Tranſlationem referendus, quod & ipſe Papebrocius ibidem fatetur; ita ut ex ejus ſententia die XVI Januarii Marcellus ad ſuperos tranſierit, eodemque poſtea die aliqua ejus Tranſlatio contigerit. Hæc Papebrocii verba: *Adeo celebris manſit Romæ hujus diei memoria, ut cùm erecta poſtmodum eſſet ſub ejus nomine nova Romæ Eccleſia in ipſa quam Lucina dedicavit domo, eòque illatum ejus corpus, illius anniverſario id factum eſſe videatur; quo fit ut idem dies in ſecundo Catalogo* (in auctiori veterum Pontificum Chronico) *notatus inveniatur.* At licèt verum ſit, Sanctorum Pontificum Tranſlationes quandoque ipſorum die natali peractas, & reliquias S. Marcelli die XVI Januarii elevatas fuiſſe; ejus tamen dies obitualis alius non eſt, quàm ſeptimus menſis Octobris, ut deducitur ex Chronico Damaſi, cujus Auctor, Conſtantio Conſtantini filio imperante, vixit, quod Martyrologium Hieronymianum confirmat.

III. *Decretales Marcelli fictitiæ.*

Baron. anno 308. n. XXIV.

Ad num. V. *Marcello* duæ Decretales attribuuntur, quæ ſuppoſititiæ ſunt. Prima eſt ad Epiſcopos Antiochenæ Provinciæ, in qua leguntur loca ex Acacio Cpolitano Epiſcopo, Hilaro, Innocentio, Gregorio, Leone & aliis deſumtæ, quæque fictitio Conſulatu notatur: *Data Kalendas Aprilis, Maxentio & Maximo V.C. Coſſ.* Secunda eſt ad Maxentium, de qua Baronius in Annalibus anno præcedenti, qui tamen eam commentitiam eſſe non animadvertit. Incipit enim cum verbis S. Gregorii Epiſt. c XIV libri ſeptimi, continet aliorum loca complura, & Scripturam citat ex verſione Divi Hieronymi, ſubnotaturque *Maxentio & Maximo V.C. Coſſ.* qui Conſulatus prorſus fictitius.

IV. *S. Marcelli epitaphium explicatur.*

Baron. num. VIII.

Maxentium per hæc tempora Chriſtianos in Africa afflixiſſe exiſtimavit Baronius. Verùm per hæc tempora Africa *Alexandro* Tyranno parebat, quem Maxentius ante annum CCCXI non devicit, ut jam diximus. Ab eo tamen S. Marcellum malè habitum fuiſſe oſtendit ejus Epitaphium à Damaſo Papa ſcriptum, quod extat in antiquis Inſcriptionibus, refertturque à Baronio. In illo dicitur, *Marcellum*, quòd *Lapſos* ad pœnitentiam compelleret, ab impio Tyranno in exilium pulſum eſſe. Recitarunt etiam Epitaphium illud tam Bollandus die XVI Januarii in Vita S. Marcelli, quàm Papebrocius V.C. in Conatu Chronico Hiſtorico ad Catalogum Pontificum pag. 45.

Veridicus Rector, lapſus quia crimine flere
Prædixit miſeris, fuit omnibus hoſtis amarus.
Hinc furor, hinc odium ſequitur, diſcordia, lites,
Seditio, cædes: ſolvuntur fœdera pacis
Crimen ob alterius, Chriſtum qui in pace negavit
Finibus expulſus patriæ feritate Tyranni.
Hæc breviter Damaſus voluit comperta referre,
Marcelli ut populus meritum cognoſcere poſſet.

Exiſtimat Papebrocius loco *lapſûs*, legendum eſſe, *lapſos*, ſed perperam: Damaſus enim de crimine lapſûs loquitur, illumque flere prædixit *miſeris*, id eſt, *lapſis*. Addit Papebrocius: *Hic notat Bollandus: Nulla alibi (quod ſciam) mentio exilii Marcelli. Sed nec hîc etiam ulla, quia Marcellus hîc non dicitur, finibus expulſus patriæ. Quis ergo? Idem qui Chriſtum in pace negavit, ob cujus crimen ſoluta pacis fœdera, qui denique feritate Tyrannus fuit: quod non intelligens imperitus Librarius, commodiorem ſenſum facturum ſe credidit, ſi ſcriberet, Tyranni. Voluit ergo Damaſus ſignificare, quod quia Marcelli ad pœnitentiam hortantis & mala Reipublicæ alioqui incubitura prænuntiantis prædicatio odium commune ipſi attulit, ſecuti ſunt ii, quos narrat, effectus, ac denique bellum civile inter Conſtantinum & Licinium; quem Licinium primùm quidem cum Conſtantino Chriſtianum videri voluiſſe demonſtrat ex Euſebio Baronius ad an. CCCXIV, num. XII, & ſæpius victum à Conſtantino tandem in Gallias relegatum ex Joanne Nicomedienſi Presbytero coævo diſcimus in Vita S. Baſilei Amaſeni à nobis data ad XXVI Aprilis.* Sed immeritò Papebrocius Bollandum reprehendit, & exilium Marcello irrogatum in Licinium transfert; cùm is uſque ad annum CCCXIX Chriſtianis faverit, & ſi Chriſtianus non fuit, ſe ipſum talem ſimulaverit. Nec refert, quòd anno CCCXIV bellum Conſtantinum inter & Licinium fuerit; illud enim prætterquam quòd citò ſedatum, ad Religionem Chriſtianam non ſpectavit; nec tunc Chriſtiani à Licinio vexati. Deinde Licinius anno CCCXXV Theſſalonicam relegatus, ut infrà oſtendam, non verò in Gallias, ut habent Acta S. Baſilei, quæ vel hoc exilium in Gallias ſuppoſititia oſtenderet, ſi alia argumenta deeſſent. Qua de re ſuo loco. Tyrannus itaque, cujus Damaſus meminit, alius non eſt, quàm *Maxentius*, qui hoc tempore nullum impietatis aut libidinis genus prætermittebat, ut tradit Euſebius lib. 8. cap. 14. quique biennio poſt S. Marcelli obitum à Conſtantino M. debellatus eſt. Diſcordiæ, lites, ſeditio, cædes inter Chriſtianos ipſos excitatæ, quòd alii à *Marcello* ſtarent, alii *Lapſos* ſine pœnitentia recipiendos vellent. Qua de re etiam inter Chriſtianos aliàs altercatum. Qui verò Chriſtum in pace negavit, non eſt

Maxentius, neque Licinius, ſed aliquis privatus, cujus tam crimen, quàm nomen nobis ignotum. Poſt hæc itaque verba, *Chriſtum qui in pace negavit*, apponendum punctum. Non enim qui expulſus fuit, Chriſtum negavit; ſed qui Chriſtum negavit, hujus expulſionis cauſa fuit.

V. *Euſebius Marcello ſuccedit.* Baron. n. IV.

Ad num. VII. In Chronico auctiori veterum Pontificum, Marcelli morte narrata, dicitur: *Ceſſavit Epiſcopatus dies viginti*, quod & ex libro Pontificali Baronius tradit. Verùm, Euſebium, qui Marcello ſucceſſit, anno tantùm ſequenti Pontificatum adeptum eſſe, ſuo loco viſuri ſumus.

VI. *Anno VII perſecutionis geſta.* Baron. num. XVIII.

Ad num. X. Quæ habet hoc anno Baronius de Martyribus Palæſtinæ, pertinent ad annum ſequentem, qui octavus perſecutionis fuit. Ideo enim ille hunc annum perſecutionis octavum appellat, quòd eam anno trecenteſimo ſecundo, anno ſc. antequam ea excitaretur, inchoarit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5803. ☉ 11 A. ☽ 10. P. 2. APRIL. INDICT. 13.
JESU CHRISTI 310.
EUSEBII PAPÆ 1.
PERSECUTIONIS 8.
GALERII MAXIMIANI 6. CONSTANTINI 5. LICINII & MAXIMINI 4.

I. *Conſules.* Baron. n. 1.

CONSULES in Italia fuere *Maxentius Aug. III ſolus*, ut legitur in Faſtis Idacianis, & in libello de Præfectis Urbi. In reliquo Orbe Romano hic annus hâc formulâ notatus fuit: *Anno II poſt Conſulatum decimum, & ſeptimum*, id eſt, poſt decimum Maximiani Herculii, & ſeptimum Galerii Maximiani, ut diſcimus ex Idacio in Faſtis, & ex Fragmento Conſulari à Bucherio recitato. In Faſtis Græcis Theonis Conſules proponuntur *Andronicus & Probus*, anno verò ſequenti *Maximianus & Maximinus*. Verùm, ſicut certum eſt, Maximinum anno ſequenti Conſulatum tantùm ſuffectum geſſiſſe, ita & hoc anno Andronicum & Probum Conſules ordinarios non fuiſſe. Eſt hic quintus Maxentii annus, in quem ejus Quinquennalia incidebant, quorum causâ Conſulatus ille ab eo ſumtus videtur. Ea tamen ſolennia in annum CCC XII dilata, ut tunc videbimus. Ex eo autem quòd Maxentius, cui ſemper Romulus Cæſar filius Collega fuerat, ſolus Conſul proceſſerit, colligere eſt, eundem Romulum anno ſuperiori in aquis Tyberis extinctum eſſe. Auctor enim incertus Panegyrici Conſtantino poſt devictum Maxentium dicti, poſtquam narravit, Maxentium biduum ante pugnam, quâ debellatus eſt, palatio emigraſſe, & cum uxore ac filio *in privatam domum ſponte* conceſſiſſe, tum cap. 18. Tyberim alloquens ait: *Eum nec falſum Romulum diu vivere, nec parricidam Urbis paſſum eſſe enatare.* Quare dici non poteſt, Romulum Cæſarem anno CCC XII cum Maxentio patre in aquis Tyberis periiſſe; cùm ex Nummis apud Mediobarbum conſtet, eum apotheoſi donatum fuiſſe, & templum in ejus honorem conſtructum. Nam hæc conſecratio à Maxentio patre ſine dubio peracta, & ab eodem templum illud ædificatum; ideoque jam Romulus extinctus fuerat, ſive aquis, ſive alio modo. Genus enim mortis non omnino certum. Quare rectè Triſtanus tom. 3. pag. ſcripſit, Maxentio duos filios fuiſſe, *Romulum* Cæſarem, aliumque, de quo mentio in verbis Oratoris incerti laudatis. An verò is Conſtantini juſſu occiſus fuerit, & quo mortis genere interierit, incompertum. Quinquennalia Imperii Auguſtei Galerii Maximiani ad hunc annum pertinent, quemadmodum Quinquennalia Imperii Cæſarei Conſtantini Magni, de quibus loqui videtur Eumenius in gratiarum actione eidem Conſtantino Flavienſium nomine anno ſequenti dicta.

II. *Quinquennalia Imperii Cæſarei Conſtantini M.*

Eumenius poſtquam narravit, cenſum à Conſtantino relaxatum fuiſſe, cap. 13. ſubjungit: *Quinque annorum nobis reliqua remiſiſti. O luſtrum omnibus luſtris felicius! O luſtrum, quod meritò hanc Imperii tui æquavit ætatem!* (id eſt, ô luſtralis remiſſio, quæ plena & perfecta eſt, ſicut annus Imperii tui quintus, qui plenus, quia tranſactus, & non inchoatus tantùm) *Quinquennalia tua nobis etiam perfecta celebranda ſunt; illa enim quinto incipiente ſuſcepta* (id eſt, currenti Chriſti anno) *omnibus populis jure communia, nobis hæc propria*, (id eſt, anno CCC XI exhibita) *quia plena ſunt*, id eſt, anno quinto evoluto celebrantur. Vides, Eumenium duo Quinquennalia diverſis annis peracta inſinuare. Nec mirum; cùm reliqui omnes Auguſti, ſi priùs Cæſares renunciati fuiſſent, tam Cæſarei, quàm Auguſtei Imperii Quinquennalia & id genus feſta ederent. Quòd eo magis de Conſtantino dicendum, quòd certum ſit, eum bis Vicennalia celebraſſe, ut infrà oſtendam. Euſebius autem in Vita Conſtantini ſicut de unis Vicennalibus, ita de unis Decennalibus & Tricennalibus mentionem fecit; quamvis in Chronico duo Vicennalia à Conſtantino celebrata memoret. Quare hujus Hiſtorici ſilentium huic opinioni, quæ nova eſt, non officit.

III. *Martyrium S. Petri Epiſc. Alex.* Baron. n. III & ſeq.

Ad num. I, II & III. *S. Petrus* Epiſcopus Alexandrinus anno perſecutionis nono martyrium fecit, teſte Euſebio in fine libri ſeptimi, ideoque illud ad annum ſequentem, qui perſecutioni nonus eſt, revocandum, ut ibidem videbimus. Porrò viſio ejuſdem S. Petri de Arrio, ejuſque martyrii Acta, tam quæ apud Surium leguntur, quàm quæ Græcè ac Latinè à Combefiſio edita ſunt, varias falſitatis & ſuppoſitionis notas præferunt. Nam præter eas quæ à Baronio obſervatæ, in iis dicitur, *Millium* quemdam fuiſſe Epiſcopum Alexandrinum, *S. Heraclam* poſt S. Dionyſium & *Maximum* Eccleſiam Alexandrinam rexiſſe, & Fideles voluiſſe condere corpus S. Petri in Eccleſia S. Theonæ ſacra; quæ omnia à veritate aliena. Ea enim Eccleſia nondum ædificata erat; teſtatur enim Athanaſius in Apologia prima, eam extrui curaſſe S. Alexandrum Alexandriæ Epiſcopum, qui poſt Theonam ſedit. Denique Alexandrinorum Præſulum ſucceſſio ab Euſebio tradita in dubium revocari non poteſt; ideoque utraque S. Petri Vita procul dubio ſpuria.

V. *Achillas Epiſc. Alex.* Baron. n. XV.

Ad num. V. *S. Achillas* anno tantùm CCC XIII in locum S. Petri Epiſcopi Alexandrini ſubrogatus eſt, ut anno ſequenti videbimus.

VI. *Herculii interitus.* Maximianus Herculius, qui poſt depoſitum Imperium illud non ſemel iterum reſumſerat, ante præſentem annum Conſtantini Magni juſſu occiſus non eſt, ut anno trecenteſimo ſeptimo oſtendimus.

VII. *Euſebius PP.* Euſebius fit Pontifex Romanus, ut anno ſequenti videbimus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5804. ☉ 12 G. ☽ 8. P. 21. APRIL.
INDICT. 14.
Olymp. 272. *ſecundum Baronium.* JESU CHRISTI 311.
MELCHIADIS PAPÆ 1.
PERSECUTIONIS 9.
CONSTANTINI 6. LICINII ET MAXIMINI 5.

I. *Conſules.* IN libello de Præfectis Urbi, in quo Conſules, qui Maxentio imperante Romæ fuere, conſignantur, hoc anno legitur: *Conſules, quos juſſerint D D. N N. Ex menſe Septembri factum eſt, Ruſino & Euſebio. V Kalendas Novembris, Junius Flavianus P. V.* id eſt, Præfectus Urbi. Iidem Conſules in Faſtis Idacii his verbis memorantur: *Maximiano VIII Conſule. His Conſſ. quod eſt Rufino & Voluſiano, diem functus Maximianus junior*, Galerius nempe Maximianus reſpectu Maximiani Herculii *junior* dictus. Ex prioribus verbis libelli de Præfectis intelligimus, hujus anni initio nullos adhuc Conſules fuiſſe, & Imperatorum diſcordiam adhuc duraſſe. Secundò, in Faſtis Idacii ex unico Conſule duos effictos, quod quandoque factum, alibi obſervo; Rufinus enim à Zoſimo vocatur *Rufius Voluſianus*, & à Victore de Cæſaribus appellatur *Rufus Voluſianus*, & tam à Zoſimo, quàm ab eodem Victore dicitur fuiſſe Præfectus Prætorio Maxentii, quando in Africam miſſus eſt adverſus Alexandrum Tyrannum, quem hoc anno devicit, & in fortitudinis præmium menſe Septembri Conſul à Maxentio creatus eſt. *Rufinus* itaque *Voluſianus Euſebio* Collega Conſul in Italia proceſſit. In reliquo Orbe Romano *Galerius Maximianus* ſolus Faſtis nomen dedit, ut Idacius laudatus inſinuat, & magis diſertè exprimitur in Fragmento Conſulari à Bucherio edito, ubi habetur: *Maximiano VIII ſolo:* quod confirmat Auctor Chronici Damaſi, in quo Miltiades Papa dicitur fuiſſe *ex die ſexto Nonas Julias à Conſulatu, Maximiano VIII ſolo: quod fuit menſe Septembri, Voluſiano & Rufino uſque in III Idus Januarii, Voluſiano & Anniano Coſſ.* Ubi etiam idem Italiæ Conſul in duos partitur; quod aliquando ab aliis Auctoribus factum, uti jam monui. Galerio Maximiano menſe Martio, ut videtur, Collega adjunctus Licinius Auguſtus, qui *Conſul* appellatur in edicto Galerii Maximiani, de quo mox agetur. Non multò pòſt Maximinus Auguſtus II ejuſdem Galerii Maximiani Collega fuit, ut liquet ex verbis Lactantii hoc anno recitandis.

Baron. n. 1.

II. *Primus Licinii Conſulatus ſuffectus fuit.* Noriſius in Diſſert. de Numiſmate Licinii Auguſti cap. 1. exiſtimavit, *Licinii Conſulatum* ordinarium fuiſſe, qua in ſententia fui, cùm Diſſertationem Hypaticam componerem. Sed re magis examinata, eum inter ſuffectos numerandum eſſe certò mihi conſtitit. Et ratio eſt, quia Auctor Chronici Alex. qui Conſulatus ſuffectos negligere ſolet, v. g. primum Veſpaſiani, Hadriani, & aliorum, qui ſuffecti fuere, nunquam primum Licinii in cenſum confert, eamque ob rem ſecundum Conſtantini Magni Conſulatum cum primo Licinii copulat, & in aliis Licinii Conſulatibus exprimendis primum hoc anno geſtum ſemper omittit. Quare is Conſulatus procul dubio ſuffectus. Secundò, Auguſtinus libro poſt Collationem cap. 33. Auctorem Chronici Alexandrini imitatur, & tertium Conſtantini Conſulatum cum ſecundo Licinii conjungit; qui tamen ſi primum Licinii numeraſſet, utrumque tertiùm Conſules vocaſſet. Hæc Auguſtini verba: *Nam Melchiades judicavit Conſtantino tertiùm & Licinio iterum Conſulibus, Nonis Octobris.* Et tamen annò CCCXIII, quo ille Conſulatus geſtus, in aliis Faſtis legitur: *Conſtantino III & Licinio III.* Baronius illius initio ſuſpicatur, mendum eſſe in Codice, cùm Auguſtinus libellos Conſulares citet. Sed locus purus eſt, & primus Licinii Conſulatus ſuffectus. Tertiò, Lex Codicis Theodoſiani *De cenſu.* data *XV Kal. Februarii* ſubſcriptos habet Conſules, Conſtantinum Aug. IIII & Licinium III. Gothofredus ibidem ait, eam ſubſcriptionem mendoſam eſſe; cùm tamen in ea ideo Licinius Conſul III appelletur, quia cùm primus ejus Conſulatus ſuffectus fuerit, vel numerari, vel prætermitti poterat. Quare cùm in Fragmento Bucheriano & in Chronico Damaſi Maximianus Aug. VIII ſolus Conſul dicitur, datur intelligi, ſolum Conſulem ordinarium extitiſſe. Verùm Conſulatus ſuffecti adhuc magis examinandi.

III. *Conſules ſuffecti hoc tempore adhuc in uſu.* Noriſius in Diſſert. 4. de Cenotaphiis Piſanis cap. 1. §. 1. explicans quandam Inſcriptionem, in qua *L. Turcius Secundus* dicitur Conſul, qui tamen nuſquam in Faſtis legitur, arbitratur ejuſdem Conſulatum intra annum CCCVII & CCCXII, cùm, diviſo in plures Auguſtos Romano Imperio, non eadem ubique eſſent collegia Conſulum. *Nam*, inquit, *anno CCCXI ſcribit Auctor Indiculi Præfectorum Urbis à Cuſpiniano olim publicatus:* Conſules, quos juſſerint DD. NN. Auguſti. Ex menſe Septembri factum eſt, Rufino & Euſebio. *Itaque Romæ eo anno uſque ad menſem Septembris, nulli Conſules fuerant publicati: eo tamen menſe Maxentius deſignavit Aradium Rufinum, qui anno CCCIV Præfectus Urbi fuerat, & Euſebium, qui à Conſtantino*, lib. 1. De annona & trib. *data anno CCCXV:* ex Conſule. *At in Gallia, Hiſpania, cæteriſque trans Alpes Provinciis, quæ ad Conſtantini Imperium pertinebant, Maximianus Galerius ſolus Conſul eodem anno CCCXI nominabatur. Ita legitur in Faſtis Idacii & in Fragmento Conſulari à Bucherio edito pag.* 250. Maximiano VIII ſolo Lun. *nempe eo anno Kalendas Januarias die Lunæ fuiſſe, uti reapſe dies Lunæ, ſeu feria ſecunda fuit prima dies ejuſdem anni CCCXI, Cyclo Solis XII, Lunæ VIII. Litterâ G. In Græcia, Macedonia, Dacia, aliiſque Provinciis Illyrici, in Thracia, atque Bithynia, quæ partim Ga-*

lerio

lerio Auguſto, partim Licinio Imperatori parebant, dicebantur Conſules Galerius Maximianus octies, & Maximinus iterum. Hæc nuper didici ex aureo Libello Lactantii Firmiani de Mortibus Perſecutorum à Viro doctiſſimo Stephano Baluzio ex inſigni Illuſtriſſimi D. Colberti Comitis ſacrarum ac privatarum Largitionum Bibliotheca evulgato; ſiquidem ſcribit cap. 35. edictum pro Chriſtianis à Maximiano Galerio paucis ante ejuſdem mortem diebus, propoſitum Nicomediæ pridie Kal. Maias, ipſo octies & Maximino iterum Conſulibus. *Proſper in Chronico, Victorius in Canone Paſchali, Caſſiodorus, Auctor Chronici Alexandrini, aliique eo anno cum Maximiano octies Licinium Collegam poſuerunt. Hic fortè in Pannoniis, Rhætia, ac Norico, ubi Licinius imperabat, idem ſemet Collegam Maximino addiderat. Euſebius lib. 9. cap. 11. ſcribit, maximo in honore habitum fuiſſe ab Orientis Imperatore Maximino Peucetium, quem ille iterum ac tertiò Conſulem, & Præfectum ac Procuratorem ſummæ rei creaverat; qui tamen à doctis Faſtorum Collectoribus ne ſemel quidem Conſul nominatur. Valeſius in Notis Euſebianis anno CCC XII ſtatuit in Oriente Conſules Maximinum Auguſtum II, & Peucetium II. Verùm ex Lactantio, qui id temporis Nicomediæ degebat, patet, Maximinum iterum Conſulem fuiſſe anno ſuperiore CCC XI. Uti verò Peucetius Conſul in Oriente fuit, ita pariter L. Turcius Secundus in Occidente Conſulatum quandoque geſſit, quamvis neuter in Faſtis ſignatus appareat; cùm tamen eo ſeculo nulli ſuffecti Conſules crearentur.* Hæc Noriſius. Idem Euſebii locus Valeſium in Notis Euſebianis in tranſverſum egit. Ex eo enim collegit, *Peucetium* ter Collegam Maximini in tribus Conſulatibus ordinariis fuiſſe; cùm credibile, inquit, non ſit, Maximinum alteri tertium Conſulatum tribuiſſe; ipſum verò ne ſemel quidem Conſulem extitiſſe.

IV. *Opinio contraria confutatur.* At hæc omnia ex iis, quæ jam ſtatui, facilè ſolvuntur; liquetque, alia quidem Romæ ac in reliquo Orbe Romano ab anno Chriſti trecenteſimo ſeptimo, uſque ad annum trecenteſimum duodecimum fuiſſe Conſulum paria; ſed extra Italiam, diviſis licèt plerumque Imperatorum animis, eoſdem tamen Conſules agnitos fuiſſe: & ubi inter eos convenire non potuit, adhibitam fuiſſe formulam *Poſt Conſulatum* inter Imperatorum diſcordias natam: nam ante præfatum annum nullibi ejus formulæ mentio. Ea Imperatorum diſcors concordia apparet ex edicto hoc anno à Galerio Maximiano paulò ante mortem ejus emiſſo, de quo infrà. In ejus enim fronte hæc verba leguntur: *Imperator Cæſar Galerius Valerius Maximianus, Invictus, Auguſtus, Pontifex Maximus, Germanicus Maximus, Ægyptiacus Maximus, Thebaicus Maximus, Sarmaticus Maximus quintùm, Perſicus Maximus, ſecundò Carpicus Maximus, ſextò Armeniacus Maximus, Medicus Maximus, Adiabenicus Maximus, Tribunitiæ Poteſtatis XX, Imperator XIX, Conſul VIII, Pater Patriæ Proconſul. Et Imperator Cæſar Flavius Valerius Conſtantinus, Pius, Felix, Invictus, Auguſtus; Pontifex Maximus, Tribunitiæ Poteſtatis V, Imperator V, Conſul, Pater Patriæ Proconſul. Et Imperator Cæſar Valerius Licinianus, Pius, Felix, Invictus, Auguſtus, Pontifex Maximus, Tribunitiæ Poteſtatis IV, Imperator III, Conſul, Pater Patriæ Proconſul: Provincialibus ſuis ſalutem.* Ideo autem in eo edicto Galerii Maximiani, Conſtantini & Licinii nomina leguntur, quia eorum conſenſu datum fuit. Quòd ſi communi conſenſu edictum illud emiſere, cur non & communi conſenſu Conſules ordinarios deſignavere? Et Maximinum in deſignatione Conſulum ab illis non diſſenſiſſe ex eo liquet, quòd Lactantius mox citandus tradat, poſt Galerii Maximiani mortem diſcordiam Licinium inter & Maximinum ortam fuiſſe. Quare ante eam mortem inter eoſdem conveniebat.

V. *Ea ſententia magis refellitur.* Nec aliquis ex Imperatoribus Galerio Maximiano ſeniori Auguſto, præ quo ipſi Cæſares tantùm videbantur, ut ex iis, quæ anno CCCXIII dicemus, clarebit, in diſpoſitione Conſulari repugnare auſus fuiſſet, quemadmodum nec Maximiano Herculio, poſtquam Imperium reſumſit, & antequam ei à Conſtantino Magno purpura detracta eſſet. Hinc, ut ſuprà vidimus, Galerius Maximianus in Nummis *junior Auguſtus* vocatus, & Maximianus Herculius *ſenior Auguſtus*. Certè ſicut Idacius in Faſtis, & Auctor libelli de Præfectis, Conſules qui in Italia, ubi Maxentius Tyrannus regnabat, Faſtis nomen dedère, memorarunt, ita aliquis ex Antiquis Conſules à Licinio & aliis junioribus Auguſtis deſignatos deſcripſiſſet, ſi verè ab eis creati fuiſſent. Imò cùm Idacius in Faſtis tam Conſulum qui in Italia annum aperuerunt, quàm Conſulum qui in reliquo Orbe Romano agniti ſunt, mentionem faciat; non dubium, quin ſi alii Conſules ordinarii nominati fuiſſent, eorum idem Idacius meminiſſet. Dico Conſules *ordinarios*: quia quemlibet Imperatorem Conſules ſuffectos deſignaſſe, ideoque & Maximinum tres ſuffectos Conſulatus in Peucetium contuliſſe indubitatum videtur. Hinc in Faſtis Græcis à Dodwello V. C. in Appendice ad Diſſertationes Cyprianicas publicatis per hæc tempora aliqui Conſules leguntur, quorum reliqui Faſtorum Conditores tacent, quia nempe ii tantùm Conſulatum ſuffectum geſſere, licèt eos Conſules ordinarios fuiſſe Dodwellus perperam arbitratus fuerit; non advertens in iiſdem Faſtis non rarò Conſules ſuffectos pro ordinariis obtrudi. Per hæc verò tempora Conſules ſuffectos creari ſolitos certum eſſe debet, cùm Conſulatus à Licinio currenti anno geſtus ſuffectus tantùm extiterit, ut numero præcedenti demonſtravi. Conſules autem ſuffectos Diocletiano & Maximiano Herculio imperantibus adhuc viguiſſe oſtendit ſecundus Conſulatus Fauſti ordinarius anno CCXCVIII, & ſecundus Titiani anno CCCI, etiam ordinarius ab utroque geſtus, quorum prior Conſulatus nonniſi ſuffectus aut honorarius fuit, cùm in nullis Faſtis legatur. Quòd ſi primus Licinii Auguſti Conſulatus ſuffectus fuit, non dubium, quin & ſecundus Maximini Auguſti ſuffectus etiam fuerit. Quod Conſulatûs genus duraſſe videtur uſque ad Conſtantinopolim conditam, Conſuleſque ordinarios à Conſtantino tunc annuos redditos.

VI. *Quinquennalia Impp.* Ceterùm *Rufinus* ille, qui hoc anno cum Euſebio Conſul ordinarius in Italia fuit, alius eſt à *Rufino Aredio* anno CCCIV Urbis Præfecto, ut ex iis, quæ hoc anno, num. I. in medium adduximus, manifeſtum fit. Doctè porrò obſervavit Norilius in literis ad me nuper ſcriptis, in titulo laudato decreti à Galerio Maximiano dati, Imperatoris titulum juxta numerum victoriarum multiplicari: ſi enim numeres victorias, è quibus eum titulum iteravit, invenies eas eſſe XIX; cùm tamen Galerius Maximianus ibidem *Imp. XIX* appelletur, ubi titulus Imperatoris, qui Imperii initio Auguſtis dabatur, etiam antequam hoſtes viciſſent, in ſummam confertur. Galerii Maximiani, Licinii, & Maximini Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam ſumimus. In hunc enim annum Imperii Cæſarei Galerii Maximiani Vicennalia incidebant, quæ tamen in annum ſequentem diſtulit, ut mox ex Lactantio videbimus, Conſulatu interim ſuſcepto. Incidunt & in hunc annum Quinquennalia Imperii Cæſarei Licinii & Quinquennalia Imperii Auguſtei Maximini, & ex Conſulatu ſuffecto ab utroque inito intelligimus, utrumque exeunte anno CCCVII Auguſtum appellatum fuiſſe; Licinius enim non multò poſtquam Cæſar renuntiatus eſt, Auguſteam dignitatem obtinuit. Quemadmodum itaque *Gallienus* junior Cæſar anno Quinquennalibus ſuis addicto Conſulatum ſuffectum capeſſiit, ita Maximinus & Licinius hoc anno, quo ſimilia ſolennia edere debebant, Conſulatu ſuffecto contenti fuere.

VII. *Conſtantinus Maximi nomen obtinet.* Exhibuit & Quinquennalia Auguſtei Imperii Conſtantinus, & in Galliis, ubi imperabat, *Maximi* nomine inſignitus eſt. Mediobarbus enim pag. 462. Nummum Conſtantini producit inſcriptum: CONSTANTINUS P. F. AUG. in poſtica: VOTIS V. MULT. X. P. TR. id eſt, *percuſſa*, ſcilicet moneta, *Treviris*. In duobus aliis ibidem recitatis habetur: IMP. CONSTANTINUS MAX. P. F. AUG. in poſtica: VOTIS V. MULT. X. VICTOR. in alio: CONSTANTINUS MAX. AUG. in poſtica: VOTIS V. MULT. X. Si prior Nummus, in quo *Maximus* non dicitur, Imperii ejus Auguſtei initio cuſus non eſt, non dubium, quin ad annum præcedentem, quo eum Imperii Cæſarei Quinquennalia dediſſe ibidem diximus, pertineat. Sed quidquid hac de re ſit, Conſtantinus in Quinquennalibus hoc anno celebratis, *Maximi* titulum in Galliis accepit, quem Romæ nonniſi anno ſequenti poſt devictum Maxentium, ut optimè Mediobarbo obſervatum, obtinuit. Duos enim poſtremos Nummos in Quinquennalibus percuſſos certum; cùm ipſo Imperii initio ob Galerium Maximianum ſeniorem Auguſtum tunc valde formidandum, *Maximi* nomen Conſtantinus ſibi attribuere auſus non fuiſſet Eboraci, ubi purpuram induit, unde & literas laureatas ad Galerium Maximianum, ut ſuam nuncupationem gratam habere vellet, miſiſſe diximus. Porro de præcedentium Auguſtorum more Conſtantinus in hac feſtivitate novum titulum aſſumſit.

VIII. *S. Luciani martyrium.* Ad num. I & II. S. *Luciani* Presbyteri Antiocheni martyrium anno tantùm ſequenti contigit. Cùm enim paſſus ſit ſeptimo Januarii die, & poſt S. Petri Alexandrini necem, quæ hoc anno die XXV Novembris accidit, non dubium, quin *Lucianus* anno tantùm ſequenti martyrio coronatus fuerit. Unde rectè Euſebius & Hieronymus Luciani martyrium ſub Maximino poſuere, quod Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum etiam ſcripſerat, & Metaphraſten & Suidam, qui eum ſub Maximiano occubuiſſe ſcribunt, jure merito reprehenderat; quos tamen poſtea perperam in Annalibus ſecutus eſt. Neque enim *Lucianus* ſub Galerio Maximiano currenti anno demortuo pati potuit, ſi ejus martyrium anno ſequenti contigit. Euſebius lib. 8. cap. 13. illud retulit; ſed turbato ordine temporum, lib. verò 9. cap. 6. diſtinctiùs notat tempus, quo occiſi ſunt Petrus Epiſcopus Alexandrinus & Lucianus, ut obſervat Valeſius in Notis, nempe ſub Maximino, & quidem Nicomediæ, *in qua tunc civitate Maximinus morabatur*, & poſtquam jam Lucianus morti traditus fuerat. Baron. num. III & ſeqq.

IX. *An in hæreſim inciderit.* Ad num. III. Non tantùm Baronius, ſed etiam Schelſtratius in Diſſert. III de ſacro Concilio Antiocheno cap. 2. aliique Viri docti S. *Lucianum* ab hæreſeos ſuſpicione liberare conati ſunt; ſed cùm nihil præter conjecturas ſuas afferant, fides non videtur deneganda S. *Alexandro* Epiſcopo Alexandrino, qui in epiſtola ad Alexandrum Cpolitanum Epiſcopum à Theodoreto lib. 1. cap. 4. relata, poſtquam de Paulo Samoſateno Antiochiæ Epiſcopo locutus eſt, ait: *Cui ſuccedens Lucianus pluribus annis à communione trium Epiſcoporum ſeſe abjunxit.* Cauſa itaque ſchiſmatis Luciani fuit doctrina Pauli Samoſateni, quam defendebat; cujus gratiâ diu ſeparavit ſe à tribus Epiſcopis Antiochenis, Domno ſc. Tymæo, ac Cyrillo, qui ſibi invicem ſucceſſere. Certè Theodoretus, poſtquam hanc Alexandri, qui Luciani temporibus vixit, ejuſque doctrinam ac diſcipulos apprimè noverat, epiſtolam retulit, diſertè affirmat, eum nulla in re mentitum eſſe, ſed veritatem ingenuè protuliſſe. Accedit teſtimonium Epiphanii in hæreſi 43. quæ eſt Lucianiſtarum, ubi *Lucianum* hunc, de quo loquitur Alexander, Arianæ hæreſi patrocinatum fuiſſe, & ab Arianis pro Martyre habitum ſcribit. Præterea diſcipuli ejus, quos recenſet Philoſtorgius, quique ſe *Conlucianiſtas* vocabant, Ariani erroris labe omnes infecti fuere. Sed videamus quid de illo narret Alexander. Ait primò, Lucianum ſucceſſiſſe *Paulo Samoſatenſi*, id eſt, erroris illius ſucceſſorem fuiſſe. Illum autem familiarem fuiſſe *Pauli Samoſateni* credibile eſt; fuit enim & ipſe oriundus ex urbe Samoſatenſi, (quæ urbs Syriæ ad Euphratem fluvium) ut legitur in ejus Vita. Et cùm *Paulus* ex ea urbe ad Antiochenſem Epiſcopatum evectus eſt, *Lucianus* quoque Eccleſiæ Antiochiæ Presbyter fuit. Ætas quoque utriuſque in idem ferè tempus incurrit; Paulus enim Aureliani temporibus depoſitus eſt, & poſt depoſitionem diu ſuperſtes vixit. Ponamus ergo, illum ad Cari uſque tempora perveniſſe, ab hinc ad martyrium Luciani anni ſunt plus minùs viginti quinque. Ex quo apparet, Paulum ac Lucianum eodem oppido ortos & ejuſdem urbis Sacerdotes, iiſdem quoque vi-

xiſſe temporibus. Ceterùm hujus verbi, ἀποσυνάγωγος ἔμεινε τριῶν ἐπισκόπων, vim non intellexere Interpretes; quos ſecutus Baronius ad annum CCC XVIII ſcribit, *Lucianum* à tribus Epiſcopis ſibi continuè ſuccedentibus, Eccleſiâ ejectum fuiſſe. Atqui hoc non dicit Alexander, ſed tantùm ait, *Lucianum* ſchiſma feciſſe in Antiochenſi Eccleſia, & ſub tribus Epiſcopis ſibi continuè ſuccedentibus Collectas ſeorſum celebraſſe. Id enim ſignificat vox ἀποσυνάγωγος. Itaque Epiphanius Scholaſticus non malè hunc locum interpretatus eſt hoc modo, *cui ſuccedens Lucianus, extra Synagogas manſit plurimo tempore*, ut oſtendit Valeſius loco laudato, ex quo hæc accepimus, qui addit, laudandum quidem eſſe Baronium, qui Martyrem Chriſti nefandæ hæreſeos ſuſpicione liberare conatus ſit, ſed veritatem cunctis rebus anteponendam eſſe. Tandem verò ad unitatem Eccleſiæ reverſus eſt Lucianus, ut ex Alexandro colligitur. Neque enim eum uſque ad exitum vitæ in ſchiſmate manſiſſe ſcribit, ſed tantùm longo tempore ſeparatum fuiſſe. Luciani Acta à Bollando in Actis Sanctorum die VII Januarii illuſtrata.

X. *Exactiones Galerii Maximiani Vicennalia meditantis.*

Ad num. V. Galerii Maximiani Auguſti interitus hoc anno in Faſtis Idacii conſignatus; ideoque & à Baronio accuratè recitatus. Sed tempus ſignantiùs explicat Lactantius in libro de Mortibus Perſecutorum, & multa quæ hactenus nos fugerant, in lucem profert. Capite itaque 31. poſtquam jam Maximiani Herculii necem narravit, ait: *Ab hoc Deus Religionis ac populi ſui vindex, oculos ad Maximianum alterum tranſtulit, nefandæ perſecutionis auctorem, ut in eo etiam vim majeſtatis oſtenderet. Jam de agendis & ipſe Vicennalibus cogitabat .... qui jamdudum Provincias afflixerat auri argentique indictionibus factis, quæ promiſerat redderet, etiam in nomine Vicennalium ſecurem alteram afflixit.* (locus ille corruptus) *Qua vexatione generis humani exactio celebrata ſit, maximè rei annonariæ, quis enarrare dignè poteſt? Officiorum omnium milites, vel potiùs carnifices ſingulis adhærebant, cui priùs ſatisfieret incertum, veniam non habentibus, nullas abſtinendi multiplicis cruciatus, niſi exhiberetur ſtatim quod non erat. Multis cuſtodiis circumſepto nulla reſpirandi facultas, nullo tempore anni vel exigua requies, frequens ſuper iiſdem hominibus, vel ipſis Judicibus, vel militibus Judicum pugna, nulla area ſine exactore, nulla vindemia ſine cuſtode, nihil ad victum laborantibus relictum. Quæ quantò tolerabilia ſint, eripi à labore hominum cibos labore quæſtos, tamen tolerabile aliquo modo vel ſpe futurorum. Quid veſtis omnis generis, quid aurum, quid argentum? Nonne hæc neceſſe eſt ex venditis fructibus comparari? Unde igitur hoc, ô dementiſſime Tyranne, præſtabo, cùm omnes fructus auferas, univerſa naſcentia violenter eripias? Quis ergo non bonis ſuis everſus eſt, ut opes quæ ſub Imperio ejus fuerunt, corraderentur ad Votum, quod non erat celebraturus?* Ex verbis iſtis, ut id obiter obſervem, liquet, quantâ pompâ Vicennalia & id genus feſta ab Imperatoribus ederentur, cùm in eum finem ingentes exactiones fieri ſolerent. Liquet ſecundò, Galerium Maximianum Imperii Cæ-

ſarei Vicennalia non celebraſſe, licèt, ſi anno legitimo exhibita fuiſſent, currenti, in quo ſextus à celebratis Quindecennalibus incipiebat, edenda fuiſſent.

XI. *Morbus Galerii Maximiani.* Baron. num. XXX & ſeqq.

Tum capite 33. Lactantius ait: *Jam decimus & octavus annus* (ejus nempe Imperii Cæſarei Kalendis Martiis anni CCC XCII initi) *agebatur, cùm percuſſit eum Deus inſanabili plaga.* (ideoque anno CCC IX, quo annum XVIII inchoavit) *Naſcitur ei ulcus malum in inferiori parte genitalium, ſerpitque latiùs. Medici ſecant, curant, ſed inductam jam cicatricem ſcindit vulnus, & ruptâ venâ, fluit ſanguis uſque ad periculum mortis. Vix tamen cruor ſiſtitur. Nova ex integro cura. Tamen perducitur ad cicatricem. Rurſus levi corporis m.... vulneratus, plus ſanguinis quàm antè decurrit. Albeſcit ipſe, atque abſumtis viribus tenuatur; & tunc quidem rivus cruoris inhibetur. Incipit vulnus non ſentire medicinam, proxima quæque cancer invadit, & quantò magis circum ſecatur, latiùs ſævit; quantò curatur, increſcit. Ceſſere Magiſtri Phyllides, Cirona, Metonius, Melamphius. Undique Medici nobiles trahuntur. Nihil humanæ manus promovent. Confugitur ad idola. Apollo & Aſclepius orantur, remedium flagitatur. Dat Apollo curam. Malum multò pejus augetur. Jam non longè perniciès aberat, & inferiora omnia corripuerat. Computreſcunt forinſecus viſcera, & in tabem ſedes tota dilabitur. Non deſunt tamen infelices Medici, vel ſine ſpe vincendi mali, fovere, curare. Repercuſſis medullis malum recidit introrſus, & interna comprehendit, vermes intus creantur. Odor autem non modò per palatium, ſed totam civitatem pervadit. Nec mirum, cùm jam confuſi eſſent exitus ſtercoris & urinæ. Comeſtus à vermibus, & in putredinem corpus cum intolerandis doloribus ſolvitur. Clamores ſimul horrendos ad ſidera tollit, quales mugitus fingit ſaucius taurus. Apponebantur ad ſedem fluentem cocta & calida animalia, ut vermiculos eliceret calor. Queis reſolutis ineſtimabile ſcatebat examen, & tamen multò majorem copiam tabeſcendorum viſcerum perniciès ſecunda generaverat. Jam diverſo malo partes corporis amiſerant ſpeciem. Superior uſque ad vulnus aruerat, & miſerabili macie cutis lurida longè inter oſſa conſederat. Inferior, ſine ulla pedum forma, in utrium modum inflata diſcreverat. Et hæc facta ſunt per annum perpetem*, (ab ultimis nempe menſibus anni Chriſti CCC IX, ideoque per annum & aliquot menſes, quos Lactantius negligit) *cùm tandem malis domitus Deum coactus eſt confiteri, novi doloris* (legendum forſan, novâ vi doloris) *urgentis per intervalla exclamat, ſe reſtituturum Dei templum, ſatiſque pro ſcelere facturum. Et jam deficiens edictum miſit hujuſmodi.* Recitat poſtea Lactantius edictum illud in favorem Chriſtianorum datum, quod Græcum extat apud Euſebium lib. 8. cap. 18.

XII. *Interitus Galerii Maximiani.* Baron. num. XXXV.

Porro Galerium Maximianum *Serdicæ* ægrotaſſe ac interiiſſe, diſcimus ex Anonymo Valeſiano, qui poſtquam de Licinio Cæſare creato locutus eſt, inquit: *Deinde illo in Pannonia relicto, ipſe ad Serdicam regreſſus, morbo ingenti occupatus ſic diſtabuit, ut*

aperto & putreſcente viſcere moreretur. Pergit Lactantius cap. 35. *Hoc edictum proponitur Nicomediæ pridie Kalendas Maias, ipſo* (nempe Galerio Maximiano) *octies & Maximino iterum Conſulibus. Nec tamen ille hoc facto veniam ſceleris accepit à Deo, ſed poſt dies paucos commendatis Licinio conjuge ſua & filio, atque in manus traditis, cùm jam totius corporis membra defluerent, horrenda tabe conſumtus eſt. Idque cognitum Nicomediæ menſis ejuſdem,* (ſc. Maii) *cùm futura eſſent Vicennalia Kalendis Martiis impendentibus,* anni nempe Chriſti ſequentis, quo Kalendis Martiis die Imperii ejus Cæſarei natali ea ſolennia propter perpetem morbum dilata, edere decreverat. Uxor Galerii Maximiani erat *Valeria* Diocletiani filia, quæ ob ferociam Licinii ad Maximinum confugit, à quo peſſimè habita, ut infrà videbimus. Nullum ex ea Galerius Maximianus filium ſuſcepit, ſterilis enim fuit, ut docet Lactantius cap. 50. Hæc itaque intelligenda de *Candidiano*, quem ibidem Lactantius dicit ex concubina natum, à Valeria adoptatum, ac deſponſum filiæ ſeptenni *Maximini* Auguſti. Hunc, ut tradit Lactantius cap. 20. Cæſarem facere deſtinabat pater poſt celebrata Vicennalia. Sed occiſus eſt à Licinio anno CCC XIII, ætatis ſuæ XVI, ut infrà. Titulum præfati edicti Galerii Maximiani ſuprà num. IV recitavimus. In quo cùm *Galerius Maximianus* dicatur Tribunitiæ Poteſtatis XX, conſtat, illud emiſſum eſſe poſt Kalendas Martias currentis anni, quibus Tribunitiam Poteſtatem XX auſpicatus eſt idem Galerius. Poſt illum diem datum, ex Nummis etiam Græcis apud Goltzium, certum redditur. Ultimus enim, in quo annus Auguſtei ejus Imperii notatur, exhibet hos characteres, L. Z. id eſt, *annus ſeptimus.*

XIII. *Quot annis Galerius Maximianus imperarit.*

Nam cùm, Lactantio teſte, Kalendis Maii anni CCC V Auguſtus renuntiatus fuerit, Kalendis Maii currentis Chriſti anni ſeptimum Imperii Auguſtei annum incepit. Quare cùm idem Imperator jam deficiens edictum illud promulgarit, apparet, Lactantii ſententiam Galerii Maximiani Nummis corroboratam eſſe, perperamque ſcripſiſſe Valeſium in Notis Euſebianis, alioſque Viros doctos, edictum illud ante menſem Martium datum eſſe. Qui error ex alio profluxit, quòd nempe Galerium anno CC XCI Kalendis Martiis Cæſarem creatum autumarint. Sed eorum opinionem Lactantius planè evertit. Si enim Galerius anno Imperii decimo octavo in morbum incidit, & poſtquam per integrum eo vexatus eſt, obiit, profectò ante annum CC XCII Imperium Cæſareum non accepit; alioquin per duos annos integros ægrotaſſet. Inſuper in Anonymo Valeſiano de Galerio Maximiano dicitur: *Imperavit ann. XVIIII*; ideoque anno ducenteſimo nonageſimo ſecundo Kalendis Martiis Cæſar dictus fuerat; aliter non annos undeviginti, ſed annos viginti & aliquot menſes Imperium tenuiſſet. Quare rectè in Chronico Euſebiano hoc anno legitur: *Galerius Maximianus moritur XX Imperii ſui anno, quod partim Cæſar, partim Auguſtus exercuit.* Denique Victor de Cæſaribus ait, Galerium & Conſtantium Chlorum *potentiam Cæſarum annos tredecim* obtinuiſſe; quod etiam de eodem Conſtantio teſtatur Eutropius. Quamobrem uterque Cæſar anno CC XCII nuncupatus fuerat. Neque dicas, edictum illud anno præſenti ante menſem Martium, dum adhuc Tribunitia Poteſtas XX in curſu erat, datum eſſe; ſicque Galerium anno CC XCI inchoare eam potuiſſe. Nam præterquam quòd ea opinio ex dictis corruit, tanta diſtantia Serdicam inter & Nicomediam, ubi propoſitum eſt, non interjicet, quin intra unicum menſem edictum Serdicâ Nicomediam tranſmitti non potuerit, imò quin tranſmiſſum ſit, cùm de re graviſſima, de perſecutione nempe inhibenda, ageretur.

XIV. *Licinius & Maximinus Provincias à Galerio poſſeſſas partiuntur.*

Ad num. V & VI. *Quo nuntio* (mortis nempe Galerii Maximiani, inquit Lactantius cap. 36.) *Maximinus audito, diſpoſitis ab Oriente curſibus pervolavit, ut Provincias occuparet, ac Licinio morante, omnia ſibi uſque ad fretum Chalcedonium vindicaret. Ingreſſuſque Bithyniam, quo ſibi ad præſens favorem conciliaret, cum magna omnium lætitia ſuſtollit cenſum diſcordia inter ambos Imperatores, ac penè bellum. Diverſas ripas armati tenebant. Sed conditionibus certis pax & amicitia componitur, & in ipſo freto fœdus fit, ac dexteræ copulantur.* Cùm autem Maximinus in epiſtola ſcripta ad Sabinum poſt mortem Galerii Maximiani, doceat, ſe *anno præterito* Nicomediæ fuiſſe, ut videre eſt apud Euſebium, liquet, *Maximinum* mortuo Galerio Aſiam ac Bythiniam occupaſſe, quas Galerius unà cum Illyrico & Thracia ſibi retinuerat. Et quidem Bithyniam ceſſiſſe in jus & ditionem Maximini, colligit Baluzius in Notis ad citatum Lactantii locum ex martyrio S. Luciani Antiocheni, quod enarrat Euſebius lib. 9. cap. 6.

XV *Maximinus Chriſtianos perſequitur.*

Baron. num. XLIV & ſeqq.

Pergit Lactantius loco citato: *Redit ille* (ſc. Maximinus) *ſecurus, & fit qualis in Syria & in Ægypto fuit. In primis indulgentiam Chriſtianis communi tutelo datam tollit, ſubornatis legationibus civitatum, quæ peterent, ne intra civitates ſuas Chriſtianis Conventicula extruere liceret, ut quaſi coactus & impulſus facere videretur quod erat ſponte facturus. Quibus annuens novo more Sacerdotes maximos per ſingulas civitates ſingulos ex primoribus fecit, qui & ſacrificia per omnes Deos ſuos quotidie facerent, & veterum Sacerdotum miniſterio ſubnixi darent operam* [ut] *Chriſtiani neque fabricarent, neque publicè aut privatim colerent, ſed comprenſos ſuo jure ad ſacrificia cogerent, vel Judicibus offerrent. Parumque hoc fuit, niſi etiam Provinciis exactiore dignitatis gradu ſingulos quaſi Pontifices ſuperponeret, & eos utroſque candidis chlamydibus ornatos juſſit incedere. Facere autem parabat quæ in Orientis partibus fecerat. Nam cùm clementiam ſpecie tenus profiteretur, occidi ſervos Dei vetuit, debilitari juſſit. Itaque Confeſſoribus effodiebantur oculi, amputabantur manus, pedes detruncabantur, nares vel auriculæ deſecabantur.* Verum quidem eſt, poſt edictum à Galerio Maximiano in gratiam Chriſtianorum emiſſum, Maximinum, ubi illud accepit, mandaſſe Judicibus, ut à Chriſtianorum oppugnatione abſtinerent, conſtitutione tamen Galerii ſuppreſſa, & nuda tantùm voce per *Sabinum* Præfectum Prætorii ſui, Provinciarum Præſidibus juſſis, ut perſecutionem adverſus

eoſdem inhiberent, uti narrat Euſebius lib. 9. cap. 1. ubi & epiſtolam ab eodem Sabino ſingularum Provinciarum Præſidibus ſcriptam recitat. (Baron. num. XXXVII.) Sed, ut habet idem Euſebius cap. 2. *ne ſex quidem integris menſibus paſſus eſt eum ſtatum permanere*, & ad ſubruendam pacem Maximinus nihil non molitus eſt. Quæ itaque Lactantius narrat, circa menſem Novembrem cœpta; is enim menſis ſextus eſt à morte Galerii; ideoque circa Maximini Quinquennalia, quæ in eum menſem incidebant, perſecutio adverſus Chriſtianos inſtaurata. Paſſi in ea *S. Petrus Alexandrinus* hoc anno, & *S. Lucianus* ſequentis initio, ut jam dixi; perperamque ait Baronius, additamentum eſſe quod apud Euſebium lib. 9. de Petri Alexandrini & Luciani Antiocheni martyrio legitur; cùm ſub Maximiano, inquit, non ſub Maximino uterque interfectus fuerit. Verùm jam demonſtravi, eos ſub Maximino occubuiſſe, ideoque Euſebii textum emendatione non indigere. Paſſus eſt autem S. Petrus die XXV Novembris, ut legitur in Excerptis Chronologicis à Scaligero editis, quibus ſuffragantur Uſuardus, Ado & vetus Martyrologium Romanum.

XVI. *Maximinus perſecutionem ſuſpendit.* Maximinus in literis, quas anno ſequenti ad Sabinum Prætorii ſui Præfectum ſcripſiſſe dicemus, quáſque Euſebius lib. 9. cap. 9. refert, mentionem facit laudatæ ejuſdem Sabini epiſtolæ ad Provinciarum Præſides, dicitque, ſe Judicibus ſuis mandaſſe, *ne quis eorum deinceps adverſus Provinciales atrociter ſæviret: ſed ut potiùs blanditiis & adhortationibus ad Deorum cultum eos revocare conarentur.* Paulò pòſt: *Poſtea verò cùm anno preterito* (anno ſc. CCC XI) *Nicomediam feliciter eſſem ingreſſus, cives ejus urbis me illic degentem adierunt cum Deorum ſimulachris, obnixè orantes, ne hujuſmodi hominum genus in ſua civitate habitare omnino ſinerentur*, & alia, quibus mirè illuſtrantur, quæ ſuprà ex Lactantio retulimus; geſta enim hoc & ſequenti anno in cauſa Chriſtianorum multis huc uſque tenebris circumfuſa.

XVII. *Obitus Euſebii PP.* Ad num. VII. Euſebius Romanus Pontifex anno præcedenti & Sedem iniit, & ad Deum migravit. In Chronico enim Damaſi legitur: *Euſebius menſes quatuor, dies ſedecim à XIV Kalendas Maias, uſque in diem XIV Kalendas Septembris.* (Baron. num. XL & ſeqq.) Cùm autem, ut in eodem Chronico habetur, Miltiades Euſebii ſucceſſor *ex die ſexto Nonas Julias* ordinatus fuerit, Euſebii obitus anno præcedenti omnino conſignandus; nam in Libello *Depoſitionis Epiſcoporum* apud Bucherium ſcriptum eſt: *Sexto Kalendas Octobris Euſebii in Calliſti.* Die itaque viceſima ſexta Septembris Euſebius è vivis exceſſit, ideoque anno præcedenti; cùm eo die currenti anno Miltiades jam à die ſecunda menſis Julii, quæ cum feria ſecunda concurrit, Eccleſiam adminiſtraret. Porro Præfata Chronici Damaſi verba tam ad menſem, quo Euſebius ſedere cœpit, quàm ad eum, quo obiit, corrupta, ut numeranti patet.

XVIII. *Decretales Euſebii ſpuriæ.* Tres Euſebii epiſtolæ circumferuntur, ſed confictæ & ſuppoſititiæ. Prima data eſt ad Epiſcopos Galliæ incipiens à verbis Gregorii lib. 11. epiſt. 36. *Scripta Sanctitatis veſtræ*, &c. continetque plura ex Ennodio deſumta. Secunda epiſtola eſt ad Ægyptios, in eaque refertur locus ſatis amplus ex quinta Synodo Romana ſub Symmacho. Tertia eſt ad Epiſcopos Tuſciæ & Campaniæ, incipitque à verbis Hormiſdæ Papæ epiſt. 25. *Benedictus Dominus noſter, qui per miſericordiam ſuam Romanam Eccleſiam*, &c. In ea mentio Inventionis ſanctæ Crucis, quam conſtat Euſebii Papæ tempore nondum inventam fuiſſe. Poſtquam Sedes aliquot menſes vacaſſet, Miltiades ſeu Melchiades Pontifex hoc anno ordinatus eſt, idque ſecunda die Julii, ut jam dixi.

XIX. *Achillas S. Petri Alex. ſucceſſor.* Ad num. VIII. *Achillas* S. Petro Epiſcopo Alex. ante annum trecenteſimum decimum tertium non ſucceſſit. Teſtatur enim Gelaſius Cyzicenus lib. 2. Hiſtoriæ Concilii Nicæni cap. 11. poſt Divi Petri martyrium Eccleſiam Alexandrinam remanſiſſe viduam *annum unum*: eoque tranſacto in ſede hujus Martyris ordinatum eſſe *Achillam*, qui cùm *menſibus tantùm quinque ſupervixiſſet*, Alexandrum ſucceſſorem habuit. (Baron. num. LXI.) Quare cùm currentis anni die XXV Novembris S. Petrus pro Fide occubuerit, non ante finem conſequentis Achillas Eccleſiæ Alexandrinæ Principatum ſuſcepit: nec ante annum CCC XIII Alexander eidem ſucceſſit. Certè Theodoretus lib. 1. cap. 11. Achillam exiguo tempore Eccleſiam gubernaſſe ſcribit, & Euſebius in Chronico præfato anno initium *Alexandri* collocat. Nicephorus Cpolitanus, & Theophanes in Tabulis, qui annum unum Achillæ tribuunt, numero rotundo utuntur, & Auctor Hiſtoriæ Patriarcharum Copticarum, qui ei menſes ſex aſſignat, dies quos Gelaſius neglexit, enumerat.

XX. *S. Athanaſius puer ipſe puer baptizat.* Alexander itaque anno CCC XIII die S. Petro deceſſori ſuo ſacrâ vidit pueros, qui in littore maris ludentes, ſacros Eccleſiæ ritus exprimebant, inter quos erat *S. Athanaſius*, qui Præſulem agebat, quique alios baptizabat. Rem narrat Rufinus lib. 10. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 14. cui ſuffragantur Socrates lib. 1. cap. 15. Sozomenus lib. 2. cap. 17. & Nicephorus lib. 8. cap. 44. Quæ res difficultate non caret: *Athanaſius* enim exeunte menſe Decembri anni trecenteſimi viceſimi ſexti Epiſcopus Alexandrinus ordinatus eſt. Unde ſi tunc annum circiter triceſimum, ut communiter dicitur, attigerat, anno primo *Alexandri* jam decimum ſeptimum ætatis annum agebat: & tamen Rufini verba, aut res ipſa non videntur pati, decenni puero grandiorem concipere *Athanaſium*, quando cum pueris ludebat; quem adhuc impuberem fuiſſe Sozomenus ſcribit. Papebrocius die ſecunda Maii in Vita S. Athanaſii cap. 1. dicit, dubitari poſſe, an Euſebius, quando lib. 7. cap. 32. tradit, *Petrum* anno perſecutionis nono martyrium ſubiiſſe, ibidem perſecutionis annos incipiat ab anno Chriſti CC XCV, quo Theophanes teſtatur, Diocletianum & Maximianum perſecutos eſſe Chriſtianos. Quare ſi anno CCC III, quo reſumtam atrociùs perſecutionem Theophanes deſcribit, S. Petrus occiſus eſt, Alexander, inquit Papebrocius, celebraverit deceſſoris ſui anniverſarium anno CCC V, aut inſequenti; ſicque Athanaſius anno CCC XXVI, quo Epiſcopus dictus, annum triceſimum attigerit. Sed hæc conjectura non ad-

mittenda: initium enim Epiſcopalis ſedis S. Petri, annuſque ejus martyrii à nobis ex Euſebio, tam in Hiſtoria, quàm in Chronico ſtatutus, loco moveri non poſſunt, niſi tota Alexandrinorum Præſulum Chronologia evertatur: quod eò minùs tolerandum, quò Euſebius, qui tunc vivebat, quique ſeriem & tempora eorundem Præſulum nos docuit, tam in Chronico, quàm in Hiſtoria disertè teſtatur, *S. Petrum* anno nono ultimæ perſecutionis Diocletianeæ martyrium pertuliſſe. Idem tradunt Theophanes & Auctor Chronici Alexandrini; nec hac de re controverſia eſſe poteſt.

XXI. *Veritas hujus hiſtoriæ defenditur.* Magis veroſimile, quod ſubjungit idem Vir doctiſſimus: *Si quis tamen*, inquit, *ſalvâ rei ſubſtantiâ, Rufino in aliis quoque de hoc Sancto ſcriptis non accuratiſſimo, & ſolùm auditu cognita narranti, putet in nominando Epiſcopo obrepſiſſe errorem, ipſique S. Petro in memoriam deceſſoris ſui S. Theoni Eccleſiam dedicanti malit accidiſſe, ut videret ludentem Athanaſium, nihil repugnabimus: quia etiam ſic ſalva manebit rei ſubſtantia, ſolùmque deficiet in circumſtantia facilè in talibus alterabili.* Verùm Rufini narratio omni ex parte vera, ex qua intelligimus, *Athanaſium* annos circiter viginti ſex natum ad Eccleſiæ Alexandrinæ thronum evectum fuiſſe: ideoque anno trecenteſimo decimo tertio, *adhuc impuberi*, ut Sozomenus loquitur, *iſtud ei accidiſſe*; tunc enim annum circiter XIII agebat. Certè Athanaſium adhuc juvenem Epiſcopum Alexandrinum creatum diſcimus ex Ammone Epiſcopo in epiſtola ad Theophilum Alexandrinum *de Converſatione & particulari vita SS. Pachomii & Theodori*, in qua cap. 2. hæc verba leguntur: *Dixit etiam nobis Pachomius: Mox ut in ſedem Alexandrinam inductus eſt Athanaſius, viri nonnulli improbi divinam circa eum diſpoſitionem accuſare cœperunt, nimiam ejus juventutem cauſantes, & Eccleſiam in factiones ſcindere conati.* Quod mirum videri non debet, cùm ſeculo ſequenti S. Remigius *anno ætatis viceſimo ſecundo* ſit Epiſcopus Remorum ordinatus, ut in ejus Vita legitur. Papebrocius die XIV Maii, S. Pachomio ſacra, Ammonis epiſtolam refert, aitque, citatis verbis confirmari quod de S. Athanaſio in hujus Vita ipſemet dixerat, eum nempe tricenarium duntaxat fuiſſe, cùm ordinaretur. At ſi *Athanaſius* eam tum ætatem attigiſſet, adverſarii nimiam ejus juventutem cauſari non potuiſſent; nec ejus electionem veluti non ritè factam calumniari. Ea itaque hiſtoria in dubium non revocanda.

XXII. *Alexander Africæ Tyrannus.* Alexander Africæ Tyrannus hoc anno à Ducibus Maxentii ſuperatus, hujuſque dominio Africa ſubjecta, ut anno CCCVII oſtendimus. Quæ ab hoc Tyranno in Africa geſta, obſcura remanſere, quia nullus ejus Vitam in literas miſit. Lampridius quidem in Vita Heliogabali, quam Conſtantino Magno nuncupavit, cap. ultimo ait, ſe Diocletiani & Maximiani Vitam ſcripturum, ſubditque: *His addendi ſunt Licinius, Severus Alexander atque Maxentius.* Caſaubonus in Notis ait, Severum, non Alexandrum, ſed Marcum Aurelium Severum vocatum, ideoque delendam hîc vocem *Alexander*, quam ab imperitis hominibus inſertam putat. Verùm non ea vox expungenda, ſed ante eam virgula interjicienda; deſtinaverat enim Lampridus Vitam ſcribere tam Licinii & Marci Aurelii Severi, quàm Alexandri, qui in Africa imperavit, & Maxentii, qui Romam & Italiam occupavit, & adverſus quem Conſtantinus hoc ipſo anno bellum ſuſcepit, ut ſequenti, quo victus eſt, videbimus.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5805. ☉ 15 F E. ☽ 9. P. 13. April.
Indict. 15.
Jesu Christi 312.
Melchiadis Papæ 2.
Persecutionis 10.
Constantini 7. Licinii & Maximini 6.

In libello de Præfectis Urbi hoc anno legitur: *Maxentio IV Conſule, qui ſunt Conſtantino II & Licinio II. V Idus Februarii, Aradius Rufinus P. V. VI Kalendas Novembris; Annius Anulinus dies XXXIV. P. V. III Kalendas Decembris, Aradius Rufinus iterum P. V.* Idacius in Faſtis eoſdem Conſules exhibet, ſolumque Maxentium IV, in Italia ſc. Conſulem fuiſſe dicit. Is Maxentii Conſulatus juxta quintam regulam, propter Africanum triumphum; præterquam quòd in hunc annum ſua Quinquennalia diſtulerat, uti mox ex Lactantio lib. de Mortibus Perſecutorum videbimus. Licinii verò Conſulatus juxta ſecundam regulam; Auguſtei enim Imperii ejus Quinquennalia in hunc annum incidunt; ideoque Conſtantini Conſulatus juxta tertiam regulam, ut ſc. ejus Collega eſſet. Porro ex laudatis libelli de Præfectis Urbi verbis conſtat, Aradium Rufinum quinto Idus Februarii à Maxentio Urbis Præfectum creatum eſſe; ſed cùm à Conſtantino VI Kalendas Novembris victus fuiſſet, hunc Annium Anulinum in ejus locum ſubſtituiſſe, qui per dies XXXIV eam dignitatem obtinuit, & poſtea Proconſul in Africam, quo Tyranni caput delatum, miſſus eſt, *Aradio Rufino* die XXIX Novembris in eam Præfecturam reſtituto. Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani arbitratur, *Anulinum* à Maxentio, cùm Româ prodiret VI Kalend. Novembris, Præfectum dictum. Verùm hoc parum veroſimile. Quo enim die Româ exiit, curis militaribus, non verò urbanis incumbendum fuit. Nec videtur *Conſtantinus* in Urbem intraſſe, antequam novum fidumque Præfectum eidem præpoſuiſſet. *Rufinus* tamen in ejus gratiam poſtea receptus, ab eoque die XXIX Novembris in priſtinam dignitatem reſtitutus, tuncque, ut conjicere licet, *Anulinus* Proconſul in Africam miſſus. I. *Conſules.*

A numero II ad IX. Bellum inter Conſtantinum & Maxentium, non hoc anno, ſed præcedenti inchoatum. Auctor enim incertus Panegyrici Conſtantino dicti cap. 21. teſtatur, *eam expeditionem annuam* fuiſſe. Eutropius verò lib. 10. ait: *Quinto Conſtantinus Imperii anno bellum adverſus Maxentium civile commovit, copias ejus multis præliis fudit.* Quintus Conſtantini annus die XXIV II. *Bellum Cõſtantinũ inter & Maxentium.* Baron. num. VII & ſeqq.

Julii anno antecedenti abſolutus, eoque ideo Chriſti anno bellum Maxentianum inchoatum. Bellum illud à Maxentio indictum, ut non tantùm Lactantius mox laudandus, ſed etiam Zoſimus lib. 2. nos docuere: *Maxentius*, inquit Zoſimus, *occaſiones gerendi adverſus Conſtantinum belli quærebat, ſeque dolere propter obitum patris ſui ſimulans, cui mortis cauſam Conſtantinus præbuiſſet.* Invitatus poſtea à Romanis tyrannidem Maxentii ægre ferentibus Conſtantinus fuit. Sed de hoc bello audiendus Lactantius lib. de Mortibus Perſecutorum, qui cap. 43. de Maximino loquens ait: *Unus jam ſupererat de adverſariis Dei, cujus nunc exitum ruinamque ſubnectam. Cùm haberet æmulationem adverſus Licinium, quia prælatus ei à Maximiano fuerat; licèt nuper cum eo amicitiam confirmaſſet, tamen ut audivit, Conſtantini ſororem Licinio eſſe deſponſam, exiſtimavit, affinitatem illam duorum Imperatorum contra ſe copulari. Et ipſe Legatos ad Urbem miſit occultè, ſocietatem Maxentii atque amicitiam poſtulans. Scribit etiam familiariter. Recipiuntur Legati benignè, fit amicitia, utriuſque imagines ſimul locantur. Maxentius tanquam divinum auxilium libenter amplectitur. Jam enim bellum Conſtantino indixerat, quaſi necem patris ſui vindicaturus. Unde ſuſpicio inciderat, ſenem illum inteſtabilem finxiſſe diſcordiam cum filio, ut ad alios ſuccidendos viam ſibi faceret, quibus omnibus ſublatis, ſibi ac filio totius Orbis Imperium vindicaret. Sed id falſum fuit. Nam id propoſiti habebat, ut & filio & ceteris extinctis, ſe ac Diocletianum reſtitueret in regnum.* Nazarius in Panegyrico Conſtantino Aug. dicto cap. 9. 10. 11. & 12. illud etiam bellum Maxentio imputat, & Conſtantini prudentiam ad illud evitandum pluribus laudat.

III. *Singularia quædam de bello Maxentiano.*

Pergit Lactantius cap. 44. *Jam mota inter eos fuerant arma civilia. Et quamvis ſe Maxentius Romæ contineret, quòd reſponſum acceperat periturum ſe, ſi extra portas Urbis exiſſet, tamen bellum per idoneos Duces gerebatur. Plus virium Maxentio erat, quòd & patris ſui exercitum receperat à Severo, & ſuum proprium de Mauris atque Italis nuper extraxerat. Dimicatum, & Maxentiani milites prævalebant, donec poſtea confirmato animo Conſtantinus, & ad utrumque paratus, copias omnes ad Urbem propiùs admovit, & è regione pontis Milvii conſedit. Imminebat dies, quo Maxentius Imperium ceperat, qui eſt ad ſextum Kalendas Novembris, & Quinquennalia terminabantur. Commonitus eſt in quiete Conſtantinus, ut cæleſte ſignum Dei notaret in ſcutis, atque ita prælium committeret. Fecit, ut juſſus eſt, & tranſverſa X littera ſummo capite circumflexo Chriſto in ſcutis notat. Quo ſigno armatus exercitus capit ferrum. Procedit hoſtis obviàm ſine Imperatore, ponteque tranſgreditur. Acies pari fronte concurrit. Summa vi utrimque pugnatur. Neque his fuga nota, neque illis. Fit in Urbe ſeditio, & Dux increpitatur velut deſertor ſalutis publicæ. Cùmque repentè populus* (aliqua verba deſunt) *Circenſes enim Natali ſuo, & debita voce ſubclamat, Conſtantinum vinci non poſſe. Qua voce conſternatus proripit ſe, ac vocatis quibuſdam Senatoribus libros Sibyllinos inſpici jubet, in quibus repertum eſt, illo die hoſtem Romanorum eſſe periturum. Quo reſponſo in ſpem victoriæ inductus procedit, in aciem venit. Pons à tergo ejus ſcinditur. Eo viſo, pugna crudeſcit, & manus Dei ſupererat aciei. Maxentianus proterretur; ipſe in fugam verſus properat ad pontem, qui interruptus erat, ac multitudine fugientium preſſus in Tyberim deturbatur. Confecto tandem acerbiſſimo bello, cum magna Senatus populique Romani lætitia ſuſceptus Imperator Conſtantinus Maximini perfidiam cognoſcit, literas deprehendit, ſtatuas & imagines invenit. Senatus Conſtantino virtutis gratiâ primi nominis titulum decrevit, quem ſibi Maximinus vindicabat: ad quem victoria liberatæ Urbis, cùm fuiſſet allata, non aliter accepit, quàm ſi ipſe victus eſſet. Cognito deinde Senatus decreto ſic exarſit dolore, ut inimicitias apertè profiteretur, convicia jocis mixta adverſus Imperatorem maximum diceret.* Hæc Lactantius.

IV. *Crux Conſtantino apparet.*

Baron. num. XIX & ſeqq.

Diu inter Eruditos altercatum fuit, quo loco, quóve die *Crux* Conſtantino oſtenſa fuerit; cui controverſiæ Lactantius tandem finem impoſuit. Nam cùm ex teſtimonio Euſebii, qui ſe accepiſſe ait ab ore Conſtantini, conſtet, viſum ab eo Crucis trophæum in cælo horis meridianis, Sole in occaſum vergente, & addubitanti quidnam hoc ſpectrum ſibi vellet, nocte ſequenti Chriſtum dormienti apparuiſſe cum ſigno illo, quod in cælo oſtenſum fuerat, præcepiſſeque, ut militari ſigno ad ſimilitudinem ejus, quod in cælo vidiſſet, fabricato, eo tanquam ſalutari præſidio in præliis uteretur, certum eſt, utramque viſionem uno in loco & intra ſpatium aliquot horarum contigiſſe. Quare, ut inquit Baluſius V. C. in Notis ad laudatum Lactantii locum, exiſtimandum, viſionem illam Crucis *Conſtantino* oſtenſæ contigiſſe in caſtris, dum Romam obſideret, VII Kalend. Novembris currentis anni. Lactantius etiam nos docuit, diem ſextum Kalendas Novembris, ſeu diem viceſimum ſeptimum Octobris, Imperii Maxentiani Natalem fuiſſe; cùm Imperatores eo die Quinquennalia & id genus feſta celebrarent, quo Imperium inibant. Suſpicatus aliàs fueram, locum mendoſum eſſe, ac legendum, *ad quintum Kalend. Novemb.* Sed locus libelli de Præfectis Urbi num. I. allatus hanc ſuſpicionem tollit. Qua de re ſuprà anno CCCVI.

V. *Maxentii interitus.*

Baron. num. XLIX.

Denique ex Lactantio intelligimus, Maxentium annos ſex integros imperaſſe, & priori die ſeptimi, quo Quinquennalia exhibere debebat, periiſſe. Audiendus etiam Auctor incertus Panegyrici Conſtantino anno ſequenti dicti cap. 16. *Divina mens, & ipſius Urbis æterna majeſtas nefario homini eripuere conſilium, ut ex inveterato illo torpore ac fœdiſſimis latebris ſubitò prorumperet, & conſumto per deſidias ſenio, ipſum diem Natalis ſui ultima ſua cæde ſignaret, ne ſeptenarium illum numerum ſacrum & religioſum inchoando violaret.* Antiqui enim, ut in Diſſert. Hypatica parte II cap. 5. num. VII obſervavi, Quinquennalia & id genus feſta ſeu Quinquennaliorum diem tanquam terminum & complementum præcedentium annorum non rarò conſiderabant, ut Lactantius loco

laudato. Quo etiam ſenſu Auctor incertus citatus diem primum ſeptimi anni Maxentii, in quem hujus Tyranni Quinquennalia incidebant, quóve interfectus eſt, reſpicit ut ultimum diem ſexti anni Imperii Maxentiani, non verò tanquam initium anni ſeptimi, uti revera erat; quæ hujus loci genuina explicatio. Addit idem Auctor incertus, Maxentium biduum ante pugnam palatio emigraſſe, *& cum uxore ac filio in privatam domum ſponte conceſſiſſe.* Sed is filius Romulus non erat, ut ſuprà diximus. Alterum itaque Maxentius filium habuit, cujus nullibi mentio, quem Conſtantini juſſu occiſum exiſtimandum. Romulus autem eo nomine vocatus videtur, quòd pro avia materna *Romula* dicta fuerit, teſte Lactantio lib. de Mortibus Perſec. cap. 9. In Nummo Maxentii apud Mediobarbum legitur: IMP. MAXENTIUS DIVO CONSTANTIO ADFINI. In altero: IMP. MAXENTIUS DIVO CONSTANTIO COGNAT. Conſtantius enim Chlorus Conſtantini Magni pater *Theodoram* Maxentii ſororem conjugem duxerat. Denique Maxentium filium fuiſſe Maximiani Herculii, generumque Galerii Maximiani, jam ſuprà demonſtravimus.

VI. *Maxentii de Africa triumphus.* Triumphavit hoc anno Maxentius de *Alexandro* Tyranno & Africa, quam anno præcedenti receperat. Noriſius in Diſſert. de Numiſmate Impp. Diocletiani & Maximiani cap. 5. producit Nummum Maxentii inſcriptum: FEL. PROCES. CONSUL AUG. N. Viſitur quadriga elephantorum, in qua Imperator, cui Victoria volans dextrâ lauream, ſiniſtrâ palmam porrigit. Exiſtimat Noriſius, quadrigas, quæ in eo Nummo conſpiciuntur, non deſignare triumphum Maxentii de Alexandro, ſed tantùm primum ejus Conſulatum anno CCCVIII geſtum, quo tempore Alexander in Africa regnabat. Et ratio eſt, inquit, quia in ea inſcriptione nulla additur nota numeralis, ideoque prior Maxentii Conſulatus, non verò ejus triumphus exprimitur. Verùm, rectiùs Mediobarbus pag. 450. ubi ſimilem Nummum exhibet, eum de triumpho Maxentii hoc anno, quo quartum Conſulatum geſſit, ducto explicat. Nota enim numeralis per hæc tempora in Conſulatibus plerumque prætermiſſa. Unde licèt Licinius quinque Conſulatus geſſerit, in nullis tamen Nummis, quod viderim, aliquis ex illis Conſulatibus memoratus. Sic in Nummis Conſtantini & ejus filiorum vix Conſulatus cum nota numerali legitur. Quare cùm triumphus Maxentii in quarto ejus Conſulatu repræſentatus fuerit, & cum anno Quinquennaliorum ejus conjunctus, ut morem tuliſſe ſuprà diximus, non dubito, quin Mediobarbi interpretatio præferenda ſit.

VII. *Conſtantini triumphus.* Ad num. IX. Gruterus pag. 282. Baronius, aliique multi retulerunt Inſcriptionem Arcûs Conſtantini in capite viæ Appiæ; ſed unus Noriſius in Diſſert. de Numiſmate Licinii Aug. cap. 3. obſervavit, inſignem illum Arcum, qui etiamnum Romæ viſitur, in ipſis Conſtantini Decennalibus erectum fuiſſe. Quod tamen Vota Decennalia & Vicennalia, quæ in ea Inſcriptione leguntur, quæque, tanquam ſi ſuperflua fuiſſent, prætermiſit Spondanus, manifeſtè indicant. Unde ea Inſcriptio huc integra referenda. Baron. num. LX.

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO. MAXIMO.
P. F. AUGUSTO. S. P. Q. R.

In eodem Arcu ſub ſacrificiis inſculptis VOTIS X. *Item*, VOTIS XX.

QUOD. INSTINCTU. DIVINITATIS. MENTIS.
MAGNITUDINE. CUM. EXERCITU. SUO.
TAM. DE. TYRANNO. QUAM. DE. OMNI. EJUS.
FACTIONE. UNO. TEMPORE. JUSTIS.
REMPUBLICAM. ULTUS. EST. ARMIS.
ARCUM. TRIUMPHALEM. INSIGNEM. DICAVIT.

In eodem Arcu ſub ſacrificiis inſculptis. SIC X. *Item*, SIC XX.

Intra fornicem majorem ejuſdem Arcus, legitur
hinc LIBERATORI. URBIS
inde verò FUNDATORI. QUIETIS.

Hæc formula SIC. X. SIC. XX. quæ deſignat tum Vota Decennalia ſoluta, tum Vicennalia nuncupata, Conſtantino & Licinio imperantibus primùm uſurpata, & poſtea in frequenti uſu fuit, ex eaque intelligimus, præfatum Arcum anno dumtaxat trecenteſimo decimo ſexto Conſtantino poſitum; cùm eo anno Decennalia exhibuerit, ut ſuo loco dicetur. Jam autem ſæpius in hoc Opere obſervavi, Imperatores plerumque trimphos diſtuliſſe uſque ad annum Quinquennaliorum vel hujuſmodi feſtivitatum; ita ut eodem anno triumpharent, & Decennalia aut alia id genus feſta ederent. Nunc obſervandum venit, annis quibus Decennalia edebant, arcus in eorum honorem de more erectos, & victorias, quas antè reportaſſent, Nummis inſculptas fuiſſe. Quare licèt certum ſit, Conſtantinum hoc anno poſt devictum Maxentium triumphaſſe, arcus tamen ille nonniſi poſt quadriennium, in ejus nempe Decennalibus, conſtructus.

VIII. *Maximinus legem in Chriſtianorum gratiâ emittit.* Ad num. XI. Victo Maxentio, *Imperator Conſtantinus, & Collega ejus Licinius unà conſenſu legem pro Chriſtianis abſolutiſſimam & copioſiſſimam promulgarunt; partæque de Tyranno victoriæ nuntium, ipſamque adeo legem ad Maximinum, qui in Orientis partibus etiam tum imperabat, ſeque ipſis amicum eſſe ſimulabat, tranſmiſere*, inquit Euſebius lib. 9. cap. 9. ubi & ait, Maximinum poſt literas ad *Sabinum* Præfectum Prætorii ſui à ſe ſcriptas, de quibus mox, non permiſiſſe Chriſtianis Conventus agere, aut Eccleſias extruere; licèt Conſtantinus & Licinius literis ad ipſum datis, id ſe Chriſtianis concedere ſignificaſſent. Periere memoratæ literæ; ſed duplicem Conſtitutionem à Conſtantino & Licinio datam, alteram hoc anno, alteram ſequenti, prioremque currenti anno ad Maximinum tranſmiſſam, in dubium revocari non poteſt, licèt Baronius, aliique Viri doctiſſimi unius tantùm edicti meminerint. Nam præter verba à nobis laudata, in poſteriori

riori Conſtantini & Licinii Conſtitutione ab Euſebio lib. 10. cap. 5. relata, non ſemel prioris ho. anno datæ mentio, ut doctè explicat Valeſius in Notis ad illud edictum, ubi & quod diſcrimen inter utrumque eſſet, oſtendit. Secundum edictum Mediolani, uti ſuo loco videbimus, prius loco incerto datum; videtur tamen Romæ, ubi reliquo hoc anno Conſtantinus egit, promulgatum. De laudatis literis locutum exiſtimo Lactantium lib. de Mortibus Perſec. cap. 37. in quo, poſtquam perſecutionem à Maximino contra Chriſtianos excitatam narravit, ait: *Hæc ille moliens, Conſtantini literis deterretur. Diſſimulavit ergo. Et tamen ſi quis inciderat, mari occultè mergebatur. Conſuetudinem quoque ſuam non intermiſit, ut in palatio per ſingulos dies ſacrificaretur. Et hoc primus invenerat, ut animalia omnia, quibus veſcebatur, non à coquis, ſed à Sacerdotibus ad aras immolarentur, nihilque prorſus menſæ apponeretur, niſi aut delibatum, aut ſacrificatum, aut perfuſum mero: ut quiſquis ad cœnam vocatus eſſet, inquinatus inde atque impurus exiret. In ceteris quoque magiſtri ſui ſimilis. Nam ſi quid reliqui vel Diocles vel Maximianus reliquerunt, hic abraſit, ſine ullo pudore auferens omnia. Itaque horrea privatorum claudebantur, apothecæ obſignabantur, debita in futuros annos exigebantur. Hinc fames agris [non] ferentibus, hinc caritas inaudita. Armentorum ac pecorum greges ex agris rapiebantur ad ſacrificia quotidiana, quibus, adeo corruperat, ut aſpernarentur annonam, & effundebant paſſim ſine delectu, ſine modo, cùm lites univerſos, quorum numerus ingens erat, pretioſis veſtibus & aureis nummis expungerent, gregariis & tyronibus argentum daret, barbaros omni genere largitionis honoraret. Nam quòd viventium bona vel auferebat, vel dono ſuis dabat, [prout] quiſque petierat aliena, neſcio an agendas illis gratias fuiſſe putem, quòd more clementium latronum incruenta ſpolia detrahebat.*

IX. *Maximinus omnes impuritates ſuſcipit.*

Tum cap. 38. *Illud verò capitale & ſupra omnes qui fuerunt, corrumpendi cupiditas, quid dicam neſcio, niſi cæca & effrenata, & tamen his verbis exprimere pro indignatione ſua non poteſt. Vincit officium linguæ ſceleris magnitudo. Eunuchi, lenones, ſcrutabantur omnia. Ubicumque liberalior facies erat, ſecedendum patribus ac maritis fuit. Detrahebantur nobilibus feminis veſtes, itemque virginibus, & per ſingulos artus inſpiciebantur, ne qua pars corporis Regio cubili eſſet indigna. Si qua detrectaverat, in aqua necabatur, tanquam majeſtatis crimen eſſet. Sub illo adultero aliqui conſtupratis uxoribus, quas ob caſtitatem & fidem cariſſimas habebant, cùm dolorem ferre non poſſent, ſe ipſos etiam necaverunt. Sub hoc miniſtro pudicitiæ integritas nulla, niſi ubi barbaram libidinem deformitas inſignis arcebat. Poſtremò hunc jam induxerat morem, ut nemo uxorem ſine permiſſu ejus duceret, ut ipſe in omnibus nuptiis prægustator eſſet. Ingenuas virgines imminutas ſervis ſuis donabat uxores. Sed & Comites ejus ſub tali Principe imitabantur.... ſuorum cubilia impune violabant. Quis enim vindicaret? Mediocrium verò filias, ut cuique libuerat, rapiebat. Primariæ, quæ rapi non poterant, in beneficiis petebantur: nec recuſari licebat, ſubſcribente Imperatore, quin aut pereundum eſſet, aut habendus gener aliquis barbarus. Nam ferè nullus ſtipator in latere erat, niſi ex gente eorum qui à Gothis tempore Vicennalium terris ſuis pulſi Maximiano ſe tradiderunt, malo generis humani, ut illi barbaram ſervitutem fugientes, in Romanos dominarentur. His ſatellitibus & protectoribus cinctus Orientem ludibrio habuit.*

X. *Maximini erga Valeriam inhumanitas.*

Deinde cap. 39. *Denique cùm libidinibus ſuis hanc legem dediſſet, ut fas putaret quidquid concupiſſet, ne ab Auguſta quidem, quam nuper appellaverat matrem, potuit temperare. Venerat poſt obitum Maximiani ad eum Valeria, cùm ſe putaret in partibus ejus tutiùs moraturam, eò maximè quòd habebat uxorem. Sed animal nefarium protinus inardeſcit. Adhuc in atris veſtibus erat mulier, nondum luctûs tempore impleto. Legatis præmiſſis in matrimonio poſtulat, ejecturus uxorem, ſi impetraſſet. Reſpondit illa liberè quæ ſola poterat: primùm non poſſe de nuptiis in illo ferali habitu agere, tepidis adhuc cineribus mariti ſui, patris ejus: deinde illum impiè facere quòd ſibi fidam conjugem repudiet, idem utique facturus & ſibi: poſtremò nefas eſſe illius nominis ac loci feminam ſine more, ſine exemplo, maritum alterum experiri. Nuntiatur homini quid eſſet auſa. Libido in iram furoremque convertitur. Statim mulierem proſcribit, bona ejus rapit, aufert comites, ſpadones in tormentis necat, ipſam cum matre in exilium relegat,* (nempe cum Priſca Diocletiani uxore) *nec in locum certum, ſed huc atque illuc præcipitem cum ludibrio exturbat, & amicas ejus afficto adulterio damnat.*

XI. *Maximinus in matronas ſævit.*

Cap. 40. *Erat clariſſima femina, cui ex filiis juvenibus jam nepotes erant. Hanc Valeria tanquam matrem alteram diligebat, cujus conſilio negatam ſibi ſuſpicabatur. Dat negotium Præſidi Eratineo, ut eam cum dedecore interficiat. Huic aliæ duæ adjunguntur æquè nobiles, quarum altera Veſtalem famulam virginem Romæ reliquerat, furtivè tunc Valeriæ familiaris. Altera virum habuit Senatorem, non nimis Auguſtæ proxima. Sed utraque ob eximiam pulchritudinem corporis ac pudicitiam necabatur. Rapiuntur ſubitò mulieres, non ad judicium, ſed ad latrocinium. Nec enim quiſquam accuſator extabat. Invenitur quidam Judæus ob alia facinora reus, qui ſpe impunitatis inductus adverſus inſontes mentiatur. Judex æquus & diligens extra civitatem cum præſidio, ne lapidibus obruatur, prodiit. Agebatur hæc tragœdia Nicææ. Inrogantur tormenta Judæo, dum quæ juſſus........ loqueretur, pugnis à tortoribus coercentur. Innocentes duci jubentur. Fletus & comploratio, non illius tantùm mariti, qui aderat bene meritæ uxori, ſed omnium quos res indigna & inaudita contraxerat. Ac ne impetu populi de carnificum manibus raperentur, promoti militari modo inſtructibile mens efflagitari proſequuntur.* (locus depravatus eſt) *Ita mediæ inter cuneos armatorum ad ſupplicia deductæ. Jacuiſſent inſepultæ, domeſticis in fugam verſis, niſi eas furtiva amicorum miſericordia ſepeliſſet. Nec adultero impunitas promiſſa perſolvitur: ſed patibulo affixus, aperuit omne myſterium, &*

ſub extremo ſpiritu inquit omnibus qui videbant, innocentes occiſas eſſe teſtatur.

XII. *Maximinus Diocletiano ingratus.*

Cap. 41. *Auguſta vero* (Valeria nempe Galerii vidua) *in deſertas quaſdam Syriæ ſolitudines relegata, patrem ſuum Diocletianum per occultos gnarum calamitatis ſuæ fecit. Mittit ille Legatos, & rogat ut ad ſe filiam remittat. Nihil proficit. Iterum ac ſæpius obſecrat. Non remittitur. Poſtremò cognatum ſuum quemdam militarem ac potentem virum legat, qui eum beneficiorum ſuorum admonitum deprecetur. Is quoque imperfecta legatione irritas preces renuntiat.* Ita Lactantius, cujus narrationem integram ad Annalium ſupplementum referre viſum. Mirum, nihil hic nunc de matre Valeriæ, Priſca ſc. dici, neque repetitam à Diocletiano, cùm Valeria repeteretur. Nam adhuc illa vivebat, ut ex capite 51. ſuo loco videbimus.

XIII. *Maximinus neceſſitate adactus pro Chriſtianis ſcribit.*

Maximinus, poſtquam nuntium de Maxentio debellato accepit, maximopere doluit: *At ille*, inquit Euſebius lib. 9. cap. 9. *his rebus compertis primùm quidem, utpote Tyrannus, graviter ingemuit. Poſtea verò cùm nec videri vellet alii ceſſiſſe, nec rurſus id quod juſſum erat, ſupprimere auderet* (ut anno CCCXI fecerat, cùm reſcriptum Galerii ad ipſum miſſum fuiſſet) *metu eorum, qui juſſerant, hanc primùm pro Chriſtianis epiſtolam, veluti ſuopte motu & ex propria auctoritate conſcriptam ad Præſides Imperii ſui, neceſſitate adactus direxit; ea quæ nunquam antea feciſſet, ipſe contra ſe ſimulatè confingens.* Poſtea refert Euſebius epiſtolam, quam Maximinus ad Sabinum Præfectum Prætorii ſui ſcripſit, quamque currenti anno datam eſſe, non verò anno inſequenti, ut multi Eruditi credidere, ex dictis liquet. In ea enim ait Maximinus: *Poſtea verò cùm anno præterito Nicomediam feliciter eſſem ingreſſus, cives ejus urbis me illic degentem adierunt cum Deorum ſimulacris, obnixè orantes, ne hujuſmodi hominum genus in ſua civitate habitare omnino ſineretur.* Anno autem CCCXI poſt Galerii mortem Maximinus Bithyniam, in quo Nicomedia ſita, occupavit, & epiſtolam dedit, quâ reſpondit decretis civitatum adverſus Chriſtianos, quæque in tabulis æneis inciſa ac publicè propoſita eſt. Eam refert Euſebius lib. 9. cap. 7. Ex prioribus Euſebii verbis primum Conſtantini & Licinii edictum in favorem Chriſtianorum datum, hoc anno ad Maximinum miſſum fuiſſe, ipſumque metu adactum hoc etiam anno hanc epiſtolam ad Sabinum ſcripſiſſe, manifeſtiſſimè liquet. Nam Lactantius cap. 45. poſtquam dixit, Senatum primi nominis titulum Conſtantino decreviſſe, ſubjungit: *Senatûs decreto ſic exarſit* (Maximinus) *dolore, ut inimicitias apertè profiteretur, convicia jocis mixta adverſus Imperatorem maximum diceret.* Tum ſtatim capite inſequenti: *Conſtantinus, rebus in Urbe compoſitis, hieme proxima Mediolanum contendit.* Poſtquam igitur Conſtantinus decreto Senatûs primi nominis titulum accepit, quem ſibi Maximinus arrogabat, quòd Cæſar ante Conſtantinum creatus fuiſſet, pro auctoritate egit cum Maximino, qui ideo illas ad Sabinum literas hoc anno ſcribere coactus eſt, quas Baronius in annum ſequentem perperam confert. Cùm verò Nazarius in Panegyrico, quem Conſtantino dixit, cap. 23. ſcribat, quidquid mali factum fuiſſet, bimeſtrem ferè curam ſanaſſe, patet, anni inſequentis initio, rebus urbanis conſtitutis, Româ Mediolanum perrexiſſe, ut Licinio Conſtantiam ſororem ſuam in matrimonium daret. Dico, ſequentis anni initio, quia L. 1. Codic. Theod. *De cenſu.* dicitur dat. *XV Kalend. Feb. Rom. Conſtantino A. IV, & Licinio III Coſſ.* anno ſc. 313. Menſe itaque Januario adhuc Romæ erat Conſtantinus, niſi loco *Dat.* legendum ſit cum aliquibus editionibus *PP.* Quidquid ſit, huic Legi omnino convenit quod Euſebius in Vita Conſtantini lib. 4. cap. 3. ſcribit, *Conſtantinum*, cùm quidam quererentur, ſuperiores Imperatores iniquas cenſûs adſcriptiones feciſſe, Cenſitores ſeu Exæquatores miſiſſe, qui cenſum reformarent.

XIV. *Prima Conſtitutio Conſtantini pro Eccleſia.*

Ad num. XI. Hoc quidem anno *Anius Anulinus* Proconſul in Africam exeunte menſe Novembri miſſus, ut hoc anno num. 1 diximus; ſed epiſtola ſeu edictum Conſtantini *de immunitate Clericorum* ad eum anno tantùm ſequenti, circa menſem Aprilem miſſa, ut ibidem num. v oſtendimus. Præterea Epiſtola Conſtantini ad Cæcilianum Epiſcopum, in qua mentio *Oſii* & *Urſi* Rationalis Africæ, cui *Conſtantinus* in mandatis dat, ut certam pecuniæ quantitatem *Cæciliano* adnumeret, anno tantùm ſequenti ſcripta, quo jam Imperator de ſtatu Africæ edoctus erat. *Urſi* mentio eſt in L. 1. Codicis Theod. *De dilationibus.* dat. 2. Non. Mart. Voluſiano & Anniano Coſſ. cujus titulus, *Imp. Conſtantinus A. ad Urſum Vicarium.* Sed, ut obſervat Gothofredus in illius Legis commentario, reſcribendum, V.I. Clarûm, id eſt, *Virum Clariſſimum*, qui error non infrequens. Nulla itaque Oſii in comitatu Conſtantini mentio ante annum inſequentem. Baron. num. XCI.

XV. *Imperatores Chriſtiani Pontifices Maximi dicti non ſunt.*

Ad num. XII. Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum ad diem XXII Auguſti ſcribit, Zoſimum lib. 4. pag. 761. inſigniter mentitum eſſe, quando inquit: *Simul atque ſummum Imperium quiſque conſequebatur, amictus ei ſacerdotalis offerebatur à Pontificibus: & continuò Pontificis Maximi titulus ei tribuebatur. Ac ceteri quidem Principes univerſi lubentiſſimis animis hunc honorem accepiſſe, & hoc uſi titulo videntur; adeoque Conſtantinus etiam, potitus Imperio, licèt is à recta ſacris in rebus via deflexerit, & Fidem Chriſtianorum amplexus ſit: idemque poſt illum reliqui ordines ſecuti, & Valentinianus, & Valens. Cùm ergo Pontifices, ex more, talem Gratiano amictum attuliſſent, averſatus eſt id, quod petebant, ratus non eſſe fas illiuſmodi habitu Chriſtianum uti. Cumque ſtola Flaminibus reddita fuiſſet, aiunt, eum, qui dignitate Princeps inter eos erat, dixiſſe: Si Princeps non vult appellari Pontifex, admodum brevì Pontifex Maximus fiet.* Redarguunt eum mendacii, « inquit Baronius, omnia vetera monumenta; « nam non Numiſmata, nec inciſi Lapides, ne« que tituli Sanctionum, nec denique quævis « Antiquitatum memoriæ, quarum in his pro« bandis ſumma eſt auctoritas, id aliquando « prodiderunt. Eam ſententiam Cardinalis Do« ctiſſimus in Annalibus retractavit, quam ta- Baron. n. XCIII & ſeqq.

men certam exiſtimo. Ex Nummis tamen ad hujus difficultatis ſolutionem nihil deduci poteſt; cùm poſt Philippum ſeniorem Imperatores, nec quidem ipſemet Julianus Apoſtata, Pontifices Maximi in iis non nuncupentur, ut antea in uſu erat. Sed Sozomenus lib. 5. cap. 1. ſatis oſtendit, *Conſtantinum Magnum* ad Fidem Chriſtianam converſum, & filios *Pontificis Maximi* nomen non uſurpaſſe; cùm *de Juliano* Auguſteam dignitatem, dum adhuc Conſtantius viveret, ſibi attribuente, loquens, quòd ſe Pontificem Maximum dixerit, tanquam rem novam obſervet: *Cúmque*, inquit, *antea Chriſtianus fuiſſe videretur, repentè mutata Religione ſemetipſe Pontificem Maximum appellavit: & Gentilium templa ingrediens, Diis ſacrificavit, & ſubditis ſuadere cœpit, ut eo ritu Deos colerent.* Ipſemet Julianus in Fragmento quodam primæ partis ſuorum Operum pag. 546. ἀρχιερέα μέγιστον, id eſt, *Pontificem Maximum*, ut paſſim etiam in veteribus Inſcriptionibus vocatur, ſe ſe appellat.

XVI. *Rationes quæ oſtendũt Impp. Chriſtianos dictos nõ eſſe Põtifices Maximos.*

Priorem Baronii ſententiam pluribus propugnat Jacobus Gothofredus in Epiſtola *De interdicta Chriſtianorum cum Gentilibus Communione* ad Andream Rivetum ſcripta, Baroniumque laudat quòd mendacii dicam Zoſimo impegerit. Primùm enim; inquit Gothofredus, quis ipſi Zoſimo auctor? quis fundus? Certè fabellam illam non à claſſicis fideque dignis Auctoribus accepiſſe ſe teſtatur ipſemet: verùm narrationem tantùm, quæ vulgò jactaretur, ſic ille indicat, ἱστοροῦσί τι, *aiunt quidam*, inquit. II. Qualis Auctor hac in re Zoſimus? Non jam dico, quòd perpetuum & internecinum Chriſtianis Imperatoribus odium indixerit; verùm iſtud, quòd ſimilibus paſſim fabellis hiſtoriam ſuam impleverit. Omnibus notum, quid in Conſtantinum circa haruſpicinæ uſum jactaverit: quid in Innocentium Pontificem Romanum finxerit, quaſi is contra propriam conſcientiam in ſacra quædam Gentilitia conſenſerit. III. Peculiare Zoſimi, ut aliorum Gentilium, pariter ut Hæreticorum, in Gratianum odium fuiſſe, de quo Gothofredus in Diſſertat. Philoſtorgianis lib. 10. cap. 5. aliquid habet. Neque deerant graves iſtius odii cauſæ: hic enim Princeps ſuos ſacris ſumtus detraxerat, ſua Sacerdotibus ſtipendia, idem & aram Victoriæ everterat, ſub eodem portentoſa ſimulachra diruta fuere; quæ omnia diſcimus ex Ambroſio, Symmacho, & Hieronymo. IV. Sed malam mentem à Zoſimo abfuiſſe, odiique cauſas eum procul habuiſſe, largiamur. Num idem circa eundem Gratianum fœdo errore lapſus eſt, cùm lib. 4. pag. 760. eum Maximi Tyranni metu, tranſcenſis Alpibus, Rhetiâ, Norico, Pannoniâ, in Myſiam ſuperiorem tetendiſſe ſcribit, cùm eum Singidini cæſum commemorat; quem tamen in Galliis Pariſiis proditione ſuperatum, fugientemque; Lugduni occiſum, Auctores alii conſtanter memorant? V. Jam ceteros Scriptores in concilium adhibemus. Altum ejus, quod unus Zoſimus narrat, apud omnes ſilentium: quod in re tanti momenti quis credat? Ecquis enim putet, Gentiles Scriptores alios, & in his Panegyriſtas maximè, quorum ferax hæc ætas fuit, id ſilentio tranſmiſſuros, de Pontificatu videlicet Max. à Chriſtianis Imperatoribus ſuſcepto, qui alia multò inferiora laudibus attollunt? Quis contrà putet, Patres, Scriptoreſque alios Chriſtianos, vel Eccleſiaſticos id reprehenſione vacuum tranſmiſſuros, qui leviores multò Principum culpas diſſimulare non ſolent? VI. Si Conſtitutiones Principum, ſi incorruptas Inſcriptiones ſpectemus, nullum ibi ejus rei veſtigium; cùm tamen hæc illa ſint potiſſimùm, in quibus tituli Principum elucent. VII. Si ingenium atque indolem Chriſtianorum illorum Principum, animique characterem oculis noſtris ſubjicimus, nonne illi modis omnibus, atque innumeris Conſtitutionibus, Gentilitiam ſuperſtitionem eradicare, atque ex hominum animis, quantùm in ſe, & quantùm tempora ferebant, avellere anniſi ſunt, omnemque participatum & communionem ritus Gentilitii privatis interdixere? Quod cùm ita ſit, quomodo illi Orbis obſequium ſperare vel procurare potuiſſent, ſi graviora his ipſi admitterent, conſpectiore in ſe multò crimine? Propenſio quippe ad æmulationem validior quàm pœna à Legibus propoſita: eaque Principum conditio eſt, ut quidquid faciunt, præcipere videantur. Quare falſa eſt Zoſimi narratio de Chriſtianis Principibus, qui Pontificis Maximi titulum geſſerint.

XVII. *Locus Auſonii explicatus.*

Quòd ſi Auſonius in gratiarum actione pro ſuo Conſulatu videatur appellare *Gratianum Auguſtum Pontificem Maximum*, id per alluſionem ab eo dictum ſatis apparet, dum ait: *Auguſtus ſanctitate, Pontifex religione, indulgentiâ pater, ætate filius, pietate utrumque ſuperat.* Sic inferiùs, cùm agit de ſui Conſulatus auſpiciis, non Gentilium, ſed Chriſtianorum more captatis, Deum tantummodo babuiſſe conſultorem ait, alludenſque ad priſtina ſacra atque comitia: *Quæ*, inquit, *tum Pontifex Maximus Deo participatus habuiſti.* Sicut & inferiùs, dum ait: *Operto conclavis tui non ſanctior ara Veſtalis, non Pontificis cubile caſtius*, &c. ut rectè reſpondit Baronius in Notis ad Martyrologium.

XVIII. *Inſcriptiones explanatæ.*

Neque etiam urget teſtimonium, quod petitur ex veteribus Inſcriptionibus, in quibus Chriſtianorum Imperatorum titulis, Pontificis quoque Maximi titulus additus legitur: cujuſmodi ſequentes occurrunt apud Gruterum: Conſtantini Magni pag. 183. num. 1. & 5. pag. 159. num. 6. Valentis, pag. 286. num. 3. Gratiani pag. 159. num. 7. & ſimilis altera pag. 1082. num. 13. His adde & Valentiniani, Valentis, Gratiani apud Baronium. Magna quidem, quæ ex vetuſtis Inſcriptionibus deſumitur, fides & auctoritas. Sed, ut rectè notat Gothofredus citatus, duo hîc notanda ſunt. Primò quidem, non Imperatores ipſos hunc ſibi titulum in illis vindicare, verùm à Gentilibus tributum ibi exhiberi, quo ſenſu Servius, qui Gentilis erat, quique Arcadii & Honorii temporibus floruit, in tertio Æneidos pag. 268. ſcripſit: *Unde hodieque Imperatores* DICIMUS *Pontifices.* Quomodo etiam Gentiles hoc ævo hoſtias pro Imperatoribus Chriſtianis cædebant, atque inſpiciebant; cujus rei exemplum extat apud Ammianum lib. 25. cap. 6. dum de Joviano loquitur: *Quæ dum ultro citroque ordinantur, hoſtiis pro Joviano extiſque inſpectis, pronuntiatum eſt, eum om-*

Baron. num. XCVI.

nia perditurum, ſi intra vallum remanſiſſet, ut cogitabat. Antonius *Van-Dalen* in Diſſertationibus de Oraculis pag. 153. hanc Juſtini Senioris Inſcriptionem refert ex Grutero pag. 164. num 5. quæ Juſtinopoli in Iſtria inſculpta, ita habet.

D. N. CAESAR. JUSTINUS. P. SAL. PIUS FELIX. VICTOR. AC. TRIUMPHATOR SEMPER. AUG. PONT. MAX. FRANC MAX. GOTH. MAX. VANDALIC. MAX. COS. III TRIB. VIII. IMP. V.
CONSPICUAM. HANC. AEGIDIS. INSULAM INTIMA. ADRIATICI. MARIS COMMODIS. INTERJECTAM. VENERANDAE. PALLADIS. SACRARIUM. QUONDAM ET. COLCHIDUM. ARGONAUTARUM PERSECUTORUM. QUIETEM. OB GLORIAM. PROPAGANDAM. IMP. S. C. IN. URBEM. SUI. NOMINIS. EXCELLENTISS. NUNCUPANDUM. HONESTISS P. P. P. DESIGNAVIT. FUNDAVIT. C. R. P. Q. ET. GENTE. HONESTISS. REFERTAM.

Sed loco, COS. III, legendum, COS. II. duos enim tantùm Conſulatus Juſtinus Senior geſſit: in qua cum Palladis mentio fiat, non dubium, quin à quodam Gentili poſita fuerit. Cùm autem in ea Imperator *Pontifex Maximus* dicatur, infert Vir eruditiſſimus, Imperatores Chriſtianos adhuc ſexto Eccleſiæ ſeculo, quo *Juſtinus Senior* imperavit, *Pontifices Maximos* ſe ſe appellaſſe. Verùm ex ea Inſcriptione id minimè conſequitur, ſed tantùm Gothofredi interpretatio laudata extra dubium ponitur, citatas nempe Inſcriptiones, quemadmodum & mox recitatam, non à Chriſtianis, ſed à Gentilibus, qui Imperatores juxta antiquum ritum Pontifices Maximos vocabant, dedicatas eſſe. Quàm porro etiam poſt Theodoſii Magni mortem Gentilium ſuperſtitio adhuc invaluerit, liquet ex Codice Theodoſiano, tit. *De paganis*.

XIX. *Inſcriptiones Imperatorū Gentilium in Chriſtianos tranſlata.*

Secundò obſervandum, nonnullas ex Inſcriptionibus illis non in Chriſtianorum primùm Imperatorum, verùm in Gentilium gratiam factas, quorum eraſis poſtea nominibus, Chriſtianorum nomina à Gentilibus ſuffecta, eorumque loco inciſa inſculptaque fuere. Exemplum illuſtre hujus rei animadvertit Baronius in Inſcriptione Conſtantiniana pag. 283. Romæ, ubi in baſi marmorea ita legitur:

MAGNO. ET. INVICTO
IMP. CAES. C. VAL. AVREL.
CONSTANTINO. PIO. FEL.
INVICTO. AVG. PONTIF. MAX.
TRIB. POTEST. CON. III. P. P.
PROC. D. N. CORPVS. CORIARIORVM
MAGNARIORVM. SOLAIARIORVM
DEVOTI. NVMINI. MAJESTATIQVE
EJUS

Hæc, inquam, Inſcriptio alicui Imperatori Gentili primitus poſita fuerat. Quod duobus argumentis apparet. Primùm, in ſiniſtro latere ejuſdem baſeos hæc leguntur

DEDICATA KAL. JAN.
DD. NN. DIOCLETIANO III. ET
MAXIMIANO COSS.

Qui tertius Diocletiani Conſulatus anno ducenteſimo octuageſimo ſeptimo geſtus fidem facit, eam Inſcriptionem Conſtantino anteriorem eſſe, in cujus tamen nomen ea poſtea mutata eſt anno CCCXIII, quo Conſtantinus tertium Conſulatum iniit, vel fortè etiam anno CCCXIV. Quod mutationis genus videre eſt quoque in Nummis, qui aliquando novi Principis nomine recuſi ſunt. Uſurpatum & illud in imaginibus & ſtatuis, quæ in aliorum honorem tranſlatæ, vel capite tantùm, vel titulis mutatis: qua de re Suetonius in Tiberio cap. 58. & in Caio cap. 22. & Dio Chryſoſtomus Orat. Rhod. in id expreſſa 31. & Corinthiaca Orat. 37. Pauſanias in Atticis, & in Corinth. Hieronymus Comment. in Habacuc. Par igitur & hic mutatio, quæ & ipſa altero adhuc argumento oculis ſeſe ingerit, ſimul & luculentum imperitiæ teſtimonium perhibet: prænomina quippe ibi relicta, quæ *Conſtantini* Magni nunquam fuerunt, ſcilicet C. VAL. AVREL. Maximiano Herculio conveniunt, non verò Conſtantino, cui prænomen *Flavii* fuit; Maximiano, inquam, non Diocletiano, ut perperam Baronius, cujus tamen eſt hæc hujus epigraphes explicatio. Plura argumenta affert Baronius, ut probet, Imperatores Chriſtianos Pontificis Maximi titulum retinere potuiſſe, variaſque hujus facti cauſas ediſſerit. Sed cùm conſtet, Imperatores Chriſtianos illum titulum non retinuiſſe, fruſtra hujuſmodi rationes in medium adducuntur; cùm hic non de jure, ſed de facto quæſtio ſit, juſque à Theologis, non verò ab Hiſtoricis diſcutiendum ſit. Ad illa tamen argumenta Baronii reſpondet Gothofredus laudatus, ad quem Lectorem remittimus. Baron. num. XCIV.

XX. *Indictionis initium.*

Ad num. XIII & ſeqq. In Diſſert. Hypatica, parte ſecunda cap. 2. num. XX, oſtendi, Scaligerum non malè reperiiſſe *Indictionum* originem ab editione Quinquennalium & id genus feſtorum: & cap. 5. num. VI, eum deceptum, quando ſcripſit, *Indictionem* cum Baron. num. CVI. Æra Antiochena inchoatam eſſe. Cœpta autem prior *Indictio Conſtantiniana* die XXIV menſis Septembris currentis anni, à qua die Galli poſtea Indictiones auſpicati ſunt, ut ex variis Diplomatis Imperatorum Carlovingicorum, Regumque Francorum patet. A Francis ad Imperatores Germaniæ mos hic tranſiit: quem à Gallis uſurpatum exiſtimo, quia Conſtantinus in Gallia imperabat, quando Indictionis circulum inſtituit. Hic autem mos poſtea in Gallia mutatus, ut alibi dicetur. Imperatores Cpolitani initium à Kalendis Septembris deduxere, quos ſecuti ſunt Pontifices Romani per plura ſecula. Quando verò Indictio à die XXV Decembris Natali Chriſti ſacra, vel à Kalendis Januariis, vel à XXV Martii, vel denique à Paſchate exordium ſumere cœperit, & quibus in regionibus, adhuc incompertum: non arbitror tamen, hunc uſum ante octavum Eccleſiæ ſeculum natum eſſe. Nam exempla duo, quæ in contrarium adduxi in Diſſert. Hyp. p. 2. pag. 303. & 328. id non evincunt, & intrà ſuis locis Indictionem in illis memoratam à Septembri inchoandam demonſtrabo. Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani exiſtimat, ideo *Indictionem* à die XXIV Septembris inchoatam fuiſſe, quia eo die Conſtantinus in Italiam appulit, & *Maxentio* bellum indixit. Verùm hæc conjectura vaniſſima; Conſtantinus enim anno præcedenti

in Italiam die incerto venit, & , ut habet Anonymus Valeſianus, *apud Veronam victis Ducibus Tyranni Romam petiit.*

XXI. *Pax in Occidente Eccleſia reddita.* Baron. num. c. x i.

Ad num. XVII. Baronius, qui perſecutionem Diocletiani anno citiùs quàm par erat, auſpicatus eſt, currentem annum, primum pacis perperam appellat; cùm, ut ſuo loco videbimus, prioribus anni ſequentis menſibus ea adhuc in Oriente ſævierit. In Occidente tamen, ubi Conſtantinus imperabat, hoc anno eam ceſſaſſe non dubitandum. Hinc Severus Sulpicius hæc de perſecutionis Diocletianeæ fine ſcribit: *Sed finis perſecutionis illius fuit abhinc annos LX & LXXX; à quo tempore Imperatores Chriſtiani eſſe cœperunt.* Annum Chriſti quadringenteſimum Stiliconis Conſulatu notatum, Hiſtoriæ ſuæ terminum præfixit Sulpicius. Quare juxta eum pacis Eccleſiæ initium ab hoc anno conſurgit; ab eo enim anno ad cccc, anni ſunt lxxxix, utroque extremo incompleto pro integro numerato. Verùm Euſebius *pacis* initium ab anno inſequenti repetit, quòd *Maximinus* Eccleſiæ perſecutor eo anno adhuc Chriſtianos afflixerit. Quamobrem hoc anno in Occidente, ſequenti in Oriente *pax Eccleſiæ* reddita eſt.

XXII. *Macharius fit Epiſcop. Hieroſolymitanus.* Baron. num. c xii.

Macharius Epiſcopus Hieroſolymitanus ſecundùm Euſebium in Chronico tam juxta editionem Pontaci, quàm Scaligeri, creatus eſt, ut magis in ejus morte explicabitur. Hoc etiam anno Hermannus Contractus ejus Pontificatûs initium conſignavit. In poſterum Epiſcoporum Hieroſolymitanorum Chronologiam elucidabimus; nam ante eum annum nihil hac in re certi dici potuit.

XXIII. Donatiſtarum ſchiſma hoc anno inchoatum, ut anno ccc vi, num. xx, oſtendi.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5806. ☉ 14 D. ☽ 10$_{4}$P. 21. MART. INDICT. I.
Olymp. 273. JESU CHRISTI 313.
MELCHIADIS PAPÆ 3.
CONSTANTINI IMP. 9. LICINII IMP. 7.

I. *Conſules.*

COss. *Conſtantinus Aug. III*, & *Licinius Aug. III.* Divus Auguſtinus à Baronio citatus, qui habet Licinium II, priorem Licinii Conſulatum non numerat, quia ſuffectum, ut anno ccc x i, num. ii oſtendi. Conſtantini Conſulatus juxta priorem Conſulatuum Cæſareorum regulam, ob novum nempe Urbis Imperium; neque enim hujus Conſulatus cauſa alia aſſignari poteſt. Licinius juxta tertiam regulam Collega ejus fuit.

II. *Nuptiæ Licinii, edictũ Conſtantini, & epiſtola Maximini.* Baron. num. ii, iii & ſeqq.

Ad num. I & II. *Conſtantinus* ſub finem anni præcedentis, vel currentis initio Mediolanum venit, & Conſtantiam ſororem Licinio in matrimonium collocavit, ut anno præterito ex Lactantio lib. de Mortibus Perſecut. cap. 45. diximus. Porro Conſtantinum ſub hujus anni Conſulibus menſe Martio *Mediolani* fuiſſe, conſtat ex Lege 1. *De bonis vacantibus.* ibidem *VI Id. Mart.* data, quæ refertur in Codice Theodoſiano. Ea in urbe celebre edictum ab utroque Imperatore promulgatum, quo Chriſtiani cultûs obſervantia permiſſa eſt, quam Baronius hoc anno recitat, quemadmodum & *Maximini* epiſtolam ad *Sabinum* Prætorii ſui Præfectum. Verùm, ut anno præcedenti oſtendimus, edictum quidem illud, quod apud Euſebium lib. 10. cap. 5. legitur, hoc anno datum; ſed epiſtola ad Sabinum anno præcedenti ſcripta, poſtquam *Conſtantinus* & *Licinius* eo anno aliam Legem, quæ periit, in favorem Chriſtianorum emiſiſſent. At Baronius, qui unam tantùm Legem à Conſtantino datam exiſtimabat, epiſtolam *Maximini*, quæ ad præcedentem annum pertinet, quæque priori Legi ſubjungenda erat, poſt ſecundam recitavit. Hæc ergo ſecunda Lex prioris quædam explicatio fuit: quippe in prima quædam verba erant, quibus Gentiles, Novatiani, Montaniſtæ, & aliqui alii valde offendebantur, quòd in ea Hæretici vocarentur. Quare *Conſtantinus* coactus fuit hac ſecunda Lege mentem ſuam ac ſententiam explicare, ne Gentiles prohibitum aut improbatum ab ipſo Deorum cultum quererentur. Omnibus igitur liberam colendi numinis facultatem à ſe conceſſam eſſe profitetur *Conſtantinus*: ita ut unuſquiſque pro arbitrio quamcumque velit ſectam ac Religionem ſequatur, ut pluribus Valeſius in Notis demonſtrat. Porro *Maximinum* præſenti anno interiiſſe, anno ſequenti adverſus Baronium oſtendemus.

III. *Victoria Conſtantini.* Baron. num. xiii.

Ad num. III. *Conſtantinus* Mediolano digreſſus, in Galliam & ad inferiorem Germaniæ limitem, ubi *Treveris*, reverſus eſt, Francorum & Barbarorum ad Rhenum tranſitum inhibuit, repreſſitque, ut teſtatur Auctor incertus Panegyrici Conſtantino dicti cap. 21. ubi Maxentiana cæde narrata ait: *Non feſſus præliis & expletus victoriis, ut natura fert, otio te & quieti dediſti, ſed eodem impetu, quo redieras in Gallias tuas, perrexiſti ad inferiorem Germaniæ limitem: magna ſcilicet intercapedine temporis, ac brevi locorum diſtantia: poſt annuam expeditionem ſtatim bello auſpicatus, à Tyberi ad Rhenum, imò ut omen & ſimilitudo nominis ſit, & tua, Imperator, magnitudo animi pollicetur, à Tuſco Albula ad Germanicum Albim prolaturus Imperium.* Hinc igitur, ut obſervat Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani, Treviris poſtea datæ ab eo plures Conſtitutiones hoc anno menſibus Novembris & Decembris. *Licinius* verò Mediolano *ad Illyricum* reverſus eſt, ut habet Anonymus Valeſianus.

IV. *Ludi Seculares in hunc annum incidebant.* Baron. num. xiv.

Porro ex Zoſimi verbis à Baronio recitatis Chronologia noſtra confirmatur. Ait Zoſimus lib. 2. *Conſtantino & Licinio tertium Coſſ. centum & decem annorum tempus integrum aderat, quo jam Ludos* (Seculares) *conſueto more celebratos oportuit. Eo verò non obſervato, ad infelicitatem illam res prolabi neceſſe fuit, quæ hoc tempore nos urget.* Ultimi Ludi Seculares Chilone & Libone Coſſ. exhibiti, teſte Zoſimo ibidem. Quare cùm Conſulatus tertius Conſtantini & Licinii in præſentem annum incidat, Conſulatus Chilonis & Libonis nullo modo concurrere potuit cum anno Chriſti cc vi, cum quo illum Baronius conjunxit; ſed cum anno Chriſti cc iv omnino copulandus fuit, uti à nobis præſtitum: alioquin non anni cx, ſed anni dumtaxat cviii à Conſulatu Chilonis & Libonis ad Conſulatum Conſtantini &

Licinii tertium præteriiſſent. Ex quo liquet, Baronii Chronologiam ante Diocletiani Imperium depravatam eſſe. Ceterùm, Honorium Imperatorem Ludos Seculares non reſtituiſſe, oſtendi in Diſſert. Hypatica tam in Prolegomenis num. x i, quàm in parte i i, pag. 187. Qua de re rurſus agetur anno c c c c i v.

V. Ad num. I V & V. Hoc anno *Conſtantinus* primam ſuam Conſtitutionem in favorem

Prima Conſtitutio Cōſtantini in favorem Eccleſiæ. Eccleſiæ *Mediolano*, ubi eum menſe Martio fuiſſe diximus, ad *Anulinum* Proconſulem Africæ emiſit pro Cæciliano & Clericis ejus, quam refert Euſebius lib. 2. cap. 7. cujus hic titulus: *Exemplum epiſtolæ Imperatoris Con-*

Baron. num. x v i i i & ſeqq. *ſtantini, quâ cunctos Eccleſiarum Præſides ab omnibus publicis functionibus immunes eſſe præcipit.* Eam recitat Baronius anno præcedenti, ſed loco non ſuo. Ejus etiam meminit *Anulinus* in relatione ſua ad Conſtantinum, quæ extat apud Auguſtinum epiſtola l x v i i i ad Januarium juxta antiquum ordinem, & in Actis Collationis Carthaginienſis die i i i, num. c c x v i, & c c x x, quam etiam indicat ipſe *Conſtantinus* Lege 1. Cod. Theodoſ. *De Epiſcopis.* data hoc anno pridie Kalendas Novembris. Poſt paucos dies quàm *Anulinus* eam Conſtitutionem ſeu epiſtolam Conſtantini Cæciliano & Clericis ſub eo conſtitutis inſinuavit, *Donatiſtæ* livore moti libellos obtulere Carthagine, *Anulino XVII Kalendis Maiis*, quibus huic immunitati intercedebant, Eccleſiæque Catholicæ nomen ſibi vindicabant. Quos libellos *Anulinus*, manente Cæciliano in ſtatu ſuo, ad Conſtantinum direxit, ut docet Anulini relatio apud Auguſtinum in epiſtola laudata, cujus relationis & ipſe *Conſtantinus* meminit in epiſtola ad Miltiadem & Marcum apud Euſebium lib. 10. cap. 5. Menſe Octobri Synodus ad libellum ſeu preces Donatiſtarum Romæ, Conſtantini juſſu habita fuit v i Nonas Aprilis inter Cæcilianum & Donatiſtas, ubi *Donatus* damnatus, & *Cæcilianus* innocens pronuntiatus eſt, teſte Optato libro 1. capite 10. Auguſtino libro poſt Collationem Donatiſtar. capite 33. & epiſt. c l i i juxta veterem ordinem, & alibi. Extremo jam die ejuſdem menſis Octobris lata Lex prima Codicis Theodoſiani *De Epiſcopis.* quâ *Conſtantinus* immunitatem illam Clericorum Catholicorum confirmat adverſus Hæreticorum Donatiſtarum factionem. Ita rectè Gothofredus in Commentario ejuſdem Legis. Eam verò epiſtolam Conſtantini de immunitate ad Anulinum miſſam eſſe hoc anno circa menſem Aprilem, liquet ex ea Auguſtini ad Januarium epiſtola, in qua Anulinus ait, *poſt paucos dies* quàm eam accepit, extitiſſe quoſdam, qui Cæciliano contradixerint, & libellum obtulerint. Qui libellus dicitur in eadem epiſtola, *datus die XVII Kalendas Maius Carthagine, Domino noſtro Conſtantino Auguſto tertiùm Coſ.* Quare ea de immunitate epiſtola menſe circiter Aprili hujus anni in Africam pervenit, & non bene

VI. in Annalibus anno præcedenti recitata.

Marcus Presbyter Synodo Romanæ intereſt. Valeſius in Notis ad librum 10. Euſebii cap. 8. ait: *Baronius mendoſum eſſe exiſtimat Euſebii textum, & pro verbis, καὶ Μάρκῳ, ſcribendum eſſe, ἱεράρχῳ. Verùm hæc emendatio, quod pace ſummi Viri dictum ſit, ferri non poteſt. Cùm enim Miltiades vocatus ſit Epiſcopus urbis Romæ, ſuperfluum eſt* Baron. num. x x i i i.
addere [illegible]*. Adde quòd ea vox inſolens eſt & affectata; cùm tamen titulus ac dignitas cujuſque uſitato vocabulo exprimatur. Rejectâ itaque Baronii conjecturâ, exiſtimo, Marcum hîc eſſe Presbyterum Eccleſiæ Romanæ, quem unà cum Miltiade intereſſe huic Synodo voluit Conſtantinus. Hic eſt, ut opinor, Marcus, qui poſt Sylveſtrum Papam Epiſcopatum urbis Romæ geſſit.* Ita Valeſius, cujus conjectura valde probabilis, præſertim cùm Auctor Synodici tradat, Synodum Romæ collatam fuiſſe à Miltiade ſanctiſſimo PP. & Marco; Miltiadi Marcum adjungens, perinde ac in epiſtola Conſtantini utrumque junctim nominari animadverterat, inquit ibidem Valeſius.

Ad num. I X. Num *Donatiſtæ* à Concilio VII.
Romano Melchiadis hoc anno celebrato, ad *Incertum an*
ipſummet Imperatorem, aut ad numeroſius *Donatiſtæ à*
Epiſcoporum Concilium appellarint, inter E- *Synodo Ro-*
ruditos non convenit. Communis ante Sir- *mana appel-*
mondum ſententia fuit, *Donatum* cum ſuis à *larint.*
Synodo Romana appellaſſe, *ad quam appellationem*, inquit Optatus, *Conſtantinus Im-* Baron. num.
perator ſic reſpondit: O rabida furoris auda- x x x.
cia! ſicut in cauſis Gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt. Verùm hunc locum mutilum eſſe, primus omnium docuiſſe videtur Sirmondus, qui in Notis poſtumis à Labbæo in Collectione Conciliorum publicatis profert Conſtantini M. reſcriptum, in quo ad hæc verba, *O rabida furoris audacia!* ſubdit: Hæc eſt illa Conſtantini adverſus appellationem Donatiſtarum deteſtatio, quam innuit Auguſtinus epiſt. 162. *Alios*, inquit, *apud Arelatem Judices Epiſcopos dedit, à quibus tamen illi ad ipſum rurſum Imperatorem provocare maluerint. Quæ in re illos quemadmodum deteſtetur, audiſtis.* Eandem verbis ipſis commemorat Optatus lib. 1. Sed mutilus Optati locus, in quo nulla Synodi Arelatenſis fit mentio, nonnullos in fraudem induxit, ut appellationem Donatiſtarum, ad Synodum Romanam referendam crederent, quæ tribuenda erat Arelatenſi. De Synodo Romana murmuraſſe victos *Donatiſtas*, illam accuſaſſe ac reprehendiſſe, de illa queſtos eſſe, multis locis docet Auguſtinus: ab ea provocaſſe nuſquam proditum eſt, ſed ab Arelatenſi. Ita Sirmondus, cujus ſententia placuit Valeſio in Opuſculo de Schiſmate Donatiſtarum cap. 7. ubi urget, varia eſſe D. Auguſtini teſtimonia, neque ullum appellationis facere mentionem. Inter alia hoc unum profert ex lib. 2. contra Literas Petiliani cap. 92. *Si autem, quod verum eſt, petentibus majoribus veſtris Epiſcopale judicium dederat Conſtantinus, & apud Romam, & apud Arelate, quorum primum apud eum accuſaſtis, ab altero ad eum appellaſtis*, &c. De priore ſubdit Valeſius, eos quidem murmuraſſe & conqueſtos eſſe, à poſteriori autem Concilio provocaſſe habet Auguſtinus. Tum Valeſius cap. 8. teſtimonium citati Optati erroris arguit aut Librariorum incuriâ, aut ab ipſo Optato commiſſi, cùm exclamatio Conſtantini de rabida furoris audacia contineatur in reſcripto non ad Synodum Arelatenſem, ſed ad Patres Arelatenſes poſt celebratum ab ipſis Con-

cilium, quomodo ab ipſorum, & non Romanorum Epiſcoporum judicio appellarant Donatiſtæ. *Sanè*, inquit Valeſius, *in Geſtis purgationis Cæciliani & Felicis, hæc Conſtantini epiſtola ſubjungitur Concilio Arelatenſi, quod ſecutus Sirmondus in Collectione Conciliorum Galliæ, meritò eam epiſtolam Arelatenſi Concilio ſubjecit.*

VIII. *Donatiſtas appellaſſe probabilius.*

Licèt hæc Sirmondi & Valeſii ſententia aliquibus placuerit, à Baroniana tamen, quæ docet, Donatiſtas reipſa non ſolùm à Concilio Arelatenſi primo, ſed & ab ipſa Romana ſub Melchiade Synodo provocaſſe, non videtur diſcedendum. Etenim, ut ait Schelſtratius V. C. in ſecunda parte Antiquit. Illuſt. Diſſert. 1. c. 7. art. 3. ad appellationem ex parte appellantium nihil aliud requirebat, quàm poſt latum judicium illud ipſum injuſtum proclamare, & aliud judicium expetere. Atqui hæc omnia poſt latum à Melchiade Papa judicium fecere Donatiſtæ, ut clarè inſinuat Conſtantinus in epiſt. ad Chreſtum Syracuſanum Epiſcopum, quæ extat apud Euſebium lib. 10. cap. 5. *Prolata jam ſententiæ acquieſcere nolentes*, inquit de Donatiſtis poſt Melchiadis judicium, *aſſerenteſque paucos admodum Epiſcopos ſententiam tuliſſe, qui nec omnibus, quæ priùs inquiri oportebat, diligenter excuſſis, ad depromendum judicium properanter acceſſiſſent.* Donatiſtæ igitur ob laudata ab ipſis fundamenta Melchiadis judicium injuſtum proclamabant, nec illi, ut paucorum Epiſcoporum, volebant acquieſcere, quòd nimirum à Conſtantino aliud majus Epiſcoporum Concilium intra Gallias expoſtularent; quod & demum fuiſſe conceſſum, conſequenter inſinuat, ut hæc *tandem multorum interventu finem poſſint accipere*, inquit Conſtantinus. Accedit Auguſtinus lib. 2. contra Literas Petiliani cap. 92. *Si autem, quod verum eſt, petentibus majoribus veſtris Epiſcopale judicium dederat Conſtantinus, & apud Romam & apud Arelate.* Petierant ergo Donatiſtæ Arelatenſe judicium. Accedit Optatus, qui oſtendit, Donatum in Romano ſub Melchiade Concilio juſtiſſimè fuiſſe damnatum: *Sufficit ergo & Donatum tot ſententiis eſſe percuſſum, & Cæcilianum tanto judicio eſſe purgatum. Et tamen Donatus appellandum eſſe ab Epiſcopis credit. Ad quam appellationem Conſtantinus Imperator ſic reſpondit: O rabida furoris audacia! ſicut in cauſis Gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt.*

IX. *Donatiſtarũ appellatio magis probatur.*

Quod verò dicunt Sirmondus & Valeſius, Auguſtinum ſcribere pleriſque in locis, Donatiſtas murmuraſſe & accuſaſſe, & appellaſſe non dicere, præterquam quòd merè negativum eſt, ex ipſo Auguſtini teſtimonio à Sirmondo ex epiſt. 162. allato Donatiſtas appellaſſe conſtat: *Alios apud Arelatum Judices Epiſcopos dedit, à quibus tamen illi ad ipſum rurſum Imperatorem provocare maluerunt.* Si *rurſum*, ergo priùs quoque ad Imperatorem Donatiſtæ provocaverant. En aliud Auguſtini teſtimonium ex Pſalmo contra partem Donati: *Donatus, cùm volebat Africam totam obtinere, tunc Judices tranſmarinos petiit ab Imperatore. Sed hæc tam injuſta petitio non erat de charitate. Hoc ipſa veritas clamat, quam volo modò referre. Nam conſenſit Imperator, miſit qui ſederent Romæ, Sacerdotes, qui tunc poſſent Cæcilianum cum illo audire. Dicta cauſa eſt, nihil probatum eſt, auſus eſt & appellare, & poſt Collegarum ſedem audire ab Imperatore. Hic petitio iſta probatur non eſſe de charitate, deinde ubique victus cœpit rebaptizare.* Ubi Auguſtinus disertè teſtatur, appellaſſe Donatum à ſententia Romani Concilii. Sed ſive revera facta fuerit hæc appellatio, ſive non, parum intereſt, cùm inter omnes conveniat Donatiſtarum de retractatorio judicio expoſtulationem fuiſſe omnino injuſtam, & ſecundum judicium planè indebitum, & extra juris ordinem conceſſum. Notanda ſunt hæc Conſtantini in epiſtola ad Chreſtum verba: *Nonnulli, ut ferè fit, & propriæ ſalutis, & venerationis, quæ ſanctiſſimæ Fidei debetur, obliti, privatas adhuc ſimultates prorogare non ceſſant, prolatæ jam ſententiæ acquieſcere nolentes.* Et infrà: *Hæc, quæ poſt depromtum judicium voluntaria aſſenſione jam finita eſſe debuerant.* Ad quæ verba Marca lib. 4. de Concordia cap. 18. §. 2. *Quia alienum putabat Conſtantinus à diſciplina, res ab Epiſcopo Romano judicatas refricare.* Hæc Schelſtratius loco laudato.

X. *Satisfit Valeſii rationibus.*

Neque mutilus eſt Optati locus, aut Librariorum incuriâ corruptus, neque etiam Optatus verba epiſtolæ Conſtantini ad Concilium Arelatenſe retulit ad Concilium Romanum; ea enim epiſtola à Baronio recitata, ſcripta eſt non ad Patres Arelatenſes poſt celebratum ab ipſis Concilium, ut Sirmondus & Valeſius ſibi perſuaſere, ſed ad Epiſcopos, qui Romanæ Synodo interfuerant, ut rectè vidit Baronius, adverſus quem malè affertur locus Auguſtini in epiſtola 162. jam laudatus, in quo ait: *Qua in re illos quemadmodum deteſtetur, audiſtis,* quaſi Auguſtinus innueret, Conſtantinum poſt Synodum Arelatenſem exclamaſſe, *O rabida furoris audacia!* quod tamen gratis ac ſine fundamento à Viris doctiſſimis dictum; cùm mille aliis verbis Imperator deteſtari Donatiſtas potuerit, tam poſt Concilium Romanum, quàm poſt Concilium Arelatenſe. Quare tam levi fundamento ea Conſtantini epiſtola à Concilio Romano divellenda non erat. Nec etiam urget quod addit Valeſius loco laudato cap. 8. *Quiſquis certè*, inquit, *eam epiſtolam legerit, nunquam dubitabit, quin ad Arelatenſe Concilium potiùs ſpectet, quàm ad Romanum. Etenim ſtatim poſt judicium Synodi Romanæ, Epiſcopi partis Majorini reverſi ſunt in Africam, ut docet Conſtantinus in epiſtola ad Elafium. In epiſtola verò, de qua nunc agitur, ait Conſtantinus, ſe miſiſſe quoſdam ex ſuis hominibus, qui obſtinatos illos & Epiſcopali judicio parêre recuſantes, ad comitatum ſuum perducant. Quare hæc epiſtola ad Concilium Romanum pertinere non poteſt. Erravit igitur Optatus, qui verba hujus epiſtolæ ad Concilium Romanum retulit, memoriæ vitio in eum errorem, ut videtur, inductus.* Verùm Conſtantinus in epiſtola ad Elafium, ſeu ad Ablavium, quam integram refert Baronius, non dicit, poſt judicium Synodi Romanæ ſtatim reverſos eſſe Donatiſtas in Africam; quin contrà, in ea ſcribit, quoſdam ex iiſdem ad ſe veniſſe *aſſerentes, quod minus dignus idem Cæcilianus cultu ſinceriſſimæ Religionis habeatur; & quod ei-* Baron. num. XLIV.

dem reſponderam, fruſtra eos id jactare, quippe cùm res fuiſſent apud urbem Romam ab idoneis ac probatiſſimis viris Epiſcopis terminatæ.

XI. *Ad alia Valeſii argumenta reſpondetur.*

Nec denique negotium faceſſit, quod obſervat Valeſius, in Geſtis ſc. purgationis Cæciliani & Felicis, Conſtantini epiſtolam, de qua quæſtio, ſubjungi Concilio Arelatenſi, addens: *Simili errore idem Optatus ſcribit, Conſtantinum ad preces Epiſcoporum partis Majorini, qui Judices ex Gallia ſibi dari poſtulaverant, his verbis reſpondiſſe:* Petitis à me in ſeculo judicium, cùm ego ipſe Chriſti judicium exſpectem. *Et tamen conſtat, Conſtantinum nihil reſcripſiſſe precibus illorum: ſed tantùm ad Anulinum Proconſulem & ad Miltiadem Epiſcopum literas dediſſe. Verba autem illa, quæ ab Optato referuntur, ſunt ex epiſtola Conſtantini ad Epiſcopos Arelatenſis Concilii:* Quæ in ipſis tanta veſania perſeverat, cùm incredibili arrogantia perſuadeant ſibi, quæ nec dici, nec credi fas eſt, deciſcentes à recto judicio dato, pro quo meum judicium comperi eos poſtulare. Quæ vis malignitatis in eorundem pectoribus perſeverat? Quoties à me jam ipſo, improbiſſimis aditionibus ſuis ſunt condigna reſponſione oppreſſi. Qui utique, ſi hoc ante oculos habere voluiſſent, minimè hoc ipſum interpoſuiſſent. Meum judicium poſtulant, qui ipſe Chriſti judicium exſpecto. Ita Valeſius ex epiſtola Conſtantini ad Epiſcopos Concilii Romani, non verò ad Epiſcopos Concilii Arelatenſis, ut ipſe loquitur. Reſpondeo itaque, Optatum poſt libros ſeptem de Schiſmate Donatiſtarum referre Geſta purgationis Cæciliani Epiſcopi & Felicis ordinatoris ejuſdem, ac epiſtolas Conſtantini Imp. ſed temporis ordine non ſervato. Quemadmodum Euſebium præſtitiſſe in libro 10. cap. 7. ipſemet Valeſius obſervat in Notis, ubi ait: *Ceterùm has Conſtantini epiſtolas præpoſtero ordine retulit Euſebius. Nam epiſtola Conſtantini ad Cæcilianum Epiſcopum, item ejuſdem epiſtola ad Anulinum, cum relatione ejuſdem Anulini, quam ſuprà citavi, præcedere debent epiſtolam Conſtantini ad Miltiadem Epiſcopum urbis Romæ. Omnes enim eæ epiſtolæ pertinent ad Concilium Romanum, quod habitum eſt in cauſa Cæciliani coram Miltiade PP. Conſtantino III, & Licinio III Coſſ. anno Chriſti CCC XIII.* Denique Optatus magis audiendus, dum Auctorem, quàm dum Collectorem agit.

XII. *Defenditur Optatus.*

Nec erravit Optatus, quando ait, Conſtantinum ad preces Donatiſtarum reſpondiſſe: *Petitis à me in ſeculo judicium, cùm ego ipſe Chriſti judicium exſpectem.* Nam non intelligit Optatus, Conſtantinum hæc verba in aliquo reſcripto, ſed tantùm ore tenus protuliſſe. Quid mirum itaque, ſi Conſtantinus poſt Synodum Romanam ad Epiſcopos ſcribens, de iiſdem Donatiſtis loquens, eadem verba repetat, quæ ipſis coram dixerat: immo ex ea Conſtantini epiſtola conſtat, Conſtantinum, dum eam ſcriberet, meminiſſe ejuſdem reſponſi Donatiſtis ante illud Concilium à ſe dati; quod his verbis manifeſtè inſinuat: *Quoties à me jam ipſo improbiſſimis aditionibus ſuis ſunt condigna reſponſione oppreſſi.* Quæ ipſis itaque reſponderat, ex ejus memoria non exciderant, cùm eam epiſtolam ſcripſit.

XIII. *Obitus Melchiadis PP.*

Baron. num. XLVII & XLVIII.

Ad num. XI. S. *Melchiades* Papa anno tantùm ſequenti vivere deſiit. In Chronico enim Damaſi legitur: *Miltiades annis tribus, menſibus ſex, diebus novem, ex die ſexto Nonas Julias, à Conſulatu, Maximiano VIII ſolo, quod fuit menſe Septembri Voluſiano & Rufino, uſque in III Idus Januarii, Voluſiano & Anniano Conſulibus.* Sed error in numeros irrepſit, ita ut loco, *annis tribus*, legendum, *annis duobus*, ut rectè in Indicibus Vaticanis, quos Baronius ait reperiri in Codice, cui titulus eſt, *Concordia Canonum*, in quibus anni duo, menſes ſeptem, & dies octo Melchiadi tribuuntur. Ubi etiam loco, *menſes VII*, legendum, *menſes VI*. Melchiades itaque, qui anno trecenteſimo undecimo die ſecunda Julii ordinatus fuerat, anno ſequenti die decima menſis Januarii ad Deum migravit, Voluſiano & Anniano Conſulatum gerentibus, poſtquam ſediſſet annos duos, menſes ſex, dies novem, ſi diem emortualem includas, vel dies octo, ſi eum excludas. Quod confirmatur ex Indiculo Depoſitionis Epiſcoporum apud Bucherium, ubi legitur: *Quarto Idus Januarii Miltiadis in Calliſti.* In Martyrologio Hieronymiano ad IV Idus Januarii, ſeu ad diem decimum Januarii etiam habetur: *Depoſitio Miltiadis Epiſcopi.* In eodem Martyrologio Hieronymiano ad diem ſecundam Julii legitur: *Depoſitio Miltiadis Papæ.* Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum ait, videri Librariorum vitio factum, ut pro voce *Ordinatio*, legatur, *Depoſitio.* Verùm locus purus eſt, reliquiæque Melchiadis die ejus *Ordinationis* tranſlatæ. Sanctorum enim reliquias die eorum natali, aut die Ordinationis, ſi Epiſcopi fuiſſent, ſæpe tranſlatas fuiſſe, multis exemplis liquet, quemadmodum & hujuſmodi Tranſlationes *Depoſitionis* nomine plerumque deſignatas fuiſſe. Denique, ex eo quod Auctor Chronici Damaſi ſcribit, Melchiadem fuiſſe uſque ad III Idus Januarii, ſeu ad diem undecimum Januarii, annus dieſque obitualis hujus Pontificis magis innoteſcunt; cùm juxta regulam à nobis ſtatutam, quando Antiqui in alicujus Pontificis morte memoranda uno tantùm die inter ſe diſſentiunt, alii de die obitûs, alii de die ſepulturæ loquuntur, ſicque nonniſi in modo loquendi differant.

XIV. *Quot annis Melchiades ſedit.*

Papebrocius non animadvertens, numeros in citato Chronici Damaſi loco depravatos eſſe, exiſtimat, Melchiadem à die ſecunda menſis Julii anni trecenteſimi decimi Euſebii prædeceſſoris Vicarium fuiſſe, eique demortuo eodem anno CCC X ſucceſſiſſe, ſicque ſediſſe, ut habet Chronicon Damaſi, *annis tribus, menſibus ſex, diebus novem.* Sed cùm in eo Chronico disertè dicatur, Melchiadem *ſexto Nonas Julias* anni Conſulatu Maximiani VIII ſolius notari ordinatum eſſe, anno ſc. Chriſti CCC XI, & ſupremum diem obiiſſe menſe Januario anni CCC XIV, quo Voluſianus & Annianus Conſules fuere, manifeſtè liquet, numeros depravatos eſſe, & Vicariatum illum nullo modo admittendum. Papebrocius ibidem, poſtquam ſtatuit, Euſebium die XXVI Septembris anni CCC X vitâ functum, cùm jam à die XI Julii Melchiadem Vicarium ſuum creaſſet, ait, die

die octavo Octobris ejuſdem anni Melchiadem Pontificem electum, & quia Auctor Chronici Damaſi conceptis verbis teſtatur, illum anno CCCXI, quo Maximianus VIII ſolus Conſul fuit, Pontificem dictum, hanc ſententiæ ſuæ rationem affert: *Annum obitûs*, inquit, *clarè notant Voluſianus & Annianus Coſſ. non æquè etiam clarè initium ſignat Maximianus VIII ſolus, qui Magiſtratum iſtum iniit anno CCCXI. Cauſa tamen hunc nominandi fuit, quòd traſis, jubente Conſtantino, tribus Conſulatibus Maxentii, tanquam Tyranni, annus, quo primùm ordinatus Melchiades eſt, vacare videretur, ob quam etiam cauſam ad nomen deceſſoris Euſebii nullus notatur Conſulatus. Necdum enim uſus cœperat frequentari, quod exoleſcente Conſulum majeſtate frequentiſſimum fuit, ut nominato ultimo Conſulatu, vacantes poſt eum anni ſcriberentur, iterum, tertiò, quartò, &c. Poſt Conſulatum N. N.* Ita Papebrocius. Verùm in tertia parte Diſſert. Hypaticæ jam demonſtravi, hanc formulam, *Poſt Conſulatum*, anno trecenteſimo ſeptimo uſurpari cœptam eſſe, & ex ipſomet Damaſi Chronico conſtat, annum CCCX eâ notatum fuiſſe, hoc modo: *Poſt Conſulatum X & VII.* Si itaque Melchiades anno CCCX Pontificatum iniiſſet, Auctor Chronici Damaſi minimè ſcripſiſſet, eum ſub Conſulatu Maximiani VIII ordinatum eſſe. Quòd ſi Conſtantinus Maxentii Conſulatus in Actis publicis memorari noluiſſet, Auctor Chronici Damaſi, Voluſiani & Rufini Conſulatus à Maxentio anno CCCXI deſignati mentionem non feciſſet. Hæc itaque Viri doctiſſimi explicatio rejicienda, ac pro certo habendum, Auctorem Chronici Damaſi, qui hoc ſeculo vixit, poſteros docere voluiſſe, Melchiadem anno trecenteſimo undecimo Eccleſiam adminiſtrare exorſum eſſe, & poſt annos duos & aliquot menſes è vivis exceſſiſſe. Denique, Vicariatum illum Melchiadis fictitium eſſe, jam dixi. Ceterùm, quod Anaſtaſius tradit, Melchiadem ſepultum III Idus Decembris, quo etiam die nunc colitur, quóve Baronius eum demortuum credidit, nonniſi de aliqua ejus Tranſlatione intelligendum, quæ ſepulturæ nomine, ut ſæpe fit, deſignata eſt.

XV. *Eucharistia ad abſentes mitti ſolita.*

Baron. num. XLIX & ſeqq.

Ad num. XII & ſeq. Extant tria veterum Pontificum Romanorum decreta, quæ Baronius de Eulogiis ſeu pane benedicto intelligenda cenſuit. Verùm, ut obſervat Schelſtratius in ſingulari Opere de Diſciplina Arcani cap. 7. art. 5. ubi præfata decreta explicat, inter Eruditos nunc convenit, in iis decretis agi de primitivæ Eccleſiæ conſuetudine, quâ Epiſcopus ad Urbis Presbyteros, qui Sacrificio diebus Dominicis adeſſe non poterant, Sacramenta mittebat. Melchiadis decretum ita habet: *Hic fecit, ut oblationes conſecrata per Eccleſias ex conſecratu Epiſcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* Siricio iſtud in Pontificali tribuitur: *Hic conſtituit, ut nullus Presbyter Miſſas celebraret per omnem hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi loci deſignati ſuſpiceret declaratum, quod nominatur fermentum.* Tertium decretum eſt Innocentii I in epiſtola ad Decentium Eugubinum cap. 5. *De fermento, quod die Dominica per Titulos mittimus, ſuperfluè nos conſulere voluiſti, cùm omnes Eccleſiæ veſtræ intra civitatem ſint conſtitutæ, quarum Presbyteri, quia die ipſa propter plebem ſibi creditam vobiſcum convenire non poſſunt, idcirco fermentum à nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut ſe à veſtra communione maximè illa die non judicent ſeparatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia nec longè portanda ſunt Sacramenta, nec vos per cœmeteria diverſa conſtitutis Presbyteris deſtinamus, ſed Presbyteri eorum conficiendorum jus habent atque licentiam.* Lupus tomo III Conciliorum in Reſponſis ad Michaëlis Cerularii calumnias notat, primis Eccleſiæ temporibus ob paucitatem Fidelium non fuiſſe in civitatibus plures quàm unam Eccleſiam, in Eccleſia unum, non plura altaria, & ad altare illud, unum, non plura Sacrificia eodem die fuiſſe oblata. Quæ omnia ex variis Antiquitatis monumentis conſtant; ex quibus apparet, uſum obtinuiſſe, ut Epiſcopi diebus Dominicis in Eccleſia ſacrificium offerendo præſentem populum ex oblatis communicarent, ad abſentem verò ex oblatis conſecratis mitterent. Hinc Juſtinus Martyr in Apologia pro Chriſtianis teſtatur, diebus Solis, ſeu Dominicis Sacramenta per Diaconos ad abſentes delata fuiſſe. Per abſentes autem non ſolùm infirmos & captivos, ſed etiam Sacerdotes, qui Miſſæ Pontificali adeſſe non poterant, Lupus intelligit.

XVI. *Eucharistia fermentum appellata.*

Baron. num. XLVII & ſeqq.

De hac itaque conſuetudine explicandum eſt *Melchiadis* decretum, quòd, ubi plures ob Fidelium multitudinem Eccleſiæ inſtitutæ eſſent, oblationes ex conſecratu Epiſcopi, diebus nimirum Dominicis, dirigerentur. De ea etiam intelligendum illud *Siricii*, ut nullus Presbyter Miſſas celebraret per omnem hebdomadam, niſi die Dominico conſecratum Epiſcopi ſuſcepiſſet. Hæc enim Innocentius citatus clariſſimè explicat; cùm fateatur, die Dominico per Titulos intra civitatem conſtitutos conſecratum mitti conſueviſſe, quod Acolythi ad Presbyteros, qui illa die propter plebem ſibi creditam Sacrificio Pontificali intereſſe non potuerant, perferebant. Vocat autem Innocentius hoc ipſum conſecratum *Sacramenta*, negatque ad cœmeteria extra Urbem conſtituta deſtinanda eſſe: *Quia*, inquit, *non longè portanda ſunt Sacramenta*, quod de Corpore & Sanguine Chriſti intelligendum vix negari poteſt. Schelſtratius citatus ſollicitè inquirit, cur iis in decretis tam obſcurè agatur de Euchariſtia, ut divinari quaſi oportuerit, an per fermentum Corporis & Sanguinis Chriſti Sacramenta intelligerentur. Potuiſſent enim Summi Pontifices claris verbis decernere, Euchariſtiam, quia fermenti inſtar Fidelium unionem fovet, ex conſecratu Epiſcopi ad abſentes Presbyteros tranſmitti debere. Verùm nihil horum, nec Melchiades, nec Siricius dicunt, ſed ſub fermenti nomine totum Sacramentum comprehendunt. Neque ipſemet populus aliud quàm fermenti nomen ſacris donis tribuebat. Horum rationem ex diſciplina arcani & occultatione ſacrorum myſteriorum, quæ per quinque priora Eccleſiæ ſecula in uſu fuit, deſumit Schelſtratius; ex qua factum, ut tam Romani Pontifices in decretis, quàm Fideles in colloquiis, Sacramenta Euchariſtiæ ſub fer-

menti nomine occultarint. Hinc Schelſtratius articulo ſequenti oſtendit, ex diſciplina arcani pleroſque Patres de realis Corporis & Sanguinis Chriſti præſentia locutos, & Euchariſtiam typum, figuram, ſymbolum, imaginem, myſterium frequenter dixiſſe, non quòd Corpus & Sanguinem Chriſti in ea contineri negarint, ſed quòd Catechumenis ſeu non initiatis ex Eccleſiæ diſciplina eam occultari voluerint.

XVII. *Decretalis Melchiadis.* Inter Decretales Pontificum Romanorum habetur una Melchiadis *ad omnes Hiſpaniæ Epiſcopos*, quæ dicitur data *Kalendis Martii, Voluſiano & Rufino viris clariſſimis Coſſ.* quæ non poteſt non eſſe ſuppoſitia; cùm jam à die decima Januarii illius anni, nempe inſequentis, Melchiades fato functus fuiſſet. Præterquam quòd citatur in ea Scriptura juxta Hieronymi verſionem, & refertur prolixum fragmentum ex Eucherii homilia de Pentecoſte, quæ communiter attribuitur vel Euſebio Emiſſeno, vel Fauſto Regienſi Melchiade junioribus. Melchiadi Sylveſter ſucceſſit, ut anno ſequenti videbimus, poſtquam Sedes ceſſaſſet dies XXI, non verò dies XV, ut perperam legitur in Chronico auctiori veterum Pontificum.

XVIII. *Indulgentia debitorum à Conſtantino conceſſa.* Hoc anno, dum Coloniæ *Conſtantinus* eſſet, Gallicanum cenſum retractavit, indulgentiaſque debitorum ſeu tributorum per Gallias, ac nominatim *per Lugdunenſem primam* tribuit, ut videre eſt in Codice Theodoſiano L. I. *Sine cenſu.* miſſa *ad Antonium Marcellinum Præſidem Provinciæ Lugdunenſis primæ*, quæ dicitur *dat. Kalend. Jul. Agrippinæ, Conſtantino A. V. & Licinio C. Coſſ.* id eſt, *Conſtantino Auguſto V, & Licinio Cæſare.* In ea tamen verba error irrepſit. Nam, ut obſervat Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani, anno CCCXIX, quo Conſtantinus quintum Conſulatum geſſit, hic non in Gallia, ſed in Pannonia hæſit. Idem Gothofredus hanc Legem referendam putat ad annum CCCXII, quo, inquit, conſtat Conſtantinum, antequam in Maxentium moveret, egiſſe in Gallia inferiori, & nominatim Agrippinæ, ut liquet ex Eumenii Panegyrico, qui incipit: *Facerem.* Unde & colligit, ſolennem Panegyricum Flavienſium nomine dictum Conſtantino, ad eundem annum pertinere; cùm ea Lex ad Præſidem Provinciæ Lugdunenſis primæ, in qua ſita Flavia ſeu Auguſtodunum, miſſa ſit; & Eumenius gratias agat de remiſſis à Conſtantino debitis. Quare legendum exiſtimat, *Conſtantino Auguſto II, & Licinio Cæſare II Coſſ.* qui Conſulatus anno CCCXII geſtus. Sed, ut in Diſſertatione Hypatica parte II, cap. 6. num. VI oſtendi, Eumenii Gratiarum actio Flavienſium nomine recitata eſt anno CCCXI, quo Conſtantinus Quinquennalia dedit, quorum cap. 13. idem Orator meminit; eſtque tantùm de remiſſione ſpeciali: laudata verò Lex de cauſa Provinciæ Lugdunenſi communi agit. Præterea toto anno CCCXII Conſtantinus in Italia fuit, quò ultimis menſibus anni CCCXI ſe contulit adverſus Maxentium pugnaturus; ſed non ante menſem Julium, quo citata Lex *Sine cenſu.* data. Ea enim Conſtantini expeditio annua fuit, ut ſuo loco dictum. Quare hæc Lex non cum Conſtantini Quinquennalibus ac anno CCCXI, ſed cum præſenti Conſtantini Aug. III & Licinii Cæſaris Conſulatu notato copulanda. Certè hoc anno Conſtantinus Delatores repreſſit, cenſumque retractavit, ut claret ex L. 1. & 2. *De cenſu.* & Lege 1. *De petitionibus.* ad populum Romanum, quæ extant in Codice Theod. Et præterea poſt menſem Martium in inferiorem Germaniam venit, ut jam demonſtravi. Porro quia hæc Lex à Conſtantino, cui Gallia parebat, emiſſa, is in ſubſcriptione *Auguſtus*, Licinius verò tantùm *Cæſar* appellatur, cujus rei alia habemus exempla.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5807. ☉ 15 C. ☽ 11. P. 18. APRIL.
INDICT. 2.
JESU CHRISTI 314.
SILVESTRI PAPÆ 1.
CONSTANTINI 9. LICINII 8.

COSS. *Rufius Voluſianus II, & Annianus.* Prior etiam Præfectus Urbis fuit, ut liquet ex libello de Præfectis, ubi Rufius Voluſianus P. V. VI Idus Decembris anni antecedentis alius non eſt, quàm Voluſianus Anniani Collega, & Rufius Voluſianus, qui anno CCCXI Romæ Conſul creatus eſt à Maxentio. Quare rectè Idacius in Faſtis eundem cum nota numerali profitetur. I. *Conſules.* Præterea inter Inſcriptiones Romanas à Mabillonio tomo 4. Analectorum relatas pag. 494. num. 40. hæc legitur: CEMONIUM (legendum, Ceionium) ALBINUM V. C. *Conſ. Filoſophum, Rufi Voluſiani bis ordinarii Conſ. filium, Senatus ex conſulto ſuo, quòd ejus liberis poſt Cæſariana tempora, id eſt, poſt annos CCC LXXX & I, auctoritatem decreverit Fl. Magnus Januarius, V. C. cur. ſtatuarum.* Quæ ex Inſcriptione Faſti Idaciani confirmantur, liquetque, anno Chriſti CCCXI Rufium Voluſianum Euſebio Collega Conſulatum ordinarium Romæ, ubi Maxentius imperabat, geſſiſſe; Rufinum & Voluſianum, quos tanquam duos illius anni Conſules Idacius proponit, unum eundemque Conſulem in duos diviſum eſſe, quod quandoque ab Antiquis factum; Rufinum illum, ſeu meliùs Rufium, diverſum eſſe ab Aradio Rufino, qui ex libello de Præfectis Urbi anno CCCIV Præfecturam geſſit; ac denique eundem Rufium Voluſianum à Conſtantino ſecundo Conſulatu ordinario cohoneſtatum fuiſſe. Verum eſt, Onuphrium in Faſtis ad annum Urbis MXXCVII, Chriſti CCCXXXV, quo Conſtantius & Albinus Faſtis nomen dedêre, eandem Inſcriptionem, mutilam tamen, in medium adducere, in eaque Voluſianum ſimpliciter Conſulem vocari; ſed jam Viris doctis obſervatum, Onuphrium non rarò Inſcriptiones, dum corrigere vult, corrumpere; nulla ſuæ correctionis, ac plerumque depravationis mentione facta; quod in ea Inſcriptione contigiſſe non dubito. Quia tamen una ex altera lucem accipit, Onuphriana hîc recitanda.

S. P. Q. R. C. CEIONUM. RUFIUM. ALBINUM
V. C. PHILOSOPHUM. RUFI. VOLUSIANI. COS. FILIUM
ET. . . . .
QUOD. EJUS. LIBERTAS. POST. CAESARIANA. TEMPORA. ID EST. ANNOS. CCC LXXX, ET AUCTORITATEM. DECREVIT. FL. MAGNUS. JANUARIUS. V. C.
CUR. STATUARUM

In ea Inſcriptione *Caſariana tempora* ab anno Urbis DCC VI, quo pugna Pharſalica habita, deducuntur; ideoque legendum, *annos CCC LXXX & I*, qui ab anno Urbis DCC VI ad annum Chriſti CCC XXXV, & annum Urbis M XXCVII, qui in eo anno Chriſti inchoatur, fluxerunt. Quod & ex conjunctione *&* ſine nota I ſenſum turbante intelligitur. Càm annus Urbis CCC LXXXI incipiat cum anno Chriſti CCC XXXVI, & in Inſcriptione legeretur, *poſt annos CCC LXXX & I*, exiſtimavit Onuphrius unitatem illam addititiam eſſe. Sed animadvertere debuerat Vir doctiſſimus, apud Antiquos hos loquendi modos, ſc. *poſt annum CCC LXXXI*, ſimilève, plerumque aliud non deſignare, quàm annum CCC LXXXI inchoatum, ut non ſemel in hoc Opere obſervavi. Ex hujus itaque loci depravatione, prioris corruptio manifeſtè innoteſcit, lucetque, in ea Inſcriptione verè ſcriptum fuiſſe, ut in Mabilloniana, *Rufi Voluſiani bis ordinarii Conſ. filium*, non verò *Rufi Voluſiani Coſ. filium*, ut perperam apud Onuphrium.

II. *Silveſter fit PP.* Baron. n. 1. Ad num. I. Non Kalendis Februariis, ut habet Baronius, ſed *pridie Kalendas Februarii*, ut legitur in Chronico Damaſi, *S. Silveſter* Pontificatum iniit, ideoque die Dominica, quæ hoc anno in diem pridie Kalendas Februarii, ſeu in diem ultimum menſis Januarii incidit, ordinatus eſt. Qui mos poſt redditam à Conſtantino M. Eccleſiæ pacem ſervatus fuit, & Pontifices Romani vel die Dominica, vel aliquo feſto ſolenniori inaugurati. Hujus moris beneficio initium Pontificum plerumque magnis tenebris involutum non rarò detegi poterit.

III. *Licinium inter & Maximinum nō convenit.* Baron. num. 11 & ſeqq. Ad num. II. *Maximini* interitus anno præcedenti certò contigit. Quæ paulò antea geſta accuratè narrat Lactantius lib. de Mortibus Perſecutorum, ubi, poſtquam de Maxentiana clade locutus eſt, cap. 45. ſcribit: *Conſtantinus rebus in Urbe compoſitis, hieme proxima* (anni ſc. CCC XIII) *Mediolanum contendit. Eòdem Licinius advenit, ut acciperet uxorem. Maximinus, ubi eos intellexit nuptiarum ſolemnibus occupatos, exercitum movit è Syria, hieme quamcùm maximè ſæviente, & manſionibus geminatis in Bithyniam concurris debilitato agmine. Nam maximis imbribus & nivibus & luto & frigore & labore jumenta omnis generis amiſſa ſunt, quorum miſerabilis per viam ſtrages ſpeciem jam futuri belli & ſimilem cladem militibus nuntiabat. Nec ipſe intra fines ſuos moratus eſt: ſed transjecto protinus freto, ad Byzantii portas acceſſit armatus. Erant ibi milites præſidiarii ad hujuſmodi caſus à Licinio conlocati. Hos primùm muneribus & promiſſis illicere tentavit, poſtea vi & oppugnatione terrere: nec tamen quicquam vis aut promiſſa valuerunt. Jam conſumti erant dies undecim, per quos fuit ſpatium nuntios literaſque mittendi ad Imperatorem, cùm milites non fide; ſed paucitate diffiſi ſe ipſos dediderunt. Hinc promovit Heracleam: & illic eadem ratione detentus, aliquot dierum tempus amiſit. Et jam Licinius feſtinato itinere cum paucis Adrianopolim venerat, accepta in deditione Perintho*, (id eſt, Heraclea; ſic enim vocata Heraclea Thraciæ ad differentiam aliarum ejuſdem nominis urbium, ut notat Valeſius ad lib. 22. Ammiani) *aliquanto moratus, proceſſit ad manſionem millia decem & octo. Nec enim poterat ulteriùs, Licinio jam ſecundam manſionem tenente. Deſtante* (locus corruptus eſt) *militibus totidemque collectis ex proximo quantis potuit militibus pergebat obviàm Maximino; magis ut eum moraretur, quàm propoſito dimicandi, aut ſpe victoriæ. Quippe cùm ille ſeptuaginta millium armatorum exercitum duceret, ipſe vix triginta millium numerum collegiſſet. Sparſi enim milites per diverſas regiones fuerant, & adunari omnes anguſtiæ temporis non ſinebant.*

IV. *Bellum inter Licinium & Maximinū.* Tum cap. 46. *Propinquantibus ergo exercitibus, jam futurum propediem prælium videbatur. Tum Maximinus ejuſmodi votum Jovi vovit, ut ſi victoriam cepiſſet, Chriſtianorum nomen extingueret, funditùſque deleret. Tunc proxima nocte Licinio quieſcenti adſiſtit Angelus Dei, monens ut ocyus ſurgeret atque oraret Deum ſummum cum omni exercitu ſuo: illius fore victoriam, ſi feciſſet. Poſt has voces cùm ſurgere ſibi viſus eſſet, & cum ipſo qui monebat, adſtaret, tunc docebat eum quomodo & quibus verbis eſſet orandum. Diſcuſſo deinde ſomno, notarium juſſit arceſſiri, & ſicut audierat, hæc verba dictavit:*
Summe Deus, te rogamus. Sancte Deus, te «
rogamus. Omnem juſtitiam tibi commenda- «
mus, ſalutem noſtram tibi commendamus, «
Imperium noſtrum tibi commendamus. Per «
te vivimus, per te victores & felices exiſtimus. «
Summe Sancte Deus, preces noſtras exaudi. «
Brachia noſtra ad te tendimus. Exaudi, Sancte «
ſumme Deus. *Scribuntur hæc in libellis pluribus, & per Præpoſitos Tribunoſque mittantur, ut ſuos quiſque milites doceat. Crevit animus univerſis, victoriam ſibi credentibus de cælo nuntiatam. Statuit Imperator prælium diei Kalendarum Maiarum, quæ octavum annum nuncupationis ejus implebant*; (ideoque geſta hæc anno CCC XIII, quo Kalendis Maiis Imperii Cæſarei annus octavus complebatur) *ut ſuo potiſſimùm Natali vinceretur, ſicut ille victus eſt Romæ.* (id eſt, Maxentius) *Maximinus voluit præire maturiùs: pridie manè aciem compoſuit, ut Natalem ſuum poſtridie victor celebraret. Nuntiatur in caſtra, moviſſe Maximinum. Capiunt milites arma, obviàmque procedunt. Campus intererat ſterilis ac nudus, quem vocant Serenum. Erat jam utraque acies in conſpectu. Liciniani ſcuta deponunt, galeas reſolvunt, ad cælum manus tendunt, præeuntibus Præpoſitis, & poſt Imperatorem precem dicunt. Audit acies peritura precantium murmur. Illi oratione ter dicta, virtute jam pleni, reponunt capiti-*

bus galeas, ſcuta tollunt. Procedunt Imperatores ad colloquium. Ferri non potuit Maximinus ad pacem. Contemnebat enim Licinium, ac deſertum iri à militibus exiſtimabat, quòd ille eſſet in largiendo tenax, ipſe autem profuſus; eoque propoſito moverat bellum, ut exercitu Licinii ſine certamine accepto ad Conſtantinum duplicatis viribus ſtatim pergeret.

V. *Pugnatur inter Heracleam & Hadrianopolim.*

Pergit cap. 47. *Ergo propiùs acceditur, tubæ canunt, ſigna procedunt. Liciniani impetu facto adverſarios invadunt. Illi verò perterriti nec gladios expedire, nec tela jacere quiverunt. Maximinus aciem circumire ac milites Licinianos nunc precibus ſollicitare, nunc donis. Nullo loco auditur. Fit impetus in eum, & ad ſuos refugit. Cædebatur acies ejus impune, & tantus numerus legionum, tanta vis militum à paucis metebatur. Nemo nominis, nemo virtutis, nemo veterum præmiorum memor; quaſi ad devotam mortem, non ad prælium veniſſent, ſic eos Deus ſummus jugulandos ſubjecit inimicis. Jam ſtrata erat ingens multitudo. Videt Maximinus aliter rem geri quàm putabat. Projecit purpuram, & ſumta veſte ſervili fugit,* (quod confirmat Euſebius lib. 9. cap. 10. & lib. 1. de Vita Conſtantini cap. 58.) *ac fretum trajecit.* (Pugnatum eſt igitur, inquit Baluzius in Notis, in ea Imperii parte quam Licinius tenebat, id eſt, inter Heracleam & Hadrianopolim, in campo quodam vocato *Sereno*, ut capite ſuperiori dixit Lactantius) *Ac in exercitu pars dimidia proſtrata eſt, pars autem vel dedita, vel in fugam verſa eſt. Ademerat enim pudorem deſerendi deſertor Imperator. At ille Kalendis Maiis, id eſt, una nocte, atque una die, Nicomediam alia nocte pervenit, cùm locus prælii abeſſet millia centum ſexaginta; raptiſque filiis, & uxore, & paucis ex palatio comitibus, petivit Orientem Sed in Cappadocia collectis ex fuga & ab Oriente militibus ſubſtitit. Ita veſtem reſumſit,* ſcilicet purpuram, Imperatoriæ majeſtatis ſignum.

V I. *Pax Eccleſiæ reddita.*

Baron. num. I X.

Tum cap. 48. *Licinius verò accepta exercitûs parte ac diſtributa, trajecit exercitum in Bythiniam paucis poſt pugnam diebus; & Nicomediam ingreſſus, gratiam Deo, cujus auxilio vicerat, retulit; ac die Iduum Juniarum, Conſtantino atque ipſo ter Conſulibus,* (anno nempe Chriſti c c c x i i i) *de reſtituenda Eccleſia hujuſmodi literas ad Præſidem datas proponi juſſit.* Tum literas refert, quas Euſebius lib. 10. cap. 5. deſcribit è lingua Latina, quâ primùm editæ ſunt, ut ipſemet docet. Poſtea Lactantius ait: *His literis propoſitis, etiam verbo hortatus eſt,* (nempe Licinius) *ut Conventicula in ſtatum priſtinum redderentur. Sic ab everſa Eccleſia* (à die ſc. x x i i i Februarii anni c c c i i i) *uſque ad reſtitutam* (uſque ad diem videlicet x i i i menſis Junii anni c c c x i i i, quâ propoſitum eſt Nicomediæ edictum de reſtaurandis Eccleſiis) *fuerunt anni decem, menſes plus minùs quatuor:* (nempe menſes tres, dies novemdecim) ideoque pax univerſæ Eccleſiæ anno tantùm c c c x i i i reddita.

V I I. *Maximini interitus.*

Capite 49. Lactantius ſubjungit: *Sequenti autem Licinio cum exercitu Tyrannum, profugus conceſſit, & rurſus Tauri montis anguſtias petit, munimentis ibidem ac turribus fabricatis iter obſtruere conatus eſt, & inde dextrorſum perrumpentibus omnia victoribus, Tarſum poſtremò confugit. Ibi cùm jam terrâ marique perterreretur, nec ullum ſperaret refugium, angore animi ac metu confugit ad mortem, quaſi ad remedium malorum, quæ Deus in caput ejus ingeſſit. Sed priùs cibo ſe inferſit, ac vino ingurgitavit, ut ſolent hi qui hoc ultimò ſe facere arbitrantur. Et ſic hauſit venenum. Cujus vis referto ſtomacho repercuſſa, valere non potuit in præſens, ſed in languorem malum verſa peſtilentiæ ſimilem, ut diutius protracto ſpiritu cruciamenta ſentiret. Jam ſævire in eum cœperat virus; cujus vis cùm præcordia ejus ureret, inſuſtentabili dolore uſque ad rabiem mentis elatus eſt, adeo ut per dies quatuor inſaniâ percitus hauſtam manibus terram velut eſuriens devoraret. Deinde poſt multos graveſque cruciatus; cùm caput ſuum parietibus infligeret, exilierunt oculi ejus de caveis. Tunc demum, amiſſo viſu, Deum videre cœpit candidatis miniſtris de ſe judicantem. Exclamabat ergo ſicut ii qui torqueri ſolent, & non ſe, ſed alios feciſſe dicebat. Deinde quaſi tormentis adactus fatebatur, Chriſtum ſubinde deprecans & plorans ut ſui miſereretur. Sic inter gemitus, quos, tanquam cremaretur, edebat, nocentem ſpiritum deteſtabili genere mortis efflavit.* Baluzius rectè in Notis obſervat, non ſtatim mortuum eſſe Maximinum ac Tarſum pervenit, ſed aliquanto tempore graviſſimos dolores ſuſtinuiſſe, ſicque non videri, eum ante menſem Auguſtum periiſſe. Cùm enim ei peragranda fuerint aliquot milliaria, ut Tarſum Ciliciæ urbem perveniret, in Cappadocia primùm, dein in Tauri montis anguſtiis ſubſtiterit, ubi munimenta ac turres fabricavit, ad arcendos nempe inſequentium Licinianorum impetus, fieri vix potuit, ut is qui Kalendis Maiis pervenit Nicomediam, Tarſum venerit ante menſem Julium ſequentem; adeo ut Maximinus ante menſem Auguſtum non periiſſe videatur. Baron. num. VIII & ſeqq.

V I I I. *Maximini edictum in favorẽ Chriſtianorum.*

Baron. num. V & ſeqq.

Literæ de reſtituenda Eccleſia ad Præſidem miſſæ, die quidem Iduum Juniarum Nicomediæ propoſitæ ſunt, ut teſtatur Lactantius, ſed datæ fuerant Mediolani eodem anno, Chriſti ſc. c c c x i i i, circa menſem Martium, ut Conſtantinus & Licinius in iiſdem diſertè aſſerunt. Baronius & Noriſius in Diſſert. de Numiſmate Licinii Aug. cap. 2. ſcribunt, Licinium edictum illud ad Maximinum tranſmiſiſſe, ut toto etiam Oriente ab eodem publicaretur, citantque hanc in rem Euſebium lib. 9. cap. 9. cujus verba anno c c c x i i, num. v i i i retuli. At Euſebius eo in loco loquitur tantùm de priori Conſtantini edicto anno c c c x i i emiſſo, quod ad Maximinum miſſum fuiſſe tradit. Sed quando Euſebius de poſteriori edicto anno c c c x i i i dato verba habet, ad Maximinum miſſum non refert, licèt & illud ad eum miſſum non dubitandum. Euſebius itaque lib. 9. cap. 10. poſtquam narravit, Maximinum jam debellatum cum ſummo dedecore ad partes Imperii ſui reverſum eſſe, ait, illum, cùm Chriſtianorum Deo gloriam laudemque tribuiſſet, legem pro eorundem libertate tuliſſe, quam integram recitat. Tum ſubdit: *Hæc ſunt Tyranni verba, quæ poſt edicta illa adverſus Chri-*

ſtianos in æreis tabulis ab ipſo propoſita, nondum anno penitus exacto, ſubſecuta ſunt. Loquitur Euſebius de alio reſcripto Maximini anno CCC XII ab illo emiſſo, & lib. 9. cap. 7. ab ipſomet Euſebio recitato. Ex quibus verbis manifeſtum fit, legem Maximini, quam Euſebius lib. 9. cap. 10. refert, datam eſſe anno CCC XIII, & hæc verba, quæ in ea leguntur, *Superiore anno datis ad ſingulos Provinciarum Præſides literis ſtatuimus, ut ſi quis adhærere huic ſectæ vellet, ei liceret in propoſito ſuo permanere*, de epiſtola Maximini ad Sabinum Præfectum Prætorii ſui anno CCC XII poſt devictum Maxentium ſcripta, intelligenda eſſe, ut rectè Valeſius in Notis vidit.

IX. *Edicta in favorem Chriſtianorum inter ſe non confundenda.* Noriſius citatus, qui quando Diſſertationem de Numiſmate Licinii Auguſti ſcripſit, librum Lactantii de Mortibus Perſecutorum non viderat, primum & ſecundum Conſtantini edictum inter ſe confundens, dicit, Valeſium errare, quòd Euſebius lib. 9. cap. 9. teſtetur, Maximinum dediſſe ad *Sabinum* epiſtolam pro Chriſtianis, poſtquam accepit edictum, quod pro iiſdem Chriſtianis Conſtantinus & Licinius publicarant. Cùm autem illud Mediolani anno CCC XIII datum fuerit, & Maximinus in eo dicat, ſe *ſuperiore anno* legem ad Præſides Imperii ſui direxiſſe, poſt edictum nempe anno CCC XIII à Conſtantino & Licinio ad ſe tranſmiſſum, ſequitur, inquit Noriſius, hanc alteram Maximini legem latam eſſe anno CCC XIV, ideoque uti Baronius exiſtimavit, eo anno, non verò CCC XIII, Maximinum periiſſe. Verùm non ita ſe res habet. Euſebius enim lib. 9. cap. 9. loquitur de primo edicto à Conſtantino & Licinio ad Maximinum anno CCC XII tranſmiſſo. Maximinus verò mentionem facit literarum ad Sabinum anno CCC XII miſſarum, quas ipſemet ſcripſit, non poſt edictum Conſtantini Mediolano datum, ut exiſtimat Noriſius, ſed poſt prius edictum Conſtantini, quod temporum injuriâ periit. Quare duo illa edicta à Conſtantino & Licinio in favorem Chriſtianorum emiſſa, quæ Baronium alioſque Viros doctiſſimos in errorem induxere, omnino diſtinguenda; ac pro certo habendum, poſt primum Conſtantini & Licinii edictum Maximinum ad Sabinum Præfectum Prætorii ſui in gratiam Chriſtianorum ſcripſiſſe, idque anno trecenteſimo duodecimo; poſt ſecundum verò Conſtantini & Licinii edictum anno CCC XIII *Mediolani* datum, quod ſolum extat, pro explorato manere debet, Maximinum eodem anno edictum aliud dediſſe in favorem Chriſtianorum, quod Euſebius lib. 9. cap. 10. & Lactantius citatus cap. 48. nobis conſervarunt. Duo itaque edicta tam à Conſtantino & Licinio, quàm à Maximino publicata: ſed ex illis tria tantùm ad nos pervenerunt; duo nempe Maximini & unicum Conſtantini ac Licinii. Epiſtolam autem & edictum hîc non diſtinguo.

X. *Tributa in odium Religionis impoſita Licinius tollit.* Gothofredus in Commentario Legis Cod. Theodoſ. 2. *De cenſu.* datæ *Kal. Jun. Conſtantino Aug. III, & Licinio III Coſſ.* anno ſc. CCC XIII, in cujus fronte legitur, *idem AA. ad Euſebium V. P.* (id eſt, Virum Perfectiſſimum) *Præſidem Liciæ & Pamphyliæ*, deduci exiſtimat, ante menſem Junium contigiſſe Maximini interitum, ac univerſum Orientem in Licinii poteſtatem veniſſe. Cùm verò Lycia ac Pamphylia ante annum CCC XXIV Conſtantini Imperio non acceſſerint, uni Licinio laudatum reſcriptum attribuendum, ac ex conſequenti ante Junium mortuo Maximino idem in Aſia imperabat. Hæc Gothofredus. Noriſius laudatus, qui arbitratur, Maximinum currenti tantùm anno devictum, ait errorem irrepſiſſe in ſubſcriptionem, legendumque *Conſtantino IV & Licinio IV Coſſ.* ideoque eam Legem anno ſequenti datam. Sed ex dictis eam ſubſcriptionem minimè immutandam conſtat. Licinius itaque, cujus ea Lex eſt, poſt Maximinum Kalendis Maii debellatum, ejuſque ad Tauri montis anguſtias fugam, ut Urbanam plebem, quæ ſub Galerio Maximiano vel Galerio Maximino ad *capitationem* per Lyciam & Pamphyliam vocata fuerat, ſibi demereretur, priſtinæ veterique immunitati reſtituit, ad quam proculdubio Chriſtianæ potiſſimùm Religionis odio atque occaſione coacta fuerat. Sanè Euſebius lib. 8. cap. 17. Maximinum omnes Provincias Imperio ſuo ſubjectas, auri, argenti, & ingentium pecuniarum exactionibus attriviſſe ſcribit: neque contra Chriſtianos hæc tantùm acta, ſed & contra alios omnes. Locum Euſebii refert Baronius. De Martyribus in Pamphylia & Lycia nominatim, & quidem Bergæ, Sidæ, hoc tempore, videnda Martyrologia. Quomodo & Julianus Apoſtata Chriſtianæ Religionis odio poſtea Cæſareâ è Cappadociæ civitatum numero expunctâ, (qua de re Sozomenus lib. 5. cap. 4. & 10. & Gregorius Nazianzenus Orat. 3. adverſus Julianum) plebem Chriſtianam Cæſarienſem unà cum uxoribus & liberis cenſeri voluit, & quemadmodum in pagis, tributa ſolvere; quæ doctè à Gothofredo in laudatæ Legis Commentario adnotata, qui addit, eam *capitationem* aliud non fuiſſe, quàm modum collationis pro capitum numero.

Baron. anno 307. num. XXVIII.

XI. *Tria Maximini initia diſtinguenda.* Victor de Cæſaribus ait: *Maximinus poſt biennii Auguſtum Imperium periit*, ubi Imperii ejus initium à Galerii Maximiani morte deducit; ſic enim verum eſt, eum biennio imperaſſe. Victor in Epitome his verbis Maximini Imperii durationem exprimit: *Galerius Maximinus, Cæſar quadriennio, dehinc per Orientem Auguſtus triennio fuit*; id eſt, poſt mortem Galerii Maximiani imperavit triennio, annis ſc. CCC XI, CCC XII, & CCC XIII. Sed tanquam Cæſar imperavit quadriennio, à fine nempe anni CCC VII uſque ad initium anni CCC XI, quo interiit Galerius Maximianus, qui Auguſtus ſenior erat, & præ quo Maximinus Cæſar dici poterat. Certè Lex Cod. Theod. 1. *De jure Fiſci.* data Conſtantino A. IV & Licinio IV Coſſ. anno ſc. CCC XV, hunc titulum præfert: *Imp. Conſtantinus A. & Cæſar ad Populum*, ubi Cæſaris nomine *Licinius* intelligitur, qui reſpectu Conſtantini ſenioris Aug. Cæſar ibidem dicitur. Præterea in Actis purgationis Cæciliani coram Æliano Proconſule Africæ habitis, Voluſiano & Anniano Coſſ. anno ſc. currenti, legitur: *Apud Maximos Imperatores cauſa agenda erit*: & inferiùs: *Conſtantinus Maximus ſemper Auguſtus & Licinius Cæſar, ita pietatem Chriſtianis exhibere conantur, &c.* Ubi Licinius Auguſtus appella-

tur Cæſar, quia Africa non ei, ſed Conſtantino ſubdita erat. Sic itaque Victor explicandus, non verò, ut perperam multi, de Cæſarea dignitate poſt abdicationem Diocletiani & Herculii accepta. Nam hoc modo annos Imperii ejus numerando regnavit annos octo & menſes aliquot, ut ſuprà cum Lactantio diximus. Quòd ſi annos ejus numeremus ab eo tempore, quo ſemetipſum Auguſtum renuntiavit, uſque ad mortem ejus, ſex annis imperavit, quot ei in Numiſmatis Græcis apud Goltzium attribuuntur. Ex his locis ſic rectè explicatis facile eſt intelligere locum Socratis non parum impeditum. Is lib. 1. cap. 2. inquit: *Galerius Maximianus totius Imperii clavum regens abivit è vita, cùm Licinium priùs Imperatorem creaviſſet.* Erant alii eodem tempore Auguſti, Conſtantinus videlicet in Galliis, Maximinus & Licinius in aliis Romani Orbis partibus. Sed quia Galerius Maximianus erat ſenior Auguſtus, primumque inter ipſos locum in titulis atque honoribus obtinebat, rectè dicitur à Socrate totius Imperii ſummam adminiſtraſſe: adeo verum eſt, utrumque Victorem eo modo, quo diximus, explicandum. Liquet præterea, Antiquos in Imperatorum annis numerandis ſæpe ad annos Julianos reſpexiſſe, eoſque licèt incompletos, & aliquot menſibus aut diebus tantùm inchoatos, tanquam ſi integri fuiſſent, computaſſe; quod tanquam principium aliquod obſervari cupio.

XII. *Stirps Tyrannorum funditus evulſa.* Baron. num. XI & XV.

Lactantius lib. de Mortib. Perſecutor. narrato Maximini interitu, cap. 50. inquit: *Hoc modo Deus univerſos perſecutores nominis ſui debellavit, ut eorum nec ſtirps nec radix ulla remaneret. Nam Licinius ſummâ rerum potitus* (anno nempe CCCXIII) *in primis Valerium,* (Valerium ſc. Valentem, de quo anno CCCVI num. 14. locuti ſumus) *quem Maximinus iratus, nec poſt fugam quidem, cum ſibi videret eſſe pereundum, fuerat auſus occidere, idem Candidianum, quem Valerius ex concubina genitum ob ſterilitatem adoptaverat, necari juſſit. Mulier tamen, ut eum vixiſſe cognovit, mutato habitu comitatui ejus ſe miſcuit, ut fortunam Candidiani ſpecularetur. Quia Nicomediæ ſe obtulerat, & in honore haberi videbatur, nihil tale metuens occiſus eſt. Et illa, exitu ejus audito, protinus fugit. Idem Severi filium Severianum, jam ætate robuſtum, qui fugientem Maximinum ex acie fuerat ſecutus, tanquam poſt obitum ejus de ſumenda purpura cogitaſſet, capitali ſententiæ ſubjectum interemit. Qui omnes Licinium jampridem quaſi malum metuentes, cum Maximino eſſe maluerant, præ Valeria, quæ volens Licinio in omnes Maximiani hæreditates jure ſuo cedere, idem Maximino negaverat. Ipſius quoque Maximini filium ſuum maximum agentem in annis octo, & filiam ſeptennem, quæ deſponſa fuerat Candidiano, extinxit. Sed prius mater eorum in Orientem præcipitata eſt. Ibi ſæpe illa caſtas feminas mergi juſſerat. Sic omnes impii vero & juſto judicio Dei, eadem quæ fecerant, receperunt.* Tum cap. 51. *Valeria quoque per varias Provincias quindecim menſibus plebeio cultu pervagata, poſtremò apud Theſſalonicam cognita, comprehenſa cum matre* (Priſca ſc.) *pœnas dedit. Ductæ igitur mulieres cum ingenti ſpectaculo & miſeratione tanti caſus ad ſupplicium; & amputatis capitibus corpora earum in mare abjecta ſunt. Ita illis pudicitia & conditio exitio fuit.* Hæc Lactantius, qui poſtea egregio Operi ſuo, tot Scriptoribus ignoto, coronidem imponit. Maximinus è vivis ſublatus, edictis publicè propoſitis, *impiiſſimus ac deteſtandi nominis, Deoque invìſus Tyrannus appellatus eſt. Sed & imagines, quæ ipſi liberiſque ejus honoris cauſâ poſitæ, dejectæ confractæque ſunt*, inquit Euſebius lib. 9. cap. 11. ubi narratis ſuppliciis de iis, qui eum adverſus Chriſtianos impulerant, ſumtis, addit: *Adjecti his omnibus etiam Maximini liberi, quos ille jam Imperii conſortes, & titulorum atque imaginum participes fecerat.* Qui Euſebii locus lucem accipit ex iis, quæ mox ex Lactantio retulimus.

XIII. *Pax Eccleſiæ reddita.* Baron. num. XIV.

Ad num III. Victo anno CCCXIII Maximino, inſtituta celeberrima epocha à pace Eccleſiæ reddita deſumta. Ejus meminere Euſebius in Chronico, & Auctor Chronici Alex. dum de Conſtantii Auguſti Conſtantini M. filii morte loquitur. Dedicatæ poſtea Eccleſiæ per ſingulas urbes, & Conventus Epiſcoporum habiti, ut habet Euſebius lib. 10. cap. 3. qui capite ſequenti recitat orationem in dedicatione templi *Tyri*, omnium qui in Phœnice erant pulcherrimi, habitam. Sed, cùm Euſebius annum, quo hæc Encænia Tyri celebrata, non memoret, non dubium, quin ea ad annum ſequentem referenda ſint, quo Licinius in Oriente Decennalia exhibuit. Nam poſt pacem Eccleſiæ redditam Decennalia & id genus feſta ingenti pompa ab Imperatoribus edita, templa Chriſtianorum, uti antea Paganorum, iiſdem annis de more condita dedicataque, & Religio Chriſtiana iis occaſionibus deprimi aliàs ſolita, vindicata & exaltata.

XIV. *Purgatio Felicis Aptungenſis Epiſc. clarè explicata.* Baron. num. XIX.

Ad num. IV. Hoc anno *Felicis* Aptungenſis Epiſcopi cauſa in Africa diſcuſſa eſt. Cùm enim Donatiſtæ conquererentur, non omnem cauſam in Synodo Romano ab Epiſcopis auditam fuiſſe: neque enim de Felice & aliis Cæciliani ordinatoribus, quos Donatiſtæ Traditionis reos eſſe dicebant, inquirendum eſſe cenſuerat Miltiades; Imperator omnem criminandi anſam ipſis volens adimere, mandavit *Vero* agenti Vicariam Præfecturam per Africam, ut de crimine Traditionis, quod Felici Epiſcopo objiciebatur, diligenter inquireret. Sed dum *Verus* juſſionem Principis exequi aggrederetur, in diuturnum morbum incidit. Quare *Ælianus* hoc anno Proconſul Africæ partes Vicarii agendas ſuſcepit, & negotium *Felicis* ad examen & juriſdictionem ſuam revocavit. Inductus eſt in judicium *Claudius Saturianus*, qui fuerat Curator civitatis Aptungenſium tempore perſecutionis, id eſt, Diocletiano VIII & Maximiano VII Coſſ. ut ex Geſtis municipalibus, quæ ab ipſo confecta erant, perſpici poſſet, utrum *Felix* Epiſcopus Aptungenſis ſacros Codices cremandos tradidiſſet. Exhibitus etiam eſt *Calidius Gratianus*, Curator ejus anni, quo quæſtio agitabatur, ut ſcilicet Acta municipalia ſuperioris temporis Magiſtratuum in judicium afferret. Præter hos exhibitus eſt in judicio *Superius Stationarius*, *Solon* ſervus publicus, & *Ingentius* Scriba, & *Alfius* Cæ-

cilianus, qui fuerat Magiſtratus ſeu Duumvir municipii Aptungenſium tempore perſecutionis. Quibus omnibus ad inſtructionem cauſæ *Felicis* exhibitis in judicio Proconſulari, *Ælianus* Proconſul cognitionem exorſus eſt. Lecta ſunt primùm Acta municipalia. Interrogati Saturninus ſeu Saturianus, & Calidius Curatores, & Superius Stationarius, & Cæcilianus Duumviralis. Ex quorum reſponſis Felicem Epiſcopum integrum eſſe conſtitit à traditione ſacrorum librorum. *Ingentius* verò Epiſtolam Cæciliani & Acta municipalia falſaſſe convictus, in carcerem miſſus eſt, ut altiori interrogationi ſervaretur. Extat ſententia Æliani Proconſulis in lib. 1. Optati & in Geſtis purgationis Felicis. Porro Ælianus Proconſul cauſam Felicis audivit, *Voluſiano & Anniano Coſſ. XV Kalend. Martias*, id eſt, poſt menſes ferme quatuor à judicio Miltiadis, ut ſcribit Auguſtinus in libro ad Donatiſtas poſt Collationem. Quod tamen non ita accipiendum eſt, quaſi eo ipſo die cauſa terminata ac judicata ſit. Neque enim intra unius diei ſpatium tot Geſtorum documenta perlegi, tot perſonæ interrogari potuerunt. Cùm ergo dicit Auguſtinus, cauſam Felicis ab Æliano auditam fuiſſe *XV Kalend. Martias*, intelligere debemus tunc primùm audiri cœpiſſe, ut inquit Valeſius in Diſſert. de Schiſmate Donatiſtarum cap. 11. qui plura hac de re ibidem habet. Legenda etiam Acta purgationis Felicis Epiſcopi Aptungenſis tomo 11 Miſcellaneorum Baluzii, & Notæ, quibus eadem illuſtravit.

XV. *Controverſia de rebaptizatione in Concilio Niceno terminata.*

Ad num. V & ſeqq. Multa dubia circa *Concilium Arelatenſe primum* hoc anno habitum moveri poſſunt. Et primò quidem, utrum *Plenarii Concilii*, in quo quæſtio de Baptiſmate Hæreticorum finita eſt, nomine, Divus Auguſtinus hoc Concilium, vel Nicænum intellexerit. Exiſtimavit *Launoius*, Auguſtinum locutum eſſe de hoc Arelatenſi Concilio, *Joannes* verò *Nicolai* è contrà pro Nicæno ſtetit, ut videre eſt in Opuſculis ab utroque hac de re publicatis. Sed Nicolai ſententia præferenda, repugnare ſcilicet S. Auguſtini ſententiæ, ut Arelatenſe Concilium ejus ſenſu *Plenarium*, id eſt, *OEcumenicum* intelligatur. Si enim Concilium, in quo Cæciliani cauſa finita, Arelatenſe nempe, fuiſſet Plenarium totius Orbis & Eccleſiæ univerſæ Concilium, illudque eo nomine S. Auguſtinus intellexiſſet, Cæciliani cauſam toti Orbi terrarum incognitam non rectè dixiſſet. Quod enim à totius Orbis Epiſcopis in Concilio Plenario ſeu OEcumenico conſidentibus ſolenniter judicatum eſt, toti Orbi terrarum incognitum nemo rectè dixerit. Et tamen Auguſtinus in libro ad Donatiſtas poſt Collationem cap. 18. *Hæc verba*, inquit, *per Orbem terræ univerſa perſonat Eccleſia: Teſtimonium Dei novi, negotium Cæciliani non novi.* Et lib. 4. contra Creſconium cap. 25. *Licuerit Epiſcopis veſtris, neſcio quo Donatiano vel Numidico privilegio, de ſuo ignorare Collega quidquid Africa tota conclamabat. Cùm Afris ab Afris objecta crimina (nunquam probata, totiés abſoluta) Orientalibus terræ finibus ignota eſſe non ſinant. Valeat apud vos Baptiſmus ab Optato datus, quem ſic damnare noluiſti, ut non fueris auſus abſolvere: & non valeat datus Baptiſmus in Eccleſiis Apoſtolico labore fundatis, Corinthiorum, Galatarum, Epheſiorum, Coloſſenſium, Philippenſium, Theſſalonicenſium, ceterarumque in ſanctis literis conſcriptarum, ubi Cæciliani non dico falſum crimen, ſed fortè nec verum nomen auditum eſt? Et accuſetur conſcientia tot tantarumque gentium Chriſtianarum, quia remotiſſimas lites ignoravit Afrorum.* Ubi Auguſtinus, quod & paſſim alibi inculcat, cauſam Cæciliani Orbi terrarum, aut ſaltem plurimis & nobiliſſimis Catholici Orbis Eccleſiis fuiſſe incognitam aſſerit.

Baron. num. XLI & ſeqq.

XVI. *Nomine Concilii Plenarii Nicænum intelligendum.*

Nomine itaque Plenarii Concilii, in quo quæſtionem *de Baptiſmo Hæreticorum* abſolutam fuiſſe ſæpe ſcribit Auguſtinus, Nicænum intelligendum. Illud enim omnes Hæreticos cum illorum Baptiſmo in Eccleſiam ſuſcipiendos ſanxit, ſi ad eam ejuratis erroribus reverterentur, exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis. Quare cùm Concilium illud totius Orbis & univerſæ Eccleſiæ Plenarium fuerit, & ante Auguſtini nativitatem, nec multùm diu poſt motam de baptizandis Hæreticis controverſiam, & poſt Synodum Arelatenſem fuerit celebratum, non aliud à S. Auguſtino intellectum videtur nomine Concilii Plenarii, in quo controverſia de Baptiſmo Hæreticorum diremta eſt. Hinc Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos ait: *Synodus quoque Nicæna, cujus paulò antè fecimus mentionem, omnes Hæreticos ſuſcepit, exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis: & quod his majus eſt, Epiſcopo Novatianorum, ſi converſus fuerit, Presbyterii gradum ſervat.*

XVII. *Variæ Synodi particulares Plenariæ appellatæ.*

Verum quidem eſt, Divum Auguſtinum quædam Concilia *Plenaria* vocaſſe, quæ non agnovit ut OEcumenica, ut Concilium *Bagajenſe*, quod à Donatiſtis celebratum eſt, ut ortum inter eos ſchiſma ſedaretur, & cui trecenti decem illius ſectæ Epiſcopi interfuerunt, quod Auguſtinus *Plenarium* vocat lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 7. & paſſim alibi, qui tamen Concilium illud OEcumenicum non exiſtimavit. Sic etiam in Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ Conciliis Nationalibus totius Africæ tribuitur *Plenariorum* Conciliorum nomen, ut videre eſt numeris XIX, XXVIII, CXVII & CXXXVIII. Sed inde non ſequitur, Auguſtinum *Plenarii* Concilii nomine Arelatenſe intellexiſſe, quod OEcumenicum non fuit. Nam Concilium *Bagajenſe Plenarium* vocavit, non ſimpliciter vel Plenarium totius Orbis & univerſalis Eccleſiæ, ſed *Plenarium* Donatiſtarum, qui omnes ad illud convenerant. Sic in Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ Synodi illius regionis paſſim *Plenaria* appellantur ſecundùm quid & cum aliqua limitatione, id eſt, Plenariæ Africæ, non verò Plenariæ totius Orbis & univerſalis Eccleſiæ.

XVIII. *In Concilio Arelatenſi actum de Baptiſmo.*

Nec obſtat ſecundò, quòd canone 8. Concilii Arelatenſis ſancitum ſit, Hæreticorum Baptiſma non eſſe iterandum. Hinc enim non ſequitur, *Plenarium* illud eſſe univerſalis Eccleſiæ Concilium, in quo controverſia de Hæreticorum Baptiſmate diremta ſit; ſed ſolùm in eo, occaſione data, de præfata quæſtione actum eſſe: quamvis ad quæſtionem juris & dogmatis decidendam convocatum

non eſſet, ſed ſolùm ad quæſtionem facti diſcutiendam, & ad expendendum, an Cæcilianus ſacrorum Librorum verè Traditor fuiſſet, an ejus proinde ordinatio legitima eſſet atque canonica; an jure, an perperam Romani Concilii Patres ſub Melchiade eum abſolviſſent.

XIX. *Concilium Arelatenſe Patriarchale fuit.*

Nec obſtat tertiò, quòd in Concilio Arelatenſi ſecundo cap. 18. dicatur: *Ad Arelatenſis Epiſcopi arbitrium Synodus congreganda: ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, præcipuè Gallicanis ſub S. Marini tempore legimus celebratum fuiſſe Concilium, atque Conventum*; & quòd Conſtantinus in epiſtola ad Chreſtum Syracuſanorum Epiſcopum apud Euſeb. lib. 10. cap. 5. dicat, ſe mandaſſe ut plurimi Epiſcopi *ex locis diverſis & propè infinitis* Arelaten ad Concilium convenirent. Nam Concilium Arelatenſe per exaggerationem quandam dixit, iſtud ex omnibus mundi partibus convocatum fuiſſe; cùm hujus primi Concilii Arelatenſis Patres ex diverſis duntaxat Provinciis ad iſtud ſe conveniſſe teſtentur in Epiſtola Synodica ad Silveſtrum Papam: *Et cùm diverſæ ſint Provinciæ, ex quibus advenimus, ita & varia contingunt, quæ nos cenſemus obſervare debere.* Denique Conſtantini verba indicant quidem numerum maximum & diverſitatem regionum, ex quibus Epiſcopos ad Concilium Arelatenſe convocavit, non autem diſertè ſignificat, quòd ex univerſis Orbis Chriſtiani Provinciis illos convocarit, ut hoc *Plenarium* univerſalis Eccleſiæ Concilium eſſet. Quæ omnia Viro erudito obſervata. Rectè quidem Launoius dixit, Concilium hoc malè *Provinciale* in Collectionibus Conciliorum inſcriptum eſſe, ſed hinc perperam inferebat, *Plenarium* univerſæ Eccleſiæ Concilium appellandum; cùm tantùm *Patriarchale* Occidentis Concilium fuerit.

XX. *Ducenti Epiſcopi Synodo Arelatenſi interfuere.*

Baron. num. XLIX.

Altera quæſtio movetur de numero Epiſcoporum, qui huic Synodo interfuere. *De numero Epiſcoporum*, inquit Valeſius in Diſſert. de Schiſmate Donatiſtarum cap. 9. *qui huic Synodo interfuerunt, non levis diſſenſio eſt. In Epiſtola quidem Synodica tres ac triginta duntaxat nominantur, cùm tamen in ſubſcriptionibus quatuor ſupra quadraginta numerari videamus. Cujus diſcriminis hæc probabilis ratio afferri poteſt, quòd in Synodica quidem ii tantùm commemorantur Epiſcopi, qui Concilio interfuerunt: in ſubſcriptionibus verò, etiam Preſbyterorum nomina referuntur, qui ab Epiſcopis ob certas cauſas abſentibus miſſi fuerant ad Synodum. Quòd autem Baronius ducentos Antiſtites huic Concilio interfuiſſe ſcribit, ex lib. 1. Auguſtini adverſus Parmenianum cap. 5. in eo manifeſtè hallucinatur. Neque enim de Arelatenſi Concilio ibi loquitur Auguſtinus, ſed de Concilio Romano; cui non ducenti, ſed novemdecim tantùm Epiſcopi interfuerunt, ut inter omnes conſtat. Quare apud Auguſtinum pro 200. ſcribendum eſt 20.* Hæc Valeſius. At Auguſtinum loqui de Concilio Arelatenſi verba immediatè ſequentia confirmant: *Et tamen in his omnibus, quamvis magna temeritate, Italos, Gallos, & Hiſpanos accuſant, relictis ceteris tam multis Provinciis atque gentibus, à quibus nefando ſacrilegio ſeparati ſunt, quibus utique obeſſe non poſſent crimina Italorum, Hiſpanorum, atque Gallorum, etiam ſi vera dicerentur.* Neque enim Italos, Gallos, Hiſpanos Donatiſtæ accuſaſſent, ſi ab illarum Provinciarum Epiſcopis Cæcilianus abſolutus non fuiſſet. Ipſorum quippe judicio acquieſcere recuſabant, quia Traditores ipſos & Traditoribus communicaſſe cauſabantur. In Concilio verò Romano ſub Melchiade nulli ex Hiſpania adfuerunt Epiſcopi, ſed quindecim duntaxat Itali & tres Galli, teſte Optato. Quare S. Auguſtinus ducentos Epiſcopos, à quibus Donatiſtas victos dicit, ad Concilium Arelatenſe refert.

XXI. *Ea Baronii ſententia magis confirmata.*

Sirmondus, ut videre eſt tom. 1. Conciliorum Labbei, alio fundamento communem ſententiam infringere conatur. *In libris antiquis*, inquit, *quibus uſi ſumus non paucis, nuſquam plures leguntur, quàm hic à nobis repræſentati ſunt in univerſum LXXXV. Epiſcopi nimirum XXXIII, Preſbyteri XVI, Diaconi XXVI, Lectores II, Exorciſtæ V, in quibus ordinem & formam optimi antiquiſſimique Codicis Corbeienſis, in quo Epiſcoporum nomina Provinciarum & civitatum nominibus præponuntur; cùm in aliis, ſicut in Suriana editione, poſtponantur.* Verùm, ut obſervavit Schelſtratius parte 2. Antiquit. Illuſt. Diſſert. 1. cap. 7. art. 3. §. 2. hæc Sirmondi computatio confutatur ex iis, quæ ipſemet annotat ad Canonem 8. de Afris rebaptizantibus, quem tanquam Concilii Plenarii Auguſtinus opponebat Donatiſtis: *Cypriani Synodo, cujus illi auctoritate ſe rebaptizare jactitabant, anteponendam docet Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 9. ubi poſt laudatam Plenarii Concilii auctoritatem:* Quapropter illud unum conſiderent, quod omnibus patet. Si auctoritas Cypriani ſequenda eſt, magis ea ſequenda in unitate ſervanda, quàm in Eccleſiæ conſuetudine commutanda. Si autem Concilium ejus attenditur, huic eſt univerſæ Eccleſiæ poſterius Concilium præponendum. Nam & Concilia poſteriora prioribus apud poſteros præponuntur, & univerſum partibus ſemper jure optimo præponitur, *Concilium Arelatenſe, quod Tranſmarinum & Univerſale jam dixerat, hic rurſus Plenarium & univerſæ Eccleſiæ Concilium vocat, quia ex univerſa Occidentis Eccleſia eò convenerant.* Hæc Sirmondus, ex quibus Schelſtratius arguit: Teſte Sirmondo D. Auguſtinus opponit Concilium Arelatenſe primum ſub Silveſtro, Concilio Carthaginienſi ſub Cypriano, tanquam Concilium univerſæ Eccleſiæ minori Provinciali, & univerſum ſeu totum ſuæ parti: ſed Synodus Cypriani fuit LXXXIII Epiſcoporum ex omni Africa. Quare juxta Auguſtini mentem Concilium Arelatenſe, non ſolùm habuit XXXIII Epiſcopos, ut putat Sirmondus, ſed plures LXXXIII, ut tanquam univerſum & numeroſius, Synodo Africæ prævaleat. Quod fortius urgeri poteſt ex aliis Auguſtini locis, ubi numerum Africanorum Præſulum longè minorem exhibet, quàm aliorum, qui in Synodo Plenaria (juxta Sirmondum, Arelatenſi prima) contra Cyprianum ſtatuerunt.

XXII. *Incertum an Conſtanti-*

Exiſtimavit Baronius, Conſtantinum Concilio Arelatenſi interfuiſſe, quòd Euſebius lib. 1. de Vita Conſtantini capiti 44. hunc titu-

lum

nus interfuerit Concilio Arelatenſi.

lum præfixerit: *Quomodo Synodis Epiſcoporum interfuit*; iſtum verò capiti 45. *Quomodo inſipientes toleraverit*: quo in ultimo capite meminit Euſebius Africanorum ſeu Donatiſtarum turbas excitantium; putat enim Baronius, in duobus illis capitibus de una eademque re, nempe de Conciliis Conſtantino præſente celebratis, agi. Verùm, licèt certum ſit, Conſtantinum aliquot hujus anni menſibus in Gallia fuiſſe, ut liquet ex Legibus ibidem ab eo emiſſis, incompertum tamen, an Euſebius in ſecundo capite laudato loquatur de iis, quæ in Conciliis geſta. Præterea Concilium Arelatenſe *ad Kalendas Augusti* indictum fuit, ut teſtatur Conſtantinus in epiſtola ad Chreſtum Syracuſanorum Epiſcopum apud Euſebium lib. 10. cap. 5. & in epiſtola ad Ælafium, ſeu Ablavium, quam recitat Baronius. Eo autem die vix Conſtantinus Arelatis eſſe potuit, cùm Idacius in Faſtis hoc anno ſcribat: *His Conſſ. bellum Cibalenſe fuit VIII. Idus Octobr.* in Pannonia ſc. quò Conſtantino cum exercitu pergendum fuit, ideoque menſe Septembri aut Auguſto; cùm menſe Octobri adverſus Licinium pugnandum fuerit. Quod bellum malè à Baronio conſignatum, ſuo loco referemus. Valeſius in Diſſert. de Schiſmate Donatiſtarum cap. 9. negat, Conſtantinum Concilio Arelatenſi interfuiſſe, quòd nemo ex veteribus, ac ne ipſe quidem Auguſtinus, qui tamen de hoc Concilio ſæpiſſime locutus eſt, id umquam affirmaverint; ex epiſtola, quam Conſtantinum ad Epiſcopos poſt Synodum Arelatenſem ſcripſiſſe Valeſius putat, manifeſtè colligatur, eum Synodo non interfuiſſe. *Quòd ſi Imperator*, inquit, *huic Synodo interfuiſſet, quonam modo auſi fuiſſent Donatiſtæ ab ejus Synodi ſententia ad Imperatoris judicium provocare? Quid enim hoc aliud erat, quàm ab Imperatore ipſo appellare?* Verùm argumentum negativum plerumque errori obnoxium, & epiſtola Conſtantini Patribus Concilii ſcripta, non poſt Arelatenſe, ſed poſt Romanum Concilium data, ut ſuo loco monſtravi. Nec mirum, ſi Conſtantinus, poſtquam interfuiſſet Concilio Arelatenſi, audiſſet Donatiſtas ad ejus judicium provocantes, cùm, ipſo Valeſio citato teſte cap. 10. Imperium Conſtantini plerique reprehendendum putarint, quòd adverſus Donatiſtas nimis clementer ageret. Nihil itaque hac in re certi.

Baron. num. LIII.

XXIII. *Epocha Synodi Laodicenæ.*

Ad num. XI. Marca lib. 3. de Concordia Imperii & Sacerdotii cap. 3 Synodum *Laodicenam* poſt Nicænam celebratam oſtendit. Primò, quia canone ſeptimo damnantur *Photiniani* Hæretici, qui aliquot annis poſt Synodum Nicænam emerſere. Secundò, in antiqua Collectione Laodicena locum ſuum obtinet poſt Antiochenam anno CCCXLI coactam. Exiſtimat itaque Marca, eam Synodum anno trecenteſimo ſexageſimo quinto congregatam, quòd eo anno Synodus *Illyriciana* celebrata fuerit ab Epiſcopis Aſianæ Diœceſeos: *Laodicena* verò è diverſis Provinciis Aſianæ Diœceſeos habita ſit *Laodiceæ*, quæ eſt Metropolis Phrygiæ Pacatianæ. Sed hæc Præſulis doctiſſimi conjectura ſubſiſtere non poteſt; cùm Synodus Illyriciana ad annum CCCLXXV pertineat, quo tempore *Damaſus* Eccleſiam Romanam adminiſtrabat. Gothofredus in Notis ad Philoſtorgium lib. 8. cap. 3. & 4. ubi Philoſtorgius ait, *Theodoſium* Lydiæ Epiſcopum in ſocietatem & communionem adſcitis *Phœbo & Auxiliano* Lydiæ Epiſcopis Synodum coëgiſſe, & communi calculo literas ſcripſiſſe ad *Eudoxium & Marin* adverſus *Aëtii, Candidi, Ariani*, & aliorum ordinationes tanquam injuſtè & illegitimè factas. Gothofredus, inquam, his perpenſis, exiſtimat, *Theodoſium* illum, qui Philadelphiæ in Lydia Epiſcopus fuit, teſte Epiphanio hæreſi LXXIII, illum ipſum omnino Theodoſium videri, qui *Canonum Laodicenorum* maximè Auctor extitit, ut refertur apud Gratianum diſtinctione 16. cap. 11. Quod confirmat ex Philoſtorgio, qui ait, *Theodoſium* à muliebribus voluptatibus prorſus abhorruiſſe, & in Canonibus Laodicenis I, X, XXX, XXXI, XLIV, LII, LIII & LIV, illis voluptatibus nuptiiſque variè fibula imponatur. Præterea ait Philoſtorgius, damnatas eſſe *Aëtii* & aliorum ordinationes tanquam illegitimè factas, cujus damnationis veſtigium aliquod intermicat inter Canones Laodicenos, quorum IV, V, XII & XIII lati ſunt adverſus illegitimas ordinationum ſeu ordinandorum formas. Quæ conjecturæ valde veroſimiles; ideoque videtur Synodus Laodicena ad annum trecenteſimum ſexageſimum tertium pertinere. Loco enim laudato Philoſtorgius de iis agit, quæ Joviano imperante geſta ſunt. Porro Laodicena Synodus non *Laodiceæ* in Syria, ſed *Laodiceæ* in Lydia ſeu Phrygia, & quidem Pacatiana, ſub quâ *Lydia*, ut præferunt Canones Laodiceni apud Balſamonem, celebrata fuit. Nec mirum, Concilium ab Hæreticis habitum Codicis canonum Eccleſiæ univerſæ partem facere, cùm ab Eccleſia receptum fuerit, & nihil ejus moribus contrarium contineat. Ex quibus Baronii conjecturis facile eſt reſpondere.

Baronius in Appendice Tom. IV.

XXIV. *Nova Imperii diviſio.*

Nova hoc anno Imperii ſeu Orbis Romani inter Conſtantinum & Licinium facta diviſio, de qua, ſicuti & de bello Conſtantinum inter & Licinium geſto, agemus infrà.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5808. ☉16 B. ☽ 12. P. 10. APRIL.
INDICT. 3.
JESU CHRISTI 315.
SILVESTRI PAPÆ 2.
CONSTANTINI 10. LICINII 9.

Olymp. 273. *ſecundum Baronium.*

I. *Conſules. Decennalia Imperii Cæſarei Licinii.*

COSS. *Conſtantinus Aug. IV, & Licinius Aug. IV.* Uterque juxta ſecundam regulam, ob Decennalia nempe Cæſarei Imperii à Licinio hoc anno exhibita, & ut conjicere licet, etiam à Conſtantino, quem certum eſt anno tantùm ſequenti Imperii Auguſtei Decennalia edidiſſe, & erraſſe Baronium, qui ea cum præſenti anno copulavit. Quæ autem eam in rem Cardinalis doctiſſimus affert, ad ea Vota pertinent, quæ tertio die poſt Nonas Januarias, ſeu tertio Nonas Januarii pro incolumitate Imperatorum fiebant, ut notatur in veteri Kalendario à Lambecio edito, & indicat Capitolinus in Pertinace. Diſtinguenda itaque tria Vota à Romanis pro ſalute & incolumitate ſuorum Principum nuncupari ſolita. Priora III Nonas Januarii, ut jam dixi,

Baron. num. I & II.

fiebant, de quibus etiam Paulus J. C. lib. 50. Digeſt. L. 233. *De verborum ſignificatione.* ubi ait : *Poſt Kal. Jan. die III pro* SALUTE *Principis Vota ſuſcipiuntur.* Secundò, Vota pro eorum Natali genuino ſingulis annis fiebant. Tertiò, ſingulis quinquenniis ac decenniis, & ſic deinceps, pro Natali Imperii eorundem Vota Quinquennalia & id genus alia ſolvebant, aliaque in proximum quinquennium ſuſcipiebant. Errant enim, qui hæc ultima Vota ſingulis annis ab iiſdem facta crediderunt. Noriſius in Diſſert. de Numiſmate Licinii Aug. profert è Gaza Medicæa egregium Licinii Nummum inſcriptum. LICINIUS AUG. OB DU FILII SUI. In poſtica, JOVI CONS LICINI AUG, & infrà, SIC X SIC XX SMNT. Quæ ultimæ litteræ, inquit Noriſius, ſic legendæ: *Signata moneta Nicomediæ anno III*, Liciniani ſcilicet in Aſia Imperii. Iſtæ verò, *Sic X Sic XX*, SICUT X feliciter acta ſunt, SIC XX feliciter peragantur. In antica legendum, *Licinius Auguſtus oblatio devota filii ſui*, ſc. Licinii junioris hoc anno nati. Sed is Nummus præſenti anno, qui tertius fuit Licinii in Aſia regnantis, cuſus, non verò anno ſequenti, ut exiſtimabat Vir doctiſſimus, qui mortem Maximini anno CCC XIV cum Baronio contigiſſe putabat. Licinius itaque currenti anno, qui quintus erat ab eo, quo Imperii Cæſarei Quinquennalia dedit, ejuſdem Imperii Decennalia celebravit. Ad quæ referenda Inſcriptio, quæ extat apud Gualterium in Antiquis Inſcriptionibus Siciliæ.

RESTITUTORI. LIBER
TATIS. AC FUNDATORI.
PUBLICÆ. SECURITATIS.
D. VAL. LICINIANO. LICINIO
PIO. FELICI. INVICTO. AUG.
DOMITIUS LATRONIANUS
V. C. CORR. P. S. DEVOTUS.
N. M. QUE. EJUS.

Noriſius loco laudato cap. 2. arbitratur, eam Licinio dicatam fuiſſe anno CCC XIV, quo Domitium Latronianum fuiſſe Correctorem Provinciæ Siciliæ colligitur ex epiſtola Conſtantini ad Chreſtum Syracuſanum Epiſcopum apud Euſebium lib. 10. cap. 5. Verùm, ea anno Decennaliorum Licinii, currenti nempe, ſculpta, quo ideo Latronianus adhuc dignitatem obtinuit. Novi enim tituli Imperatoribus annis hujuſmodi ſolenniis addictis de more dati. Quare quemadmodum Conſtantinus anno ſequenti, quo Imperii Auguſtei Decennalia edidit, appellatus eſt *Liberator Urbis & Fundator quietis*, ut videre eſt in Elogio, quod legitur in ejus Arcu triumphali, à nobis recitato anno CCC XII, num. VII, pari eademque ratione Licinius in ſuis Decennalibus vocatus eſt *Reſtitutor libertatis*, ac *Fundator publicæ ſecuritatis*, in Inſcriptione, quam mox retulimus. De Decennalibus Conſtantini anno ſequenti agemus.

II. *Criſpus, Conſtantinus & Licinius Cæſares dicti.*

Ad num. I. In Faſtis Idacii ſub Conſulatu Gallicani & Baſſi anno CCC XVII geſto habetur : *His Conſſ. levati tres Cæſares, Criſpus, Licinius, & Conſtantinus die Kal. Mart.* Eundem annum ac diem exhibet Auctor Chronici Alexandrini. Is dies electus, quia Conſtantius Chlorus Criſpi & Conſtantini junioris avus dictus etiam Cæſar fuerat. (Baron. num. III.) Hæc itaque nuncupatio facta anno CCC XVII, quo Licinius Auguſtei Imperii Decennalia peregit, quod etiam liquet ex horum Cæſarum Quinquennalibus & id genus teſtis. Nec contrarius eſt Victor in Epitome, ut putabat Baronius, quia ille Epitomatorum more, poſtquam locutus eſt de nuptiis Licinii & Conſtantiæ, ex qua natus Licinianus Licinius, ait, hunc *menſium ferè viginti*, & Conſtantinum *iiſdem diebus natum oppido Arelatenſi* Cæſares effectos eſſe, & poſtea loquitur de duobus bellis Conſtantinum inter & Licinium factis, non quòd Victor exiſtimarit, ea bella hanc nuncupationem præceſſiſſe; ſed quia duo illa bella, inter quæ Cæſares illi creati, uno tenore recitare voluit. Neque etiam erravit Zoſimus lib. 2. ut arbitratus eſt Baronius, quando, bello Cibalenſi narrato, ait, Conſtantinum tres illos Cæſares deſignaſſe; cùm ea creatio, ut diximus, anno CCC XVII facta ſit, & bellum Cibalenſe ad annum CCC XIV pertineat, ut anno ſequenti oſtendemus. Denique Conſulatus Licinii Cæſaris, & primus Criſpi ac Conſtantini juxta primam regulam ſumti rem extra omnem controverſiam ponunt.

III. *Acta S. Silveſtri ſuppoſititia.*

Ad num. VII. Narrant Acta S. *Silveſtri* factam hoc anno Romæ Synodum, cui diverſarum Provinciarum Epiſcopi numero LXXV interfuerint, & *Helenam* tunc adhuc gentilem, ſed à Judæis penè Judæam effectam Conſtantinum filium ad Judæorum Religionem amplectendam invitaſſe. (Baron. num. XIII.) Quæ, ſimiliave narraſſe, confutaſſe eſt. Quis enim ſibi perſuadeat, in unum Concilium conveniſſe Chriſtianorum Antiſtites & Judæorum Sacerdotes ad diſputationem de Religione ineundam? Quis duodecim Rabbinos ab Iſachar Summo Sacerdote delectos ſibi fingat, qui contra Chriſtianam Fidem diſputarent; cùm à tempore excidii Hieroſolymitani deſierint creari Summi Pontifices. Quare S. Silveſtri Acta planè ſuppoſititia eſſe minimè dubitandum.

IV. *Indulgentiæ in Actis S. Silveſtri memoratæ, commentitiæ.*

Variæ etiam ibidem *indulgentiæ* à S. Silveſtro dicuntur conceſſæ tam Baſilicæ Lateranenſi, quàm Baſilicæ S. Sebaſtiani extra muros, quæ etiam commentitiæ; quod manifeſtè liquet ex verbis in Lapide Baſilicæ S. Sebaſtiani expreſſis : *Eandemque* (indulgentiam à Silveſtro largitam) *ſucceſſores ejus in feſtis duplicibus & in Quadrageſima duplicarunt.* Cùm tamen appellatio *Duplicium* feſtorum ſeculo XIII primùm cœpiſſe videatur. Quotquot enim, inquit Papebrocius in Conatu Chronico Hiſtorico pag. 49. de Officiis Eccleſiaſticis ſcripſerunt, ejuſmodi appellationem ignorant, ſolúmque ſciunt *Solemnitates, Dominicaliaque & Ferialia feſta* diſtinguere; feſta autem Sanctorum, quæ quidem ſunt novem Lectionum, ad modum Officii Dominicalis, quæ verò trium, ad modum Ferialis jubent ordinari. Primus, qui hactenus invenitur *Duplex* appellaſſe, fuit Bonifacius VIII in 6. Decret. lib. 3. titul. 22. *nonnullos prædeceſſorum ſuorum, qui aliquorum feſta Sanctorum ſub duplici ordinaverunt officio celebranda, imitari intendens.* Unde hoc ſaltem habetur à Silveſtri ætate longiſſi-

mè remotos intelligi debere, qui affictas ei indulgentias prætenderentur pro *Duplicibus* duplicaſſe. Tam diuturna autem tolerantia Apoſtolicæ Sedis, ſub cujus oculis tum in Lateranenſi, tum in aliis nonnullis antiquiſſimis Eccleſiis manent expoſita monumenta indulgentiarum, velut à S. Sylveſtro eas viſitantibus conceſſarum, ſufficientem videri ad ſupplendum quemcunque juris ac facti defectum. Quamvis enim nequeat efficere Pontifex, ut à *Sylveſtro* datæ ſint, quæ datæ non fuerunt; facere tamen poteſt, ut ex revera iſtic nunc obtineantur, æquè ſi ab ipſo *Sylveſtro* promanaſſent, ut inquit Papebrocius laudatus.

V. *Initium Hæreſeos Arianæ.*

Baron num XIX & ſeqq.

Ad num. X & XI. *Ariana* Hæreſis initio quidem Alexandri Alexandrini Epiſcopi innoteſcere cœpit, ſed ante annum trecenteſimum viceſimum primum in Concilio Alexandrino, in quo ferè centum Epiſcopi Ægypti ſederunt, ab eo non damnata. Ex epiſtola enim S. Athanaſii ad Epiſcopos Ægypti & Lybiæ, quæ titulo primæ Orationis contra Arianos haud rectè inſignitur, ubi aſſerit; quòd Ariani *ante annum triceſimum ſextum Hæretici declarati atque ab Eccleſia ſubmoti* ſunt, manifeſtè deducitur, Synodum Alexandrinam adverſus Arium congregatam eſſe anno trecenteſimo viceſimo, aut inſequenti, ſi Athanaſius annos incompletos, ut plerumque fit, pro completis numerarit; cùm, ut ſuo loco videbimus, anno CCCLVI ſcripta fuerit. Nam quod *de judicio totius Synodi OEcumenicæ* ſubjungit Athanaſius, aliter intelligi non poteſt, quàm quòd Synodus eo anno celebrata Alexandrinæ ſententiam confirmarit. Porro Papebrocius die ſecunda Maii in Vita S. Athanaſii rectè obſervat, epiſtolam quæ ante illam Synodum ab Alexandro Epiſcopo Alexandrino in alia Synodo Alexandrina, de qua mox agam, ad Alexandrum Epiſcopum Cpolitanum data eſt contra Arium, quæque refertur à Theodoreto lib. 1. cap. 4. in eo notabilem eſſe, quòd in Hiſtoria Concilii Nicæni Gelaſio Cyziceno adſcripta addantur eidem ſubſcriptiones Presbyterorum & Diaconorum Alexandriæ & Mareotidos *conſentientium dejectioni Arii*, ubi inter Alexandrinos Diaconos quarto loco invenitur *Athanaſius Diaconus ſimiliter.*

VI. *Lactantius libros Inſtitutionum ſcribit.*

Concilium itaque Alexandrinum II perperam currenti anno tam in Annalibus quàm in editione Labbeana Conciliorum conſignatum. Male etiam ab Henſchenio die 26. Februarii in Vita S. Alexandri Epiſcopi Alexandrini in annum CCCXXVII collatum, quod Oroſius lib. 7. cap. 8. poſtquam de Cæſarum nuncupatione eo anno facta locutus eſt, de Arii ejectione ab Eccleſia ſermonem inſtituat. Hæc enim diverſis annis acta. Baronius, ut oſtenderet Arianam hæreſim ante Licinianam perſecutionem diffamatam fuiſſe, dixit, hanc perſecutionem anno CCCXIII exortam, & Lactantium lib. 4. Divinarum Inſtitutionum cap. 30. inter alios Hæreticos quos enumerat, *Arianos* nominare; apparere autem ex ejuſdem libri Præfatione, eum ſcriptum eſſe graſſante perſecutione Liciniana. At præterquam quòd hæc perſecutio anno tantùm trecenteſimo decimo nono excitata, ut certis argumentis infrà adſtruam, Lactantius illam non mox orituram, ut explicat Baronius, ſed potiùs jam ortam indicat, quemadmodum advertit Hankius libro de Byzantinarum rerum Scriptoribus Græcis parte 1. cap. 1. num. 64. & ſeqq. Hæc enim Lactantii ad Conſtantinum verba: *Malis, qui adhuc adverſus juſtos in aliis terrarum partibus ſæviunt, quantò ſeriùs, tantò vehementiùs idem Omnipotens mercedem ſceleris exolvet.* Sæviebat itaque tunc Licinii perſecutio, quando Lactantius Opus illud Conſtantino dicavit, ideoque non anno CCCXVI, ut credidit Baronius, ſed poſt annum CCCXIX in lucem emiſſum. Baron. anno 316. n. LV. Nec alterum Baronii argumentum à martyrio S. Baſilei Epiſcopi Amaſeni petitum urget. Is enim anno trecenteſimo viceſimo, orta jam Licinii perſecutione, martyrio coronatus eſt, ut anno ſequenti oſtendam. Poſtquam hæc ſcripſeram, legi Hermannum Contractum, qui damnationem Arii conſignat anno CCCXXI, & Proſperum in Chronico, ubi idem ſcribit. Quare gaviſus ſum antiquos hujus ſententiæ patronos inveniſſe.

VII. *Duæ Synodi Alexandrinæ adverſus Arium celebratæ.*

Verùm Arianæ hæreſis initium magis explicandum, advertendumque cum Valeſio in Notis ad lib. 1. Theodoreti cap. 4. duas Synodos vario tempore adverſus Arium & ſocios collegiſſe Alexandrum: in priore decem duntaxat damnatos eſſe Clericos Alexandrinos, & notatos tres Epiſcopos Syriæ, & epiſtolam Synodicam ab Alexandro ſcriptam eſſe ad Alexandrum Byzantii Epiſcopum, quam recitat Theodoretus lib. 1. cap. 4. in ſecunda autem Synodo, in qua centum ferè Epiſcopi Ægypti ſederunt, damnatos eſſe duodecim Clericos Alexandrinos, ac duos præterea Epiſcopos, *Secundum* ſc. & *Theonam*: & notatum eſſe *Euſebium Nicomedienſem* Epiſcopum; ac denique ſcriptam Synodicam ad omnes ubique terrarum Collegas, quam nobis conſervavit Socrates lib. 1. cap. 10. Baronius in Annalibus hanc ſecundam Synodicam, in qua mentio Euſebii Nicomedienſis, ſcriptam putavit ante alteram Synodicam ad Alexandrum Byzantii Epiſcopum directam. Sed ex hac ad Alexandrum Byzantinum epiſtola liquet, eam ante epiſtolam ad omnes Epiſcopos datam eſſe. In illa enim Alexander non ſolùm Presbyteros ac Diaconos notat, qui Ario favebant, ſed & Epiſcopos illos tres Provinciæ Syriæ indicat, qui Arii opinionem defendebant, de quibus antea in eadem epiſtola locutus fuerat his verbis: *Ac neſcio quomodo ordinati in Syria tres Epiſcopi, illis conſentiendo, eos ad pejora incitant.* Quare de omnibus ſimul poſtea in eadem epiſtola loquitur Alexander, quando ait: *Quibus* (ſc. Apoſtolicis Eccleſiæ dogmatibus) *adverſantes Arius & Achillas, & qui cum illis ſunt hoſtes veritatis Eccleſiâ expulſi ſunt.* Non igitur ſine cauſa Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus, Paulinus Tyrius, & Theodotus Laodicenus anathematizatos ſe eſſe ab Alexandro querebantur, ut ſcribit Arius in epiſtola ad Euſebium Nicomedienſem, quam refert Theodoretus lib. 1. cap. 5. Laudato enim loco, licèt ſuppreſſo eorum nomine, anathematizantur ab Alexandro; qui de Euſebio Nicomedienſi in hac epiſtola Synodica ad Alexandrum CP. nihil dicit; nec *Arius* inter Epiſcopos, qui anathematizati fuerant ab Alexandro, Euſebium

Nicomedienſem nominat: non omiſſurus utique, ſi ab Alexandro id factum fuiſſet. Ex quo rectè deducit Valeſius citatus, epiſtolam Synodicam ad Alexandrum C P. ſcriptam eſſe ab *Alexandro* Alexandriæ Epiſcopo ante epiſtolam illam ejuſdem *Alexandri* ad omnes Eccleſias. In hac enim poſteriori *Euſebius Nicomedienſis* denotatur ab Alexandro ut patronus & ſignifer Arianorum. Unde apparet, epiſtolam iſtam poſteriore loco ſcriptam eſſe, cùm ſc. *Euſebius Nicomedienſis* patrocinium Ariani dogmatis ſuſcepiſſet. Porro utraque Synodica epiſtola ab Alexandro ſcripta, priuſquam *Conſtantinus* epiſtolam ſcripſiſſet ad Alexandrum & Arium; quod factum poſt victum anno CCCXXIV Licinium, nunc minimè in dubium revocandum. Sed duæ memoratæ Synodicæ diu antea ſcriptæ, eodemque, ut conjectura eſt, circiter anno. Ex verbis autem Athanaſii in epiſtola ad Epiſcopos Ægypti & Lybiæ ſuprà laudata apparet, eum intelligendum de ſecundo Concilio Alexandrino, in quo centum ferè Epiſcopos Ægypti ſediſſe diximus; nam Synodum paucorum Epiſcoporum *Synodi OEcumenicæ* nomine Athanaſius non appellaret. Denique quæcumque de Hæreſi Ariana ante annum CCCXX in Annalibus habentur, poſt eum annum contigere.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5809. ☉ 17 AG. ☽ 13. P. 25. MART.
INDICT. 4.
JESU CHRISTI 316.
SILVESTRI PAPÆ 3.
CONSTANTINI II. LICINII 10.

I. *Conſules.* COſs. *Fl. Ceionius Sabinus*, & *Rufinus*.

II. *Decennalia Conſtantini.* Conſtantinus Imperii Auguſtei Decennalia celebravit, ut diſcimus ex Lege Codicis Theod. 1. *De longi temporis præſcriptione.* ſub hujus anni Conſulibus data, in qua Conſtantinus, ut Fiſci calumnias reprimeret, quæ uſque ad ſua Decennalia à ſuperioribus Principibus conceſſa fuerant, confirmat. Sic indulgentiæ debitorum, itemque indulgentiæ criminum in Decennalibus & id genus feſtis de more conceſſæ. Quæ Decennalia Arelatis celebrata exiſtimo. Nam, ut liquet ex Codice Theod. Conſtantinus hujus anni initio Treviris fuit, indeque digreſſus Viennam ſe contulit, ubi *prid. Non. Maii* dedit Legem 1. *De temporum curſu.* Dein Arelatum venit, ubi Idibus Auguſti datæ ab eo Lex 5. & 6. *De appellationibus.* Natale autem Imperii Conſtantini, in quod ejus Decennalia inciderunt, fuit dies XXV Julii. Natus tunc ibidem ex Fauſta conjuge Conſtantinus junior, ut Zoſimus lib. 2. & Victor in Epitome teſtantur. Porro Conſtantinus è Gallia digreſſus, illuc nunquam poſtea rediit.

III. *Diocletiani obitus.* Ad num. I. Creditum hactenus, *Diocletiani* mortem hoc anno contigiſſe; ita enim ſcriptum à Zoſimo, Auctore Chronici Alex. & Idacio in Faſtis, qui ſub hujus anni Conſulibus habet, Diocletianum diem functum eſſe *in Salona III Nonas Decembris.* Sed poſt librum Lactantii de Mortibus Perſecutorum in lucem emiſſum, eum initio anni trecenteſimi decimi tertii interiiſſe non dubitandum; cùm Lactantius ſtatim ac mortem ejus narravit, de interitu Maximini locuturus cap. 43. dicat: *Unus jam ſupererat de adverſariis Dei, cujus nunc exitum ruinamque ſubnectam.* Diocletianus itaque ante Maximinum extinctus. De Diocletiano ibidem cap. 42. hæc Lactantius habet: *Eodemque tempore ſenis Maximiani* (Herculii nempe) *ſtatuæ Conſtantini juſſu revellebantur, & imagines cum quo pictus eſſet, detrahebantur. Et quia ſenes ambo* (Herculius ſc. & Diocletianus) *ſimul plerumque picti erant, & imagines ſimul deponebantur amborum. Itaque cum videret vivus, quod nulli unquam Imperatorum acciderat, duplici ægritudine affectus, moriendum ſibi eſſe decrevit. Jactabat ſe huc atque illuc, æſtuante anima per dolorem, nec ſomnum, nec cibum capiens. Suſpiria & gemitus, crebræ lacrymæ, jugis volutatio corporis, nunc in lecto, nunc humi. Ita viginti annorum feliciſſimus Imperator, ad humilem vitam dejectus adeo & proculcatus injuriis, atque in odium vitæ dejectus, poſtremò fame atque angore confectus eſt.* Victor in Epitome quoad annum mortis Lactantio ſuffragatur, licèt in mortis genere diſcrepet: *Vixit annos ſexaginta octo, ex quibus communi habitu propè novem egit. Morte conſumtus eſt, ut ſatis patuit, per formidinem voluntariâ. Quippe cùm à Conſtantino atque Licinio vocatus ad feſta nuptiarum, per ſenectam, quò minùs intereſſe valeret, excuſaviſſet, reſcriptis minacibus acceptis, quibus increpabatur Maxentio faviſſe, & Maximino favere, ſuſpectans necem dedecoroſam, venenum dicitur hauſiſſe.* Quod ultimum famâ tantùm à Victore narratum, valde incertum. Sed quoad cetera, inter Lactantium & Victorem convenit, non ſolùm Diocletianum & Maximianum anno trecenteſimo quinto abdicaſſe, ut ſuo loco oſtendi, ſed etiam Diocletianum anno CCCXIII ante Licinii nuptias & Maximini obitum ſublatum fuiſſe. Nam ab anno CCCV ad annum CCCXIII, utroque extremo incompleto pro integro numerato, anni ſunt novem, quibus Diocletianus privatam vitam duxit. Tertiò Maximinus in edicto in favorem Chriſtianorum anno CCCXIII paulo ante mortem emiſſo, & ab Euſebio lib. 9. cap. 10. recitato, loquens de Lege, quâ perſecutio decreta fuerat, ait: *Quæ à Divis Diocletiano & Maximiniano parentibus noſtris lata erat.* Et rurſus: *Ex juſſione Divorum parentum noſtrorum.* Divi autem nomen non niſi mortuis à Romanis attribui ſolitum. Herculium autem, de quo ibi, ſicuti & de Diocletiano ſermo, inter Deos à Maxentio relatum, ſuo loco oſtendi. Quare quando Eutropius lib. 9. de Diocletiano ſcribit: *Contigit ei, quod nulli poſt natos homines, ut cùm privatus obiiſſet, inter Divos tamen referretur.* Maximianum Herculium, non ut hominem privatum, ſed ut Imperatorem in morte conſiderat, quòd is Imperium reſumſiſſet, ideoque privatus cenſeri non deberet.

Baron. num. 1 & ſeqq.

IV. *Quo anno Diocletianus interierit.* Verum eſt, *Maximinum* in epiſtola ad Sabinum Præfectum Prætorii ſui anno CCCXII ſcripta, apud Euſebium lib. 9. cap. 10. Diocletianum & Maximianum Herculium

Dominos & parentes ſuos appellare. Sed hinc non ſequitur, Herculium, qui quando ea epiſtola ſcripta, jam à biennio è vivis exceſſerat, inter Divos relatum non fuiſſe; ſed Maximinus nobiliori titulo Herculium quàm Diocletianum, qui tum adhuc in vivis erat, cohoneſtare noluit. Denique non audiendus Gothofredus in Commentario Legis 2. Cod. Theod. *De cenſu.* ubi ait, Kalend. Junii anni CCC XIII, quo ea Lex à Licinio data, Diocletianum adhuc in vivis fuiſſe, quòd Imperator in ea dicat, ſe urbanam plebem per Lyciam & Pamphyliam à cenſu immunem velle, *ſicut etiam*, inquit, *ſub Domino & parente noſtro Diocletiano ſeniore A. eadem plebs urbana immunis fuerat.* Nam Diocletianus non niſi à Maximino inter Divos referri potuit, quem eo ipſo tempore Licinius perſequebatur, & cujus acta irrita habebat. Quare non mirum ſi in Lege, quâ ſibi Maximini Provincias Licinius attribuebat, nullam apotheoſeos ab illo factæ rationem habuerit, & Diocletianum *Dominum & parentem noſtrum* tantùm appellarit. Denique non magis mirùm, quòd Licinius Diocletianum jam mortuum *Divi* nomine non exornarit, quàm quòd Maximinus Auguſtus Maximianum Herculium jam à biennio inter Deos relatum *Divum* non appellarit. Obiter hìc tamen obſervandum, Mediobarbum in Numiſmatis Impp. nullum referre, in quo Diocletiani conſecratio memoretur; verùm Maximini Auguſti & Eutropii teſtimonio Diocletiani apotheoſis nobis innoteſcit. Ceterùm, quando Victor in Epitome ſcribit, Diocletianum *annis viginti quinque* imperaſſe, ejus Imperium uſque ad annum CCC IX, quo Salonas rediit, unde non ampliùs exiit, producit. Nam poſt abdicationem, publicorum conſiliorum adhuc particeps fuit, ejuſque & aliorum Imperatorum ſuffragio Licinius Auguſtus declaratus eſt, ut ait Euſebius lib. 8. cap. 13. Neque aliud arcanum in eo Victoris loco, qui Eruditorum ingenia excruciavit, invenio, ex eoque Diocletianum anno CCC XIII demortuum confirmo. Suidas in voce Διοκλητιανός, ait: *Diocletianus tranquillè conſenuit, ac triennium ſumma cum virtute exegit*, ab anno ſc. CCC IX uſque ad initium anni CCC XIII, ubi Suidas primos quadriennii menſes, ut ſæpe etiam alii, non numerat. Quod ab aliquo antiquo Scriptore Suidam hauſiſſe non dubitandum.

V.
Quo anno perſecutio Liciniana cœpta.
Baron. num. VI & ſeq.

Ad num. II & III. Petavius in Paralipomenis librorum de Doctr. Temp. pag. 871. jam obſervavit, Conſtantini & Licinii bella in Annalibus perturbatiſſimè digeri, & hanc Hiſtoriæ partem ab errore purgare conatus eſt: ſed ea hìc à nobis retractanda, & accuratiùs diſcutienda. Exiſtimavit Baronius, præſenti anno diſcordias inter utrumque Imperatorem exortas, & Licinium Chriſtianos perſequi incepiſſe. Tum anno inſequenti primum inter eoſdem bellum, annoque CCC XVIII ultimam Licinii cladem narrat. Et tamen primum illud bellum anno trecenteſimo decimo quarto & inchoatum & abſolutum, perſecutio anno CCC XIX à Licinio excitari cœpta, ultimumque Conſtantini cum Licinio bellum non niſi anno CCC XXIII motum, ac ſubſequenti continuatum. Quæ omnia adeo certò demonſtrabo, ut nullus inpoſterum circa hæc hærere poterit. Verùm majoris claritatis gratiâ hoc anno tantùm de initio perſecutionis verba faciam. Euſebius in Chronico, Theophanes, & Cedrenus teſtantur, Licinium anno CCC XIX Chriſtianos de palatio ſuo pepuliſſe, & Anonymus à Valeſio editus, poſtquam prius bellum Conſtantinum inter & Licinium geſtum narravit, ait: *In Orientis partibus Licinio, Conſtantino* [*Coſſ.*] *repentina rabie ſuſcitatus Licinius omnes Chriſtianos à palatio juſſit expelli.* Sed legendum, *Conſtantino V, & Licinio Cæſare Conſulibus*: qui Conſulatus anno CCC XIX geſtus, in quem inciderunt Quindecennalia Cæſarei Imperii Licinii Auguſti. Annis autem hujuſmodi ſolenniis addictis, perſecutiones adverſus Chriſtianos de more ſuſcitatæ. Decepit Baronium depravata ſubſcriptio Legis primæ Codicis Theod. *De Veteranis.* quæ dicitur propoſita *IV Idus April. Licinio V & Criſpo Coſſ.* id eſt, anno CCC XVIII. In ea enim fit mentio prælii Hadrianopolitani, in quo Licinius debellatus, poſtquam jam perſecutionem moviſſet. At jam inter Viros eruditos convenit, eam ſubſcriptionem mendoſam eſſe, eamque Legem longè tardiùs datam, ut infrà videbimus.

VI.
S. Baſilei Epiſc. Amaſeni obitus.
Baron. num. XXIII & ſeqq.

Fatetur Baronius, quòd negari non poteſt, *S. Baſileum Amaſenum* Epiſcopum ipſo Licinianæ perſecutionis initio paſſum eſſe. Nicephorus lib. 7. cap. 44. ait, Baſileum poſt Theodorum capitale ſupplicium ſubiiſſe, quòd Diis ſacra facere noluiſſet. Theodorus autem Dux inſignis *enſe fuit conſummatus Februarii menſis die ſeptimo, ſabbato, horâ tertiâ*, ut legitur in ejus Actis apud Bollandum die VII menſis Februarii. Eſt is character anni CCC XIX littera Dominicali D. præditi. Quare perperam Baronius Theodori mortem hoc anno collocavit, quo dies ſeptima Februarii non cum ſabbato, ſed cum feria tertia concurrebat: notatur enim hic annus littera Dominicali A G. Baſilei itaque martyrium in Annalibus hoc anno recitatum, anno tantùm CCC XIX, die XXVI Aprilis contigit. Joannes Nicomedienſis Presbyter Acta ejus martyrii ſcripſit, quæ Henſchenius die XXVI Aprilis exhibet. Sed miror, Virum doctiſſimum ea varias ſuppoſitionis notas præferre non animadvertiſſe, & iis innixum ſcripſiſſe, Baſileum circa annum CCC XXII martyrii gloria coronatum, quòd in illis, dicatur, Conſtantinum audita ſancti hominis cæde Româ diſceſſiſſe cum Criſpo filio, & ad debellandum Licinium in Orientem profectum eſſe. Nam hæc fabuloſa ſunt; cùm Euſebius in lib. 2. Vitæ Conſtantini cap. 2. ut mox dicam, tradat, perſecutionem apud Amaſeam cœpiſſe, ideoque Amaſenorum Præſul anno CCC XIX occiſus fuerit. Baſilei martyrium memoratur tam in Chronico Theophanis, quàm in variis Martyrologiis Græcis & Latinis.

VII.
Baſilei martyrium fruſtra in dubiũ revocatum.

Valeſius tamen in Notis ad lib. 2. Euſebii de Vita Conſtantini cap. 1. illud *Baſilei* martyrium in dubium revocat, quòd, inquit, Acta Baſilei, quæ apud Metaphraſten extant, inepta videantur ac fabuloſa. Sed hæc ratio parum urget. Licèt enim aliqua veritati parum conſentanea in iis legantur, inde tamen

non ſequitur, martyrium etiam eſſe ſuppoſitium, cùm tacente Valeſio omnes Græci Scriptores Licinii juſſu cæſum eſſe *Baſileum* tradant. Dicit ſecundò Valeſius, Athanaſium in Orat. 1. contra Arianos, ubi mentionem facit illuſtrium Epiſcoporum, qui Nicænæ Synodo aut ipſi interfuerunt, aut ejus ſententiam comprobarunt, *Baſileum* Ponti Epiſcopum unà cum aliis numerare, nec Martyrem eum appellare, quamvis *Oſium* Confeſſorem ibidem cognominet. Sed ad id reſpondeo, Athanaſium nominare etiam ibidem *S. Philogonium* Epiſcopum Antiochenum, qui tamen ante annum trecenteſimum viceſimum primum obiit. Quomodo itaque *Philogonius* Concilium Nicænum approbare potuit, niſi adverſus Arium inſanire incipientem ſtando? Sic quia *Baſileus*, ut docet Joannes Nicomedienſis in ejus Vita, nunc corrupta, martyrii candidatus rectam ſententiam de æquali Filii cum Patre divinitate perdocuit, movit Athanaſium, ut illum inter Fidei Nicænæ defenſores numerarit, quod ipſemet Athanaſius meliùs quàm Joannes Nicomedienſis ſcire potuit. Nec refert, quòd eundem Martyrem non appellet, cùm propter Concilii Nicæni defenſionem occiſus non fuerit.

VIII. *S. Baſileus Concilio Nicæno non interfuit.*

Dicit tertiò Valeſius, Philoſtorgium in libro 1. cap. 8. diſertè ſcribere, *Baſileum* Nicæno Concilio interfuiſſe, cui adjungere poterat Nicetam lib. 5. Theſauri Orthodoxæ Fidei cap. 7. & Nicephorum lib. 8. cap. 14. At eos hac in re hallucinatos non dubito, præſertimque Nicetam, qui à Philoſtorgio, quem citat, deceptus, Baſileum numerat inter Epiſcopos, qui in Synodo Nicæna Ario patrocinati ſunt. Si enim hoc fuiſſet, *Baſileum* Athanaſius inter illuſtres Concilii Nicæni defenſores non nominaſſet. Præterea in ſubſcriptionibus ejuſdem Concilii legitur, *Eutychius Amaſeæ*, nempe Epiſcopus, Baſilei Martyris ſucceſſor, ut obſervat Baronius. (Baron. an. 325. n. XXXIV.) Porro rectè ſcribit Gothofredus in Notis ad Philoſtorgium, Photium tradere apud Philoſtorgium legi, *cum aliis Sacerdotibus Dei* Concilio Nicæno interfuiſſe Baſileum Amaſeæ Epiſcopum, & *Meletium* Sebaſtopoleos, non expreſſo quòd uterque Arii partes defenderit, & excerpſiſſe hos duos tantùm, quos Philoſtorgius Concilio Nicæno interfuiſſe tradiderat; quia nempe *Photius* utrumque peculiare & ſuſpectum exiſtimavit, inquit Gothofredus. Quod de Baſileo minimè dubitandum; immo & de *Meletio*. Nullibi quippe *Meletius* occurrit Sebaſtopoleos in Ponto Epiſcopus. Verùm *Meletius* Sebaſtiæ in Armenia, ac poſtmodum Antiochiæ Epiſcopus. Quoad Nicephorum, is à ſe ipſo diſſentit: jam enim loco laudato ſcripſerat, *Baſileum* poſt Theodori Ducis mortem peremtum fuiſſe. Quomodo itaque anno CCCXXV Concilio Nicæno intereſſe potuit, ſi jam à ſeptennio morti addictus fuerat?

IX. *Euſebius meminit perſecutionis Amaſenorũ.*

Denique ait Valeſius, mirum eſſe, Euſebium *Baſilei* Amaſenorum Epiſcopi nullibi mentionem facere. Quæ ratio placuit Hankio in lib. de Byzantinarum rerum Scriptoribus Græcis parte 1. c. 1. n. 66. ubi Valeſii opinionem tuetur. At vanum hoc fundamentum, non ſolùm quia ab auctoritate negativa deductum; ſed etiam quia Euſebius tam in lib. 10. cap. 8. quàm in Vita Conſtantini lib. 2. c. 1. diſertis verbis de perſecutione excitata à Licinio *apud Amaſiam & reliquas Ponti urbes* agit, & in ea urbe eam inchoatam aſſerit: ſummatimque referens quæ in ea perſecutione geſta, ait: *Præſides optimos quoſque Eccleſiarum Antiſtites capitali ſupplicio addixerunt.* Quis autem crediderit, Baſileo tunc Amaſeno Epiſcopo parcitum fuiſſe? Neque opus erat, ut eum Euſebius nominaret, cùm in præfatis locis nullum Martyrem in particulari memoret; ſed generatim de diverſis Dei cultoribus à Tyranno occiſis mentionem faciat. Porro Noriſius in Diſſert. de Numiſmate Licinii capite 5. confutat Labbeum in Apparatu ad Concilia, ubi perperam duas *Amaſias* poſuit; alteram Metropolim Helenoponti; alteram in Armenia ſecunda intra Diœceſim Primatûs Melitinenſis; nulla enim *Amaſia* in Armenia fuit, ut ibidem doctè oſtendit Noriſius. Martyrium itaque S. Baſilei certum & indubitatum; Acta verò ejuſdem martyrii, quæ ſub Joannis Presbyteri Nicomedienſis nomine circumferuntur, aut depravata, aut ſuppoſititia; quod vel ex eo conſtat, quòd in iis dicitur, Licinium, poſtquam à Conſtantino debellatus fuit, relegatum eſſe in Gallias; cùm tamen ex Anonymo Valeſiano Theſſalonicam in exilium miſſus fuerit, ibique Conſtantini juſſu occiſus. Certè Conſtantinus, qui tunc Occidentem reliquerat, quique Romanos, quòd Chriſtianos foveret, non parum à ſe alienatos ſciebat, prudentior erat, quàm ut captum Licinium in Gallias amandaret, ubi ante quindecim annos Maximinianus Herculius, Imperium quod depoſuerat, reſumere tentarat. Baronius non animadvertens ea Acta fidem non mereri, eorum teſtimonio fultus ſcripſit etiam, Licinium in Gallias amandatum fuiſſe, quod planè commentitium. (Baron. anno 316. nume. XVIII.) Mitto alias ſuppoſitionis notas quæ in illis Actis habentur.

X. *Martyres in perſecutione Licinii paſſi.*

Ex dictis colliges, Martyres qui in Martyrologiis aut Actis Sanctorum paſſi dicuntur in *Liciniana perſecutione*, ante annum trecenteſimum decimum nonum morte affectos non eſſe; cùm ante illud tempus *Licinius* Eccleſiam perſecutus non fuerit. Quamobrem *Licinius* non minùs quàm *Conſtantinus M.* laudatur à Lactantio in lib. de Mortibus Perſecutorum, quemadmodum & in Oratione habita in dedicatione Eccleſiæ Tyri, quæ apud Euſebium extat. Perperam itaque in Actibus Sanctorum Bollandianis die XIII Januarii Sancti *Hermyli & Stratonici*, quorum Acta ex Metaphraſte ibidem recitantur, martyrium cum anno CCCXV, quo bellum Cibalenſe geſtum Bollandus exiſtimavit, illigatur. Nam ex Veteribus nullus ſcripſit, Licinium in priori bello, Cibalenſi nempe, anno CCCXIV, non verò CCCXV confecto, Eccleſiam perſecutum eſſe. Certè Myſia aliæque quædam Provinciæ Conſtantini Imperio poſt prius illud bellum acceſſere; ideoque *Singindini* in Myſia ſuperiori, ubi Sancti Martyres cæſi, Licinius poſt illud bellum vexare non potuit. Cùm verò *Mœſia*, ut anno CCCXVIII num. III oſtendi, in ſecundo bello Liciniano vaſtata fuerit, Byzantium obſeſſum, & vicinæ regiones, quæ Conſtantino parebant, afflictæ, in eoſdem pluresque alios

Chriſtianos Licinium deſæviiſſe non dubitandum.

XI. *S. Blaſii martyrium. Bar. n. XLV.* Ad num. VI. *S. Blaſii* Sebaſtenæ civitatis Epiſcopi martyrium ſub Licinio quidem contigit, ſed an initio, vel in fine perſecutionis, incompertum.

XII. *Cæcilianus & Donatiſtæ à Coſtãtino vocati.* Ad num. VII & VIII. Supplenda hîc *Donatiſtarum* hiſtoria ex his præſertim, quæ Valeſius in Diſſert. de Schiſmate Donatiſt. capite 12. habet. Finito Arelatesi Concilio, *Donatiſtæ*, qui ad Imperatoris Comitatum perducti fuerant, ut ob appellationis ſuæ contumaciam plecterentur, tandem obtinuerunt, ut rem Epiſcopali judicio terminatam *Conſtantinus* denuo retractaret. Ac primò quidem Cæcilianum ex Africa acceſſere decreverat; poſtea verò mutatâ ſententiâ Epiſcopos partis *Donati* in Africam reverti juſſit, ut illic juxta poſtulationem ipſorum, cauſa omnis, quæ ipſis adverſus Cæcilianum competebat, ab amicis ſeu Judicibus ab ipſo Imperatore delectis terminari poſſet. Verùm Conſtantinus paucos poſt dies, mutato conſilio, Cæcilianum potiùs ex Africa evocare conſtituit, ut ipſe præſens cauſam inter partes judicaret. Literas itaque ad *Cæcilianum* Epiſcopum dedit, mandans ut intra certum diem Romæ ſibi ad cauſam agendam occurreret. Sed & adverſariis ejus præcepit, ut illic præſtò eſſent, ut liquet ex epiſtola Conſtantini ad Epiſcopos partis Donati, quæ in Appendice Optati edita eſt.

XIII. *Cæcilianus & Donatiſtæ Mediolanum venire juſſi.* Eodem tempore *Conſtantinus* epiſtolam ſcripſit ad Petronium Probianum Proconſulem Africæ, jubens ut *Ingentium* Scribam publicum, qui anno CCCXIV in judicio Æliani Proconſulis falſi convictus atque confeſſus in vinculis tenebatur, ad Comitatum mitteret: quò ſcilicet adverſariis Cæciliani quotidie Imperatorem interpellantibus coràm intimare poſſet, fruſtra eos Cæciliano Epiſcopo invidiam comparare & adverſus eum inſurgere voluiſſe. Verba ſunt hæc Conſtantini in epiſtola ad Probianum, quam refert Auguſtinus in epiſt. 68. & in lib. 3. contra Creſconium. Conſul quidem eidem epiſtolæ minimè adſcriptus eſt; verùm ex Codice Theod. in titulo *De appellationibus*, conſtat, *Probianum* Proconſulem fuiſſe Conſtantino IV & Licinio IV Coſſ. ſc. anno CCCXV, itemque Sabino & Rufino Coſſ. currenti nempe anno; ideoque ea epiſtola anno CCCXV ſcripta, ut mox videbitur. Ex quo refellitur Baronii ſententia, qui hanc epiſtolam ad Probianum datam eſſe cenſuit ante Arelatenſe Concilium, & *Ingentium* ibi conſidentibus exhibitum fuiſſe affirmavit. Cùm dies ab Imperatore conſtitutus jam adeſſet, Cæcilianus Epiſcopus, neſcio quam ob cauſam, Romæ, ſicut juſſum erat, non occurrit. Quòd cùm adverſarii ejus criminarentur, & Conſtantinum urgerent, ut adverſus contumacem & Imperiali judicio cauſam ſuam ſubjicere recuſantem, ſententiam promeret, Imperator dilatione data præcepit, ut partes *Mediolani* ſibi occurrerent. Tum verò quidam ex parte Donati ægre ferentes, quòd *Conſtantinus* Cæcilianum abſentem damnare noluiſſet, ipſumque Cæciliano favere, ac ſibi infenſum eſſe ſuſpicati, fugâ ſe ſubtrahere conati ſunt. Quod ubi comperit Imperator, reliquos ab Officialibus cuſtodiri, & *Mediolanum* perduci juſſit. At Donatiſtæ, qui ſe ex Comitatu furtim ſubtraxerant, cùm in Africam perveniſſent, novos illic tumultus excitarunt; adeo ut *Domitio Celſo Vicario Africæ*, qui tum pacandis per Africam rebus juſſu Principis incumbebat, plurimum negotii ac moleſtiæ faceſſerent.

Acceptis Conſtantini literis, *Celſus* Cæcilianum Epiſcopum & adverſarios ejus ad ſe XIV. *Judicium Mediolanẽſe adverſus Donatiſtas.*
accerſivit, quibus literas Principis cùm legiſſet, ſicut à Conſtantino præceptum fuerat, Cæcilianus iram & indignationem Conſtantini ex literarum aſperitate conjiciens, confeſtim ad Comitatum perrexit, quò Conſtantini literis fuerat evocatus. Cùm igitur Mediolanum perveniſſet Cæcilianus, ubi Conſtantinus tunc temporis morabatur, Imperator de illius adventu certior factus cauſam omnem, quæ Cæcilianum inter & adverſarios ejus agitabatur, Imperiali ſententia terminare ſtatuit. Ac primum quidem Cæcilianum & accuſatores illius ſibi in Conſiſtorio exhiberi juſſit. Deinde auditis utriuſque partis allegationibus, omnique controverſia diligentiſſimè & cautiſſimè diſcuſſa, atque examinata, (nihil enim ipſum latere poterat, quippe cùm Acta omnia tam Eccleſiaſtica quàm Proconſularia ad eum miſſa eſſent, ipſe quoque præſtò eſſet Ingentius) tandem prolatâ ſententiâ Cæcilianum innocentem, Epiſcopos autem partis Donati calumnioſiſſimos pronuntiavit. Ita Auguſtinus in epiſtola 162. juxta veterem ordinem, ubi Conſtantini factum excuſare conatur, qui de cauſa Eccleſiæ poſt Epiſcoporum judicia auſus fuerit judicare. Recitatum eſt illud judicium in Collatione III Carthaginenſi; ſic enim legitur in cap. 516. *Recitatio judicii Conſtantini, quo apud ſe quoque Cæcilianum fuiſſe purgatum poſt Arelatenſe Concilium ſignificat Imperator.* Ubi tamen intelligere debemus, non ipſam Conſtantini ſententiam, prout Geſtis in Conſiſtorio habitis expreſſa fuerat, ſed tantùm epiſtolam ad Eumalium Vicarium Africæ, in qua Conſtantinus ſententiam à ſe prolatam expoſuerat, recitatam fuiſſe. Docet id Auguſtinus in Breviario Collationis III cap. 19. *Recitatum eſt judicium Conſtantini*, quemadmodum ſe inter partes cauſam Cæciliani cognoviſſe, ad Eumalium Vicarium Africæ ſcripſiſſet, quo, remotis omnibus arbitris, Cæcilianum innocentem, illos calumnioſiſſimos comperiſſe teſtatus eſt; commemorans etiam in Arelatenſi oppido pro Cæciliano factum Epiſcopale judicium, cui judicio jam plurimi de diſſenſione conſenſerant, reliquis adhuc reſilientibus & diſcordantibus. *Unde ipſe de re tota inter partes coactus eſt judicare*, &c. In quibus verbis obſervandum eſt, Conſtantinum, remotis omnibus arbitris, judicare voluiſſe; ob reverentiam ſcilicet Chriſtianæ Religionis, ne Antiſtitum jurgia & diſſenſiones Gentilibus innoteſcerent.

Extat etiam apud Auguſtinum in lib. 3. XV. *Pars ſententiæ adverſus Donatiſtas lata.*
contra Creſconium cap. 71. pars ſententiæ tunc à Conſtantino prolatæ. Quæ cùm à Baronio prætermiſſa ſit, hîc apponenda: *Inſero adhuc & verba Conſtantini ex literis ejus ad Eumalium Vicarium, ubi ſe inter partes cognoviſſe, & innocentem Cæcilianum comperiſſe teſtatur. Cùm enim narraſſet in his, quæ ſuprà locutus eſt, quemadmodum ad judicium*

ejus poſt Epiſcopalia judicia partes perducta fuerint. In quo pervidi, inquit, Cæcilianum virum omni innocentia præditum, ac debita Religionis ſuæ officia ſervantem, eique, ita ut oportuit, ſervientem, nec ullum in eo crimen reperiri potuiſſe, eidem apparuit, ſicut abſenti fuerat adverſariorum ſuorum ſimulatione compoſitum. Quæ omnia ex Valeſio in Diſſert. laudata de Schiſmate Donatiſtarum excerpta.

XVI. *Epocha exilii Donatiſtarum, & purgationis Cæciliani.*

Hanc porro cauſam *Mediolani currenti anno*, ab ipſo Imperatore diſcuſſam fuiſſe, non tantùm Baronius, ſed & Joannes Rivius lib. 2. de Vita S. Auguſtini cap. 2. & Valeſius citatus teſtantur. Unus Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani putavit, hanc cauſam anno præcedenti Mediolani à Conſtantino deciſam: ſed hunc de ea Cæciliani purgatione hoc tantùm anno ad Eumalium Vicarium Africæ ſcripſiſſe *IV Id. Nov.* quòd ex Legibus Cod. Theod. liqueat, Conſtantinum anno præcedenti Romæ & Mediolani fuiſſe, & hoc anno in Galliis, & quidem *Treveris*, initio hujus anni verſatum eſſe, & *prid. Non. Maii* dederit *Viennæ* L. 1. *De temporum curſu. Idibus* verò *Auguſti* dederit *Arelate* L. 5. & 6. *De appellationibus.* Verumenimvero, cùm ſubſcriptiones illæ quoad locum, ubi ſcriptæ Leges dicuntur, ſæpe mendoſæ ſint, aut in illis vox *data* pro reddita, aut propoſita, ſæpe ſit accipienda, ut ipſemet Gothofredus in quibuſdam Legibus hoc anno datis obſervat, parum ſolidum illud fundamentum quod petitur ex ſubſcriptione Legum, ut ex mox dicendis patebit. Norifius, cùm quo de hac difficultate contuli, non tantùm exiſtimat, *Conſtantinum* hoc anno Romæ & Mediolani fuiſſe, & in hac ultima urbe præfatum judicium tuliſſe; ſed etiam *Decennalia* ſua Romæ celebraſſe, indeque Mediolanum veniſſe. Cùm tamen Zoſimus lib. 2. pag. 679. de creatione trium Cæſarum anno ſequenti à Conſtantino peracta ſcribat: *Conſtantinus Criſpum, qui jam adoleverat, & Conſtantium* (id eſt, Conſtantinum, errore familiari Græcis hæc nomina confundentibus) *in Arelatenſi oppido ante non multos dies in lucem editum, Cæſares dixit*, &c. & ex Anonymo Valeſiano appareat, eam nuncupationem, quæ Kalendis Mart. contigit, *Serdicæ* factam eſſe, incertum, an Romæ vel in Galliis ea Decennalia fuerint celebrata. Verùm judicium Mediolanenſe ad præſentem annum pertinere, in dubium revocari non debere rectè cenſet Norifius, Vir in Hiſtoria Donatiſtarum exercitatiſſimus.

XVII. *Eodem tempore Cæcilianus purgatus, & Donatiſtæ in exilium miſſi.*

Primæ itaque literæ de purgatione Cæciliani coram Conſtantino datæ fuerunt ad Eumalium eo ipſo anno, quo Cæcilianus coram Principe innocens declaratus eſt. Auguſtinus autem in libello contra Donatiſtas poſt Collationem cap. 33. hæc habet: *Sicut ergo Conſulum ordo declarat, primò Cæcilianus Epiſcopali judicio Melchiadis abſolutus eſt.* (anno ſc. CCCXIII) *Deinde non poſt longum tempus Felicem Proconſulis judicio conſtitit innocentem*, (anno nempe CCCXIV) *ac ſic poſtea Cæcilianus etiam ab Imperatore inter partes cognoſcente purgatus eſt.* (anno nempe currenti) *Deinde poſt quartum annum adverſarii ejus ignominioſâ illâ indulgentiâ relaxati ſunt.* (ſc. anno CCCXXI) *Non Melchiades judicavit, Conſtantino tertium & Licinio iterum Conſulibus. Nonis Octobris. Ælianus Proconſul cauſam Felicis audivit, Voluſiano & Aniano Conſulibus XV Kalendas Martias, id eſt, poſt menſes ferme quatuor. Conſtantinus ad Eumalium Vicarium de purgatione Cæciliani ſcripſit, Sabino & Rufino Conſulibus, IV Idus Novembris, id eſt, poſt biennium & menſes propè octo. Et idem Imperator ad Valerium Vicarium de illorum exilio ſoluto, & eorum furore Deo vindici remittendo, literas dederit, Criſpo & Conſtantino iterum Conſulibus tertio Nonas Maias, id eſt, poſt quartum annum, & menſem ferme ſextum.* Hæc accuratè ab Auguſtino ſcripta, à quo purgatio Cæciliani, quæ Mediolani facta, huic anno illigata. Certum itaque videtur, Conſtantinum, diſcuſſâ Cæciliani causâ, ejuſdem exitum ſtatim ſuis in Africa miniſtris ſignificaſſe. Cùm verò in Collatione Carthaginenſi productæ tantùm fuerint literæ Conſtantini ad Eumalium; at, quòd deerant Conſules ſubſignati, illæ in dubium à Donatiſtis vocarentur, inventi poſtea ſunt notati Conſules, ut obſervavit Norifius laudatus ex Indice capitum Collationis tertiæ diei, ubi numero 535. legitur: *Ubi poſtea Conſul invenitur Imperiali epiſtolæ.* Idem liquet ex Auguſtino in Libello laudato poſt Collationem. Licet porro Auguſtinus de purgatione Cæciliani loquens, nunquam exilii Donatiſtarum meminerit, ex laudatis tamen ejus verbis manifeſtum fit, Conſtantinum eodem tempore & Cæcilianum abſolviſſe, & ejus adverſarios in exilium miſiſſe. Ait enim ibidem Auguſtinus, Donatiſtas anno CCCXXI. Criſpo & Conſtantino iterum Conſulibus notato, dieque quinta menſis Maii, exilio ſolutos fuiſſe, *poſt quartum annum & menſem ferme ſextum.* Quare die decima Novembris currentis anni Sabini & Rufini Conſulatu inſigniti, quo die Conſtantinus de purgatione Cæciliani ad Eumalium ſcripſit, eodem etiam exilium Donatiſtis decretum ſignificavit. Nam à die decima menſis Novembris præſentis anni ad diem quintum menſis Maii anni trecenteſimi viceſimi primi, anni quatuor & menſes ſex, diebus quinque exceptis, intercurrunt.

XVIII. *Donatiſtæ tumultuantur.*

Denique conſtat, Donatiſtas tumultuatos, & Conſtantinum coactum fuiſſe contra eos legem ſeveriſſimam ferre, ut cuncta eorum loca, in quibus congregari conſueverant, Fiſco vindicarentur, ut ſcribit Auguſtinus in epiſt. 68. & 165. juxta veterem ordinem, & in lib. 2. adverſus Petilianum cap. 92. Præterea, cùm *Donatiſtæ* Catholicos omnibus modis vexare & laceſſere non deſiſterent, adeo ut Catholici de injuriis Donatiſtarum apud Magiſtratus frequentiſſimè quererentur, de his certior factus Conſtantinus epiſtolam ſcripſit ad univerſos Epiſcopos & ad plebem Eccleſiæ Catholicæ per Africam, quam Optatus in Appendice refert, & cujus titulus eſt: *Conſtantinus Aug. univerſis Epiſcopis per Africam, & plebi Eccleſiæ Catholicæ.* Quo anno tam lex illa quàm epiſtola datæ ſint, in obſcuro eſt. Baronius arbitratur, *Conſtantinum* hoc anno Donatiſtas damnaſſe exilio, eoſque Baſilicis privaſſe: eam verò epiſtolam Baron. num. LXIX. Baron. anno 314. n. LXXI.

ad

ad Epiſcopos & plebem per Africam datam eſſe anno CCC XIV poſt epiſtolam Præfectorum ad Domitium Celſum Vicarium Africæ. Verùm, ut ſuprà viſum eſt, ea Præfectorum epiſtola anno CCC XV ſcripta, cui cùm ſubjiciantur in Appendice Optati ea Conſtantini ad Africanos Epiſcopos epiſtola, ſtatimque altera ejuſdem Imperatoris, quæ eſt de Baſilicis Donatiſtis auferendis, apparet, utramque poſt annum CCC XV datam eſſe. Valeſius in Diſſert. de Schiſmate Donatiſtarum cap. 14. & 15. autumat, laudatam Legem datam eſſe à Conſtantino, antequam epiſtolam ad Africanos Epiſcopos ſcriberet, quam anno CCC XVII vel CCC XVIII exaratam putat: additque, hæc omnia adverſus Catholicos in urbe Conſtantina, ductu atque auſpicio *Silvani* ejuſdem urbis Epiſcopi geſta eſſe. Hic enim præcipuus fautor erat partis Donati. Qui cùm diutiſſimè graſſatus eſſet adverſus Catholicos, tandem Divina ipſum perſequente juſtitia debitas pœnas perſolvit, ut in Annalibus & in Epitome narratur.

Anno Urb. 1070.
Olymp. 274.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5810. ☉ 18 F. ☽ 14. P. 14. APRIL.
INDICT. 5.
JESU CHRISTI 317.
SILVESTRI PAPÆ 4.
CONSTANTINI 12. LICINII 11.

I. *Conſules.* COss. *Ovinius Gallicanus*, & *Septimius Baſſus*, ex Onuphrio.

II. *Decennalia Licinii.* Licinius Auguſtei Imperii Decennalia dedit, ut indicat nuncupatio trium Cæſarum hoc anno facta, de qua anno CCC XV cum Baronio egi.

III. *Prioris belli Liciniani ruinoſũ fundamentum.* Ad num. I & II. Lex 1. Codicis Theod. *De Veteranis.* ubi Conſtantinus ait: *Veteranis, qui ex die V Nonarum Juliarum, cùm prima per Thraciam victoria univerſo Orbi illuxit, & qui poſtea apud Nicomediam noſtram miſſionem meruerunt, certa per edictum indulſimus*, &c. Baronium induxit, ut primum Conſtantinum inter & Licinium bellum currenti anno, ſecundum anno inſequenti conſignaret; quòd ea Lex dicatur *P P. IV Idus April. Licinio V & Criſpo Cæſare Conſſ.* anno ſc. CCC XVIII. Cùm enim in ea *Nicomediam noſtram* appellet Conſtantinus, & ea urbs Imperii Liciniani ſedes fuerit, eam poſt Licinium debellatum emiſſam neceſſe eſt. Verùm hujus Legis ſubſcriptio mendoſa, ut nunc inter Eruditos omnes convenit. Quare legendum cum Gothofredo in Chronologia Codicis Theod. *PP. IV Idus April. Cyzico Criſpo C. III Coſſ.* ideoque anno trecenteſimo viceſimo quarto, quo Criſpus tertium Conſulatum, Conſtantino Cæſare III Collega, geſſit. Nam prælium Hadrianopolitanum commiſſum die *V Nonas Julias* illius anni, ut anno ſequenti oſtendemus. Illa itaque fallaci ſubſcriptione, quæ variorum errorum cauſa fuit, rejecta, utrumque illud bellum ſuis annis reddendum.

Baron. num. 1.

IV. *Prioris belli Liciniani cauſa.* Petavius in Paralipomenis librorum de Doct. Temp. pag. 861. primum illud bellum cum anno trecenteſimo decimo quinto conjungit, Victoris in Epitome, & Euſebii in Chronico auctoritate innixus. Verùm illud anno CCC XIV geſtum, certum eſſe debet. Baron. num. 11 & ſeqq. Anonymus Valeſianus non tantùm veram ejus cauſam, ſed & tempus, quo illud factum, nos edocet. Ubi enim de nuptiis Licinii cum Conſtantia Conſtantini ſorore, quæ ad annum CCC XIII pertinent, locutus eſt, ait: *Poſt aliquantum deinde temporis Conſtantium Conſtantinus ad Licinium miſit, perſuadens ut Baſſianus Cæſar fieret, qui habebat alteram Conſtantini ſororem Anaſtaſiam, ut exemplo Diocletiani & Maximiani inter Conſtantinum & Licinium Baſſianus Italiam medius obtineret. Et Licinio talia tractante* (legendum, *Licinio talia fruſtrante*, ut propria manu ſcripſit Sirmondus ex fide Codicis MS. in margine Codicis impreſſi Anonymi Valeſiani, qui extat in Bibliotheca Pariſienſi Patrum Societatis Jeſu) *per Senitionem Baſſiani fratrem* (addit Sirmondus ex ejuſdem Codicis MS. fide, *qui Licinio fidus erat*) *in Conſtantinum Baſſianus armatur. Qui tamen in conatu deprehenſus, Conſtantino jubente convictus & ſtratus eſt. Cùm Senecio auctor inſidiarum poſceretur ad pœnam, negante Licinio, fracta concordia eſt, additis etiam cauſis, quòd apud Æmonam* (ſita erat prope Alpes Julias in finibus Italiæ, & Norici, ut videre eſt in Tabula Peutingeri) *Conſtantini imagines ſtatuaſque dejecerat. Bellum deinde apertum convenit ambobus: utriuſque ad Cibalenſem campum* (erat Cibalis oppidum Pannoniæ) *ductus exercitus. Licinio XXXV peditum & equitum fuere. Conſtantinus XX peditum equitum duxit* (deeſt aliquid) *Cæſis poſt dubium certamen Licinii viginti peditum millibus & equitum ferratorum. Item Licinius cum magna parte equitatus noctis auxilio pervolavit ad Sirmium. Sublata inde uxore ac filio & theſauris, tetendit ad Daciam. Valentem Ducem militis Cæſarem fecit. Inde apud Hadrianopolim Thraciæ civitatem per Valentem collecta ingenti multitudine Legatos ad Conſtantinum de pace miſit apud Philippos conſtitutum: quibus fruſtra remiſſis, iterum reparato bello in campo Mardienſe ab utroque concurritur, & poſt dubium ac diuturnum prælium Licinii partibus inclinatis profuit noctis auxilium. Licinius & Valens credentes, Conſtantinum, quod & verum erat, ad perſequendum longiùs à Byzantio proceſſurum, flexi in partem Beroëam conceſſerunt. Ita Conſtantinus vehementer in ulteriora feſtinans deprehendit, Licinium remanſiſſe poſt tergum, fatigatis bello & itinere militibus. Miſſi deinde Meſtrianus Legatus* (hujus Legationis meminit Petrus Patricius in Excerptis Legationum) *pacem petiit, Licinio poſtulante & pollicente ſe imperata facturum. Denuo, ſicut antè, mandatum eſt, Valens privatus fieret. Quo pacto pax ambobus* (legendum ex Sirmondo citato, *ab ambobus*) *firmata eſt, ut Licinius Orientem, Aſiam, Thraciam, Mœſiam, minorem Scythiam* (partem Mœſiæ ſic vocatam, ut patet ex Jordane in Geticis) *poſſideret. Deinde reverſus Serdicam Conſtantinus hoc cum Licinio abſente conſtituit, ut filii Conſtantini Criſpus & Conſtantinus, filius etiam Licinii Licinius Cæſares fierent, & ſic ab utroque concorditer regnaretur. Itaque Conſtantinus*

& Licinius ſimul Conſules facti. Ita Anonymus Valeſianus.

V. *Quo anno hoc bellum geſtum.*

Conſtantius, de quo ibi mentio, erat Conſtantini M. frater, quem Patricium & Nobiliſſimum poſtea renuntiavit, teſte Zoſimo lib. 2. *Anaſtaſia* verò ſoror erat Conſtantini; quod perperam Baronius in dubium vocavit. Pugnatum eſt ad Cibalenſem campum menſe Octob. Idacius enim in Faſtis, Voluſiano & Anniano Coſſ. anno ſc. CCCXIV, ait: *His Coſſ. bellum Cibalenſe fuit VIII Idus Octob.* Licinius fuſus fugatuſque: reparatoque iterum bello *in campo Mardienſi*, qui locus ignotus, rurſus Licinius in fugam conjectus. Tum ſancita pax, novaque Imperii diviſio facta. Conſtantini Imperio ceſſit Pannonia, Dardania, Dacia, Mœſia, Macedonia, Tractuſque Danubii omnis, Illyricum totum, Græciaque ſeu Achaïa, Eutropio & Sozomeno lib. 2. teſtibus. Licinio ceſſit Thracia, Mœſia minor, Scythia, Aſia, Oriens, & ulteriùs ſitæ Provinciæ reliquæ, ut ex Anonymo Valeſiano & Zoſimo liquet. Cúmque idem Anonymus disertè tradat, poſt illud bellum Conſtantinum & Licinium Conſules proceſſiſſe, manifeſtum fit, illud contigiſſe anno trecenteſimo decimo quarto; cùm ultimus Conſtantini, Licinio Collega, Conſulatus in annum trecenteſimum decimum quintum incidat. Sed præter illum Anonymum & Idacium numero præcedenti laudatum, Victor de Cæſaribus idem inſinuat, qui poſtquam de Maximini morte, quæ anno CCCXIII accidit, ſermonem habuit, ſcribit: *Ita poteſtas orbis Romani duobus quæſita: qui quamvis per Flavii ſororem nuptam Licinio connexi inter ſe erant, ob diverſos mores tamen anxiè triennium congruere quivere.* Incipit Victor triennium illud ab anno CCCXI, quo Conſtantinus contra Maxentium moturus Licinium, Conſtantia ſorore uxore promiſſa, ſibi ſocium adjunxit, ut anno CCCXII num. II diximus. Sed Petavius citatus, qui triennium illud ab anno CCCXIII, quo Licinius *Conſtantiam* uxorem duxit, numeravit, non potuit hoc bellum ab anno, quo geſtum eſt, non removere. Denique in Chronico Euſebii ſecundum editionem Pontaci, hoc bellum copulatur cum anno Abrahami 2330. qui Kalendis Septembris anni Chriſti CCCXIII exorditur. Verùm Petavius ad annum Conſtantini, qui ibidem notatur ſeptimus, reſpiciens, annum geſti belli detegere non potuit.

Baron. anno 306. n. XXI. Spond. ibid. num. VII.

VI. *Metrophanes Nicænæ Synodi tempore vivebat.*

Baron. num. XVII.

Ad num. III. Baronius abſque ulla vetuſti Codicis auctoritate, & contra veterum Scriptorum fidem, tempora ſedis *Metrophanis* Epiſcopi Byzantini intra triennium coarctat. Eum Nicænæ Synodi tempore adhuc in vivis fuiſſe eruditè oſtendit Marca lib. 5. de Concordia cap. 3. & ibidem Baluzius in doctiſſima quam addit Obſervatione. Euſebius lib. 3. de Vita Conſtantini cap. 7. ubi numeravit Provincias, ex quibus Epiſcopi ad eam Synodum venère, ait: αὐτῶν τε Σπανῶν ὁ πάνυ βοώμενος, εἷς ἦν τοῖς πολλοῖς ἅμα συνεδρεύων. τῆς δέ γε βασιλευούσης πόλεως, ὁ μὲν προεστὼς ὑστέρει διὰ γῆρας. πρεσβύτεροι δ' αὐτοῦ παρόντες, τὴν αὐτοῦ τάξιν ἐπλήρουν. id eſt: *Ab ipſa quoque Hiſpania vir ille multo omnium ſermone celebratus, unà cum reliquis aliis conſedit. Aberat quidem Regiæ urbis Antiſtes ob ſenilem ætatem: ſed preſtò erant Preſbyteri, qui vices ejus implerent.* Hunc locum iiſdem omnino verbis refert Socrates ex Euſebio quem citat, lib. 1. cap. 5. Sozomenus autem & Theodoretus, qui eandem lectionem ſecuti ſunt, exiſtimantes, hîc agi de Epiſcopo urbis quæ regnabat, quo tempore Nicæna Synodus habebatur, illum intellexerunt de Epiſcopo Romano, qui tum erat Sanctus Silveſter. Verùm Gelaſius Cyzicenus qui circa annum CCCCLXXX Acta Concilii Nicæni collegit, ſe ex tertio libro Euſebii de Vita Conſtantini iſta ad verbum tranſcripſiſſe profitetur: *Ipſe ex Hiſpanis valde celebratus Oſius, obtinens locum magnæ Romæ Epiſcopi Silveſtri, cum Preſbyteris Romæ Vitone & Vincentio, cum plurimis aliis conſidebat. Urbis autem illius quæ nunc imperat, Epiſcopus, Metrophanes nomine, propter ſenectutem non adfuit; ipſius verò Preſbyteri qui aderant, locum ejus ſupplevere: quorum unus erat Alexander, qui urbis Epiſcopatum poſt Metrophanem adeptus eſt.* Photius in Bibliotheca codice 88. teſtatur, à ſe perlecta Concilii Nicæni Acta à Gelaſio Cyziceno interpolata, in quibus idem referretur. Nicetas Choniates in Panoplia laudata Euſebii verba ad Epiſcopum Conſtantinopolitanum etiam refert, quemadmodum & Epiphanius Scholaſticus. Quare Synodi Nicænæ tempore Metrophanes Epiſcopus Byzantinus adhuc in vivis erat, ejuſque loco interfuere huic Synodo ejus Preſbyteri.

VII. *Conſtantinopolis urbs Regia dicta.*

Verum quidem eſt, Valeſium in Notis Euſebianis hos Auctores redarguere, ac ſcribere, hanc explicationem ferri non poſſe: nondum enim dedicatam fuiſſe Conſtantinopolim, nec Regiæ urbis vocabulo decoratam, cùm Synodus congregata eſt in urbe Nicæa: itaque hæc Euſebii verba de Epiſcopo urbis Romæ neceſſariò intelligenda eſſe. At, ut Clariſſimus Baluzius animadvertit, Euſebius libros illos de Vita Conſtantini non ſcripſit, niſi poſt hujus Imperatoris mortem, adeoque diu poſt dedicatam Conſtantinopolim, quæ ideo poſt Conſtantini obitum urbis Regiæ vocabulo decorari potuit, habita videlicet ratione, non ipſius rei, ſed temporis, quo iſta ſcribebat Euſebius. Nam & ipſe non loquitur ſimpliciter de urbe Regia, ſed de urbe quæ tunc regnabat, βασιλευούσης, ad differentiam Romæ, quam infrà in lib. 4. de Vita Conſtantini cap. 69. βασιλίδα πόλιν conſtanter vocat in duobus locis, nunquam βασιλεύουσαν. Quare ut verus & genuinus Euſebii ſenſus retineatur, ſic Latinè verti debet hic locus: *Epiſcopus urbis illius, penes quam Imperium eſt*, ut vertit Chriſtophorſonus apud Euſebium & Socratem, vel, *quæ nunc imperat*, ut eſt apud Gelaſium Cyzicenum. Qua interpretatione ſemel recepta, proclivius eſt ut Gelaſii Cyziceni, aliorumque explicationem ſequamur, qui de *Metrophane* Conſtantinopolitano hîc agi putarunt. *Silveſter* enim undecim annis ſuperſtes fuit Concilio Nicæno: *Metrophanes* morbo & ætate feſſus, ſtatim poſt Synodum obiit, in cujus locum ſuffectus eſt *Alexander*, qui cùm anno trecenteſimo quadrageſimo obierit, non potuit ſedere annos tres & viginti poſt Metrophanem, ut perperam ſcribit Socrates.

VIII. *Emendatur titulus epiſtolæ Alexandri Epiſc. Alexandrini.* — Baron. anno 318. n. LXIX.

Nec obſtat epiſtola Theodoreti in lib. 1. cap. 3. & 4. recitata, & ante Concilium Nicænum ſcripta ad Alexandrum cognominem ſuum, cujus hic titulus eſt: *Alexandri Epiſcopi Alexandrini epiſtola ad Alexandrum Epiſcopum Conſtantinopolitanum.* Nam Theodoretus hanc cauſam tractans, non ait, epiſtolam illam ſcriptam eſſe ad Alexandrum Conſtantinopolitanum; illud tantùm ait, ſcriptam eſſe ab *Alexandro Antiſtite Alexandrino ad cognominem ſuum*, nihil præfatus de dignitate ejus, neque de regione, in qua ille habitabat. Tum refert ipſam epiſtolam, cum hac inſcriptione: *Reverendiſſimo & unanimi fratri Alexandro Alexander in Domino ſalutem.* In titulo tamen epiſtolæ adnotatum eſt, uti dixi, eam ſcriptam eſſe ad Alexandrum Epiſcopum Conſtantinopolitanum. Hunc titulum Baronius putavit non eſſe Theodoreti, ea de cauſa, quòd nondum ea tempeſtate *Byzantium* fuit in Conſtantinopolim mutatum: inde porro erroris occaſionem fluxiſſe, quòd cùm epiſtola illa Antiſtitis Alexandrini fuerit communis ad omnes Epiſcopos, ejuſdem exemplar inter Alexandri Epiſcopi C P. monumenta repertum, eo titulo fuerit pariter conſignatum. Confirmat Baluzius Cardinalis Doctiſſimi conjecturam, obſervans, titulum illum, qui hodie legitur in editionibus Græcis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Theodoreti, non extare in duobus vetuſtiſſimis Codicibus MSS. Bibliothecæ Regiæ, in quibus eadem Theodoreti Hiſtoria continetur, neque in editione Græca Roberti Stephani; editionem verò Latinam Baſileæ emiſſam anno M DC XI hæc tantùm in titulo habere: *Epiſtola miſſa ab Epiſcopo Alexandrino ad ſuum cognominem.* Unde certò concludi poteſt, titulum illum non eſſe Theodoreti, cùm non reperiatur in Codicibus antiquis, nec in antiquiſſima editione Roberti Stephani, & diverſo modo legatur in editionibus, adeoque adjectum eſſe à Librario, vel ab Interprete. Quòd ſi *Metrophanes* annos decem ſedit, ut Nicephorus in Chronico, & Theophanes habent, vix ante præſentem annum Epiſcopus Byzantinus renuntiatus eſt.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5811. ☉ 19 E. ☽ 15. P. 6. APRIL. INDICT. 6.
JESU CHRISTI 318.
SILVESTRI PAPÆ 5.
CONSTANTINI 13. LICINII 12.

I. *Conſules.*

COss. *Licinius Aug. V*, & *Criſpus Cæſar.* Conſulatus Criſpi juxta priorem regulam, Licinii juxta tertiam, ut ejus nempe Collega eſſet. Quo ex Conſulatu liquet primò, Criſpum anno præcedenti nuncupatum eſſe Cæſarem: & ſecundò, Conſtantinum inter & Licinium hoc tempore pacem viguiſſe; alioquin Criſpi Cæſaris Licinius Auguſtus in eodem Conſulatu Collega eſſe noluiſſet.

II. *Epocha poſterioris belli Liciniani.*

Ad num. I & ſeqq. Secundum Conſtantini & Licinii bellum anno trecenteſimo viceſimo tertio inchoatum, ſequentique abſolutum. Primò, quia Cedrenus ſcribit, illud duraſſe *annum atque octo menſes.* Quare cùm anno CCC XXIV profligatum fuerit, anno antecedenti cœperat. Secundò, Victor de Cæſaribus de Licinio ſcribit: *Quo ſanè variis prœliis pulſo, cùm eum prorſus opprimere arduum videretur, ſimul affinitatis gratiâ recepti conſortio, adſcitique Imperio Cæſarum communes liberi Criſpus Conſtantinuſque Flavio geniti: Licinianus Licinio. Quod equidem vix diuturnum: neque his aſſumebantur, felix fore, defectu Solis fœdato iiſdem menſibus die, patefactum. Itaque ſexennio pòſt rupta pace apud Thracas, Licinius pulſus Chalcedona conceſſit*, &c. Illa Cæſarum nuncupatio anno præcedenti facta, ut ſuo loco demonſtratum, eodemque Sol defecit die viceſima Decembris feriâ ſextâ, horâ die nonâ circiter, ut obſervavit Petavius in Paralipomenis librorum de Doctrina Temp. pag. 860. Rupta itaque pax anno CCC XXIII, qui ſextus eſt à nuncupatione Cæſarum, & à narrata eclipſi; cujus Idacius in Faſtis hoc anno meminit, dum ait: *His Conſſ. tenebræ fuerunt inter diem horâ IX.* Sed calculus mathematicus ſuffragatur Victori, & Idacium rem anno non ſuo recitare, quod non raro ei accidit, demonſtrat. — Baron. num. 1 & ſeqq.

III. *Cauſa poſterioris belli Liciniani.*

Tertiò, Anonymus Valeſianus hujus belli cauſam aperit, ex qua in cognitionem temporis, quo cœpit, pervenimus: *In Orientis partibus Licinio, Conſtantino* (ſcilicet *Conſulibus*, anno CCC XIX, quo Conſtantinus Aug. V & Licinius Cæſar Conſules fuerunt) *repentina rabie ſuſcitatus Licinius omnes Chriſtianos à palatio juſſit expelli. Mox bellum inter ipſum Licinium & Conſtantinum efferbuit. Item cùm Conſtantinus Theſſalonicæ eſſet, Gothi per neglectos limites eruperunt. Tum Conſtantini terrore & impetu repreſſi, captivos illi impetrata pace reddiderunt. Sed hoc Licinius contra fidem factum queſtus eſt, quòd partes ſuæ ab alio fuerint vindicatæ. Deinde cùm variaſſet inter ſupplicantia & ſuperba mandata, iram Conſtantini meritò excitavit. Per tempora, quibus nondum gerebatur bellum civile, ſed item parabatur, Licinius ſcelere, avaritiâ, crudelitate, libidine ſæviebat: occiſis ob divitias pluribus, uxoribus eorum corruptis.* Sirmondus in margine Codicis impreſſi, qui extat Pariſiis in Bibliotheca Collegii Ludovici Magni, propria manu ex fide Codicis MS. poſt hæc verba, *Gothi per neglectos limites eruperunt*, iſta addidit: *Et vaſtatâ Thraciâ & Mœſiâ prædas agris ceperunt.* Quæ verba notanda ob Martyres tunc in Mœſia paſſos, de quibus anno CCC XVI egi.

IV. *Gothi Romanis infeſti.*

De hac *Gothorum eruptione* loquitur etiam Zoſimus lib. 2. pag. 680. Quod factum menſe Februario docent *Ludi Gothici*, qui à die quarta uſque ad nonam ejuſdem menſis exhibebantur, ut videre eſt in veteri Kalendario à Bucherio publicato. Sed non alio anno quàm trecenteſimo viceſimo tertio, ut notavit Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani, ex eo quòd eo anno Conſtantinus diſciplinam militarem erecturus, cuſtodiæque limitis Thracici & Mœſiæ adverſus Barbarorum incurſiones & deprædationes deinceps proviſurus, qui negligentiâ militum limitaneorum proditus fuerat, Conſtitutionem emiſerit IV Kal. Maii anni CCC XXIII:

cujus ſunt partes Lex I. Codicis Theodoſiani *De re militari.* & Lex I. ejuſdem Codicis *De commeatu.* Priori Lege decernit *Conſtantinus*, ut ſi quis cum quibuſlibet hoſtibus prædas egerit, aut prædam cum prædonibus diviſerit, incendio concremetur. Jam itaque eo anno Barbari Romanos vexabant. In poſteriori *Conſtantinus*, confecto jam & patrato hoc bello Gothico, *Barbarorum* incurſionibus deinceps obviam iturus labantem diſciplinam militarem retinere voluit, commeatu militibus deinceps denegato, & ſeveriſſimâ ſimul pœnâ indictâ Romanis, qui *Barbaros* in Romana concitaſſent. Captivos *Gothorum* per urbes diſtributos fuiſſe, & Conſtantinum Theſſalonicam ſeſe recepiſſe teſtantur Zoſimus loco laudato, & Euſebius lib. 4. de Vita Conſtantini cap. 5. & 6. ſi tamen Euſebius, qui generatim loquitur, de his Gothorum incurſionibus intelligendus ſit.

V. *Bellum Licinianum anno CCC XXIII inceptum.*

Poſt Gothos devictos, cœptum eſt *bellum Licinianum*, à Zoſimo & Anonymo Valeſiano egregiè deſcriptum, & nonniſi anno trecenteſimo viceſimo quarto confectum. Idacius enim in Faſtis, ſub Conſulatu Criſpi Cæſaris III, & Conſtantini Cæſaris III, anno nempe CCC XXIV ait: *Bellum Hadrianopolitanum die V Nonas Julias, & bellum Chalcedonenſe XIV Kal. Octobris.* Idem habet Auctor Chronici Alexandrini, niſi quòd loco, *V Nonas Julias*, mendoſe habet, *V Kal. Julias*, & hæc anno CCC XXV geſta tradat, in quo ſine dubio hallucinatur. Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani Licinium prope Hadrianopolim & Chalcedonem, anno tantùm trecenteſimo viceſimo tertio debellatum contendit, innixus reſcripto ejuſdem Codicis *De infirmandis his, quæ ſub Tyrannis.* anno trecenteſimo viceſimo quarto XVI Junii die dato. Exiſtimat enim illud nonniſi poſt victum Licinium emiſſum eſſe; cúmque menſe Septembri apud Chalcedonem *Licinius* ſuperatus fuerit, ait, Idacium deceptum, perperamque eam victoriam, quæ ad annum CCC XXIII pertinet, ſub anno CCC XXIV recitare. Sed Licinii poſt Maximinum in fugam conjectum Lex I. Codicis Theodoſiani *De cenſu.* miſſa ad Euſebium V. P. Præſidem Lyciæ & Pamphyliæ data Kalend. Jun. anno CCC XIII hanc Gothofredi conjecturam planè evertit. Quemadmodum enim ea promulgata eſt à Licinio prima die menſis Junii, poſtquam initio menſis Maii Maximinum, qui tamen uſque ad menſem Auguſtum vixit, fudiſſet: ita & laudatum reſcriptum *De infirmandis his, quæ ſub Tyrannis.* XVI Kal. Junii anni trecenteſimi viceſimi quarti datum duas ultimas de Licinio victorias à Conſtantino reportatas præceſſit, nec niſi poſt eas datas Licinius in Conſtantini poteſtatem venit; ideoque non bene ex ea Lege Gothofredus in Commentario Legis I. Codicis Theodoſiani *De Veteranis.* deducere conatur, Licinianum bellum anno CCC XXIII ineunte cœptum eſſe, felicibuſque victoriis continuatum, initio anni CCC XXIV finem accepiſſe.

VI. *Licinius ante Synodum Nicænam victus.*

Gothofredi tamen opinio Papebrocio in Vita S. Athanaſii cap. 2. num. XXXVI perplacuit, quòd non videantur tam multa intra arctum ſeptem aut octo menſium ſpatium compingi; quæ nempe à victo Licinio ad initium Nicænæ Synodi à Conſtantino & Hoſio geſta; cùm contrà ſi annus adjiciatur, omnia commodè fluant. At cùm hæc opinio ſubſiſtere non poſſit, ut mox magis videbitur, dicendum, Licinium die *V Kal. Novemb.* anni CCC XXIV victum eſſe, & ſequenti Conſtantinum victorem Nicomediam ingreſſum eſſe. In Kalendario enim Lambeciano ad V Kalend. Novemb. habetur: EVICTIO TYRANNI; ad diem verò IV Kalend. Novemb. ADVENT. DIVI. Quæ priora verba, cùm de Maxentio intelligi non poſſint, ut anno CCC VI num. X oſtendi, ea de Licinio omnino interpretanda. Ea in urbe dum Conſtantinus moratur, atque in Orientis partes progredi feſtinat, nuntium accipit de Alexandrinæ Eccleſiæ, totiuſque Ægypti diſſidio ob *Arii* dogma & *Meletianorum* turbas, ut ipſemet ſcribit in epiſtola ad Alexandrum & Arium. Ac primò quidem *Hoſium* cum literis ſuis Alexandriam miſit, qui eos tumultus auctoritate ſua componeret. Verùm Hoſius, cùm aliquantò egiſſet Alexandriæ, re infecta ad Conſtantinum reverſus eſt. Quæ omnia intra menſium circiter trium ſpatium perfici potuerunt. Sed, cùm Conſtantinus malum quotidie ingraveſcere cerneret, generale Epiſcoporum Concilium indicere decrevit, ut eo modo pacem Eccleſiæ reſtitueret. Eam in rem veredarios ſeu agentes in rebus per omnes Provincias direxit, qui Epiſcopos *Nicæam* Bithyniæ convocarent. Veredarii menſe Martio Imperatoris literas ad ſingulos Epiſcopos perferre potuere, & Epiſcopi ab ultimis tam Orientis, quàm Occidentis partibus antę menſem Julium in Bithyniam venire, idque pedeſtri itinere, ut tradit Euſeb. in lib. 3. de Vita Conſtantini cap. 6. Græci Dominicam ſeptimam poſt Paſcha, eam ſc. quæ Pentecoſten proximè antecedit, vulgò vocant *Dominicam Sanctorum Patrum.* Ex quibus Valeſius in Notis ad lib. 3. Vitæ Conſtantini cap. 15. rectè deducit, Concilium Nicænum non eſſe celebratum die XX menſis Maii, ſed die XIX Junii, ut infrà oſtendemus, alioquin nimis anguſtum ſpatium relinqueretur ad eas res gerendas, quas Conſtantinus poſt debellatum Licinium egit. Concilio igitur Nicæno in eum diem rejecto, omnia quæ Hiſtorici acta referunt, ſine incommodo fieri potuere.

VII. *Licinio vita donatur.*

Licinius anno quidem CCC XXIV debellatus, ſed nonniſi anno CCC XXV Conſtantini juſſu occiſus. Nam, ut ſcribit Zoſimus, poſtquam Byzantii & Chalcedonenſes Conſtantino portas aperuiſſent, *Licinius* victus Nicomediam cum equitibus reliquis & paucis peditum millibus contendit. Cùm autem Conſtantinus etiam *Nicomediæ* eum obſideret, rebus deſperatis egreſſus urbe ſupplex Conſtantino factus eſt, poſtquam *Conſtantia* ejus uxor & ſoror Conſtantini veniſſet ad caſtra fratris, & marito vitam popoſciſſet & impetraſſet, inquit Anonymus Valeſianus, qui addit: *Ita Licinius privatus factus eſt, & convivio Conſtantini adhibitus: & Martiniano* (quem Licinius Cæſarem fecerat) *vita conceſſa eſt. Sed Herculii Maximiani ſoceri ſui motus exemplo, ne iterum depoſitam purpuram in perniciem Reipublicæ ſu-*

meret, tumultu militari exigentibus in Theſſalonica, juſſit occidi Martinianum in Cappadocia. Ubi Auctor ille anonymus Cæſaris nomine Auguſtum intelligit, ut quandoque alii Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores. Sic Conſtantinum Eboraci omnium militum conſenſu Cæſarem creatum, & Licinium à Galerio Cæſarem factum ſcribit; cùm tamen uterque tunc Imperator & Auguſtus dictus fuerit. Porro Martinianum à Licinio Auguſtum renuntiatum, liquet ex Nummis apud Mediobarbum, in quibus legitur, D. N. MARTINIANUS P. F. AUG.

VIII. *Quot annis Licinius regnarit.* Interfectus Licinius apud *Theſſalonicam*, ut non tantùm Anonymus Valeſianus, & Zoſimus, ſed etiam Eutropius, Victor in Epitome, Euſebius in Chronico & Idacius in Faſtis. Quare, ut jam monui, Acta S. Baſilei Amaſenorum Epiſcopi, quæ ſub Joannis Nicomedienſis Preſbyteri nomine circumferuntur, quibúſve Baronius fidem præſtitit, ſuppoſitionem ſuam manifeſte produnt, cùm Licinium in Galliis occiſum volunt. Interemtus autem *Licinius* anno trecenteſimo viceſimo quinto, ut disertè Idacius in Faſtis teſtatur, & indicat Anonymus Valeſianus, quando ait, Licinium regnaſſe annos XIX. Imperium enim inierat menſe Novembri anni trecenteſimi ſeptimi. Quare anni illi utrimque incompleti numerandi, & interitus Licinii anno CCCXXV omnino conſignandus. Idacio enim in Faſtis ſuffragatur Victor in Epitome, ubi inquit: *Hic Licinius annum dominationis ferè poſt quintum decimum, vitæ proximè ſexageſimum occiditur.* In Hiſtoria Miſcellæ lib. II. ubi hic Victoris locus adducitur, habetur: *Annum ferè poſt quartum decimum.* Sed prior lectio præferenda, annique illi XV utrimque incompleti intelligendi, & à morte Galerii Maximiani, quæ anno CCCXI contigit, illorum initium repetendum. Ex quo apparet, verum eſſe quod alibi monſtravi, Hiſtoriæ ſc. Auguſtæ Scriptores numerantes annos Imperatorum, qui per hæc tempora regnarunt, Imperium eorum quandoque exordiri ab obitu Imperatoris illius, qui primum inter eos locum obtineret; non verò ab eo tempore, quo ipſimet vel Cæſares, vel Auguſti nuncupati fuiſſent. Verùm Licinium anno tantùm CCCXXV morte affectum ex iis, quæ mox de Conſtantini Monarchia dicemus, magis confirmabitur.

Baron. num. XVIII.

IX. *An Licinius Chriſtianus fuerit.* Quæri hic poteſt, an *Licinius* aliquando Chriſtianus fuerit. Hanc quæſtionem agitat Noriſius in Diſſert. de Numiſmate Licinii cap. 5. reſponderque, non exiſtimare ſe, Licinium Chriſtianæ Religioni nomen dediſſe; ſed Ethnicorum erroribus, & quidem ſemper, adhæſiſſe; quòd Nummi ejus ab eo tempore, quo Aſiam obtinuit, hac ſubſcriptione obſignentur: JOVI CONSERVATORI; & certum ſit, Licinium perſecutionem adverſus Chriſtianos inſtituiſſe. Præterea Euſebius in lib. 2. Vitæ Conſtantini cap. 5. recitat orationem, quam Licinius ad milites habuit in ſecundo bello contra Conſtantinum geſto, priúſquam aciem contra hunc inſtrueret. *Viri*, inquit, *amici & commilitones: ſiquidem quos colimus, & quos ab ultimis uſque majoribus colendos accepimus, Dii ſunt patrii. Iſte verò, qui adverſarum nobis partium copias ducit, moribus inſtitutiſque majorum violatis, ad impiam nullos credentium Deos opinionem deſcivit, peregrinum quendam neſcio unde quæſitum temere amplectens Deum.* Ex quibus patet, Licinium Deorum cultui à majoribus accepto ſemper adhæſiſſe. Ita Noriſius. Sed Licinium ante ultimum illud bellum Chriſtianum fuiſſe disertè teſtatur Sozomenus in lib. 1. cap. 7. ubi poſtquam ſuperiori capite de priori bello Liciniano locutus eſt, ait: *Licinius, qui antè Religionem Chriſtianam coluerat, poſt cladem illic acceptam animo mutatus, multos Sacerdotes, qui in ſuis partibus degebant, graviter afflixit.* Addit Sozomenus: *Præterea cùm iterum pugnaturus eſſet adverſus Conſtantinum, victimis & divinationibus ad futurum bellum ſe præparabat, ſeductuſque à quibuſdam, qui victoriam ipſi pollicebantur, ad Gentilium ſuperſtitionem deſcivit.* Ad hæc, Licinius poſt victum Maximinum infenſiſſimum Chriſtiani nominis hoſtem, *cùm Antiochiam veniſſet, in Jovis Philii Sacerdotes ſeverè animadvertit, ac omnes qui adverſus Religionem noſtram inſolenter debacchati fuerant*, inquit Euſebius lib. 9. cap. 11. Inſuper Orator in dedicatione celeberrimi templi Tyri anno Chriſti CCCXV pro concione tum Conſtantinum, tum Licinium, cui ea urbs parebat, concelebrans, ait apud Euſebium lib. 10. cap. 14. *Adeo ut, quod nunquam antea contigerat, ſummi Imperatores honoris illius, quem Dei beneficio acceperunt, ſibi conſcii, jam in mortuorum ſimulachrorum faciem conſpuant, & profanos Dæmonum ritus conculcent, ac vetuſtum errorem à majoribus traditum irrideant; unum verum Deum cùm erga omnes, tum in ſe ipſos maximè beneficum agnoſcant, &c. Chriſtum Dei filium univerſorum Regem eſſe profiteantur.* Profectò vix mihi perſuadere poſſum, Euſebium vel quemlibet alium (hujus enim orationis Auctor incertus, quidquid Valeſius in Notis dicat) hæc coram numeroſa Paſtorum corona proferre auſum fuiſſe, niſi *Licinius* tunc Chriſtianam Religionem eo modo, quo Conſtantinus nondum Catechumenus, profeſſus eſſet.

Denique Triſtanus tom. 3. Commentarior. Nummum Licinii exhibet, in quo cernitur labarum, ſeu vexillum militare cum hinc inde proſtratis captivis, in cujus ſumma extat crux, & in labaro hi characteres: VOT. XX. Exiſtimat autem Triſtanus, Licinium in Conſtantini gratiam labarum & crucem uſurpaſſe. Patinus tamen in Numiſmatis Impp. pag. 459. ſimile Numiſma exhibet, ſed non crucem in eo, verùm tres veluti globulos cerni dicit, ſuperiorem pali partem in cuſpidis figuram ornantes. Additque plura ejuſmodi vexilla in Nummis Licinii repræſentari abſque cruce. Nummi, in quibus vexilla abſque cruce ſignata, percuſſi videntur poſtquam Licinius Chriſtianam Religionem deſeruit; alii verò ante illud tempus. Idem Patinus Licinii junioris Nummum profert, in quo ſunt hi characteres: P. TR. id eſt, *percuſſus Treviris*: circùm legitur: VIRTUS EXERCIT. In ima labari parte ſunt duo captivi, & in labaro legitur, VOT. XX. cruce ſuper labarum depicta. Cuſus hujuſmodi Nummus in urbe Trevirenſi, quæ Con- X. *Ex Nummis Licinii ejus Religio certò deduci non poteſt.*

ſtantino parebat, idque vel anno CCC XVII, quo Licinius junior à Conſtantino Cæſar dictus eſt; vel anno CCC XXI aut inſequenti, quo ille Quinquennalia celebravit. Et tamen jam ab anno CCC XIX, quo cœpta perſecutio Liciniana, Conſtantinum inter & Licinium pax rupta erat. Quare ſicut Licinii junioris Numiſmata crucem præferunt, etiam poſtquam pater à Fide deſcivit, ſic & in Licinii Numiſmatis, etiam quando Chriſtianis favebat, percuſſis, legitur: JOVI CONSERVATORI. Quæ inſcriptio à Licinio uſurpari potuit in gratiam ſubditorum maxima parte Gentilium. Demum, ſi Licinius Chriſtianus non fuit, Religionem tamen Chriſtianam doloſè ſimulavit; quæ ſententia fuit Theophanis in Chronico anno XII Conſtantini. Neque enim aliquid hac in re certi.

XI. *Conſtantini Monarchia.* Baron. num. XX.

Ad num. IV. *Monarchia* Conſtantini malè dicitur à Baronio hoc anno inchoata. Verùm quemadmodum Licinianum Imperium aliquot annis mutilare coactus eſt, morte ejus in præſentem annum collata, ita & Conſtantini Monarchiam citiùs quàm par erat, inchoavit; neque enim ea ab alio anno quàm CCC XXV initium duxit; ex quo & magis confirmatur quod ſuprà diximus, Licinium nempe uſque ad eum annum vitam protraxiſſe. Victor enim de Cæſaribus ait, Conſtantinum è vivis exceſſiſſe *anno Imperii triceſimo ſecundoque*, (utroque nempe extremo incompleto pro integro numerato) *cum totum Orbem tredecim tenuiſſet*. Tota difficultas eſſe poteſt, an Conſtantinus anno treceteſimo viceſimo quarto, an verò treceteſimo viceſimo quinto totius Orbis Romani Imperium adeptus fuerit, cùm ab utroque anno ad Conſtantini obitum anni tredecim numerari poſſint. Gothofredus in Chronologia Codicis Theod. ubi Licinium anno CCC XXIV & debellatum & occiſum dicit, ab eo etiam anno Conſtantini *Monarchiam* auſpicatur. Quam ſententiam amplecti coguntur, quicumque cum illo Licinii excidium anno CCC XXIV contigiſſe putant. Verùm tam Conſtantini Monarchia, quàm Licinii interitus ad annum CCC XXV certò pertinent, quod liquet ex loco Theodoreti lib. 1. cap. 1. deducto, neminique huc uſque obſervato: εὐσέβιος μὲν οὖν ὁ παλαιςῖνος θεοφιλοῦς βασιλείας, τὰ ταῖς ἐκκλησίαις συμβεβηκότα συνέγραψεν, ἐγὼ, &c. id eſt, *Euſebius quidem Palæſtinus à ſanctiſſimorum Apoſtolorum temporibus exorſus, res in Eccleſiis geſtas uſque ad Deo acceptum Conſtantini Principatum perſcripſit: ego verò à fine Hiſtoriæ illius initium Operis mei ſumam.* Quare cùm Euſebius Hiſtoriam uſque ad annum treceteſimum viceſimum quintum continuet, ab eodemque Theodoretus ſuam auſpicetur, ut ſuis locis evidenter oſtendam, Principatus de quo loquitur Theodoretus, alius eſſe non poteſt, quàm ejus Monarchia, quæ ideo anno CCC XXV inchoata fuit. Præterea anno CCC XXV Auctor Chronici Alexandrini ſcribit: *Eodem anno Conſtantinus Imperator totius Imperii Romani ſolus omnia ubique idola dejecit.* Ab hac Monarchia aliqui Conſtantiniani Imperii annos numerant, uti Nicetas. Seidus, Græcus Schiſmaticus, qui de Patriarchatus Cpolitani inſtitutione loquens inquit: *Tum demum omnium poſtremus Thronus Conſtantinopolitanus inſtituitur, anno ſecundo Imperii Magni Conſtantini*, id eſt, anno Chriſti treceteſimo viceſimo ſexto. Seidus enim & alii quidam Græci Conſtantinopolitanum Patriarchatum paulò poſt Concilii Nicæni celebrationem inſtitutum eſſe perſuaſum habent. Quod cùm Allatius lib. 1. cap. 14. de Conſenſione Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis non intelligeret, ſugillat Nicetam, quaſi locutus fuerit de anno Chriſti treceteſimo ſeptimo, quo ſecundus Imperii Conſtantini cœptus eſt; licèt de ſecundo ejus Monarchiæ anno, Chriſtique treceteſimo viceſimo ſexto Græculus ille intelligendus ſit.

XII. *Initium Monachatûs ætati Conſtantini imputandum.* Baron. num. CI.

Ad num. VI. In Actis S. *Pachomii* à Monacho ſupparis ævi ſcriptis capite primo dicitur: *Cùm finem accepiſſet perſecutio, regnavit Conſtantinus M. Imperatorum Romanorum primus Chriſtianus; & adverſus Tyrannum quendam bello contendens multos etiam tirones conquiri juſſit: quos inter ipſe quoque in militiam abreptus eſt Pachomius, vigeſimum tunc circiter agens ætatis ſuæ annum*; & deinde ait, Pachomium ſub Palæmone in Ægypto Monachatum amplexum eſſe. Hactenus ignoratum de quo Tyranno ibi ſermo fiat. Baronius quidem Licinium intelligit: alii Maxentium, alii Achillem, qui Diocletiano imperante tyrannidem in Ægypto arripuit. Sed quidquid ſit, rectè Holſtenius in Præfatione ad Regulas veterum Monachorum, ætati Conſtantini M. vitæ Regularis initia imputat: illi enim conſentit Actorum S. Pachomii Auctor, cùm dicit in Prologo, quòd extremæ perſecutionis tempore, ſc. Diocletianeæ, *tunc & Monaſteria cœpta ſunt extrui, & Aſcetarum habitacula in vita innocentia & rerum omnium abdicatione fundari*: idque, ut ait ipſe, exemplo potiſſimùm *S. Antonii, Aſcetæ clariſſimi & in omni virtutum genere excellentis, cujus ea fuit vitæ ratio, quam & magnus Elias & Eliſæus & Joannes Baptiſta quondam tenuerunt.* Hinc in iiſdem Actis num. LXXVII ipſemet S. Antonius Pachomium Cœnobitarum auctorem & primum inſtitutorem facit: *Quo ego primùm tempore Monachum cœpi agere, nullum uſpiam extabat Cœnobium, in quo de aliorum ſalute cura aut metus cuiquam erat: ſed quiſque antiquorum Monachorum perſecutione jam finita, privatim in vita ſeſe Monaſtica exercebat. Poſtea verò Pater veſter* (Sacchæum alloquitur, Pachomii diſcipulum) *tantum bonum, Deo adjuvante, effecit. Alius quidem antè, cui Aota nomen, voluit tale miniſterium ſuſcipere: verùm quia non ex toto corde ei rei ſtuduit, ſucceſſu conatus ille caruit.* Qua de re plura Papebrocius in Commentario prævio ad Acta S. Pachomii die XIV Maii.

XIII. *Euſebius Cæſarienſis Arianus.* Baron. num. LIV.

Ad num. VII. Quid Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus ad propagandum dogma Arianum egerit, & an ipſemet Arianus poſt Concilium Nicænum, ſicut antea, fuerit, pluribus diſſerit Hankius in libro de Scriptoribus Græcis rerum Byzantinarum parte prima cap. 1. qui hac de re legendus.

XIV. *Theodotus Laodicenus inter Arianorum duces.*

Ad num. VIII. Baronius in Martyrologio Romano, die ſecunda Novembris meminit *Theodoti* Epiſcopi Laodicenſis, qui tamen ex iis, quæ ipſemet hoc anno in Anna-

Baron. num. XLVIII & ſeqq.

libus habet, inter præcipuos Arianorum duces numeratur, tam à Theodoreto lib. 1. cap. 5. quem ab Epiphanio hæreſi 69. præterquam quòd extat apud Gelaſium Cyzicenum epiſtola Conſtantini M. ad Theodotum ſpeciatim ſcripta poſt Concilium Nicænum, ex qua liquet, eum Euſebii & Theognii præcipuorum Arianæ ſectæ fautorum complicem fuiſſe. Ad hæc, poſt eam epiſtolam ſcriptam, *Theodotus* à Theognio & Euſebio Antochiam tanquam conſiliorum ſocius & particeps ductus eſt, ut ejus ope Sanctum *Euſtachium* Antiochenum ſede ſua deponerent, teſte eodem Theodoreto lib. 1. cap. 21. Decepere Martyrologos laudes, quas Euſebius Cæſarienſis lib. 7. cap. ultimo (ubi loquitur de præcipuarum Eccleſiarum Præſulibus, qui immediatè ante perſecutionem Diocletianeam Eccleſias Orientis regebant) Theodoreto Laodiceno tribuit. Sed diſtinguenda erant tempora: *Theodoretus* enim ante natam hæreſim Arianam magnus Præſul extitit; ſed poſtea in eam miſerè prolapſus eſt, ut tradunt Scriptores citati, omnibus Martyrologis antiquiores, quique non multò poſt Theodotum vixere. Porro Theodotus ante Concilium Hieroſolymitanum anno CCCXXXVI celebratum, diem functus eſt, cùm illi Concilio Georgius pariter Arianus Laodiceæ Epiſcopus interfuerit, ut teſtatur Sozomenus lib. 3. cap. 5. Scripſit Georgius Vitam Euſebii Emiſeni, ut diſcimus ex Socrate lib. 2. cap. 9. cujus ideo mentio facienda erat à Gerardo Joanne Voſſio in Opere de Hiſtoricis Græcis, licèt liber ille ampliùs non extet.

XV. *Hoſius ad componenda diſſidia inter Arium & Alexandrum miſſus.*

Ad num. XI & XII. Cùm *Conſtantinus* Orientis Imperio potitus tantùm ſit anno trecenteſimo viceſimo quarto, ante eum annum componendis Alexandrum inter & Arium diſſidiis, miſſis etiam ad eos literis per Hoſium Cordubenſem Epiſcopum, incumbere non potuit. Quare quæ hìc à Baronio narrantur, ad eum annum differenda. Præterea Hoſius non à Silveſtro Romano Pontifice Legatus Alexandriam miſſus, ſed à Conſtantino. Licèt enim Euſebius lib. 2. de Vita Conſtantini cap. 62. virum à Conſtantino miſſum ob tumultus ab Ario Alexandriæ excitatos non nominet, illum tamen Hoſium fuiſſe Socrates lib. 1. cap. 4. & Sozomenus lib. 1. cap. 15. disertè teſtantur. Quibus adde Photium in Bibliotheca codice 266. *Quibus Conſtantinus auditis, iniquè ferens, mittit Alexandriam Hoſium nomine & re ſanctum, quem Hiſpaniæ civitas Corduba Epiſcopum habebat. Tradidit autem ei epiſtolas ad Archiepiſcopum Alexandrum & Arium hæreſeos fontem.* Nec refert, quòd Hoſius Alexandrinam Synodum convocarit, eique præfuerit. Veroſimile enim eſt, illum Alexandrinæ Synodo præfuiſſe, omnibus Ægypti Epiſcopis, & ipſo in primis Alexandro Alexandriæ Patriarcha primas ipſi deferentibus. Viro namque celeberrimo ab Imperatore miſſo, ipſique chariſſimo, qui pacis arbiter ab ipſo conſtitutus eſſet Alexandrum inter & Arium, hunc facilè honorem detulere, tunc propter Imperatoris reverentiam: tum propter nominis & meritorum amplitudinem: tum quòd Alexander illi Concilio præeſſe congruè non poſſet; cùm in his Arianæ hæreſeos incunabulis cauſa Alexandri & Arii potiùs, quàm Eccleſiæ Catholicæ, agi videretur. Nec denique refert, quòd in epiſtola tunc à Conſtantino ad Alexandrum & Arium ſcripta, nulla prorſus Hoſii mentio habeatur. Cùm tamen in literis Legationis nominari Legatos ſolenne ſit. Aliæ enim fuere literæ Legationis Hoſii ab ea epiſtola. Cùm enim non ſolùm ad conciliandam pacem inter eos, qui in Ægypto de Fide diſſidebant, miſſus eſſet, ſed etiam inter eos, qui in Oriente de feſto Paſchatis diſſentiebant, ut teſtatur Sozomenus; neceſſe erat, ut literæ Legationis, quibus ea commendata Hoſio provincia, & commiſſa poteſtas exprimebatur, non ad duos tantùm viros, ſed ad univerſos illarum regionum Epiſcopos dirigerentur. Periere itaque literæ Conſtantini, quibus Legatio Hoſii ad Alexandrum & Arium continebatur.

Baron. num. XLII & ſeqq.

Olymp. 274. *ſecundum Baronium.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5812. ⊙ 20 D. ☽ 16. P. 20. Mart. Indict. 7.
Jesu Christi 319.
Silvestri Papæ 6.
Constantini 14. Licinii 13.

Anno Urbis 1070. *ſecundum Baronium.*

I. *Conſules.*

COss. *Conſtantinus Aug. V*, & *Licinius Cæſar.* Quo ex Conſulatu manifeſtum fit, nondum Licinium Auguſtum fuiſſe prodigatum, cùm ejus filius Conſul proceſſerit. Secundò, nuncupationem Cæſarum anno tantùm CCCXVII factam fuiſſe, ob idque Licinium Cæſarem juxta primam regulam, Collega Conſtantino Auguſto juxta tertiam, Conſulatum iniiſſe.

II. *Quindecennalia Licinii Aug.*

Quindecennalia Imperii Cæſarei Licinii Aug. quorum indicium perſecutio adverſus Chriſtianos excitata, ut anno CCCXVI oſtendimus.

III. *Bellum Sarmaticum.*

Ad num. I. Bellum adverſus Sarmatas hoc anno tribuſque conſequentibus geſſit Conſtantinus, de quo bello Euſebius in Vita Conſtantini lib. 4. cap. 5. & 6. Sozomenus lib. 1. cap. 8. Zoſimus lib. 2. & Porphyrius in Conſtantini Panegyrico cap. 19. 21. & 25. Ad illud Conſtantinus filios Veteranorum evocavit, ut docet L. 1. Cod. Theod. *De filiis milit. apparit.* quorum multi per Italiam militiam detrectavere, ut & proximo anno Lex 2. *De Veteranis.* Quod & aliàs ſæpe factum, ut notat Gothofredus in Comment. ad eas Leges.

Baron. num. II & ſeqq.

IV. *Literæ Alexandri Epiſc. Alex. ad Arium.*

Ad num. II, III & IV. Cùm Licinius anno trecenteſimo viceſimo quarto debellatus fuerit, & ante eum annum Conſtantinus neque Ægyptum neque Orientem obtinuerit, hujus literæ ad Alexandrum Epiſcopum Alexandrinum & Arium, Hoſii Legatio, & Concilium Alexandrinum, eo præſidente, celebratum, anno CCCXXIV, aut inſequentis initio collocanda. Nec Hoſius in Oriente aut Ægypto diu commorari potuit, cùm anno CCCXXV menſe Junio Synodo Nicænæ interfuerit.

Baron. num. VI & ſeqq.

V. *Synodus Gangrenſis.*

Ad num. V. Si *Hoſius* Synodo Gangrenſi præfuit, ut exiſtimavit Baronius, ea ante annum CCCXXIV celebrari non potuit; cùm eo tantùm anno Conſtantinus, cujus ſubditus erat Hoſius, Oriente potitus fuerit. Verùm *Dium* præſtantiſſimum Præſulem hujus Synodi Præſidem fuiſſe, docet Libellus Synodi-

Baron. anno 361. n. XLIV & ſeqq.

cus; *Hoſium* autem eidem duntaxat adfuiſſe rectè deducit Marca in Diſſert. de veteribus Collectionibus Canonum cap. 2. quòd recenſeatur quidem in epiſtola Synodica, ſed permixtus aliis Epiſcopis, & inter ultimos; quod cùm Sedis Apoſtolicæ dignitati non congruat, dici non poteſt Legatione Romana *Hoſius* in ea functus. Quod ſi *Symmachus* Papa in Synodo Romana habita anno D IV Synodi Gangrenſis canones duos citet, aſſeratque, *Apoſtolica auctoritate hos canones conditos eſſe*, factum id, quia etſi Provincialis Synodus Gangrenſis eſſet, tamen cùm auctoritate Sedis Apoſtolicæ jam eſſet in Occidente recepta, perinde erat ac ſi ab initio eadem auctoritate canones illos conſtituiſſet. Cùm verò *Hoſius* ſub Conſtantio Imperatore vitâ exceſſerit, &, ut ſuo loco videbitur, anno CCCLVIII in Hiſpaniam reverſus ſit, liquet, ante eum annum hanc Synodum congregatam. Valeſius in Notis ad Socratem lib. 2. cap. 43. perperam ſcribit, hoc Concilium ante Valentis Imperatoris tempora congregatum non eſſe, quia Divus Baſilius in epiſtola LXXIV, quam ad Occidentales ſub Valente contra *Euſtathium* Sebaſtenum dedit, Gangrenſis Concilii nullam mentionem facit; argumentum enim ab auctoritate negativa petitum, infirmum. Rectè tamen Valeſius obſervat, *Euſtathium* illum, qui in Synodo Gangrenſi damnatus eſt, diverſum non eſſe ab *Euſtathio* Sebaſteno; quod tamen Baronius nullius Auctoris teſtimonio nixus affirmavit. Baronii etiam conjecturæ de *Euſtathii* Monachatu, & de Monachis in Armenia parum faciendæ; cùm Sozomeno Socrates & Nicephorus à Baronio laudati ſuffragentur. Porro tam Epiphanius in hæreſi Arianorum, quàm Divus Baſilius in citata epiſtola, teſtes ſunt, *Euſtathium* Sebaſtenum Hæreticum fuiſſe, & in Arianæ hæreſis defenſione ad obitum uſque perſeveraſſe.

VI. *Error Libelli Synodici circa Synodum Gangrenſem.*

In Libello Synodico *Synodus Gangrenſis* inter tertiam Romanam Synodum Damaſi anno CCCLXXIV celebratam, & Romanam quartam Damaſi paulò poſt Valentis Imperatoris mortem recitatur. Quod eſſe non potuit, cùm *Hoſius*, ut diximus, Synodo Gangrenſi interfuerit, & ad Valentis tempora non pervenerit. Quæ de hac Synodo Libellus Synodicus habet, referuntur tomo II Conciliorum editionis Labbeanæ pag. 428. ſed cùm in Libello Synodico collocetur poſt Nicænam, & proximè ante Tyriam, miror, Labbeum Lectorem non monuiſſe, ex mente Auctoris Libelli Synodici eam inter III Romanam Damaſi, & IV Romanam ejuſdem Pontificis collocandam fuiſſe. Porro extat Libellus Synodicus in Bibliotheca Juris Canonici tomo II. De Concilio Gangrenſi vide quæ infrà dicam.

VII. *Obitus S. Philogonii.* Baron. num. XXVII.

Ad num. X. *S. Philogonius*, qui in Martyrologio Romano, & Menæis die XX Decembris colitur, mortuus eſt anno circiter CCCXXI. Theodoretus enim in lib. 1. cap. 3. tradit, eum *pro veritatis defenſione ſingulare ſtudium Licinii temporibus* declaraſſe; Liciniana autem perſecutio hoc tantùm anno cœpta. Præterea Theodoretus ibidem cap. 4. recitatâ Alexandri Epiſcopi Alexandrini epiſtolâ Synodicâ ad Alexandrum Epiſcopum CP. adverſus Arium, ait: *His conſona ſcripſit ad Philogonium Eccleſiæ Antiochenſis Antiſtitem.* Ea autem Synodica anno ſequenti, vel anno CCCXXI ſcripta. Quis quóve tempore Philogonio ſucceſſerit, valde obſcurum. Sozomenus in lib. 1. cap. 2. ait: *Conſulibus Criſpo & Conſtantino Cæſaribus* (anno ſc. CCCXXI) *Antiochiæ nemo adhuc poſt Romanum conſtitutus fuerat Epiſcopus, perſecutionibus, ut veriſimile eſt, ordinationem fieri prohibentibus. Sed non multò pòſt Epiſcopi apud Nicæam congregati, cùm Epiſcopus eſſet* (nempe Euſtathius) *vicinæ urbis Berrœa, illum inde Antiochiam tranſtulere.* Nicetas in Theſauro Orthodoxæ Fidei lib. 5. cap. 5. ſcribit, Paulinum Philogonio ſucceſſiſſe, & Paulino *Romanum*. Nicephorus etiam, ſicuti Theophanes, & Zonaras, & Hieronymus in Chronico, Paulinum Philogonii ſucceſſorem faciunt. Imò Theodoretus in Indiculo Epiſcoporum qui magnis urbibus præerant, quando Hiſtoriam ſuam abſolvit, Epiſcopos Antiochenos hoc ordine recenſet: *Vitalis*, *Philogonius*, *Euſtathius*. Et in lib. 1. cap. 7. ait etiam Euſtathium Philogonio ſucceſſiſſe. Præterea in controverſia verſatur, an Paulinus, qui Euſtathium præceſſit, ſit Paulinus ille, qui è Tyri ſede ad Antiochenam aſſumtus: an verò is eidem Euſtathio ſucceſſerit; ita ut hic inter duos Paulinos ſederit. Quia in re non parum intricata dicendum exiſtimo, Paulinum illum, qui Philogonio ſucceſſit, diverſum eſſe à Paulino, qui è ſede Tyria ad Antiochenam tranſlatus eſt. Prior itaque Paulinus, ut laudati Auctores teſtantur, Philogonio ſucceſſit; ſed ob pravos mores dignitate motus eſt, ut docet epiſtola Synodica Concilii Serdicenſis anno CCCXLVII celebrati, in qua & dicitur: *Uſque in hodiernum diem in apoſtaſia permanens, cum concubinis publicè & meretricibus fornicatur.* De quo Paulino mentio etiam apud Sozomenum in lib. 3. cap. 11. de iis loquentem, quæ in Synodo Serdicenſi acta ſunt. Sozomenus autem & Nicetas *Romanum* Philogonio ſucceſſiſſe ſcribunt, quia, ut conjicere licet, poſt Paulini abdicationem Eccleſiam Antiochenam Paſtore deſtitutam rexit. Fallitur autem Valeſius in Notis ad lib. 1. Sozomeni cap. 2. ubi exiſtimat, Sozomenum & Nicetam loqui de *Romano* Diacono Cæſareæ, cujus martyrium recitat Euſebius in Appendice de Martyribus Palæſtinæ cap. 2. Is enim anno primo perſecutionis Diocletianeæ morti traditus eſt. Quare Sozomenus & Nicetas de alio *Romano* hoc tempore vivente, intelligendi. Nicephorus autem aliique annos quinque Paulino tribuunt, quia ab hujus electione ad Euſtathii initium anni quinque fluxere.

VIII. *An unus Paulinus vel plures.*

Hankius in libro de Byzantinarum rerum Scriptoribus Græcis cap. 1. num. CCXLIII & ſeq. difficultatem hanc examinavit, concluſitque, unicum admittendum eſſe *Paulinum*, qui Tyro Antiochiam poſt Philogonii obitum tranſlatus fuerit, & ante Concilium Nicænum è vivis exceſſerit. Addit, Euſebium eidem *Paulino* Tyriorum Epiſcopo decimum Hiſtoriæ ſuæ librum dicaſſe. Sed hæc opinio ſtare non poteſt. Quis enim ſibi

in

in animum inducet, Euſebium librum illum viro ob crimina Epiſcopatu dejecto nuncupaſſe? Præterea anno trecenteſimo viceſimo quinto, quo Hankius Euſebium Hiſtoriam ſuam abſolviſſe, & ante celebratam Nicænam Synodum publicaſſe arbitratur, non Tyri, ſed Antiochiæ Epiſcopus *Paulinus* erat; cùm in Concilio tantùm Nicæno, ut infrà dicetur, *Paulinus* Euſtathio ſucceſſerit. Denique anno CCC XLVII Paulinus quondam Antiochenus Epiſcopus adhuc in vivis erat, ut mox dixi. Quare ſi unicus Paulinus admittendus ſit, ut vult Hankius, is non niſi poſt Euſtathium depoſitum Antiochenam Sedem obtinuit, & præterea ante Synodum Nycænam Tyriorum Epiſcopus fuit.

IX. *Prohibitio Haruſpicinæ.* *Conſtantinus* hoc anno & tribus proximis nunquam in Gallia conſtitit, verùm ſemper in Pannonia *Sirmii* aut *Sabariæ*, vel in Dacia *Serdicæ*, aut *Naiſſo* ferme, niſi quando proximam Pannoniæ *Aquileiam* divertere libuit; bello enim *Sarmatico* occupatus fuit. Aquileiam autem aliquandiu ſubſtitiſſe docent Leges Codicis Theod. 9. *De appellationibus.* & 6. *De Decurionibus.* menſe Junio Julioque datæ. Interim tam hoc anno, quàm tribus conſequentibus *mores populi Romani* in melius variis rationibus vertere, atque ad pietatem, humanitatem, pacem & concordiam traducere inſtituit, tum edictis *ad populum* emiſſis, Romæque propoſitis, tum Conſtitutionibus *ad Baſſum*, Maximumque Præfectos Urbi datis, quæ in id conſulendæ ſunt omnes per hoc quadriennium. Cui alioquin rei fidem quoque faciunt Porphyrius in Panegyrico carm. 6. & Nazarius in Panegyrico capite 38. Inter alia verò Romæ, quæ veteris ſuperſtitionis retinentior erat, *Haruſpices* privatim conſulendi poteſtatem inhibuit, publicè conſulendi poteſtate adhuc facta. Unde tamen non rectè collegit Baronius, Conſtantinum hoc tempore vitium eſſe in deterius lapſum. Verùm, quia evellendæ è Gentilium animis *Haruſpicinæ* par nondum erat Conſtantinus, & Romæ quidem ac per Italiam, quam *Haruſpicinæ* nominatim fidem maximam habuiſſe ſcribit Herodianus lib. 8. cap. ideo ſatis habuit Conſtantinus ſuæ interim ſaluti & publicæ quieti Leg. 2. Cod. Theod. *De maleficis & mathematicis.* ea ratione conſuluiſſe, prohibitis ſacrificiis domeſticis, & privatarum ædium ingreſſu Haruſpicibus interdicto. Vice verſa ſicut *Haruſpicinam* privatim exerceri Conſtantinus vetat, ita publicè eam exerceri permittit, ſcilicet apud aras publicas & delubra, & retento more veteris obſervantiæ. Quare per hæc *reformationis*, ſi ita loqui fas eſt, initia, delubra omnia & aræ inviolatæ ſtabant. Quin & Leg. 1. ejuſdem Codicis *De Paganis.* Haruſpicinam in publicis quoque cauſis à Senatu Urbiciſque Magiſtratibus Romæ uſurpari Conſtantinus conceſſit; ſic tamen ut ad ſe reſponſa Haruſpicum referri vellet, de cujus rei ratione anno CCC XXI, quo hæc Lex data, agemus. Quæ omnia accuratè à Gothofredo in Commentario Legis 1. *De maleficis & mathematicis.* obſervata. Hinc in Arcu Conſtantini in ejus Decennalibus erecto ſculpta ſacrificia, ut videre eſt anno CCC XII, num. VII, propter rationem ſcilicet à Gothofredo inſinuatam, licèt Euſebius in Vita Conſtantini cap. 48. de Conſtantini Decennalibus ſcribat: *Dum in hoc ſtatu eſſet, decimus Imperii ejus annus evolutus eſt. Cujus rei causâ feſtis diebus per univerſum Orbem Romanum celebratis, preces cum gratiarum actione tanquam puras victimas, ignis & nidoris expertes, Deo omnium Regi obtulit.* Hæc enim cum ſacrificiis in Arcu Conſtantiniano ſculpeis non pugnant.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5813. ☉ 21 C B. ☽ 17. P. 20. APRIL. INDICT. 8.
JESU CHRISTI 310.
SILVESTRI PAPÆ 7.
CONSTANTINI 15. LICINII 14.

COSS. *Conſtantinus Aug. VI, & Conſtantinus Cæſar.* **I.** *Conſules.*

Conſulatus Conſtantini Cæſaris juxta priorem regulam; tres enim Cæſares anno CCC XVII creati deinceps Conſules fuere. Conſtantini verò Auguſti Conſulatus juxta ſecundam; in hunc enim annum Imperii ejus Cæſarei Quindecennalia incidunt. **II.** *Quinquennalia Conſtantini.*

III. *Quindecennalia Criſpi & Conſtantini jun.* Ad num. I. Exiſtimavit Baronius, Criſpum & Conſtantinum Cæſares anno currenti Quinquennalia celebraſſe; qui error ex alio natus, quòd nempe utrumque cum Licinio Licinii Auguſti filio anno trecenteſimo decimo quinto Cæſares nuncupatos fuiſſe crediderit. Sed hanc dignitatem anno trecenteſimo decimo ſeptimo illis conceſſam ſuo loco demonſtravi: Criſpum verò & Conſtantinum ejus fratrem anno tantùm ſequenti, quo ſecundum Conſulatum geſſere, Quinquennalia exhibuiſſe, indicant eorum Numiſmata mox referenda, in quibus uterque Cæſar cum habitu Conſulari repræſentatur, & hæc Vota diſertè memorantur. Rem magis certam redderet Numiſma à Patino V. C. in Numiſmatis Imperatorum relato, in quo Criſpus dicitur *Conſul II.* CRISPUS N. C. COS. II. in poſtica: BEATA TRANQUILLITAS; & in baſi, VOTIS XX. Verùm in Criſpi Cæſaris Nummis aliorumque Imperatorum, aut Cæſarum, qui per hæc tempora vixere, Conſulatus nunquam cum numerali nota legitur, ideoque Nummus ille malè deſcriptus. Ea Quinquennalia anno ſequenti edita Conſtantino M. abſente, & apud eum conſtitutis Criſpo & Conſtantino filiis, ut teſtatur Nazarius in Panegyrico in hac feſtivitate dicto. *Baron. num. I & II.*

IV. *Quindecennalia Conſtantini M.* Conſtantinum verò Magnum præſenti anno Quindecennalia dediſſe indicat ibidem Nazarius cap. 2. quando ait: *Quintum-decimum maximus Princeps ſalutaris Imperii degit, ſed auguratur jam Vicennalia, & venturi fidem ſuperiorum felicitate ſancimus. Quinquennalia beatiſſimorum Cæſarum occupatos in gaudiis habent, ſed in deſtinatis decenniis jam Vota properantia, & ſpes volucres conſtiterunt.* Quare anno trecenteſimo viceſimo primo, quo eam orationem recitatam certum, Conſtantinus Auguſtus jam Quindecennalia peregerat, & Vota Vicennalia, ut moris erat, inceperat: Nazarius enim de Quinquennalibus filiorum & Vicennalibus patris æquabili ratione loquitur, ſeu de

Votorum Quinquennalium ſolutione, & de Vicennalium nuncupatione poſt Vota Quindecennalia ſoluta. Quòd ſi Kalendis Martiis anni CCC XXI, quo die ea Quinquennalia edita, Conſtantinus Auguſtus Vota Vicennalia nondum nuncupaſſet, ſed octavo Kalendas Augnſti, Imperii Natali, nuncupaturus fuiſſet, Nazarius non diceret, *venturi fidem ſuperiorum felicitate ſancimus*. Significat enim, ſe ex felicitate, quâ per annos jam quindecim Romani potiti eſſent, futuri quinquennii felicitatem augurari. Nec Vota Vicennalia in laudato Criſpi Cæſaris Nummo expreſſa referuntur ad Conſtantini patris Vicennalia, quæ ſolutis Votis Quindecennalibus is ſuſcepturus erat; quia, ut dixi in parte II Diſſert. Hypat. cap. 7. num. XVII, Votorum nondum nuncupatorum rationem aliquam habitam veroſimile non eſt. Certè Vota Vicennalia ab Imperatoribus qui ſoli regnarunt, ipſo Imperii initio aliquando nuncupata, ut oſtendit Nummus Probi ſuo loco recitatus, in cujus poſtica legitur: VOTIS X PROBI AUG. & XX. Neque enim dici poteſt, hunc Nummum in Decennalibus cuſum, aut in ejus Quinquennalibus; cùm Probus ſeptimum tantùm Imperii annum attigerit, & ante Conſtantinum Magnum Quinquennalia in Nummis expreſſa non fuerint. Quamobrem ſicut Probi Nummus de propriis ejus Votis, ita & Criſpi explicandus videtur.

V. *Criſpus in aliquibus Nummis cũ veſte Conſulari, in aliis ſine ea.*

Papebrocius tamen in Actis Sanctorum menſis Maii ad diem XXI, Conſtantini Magni Vitam illuſtrans, refert ejus ac filiorum Nummos Conſulares ab Alexandro Wilthemio illuſtratos, inter quos habetur Nummus Criſpi inſcriptus: JUL CRISPUS NOB CAES, in poſtica, BEATA TRANQUILLITAS, in laurea, VOTIS XX, & alter Nummus Conſtantini junioris inſcriptus: CONSTANTINUS JUN NO, cum eadem poſtica, utroque Cæſare in habitu Conſulari repræſentato. Ex quibus infert Wilthemius, Conſtantinum M. anno trecenteſimo viceſimo quarto, quo Criſpus & Conſtantinus junior Cæſares tertium Conſulatum geſſere, paternorum Vicennalium eo anno Nicomediæ, ut ipſe putat, editorum, honori in Nummis participaſſe, dante hoc Conſtantino liberorum ſuorum Conſulatui, ut cohoneſtaretur pompâ & celebritate Vicennalium ſuorum. Animadvertit enim Wilthemius, Criſpum Cæſarem in aliquibus Nummis Votis XX inſignitis habitu Conſulari efformari; in aliis verò, quibus eadem Vota Vicennalia inſcripta, ornamentis Conſularibus carere; indeque deduci autumat, priora Vicennalia eſſe Conſtantini M. *Nicomedienſia*, cùm Conſul eſſet Criſpus, & poſteriora eſſe Vicennalia paterna *Romana*, quibus Conſul erat ipſe Conſtantinus pater. Sed, præterquam quòd Conſtantinum M. Vicennalia *Nicomedienſia* anno trecenteſimo viceſimo quinto poſt Concilium Nicænum habitum celebraſſe certum indubitatumque ſit, ex Nummo *Probi* Vota Vicennalia propria Nummis Imperii initio cuſis aliquando inſcripta fuiſſe jam oſtendimus patetque ex Conſtantini junioris Cæſaris Nummo in quo cernitur cum habitu Conſulari, & Vota Vicennalia notantur, in Quinquennalibus ejus mentionem factam eſſe Votorum Vicennalium propriorum ſuo tempore ſolvendorum. Denique infrà viſuri ſumus, Criſpum & Conſtantinum Cæſares non anno trecenteſimo viceſimo quarto, quo Conſulatum geſſere, ſed anno trecenteſimo viceſimo quinto, quo privati, Probus nempe & Paulinus, annum aperuere, Decennalia ſua dediſſe. Quare Wilthemii explicatio rejicienda.

VI. *Quinquennalia filiorũ in Nummis patrum, & è contrà repræſentata.*

Ceterùm, ut rem hactenus valde obſcuram magis explicem, Vota Quinquennalia patrum Nummis filiorum, & è contrâ filiorum Quinquennalia & id genus Vota patrum Nummis aliquando inſcripta fuiſſe, multi Nummi demonſtrant. De Votis fratrum vel filiorum liquet ex Numiſmate *Decentii* Cæſaris Magnentii Tyranni fratris, quod extat apud Baronium, in quo legitur: DN. DECENTIUS NOB. CAES. in poſtica: VICTORIA DD. NN. AUG. & CAE. VOT. V. MULT. X. Cuſus ille Nummus poſtquam *Magnentius* tyrannidem arripuit, & *Decentius* Cæſar nuncupatus Quinquennalia Vota ſuſcepit poſt quintum annum ſolvenda. Teſtatur enim Zoſimus lib. 2. *Decentium* Cæſarem renuntiatum non eſſe, niſi poſtquam *Vetranio* jam Auguſtus dictus fuerat. Ad hæc, Occo exhibet Maxentii Tyranni Nummum in averſa parte inſcriptum: VICTORIA DD. NN. AUG. & CAES. VOT. V. MULT. X. Percuſſus is Nummus non ipſo Imperii Maxentiani initio, ſed eo tempore, quo jam victoriis inclytus *Romulum* filium Cæſarem appellavit, in cujus Nummis Vota Quinquennalia jam à ſe, cùm Imperium arripuit, emiſſa, repræſentari voluit; qua in re poſtea eum *Magnentius* ſecutus eſt, ut ex *Decentii* fratris Nummo relato diſcimus. Ex quibus intelligimus, Vota patrum, etiamſi nondum ſoluta fuiſſent, modò emiſſa eſſent, in Nummis filiorum aliquando expreſſa, perperamque à Wilthemio ſcriptum, Conſtantinum M. Vicennalia Nicomedienſia anno trecenteſimo viceſimo quarto celebraſſe, quòd in Nummis Criſpi & Conſtantini Cæſarum filiorum ejus Vota Vicennalia paterna, ut ipſe putat, repræſententur; cùm ipſo Imperii eorum Cæſarei initio, vel anno, quo Quinquennalia exhibuere, ſimiles Nummos percuti in more poſitum fuerit. Interim ex Nummo *Maxentii* conſtat, *Romulum* ejus filium Cæſarem renuntiatum non eſſe ante annum CCC VIII; cùm anno inſequenti Conſul iterum proceſſerit, ejuſque ſecundi Conſulatus nulla alia ratio reddi poſſit, niſi quæ ex ejus nuncupatione petitur.

VII. *Conſtantinus hoc anno in Galliis nõ fuit.*

Exiſtimavit Baronius, hoc anno Conſtantinum in Galliis fuiſſe, quòd Lex 2. Codicis Theod. *De Veteranis*. dicatur data *Kalend. Mart. in civitate Velovocorum, Conſtantino A. VI, & Conſtantio Caſ. Conſſ.* Velovocorum enim nomine *Belovacorum* in Gallia urbem, ut alii paſſim, intelligit. Verùm loco *Velovocorum* reſcribendum, *Velanorum*, ut obſervat Gothofredus in illius Legis Commentario. Ea enim urbs in Mœſia ſuperiore fuit, & quidem interior ſeu mediterranea, non ad Danubium ſita, ſed ab eo diſſita, teſte Ptolomeo lib. 3. cap. 9. & me-

dia quidem inter Serdicam, cui etiam propior, & Sirmium. Neque enim Conſtantinus hoc tempore in Gallia ſubſtitit, ſed vel in Pannonia, vel in Myſia, aut Dacia, Sirmii aut Serdicæ, ut ex Legibus Cod. Theod. deducitur, idque propter bellum Sarmaticum. Hæc porro Lex 2. *De Veteranis.* quâ varia privilegia tam iis, quàm eorum filiis largiuntur, ad Quinquennalia Conſtantini M. referenda. Errore autem qui ſæpe in Codice Theod. occurrit, dicitur ea data, *Conſtantino & Conſtantio Coſſ.* ubi ſecundus Conſul Conſtantinus Cæſar, non verò Conſtantius frater, qui nondum Cæſar erat, intelligendus. Eorum etiam Quindecennaliorum occaſione varia privilegia à Conſtantino conceſſa, ut videre eſt in Codice Theod.

VIII. *Silvanus in exilium miſſus.*

Hoc anno *Silvanus* Donatiſta Cirtenſium Epiſcopus in exilium miſſus, quòd pacem Eccleſiæ Africanæ aſſiduis factionibus perturbaſſet, ut videre eſt anno CCC VI, quo cum Baronio, loco non ſuo, hac de re egimus.

Olymp. 275.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5814. ☉ 22 A. ☽ 18. P. 2. APRIL. INDICT. 9.
JESU CHRISTI 321.
SILVESTRI PAPÆ 8.
CONSTANTINI 16. LICINII 15.

I. *Conſules.*

COSS. *Criſpus Cæſar II, & Conſtantinus Cæſar II.*

II. *Quinquennalia Criſpi & Conſtantini junioris.*

Hic Conſulatus juxta ſecundam regulam ab utroque ſumtus, ob Quinquennalia nempe Imperii Cæſarei ab utroque hoc anno edita, ut anno antecedenti oſtendimus, utrumque anno CCC XVII nuncupatum fuiſſe Cæſarem demonſtrat. Si Conſtantinus M. duo Quindecennalia exhibuit, poſteriora ad hunc annum ſpectant.

III. *Donatiſtis libertas Religionis ſuæ exercendæ conceſſa.*

Baron. n. II. & III.

Ad num. I. Relaxatio *Donatiſtarum* ab exilio horum Quinquennalium effectus. Annis enim quibus id genus ſolennia celebrata, & indulgentia criminum, & indulgentia debitorum, ut Antiqui vocabant, concedi ſolita. His itaque Conſulibus Epiſcopi partis Donati libellum dederunt Conſtantino, poſcentes ut *Silvanum* & Collegas ab exilio revocaret, néve ad communionem *Cæciliani* cogerentur. Reſcripſit Conſtantinus ad *Verinum* Vicarium Africæ, ſe juſſiſſe ſignificans, ut Donatiſtæ ab exilio remanerent. Baronius hoc reſcriptum quidem commemoravit; ſed nullam mentionem fecit libelli Donatiſtarum: cùm tamen eo reſcripto Conſtantinus libello Donatiſtarum reſponderit; propterea quòd Baronius capita Geſtorum Collationis tertiæ Carthaginenſis non legerat, in quibus id diſertè ſcriptum habetur, ut notat Valeſius in Diſſert. de Schiſmate Donatiſtarum cap. 17. Hæc Auguſtini verba in c. 544. *Proſecutio Donatiſtarum, quâ Principi Conſtantino Libellum aſſerunt proprios dediſſe majores, & eo Principem motum agendi eis dediſſe licentiam. Recitatio Libelli, &c. Proſecutio Catholicorum, quâ aſſerunt pro ſe facere Libellum, quem recitaverunt Donatiſtæ. Interlocutio Catholicorum dicta confirmans, & reſcriptum Conſtantini præcipiens recitari. Ubi recitatur epiſtola Conſtantini ad Verinum Vicarium deſtinata, quâ libertatem agendi* (quòd vulgò dicere ſolemus libertatem conſcientiæ) *tribuit Donatiſtis. Proſecutio Catholicorum, quæ dicit pro ſe magis facere epiſtolam Conſtantini, quia non de Cæciliano aliquid judicatum eſt, ſed furori ſuo ipſi permiſſi ſunt. Ubi Donatiſtæ petunt, ut Judex de permiſſa ſibi à Conſtantino arbitrii libertate pronuntiet.*

IV. *Conſtantinus in deterius non eſt prolapſus.*

Baron. num. XVIII

Ad num. VIII & IX. Exiſtimavit Baronius, Conſtantinum M. præſenti anno in deterius prolapſum eſſe, quòd edictum pro *Haruſpicina* emiſerit. Sed cùm nullus ex Antiquis hujus edicti occaſione Conſtantinum reprehenderit, quòd à Religione defecerit, aut ad avitam ſuperſtitionem redierit, jure merito Gothofredus in Commentario L. 1. Codicis Theod. *De Paganis.* & ex eo Morinus in Hiſtoria Gallica de liberata Eccleſia per Conſtantinum lib. 2. hujus Imperatoris defenſionem ſuſcepere. Conſtantinus itaque ea Lege licentiam tam Senatui, quàm privatis facit *Haruſpices* Romæ conſulendi, ac nominatim de fulguris tactu; unde etiam *Fulguratores* Haruſpices dicti, quorum ſcientia circa hæc tria verſabatur, circa exta, fulgura, & omina, teſte Cicerone lib. 2. de Divinat. Hæc & ante biennium ferme quoque mens eidem Conſtantino fuit, ut liquet ex Lege 1. & 2. Codicis Theod. *De maleficis.* Verùm quæ in illis omnibus Legibus conſtituuntur, non fuere Conſtantini *Haruſpicinam* probantis, ſed tantùm in aliis hactenus permittentis, quòd ei nempe tum abolendæ par nondum eſſet. Hoc enim apertè hæc Conſtantini verba in Lege 1. *De maleficis.* ad Maximum Præfectum Urbis manifeſtè indicant: SUPERSTITIONI *enim ſuæ ſervire cupientes, poterunt publicè ritum proprium exercere.* Vides, *ſuperſtitionem* hanc à Conſtantino vocari, qui & dicta Lege 2. ad Populum ait: *Quid verò id vobis* EXISTIMATIS *conducere, adite aras publicas atque delubra: &* CONSUETUDINIS VESTRÆ *celebrate* SOLENNIA. *Nec enim?* PROHIBEMUS PRÆTERITÆ USURPATIONIS *officia liberâ luce tractari?* Quæ Conſtantini fidem animumque ab omni ſuperſtitione averſum manifeſtè produnt.

V. *Conſtantinus Eccleſiæ favet.*

Et ſanè quæ Conſtantinus mox hoc ipſo anno Eccleſiæ bono fecit Lege 4. Codicis Theod. *De Epiſcopis.* hanc ſuſpicionem eluunt: quæ, inquam, conſtituit de teſtamenti factione paſſiva Eccleſiis tributa, & quidem edicto ad Populum Romanum emiſſo, unde opes potiſſimùm in Eccleſiam confluxerunt. Quod quidem edictum hoc anno *III Non. Jul. Rom.* propoſitum, datum fuit poſt hanc Legem *De Paganis.* Hinc Conſtantino jam meritò accepta feruntur bona Eccleſiæ, non tantùm quæ ipſe donavit, verumetiam quæ ut donare liceret, conceſſit: ut rectè cenſet Sirmondus ad Aviti epiſt. XXIX, ubi Avitus Epiſcopus Viennenſis ad Gundabaudum Regem Burgundiæ: *Quidquid habet Eccleſiola mea, imò omnes Eccleſiæ noſtræ, veſtrum eſt, de ſubſtantia quam vel ſervaſtis hactenus, vel donaſtis.* Præterea Conſtantinum ab anno CCC XIX uſque ad ſequentem Sarmatico bello ferme illigatum, atque in Pannonia, Dacia, Myſia, vel etiam Aquileiæ conſiſtentem, frequentibus non tantum

Conſtitutionibus, ſed etiam edictis ad *Populum* emiſſis Romæque propoſitis, mores Populi Romani in melius ad humanitatem omnem pietatemque flectere conatum eſſe, docent variæ Conſtitutiones per illud quadriennium ab eo latæ. Conſtantinus itaque, ut Gentilibus Religionis ſuæ exercitium per Imperii ſui initia relinquere coactus fuit, antiquandis videlicet illis ſimul & ſemel longè tum impar; ita Haruſpicinæ quoque conſervandæ ac nominatim Romæ hac Lege poteſtatem adhuc fecit.

V I. *Quibus conditionibus Haruſpicina à Conſtantino permiſſa.*

Ne autem hoc libertatis obtentu veloque illicitis opera daretur, in ſuam videlicet, vel Reipublicæ perniciem, duabus rationibus ſuæ & Reipublicæ ſaluti & ſecuritati conſultum ivit; quemadmodum ut magicis artibus permiſſis, privatorum ſaluti proſpexit Leg. 3. Cod. Theod. *De maleficis.* Primùm enim tam hac Lege, quàm Lege 1. & 2. *De maleficis. publice* tantùm apud aras publicas & delubra, liberaque luce hæc tractari, ſeu *Haruſpices* conſuli, eoſque reſpondere voluit, ac non etiam intra domos ſeu limina privata. Secundò, *ſcripturam collectam*, id eſt, reſponſa, denuntiationes, interpretationes Haruſpicum de publicis fulgoribus conſultorum *ad ſuam ſcientiam*, ſeu ad ſe referri voluit Conſtantinus, non quaſi his quidquam delaturus, fidemque habiturus, quod malè Zoſimus lib. 2. pag. 685. ſcribit, verùm ut hac ratione ſuæ ac Reipublicæ ſaluti conſuleret, videretque, num quid *Haruſpices* hiſce reſponſis ſuis in ſuum vel Reipublicæ detrimentum conſultoribus reſponderent. Nam præterquam quòd genus hoc hominum ſperantibus fallax, potentibus infidum eſſe ſolet, peculiares cauſas eos vel ſuſpectiſſimos habendi Conſtantinus habuiſſe videtur; nempe Gentilibus ob profectum Religionis Chriſtianæ ubique indolentibus & ingemiſcentibus. Conſtantinus igitur non quaſi Haruſpicinam ipſe probaret, fidemque ei accommodaret, ſed probandæ ipſorum fidei ad ſuam ſcientiam Haruſpicum reſponſa referri voluit. Denique ipſemet poſtea fidentior *Haruſpicinam* penitus ſuſtulit, ut teſtantur Zoſimus citatus pag. 686. Euſebius in Vita Conſtantini lib. 2. cap. 4. & Sozomenus lib. 1. cap. 8. Quæ omnia in defenſionem Conſtantini à Gothofredo laudato in medium adducta.

VII. *Concilia adverſus Arium.*

Hoc anno celebrata duo Concilia Alexandrina adverſus Arium errorem ſpargere incipientem, ut anno CCC XV oſtendimus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5815. ☉ 25 G. ☽ 19. P. 22. APRIL.
INDICT. 10.
JESU CHRISTI 322.
SILVESTRI PAPÆ 9.
CONSTANTINI 17. LICINII 16.

I. *Conſules.*

COss. *Petronius Probianus*, & *Anicius Julianus*, ex Inſcriptione à Baronio relata.

I I. *Quinquennalia Licinii junioris.*

Quindecennalia Imperii Auguſtei tam Conſtantini Magni, quàm Licinii Auguſti hoc vel præcedenti anno acta, quemadmodum & Quinquennalia Licinii Cæſaris, cujus Nummum Cangius V. C. tabulâ 7. *Conſtantinopolis Chriſtianæ* recitat, in poſtica inſcriptum: VIRTUS EXERCIT. in labaro, VOT. XX. qui Nummus vel in ejus Quinquennalibus, vel ejus Imperii Cæſarei initio cuſus, cùm Decennalia non celebrarit.

III. *Criſpus Cæſar Romam venit.*

Ad num. I. Criſpus Cæſar cum *Helena avia* ſua à patre Conſtantino è Pannonia digreſſus Romam venit. Quare propter hunc Criſpi & Helenæ *paratum* vel *apparatum*, ut legendum cenſet Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani, indulgentiam criminum Conſtantinus dedit, ſicut liquet ex Lege 1. ejuſdem Codicis *De indulgentia criminum.* quam pluribus Gothofredus explicat. Baron. n. 111.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5816. ☉ 24 F. ☽ 1. P. 7. APRIL. Olymp. 275. *ſecundũ Baronium.*
INDICT. 11.
JESU CHRISTI 323.
SILVESTRI PAPÆ 10.
CONSTANTINI 18. LICINII 17.

I. *Conſules.*

COss. *Severus* & *Rufinus.* Anno CCC XXV Acilius Severus Præfectus Urbi fuit, ex libello de Præfectis Urbis, qui ideo videtur hoc anno Conſulatum geſſiſſe.

I I. *Chriſtiani ad Luſtrorũ ſacrificia nõ compellendi.* Baron. n. 1.

Ad num. II. Nullam veroſimilitudinem præ ſe fert ſententia Baronii exiſtimantis, Gentiles hoc tempore elatos in Chriſtianos inſolenter egiſſe, atque invitos ad *Luſtrorum* ſacrificia pertrahere ſtuduiſſe, occaſione ſanctionis Conſtantinianeæ anno præcedenti datæ, Legis, inquam, Codicis Theodoſiani 1. *De Paganis.* quâ Conſtantinus Romæ Haruſpicum conſulendorum facultatem fecerat. Perperam enim omnino id inde colligitur, quaſi ſcilicet viſus fuerit Conſtantinus reſcripto illo ad avitam ſuperſtitionem rediiſſe. Neque enim Lex illa eſt Conſtantini *Haruſpicinam* probantis, ſed eam tantùm Romæ Gentilibus tum adhuc indulgentis. Ita hoc anno Conſtantinus Legem 5. Codicis Theodoſiani *De Epiſcopis.* emiſit, quâ iiſdem Luſtrorum ſacrificia conceſſit; ad quæ celebranda, ritumque Gentilitiæ Religionis ſervandum, cùm Eccleſiaſticos & Fideles compellerent, ea Lege id vetuit Conſtantinus ſub graviſſima fuſtuarii ſupplicii pœna, vel graviſſima mulcta. Hanc Legem egregiè illuſtrat Gothofredus in ſuo Commentario. Obſervat enim „Gentiles, ubi potiores loco ſeſe crederent, in Chriſtianos audere ſolitos; veluti ad templorum ſolenniumque templorum curam ſubeundam, de quo eſt Theodoſii Magni Lex Codicis Theodoſiani 112. *De Decurionibus.* Idem ad convivia & ſpectacula Gentilitia celebranda, de quo ſunt Canones Africani. Ex quo patet, jam Chriſtianos ultro ab hujuſmodi ritus Gentilitii participatu abhorruiſſe, quos Gentiles huc compellere vel adigere niterentur, ut vel ita conſectaneos ſibi redderent. Quare, etſi res Chriſtiana in dies magis invaleſceret, próque ea propaganda multa jam Conſtantinus molitus fuiſſet, ſanxiſſetque, nondum tamen Gentilitii ritus omnes, nondum ſacrificia prohibita erant: quod poſte-

riùs factum. Sed & Senatorum Magiſtratuumque quamplurimi, ut & Curiæ civitatum Corporatique ferme tum Gentiles adhuc erant. Unde veniebat, ut alicubi prævalentes, vim hanc Chriſtianis adhiberent; de quo querelæ ad Conſtantinum perlatæ: cui ideo intercedere, hac Lege 5. *De Epiſcopis.* viſum.

III. *Propter bellum Gothicũ & Licinianum ſacrificia Luſtrorum celebrata.*

Sacrificia Luſtrorum, de quibus in ea Lege, videntur propter ingruentem hoſtem celebrata. Hic enim annus duobus rebus inſignis fuit: nam *Gothi* per neglectos limites erupere, vaſtatáque Thraciâ & Mœſiâ prædas egere, quos Conſtantinus Magnus repreſſit. Et præterea exortum eſt bellum Licinianum, ut anno CCC XVIII explicavimus. Quare videntur Romani Luſtrorum ſacrificia celebraſſe pro hoſtium illorum ſtrage, & pro Imperii Romani ſecuritate, ac Conſtantini ſalute & victoria. Cúmque Gentiles tum temporis Chriſtianos ad nefandos Gentilitiæ ſuperſtitionis ritus, execrandaſque hoſtiarum immolationes compellere non poſſent; ad Luſtrorum ſacrificia eos jure cogi poſſe putarunt. Quæ conjectura eſt Gothofredi citati, apud quem hac de re plura.

IV. *Perſecutio adverſus Chriſtianos cõmentitia.*

Exiſtimavit Baronius, vehementiorem aliquam, licèt non diuturnam, perſecutionem in Chriſtianos hoc anno excitatam fuiſſe, etſi tot Legum promulgatione poſt victum Maxentium ſatis muniti eſſent. Verùm quando nec unus quidem Martyr nominatur tunc Romæ paſſus, nec alterius Romani Pontificis invenitur exemplum, qui ſævientibus Tyrannis Urbem dimiſerit, non videtur veroſimile, periculum tantum fuiſſe, ut compulerit *Silveſtrum* Pontificem Romanum ad quærendas latebras in monte *Soracte* XVIII P. M. ab urbe Roma. Lepra etiam, quæ Conſtantinum coëgerit Pontificem revocare in Urbem, ſanitatis per Baptiſmum ab eo accipiendæ causâ, fictitia. Ipſemet enim Baronius fatetur, Acta S. Silveſtri Papæ, ut quidem nunc habentur, *depravata in nonnullis* eſſe, imò abſurdiſſimis farta figmentis, antiqua tamen, & quæ Gelaſius Papa annis poſt Conſtantini Magni obitum dumtaxat C LVIII à multis in urbe Romana Catholicis legi teſtatur, quòd *pro antiquo uſu multæ imitentur Eccleſiæ.* Non tamen exhinc rectè deducitur, ea Acta Gelaſii ætate iiſdem, quibus nunc vitiis, non laboraſſe. Nam etiam *Scripta de Inventione Sanctæ Crucis* immediatè poſt Actus Silveſtri nominata à Gelaſio, ut quæ *nonnulli Catholici tunc legebant*, non minùs tunc fabuloſa erant, ut patet ex auctiori Chronico Pontificum Romanorum paulò poſt Gelaſii Pontificatum collecto. Qui Actis S. Silveſtri credidiſſe videtur Gregorius Turonenſis, aliique poſt illum, ſimiliter ſcriptis de Inventione Crucis crediderunt: nec quicquam poteſt excogitari veroſimilis rationis pro unis, quod non etiam poſſit aptari aliis eodem jure; ſic ut catenus nihilo plus credi unis, quàm alteris poſſit, contra evidentem Auctorum antiquiorum & in ipſis rebus propiùs verſatorum conſenſum. Nec refert, quòd recentiores Græci ſeculo Eccleſiæ nono aut decimo ſiverint ſe in ſententiam Occidentalium adduci, tunc paſſim credentium Baptiſmi Conſtantiniani Romæ facti monumentum eſſe Baptiſterium Conſtantinianæ Baſilicæ S. Salvatoris, palatioque nominis ejuſdem conjunctum. Facile enim fuit occaſione nominis vulgò uſurpati invaleſcere opinionem, quaſi fuerit baptizatus Conſtantinus in porphyretico labro, quod ibi extat, quod tamen nec ipſe quidem Baronius credit. Hæc Papebrocius tomo V menſis Maii, ubi de S. Conſtantino Magno agit.

Baron. num. 11.

V. *Conſtantius fit Cæſar.*

Hoc anno Conſtantius Conſtantini Magni filius Cæſar nuncupatus eſt, ut oſtendo anno CCC XXV, num. XL.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5817. ☉ 25 ED. ☽ 2. P. 27. MART. INDICT. 12.
JESU CHRISTI 324.
SILVESTRI PAPÆ 11.
CONSTANTINI 19.

I. *Conſules.*

COss. *Criſpus Cæſar III*, & *Conſtantinus Cæſar III.* Sumtus hic ab utroque Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam, ob eorum nempe Decennalia, quæ tamen anno tantùm ſequenti, qui quintus eorum Imperii Cæſarei erat, celebrata ſunt, ut oſtendunt Nummi duo à Wilthemio in Nummis Conſularibus Conſtantini ac filiorum productis. In priori legitur: JUL CRISPUS NOB. C. In poſtica circum lauream: CAESARUM NOSTRORUM, in laurea, VOT. X. In altero: CONSTANTINUS JUN. NOB. CA. In poſtica, CAESARUM NOSTRORUM: infra utramque poſticam, S T R, id eſt, *Signata moneta Treviris.* In utroque Nummo ſpectantur hi Principes abſque cultu Conſulari, argumento evidenti, eos Decennalia nonniſi anno ſequenti, quo Conſules non proceſſere, exhibuiſſe. Wilthemius ibidem refert aliud Criſpi Numiſma, in cujus antica habetur: CRISPUS NOB GAES. In poſtica: D. N. CONSTANTINI MAX AUG circa lauream; in laurea: VOT. XX, infrà, S T, id eſt, *Signata Treviris.* Ubi clarè inſcribuntur *Vota Vicennalia Domini noſtri Conſtantini Maximi Auguſti.* Addit Wilthemius penes ſe eſſe ejuſdem formæ ac figuræ Numiſma Conſtantini junioris nobilis Cæſaris, cui inſcripta pariter *Vota Vicennalia Domini noſtri Conſtantini Maximi Auguſti*, utroque Cæſare ſine ornamentis Conſularibus efformato. Arbitratur Wilthemius, utrumque Nummum anno trecenteſimo viceſimo ſexto percuſſum, eodemque anno Criſpum & Conſtantinum juniorem celebraſſe & Vicennalia patris Romana, participes honoris paterni, & propria Decennalia ſua, cusâ in hujus rei memoriam eâ pecuniâ abſque habitu Conſulari, eo quòd non ipſi tunc, ſed Conſtantinus pater & Conſtantius frater eorum Conſulatu emicarent. Et ratio eſt, inquit, quia annus decimus inchoatus, à quo Criſpus & Conſtantinus junior Cæſarum titulo condecorati ſunt, reſpondet anno CCC XXVI paternis Vicennalibus Romanis claro. Hæc ille. Sed fallitur Vir eruditiſſimus; ut enim in ſecunda parte Diſſert. Hypaticæ demonſtravi, Decennalia & id genus feſta nonniſi remotè priori Imperii anno reſpondent, proximéque ab ultimis ſolennibus à Romanis ſemper repetita, ut innumeris exem-

plis conſtat. Quare cùm certum ſit, Criſpum & Conſtantinum Cæſares anno trecenteſimo viceſimo primo Quinquennalia dediſſe, eorum Decennalia in annum cccxxv, aut cccxxvi inciderunt. Ea autem anno trecenteſimo viceſimo quinto acta, ineunte nempe decimo Imperii Cæſarei anno, indicat Conſulatus ab utroque Cæſare hoc anno ſuſceptus, & certum facit Porphyrius in Panegyrico Conſtantini, ut ſuo loco videbitur. Vicennalia verò Conſtantini Magni in præfatis Nummis expreſſa Nicomedienſia ſunt, non verò Romana; cùm in iis Conſtantinus ſine habitu Conſulari repræſentetur. Quamobrem Criſpus & Conſtantinus junior tam in ſuis Decennalibus, quàm in ſuis Quinquennalibus patris Vicennalia in ſuis Nummis expreſſerunt; ut ex mox recitatis liquet; ſed non eodem anno, quo is Vicennalia Nicomedienſia, ipſi Decennalia peregere, ut Wilthemius malè ex iis deduci putat. Neque ea Decennalia in annum cccxxvi delata, cùm eo anno, ante Kalendas Martii Imperii eorum Cæſarei Natale, Criſpus perierit, uti numero ſequenti oſtendo. Nec denique uterque Cæſar paterna Vicennalia edidit: hoc enim inauditum & hactenus non ſomniatum.

III. *Criſpi Cæſaris cædes.* Baron. num. I & ſeqq.

Ad num. I. *Licinii* junioris & *Criſpi* Conſtantini M. filii interitus anno tantùm trecenteſimo viceſimo ſexto, & quidem prioribus illius anni menſibus contigit. Idacius enim in Faſtis Criſpi cædem eo anno conſignat; cúmque tam Oroſius, quàm Hieronymus in Additamento Chronici Euſebiani, Licinium juniorem eodem ac Criſpum tempore occiſum referant, ad eum etiam annum Licinii junioris mors revocanda. Præterea Zoſimus lib. 2. ſcribit, Criſpum interfectum, cùm Conſtantinus jam Licinio Auguſto Licinii junioris patri vitam ademiſſet, univerſum Imperium ad unius poteſtatem rediiſſet, ipſeque Conſtantinus M. Romam profectus eſſet. Certum autem ex dictis, Licinium Auguſtum anno trecenteſimo viceſimo quinto periiſſe, eo etiam anno Conſtantini Monarchiam inceptam; annoque trecenteſimo viceſimo ſexto Conſtantinum poſteriora Vicennalia ediſſe Romæ, ubi anno trecenteſimo viceſimo ſexto VIII Idus Julias emiſit Legem 3. Codicis Theod. *De infirmandis his, quæ ſub Tyrannis.* inſuper Criſpum, anno ſequenti poſt celebratum Concilium Nicænum, in vivis adhuc fuiſſe & Decennalia ſua, cùm pater Vicennalia exhibuiſſe evincit Porphyrius in Panegyrico Conſtantini in illis Vicennalibus recitato; ait enim:

Sancte Pater, rector Superùm, Vicennalia læta
Auguſto & decies creſcant ſolennia natis.

id eſt, Criſpo & Conſtantino juniori Cæſaribus. Ad hæc *Polæ* in Iſtria interfectum Criſpum teſtatur Ammianus lib. 14. cap. 11. at *Pola* proxima Aquileïæ, ubi anno trecenteſimo viceſimo ſexto, *pridie Nonas Aprilis* Conſtantinus M. dedit Legem unicam, *Si quis eam, cujus tutor.* ut obſervat Gothofredus in Chronologia Codicis Theod. Ex quo apparet, Criſpum prioribus illius anni menſibus occiſum. Quibus adde, Sozomenum lib. 5. cap. 5. ſcribere, Criſpum *anno Imperii patris ſui viceſimo* mortem obiiſſe, & Hieronymum in Additamento Chronici Euſebiani hæc tradere: *Criſpus filius Conſtantini, & Licinius junior Conſtantiæ Conſtantini ſororis, & Licinii ſuperioris filius, crudeliſſimè interficiuntur anno Imperii ſui nono.* Nonus verò Imperii Criſpi annus cum menſe Februario anni trecenteſimi viceſimi ſexti expiravit. Quapropter niſi Hieronymus nonum illum annum à Kalendis Septembribus cum anno populari inchoet, Criſpus ante menſem Martium morte affectus. Denique cùm Conſtantinus M. neque præſenti, neque inſequenti anno Romæ fuerit, Criſpi mors ad neutrum annum pertinere poteſt. Interim obiter obſervandum Hieronymum in præfato Additamento memorare Imperium Cæſareum tam Criſpi, quàm Licinii junioris; ideoque graviter erraſſe, qui Cæſares nullo Imperio potitos arbitrati ſunt.

IV. *Controverſia de Baptiſmo Conſtãtini.* Baron. num. XVII & ſeqq.

Ad num. VI, VII & ſeqq. Antiqua eſt de tempore Baptiſmi Conſtantini M. controverſia, num ſc. Romæ à S. Silveſtro currenti anno, ut Baronius aliique plures ſcripſere, vel ſub mortem Nicomediæ ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo baptizatus fuerit, ut Lambecius in fine tomi v Bibliothecæ Cæſareæ, & Papebrocius in tomo 5. Actorum Sanctorum menſis Maii in Vita Sancti Conſtantini M. pluribus probarunt. Certè præter Euſebium, Socratem, Sozomenum, Hieronymum in Chronico, aliosque Antiquos, Conſtantinum in ultimis conſtitutum baptizatum eſſe ſcribit Ambroſius in funere Theodoſii M. *Nunc ſibi Rex eſt auguſtæ memoriæ Theodoſius, quando in regno Domini Jeſu Chriſti eſt.... quando ei Placilla ſua adhæret, quando adhæret Conſtantino, cui licèt Baptiſmatis gratia in ultimis conſtituto omnia peccata dimiſerit, tamen quod primus Imperatorum credidit, & poſt ſe hæreditatem Fidei Principibus dereliquit, magni meriti locum reperit.* Hieronymum porro & Ambroſium habuiſſe Euſebio fidem, nihil ultrà indagantes in re tali, etſi difficile creditu ſit, (cùm ambo diu Romæ habitarint, & contrarium, ſi verum erat, centies audiſſe debuerint) credamus tamen, inquit Papebrocius, ex quo ſequentia hæc exſcribo. Credamus etiam, S. Athanaſium adeo ſagacem exploratorem omnium, quæ à ſuis & Eccleſiæ hoſtibus mala fide agebantur, in hoc puncto velut ad ſe minùs ſpectante, incurioſum planè fuiſſe. Quis credat, integram Synodum Occidentalium Epiſcoporum Arimini congregatorum idem dicturam fuiſſe de Conſtantini Baptiſmo, ſi is non primùm Nicomediæ, ſed diu antea Romæ, fuiſſet peractus?

V. *Baptiſmus Conſtantini ex Synodo Ariminenſi probatur.* Baron. num. LIII.

Non producenda Synodi verba, ut apud Theodoretum, Socratem & Sozomenum leguntur, (excipit enim contra eos Baronius) ſed ex Athanaſio in libro de Synodis, apud quem ea putat integrè ac ſincerè legi: ſic autem leguntur abſque ullo diſcrimine in octo Codicibus MSS. ex quibus concinnata eſt Græco-Latina editio anni milleſimi ſexcenteſimi: *Indecens & injuſtum videtur immutare aliquid eorum, quæ rectè ac juſtè definita ſunt, atque Nicææ communiter conſtituta coram glorioſiſſimo Conſtantino patre tuo* (Conſtantium alloquuntur) *& Imperatore......* Deinde iterum: *Cùm ſciamus etiam Conſtantinum, poſt mortem quoque memoriâ dignum, conſcriptam cum omni diligentia deliberationem, neque Fidem expoſuiſſe, atque adeo ab-*

ſordum fore, poſtquam ille migraturus baptizatus eſt, & ad debitam ſibi requiem tranſiit, innovare quidpiam. Hæccine, inquies, ſic apud Athanaſium? *Quis ergo*, vel ipſo judice Baronio, *non intelligat, cauſam Euſebio adjudicandam, nec ullum reliquum eſſe defenſioni locum?* Hæc tamen, ut dixi, Athanaſius in octo Græcis MSS. quorum tria, nec alia, habuit Interpres Nannius in ſua Latina editione. Sed is, neſcio quâ ſocordiâ prolapſus, ſecundo loco *Conſtantem* nominavit pro *Conſtantino*: fortaſſe ſuſpicatus, efficacius fore, ſi poſt patris exemplum, Conſtantio proponeretur etiam exemplum fratris, licèt junioris; neque conſiderans, huic parum congruere verba Synodi, qui violenta morte ſublatus, & fortaſſe diu ante baptizatus. Nec eſt quòd dicas, ſupervacaneam fore iteratam Conſtantini mentionem. Primò enim ejus auctoritas prætenditur reſolutioni Arimini formatæ; deinde ratio redditur antea Actorum in Concilio Mediolanenſi contra Urſatium & Valentem ex eodem reſpectu Conſtantini, Nicænæ Fidei, mox atque baptizatus erat, immortui. Interim Baronio ignoſcendum, quòd objectæ ex Ariminenſi illa epiſtola auctoritati, aliàs, ut fatetur, peremtoriæ, congruam in Athanaſio reſponſionem nactum ſe eſſe, dicenti Nannio crediderit, cùm ipſe fortaſſis exemplaria Græca ad manum non haberet, quæ ſibi in Linguam Latinam vertenda curaret.

VI. *Lepra Conſtantini fictitia.* Baron. num. XXXVI.

Vide nunc an ea, ex quibus creditur diu antea Romæ baptizatus à S. Silveſtro Conſtantinus, vel auctoritate, vel antiquitate cum Euſebio poſſint conferri, eique adſtipulantibus ejuſdem ac ſequentis ſeculi teſtibus, Latinis ac Græcis. Primùm, in contrarium afferuntur Acta S. Silveſtri Papæ, ut quidem nunc habentur, ipſomet ſæpius fatente Baronio depravata in nonnullis, ut anno trecenteſimo viceſimo tertio diximus. Certè lepra, quæ Conſtantinum impulerit ad Baptiſmum accipiendum, ut ab ea ſanaretur, antiquioribus Scriptoribus ignota, eóque magis ſit incredibilis, quo Julianus Apoſtata fidentiùs objecit Chriſtianis, quòd eorum *Baptiſma Lepram leproſi non aufert.* Si enim adeo recenti memoria leproſus Conſtantinus lepræ ſordes Baptiſmo deterſiſſet, Cyrillo Alexandrino id refutaturo lib. 7. contra Julianum illius ſucceſſorem ac generum, ecquid poterat offerri ſpecioſius, atque ad illius convictionem potentius? Nihil tamen hujuſmodi Cyrillus: ſed cùm Chriſtus etiam leproſos mundaſſe dixiſſet, excuſat, Baptiſmum ejus ad emundandas ſordes non corporis, ſed animi, inſtitutum eſſe. Quod in Collectione Canonum Creſconiana circa annum DCC ſcripta, ex neſcio quibus Liberii Actis dicitur hic veniſſe in odium Conſtantii, quia dixerat, patrem ejus fuiſſe à lepra mundatum, dum baptizaretur à Silveſtro, id tantò minùs credibile, quantò ex melioribus Auctoribus certiùs ſcimus cauſam perſecutionis Liberio motæ: & ſuſpectus meritò eſt *liber Silveſtri*, cui talia Liberii Acta dicuntur intexta.

VII. *Zoſimi fabula circa Conſtantini Baptiſmum.*

Secundò dicit Baronius, Ethnicos ipſos Baptiſmum à Conſtantino Romæ ſuſceptum non obſcurè ſignificare. Zoſimus enim lib. 2. poſtquam Criſpi & Fauſtæ necem Conſtantini M. juſſu patratam retulit, ait: *Horum ipſe ſibi conſcius & contemtorum inſuper Sacramentorum, acceſſit ad Sacerdotes, poſtulans piacula criminum. Sed his reſpondentibus, quòd nullus traditus inveniatur expiationis modus, quo tanta crimina poſſint expurgari, Ægyptius quidam ex Iberia delatus Romam, Palatiniſque mulieribus factus familiaris in Conſtantinum incidit; eique affirmavit Chriſtianorum Fidem expurgativam eſſe peccati cujuſlibet: quippe cui promiſſum eſſet, quòd etiam impii eam ſuſcipientes continuò extra omnis culpæ reatum ponerentur. Hunc ſermonem cùm facilè ſuſcepiſſet Conſtantinus, & patria quidem ſacra dimiſiſſet, iis verò ſe tradidiſſet, quæ docebat Ægyptius, principium impietatis fecit habere divinationem ſuſpectam. Nam quia multa res proſperè per eam ſibi fuiſſent prædicta, eventumque re ipſa ſortita, verebatur ne aliis quoque, ipſam contra ſe conſulturis, quod futurum erat prædiceretur: ideoque convertit ſeſe ad abolenda hujuſmodi omnia.* Sed hanc Zoſimi narrationem Socrates lib. 1. cap. 5. falſitatis convincit, oſtenditque eam velut in Chriſtianæ Religionis odium ab Ethnicis confectam: *Sopatrum*, inquit, *primò quidem haudquaquam veroſimile eſt in colloquium veniſſe cum Conſtantino, qui tunc temporis in illis dumtaxat partibus, quæ circa Oceanum ac Rhenum poſita ſunt, Imperio potiebatur. . . . haudquaquàm etiam credibile eſt, eum ignoraſſe, Herculem Alcmenæ filium, poſt cædem liberorum, & poſt necem Iphiti, quem licèt amicum atque hoſpitem iniquè interfecerat, Cereris ſacris Athenis expiatum fuiſſe. Gentiles igitur hujuſmodi ſcelerum expiationem pollicitos eſſe; ea quæ dixi, ſatis evincunt, ſimulque eos mendacii coarguunt, qui Sopatrum affirmant contraria pronuntiaſſe: neque enim auſim dicere iſta neſciiſſe Philoſophum, qui eruditionis cauſâ apud Gentiles ea ætate nobiliſſimus habebatur.* Reſpondet Baronius, ex illis Zoſimi verbis, *ex Iberia Ægyptium advenam*, liquere, advectum fuiſſe ex Hiſpania Hoſium Cordubenſem Epiſcopum; *Ægyptium*, id eſt, Magum Gentilibus creditum, qui ſuaſerit Baptiſmum à Silveſtro petere. Quare Sozomenum *incredibilis ſtupiditatis* arguit, qui *Criſpum occiſum à patre neget, eo uno argumento, quòd Criſpus vivens ad viceſimum uſque patris Imperii annum pervenerit, multas interea cum eo Leges ſtatuens.* At de Criſpi cæde Sozomenus non videtur dubitaſſe; ſed ex Legibus, quas illo tempore cum patre condidit, rectiſſimè argumentatum contra Gentiles, mutandæ Religionis eam cauſam Conſtantino non fuiſſe, cùm diu antea Chriſtianus probaretur. Argumentatum, inquam, contra Gentiles, non contra eos, qui ab initio quidem Chriſtianum fuiſſe Conſtantinum dicerent: diu autem poſt ſuſceptam Fidem denuo ad Gentilium ritus, imò & ad Chriſtianos perſequendos reverſum eſſe, illius infelicis facinoris horrore adductum ad expetendum Baptiſmum eatenus dilatum. Tales enim futuros aliquando non potuit divinare Sozomenus, qui de Romano illo Baptiſmo nihil audiverat, aut ſaltem nihil credebat.

VIII. *Zoſimus &*

Miſeratur deinde Sozomenum Baronius, Zoſimo opponentem, quòd non potuerit cum

Sozomenus de Baptiſmo Conſtantini diverſo tempore ſcripſiſſe.

Baron. num. xix & ſeqq.

Conſtantino tam procul agente colloqui Sopater; quaſi Zoſimus dixerit, tunc Criſpum occiſum, qui expreſsè id refert poſt victum Licinium: & *En*, inquit, *in quos errorum anfractus ipſum ignoratio rerum conjecit & temporum.* Sed quid magis vanum, quàm Sozomenum Zoſimo reſpondentem fingere, qui eodem, quo ille tempore, diverſa in regione vivens ac ſcribens, Zoſimi fortaſſe nec nomen audivit unquam; & Sopatrum Zoſimo ignotum nominans, ea refutat, quæ Gentiles vulgò narrare ſolitos palam erat, non quæ legerat apud aliquem. Nam præter Zoſimum prudentiùs metitum tempora, nemo ſcitur ſcripſiſſe talia de converſione Conſtantini, non magis in hoc fide dignus, quàm in eo quod mentitur, cum ad id uſque tempus divinationibus uſum.

IX. *Sozomenus à Baronio non bene cõfutatus.*

Deinde Baronius inadvertentiæ vel oblivionis accuſat Sozomenum, in eo quòd Plotinianæ ſcholæ Magiſtrum appellans Sopatrum, non cogitaverit, eam ſcholam ex Platonis diſciplina tenuiſſe: *Quòd, divina juſtitia in homines invigilante, qui cædem perpetraſſent, non aliter à Diis veniam conſecuturi eſſent, niſi ipſi tandem, quam aliis intuliſſent, paterentur. Quamobrem ſi abſque tali expiatione animæ à corpore ſolverentur, eas apud inferos ſupplicia perpeti, atque iterum detrudi in nova corpora, ut neceſſariò idem ſubirent, quod antea in alios patrarant.* Sed hæc Sozomeno improperans Baronius non animadvertit, paucis lineis antè ex Eunapio ſe ſcripſiſſe de Sopatro, quòd *naturâ ſublimium appetens, animoque magnus & ferox, aſpernatus reliqua in turba ætatem agere, magna celeritate ad aulam Imperatoris accurrit, quaſi Conſtantini propoſitum & impetum domiturus ac ratione ſuperaturus: verùm eò æſtimationis potentiæque pervenit, ut Imperator delinitus captuſque ab homine aſſeſſorem eum ad dexteram publicè habuerit: res auditu viſuque incredibilis.* Hunc talem credere potuit Baronius adeò fuiſſe ſcrupuloſum, ut illud ſuæ unius ſcholæ peculiare dogma non fuerit ſimulaturus, oblata occaſione tam cupita, tamque certa revocandi ad patrias ſuperſtitiones Imperatoris? Adeo etiam parum politicum, ut non viderit, quàm facilè poſſet ex ſublimi illo favoris gradu deturbari, ſi duriori reſponſo Principem contriſtaret; cùm *proceres aulici invidiâ diſrupti, quòd Regiam Philoſophiam diſceret, nihil omitterent, quod ei per inſidias tollendo commodum foret?* Idem de idolorum Sacerdotibus, quorum meminit Zoſimus, multòque majori jure dictum crede, quò abſque controverſia expiationem deſideratam & ſuis ritibus familiarem continuò promiſiſſent, ſi cum fuiſſent requiſiti. Interim valde incongruum videtur, quòd is qui tam inſigne Crucis in cælo, Chriſtique per viſum apparentis miraculo adductus fuit ad Fidem Chriſtianam, in eadem colenda factus languidior, vel potiùs ab eadem apoſtatans auctoribus talibus fuerit quaſi compellendus ad eandem redire. Quod fuerat conſiderandum Baronio, priuſquam pro Zoſimo in aliis multis Conſtantinum reſpicientibus manifeſtè mendaci tantopere contenderet contra Sozomenum.

X. *Conſtantinus crudelitatis immeritò accuſatur.*

Jam quod exaggeratam adeo Conſtantini ab optimis principiis nimiùm quam deficientis crudelitatem attinet, quam etiam in Chriſtianos cadere potuiſſe ac debuiſſe Baronius contendit, quæque occaſionem alicui dedit vulgandi mordaciſſimum hoc epigramma: Bar. n. IX.

Auguſti aurea ſecla quis requirat?
Sunt hæc gemmea, ſed Neroniana.

Fuerit hæc Gentilium petulantia domeſticos luctus Conſtantino improperantium, quia dolebant ſacra ſua ſub eo aboleri. Chriſtiani verò excuſent Imperatorem Chriſtianum cum Euſebio lib. 4. cap. 14. & dicant, quòd *inſita ei humanitas ac bonitas & Fidei morumque ſinceritas, eò ipſum adduxit, ut crederet ficta in ſpeciem pietati hominum illorum, qui vel pro Chriſtianis habebantur, vel ſinceram erga ipſum benevolentiam callida mente ſimulabant. Quibus ille cùm ſemel ipſe credidiſſet interdum, fortaſſis in ea, quæ parum decora erant, impegit, maligni dæmonis invidia hanc velut maculam reliquis laudibus ejus aſpergente.* Et hæc quidem Euſebius univerſim de cunctis, in quibus Conſtantinus utcumque culpabilis videbatur aliquibus; de cædibus autem, ſi rationem in particulari reddere voluiſſet, dixiſſet forſitan cum ipſomet Baronio, Licinium juniorem ex ſorore Conſtantia natum, etſi cauſa vulgò ignoraretur, veroſimiliter tamen complicem patri ſuo fuiſſe; in Criſpo filio infelicem magis quàm reum; in Fauſta conjuge etiam juſtum judicem appellandum. *Numeroſos amicos*, quos ſucceſſivè interfectos ſcribit Eutropius lib. 10. juxta editionem anni 1545. quoſque Baronius (exerrante, ut credibile eſt, per imprudentiam calamo) *innumeros* appellat, credendum, pleroſque id commeritos, quòd nimia Principis facilitate tandem deprehenderentur fuiſſe abuſi *ob ſuam exuberantem malitiam*, ut loquitur Euſebius, *inſatiabilem cupiditatem*, qualis procul dubio fuit *Sopater* ille Philoſophus, tandem Ablavio agente interfectus; idque juſta Dei diſpenſatione, quia Conſtantinum conatus à vera Religione abalienare. Sed ex illis pauciſſimi forſan, aut etiam nemo illo anno mortem ſubiit, quo ſæviiſſe magis Conſtantinus prætenditur; verùm, ut dixi, ſucceſſivè ſublati de medio ſunt etiam diu poſt mortem Criſpi atque Fauſtæ, & eum, qui prætenditur, Romanum Baptiſmum: neque enim tempus Eutropius ſignat. Et ſi plures quàm aliàs tunc fuiſſent ea ratione occiſi; quid hoc ad Fidem Chriſtianam ſpectat, impingendumque Conſtantino nomen perſecutoris, quandiu nec unus quidem nominatur, cui eâ cauſâ vel pilus capitis tactus fuerit? Bar. n. XVI.

XI. *Ex pietate Conſtantini tempus ejus Baptiſmi deduci non poteſt.*

Præterea Baronius in medium adducit locum Theophanis in Chronico, ubi ait: *Quòd ſi non erat in Nicæna Synodo baptizatus Conſtantinus, ergo nec divinorum participator myſteriorum, nec orabat cum ſanctis Patribus.* Hoc autem ei videtur nequiſſimum & dicere & ſentire. Addit Baronius, ipſiuſmet etiam Euſebii teſtimonio non uno utrumque refelli. Verùm ex omnibus, quæ allegantur, capitibus, nihil aliud poteſt confici, quàm quòd pius Imperator, qui militibus nondum initiatis formam comprecationis communis præſcripſerat, Baron. num. XLIX.

præſcripſerat, ad quam diebus Dominicis convenire deberent in patentes ſuburbiorum campos; idem in ſuo palatio, ut legitur lib. 4. cap 17. Vitæ ejus, inſtruxerit formam aliquam Eccleſiæ Dei, ubi omnibus ſecum congregatis diligentiâ & alacritate præibat, & ſumtis in manu libris, ſacrorum verborum conſiderationi applicabat animum, deinde ſolennes cum iis, qui regiam domum implebant, perſolvebat preces. Ibi, ut dicitur cap. 22. ſtatis quotidie temporibus ſolus cum ſolo Deo agebat, *οἷά τε μέτοχος ἱερῶν ὀργίων, velut aliquis qui divinorum myſteriorum revera particeps foret*; ut Euſebius paraphraſticωs dicit. Ibi ergo celebritatem Paſchæ agebat, eo quo ſequenti capite narratur modo: nuſquam autem invenire eſt verbum, quo ad ſacros Eccleſiarum Conventus (quamvis etiam hi, excepto ſacrificii tempore, non initiatos admittebant) inceſſiſſe ſe intelligatur. Quod ad Nicæni Concilii Conventus pertinet, ad quos etiam Gentiles Philoſophos admiſſos novimus, cur à fundendis ſecum ibi precibus eum excluſiſſent Patres, qui eis & hanc conveniendi facultatem, & ferendæ ſententiæ libertatem faciebat, ſuoque etiam zelo ad Fidem ſtabiliendam præibat: teſtatur hoc apud Gelaſium Cyzicenum illius Oratio ad Conventum habita, quæ tamen immeritò objicitur, quaſi in ea plus dicat, quàm ſe Chriſtianam tenere & prædicare Fidem, cui omnem ſuam felicitatem acceptam referat, & cujus ſtabiliendæ causâ iſtuc pariter cum illis convenerit: propter quod etiam Chriſtianus paſſim & credebatur & dicebatur, ſicut revera erat, firmum propoſitum habens ſuſcipiendi tempore opportuno Baptiſmi.

XII. *Quomodo intelligẽdus Hieronymus quando ait, Conſtantinũ in Arianum dogma declinaſſe.*

Quoad Hieronymum, qui ſuo aſperiori ſtylo utens, in Chronico ſcribit, quòd *Conſtantinus extremo vitæ ſuæ tempore, ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo baptizatus, in Arianum dogma declinavit*, nihil aliud ſignificat Hieronymus, quàm Conſtantinum inclinare viſum eſſe in eorum ſententiam, qui ὁμοουσίῳ vocabulo abſtinendum cenſebant, non ut hæretico, ſed ut novo, ideoque ſcandalum generante apud eos, qui Nicænæ Fidei omnino ſe adhærere profitebantur, perſuadebantque Imperatori ut crederet, eos qui vocabantur *Ariani*, voce illa ſuppreſſa, ad concordiam redituros. Talium enim, non verò ipſorum *Arianorum* tunc princeps erat *Euſebius* Nicomedienſis, poſt obitum Conſtantini duntaxat ad Arianorum partes apertiùs tranſgreſſus. Simili modo alibi Hieronymus ſcribit, propter receptam Valentis & Urſatii confeſſionem in ſpecie Catholicam, quòd *ingemiſcens Orbis terrarum miratus eſt ſe eſſe Arianum*. Euſebius quidem Cæſarienſis nominatim non exprimit Conſtantiniani Baptiſmi miniſtrum, ſed Photius in Bibliotheca codice 88. velut ex Gelaſii Ciziceni Hiſtoria refert, Conſtantinum moriturum *Baptiſmate tinctum ab orthodoxo Sacerdote, ſacroque ritu, non ut quidam crediderunt, ab Hæreticorum aliquo*. Verùm demus, Nicomedienſem Epiſcopum, in cujus diœceſi res agebatur, ideoque ad ipſius jus res ea ſpectaſſe videbatur, fuiſſe Sacramenti miniſtrum; non tamen id contaminaſſet baptizatum, quandoquidem tunc communicare cum

Bar. n. 21.

Seculum IV.

Euſebio, non erat adhuc communicare cum Hæretico. Neque audiendi, qui utramque de Conſtantini Baptiſmo ſententiam conciliaturi, Romæ quidem à Silveſtro baptizatum eſſe dicunt, ſed Nicomediæ rebaptizatum ab Euſebio. Nam rebaptizationem ab Arianis ante Vandalicæ perſecutionis tempora tentatam nemo cum fundamento dixerit, nec debet tota Antiquitate ſilente recipi: multò minùs eam jam à tempore Conſtantini Imperatoris uſurpatam. Quis enim eo vivente auſus fuiſſet Nicænæ Fidei profeſſores, quam ille ſemper & ubique ſpectabat, & omnino fartam tectam volebat, affirmare Hæreticos, quorum proinde Baptiſmus invalidus crederetur? Ut autem *Ariani* jam tunc tale quidpiam clam auſi eſſent, necdum poſſet dici, quòd Euſebius Arianiſmi notam conatu omni à ſe tunc adhuc amoliri ſtudens, partem habuerit in ea impietate, ut ait Papebrocius in Vita S. Conſtantini M. die XXI menſis Maii, ex quo hæc de Conſtantini Baptiſmo exſcripſi.

XIII. *Donatio Cõſtantini ſuppoſititia.*

Ad num. XXIII & ſeqq. *Donatio* Conſtantini prorſus ſuppoſititia, ut ferè inter Eruditos convenit. Ea tamen à Græcis non conficta, ut putavit Baronius, ſed ab aliquo Latino, ut Marca lib. 3. de Concordia Sacerdotii & Imperii capite 12. rectè obſervavit; quod ex eo patet, quòd Sedi Cpolitanæ ultimum duntaxat locum tribuat, cui homo Schiſmaticus & Græcus ſecundum aut primum tribuiſſet; & quòd primatum Romani Pontificis à Chriſto inſtitutum extollat. Neque etiam verum quod addit Baronius, hanc *donationem* poſt annum Chriſti milleſimum fabricatam. Idem enim Marca lib. 6. cap. 3. §. 6. oſtendit, eam ævo Hadriani primi & Caroli Magni fuiſſe in rerum natura. Videtur itaque donatio illa ab Iſidoro Mercatore cum veterum Pontificum pſeudographis epiſtolis ſuppoſita. Convenit enim Iſidori ingenio, ſtylo, & characteri ſcribendi planè ſqualido, ac denique rationi temporis, quo primùm audita, Carolo ſc. Magno imperante; cùm laudetur ab *Hincmaro* Epiſcopo Rhemenſi, qui tunc floruit. Exiſtimavit quidem Joannes Morinus, Joannem Romanæ Eccleſiæ Diaconum hujus commenti architectum fuiſſe, Petrus verò de Marca citatus illud edictum piâ quâdam induſtriâ, Romanorum Pontificum juſſu procuſum eſſe. Sed utriuſque conjecturæ jam à Viris doctis diſſolutæ. Quare hîc acta non agam.

Baron. num. CXVIII & ſeqq.

XIV. *Synodus Romana fictitia.*

Ad num. XXVIII & ſeqq. Synodus Romana, quæ in Actis Silveſtri *tertio Kalendas Junii* poſt baptizatum Conſtantinum eo præſente collecta dicitur, eſt etiam ſuppoſititia, Hincmaro Rhemenſi, Petro de Marca, Labbeo, Lupo, aliiſque Viris eruditis teſtibus. Quomodo enim die triceſima menſis Maii ea Synodus Romæ præſente Conſtantino celebrari potuit, qui toto hoc anno, & aliquot menſibus præcedentis bello Liciniano occupatus in Oriente verſatus ſit, ut demonſtravi anno CCCXVIII, ubi dixi, bellum Licinianum anno præcedenti cœptum, & uſque ad Septembrem currentis anni continuatum? Quomodo Conſtantinus ipſo fine menſis Maii Romæ baptizari, Synodo Romanæ intereſſe, & memoratam donationem facere potuit, qui in Thracia prope Hadrianopolim *V Non.*

Baron. num. CXXIII & ſeqq.

Julii contra Licinium pugnavit, egregiamque de eo victoriam retulit? Quomodo denique exeunte menſe Maio Romæ eſſe potuit Conſtantinus, qui VIII Idus Mart. Theſſalonicæ Legem 4. Codicis Theod. *De Naviculariis.* & VI Idus April. Legem ejuſdem Codicis *De his qui veniam ætatis.* in eadem urbe emiſit?

XV. *Ejus ſuppoſitio magis confirmata.* Schelſtratius in parte 2. Antiquit. Illuſtratæ Diſſert. 3. cap. 8. alia refert ſuppoſitionum capita. In brevi enim epilogo de geſtis S. Silveſtri excerpto, & huic Concilio præfixo habetur, per Concilium Nicænum damnatos Arium, Photinum & Sabellium; & tamen ex Actis Sirmienſis Concilii Photinum longè poſt hæc tempora damnatum conſtat. Secundò, canone tertio ſtatuitur, majorem à minori accuſari non poſſe; quod adeo cunctis canonibus adverſatur, ut Hincmarus Metropolita Rhemenſis Nicolai primi tempore ſuppoſitionem olfecerit: *Ceterùm*, inquit epiſtolâ VII, *quoniam quidam quaſi in auctoritatem referunt, S. Silveſtrum Papam decreviſſe talia, quæ Catholica Eccleſia inter Synodalia decreta non computat, quæ majores noſtri inde nos tenenda ſuis poſteris reliquerunt, hìc neceſſarium ponere duximus: ſcriptum namque eſt in quodam Sermone ſine Exceptoris nomine de geſtis S. Silveſtri excerpto, quem Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis collegit, cum epiſtolis Romanæ Sedis Pontificum à S. Clemente uſque ad B. Gregorium, eum S. Silveſtrum decreviſſe, ut nullus Laïcus crimen Clerico audeat inferre*, &c. *quæ dicta quàm averſa à ſanctis Canonibus, à ſacris legibus ſint, nemo eſt qui dubitat, qui hæc dicta cum ratione attenderit, & ſacras regulas ac leges diligentius legit.* Pluribus id probat Hincmarus Antiquorum teſtimoniis, & majorem à minore accuſari poſſe res ipſa clamat. Tertiò, canone vigeſimo ſtatuitur, neque à Regibus judicem ſupremum judicari; cùm tamen Reges tunc in Orbe Romano nulli fuerint. Unde Marca lib. 1. cap. 11. ait: Ariolos oportuit eſſe Epiſcopos, qui non ſolùm ab Auguſtorum conſiſtorio, qui Romæ tempore Silveſtri imperabant, ſed à Regum judiciis Romanum Pontificem immunem eſſe decreverunt, cùm Reges Romam non tenuerint, niſi ducentis ferè poſt hæc annis. Denique hoc Concilium ſuppoſitum eſſe liquet, quod non ſolùm Dionyſius Exiguus viginti ejus canones omiſerit, falſam Conſulum citationem, ac *Helenæ* ſubſcriptionem, contra omnium ſeculorum praxim, quæ mulieres ab Epiſcoporum Conciliis, & multò magis ab eorum ſubſcriptionibus excludit, præferat; ſed etiam varia alia falſa contineat.

XVI. *Annus Conſtantinopoleos fundatæ.* Ad num. XXXI. *Conſtantinopoleos* fundamenta anno tantùm ſequenti jacta. Socrates enim lib. 1. cap. 16. ſcribit, Conſtantinum celebratis Vicennalibus ſuis ſtatim ad Eccleſiarum inſtaurationem omne ſtudium ſuum contuliſſe, & Conſtantinopolim condidiſſe, quod Sozomenus, Nicephorus & Cedrenus confirmant; licet hi duo ultimi conditum urbis & ejus dedicationem imperitè confundant: urbes verò in Vicennalibus & id genus feſtis de more conditæ. Quare *Conſtantinopolis* vel in Vicennalibus Nicomedienſibus anno ſequenti celebratis, vel in Vicennalibus Romanis quæ ad annum CCCXXVI pertinent, extructa. Sed eam in prioribus Vicennalibus conditam oſtendit Julianus Imperator Orat. 1. dum ait: *Poſteaquam verò Dominus omnium eſt conſtitutus* (quod anno ſequenti poſt debellatum Licinium contigit) *cùm ex immoderata ejus cupiditate qui antè dominabatur, velut ſiccitate quadam ſumma eſſet pecuniarum inopia, ac cùm omnes in Palatii penetralibus congeſta, ac recondita forent, ille, clauſtris ſubmotis, repentè omnes effudit. Tum ſui nominis urbem infra decem annos extruxit.* Hæc de Conſtantino Julianus, qui rei geſtæ tempus ignorare non potuit, quique, dum ait, eam *infra decem annos* conſtructam, infra illud tempus perfectam intelligit, ut colligo ex Philoſtorgio lib. 2. cap. 9. cujus verba doctorum Virorum ingenia non parum cruciarunt. Ait Philoſtorgius, Conſtantinum *octavo & viceſimo Imperii ſui anno ex Byzantio Conſtantinopolim condidiſſe.* Annus viceſimus octavus Conſtantini anno Chriſti trecenteſimo triceſimo quarto menſe Julio abſolutus eſt, ideoque & Conſtantinopolis perfecta, ut Nicephorus libro 8. capite 4. etiam indicat: *Dicitur*, inquit, *eam urbem condi cœpiſſe à mundo creato quinquies milleſimo octingenteſimo viceſimo quinto* (qui Kalendis Septembribus anni Chriſti trecenteſimi decimi ſexti inchoatur) *Imperii ejus decimo: abſolutam autem prorſus eſſe ejuſdem Imperii viceſimo octavo, qui incidit in conditi mundi annum quinquies milleſimum octingenteſimum quadrageſimum tertium*, (incipit is mundi annus Kalendis Septembribus anni Chriſti trecenteſimi triceſimi quarti) *ſive, ut alii tradunt, triceſimum octavum*, Kalendis Septembris anni Chriſti trecenteſimi viceſimi noni inceptum. Ex quibus intelligimus, Nicephorum dedicationem *Conſtantinopoleos*, quæ anno Chriſti trecenteſimo triceſimo menſe Maio peracta, cum ejus conditu perperam confundere, cùm ait, fuiſſe annum mundi 5838. quando ea urbs fundata; decem annos à Juliano Imperatore memoratos de decimo Imperii Conſtantinianei anno, qui anno Chriſti CCCXVI abſolvitur, imperitè interpretari, ſed laudatum Philoſtorgii locum probè intellexiſſe, quando ſcribit, anno Imperii ejus viceſimo octavo perfectam & abſolutam fuiſſe. Porrò inſinuat Julianus, annos illos decem, quibus abſoluta eſt, integros & completos non fuiſſe. Ait enim: οὐδὲ ὅλοις ἔτεσι δέκα, id eſt, *annis decem non integris.* Denique dici non poteſt, *Conſtantinopoleos* fundamenta, anno quo Conſtantinus Romæ Vicennalia dedit, jacta eſſe; cùm Auctor Chronici Alexandrini ſcribat, anno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo Encænia magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ *die XV Februarii* eſſe celebrata *anno triceſimo quarto plus minùs, quàm fundamenta Conſtantinus Victor Auguſtus jecerat.* Si autem à die XV Februarii anni Chriſti CCCLX per annos triginta quinque ac menſes tres aut quatuor retrocedas, pervenies ad menſem Novembrem anni trecenteſimi viceſimi quinti, quo ea primùm condita.

Baron. num. CXXXIX & ſeqq.

Menſe enim Novembri Conſtantinopoleos fundamenta jacta teſtatur Codinus in libro *Cpolis men-* XVII.

ſe Novẽbri condita. de Conſtantinopoli ; cujus tamen locus corruptus, qui ſic reſtituendus eſt : *Anno mundi* (ſecundùm Conſtantinopolitanos) 5837. (gentium, 5834.) *Septembri menſe* (legendum *Novembri menſe*) *die quarta, cum Sol in Sagittarii ſigno verſaretur, horoſcopante Cancro, primo anno CCLXV Olympiadis* (legendum, *CCLXXVI Olympiadis*) *jacta ſunt fundamenta.* Sic enim Codinus intelligendus.

XVIII. *Cpoleos conditus tardius à Petavio conſignatus.* Petavius in Notis ad Julianum, & lib. 11. de Doct. Temp. cap. 42. agit de conditu *Conſtantinopoleos* ejuſque Encæniis, contenditque, eam urbem anno tantùm trecenteſimo viceſimo octavo reædificatam, annoque trecenteſimo triceſimo ſeptimo Conſtantini M. emortuali abſolutam eſſe *infra annos decem*: ſic enim Juliani verba laudata explicat ; ita ut biennio promota fuerit ædificatio, & anno, quo dedicata eſt, trecenteſimo nempe trigeſimo, abſoluta fuerit, & incoli ac frequentari potuerit. Quam in rem adducit Chronicon Alexandrinum, ubi, Januario & Juſto Conſulibus, anno ſc. Chriſti CCCXXVIII, legitur : *His Conſulibus Conſtantinus laudatiſſimus Imperator Româ profectus, & Nicomediæ Bithyniæ Metropoli moratus, ſæpeque Byzantium profectus ; primum Byzantii murum inſtauravit, magnamque partem ad veterem murum adjecit, novumque cum eo conjunxit, urbemque ipſam Conſtantinopolim dixit. Circum novis ex ære ſtatuis exornavit, omnique arte tribunal, ubi Imperator ſpectacula faceret, ad Romani theatri formam perfecit. Regiam porro proximè Circum condidit*, &c. Verùm licèt plures Petavii opinionem ſecuti ſint, ea tamen ex dictis corruit, conſtatque, decem illos annos à Juliano memoratos ab anno CCCXXV inchoandos, & cum anno CCCXXXV abſolutos fuiſſe, quod ante me viderat Nicephorus citatus. Quoad Chronici Alex. locum, Gothofredus in Commentario Leg. 3. Codicis Theod. *De infirmandis his quæ ſub Tyrannis.* datæ Romæ VIII Id. Jul. anni Chriſti, CCCXXVI docte animadvertit, illius Chronici Auctorem metachroniſmi biennio peccare, & moram Conſtantini Romæ non Januario & Juſto Conſulibus, ſed Conſtantino Aug. VII, & Conſtantio Cæſare Coſſ. anno ſc. Chriſti CCCXXVI, contigiſſe, ideoque quod in Chronico Alexandrino de Conſtantinopoli dicitur, ad annum illum CCCXXVI retrahendum eſſe ; cùm certum ſit, anno CCCXXVIII Conſtantinum Romæ non fuiſſe, ſed tantùm anno CCCXXVI, quo poſteriora ſua Vicennalia ibidem exhibuit. Annis autem hujuſmodi ſolenniis deſtinatis nova nomina ſæpe urbibus impoſita in dubium revocari non poteſt.

XIX. *Cpoleos conditus ex Cõſulatu Conſtantii Cæſaris probatus.* Cangius de Hiſtoria Byzantina noſtro ſeculo optimè meritus in lib. primo *Conſtantinopoleos Chriſtianæ*, hujus urbis conditum in annum trecenteſimum viceſimum ſextum conjicit, innixus his verbis Themiſtii Orat. 13. quæ in nova Themiſtii editione quarta ordine eſt : βασιλεῖ δὲ εἰκότως συναύξεται πόλις ἡ τῆς βασιλείας ὁμώνυμος. πυνθάνομαι γὰρ ὡς καὶ ἀμφιέσειν ὁμοῦ ὁ γεννήτωρ τε, τὸ ἄστυ τῷ κύκλῳ, καὶ τὸν υἱὸν τῇ ἁλουργίδι. id eſt : *Cum Imperatore verò meritò ſanè patria iiſdem incrementis an-*

geſcit, quæ ætate Imperii hujus æqualis eſt. Audio enim uno eodemque tempore patrem illius & urbem murorum ambitu, & filio purpuram circumdediſſe. Cùm itaque, inquit Cangius, ea Oratio in Conſtantium Imperatorem, qui urbem amplificabat, ſub Imperii ejus finem recitata fuerit, iſque ex omnium ferè Scriptorum conſenſu, anno trecenteſimo viceſimo ſexto Cæſar renuntiatus fuerit, liquet, non alio anno Conſtantinopolim conditam. Ita Vir Clariſſimus. At cùm Conſtantius anno tantùm trecenteſimo viceſimo tertio Cæſaream dignitatem adeptus ſit, ut infrà oſtendam, annoque trecenteſimo viceſimo quinto in annum ſequentem Conſul ordinarius deſignatus fuerit, manifeſtum eſt, Themiſtium non de purpura Imperiali, ſed de purpura Conſulari loqui ; ideoque noſtram ſententiam confirmare. Quod eò magis dicendum, quò Themiſtius in Orat. 11. quæ nunc 9. ordine eſt, ad Valentinianum juniorem Nobiliſſimum puerum Valentis Imperatoris filium, poſtquam anno trecenteſimo ſexageſimo nono Conſulatum iniiſſet, dicat, dignitatem Conſularem Imperii exordium eſſe. Sed clariùs adhuc in Orat 5. ad Jovianum Auguſtum, qui Conſul cum Varroniano filio creatus fuerat, loquitur Themiſtius : τὸ μὲν οὖν ἥδυσμα τοῦ λόγου, καὶ ἡ πανήγυρις, μακαρίαν ἀποδῆναι τὴν ἐπωνυμίαν τοῦ ἔτους, ἣν ξυνωρὶς ἐπιγράψαι τὴν εὐδαίμονα πατρὸς τε ἅμα, καὶ υἱοῦ, τὰς πατρῴας ἁλουργίδος ἡλικιώτας, καὶ δεῖξαι τὴν παροῦσαν τιμὴν ταύτην σεμνοτέραν ὑφ᾽ ὑμῶν γενομένην, ἢ συντελοῦσαν ὑμῖν, εἰς σεμνότητα. τοῖιν γὰρ αὐτὴν βασιλείας ὁ μὲν ἆθλον, ὁ δὲ προοίμιον. id eſt : *Hoc igitur eſt orationis veluti condimentum, atque hujus temporis celebritas in eo poſita, ut præſentis anni nuncupatio declaretur, quæ par beatum præſcripſit, patris ſimul ac filii, qui quidem paternæ purpuræ æqualis eſt : atque iſtum honorem judicabit plus à vobis accipere, quàm conferre ſplendoris & gloriæ. Hunc enim veſtrûm alter Imperii præmium, alter primordium facit.* Ubi vides, Themiſtium aſſerere, Jovianum & Varronianum filium Conſules, purpuræ & Imperii æquales eſſe, hoc eſt, eodem tempore purpuram cœpiſſe ; cùm tamen Varronianus, quando Jovianus pater Imperium iniit, Conſul duntaxat cum eo deſignatus ſit, nec unquam aut Cæſar aut Auguſtus fuerit. Ex laudato porro Themiſtii loco certò conſtat, anno trecenteſimo viceſimo quinto non *Conſtantinum* juniorem, ut multi perperam ſcripſere, ſed *Conſtantium* ejus fratrem, qui triennio antea Cæſar nuncupatus fuerat, in annum ſequentem CCCXXVI Conſulem deſignatum fuiſſe, ac præterea eodem, quo Conſul deſignatus eſt, anno urbis Conſtantinopoleos fundamenta jacta, ut mox explicavimus.

Ceterùm, noſtram ſententiam ſubſcriptiones Legum Codicis Theod. anno trecenteſimo viceſimo ſexto emiſſarum, indubitatam reddunt, ſimulque Cangii opinionem evertunt. XX. *Cpoleos conditus ex Cod. Theod. probatus.* Nam illius anni initio Conſtantinus in Thracia vel Macedonia conſtitit ; inde in Italiam perrexit, menſeque Julio Romam pervenit. Ibi trimeſtre ferme fuit, nempe Julio, Auguſto, & Septembri. Deinde ex urbe Roma Italiaque Illyricum pergens in

Pannoniam venit, Sirmiique *pridie Kal. Janu.* Legem 1. Cod. Theod. *De jure Fiſci.* dedit. Cum itaque Conſtantinopoleos fundamenta non alio menſe, quàm Novembri jacta fuerint, ut Codinus laudatus teſtatur, id de menſe tantùm Novembri anni trecenteſimi viceſimi quinti, quo certum eſt, Conſtantinum in Oriente fuiſſe, intelligendum. Unde Lex 1. Cod. Theod. *De erogat. milit. ann.* quæ data dicitur *Paulino & Juliano Coſſ.* anno ſc. trecenteſimo viceſimo quinto *XIV Kalend. Novemb. Aquis*, oſtendit, eo die eoque anno Conſtantinum M. fuiſſe in Thracia, ubi Byzantium ſitum. *Aquæ* enim illæ à Gothofredo in Chronologia Cod. Theod. malè explicatæ *de Aquis*, quæ in Myſia erant, non procul à Naiſſo, quarum mentio in Itinerario Peutingeri & Antonini. Ex dictis enim apparet, Legem illam datam *Aquis Calidis*, quæ urbs in Thracia poſita, cujus meminit Itinerarium Peutingeri.

XXI. *Opinio Gothofredi confutatur.* Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſ. in Petavii ſententiam concedit, & Cpolim anno CCC XXVIII conſtructam credit. Imò in Diſſertationibus in libro 2. Philoſtorgii anno trecenteſimo octavo illius urbis fundamenta jacta conteſtatiſſimum eſſe aſſerit. Sed poſt ea, quæ hac de re ſcripſi, ea opinio omni probabilitate deſtituta, penituſque, ni fallor, everſa. Illud verò Gothofredo aliiſque Viris doctis rectè obſervatum, Cpolim perfectam, cùm annona civica gratuita his, qui eam incolerent, deſtinata fuit, quod factum anno trecenteſimo triceſimo ſecundo, ut Auctor Chronici Alex. teſtatur: cùm operibus publicis, & ut annona ſufficiens ad tantam multitudinem alendam à Conſtantino M. enixè cautum fuit; quod factum annis CCC XXXII, CCC XXXIII, & CCC XXXIV. Quam in rem legenda Lex prima Codicis Theod. *De excuſatione archit.* & Lex 6. & 7. ejuſdem Codicis *De Navicularis.* ubi in Lege ſeptima anno CCC XXXIV data, illa verba obſervanda: *Pro commoditate urbis, quam æterno nomine, Deo jubente, donavimus.* Ideo porro Baronius currenti anno Cpoleos fundamenta poſita exiſtimat, quòd Zoſimus lib. 2. ſcribat: *Appetente autem patrio quodam feſto, quo oportebat ire exercitum in Capitolium, ejuſmodi aſcenſum impudenter explodens,* (nempe Conſtantinus) *& ſacram Religionem conculcans, incurrit odium Senatûs, populique. Non ferens autem omnium in ſe propemodum jacta convicia, quærebat urbem Romæ æquandam, in qua palatium ſibi conſtitueret, &c. Byzantiumque conceſſit.* Quare cùm crederet Baronius, Conſtantinum præſenti anno Romæ fuiſſe, ibique Baptiſmum ſuſcepiſſe, ac Synodo Romanæ interfuiſſe, tunc illud, quod Zoſimus narrat, contigiſſe arbitratus eſt. Sed non malè Photius in Bibliotheca Zoſimum *piorum Principum calumniatorem* vocavit, ideoque his quæ contra Conſtantinum ſcripſit, fides non adhibenda. Si tamen verum eſt quod in præfato loco tradit, illud ante præſentem annum accidit, & conſilium tunc à Conſtantino initum, anno tantùm trecenteſimo viceſimo quinto executioni mandatum. Conſtantinum enim currenti anno Romam non veniſſe certum videtur.

XXII. *Euſtathius ſine tumultu creatus Episc. Antiochen.* Ad num. XXXII. Hieronymus in Chronico meminit quidem *Paulini* Epiſcopi Antiocheni, ſed quot annis ſederit, non memorat. Quòd ſi rectè conjecimus, cùm de hujus initio locuti ſumus, poſtquam Epiſcopatu depoſitus fuit, ſub Conſtantio Auguſto adhuc in vivis fuit. Sed quidquid hac de re ſit, *Euſtathius* anno tantùm ſequenti Epiſcopus Antiochenus dictus, cùm Theophanes de Synodo Nicæna loquens dicat: *Viduâ Pontifice Antiochenſium Eccleſiâ, Synodus Euſtathium confirmavit Beroeæ in Syria Epiſcopum*, quod ante Theophanem Sozomenus lib. 1. cap. 2. in literas miſerat. Neque in ejus creatione tumultus aliquis factus, ut perperam credidit Baronius; ſed tantùm cùm poſt triennium ab Arianis depoſitus eſt, ut Euſebius lib. 3. de Vita Conſtantini capite 59. Socrates, Sozomenus & Theodoretus à Baronio laudati ſcripſere. His adde Philoſtorgium, qui apud Suidam in voce ἄλτης, diſertè habet, Conſtantino adhuc Imperium gubernante, è Sede Antiochena *Euſtathium* pulſum fuiſſe. Baronius tamen certiſſimis, ut ipſe putat, rationibus, *Euſtathium*, non ſub Conſtantino, ſed ſub Conſtantio, ejus filio & ſucceſſore, ex Antiochena Sede dejectum eſſe, citatoſque Hiſtoricos hallucinatos eſſe contendit. Quam in rem primùm affert Athanaſii locum ex epiſtola ad Solitarios ſub initium: *Fuit*, inquit, *quidam Euſtathius Epiſcopus Antiochiæ, vir confeſſione clarus, &c. quem homines Arianæ opinionis ita apud Conſtantium fictâ calumniâ accuſarunt, quaſi in matrem Principis contumelioſus fuiſſet.* Sed, ut rectè obſervat Valeſius in Notis ad laudatum Euſebii locum, pro *Conſtantio* in epiſtola ad Solitarios, *Conſtantinum* ſcribendum; in Auctoribus enim Græcis Conſtantii & Conſtantini, Maximiani & Maximini nomina plerumque confunduntur, ut mille exemplis liquet. Hanc autem eo in loco emendationem confirmat Valeſius ex iis, quæ de Imperatoris matre mox ſubjiciuntur. Helenam enim Athanaſius indicat non quæ in Orientem circa hoc tempus advenerat, ut non bene ſcribit Valeſius: ea enim anno CCC XXVI demortua, & Euſtathius poſt biennium vel circiter depoſitus: Helenam itaque intelligit Athanaſius, quam, dum viveret, Euſtathius dicebatur oſtendiſſe. Neque Hieronymi locus ex lib. de Scriptorib. Eccleſiaſt. à Baronio citatus aliquid facit pro ejus opinione; cùm in antiquis editionibus, teſte eodem Valeſio, de Euſtathio ſcriptum ſit: *Sub Conſtantino Principe miſſus eſt in exilium.* Neque etiam tanti motus in creatione Euſtathii eſſe potuere, de quibus in epiſtola Conſtantini fit mentio, ut ad eos ſedandos mittendus fuerit Comes, totque epiſtolas ab Imperatore ſcribi oportuerit. Adde, quòd Conſtantinus in ſua epiſtola ait, ſe coràm audiviſſe eum, qui totius ſeditionis auctor extiterat; Euſtathium ſc. quem ad Comitatum venire juſſum in Thraciam relegavit.

Baron. num. CXLIII & ſeqq. & anno 340. n. XXI & ſeqq.

XXIII. *Ea opinio magis confirmata.* Baronius alterum argumentum in medium adducit, deductum ex iis, quæ Theodoretus lib. 1. cap. 21. ſcribit: *Si enim*, inquit Baronius, *quod ipſe teſtatur, non antea Euſtathius è Sede fuit expulſus, quàm Euſebius Epiſcopus Nicomediæ in Epiſcopatum Cpolitanum, ejecto Paulo, tranſlatus eſt; quomodo*

ad tempora Conſtantini rejicienda eſt Euſtathii depoſitio, cùm ex ipſis Socrate & Sozomeno conſtet, non ante hunc annum (ſc. CCCXL) *Paulum loco Alexandri ſedere cœpiſſe?* Verùm, ut rectè Valeſius in Notis ad eum Theodoreti locum, is Hiſtoricus malè ſcripſit, Euſebium Cpoleos Epiſcopum fuiſſe, tunc cùm *Euſtathium* Antiochenum è Sede ſua exturbavit. Nam Euſebius in Epiſcopatu Nicomedienſi uſque ad Conſtantini obitum perſeveravit: quippe qui Conſtantinum ante mortem baptizavit Nicomediæ, cùm adhuc eſſet illius urbis Epiſcopus, ſi Hieronymo in Chronico hac in re fides adhibenda. Verùm, ea nullò modo deneganda Ammiano lib. 22. ubi ſcribit, *Julianum* Nicomediæ educatum fuiſſe ab Euſebio Epiſcopo ejuſdem loci, quem genere longiùs contingebat. Atqui *Julianus* natus eſt anno Chriſti CCCXXXI, ut ſuo loco demonſtrabo: quomodo igitur educari potuit Nicomediæ ab Euſebio, ſi is jam ante illum Chriſti annum relicto Nicomediæ Epiſcopatu, ad Cpolitanam Sedem tranſierat? Anno CCCXL oſtendam, Euſebium eo duntaxat anno ad Cpolitanum Epiſcopatum evectum fuiſſe. Denique Valeſius ad lib. 3. Vitæ Conſtantini cap. 59. Baronii ſententiam hoc etiam argumento refellit, quòd *Flaccillus* ſeu *Placillus*, qui poſt Paulinum & Eulalium Euſtathio ſucceſſit, inter Epiſcopos, qui Tyrenſi Synodo anno CCCXXXV celebratæ interſuerunt, memoratur ab Athanaſio in Apologia ad Imperatorem Conſtantium, quod ante Valeſium notarat Gothofredus ad lib. 2. Philoſtorgii. Plura hac de re, cùm de Euſtathii depoſitione ſermo erit.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5818. ☉ 26 C. ☽ 3. P. 18. April.
Indict. 13.
Olymp. 276. Jesu Christi 325.
Silvestri Papæ 12.
Constantini 20.

I. *Conſules.* Coss. *Anicius Paulinus*, & *Anicius Julianus*, ut colligitur ex libello de Præfectis Urbi.

II. *Vicennalia Conſtantini, & Decennalia Cæſarum.* Criſpus & Conſtantinus junior Cæſares Imperii Cæſarei Decennalia dedêre, ut anno præcedenti oſtendimus occaſione Conſulatûs ab utroque ob ea ſolennia ſumti. Quare Nummi Criſpi & Conſtantini junioris, in quibus Vota Vicennalia leguntur, hoc anno percuſſi, ſi uterque in iiſdem ſine Conſulari cultu repræſentetur; ſed ſi cum Conſulari habitu ibidem exprimatur, non dubium, quin hujuſmodi Nummi anno trecenteſimo viceſimo primo, quo uterque Cæſar Conſul etiam fuit, & Quinquennalia peregit, cuſi fuerint, ut ex iis, quæ jam dixi, colligere eſt. Vota verò Vicennalia tam anno quinto, quàm anno decimo Imperii de more ſculpta, ſuo loco explicavi.

III. *Concilium Nicænum in Vicennalibus Conſtantini M. terminatum.* Ad num. I. Celebrata *Nicæna Synodus* anno Seleucidarum Alexandræo DCXXXVI, ut habet Socrates lib. 1. cap. 13. ſed non *die XI Kalendas Junias*, ut ibidem idem Hiſtoricus vitioſo, ut videtur, Codice uſus ſcripſit, ſed die XIX menſis Deſii, *quem Romani Junium vocant*, die nempe *XIII Kalendas Julias*, ut legitur in Collectione Græca, quam Tilius edidit. Quod confirmant Auctor Chronici Alex. Concilium Chalcedonenſe, ac Collectio Latina, quam Baronius *Creſconianam* vocat. Baron. num. III & ſeqq. Annus autem Seleucidarum DCXXXVI Kalendis Septembris anni Chriſti præcedentis inchoatus eſt. Certè, ſi Concilium Nicænum die XI Kalendas Junias, ſeu viceſima die menſis Maii congregatum fuiſſet, Conſtantino ad ea, quæ poſt debellatum Licinium geſſit, agenda tempus non ſuppetiiſſet, ut anno CCCXVIII num. V demonſtravi. In eadem Collectione Creſconiana aſſeritur, duraſſe Concilium *à die XIII Kalend. Julii uſque ad diem octavum Kalendas Septembris*, quibus ex verbis Synodi Nicænæ initium ea in Collectione accuratè conſignatum fuiſſe elicio. Prodit enim Sozomenus lib. 1. cap. ultimo, Conſtantini M. Vicennalia, quæ in diem VIII Kalendas Auguſti Imperii ejus natalem incidebant, cum Concilii fine concurriſſe: *Cùm hæc à Concilio ita decreta eſſent, fortè accidit, ut Vicennalia Conſtantini eodem tempore celebrarentur. Eſt enim hic mos Romanis, ut decimo quoque anno uniuſcujuſque Imperatoris publicam agant feſtivitatem. Commodum igitur adeſſe tempus exiſtimans Imperator, Epiſcopos, qui Synodo interfuerant, ad convivium invitavit, doniſque convenientibus honoravit.* Eadem Nicephorus lib. 8. cap. 26. tradit, & quod magis eſt, Euſebius, qui Concilio interfuit, lib. 3. de Conſtantini Vita cap. 14. 15. 16. & 22. Porro in Diſſert. Hypat. part. 2. cap. 2. num. 8. obſervavi, Vicennalia & id genus feſta, quæ de more die natali Imperii celebrabantur, ſi differrentur, aut anticiparentur, (quod aliquando contingebat) in ſimilem alterius menſis diem tranſlata fuiſſe: ut ſi, v. g. Imperator tertio Idus Octobris Imperium ſuſcepiſſet, eodemque die poſt decennium Decennalia exhibere non poſſet, non alio die quàm tertio Idus alterius menſis ea ſolennia repræſentaſſe. Quare cùm Conſtantinus ipſo Concilii fine Vicennalia Nicomediæ celebrarit, apparet, Atticum Conſtantinopolitanum Epiſcopum ſeu alium quemcumque, qui Creſconii Africani Epiſcopi Conciliorum antiquæ Collectioni hæc verba adſcripſit: *Concilium tenuit uſque ad diem VIII Kalendas Septembris. Paulino & Juliano Coſſ.* accuratè Nicænæ Synodi tempus deſignaſſe, & Conſtantinum Vicennalia hoc anno à die VIII Kalendas Auguſti Imperii ſui natali, ad diem VIII Kal. Septembris, diem nempe ſimilis denominationis cum eo, quo Imperium inierat, tranſtuliſſe; non verò, ut perperam diſcurrit Hankius lib. de Byzantinarum rerum Scriptoribus Græcis parte prima cap. 1. num. 86. Concilium Nicænum, poſt Vicennalia, id eſt, poſt Julii diem XXV, per integrum menſem ad Auguſti XXV diem duraſſe. Quomodo enim hoc verum eſſe poteſt, cùm Vicennalia à Concilii fine inceperint, illudque die viceſima quinta Auguſti abſolutum fuerit? Nihil igitur verius, quàm Conſtantinum Vicennalia per menſem diſtuliſſe, Conciliumque Nicænum uſque ad diem XXV Auguſti continuatum fuiſſe.

Wilthemius in Nummis Conſularibus Conſtantini ac filiorum exiſtimavit, Conſtantinum Vicennalia Nicomedienſia anno præcedenti celebraſſe, & præſenti quidem, quo an- IV. *Vicennalia Conſtantini malè ab ali-*

dum Baronium. nus viceſimus Imperii ejus cœptus, preces & vota, quod tradit Euſebius, ob illum annum oblata eſſe, ſed quæſtionem eſſe, *non de votis precibuſque toto Orbe terrarum variis locis atque temporibus ob Vicennalia Conſtantini oblatis: ſed de Votis ſolennibus illis, quæ deinde in Annales publicos & in Faſtos æternæ memoriæ causâ referrentur, quæ fuerunt Nicomedienſia illa & Romana, de quibus in libris de Vita Conſtantini non agit Euſebius.* Sed valde hallucinatur Wilthemius; Euſebius enim diſertè de feſto Vicennalium agit, illudque non tantùm Nicomediæ, ſed & in Provinciis celebratum fuiſſe aſſerit: *Tanto igitur ſucceſſu*, inquit Euſebius, *Imperator exhilaratus iis, qui Synodo minimè interfuiſſent, gratiſſimum fructum per literas præbuit. Sed & univerſis populis, tam iis qui per agros, quàm qui in urbibus habitabant, magnam pecuniæ vim diſtribui juſſit: publicam feſtivitatem ob viceſimum Imperii ſui annum hac ratione concelebrans.* Ita Euſebius cap. 22. Neque Vicennalia & id genus feſta in Annales publicos alio anno, quam quo edita erant, referebantur, neque alio anno ab Imperatore, alio in Provinciis celebrabantur. Quare non erat cur vir doctiſſimus ab omnibus Antiquis hac in re recederet; cùm Nummi filiorum Conſtantini cum habitu Conſulari repræſentatorum non anno præcedenti, quo tertium Conſulatum geſſere, ſed anno CCCXXI, quo ſecundum Conſulatum iniere, & Quinquennalia peregere, percuſſi fuerint. Epiphanius in hæreſi LXX, quæ Audianorum fuit, ait, hos Hæreticos hæc Catholicis exprobraſſe: ὅτι ὅτε τὰ γενέθλια τῦ Κωνσταντίνε, τότε μετεστήσαντο, φασὶ, τὸ Πάσχα. id eſt: *Et cùm Natalis, inquiunt, Conſtantini celebraretur, Paſchatis rationem immutaſtis.* Petavius in Notis ad illum locum ait: *An nativitatis diem, an Imperii Natalem intelligat, dubitari poteſt.* Verùm ibi de Natali Imperii ac Vicennalibus Conſtantini Nicomedienſibus agi certiſſimum; cùm in Concilio Nicæno de Paſchatis celebratione ſermo fuerit; eo abſoluto, Conſtantinus Vicennalia peregerit, & genuinum hujus Imperatoris Natale vel *III Kal. Martii*, vel *pridie Kalend. Aprilis* contigerit, ut alibi diximus; ac denique Vicennalia & hujuſmodi feſta Natalis nomine ab Antiquis non rarò deſignentur. De Conſtantini Vicennalibus rurſus infrà.

V. *Tempus celebrati Concilii Nicæni.* Gothofredus in Chronologia Cod. Theod. exiſtimat, Concilium Nicænum celebrari cœptum eſſe menſe Maio, die nempe XI Kal. Jun. quia X Kal. Jun. Conſtantinus Niciæ dedit Legem 3. Codicis Theodoſiani *De diverſis reſcriptis.* Quam ſubſcriptionem velut ſingularem notandam dicit; *utpote cùm ea & annum & menſem, quo Synodus habita, egregiè ſtabiliat.* Sed fallitur Vir doctiſſimus: Conſtantinus enim ante celebrationem Concilii Nicææ aderat, & tam Euſebius in Vita Conſtantini lib. 3. cap. 10. quàm Socrates lib. 1. cap. 8. ſolùm ſcribunt, Epiſcopos omnes unum in locum conveniſſe, & Imperatoris proceſſum expectaſſe: hunc autem poſt illos in locum Concilii adveniſſe, & poſtquam ad caput ſubſelliorum fuiſſet, primùm medium ſtetiſſe, ac non priùs aſſediſſe, quàm Epiſcopi ei innuiſſent. Conſtantinus itaque ultimus quidem in mediam ædem palatii, ubi Synodus habenda erat, venit, non verò ultimus Nicæam, ut malè Socratem & Euſebium Gothofredus interpretatus eſt. Ex laudata itaque ſubſcriptione illud diſcimus, *Conſtantinum* jam die viceſima tertia menſis Maii Nicææ fuiſſe, quod ab Hiſtoricis obſervatum non fuit, licèt Concilium ante diem decimam nonam menſis Junii inchoatum non fuerit, ut ſuprà monſtravimus.

Ad num. VI. Nicænam Synodum à *Conſtantino* Imp. convocatam eſſe docent Euſebius lib. 3. de Vita Conſtantini cap. 6. Socrates lib. 1. cap. 5. Theodoretus lib. 1. cap. 7. & in Vita S. Jacobi Niſibenſis Sozomenus lib. 1. cap. 16. Gelaſius Cyzicenus lib. 2. de Actis Nicæni Concilii cap. 5. & Nicephorus lib. 8. cap. 14. His adde epiſtolam Synodicam Nicæni Concilii ad Eccleſiam Alexandrinam, quam deſcripſit Theodoretus lib. 1. cap. 11. Metrophanem & Alexandrum in Actis Nicænæ Synodi apud Photium in Bibliotheca codice CCLVI, Epiphanium hæreſi LXIX, Juſtinianum Imp. Collatione I. Concilii V Generalis, Gregorium Preſbyterum Cæſarienſem Oratione in Nicænos Patres, & Epheſinam Synodum Collatione I. in relatione ad Theodoſium & Valentinianum Impp. de abdicatione Neſtorii, ubi dicitur: *Fides à trecentis decem & octo Patribus in Metropoli Nicæna à ſanctæ memoriæ Conſtantino congregatis expoſita.* Hinc tamen inferri non poteſt, auctoritatem convocandi Concilia OEcumenica ad Romanum Pontificem non pertinere; cùm Eccleſia eam in Romanis Pontificibus agnoverit, eamque ei attribuant Patres ſecundi Concilii OEcumenici Conſtantinopoli habiti in epiſtola Synodica ad Damaſum, quam Theodoretus refert lib. 5. cap. 9. ubi ad literas Romani Pontificis Concilium indicentis ſe convenire debere Epiſcopi Orientales agnoſcunt, adduntque: *Nunc verò poſtquam Synodum Romæ nutu Dei congregantes, nos etiam pro fraterna erga nos charitate veſtra, tanquam membra propria, per religioſiſſimi Imperatoris literas evocaſtis.* Quare fatentur, Romanum Pontificem potuiſſe Romæ indicere Concilium Generale, ad quod ne convenirent, anguſtiam duntaxat temporis, velut excuſationis legitimæ rationem protulerunt. Præterea inferri non poteſt, jus convocandi Concilia OEcumenica ad Romanum Pontificem non pertinere, ex eo quòd Nicænum convocarit Conſtantinus; cùm is abſque aſſenſu Silveſtri Pontificis Maximi Concilium Nicænum non convocarit. Quod conſtat ex eo quòd Legatos Silveſter miſerit, qui ſuo nomine Concilio præfuere. Hinc Synodus ſexta Generalis Actione 18. in ſermone acclamatorio Silveſtrum cum Conſtantino Nicænam Synodum congregaſſe, diſertè aſſerit: *Arius, inquit, diviſor & partitor Trinitatis inſurgebat, & continuò Conſtantinus ſemper Auguſtus, & Silveſter laudabilis magnam atque inſignem in Nicæa Synodum congregabant.*

VI. *Conſtantinus Synodũ Nicænam convocavit.* Baron. num. XIII & XIV.

Reſpondet Launoius parte 6. Epiſtolarum in Epiſt. ad Ludovicum Habertum Mommorium, hæc non à Synodo, ſed in Synodo dicta eſſe ab eo, qui acclamationem recitavit: rem non eſſe, de qua Synodi Patres ſigillatim pronuntiaverint: quare relata verba illius eſſe tantùm, qui Conſtantino Imp. acclamavit,

VII. *Concilia Eccleſiæ conſenſu ab Imperatoribus convocata.*

anno poſt Nicænam Synodum CCCLV. Verùm, etſi præfata verba Synodi ſextæ non ſint, ea tamen probando ſua fecit, nec eſt neceſſe ut Patres hac de re ſigillatim pronuntiaverint: ridiculum eſt enim id exigere in rebus quæ Fidei dogmata aut Eccleſiæ diſciplinam non ſpectant, ſed Hiſtoriam & facta ſingularia. Satis eſt, ut id in Concilio dictum ſit, reclamante nemine, ut hanc fuiſſe ſententiam Concilii conſtet, ut jam Viro docto obſervatum, qui & contra ſe ipſum objicit ex octava Synodo OEcumenica Actione V, in qua Vicarii Orientalium Sedium dixerunt: *Scitis quia in præteritis temporibus Imperatores erant, qui congregabant Synodos, & ex toto terrarum Orbe Vicarios ad diſpoſitionem hujuſmodi cauſarum colligebant, quorum more & Dei cultor Imperator noſter univerſalem hanc Synodum non in obſtruſo, neque in clandeſtino, ſed evidenter ac manifeſtè fecit, videlicet ſanctiſſimorum Vicariorum ſenioris Romæ noſtrûmque Collegium.* Ex quibus verbis colligi videtur, Nicænam Synodum Conſtantinum & alias Synodos OEcumenicas Orientis alios Imperatores pari jure convocaſſe. Ad quam auctoritatem ipſemet reſpondet, Imperatores convocaſſe quidem Concilia, ſed ex Eccleſiæ conſenſu, non verò ſummo jure; vel poteſtate præſidii, non verò poteſtate regiminis. Duplex enim auctoritas in Conciliorum convocatione concurrere poteſt, Eccleſiaſtica & Civilis: Eccleſiaſtica, ut damnentur hæreſes, extinguantur ſchiſmata, ſacri Canones ad ſanciendam condantur diſciplinam; Civilis, ut Canones à Concilio conſtituti in forenſi etiam judicio vim Legis obtineant, & per omnes Imperii Provincias executioni tradi poſſint, & ut Hæreticorum contumacia regiâ etiam auctoritate comprimatur. Indixerunt igitur Synodos Romani Pontifices, vel convocando Epiſcopos, vel eorumdem convocationi aſſenſum ſuum præbendo, quod fecit S. Silveſter, quia *Generalium Synodorum convocandarum auctoritas Apoſtolicæ Sedi B. Petri ſingulari privilegio tradita eſt*, ut ait Pelagius II. Indixerunt eaſdem Synodos Imperatores, ut Eccleſiæ laboranti ſuppetias ferrent, ut ipſi opitularentur, ut Canonum ſe executores ac tutores demonſtrarent. Quare ob auctoritatem non regiminis, ſed præſidii Conſtantinus M. indixit Nicænam Synodum, ut quæ pacem Eccleſiæ ſpectabant, procuraret, *tanquam communis Epiſcopus*, ut eum vocat Euſebius. Neceſſe autem erat prioribus Eccleſiæ ſeculis Chriſtianorum Imperatorum auctoritatem ad Synodorum convocationem concurrere, ob alias etiam rationes. Primò, quia Eccleſia temporale dominium non habebat, neque alicujus urbis aut Provinciæ obtinebat Imperium, neque tunc Reſpublica erat in Eccleſia, ſed Eccleſia erat in Republica, ut ait Optatus; adeoque neceſſe erat, ut Imperatores locum aliquem & urbem Imperii ſui aſſignarent ad celebrationem Concilii. Secundò, quia publicis expenſis deducebantur, reducebantur, alebantur Epiſcopi, indeque literarum *Tractoriarum* uſus. Tertiò, quia Legibus cautum erat ne Conventus fierent abſque Imperatorum licentia. Quare nunquam coacta ſunt Concilia ab Imperatoribus, ut auctoritatem ſuam ab illis mutuarentur, unde meritò exclamat Athanaſius in epiſt. ad ſolitariam vitam agentes: *Quando unquam judicium Eccleſiæ ab Imperatore auctoritatem habuit?* ſed ut ab eis protectionem obtinerent, ac eorum poteſtate freti Antiſtites, Hæreticorum faciliùs frangerent contumaciam. Quo pacto Nicænum Concilium Conſtantinus M. convocavit. Qua de re fuſiùs ab aliis actum.

Ad num. VII. Nicæno Concilio præfuerunt *Hoſius* Cordubenſis Epiſcopus, *Vitus* & *Vincentius* Preſbyteri, Silveſtri Pontificis Romani, cujus Legati erant, nomine, ut liquet ex Gelaſio Cyziceno lib. 2. Hiſtoriæ Concilii Nicæni cap. 5. ubi ex tertio libro Euſebii de Vita Conſtantini cap. 7. ſe iſta tranſcripſiſſe profitetur: *Ipſe etiam Hoſius ex Hiſpaniis, nominis & famæ celebritate inſignis, qui Silveſtri Epiſcopi maximæ Romæ locum obtinebat, una cum Romanis Preſbyteris, Vitone & Vincentio, cum aliis multis in conſeſſu illo adfuit. Urbis autem illius, penes quam Imperium eſt, Epiſcopus, Metrophanes nomine, ingraveſcente ætate præpeditus abfuit; ſed Preſbyteri ejus qui aderant, illius locum ſuppleverunt.* Eadem refert Photius cap. 88. Verum eſt, Euſebii textum nunc ea non habere quæ ex eo Cyzicenus refert; ſic enim ſolùm apud ipſum legitur loco laudato: *Ab ipſa quoque Hiſpania vir ille multo omnium ſermone celebratus, unà cum reliquis aliis conſedit. Aberat quidem Regiæ urbis Antiſtes ob ſenilem ætatem: ſed præſtò erant Preſbyteri, qui vices ejus implerent.* Ita etiam hunc locum refert ad verbum Socrates lib. 1. cap. 5. ſed mutilum eſſe in vulgatis editionibus Euſebii notavit Marca. Quis enim erit Hiſpanus ille, quamvis famæ celebritate conſpicuus, ſi nomen ejus ſilentio damnetur? Porro ſi conſulatur Gelaſii Codex, ſtatim lacuna illa detegitur: verbis enim illis generalibus Euſebii ſtatim ſubjicitur *Hoſii* nomen & Legatio: cujus niſi jam meminiſſet Euſebius, ſcopum ſuum non attigiſſet. Recenſere namque voluit Provincias, quæ Epiſcopos ſuos ad Nicænam Synodum miſerunt, & nihilominus in illa tam accurata relatione Italiam & urbem Romam omiſiſſet: quod abſurdum fuiſſet. Itaque non tantùm ex Cyziceno, ſed & ex Euſebio conſtat, *Hoſium* cum Romanis Preſbyteris Vitone & Vincentio, S. Silveſtri nomine, Concilio Nicæno præfuiſſe. Ceterùm fallitur Petrus de Marca, dum ſcribit, *Alexandrum* Cpolitanum tunc tantùm Preſbyterum fuiſſe, quando Nicæna Synodus habita eſt, eumque à *Metrophane* ad illam miſſum eſſe. Nam jam hoc tempore *Metrophanem* demortuum Baronius rectè oſtendit.

VIII. *Præſides Synodi Nicænæ.*

Baron. num. XIX & ſeqq.

Reſpondet Launoius in Epiſtola ad Raimundum Formentinum, ex Eccleſiaſticis aliquibus monumentis colligi quidem, Vitum & Vincentium geſſiſſe vices Silveſtri, atque ita Concilio Nicæno adfuiſſe, non verò præfuiſſe. Non enim omnis, qui præſens adeſt Concilio, huic præſidet: alioqui tot eſſent Concilii Præſides, quot Epiſcopi Concilio præſentes adeſſent. Verùm, ut jam Viris doctis obſervatum, turpiter hallucinatur Launoius. Quamvis enim adeſſe Concilio, & præeſſe non ſit idem, tamen adeſſe Concilio, Roma-

IX. *Hoſius Synodo Nicænæ præfuit.*

ni Pontificis nomine, & vices illius ibi gerere, idem eſt quod illi præeſſe. Qui enim Romani Pontificis in Synodo vices gerit, cum in Synodo locum tenet, muniaque illa obit, quæ obiret Pontifex Romanus, ſi inibi præſens eſſet. Quod confirmat duplex locus S. Leonis, quo Launoius abutitur. Primus habetur epiſt. 47. ad Synodum Chalcedonenſem: *Amplectendum*, inquit, *clementiſſimi Principis plenum religione conſilium, quo ſanctam Fraternitatem veſtram ad deſtruendas inſidias Diaboli, & ad reformandam Eccleſiaſticam pacem voluit convenire, beatiſſimi Petri Apoſtoli jure atque honore ſervato, adeo ut nos quoque ſuis ad hoc literis invitaret, ut venerabili Synodo noſtram præſentiam præberemus: quod quidem nec neceſſitas temporis, nec ulla conſuetudo poterat permittere: tamen in his Fratribus Paſchaſino & Lucentio Epiſcopis, Bonifacio & Baſilio Preſbyteris, qui ab Apoſtolica Sede directi ſunt, me Synodo veſtra Fraternitas exiſtimet præſidere.* Præſentiam igitur ſuam exhibuit Synodo S. Leo per prælatos Legatos, qui præterea Synodo ejus nomine præfuerunt. Alter locus habetur in epiſt. 49. ad Marcianum Auguſtum, juxta etiam veterem ordinem: *Fratrem & Coepiſcopum meum Paſchaſium de ea Provincia, quæ videretur eſſe ſecurior, evocatum, qui vicem præſentiæ meæ poſſit implere, direxi, Bonifacio fratre noſtro & Compreſbytero ſociato, & his, quos antea miſeramus, adjunctis, conſortem illis fratrem quoque meum Julianum addentes Epiſcopum........ Quia verò quidam de Fratribus contra turbines falſitatis non valuere Catholicam tenere conſtantiam, prædictum fratrem & Coëpiſcopum meum vice mea Synodo convenit præſidere.* Quare idem eſt præſentiæ Pontificiæ vicem implere, & Synodo illius vice præſidere; ac proinde cùm Vitus & Vincentius Silveſtri vice Nicænæ Synodo adfuerint, & ejus præſentiam ſuppleverint, illi quoque Nicæno Concilio Silveſtri nomine præfuerunt.

X. *Ejus celebritas.* Quod ſpectat Hoſii πρωτεῖον, fatetur Launoius, illum è Nicænæ Synodi Præſidibus unum fuiſſe, ſed negat, præfuiſſe Romani Pontificis nomine. Præfuiſſe fatetur, cùm propter celebritatem nominis, tum propter exantlatos, ſatagente Conſtantino, in defenſione Fidei labores, non propter Romani Epiſcopi vices ipſi demandatas. Verùm, nominis celebritas non eſt ſolida ratio, cur *Hoſius* mediocris Eccleſiæ in Hiſpania Epiſcopus, & Hiſpalenſi Metropolitæ immediatè ſubjectus, ac per appellationem Patriarchæ Occidentis, in Oriente ante Legatos Apoſtolicæ Sedis, ante Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas, ante totius Africanæ Eccleſiæ Primatem *Cæcilianum*, in aliena Provincia, Concilio OEcumenico præfuerit, niſi locum teneret, & perſonam gereret ampliſſimæ omnium Poteſtatis. Cùm præſertim in ipſis Hiſpaniis, in Concilio Illiberitano ex XIX tantùm Epiſcopis coacto, ſecundo tantùm loco ſederit, ut notat Garſias Loaïſa in Collectione Conciliorum Hiſpanicorum; nec in Arelatenſi ex ducentis conflato Epiſcopis inter primarios recenſeatur à S. Auguſtino lib. 2. contra Parmenianum. Secundò, ſi Hoſio Romanæ Legationis dignitas adimatur, ſequitur, Sedium Patriarchalium jura, quæ Synodus Nicæna confirmavit, & illibata ſervari voluit, violata eſſe, & Alexandrinum Epiſcopum, non ſecundum locum ſibi juxta mores antiquos decretum, ſed tertium duntaxat obtinuiſſe. Prætereà, miſſo Patriarcharum jure, quomodo *Theognis* Nicænæ civitatis, in qua celebrabatur Synodus Nicæna, Antiſtes, & *Euſebius* Nicomedienſis, totius Bythiniæ Metropolita, & Imperatoriæ urbis Epiſcopi, homines ambitioſiſſimi & Ariani ſeſe non oppoſuiſſent præſidentiæ *Hoſii*, quem ſuæ infenſiſſimum hæreſi noverant, ſi Legatione *Silveſtri* functus non fuiſſet? Quomodo, inquam, non interceſſiſſent eadem ratione, quâ Metropolitanarum Sedium Patriarchæ Cpolitano ſubjacentium Antiſtites reluctati ſunt *Fortunio* Carthaginenſium Epiſcopo & totius Africæ Primati, qui ante ipſos in Concilio OEcumenico ſexto ſedere contendebat? Quomodo tandem tum hi, cùm alii Epiſcopi Ariani, qui poſt Conſtantini & Conſtantis obitum, imperante Conſtantio Arianorum fautore, nullum non moverunt lapidem, ut Conciliorum Nicæni & Sardicenſis auctoritatem infringerent, eam non objeciſſent nullitatis cauſam, quòd *Hoſius* irregulari planè modo, & Eccleſiæ moribus repugnante, illis Synodis præfuiſſet, ſi alia ratione extitiſſet illarum Præſes, quàm ut gerens vices Silveſtri, ad quem præſidendi jus attinebat?

XI. *Hoſii præſidentia malè ab ejus meritis deducta.* Denique ob meritorum præſtantiam *Hoſius* Concilio Nicæno præſidere non potuit. Merita enim ejus ipſi quidem venerationem maximam conciliarunt, ſed ipſi principatum in Concilio OEcumenico, in quo hierarchicus ordo promicare inprimis debet, non tribuerunt. Quid quod, nec meritorum primas in celeberrimo illo conſeſſu tulit *Hoſius*. Enimvero ſi de perſecutionibus propter Fidem toleratis agatur, nonne ibi aderat *Paphnutius* Confeſſor, ex illis quos Maximianus dextris oculis effoſſis, & ſiniſtro poplite ſucciſo ad metalla damnarat? Quem Conſtantinus in tanta veneratione & amore habuit, ut ſæpius illum complecteretur, & oculum qui ipſi in confeſſione Fidei fuerat avulſus, avidioribus oſculis demulceret, teſte Rufino lib. 1. cap. 4. Nonne ibi aderat *Potamon* Heracleæ in Ægypto Epiſcopus, & ipſe ſacris ſtigmatibus in perſecutione decoratus, quem S. Epiphanius *magnum Epiſcopum & Confeſſorem* vocat hæreſi LXVIII? Nonne aderat *Paulus* Neocæſareæ Euphrateſiæ Epiſcopus, cui in perſecutione Licinii ambæ manus colligatæ fuerant, deinde ferrum candens illis admotum, quo nervi contracti, labefactatique fuerant, teſte Theodoreto lib. 1. cap. 7. Si de prophetiæ & miraculorum donis ſermo ſit, nonne ibi aderat *Spiridio* Epiſcopus Thremituntis in Cypro, quem Rufinus lib. 1. cap. 4. vocat *virum ex ordine Prophetarum?* Nonne aderat & *Jacobus* Niſibis in Meſopotamia Epiſcopus, qui ſuſcitavit mortuos, & innumera alia edidit miracula, teſte Theodoreto lib. 1. cap. 7. Nonne aderat & S. *Nicolaus* Myræ in Lycia Epiſcopus, vir Apoſtolicorum & morum & miraculorum? Si de gratia & auctoritate apud Imperatorem ſit contentio, nonne *Euſebius* Cæſarienſis in hoc Hoſium vel ſuperabat, vel certè æquabat? Ille, inquam,

Euſebius

Euſebius, quem Conſtantinus impensè laudavit, quòd Antiochenum Epiſcopatum recuſaſſet, & quem dignum totius Orbis teſtimonio judicatum eſſe ait, qui univerſæ Eccleſiæ Epiſcopatu fungeretur, ut legitur apud ipſummet Euſebium lib. 3. de Vita Conſtantini cap. 59. Si doctrinam deſideremus, ejuſdem Euſebii Cæſarienſis ſcientia ipſi Conſtantino fuit admirationi, ut conſtat ex epiſtola Conſtantini ad ipſum data, quam Euſebius deſcribit lib. 4. de Vita Conſtantini cap. 35. Nonne aderat *Euſtathius* Antiochenus Epiſcopus, qui orationem habuit in Concilio, quémque Sozomenus eloquentiâ admirandum jure ſcribit lib. 2. cap. 10. Nonne aderat *Alexander* Alexandrinus Patriarcha, quem Theodoretus lib. 1. cap. 26. *admirabilem & excellentem Epiſcopum* vocat? Quare Hoſius ob ſolam meritorum præſtantiam Nicæni Concilii Præſes eſſe non potuit. Neque ut Conſtantini Legatus præfuit, cùm præſens eſſet Conſtantinus, qui jus illud præſidendi ſibi non competere profeſſus eſt, quique infra Epiſcopos ſedit, nec ſedere priùs voluit, quàm id innuiſſent, ut teſtatur Euſebius lib. 3. de Vita Conſtantini cap. 10. quæ omnia jam à Viro doctiſſimo ante me contra Launoium obſervata.

XII. *Quo pacto Euſtathius primas in Concilio tenuiſſe dicatur.*

Neque dicas, Epiſcopum qui in dextro ordine primam Sedem occupabat, perbrevi oratione Imperatorem affatum eſſe, teſte Euſebio lib. 3. de Vita Conſtantini cap. 11. illum autem, qui orationem habuit, fuiſſe Euſtathium Antiochenum Patriarcham, ut conſtat ex Theodoreto lib. 1. cap. 7. ideoque primum locum habuiſſe in Concilio Euſtathium, atque ipſi præfuiſſe: hincque factum, ut Proclus Epiſcopus Cpolitanus in Synodicis ad Orientales literis apud Facundum Hermianenſem lib. 8. cap. 1. ipſe Facundus lib. 11. cap. 1. & Felix tertius in epiſt. ad Zenonem Imp. Sancto Euſtathio primas in Nicæna Synodo tribuant. (Baron. num. XVI & ſeqq.) Jam enim Baronius aliique ex eo reſponderunt, primum in dextro ordine locum honoratiorem non fuiſſe, ſed primum in ordine ſiniſtro: quod probatur exemplo Concilii Chalcedonenſis, cujus in prima Actione ita diſpoſitus legitur Epiſcoporum conſeſſus, ut à ſiniſtra parte Sedis Apoſtolicæ Legati, & poſt ipſos Patriarchæ Cpolitanus & Antiochenus, à dextris verò *Dioſcorus* Alexandrinus, quamvis proximè damnandus, & *Juvenalis* Hieroſolymorum, ſederent. Cujuſmodi procul dubio conſeſſus ex ſolenni præcedentium Conciliorum more deſumtus fuit. Id autem, inquit Baronius, duplici ratione potuit contingere; ſive quòd in Eccleſia Chriſti ad imitationem Patriarchalis benedictionis Jacob, mutato rerum ordine, dextra in ſiniſtram dignitatis causâ mutaretur; ſive quòd apud Romanos pars ſiniſtra melioris eſſet auſpicii, ut Varro aliique ſcripſere, ac proinde dignior haberetur: ſed illud in ſacris tantummodo atque Divinis, quòd, ut aiunt, ſiniſtra noſtra numinis dextera cenſeatur. Quamvis igitur primus à dextris ſederit *Euſtathius* in Nicæna Synodo, non ſequitur quòd præfuerit. Deinde, cùm in medio conſeſſus Epiſcoporum ſacroſancta Evangelia in ſublimi ſolio collocarentur, quæ typum Chriſti Domini gererent; ex eo intelligimus, illos, qui à parte ſiniſtra ſederent, à dextris Chriſti fuiſſe, eos verò qui in parte dextera, Chriſto fuiſſe à ſiniſtris. Quò etiam reſpicit vetus Ordo Romanus, in quo hæc de conſeſſu in Eccleſia leguntur: *Sedebunt ea locali diſpoſitione, ut intrantibus Eccleſiam Epiſcopi ſint ad ſiniſtram, Preſbyteri verò ad dexteram: ut quando Pontifex ſederit, & ad eos reſpexerit, Epiſcopos ad dextram, Preſbyteros contueatur ad ſiniſtram.* Qua ratione ſiniſtra honoratior dexterâ in Eccleſiaſticis Conventibus habebatur; indeque Conciliorum Præſides non à dextris, ſed à ſiniſtris ſedebant.

XIII. *Præſidentia Concilii magis explicata.*

Ad teſtimonia Procli, Felicis III & Facundi reſpondet Vir eruditus, ipſos Euſtathio primas deferre doctrinæ & eloquentiæ, non auctoritatis; & ſignificare, eum fuiſſe inter primos Antiſtites, utpote tertiæ Sedis Patriarcham, non verò fuiſſe abſolute primum: nam Alexandrinus potiùs præfuiſſet, qui Antiocheno prior erat. Certè præeſſe dicuntur Concilio à nonnullis Auctoribus omnes primarum Sedium Epiſcopi, nec tamen omnes prærogativâ ſuffragii in Concilio potiti ſunt, cùm Alexandrinus ante Antiochenum, Antiochenus ante Hieroſolymitanum ſederit, ſuffragatus fuerit, ſubſcripſerit. Sic Nilus Metropolita Rhodius in libello de Synodis, de Synodo Nicæna loquens ait: *Præerant Synodo Silveſter Romæ, Alexander Cpolis, Alexander Alexandriæ, Euſtathius Antiochiæ, & Macharius Hieroſolymorum Epiſcopi.*

XIV. *Synodus Nicæna in Eccleſia habita.*

Ad num. XV. Euſebius libro 3. de Vita Conſtantini cap. 10. ait, Synodum habitam in Palatio fuiſſe: qui verò Græcos capitum titulos compoſuit, ejus verba de Palatio accepit, ait enim: σύνοδος ἐν παλατίῳ, εἰς ὃ καταστὰς εἰσιὼν, συνεκαθέσθη. id eſt, *Synodus habita in Palatio, quo ingreſſus Conſtantinus cum Epiſcopis reſedit*: (Bar. n. III.) cùm tamen Euſebius in eodem capite tantùm dicat: ἐν αὐτῷ δὲ τῷ μεσαιτάτῳ οἴκῳ τῶν βασιλείων, id eſt, *In media æde Palatii*; & voce Græca utatur, quæ tam de Palatio Imperatoris, quam de Eccleſia promiſcue uſurpatur. Scriptorem illum Anonymum ſecutus eſt Chriſtophorſonus, immo & Sozomenus lib. 1. cap. 18. & Theodoretus in lib. 1. cap. 7. Nicænam Synodum in Palatio habitam fuiſſe ſcribunt, ubi Conſtantinus Imperator ſedes ac ſubſellia Epiſcopis juſſerat præparari. Theodoreti verba exſcripſit etiam Nicephorus in lib. 8. Sed, ut notavit Valeſius in Notis ad citatum Euſebii locum, nequaquam veriſimile eſt, Nicænam Synodum in Palatio habitam. Certè Euſebius in lib. 10. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ βασίλειον οἶκον, de Eccleſia dicit. Multum certè de auctoritate illius Concilii detraheretur, ſi in Palatio Imperatoris illud habitum eſſe crederemus. Adde, quòd ipſe Euſebius huic ſententiæ apertiſſimè refragatur: nam eodem libro cap. 7. diſertè ſcribit, unam Eccleſiam ſeu Baſilicam cunctos diverſarum gentium Epiſcopos ambitu ſuo eſſe complexam: εἷς δὲ οἶκος εὐκτήριος, ὥσπερ ἐκ Θεοῦ πλατυνόμενος, ἔνδον ἐχώρει κατὰ τὸ αὐτὸ Σύρους ἅμα καὶ Κίλικας, &c. id eſt: *Una ædes ſacra, omnipotentis Dei nutu quodammodo dilatata, ambitu ſuo complexa eſt Syros ſimul & Cilices*, &c. Quid his verbis poteſt eſſe manifeſtius? Annon ex illis certiſſimè conficitur, Nicænam Synodum in Eccleſia habitam fuiſſe? Affirmat enim Euſebius, omnes

pariter Epiſcopos, unius Eccleſiæ ambitu comprehenſos fuiſſe. Sed & verba quæ in eodem capite 10. is Hiſtoricus ſubjungit, id ſatis innuunt. Scribit enim: ἐν αὐτῷ δὴ τῷ μεσαιτάτῳ οἴκῳ τῶν βασιλείων, ὃς δὴ καὶ ὑπερέχειν ἐδόκει μεγέθει τοὺς πάντας. id eſt: *In ipſa media Regalis Palatii æde, quæ reliquas omnes amplitudine ſuperabat.* Ait Euſebius, ædem illam omnium, quæ ubique eſſent, maximam & ampliſſimam fuiſſe. Atqui hoc de Palatio urbis Nicææ dici non poteſt. Nam, ut concedamus, in illa urbe fuiſſe Palatium, illud certè omnium ubique Palatiorum maximum eſſe non potuit. Valeſius itaque, qui hanc difficultatem primus omnium movit, cenſet, Epiſcopos quidem primùm in Eccleſia conveniſſe, ibique de Arii dogmate & de regula Fidei plurimis diebus tractaviſſe, tandem verò die ad finiendum negotium conſtituto, conveniſſe in Palatium, ut coram Imperatore ſententiam dicerent, & contentioni finem imponerent. Atque ita tollitur omnis difficultas. Certè Euſebius Valeſii ſententiam omnino confirmat. Ait enim, Epiſcopos die conſtituto, quo controverſiis finem imponi oportebat, omnes in Palatium veniſſe. Statimque progreſsò ad Synodum Imperatore, cuncta coram illo fuiſſe dicit conſtituta. Ex quibus manifeſtè apparet, Euſebium cap. 10. citato loqui de ultimo Concilii die, ſeu de poſtrema Seſſione, cùm res in pluribus antea Epiſcoporum conſeſſibus diſcuſſa fuiſſet ac ventilata. Neque enim tot tantæque res, quæ in illa Synodo geſtæ, unius diei ſpatio examinari ac diffiniri potuere. Idem quoque antea factum fuerat in Synodo Antiochena adverſus Paulum Samoſatenum, ut docet Euſebius in lib. 7. Hiſt. Eccleſiaſt. Hæc omnia doctè Valeſius.

XV. *Quis primus in Concilio Conſtantinū allocutus ſit.* Baron. num. LIV & ſeqq.

Ad num. XVI. Theodoretus lib. 1. cap. 6. ſcribit, *Euſtathium* Antiochenum in Concilio Imperatori panegyricum dixiſſe. Theodoreto ſubſcribit Gregorius Cæſarienſis in Cappadocia Preſbyter, in Oratione, quam de Nicæni Concilii Patribus conſcripſit, cap. 5. & 6. Contrà nec Euſebio, nec Euſtathio, ſed Alexandro Alexandrinorum Epiſcopo ſermonem illum primum adſcribit Theodorus Mopſueſtenus, ut Nicetas in Theſauro de Orthodoxa Fide lib. 5. cap. 7. refert. Epiphanius Scholaſticus in Hiſtoria Tripartita, quam Caſſiodorus in epitomen redegit, lib. 1. cap. 5. Euſtathium quidem priùs, Euſebium verò deinde laudes Imperatoris extuliſſe commemorat; cui ſuffragium ſuum addit Nicephorus lib. 8. cap. 16. Sed quid obſtat, inquit Hankius in lib. de Byzantinarum rerum Scriptoribus Græcis parte prima, cap. 1. num. XCIII, quominus credamus honores illos in tot Epiſcopis & primario loco ſedentis, & Oratione prima Deo Conſtantinóve gratias agentis, Euſebio noſtro ſingularem & eruditionem & eloquentiam comparaviſſe; cùm ipſemet Euſebius lib. 3. de Conſtantini Vita ſe primum in Synodo verba feciſſe teſtetur? At hallucinatur Hankius, cùm ait, id Euſebium alio loco innuere videri: *Nam cùm in ipſis,* inquit Vir doctiſſimus, *Conſtantini Magni Vicennalibus Concilium habitum ſit, veroſimillimum ab Euſebio intelligi Orationem illam, de qua loquitur, cum indicat Orationes, quas in Conſtantini laudes habuit, lib. 1. de Conſtantini Vita cap. 1.* Sed præterquam quòd Vicennalia, nonniſi abſoluto Concilio Nicæno, à Conſtantino Nicomediæ exhibita, Euſebius eo in loco eas tantùm Orationes enumerat, quas in Vicennalibus & in Tricennalibus, præſente Conſtantino, habuit, ut innuat, quemadmodum tunc in geſtis hujus Imperatoris recenſendis non alium, quàm Decennaliorum ordinem ſervavit; ſic in ejus Vita conſcribenda alium ſe non ſervaturum ordinem, ut in Diſſertationis Hypat. parte 2. cap. 2. num. XIX à me explicatum. Denique Euſebius in lib. 3. de Vita Conſtantini cap. 11. dicit, ſe in Concilio modica Oratione Imperatorem allocutum eſſe; initio verò ejuſdem Vitæ ſermonem habet de prolixis Orationibus, quas in Vicennalibus & Tricennalibus Conſtantini recitarat. In eadem tamen ſalebra hæſit Valeſius in Notis Euſebianis ad lib. 3. Vitæ Conſtantini cap. 11. ab eoque Hankius, ut videtur, deceptus.

XVI. *Concilii Nicæni Acta.* Baron. num. LXII.

Ad num. XX. Scripta fuit in Synodo Nicæna Fidei formula & Canones cum epiſtola Synodica, & omnia ſingulorum Epiſcoporum ſubſcriptionibus firmata, ut inſinuat Euſebius lib. 3. de Vita Conſtantini cap. 14. Sed Acta Synodi ſcriptis mandata non ſunt. Nam, ut inquit Valeſius in Notis, Euſebius diſertè teſtatur, nihil ſcriptis traditum eſſe, præter ea, quæ communi conſilio decreta fuerant: eaque ab omnibus ſubſcripta dicit. Baronium, qui contrarium ſenſit, decepit Latina interpretatio Athanaſii in lib. de Synodis, quæ ſic habet: *Quòd ſi ad hanc rem uſus Synodi deſideratur, ſuperſunt Acta Patrum. Nam neque hac in parte negligentes fuere, qui Nicææ convenerunt: ſed ita accuratè ſcripſerunt,* &c. In Græco tamen nulla Actorum mentio, ſic enim legitur: ἔστι τὰ τῶν πατέρων, id eſt, *Superſunt Patrum ſcripta*, Fides ſcilicet, & Canones, & epiſtolæ Synodicæ. Eſt & alius Athanaſii locus in epiſtola de Decretis Nicænæ Synodi pag. 250. ex quo colligit Valeſius, nulla fuiſſe Acta. Sic enim loquitur: *Quandoquidem, inquit, tua dilectio ea noſſe deſiderat, quæ in Synodo geſta ſunt, minimè cunctatus ſum: ſed ſtatim tibi ſignificavi quæcumque ibi acta ſunt,* &c. Quòd ſi Acta à Notariis excepta fuiſſent, ſatis habuiſſet Athanaſius ea ad amicum tranſmittere. Scripſit quidem Hiſtoriam *de Actis Nicænæ primæ Synodi* Gelaſius Cyzicenus Cæſareæ in Palæſtina Epiſcopus, ſed, præterquam quòd hic Auctor multa habet parum veriſimilia, vixit tempore Baſiliſci, qui anno CDLXXVI Imperium Orientis arripuit, ut in Præfatione ipſemet Gelaſius teſtatur. Huc referenda Profeſſio Fidei quam Baronius attribuit Synodo Antiochenæ adverſus Paulum Samoſatenſem, ut oſtendi anno CCLXXI num. V.

XVII. *Nicænum Symbolum.* Baron. num. LXXIV.

Ad num. XXIV. Mox à Nicæna Synodo omnes Græcorum Eccleſiæ aſſumſere Nicænum Symbolum, tanquam novam Chriſtianæ Profeſſionis teſſeram, Catholicos ab Arianis diſcreturam, ut convictus Arianus haberetur, quiſquis illud non admitteret. Sed ubi prodiit Cpolitanum, ab omnibus Græcorum Eccleſiis, nomine tamen minimè mutato, in Nicæni locum ſtatim ſuffectum. Omnes porro Cpolitanâ poſteriores Synodi & Patres,

quoties de Nicæno Symbolo loquuntur, paſſim intelligunt Cpolitanum : neque tamen Cpolitanum vocant, ſed *Nicænum*. Etiam hodie nos, quod ad Miſſarum ſolennia cantamus, Nicænum dicimus, cùm tamen ſit Cpolitanum, ut obſervavit Lupus tom. 1. Conciliorum cap. 4. ubi de auctoritate Concilii Nicæni agit, qui addit ex Rufino Aquileienſis Eccleſiæ Preſbytero, in Symboli Apoſtolici Expoſitione ad Laurentium Epiſcopum, in Eccleſia urbis Romæ morem ſervatum fuiſſe antiquum, quòd nulla hæreſis ibi ſumſerit exordium. *In ceteris*, inquit Rufinus, *locis, quantum intelligi datur, propter nonnullos Hæreticos addita quædam videntur, per quæ novellæ doctrinæ ſenſus crederetur excludi.* Eodem jure Symbolum Apoſtolicum ſine additamento retinuerunt Eccleſia Africana, Italica, Gallica, Latinæ omnes, ut liquet ex Auguſtino, Chryſologo, Maximo Taurinenſi, aliiſque Latinis Epiſcopis, qui iſtud ſolum leguntur Catechumenis tradidiſſe. Theodoreto, Sozomeno atque Socrate teſtibus, Ariana hæreſis Illyrici fines tranſire nunquam valuit; atque ita apud Europæos nova Profeſſionis teſſerâ opus non fuit. Excipe tamen Hiſpaniarum Eccleſias, quæ à Gothis, Alanis, Vandalis & Suevis pervaſæ ac poſſeſſæ, ſicuti trinam Baptiſmatis merſionem in unicam, ita Apoſtolicum Symbolum in Nicænum mutaverunt, id eſt, Cpolitanum, ut clarè habetur in tertia Synodo Toletana. Hæc Lupus, qui tamen in ea enumeratione prætermiſit Viſigothos in Septimania, & Burgundos in Burgundia regnantes, qui Arianam hæreſim profitebantur.

XVIII.
Symbolum Nicænum non ſtatim in omnibus Eccleſiis cantatum.

Ex iiſdem rationibus aliæ Eccleſiæ citiùs, aliæ ſeriùs cœperunt Symbolum publicè in Miſſarum ſolenniis dicere aut cantare. E Latinis prima id æmulata eſt Hiſpaniarum Eccleſia ex conſilio Richaredis Regis, novellos ſuos Gothos in Fide Romana firmare cupiens, ut legitur in tertia Synodo Toletana, in qua ſtatuitur : *Ut per omnes Eccleſias Hiſpaniæ & Galliciæ ſecundum formam Eccleſiarum Orientalium Concilii Cpolitani Symbolum recitetur*, &c. Imitatæ id poſtmodum ſunt quædam ſub Carolo Magno Gallicanæ Eccleſiæ; aliæ tamen, ac ipſa Capella Regia, imitari non ſunt auſæ; ideoque à Leone III Pontifice veniam impetrarunt. Fecit id Carolus, ut Francos in reparata jam Chriſtianitate figeret. Ad Bernardum autem Wormatienſem ac Jeſſe Ambianenſem Epiſcopos, necnon ad Abbatem Corbeienſem Caroli Legatos dixit Leo tertius: *Quòd aſſeritis ideo vos cantare Symbolum, quoniam alios in iſtis partibus vobis priores audiſtis cantaſſe, quid ad nos? Nos enim ipſum non cantamus.* Quin & eandem cantandi conſuetudinem omitti ſuaſit: *Quia & in noſtra Eccleſia non cantatur.* Romana Eccleſia necdum ſub Joanne octavo videtur cantaſſe. Etenim Methodium Moravorum ac Bohemorum Epiſcopum rogavit is Pontifex, *ſi Orthodoxæ Fidei Symbolum ita crederet, & intra Miſſarum ſolennia cantaret, ſicut ſanctam Romanam Eccleſiam tenere conſtat.* Non rogat quomodo Romana Eccleſia tenet & cantat, ſed ſolùm quomodo tenet; quia nempe illa necdum cantabat. Cantabat Methodius, utpote Græcus, more Græco. Tandem & Romana cantare cœpit, ne à ſubditis ſibi Hiſpaniarum & Galliarum Eccleſiis morem deponere nolentibus diſſonaret. Hæc Lupus citatus.

XIX.
Subſcriptio Fidei Nicænæ.
Baron num. LXXVII.

Sozomenus lib. 1. cap. 21. ſcribit, Fidei Formulam approbaſſe *Euſebium* Nicomediæ, *Theognium* Nicææ, *Marim* Chalcedonis, *Patrophilum* Scythopoleos, & *Secundum* Ptolemaïdis in Lybia Epiſcopos; quos tamen Socrates lib. 1. cap. 8. Fidem à Concilio Nicæno ſcriptam improbaſſe tradit. Verùm, hæc ita conciliari poſſunt, inquit Valeſius ad laudatum Sozomeni locum, ſi dicamus, Epiſcopos illos initio quidem Formulam Fidei Nicænæ penitus rejeciſſe: poſtea tamen metu Principis, qui contradicentibus exilium minabatur, eam comprobaſſe. Atque id planè confirmant Theodoretus, & Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos. Certè inter Epiſcopos, qui Concilio ſubſcripſerunt, horum etiam nomina leguntur. Ex quo apparet, omnes omnino Epiſcopos, qui Synodo Nicænæ interfuerunt, ejus Fidei ſubſcripſiſſe, ſive ſincerè & ex animo, ſive ſubdolè ac ficte. Licèt enim *Euſebius* ac *Theognius* condemnationi Arii initio ſubſcribere noluerint, tamen poſt ærumnas exilii, libello oblato, condemnationi ejuſdem Arii ſeſe conſentire profeſſi ſunt. Duos excipe, *Secundum* ſc. ac *Theonam* Epiſcopos, qui nec Fidei Nicænæ, nec damnationi Arii ſubſcribere voluerunt, ut teſtatur epiſtola Synodica Patrum Concilii Nicæni, Theodoretus & Philoſtorgius.

XX.
Libellus ſatiſfactionis in Synodo Nicæna oblatus non eſt.
Baron. num. LXXIX.

Ad num. XXVI. Valeſius tam in Notis ad Socratem lib. 1. cap. 14. quàm in Notis ad Sozomenum lib. 2. cap. 16. obſervat, Baronium reprehendere Socratem ac Sozomenum, qui dixerint, *Euſebium* ac *Theognium* paulò poſt Synodum Nicænam miſſos eſſe in exilium : deinde aliquot poſt annos, miſſo ſatisfactionis libello ad nobiliores Epiſcopos, ab exilio eſſe revocatos. At Baronius contendit, hunc libellum ab Euſebio oblatum eſſe Epiſcopis in Synodo Nicæna. Primùm enim regulam Fidei ait ſcriptam fuiſſe, cui *Euſebius* Nicomedienſis cum aliis quatuor Epiſcopis ſubſcribere recuſarit; eundem tamen poſtea, oblato ſatisfactionis libello, iis quæ decreta fuerant, ſubſcripſiſſe. Poſt hæc verò, cùm Synodus *Arium* anathemate damnaſſet, *Euſebium* ac *Theognium* huic anathematiſmo noluiſſe ſubſcribere: eamque ob cauſam damnatos ac depoſitos eſſe à Synodo, & *Amphionem* ac *Creſtum* in eorum locum ſubrogatos; Conſtantinum tamen Imperatorem interceſſiſſe, ne ſententia executioni mandaretur, egiſſeque, ut *Euſebius* ac *Theognius* oblato pœnitentiæ libello ſuſciperentur à Synodo. Hæc Baronii ſententia.

XXI.
Euſebius & Theognius in Synodo Nicæna depoſiti non ſunt.

Sed primùm in eo peccat Baronius, quòd duos libellos ab Euſebio oblatos eſſe dicit. Nam de priore illo libello nemo unquam mentionem fecit. Deinde quòd ait de depoſitione ac damnatione *Euſebii* atque *Theognii* facta in Concilio Nicæno, ejus rei nullum auctorem citat. Certè Conſtantinus in epiſtola ad Nicomedienſes, id tunc factum eſſe non dicit, ſed tantùm ait, metuiſſe Euſebium ne id fieret. Denique quod ſcribit, libellum pœnitentiæ ab Euſebio oblatum fuiſſe in Synodo Nicæna, id ex ipſo libello manifeſtè re-

ſellitur. Oblatus eſt enim hic libellus, à Socrate laudato recitatus, cùm eſſet in exilio, ut teſtatur his verbis: *Conſentientes iis, quæ à vobis decreta ſunt, etiam hoc libello conſenſum noſtrum confirmamus; non quidem tædio exilii, ſed ut ſuſpicionem vitemus hæreſeos.* Præterea miſſus eſt hic libellus, cùm jam Arius ab exilio eſſet revocatus. Id enim teſtantur hæc verba: *Porro abſurdum fuerit, cùm is, qui reus eſſe videbatur, revocatus ſit, ſeque de illis, quæ ipſi objiciebantur, purgaverit, nos ſilere, & argumentum adverſus noſmetipſos ultro ſuppeditare.* Porro Arius ſatis diu poſt Synodum Nicænam à Conſtantino revocatus eſt.

XXII. *Euſebius & Theognius in privata Synodo depoſiti.*

Cùm verò *Euſebius* ac *Theognius* in exordio epiſtolæ à Socrate relatæ dicant, ſe damnatos ab Epiſcopis, quæri poteſt, ubi & quando fuerint condemnati. Baronius quidem eos in Synodo Nicæna damnatos eſſe dicit atque depoſitos. Sed contrà eſt auctoritas B. Hieronymi, qui in Dialogo adverſus Luciferianos diſertè teſtatur, Euſebium ac Theognium cum aliis Epiſcopis Arianæ factionis à Nicæna Synodo ſuſceptos fuiſſe. Idque probat, tum ex teſtimonio eorum qui Synodo interfuerant, tum ex Actis ipſis Synodi Nicænæ, in quibus inter nomina Epiſcoporum qui Synodo ſubſcripſerant, Euſebius & reliqui, quos dixi, recenſebantur. Idem quoque teſtatur Philoſtorgius, qui tribus circiter menſibus elapſis poſt Nicænam Synodum, Euſebium ait eſſe relegatum. Cùm igitur *Euſebius* ac *Theognius* ſe damnatos ab Epiſcopis eſſe fateantur, id autem in Nicæna Synodo factum non eſſe conſtet, neceſſe eſt, ut in alio quopiam Epiſcoporum Conventu id geſtum ſit. Quam ob cauſam Synodum aliquot Epiſcoporum fieri juſſit Conſtantinus, à quibus *Euſebius* ac *Theognius* damnati ſunt atque depoſiti; ipſe verò eos in exilium miſit: idque apertè confirmat Athanaſius in lib. de Synodis, & Theodoretus lib. 1. cap. 19.

XXIII. *Arius miſſus fuit in exilium.*

Baron. num. LXXX & ſeqq.

Baronius arbitratus eſt, *Arium* nunquam in exilium miſſum eſſe, ſed ſimulatâ pœnitentiâ expoſitioni Fidei tandem ſubſcripſiſſe, atque ita à Synodo eſſe ſuſceptum. Cujus rei auctorem citat Hieronymum in Dialogo contra Luciferianos. Verùm, ut notavit Valeſius in Notis ad lib. 2. Sozomeni cap. 16. Hieronymus memoriæ vitio lapſus eſt hoc loco, dum *Arium* à Concilio Nicæno ſuſceptum eſſe dicit. Factum id enim non in Concilio Nicæno, ſed in Hieroſolymitano. Certè ex epiſtola Synodica Concilii Nicæni facile eſt Hieronymum refellere. Aiunt enim ſanctiſſimi Patres in dicta epiſtola, primùm quidem Arii opinionem diſcuſſam eſſe atque examinatam coram ſacratiſſimo Imperatore, omneſque Epiſcopos uno conſenſu anathema dixiſſe impiis verbis ac ſententiis Arii atque ſociorum. Quid autem ipſi factum ſit, & quem exitum ſortitus fuerit, nolunt ipſi proferre, ne videantur inſultare hominis calamitati. Quibus verbis tacitè indicant ſanctiſſimi Patres pœnam exilii, quæ Ario ab Imperatore fuerat irrogata. Ubi obiter obſervanda eſt modeſtia atque humanitas Antiſtitum Nicænorum; qui cùm Arii opinionem damnarent, non tamen ipſi *Ario* nominatim anathema dixerunt, ſed generaliter cunctis, qui impia illa dogmata profiterentur. Anathematiſmus enim ita concipitur, τοὺς δὲ λέγοντας, &c. ſuppreſſo *Arii* nomine. Deinde cùm Arius unà cum *Theona* & *Secundo* Epiſcopis à Conſtantino relegatus fuiſſet ob contumaciam, eò quòd univerſali Concilio aſſentiri noluiſſent, id ipſi nuntiare Alexandrinis Clericis & totius Ægypti Eccleſiis detractant, ne videantur inſultare hominum calamitati. Tantum abeſt, ut ipſi apud Imperatorem egerint, ut illi in exilium deportarentur; quin potiùs teſtantur iis verbis, ſe hominum illorum vicem dolere. Ea tamen quæ ſequuntur in dicta epiſtola à Socrate lib. 1. cap. 9. recitata, ſatis oſtendunt, tres illos in exilium miſſos eſſe: *Tantam verò vim habuit ejus impietas, ut Theonam Marmaricæ, & Secundum Ptolemaïdis Epiſcopum, ſecum in exilium pertraxerit. Nam & in iſtos, eadem quæ in illum, lata ſententia eſt. Sed quoniam omnipotentis Dei gratia, pravitate illius quidem opinionis & impietate atque blaſphemia, & iis hominibus, qui in populo antehac pacato turbas ac diſſidia concitare auſi fuerant, vos jam liberavit.* Quid aliud, quæſo, innuunt hæc verba, quàm exilium Arii ejuſque conſortium, inquit ibidem Valeſius?

XXIV. *Euſebius & Theognius anathematiſmo non ſubſcripſerunt.*

Euſebius & Theognius in laudato libello Pœnitentiæ apud Sozomenum lib. 2. cap. 16. aiunt, ſe *Fidei quidem ſubſcripſiſſe; Anathematiſmo verò noluiſſe ſubſcribere: non quòd fidem reprehenderemus, ſed quia minimè credebamus, illum qui accuſatus fuerat, ejuſmodi eſſe; cùm partim ex iis quæ ad nos per literas ſcripſerat, partim ex ejus ſermonibus in conſpectu noſtro habitis compertum haberemus, illum talem non eſſe.* Hinc quæri non immeritò poteſt, ait Valeſius in Notis, quomodo Euſebius ac Theognius Fidei quidem Nicænæ ſubſcripſerint; Anathematiſmo verò nequaquam. Atqui Anathematiſmus conjunctus erat Formulæ Fidei, & unà cum Expoſitione Fidei à Patribus editus, quemadmodum videre eſt tum apud Socratem, tum in vetuſtis Canonum Collectionibus. Baronius quidem primùm Fidei Formulam conditam eſſe ſcribit à Nicænis Patribus, cui Euſebius ac reliqui, cùm initio ſubſcribere recuſaſſent, tandem metu compulſi ſubſcripſerunt, poſtea verò condemnationis ſententiam in *Arium* latam eſſe; & *Euſebium* ac *Theognium*, cùm iſti condemnationi ſubſcribere pertinaciſſimè recuſaſſent, à Synodo eſſe depoſitos, aliis Epiſcopis in eorum locum ſubrogatis: Conſtantinum tamen Imperatorem eo tempore interceſſiſſe, ne ſententia executioni mandaretur. Baronii opinionem ſecutus eſt Petavius in parte 2. Rationarii Temporum. Verùm, hæc opinio nequaquam probabilis videtur. Sic enim duæ fuiſſent ſubſcriptiones Epiſcoporum Synodi Nicænæ: prior, quâ Fidei; poſterior, quâ condemnationi Arii conſenſiſſent. Hodie tamen unica hæc extat ſubſcriptio ſingulorum Epiſcoporum. Atque id meritò. Fides enim cum Anathematiſmo qui ei ſubjicitur, unum idemque eſt monumentum, uno ſpiritu unoque tenore continuatum. Sic enim incipit Anathematiſmus, τοὺς δὲ λέγοντας, &c. Deinde falſum eſt quod Baronius eumque ſecuti affirmant, primùm Fidei Formulam conditam eſſe à Synodo Nicæna: poſt-

ea verò quæſitum de Ario. Id enim manifeſtè refellit epiſtola Synodica, in qua disertè ſcribitur, ante omnia quæſitum eſſe de Arii opinione, eamque coram Principe diligenter examinatam atque damnatam. Quocirca probabilius quod ſcribit Valeſius, Euſebium ac Theognium Nicænæ Fidei decretis ſemel ſubſcripſiſſe, perinde ac reliquos Epiſcopos, ſed in ſubſcribendo, diſtinctionem adhibuiſſe inter Fidem atque Anathematiſmum, hoc ſc. modo: Euſebius Nicomediæ, ſuprà ſcriptæ Fidei conſentio & ſubſcribo: Anathematiſmo non item. Quo verò anno ab exilio tam Arius, quàm Euſebius ac Theognius revocati fuerint, infrà dicetur.

XXV. *Euſebius modò Arianis, modò Orthodoxis acceſſit.*

Ad num. XXVII. Certum quidem, *Euſebium* Cæſarienſem Epiſcopum ante Synodum Nicænam ad Arianos, in Synodo autem ad Orthodoxos acceſſiſſe, ut doctè oſtendit Hankius in lib. de Byzantinarum rerum Scriptoribus Græcis parte 1. cap. 1. à num. LXXVI uſque ad num. XCIX. Sed prorſus incertum, an Arianis vel Orthodoxis annumerandus ſit.

Baron. num. CII & ſeqq.

Hankius ab eo numero ad CXLVI refert Auctorum antiquorum loca, qui eum poſt Concilium Nicænum tam Orthodoxis quàm Arianis adſcribunt; tandemque concludit, viâ tutiſſimâ videri illos incedere, qui poſt Synodum Nicænam Euſebium Arianum fuiſſe, neque negantibus, neque affirmantibus accedentes, judicium ſuum ſuſpendunt. Tot ambagibus hæc quæſtio intricata eſt.

XXVI. *Porphyrius ad hoc tempus non pervenit.*

Ad num. XXVIII. Anno Chriſti CCCII, num. XII, locutus ſum de Porphyrio, oſtendique, eum ad præſentem annum vitam producere non potuiſſe, quod tamen Baronius putavit, innixus edicto Conſtantini Magni apud Socratem lib. 1. cap. 6. adverſus Arianos emiſſo. Nam cùm prius Imperator ſcripſiſſet, *Porphyrium Religionis hoſtem pravis quibuſdam commentariis contra pietatem editis dignam inveniſſe mercedem*; ne quis de exilio aliòve ſupplicii genere explicaret, ſubjungit: *Ac talem, ut ipſe quidem infamis apud omnem poſteritatem maximo opprobrio & dedecore compleretur: impia autem ejus ſcripta planè delerentur.* Quibus manifeſtum eſt, nihil aliud Imperatori propoſitum fuiſſe, quàm ut publico edicto eandem probroſi nominis infamiam Ario ejuſque ſectatoribus inureret, quâ Porphyrium flagrare videbat, & pari exemplo quo Porphyrii libros extinxerat, impia eorum Scripta ſupprimeret, inquit Holſtenius in libro de Vita & Scriptis Porphyrii.

Baron. num. LXXX & ſeqq.

XXVII. *De terminis Romani Patriarchatus variæ opiniones.*

Ad num. XXXIII & ſeqq. Probavit ſacra Synodus Nicæna vetuſtam regiminis Eccleſiaſtici diſciplinam Canone 6. his verbis: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Lybiam & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt.* Ubi Diœceſis Alexandrinæ termini aſſignantur, ſed de Romanæ Diœceſis terminis nihil ſtatuitur. Hinc variæ natæ opiniones de hujus Patriarchatûs terminis, ob perplexam præſertim *Rufini Aquileienſis Preſbyteri* interpretationem, qui tempore D. Hieronymi lib. de Hæreſ. cap. 6. Canonem his verbis expoſuit: *Ut apud Alexandriam & in urbe Roma vetuſta conſuetudo ſervetur, ut ille Ægypti, vel hic Suburbicariarum Eccleſiarum ſolicitudinem gerat.* Hinc Origo controverſiæ *de Suburbicariis* in Gallia hoc ſeculo natæ, de qua Launoius in Diſſert. de recta Nicæni Canonis VI Intelligentia, Valeſius in Eccleſiaſticis Obſervationibus ad Socratem & Sozomenum, Marca lib. de Concordia Sacerdotii & Imperii capite 4. aliique, quorum opiniones Schelſtratius parte 1. Antiquit. Illuſtr. Diſſert. 2. accuratè examinavit, ex qua Diſſertatione ſequentia exſcribenda duximus. Salmaſius eruditus Calviniſta anno MDCXVIII ſuppreſſo nomine libellum ſcripſit, in quo duo pro Canonis Nicæni cum Rufino conciliatione excogitavit. Primò, hoc Canone nullam juris Patriarchici mentionem fieri, ſed tantùm Alexandrinum & Antiochenum Epiſcopos in iis, quæ ad jus Metropoliticum pertinent, cum Romano conferri. Alterum, Metropolim Romanam *Rufini* temporibus, circa annum ſcilicet CD, iis Provinciis definitam (Piceno nempe, Tuſcia & Valeria) quæ *Suburbicariæ* dicebantur, quòd à juriſdictione Præfecti Urbi penderent, & ad centeſimum ab Urbe lapidem porrigebantur. Eodem anno prodiit *Cenſura conjecturæ anonymi Scriptoris de Suburbicariis regionibus & Eccleſiis*, auctore Jacobo Sirmondo, qui in ea refellit tam Anonymi, Salmaſii ſcilicet, ſententiam de ipſius Præfecti Urbi in Suburbicarias juriſdictione, quàm ejuſdem comparationem cum Romano Pontifice.

XXVIII. *Opinio Salmaſii refellitur.*

Quoad primum, oſtendit, Præfectum Urbi non habuiſſe Diœceſim intra centeſimum ab Urbe lapidem; cùm Notitia declaret tantùm, XIII Diœceſes ſub quatuor Præfectis Prætorio à Conſtantino Imperatore fuiſſe inſtitutas, & inter illas nullam Præfecti Urbi eſſe cognitam, neque eſſe potuiſſe; cùm *Diœceſis* plures Provincias contineat, & plures, Provinciæ intra centum paſſuum millia nullatenus extiterint. Ait itaque Sirmondus, Præfectum Urbi nec Diœceſim habuiſſe, nec Provinciam; ſub ejus diſpoſitione adminiſtrationes varias fuiſſe, ſed nullam Provincialem; & Suburbicarias ad alium pertinere. Quod magis exponens, meminiſſe oportet, inquit, Vicarios Præfecti Prætorio in Italia duos fuiſſe, Vicarium urbis Romæ, & Vicarium Italiæ. Vicarii urbis Romæ ſedem Romam fuiſſe compertum eſt, Vicarii Italiæ Mediolanum, ut ex Paulino Preſbytero in Ambroſii Vita intelligimus, & ex Marcellino lib. 27. cùm de tribus Apparitoribus Poteſtatis Vicariæ per Italiam Valentis Imp. juſſu cæſis agit, & Mediolani locum, ubi ſepulti ſunt, *Ad Innocentes*, appellari ſcribit. Inter hoſce duos Vicarios diviſæ omnes Italiæ regiones ac Provinciæ fuerunt, hoc diſcrimine appellationis, quòd quæ ſub Vicario erant Italiæ, præcipuo titulo *Italicæ regiones & Provinciæ* vocabantur; reliquæ Urbicariæ & Suburbicariæ, quia in Vicariæ urbis erant poteſtate. Quænam autem hæ fuerint, quæ Urbanæ Vicariæ parerent, indicat Notitia his verbis: *Sub diſpoſitione V. S. Vicarii urbis Romæ Provinciæ infra ſcriptæ: Conſulares, I Campania, II Tuſcia & Umbria, III Piceni Suburbicarii, IV Siciliæ. Correctores, I Apuliæ & Calabriæ, II Brutiorum & Lucaniæ. Præſides, I Samniæ, II Sardiniæ, III Corſica, IV Valeria.*

XXIX. *Provinciæ Suburbicariæ malè ad quatuor redactæ.*

Ex quo colligit Sirmondus, reliquas Provincias, quæ Vicario Italiæ ſuberant, fuiſſe Venetias & Iſtriam, Æmiliam, Liguriam, Flaminiam, & Picenum Annonarium; & Urbicarias regiones ac Suburbicarias appellari eas conſueviſſe, quæ Urbis Vicario parerent; idque declarare Valentiniani Legem, in qua per Urbicarias regiones inhibitum à ſe uſum equorum ſcribit, quem per Apuliam & Calabriam, per Brutios & Lucaniam, atque Samnium vetuerat, quæ omnes Provinciæ erant Vicariæ Urbis. Ex quibus concludit, quàm malè Salmaſius regiones Suburbicarias ad haſce quatuor redigat, Tuſciam Suburbicariam, Picenum Suburbicarium, Latium vetus, & Latium novum.

XXX. *Epiſcopi Romani Diœceſis malè à Salmaſio imminuta.*

Quoad alterum caput, Salmaſium explodit Sirmondus, quòd Epiſcopi Romani Diœceſim cum Præfectura Urbana intra centeſimum ab Urbe lapidem coarctaverit, additque Marca lib. 1. cap. 3. §. 12. contra Salmaſii de mente Rufini conjecturam, vetare Notitiam illam Vaticanam veterem (apud Baronium ad annum 1057.) quæ LXIX Epiſcopatus, ex quibus Romana Provincia conflata erat, nobis exhibet; quæ quidem non ſolùm Latinam regionem, ſeu Campaniam recentiorem ad Sinueſſam, Marſos ſeu Valeriam, Picenum & Tuſciam Suburbicariam complectebatur; ſed etiam Tuſciam Annonariam, Umbriam, & Picenum Annonarium comprehendit. Hinc Baronius loco citato ex antiquo Vaticano Codice deſcribit formam tempore Divi Petri Damiani, hoc eſt, anno 1057. obſervatam: & enumeratis Eccleſiis titularibus Cardinalium, XXII Urbis Abbatibus addit, Suffraganeos Romani Pontificis nulli alteri Primati vel Archiepiſcopo ſubjectos, & frequenter ad Synodos Romanas vocatos ex Campania X, ex Marſis VI, ex Tuſcia XXI, ex Umbria, Marchia, Spoleto XXIV, ſimul LXI Epiſcopos ex pluribus, quàm Salmaſius citaverat, Provinciis Suburbicariis. Unde rectè colligitur, Salmaſium Rufini mentem non eſſe aſſecutum.

XXXI. *Sextus canō Nicænus de ordinatione Epiſcoporū intelligēdus.*

Alium itaque ſenſum per Suburbicarias intendiſſe Rufinum, ac Canonem Nicænum rectè expoſuiſſe ut probet Marca, ſupponit Alexandrini Epiſcopi auctoritatem hoc Canone potiſſimùm comparari cum Romani in jure ordinandorum Epiſcoporum, eò quòd Epiſcopi Alexandrini auctoritas in ordinandis omnibus Ægypti Epiſcopis adverſus *Meletianos* hoc Canone ſexto Nicæno ſtatuta ſit. Conditus eſt enim Canon ad reparanda Eccleſiæ Alexandrinæ Patriarchica privilegia per Meletium Lycopolytanum Epiſcopum invaſa, læſa & mutilata: *Meletius*, ut legitur in ſecunda Apologia S. Athanaſii, ob idololatricum in Diocletiani Auguſti perſecutione lapſum, & exceſſus alios à S. Petro Alexandrino Patriarcha ſynodaliter damnatus Schiſma conflavit, neque tantùm obedientiam excuſſit; ſed etiam, teſte Theodoreto lib. 1. cap. 4. *exercuit tyrannidem contra Primatem* Alexandrinum; juxta Gelaſium Cyzicenum, *contra prærogativas Sedis Alexandrinæ: ambitione*, inquit Athanaſius, *ut rebus præeſſet*. Thebaïdis ac vicinæ Ægypti Provincias, omneque illud jus Patriarchicum invaſit, novum ſe illic oſtentavit Patriarcham: firmandi ſui causâ conjurationem iniit cum Arianis antea inimicis. Graves hac de re querelas ad Synodum depoſuit Alexander Patriarcha, eiſque datus eſt præſens Canon Patriarchicam poteſtatem illius plenè reſtaurans, ut patet ex epiſtola Synodica Concilii Nicæni ad Eccleſias Ægypti, Lybiæ & Pentapolis, in qua legitur: *Quæ per petulantiam Meletii geſta ſunt, & eorum, qui ab eò ſunt ordinati, etiam ex hac parte, quæ placuerunt Synodo, ipſis inſinuantur, Meletium nimirum manere quidem in propria civitate, nullam verò omnimodis habere poteſtatem, neque eligendi, neque ordinandi, nec in Provincia, nec in qualibet civitate videri, purumque nomen tantummodo poſſidere. Eos autem, qui ab ipſo ſunt conſtituti, myſtica ordinatione firmatos habere honorem & miniſterium, ut tamen ſequentes ſint modis omnibus, univerſorum in ſingulis Parochiis & Eccleſiis, à chariſſimo & comminiſtro noſtro Alexandro conſecratorum, ut his nulla poteſtas ſit, placitos ſibi eligere, aut nomina eorum præferre, aut omnino aliquid agere præter voluntatem Eccleſiæ Catholicæ Præſulis Alexandri. Gratiâ namque Dei & orationibus veſtris, in nullo ſchiſmate repertos, ſed ſine macula in Catholicâ & Apoſtolica Eccleſia permanentes, dignum eſt, poteſtatem habere eligendi quemlibet, & nomina eorum dandi, qui Clero ſunt digni, & abſolutè facere omnia ſecundùm legem & ſanctionem Eccleſiæ. Si quem verò contigerit requieſcere in Eccleſia, tunc provehi in honorem defuncti eos, qui nuper aſſumti ſunt, ſolummodo ſi videantur digni, & populus eos elegerit, condecernente ſimul & deſignante, maximè Alexandriæ civitatis Epiſcopo. Hoc itaque aliis quidem conceſſum eſt omnibus: in perſona verò Meletii nequaquam eadem placuerunt propter priorem indiſciplinationem ejus, & propter procacitatis ejus ac petulantiæ voluntatem, ne ulla daretur auctoritas vel poteſtas homini, qui poſſet rurſus eaſdem indiſciplinationes inſtruere. Hæc ſunt præcipua, & competentia Ægypto, & ſanctiſſimæ Alexandrinorum Eccleſiæ.* Ita literæ Synodicæ Concilii Nicæni apud Theodoretum lib. 1. cap. 6. quas integras recitat Baronius. Baron. num. CXVII & ſeqq. Ex quibus liquet, hæc Canonis verba: *Conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem*, potiſſimùm de ordinatione Epiſcoporum intelligenda, ut etiam obſervarant Allatius lib. 1. de Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ Conſenſione capite 12. & Lupus parte 1. in Canonis ſexti explicatione.

XXXII *Epiſcopi regionum Suburbicariarū ad Romani Epiſcopi ordinationem pertinent.*

Hoc probat Marca ex veteris diſciplinæ axiomate, ut ejus Synodo ſe ſe ſiſterent Epiſcopi, cujus arbitratu ordinati erant, unde profectum eſt, ut *pertinere ad alicujus Concilium, vel ad conſecrationem* promiſcuè & paſſim dicantur Epiſcopi, qui à Primatibus ſuis pendent. Et hinc eſſe illud Juſtiniani, qui conſtituit Novellâ 137. cap. 4. *convenire apud beatiſſimos Patriarchas illos, qui ab illis ordinati ſunt, & qui non habent jus alios Epiſcopos ordinandi: ut apud ſanctiſſimos Metropolitas cujuſque Provinciæ eos, qui ab eis ſunt ordinati.* Quam Conſtitutionem ita Photius in Nomocanone titulo 8. cap. 8. inter-

pretatur, ut Metropolitanorum Synodos apud Patriarchas, & Epiſcoporum apud Metropolitas, cogendas eſſe ſtatuerit. Jam verò omnium regionum Urbicariarum Epiſcopos ad Romani Epiſcopi Concilium & ejuſdem ordinationem pertinere, patet ex Celeſtino Pontifice, qui Apuliæ & Calabriæ ordinationes ſibi arrogat, dum univerſis Epiſcopis per Apuliam & Calabriam conſtitutis ſcripſit: *Audivimus quaſdam propriis deſtitutas rectoribus civitates Epiſcopos ſibi petere velle de Laicis, tantumque faſtigium tam vile credere, ut hoc his, qui non Deo, ſed ſeculo militaverunt, æſtiment nos poſſe conferre, non ſolùm malè de ſuis Clericis, in quorum contemtum hoc faciunt, judicantes, ſed de nobis peſſimè, quos credunt hoc poſſe facere, ſentientes.* De Campania & Brutiis inculcat Athanaſius in epiſtola ad Solitarios, ubi de Epiſcopis, qui ex Synodo Romana ſecum communicabant: *E magna Roma, Italiaque univerſa, ex Calabria, Apulia, Campania, Brutiis.* Idem de Epiſcopis Metropolitis Sardiniæ & Siciliæ elucet ex datis ad eos per Gregorium Magnum literis, & ſic de aliis.

XXXIII. *Sententia Rufini de Suburbicariis.* Ex his tandem omnibus hæc infert Marca: *Ut explicatio Canonis VI in pauca contrahatur, rectiſſimè & uſu recepto Rufinus, componi inter ſe Alexandrinum & Romanum Epiſcopum in eo ſcripſit, quòd ille Ægyptiacæ Diœceſeos ἐξουσίαν habere debeat eodem jure, quo Epiſcopus Romanus utebatur in Diœceſi Urbicaria, ſeu, ut Rufinus elegantiſſimè loquitur, in Eccleſiis Suburbicariis, id eſt, in iis Eccleſiis, quæ decem Provinciis Suburbicariis continebantur. Earum enim Provinciarum & Synodus & ordinatio, & plena liberaque adminiſtratio ad Epiſcopum Romanum pertinebat, ut Epiſcopo Alexandrino in Ægyptiaca Diœceſi, & Antiocheno in Orientali. Sapienter autem Rufinus comparatione his finibus coërcuit, quia ſcilicet uberiori jure fruebatur Romanus Pontifex, quàm ceteri Diœceſeon Exarchi. Etenim & plures majoreſque Diœceſes tenebat, ut cum Synodo Arelatenſi loquar, & Principatum totius Eccleſiæ gerebat. In quibus duobus capitibus duos illos Patriarchas cum Romano non componi, Rufinus cenſuit, ſed tantùm ratione habita Eccleſiarum Suburbicariarum.* Hæc Marca.

XXXIV. *Diverſimodè intellecta.* Verùm, cùm Rufinus generaliter dicat, Canone Nicæno ſexto ſtatutum, *ut apud Alexandriam & in urbe Roma vetuſta conſuetudo ſervetur, ut ille Ægypti, & hic Suburbicariarum Eccleſiarum ſolicitudinem gerat,* neque ullatenus limitet ad ordinationum jura, hæc non poteſt eſſe mens Rufini. Hinc Valeſius in Obſervationibus Eccleſiaſticis in Socratem & Sozomenum lib. 5. rectè ſcribit, doctiſſimos homines de Eccleſiis ac regionibus Suburbicariis acriùs inter ſe contendentes, Rufini interpretationem potiùs, quàm Canonis ipſius verba expoliuiſſe. Si itaque Suburbicarias decem Provincias in Notitia enumeratas à Rufino intellectas volunt, hunc Nicæni Concilii mentem nullatenus attigiſſe doctè demonſtravit Valeſius ibidem. Interpretatio enim Rufini veriùs paraphraſis quàm verſio eſt; hæc quippe verba Canonis juxta verſionem Dionyſii Exigui: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem: quia & urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt. Similiter autem & apud Antiochiam ceteraſque Provincias ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis. Illud autem generaliter clarum eſt, quòd ſi quis præter Metropolitani ſententiam fuerit factus Epiſcopus, hunc magna Synodus definivit Epiſcopum eſſe non oportere.* Quid hîc Urbicaria & Suburbicaria ſomniamus, de quibus nec veſtigium eſt in verbis Concilii, inquit Allatius lib. 1. de Conſenſione Orient. & Occident. Eccleſiæ capite 12. num. 4. Duo ergo præcipuè in hoc Canone notanda ſunt. Primum eſt, hîc agi de Patriarchis. Alterum eſt, non de ſola ordinatione, ſed de omni jure Patriarchico hîc ſermonem haberi. Ac prius quidem ita demonſtratur. Patres Concilii Nicæni, cùm Eccleſiarum quieti proſpicerent, in Canone quarto ſanxerunt, quo ritu celebrandæ eſſent Epiſcoporum electiones, eaſque à Metropolitanis Epiſcopis confirmari voluerunt. Cùm igitur poteſtas Metropolitanorum in capite illo quarto abundè ſtabilita eſſet, quid opus erat rurſus in ſexto de Metropolitanis dicere? Prorſus inanis ac ſuperflua eſſet hæc repetitio, quæ in viros tam graves cadere non poſſet. Præterea in hoc capite ſexto agitur de Epiſcopis, qui regunt Diœceſim, non autem de his, qui regunt unicam Provinciam. Atqui Metropolitani unam duntaxat Provinciam regunt; ſinguli enim præſunt Epiſcopis ſuæ Provinciæ: Patriarchæ verò Diœceſim, id eſt, multas ſimul junctas Provincias adminiſtrant, & ſubjectos ſibi habent multos Metropolitanos. De his ergo intelligendus eſt hic Canon, non de ſimplicibus Metropolitanis. Alioquin manca atque imperfecta eſſet Conſtitutio Patrum Nicænorum. Cùm enim Epiſcoporum ordinationi abundè proſpexiſſent, quam à Metropolitanis confirmari ſanxerunt, reſtabat ut de Metropolitanorum ipſorum ordinatione ſtatuerent: id autem diſertè faciunt hoc Canone ſexto, illos à Patriarchis ordinari jubentes, qui ſunt Metropolitani Metropolitanorum. Ita omnino hæc Canonis verba intelligenda: *Illud autem generaliter clarum eſt, quòd ſi præter Metropolitani ſententiam fuerit factus Epiſcopus, hunc magna Synodus definivit Epiſcopum eſſe non oportere.* Certè Zonaras Metropolitanos hoc loco interpretatur Patriarchas, qui ſunt majores Metropolitani. Nam cùm Alexandria Metropolis ſit totius Ægypti, & cùm Antiochia ab Antiquis dicta ſit Metropolis totiùs Orientis, Epiſcopi illarum civitatum, Metropolitani jure dici poſſunt. Cúmque Patriarcharum nomen nondum uſurpari cœpiſſet, pro Patriarchis Nicæni Patres *Metropolitanos* videntur poſuiſſe, quod perperam negavit Launoius in libro de recta Interpretatione ſexti Canonis Nicæni. Fuſiùs hac de re Valeſius laudatus.

XXXV. *In VI Canone Nicæno agitur etiam de jure Patriarchico.* In eodem autem Canone ſexto non de ſola ordinatione agi, ſed de omni jure Patriarchico, ita capite quinto Valeſius probat. Si Patres Nicæni Concilii de ſola ordinatione agere voluiſſent, nomen ordinationis omnino poſuiſſent in hoc capite, & reliqua omnia

excepiſſent. Id enim ratio poſtulat. Atqui ordinationis nullam prorſus mentionem fecere, ſed generaliter locuti ſunt. Enimvero & ordinationis nomen addi debuerat in Canone, ſi ad mentem Rufini interpretandus fuiſſet de poteſtate ordinationum in Suburbicariis tantummodo Provinciis; cùm autem nihil limitet, ſed è contrà univerſaliter ſtatuat, quis non videt, occaſione deſumta ex uſurpata per *Meletium* auctoritate in Patriarchatu Alexandrino, generaliter proviſum fuiſſe omni juri Patriarchico, ne ulli Patriarchatum vel majorum Sedium in minimo aliquid juris periret? Et hoc ipſum patet ex Antiocheno Epiſcopo, & aliis trium Autocephalicorum Sedibus, quibus, licèt nihil commune habebant cum ſchiſmate Meletiano, tamen ſua quæque decreta fuerunt privilegia antiquitus obſervata. Quare, ut capite ſexto notat Valeſius, cùm Nicæni Patres antiquas conſuetudines in Ægypto firmaverint, apparet, eos non de ſola ordinatione locutos eſſe, ſed de omnibus Eccleſiaſticis negotiis. Omnes certè Ægypti Epiſcopi ita ſemper hunc Canonem intellexerunt: quemadmodum diſcimus ex Concilio Chalcedonenſi Actione 4. ubi Hieracius Epiſcopus Ægypti nomine Epiſcoporum totius Provinciæ ita dicit: *De epiſtola autem ſanctiſſimi & Deo amiciſſimi Archiepiſcopi Romani Leonis, ſciunt omnes ſanctiſſimi Patres noſtri, quia in omnibus exſpectamus ſententiam ſanctiſſimi Archiepiſcopi, & petimus veſtram Clementiam exſpectare Præſidis noſtri præſentiam, quia eum in omnibus ſequimur. Nam & ſancti Patres, qui in Nicæa congregati ſunt CCC XVIII, hanc regulam dederunt, ut ſequatur omnis Ægyptiaca Diœceſis Archiepiſcopum magnæ urbis Alexandrinæ, & nihil abſque ipſo agatur ab aliquo ei ſubjacente Epiſcopo.* Hæc aliaque Valeſii argumenta tantùm valuerunt, ut Launoius in altera Diſſertatione ſæpius confeſſus ſit, ſe nunquam dixiſſe, Nicænos Patres in Canone ſexto de ordinatione ſola locutos eſſe, ſed de toto Patriarchico jure etiam ſtatuiſſe, ut quoque jam Petrus de Marca obſervavat.

XXXVI. *Rufini expoſitio rejicienda.* Quibus ſuppoſitis, manifeſtè ſequitur, errare eos, qui Canonem ſextum Nicænum interpretantur de poteſtate Sedis Romanæ in Suburbicarias tantùm Eccleſias, quæ continentur decem Provinciis in Notitiis expreſſis. Licèt enim occaſionem decreto dederit invaſio juris Alexandrini per *Meletium*, oſtendimus tamen, Canonem de jure trium Sedium Patriarchalium contra omnes invaſiones futuras ſtatuiſſe. Et cùm jura Patriachalia tam Antiocheni quàm Alexandrini Epiſcopi ſeſe in plures Provincias latè diffunderent, quis unquam dicet, jura Patriarchalia Romani Antiſtitis intra decem Provincias aut regiones, quæ ferè Italiâ continentur, fuiſſe concluſa? Nemo ergo Nicænum Concilium jure interpretabitur de poteſtate Patriarchali Pontificis intra Suburbicarias tantummodo Eccleſias, quarum Synodus Nicæna nec meminit; tantum abeſt, ut de iis aliquid ſtatuerit. Quòd ſi Synodus Nicæna agens de pleno jure Patriarchico Romano, intelligi non poſſit de Suburbicariis Eccleſiis, tanquam illius juris localibus terminis; quomodo Rufini Expoſitio prudens cenſeri poteſt & recta? Quòd ſi tamen aliquis Rufini Expoſitionem vindicandam contenderet, juxta mentem Nicæni Concilii antiquam Eccleſiarum conſuetudinem ex inſtituto Apoſtolico ortam confirmantis, intelligendus eſſet Rufinus. Apoſtolorum Princeps Petrus, qui juxta Innocentium primum cunctas Occidentis inſtituit Eccleſias, in Metropoli Regni Ægyptiaci Alexandria majorem Sedem inſtituendam duxit. Hinc ſanctus Marcus Divi Petri diſcipulus ex ejuſdem auctoritate Alexandriam pergens, ad exemplar Sedis Romanæ Patriarchatum inſtituit, unde Nicænum Concilium Canone ſexto ait: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum*, &c. ac ſi diceret: Sedes Patriarchalis Alexandrina inſtituta eſt ad exemplar Sedis Patriarchalis Romanæ, ſed Sedes Romana habet poteſtatem ſuper omnes Provincias totius Occidentis juri ſuo Patriarchico ſubjectas; itaque & Alexandrina poteſtatem habere debet ſupra Ægyptum, Libyam & Pentapolim ſuo juri Patriarchico ſubjectas. Et juxta hunc genuinum Canonis ſenſum interpretandus eſt Rufinus; ut per Suburbicarias intellexerit totius Occidentis Eccleſias, ſpeciali jure Epiſcopo Romano ſubditas. Per Suburbicarias enim, inquit Valeſius capite 7. eas Eccleſias Rufinus intelligit, quæ ſunt ſub Epiſcopo urbis Romæ. Nam Suburbicariæ Eccleſiæ eodem modo dicuntur, quo Suburbicariæ Provinciæ. Ut ergo Suburbicariæ Provinciæ appellantur, quæ erant ſub Vicario urbis Romæ; ſic Eccleſiæ Suburbicariæ dicuntur à Rufino, quæcumque ſubjacebant Epiſcopo urbis Romæ. Et quemadmodum Provinciæ Suburbicariæ peculiarem conſtituebant Diœceſim Vicarii urbis Romæ; ita Eccleſiæ Suburbicariæ Diœceſim conſtituunt Epiſcopi Romani. Verùm qui fuerint termini hujus Diœceſeos temporibus Concilii Nicæni, haud facile fuerit affirmare, inquit Valeſius ibidem, ubi plura de hujus ſexti Canonis Concilii Nicæni expoſitione. Legendus eſt & Lupus ad hunc Canonem, & Schelſtratius parte 1. Antiquit. Illuſtr. Diſſert. 2. cap. 2.

XXXVII. *Canones Arabici Concilii Nicæni.* Ad num. XLII. Franciſcus Turrianus LXXX Canones Nicænos ex antiquo Exemplari Arabico exſcriptos publicavit. Poſt aliquot annos prodiit alia verſio Abrahami Ecchelenſis Maronitæ, in qua LXXXIV Canones Nicæni cum multis ejuſdem Synodi ſtatutis exhibentur. Verùm, Canones omnes illi, quos cunctæ Orientis Sectæ, ſcilicet Melchitæ, Jacobitæ, Neſtoriani, Cophtæ, Abyſſini, Armeni, Græci & Maronitæ, ut legitimos Nicæni Concilii canones agnoſcunt, ſuppoſititii ſunt; cùm varia contineant, quæ contra omnem antiquitatem, immo contra Nicænum Concilium pugnant. Sunt illi quidem antiqui, ut oſtendit Ecchelenſis, ſed poſt Concilium Chalcedonenſe conficti; cùm in eis ſæpius *Patriarchæ* nomen legatur, quod tamen tunc primùm audiri cœpit. Somniabat itaque Ecchelenſis, quando ſcripſit, exiſtimare ſe, Canones illos auctorem habere Jacobum Niſibenſem in Meſopotamia Epiſcopum; quaſi verò aliquis ex Nicænis Patribus Canones collegerit, qui ipſius Concilii menti adverſentur, inquit Schelſtratius in ſecunda parte Antiquit. Illuſtr. Diſſert. 2. cap. 4. ubi

Baron. num. CLXXX.

ubi plura de illis habet.

XXXVIII. *Glorificationis hymnus tardè uſurpata.* Baron. num. c LXXIII.

Ad num. XLVII. Concilium Arelatenſe, in quo Canon Vaſenſis Concilii antiquum *Glorificationis* hymnum, nempe *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto*, exprimentis citatur, neque ſub Conſtantino Magno, ut aliqui putarunt, neque ſub Conſtantio ejus filio, ut credidit Baronius, celebratum, ſed poſt annum Chriſti quadringenteſimum quinquageſimum, ut infrà oſtendetur. Præterea non tria, ſed duo tantùm Concilia Vaſione in Gallo-Provincia congregata fuere, ut ſuo loco demonſtrabitur. Concilium itaque Vaſenſe ſecundum, quod perperam *tertium* dicitur, habitum eſt anno quingenteſimo viceſimo nono, *Decio juniore V. C. Conſule*, ut habent Acta. Quinto ejus canone ſtatuitur, ut in univerſis Eccleſiis poſt *Gloria* dicatur, *Sicut erat in principio*, adverſus eos, qui *Dei Filium* à tempore cœpiſſe blaſphemant.

XXXIX. *Vicennalia Nicomedienſia Conſtantini M.* Baron. anno ccc VIII.

Ad num. L. *Conſtantinus* M. VIII Kalend. Aug. anni ccc VI dictus eſt Imperator, ideoque eodem die Cæſarei Imperii Vicennalia de more celebranda fuiſſent. Sed, cùm Euſebius aliique ſcribant, nonniſi abſoluta Synodo Conſtantinum ea ſolennia edidiſſe, liquet, hanc triumphalem feſtivitatem dilatam eſſe in diem VIII Kalend. Septembris, quo Synodus Nicæna abſoluta, ut fusè hujus anni initio probavimus. Futile & vanum eſt, quod Spondanus ex Gordono refert, Vicennalia nempe fuiſſe quidem in procinctu, quando celebratum eſt Concilium Nicænum, ſed peracta tantùm eſſe anno ſequenti. Nam Vicennalia anno ſequenti Romæ edita ad Auguſteum Conſtantini Imperium referenda; quæ verò præſenti anno Nicomediæ exhibita ad Cæſareum pertinent, neque hæc duo ſolennia diverſis annis, & ob diverſa Imperii initia acta, in unum confundenda. Porro Vicennalium hoc anno celebratorum occaſione *Publius Optatianus Porphyrius* Poëma compoſuit, quod adhuc extat, in quo cùm Criſpum Conſtantini Magni filium laudibus ornet, liquet, hunc currenti anno die XXV Auguſti, quo hæc Vicennalia Conſtantinus pater dedit, adhuc in vivis fuiſſe. Exaratum illud elogium in laudem Conſtantini Auguſti ejuſque filiorum, in quo rubris characteribus ſcribitur: Aug. XX. Caess. X. id eſt, *Auguſti Vicennalia, Cæſarum Decennalia.* Quibus ex verbis manifeſtum fit, Criſpum & Conſtantinum juniorem Cæſares Imperii Cæſarei Decennalia; cùm pater Vicennalia Nicomedienſia dedit, exhibuiſſe, & quidem, ut exiſtimo, uno eodemque tempore. Extant enim Numiſmata apud Mediobarbum, tam Criſpi quàm Conſtantini junioris, in quorum averſa parte legitur, Caesarum Nostrorum; circa lauream, Vot. X. In alio Criſpi Nummo viſitur figura ſedens, quæ clypeum tenet cum his verbis, Vot. XV, ſcilicet nuncupata: Mediobarbus ea Decennalia anno inſequenti data exiſtimat. At, cùm jam Criſpus anni ccc XXVI initio peremtus fuerit, non dubium, quin Criſpus & Conſtantinus junior currenti anno Nicomediæ Decennalia Vota ediderint, & Vota Quindecennalia nuncuparint.

XL. *Conſtantius quo anno Cæſar creatus.* Baron. num. c XXXVIII.

Annus quo Conſtantius tertius Conſtantini Magni filius Cæſar dictus eſt, hactenus in magnam controverſiam vocatus fuerat. Sed in Diſſertatione Hypatica oſtendi, hanc dignitatem Conſtantio collatam eſſe anno treceteſimo viceſimo tertio, idque *VI Idus Novemb.* Diem nos edocent Idacius in Faſtis, Auctor Chronici Alexandrini, & Kalendarium Lambecianum. Ex quo & ratio eruenda, cur in annum ſequentem, ſcilicet ccc XXIV, ſecundùm primam Conſulatuum Cæſareorum regulam Conſul deſignatus non fuerit. Cùm enim Criſpus & Conſtantinus junior Cæſares Conſtantii fratres jamdiu ante menſem Novembrem Conſules dicti eſſent, Conſulatus Conſtantii neceſſariò differendus fuit, idque in annum ccc XXVI, quo pater ad poſteriora Vicennalia edenda Conſul VII procedere debebat. Conſtantinus enim Magnus nunquam cum privatis Conſulatum geſſit. Conſtantium verò anno tantùm ccc XXIII Cæſarem nuncupatum eſſe, manifeſtum reddunt Conſulatus ab eo ad Decennalia aliaque id genus feſta repræſentanda aſſumti, annique, quibus ea dedit. Quare rectè Proſper in Chronico eam nuncupationem cum Conſulibus anni ccc XXIII copulavit, quod ex Euſebio in Chronico exſcripſit. Cæſares quidem annis Decennalibus & id genus feſtis deſtinatis creabantur, ſed aliquando hæc inauguratio, licèt rariùs, aliis annis acta, ob peculiares ſcilicet rationes, quibus movebantur Imperatores, ut eam accelerarent.

XLI. *Ludi Gladiatorii in Oriente prohibiti.* Baron. num. cc IV.

Ad num. LII. Gothofredus in Commentario Legis I. Codicis Theodoſiani *De Gladiatoribus.* obſervat, Baronium & communiter alios hallucinari, qui arbitrati ſunt, Conſtantinum Magnum illa Lege, quæ dicitur *P P. Beryto Kalend. Octob. Paulino & Juliano Coſſ.* Gladiatorium Ludum ſuſtuliſſe & prohibuiſſe per totum Orbem Romanum, ſeu è Republica Chriſtiana: aboleti enim tantùm in Oriente nominatim *Berythi* in Syria Phœnice, ubi hæc Lex propoſita eſt. Attamen alibi uſurpati deinceps hi Ludi, & quidem in proxima Syria Cœle, Antiochiæ; cujus rei teſtis Libanius Antiochenus libro de Vita ſua pag. 3. ubi Ludorum Gladiatoriorum meminit, quibus ipſe quindecim annos natus, anno ſcilicet ccc XXVIII, quatuor poſt hanc Legem annis, ſpectandis Antiochiæ nuntium remiſerit cum omnium admiratione. Editi & in Italia, quod docet Ambroſius libro 2. Officiorum cap. 21. Romæque quoque Gladiatorium deinceps munus ſtetit, Ludique pœna, uti docet exertè Conſtantii Lex 2. *De Gladiatoribus.* & Honorii Lex 3. Hinc Auguſtinus lib. 6. Confeſſionum cap. 8. *Alypium Gladiatorii ſpectaculi inhiatu incredibiliter abreptum* ſcribit. Modum tantùm quemdam huic rei adhibuere Chriſtiani Principes, quibus alioquin Gladiatorium nomen deteſtandum eſſet, L. 2. ejuſdem Codicis *De Gladiatoribus.* & in his Conſtantius & Valentinianus ſenior, prohibito tantùm certo hominum genere in Ludum Gladiatorium auctorari damnarive, puta Chriſtianis & Palatinis, dictâ L. 2. Non recrudeure itaque ii Ludi Romæ poſt Conſtantinum, neque ante Honorium aliquis ex Imperatoribus Gladia-

totios Ludos Romæ Legibus vetuit, ut ex infrà dicendis conſtabit.

XLII. *Euſebii Chronicon.* Ad num. LIV. *Euſebium*, Chronicon ſuum uſque ad præſentem annum, cum exceptione Vicennalium, quæ Hieronymi additamentum videntur, perduxiſſe, non videtur dubitandum. Quin & illud præſenti Baron. num. CCXIII. anno publicaſſe exiſtimo, ut anno ſequenti videbimus. Porro quia Baronius non obſervarat, Euſebium & Hieronymum in Chronicis annum à Kalendis Septembribus Antiochenorum more inchoare, & dignoſci non poſſit, quo Chriſti anno res ab utroque narratæ contigerint, niſi ad annum Abrahami, quem uſurpant, reſpiciatur, nihil certi quoad Chronologiam ex utroque deducere ſolet, quia ſcilicet præterquam quòd annum ab autumno in utroque Chronico uſurpari non animadvertit, ad ſolos annos Imperatorum in margine notatos, non verò ad Epocham Abrahimiticam animum advertit. Baronium alii paſſim ſecuti ſunt: qui mos abjiciendus, ut certò nobis conſtare poſſit, quibus annis uterque geſta à ſe narrata conſignarit. Cæterùm, magnam à Literatis gratiam is iniret, qui novam Chronici Euſebiani editionem adornaret, illudque cum variis antiquis exemplaribus MSS. quæ adhuc Pariſiis alibique ſuperſunt, conferret, additis in margine Periodi noſtræ annis; cum ea non tantum Eras mundanas Orientalium, ſed etiam Eram Chriſtianam, quâ Latini utuntur, in minori numero, quando ad illam pervenitur, exhibeat, dummodo numeri ſeptem eidem addantur. Editio enim tam Pontacena quàm Scaligeriana valde imperfecta, ut Viris in Chronologia exercitatis notum.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5819. ☉ 27 B. ☽ 4. P. 3. APRIL.
INDICT. 14.
JESU CHRISTI 326.
SILVESTRI PAPÆ 13.
CONSTANTINI 21.

I. *Conſules.* COSS. *Conſtantinus Aug. VII*, & *Conſtantius Cæſar*, non verò *Conſtantinus Cæſar*, ut perperam Baronius aliique quidam, quos in Diſſertatione Hypatica refelli. Legendus egregius locus Themiſtii anno CCCXXIV num. XVIII explicatus, qui opinionem noſtram certiſſimam reddit. Uterque etiam Conſul in Faſtis Græcis Theonis nuper à Dodwello Viro clariſſimo publicatis hoc modo legitur: Κωνσταντῖνος τὸ ζ. καὶ Κωνστάντιος τὸ α. id eſt, *Conſtantinus VII*; & *Conſtantius I*: cùm tamen Conſtantini Cæſaris quartus hic Conſulatus fuiſſet.

II. *Vicennalia Romana Cõſtantini M.* Conſtantii Conſulatus juxta primam regulam; ut anno ſuperiori numer. XL oſtendi; Conſtantini verò juxta ſecundam ob Vicennalia nempe Auguſtei Imperii hoc anno Romæ celebrata. Falſa eſt enim vulgaris opinio, quæ docet, Conſtantini Magni Vicennalia anno præcedenti Nicææ exhibita, currenti Romæ repetita fuiſſe. Ut enim in Diſſertatione Hypatica oſtendi, nullus ex Cæſaribus aut ex Imperatoribus Decennalia aut Vicennalia ſemel edita iterum repræſentavit. Quòd ſi id à Conſtantino Magno factum eſſet, non dubium, quin multi hac in re eum imitati eſſent; & tamen nullum ſimilis repetitionis in tota Antiquitate veſtigium extat. Numiſmata, quæ apud Cangium V. C. in Familiis Byzantinis extant, in quibus hic Imperator cum Conſulari habitu viſitur, Votaque Vicennalia exprimuntur, hoc anno cuſa; ea verò, in quibus ſine illo ſculpitur, ad Vicennalia Nicomedienſia, referenda. Poteſt & revocari hic Conſtantini Magni Conſulatus ad primam Conſulatuum Cæſareorum regulam, ad Monarchiam nempe ejus anno præterito inchoatam, ratione cujus eum iterum Imperatorem ſalutatum eſſe, ideoque & Conſulatum cepiſſe indicat Socrates lib. 1. cap. 4. quando ait: *Ejuſque juſſu* (ſcilicet Conſtantini) *Licinius eſt occiſus. Ita Conſtantinus totius Orbis Romani Imperium adeptus, & Imperator atque Auguſtus appellatus, denuo ad res Chriſtianorum amplificandas ſtudium ſuum contulit.* Quemadmodum itaque Gallienus poſtquam ſolus regnare cepit, & ipſemet Conſtantinus poſtquam Maxentium devicit, Conſules proceſſere; ita idem Conſtantinus ob novum Imperium anno præcedenti Imperator acclamatus eſt, & in præſentem Conſul deſignatus: quæ dignitas ſibi aliunde ob Vicennaliorum celebrationem debita erat.

Ad numer. I. Obiit ſanctus *Alexander* III.
Epiſcopus Alexandrinus *die XXII Bermudæ, die Lunæ*, inquit Auctor Hiſtoriæ *Athanaſius fit Epiſcopus Alexãdriæ.*
Patriarcharum Cophtitarum, qui Baronii tempore non extabat, id eſt, die decima ſeptima menſis Aprilis, qui hoc anno cum feria ſecunda concurrebat, feſtum tamen ejus Baron. num. I & ſeqq.
die XXVI Aprilis, quo Henſchenius ejus elogium hiſtoricum exhibet, celebratur; ſive quia eo die ordinatus fuerat, ſive ob aliquam ejus Tranſlationem. Divus Athanaſius Alexandri ſucceſſor in Apologia ſecunda, & Theodoretus in lib. 1. cap. 26. tradere videntur, eum mortuum eſſe poſt menſes quinque à Concilio Nicæno abſoluto. Sed ſignantiùs tempus exprimit Auctor Libelli Synodici in Synodo Cæſarienſi, dum ait: *Alexandro Papa Alexandriæ, quinto pòſt menſe, quàm Nicæâ domum reverſus eſſet, ad Dominum digreſſus, Athanaſius Præſulatum meritò accepit.* Quo pacto Alexander in ſuam Eccleſiam initio hiemis pervenit, & die XVI Aprilis defunctus eſt. Quæ Athanaſii laudati ſententia fuiſſe videtur. Hæc enim ejus verba: οὔπω δὲ πέντε μῆνες παρῆλθον, καὶ ὁ μὲν μακαρίτης Ἀλέξανδρος τετελεύτηκεν, id eſt, *nondum quinque menſes* (ſcilicet ab adventu Alexandri in Eccleſiam ſuam) *præterierant, cùm Alexander mortem obiit.* Quod eò magis dicendum, quòd Divi Athanaſii ordinatio nonniſi ſub hujus anni finem peracta eſt; cùm anno trecenteſimo ſeptuageſimo tertio die ſecunda menſis Maii ad Deum migrarit, &, ut teſtatur Cyrillus Alexandrinus, annos quadraginta ſex integros ſederit. Quare non dubito, quin ea ordinatio *VI Kalend. Januarii*, uti ad genuinum Bedæ Martyrologium additur in Manuſcripto Eccleſiæ Vaticanæ Sancti Petri, die videlicet XXVII menſis Decembris, ſancto Joanni Evangeliſtæ

ſacra, facta ſit, & huc uſque ſancti Athanaſii initium hujus anni principio perperam conſignatum fuerit, prætermiſſa vacatione Sedis per aliquot menſes, cujus cauſa fuiſſe videtur fuga Athanaſii. Nam, ut ait Sozomenus lib. 2. cap. 17. *Etenim Athanaſius ipſe fugam paraviſſe dicitur, & per vim ab Alexandro coactus eſſe ut Sacerdotium ſuſciperet. Cujus rei teſtis eſt Apollinaris Syrus, ita dicens: Poſt hac verò impietas bellum inferre non ceſſat. Sed primum contra beatum hujus viri* (Alexandri nempe) *doctorem armatur: & hic tanquam filius patri adjutor aderat. Deinde verò contra hunc ipſum, tunc cùm ad Epiſcopatûs ſucceſſionem venit, fugâ quidem diu multumque uſus.* Quid manifeſtius? Vita Sancti Athanaſii, quæ linguâ Gallicâ nuper ſcripta eſt ab Hermantio Doctore Sorbonico, & à Papebrocio in tomo 1. Sanctorum menſis Maii linguâ Latinâ, ex variis à nobis in medium afferendis non parum illuſtrari poterit.

IV. *Patriarchæ in Synodis ordinari ſoliti.*

Divus Epiphanius hæreſi LXVIII ait, Epiſcoporum Synodum ad ordinandum Athanaſium congregatam fuiſſe, quod verum eſſe non dubito; cùm Patriarchæ in Synodo Epiſcoporum ordinari ſoliti eſſent, & tamen in Collectionibus Conciliorum nulla hujus Synodi mentio. Poſt mortem Patriarchæ, ut notat Valeſius in Obſervat. Eccleſiaſt. ad Socratem & Sozomenum lib. 3. cap. 14. multi tam Metropolitani quàm Provinciales Epiſcopi ad Patriarchalem Eccleſiam conveniebant, tum funeris celebrandi, tum Patriarchæ in mortui locum ſubſtituendi causâ, quò & illius ſepultura, & hujus ordinatio eſſet illuſtrior. Ita Joannes Chryſoſtomus; ſic ante illum Nectarius, & reliqui ferè poſt illum Epiſcopi Conſtantinopolitani in Synodo Epiſcoporum ordinari leguntur, ut videre eſt in Annalibus. Simul autem atque ordinati fuerant, Synodicas literas mittebant ad reliquos Patriarchas, quibus & ordinationem ſuam illis nuntiabant, & Fidei ſuæ formulam exponebant, poſcentes ut ab illis viciſſim literas pacificas ſeu communicatorias acciperent. Quin & Epiſcopus Romanus poſtquam ad Pontificatûs apicem evectus fuerat, ejuſmodi literas ad reliquos Patriarchas Collegas ſuos mittere conſueverat, Fidem ſuam eis exponens, petenſque, ut eorum precibus & conſilio adjuvaretur. Hujuſmodi extat epiſtola *Gregorii Papæ* ſcripta eodem exemplo ad omnes Patriarchas, in libro primo ejus Epiſtolarum. Duæ porro ſimul mittebantur epiſtolæ Synodicæ. Nam & Epiſcopi, qui ad ordinationem novi Patriarchæ convenerant, Synodicam ſuo nomine ad omnes Patriarchas epiſtolam ſcribebant, quæ Patriarchæ recens ab ipſis ordinati præconium continebat: & is qui creatus fuerat Patriarcha, Synodicam ſuam ſeorſim mittebat ad reliquos Collegas ſuos. Cujus rei illuſtre exemplum habemus in *Epiphanio* Patriarcha Conſtantinopolitano. Nam cùm Epiſcopi, à quibus ordinatus fuerat Patriarcha, Synodicam ſuam ſcripſiſſent ad *Hormiſdam* Papam, ipſe peculiarem Synodicam ad eundem Hormiſdam per Legatos ſuos direxit. Ac prior quidem illa propriè Synodica fuit, quippe quæ à Synodo ſcripta eſſet, & præfixa haberet nomina omnium Epiſcoporum, qui Synodo interfuerant, præterquam ipſius Epiphanii. Poſterior verò nonniſi impropriè Synodica dici poteſt. Utraque harum epiſtolarum habetur in Annalibus. Baron. anno 520.

V. *Miſſarum ſolennia à Patriarchis ſimul celebrata.*

Illud præterea ibidem Valeſius obſervat, Legatos Patriarcharum, qui Synodicas literas deferebant, unà cum Patriarcha, ad quem miſſi fuerant, ad altare procedere, & Miſſarum ſolennia celebrare ſolitos eſſe, quod indicium erat mutuæ inter Patriarchas communionis. Cujus rei habemus teſtimonium Liberati Diaconi, qui in cap. 18. Breviarii, de Miſeno & Vitale Legatis Eccleſiæ Romanæ ad Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum ita ſcribit: *Itum eſt Conſtantinopolim. Et ſupradicti Epiſcopi in cuſtodiam ſunt redacti, chartis ſublatis, ne Catholicis, quibus ſcriptum fuerat, redderentur. Quos iterum Acacius poſt hac de cuſtodia ejiciens, ſecum fecit procedere, ut quaſi confirmato Petri Sacerdotio dimitterentur*; ubi verbo *procedere* Liberatus intelligit Miſſarum ſolennia celebrare, ut liquet ex altero teſtimonio Gregorii Magni in epiſtola 31. lib. 6. ad Eulogium Alexandrinum, & Anaſtaſium Antiochenum Epiſcopos. Denique ipſi Patriarchæ, ſi fortè in unum conveniſſent, Miſſarum ſolennia ſimul celebrabant. Sic, imperante Baſilio Porphyrogenito, *Agapius Archiepiſcopus Seleuciæ in Syria, factus Hieroſolymorum Patriarcha, cùm Conſtantinopolim veniſſet, Miſſarum ſolennia celebravit unà cum Patriarcha Conſtantinopolitano Nicolao, & cum ſacra Synodo*, ut legitur in libro 4. Juris Græco-Romani pag. 294. Plura hac de re Valeſius.

VI. *Haretici excluſi à privilegiis Clero conceſſis.*

Ad num. IV. Conſtantinus L. 1. Codicis Theodoſiani *De Hæreticis*, privilegia Clericis conceſſa ad Catholicos ſolos pertinere, non verò ad Hæreticos & Schiſmaticos declaravit; quæ Lex, ut rectè conjecit Baronius, ſpectat ad Arianos & Meletianos, quod ipſa ratio temporum ſuadet; ſuperiore enim anno utrique in Concilio Nicæno damnati. Deinde conjunctio utrorumque, puta Hæreticorum & Schiſmaticorum, hic ſpectanda eſt. Baron. num. XVI. Nam Alexandro Epiſcopo Alexandrino mortuo, Meletiani Eccleſias rurſum turbare cœperunt, ut liquet ex Athanaſii Apologia 2. & Sozomeno lib. 2. cap. 20. & ab Euſebio Nicomedienſi illecti in ſocietatem cum Arianis coïere; de quo præter Athanaſium videndus Epiphanius hæreſi 68. quæ eſt Meletianorum. Athanaſius, qui ipſo anni præteriti fine Alexandro ſuffectus fuerat, ab his apud Imperatorem Conſtantinum variis criminibus appetitus eſt, & Athanaſius viciſſim apud Imperatorem in Hæreticos & Schiſmaticos ſeſe extulit, ipſomet Imperatore pacis nequicquam auctore & ſuaſore, ut Euſebius in lib. 3. de Vita Conſtantini ſcripſit. Hac Lege, inquit Gothofredus in ejus Commentario, apertè refutatur Arianorum & Meletianorum mendacium apud Epiphanium hæreſi 68. quod etiam tandiù poſt reponit Philoſtorgius lib. 2. cap. 1. qui ſparſere, *Conſtantinum* poſt Concilium Nicænum opinioni *Arii* jam faviſſe, Arianiſque & Meletianis conceſſiſſe uti ſeparatim in cœtum coirent. Quam calumniam aliò-

quin revincunt ipſæmet Conſtantini literæ apud Athanaſium Apologia 2. & Lex citata. Præterquam quòd Athanaſius in epiſtola ad Solitarios, Epiphanius hæreſi 69. & Theodoretus lib. 2. cap. 5. diſertè teſtantur, Conſtantinum ſemper in Fide integra integrum manſiſſe.

VII. *Lex adverſus Novatianos.*

Baron num. XVII.

Lege 1. Cod. Theodoſ. *De Hæreticis.* hoc anno data, *Novatianis* ſuas Eccleſias, ſuaque cœmeteria Conſtantinus reliquit, at non etiam eas, quæ ad Eccleſias Catholicas aliquando & ante Schiſma, quod jam per annos circiter LXXX durabat, pertinuerunt; cùm aliàs Hæretici Eccleſias fabricare vel habere vetarentur. Rationem ſimul & occaſionem præmittit his verbis in ea Lege Conſtantinus: *Novatianos non comperimus prædamnatos, ut iis, quæ petiverunt, minimè largienda crederemus.* Nempe inquietare hoc tempore *Novatianos* nonnulli inſtituerant, verùm illi conqueſti apud Conſtantinum ſibi ſua relinqui petiere, neque enim ſe prædamnatos, ita ut ſua ſibi non relinquerentur. Et fidem habuit Novatianorum allegationi Conſtantinus, cùm dicat, *Novatianos non comperimus prædamnatos.* Quæ impoſtura videtur, quâ Conſtantini circumventa religio. Baronius ait, Novatianos fortè non fuiſſe prædamnatos ut Hæreticos, ſed ut Schiſmaticos. Sed verius eſt quod idem mox fatetur, Novatianos inter Hæreticos jam cenſitos, & ſic damnatos. Atque etſi ut Schiſmatici tantùm damnati fuiſſent, an ideo minùs prædamnati? An ideo minùs his Eccleſiæ ſuæ detractæ, hiſve coeundi libertas facta à Conſtantino? Quare Gothofredus in hujus Legis Commentario vocem *prædamnatos* attendi vult, & illa potiùs continuo filo ita legi, *prædamnatos, ut,* &c. Nempe non negat Conſtantinus, antea damnatos Novatianos, verùm ita damnatos, adeo exoſos, ut propterea his ſua adimi debeant: *Prædamnatos* igitur, *ut,* &c. id eſt, tam atroci antea ſtilo & ſententiâ confoſſos, ut ad Hæreticorum aliorum inſtar & exemplar revocandi ſint. Hinc Sozomenus lib. 2. cap. 32. Hæreticorum comparationem inſtituens, diſertè ait, *Novatianorum* aliam & meliorem ſub Conſtantino Magno fuiſſe conditionem, quàm aliorum Hæreticorum, in quos neque Lex Conſtantini exercita fuerit. Quare ait, *Novatianos*, tum quòd duces probos conſecuti eſſent, & circa Divina, Fidemque, eadem cum Eccleſia ſentirent, non multum incommodi ex ſuperiore Conſtantini Lege tuliſſe: partimque Imperatorem, qui ſubditis ſuis non tam exitio, quàm terrori eſſe inſtituiſſet, de Legis ſeveritate aliquid ultro remiſiſſe: partim *Aceſium* hac tempeſtate Novatianæ ſectæ Epiſcopum Byzantii, quòd ob vitæ integritatem Imperatori charus eſſet, Eccleſiæ ſuæ præſidio fuiſſe. Hoc igitur eſt, quòd nunc Conſtantinus ait, ſe *non comperiſſe* Novatianos ab Eccleſiâ adeo priùs damnatos, ut æqua cum ceteris lege & ſeveritate, puta Cataphrygibus, Valentinianis, Marcioniſtis, habendi videantur: quidquid ipſe ad terrorem potiùs antea conſtituiſſet. Nam hæc cauſa proculdubio eſt, inquit Gothofredus in hujus Legis Commentario, non quam Sozomenus putat, cur in illa, quam memorat, Conſtantini Conſtitutione, nulla Arianorum mentio fiat. Et proinde nullus dolus malus hac parte in Euſebio, ubi de Vita Conſtantini agit, putandus eſt, quaſi ex ea Conſtitutione Arianorum nomen ſuppreſſerit; quod tamen Baronii judicium eſt. De *Novatianorum* ſtatu Romæ pacato uſque ad Innocentium hujus nominis primum, hunc egregium Socratis locum lib. 7. cap. 11. indicat Gothofredus: *Etenim*, inquit Socrates, *ad id uſque temporis Novatiani Romæ plurimùm floruerant, cùm multas ibi Eccleſias poſſiderent, & maximam populi multitudinem in eis colligerent.* Antea cap. 9. Socrates ſcripſerat: *Anaſtaſium deinde excepit Innocentius: qui quidem primus Novatianos Romæ degentes perſequi cœpit, multaſque eis Eccleſias ademit.* Porro Imperatores annis Vicennalibus & id genus feſtis deſtinatis Leges in Eccleſiæ favorem emittere ſolitos, multis exemplis liquet.

VIII. *Martyrium Hieroſolymitanum, & Anaſtaſis unica Baſilica, non duæ.*

Baron. num. XXX & ſeqq.

Ad num. VI. Extructæ & variæ Eccleſiæ à Conſtantino ſuorum Vicennalium occaſione, & inprimis nobiliſſimum *Reſurrectionis* Templum in Palæſtina. Valeſius in calce Notarum ad Euſebii Hiſtoriam ſubnectit epiſtolam ad amicum ſcriptam, *de Anaſtaſi & Martyrio Hieroſolymitano*, in qua refellit Sirmondum, qui exiſtimavit, Conſtantinum M. diverſis in locis Baſilicas duas erexiſſe: unam in loco *Paſſionis*, quæ *Martyrium* & *Crux* dicta eſt: alteram in loco *Reſurrectionis*, quæ *Anaſtaſis* & *Dominicum* dicebatur. Nam unicam Baſilicam à Conſtantino M. Hieroſolymis ædificatam eſſe produnt non tantùm Euſebius, tum in Oratione de Laudibus Conſtantini, tum in lib. 3. & 4. de ejus Vita; ſed etiam Socrates in lib. 1. cap. 13. Sozomenus, Auctor Itinerarii Hieroſolymitani, Eucherius in libello de Situ urbis Hieroſolymitanæ, & Antoninus Martyr in Itinerario. Neque obſtat, quòd Hieronymus in epiſtola ad Pammachium dicat: *Cùm de Anaſtaſi pergeretis ad Crucem.* Nam idem prorſus eſt, ac ſi dixiſſet, cùm de Monumento pergeretis ad Golgotha, in quo erat rupes Crucis. Hieronymus quippe paulò antè Sepulchrum Domini appellaverat, quam ibi Anaſtaſim dicit. Interdum tamen Anaſtaſis ſtrictiùs ſumitur, & ſeparatur à Martyrio ſeu Baſilica Conſtantini: ac pro Sepulchro Domini, ſeu potiùs pro ædicula Sepulchro ſuperſtructa ponitur, ut videre eſt apud Hieronymum & Eucherium. Qua de re plura Valeſius citatus. Porro cùm Conſtantinus in epiſtola ad Macarium Epiſcopum Hieroſolymitanum, quam refert Euſebius lib. 3. de Vita Conſtantini cap. 31. dicat, ſe Baſilicæ illius excitandæ negotium *Draciliano* Agenti vices Præfectorum Prætorio commiſiſſe, & præſenti anno ad Dracilianum directa ſit Lex 1. Cod. Theodoſ. *De Hæreticis.* de qua ſuprà, & anno præcedenti Lex 1. ejuſdem Codicis *De uſuris.* ad Dracilianum Agentem vicem Præfecti Prætorio inſcribatur, liquet, hujus Baſilicæ ædificationem rectè hoc anno conſignatam eſſe. Hanc porro *Reſurrectionis* Eccleſiam anno CCCXXXV Tricennalibus Conſtantini M. inſignito dedicatam infrà videbitur, multiſque exemplis patebit, Eccleſias, quæ in Quinquen-

nalibus v. g. conſtrui cœperant, in Decennalibus vel id genus feſtis dedicatas eſſe, id eſt, poſt quinquennium aut poſt decennium.

IX. *Helena Romæ obit.* Baron. num. LIX.

Ad num. XIII & XIV. *Eodem quoque anno matrem Helenam, mulierem Divino ſenſu præditam, coronavit Conſtantinus, & ut Imperatrix monetam ſuo charactere cuſam diſtribueret, donavit*, inquit Theophanes de rebus anno præcedenti geſtis loquens. Ut enim in Diſſertatione Hypatica dixi, matres, uxores & ſorores Imperatorum *Auguſtæ* in Vicennalibus & id genus feſtis de more nuncupatæ. *Helenæ* porro obitus hoc anno contigit, ut rectè notat Theophanes citatus. Quod etiam oſtendit Conſulatus Flavii Valerii Conſtantini, Conſtantini Magni fratris, anno ſequenti geſtus. Cùm enim *Helena* nepotes ſuos Conſtantini M. liberos ſummo amore proſequeretur, id ante omnia providit, ne quis ex Conſtantii liberis, Conſtantini fratribus, Imperium eis ſubriperet. Quare illos velut exules quoad vixit, ſemper detinuit, nunc Toloſæ in Gallia, ut ſcribit Auſonius, nunc Corinthi, quemadmodum prodit Julianus in epiſtola ad Corinthios, cujus fragmentum extat apud Libanium in Oratione pro Ariſtophane Corinthio pag. 217. ubi Libanius teſtatur, *Helenæ* conſilio & novercalibus odiis Conſtantium Juliani patrem hàc & illàc traductum fuiſſe. Cùm itaque Conſtantinus Conſtantini M. frater, ut Zonaras prodit, anno ſequenti Conſul proceſſerit, non dubium, quin poſt matris mortem, hunc in fratrem honorem Conſtantinus M. contulerit. Denique *Helena* Romæ obiit, ut Euſebius docet, idque inter filii ac nepotum complexus, die XVIII Auguſti. Conſtat enim ex Chronologia Codicis Theodoſiani, Conſtantinum M. hujus anni initio conſtitiſſe in Thracia vel in Macedonia *Heraclea*, ubi *III Nonas Feb.* data Lex 2. *De cuſtodia reorum.* inde in *Pannoniam* profectum eſſe, ubi *Sirmii Idibus Martiis* dedit Legem 1. *De integri reſtitutione.* E Pannonia in Italiam venit, & *Aquileiæ* menſe Aprili Legem emiſit, *Si quis eam cujus tutor.* Dein *Mediolanum* profectus, ubi menſe Julio Lex 3. *De falſa moneta.* emiſſa. Hinc Romam eodem menſe Julio pervenit, ibique Vicennalia magnificè edidit, teſte Hieronymo & Idacio in Chronicis, quæ in diem XXV Julii Conſtantini M. natalem incidebant. Data ibidem Lex 3. *De infirmandis his, quæ ſub Tyrannis. VIII Idus Jul.* Hinc & recitata in Palatio, Conſtantino ſcilicet præſente, menſe Auguſto, Lex 3. *De bonis vacantibus.* eodemque menſe Auguſto Romæ *Helena* mortua & ſepulta. Quæ omnia Gothofredo in eadem Chronologia rectè obſervata, qui addit, falli eos, qui alio quàm currenti anno Helenam mortuam volunt, hancque Conſtantini Magni Romæ moram ultimam eſſe, quæ Senatum Populumque Romanum ei inconciliavit, propter eradicandæ videlicet in ea ſuperſtitionis Gentilitiæ ſtudium, hincque ornamentorum ex urbe Roma poſtea tranſlationem, & populi Romani in eum convicia, de quibus Libanius Oratione 13. ad Theodoſium pag. 412. Conſtantinus Româ, ubi conſtiterat trimeſtri fermè, Julio, Auguſto, Septembri, in Pannoniam reverſurus *Spoletum* venit, ubi ab eo data Lex 2. *De Hæreticis.* indeque in Pannoniam, ubi data ab eo *Sirmii* Lex 1. *De jure Fiſci. pridie Kal. Jan.* ultimo ſcilicet hujus anni die.

X. *Conſtantini M. Romam adventus.* Baron. num. LXIII.

Dies, quo Conſtantinus Romam hoc anno adventavit, notatus videtur in Kalendario Lambeciano, in quo ad XII Kalend. Auguſti legitur, ADVENTUS DIVI. Idem tempus indicat Zoſimus lib. 2. pag. 865. & 866. ubi Conſtantini moram Romæ in diem, quo *Tranſvectio* Equitum in Capitolium, ſeu Probatio Equitum Romæ celebrabatur, incidiſſe, nuncupatis verbis prodit. Qui dies erat IDUS JULIÆ, ut ex Livio, Valerio, Plutarcho, Plinio, & Auctore de Viris Illuſtribus conteſtatiſſimum eſt. Immo in præfato Kalendario temporibus filiorum Conſtantini M. ſcripto ad Idus Julias habetur, EQUIT. R. PROB. id eſt, *Equitum Romanorum Probatio.* Hinc Lex 3. Codicis Theodoſiani *De infirmandis his, quæ ſub Tyrannis.* dicitur *dat. VIII Id. Jul. Romæ*, & Lex 4. ejuſdem tituli dicitur *dat. Id. Jul.* ipſo nempe die *Tranſvectionis*, quæ Vicennalium Conſtantini occaſione geſta eſt. Auctor Chronici Alexandrini ſub Januarii & Juſti Conſulatu anno CCCXXVIII hæc refert, quæ ad præſentem annum revocanda eſſe contendit Gothofredus in Commentario præfatæ Legis 1. *De infirmandis his, quæ ſub Tyrannis. His Coſſ. Conſtantinus laudatiſſimus Imperator Româ profectus, & Nicomediæ Bithyniæ Metropoli moratus, ſæpeque Byzantium profectus primum Byzantii murum inſtauravit, magnamque partem ad veterem murum adjecit, novumque cum eo conjunxit, urbemque ipſam Conſtantinopolim dixit*: poſteaque alia ædificia à Conſtantino ibidem constructa ait. Verùm, cùm ſub hujus anni finem Conſtantinus Sirmii fuerit, ut cum ipſomet Gothofredo ſuprà obſervavimus, quomodo hoc anno vel Byzantii vel Nicomediæ eſſe potuit? Immo neque anno ſequenti Conſtantinus Nicomediæ aut Byzantii fuit, ut eo anno videbimus. Quare Auctor Chronici Alexandrini hac in re non redarguendus, eaque narratio cum anno CCCXXVIII copulanda, ut rectè præſtiterat ipſemet Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani.

XI. *Helenopolis condita.* Baron. num. LVIII.

Auctor Chronici Alexandrini ſub anni ſequentis Conſulibus ait: *Conſtantinus inſtaurata Drepani urbe in Bithynia ad cultum Sancti Luciani Martyris illam à matre ſua Helenopolim nuncupavit, donata civitati in Martyris honorem, quo uſque patet ante urbem proſpectus, immunitate vectigalium ad hodiernum uſque diem.* Helenopolim etiam Hieronymus in Chronico anno ſequenti conditam ſcribit, ideoque & poſt Helenæ mortem, & in Quinquennalibus Conſtantii Cæſaris.

XII. *Euſebius Hiſtoriam ſuam publicat.*

Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus Hiſtoriam Eccleſiaſticam hoc anno publicavit. In capite enim ultimo poſtremi libri, narrato Licinii interitu, qui anno præcedenti contigit, ait: *Conſtantinus vir omnibus Religionis virtutibus ornatus, & Victor Maximus, unà cum filio Criſpo Cæſare Deo chariſſimo, & patri undequaque ſimillimo, Orientem ſuum recepit: & Imperium Romanum, ſicut olim fuerat, in unum corpus redegit.* Quare, cùm Criſpus currenti anno à Conſtantino patre oc-

ciſus fuerit, uti ſuo loco oſtendi, Euſebius ante præſentem annum Hiſtoriam ſuam in Oriente publici juris non fecit; ſaltem antequam de hujus cæde in Occidente patrata, nuntium in Palæſtinam, ubi is Hiſtoricus agebat, perveniſſet. Nam tantùm abeſt, ut de Criſpo jam mortuo ita locutus eſſet Euſebius, ut nequidem illius meminiſſet; cùm in Oratione in Tricennalibus Conſtantini habita cap. 3. de aliis tribus Conſtantini liberis mentionem faciat, de Criſpo verò à patre peremto taceat; quod etiam ſilentium ſervat in Vita Conſtantini lib. 4. cap. 40. quando de Conſtantini filiis ſermonem habet. Ex quibus deducitur primò, Hankium in libro de rerum Byzantinarum Scriptoribus Græcis parte 1. cap. 1. hallucinatum, quando Euſebium Hiſtoriam ſuam ante Nicænam Synodum in lucem emiſiſſe tradit. Secundò, hallucinatos etiam eos, qui Criſpi mortem anno præcedenti contigiſſe ſcripſere. Tertiò, audiendos non eſſe Valeſium, qui in Diſſert. quam de Vita & Scriptis Euſebii compoſuit, putat, Hiſtoriam hanc aliquot annis poſt Concilium Nicænum eſſe abſolutam: Blondellum, qui anno circiter CCCXXX editam autumat in Apologia pro Hieronymi ſententia de Epiſcopis & Preſbyteris, ſectione 11. cap. 19. & Dallæum, qui eodem anno conſcriptam cenſet lib. 1. de pſeudo-epigraphis Apoſtolicis cap. 4. Mors enim *Criſpi*, quæ poſt annum CCCXXVI differri nullatenus poteſt, eorum errorem manifeſtum reddit. Præterquam quòd *Paulinus* Epiſcopus Tyri, cui decimum librum dicat Euſebius, anno CCCXXVIII obiit, ut infrà videbitur. Hiſtoriam autem illam occaſione Vicennaliorum Romanorum Conſtantini hoc anno publicavit, quod indicat Gennadius in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ubi de Theodoreto loquens ait, incepiſſe eum *à fine librorum Euſebii, id eſt, à Vicennalibus Conſtantini*, à Vicennalibus nempe Nicomedienſibus. Sed, cùm in ea Hiſtoria Chronicon ſuum citet & corrigat, liquet, anno præcedenti Chronicon, currenti verò Hiſtoriam in lucem emiſſam.

Olymp. 276. *ſecundum Baronium.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5820. ☉ 28 A. ☽ 5. P. 26. MART.
INDICT. 15.
JESU CHRISTI 327.
SILVESTRI PAPÆ 14.
CONSTANTINI 22.

I. *Conſules.* COSS. *Flavius Valerius Conſtantinus*, & *Maximus*: qui Conſtantinus, vel filius alterius Conſtantini fratris Conſtantini Imperatoris, ut credit Onuphrius, vel ipſemet Conſtantini frater, ut Zonaras tradit. De hoc Conſulatu pluribus egi in ſecunda parte Diſſertationis Hypaticæ cap. 13. Baronius proponit hoc anno Conſtantinum Cæſarem IV & Maximum; ſed perperam, ut anno CCCXXIX videbimus.

II. *Quinquennalia Conſtantii Cæſaris.* Conſtantii Cæſaris Quinquennalia hoc anno peracta, Conſtantini Conſulatus indicare videtur.

III. *Arius exilio ſolutus.* Ad num. I. *Arius* hoc anno ab exilio revocatus fuit. Hunc enim à Conſtantino relegatum fuiſſe oſtendimus anno CCCXXV, num. XXII. Rediit autem antequam Euſebius & Theognius in exilio adhuc agentes libellum ſatisfactionis à Socrate lib. 1. cap. 14. recitatum, quemadmodum & à Sozomeno lib. 2. cap. 16. miſiſſent Epiſcopis, ut ibidem diximus num. XX. Præterea Philoſtorgius lib. 1. cap. ultimo dicit, *Secundum* & Euſebium *tribus menſibus poſt Synodum exactis* relegatos eſſe: & lib. 3. cap. 7. teſtatur Euſebium, Marim, & Theognium *poſt biennium* Conſtantini Imperatoris juſſu ab exilio revocatos eſſe. Quare hi poſt Arium exilio ſoluti. Verum non eſt quod Baronius ſcribit, Euſebium & Theognium anno CCCXXX ab exilio rediiſſe, quod ideo Spondanus in Epitome prætermittendum cenſuit. Tres annos, quibus Arius in exilio fuit, incompletos fuiſſe, manifeſtum facit Synodus Antiochena, hoc anno vel ſequenti adverſus Sanctum Euſtathium Epiſcopum Antiochenum congregata, in qua is ab Euſebio Nicomedienſi ſociiſque, falſis impoſitis criminibus, depoſitus fuit. Baronius eam Synodum in annum CCCXL conjecit; ſed, ut eo anno dicetur, per hæc tempora celebrata fuit. Hæc exilii ſolutio videtur effectus Quinquennalium Conſtantii Cæſaris. Quemadmodum enim Donatiſtæ in Quinquennalibus Criſpi & Conſtantini junioris Cæſarum exilio liberati ſunt, ut ſuo loco dixi, ita Arius ejuſque conſortes in Quinquennalibus Conſtantii Cæſaris eorum fratris.

Baron. num. 1 & ſeqq.

Baron. anno 330. n. ult.

IV. *Quo pacto Arius ab exilio revocatus.* Arius porro ab exilio revocatus eſt, eo prorſus modo, quo Euſebius ac Theognius, miſſo ſcilicet ad Epiſcopos ſatisfactionis libello, cùm rogaſſet Epiſcopos, qui in Comitatu erant, aut qui vicini erant urbi Regiæ, ut pro ipſo apud Principem intercederent. Quod colligitur ex verbis, quæ in libello Euſebii & Theognii extant, ubi de Ario aiunt: *Quando & eum ipſum qui ob iſta accuſabatur, placuit reverentiæ veſtræ humaniter tractare, & ab exilio revocare.* Cùm igitur id Ario proſperè ſucceſſiſſet, Euſebius ac Theognius, quorum conſilio, ut videtur, Arius libellum ſatisfactionis miſerat Epiſcopis, ipſi quoque idem tentarunt, pari ſucceſſu; quæ conjectura Valeſii eſt in Notis ad lib. 2. Sozomeni cap. 16.

V. *Euſebius & Theognius exilio ſoluti.* Philoſtorgius lib. 2. cap. 7. ait, *Euſebium, Marim & Theognium poſt triennium Conſtantini Imperatoris juſſu ab exilio revocatos, Symbolum hæretica Fidei edidiſſe, & quaqua verſum miſiſſe ad everſionem Synodi Nicenæ: Alexandrum quoque Epiſcopum Alexandriæ ab iiſdem depoſitum eſſe & excommunicatum, eò quòd ad Conſubſtantialis Fidem denuo reverſus eſſet. Sed & Euſtathium Antiochenſem Epiſcopum perinde ab iiſdem depoſitum eſſe, cum puellæ cujuſdam ſtuprum ac fœdæ libidinis crimen ei objeciſſent. Imperator verò eum exilio mulctavit, & in Occidentis partes relegavit. Ceterum in hoc illegitimo Concilio Epiſcopos numero ducentos & quinquaginta ſediſſe ſcribit, & malorum omnium officinam illis fuiſſe Nicomediam.* Philoſtorgius num. præcedenti dicit, *Euſebium* & ſocios *poſt biennium* exilio ſolutos, hîc verò poſt triennium; ex quo intelligimus, hoc triennium integrum non fuiſſe. Sed quod de Alexandro ſcribit, prorſus falſum. Quando enim Euſebius &

ſocii ab exilio reverſi ſunt, mortuus erat Alexander, & Athanaſius Eccleſiam Alexandrinam regebat. Illud tamen verum, Euſebium, Marim & Theognium ab exilio reduces Orthodoxos Epiſcopos perſequi cœpiſſe, & inter alios Athanaſium & Euſtathium. Sozomenus lib. 2. cap. 22. narrat, Euſebium ac Theognium apud Conſtantinum accuſaſſe Athanaſium, quaſi ſeditionum in Eccleſia auctor eſſet, multiſque in Eccleſiam ingredi cupientibus aditum intercluderet: Conſtantinum verò, cui cura erat concordiæ populorum, ſcripſiſſe Athanaſio, *ut nemo aditu Eccleſiæ prohiberetur:* Euſebium, ut eum è medio tolleret, Meletianorum operâ ei crimen intendiſſe, quòd linearum tunicarum tributum Ægyptiis impoſuiſſet, & *hujuſmodi collationem ab ipſis accuſationibus exegiſſet.* Baronius hæc quaſi diverſis annis geſta eſſent, recitat partim hoc anno, partim anno CCC XXIX, in quo manifeſtè labitur & diſſentit ab Athanaſio, quem tamen in omnibus ſequi ſe profitetur. Etenim Athanaſius in Apologia ſecunda, loco à Baronio citato, ſtatim poſt literas Conſtantini & repulſam Arii, crimina illa à Meletianis delata eſſe ſcribit ad Imperatorem, ut obſervat Valeſius in Notis ad lib. 1. Socratis cap. 27. ubi tamen malè ea in annum CCC XXX conferenda cenſet.

VI. *Athanaſii cauſa quo anno agitata.*

Baron. num. XV & ſeqq.

Papebrocius die ſecunda Maii in Vita S. Athanaſii cap. 4. tardiùs hæc contigiſſe credit, anno ſcilicet trecenteſimo triceſimo primo, ſed perperam. Cùm enim Socrates lib. 1. cap. 27. teſtetur, Conſtantinum M. de præfata Athanaſii cauſa cognoviſſe primùm *Nicomediæ*, ac mox *Pſammathiæ* Nicomediæ ſuburbano; quod & ipſemet Athanaſius in Apologia ſecunda indicat; & ex Auctore Chronici Alexandrini anno CCC XXIV num. XVII citato conſtet, Conſtantinum anno CCC XXVIII *Nicomediæ* moratum eſſe; apparet, præfatas calumnias eo anno Athanaſio fuiſſe intentatas; & quidem circa illius anni initium: jam tum enim Conſtantinum Nicomediæ fuiſſe diſcimus ex Lege unica Codicis Theodoſiani *De menſis oleariis*, Kalendis Martiis Nicomediæ data. Quare videtur ibidem eo anno Conſtantinus Eccleſiam illam ædificaſſe, de qua Euſebius in Vita Conſtantini lib. 3. cap. 50. ut Gothofredus in Chronologia Cod. Theodoſ. obſervat. Certè, cùm ex ſubſcriptionibus Legum Codicis Theodoſiani pateat, anno CCC XXIX Conſtantinum in Dacia, Pannonia & Thracia; anno verò CCC XXXI Conſtantinopoli conſtitiſſe; neutro anno Athanaſii cauſa Nicomediæ agitari cœpta, quemadmodum nec anno currenti, quo Conſtantinum Nicomediæ non fuiſſe, ſubſcriptiones Legum Cod. Theod. oſtendunt.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5821. ☉ 1 GF. ☽ 6. P. 14. April.
Indict. 1.
Jesu Christi 328.
Silvestri Papæ 15.
Constantini 23.

I. *Conſules.*

COss. *Januarius, & Juſtus.*

II. *Athanaſii cauſa agitata.*

Ad num. I. Athanaſii ab Euſebianis accuſati cauſa Nicomediæ hoc anno agitata, ut anno ſuperiori num. VI dixi.

III. *Vita S. Antonii, & S. Syncliticæ.*

Ad num. II. Scripſit Sanctus Athanaſius Vitam Sancti Antonii Abbatis, quam Evagrius Latinam reddidit; idque extremis ſuæ ætatis annis, dum Alexandriæ Athanaſius tranquillè reſideret. Sed an is Auctor ſit etiam Vitæ Sanctæ *Syncliticæ*, quam periiſſe credebat Baronius, quámque ad quintum Januarii diem Bollandus refert, jure merito dubitat Papebrocius in Vita S. Athanaſii tomo 1. Sanctorum menſis Maii cap. 32. ejus Vitæ, maximè ob ingentem inter Sanctæ Syncliticæ & Sancti Antonii Vitam diverſitatem. Cotelerius hujus Sanctæ Vitam, quam tantùm Latinam habebamus, Græcam dedit tomo 2. Monumentorum Eccleſiæ Græcæ. Sed is de ejus Auctore etiam dubitat.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5822. ☉ 2 E. ☽ 7. P. 6. April. Olymp. 277.
Indict. 2.
Jesu Christi 329.
Silvestri Papæ 16.
Constantini 24.

Anno Urbis 1080. *ſecundum Baronium.*

I. *Conſules.*

COss. *Conſtantinus Aug. VIII, & Conſtantinus Cæſar IV*, non verò V, ut perperam Baronius. Hunc enim Conſtantini junioris Conſulatum quartum tantùm ordine eſſe demonſtravi in ſecunda parte Diſſertationis Hypaticæ cap. 13. num. 5. Ex quo ſequitur præcedentes ejuſdem Conſtantini junioris Conſulatus recto ordine à nobis collocatos.

Conſtantini Cæſaris Quindecennalia.

II. *S. Athanaſius accuſatur.*

Baron. num. 1 & ſeqq.

Ad num. I. Athanaſius anno præcedenti accuſatus, quòd indixiſſet Ægyptiis tributum de pendendis Eccleſiæ linteis, ut anno CCC XXVII oſtendi.

III. *Euſebius Nicomedienſis in exilium miſſus.*

Baron. num. X & ſeqq.

Ad num. II. Baronius recitat hoc anno in Annalibus epiſtolam integram Conſtantini Magni ad Nicomedienſes, in qua is Imperator Euſebii Nicomedienſis perverſionem & fraudes exponit, eumque à ſe in exilium miſſum dicit. Sed ea epiſtola anno tantùm trecenteſimo viceſimo quinto, antequam Euſebius ac Theognius in exilium mitterentur, exarata, ut obſervat Valeſius in Notis ad lib. 1. Theodoreti cap. 19. Scripta eſt enim ante utriuſque exilium, quod contigit tribus jam menſibus elapſis à Synodo Nicæna. Præterea ſcribit Baronius, ſe eam epiſtolam integram unà cum alia Conſtantini ad Alexandrinos ſcripta reperiſſe, quas nactas Juſtinianus Imperator è Græco in Latinum tranſlatas miſit ad Vigilium Papam. Quæ ſecunda Conſtantini epiſtola, quà Arii damnationem ſignificat, an-

Baron. anno 325. n. XCI.

no etiam CCC XXV data, quemadmodum Baronius annotavit. Utraque itaque ad cumdem annum pertinet. Quoad Alexandrinos, qui à Fide defecerant, quos Conſtantinus in ea ad Nicomedienſes epiſtola queritur, Euſebianos ſecum in tuto collocaſſe, & illorum depravatis moribus communicaſſe, ii non erant Meletiani, ut Baronius & Spondanus exponunt, ſed Ariani, ut animadvertit Valeſius in Notis ad lib. 2. Sozomeni cap. 21. & probat ex epiſtola Synodica Epiſcoporum Ægypti, quæ refertur ab Athanaſio in Apologia 2. contra Arianos: *Quomodo igitur vel ipſe* (nempe Euſebius) *vel Theognius alium deponere potuerunt, cum ipſi depoſiti fuerint, & ordinationibus in ipſorum locum factis convincantur? Probè enim noſtis, Amphionem quidem Nicomediæ, Creſtum autem Nicææ eorum loco ordinatos eſſe; tum ob privatam eorum impietatem, tum ob communionem cum Arianis, qui à Generali Synodo fuerant reprobati.* Vides, ut Epiſcopi Ægypti egregiè conſentiant cum Imperatore Conſtantino, in aſſignanda cauſa depoſitionis Euſebii tribus menſibus poſt Nicænam Synodum. Sed & verba quæ ſequuntur in epiſtola Conſtantini ad Nicomedienſes, ſatis indicant, Alexandrinos illos Arianos fuiſſe, non Meletianos: *Alexandrinos quoſdam, qui à noſtra Fide deſciverant, iſtuc abduci præceperam, propterea quòd eorum operâ ac miniſterio diſcordiæ fax excitabatur. Verùm iſti egregii ſcilicet Epiſcopi, quos Synodi clementia ad agendam pœnitentiam ſervaverat,* (Euſebius ſcilicet ac Theognius) *non ſolùm iſtos ſuſceperunt, & apud ſe tutos degere juſſerunt, ſed etiam malitiæ illorum ſocios ſe ac participes adjunxerunt.* Quod Arianis quidem optimè convenit, de Meletianis verò dici non poteſt; quippe qui Schiſmatici tantùm eſſent, non autem Hæretici; & quo tempore hæc epiſtola ſcripta eſt, nondum Arianis ſeſe adjunxiſſent. Quæ obſervatio Valeſii eſt in Notis ad lib. 1. Theodoreti cap. 20. Eſt & alius error Baronii à Valeſio in Notis ad lib. 1. Theodoreti cap. 19. detectus. Reprehendit enim Baronius Theodoretum, quòd hanc ad Nicomedienſes epiſtolam à Conſtantino ſcriptam eſſe crediderit, poſtquam Euſebius Nicomedienſis mortuo Alexandro Conſtantinopolitanam Sedem occupaſſet. Atqui Theodoretus non id dicit; ſed tantùm ait, *Euſebium* jam pridem relictâ *Beryto*, cujus erat Epiſcopus, ad Nicomedienſem Eccleſiam tranſiliiſſe; & ex iſta Nicomedienſium Sede poſtea dejectum eſſe; quod Conſtantinum ait teſtari in epiſtola ad Nicomedienſes.

IV. *Variæ Conſtantini peregrinationes.*

Conſtantinus Magnus his Conſulibus in Dacia, ubi Serdica, in Pannonia, ubi Sirmium; & rurſum in Dacia Naiſſi, Serdicæque; tandem & in Thracia Heracleæ ſubſtitit; in quibus civitatibus variæ Leges hoc anno ab eo datæ in Codice Theodoſiano referuntur.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5823. ☉ 3 D. ☽ 8. P. 19. APRIL.
INDICT. 3.
JESU CHRISTI 330.
SILVESTRI PAPÆ 17.
CONSTANTINI 25.

I. *Conſules.*

COss. *Gallicanus*, & *Symmachus*.

II. *Quinta Quinquennalia Conſtantini M.*

Conſtantinum Auguſtei Imperii quinta Quinquennalia edidiſſe demonſtrat dedicatio urbis Conſtantinopoleos, de qua mox; urbes enim annis hujuſmodi ſolenniis addictis dedicari, aut novis nominibus inſigniri, aut reædificari jam multoties inſinuavi.

III. *Conſtantii Quinquennalia.*

Ad num. I. Cùm Conſtantius Conſtantini Magni filius anno CCCXXIII Cæſar nuncupatus fuerit, ut Euſebius in Chronico ſecundùm editionem Scaligeri, Hermannus Contractus, & Proſper in auctiori Chronico teſtantur, jam diu ante præſentem annum Quinquennalia exhibuiſſe neceſſe eſt. Bar. n. 1.

IV. *Encænia Cpoleos.*

Quoad Encænia Conſtantinopoleos, ea rectè hoc anno à Baronio recitata. Idacius enim in Faſtis ad hos Conſules ita ſcribit: *His Conſ. dedicata eſt Conſtantinopolis die V Idus Maias*, die ſcilicet undecima menſis Maii. Auctor Chronici Alexandrini ad eoſdem Conſules hæc refert: *Anno CCC I poſt aſſumtum in cælum Dominum, XXV Imperii ipſius, Conſtantinus religioſiſſimus Conſtantini junioris Auguſti, & Conſtantii atque Conſtantis Cæſarum pater, urbem maximam illuſtrem, & beatam condidit, Senatu illuſtravit, & Conſtantinopolim appellavit V Id. Maias, feriâ II, Indictione III.* Et quidem rectè, hoc enim anno feria ſecunda cum die undecima Maii concurrit. Paſſionem & Aſcenſionem Chriſti Auctor Chronici Alexandrini cum anno XXX Eræ vulgaris copulat, ideoque ſecundùm eam ſententiam eſt hic annus ab Aſcenſione Chriſti CCC I. Baron. num. 11 & ſeqq.

V. *Templum Pacis à Templo Sapientiæ diverſum.*

Ad num. II. Baronius confundit Templum *Pacis*, quod Conſtantinus Conſtantinopoli ædificavit, cum Templo *Sophiæ* ſeu Sapientiæ; quæ tamen duo Templa diverſa fuere, ut teſtantur Origines Conſtantinopolitanæ, in quibus de Conſtantino dicitur: *Ædificavit ſanctam Pacem, & ſanctam Sapientiam, & ſanctum Agathonicum, & ſanctum Acacium Magnus Conſtantinus*, &c. De hoc & aliis Templis ab hoc Imperatore Conſtantinopoli conſtructis legendus Cangius in *Conſtantinopoli Chriſtiana*, ubi fusè de illis agit. Baron. num. XIX.

VI. *Conſtantinus non eſt auctor Chryſargyri.*

Ad num. VII & VIII. Calumnia Conſtantino M. à Zoſimo lib. 2. intentata, quòd ſcilicet *Chryſargyri* auctor fuerit, rectè à Baronio confutata, niſi quòd malè ſcribit, Chryſargyrum tributum fuiſſe de negotiatoribus, non de mendicis, non de meretricibus, non de ruſticanis, & Zoſimum plura eo in loco tributa confundere. Tradit enim Evagrius lib. 3. cap. 39. *Chryſargyrum* non tantùm meretricibus impoſitum, verùm & mendicis qui ſtipem colligerent, itemque ſcortatoribus. Ait itaque Zoſimus, Conſtantinum Chryſargyrum hoc luſtrale ſingulis luſtris ſolvendum impoſuiſſe negotiatoribus ad viliſſimos uſque, imò & meretricibus. Quod utrumque falſum eſſe demonſtrat Baronius, & Baron. num. XXXVI & ſeqq.

poſt

poſt eum Gothofredus in Commentario Legis 1. Cod. Theod. *De luſtrali collatione.* ex quo hæc de Chryſargyro meretricio excerpſi. Luſtralem præſtationem à lenonibus penſitatam, Conſtantinopoli nominatim, & quidem *Veterum* incuriâ, teſtis eſt Theodoſius junior, qui eam Conſtantinopoli abrogavit, Florentio Præfecto Prætorii auctore, qui ne ærario quid deperiret, ut paria faceret, prædia ſua invicem tributo ſubſignavit. Novella illa de lenonibus, quæ titulo eſt 18. emiſſa anno cccc xxxix, quâ Theodoſius Florentii munificentiam amplectitur, & lenones procul à Conſtantinopoleos finibus, poſtquam graviſſimè verberati fuerint, pellit. Hæc de luſtrali collatione eorum qui lenocinium feciſſent, ſilet Zoſimus, & de luſtrali tantùm collatione, his quæ meretricium feciſſent, à Conſtantino M. impoſita invidiam facit; cùm tamen Suetonius in Caligula cap. 40. teſtetur, à Caligula ex empolis ſeu captura proſtitutarum & lenonum quæſtum exactum, quem tamen ærario inferri noluit Alexander Severus, ſed ſartis tectis publicorum operum deſtinavit, ut notat Baronius ex Lampridio in ejus Vita. Conſtat igitur de lenocinio luſtrali ex dicta Novella Theodoſii, quâ illud abrogavit: de meretricio Chryſargyro luſtrali ſeu quadriennali longè ante Conſtantinum M. invento, & longo temporis ſpatio continuato, liquet ex Lampridio laudato. Iſtud ab Anaſtaſio Imperatore in Decennalibus ſuis abolitum ſuo loco oſtendemus.

VII. *Folles duplicis generis.* Baron. num. XLII & ſeqq.

Ad num. IX. Scribit etiam Zoſimus laudatus, Conſtantinum clariſſimis viris tributum impoſuiſſe, *Follem* ab ipſo nominatum; docetque Epiphanius libro de Menſura & Ponderibus, duplicis generis folles fuiſſe. Obſervat autem Petavius in Notis ad eum Epiphanii librum, quidquid de folle ab Antiquis proditum, & ab recentioribus adnotatum, ad duo ferme capita revocari, vel ad ſummam & collectionem pecuniæ, vel ad certum aliquem nummum deſignandum: quæ duo fuſè ac doctè Vir doctiſſimus explicat, apud ipſum videnda.

VIII. *Bellum Scythicum.* Baron. num. XLIX.

Ad num. X. De bello à Conſtantino adverſus Barbaros poſt dedicatam Conſtantinopolim geſto varii Auctores loquuntur, variiſque eos nominibus appellant. Zoſimus lib. 2. pag. 687. eos *Thaifalos* vel Taiphalos nationem Scythicam appellat. Euſebius in Vita Conſtantini lib. 4. cap. 5. *Scythas* vocat. Socrates lib. 1. cap. 18. & Sozomenus lib. 1. cap. 8. *Gothos* nominant; quia nempe Romani gentes omnes Trans-Iſtrianas, uti Gothi & Thaifali, Scytharum nomine comprehendebant, Græcique Scriptores Scythas vocare ſolent, quos Latini Gothos. Verùm, bellum iſtud anno tantùm ccc xxxii geſtum, ut eo anno videbimus. Certè Hieronymus in Chronico bellum Gothicum eo anno conſignavit, licèt in editionibus Scaligeri & Pontaci anno uno tardiùs per errorem referatur: & Zoſimus ad annum ccc xxxii bellum illud pertinere docet, quando eo narrato, ait: *A bellorum curis vacuus, voluptariaque vita deditus, plebi Byzantinæ publicam annonam diſtribuit.* Scribit autem Auctor Chronici Alexandrini ſub Pacatiani & Hilariani Conſulatu anno ccc xxxii geſto: *His Coſſ. XVIII Maii cœpit annona diſtribui civibus Conſtantinopolitanis.* De qua annona gratuita ab hoc Conſulatu Conſtantinopolim inhabitantibus à Conſtantino M. data legendus Gothofredus in Notis ad Philoſtorgium lib. 2. cap. 9. Quare, cùm Idacius in Faſtis ſcribat, eodem Conſulatu Gothos xii Kal. Maii à Romanis victos, cujus verba anno ccc xxxii referemus, liquet, paulò poſt eam victoriam illam annonæ diſtributionem factam, & perperam hoc anno recitari in Epitome num. v, & in Annalibus num. ix & ſeqq.

IX. *Acta SS. Joannis & Pauli fratrum ſpuria.* Baron. num. I & ſeqq.

Ad num. XI. Ideo Baronius *victoriam Gothicam* hoc anno conſignavit, quia Acta Sanctorum Martyrum Joannis & Pauli fratrum à Surio die xxvi Junii recitata tradunt, *Gallicanum* poſtquam Gothos ſeu Scythas ſuperaſſet, Conſulem à Conſtantino M. creatum fuiſſe, eumque antea Conſtantiam Conſtantini M. filiam uxorem duxiſſe. Gallicani autem Conſulatum præſenti anno geſtum eſſe inter omnes conſtat. Verùm, præterquam quòd ipſemet Baronius fateatur, Hiſtoriam illam de Ovinio Gallicano ab aliquo depravatam & nonnullis auctam, non dubito, quin Acta illa in quibus hæc Hiſtoria inſerta, commentitia ſint. Quæ ſi vera eſſent, victoria Gothica non hoc anno, ſed præcedenti, quo Gallicanus Conſul deſignatus eſt, conſignanda foret. Sed quis ferat, quod ibidem dicitur, Beatam *Helenam* occurriſſe Gallicano in Palatium Imperatoris ingredienti; cùm conſtet, Helenam ante aliquot annos vitâ functam. Præterea nullus ex Byzantinæ Hiſtoriæ Scriptoribus meminit Conſtantiæ Conſtantini M. filiæ Gallicano nuptæ, ideoque Actorum illorum ratio non habenda. Denique in iiſdem Actis dicitur, utrumque Sanctum Romæ paſſum, cùm ibi Julianus Imperator adeſſet; & tamen conſtat, Julianum, poſtquam imperavit, Romam non veniſſe, ac præterea eum in Oriente fuiſſe quando perſecutionem adverſus Chriſtianos excitavit. Mitto alia falſitatis indicia quæ in iis habentur.

X. *Immunitas Clericis conceſſa.* Baron. num. LVI.

Ad num. XIII. Conſtantinus Lege 2. Codicis Theodoſiani *De Epiſcopis.* immunitatem conceſſit Clericis etiam inferioris ordinis à muneribus Curialibus per Numidiam conſtitutis. Nempe, inquit Gothofredus in Commentario, cùm Hæretici tot jam Conſtantini Magni Conſtitutionibus repreſſi, Catholicos Antiſtites & Sacerdotes ad Curiam & Curialia munera vocare ampliùs non poſſent, iidem per Numidiam (procul dubio Donatiſtæ, quod Baronius indicavit, quemadmodum & Hieronymus in Chronico, ubi ait: *Donatus Hæreſiarches ſexto poſt Arium anno unitatis vinculum rumpit*) Clericos attentandos atque ad Curiam vocandos crediderc: quaſi immunitas Clericis data à Conſtantino Magno ad Sacerdotes tantùm pertineret. Verùm, Conſtantinus immunitatem ad hos pariter pertinere vult, per Numidiam nominatim Provinciam: idque ad ſimilitudinem Orientis, ubi videlicet ea immunitate ex Conſtantini proculdubio expreſſo indulto conſtanter Clerici ex æquo fruebantur. Sed quod toties Hæretici tentaverant, id tandem perfecit Apoſtata Julianus, ut in Annalibus legitur.

XI. *Immunitas*

Data & hoc anno à Conſtantino Lex 2. Codicis Theodoſiani *De Judæis.* quâ præſi-

Judæis conceſſa. dentes Legi Judaïcæ veluti Archiſynagogos, Patriarchas, Preſbyteros, alioſque ab omnibus omnino muneribus civilibus & perſonalibus, atque à Curiali functione immunes declarat; quod ab aliis poſtea Imperatoribus confirmatum. Meminit hujus Legis Baronius anno CCCXV. Sed hanc ad hunc annum referendam, & præpoſterationem à Theodoſiani Codicis Conditoribus admiſſam oſtendit Gothofredus in Commentario. Primò, quia inſcripta eſt ad *Ablavium* Præfectum Prætorio, qui ea dignitate functus eſt circa hæc tempora, ut ex variis Theodoſiani Codicis Legibus liquet, qui tamen illis temporibus nonniſi Vicarius fuit, ut conſtat ex Lege I. ejuſdem Codicis *De alimentis quæ inopes parentes*. Conſtantino IV, & Licinio IV Coſſ. anno ſcilicet CCCXV, data. Secundò, dicitur Lex data Conſtantinopoli, cujus utique Encænia, antea nuſpiam, in hunc annum incidunt. Plura Gothofredus ibidem.

Baron. anno 315. ad num. IX.

Olymp. 277. *ſecundum Baronium.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5824. ☉ 4 C. ☽ 9. P. 11. APRIL.
INDICT. 4.
JESU CHRISTI 331.
SILVESTRI PAPÆ 18.
CONSTANTINI 26.

I. *Conſules.* COſſ. *Baſſus* & *Ablavius*.

II. *D. Athanaſius vexatus.* Ad num. I. Divus Athanaſius anno CCCXXVIII ab Euſebianis vexatus, ut ſuprà diximus.

III. *Macarii Epiſc. Hieroſolymitani obitus.* Ad num. II. Sanctus *Macarius* Hieroſolymitanus Epiſcopus anno tantùm CCCXXXV è vivis exceſſit. Primò, quia Auctor Chronici Alexandrini Dalmatio & Paulino Coſſ. anno nempe CCCXXXIV, ait: *His Coſſ. dedicatum eſt templum S. Crucis à Conſtantino, Epiſcopo Macario, XVII Septemb. unde incepit dies feſtus Inventionis S. Crucis.* Vivebat itaque Macarius anno CCCXXXV, quo illud templum dedicatum, ut infrà videbimus. Nam Auctor Chronici Alexandrini tam in die, quàm in anno hujus dedicationis errat. Secundò, Nicephorus in Chronico annos XX Macario aſſignat. Quare ad annum CCCXXXV pervenit. Non audiendus itaque Papebrocius in Hiſtoria Patriarcharum Hieroſolymitanorum, ubi mortem ejus conſignat anno CCCXXXIV.

Bar. n. XIII.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5825. ☉ 5 BA. ☽ 10. P. 2. APRIL.
INDICT. 5.
JESU CHRISTI 332.
SILVESTRI PAPÆ 19.
CONSTANTINI 27.

I. *Conſules.* COſſ. *Pacatianus* & *Hilarianus*. Conſtantii Cæſaris Decennalia hoc anno, ut videtur, facta ſunt.

II. *Synodus Cæſarienſis anno præcedenti indicta.* Ad num. I. Socrates lib. I. cap. 27. prodit, *Conſtantinum*, judicium quod coram *Dalmatio Cenſore* in cauſa Sancti Athanaſii agebatur, repreſſiſſe, quòd juſſiſſet Epiſcopos ad dedicationem Eccleſiæ Hieroſolymitanæ convenire, & priuſquam illuc pervenirent, cauſam Athanaſii obiter Tyri ventilare. Theophanes verò habet, Conſtantinum, quod Dalmatio commiſerat judicium, Cæſaream tranſtuliſſe; quò cùm propter Euſebium Cæſareæ Epiſcopum venire recuſaſſet Athanaſius, diem ei eſſe dictum Tyri. Res itaque ſic ſe habuit. Poſtquam Conſtantinus ad Athanaſium ſcripſiſſet, *ut Meletianorum inſidias pro nihilo duceret*, & Meletiani timore perculſi aliquantiſper quieviſſent, ut ait Sozomenus lib. 2. cap. 24. rurſus adverſarii *accuſatorum multitudinem adverſus eum* excitarunt. Quare Imperator apud Cæſaream *Synodum fieri juſſit*, ad quam cùm Athanaſius venire compelleretur, triginta circiter menſium ſpatio profectionem ſuam diſtulit. Ita Sozomenus cap. 25. & Nicephorus lib. 8. cap. 49. Dalmatius itaque à cauſa Athanaſii cognoſcenda anno præcedenti ceſſavit, eodemque, vel circiter, novæ illæ inſidiæ Athanaſio ſtructæ, & Synodus Cæſarienſis indicta; triginta enim menſes illi ab indictione hujus Synodi inchoati, & anno CCCXXXIV, quo ea celebrata, abſoluti. Certè in Synodali epiſtola pſeudo-Synodi Sardicenſis anno CCCXLVII ſcripta, legitur: *Aſclepas ante decem & ſeptem annos Epiſcopatûs honore diſcinctus eſt*, ideoque anno CCCXXXI, aut CCCXXX. Erat Aſclepas Epiſcopus Gazæ, de quo Theodoretus lib. I. cap. 29. ait: *Cùm Epiſcopi Tyri conveniſſent*, (anno ſcilicet CCCXXXV) *eò acceſſerunt tum alii quidam, qui ob perverſam doctrinam accuſabantur: ex quorum numero fuit Aſclepas Epiſcopus Gazæ; tum admirandus Athanaſius.* Cùm igitur in Synodo apud Tyrum celebrata tam Aſclepiadis, quàm Athanaſii cauſa diſcuſſa fuerit, apparet, utrumque etiam anno CCCXXXI fuiſſe accuſatum, ac utriuſque cauſam ad Synodum Cæſareæ, indeque ad Tyrianam remiſſam, & Synodum Cæſarienſem anno CCCXXXI indictam eſſe. Sed cùm poſt triginta circiter menſium ſpatium neuter Cæſaream adventaret, utriuſque cauſa ad Synodum Tyrianam rejecta fuit. Porro Sozomenus loco laudato Socratis narrationem emendavit, cujus etiam ſicuti & Theophanis error notandus. Aiunt enim, Dalmatium fuiſſe filium Dalmatii Cenſoris, Conſtantini Magni fratris; cùm tamen ipſemet Athanaſius in Apologia ad Conſtantium pag. 782. ubi rem geſtam narrat, affirmet, fuiſſe ipſummet *Dalmatium Cenſorem*, non verò Dalmatium ejus filium, qui, ut infrà videbimus, Cæſar poſtea creatus eſt.

Baron. num. I & ſeqq.

III. *Gothi à Conſtantino victi.* Hoc anno *Gothi, Sarmatis implorantibus*, victi ab exercitu Romano per Conſtantinum Cæſarem, ut docet Idacius, qui ſub hujus anni Conſulibus habet: *His Conſſ. victi Gothi ſti. ab exercitu Romano in terris Sarmatarum die XII Kal. Maii.* Ad hæc Anonymus Valeſianus, poſtquam locutus eſt de Conſtantinopolis dedicatione, ſcribit: *Deinde adverſum Gothos bellum ſuſcepit, & implorantibus Sarmatis auxilium tulit. Ita per Conſtantinum Cæſarem centum propè millia fame & frigore extincta ſunt.* Certè ipſo menſe Aprili Conſtantinus M. *Martianopoli* egit, ut docet Lex Cod. Theod. 4. *De ſponſalibus*. quæ urbs fuit Myſiæ ſecundæ in vicinia Gothorum & Sarmatarum: quâ etiam ipſa Lege agitur de milite ſponſo abſente à ſponſa per bien-

nium expectan'o. Sed & ejuſdem Conſtantini M. Lex 4 ejuſdem Codicis *De filiis militar. apparitor.* eodem menſe jam antea III Idus April. data, proculdubio ad apparatum iſtius belli Gothici pertinet: utpote quâ Veteranorum filii ad militiam cogi jubentur. De cujuſmodi edicto videndus & Severus in Vita Sancti Martini cap. I. Hæc Gothofredus in Chronologia Cod. Theod. Legenda quæ de hoc bello anno 330. num. VIII & IX ſcripſi.

IV.

Quatuor Præfecti Prætorio, ſed qui militibus nō præerant.

Baron. anno 330. n. XXX. Spondan. ib. num. VI.

Auctor Chronici Alexandrini ſub hujus anni Conſulibus ſcribit: *XVIII Maii cœpit annona diſtribui civibus Conſtantinopolitanis*: de cujus publicæ annonæ diſtributione poſtquam mentionem fecit Zoſimus, Conſtantino Magno de more parum æquus, lib. 2. pag. 687. ſubjungit: *Conturbavit & Magiſtratuum officia jam olim inſtituta. Nam cum duo eſſent Præfecti Prætorii, qui hoc officium communiter gerebant, non Palatini tantum Ordines eorum curâ poteſtateque gubernabantur, ſed etiam ii quibus Urbis erat commiſſa cuſtodia, & quotquot in omnibus limitibus erant collocati. Hic enim Præfectorum Prætorii Magiſtratus, qui poſt Imperatorem ſecundus exiſtimabatur, & ANNONAS EROGABAT, & contra militarem diſciplinam admiſſa convenientibus pœnis corrigebat. Conſtantinus autem rectè conſtituta loco movens, unum hunc Magiſtratum in quatuor Imperia diſcerpſit*, &c. Paulò pòſt: *Hac ratione diviſo Præfectorum Magiſtratu, ſtudioſè conatus eſt aliis quoque modis eorum poteſtatem imminuere. Nam cùm præeſſent ubique locorum militibus non modò Centuriones & Tribuni, verùm etiam Duces, (ſic enim appellabantur) qui quolibet in loco Prætorum vicem obtinebant: Magiſtris militum inſtitutis, altero equitum, peditum altero, & in hos tranſlata poteſtate militum ordinandorum, & coërcendi delinquentes, hac etiam in parte Præfectorum auctoritati detraxit. Id verò tam pace, quàm bello, detrimentum rebus attuliſſe, me protinus indicante patebit*, &c. Hæc mutatio, novaque inſtitutio dignæ quæ ſuis annis reddantur, ut varia in Annalibus Eccleſiaſticis ſparſim narrata meliùs percipiantur. Præfecti itaque Prætorio non ampliùs poſthac fuere *Comites* Auguſtorum *per omnes expeditiones eorum*, ut vocantur in Inſcriptionibus, nec Cæſareorum exercituum ſupremi Magiſtri, ſed publici ſtatus Adminiſtri ac ſupremi Judices, quorum officium egregiè deſcribit Caſſiodorus lib. 6. formulâ 3. quæ eſt Præfecturæ Prætorianæ.

V.

Trevirenſis civitas Sedes Præfecti Prætorio Galliarum.

Quas regiones quælibet Præfectura complecteretur, diſcimus ex Notitia Imperii, quam exhibui anno Chriſti XXXVII, ex qua liquet, Præfecto Prætorii Galliarum non tantùm Gallias, ſed etiam Hiſpanias & magnam Britanniam fuiſſe ſubditas. Cùm verò urbs *Trevirenſis* Sedes Imperatorum extiterit, ut docet Auctor Græcus anonymus, qui paulò ante annum trecenteſimum quinquageſimum ſcripſit, cujus verba anno CCCLXIX recitabo, non videtur dubitandum, quin eadem urbs Præfecturâ Prætorianâ etiam cohoneſtata fuerit. Divus Athanaſius in epiſt. ad Solitarios, de Sancto Paulino anno CCCLV in exilium miſſo loquens, ait: *Paulinus Epiſcopus Trevirorum, quæ Galliarum Metropolis eſt*, Metropolis nempe civilis, ac princeps urbs omnium Galliarum, non verò Metropolis Eccleſiaſtica in Galliis, ut ab aliquibus creditum. Quemadmodum enim Euſebius lib. 5. cap. 1. de Martyribus, Marco Aurelio imperante, in Gallia paſſis ſermonem habens, de ea ſcribit: ἃς μητροπόλεις ἐπισήμους καὶ παρὰ τὰς ἄλλας τῶν αὐτόθι διαφερόντως βεβοημένας, Λούγδουνον καὶ Βίενναν: id eſt, ut vertit Valeſius: *In hac duæ præ ceteris inſignes præſtanteſque urbium matres celebrantur Lugdunum ac Vienna*: ſeu, ut habet verſio purior & ſimplicior Interpretis Nicephori: *In qua præter ceteras celebres duæ ſunt Metropolitanæ urbes, Lugdunum & Vienna*: quemadmodum, inquam, hæc Euſebii verba de Metropolibus civilibus & politicis, non verò de Metropolibus Eccleſiaſticis intelligenda ſunt; ita & laudata Athanaſii verba nonniſi de dignitate urbis Trevirenſis in ſtatu civili explicari debent. Nec audiendus Baronius, qui ait, *Athanaſium* loqui de urbe Trevirenſi, tanquam de una ex Metropolibus Galliæ & de Mediolanenſi tanquam de una ex Metropolibus Eccleſiaſticis Italiæ. Athanaſius enim ex ipſomet Athanaſio explicandus. Hæc ejus verba: *Ex quorum numero clariſſimi ſunt Confeſſionis viri religioſi & Epiſcopi boni, Paulinus Epiſcopus Trevirorum, quæ Galliarum Metropolis eſt: Lucifer Metropolitanus Sardiniæ: Euſebius Vercellis civitate Italiæ: Dionyſius Mediolani, quod & ipſum eſt Italiæ Metropolis.* Sicut itaque Mediolanum civilis Metropolis erat totius Italiæ, prout à Provinciis Urbicariis & Suburbicariis diſtinguebatur, ut anno CCCXXV num. XXVIII expoſui, ita & urbs Trevirenſis Metropolis erat omnium Galliarum, licèt tam in Galliis, quàm in Diœceſi Italica variæ eſſent Metropoles, tam civiles, quàm Eccleſiaſticæ.

Baron. anno 355. n. XXIV.

VI.

Metropolis Galliarum.

Athanaſium, eo quo diximus modo, intelligendum docet Theodoretus lib. 2. cap. 15. ubi, citato Athanaſio, ait: ὁ ἐπίσκοπος τῆς ῥώμης Λιβέριος, καὶ Παυλῖνος ὁ τῆς μητροπόλεως τῶν γαλλιῶν, καὶ Διονύσιος ὁ τῆς μητροπόλεως τῆς ἰταλίας, καὶ Λούκιφερ ὁ τῆς μητροπόλεως τῶν κατὰ σαρδινίαν νήσων, καὶ Εὐσέβιος ἀπὸ τῆς ἰταλίας, &c. id eſt, ut vertit Valeſius: *Liberius Epiſcopus urbis Romæ, Paulinus Metropolis Galliarum, Dionyſius Metropolis Italiæ, Lucifer Metropolis Sardiniæ Inſulæ, & Euſebius ab Italia, probi omnes Epiſcopi & veritatis præcones rapiuntur, & in exilium deportantur*; ſeu, ut Chriſtophorſonus vertit: *Epiſcopus Romæ Liberius, & Paulinus primariæ urbis Galliarum, & Dionyſius primariæ urbis Italiæ, & Lucifer primariæ urbis Inſulæ Sardiniæ Epiſcopus, & Euſebius Epiſcopus etiam Italiæ.* Theodoretus itaque ad Athanaſii ſenſum penetravit, quando ſolo Galliarum Metropoleos nomine *Treverim*, & ſolo Metropoleos Italiæ nomine *Mediolanum* exprimit, quia ſcilicet utraque urbs princeps & primaria erat; hæc in Diœceſi Italica, illa in Diœceſi Gallica. Tranſlata poſtea Præfectura Galliarum Arelatem ab Honorio Imperatore, qui hanc urbem *matrem omnium Galliarum* vocavit, ut legitur in ſupplici libello Epiſcoporum Gallorum ad S. Leonem Papam, id eſt, Galliarum Metropolim, ut ea verba ex-

plicat Marca lib. 6. de Concordia cap. 17. num. 6. Sed de hac tranſlatione rurſus infrà.

Olymp. 278.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5826. ☉ 6 G. ☽ 11. P. 22. APRIL. INDICT. 6.
JESU CHRISTI 333.
SILVESTRI PAPÆ 20.
CONSTANTINI 28.

I. *Conſules.* COSS. *Fl. Valerius Julius Delmatius*, & *M. Aurelius Zenophilus.* Erat Julius Delmatius Hannibaliani, Delmatii etiam dicti, filius; Hannibalianus verò Conſtantini Magni ex patre tantùm frater, ut docet Anonymus Valeſianus.

II. *Vicennalia Conſtantini junioris.* Conſtantini junioris Cæſaris Vicennalia hoc anno edita Conſulatus iſte demonſtrat. Si enim annis hujuſmodi ſolenniis dicatis Imperatores vel Cæſares Conſules non procederent, dignitas illa in perſonas illuſtriores de more tranſlata. Præterea Idacius in Faſtis hoc anno habet: *His Conſſ. levatus eſt Conſtans die VIII Kal. Januar.* cui ſuffragatur Euſebius in Chronico ſecundùm editionem Pontaci, qui eam nuncupationem confert in annum Abrahami 2350. qui Kalendis Septembris anni Chriſti CCC XXXIII inchoatur. Baronius quidem eam factam ſcribit, anno CCC XXXV, ſed nullo teſte. Cæſares verò in Decennalibus aut id genus feſtis de more creati. Erat porro *Conſtans* tertius Conſtantini M. filius, qui poſt hujus mortem Auguſtus eſt appellatus.

Baron. anno 335. n. XLI.

III. *Macarius Cpolim miſſus.* Ad num. II. Athanaſius, poſt inventum Arſenium Epiſcopum, quem ab ipſo occiſum calumniati fuerant Euſebiani, Conſtantinopolim ad Imperatorem miſit *Macarium*, qui eum de omnibus certiorem redderet. Verùm, non hoc anno *Macarius* Preſbyter ad Conſtantinum miſſus, ſed anno trecenteſimo triceſimo primo, aut tardiùs, inſequenti, ut ex iis, quæ anno præcedenti dixi, manifeſtum eſt.

Baron. num. 1.

IV. *Templa Gentilium everti cœpta.* *Conſtantinus* hoc anno Conſtantinopoli degit, ubi datæ ab eo Leges tres in Codice Theodoſiano recitatæ. Templa & idola Gentilium celeberrima, unà cum ſuperſtitionis Gentilitiæ ornamentis hiſce potiſſimùm Coſſ. ab eo everti juſſa, & exinde everſa; opeſque & reditus Templis detracti, de quo videndus Julianus Orat. 7. pag. 424. Eunapius in Vita Ædeſii pag. 37. Libanius in Orat. Apolog. 26. pag. 531. & Orat. pro Templis pag. 9. Theodoretus lib. 5. cap. 10. Hieronymus & Cedrenus in Chronico id nominatim factum aiunt XXV, XXVI & XXVII Imperii Conſtantini anno, id quod his Conſulibus congruit. Idque etiam diſertè de *ſepulchrorum* nominatim ſeu monumentorum demolitione his Coſſ. indicium facit Lex 2. Codicis Theodoſiani *De ſepulchris violatis.* In ea enim Lege, quam *Conſtans* Auguſtus anno trecenteſimo quadrageſimo nono dedit, mulcta imponitur iis, *qui de monumentis columnas vel marmora abſtulerunt, ex Conſulatu ſcilicet Dalmatii & Zenophili.* Qui quidem Conſulatus, inquit Gothofredus in Commentario illius Legis, & temporis characteriſmus diligenter notandus, & hac obſervatione Annales Eccleſiaſtici illuſtrandi. Nempe hoc illud omnino tempus eſt, quo Conſtantinus Magnus aras, idola & templa everti juſſit. Ab hoc itaque anno, ut in templa, ita & in ſepulchra ſævitum; & Chriſtianæ Religionis obtentu, atque eradicandæ Gentilitiæ ſuperſtitionis ararum & idolorum (quæ in ſepulchris) ſpecie, ſepulcra paſſim deſtructa, ornatus his detractus. Hæc Conſtantini junioris Cæſaris Vicennalium indicia.

Referenda & ad eadem Lex 3. Codicis Theodoſiani *De Medicis & Profeſſoribus, ad populum.* in qua Conſtantinus ad Conſtantinopolim multitudine hominum replendam, ſtudiiſque & literatis illuſtrandam, Medicis & Profeſſoribus literarum, eorumque uxoribus & liberis, plenam ab omnibus muneribus immunitatem, jam ante Principum beneficiis ſancitam, Conſtantinopoli publicavit, exemplo Julii Cæſaris, qui teſte Suetonio in ejus Vita cap. 42. ut exhauſtæ Urbis frequentia ſuppeteret, omnes Medicinam Romæ profeſſos, & liberalium artium Doctores, quò libentiùs & ipſi Urbem incolerent, & exteri apperterent, civitate donavit. V. *Privilegia literatis cõceſſa.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5827. ☉ 7 F. ☽ 12. P. 7. APRIL. INDICT. 7.
JESU CHRISTI 334.
SILVESTRI PAPÆ 21.
CONSTANTINI 29.

COSS. *L. Acontius Optatus*, & *Anicius Paulinus junior*, ut liquet ex Inſcriptionibus ab Onuphrio in Faſtis recitatis, in quarum altera Paulinus *junior* appellatur, argumento manifeſto eum ex eadem familia fuiſſe, ac Anicius Paulinus, qui anno CCC XXV Faſtis nomen dedit. Animadverti enim poſt hæc tempora viros eodem nomine donatos, ſi ejuſdem familiæ eſſent, *junioris* epitheto plerumque diſtingui; quod multis infrà exemplis patebit. I. *Conſules.*

Ad num. III. Sozomenus lib. 2. cap. 25. narratâ Athanaſii è Sede Alexandrina depoſitione, ait, Epiſcopos ad hujuſmodi ſententiam in eum ferendam hiſce cauſis adductos ſe fuiſſe docere: *Primùm quòd ægrè ferrent, quòd cum Imperator anno præterito* (currenti nempe) *juſſiſſet, ut Orientales Epiſcopi Cæſaream ejus causâ convenirent, ipſe non occurriſſet, longi temporis morâ fatigatam Synodum cernens, & Imperatoris præcepta deſpiciens.* Papebrocius tomo 1 Sanctorum Maii in Vita Sancti Athanaſii cap. 5. num. 67. & cap. 9. num. 102. dicit, jam novum annum fluere cœpiſſe à Septembri anni Chriſti CCC XXXV, à quo menſe Græci annum CCC XXXVI inchoaverant; ideoque Epiſcopos, qui poſt eum menſem literas Encyclicas contra Athanaſium ſcripſere, ſignificare *Concilium Cæſareenſe* indictum fuiſſe anno Eræ Dionyſianæ CCC XXXV, qui ipſis erat à Septembri CCC XXXVI. Verùm, epiſtolæ Conſulum ordinariorum nominibus conſignari ſolebant; ideoque annus in eis expreſſus intelligitur à Kalendis Januariis, non verò à Kalendis Septem- II. *Synodus Cæſarea ad hũc annum pertinet.*

bribus inchoatus. Nec refert, quòd in literis plurimis per hæc tempora datis Conſulum nomina non exprimantur. Nam nulla ratio dari poteſt, cur in quibuſdam epiſtolis annus intelligatur incœptus à Januario, in aliis à Septembri. Hoc porro tempore invaluiſſe uſum, ut Conſulum nominibus literæ notarentur, liquet ex epiſtola, quam, durante adhuc Conciliabulo Tyri, Preſbyteri ac Diaconi Mareotici dederunt, *Conſulibus Julio Conſtantio illuſtriſſimo Patricio fratre religioſſimi Conſtantini Auguſti, & Rufino Albino, clariſſimis & Deo gratiſſimis viris.* Porro cùm Epiſcopi apud Sozòmenum laudatum dicant, Athanaſium diuturna ſui expectatione Concilium fatigaſſe, oſtendunt, verum eſſe quod ſcribit Sozomenus lib. 2. cap. 25. & poſt eum Nicephorus lib. 8. cap. 49. Athanaſium triginta circiter menſium ſpatio profectionem ſuam diſtuliſſe, nempe Cæſaream venire, non verò Tyrum. Hallucinatus enim eſt Baronius, quando ſcribit, locum illum Sozomeni depravatum eſſe; & loco *triginta circiter menſium ſpatio*, reſtituendum, *trium circiter menſium ſpatio* Athanaſium remoratum eſſe, ne veniret ad Synodum Tyri. Nam prætérquam quòd in omnibus Sozomeni exemplaribus ita legitur, triginta illi menſes ad Synodum Cæſareæ indictam, non verò ad Tyriam, referuntur, ut diſertè Sozomenus habet. His adde, Epiſcopos Conciliabuli Sardicenſis anno CCCXLVII celebrati, loquentes de Athanaſio ac de Concilio Cæſarienſi, ſcribere: *Poſt alterum annum in Tyro propter ejus facinora* (ſcilicet Athanaſii) *neceſſariò iterum celebratur Concilium.* Quare à Concilio Cæſarienſi ad Tyrium annus effluxit.

III. *Conſtantinus Pauperum curam gerit.* Baron. num. 2.

Dedit hoc anno Conſtantinus Legem 2. Codicis Theodoſiani *De officio Judicum omnium.* quâ prohibet pupillos, viduas & ægrotos trahi ad Comitatum, & extra Provinciam ſuam. Cujus evocationis in pupillorum favorem exemplum exhibet Theodoricus Rex apud Caſſiodorum lib. 4. epiſt. 9. Sic olim in Gallia, pupilli & viduæ adverſarios ſuos ad Curiam *Chriſtianitatis*, ut vocabant, id eſt, ad Curiam Eccleſiaſticam evocare poterant: quod abrogatum, agente Petro de Cuneriis Regio in Parlamento Pariſienſi Advocato. Plura Gothofredus in illius Legis Commentario.

IV. *Sarmatæ à Conſtantino recepti.*

Sarmatarum ſervis contra dominos rebellantibus, (hi Limigantes poſtea dicti, de quibus Ammianus lib. 17. & 19.) Conſtantinus Magnus pulſos dominos his Conſulibus excepit, *& ampliùs trecenta millia hominum mixtæ ætatis & ſexus per Thraciam, Scythiam, Macedoniam, Italiamque diviſit,* inquit Anonymus Valeſianus; quod ſub hujus anni Conſulibus factum docet Idacius in Faſtis: *His Conſ. Sarmatæ ſervi univerſa gens dominos ſuos in Romaniam expulerunt.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5828. ☉ 8 E. ☽ 13. P. 30. MART.
INDICT. 8.
JESU CHRISTI 335. Olymp. 278. *ſecundùm Baronium.*
SILVESTRI PAPÆ 22.
CONSTANTINI 30.

I. *Conſules.*

COSS. *Julius Conſtantius*, & *Ceionius Rufius Albinus*. Prior non Conſtantini Imperatoris fratris filius, ut perperam Onuphrius in Faſtis, ſed frater ipſius Conſtantini M. ut patet ex ſubſcriptione anno præcedenti num. 11 recitata.

II. *Tricennalia Conſtantini M.*

Tricennalia Conſtantinus Magnus his Coſſ. edidit *die VIII Kal. Aug.* ut diſertè tradunt Idacius & Auctor Chronici Alexandrini. Addit hic, celebrata eſſe *Conſtantinopoli quàm magnificè.* Sunt hæc Tricennalia Auguſtei Imperii. An verò anno præcedenti Imperii Cæſarei Tricennalia dederit, ignoratur.

III. *Oratio ab Euſebio in Tricennalibus habita.*

Ad num. I. Conſtantis Conſtantini Magni filii nuncupatio ad annum CCCXXXIII pertinet, ad Vicennalia nempe Conſtantini Cæſaris fratris, ut ibidem oſtendimus. Porro Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus egregiam Orationem, quæ adhuc extat, de laudibus hujus Imperatoris in ejus Tricennalibus habuit, quam in Vita Conſtantini lib. 4. cap. 46. ait, ſe Conſtantinopoli coram ipſo Imperatore recitaſſe. Sed tollendus hic error vulgaris, eam nempe recitatam eſſe ab Euſebio in ipſa Tricennalium feſtivitate, ſeu die XXV Julii, qua Tricennalia acta. Euſebius enim contrarium oſtendit, cùm loco laudato cap. 45. tradat, ſe Encæniis Eccleſiæ Hieroſolymitanæ die XIII Septembris, ut mox videbitur, celebratis interfuiſſe; & cap. ſequenti ſubjungat: Orationem de Tricennalibus *paulò pòſt profecti Conſtantinopolim coram ipſo Imperatore recitavimus.* Non itaque die XXV Julii, quo Tricennalia edita, ſed poſt menſem Auguſtum & Euſebii Hieroſolymis Conſtantinopolim reditum ea Oratio habita. Quod ex ipſis etiam Orationis verbis oſtendi poteſt. Nam capite ejus tertio dicit Euſebius, Conſtantinum ſingulis Decennalium periodis unum ex ſuis liberis ad Imperialis Throni conſortium promoviſſe: *Cùmque jam quartus volvi cœperit circulus* (ipſo nempe Tricennalium die inchoatus) *copioſa generis ſocietate, & Cæſarum nuncupationibus Imperium amplificans,* &c. Ubi Euſebius intelligit, Dalmatium, Dalmatii Cenſoris & fratris Conſtantini M. filium, hoc anno *VIII Kal. Octobris*, ut habet Auctor Chronici Alexandrini, vel *XIV Kal. Octob.* ut prodit Idacius in Faſtis, Cæſarem renuntiatum, & Hannibalianum, quem hoc etiam anno Conſtantinus M. *Regem nominatum purpurâ induit, & Cæſaream Cappadociæ amandavit*, ut inquit Auctor Chronici Alexandrini. Addit Euſebius in laudata Oratione: *Fortiſſimos deinde quatuor Cæſares, quaſi quoſdam equuleos uno Imperialis quadrigæ copulans jugo, ipſe ſublimis velut auriga incitat atque impellit.* Euſebius, inquit Valeſius in Notis, tres Conſtantini filios & Dalmatium Cæſarem, quatuor equis comparat, qui uno jugo copulati Imperialem cur-

rum trahebant, cui auriga præerat Conſtantinus. Rectè quidem; ſed quomodo hoc verum eſſe poteſt, ſi eam Orationem die xxv Julii Imperii Conſtantinianei natali recitaverit? Quare, cùm *Dalmatius* menſe Septembri Cæſar dictus fuerit, manifeſtum eſt, eam Orationem non in ipſa Tricennalium feſtivitate, ſeu menſe Julio, ſed poſt menſem Auguſtum dictam eſſe. Neque veriſimile eſt, Euſebium, qui Concilio Tyri paulò ante Baſilicæ Hieroſolymitanæ Encænia celebrato interſuit, die xxv Julii Conſtantinopoli eſſe potuiſſe, cùm geſta in Concilio Tyri, illud circa menſem Julium inceptum fuiſſe, ac per aliquot menſes duraſſe, inſinuent. Et tamen initio Septembris, ut minimùm, Euſebius & reliqui Epiſcopi Tyro relicto, Hieroſolymam petierunt; cùm die decima tertia Septembris Baſilicæ Hieroſolymitanæ Encænia celebrarint. Porro Conſtantinum ſub hujus anni finem Conſtantinopoli fuiſſe oſtendunt Leges Codicis Theodoſiani 5. *De Judæis.* & 1. *Ne Chriſtianum mancip. XI Kal. Novemb. dat. Conſtantinop.*

IV. *Synodus Tyria.*

Baron. num. 1 & ſeqq.

Ad num. III. Menſes triginta, quibus profectionem ſuam diſtulit Athanaſius, ad Concilium Cæſareæ, non verò ad Tyrianum referuntur, ut anno CCCXXXII num. II oſtendi; ideoque Sozomeni locus, ubi de triginta illis menſibus, minimè depravatus, ut exiſtimabat Baronius.

V. *Encænia Eccleſiæ Hieroſolymitanæ.*

Baron. num. XLI & ſeqq.

Ad num. IX. Dedicatio Eccleſiæ Hieroſolymitanæ peracta *Idibus Septembris*, id eſt, die XIII Septembris, ut docent Nicephorus lib. 8. cap. 30. Typicum Sancti Sabæ, Menologium Græcorum, ac Sophronius in Oratione de Exaltatione Sanctæ Crucis. Eccleſia tamen Occidentalis feſtum Exaltationis S. Crucis celebrat die XIV Septembris, ſive quia eo die Crux inventa, ſive ob aliam rationem hactenus ignotam. Porro eam Eccleſiam aliquando ſanctæ *Crucis*, aliquando *Reſurrectionis*, aliquando *Anaſtaſim* ac *Martyrium* appellatam oſtendi anno CCCXXVI num. VIII. Idus Septembris ſeu dies XIII illius menſis concurrit hoc anno cum Sabbato, ut Methodus Cyclica docet. Quare nondum mos invaluerat, ut Eccleſiæ die Dominica dedicarentur: quemadmodum nec ut Cæſares eodem die nuncuparentur; cùm *Dalmatius* Cæſar factus fuerit, vel die XVIII, vel die XXIV Septembris, quorum neuter hoc anno cum Dominica concurrit.

VI. *Obitus Silveſtri Papæ.*

Baron. num. LVIII.

Ad num. XII. In Catalogo Damaſi legitur: *Silveſter annis viginti uno, menſibus undecim. Fuit temporibus Conſtantini, à Conſulatu Voluſiani & Anniani, ex die pridie Kalendas Februarii, uſque in diem Kalendarum Januariarum, Conſtantino & Albino Coſſ.* Ubi loco *Conſtantini*, legendum, *Conſtantii*, ut rectè exemplar, quo Cuſpinianus uſus eſt. Porro, quia in Martyrologio Hieronymiano ad diem XXXI Decembris legitur, *Depoſitio S. Silveſtri Epiſcopi*, Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum Romanorum exiſtimat, in Catalogo Damaſi legendum, *uſque in diem pridie Kalendarum Januariarum.* Nihil tamen mutandum, cùm Cuſpiniani exemplar etiam habeat, *uſque in diem Kalendarum Jann.* & Silveſtrum die XXXI Decembris mortuum eſſe oſtendat etiam libellus Depoſitionis Epiſcoporum apud Bucherium, in quo legitur: *Pridie Kalendas Januarii Silveſtri in Priſcillæ.* Auctor itaque præfati Catalogi excludit diem Kalendarum Januariarum, non verò includit: qui loquendi modus aliquando occurrit. Silveſtro *Marcus* ſuccedit, ſed anno ſequenti, ut tunc videbitur.

VII. *Quomodo Imperium Conſtantini tempore rectum.*

Hoc modo per hæc tempora Imperium Romanum regebatur. Gallias Conſtantinus junior regebat; Orientem Conſtantius, qui tamen Galliis antea puer adhuc præfuerat, teſte Juliano Orat. 1. pag. 34. & 40. Africam, Illyricum & Italiam Conſtans; ripam Gothicam (immo Meſopotamiam, ut docet Auctor Chronici Alexandrini anno CCCXXXVII) Dalmatius tuebatur, ut docet Anonymus Valeſianus; Pontum, Cappadociam & Armeniam minorem Hannibalianus Rex, quem Auctor Chronici Alexandrini teſtatur hoc anno Regem nominatum purpurâ indutum fuiſſe, & Cæſaream Cappadociæ amandatum. Qua de re etiam legendus Victor in Epitome.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5829. ☉ 9 DC. ☽ 14. P. 18. APRIL. INDICT. 9.
JESU CHRISTI 336.
MARCI PAPÆ 1.
CONSTANTINI 31.

I. *Conſules.*

COSS. *Nepotianus, & Facundus.*

II. *Marcus fit Papa.*

Baron. num. 1.

Ad num. I. In Chronico Damaſi legitur: *Marcus menſes octo, dies viginti. Fuit temporibus Conſtantini, Nepotiano & Facundo Conſulibus, ex die XV Kalendas Februarias, uſque in die Nonarum Octobrium, Conſulibus SS.* id eſt, *ſupraſcriptis.* Sed loco *in die*, legendum, *in diem*, ut Cuſpinianus in ſuo exemplari invenit. Marcus itaque ordinatus eſt hoc anno Pontifex Romanus die decima octava Januarii, die Dominico & feſto Cathedræ Sancti Petri Romæ inſignito. Vacavit ergo Sedes dies ſeptemdecim, non dies quindecim, ut habet Baronius ex Anaſtaſio.

III. *In Tricennalibus multæ Orationes habitæ.*

Baron. num. II.

Ad num. II. *Euſebius* non hoc anno, ſed præcedenti Orationem habuit in laudem Conſtantini, qui jam ab aliquot menſibus *Tricennalia* celebrarat, ut ibidem oſtendimus. Nam præter Orationem, quæ in ipſa Tricennalium & id genus ſolennium feſtivitate recitabatur, toto anno aliæ Orationes, vel à civitatum Legatis, vel ab aliis in laudem Imperatoris fieri ſolebant; quod ex verbis, quæ in prologo Orationis in Tricennalibus ab Euſebio dictæ habentur, deduco. Ait enim Euſebius: *Acceſſi, ut Imperatorias laudes novo quodam carminis genere præcinerem. Quamvis verè infiniti penè alii eandem mecum viam carpere conantur; ego tamen hominum veſtigia vitans, ut ait ille, viam ingredior minimè tritam, quam illotis pedibus ingredi nefas eſt* Alludit Euſebius ad hos Lucretii verſus lib. 4.

——Peragro loca, nullius ante
Trita ſolo: juvat integros accedere fontes
Atque haurire: juvatque novos decerpere
flores.

Plures itaque coram Conſtantino, ipſo Tricennalium anno ante Euſebium Orationes habuerant; indeque inferendum, hoc in more poſitum fuiſſe, licèt paucæ ex illis Orationibus ad nos pervenerint. Ad majorem horum Tricennalium explicationem notanda Euſebii in Vita Conſtantini lib. 4. cap. 47. verba, dum de Synodo Hieroſolymitana loquitur: *Hanc ſecundam Synodum, omnium, quas quidem novimus, maximam, Imperator Hieroſolymis congregavit, poſt primam illam, quam in urbe Bithyniæ nobiliſſima collegerat. Sed illa quidem triumphalis erat, in Imperii Vicennalibus preces ac vota pro victoria de hoſtibus parta, in urbe Victoriæ cognomine perſolvens. Hæc verò Tricennalium feſtivitatem ornavit, cùm Imperator Deo omnium bonorum auctori, Martyrium velut quoddam pacis donarium, in ipſo Servatoris noſtri monumento dedicaret.* Ex quibus intelligis, nihil prætermiſiſſe Imperatores, ut annos, quibus hujuſmodi feſta edebant, memorabiles redderent. Hinc Conſtantini Vicennalia Synodus Nicæna; ejus Tricennalia Hieroſolymitana ornarunt. Hinc annis quibus ea ſolennia exhibita, urbes, Eccleſiæque conſtructæ, ac dedicatæ, & immortalitati Principis variis modis conſultum.

IV. *Synodus Cpolitana adverſus Athanaſium.* Baron. num. xx & ſeqq.

Celebrata hoc anno Conſtantinopoli Synodus ab Euſebianis, Euſebio Nicomedienſi Præſide, in qua Sanctus Athanaſius Treviros in exilium miſſus eſt, aliique quidam Epiſcopi Orthodoxi depoſiti. Horum nomen recitat Auctor libelli Synodici in hujus Synodi compendio. Neque dubitandum, quin ea habita fuerit, cùm in epiſtola Synodica, quam Concilium Alexandrinum in cauſa Athanaſii poſt paucos annos ſcripſit, id disertè aſſeratur: *Imperator rei indignitate motus ſcriptis ſuis accuſatores citat, ſuamque ipſius audientiam promittens, ſimulque Synodum indici jubet,* &c. Celebratæ Synodi, ſimulque exilii Athanaſio irrogati tempus deduco ex epiſtola Conſtantini junioris ad populum Alexandrinum ſcripta, quando Athanaſium patriæ reſtituit anno Chriſti trecenteſimo triceſimo octavo. Data enim eſt *Treveris XV Kalend. Jul.* ut docet Athanaſius in Apologia 2. adverſus Arianos pag. 805. Cùm itaque Theodoreto teſte lib. 2. cap. 1. poſt annos duos & menſes quatuor Athanaſius in ſuam Eccleſiam remiſſus fuerit, apparet, currenti anno, menſe circiter Februario, eam Synodum coactam, & Athanaſium Conſtantini M. juſſu in Galliam relegatum. Hujus Synodi meminit etiam Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus in lib. 2. contra Marcellum cap. 4. quod Opus ab eo poſt Conſtantini Magni obitum conſcriptum, ut loco citato ipſemet Euſebius fatetur. De Marcello enim Ancyrano Epiſcopo loquens ait: *Hæc in illum commoverunt ſacroſanctam illam Synodum, quæ de diverſis adeo Provinciis, Ponto, Cappadocia, Aſia, Phrygia, Bithynia, Thracia, & ulterioribus regionibus in regiam urbem* (ſcilicet Conſtantinopolim) *convenerat, &, ut ſcripto in illum* (nempe Marcellum) *inveherentur, Patres vel invitos coëgerunt.* Fuit itaque Concilium illud numeroſiſſimum; quod etiam teſtantur Patres Conciliabuli Sardicenſis anno CCCXLVII celebrati in ſua Synodica, in qua de Marcello loquentes aiunt: *Condicitur in Conſtantinopolim civitatem ſub præſentia beatiſſimæ memoriæ Conſtantini Imperatoris Concilium Epiſcoporum, qui ex multis Orientalium Provinciis advenerunt,* &c. Ubi & inſinuant, diu illam Synodum duraſſe. Meminit & hujus Conſtantinopolitanæ Synodi Philoſtorgius lib. 2. cap. 11. ubi poſtquam de Tyria locutus eſt, ait, Imperatorem alteri Epiſcoporum Synodo mandaſſe, ut Athanaſii cauſa examinaretur. Baronius & Conciliorum Collectores de ea tanquam contra Marcellum Ancyræ Epiſcopum, non verò contra Athanaſium habita agunt; cùm tamen ex his, quæ modò dixi, manifeſtum fiat, cauſam Athanaſii in ea etiam fuiſſe agitatam.

V. *Synodus eadem adverſus Marcellum.* Baron. num. xxxvii & ſeqq.

Ad num. V. Synodus Conſtantinopolitana, in qua Marcellus Ancyræ Epiſcopus depoſitus eſt, de qua mentio apud Rufinum lib. 1. cap. 12. Socratem lib. 1. cap. 36. Sozomenum lib. 2. cap. 33. & in epiſtola Synodi Philippolitanæ, diverſa non eſt ab ea, de qua numero præcedenti actum, in qua Athanaſio exilium irrogatum. In libello enim Synodico poſtquam de exilio Athanaſii actum, dicitur: *S. etiam Cimatem & Euphratem Antaradi, Euprepium Adrianopolis, & Lucium Confeſſorem qui in vinculis mortuus eſt, & Marcellum Ancyræ tanquam homini-cultorem depoſuerunt Euſebiani.* Athanaſius in epiſtola ad Solitarios, & in Apologetico de fuga ſua, univerſos Epiſcopos, qui Conſtantino Magno regnante per fraudem Arianorum in exilium pulſi ſunt, recenſens, eoſdem numerat, atque, *Cymatium* fuiſſe Antaradi Epiſcopum, (quæ urbs ſita dicitur à Geographis in ora Phœniciæ) *Euphrationem* Balanearum, (urbs eſt etiam Phœniciæ) & *Eutropium* Epiſcopum Hadrianopoleos, qui perperam, ut videtur, ab Auctore libelli Synodici Euprepius appellatur. Nec aliud in eo Conciliabulo factum ſcimus. Athanaſius in epiſtola ad Solitarios dicit, *Marcellum* ab Euſebianis in exilium miſſum, poſtquam nempe Epiſcopatu pulſus eſt. Epiſcopi verò Alexandrini in ſua Synodica anno CCCXL ſcripta inquiunt: *At præclari Euſebiani, quò veritatem Scripturaque ſua obliterent, nomen Synodi ſuis Actis prætexunt, cùm res ipſa negotium Imperatorium, non Synodale haberi debeat; quippe ubi Comes præſideat, & milites Epiſcopos ſub ſatellitio cingant, & Imperatoria edicta, quos ipſi volunt, coïre compellunt.*

VI. *Synodus hæc per multos menſes continuata.*

Ad num. VIII. Cauſa *Arii* in memorata Synodo Conſtantinopolitana agitata. Licèt enim Synodus menſe Februario coacta, ut ſuprà dixi; *Arius* verò nonniſi completo triceſimo Imperii Conſtantini anno, ut teſtatur Socrates lib. 1. cap. 37. Alexandriâ Conſtantinopolim evocatus ſit ab Imperatore; & annus XXX Conſtantini, die XXIV Julii abſolutus ſit, & poſt illum menſem, Athanaſio jam in exilium miſſo, Marcelloque depoſito, *Arius* Conſtantinopolim venerit, & turbas adverſus Alexandrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum excitarit, Synodus tamen adhuc durabat. Sozomenus lib. 2. cap. 29. tradit, Arium Conſtantinopolim evocatum, & Euſebianos *ad celebrandam Synodum* ſe paraſſe, ac fruſtra Alexandrum Conſtantinopolitanum

Epiſcopum *Synodum diſſolvere* conatum eſſe. Idem produnt Nicephorus lib. 8. cap. 51. & Zonaras. Auctor libelli Synodici unius Synodi Conſtantinopolitanæ meminit, quam diu duraſſe ſuprà diximus. Apparet itaque, Synodum Conſtantinopoli hujus anni initio inchoatam, poſt menſem Julium adhuc continuatam eſſe.

VII. *Conſtantio Cæſari tres uxores fuere.* Baron. num. XXI.

Ad num. XI. *Conſtantinus* Conſtantio filio Cæſari uxorem hoc anno dedit, ut habet Euſebius lib. 4. ejus Vitæ, ubi ejuſdem uxoris nomen tacet. Baronius exiſtimat, eam fuiſſe *Euſebiam*; ſed manifeſtè labitur. Scribit enim Julianus Imperator in Oratione ad eamdem Euſebiam, Conſtantium jam & Imperii ac totius Orbis ferè compotem, poſt vindicatam de injuſto Tyranno, Magnentio nempe, ditionem ſuam, *Euſebiam* ſibi conjugem adſciviſſe. Quare non ante annum CCCLIII, quo Magnentius victus, & Conſtantii Monarchia cœpta, *Euſebia* huic deſponſata. Porro Conſtantium plures uxores habuiſſe docet Victor in Epitome. Eum maritum fuiſſe filiæ Conſtantii patrui et Galla Juliani noverca, teſtatur ipſemet Julianus in epiſtola ad Senatum populumque Athenienſem. Hancque primam fuiſſe Conſtantii Conſtantini Magni filii uxorem ſuſpicatur Cangius in *Familiis Byzantinis Auguſtis*. Tertia ejus uxor *Fauſtina* fuit, ut liquet ex Ammiano lib. 26. cap. 6. Ex hac nata *Conſtantia* poſthuma, quæ poſtea Gratiano nupſit.

VIII. *Dalmatius dictus Cæſar.* Baron. num. XXV.

Ad num. XII. *Conſtantinus* non hoc anno, ſed præcedenti *Tricennalia* celebravit, ut jam diximus, ideoque Dalmatius ſeu Flavius Julius Valerius Dalmatius anno præcedenti Cæſar à Conſtantino Magno appellatus. Mediobarbus multa Numiſmata exhibet, in quibus Dalmatius Cæſar nuncupatur. Erat autem filius Dalmatii Conſtantini Magni fratris, ut docet Anonymus Valeſianus. Hannibalianus Dalmatii Cæſaris frater uxorem duxit Conſtantianam filiam Conſtantini Magni. Sed de ejuſdem Conſtantini M. familia legendus Cangius in *Familiis Byzantinis Auguſtis*.

IX. *Bellum Perſicum.* Baron. num. LXVI & ſeqq.

Ad num. XIII. Per annos quadraginta Romanos inter & Perſas pax viguit, ab anno nempe ducenteſimo nonageſimo ſeptimo uſque ad ſequentem, ut eo anno oſtendimus. Ea enim paulò ante Conſtantini Magni obitum rupta. Memorabilia ſunt verba Rufi Feſti in Breviario: *Conſtantinus rerum dominus extremo vitæ ſuæ tempore expeditionem paravit in Perſas. Toto enim Orbe pacatis gentibus, & recenti de Gothis victoria glorioſior, multis in Perſas deſcendebat agminibus: ſub cujus adventum Babylonia in tantum regna trepidarunt, ut ſupplex ad eum Legatio Perſarum accurreret, & facturos ſe imperata promitterent. Nec tamen pro aſſiduis eruptionibus, quas ſub Conſtantio Cæſare* (ex quo liquet, hunc Orienti à patre præfectum fuiſſe) *per Orientem tentaverant, veniam meruerunt.* Euſebius tamen in Vita Conſtantini ſcribit, pacem à Perſis per Legatos petitam & impetratam. Poſt Conſtantini Magni mortem bellum renovatum, & per multos annos Romanos inter & Perſas pugnatum, ut infrà videbimus. Porro bellum Perſicum anno duntaxat ſequenti inchoatum, tuncque expeditionem à Conſtantino ſuſceptam adverſus eos, teſtatur Auctor Chronici Alexandrini.

X. *Epiſtola Athanaſii ſuppoſititia.* Baron. num. LVIII.

Ad num. XV & XVI. Tomo 1. Operum S. Athanaſii pag. 625. & ſeq. referuntur epiſtolæ duæ, quarum prior hunc titulum præfert: *Epiſtola Athanaſii & Ægyptiorum Epiſcoporum ad Marcum Papam pro exemplaribus Concilii Nicæni, quia Ariani eorum exemplaria incenderant.* Poſterioris titulus eſt: *Reſcriptum Marci Papæ de miſſione capitulorum Nicæni Concilii, Athanaſio & omnibus Ægyptorum Epiſcopis.* Sed utraque purum ac putum figmentum eſt, ut rectè vidit Baronius. Optandum, ut prodeat nova aliqua editio Operum S. Athanaſii, iis quæ hactenus editæ, accuratior, in qua genuina & legitima ejus Opera à ſpuriis accurato criterio diſcernantur.

XI. *Marci PP. obitus.* Baron. num. LXI & ſeqq.

In Chronico Damaſi legitur, ſediſſe Marcum *menſes VIII, dies XX, ex die XV Kal. Februarii* currentis anni, uſque in diem Nonarum Octobrium. Hujus Chronici verba ſuprà retulimus. Obiit itaque Marcus die ſeptima Octobris quo colitur, & ad quem in Martyrologio Hieronymiano legitur: *Romæ viâ Appiâ depoſitio Sancti Marcelli & Marci Epiſcopi.* Cùmque die decima octava Januarii Pontificatum inierit, rectè in eo Chronico menſes & dies, quibus ſedit, numerati. Auctioris Chronici veterum Pontificum Auctor, ex eoque Anaſtaſius & alii, cùm dicunt de S. Marco, quòd *ſepultus eſt in cœmeterio Balbinæ viâ Ardeatinâ pridie Nonas Octobris*, intelligendi ſunt de die ejus obituali; alioquin Marcus ſupra menſes octo, dies tantùm XIX ſediſſet. Nam Auctor Chronici Damaſi in illis *menſibus octo & diebus viginti* numerandis, more Romanis olim familiari in illis recenſendis uſus eſt, & viginti dies illos non à die XVIII menſis Septembris, ſed à XV Kalend. Octobris, ſeu die XVII Septembris inchoavit. Sic enim Marcus die VI Octobris, quo in multis Martyrologiis memoratur, obiit, & die inſequenti, quo etiam in aliquibus Martyrologiis colitur, ſepultus eſt. Legendus Fortunius in Notis ad Martyrologium Hieronymianum, ubi hunc nodum intricatum eſſe fatetur, quia ſc. ad illam numerandi rationem animum non adverterat. Poſt Marci obitum ceſſavit Epiſcopatus non dies viginti, ut habet Anaſtaſius, quem ſecutus eſt Baronius; ſed menſes tres, dies viginti novem. Ut enim ex Chronico Damaſi diſcimus, *Julius* Marci ſucceſſor ordinatus tantùm fuit anno ſequenti, idque die decima octava Januarii feſto Cathedræ S. Petri Romæ ſacra. Quare perperam in Annalibus *Julii* initium currenti anno die XXVII Octobris conſignatum.

XII. *Chriſtiani à Judæorum injuriis vindicati.* Baron. num. LXXI.

Conſtantinus emiſit hoc anno Legem 5. Codicis Theodoſiani, quâ ab injuria Judæorum Chriſtianos per Africam vindicat. Inſcripta eſt enim ad Felicem PF. P. id eſt, *Præfectum Prætorio*, Italiæ ſcilicet, in qua Præfectura Africæ erat, ut diſertè oſtendit Lex 21. ejuſdem Codicis *De Decurionibus*. Eoſdem proſelytos, id eſt, ex Judæis Chriſtianos factos à Judæorum contumelia vindicarat Conſtantinus Lege 1. ejuſdem Codicis *De Judæis*, data anno CCCXV. Fallitur enim Baronius, qui contrarium planè ſenſum Legi huic, præſenti anno

anno datæ affingit, quaſi à Proſelytorum injuria Conſtantinus Judæos hac Lege vindicaret, cujus rei factique ut nulla ratio fingi poteſt, cur videlicet converſi ad Fidem ex Judæis, perſecutionem in Judæos excitare voluerint, ita refutat Baronium, quod Epiphanius hæreſi 30. Ebionitarum de Joſepho quodam ſub Conſtantino Magno ſcribit, quemdam nempe Joſephum ex Apoſtolo Judæorum ad Chriſtianam Religionem inclinantem, mox & converſum, variis appetitum à Judæis injuriis. Facit etiam ad hoc Lex 1. ejuſdem Codicis hoc anno data, *Ne Chriſtianum mancipium Judæus habeat.* quâ ſcilicet Judæus ſervi dominus Chriſtianum mancipium, vel cujuſlibet alterius ſectæ circumcidere prohibetur. Ex qua Lege, cum prima *De Judæis.* conjuncta, de Conſtantini mente ſatis liquere poteſt. Baronium in errorem induxit inſolens conſtructio quæ habet: *Eum qui ex Judæo Chriſtianus factus eſt, inquietare Judæos, non liceat.* Sed hæc conſtructio nihil vitii continet, modò debita interpunctio adhibeatur; & verba, *non liceat*, impersonaliter accipiantur, quomodo Virgilius lib. 5. Æneid. *Me liceat caſum miſerari inſontis amici.* Cujus rei alia non deſunt exempla. Hæc Gothofredus in illius Legis Commentario.

Olymp. 279. ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5830. ☉ 10 B: ☽ 15. P. 3. APRIL.
INDICT. 10.
JESU CHRISTI 337.
JULII PAPÆ I.
CONSTANTINI, CONSTANTINI ET CONSTANTIS I.

I. *Conſules.* COSS. *Ti. Fabius Titianus, & Felicianus*, ex Inſcriptione Onuphriana. Conſtantini junioris Cæſaris quinta Quinquennalia hoc vel ſequenti anno edita.

II. *Obitus Conſtantini M.* Baron. num. 1 & ſeqq. Ad num. I. *Conſtantinus Aug. ad cæleſtia regna ablatus eſt XI Kal. Junias, & ipſo anno nuncupati ſunt tres Auguſti Conſtantinus & Conſtantius & Conſtans V Idus Septemb.* inquit Idacius in Faſtis ſub hujus anni Conſulibus. Idem habet quoad diem & annum Auctor Chronici Alexandrini, qui addit; ipſo S. Pentecoſtes die Conſtantinum demortuum, & quidem rectè: hoc enim anno feſtum Pentecoſtes cum die XXII Maii, ſeu cum die XI Kal. Junias concurrit. Mortuus eſt autem abſentibus filiis, Conſtantio tamen non multò pòſt ſuperveniente, ut habet Rufinus lib. 1. cap. 11. & Julianus Orat. 1. pag. 29. Clariùs Socrates: *Porro morti ejus nullus ex filiis interfuit.* Fallitur Gothofredus in Chronologia Cod. Theod. quando ait, Julianum citatum teſtari, *Conſtantinum* Conſtantio filio præſente diem obiiſſe. Nam Julianus tantùm dicit, *quòd unus ex illius liberis, cùm adhuc ſuperſtes foret*, (ſc. Conſtantinus M.) *& morbo conflictaretur, eidem accurriſti: eidem verò mortuo ampliſſimos honores habuiſti.* Quæ verba Rufini & Socratis narrationi non adverſantur, ut examinanti patet. Cùm autem regnum inierit Conſtantinus die XXV menſis Julii anni trecenteſimi ſexti; liquet, eum imperaſſe annos XXX & menſes X, paucis diebus exceptis. Verum eſt, Euſebium in Vita Conſtantini lib. 4. cap. 53. de ejus Imperii annis ſcribere: *Ac Imperii quidem curriculum duobus & triginta annis explevit, exceptis menſibus ac diebus paucis.* Sed præterquam quòd ipſemet Euſebius in Chronico eum annis triginta & menſibus decem imperaſſe ſcribit, in ipſo proœmio ejuſdem Vitæ docet, ſe Imperii Conſtantini annos per Decennalia, Vicennalia & Tricennalia numerare; ita ut die XXV menſis Julii anni Chriſti trecenteſimi triceſimi quinti, quo Tricennalia dedit, annos triginta numeret Euſebius, qui præfationem illam à morte Conſtantini inchoans ait: *Nuper quidem univerſum hominum genus ſecunda ac tertia Magni Imperatoris noſtri Decennalia certis temporum ſpatiis redeuntia feſtivitatibus & conviviis celebravit. Nos quoque ipſi nuper eumdem victorem ac triumphatorem cœtu famulorum Dei circumſeptum in ejus Vicennalibus dictâ venerati ſumus. Sed & Tricennalium Orationum coronas ei texentes, nuper in ipſo Palatio ſacrum ejus caput redimivimus. Verùm nunc anceps animi hæreo: cupiens quidem aliquid* MORE SOLITO *proferre, ſed quò me vertam, prorſus ignarus, inuſitatâ rei ſpectaculo perculſus.* Euſebius itaque, qui in ea Vita conſcribenda Oratorem magis, quàm Hiſtoricum agit, ut omnibus notum, eam adjungere voluit Orationibus, quas in Conſtantini Vicennalibus & Tricennalibus habuerat, ita ut illa ſingulis decenniis geſta complecteretur, quæ quaſi partes tres, ut inter ſe cum quodam lepore conſentirent, æquabili ratione ac uno eodemque genere tractare voluit, ut expoſui in ſecunda parte Diſſert. Hypaticæ cap. 2. num. 19. & notavit etiam Spanhemius V. C. lib. de Præſtantia & Uſu Numiſmatum. Quare Epiphanius, Philoſtorgius, aliique Antiqui, qui annos triginta duos Imperio Conſtantini aſſignarunt, modum loquendi Euſebii non intellexere, vel annos triginta duos utrimque incompletos numeravere. Quæ explicatio certa. Decennalia enim aliaque id genus feſta epochæ quædam erant, à quibus aliquando tempora ab Antiquis computata. Vixit Conſtantinus *annos ſexaginta quinque*, ut teſtantur Rufinus lib. 1. cap. 11. Socrates lib. 1. cap. ult. Sozomenus lib. 2. cap. pariter ult. & Theophanes ac Cedrenus. Verum eſt, Hieronymum in Chronico ſcribere, mortuum eſſe Conſtantinum *anno ætatis ſuæ LXVI.* Sed annos utrimque incompletos pro integris recenſuit. Nec obſtat Euſebius, quando in lib. 4. Vitæ Conſtantini cap. 53. ſcribit: *Ac Imperii quidem curriculum duobus & triginta annis explevit, exceptis menſibus ac diebus paucis: vita verò ſpatium duplo ferè longius fuit.* Nam, ut jam dixi, Euſebius Imperii Conſtantini annos per Decennalia, Vicennalia & Tricennalia modo Oratorio numerat: & adverbium *ferè* apud Latinos, quemadmodum ἀμεὶ apud Græcos, tam exceſſum quàm defectum ſignificat, & ſæpe ſumitur pro *circa* vel *circiter.* Quare natus erat Conſtantinus anno Chriſti CCLXXII, ex Helena priori Conſtantii Chlori conjuge, quæ cùm octogenaria mortua fuerit, annum circiter vigeſimum ſextum ætatis attigerat, quando Conſtantinum peperit.

Ad num. III. Philoſtorgius lib. 2. cap. 17. Chriſtianos accuſat, *quòd imaginem Conſtan-* III. *Honores*

Conſtantino redditi.

Baron. num. x x.

tini in porphyretica columna ſtantem ſacrificiis placarent, & lucernis accenſis ac ſuffitibus honorarent, vota etiam facerent ut Deo, & ſupplicationes ad depellendas calamitates peragerent. Sed jure merito Philoſtorgium reprehendit Photius; id enim prorſus commentitium & à Religione Chriſtiana alienum. At quod ait Philoſtorgius, lucernas & cereos ad ejus ſtatuam accenſos, precesque ei directas, & morborum curationes ab eo poſtulatas, id verum, nec reprehendi debuit à Photio; cùm idem teſtetur Theodoretus lib. 1. cap. ultimo, & ex eo Nicephorus in fine lib. 7. & Auctor Chronici Alexandrini anno Chriſti c c c x x x ſcribat: *Cùm feciſſet ſibi aliam ſtatuam ex veteri quodam ſimulachro inauratam, quæ dextra manu geſtabat Fortunam urbis Conſtantinopolitanæ, quæ ipſa quoque erat inaurata, juſſit, ut eo die, quo Circenſes ob Natalem urbis Conſtantinopolitanæ edebantur, introiret eadem ſtatua ſimulachri deducta à militibus lanas & campagos ſeu calceos habentibus, & cereos albos manu geſtantibus: utque currus, quo ſtatua vehebatur, circumiret ſuperiorem campum, & ad ſcammna procederet ex adverſo Imperialis ſolii: utque Imperator, qui temporibus illis regnaret, è ſolio aſſurgens adoraret ſtatuam ejuſdem Imperatoris Conſtantini, & Fortunæ urbis Conſtantinopolitanæ.* Hæc pompa celebrabatur quotannis die x1 Maii, qui natalis erat urbis Conſtantinopolitanæ, ut tradunt Auctor Chronici Alexandrini & Heſychius in Originibus Conſtantinopolitanis. Hæc Valeſio obſervata in Notis ad lib. 2. Philoſtorgii cap. 17. Denique Auctor libelli Synodici in Synodo Nicæna ait: *Conſtantinus inter Chriſtianos Imperatores Apoſtolus*; & in Mæneis Græcorum vocatur *ἰσαπόστολος*, id eſt, *par Apoſtolis*: quod cognomen ob propagatam Chriſti Fidem illi meritò delatum, quidquid dicat Scaliger lib. 5. de Emendat. Temp. pag. 510. De his quæ ad Conſtantini ſanctitatem pertinent, legendus Papebrocius die xxII Maii in Vita S. Conſtantini Magni.

IV. *Conſtantinus poſt mortem imperat.*

Baron. num. LI.

Ad num. VIII. Valeſius in Notis ad lib. 4. de Vita Conſtantini cap. 67. explicans hæc Euſebii verba de Conſtantino Magno: *Solus poſt mortem imperavit Princeps beatiſſimus: cunctaque more ſolito adminiſtrata ſunt, quaſi adhuc in vivis eſſet*; dicit, poſt obitum Conſtantini Magni interregnum fuiſſe, nec ullum in Orbe Romano Auguſtum imperaſſe. Quod quidem interregnum ait, permanſiſſe uſque ad diem v Idus Septembres, quo Idacius in Faſtis num. 2. à nobis citatus prodit, Conſtantinum, Conſtantium & Conſtantem nuncupatos fuiſſe Auguſtos. Ex quibus deducit Valeſius, toto illo tempore intermedio Conſtantini filios Cæſares tantùm dictos. Quod verum eſſe exiſtimo, cùm Idacius ſcribat, eo die Conſtantini filios Auguſtos nuncupatos, & Euſebius libro citato cap. 71. de Conſtantino Magno dicat: *Ipſe etiam poſt mortem Imperium retinens, quaſi redivivus univerſum Orbem gubernans, Victor Maximus Auguſtus, ſuo adhuc nomine Rempublicam regeret.* Ad quæ verba Valeſius ait: *Ex hoc loco apparet, poſt obitum Conſtantini Maximi tribus circiter menſibus, id eſt, toto interregni ſpatio, Leges omnes atque Edicta Conſtantini tanquam ſuperſtitis nomine inſcripta fuiſſe: cùm nullus alius eſſet Auguſtus in Orbe Romano. Poteſt etiam intelligi hic locus de liberis Conſtantini Magni, qui eodem titulo & nomine utebantur, & in quibus pater reviviſcere videbatur. Quam interpretationem confirmant ſequentia.* Sed prior interpretatio præferenda. Nam Lex 2. Codicis Theodoſiani *De excuſationibus artificum.* quæ dicitur data *IV Non. Aug. Feliciano & Titiano Coſſ.* eam confirmat: tribuitur enim Conſtantino Magno, qui tamen jam à menſe Maio obierat. Gothofredus, cui ea explicatio in mentem non venerat, ait, ſi dies Legi ſubſcriptus vitio careat, eam Conſtantino Magno non eſſe tribuendam, ac fortè legendum in ſubſcriptione, *IV Non. April.* Quæ conjectura, poſita illa interpretatione, evaneſcit. Vide quæ anno ſequenti dicam, cùm de Sancti Athanaſii reſtitutione agam. Legendus etiam Euſebius in Vita Conſtantini lib. 4. cap. 67. cujus titulus eſt: *Quomodo etiam poſt mortem à Comitibus & reliquis, perinde ac vivus honoratus eſt.* Ibi enim poſtquam narravit, Conſtantinum mortuum ab omnibus, *perinde ac vivum & ſpirantem*, ſalutatum fuiſſe, concludit: Solus *denique etiam poſt mortem imperavit*, ut ſuprà. Quare ſecunda conjectura Valeſii rejicienda, primaque omnino admittenda.

V. *Diviſio Imperii inter tres Auggg.*

Baron. num. LII & ſeqq.

Conſtantini Magni filii Imperium inter ſe partiti ſunt in *Pannonia*, ubi Conſtantius & Conſtans aliquandiu hæſere tranſigendis quæ opus erant, ut liquet ex Oratione 1. Juliani pag. 33. & 36. In diviſione *Conſtantino* natu maximo ceſſit Gallia, Hiſpania, Britannia & Africa Proconſularis ex parte. *Conſtanti* natu minimo, Italia, Africa reliqua, Illyricum, Macedonia, Græcia, Pontoque Euxino finitima. *Conſtantio* Myſia, (id enim addendum, inquit Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani) Thracia, Conſtantinopolis, Aſia, Ægyptus, Orientiſque Imperium ab Illyrico ad Niſibim. Eunapius in Edeſio pag. 45. & Zoſimus lib. 2. pag. 691. Hæc tamen diviſio non omnino placide tranſacta; compoſita tamen à Conſtantio in Pannonia, ut prædicat Julianus Oratione 3. indeque poſtea ipſe in Syriam profectus eſt, ut habet Julianus Oratione 1. pag. 36. Verùm hi tumultus anni ſequentis initio accidère; tandemque de pertinente ad Carthaginem Africa Italiaque diſſidium Conſtantinum inter & Conſtantem exortum. Quod cùm triennium totum foviſſent, ipſi demum Conſtantino fatale fuit, ut ſuo loco dicetur.

V I. *Conſtantii cædes.*

Baron. num. LIII.

Ad num. XI. *Delmatii Cæſaris* & aliorum à Conſtantio occiſorum cædes ad hunc annum pertinet, ut ex Theophane, aliiſque deducitur, & inſinuat Julianus, cùm in Oratione 1. pag. 36. ſeditionem caſtrenſem contigiſſe dicit, antequam Conſtantius cum fratribus Imperium diviſiſſet. Cùm itaque, ut habet Hieronymus in Chronico, *Delmatius* triennio regnaverit, liquet, tres illos annos incompletos intelligendos eſſe, eamque mortem accidiſſe ante v Idus Septemb. quo die Imperii diviſio facta.

V I I. *Juliano mors intentata.*

Ad num. XII. Periit *Julianus* Imperator anno ætatis trigeſimo ſecundo inchoato, ut in morte ejus videbitur. Quare in lucem prodierat anno Chriſti trecenteſimo trigeſimo

Baron. num. LVII.

primo, idque die ſexta Novembris, ut legitur in Laterculo Silvii, & nonniſi menſe Novembri inſequentis anni octavum ætatis ingreſſus eſt. Periculo itaque liberatus *Julianus* octennis anno trecenteſimo triceſimo nono, cùm Socrates & Sozomenus eum tunc nondum annum ætatis octavum compleviſſe tradant. Cangius V. C. in *Familiis Auguſtis Byzantinis* ſcribit, *Julianum* natum eſſe anno Chriſti CCC XXXII, opeque Euſebiæ Conſtantii uxoris ſervatum. Quam in rem citat ipſum Julianum ad S. P. Q. Athenienſem pag. 501. Sed, ut rurſus in Juliani morte dicetur, is anno antecedenti natus erat, & loco laudato loquitur de *Galli* fratris cæde, quæ anno CCC LIV patrata eſt, ac de periculo tunc à ſe, *Euſebiæ* beneficio, vitato, non verò de eo quod ei currenti anno intentatum. Neque enim ante annum CCC LIII Conſtantius Euſebiam uxorem duxit, ut ſuo loco dictum.

VIII. *Synodus Romana.* Baron. num. LXVII.

Ad num. XVII. Synodus Romana ſub Julio Papa aliud non eſt quàm farrago quædam ab Iſidoro Mercatore collecta ex Tripartita, aliiſque, & in formam Concilii redacta; certè nulla ejus in libello Synodico mentio.

IX. *Julius Firmicus floret.* Baron. num. LXXIV.

Ad num. XVIII. *Julii Firmici Materni V. C. liber de Errore profanarum Religionum ad filios Conſtantini Magni Conſtantium atque Conſtantem Auguſtos* ſcriptus eſt ab anno CCC XL, quo periit Conſtantinus junior Conſtantini M. filius, ad annum CCC L, quo Conſtans cæſus. Idem Firmicus nondum Chriſtianus ex pervulgata Gentilium ſuperſtitione, & Genethliacorum commentis ad Lollianum V. C. ſcripſit *Aſtronomicorum* libros VIII compoſitos inter annum Chriſti CCC XXXIV, quo contigit Solis eclipſis ab eo memorata, *Optato & Paulino Coſſ.* & annum CCC XXXVII Conſtantini M. emortualem. Is *Julius* diverſus eſt à *Julio* Mediolanenſi, quem interfuiſſe volunt Concilio Romano ſub Julio, de quo Concilio numero præcedenti actum. Hæc Labbeus in Diſſert. de Script. Eccleſiaſt. Verùm, certum quidem, *Julium Maternum* diverſum eſſe à Julio Epiſcopo Mediolanenſi, ſed an unus idemque Julius Maternus librum de Erroribus profanarum Religionum, & libros Aſtronomicorum elucubrarit, hactenus incompertum.

X. *Bellum Britannicum.* Baron. num. LXXVII.

Bellum Britannicum, cujus mentio in præfato libro de Erroribus profanarum Religionum, ad annum Chriſti trecenteſimum quadrageſimum tertium pertinet, ut rectè vidit Gothofredus in Commentario Legis 5. Cod. Theod. *De extraordinariis ſive ſordidis muneribus.* Ait enim Julius Firmicus: *Poſt excidia Templorum* (anno CCC XLI peracta) *viciſtis hoſtes,* (Francos nempe, quos Idacius in Faſtis anno Chriſti CCC XLII à Conſtante victos, ſeu pacatos tradit) *propagaſtis Imperium, & hieme tumentes ac ſævientes undas calcaſtis Oceani, & inſperatam Imperatoris faciem expavit Britannus*, anno ſcilicet CCC XLIII, quo præfata Lex *VIII Kal. Feb. Bononiæ* emiſſa. Docet enim Ammianus, Lupicinum à Conſtantio Imperatore in Britanniam miſſum, Bononiam, nempe Galliarum, *adulta hieme* veniſſe. Ita ille initio lib. 20. qui & lib. 27. cap. 8. de eadem expeditione loquitur; de quo etiam legendus Libanius in Baſilico.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5831. ☉ 11 A. ☽ 16. P. 28. MART.
INDICT. 11.
JESU CHRISTI 338.
JULII PAPÆ 2.
CONSTANTII, CONSTANTINI, ET CONSTANTIS 2.

I. *Conſules.*

COss. *Urſus*, & *Polemius*. Quinquennalia Imperii Cæſarei Conſtantis hoc vel præcedenti anno celebrata.

II. *Athanaſius quo anno patriæ redditus.* Baron. num. 1 & ſeqq.

Ad num. I. Valeſius lib. 1. Obſervat. Eccleſiaſt. in Socratem cap. 1. contendit, Sanctum Athanaſium anno elapſo patriæ reſtitutum fuiſſe, erraſſeque Theodoretum, cùm ſcripſit, eum biennio & menſibus quatuor in exilio fuiſſe. *Ego*, inquit Valeſius, *anno Domini CCC XXXVII, eo ipſo quo mortuus eſt Conſtantinus, Athanaſium reſtitutum eſſe contendo: idque certiſſimo argumento, ut opinor, evincam. Scribit enim Athanaſius in Apologia 2. adverſus Arianos pag. 805. ſe ſolutum exilio, & patriæ reſtitutum eſſe à Conſtantino juniore, qui & literas ipſi dedit ad populum & Clerum Eccleſiæ Alexandrinæ. Eas literas ibidem refert Athanaſius, quarum hæc eſt inſcriptio:* Conſtantinus Cæſar populo Catholicæ Eccleſiæ Alexandrinæ. *Subſcriptio autem eſt hujuſmodi:* Datum Treveris XV Kalendas Julias. *Tam inſcriptio, quàm ſubſcriptio harum literarum docet id quod dixi, Athanaſium ſcilicet ſolutum eſſe exilio ſtatim poſt obitum Conſtantini M. anno Chriſti CCC XXXVII. Nam ſi anno ſequente reſtitutus fuiſſet, tum Conſtantinus junior non Cæſarem ſe, ſed Auguſtum appellaſſet. Nec à Conſtantino juniore reſtitutus fuiſſet Athanaſius, ſed à Conſtantio, cui Orientis Imperium obtigerat. Quare cùm Conſtantinus ipſe in iis literis Cæſarem tantùm ſe appellet, & cùm Athanaſius ſe à Conſtantino juniore reſtitutum eſſe teſtetur, apparet id factum fuiſſe antequam Conſtantini ſenioris filii à militibus Auguſti eſſent nuncupati. Etenim mortuo Conſtantino interregnum quoddam fuit: Orbiſque Romanus ſine Imperatore manſit per tres ferè menſes, donec fratres, qui Cæſarum nomine diverſas Provincias regebant, ad dividendam Romani Imperii ſummam in unum coiſſent. Obiit Conſtantinus IX Kalend. Jun. & ipſo anno nuncupati ſunt tres Auguſti, Conſtantinus, Conſtantius & Conſtans, V Idus Septembris, ut legitur in veteribus Faſtis, quos falsò ſub Idacii nomine publicavit Jacobus Sirmondus. Hoc ipſum eſt quod Euſebius in lib. 4. de Vita Conſtantini ſcribit, illum poſt mortem imperaſſe, & cuncta diplomata atque edicta, ejus tanquam ſuperſtitis nomine fuiſſe inſignita. Ob hanc igitur cauſam Conſtantinus junior in ſuis ad Alexandrinos literis ſe duntaxat Cæſarem appellat, quippe qui nondum Auguſtus fuiſſet appellatus. Datæ enim ſunt literæ XV Kalendas Julias. Auguſtus autem cum fratribus nuncupatus eſt V Idus Septembres. Porro*

tunc temporis dum fratres tantùm Cæſares vocarentur, ſumma auctoritas penes juniorem Conſtantinum erat, quippe qui fratrum natu maximus foret. Hæc Valeſius.

III. *Conſtantinus junior Cæſar dictus in literis reſtitutionis Athanaſii.*

Verùm, *Athanaſii* reſtitutio à præſenti anno, quo eam collocavit Baronius, minimè removenda. Ideo enim Conſtantinus junior Cæſaris tantùm nomen in præfata ad populum Alexandrinum epiſtola ſumit, quia Alexandrini ſuberant Conſtantio fratri ſuo. Sic in Actis purgationis Cæciliani coram Æliano Proconſule Africæ habitis anno Chriſti CCC XIV, quia Africa Conſtantino Magno, non verò Licinio parebat, dicitur: *Apud Maximos Imperatores cauſa agenda erit*, Conſtantinum nempe & Licinium; & inferiùs: *Conſtantinus Maximus ſemper Auguſtus, & Licinius Cæſar, ita pietatem Chriſtianis exhibere conantur*, &c. Vides, Licinium Auguſtum vocari tantùm *Cæſarem*, quia ſcilicet judicium illud fiebat in regione ad Conſtantinum Aug. pertinente. Sic in titulo Legis 1. Codicis Theodoſiani *De jure Fiſci. dat. Idibus Septemb. Conſtantino Aug. IV & Licinio IV Coſſ.* anno nempè CCC XV in fronte legitur: *Imp. Conſtantinus Aug. & Cæſ.* ubi Cæſaris nomine intelligendus Licinius, ut obſervat Gothofredus in illius Legis Commentario. Ea enim à Conſtantino Magno, non verò à Licinio emiſſa. Præterea Victor in Epitome de Galerio Auguſto loquens, ait: *Cæſar quadriennio*, (ab anno ſcilicet CCC VII, uſque ad annum CCC XI) *deinde per Orientem Auguſtus triennio fuit*, ab anno ſcilicet CCC XI uſque ad CCC XIII. Maximinus quando cum Galerio Maximiano ſeniori Auguſto, longèque ſe potentiori imperavit, *Cæſar* à Victore appellatur, licèt quadriennio illo Auguſtus fuerit: quando verò Maximiano mortuo partem Imperii ejus, cùm ea quam jam poſſidebat, conjunxit, ſeque ſeniorem Imperatorem credidit, à Victore Auguſtus dictus eſt. Quare Conſtantinus junior jam Auguſtus erat, quando citatam ad Alexandrinos fratri ſuo ſubjectos epiſtolam, in qua Cæſarem ſe appellat, ſcripſit. Ea quippe Athanaſii reſtitutio per Conſtantinum juniorem facta, quia apud Treveros, quæ urbs ipſi parebat, ſanctus Præſul exulabat. Hoc autem factum, inquit Epiphanius in hæreſi 68. *dum Conſtantius eſſet in Antiochia, atque hoc approbaret.* Conſtantium verò præſenti anno Antiochiæ fuiſſe ex Annalibus Baronii certiſſimum redditur. Deinde Athanaſius in Apologia ad Conſtantinum ait, quòd ipſum Imperatorem fuerit dignatus videre, *primùm Viminiaci*, qui locus eſt ad Danubium in Mœſia prima: Lex autem 4. Codicis Theodoſiani *De petitionibus.* dicitur dat. *prid. Id. Jun. Viminiaci*, & Conſtantium atque Conſtantem auctores habet. Quare his Coſſ. menſe Junio uterque Imperator Viminiaci fuit, ibique Conſtantium Athanaſius ſalutavit.

IV. *Alia hujus rei ratio.*

Schelſtratius in Diſſert. 1. de ſacro Antiocheno Concilio cap. 1. Valeſii errorem agnovit, & Athanaſium currenti anno reſtitutum docuit. Sed perperam ſcripſit, ideo Conſtantinum juniorem in laudatis à Valeſio literis, *Cæſarem* ſe, non *Auguſtum* nominaſſe, quia, ut etiam ex Euſebio ſuprà diximus, poſt Conſtantini Magni obitum ipſi Auguſti titulus manſit. At licèt verùm ſit, omnia edicta uſque ad V Idus Septembris anni præteriti Conſtantini M. nomine conſcripta fuiſſe; tamen poſt illum diem Leges omnes trium Auguſtorum nomine datas eſſe, liquet ex reſcriptis Codicis Theodoſiani. Addit Schelſtratius, Conſtantinum juniorem Cæſaris duntaxat nomen uſurpaſſe, quia conſentaneum ſibi viſum eſt, ut in literis quibus voluntatem patris executioni mandabat, non Auguſti, ſed Cæſaris duntaxat nomen uſurparet, quaſi pater adhuc viveret. Verùm, is agendi modus inſuetus, &, quod ſciam, in ſimili nunquam uſurpatus.

Rectè tamen obſervat Schelſtratius, Athanaſium hoc anno in Eccleſiam ſuam rediiſſe, clamare totam Actorum ſeriem à variis Scriptoribus poſteritati conſecratam. Narrat Euſebius lib. 4. de Vita Conſtantini cap. 63. quòd Conſtantinus ante mortem, *cuncta, prout ipſi videbatur, conſtituerit.* Quid verò diſpoſuerit notat Theodoretus lib. 1. cap. 31. *Tres quidem Imperii heredes reliquit, Conſtantinum ſcilicet, Conſtantium & Conſtantem natu minimum. Magnum autem Athanaſium Alexandriam redire juſſit.* Addit Socrates lib. 1. cap. 39. *Teſtamentum commendat Presbytero illi, cujus antea fecimus mentionem, per quem Arius ab exilio fuerat revocatus, mandatque ne cuiquam alteri quàm filio ſuo Conſtantio, quem Orienti præfecerat, illud in manus traderet. Ad hunc modum condito teſtamento, cùm aliquot dies ſupervixiſſet, ex hac luce migravit*, die ſcilicet XXII Maii. Neque ſtatim, ut mortuus eſt Conſtantinus, ejus teſtamentum ad filium ejuſdem cognominis Treviros perlatum eſt, quandoquidem id Conſtantio duntaxat tradi poterat, qui tum Nicomediæ non aderat, ſi vera ſcripſit Socrates, qui ait: *Porro morti ejus nullus ex filiis interfuit. Mittitur itaque protinus in Orientem, qui Conſtantio patris obitum nunciaret.* Non ſcribit Socrates, Presbyterum cum teſtamento ad Conſtantium profectum, ſed nuntium tranſmiſſum, quo profecto corpus exanime è lecto in aurea arca depoſitum fuit, ac Conſtantinopolim deportatum, ubi teſte Euſebio lib. 4. de Vita Conſtantini cap. 66. à multis noctu dieque cuſtoditum eſt, ſtatis horis accedentibus totius exercitûs Ducibus, Comitibus, Judicibus & populo, ut Imperatorem jam mortuum perinde ac vivum ſalutarent, *atque hæc*, inquit Euſebius cap. 67. *longi temporis ſpatio aſſiduè geſta ſunt*; ita ut non uno, ſed pluribus diebus corpus Conſtantini inſepultum manſiſſe neceſſe ſit. *Poſtea namque*, ut ſcribit Socrates, *cùm Conſtantius ex Orientis partibus advolaſſet, regiâ honoratus eſt ſepulturâ.* Ubi autem Conſtantius ad Urbem regiam pervenit, cùm veroſimile ſit, Presbyterum antea laudatum corpus Imperatoris ſecutum, illa in Urbe tunc degiſſe, & teſtamentum Conſtantini ipſius filio Conſtantio detuliſſe, potuit primùm circa initium menſis Junii innoteſcere, quid Conſtantinus ultima ſua voluntate diſpoſuerat, adeoque tunc primùm ſcribi ad Conſtantinum juniorem, quòd pater ſtatuerat, revocandum eſſe Athanaſium. Quòd ſi jam anno CCC XXXVII, XV Ka-

V. *Athanaſius hoc anno Romam redux.*

lendas Julias, id eſt, XVII Junii, Athanaſius reſtitutus fuerit, (nam conſideratis ſupradictis, Conſtantius nonniſi poſt octo vel decem dies à morte patris Conſtantinopolim pervenit) debuiſſet Conſtantius eodem momento, quo teſtamentum perlegerat, antequam pater ipſius ſepeliretur, ſollicitus extitiſſe de Athanaſio, & nuntius quatuordecim dierum ſpatio ex urbe Conſtantinopolitana Treviros appuliſſe, & eodem die, quo nuntium acceperat Conſtantinus, Athanaſium reſtituiſſe, ac conſcriptis ea de re literis, Alexandriam remiſiſſe; quæ parum credibilia.

VI. *Athanaſius exilio ſolutus.*

Aliud argumentum deducit Schelſtratius ex Epiphanio hæreſi 68. ubi ait: *Athanaſius dimittitur à duobus Regibus poſt M. Conſtantini obitum, dum Conſtantius eſſet in Antiochia, atque hoc approbaret. Et novimus ſanè proprias literas à tribus Imperatoribus ſcriptas Alexandrinis & ipſi Athanaſio.* Athanaſium verò à tribus Imperatoribus communicato conſilio dimiſſum fuiſſe, ipſemet Athanaſius teſtis eſt, quando in epiſtola ad Solitarios inquit: *Hoc cùm viderent tres fratres Conſtantinus, Conſtantius & Conſtans poſt obitum patris ſui, juſſerunt quemquam in ſuam Eccleſiam & patriam reverti, ſcribentes quidem de ſingulis ad ſingulas ipſorum Eccleſias, de Athanaſio verò ad iſtum modum*, &c. Sed nullatenus fieri potuit, ut anno CCC XXXVII, die XV Kalend. Julias tres Imperatores ea de re ſimul contulerint; cùm in confeſſo ſit, poſt tres menſes duntaxat invicem communicaſſe, ut, quod patris teſtamento diſpoſitum erat, Romani Imperii ſummam dividerent, ſicque Athanaſium ab exilio revocarent. Quare Imperii diviſio in Pannonia facta, & Athanaſii reſtitutio à Conſtantio, dum eſſet Antiochiæ, approbata.

VII. *Niſibis obſidio.*

Baron. num. XVIII & ſeqq.

Perſæ pacem cum Romanis fregere paulò ante obitum Conſtantini Magni. Eodem anno, Chriſti ſcilicet CCC XXXVII; *Niſibis*, quæ urbs Meſopotamiæ apud Tygrim fluvium, à Perſis obſeſſa, ut habet Theophanes, qui obſidium egregiè deſcribit, aitque, *per tres & ſexaginta dies* illud duraſſe: quot etiam dies civitatem obſeſſam tradit Auctor Chronici Alexandrini anno CCC XXXVII. Quare, quando Hieronymus in Chronico ſecundùm editionem Scaligeri eam obſidionem copulat cum anno Abrahami 2354. qui Kalendis Septembribus anni Chriſti CCC XXXVII inchoatur, de prioribus illius anni menſibus intelligendus; perperamque Valeſius in Notis ad lib. 20. Ammiani, ait Hieronymum tradere, Urbem obſeſſam currenti anno: quo pacto etiam Hieronymum non bene Baronius explicavit, ut Auctor Chronici Alexandrini nos dubitare non ſinit. De ſecunda & tertia Niſibis obſidione infrà ſermo erit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5832. ☉ 12 G. ☽ 17. P. 15. APRIL. INDICT. 12. — Olymp. 279. *ſecundum Baronium.*

JESU CHRISTI 339.

JULII PAPÆ 3. — Anno Urbis 1090. *ſecundùm Baronium.*

CONSTANTII, CONSTANTINI ET CONSTANTIS 3.

I. *Conſules.*

COss. *Conſtantius Aug. II*, & *Conſtans Aug.* uterque juxta priorem Conſulatuum Cæſareorum regulam. Nam Conſulatum uno anno dilatum fuiſſe non ſemel contigit.

II. *Euſebiani Legatos ad Julium PP. mittunt.*

Baron. num. 1.

Ad num. I. Socrates lib. 2. cap. 11. exhibitis Antiocheni Concilii Actis de depoſitione Athanaſii ibidem decretâ ſubdit: *Euſebius verò, cùm quæcumque voluerat, perfeciſſet, Legationem miſit ad Julium Romanæ urbis Epiſcopum, rogans, ut cauſæ Athanaſii judex ipſe eſſe vellet, & cognitionem negotii ad ſe traheret.* Sed Valeſius in Notis ad illum locum & Schelſtratius in Diſſert. de ſacro Concilio Antiocheno cap. 2. rectè obſervarunt, hallucinatum eſſe Socratem, & non poſt Antiochenſe Concilium anno CCC XLI celebratum, ſed ante illud Euſebium Nicomedienſem Legatos miſiſſe ad Julium Papam, ut eum adverſus Athanaſium incitaret. Scripſit Julius primus poſt Synodum Antiochenam ad Euſebianos: *Nunc autem nos, quos certiores minimè fecerunt, poſtquam jam egerint quod libuit, ſuffragatores ſuæ damnationis, cui non interfuimus, eſſe volunt.* Quæ verba legens Socrates, exiſtimavit, poſt Antiochenam Synodum Legatos ab Euſebio miſſos ad Julium Papam, ut in cauſa Athanaſii judex eſſe vellet, & cognitionem rei illius ad ſe traheret; quod tamen nuſquam innuit Pontifex, qui ſolùm aſſeruit, ſeſe ab Euſebianis expoſtulatum fuiſſe damnationis ſuffragatorem, quod non miſſis Romam Legatis, ſed remiſſis *Julii* primi Presbyteris per literas ſpiritu ſchiſmatico conſcriptas extorquere conati erant. Meram Actorum ſubſcriptionem, non novum de cauſa *Athanaſii* judicium quærebant poſt Synodum Antiochenam Euſebiani: idque ne gratis fingi quiſquam exiſtimet, & Julium I, qui conqueritur in ſuis ad Euſebianos reſponſoriis, ipſos poſt Synodum Antiochenam noluiſſe ſuum in Concilio Romano retractari de Athanaſio judicium, conatos hoc ſchiſmaticum introducere principium, ut quidquid in Orientali Synodo judicatum erat, nequaquam ab Occidentalibus in alia Synodo examinandum eſſet: tantum abeſt, ut Euſebius, aut quis ex ſuæ factionis Epiſcopis poſt Antiochenum Concilium, *Julio* primo obtulerit novum de Athanaſio judicium.

III. *Judicium cauſæ Athanaſii Papæ oblatum.*

Conſonant ea, quæ habet Athanaſius in Apologia 2. *Quin & Euſebiani ad Julium literas miſere, &, ut nos terrerent, Synodum juſſerunt convocari, & ipſi Julio, ſi vellet, arbitrium cauſæ detulerunt. Cùm igitur Romam perveniſſemus, Julius continuò ad Euſebianos literas ſcripſit, miſſis eò duobus ex ſuis Presbyteris Elpidio & Philoxeno: illi verò, ubi noſtram Romæ præſentiam audiviſſent, plurimum conturbati ſunt, quòd contra ſpem eorum me Romam contuliſſem. Rejecto igitur itinere, futiles inaneſque tergiverſando cauſificationes commenti ſunt.* Quibus verbis orda

rerum geſtarum ab Athanaſio exhibetur. Ac primò quidem, Euſebianos ad Julium literas miſiſſe, quibus cauſam Athanaſii dicebant in Synodo Romana judicandam, Julio primo arbitrium rei deferentes. Secundò, id detuliſſe, antequam ipſe Athanaſius Romam adventaret. Tertiò, poſt adventum Athanaſii à Julio primo Legatos miſſos fuiſſe cum literis ad Euſebianos. Quartò, Euſebianos percipientes ex Julii primi Legatis, Athanaſium ſe Romam contuliſſe, turbatos fuiſſe, & rejecto itinere illas cauſificationes commentos eſſe, quæ omni Occidentis Eccleſiæ ſcandalo fuere. Ex quibus conficitur, & Synodum Antiochenam habitam non ante, ſed poſt delatum Julio primo judicium, & cauſam Athanaſii, non poſt, ſed ante Synodum Antiochenam ad Julium Papam fuiſſe delatam. Cùm enim, teſte Athanaſio, cauſa ſua per Euſebianorum Legatos oblata fuerit Julio primo ante ſuum in Urbem adventum, & Elpidii ac Philoxeni diſceſſum, Athanaſius verò Romam adventarit initio anni CCCXLI, & tum quoque Elpidius ac Philoxenus Româ diſceſſerint, debuit profectò Athanaſii cauſa Julio primo offerri ante Synodum Antiochenam, quæ initio anni CCCXLI celebrata eſt.

IV. *Poſt Synodũ Antiochenã Legati Romam non miſſi.*

Sed ad errorem vulgarem, qui ex Socratis teſtimonio ortum habuit, magis evertendum, audiendus inſuper Julius primus, cujus epiſtola reſponſoria vel ſola ſufficiens eſt ad illum convellendum. Scripta eſt, hæc epiſtola poſt coactam & abſolutam Antiochiæ Synodum, & fatetur in illa Pontifex, ſe nullam de Athanaſio ab Euſebianis epiſtolam accepiſſe, quam per Legatos ipſorum Macarium Preſbyterum, Martyrium & Heſychium Diaconos: *Cum non aliunde literas contra Athanaſium accepiſſem, quàm à Martyrio & Heſychio.* Nullos ergo Legatos Romam miſit Euſebius, quàm Macarium cum duobus ſociis, nec ullas ab Euſebianis literas accepit Julius, quàm per illos. At certum eſt, Euſebium hanc Legationem non miſiſſe Romam poſt Antiochenum Concilium, ſed longè antea; certum itaque, poſt Antiochenum Concilium factum non eſſe quod ſcribit de Legatione Socrates, & cum ipſo teſtati ſunt Auctores Actorum Pauli Conſtantinopolitani apud Photium cod. 257. & Excerptorum Vitæ Athanaſii cod. 258. apud eumdem Photium. Nam ſi poſt Antiochenum Concilium miſſa fuiſſet ab Euſebio Romam Legatio, fuiſſet utique cum illis literis, quas poſt cuncta ad libitum peracta Julio primo tranſmiſit. At tantum abeſt, ut Legatio aliqua tunc miſſa fuerit, ut Julius primus teſtetur, ſe illas literas recepiſſe per proprios Legatos Antiochiâ reduces: *Legi epiſtolam veſtram, quam mihi mei Preſbyteri Elpidius & Philoxenus attulerunt.* Addit Julius, ſperaſſe ſe, ſaltem aliquos ex Euſebianis superventuros fuiſſe, ſubjungitque: *Ceterùm ubi nullus veſtrûm ſupervenerat.* Quare nonniſi magno errore ſcripſit Socrates, poſt Synodum Antiochenam Legatos ab Euſebio miſſos, qui judicium cauſæ Julio primo offerrent.

V. *Quo anno Euſebiani Legatos miſerunt.*

Quo verò anno Legatio illa ab Euſebio Nicomedienſi ad Sedem Apoſtolicam miſſa fuerit, à nullo ex Antiquis proditum; eam tamen valde veroſimiliter hoc anno conſignavit Baronius. Cùm enim Athanaſius Treviris relictis circa finem anni CCCXXXVIII Alexandriam appulerit, Sedique ſuæ reſtitutus fuerit, Euſebiani, quibus reditus ille diſplicebat, adjutore Preſbytero Ariano aures Conſtantii præoccuparunt, & tum ad duos alios Imperatores Conſtantem & Conſtantinum literas miſerunt: *Jam denuo accuſatrices literas contra Athanaſium Imperatoribus porrexere,* uti habetur in Synodica Alexandrina anno CCCXL exarata. Et infrà: *Apud tres Auguſtos calumniari non verentur.* Ex quibus habemus, Euſebianos novas calumnias texuiſſe, & in Occidentem ea de re non ad Imperatores ſolùm, ſed & ad Pontificem quoque, (omnibus enim illis eodem tempore ſcripſerant) literas miſiſſe, cùm adhuc in vita eſſet Conſtantinus junior initio anni CCCXL occiſus, adeo ut Euſebiani medio tempore inter reditum Athanaſii, & mortem Conſtantini junioris Legationem ſuam miſerint, ideoque anno CCC XXXIX. Hæc omnia ex Schelſtratio loco citato exſcripta

VI. *Synodica Alexandrinorum in cauſa Athanaſii.*

Ratio autem cur epiſtola Synodica Alexandrinorum Epiſcoporum, quâ Athanaſium adverſus inimicos tuentur, anno tantùm ſequenti conſignanda ſit, petitur ex eo quòd in ea mentio ſit tranſlationis Euſebii à Sede Nicomedienſi ad Conſtantinopolitanam, ut animadvertit Valeſius in Obſervat. Eccleſiaſt. ad Socratem & Sozomenum cap. 5. Hæc Epiſcoporum Alexandrinorum verba: *Quamquam nihil ea re impeditus Euſebius, Athanaſii creationem vituperat: homo, qui ipſe prorſus Epiſcopus creatus non eſt, aut ſi unquam jus Epiſcopi habuit, id ipſum reſcidit, utpote qui principio Beryti pro Epiſcopo egerit, relictaque Beryto Nicomediam ſe tranſtulerit: illam quidem Cathedram præter legem deſtituens, iſtam verò nulla lege invadens: proprii gregis ſine ulla charitate deſertor; & alieni nulla rationabili cauſa occupator, prioris Epiſcopatus charitatem alieni cupiditate aſpernatus eſt. Nec tamen hunc ipſum Epiſcopatum, quem tanta aviditate occupaverat, reſervavit. Ecce enim jam quoque inde deſiliens, alienum Epiſcopatum denuo obtinet.* Baron. num. III & ſeqq. Ubi notanda ſunt verba Græca his ultimis Latinis reſpondentia: ἰδοὺ γὰρ κἀκεῖθεν ἀπελθὼν, ἀλλοτρίαν πάλιν κατέχει. Nam vocabulum illud ἰδοὺ, inquit Valeſius, tranſlationem hanc Euſebii à Nicomedia Conſtantinopolim, recèns admodum, & paulò antequam hæc ſcriberent, factam eſſe declarat. Quòd ſi hæc circularis epiſtola præſenti anno ab Ægypti Epiſcopis, ut cenſuit Baronius, ſcripta eſſet, Euſebii tranſlatio ad Sedem Conſtantinopolitanam, vel eodem, vel ſuperiori anno contigiſſet. Et tamen ea anno tantùm CCCXL facta, ut ipſe Baronius fatetur, qui ideo pugnantia inter ſe atque contraria hac in re loquitur, ut inquit Valeſius citatus. Malè itaque Binius & Labbeus in Collectione Conciliorum, & Papebrocius in Vita S. Athanaſii cap. 12. num. 134. Synodum Alexandrinam in cauſa Athanaſii præſenti anno illigarunt. Sulpicius Severus ait, huic Synodo Alexandrinæ octoginta Epiſcopos interfuiſſe; Athanaſius verò in Apologia 2. *Judicatum eſt ſecundùm nos non ſemel neque ite-*

rum, ſed ſæpius. Primùm quidem in noſtra Provincia, cùm ad id coiſſent propemodum centum Epiſcopi. Secundò Romæ, cùm Euſebius literas ſcripſiſſet, & tum ipſe cum ſuis, tum nos in judicium vocati eſſemus: congregatis illic quoque pluribus quàm quinquaginta Epiſcopis.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5833. ☉ 13 FE. ☽ 18. P. 30. MART.
INDICT. 13.
JESU CHRISTI 340.
JULII PAPÆ 4.
CONSTANTII ET CONSTANTIS 4.

I. *Conſules.* COSS. *Acyndus*, & *Proculus*.

II. *Athanaſius Romam à Julio PP. evocatus.* Baron. num. IV & V. Ad num. I & II. Valeſius in Obſervat. Eccleſiaſt. ad Socratem & Sozomenum lib. 1. & Schelſtratius in Diſſert. 1. de Sacro Antiocheno Concilio cap. 3. & 4. geſta hoc & ſequenti anno in cauſa Sancti Athanaſii egregiè explicant, & varios Annalium errores emendant; ex quibus ſequentia mutuati ſumus. Relatâ per Euſebianos cauſâ Athanaſii ad Sedem Apoſtolicam, ſuos quoque ad Julium primum Legatos tranſmiſerat Athanaſius, inter quos dum diu Romæ diſputatum fuiſſet, *Macarius* Preſbyter & *Heſychius*, *Martyriuſque* Diaconi ab Athanaſii Preſbyteris convicti, & refutati à Julio primo, Concilium indici poſtularant, *literaſque & ad Euſebianos, & Athanaſium Alexandriam, quibus convocarentur, mitti.* Nec dubitari poteſt, quin *Julius* Papa primus ad Athanaſium literas miſerit. Latent quidem illæ, nec conſtat per quos Legatos Alexandriam tranſmiſſæ fuerint. Citabatur tamen per eas *Athanaſius*, ut ad judicium Synodicum Romæ habendum occurreret. Præclarum hac de re teſtimonium habemus Julii Papæ in epiſtola ad Orientales, ubi dicitur: καὶ γὰρ οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ ἐλήλυθεν, ἀλλὰ κληθεὶς, καὶ λαβὼν γράμματα παρ' ἡμῶν, καθάπερ καὶ ὑμῖν ἐγράψαμεν. Quæ verba ex antiqua Nannii verſione ſic Baronius refert: *Neque ſponte, ſed literis noſtris ad judicium vocatus comparuiſſet, quemadmodum vos per literas citavimus.* Ex quibus concludi poſſet, Athanaſium non per literas, ſed ſponte ſua Romam adveniſſe. Verùm, verbum, ἐλήλυθε, verti debet, *comparuit*, ut rectè in editione Pariſienſi Græco-Latina Operum Divi Athanaſii anni 1627. legitur: *Neque enim ſponte, ſed literis noſtris ad judicium vocatus comparuit.* Hæc enim Græci textus propria verſio eſt: *Etenim non à ſe ipſo advenit, ſed vocatus, & literis à nobis acceptis, quemadmodum & vos citavimus.* Ex quibus conficitur, literas non ſolùm à Julio primo Alexandriam tranſmiſſas, ſed & ipſum Athanaſium illis acceptis Alexandriâ diſceſſiſſe, & Romam veniſſe.

III. *Quomodo Athanaſius dicatur Romam confugiſſe.* Verum eſt, plures Scriptores antiquos, nulla literarum à Sede Apoſtolica tranſmiſſarum mentione facta, tradidiſſe, quòd Athanaſius Romam confugerit: ſicque legi apud Hieronymum in epiſtola 16. ad Principiam: *Alexandrini Sacerdotes, Papa Athanaſius, & poſtea Petrus perſecutionem Arianæ hæreſeos declinantes, quaſi ad tutiſſimum communionis ſuæ portum, Romam confugerunt.* Et apud Bonifacium primum epiſtolâ inter Holſtenianas ordine decimâ: *Sanctæ memoriæ Athanaſius, & Petrus Alexandrinæ Sacerdotes Eccleſiæ, hujus Sedis auxilium poſtularunt.* Verum etiam eſt, ab aliis Scriptoribus aliam rationem adventûs Athanaſii adferri, ac ſcribere Sozomenum lib. 3. cap. 6. quòd peracto Antiocheno Concilio, & Gregorio Alexandrino cum militibus appropinquante, ut Sedem invaderet, Athanaſium fugâ evaſiſſe: *Tunc verò Athanaſius per mediam pſallentium turbam occultus evaſit, & Romam navigio delatus eſt.* Quod firmatur à Theodoreto lib. 2. cap. 4. *Athanaſius cognitis antè inſidiis ſeceſſit, & in Occidentis partes ſe contulit*; & à Celeſtino Papa in epiſtola ad Clerum & populum Conſtantinopolitanum parte 1. Epheſini Concilii: *Et ejectus illic, & in noſtris partibus tutatus eſt.* Sed ex his omnibus non ſequitur, Athanaſium à Julio Papa per literas non fuiſſe evocatum. Potuit enim Julius primus ad Euſebianorum inſtantiam præſenti anno literas Alexandriam mittere, quibus Athanaſium pro anno ſequente Romam evocaret, & Athanaſius Alexandriæ ſubſtitiſſe, donec cognitis Euſebianorum in Antiocheno Concilio inſidiis, quid ſecum agere vellent, percepiſſet, ac tum fugâ evaſiſſe, & Romam, ubi per literas Pontificias evocatus fuerat, perrexiſſe. Hoc enim modo non Hieronymi ſolùm aliorumque teſtimonia veritati conſonant, ſed & ipſius Julii teſtimonium, quod non modò Nicolaus I epiſtolâ 8. ad Michaëlem Imperatorem, auctoritate ſua confirmavit, ſed & Athanaſius aſſerere videtur Apologiâ 2. dum ſcribit: *Quin & Euſebiani ad Julium literas miſere, &, ut nos terrerent, Synodum juſſerunt convocari, & ipſi Julio, ſi vellet, arbitrium cauſæ detulerunt. Cùm igitur Romam perveniſſemus, Julius continuò ad Euſebianos literas ſcripſit, miſſis eò duobus ex ſuis Preſbyteris Elpidio & Philoxeno.* In his enim verbis hæc notanda: ἡμῶν τοίνυν ἀπελθόντων εἰς τὴν Ῥώμην, &c. *Cùm igitur Romam perveniſſem*, &c. Ac ſi diceret, primùm ſe per literas citatum fuiſſe ad inſtantiam Euſebianorum. Cùm igitur ipſe comparuiſſet, etiam Euſebianos per literas citari debuiſſe, prout reipſa citari fuerunt, miſſis in Orientem duobus Preſbyteris Elpidio & Philoxeno.

Secunda difficultas eſt, quandonam Julius Papa Preſbyteros ſuos Elpidium & Philoxenum in Orientem tranſmiſit, Euſebianos ad Synodum Romanam per literas Apoſtolicas, quam ſecum ferebant, evocaturos. IV. *Legati Julii PP. ad Euſebianos.* Baronius hanc Legationem currenti anno obitam, eodemque Athanaſium Romam adventaſſe, exiſtimavit. Baron. num. III. Verùm, nec Athanaſius Romam appulit ante annum ſequentem, poſt peractam Antiochenam Synodum, nec Elpidius & Philoxenus ad Euſebianos miſſi ſunt, niſi etiam anno ſequenti, poſtquam Athanaſius jam Romam adveniſſet. Theodoretus enim ait, Athanaſium cognitis inſidiis, quas Gregorius ipſi ſtruxerat, ſeceſſiſſe; cui conſonat ipſe Athanaſius in Epiſtola ad ſolitariam vitam agentes. Ibi enim narrat, perſecutionem ab Arianis motam nulla alia de cauſa, quàm ut Fideles *ad partes Arianorum, & Gregorium recipiendum, quem*

Imperator miſerat, compellerent. Athanaſius autem priuſquam iſta fierent, ſemel re cognita, Romam profectus eſt, non ignarus hæretici furoris. Julius verò Preſbyteros ſuos Elpidium & Philoxenum cum literis, ad Euſebianos miſit, certum diem definiens, ut aut præſentes ſe ſiſterent, aut cognoſcerent, ſe omnibus modis ſuſpectos haberi. Præclarum eſt hoc Athanaſii teſtimonium, ex quo habemus primò, perſecutionem illam Arianorum in Gregorii intruſione commiſſam, & ab Athanaſio fuiſſe prævíſam, ideoque antequam Gregorius inſtaret, & milites cum multitudine ex forenſi vulgo ad cædes parati adeſſent, priùs Athanaſium ſeceſſiſſe; id quod, inſidiis cognitis, feciſſe ſcripſit Theodoretus. Secundò, tunc Romam profectum ad Julium primum, quod præſenti anno fieri non potuit, quo Gregorius in Sedem Alexandrinam intruſus non eſt, utpote qui anno ſequenti, primùm ab Euſebianis Antiochiæ in Synodo adunatis creatus fuit pſeudo-Epiſcopus aut Patriarcha Alexandrinus, & poſtea primùm militari manu Alexandriam ad Sedem Athanaſii invadendam miſſus fuit. Tertiò, Athanaſio Romam adveniente, Elpidium & Philoxenum miſſos fuiſſe ad Euſebianos, id quod Athanaſius Apologiâ 2. loco ſuperiùs citato clariùs teſtatur: *Cùm igitur Romam perveniſſem, Julius continuò ad Euſebianos literas ſcripſit, miſſis eò duobus ex ſuis Preſbyteris Elpidio & Philoxeno.* Quartò, Elpidium & Philoxenum diſceſſiſſe, non hoc anno, ut putavit Baronius, neque ſequenti, *paulo antequam Synodus Antiochiæ congregaretur*, ut ſcribit Valeſius citatus cap. 2. ſed anno ſequenti jam duobus aut tribus menſibus tranſactis. Cùm enim Antiochiæ Synodus habita fuerit initio anni c c c x l i, & Gregorius ab Euſebianis ibidem congregatis Epiſcopus creatus ſit, & ex Antiocheno Conventu Alexandriam pervenire nequiverit, (uti nec Athanaſius ante Gregorii adventum Romam profectus ad Urbem venire potuit) niſi duo aut tres ad minimum menſes effluxerint; ita nec Elpidius & Philoxenus poſt adventum Athaſii Româ diſcedere potuerunt, niſi menſe Martio vel Aprili anni c c c x l i.

V. *Synodus Romana.*

Baronius exiſtimavit, Synodum Romanam in cauſa Athanaſii currenti anno inchoatam, ſequentique continuatam. Sed, ut ſuo loco demonſtrabimus, ea Synodus ad annum trecenteſimum quadrageſimum ſecundum pertinet.

VI. *Symbolum Fidei malè Athanaſio attributum.* Baron. num. xi & ſeqq.

Ad num. IV. Joannes Voſſius libello de tribus Symbolis Diſſert. 2. Queſnellus Diſſert. de variis Fidei libellis in antiquo Romanæ Eccleſiæ Codice contentis, Uſſerius, aliique tam ex Proteſtantibus, quàm ex Catholicis, *Symbolum*, quod vulgò dicitur *S. Athanaſii*, & quod incipit, *Quicumque vult ſalvus eſſe.* Sancto Athanaſio abjudicant, quia in antiquis & probatæ fidei Codicibus MSS. penè omnibus Operum S. Athanaſii hoc Symbolum deſideratur, & quia ſtylus ſermoniſque contextus nequaquam Græci hominis eſt, ſed Latini. Quòd ſi Divus Athanaſius Latinè ſcripſiſſet, vix fieri potuiſſet, ut ipſi Græciſmus aliquis non excideret, cùm nonniſi imperfectè linguam Latinam ſcire potuerit. Præterea, ſi Symbolum iſtud Athanaſii fuiſſet, illud laudaſſent Cyrillus Alexandrinus, Epheſina Synodus, Sanctus Leo, & Concilium Chalcedonenſe, dum contra Neſtorianam & Eutychianam hæreſim loquuntur. His adde Latinorum contra Græcos ſilentium poſt ſchiſma Photianum uſque ad Gregorii IX tempora, de proceſſione Spiritus ſancti diſcepantium. Si enim tunc pro certo creditum fuiſſet, iſtud Symbolum eſſe Athanaſii, illo uſi fuiſſent contra Græcos ſchiſmaticos Occidentales: quòd non leve pondus habuiſſet ob ſummam S. Athanaſii in utraque Eccleſia auctoritatem. Et tamen primi, quós hoc argumentum adhibuiſſe legimus, ſunt Apocriſarii Gregorii IX, poſtquam hæc controverſia duraſſet annis propè quingentis. Denique Scriptores omnes ante ſeptimum Eccleſiæ ſeculum, ante Auguſtodunenſem in Gallia Synodum ſub S. Leodegario Epiſcopo habitam anno d c l x x, de hoc Symbolo Athanaſiano ſilent. In eo verò Concilio hic Canon legitur: *Si quis Preſbyter, Diaconus, Subdiaconus vel Clericus Symbolum, quod Sancto inſpirante Spiritu Apoſtoli tradiderunt, & Fidem Sancti Athanaſii Præſulis irreprehenſibiliter non recenſuerit, ab Epiſcopo condemnetur.* Imò & jam ab anno d c x x x i i i aliqua ex iſto Symbolo deſcripta aliquibus videntur in ea Confeſſione Fidei, quæ edita eſt à Concilio Toletano quarto. Quare non dubium, quin multis ante Synodum illam Auguſtodunenſem annis compoſitum eſſet, & jam olim per totam Eccleſiam celebre evaſiſſet. Nunquam enim ſapientiſſimi Præſules id commiſiſſent, ut iſtam Fidei formulam omnium ordinum Clericis amplectendam & *irreprehenſibiliter*, ut aiunt, recenſendam Synodali edicto ſub condemnationis pœna præciperent, imò & illum è regione cum Symbolo Apoſtolico ponerent, niſi jam longo uſu recepta, approbata, & inter germanas magni Athanaſii lucubrationes numerata fuiſſet. Quare jam ante abhinc centum ferè annis Opus illud Athanaſio attributum fuerat.

VII. *Evertitur conjectura Baronii.*

Nec admittenda conjectura Baronii hoc Symbolum Athanaſio attribuentis, quòd ſcilicet illud à S. Athanaſio editum Romæ, & Julio Papæ oblatum, quòd neceſſe eſſet ipſum Catholicæ Fidei Profeſſionem palam edere, ut Romanæ Eccleſiæ communione frueretur: aliàs enim audiendus non fuiſſet qui reus advenerat, & multorum criminum ab Euſebianis accuſatus. Hæc enim conjectura hoc argumento evertitur, quòd S. Athanaſius de doctrina non fuerit apud eundem Pontificem accuſatus, (Euſebiani enim ejus inimici Nicænæ Fidei ſe aſſentiri ſimulabant) ſed quòd à Synodo damnatus, nec ab ea reſtitutus, Sedem contra Canones recepiſſet: quòd ejus Alexandriam reditus multarum cædium cauſa fuiſſet: quòd denique Ægypti & Libyæ viduis triticum eripuiſſet Conſtantini munificentiâ præberi ſolitum. Cùm itaque non hæreſeos, ſed aliorum criminum accuſaretur S. Athanaſius, & Julio Catholicíſque omnibus non ſolùm Fidei ejus integritas nota eſſet, non ſolùm perſpectum pro Nicæni Concilii defenſione ſtudium, ſed exploratum planè, ipſum in odium Fidei calumniis impetitum, & depoſitione ac exilio afflictum; incredibile eſt, quòd ab illo Fidei Profeſſionem,

quod

quod tamen Baronius vult, Julius Papa exegerit.

VIII.
Symbolum Vigilio Tapſenſi Epiſc. videtur attribuendum.

Symbolum iſtud aliqui Euſebio Vercellenſi tribuerunt, alii Athanaſio Sinaitæ, alii Anonymo Theologo Gallo, qui Pipini vel Caroli Magni temporibus floruit, occaſionem præbente controverſia de proceſſione Spiritus Sancti in Gallicis Synodis tunc agitata. Sed ſtandum videtur conjecturæ *Queſnelli* illud Vigilio Tapſenſi in Africa Epiſcopo tribuentis, qui ſub finem quinti ſeculi floruit, quique acerrimus Catholicæ Fidei defenſor fuit. Præterea vivebat Vigilius in Africana regione, in qua Vandali Ariana peſte infecti Catholicos omnes dira perſecutione vexabant, ita ut de Catholica Fide vel verbum proferre crimini verteretur. Eo etiam vivebat tempore, quo Neſtoriana & Eutychiana hæreſes maximos in dies progreſſus agebant, præſertim per Orientales Eccleſias, ad quas fugere compulſus eſt Vigilius ab impio Vandalorum Rege extorris factus. Denique, quod magnopere penſandum eſt hac in diſpoſitione, admodum familiare fuit Vigilio, ut ſi quæ ſcriberet Opuſcula ſæviente perſecutione, ea non ſuo, ſed ſub antiquorum Patrum vel Auctorum perſona in publicum emitteret, præſertimque ſub nomine S. Athanaſii. Sic Dialogus adverſus Arianos, Sabellianos, Photinianos, vel ipſo Vigilio in præfatione hujus Dialogi fatente, ab ipſo ſub nomine Athanaſii contra Arium, Sabellium & Photinum coram judice Probo diſputantis compoſitus eſt; ex quo maximum pondus Queſnelli conjecturæ accedit. Addit Vir doctiſſimus in Addendis in duobus Operum S. Leonis voluminibus pag. 913. ſe abſoluta ſua Diſſertatione inveniſſe Codicem Thuaneum, in quo Dialogus Vigilii Tapſenſis adverſus Arianos, Sabellianos & Photinianos legitur ſub hoc titulo: *Incipit altercatio Athanaſii cum hæreſibus.* Poſt hunc Tractatum ait, haberi Symbolum Nicænum & Formulam Fidei Ariminenſis Concilii, quam proximè ſequitur Symbolum Athanaſii cum hac epigraphe: *Fides dicta à Sancto Athanaſio Epiſcopo.* Sic enim primitus inſcriptam fuiſſe hanc Fidei Profeſſionem, conſtat ex canone Auguſtodunenſis Synodi ſuprà laudato, ex verſionibus Græcis, & ex MS. Caſſinenſis Monaſterii Breviario ſexcentorum ferme annorum. Porro eidem conjecturæ de Auctore hujus Symboli *Vigilio* non parum ſuffragatur, quòd in antiquiſſimo Codice illigatum reperiatur Opuſculo, cui nomen Athanaſii pariter præfixum legitur: ſed quòd *Vigilii Tapſenſis* ſit, indubitatum habetur ipſius Vigilii teſtimonio; ſiquidem lib. 5. adverſus Eutychen num. 2. hæc ſcribit: *De Conciliorum diverſis ſanctionibus, & nominum religioſè additis novitatibus pleniſſimè in iis libris, quos adverſus Sabellium, Photinum & Arium ſub nomine Athanaſii, tanquam ſi præſentes cum præſentibus agerent.* (ubi etiam Cognitoris perſona videtur inducta) *conſcripſimus, à nobis fuit expreſſum.* &c. Hæc Vigilius. Sed hac de re plura apud Queſnellum laudatum. Bona Cardinalis in lib. de Divina Pſalmodia, ubi Baronii opinionem tuetur, obſervat, Athanaſii Symbolum & à Carthuſianis & ab Ambroſianis quotidie recitari.

IX.
S. Alexandri Epiſcop. Cpolitani obitus.

Ad num. V. Sancti *Alexandri* Epiſcopi Conſtantinopolitani obitus accuratè à Baronio conſignatus. Sedit enim is annos XXIII, ut teſtantur Socrates, Sozomenus, Theophanes, uterque Nicephorus & Zonaras. Eum Principatu Conſtantii Auguſti Paulus excepit. Valeſius tamen in Obſervat. Eccleſiaſt. ad Socratem & Sozomenum lib. 2. Paulum Conſtantino Maximo regnante Epiſcopum jam tum fuiſſe, duobus certiſſimis argumentis evincere ſe putat. Primò enim, inquit, Athanaſius in epiſtola ad Solitarios non procul ab initio, ubi Pauli exilia recenſet, ait, illum à *Conſtantino* primùm relegatum fuiſſe in *Pontum.* Deinde in epiſtola Synodica Orientalium apud Serdicam Epiſcoporum, quam refert Hilarius in Fragmentis libri de Synodis, diſertè ſcribitur, Paulum in Synodo Tyri unà cum reliquis Epiſcopis ſubſcripſiſſe depoſitioni Athanaſii. Jam tum ergo erat Epiſcopus, cùm Synodus Tyri congregata eſt, quam anno Chriſti CCCXXXV habitam eſſe conſtat, biennio ante obitum Conſtantini. Verba epiſtolæ Synodicæ ſic habent: *Paulus verò depoſitioni Athanaſii interfuit, manuque propria ſententiam ſcribens, cum ceteris eum etiam ipſe damnavit.* Scio quid reſpondeat Blondellus in libro de Primatu Papæ in Eccleſia. Ait enim, utrumque teſtimonium, tam Athanaſii, quàm Orientalium apud Serdicam Epiſcoporum, de Paulo adhuc Presbytero intelligi debere. Verùm hæc reſponſio meo quidem judicio inepta eſt & futilis. Nam ſi Paulus adhuc Presbyter interfuit Synodo Tyrenſi, eique ſubſcripſit, vice Epiſcopi ſui Alexandri id illum feciſſe oportet. Quod ſi ita eſt, non ipſe Paulus Athanaſium damnaſſe dicendus eſt; ſed potiùs Alexander, cujus vices agebat Paulus. Quis verò id credat de Alexandro Conſtantinopolitano Epiſcopo, eum condemnationi Athanaſii ſubſcripſiſſe? Cùm igitur Paulus ipſe unà cum reliquis Epiſcopis, qui in Synodo Tyri convenerant, Athanaſium damnaſſe dicatur, neceſſariò colligitur, illum jam tum Epiſcopum fuiſſe. Ita Valeſius citatus cap. 1. Verùm Blondelli reſponſio minimè vana & futilis: neque enim ex ea ſequitur, Alexandrum Athanaſii condemnationi ſubſcripſiſſe. Paulus quippe in eo Conciliabulo in fraudem inductus ab illis, qui Fidem in Nicæna Synodo ſtabilitam rejiciebant. Certè Sozomenus lib. 3. cap. 3. de Paulo ait: *Ad varios fortunæ caſus & ad colloquendum cum potentioribus, non rectè comparatum illum fuiſſe, res ipſa teſtantur. Nullas enim adverſariorum inſidias diſcuſſit, perinde ac facere ſolent ii, qui in hujuſmodi rebus ſolertes ſunt.* Reſponderi etiam poteſt, hanc illi calumniam à Macedonianis intentatam fuiſſe: ait enim ibidem Sozomenus: *Pia ac religioſa vita teſtimonium tribuunt Macedonio, Paulum contrà delitiis ac ſolutiori vita indulſiſſe calumniantur.* Non itaque magis credendum eſt Epiſcopis Sardicenſibus, quando ſcribunt, Paulum Athanaſii condemnationi ſubſcripſiſſe, quàm cùm affirmant, Athanaſium, adductis Gentilium populis, Dei templum incendiſſe, altare comminuiſſe & Alexandrinorum Baſilicas deprædatum eſſe: aut quando de Paulo aiunt, conſecratum Domini corpus palam publicéque profanaſſe, & virgines Deo dicatas publicè in foro, concurrentibus populis, horrenda fædi-

Baron. n. xv.

tate nudaſſe. Quare non videtur dubitandum, quin illa Athanaſii à Paulo damnatio, mera ſit Macedonianorum, aut Arianorum calumnia.

X. *Exilium Pauli Cpolitani adhuc Preſbyteri.* Baron. n. XIX.

» Subjungit Valeſius: Quod ſpectat ad locum
» Athanaſii, is de Paulo adhuc Preſbytero in-
» telligi nullo modo poteſt. Etenim in dicta
» ad Solitarios epiſtola Athanaſius omnes ab
» initio recenſet Epiſcopos Orthodoxos, quos
» Ariani è ſuis ſedibus expulerant. Ac primo
» quidem loco nominat Euſtathium Antioche-
» num, deinde Eutropium, Euphrationem,
» Cymathium, Aſclepam, Cyrum, Diodorum,
» Domnionem, Hellanicum, Marcellum. Po-
» ſtremò de Paulo ita ſcribit: *De Paulo verò*
» *Conſtantinopolitano Epiſcopo nemini arbitror*
» *ignotum eſſe. Quantò enim clarior civitas,*
» *tantò minus factum celari poterit. Etiam huic*
» *quoque crimen objectum eſt. Idque falſum*
» *fuiſſe, vel inde colligas, quòd qui illum reum*
» *fecit Macedonius, qui nunc illius loco Epi-*
» *ſcopus eſt ordinatus, nobis in ea accuſatione*
» *præſentibus, cum reo ſuo, cujus Preſbyter e-*
» *rat, communicavit. Sed quoniam Euſebius*
» *illuc oculos cupiditatis adjecerat, Epiſcopa-*
» *tum illius urbis rapere feſtinans, (eodem e-*
» *nim modo à Beryto tranſiit Nicomediam)*
» *manſit nihilominus criminatio adverſus Pau-*
» *lum. Nec ab inſidiis deſtiterunt, ſed perſe-*
» *verarunt in calumniando. Et primùm quidem*
» *in Pontum à Conſtantino relegatus eſt, poſt-*
» *ea à Conſtantino ferro vinctus in Singara Me-*
» *ſopotamiæ deportatus eſt, rurſum inde in E-*
» *meſam, atque ex Emeſa quartò in Cucuſum*
» *Cappadociæ circa deſerta Tauri abreptus eſt,*
» *quo in loco, ut ab illis renuntiatum eſt, qui cum*
» *illo fuere, laqueo per Euſebianos ſtrangulatus*
» *vitam finivit.* Porro ſubjungit Valeſius: Ex
» hoc loco manifeſtè colligitur, *Paulum* jam
» tum Epiſcopum fuiſſe, cùm à Macedonio ac-
» cuſatus eſt impulſu Nicomedienſis Euſebii.
» Id autem factum eſſe regnante adhuc Con-
» ſtantino Maximo, docet ipſe Athanaſius, cùm
» ait, ſe tum præſentem fuiſſe Conſtantinopoli.
» Atqui Athanaſius nonniſi poſt Synodum Tyri
» venit Conſtantinopolim, cùm ſe factione ini-
» micorum in Concilio illo opprimi videret. Nec
» poſt id temporis Conſtantinopolim venit, Eu-
» ſebio Nicomedienſi ſuperſtite. Adde quòd
» Athanaſius disertè ſcribit, Macedonium, qui
» *Paulum* accuſabat, eo ipſo tempore cum *Pau-*
» *lo* communicaſſe, & ſub illo fuiſſe Preſbyte-
» rum. Si *Macedonius* Preſbyter ſub Paulo tum
» erat, Paulus tum Epiſcopus fuerit neceſſe eſt.
» Ac proinde veriſſimum eſt quod dixi, Pau-
» lum Conſtantini Magni temporibus Epiſco-
» pum fuiſſe urbis Conſtantinopolitanæ. Ita

Valeſius. Verùm Athanaſius omnes Pauli perſecutiones enumerat, ſive quas ante Epiſcopatum, ſive quas poſt illum adeptum paſſus eſt, aitque, eum, dum adhuc Preſbyter eſſet, à Conſtantino in Pontum relegatum, poſt Concilium nempe Antiochenum, quo tempore Euſtathius Antiochenus Epiſcopus multique cum eo Preſbyteri in exilium miſſi, ut paulò antea ſcripſerat Athanaſius loco laudato, ubi de Euſtathio loquens & de ficta calumnia, quâ accuſatus eſt, inquit: *Nec mora, in exilium ejicitur, & cum eo ingens turba Preſbyterorum & Diaconorum.* Inter quos Preſbyteros Paulum fuiſſe, ſequentia Athanaſii verba manifeſtum faciunt: *Et primùm quidem à Conſtantino in Pontum relegatus eſt*, circa annum nempe trecenteſimum viceſimum octavum, quo Synodus Antiochena celebrata.

XI. *Athanaſius ſedente Paulo Cpolim venit.*

Ceterùm, verum quidem eſt, Athanaſium anno CCCXXXV poſt Synodum Tyriam Conſtantinopolim veniſſe. Sed à quo Auctore accepit Valeſius, illum nunquam deinceps in eamdem urbem rediiſſe? Argumento negativo tantùm innititur, quod in errorem inducere ſolet, ſi alia deſint. Ex laudato itaque Athanaſii loco intelligimus, Athanaſium currenti anno poſt Alexandri Conſtantinopolitani Epiſcopi mortem Conſtantinopolim veniſſe: poſt eam enim ibidem orta ſeditio propter Pauli ordinationem, & *plebs in duas partes diviſa, palam ad opinionum contentiones, & ad pugnam uſque prorupit. Et Arianis quidem ſtudium fuit, ut Macedonius ordinaretur: Homouſiani contrà operam dabant, ut Paulus crearetur Epiſcopus: idque tandem prævaluit*, inquit Sozomenus in lib. 3. cap. 4. Athanaſius Eccleſiæ ab Arianis defendendæ totus intentus inter illos tumultus, ut ex citatis ejus verbis colligo, Conſtantinopolim advolavit, ſive proprio motu, ſive ab Orthodoxis vocatus, eoque Conſtantinopoli præſente, *Macedonius* Paulum jam Epiſcopum ordinatum, de crimine, neſcio quo, accuſavit: quod certè leve fuiſſe oportet, cùm pendente accuſatione cum reo communicaverit accuſator. Factum id autem currenti anno, cùm ſequenti Athanaſius Romam navigarit, & initio anni CCCXLII Paulus è Sede Cpolitana dejectus ſit, Athanaſio in Occidente agente. Porro verbis, quibus Athanaſius utitur, ſe cum Paulo & *Macedonio* ſacrificio interfuiſſe deſignat, juxta id quod ſuo loco diximus, Patriarchas nempe, ſi fortè in unum conveniſſent, Miſſarum ſolemnia ſimul celebraſſe. Interim Euſebius Nicomedienſis, qui ad Sedem Conſtantinopolitanam oculos cupiditatis adjecerat, eâ ſimilibuſque calumniis Paulum ſede pellendum curavit. Nam, cùm Conſtantinus Imperator hoc anno in urbem venit, Synodum convocari præcepit, & *Paulum quidem Eccleſiâ expulit: Euſebio verò Nicomediæ Epiſcopo Sedem Conſtantinopolitanam tradidit*, inquit Sozomenus lib. 3. cap. 4. cui ſuffragatur Socrates lib. 2. cap. 7. Dum hæc fierent, Alexandrini, audita Euſebii ex urbe Nicomedienſi ad Sedem Conſtantinopolitanam tranſlatione, Synodum celebrarunt, & egregiam illam Synodicam, quam Baronius anno præcedenti perperam collocat, ſcripſerunt, in qua cùm dicunt, Euſebianos veritos non eſſe Athanaſium *apud tres Auguſtos* calumniari, ſatis indicant, ſe Conſtantini junioris cædem in Occidente hoc anno patratam ignoraſſe, cùm eam Synodicam ediderunt.

XII. *Arius in Synodo Hieroſolymitana admiſſus.*

Erravit itaque Valeſius, qui *Alexandrum* Epiſcopum Conſtantinopolitanum ante Synodum Tyriam demortuum voluit. Cùm enim conſtet, *Arium* in communionem receptum in Synodo Hieroſolymitana, quæ paulò poſt Synodum Tyri congregata eſt, vel potiùs ab urbe Tyro tranſlata eſt Hieroſolyma anno Chriſti CCCXXXV, *Alexander* Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſuperſtes etiam tum fuerit neceſſe eſt. Quippe Alexander aliquantò

poſt *Arium* ex hac luce migravit. Hic enim eſt Alexander, qui ſuis precibus à Deo id impetravit, ut Arius, quem Euſebiani poſtridie in Eccleſiam introducturos ſe eſſe minabantur, ſpe ſua fruſtratus, fœdiſſimo mortis genere extingueretur, ut teſtatur Athanaſius tum in epiſtola ad Serapionem *de morte Arii*, tum in circulari epiſtola ad Epiſcopos Ægypti & Lybiæ, quæ vulgò inſcribitur *Oratio prima adverſus Arianos*. Ex quo conficitur, Alexandrum anno Chriſti CCCXXXVI adhuc Epiſcopatum Conſtantinopolitanum adminiſtraſſe, ac proinde falſum eſſe quod ſcripſit Valeſius, Paulum Conſtantinopolitanum Epiſcopum in Concilio Tyri habito adverſus Athanaſium ſubſcripſiſſe. Nec ſatisfacit Vir doctiſſimus, quando dicit, non Arium ipſum, ſed Arianos, id eſt, *Arii* aſſeclas, Presbyteros ſcilicet & Diaconos civitatis Alexandrinæ, qui Arium ſecuti fuerant, in illa Synodo admiſſos eſſe in communionem. Nam Athanaſius de ipſo *Ario* loquitur in lib. de Synodis, poſtquam epiſtolam Synodicam Concilii Hieroſolymitani retulit, quæ data eſt ad Presbyteros & Diaconos Eccleſiæ Alexandrinæ: ſtatim enim ſubjungit, ſtatutum fuiſſe ab illis Epiſcopis, *Arium* ſectatoreſque ejus ſuſcipiendos eſſe.

XIII. *In Synodica Hieroſolym. mentio eſt Arii.* Imò in ipſa Synodali epiſtola de rebus in Synodo Hieroſolymit. geſtis, relata ab Athanaſio in libro de Synodis pag. 890. & in Apologia ſecunda adverſus Arianos, mentio eſt *Arii* Hæreſiarchæ; aiunt enim Patres in illa Synodica: *Auctor fuit* (ſc. Conſtantinus) *ut ſimplici & placido animo reciperemus Arianos, quos aliquandiu improba invidentia extra Eccleſiam detinuit, & viris iſtis de rectitudine Fidei in literis ſuis teſtimonium prabet, quam cùm antea audiverat, ipſe eandem ex viva eorum voce cognovit, cognitamque approbavit; eamque rem nobis manifeſtam reddidit, eò quod literis ſuis orthodoxas eorum virorum opiniones ſcripto comprehenſas ſubjunxerit, quas omnes agnovimus ſanas & Eccleſiaſticas eſſe.* Intelligunt Patres Hieroſolymitani, libellum illum Fidei, quem Arius & Euzoius Conſtantino obtulerant, quem Socrates lib. 1. cap. 26. & Sozomenus lib. 2. cap. 27. recitant. Hic enim ſubdit: *Eos miſit* (ſc. Conſtantinus) *ad Epiſcopos qui tum temporis Hieroſolymis erant congregati: ſcribitque, ut Fidem ab illis expoſitam examinarent*, &c. videlicet libellum illum Fidei ſibi ab Ario & Euzoio porrectum, ut ipſemet Valeſius fatetur in Notis ad illum Sozomeni locum. Quare, cùm in epiſtola Synodica Concilii Hieroſolymitani disertè memorent Patres libellum Fidei ab Ario & Euzoio Concilio oblatum, immeritò dicit Valeſius, in eo non Arium, ſed Arianos in communionem admiſſos eſſe. Ipſemet Athanaſius poſt relatam hanc Synodicam in libro de Synodis de Euſebianis ait: *Et quamquam omnem Arii dementiam in hac Synodo laudaſſent, & in communionem eos recipiendos eſſe ſtatuiſſent, idque jam pridem reipſa praſtitiſſent, tamen Antiochia novam Synodum* per cauſam Encæniorum coëgerunt. Sed in Synodo Hieroſolymitana de ipſomet Ario in ſpeciali actum eſſe, mox magis videbitur. Denique Socrates lib. 2. cap. 10. refert epiſtolam Arianorum de Fide ab illis editam in Concilio Antiocheno ad Encænia, in qua aiunt: *Nos nec Arii ſectatores unquam fuimus. Nec aliam ullam Fidem, quàm qua ab initio edita eſt, amplexi ſumus. Sed ad Fidem illius probandam atque examinandam judices conſtituti, ſuſcepimus illum potiùs, quàm ſecuti ſumus.* Quæ verba Valeſius in Notis de alio Ario, quàm de Hæreſiarcha, ac de alia Synodo, quàm Hieroſolymitana interpretanda eſſe, eo unico fundamento, quòd Hæreſiarcha ante hanc Synodum interiiſſet, immeritò contendit.

Ait denique Valeſius: *Athanaſius in epiſtola ad Serapionem teſtatur, ſe conſultum fuiſſe à Serapione de quadam quaſtione, qua in Ægypto exorta fuerat, utrum Arius in communione & pace Eccleſia diem extremum obiiſſet. Negat id Athanaſius in dicta epiſtola. Quòd ſi Arius ab Hieroſolymitano Concilio ad pacem & communionem Eccleſia admiſſus fuiſſet, nunquam profectò id negaſſet Athanaſius, nec Serapion id ignorare potuiſſet. Neque enim obſcura fuit fama Synodi Hieroſolymitana, ſed longè omnium celeberrima, & cum Nicana Synodo comparanda, ſi Euſebio credimus: quippe qua ex omnibus Romani Imperii Provinciis ad dedicationem Regalis Baſilica à Principe eſſet congregata. Poſtremò Athanaſius in dicta ad Serapionem epiſtola, mortem Arii commemorans, ait, ſe quidem tunc temporis non adfuiſſe Conſtantinopoli, cùm Arius è vivis ſublatus eſt, ſed Macarium Presbyterum, qui illic aderat, cuncta ad ipſum ſcripſiſſe. Atqui Macarius Presbyter Athanaſii fuit in urbe Conſtantinopolitana eo tempore, quo Euſebiani conjuratione facta cum Meletianis adverſus Athanaſium, de linea veſtis Canone eum apud Conſtantinum Imperatorem accuſarunt. Teſtatur hoc Athanaſius in Apologia 2. adverſus Arianos pag. 778. & poſt eum Socrates in lib. 2. Hiſt. Eccleſiaſt. Nec poſt id temporis Macarium Alexandrinum Presbyterum Conſtantinopolim veniſſe legimus.* Ita Valeſius. XIV. *Arius extra communionē Eccleſiæ obiit.* Verùm, non negat Athanaſius, Arium à Hieroſolymitano Concilio ad communionem Eccleſiæ admiſſum eſſe, neque id etiam Serapio ab eo petit, ſed hæc ejus quæſtio eſt, *An communione celebrata cum Eccleſia, diem ſuum obierit Arius*; quod ſolum negat Athanaſius, non verò quòd antea à Hieroſolymitano Concilio receptus fuiſſet: quæ contraria inter ſe non ſunt; Arius enim ad vomitum redierat. Quoad *Macarium*, non tantùm Conſtantinopoli fuit tempore à Valeſio memorato; ſed etiam anno CCCXXXVI, quo Arius interiit. Athanaſius enim in epiſtola ad Serapionem ſcribit, Alexandrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, cùm audiret, Arium invitò ſe introducendum fore in Eccleſiam, pronum in vultum cecidiſſe, humique jacentem oraſſe: *Aderat enim*, ſubdit, *cum eo Macarius ſocius orationis, qui ejus verba excepit.* Verum eſt, Valeſium inde inferre velle, Arium eo anno demortuum, quo Euſebiani Athanaſium de lineæ veſtis Canone accuſarunt, quo anno Macarium Conſtantinopoli fuiſſe, certum: ideoque Arii mortem ante annum CCCXXX contigiſſe. Sed mox oſtendimus, quàm facilè in errorem inducantur, qui argumento negativo nimiùm fidunt,

XV.
De Ario Hæreſiarcha, nō de alio Ario agitur in Synodo Hieroſolymitana.

Valeſius poſtquam libros Obſervationum Eccleſiaſticarum in Socratem & Sozomenum compoſuit, utrumque Auctorem Notis illuſtravit, & ad librum 1. Socratis cap. 33. ubi hic Hiſtoricus ait: *Statim relictâ Tyro Hieroſolymam profecti ſunt, ubi cùm ſolenne feſtum ob dedicationem locorum celebraſſent, Arium quidem unà cum ſociis in communionem recipiunt, obtemperare ſe dicentes Imperatoris literis, quibus certiores ipſos fecerat, Fidem ſe Arii & Euzoii penitus perſpectam habere.* Valeſius, inquam, ſcribit, ſe id intelligendum putare, non de Ario illo Hæreſiarcha, ſed de altero Ario ei cognomine, qui ab Alexandro Alexandriæ Epiſcopo, unà cum Ario ſignifero ſuo damnatus fuerat. *Arius enim Hæreſiarches*, inquit Valeſius, *ante Synodum Hieroſolymitanam è vivis exceſſerat, ut certiſſimis argumentis probavi in lib. 2. Obſervationum Eccleſiaſticarum cap. 2. Proinde Arius ille, qui unà cum Euzoio libellum Fidei ſuæ obtulit Conſtantino, alius eſt ab Ario Hæreſiarcha.* Ita Valeſius. Verùm, cùm ex Athanaſio in libro de Synodis poſt relatam Synodicam Hieroſolymitanam, conſtet, Arium, de quo in Concilio Hieroſolymitano actum, anno trecenteſimo triceſimo ſexto, quo Athanaſius in exilium miſſus, in vivis fuiſſe, conjectura Valeſii non admittenda. Hæc Athanaſii verba: *Quia poſt Athanaſii Alexandriæ Epiſcopi exilium ſcribebant, Arium cum ſuis recipiendum eſſe, ſatis indicarunt,* (nempe Patres Concilii Hieroſolymitani) *ſeſe non alia de cauſa, Athanaſio, ceteriſque Epiſcopis, quos ſibi refragatores ſentiebant, inſidias ſtruxiſſe, quàm ut Arium reducerent, & hæreſim introducerent.* Quis ſibi perſuaſerit, Athanaſium, qui nullibi duos Arios memorat, eo in loco de alio Ario, quàm de Hæreſiarcha ſermonem habere? Quem cùm poſt ſuum exilium adhuc vixiſſe tradat, manifeſtum eſt, Valeſium ſummopere hallucinatum, quando Arium Hæreſiarcham ante Concilium Tyrium mortuum arbitratur. Ceterùm ipſo Arianæ hæreſis initio duos Hæreticos cognomines fuiſſe teſtatur Severus Sulpicius, qui lib. 2. Hiſt. de exilio S. Athanaſii locuturus ait: *Etenim duobus Ariis acerrimis perfidiæ hujus auctoribus, Imperator etiam depravatur.* Utriuſque Arii etiam meminere Epiphanius hæreſi 69. Socrates lib. 1. cap. 6. Sozomenus lib. 1. cap. 15. & Theodoretus lib. 1. cap. 4.

XVI.
Arius & Euzoius Concilio Hieroſolymitano libellum offerunt.

Hoc ſecundum Valeſii argumentum: *Hic Arius*, inquit, *qui cum Euzoio libellum obtulit Conſtantino, ante Synodum Hieroſolymitanam, id eſt, ante annum Chriſti CCCXXXV, nondum reſtitutus fuerat, nec Eccleſiæ Catholicæ ſociatus. Petit enim à Principe in ſupradicto libello, ut per ejus pietatem, ſublatis cunctis altercationibus, uniatur Eccleſiæ Catholicæ. Atqui Arius Hæreſiarches diu antea revocatus ab exilio, & ad communionem admiſſus fuerat, ut teſtatur libellus ſatisfactionis Euſebii ac Theognii. Ibi enim Euſebius ac Theognius diſertè ſcribunt, ipſum auctorem totius controverſiæ, Arium videlicet, data ſatisfactione, in integrum reſtitutum eſſe. Euſebius porro ac Theognius eum libellum miſerunt Epiſcopis anno Chriſti CCCXXVIII. Arius igitur Hæreſiarches ejuſdem anni exordio revocatus fuerit neceſſe eſt.* Hæc Valeſius. Sed ſi varios Arii lapſus diſtinguamus, hunc circa annum CCCXXVIII in communionem admiſſum fuiſſe, rurſumque, cùm à via veritatis iterum receſſiſſet, à Concilio Hieroſolymitano Eccleſiæ Catholicæ ſociatum eſſe comperiemus. Nec contrarius eſt huic multiplici Arii in communionem ſuſceptioni, libellus ab Ario & Euzoio, Conſtantino & Synodo Hieroſolymitanæ anno CCCXXXV oblatus. Nam in eo uterque Hæreticus non ſimpliciter petunt in Eccleſia recipi, ſed *ſublatis quæſtionibus ac diſputationibus ſuperfluis,* ut in eorum libello legitur, Eccleſiæ uniri. Quibus ex verbis colligere eſt, Arii Fidem, cùm circa annum CCCXXVIII in ſinum Eccleſiæ rediit, ambiguam exiſtimatam, in eamque inquiſitum eſſe. Quod ne iterum fiat in Concilio Hieroſolymitano, Arius & ſocius ejus orant. Pro certo itaque tenendum, Hæreſiarchen ad annum trecenteſimum triceſimum ſextum perveniſſe, ac Sanctum Alexandrum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, qui eidem ſupervixit, poſt illum annum mortuum eſſe, & Paulum hoc anno eidem ſucceſſiſſe.

XVII.
Paulus Epiſcopatu depoſitus, ſed non relegatus.

Exiſtimavit Baronius, *Paulum*, poſtquam hoc anno Epiſcopus creatus eſt, agentibus Euſebianis, in Pontum relegatum fuiſſe, quod Athanaſium in epiſtola ad Solitarios tradere arbitratur. Verùm Athanaſii locum hoc anno num. X integrum retulimus, oſtendimuſque, primum illud exilium non à Conſtantio, ſed à Conſtantino Magno Paulo irrogatum fuiſſe, idque poſt Concilium Antiochenum, eoque tempore, quo *Paulus* adhuc Preſbyter erat. Hoc verò anno *Paulus* Epiſcopatu quidem dejectus, ſed in exilium non miſſus. Socrates enim lib. 2. cap. 7. de Pauli ordinatione loquens ait: *Imperator verò non multò pòſt Conſtantinopolim ingreſſus, ob illius ordinationem graviſſimâ exarſit irâ. Collectoque Arianorum Antiſtitum Concilio, Paulo quidem Epiſcopatum ademit: Euſebium verò ab urbe Nicomedia tranſlatum, Conſtantinopoleos Epiſcopum deſignavit*, ubi Paulum depoſitum, non etiam relegatum dicit. Valeſius in Obſervat. Eccleſiaſt. ad Socratem & Sozomenum lib. 2. cap. 4. arbitratur, cùm *Paulus* liberam tunc haberet vagandi facultatem, conjunxiſſe ſe cum Aſclepa, Lucio atque Marcello, quos vixdum reſtitutos, iterum Ariani ſuis civitatibus atque Eccleſiis expulerant: his junctum Paulum plurimas urbes ac Provincias Occidentalis Imperii peragraſſe, ſuffragium ac ſubſidium Epiſcoporum ubique exquirentem, ut in Sedem ſuam reſtitueretur. Quod docet epiſtola Synodica Orientalium apud Serdicam Epiſcoporum, his verbis: *Deinde Paulo & Lucio, & quotquot talibus conjuncti ſunt, circumeuntes ſimul extra regiones, perſuadebant Judicibus, non eſſe credendum illis, qui in eos dignè ſententiam protulerunt.* De Marcello loquuntur, Aſclepa & Athanaſio. Quòd ſi verum eſt, Paulum aliquando Romam veniſſe, hoc tempore id contigiſſe oportet, cùm alio non potuerit. Primus ex Occidentalibus Epiſcopis *Maximinus* Trevirorum Epiſcopus Paulum in communionem recepit, ut teſtantur Orientales apud Serdicam Epiſcopi in Synodica, in qua de eodem

Maximino aiunt: *Paulo Cpolitano nefario homini ac perdito primus ipſe communicavit.*

XVIII. *Synodus Antiochena Conſtantino M. imperāte coacta.* Baron. num. XX & ſeqq. Ad num. VI & VII. Synodus Antiochena, in qua Euſebiani Euſtathium Antiochiæ Epiſcopum in exilium ab Imperatore pelli curarunt, non Conſtantio, ſed Conſtantino Magno imperante, celebrata, ut ſuo loco demonſtravi; idque manifeſte docet Athanaſius in epiſtola ad ſolitariam vitam agentes, pag. 212. ubi locuturus de Epiſcopis, quos Euſebiani perſecuti ſunt, initium ducit ab Euſtathio, quem cum ingenti turba *Preſbyterorum & Diaconorum* in exilium ejectum dicit. Quare Synodus illa ante Tyriam, in qua multi Epiſcopi relegati, congregata, ut alibi fusè oſtendi, & omnibus Baronii dubiis ſatisfeci. Valeſius qui in Notis ad lib. 3. Euſebii de Vita Conſtantini cap. 59. ubi hunc Baronii lapſum animadvertit, ait, manifeſte colligi ex Philoſtorgio lib. 2. hanc Synodum Antiochenam anno CCCXXIX habitam, cùm numero 7. Philoſtorgius tradat, *Euſebium, Marin & Theognium poſt triennium* (nempe à celebrata Synodo Nicæna) *Conſtantini Imperatoris juſſu ab exilio revocatos, Symbolum hæreticæ Fidei edidiſſe, & Euſtathium depoſuiſſe*; aut certè coactam eſſe anno CCCXXX, ut aſtruere videtur Theodoretus lib. 2. cap. 31. Hic enim Meletium ad Sedem Antiochenam tranſlatum eſſe ſcribit, triginta annis poſt abdicationem Euſtathii. Meletium porro tranſlatum eſſe conſtat anno CCCLX. Hæc Valeſius. Exiſtimo tamen hanc Synodum anno Chriſti CCCXXVII, aut ineunte CCCXXVIII coactam eſſe; ideoque Theodoretum numero, ut aiunt, rotundo locutum; ac triennium exilii Theognii & ſociorum exordiri Philoſtorgium ab anno CCCXXV, & extremos annos incompletos pro integris numerare. Nam Hieronymus in Chronico de Euſtathii depoſitione ſermonem habet anno Abrahami ſecundùm editionem Scaligeri 2344. qui Kalendis Septembribus anni Chriſti CCCXXVII auſpicatur; quo etiam Chriſti anno tam Hermannus Contractus, quàm Marianus Scotus Hieronymi verba in ſua Chronica inſerunt, manifeſto argumento editionem Scaligeri hac in parte Pontacenâ, quæ annum unum minùs habet, accuratiorem eſſe. Præterea Theophanes, qui per Conſtantini Magni tempora annum unum minùs putat, Euſtathii depoſitionem conſignat anno Incarnationis ſecundùm Alexandrinos CCCXVIII, qui in anno Chriſti CCCXXVI deſinit.

XIX. *Ariani omnes Eccleſias Cpoleos invadunt.* Baron. num. XXXIV. Ad num. VIII. Hic annus, quo *Euſebius Nicomedienſis* Conſtantinopolim tranſlatus, memorabilis eſt. Socrates in lib. 5. cap. 7. obſervat, Theodoſium Magnum anno trecenteſimo octogeſimo Conſtantinopolim ingreſſum Orthodoxis Eccleſias reſtituiſſe, cùm *quadraginta annis* Ariani eas obtinuiſſent, hoſque ex urbe diſceſſiſſe *die VI Kalend. Decembr.* Marcellinus in Chronico ſub ejuſdem anni Conſulibus ait, *annos ferme quadraginta*, id eſt, circiter XL. Theophanes & Cedrenus *annos quadraginta & ampliùs*, quia ſcilicet utrumque extremum annum incompletum numerant. Huc etiam referendum, non verò ad depoſitionem Euſtathii, ut perperam Baronius, quod habet Hieronymus in Chronico: *Ex hoc loco impietas Ariana Conſtantii Regis fulta præſidio, exiliis, carceribus, & variis afflictionum modis, primò Athanaſium, deinde omnes non ſuæ partis Epiſcopos perſecuta eſt.* Quare cùm ea perſecutio ab Euſebii intruſione in Eccleſiam Conſtantinopolitanam inceperit, ac per annos circiter quadraginta, ad annum nempe Chriſti CCCLXXX durarit, liquet primò, Sanctum Alexandrum Epiſcopum Conſtantinopolitanum uſque ad præſentem annum vixiſſe. Secundò, Paulum eodem anno eum excepiſſe. Tertiò, tranſlationem Euſebii ad Sedem Conſtantinopolitanam hoc anno peractam; ac denique Concilium Alexandrinum in cauſa Athanaſii, quod habitum fuit, poſtquam jam Euſebius Conſtantinopoli ſedebat, ad præſentem annum pertinere. Ex annis itaque quadraginta, quibus Ariani Conſtantinopolitanas Eccleſias obtinuerunt, Chronologia noſtra validè firmata.

XX. *Series Epiſcoporum Arianorum qui Antiochiæ ſederunt.* Baron. num. XXXII. Ad num. IX. Philoſtorgius lib. 3. num. 15. loquens de *Paulino* Euſtathii ſucceſſore, prodit, eum ex Epiſcopatu Tyri ad Sedem Antiochenam tranſlatum *poſt ſextum Epiſcopatus ſui menſem* mortuum, & Eulalium in ejus locum ſubſtitutum. Nullum dubium, quin Paulinus Tyri Epiſcopus Antiochiam tranſlatus fuerit, cùm id teſtentur Euſebius lib. 1. adverſus Marcellum cap. 4. & Suidas in voce ξένος; ſed an Paulinus is Euſtathium præceſſerit, vel ei ſucceſſerit, in magna controverſia poſitum. Paulinum tamen poſt Euſtathii depoſitionem Epiſcopatum adeptum eſſe oſtendi anno CCCXXIV: quod etiam ex eo liquet, quòd Euſebius, qui libros adverſus Marcellum poſt Conſtantini Magni obitum ſe ſcripſiſſe aſſerit, loco citato dicat, Marcellum irriſiſſe Paulinum *quieſcentem, dudumque mortuum*. Mortuus itaque eſt anno CCCXXVIII, cui ſucceſſit Eulalius. Hic, ut habet Theodoretus lib. 1. cap. 21. *exiguo admodum tempore* ſupervixit. Theodoretus & Hieronymus in Chronico Paulini Euſtathii ſucceſſoris non meminere, ſicuti nec Eulalii Socrates lib. 1. cap. 24. Sozomenus lib. 2. cap. 19. & Mopſueſtenus apud Nicetam in Theſauro Orthodoxæ Fidei. Nicephorus in Chronico, ubi *Paulinum* etiam prætermittit, annos tres *Eulalio* aſſignat, loco trium menſium, errore Librarii, ut exiſtimo. Paulini Sedis brevitas in cauſa fuit, cur à laudatis Auctoribus memoratus non fuerit. *Eulalium* excepit *Euphronius*, qui, ut teſtatur Theodoretus loco citato, *anno & menſibus paucis poſt ordinationem ſuperſtes vixit.* Nicephorus in Chronico huic annos VIII tribuit, ſed loco ἔτη η', id eſt, *anni VIII*, legendum, ἔτη α', id eſt, *annus unus*. Euphronio ſubſtitutus eſt *Placillus*, ſeu, ut vocant, *Flacillus*, qui circa annum trecenteſimum triceſimum primum ſedere cœpit. Ab ejus enim exordio uſque ad Meletium, qui Orthodoxus fuit, quique initio anni trecenteſimi ſexageſimi Epiſcopus ordinatus eſt, Nicephorus in Chronico annos undeviginti enumerat. *Placillo* annos duodecim idem Nicephorus tribuit, teſtaturque Concilio Antiocheno ad Encænia interfuiſſe. Athanaſius in Apologia 2. ſcribit, hunc unum fuiſſe ex Epiſcopis Conciliabuli Tyrii anno CCCXXXV coacti. Obiit autem

circa annum CCCXLII, eique ſubrogatus *Stephanus*, de quo ſuo loco. Hi omnes Epiſcopi Ariani fuerunt.

XXI. *Obitus Euſebii Cæſarienſis Epiſcopi.* Baron. num. XXXVII.

Ad num. XI. Euſebii Cæſarienſis Epiſcopi & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptoris doctiſſimi obitus rectè hoc anno à Baronio conſignatur. Mortuo *Agapio* Cæſarienſium Epiſcopo, cùm perſecutio jam ſedata, & pax Eccleſiæ reddita eſſet, Euſebius communi omnium conſenſu in ejus locum ſubſtitutus fuerat. Alii ſucceſſorem *Agapii* ponunt *Agricolam*, qui Ancyranæ Synodo interfuit, ac ſubſcripſit, anno Chriſti CCCXIV. Ita Baronius ad eum annum, & Blondellus in Apologia pro ſententia Divi Hieronymi cap. 19. ubi Euſebium anno Chriſti circiter CCCXV adminiſtrationem Cæſarienſis Eccleſiæ poſt mortem Agricolæ ſuſcepiſſe ſcribit. Verùm, ut obſervat Valeſius initio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebianæ, ubi de vita & Scriptis Euſebii, ſubſcriptiones illæ Epiſcoporum, quæ in Latinis Canonum Collectionibus habentur, parum certæ ac firmæ ſunt. Nam neque in Græcis codicibus, nec in Latina verſione Dionyſii Exigui leguntur. Deinde Euſebius in lib. 7. Hiſt. Eccleſiaſt. recenſens præcipuarum Sedium Epiſcopos, ſub quibus orta & graſſata eſt perſecutio, in *Agapio* Cæſarienſium Epiſcopo deſinit, quem ait in ea perſecutione pro Eccleſiæ ſuæ commodis plurimùm laboraſſe. Hic ergo ad finem uſque perſecutionis permanſerit neceſſe eſt. Atqui Euſebius ſtatim poſt finem perſecutionis factus eſt Epiſcopus. Nam cùm Paulinus Epiſcopus Tyri, poſt redditam Eccleſiæ pacem, Baſilicam dedicaret, ad ejus dedicationem unà cum reliquis Epiſcopis à Paulino evocatus eſt, & elegantiſſimam coram illo habuit Orationem, ſicut diſcimus ex lib. 10. Hiſt. Eccleſiaſt. quod factum videtur anno CCCXV. Plura de Euſebii vita & Scriptis Valeſius loco citato, & Martinus Hankius in libro de Byzantinarum rerum Scriptoribus Græcis, ubi multa de ejus Operibus habet.

XXII. *Euſebius in numero Sanctorum non ponendus.* Baron. ibid.

Porro, quia in aliquibus Martyrologiis à Valeſio loco laudato citatis nomen Euſebii Cæſareæ in Palæſtina Epiſcopi die XXI Junii legitur, exiſtimat Baronius pro *Euſebio Samoſatenſi* infelici mutatione poſitum eſſe *Euſebium Cæſarienſem*. Verùm, ut inquit Fortunius in Notis ad Martyrologium Hieronymianum, die XXI Junii, cùm Euſebius Samoſatenſis non Cæſareæ, ſed *Dolichæ*, quæ urbs Syriæ eſt ad Euphratem, palmam promeruerit, teſte Theodoreto lib. 5. cap. 4. vel in propria Samoſatæ urbis ad Euphratem poſitæ Eccleſia venerationem receperit, & nimis diſtet Cæſareæ nomen à Dolichæ ſeu Samoſatæ appellatione, hujus erroris alia cauſa fuit. Quare, cùm plures ſint Cæſareæ, Euſebius qui in Martyrologiis memoratur die XXI Junii alius non eſt quàm Euſebius Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus, Sancti Baſilii immediatus deceſſor: in veteri enim Martyrologio MS. Sancti Hieronymi, paſſim à Viris doctis Corbeienſi appellato, ad diem XXI Junii legitur: *Cæſareæ Cappadociæ Euſebii Epiſcopi*. Hujus Euſebii ſanctitatem pluribus probat Fortunius laudatus, obſervatque, Uſuardum primum fuiſſe qui Euſebium Palæſtinum inter Sanctos numeraverit, ideoque hunc errorem octavo vel nono Eccleſiæ ſeculo natum eſſe; cùm ſc. in gratiam piorum Imperatorum ex Martyrologiis ſeu ſacrorum nominum Catalogo Sanctorum geſta compendioſiùs addi in ipſis Martyrum Codicibus cœperunt. Cùm enim pii illi Martyrologi præter Euſebium Palæſtinum multiplici librorum, præſertimque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ editione, celebrem, nullum alium Cæſarienſem Epiſcopum hujus nominis agnoſcerent, in illum plures conſenſerunt, & laudes illius addiderunt. Ita Fortunius citatus Martyrologia ab interpolatione minùs pia egregiè vindicavit, pluribuſque Exercitatione ſecunda Martyrologio Hieronymiano præfixa oſtendit, Euſebium Palæſtinum in illis locum habere non poſſe.

XXIII. *Euſebius Auctor librorum Vitæ Conſtantini M.*

Dionyſius Gothofredus, qui Codicem Theodoſianum egregiis Commentariis, & accuratà Chronologià illuſtravit, in ſuis Opuſculis contendit, quatuor de Vita Conſtantini Magni libros non eſſe Euſebii Cæſarienſis. Sed Hankius rectè oſtendit, antiquos Hiſtoricos, quos enumerat, contrarium manifeſtè indicare. Illis Hiſtoricis addere poterat Philoſtorgium, qui lib. 1. num. 2. teſtatur, *illum Hiſtoriam ſuam ad ea uſque tempora perduxiſſe, quibus liberi Conſtantini Magni in patris Imperium ſucceſſerunt*. Quæ verba eſſe non poſſunt, niſi Euſebius libros de Vita Conſtantini Magni ſcripſerit; cùm ejus Hiſtoria Eccleſiaſtica in Monarchia Conſtantini, & in ejus Vicennalibus Nicomedienſibus deſinat; libri verò de Vita Conſtantini uſque ad ejus mortem & filiorum Imperium perducantur.

XXIV. *Conſtantinus junior occiditur.* Baron. num. XLIII.

Ad num. XIII. Conſtantinus junior his Coſſ. occiſus, ut rectè Idacius in Faſtis. Id autem ante III Kalend. Maii accidit; eo enim jam die Conſtans frater quædam ejus Acta reſcindere videtur Lege 1. Codicis Theodoſiani *De immunitate conceſſa*. Imò & ante V Id. April. quo Conſtantem Africà potitum oſtendunt Legg. ejuſdem Codicis 3. *De dilat.* & 3. *De Advocat. Fiſci.* quod utique factum Conſtantino fratre jam cæſo, ut obſervat Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani. Zoſimus lib. 2. ait, Conſtantem Conſtantini fratrem *inimicitias toto triennio* diſſimulaſſe, expectatoque tempore quo Provinciam ingreſſus erat, Conſtantinum occidiſſe. Et tamen à die XXII Maii anni CCCXXXVIII, uſque ad initium menſis Aprilis currentis anni, triennium integrum non effluxit. Verùm Antiqui triennium utrimque incompletum ſæpe triennium integrum vocant; quæ loquendi formulæ non raro Viros doctos in errorem impulerunt, ut non ſemel monui.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5834. ☉ 14 D. ☽ 19. P. 19. APRIL.
INDICT. 14.
JESU CHRISTI 341. Olymp. 280.
JULII PAPÆ 5.
CONSTANTII ET CONSTANTIS 5.

I. *Conſules.* COSS. *Marcellinus, & Probinus.*

II. *Quinquennalia Imperatorum.* Conſtantium & Conſtantem Imperii Auguſtei Quinquennalia edidiſſe dedicatio Eccleſiæ Antiochenæ aliaque indicia oſtendunt.

III. *Ad vitandã Romanam Antiochena Synodus non coacta.*

Baron. num. I, II & III.

Ad num. I & ſeqq. Schelſtratius Vir eruditiſſimus librum compoſuit de ſacro Antiocheno Concilio, in quo quid geſtum ſit, egregiè explicat & Annales Eccleſiaſticos mirum in modum illuſtrat. Quare integrum ejus Tractatum in hanc noſtram Criticam ſummariè corrivandum duxi. *Julius* primus in ſua ad Euſebianos epiſtola ait: *Non decebat, cùm nos ad celebrandam Synodum literas mitteremus, aliquos praeoccupare judicium Synodi.* Hinc Baronius ſcribit: *Quod verò ad cauſam ſpectat hujus cogendi Conventus, occaſionem ob Encania celebranda arripuerunt libentiſſimè Ariani, imò ſanè callidiſſimè excogitarunt, ut ſic effugerent Romanam Synodum, ad quam à Julio Romano Pontifice vocati erant.* Supponit Baronius, *Athanaſium* anno præcedenti Romam veniſſe, & tunc quoque Euſebianos ad Romanam Synodum evocatos eſſe. Supponit ſecundò, Arianos inito conſilio horruiſſe Synodum ſine Comite, & ideo Encænia excogitaſſe, quorum occaſione Synodum in Oriente celebrarent eo tempore, quo Romam adventare debebant. Supponit tertiò, hanc ob rem cum lacrymis adiiſſe Conſtantium, eaque petiiſſe, quæ fuſiùs narrat Athanaſius in epiſtola ad Solitarios. Tandemque concludit, His inter eos fraudulento artificio concinnatis, Conſtantii mox literis convocatos eſſe Epiſcopos. Hinc nata vulgaris opinio, quæ docet, Synodum Antiochenam ideo ab Euſebianis coactam, ut Synodum à Julio primo indictam vitarent, & diem condictum eluderent.

IV. *Baronii opinio refellitur.*

Quòd Euſebiani ante Synodum Antiochenam aliquid de Romano in cauſa Athanaſii judicio accipere potuerint ex Legatis propriis Conſtantinopolim aut Nicomediam reducibus, admitti poteſt; cùm conſtet ex Julio primo, Macarium Presbyterum cum ſociis Romà aufugiſſe, antequam Athanaſius illuc adventaſſet. Sed quòd ante Concilium Antiochenum Athanaſius Romam veniſſet, & Legati Apoſtolici à Julio primo in Orientem tranſmiſſi eſſent, evocaturi ad diem condictum Euſebianos, eamque ob cauſam Euſebius cum ſociis Conſtantium adiiſſet, ut ab ipſo occaſione Encæniorum Synodum Orientalem obtinerent, quâ ſeſe à Romana excuſare poſſent, nullatenus admittendum. Athanaſius enim in epiſtola ad Solitarios, de ſuo Romam adventu ait: *Julius verò Presbyteros ſuos Elpidium & Philoxenum cum literis ad Euſebianos miſit, certum diem definiens, ut, aut præſentes ſe ſiſterent, aut cognoſcerent ſe omnibus modis ſuſpectos haberi. Ceterùm Euſebiani, ubi ſemel audiſſent, Eccleſiaſticum Conſeſſum fore, ubi nec Comes affuturus eſſet, neque ſatellites pro foribus excubarent, nec ex Cæſaris præſcriptis omnia fierent, quibus rationibus, & non aliis, Epiſcopos vicerant, imò qui ſine hoc præſidio ne loqui quidem auderent, ita inhorruerunt & metu contracti ſunt, ut Presbyteros detinerent ultra diem condictam, cauſificationem interim turpem fingentes, ſe ob bella Perſarum venire non poſſe.* Huic Athanaſii loco addendus alius ex Apologia 2. *Cùm igitur Romam perveniſſemus, Julius continuò ad Euſebianos literas ſcripſit, miſſis eò duobus ex ſuis Presbyteris, Elpidio & Philoxeno. Illi verò, ubi noſtram Romæ præſentiam audiviſſent, plurimùm conturbati ſunt, quòd contra ſpem eorum me Romam contuliſſem. Rejecto igitur itinere, futiles inaneſque tergiverſando cauſificationes commenti ſunt.* Ex quibus habemus primò, Euſebianos ad Synodum Romanam evocatos non eſſe, niſi poſt adventum Athanaſii, qui currenti anno adſcribendus eſt. Secundò, Euſebianos perſuadere ſibi non potuiſſe, quòd Athanaſius à Julio primo evocatus ſe Romam conferret, nec adventum Athanaſii percepiſſe, quàm ex Julii primi Legatis. *Illi verò*, inquit Athanaſius, *ubi noſtram Romæ præſentiam audiviſſent, plurimùm conturbati ſunt, quòd contra ſpem eorum me Romam contuliſſem.* Tertiò, Euſebianos nunquam crediſſe, Synodum Romæ habendam præſente Athanaſio, niſi cùm per Elpidium & Philoxenum ad diem condictum citati Eccleſiaſticum Conſeſſum fore audiiſſent. Unde eos inhorruiſſe & metu contractos fuiſſe, ſcribit Athanaſius in epiſtola ad Solitarios. Cùm autem hæc omnia Euſebiani non perceperint, niſi poſt peractum magna ex parte Antiochenum Concilium, hoc ſcilicet anno circa menſem Junium, quo Elpidius & Philoxenus Antiochiam advenerunt, corruit planè fundamentum, ex quo Baronius Antiocheni Concilii cauſam deſumendam putavit, liquetque, Synodum Antiochiæ per Euſebianos habitam non eſſe, ut aliam Romæ jam indictam vitarent.

V. *Reſpondetur ad fundamentum Baronii.*

Negari quidem non poteſt, à Julio primo Euſebianos increpari, quòd Synodi judicium præoccuparint; ſed per hoc non voluit Pontifex, Euſebianos Antiochiæ Synodum habuiſſe, ut ſic excuſarentur ab evocatione ad Romanam. Nam in ſuis ad Julium literis non excipiunt Euſebiani, ſe Antiochiam conveniſſe, neque ullam hac de re mentionem in eorum literis factam fuiſſe indicat Julius, qui optimè norat, Euſebium cum aliquot Legatis Romam advenire potuiſſe; quantumvis Orientales Synodum eodem tempore celebraſſent Antiochiæ, ut hæc exceptio frivola fuiſſet, & planè invalida. Aliud itaque voluit Julius Papa, qui Euſebianos redarguit, quòd cùm auctores extitiſſent literarum ad Athanaſium tranſmiſſarum, ipſi, pendente Romæ cauſa, Synodi judicium præoccuparint, & Athanaſium damnare præſumſerint; quod ab iis contra regulam Eccleſiaſticam factum, rectè urget ſummus Eccleſiæ Pontifex.

VI. *Antiocheni Templi Encænia Concilii cauſa & occaſio.*

Occaſionem itaque Antiocheni Concilii deſumendam ex dedicatione Templi Antiocheni, quod à Conſtantino Magno inchoatum, & hocce tempore ſub Conſtantio abſolutum, oſtendit Athanaſius in libro de Synodis, quando ait: *Antiochiæ novam Synodum per cauſam Encæniorum coëgerunt.* Idem habent Socrates lib. 2. cap. 8. & Sozomenus lib. 5. Prætextu itaque dedicationis Conſtantius Orientis Epiſcopos Antiochiam convocavit. Poſt pacem enim Eccleſiæ redditam, Encænia celebrari conſueviſſe cum maxima Epiſcoporum frequentia, & in Quinquennalibus & id genus feſtis, certum eſſe debet. Atque hæc fuit occaſio Antiocheni Conventus, & cur Epiſcopi à Conſtantio Imperatore evocati ad dedicationem magnifici Templi Antiocheni. Ve-

rum eſt, non deeſſe, qui poſt Baronium tradiderint, ſtudio Euſebii Synodum Antiochiæ habitam, ut non Fides ſolùm, ſed & diſciplina Eccleſiæ violaretur, ac Athanaſius Synodali ſententia Throno ejiceretur. Verùm, quidquid Euſebius in mente habuerit cum quibuſdam ex ſuis, hoc totum vitio verti nequit Antiocheno Conventui, ad quem non Euſebiani ſolùm, ſed & complures Catholici Epiſcopi advolarunt, ut ibidem Eccleſiam dedicarent, occaſione cujus Epiſcopi omnes ibidem coadunati pro dedicatione Concilium ibidem celebrare decreverunt. Unde hoc Concilium apud Athanaſium vocatur *in Encæniis*, & regulæ ſeu Canones Antiocheni in Canonum Collectionibus ſub eodem, aut ſimili titulo conſtituti leguntur. Habitum autem *Indictione XIV.* ut docet Athanaſius libro de Synodis, quæ à die primo Septembris anni Chriſti præcedentis cœpit, ideoque Encænia hæc ante Septembrem celebrata

VII. *Synodus Antiochena credita Conciliabulum Arianorum.*

Hæc Synodus, ut Arianorum Conciliabulum, tam à veteribus, quam à recentibus impugnata. Baronius ita eam exponit, ac ſi cuncta ibidem ſtatuta, Geſta eſſent hominum Arianorum, à quo non diſcedunt Bellarminus lib. 1. de Conciliis & Eccleſia cap. 6. Perronius in libro contra Angliæ Regem, aliique innumeri. Primus omnium hujus Concilii auctoritatem defendit Schelſtratius, oſtenditque, quadruplici titulo Synodum Antiochenam impetitam fuiſſe. Primò, quòd Arianorum Conciliabulum fuerit. Secundò, quòd Athanaſium depoſuerit. Tertiò, quòd Fidem perverterit. Quartò, quòd diſciplinam Eccleſiaſticam impugnarit. Sed hæc quatuor non convenire primordiis Antiochenæ Synodi à nonaginta Patribus celebratæ, ſed fini, aut noviſſimis Antiocheni Conciliabuli à quadraginta circiter Euſebianis celebrati Actis, certum.

VIII. *Numerus Patrum Antiochenſium.*

Numeroſum extitit hoc Concilium: Athanaſius enim in libro de Synodis ſcribit, fuiſſe *numero nonaginta* Epiſcopos, ubi cum loqui numero rotundo, colligimus ex Hilario Pictavienſi libro de Synodis adverſus Arianos, qui

Baron. num. IV.

teſtatur, adfuiſſe Epiſcopos *nonaginta & ſeptem:* cui conſonant Auctor libelli Synodici & Nicephorus lib. 9. cap. 5. Ait Athanaſius libro de Synodis, *quòd ab omnibus de hæreſi malè audiebant.* Nec ſine fundamento; non ſolùm enim Arianos homines, ſed ipſummet Arium in communionem admitti poſtularant aliàs Euſebiani: *Nihil eſt quòd quis miretur,* inquit Baronius, *ſi Catholicos Epiſcopos cum Arianis audiat conveniſſe, atque communicaſſe ſimul in ſacris Encæniorum ſolennitatibus, undique in eodem Concilio conſediſſe: quandoquidem Euſebiani haud palam ſe Arianos eſſe profitebantur,* &c. Quòd autem hoc in Concilio Catholici reipſa communicarint Euſebianis Epiſcopis, fidem faciunt Antiqui, quorum aliqui cum Julio primo, Athanaſio, Socrate & Sozomeno teſtantur de Euſebianæ factionis Epiſcopis, alii autem de Sanctis Epiſcopis, qui huic Concilio adfuerunt. Hinc Divus Hilarius in libro de Synodis ſcripſit: *Congregata Sanctorum Synodus.* Hinc Concilium Chalcedonenſe Antiocheni Concilii regulas, ut *Patrum* regulas veneratum eſt. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus hujus Concilii Canones *Sanctorum Patrum* titulos vocat, & Petrus de Marca lib. 3. cap. 3. num. 2. ait: *Certum quidem eſt, Patres, qui Antiochiæ convenerant, majori ex parte Orthodoxos fuiſſe*: quæ & ſententia Baronii fuit.

IX. *Error vulgaris de numero Epiſc. Antiochenſium.*

Ceterùm, crediderunt hactenus Eruditi ex loco Julii Pontificis, triginta ſex Euſebianæ factionis Epiſcopos huic Concilio adfuiſſe, cùm ſcriptum reliquerit in ſua ad Euſebianos epiſtola: *Qui igitur ſunt, qui contra Canones agunt? Nóſne, qui cum tantis rerum documentis virum recepimus? An qui ſolùm ad triginta ſex ſuffragia eorum, qui Antiochiæ fuere? externum hominem Epiſcopum ſalutarunt.* Hinc Baronius deducit, *ex tanto Epiſcoporum numero nonniſi triginta ſex impia illa decreta ſanxiſſe.* Idem poſt Baronium

Baron. num. V.

Petavius lib. 13. de Doct. Temp. Petrus de Marca loco citato, aliique innumeri ſcripſere. Verùm huic vulgari errori occurrit Valeſius tomo 2. Obſervationum in Socratem & Sozomenum cap. 8. & ipſum Julii Pontificis locum depravatum fuiſſe animadvertit. Hæc verba Julii Papæ ad Orientales: *σκοπεῖτε τοίνυν τίνες εἰσὶ οἱ παρὰ κανόνας πράξαντες, ἡμεῖς; οἱ μετὰ τοσούτων ἀποδείξεων τὸν ἄνδρα δεξάμενοι, ἢ οἱ ἀπὸ τριάκοντα ἓξ μονῶν ἐν Ἀντιοχείᾳ ὀνομάσαντες τινὰ εἰς ἐπίσκοπον ξένον, καὶ ἀποστείλαντες εἰς Ἀλεξάνδρειαν μετὰ στρατιωτικῆς ἐξουσίας;* id eſt, inquit Valeſius, *Qui igitur ſunt, qui contra Canones agunt? Nóſne, qui cum tantis rerum documentis virum recepimus? An qui à triginta ſex manſionibus Antiochia quemdam velut Epiſcopum externum hominem ſalutarunt, eumque militari manu ſtipatum Alexandriam miſerunt?* Ex qua accurata verſione apparet, Nannium malè hoc modo vertiſſe: *Ad triginta ſex ſuffragia Antiochia Epiſcopum ſalutarunt*; indeque Viros doctos, linguâ Græcâ non conſultâ, perperam deduxiſſe, triginta ſex tantùm Euſebianos Antiochiæ congregatos Athanaſium depoſuiſſe, & Gregorium externum hominem in locum ejus ſuffectum, ibidem ut Epiſcopum Alexandrinum ſalutaſſe. Reprehendit itaque Julius Papa, inquit Valeſius, ordinationem Gregorii, eumque contra Canones Eccleſiaſticos Alexandriæ Epiſcopum factum eſſe aſſerit, qui non in urbe Alexandrina ordinatus fuiſſet, ſuffragante Clero & populo, ſed in urbe Antiochia, quæ triginta ſex manſionibus, id eſt, triginta ſex dierum itinere diſtat ab urbe Alexandria. Idem quoque vitium in ordinatione *Georgii* obſervat Athanaſius in epiſtola ad Solitarios pag. 860. qui à quinquageſima manſione miſſus eſt Alexandriam, ut Epiſcopatum illius loci gereret. Sed, & in Oratione 1. adverſus Arianos id ipſum objicit Athanaſius Arianis Epiſcopis, Cecropio ſcilicet, Auxentio, & Epicteto, quòd licèt octoginta manſionibus diſſiti, Epiſcopatum tamen ambierint earum urbium, quibus ignoti erant. Igitur prava interpretatio Baronium in errorem induxit. Ita Vir doctiſſimus emendat errorem Interpretis incautè confundentis vocem Græcam, *μονῶν ἀπὸ τῆς μονῆς*, quæ *manſionem* ſignificat, cùm *μόνων*, quæ vox à *μόνος* derivata, *ſolum* deſignat.

X. *XL Epiſcopi Ariani Synodo An-*

Aliunde itaque numerus Epiſcoporum Euſebianorum, qui huic Concilio interfuere, petendus, ex Palladio ſcilicet, à quo numerantur Ariani, qui Canonem à Theophilo tranſmiſſum

tiochena interfuere.

miſſum Antiochiæ ediderant. Si enim ille ab Euſebianis duntaxat editus, conſtat maniteſtè de numero Euſebianorum hac in Synodo coactorum. Porro *Palladius* Sancti Chryſoſtomi diſcipulus in Dialogo Romæ habito cum Theodoro ejuſdem Eccleſiæ Diacono: *Canones*, inquit, *quos Theophilus miſerat, à quadraginta complicibus Arii editos, atque ita continentes: Si quis Epiſcopus*, &c. Quadraginta itaque erant Euſebianæ factionis Epiſcopi, qui Antiochiæ convenerant. Palladio ſuffragatur Georgius Patriarcha Alexandrinus in Vita Sancti Chryſoſtomi à mille circiter annis ſcripta: *Joannes juſta reſponſione revicit Canones à Theophilo miſſos, ac rejecit, quòd eos ita ſcripſiſſent, & obſervari juſſiſſent quadraginta Arianæ hæreſis.* Ex quibus liquet, quinquaginta Orthodoxos huic Concilio adfuiſſe juxta Athanaſium. Neque ex ſubſcriptionibus Epiſcoporum, quæ in aliquibus codicibus reperiuntur, concludi aliquid poteſt pro numero Patrum Antiochenſium; cùm in pleriſque Codicibus tam editis, quàm MSS. nulla reperiatur mentio numeri Epiſcoporum, qui huic Concilio interfuere, ut videre eſt apud Schelſtratium loco laudato cap. 2.

XI. *Maximus Epiſc. Hieroſol. & Julius I Synodo non interfuere.* Baron. num. VI.

Socrates lib. 2. cap. 8. hoc inprimis objiciendum duxit, quòd neque *Maximus* Hieroſolymorum Epiſcopus, neque *Julius* Pontifex Romanus huic Synodo adfuerint. Eadem planè Sozomenus lib. 3. cap. 6. Ex quibus Baronius Antiocheno Concilio vitio vertit, quòd eidem uterque non adfuerit. Verùm jam ſuprà oſtenſum, *Maximum* nullatenus fuiſſe ad Concilium vocatum, ſed ſolummodo ad feſtum Encæniorum, cujus mentionem in literis ſuis faciebat Conſtantius. Non venerit itaque *Maximus* Antiochiam, quid hoc obeſſe poteſt auctoritati Antiochenæ Synodi, ad quam expreſsè vocatus non fuit? Neque dicas, longè majorem difficultatem eſſe de Julio primo, qui Orientales culpare videtur, quòd ſe inconſulto Synodum celebrarant: *Primùm enim*, inquit, *non decebat, cùm nos ad celebrandam Synodum literas mitteremus, aliquos praoccupare judicium Synodi; deinde non decuit novos iſtos modos contra Eccleſiam induci.* Et infrà: *Cur igitur & inprimis de Alexandrina civitate nihil nobis ſcribere voluiſtis? An ignari, eſtis hanc conſuetudinem eſſe, ut primùm nobis ſcribatur, ut hinc quod juſtum eſt, definiri poſſit? Quapropter ſi iſtic hujuſmodi ſuſpicio in Epiſcopum concepta fuerat, id huc ad noſtram Eccleſiam referri oportuit. Nunc autem nos, quos certiores minimè fecerunt, poſtquam jam egerint quod libuit, ſuffragatores ſuæ damnationis, cui non interfuimus, eſſe volunt. Non ita ſe habent Pauli ordinationes, non ita Patres docuerunt, ſed faſtus iſte & novum ſtudium eſt.* Atqui hæc eſt epiſtola, cujus Socrates meminit lib. 3. cap. 17. Verùm multa ex Julio Socrates in medium adduxit, quæ Pontifex in ſua epiſtola non poſuit. Enimvero, quod Julius primus in epiſtola conqueritur, regulam Fidei clanculo ab Orientalibus Antiochiæ exiſtentibus adulterari, quod Socrates ex Julii epiſtola adducit, hic nullibi in ea habet. Unum, idque præcipuum, ſpectat, cauſam nimirum Athanaſii, pro qua terminanda ad Euſebianorum inſtantiam Concilium Romæ indixerat. Pro Concilio cùm jam Athanaſius vocatus eſſet, & Legatio ad Euſebianos pararetur, Euſebiani aliud Antiochiæ celebrarant, & in illo cauſam Athanaſii judicare præſumſerant, & de hoc ultimo Julius conqueritur, aliquos ſcilicet præoccupaſſe judicium Synodi. De Alexandrina inprimis civitate nihil ſibi perſcriptum fuiſſe urget Julius; cùm ea fuerit conſuetudo, ut cauſa Sedium Patriarchalium ad judicium Romani Pontificis referretur, quòd illi inter omnes Epiſcopos de majoribus cauſis Primatûs jure competeret decernendi auctoritas. Et ſic verum eſt, nihil in cauſa Athanaſii Patriarchæ Alexandrini potuiſſe decerni abſque Julii primi ſententia; ut meritò Antiochenum Concilium, ſi præoccupavit de cauſa Athanaſii judicium, irregulariter feciſſe dicatur. Attamen graviter erravit Socrates, dum Athanaſii cauſam Antiochiæ in Synodi primordiis judicatam conſcripſit; cùm non initio à nonaginta Epiſcopis, ſed poſt Synodum à ſolis Euſebianis dijudicata ſit, ut mox oſtendemus. Unde conſequens eſt, ipſam Antiochenam Synodum, quæ à nonaginta aut pluribus Epiſcopis celebrata eſt, culpandam non eſſe, ſed eam ſolam, quæ à ſolis Euſebianis poſt veram Antiochenam Synodum habita fuit, & Athanaſium depoſuit.

XII. *Decreta Synodi Antiochena ſalutaria.*

Certè in Antiocheno Concilio edita ſunt de rebus Eccleſiaſticis probatiſſima per omnem Eccleſiam ſtatuta, & ante cetera duo Fidei Symbola ab Hilario Pictavienſium Epiſcopo non improbata. Neque dum illa ſtatuebantur, ſe Concilio intereſſe debuiſſe urget Julius, quòd ſciret morem in Eccleſiis obtinuiſſe, hæc ſine prævia relatione decerni potuiſſe à Synodis, ut conſtabat ex primo Antiocheno Concilio, quod contra Paulum Samoſatenum Formulam Fidei conſcripſit, & ex Concilio Alexandrino ſub Alexandro Patriarcha, cui nec ſummus Eccleſiæ Pontifex per ſe aut per Legatos interfuiſſe legitur, uti nec omnibus illis Conciliis, quæ ante hanc Synodum Canones ediderunt. Harum Synodorum veſtigia inſecuta eſt Antiochena, cùm de Fide tractavit, & Canones citra Julii Papæ præſentiam ſtatuit. Quæ dum peregit, verum & Orthodoxum Concilium fuit, cujus erat, non minùs de Fide inquirere, quàm de diſciplina Eccleſiaſtica decreta condere.

XIII. *Prior Fidei Formula Synodi Antiochena.* Baron. num. XVIII.

Congregatis in unum nonaginta circiter Epiſcopis peracta primùm dedicatio Templi Antiocheni, in qua ſolennitate Catholici æquè communicarunt Euſebio Nicomedienſi, ac in ſimili ſolennitate Hieroſolymis celebrata Epiſcopi ſanctitate illuſtres Euſebianis communicarant. Hanc itaque occaſionem nacti Euſebiani, in præcipuis Fidei myſteriis cum Catholicis convenere, ut ſic Catholicos Epiſcopos in partes ſuas traherent, rati, ſe poſtea Athanaſium ſuis rebus ubique infeſtum Sede faciliùs dejecturos. Et quia ab omnibus de hæreſi malè audiebant, inquit Athanaſius libro de Synodis, *variis modis alia aliter ſcripſerunt: quæ autem in una epiſtola ſcripſerunt, ſunt iſta.* Subdit poſt hæc primam Formulam Fidei, quam & Socrates lib. 2. cap. 10. refert, cujus initium eſt: *Nos neque ſequaces Arii fuimus*, &c. Putant omnes Recentiores, hanc epiſtolam ſeu Fidei Formulam Concilio Antiocheno adſcribendam, cùm tamen ſolis

Euſebianis adſcribenda ſit ad Templi dedicationem Antiochiam confluentibus, & ſeſe ad Synodum præparantibus. Hic namque loquendi modus, *nos neque Arii ſectatores ſumus*, manifeſtè declarat, Formulam ab impetiris de Arii ſequela Epiſcopis eſſe editam, quod in ſolis Euſebianis locum habere poterat, non verò in Orthodoxis Epiſcopis etiam Antiochiæ congregatis, quos nulla unquam ſiniſtra ſuſpicionis ſama contaminarat. Ceterùm, licèt ea Formula Arianiſmum non ſapiat, in ea tamen *ſenſus adeo anceps & ambiguus eſt, ut nec ii qui Nicænam Synodum ſequebantur, compoſitionem verborum illius accuſare poſſent, quaſi verba ignota eſſent ſacræ Scripturæ*, ut inquit Sozomenus citatus.

XIV.
Secunda Fidei Formula Synodi Antiochenæ.

Secunda Fidei Formula in Synodo Antiochena compoſita refertur ab Athanaſio in libro de Synodis pag. 892. & à Divo Hilario in libro etiam de Synodis. Eam ab Euſebianis ſubdolo animo editam, poſt Socratem & Sozomenum exiſtimavit Baronius, quem paſſim alii ſecuti ſunt, quòd Conſubſtantialitas Filii in ea Formula non exprimatur. Verùm, ut notat Petavius in Animadverſionibus Epiphanianis ad hæreſim 72: non ſemper in Catholicæ Fidei Profeſſionibus, aut in convincendis Hæreticis, recenti adhuc Nicæno Concilio, teſſera illa Fidei, ac τοῦ ὁμοουσίου clara & diſerta Confeſſio ſolebat exigi. Exemplo ſit Urſacii & Valentis Arianæ factionis principum libellus, quem Julio Papæ obtulerunt, quo & erroris ſui veniam deprecati ſunt, &, Ario damnato, Catholicam Fidem profeſſi. Extat apud Athanaſium Apologiâ 2. in eo verò de οὐσίᾳ verbum nullum. Præterea Divus Hilarius hanc difficultatem ſibi objectam diſſolvit in libro de Synodis, ubi ait: *Minùs fortè expreſſè videtur de indifferenti ſimilitudine Patris & Filii Fides hæc locuta eſſe: maximè cùm de Patre & Filio & Spiritu Sancto ita ſenſerit ſignificatam in nominibus propriam uniuſcujuſque nominatorum ſubſtantiam & ordinem & gloriam, ut ſint quidem per ſubſtantiam tria, per conſonantiam verò unum.* Hanc quæſtionem ſuo tempore motam poſtquam ita ſibi objecit Hilarius, poſtea hoc modo reſolvit: *Et primùm ſciendum eſt, non adverſum hæreſim, quæ diſſimilis ſubſtantiæ Patrem & Filium & Spiritum Sanctum auſa eſt prædicare, in Antiochia fuiſſe conventum: ſed adverſus eam, quæ poſt ſanctam Synodum Nicænam in id proruperat, ut tria nomina Patri vellet adſcribere, de qua ſuo loco tractabimus.... Volens igitur congregata Sanctorum Synodus impietatem eam perimere, quæ veritatem Patris & Filii & Spiritus Sancti nominum numero eluderet, ut non ſubſiſtente cauſa uniuſcujuſque nominis, triplex nuncupatio obtineret ſub falſitate nominum unionem, ut Pater ſolus atque unus idem atque ipſe haberet, & Spiritus Sancti nomen, & Filii. Idcirco tres ſubſtantias eſſe dixerunt, ſubſiſtentium perſonas per ſubſtantias edocentes, non ſubſtantiam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti diverſitate diſſimilis eſſentiæ ſeparantes. Quod autem dictum eſt, ut ſint quidem per ſubſtantiam tria, per conſonantiam vero unum, non habet calumniam*, &c.

XV.
Hæc Formula Arianis contraria.

Ex hoc egregio Divi Hilarii loco non modò docemur de recta Fidei Formula Antiochiæ expoſita; ſed etiam de primordiis hujus Synodi hactenus à Viris doctis non intellectis. Cùm enim hi arbitrentur, hanc Fidei Formulam ad everſionem Conſubſtantialitatis Filii editam in Arianorum favorem, occurrit huic fundamento Hilarius, & reponit, *non adverſus hæreſim, quæ diſſimilis ſubſtantiæ Patrem & Filium & Spiritum Sanctum auſa eſt prædicare, in Antiochena civitate fuiſſe Conventum*; id eſt, Synodum Antiochenam coactam non fuiſſe adverſus hæreſim Arianam, cujus auctorem jam antè rejecerant, ſcribentes, ſe ab illo alienos eſſe, neque ſe unquam ſectatores ipſius fuiſſe, neque ſe cum Ario Filii Divinitatem negare, utpote qui credebant, illum verum eſſe Deum, prout in ſecunda Fidei Formula confirmabant, in qua dicunt, *Filium eſſe Divinitatis, ſubſtantiæ, & voluntatis, & conſilii, & gloriæ Patris incommutabilem imaginem.* Hæc autem omnia quantum Ariano dogmati repugnabant, non modò oſtendit S. Maximus Dialogo 3. de Trinitate; ſed & ipſi Ariani indicarunt, cùm hæc ſuſtulerunt de Formula Fidei, quod in eis arguit Divus Athanaſius libro de Synodis. Nam cùm in Encæniis promulgaſſent, Filium eſſe ſubſtantiæ Patris ſine omni diſſimilitudine imaginem, jurejurandoque affirmaſſent, ſe ita ſentire, & anathemate execrarentur, qui aliter ſentirent; ac præterea cùm Iſauriæ ita ſcripſiſſent: *Non refugimus Fidem in Encæniis Antiochiæ editam, ubi nomen ſubſtantiæ adſcriptum invenias, velut horum omnium obliti, paulò poſt in ipſa Iſauria ſcripſerunt, ſe ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον, hoc eſt, Conſubſtantialem, & ſimilem ſubſtantiam rejicere.... ſi tu, Acaci & Eudoxi, non refugitis in Encæniis promulgatam Fidem, & in ea ſcriptum eſt, Filium ſubſtantiæ Patris eſſe indifferentem imaginem, cur igitur Iſauria ſcribitis, Rejicimus vocem Conſubſtantialem? Si enim Filius ſecundùm ſubſtantiam non eſt ſimilis Patri, quomodo ſine omni diſſimilitudine imago Patris fuerit?* &c. Quibus verbis & ipſe Athanaſius docet, hanc ſecundam Fidei Formulam orthodoxam eſſe, & ipſis Arianis adverſam; tantum abeſt, ut in Fidei everſionem compoſita fuerit, ſicut exiſtimabat Baronius.

XVI.
Synodus Antiochena adverſus Sabellianos coacta.

Quod ſcribit deinde Baronius, hanc Fidei Formulam ab Euſebianis duntaxat editam, erroneum eſt, & ex Athanaſii verbis malè ſtabilitum. Cùm enim illam Formulam ipſe Athanaſius contra Arianos urgeat, quaſi ipſorum hæreſim evertat, quis credet ab ipſis ſolis in propriam perniciem fuiſſe editam? Sanè Divus Hilarius hunc errorem corrigit, dum ſcribit de hac Fidei Expoſitione Antiochiæ facta: *Quam expoſuerunt, qui affuerunt, Epiſcopi nonaginta & ſeptem.* Non itaque XXXVI tantùm Ariani Epiſcopi, ut putavit Baronius, ſed LXXXX, vel quotquot Synodo affuerunt, eam Fidem expoſuere, etiam Catholici & ſanctitate præclari Confeſſores Epiſcopi Paulus Neocæſareenſis & Jacobus Niſibenſis, ceterique omnes, qui Nicæno Concilio adfuerant. Quare cùm unus ex Epiſcopis in ſuſpicionem veniſſet, quòd prava ſentiret, (quam pravitatem poſtea exponens Hilarius, dicit fuiſſe hæreſim illam,

Barón. num. XX & ſeqq.

quæ poſt ſanctam Synodum Nicænam *in id proruperat, ut tria nomina Patri vellet adſcribere)* putat Baronius, hunc, contra quem ut ejuſmodi hæreſis promotorem actum eſt in hac Synodo, fuiſſe Gregorium. *Id puto*, inquit Baronius, *objectum Gregorio ea occaſione, quod eſſet tunc electus Epiſcopus.* Sed cùm jam oſtenderimus, primò de Fide actum, & Gregorium ſubinde in fine Concilii electum, ideoque nequidem fuiſſe Epiſcopum, dum quæſtio Fidei agitata eſt, is alius quiſpiam fuit, qui poſt Synodum Nicænam in id proruperat, ut Trinitatem confunderet, & tria nomina Patri adſcribere vellet. *Proruperat*, inquit, non invenerat aut primò fabricarat: nam fuit hæc hæreſis diu ante tempora Nicæni Concilii fabricata per *Noetum* Epheſi Epiſcopum, de quo Epiphanius hæreſi 57. à quo & dicit ortos Noëtianos, qui palam dicebant, ſe ex Scripturis unum Deum noſſe: *Si itaque Chriſtus venit & natus eſt, ipſe eſt Pater, ipſe Filius, profectò ipſe eſt Deus.* Inter Noëtianos ponit & Philaſtrius Sabellium Noëti diſcipulum, unde Sabelliani dicti. Hunc Sabellium putat Auguſtinus libro de Hæreſibus, fuiſſe famoſiorem inter Noëtianos, hinc & poſtea Noëti ſequaces Sabellianos nuncupatos eſſe. Addit ex Philaſtrio, Sabellium & ſequaces eadem cum Noëto docuiſſe. Noëtus autem, inquit Auguſtinus hæreſi 36, *dicebat, Chriſtum eundem ipſum eſſe Patrem & Spiritum Sanctum.* Et hîc jam habes hæreſim, contra quam poſt Nicæni Concilii tempora à quodam Epiſcopo innovatam Concilium Antiochenum initio exarſit. *Volens igitur*, inquit Hilarius, *congregata ſanctorum Synodus impietatem eam perimere, quæ veritatem Patris & Filii & Spiritus Sancti nominum numero eluderet, idcirco tres ſubſtantias eſſe dixerunt, ſubſiſtentium perſonas per ſubſtantias edocentes*, &c. Quin imò anathematizantes omnem hæreticam ſectam, quod præcipuè intelligebant de Sabelliana, contra quam hoc Concilium congregatum. Hæc ſecunda Fidei Formula Sancti Luciani nomine edita, de quo immeritò Sozomenus lib. 3. cap. 5. dubitavit; ſed quod in dubium non revocandum oſtendit Schelſtratius in Diſſert. 3. cap. 2.

XVII. *Tertia Fidei Formula Synodi Antiochena.*

Poſtquam hanc Fidei Formulam à Luciano Martyre conſcriptam nonaginta & ſeptem Epiſcopi expoſuere, *Theophronius Epiſcopus Tyanenſis*, inquit Athanaſius lib. de Synodis, *iſtiuſmodi Fidem à ſe compoſitam in præſentia omnium promulgavit, cui omnes, hominis religione approbata, ſubſcripſerunt.* Refert eam Athanaſius ibidem pag. 894. ejuſque tertiæ Fidei Formulæ hæc ultima verba: *Si quis igitur præter hanc Fidem docet, aut diverſa in animo retinet, anathema eſto, aut quæ Marcelli Ancyrani, Sabellii, aut Pauli Samoſateni ſunt, ſapiat, & ille quoque anathema eſto, & quicumque cum eo communicant.* Hanc ab Epiſcopis Orthodoxis ſubſcriptam nemo prudens negaverit. Quænam verò cauſa illius condendæ fuerit, petenda, ut videtur, ex obſcuritate prolixioris Fidei Formulæ à Luciano Martyre olim compoſitæ, in qua exponenda erant illa verba contra Sabellianos dicta: *Ut ſint quidem per ſubſtantiam tria, per conſonantiam verò unum.* Idque ut clariùs appareat, en D. Hilarium de Synodis: *Idcirco tres ſubſtantias eſſe dixerunt, ſubſiſtentium perſonas per ſubſtantias edocentes.* At ubinam hoc edocuerunt Patres Antiocheni, quàm in ſubſcriptione Formulæ à Theophronio conſcriptæ, in qua omni obſcuritate ſepoſita confitentur Deum Patrem omnipotentem, Deum Filium, eumque *apud Patrem exiſtere in ſua perſona*? En id ipſum quod ſcribit Hilarius: *Subſiſtentium perſonas per ſubſtantias edocentes.* Et hæc cauſa fuit Formulæ à Theophronio compoſitæ, non tamen ſola. Nam, ut omnia adverſæ hæreſeos fundamenta eradicarentur, tam hæreſeos auctoris Sabellii nomen, quàm ipſius reſtauratoris anathematizandum erat; quod disertè hæc Formula præſtat. Hincque etiam manifeſtum fit, verum eſſe quod ſcribit Hilarius, hanc Synodum non contra Arianam hæreſim, ſed contra Sabellianam poſt Nicænum Concilium redivivam, fuiſſe coactam.

Baron. num. XXIII.

XVIII. *Cauſa Marcelli Ancyrani in Synodo Antiochena agitata.*

Ignoratum hactenus quiſnam fuerit ille Epiſcopus, occaſione cujus diſputatum fuit in hac Synodo, & de quo habet Hilarius: *Cùm in ſuſpicionem veniſſet unus ex Epiſcopis, quòd prava ſentiret*, unus ſc. ex Epiſcopis LXXXXVII, qui tunc aderant, qui ideo Gregorius eſſe non poteſt, qui nondum Epiſcopus erat. Schelſtratius hunc è tenebris eruit, & Marcellum Epiſcopum Ancyranum Galatiæ primæ Metropolitam fuiſſe, deducit ex verbis tertiæ hujus Fidei Formulæ numero præcedenti laudatis. Is ad dedicationem Templi Antiochiam venerat. Licèt enim anno CCCXXXVI in Conciliabulo Conſtantinopolitano depoſitus fuiſſet, & in exilium miſſus, poſt Conſtantini tamen mortem, quemadmodum & alii Epiſcopi exules, Epiſcopatui ſuo redditus fuerat, ut expreſsè teſtatur Sulpicius Severus lib. 2. Hiſt. quidquid rem geſtam inordinatè narret. Reverſo itaque Marcello, ejus Eccleſia eadem omnino paſſa, quæ Alexandrina poſt Athanaſii reditum: diviſus ſcilicet populus, & variis calumniis, ac erroribus imperitus redux ab exilio Epiſcopus, ut clarè indicat Julius primus in epiſtola ad Orientales, qui id ipſum ex ipſo Marcello ſe accepiſſe dicit. Antiochiam ad dedicationem Templi Antiocheni vocatus venit, ejuſque cauſa agitari cœpta: ita enim contra Aſterium ſcripſerat, ut in alium contra Fidem errorem ipſemet incideret. Hinc intelligimus Hilarii verba, quando ait, Confeſſionem Fidei in Antiocheno Concilio expoſitam, cùm jam unus ex Epiſcopis in ſuſpicionem veniſſet, quòd prava ſentiret, ſubnectitque, proruptiſſe poſt Nicænam Synodum. Marcellus enim circa annum CCCXXXVI in ſuſpicionem venit, quòd prava ſentiret, imò in Concilio Conſtantinopolitano ob librum continentem Pauli Samoſateni hæreſim, quæ negabat, Chriſtum fuiſſe Deum, & Sabellii errorem negantem Trinitatem perſonarum, condemnatus fuit. Quibus de duobus erroribus, cùm apud Patres Antiochenos etiam in ſuſpicionem veniſſet, damnatus quoque fuit, ut liquet ex verbis tertiæ hujus Concilii Formulæ numero XVII recitatæ. Sed de Marcello plura anno ſequenti, quo Julio Papæ libellum Romæ obtulit.

XIX. *Canones Sy-*

Ad num. X. Antiocheni Concilii ad Encænia Canones XXV referuntur, quos Bellar-

nodi Antiochena.

Baron. num. XXIX & ſeqq.

minus lib. 1. de Conciliis cap. 6. exiſtimat conditos ab alio Concilio Catholico Provinciali Epiſcoporum triginta Antiochiæ celebrato. Addunt alii, hos Canones Antiochenos non magis videri unius Concilii, quàm contentos in Codice Canonum Africanæ Eccleſiæ Canones Carthaginienſes. Verùm, cùm levibus tantùm conjecturis nitantur, & viginti quinque Canones illi huic Antiochenæ Synodo attribuantur in Codice Canonum Eccleſiæ vulgò univerſæ, edito ante tempus Concilii Chalcedonenſis, uti & in priſca Canonum Collectione Latina, quæ paulò poſt Concilium Chalcedonenſe prodiit, hac de re non videtur quæſtio movenda. Canones II, IV, V & XII tanquam doloſæ Euſebianorum technæ ab omnibus recentibus habiti, quod ſenſiſſe etiam videtur Julius I in ſua ad Orientales epiſtola, Innocentius I, & Sanctus Chryſoſtomus. Cùm enim Theophilus Patriarcha Alexandrinus ad cauſam dicendam Conſtantinopolim vocatus eſſet, Chryſoſtomum abſentem depoſuit, & in exilium mitti curavit; deinde tranſmiſit Canones quoſdam, quibus vetabatur, ne depoſitus à Synodo Epiſcopus iterum abſque nova Synodo miniſterium exercere auderet. Quem Canonem Chryſoſtomus apud Socratem lib. 6. cap. 18. contendebat, *non Eccleſiæ Catholicæ, ſed Arianorum Canonem illum eſſe: Epiſcopi enim olim Antiochiæ congregati ad evertendam Conſubſtantialis Fidem præ odio, quo adverſus Athanaſium flagrabant, eum Canonem condiderunt.* Sed nec Athanaſius juxta hoſce XXV Canones depoſitus, nec Chryſoſtomus eos habuit pro Arianorum figmentis, ſed pro veris Eccleſiæ regulis, ut infrà oſtendetur. Mitto hic teſtimonia Chalcedonenſis Concilii, Ferrandi, Joannis Antiocheni, Dionyſii Exigui, Sancti Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi, aliorumque plurimorum Antiquorum, apud Schelſtratium in Diſſert. 2. cap. 2. legenda. Sufficiat annotare, quotquot reperire eſt in Occidente & in Oriente, qui Canones expoſuerunt, aut Collectionem Canonum adornarunt, unanimi conſenſu Antiochenos tanquam legitimos agnoviſſe.

XX. *Synodica Concilii Antiocheni.*

Baron. num. XXXII & XXXIII.

Extant hujus Concilii Synodicæ literæ, quæ licèt Canonibus præfixæ fuerint, poſt Canones tamen conſcriptæ. Baronius de hac Synodica cum XXIX Epiſcoporum ſubſcriptione adjuncta tractans, ait, Euſebianos (ſuæ factionis Epiſcopis omiſſis) ſolos Catholicos, & inter illos Jacobum Niſibenſem inſcripſiſſe, dehinc verborum lenocinio fucatam epiſtolam Synodicam præmiſiſſe. Verùm, undenam habet Cardinalis doctiſſimus, hanc epiſtolam ab Euſebianis verborum lenocinio fictam Concilio Antiocheno fuiſſe præfixam? Ex Synodica ipſa ab eo recitata colligitur, hanc ab omnibus Antiochiæ congregatis Epiſcopis editam eſſe, & per totum terrarum Orbem tranſmiſſam. Auctor ſanè ille qui circa tempora Leonis Papæ hujus nominis primi floruit, Synodicam illam pro genuina habuit, & ut talem Latinitate donavit; quod ſine ejus reprehenſione non contigiſſet, ſi epiſtolâ verborum lenocinio fictâ Conciliabulo auctoritatem conciliaſſet. Eam itaque ab Antiocheno Concilio, cùm Euſebiani zelum diſciplinæ Eccleſiaſticæ præ ſe ferrent, & per totum Orbem juxta receptum in Eccleſia morem tranſmiſſam, ipſa Synodica teſtatur. Ideoque viginti quinque Canones ex Majorum traditione in Eccleſia pro Eccleſiaſticis judiciis conſtanter adhibitos, longè veroſimilius eſt, quàm per fraudem Eccleſiæ fuiſſe obtruſos, & vicinorum quoque temporum Epiſcopos Euſebianorum impoſturâ fuiſſe deceptos; quod tamen omnibus Baronius perſuaſit.

XXI. *Conciliabulum Antiochenum adverſus Athanaſium.*

Venio nunc ad cauſam D. Athanaſii poſt Synodum Antiochenam in Conciliabulo ab Euſebianis pertractatam. Socrates lib. 2. cap. 8. ait: *Euſebiani ante omnia Athanaſium calumniari ſtuduerunt.* Et poſtquam ſcripſit, in locum ejus Gregorium fuiſſe delectum, pergit: *His ita geſtis interpolaverunt Fidem.* Eadem habent, Sozomenus lib. 3. cap. 5. Auctor Vitæ Pauli Conſtantinopolitani apud Photium codice 257. & recentiores Hiſtorici ante Schelſtratium. Verùm, ſicut Socrates poſt Synodum Antiochenam Euſebium Legatos ad Julium Papam miſiſſe tradidit, quod tamen ante Synodum contigit; ita initio Synodi rem Athanaſii pertractatam magno errore ſcripſit. Quòd enim Athanaſii cauſa in fine tantùm Concilii agitata ſit, ſuadet Conciliorum conſuetudo, juxta quam ad Conſtantium Imperatorem ſcripſit Liberius Papa, tunc de Athanaſii negotio in Synodo agendum, cùm ante omnia Fidei cauſa diligenter fuiſſet tractata. Edidit hanc Liberii epiſtolam Baronius ad annum 354. Liberio conſonant Epiſcopi, qui à Valente Imperatore ſub exilii pœna in damnationem Athanaſii ſubſcribere juſſi, in Synodo apud Arelatum ac Biterras reſponderunt, *ut priuſquam in Athanaſium ſubſcribere cogerentur, de Fide potiùs diſceptarent: nec tum demum de re cognoſcendum, cùm de perſona judicium conſtitiſſet*, ut habet Sulpicius Severus lib. 2. Quare incredibile eſt, Orthodoxos Eccleſiæ Antiſtites in Fide probatos, qui Concilio Nicæno interfuerant, hanc nomini ſuo notam inuri paſſos, ut pendente Athanaſii cauſa Romæ, ipſam Concilii ſui initio contra Synodorum morem proponi permiſiſſent, &, quod pejus erat, in deponendo citra Juris ordinem Magno Athanaſio Euſebianis conſenſiſſent.

XXII. *Poſt conditos Canones Athanaſii cauſa agitata.*

Baron. num. XXIX.

Sed vulgaris error ex ipſis adverſariis evertendus. Socrates, cùm de Athanaſii depoſitione agit lib. 2. cap. 5. dicit, eum inprimis fuiſſe depoſitum, *quòd decretum ab illis tum ſtatutum violaſſet, ſcilicet, quòd abſque conſenſu & ſententia communis Concilii Epiſcoporum, gradum Sacerdotii denuo ſuſcepiſſet.* Eadem habet Sozomenus citatus. Quare ante Athanaſii depoſitionem aliquid præceſſerat, ſtatutum nimirum, vi cujus ipſum depoſuerunt. Quòd ſi jam quæras ab adverſariis, quodnam fuerit illud ſtatutum? Omnes una voce reſpondent, eſſe Canonem XII Antiochenum. Non igitur ab Athanaſii depoſitione Acta ſua Concilium Antiochenum inchoavit, ſed Canones priùs ſtatuit; ideoque falſum eſt, Antiocheni Concilii Acta ab Athanaſii cauſa fuiſſe inchoata; cùm non modò Fidem ante Canones Antiochiæ ſtabilitam admittant Scriptores univerſi, ſed & Canones ante depoſitionem Athanaſii in Antiocheno Concilio fuiſſe ſtatutos, ipſi adverſarii vel inviti aſſerere teneantur. Aliter ergo, quàm

hactenus creditum, in Synodo Antiochena actum. In ea, poſt conditos ſumma animorum conſenſione XXV Canones, & Synodicâ epiſtolâ munitos; Euſebius cum fautoribus ſuis exiſtimante, ſe ſufficientem pro Religione & diſciplina zelum monſtraſſe, cauſam Athanaſii proponere aggreſſi ſunt; præſertim cùm jam à Macario, Heſychio, & Martyrio Româ Antiochiam reverſis percipere potuerint, rem hanc coram Sedis Apoſtolicæ tribunali minimè ad votum ſucceſſuram. Patet id ex luculentiſſimo teſtimonio Julii Papæ primi, qui in ſua ad Euſebianos Antiochiæ congregatos epiſtola ſcriptum reliquit: *Si enim poſt Synodum in culpa fuiſſet deprehenſus Athanaſius, non tamen oportuit, creationem novi Epiſcopi ita illegaliter & præter Canonem Eccleſiaſticum fieri.* Scribit hæc Julius primus anno ſequenti, cùm præſenti Euſebiani Antiochiæ Athanaſium depoſuiſſent, cujus depoſitionem narrans in citata ad Euſebianos epiſtola rem facti deſcribit. Notanda autem ejus verba: *Si namque poſt Synodum culpa obnoxius repertus fuiſſet Athanaſius*; ac ſi diceret, poſt Synodum Athanaſium reum fuiſſe habitum, & novum Epiſcopum Gregorium *illegaliter, ac præter Canonem*, tunc intruſum.

XXIII. *Canon vi cujus depoſitus Athanaſius.* Quæſitum ſæpius fuit, quiſnam ſit Canon ille, cujus Socrates & Sozomenus meminerunt, & quem ſcribunt, jam tum Antiochiæ fuiſſe ſtatutum. Reſpondet Baronius, fuiſſe Canonem XII Antiochenum *de damnatis Epiſcopis aut Clericis adeuntibus Imperatorem*; cujus Canonis verba ita abbreviavit Epitomator Græcus: *Depoſitus, ſi Imperatori moleſtiam exhibuerit, majorem petat Synodum, ejuſque decreto acquieſcat. Si verò & rurſum ægrè tulerit, reſtitutionem nec aſſequatur.* Baronius conſequenter ſtatuit, hunc Canonem illum eſſe, quem Innocentius primus, ut Hæreticorum commentum habuit, & Catholicis Canonibus addendum non eſſe, cenſuit. Baronium alii omnes poſtea ſecuti ſunt. Verùm, Canon ab Innocentio & Chryſoſtomo reprobatus ab illo valde diverſus: rejicitur enim etiam à Palladio Helenopolitano Epiſcopo, Chryſoſtomi diſcipulo, qui illum in Vita Chryſoſtomi his verbis exhibet: *Si quis Epiſcopus aut Presbyter ſive juſtè, ſive injuſtè depoſitus, ex ſe ipſo abſque Synodo in Eccleſiam redierit, hic jam excuſationis non habeat locum, ſed omnino expellatur.* Is Canon à Theophilo quondam Chryſoſtomo objectus in odium Athanaſii conditus fuit, ſed inter viginti quinque Antiochenos ab Eccleſia approbatos nullibi legitur. Canon XII agit de his, qui degradati ad Imperatorem recurrunt; de his non agit Canon à Palladio citatus: nec ſimiliter de modo adeundi Imperatorem, ut agit Canon undecimus, quem duodecimus continuat & confirmat. Denique ſcribit Palladius, *Canones, quos Theophilus miſerat, à quadraginta complicibus Arii editos.* Quare, cùm certò conſtet, nonaginta aut plures Epiſcopos adfuiſſe Concilio Antiocheno, quis non fatebitur, Catholicis à factione Euſebii ſeparatis, ſolos Euſebianos contra Athanaſium ſeorſim egiſſe, donec immutato Canone Antiocheno, & in pravum ſenſum expoſito, cauſam ſe inveniſſe exiſtimarunt, ob quam Fidei Athletam deponerent?

Baron. num. XXX & XXXI.

Sciebat Euſebius Nicomedienſis, Athanaſium in Tyrio Concilio damnatum, abſque nova Synodo poſt Conſtantini Magni obitum hujus filiorum decreto Epiſcopatum recuperaſſe. Quia verò inter Canones Antiochenos, Canone, ordine quarto, decretum erat: *Epiſcopus à Synodo depoſitus, ſi ſacra celebrare auſus fuerit, redeundi poteſtatem non habeat*; & Canone XII ſtatutum, Epiſcopum à Synodo damnatum, non ad Imperatorem, ſed *ad majorem Synodum* cauſæ ſuæ cognitionem deferre debere. Ex hiſce duobus in ſiniſtrum ſenſum pertractis unum conflavit Euſebius, & cum quadraginta factionis ſuæ Epiſcopis eum Canonem edidit, qui inter XXV Antiochenos nullatenus reperitur; ſed à Palladio, Georgio Patriarcha Alexandrino & Metaphraſte in Vita Chryſoſtomi adducitur. Statuerunt in eo Euſebiani, juſtè aut injuſtè depoſitum non poſſe ſine nova Synodo ſacrum miniſterium reſumere. Injuſtè autem depoſiti non meminerant Patres Antiocheni Canone IV, ad quem hiſce verbis Euſebiani reſpicere videbantur. Unde Georgius Alexandrinus Canonem hunc à Theophilo adductum vocat *adulterinam & falſi nominis ſcripturam*, quòd verba Canonis IV adulteraret, & injuſtè depoſitum ſine nova Synodo Thronum ſuum recuperare non poſſe decerneret, cujus nec Canon quidem Antiochenus meminerat. Statuerant ſubinde Euſebiani: Qui ſine nova Synodo Thronum ſuum recuperat, *expellatur, & demum in exilium relegetur*, ut videre eſt apud Georgium Alexandrinum. Canon autem XII, qui majoris Synodi meminerat, etiamſi damnatum à Synodo, ſi Imperatorem adeat, nullâ veniâ dignum conſtituat, de exilio tamen ne verbum quidem fecerat; adeo ut Euſebianos in Canone ſuo hoc ipſum Canonis XII verbis addidiſſe in odium Athanaſii, in cujus exilium unicè conſpirabant, manifeſtum videatur. Hinc intelligimus quid ſibi voluerit Georgius Alexandrinus, cùm in Vita Chryſoſtomi, allato Euſebianorum Canone, addit: *Et hic quidem Canon tanquam illegitimus & à jure diſſentiens de relegando in exilium, in Sardicenſi Synodo declaratus eſt.* Notanda ſunt illa verba, *de relegando in exilium*, quæ à Synodo Sardicenſi ſpecialiter fuiſſe reprobata ſcribit Georgius, quòd ſciret, hæc ipſa ab Euſebianis in odium Athanaſii contra jura & Eccleſiæ decreta fuiſſe adjuncta. Hæc omnia ex præſtantiſſimo Opere *de ſacro Concilio Antiocheno* à Schelſtratio V. C. elucubrato ſummatim exſcripſimus, quæ fuſiùs pertractata apud ipſum videri poterunt.

XXIV. *Ab Euſebio Nicomedienſi confictus.*

Ad num. V. Quia exiſtimabat Baronius, Synodum Antiochenam ab Athanaſii cauſa inchoatam fuiſſe; ideo priùs de ea, quàm de aliis Synodi Actis, illi agendum fuit. Nos verò majoris claritatis gratiâ, rebus, eo ordine quo geſtas eſſe credimus, explicatis, quæ prætermiſimus, nunc percurremus. Extat Athanaſii epiſtola ad Orthodoxos, *cùm per Arianos perſecutio fieret*, ut in ejus titulo legitur. In ea *Georgii* nomen identidem legitur. Putat autem Baronius, quæ illic narrantur ab Athanaſio, *Gregorii* potiùs inva-

XXV. *Epiſtola ad Orthodoxos de ſecunda Eccleſiæ Alexand. invaſione intelligenda.*

ſioni convenire, quàm *Georgii*, qui anno trecenteſimo quinquageſimo ſexto Sedem Alexandrinam occupavit; ideoque *Georgii* nomen loco *Gregorii*, in illam epiſtolam perperam intruſum eſſe. Baronio adhæret Hermantius in Vita Gallica S. Athanaſii lib. 5. cap. 14. eo præcipuè fundamento fretus, quòd ex ea epiſtola pag. 946. & 947. appareat, Athanaſium feriâ ſextâ majoris hebdomadæ adhuc Alexandriæ fuiſſe; cùm tamen ex epiſtola ejus ad Solitarios pag. 867. eum die nona Februarii ex ea urbe egreſſum conſtet. Unde infert Hermantius, epiſtolam ad Orthodoxos ad invaſionem Gregorii, quæ currenti anno contigit, non verò Georgii, referendam eſſe. Verùm, ea ad Orthodoxos epiſtola in poſteriori invaſione ſcripta. Poſtquam enim Athanaſius in ea ad Orthodoxos epiſtola ſcripſit, *Georgium*, utpote Arianum, Arianis duntaxat faviſſe, Catholicos verò tanquam extraneos & alienos inſectari ſolitum, hæc ſubjungit, ex verſione Valeſii. (Nannius enim Latinus Interpres ſenſum Auctoris ſui minimè eſt aſſecutus, id quod Baronio ceteriſque fraudi fuit) *Nam quoniam Gregorium*, inquit Athanaſius, *quem antea Euſebiani Ariani Epiſcopum conſtituerant, poſtquam de illo ſcripſiſſem, omnes vos Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopi jure merito ob impietatem anathemate percuſſiſtis & abdicaſtis, quemadmodum probè ſcitis: ob eam cauſam Georgium nunc iiſdem Arianis miſerunt Epiſcopum. Deinde ne pudore iterum ac probro afficiantur, nobis adverſus ipſos literas ſcribentibus, extranea vi contra nos uſi ſunt, ut Eccleſiis in ſuam poteſtatem redactis, omnem Arianiſmi ſuſpicionem à ſe amoliri viderentur*, &c. » Annon » apertiſſimè Georgium diſtinguit à Gregorio; » & hunc quidem olim ab Orthodoxis Epiſco» pis condemnatum eſſe dicit atque depoſitum, » in Synodo ſcilicet Sardicenſi: Georgium » verò ab iiſdem Arianis nunc in Eccleſiam » Alexandrinam immiſſum eſſe. Et Arianos » metuentes, ne Georgius ſimiliter ab Ortho» doxis Epiſcopis condemnaretur, graſſationem » ſuam callidè diſſimulantes, ad Eccleſias ur» bis Alexandriæ occupandas, extranea vi uſos » eſſe, id eſt, Gentilium & Judæorum auxilio. » Ita enim ſcribit ipſe Athanaſius in eadem epi» ſtola, & in epiſtola ad Solitarios, ubi Geor» gii introitum deſcribit. Quare epiſtola cir» cularis Athanaſii ad omnes Orthodoxos, non » adverſus *Gregorium* ſcripta eſt, ſed adverſus » *Georgium* recens in Sedem Alexandrinam in» truſum. Contra quem etiam ſcripta eſt ab » eodem Athanaſio altera circularis epiſtola ad » Epiſcopos Ægypti & Libyæ, quæ in vulgatis » editionibus perperam inſcribitur, *Oratio pri*» *ma adverſus Arianos*, cùm tamen epiſtola ſit » encyclica *ad omnes per Ægyptum & Libyam* » *Epiſcopos*, quæ jungi omnino debet epiſtolæ » circulari ejuſdem Athanaſii ad omnes Ortho» doxos. Eſt enim ejuſdem utraque argumenti. Hæc Valeſius citatus.

XXVI. *Phylagrius Ægypti Præfectus in utraque Athanaſii depoſitione.*

Verùm, ait Baronius, in epiſtola illa Athanaſii ad Orthodoxos *Philagrius* nominatur Præfectus Ægypti, qui Epiſcopum illum, de quo agitur, in Sedem Alexandrinam induxerit. Atqui Philagrius ille Gregorium deduxit Alexandriam, teſte Athanaſio in epiſtola ad Solitarios. Sed quid vetat, inquit Valeſius, quominus idem *Philagrius*, qui Gregorium priùs cum militari manu introduxerat Alexandriam, aliquot poſt annis etiam Georgium induxerit. Erat certè *Philagrius* præcipuus Miniſter Arianorum, qui cùm eſſet Præfectus Ægypti, Valenti & Urſacio, aliiſque Concilii Tyrenſis Legatis ad Mareoticam regionem miſſis, operam ſuam navaverat anno Domini CCCXXXV. Idem poſtea Præfectus Ægypti ab Imperatore Conſtantio factus, Gregorium in Alexandrinam Sedem hoc anno induxit, non verò ſequenti, ut perperam Baronius. Quidni ergo Ægypti Præfectus tertiò creari potuit, ſuffragantibus Arianis, qui apud Imperatorem Conſtantium omnia pro arbitrio ſuo agebant, ut Georgius Arianæ ſectæ patronus, à Judice Arianis fideliſſimo, & ad hæc gerenda aptiſſimo Alexandriam deduceretur? Certè Athanaſius in dicta epiſtola ad Orthodoxos pag. 945. ait, Philagrium iſtum jam olim in Eccleſiam & virgines contumelioſum fuiſſe. Quandonam igitur primùm injuriâ affecit Eccleſiam ac virgines *Philagrius*, niſi tunc cùm Gregorium deduxit, & poſtea Georgium. Idem planè confirmat Athanaſius in Apologia de fuga ſua pag. 703. Hæc Valeſius. Sed licèt nihil vetet, Philagrium tertiam Præfecturam in Ægypto geſſiſſe; cùm tamen de ea certa argumenta non ſuppetant, præſtat dicere, Philagrium, cujus mentio in epiſtola Athanaſii ad Orthodoxos, alium eſſe à *Philagrio*, qui anno CCCXXXV, ac poſtea anno CCCXLI Præfectus Ægypti fuit.

XXVII. *Duo Philagrii Ægypti Præfecti diſtinguēdi.*

Duo itaque *Philagrii* diſtinguendi. Prior duplicem Præfecturam Ægyptiacam adminiſtravit, ortuque Cappadox fuit, cujus non ſemel Athanaſius meminit. Secundus eſt *Philagrius*, cujus mentionem facit Gregorius Nazianzenus in Laude funebri Sancti Athanaſii. Nazianzeni verba afferemus anno CCCLXII numero XVII. Hunc fuiſſe etiam Cappadocem, & poſt Juliani Imperatoris mortem iterum Præfecturâ Ægypti decoratum eſſe Nazianzenus teſtatur. Quare regnante Conſtantio jam Ægypti Præfectus fuerat, & quidem quantùm conjicere licet, anno trecenteſimo quinquageſimo ſexto, quo Athanaſius ex urbe Alexandrina iterum fugere coactus eſt. De iſto Philagrio prioris, ut videtur, filio intelligenda hæc Athanaſii verba in Epiſtola ad Orthodoxos tomo 1. pag. 945. *Philagrius jam olim in Eccleſiam & virgines injurius, per id tempus Præfectus Ægypti, olim tranſfuga noſtræ Religionis, Georgii conterraneus, homo nequaquam ſpectatis moribus, fretus magiſtratus ſui auctoritate præſidioque, ad quidvis audendum promptus, & qui apoſtata in Eccleſiam infeſtus, & praeceps, & Ethnicas tribus, Judæoſque item, atque alios protervos homines adhortationibus, magniſque promiſſis, quæ ſecundùm pacta pro opera præſtita bene perſolvit, adverſus Eccleſiam inſtigatos, cuneatim cum gladiis & fuſtibus, contra populos in Eccleſias immittit*, anno nempe CCCLVI. Quòd ſi *Philagrius* iſte aliàs Ægypti Præfectus fuiſſet, ejus Præfecturæ Athanaſius mentionem faceret, quemadmodum in epiſtola ad Solitarios pag. 844. de priori Eccleſiæ Alexandrinæ invaſione per Gregorium facta, & de Philagrio tunc Ægy-

per Præfecto, anno ſc. CCCXLI, loquens, & Conſtantium, quòd patris exemplum non ſequeretur, reprehendens ait: πάντα ψεύδεται διὰ τὴν ἀνόητον αἵρεσιν, καὶ γὰρ παρὰ γνώμην τοῦ πατρὸς, καὶ τότε Φιλάγριον τὸ δεύτερον ἔπεμψεν ἔπαρχον, καὶ τὰ νῦν γενόμενα γέγονε. Quæ verba ſic Interpres Latinus vertit: *Omnia in gratiam vecordis hæreſeos mentitur, qui præter mentem patris, & antea bis Philagrium Præfectum miſit, & nunc per eum ſcelera iſta deſignavit.* Verùm ſic ultima verba vertenda: *Et tunc Philagrium Præfectum iterum miſit, & nunc per eum ſcelera iſta deſignavit.* Ubi de priori & de poſteriori Eccleſiæ Alexandrinæ invaſione loquitur Athanaſius, aitque, Conſtantium anno CCCXLI Philagrium iterum Alexandriam miſiſſe, & anno CCCLVI per eumdem Philagrium ſcelera, de quibus ſermonem habet, deſignaſſe; ubi Athanaſius Philagrium Conſtantino Magno vivente, annoque CCCXXXV jam Præfectum fuiſſe inſinuat. Quod verò ſubdit, in ſecunda invaſione Conſtantium per Philagrium ſcelera deſignaſſe, ex duobus alterutrum indicat, aut iſtum Philagrium anno CCCLVI tertiùm Præfecturam Ægypti obtinuiſſe, aut, quod veroſimilius exiſtimo, eo conſiliario & auctore, Conſtantium, quæ tunc geſta adverſus Athanaſium, decreviſſe. Quare Philagrius ille, cujus mentio in loco mox citato ex epiſtola ad Orthodoxos, diverſus eſt ab eo *Philagrio*, qui anno CCCXXXV, & anno CCCXLI Ægyptum rexit, hujuſque ſine dubio filius fuit. Sed quid adhuc hæremus? Ipſemet Athanaſius in epiſtola ad Solitarios pag. 813. loquens de morte S. Pauli Epiſcopi Conſtantinopolitani, quæ anno CCCL contigit, diſertè memorat *Philagrium Vicarium Cappadociæ* ſub Philippo Præfecto, quod de Philagrio jam duplici Præfectura Ægypti exornato nullo modo intelligi poteſt. Quis enim ſibi perſuaſerit, hominem adeo inſignem eò dejectum, ut Vicarius Præfecti patriæ ſuæ poſt duplicem Præfecturam geſtam dictus fuerit: *Siquidem*, inquit Athanaſius, *Philagrius per id tempus eorum locorum Vicarius*, (de Cappadocia loquitur) *omniumque, quæ ipſi* (nempe Euſebiani) *vellent, hiſtrio: ſed tamen ſuper hoc ſcelere ſtupens ac mœrens, credo quòd alius, ac non ipſe potius, ejus necis auctor eſſet, plurimis rem prodidit, &c. cùm eò ingreſſi Euſebiani hominem adhuc ſpirantem inveniſſent, per vim Epiſcopum ſtrangulaſſe, & Diaconum dixiſſe, inferendæ necis miniſtrum Philippum Præfectum fuiſſe.* Ubi vides, Athanaſium *Philagrium* iſtum vocare omnium, quæ Euſebiani vellent, hiſtrionem, ideoque & diverſum non eſſe ab eo Philagrio, de quo ſermo in epiſtola ad Orthodoxos, qui dicitur in virgines & Eccleſiam injurius fuiſſe. Neque dubito, quin in duobus iſtis locis de eodem Philagrio juniori Athanaſius loquatur, ideoque, quin epiſtola ad Orthodoxos referenda ſit ad ſecundam Eccleſiæ Alexandrinæ invaſionem, non verò ad primam, ut hactenus non ſine Hiſtoriæ detrimento præſtitum.

XXVIII. *In epiſtola ad Orthodoxos nulla Euſebii mentio.* Alterum Baronii fundamentum petitur ex mentione de Euſebio adhuc vivente, nempe Nicomedienſi dicto, qui *Gregorium* Alexandriam mittendum curavit, quique anno ſequenti mortuus eſt. *Major ea de cauſa in templa populi defluxus, & præcipuè ob id, quòd nullas querelas, nec à plebe, nec à Presbyteris, nec ab Epiſcopis contra me habitas ſatis ſcirent, neminemque niſi Arianos cum Georgio eſſe: ipſumque adeo Arianum & eſſe, & ab Ariano Euſebium miſſum eſſe cognoſcerent.* Ita Athanaſius in epiſtola ad Orthodoxos pag. 944. ubi Baronius loco Georgii, *Gregorium* legendum contendit. Verùm, ut obſervat Valeſius loco citato, Baronium decepit Latinus Interpres; in Græco enim epiſtolæ textu enthroniſmus Georgii non Euſebio adſcribitur, ſed τοῖς περὶ Εὐσέβιον, id eſt, *Euſebianis*: ideoque ea verba ita vertenda: *Ipſumque adeo Arianum & eſſe, & ab Euſebianis miſſum eſſe cognoſcerent.* Athanaſius enim Euſebianos paſſim in libris ſuis nominat, licèt ea narret, quæ diu poſt obitum Euſebii Nicomedienſis contigerunt. Baron. ann. 342. num. XIX.

XXIX. *Locus Athanaſii malè explicatus.* Ad annum trecenteſimum quinquageſimum ſextum commodiùs reſpondebimus ad fundamentum Hermantii ſuprà adductum. Ad noſtrum autem reſpondet Baronius, fretus verſione Latina loci Athanaſii ſuprà à nobis num. XXV citati, Athanaſium, cùm Gregorii electionem accepiſſet, & antequam Alexandriam veniſſet, de ea ſcripſiſſe ad omnes Epiſcopos, qui ſtatim eum excommunicarunt. Baron. num. XVI. Hæc verſio vulgaris: *Ego autem quia jam pridem, cùm eum Ariani ut fidum ſibi in Epiſcopum promovebant, ſcripto edideram, nemini veſtrûm Catholicis Epiſcopis ignotum eſſe Gregorium, eumque meritò à vobis pro impietate ſua excommunicatum eſſe, & anathema edicto Eccleſiæ proclamatum, nec aliam eſſe cauſam, cur eum Ariani pro Epiſcopo mittant, niſi ne denuo ex meis ſcriptis ſimilia convicia paterentur. Barbara & exotica vi in me coorti, Eccleſias in ſuam poteſtatem redegere, ut ita Arianiſmi ſuſpicionem vitarent.* Sed hæc interpretatio hoc in loco vix percipi poteſt, ut inquit ibidem Hermantius, nec ſenſus à Baronio intentus, è textu Græco elici poteſt. Ipſemet Hermantius exiſtimat, textum illum corruptum eſſe, & loco *Gregorii*, legendum nomen *Piſti* Arianorum Epiſcopi, quod, quia minùs celebre, à Librario prætermiſſum fuit. Quod cùm in cauſa fuerit, cur hoc in loco Gregorii nomen in illud Georgii mutatum fuerit; neceſſe poſtea fuit illud in tota ea ad Orthodoxos epiſtola mutare. Sed quia illud gratis aſſeritur, ideo à Valeſii interpretatione & ſententia minimè diſcedendum.

XXX. *Geſta in prima & in ſecunda invaſione Eccleſiæ Alexandrinæ inter ſe non confundenda.* Accuratiùs itaque inpoſterum, quàm hactenus factum, diſtinguenda quæ in priori & poſteriori Eccleſiæ Alexandrinæ invaſione patrata ſunt, ac pro certo habendum, mitiùs actum cum Alexandrinis fuiſſe, quando Gregorius in Eccleſiam Alexandrinam intruſus, quàm cùm iterum Georgius eandem invaſit: cujus rei ipſum Athanaſium teſtem habemus in Apologia de fuga ſuâ pag. 703. ubi de priore invaſione loquens inquit: *Quid autem de nobis ipſis noſtriſque Presbyteris dicam, quorum latebras eo ſtudio rimati ſunt, ut inventis nihil præter mortem expectandum fuiſſet, quod de nobis quoque futurum erat, niſi feliciter elapſi eſſemus. Tales enim literæ adverſus Olympium ad Proconſulem Donatum miſſæ ſunt, taleſque item adverſus nos ad Phi-

lagrium, iterum ſcilicet Ægypti Præfectum. Tum pagina ſequenti de perſecutione ſua, quæ anno CCC LVI contigit, ait: *Ab illo facinore Alexandriam adoriuntur, denuo nos ad necem quærentes, & quæ tunc acta ſunt* LONGE TETRIORA QUÀM PRIORA FUERUNT. Præterea Athanaſius in epiſtola ad Solitarios pag. 815. ubi dixit, Euſebianos Conſtantium cum lamentis adiiſſe, ac obtinuiſſe, ut denuo Philagrius Præfectus Ægypti adverſus Athanaſium mitteretur, ſubdit, Eccleſiam Quirini occupatam fuiſſe, alios cæſos, alios in carcerem truſos, alios exilio, alios bonorum proſcriptione mulctatos, ut omnes Gregorium vel inviti ſuſcipere cogerentur. Ac poſt hæc concludit: *Athanaſius autem priuſquam iſta fierent, ſemel re cognita*, (ſeu ut expreſſiùs Græcum habet, μόνον ἀκούσας, id eſt, *cùm rem auditione tantum accepiſſet*) *Romam navigavit, non ignarus hæretici furoris.* Ex quibus ultimis verbis intelligimus, Athanaſium nonniſi poſt intruſionem Gregorii Romam veniſſe, ut notat Valeſius in Obſervat. Eccleſiaſt. in Socratem & Sozomenum lib. 1. cap. 3. ac præterea, dum Euſebiani Athanaſium ad mortem quærerent, cùm is hoc auditione accepiſſet, fugâ elapſum eſſe, ac Romam navigaſſe; ac denique in prima iſta invaſione tot facinora patrata non eſſe ac in poſteriori, quæ à menſe Februario cœpta adhuc feſtis Pentecoſtes durabat, ut ſuo loco oſtendi. Non mirum autem, recentes Vitæ S. Athanaſii Scriptores, quæ geſta fuere in ſecunda invaſione, primæ adſcripſiſſe, cùm Socrates & Sozomenus ad eundem lapidem offenderint, ut in Annalibus videre eſt.

XXXI. *IV Fidei Formula Synodi Antiochenæ ab Euſebianis edita.*

Baron. num. XXV & XXVI.

Ad num. VIII. Athanaſius in libro de Synodis poſtquam tres Fidei Formulas per Encæniorum feſtum Antiochiæ editas, de quibus ſuprà egimus, recitavit, poſtea pag. 894. ſubdit: *Ne tum quidem arbitrati ſunt perfectè Fidem ſuam conſcriptam eſſe, aliud genus de Fide poſt aliquot menſes conficiunt, amandantque in Gallias Narciſſum, Marim, Theodorum, Marcum, qui quaſi à Synodo emiſſi, iſta beatæ memoriæ Conſtanti Auguſto, cæteriſque qui ibi aderant, tradiderunt.* Refert poſtea Athanaſius quartam illam Fidei Formulam, quæ & habetur apud Socratem lib. 2. cap. 18. Scripta ea poſt aliquot menſes à Concilio Antiochiæ celebrato, ſed non ſtatim Narciſſus & alii Legati in Galliam miſſi; licèt Athanaſius utrumque uno tenore exponat. Socrates enim lib. 2. cap. 28. teſtatur, Occidentis Imperatorem, ſcilicet Conſtantem, certiorem factum de Athanaſii Alexandrini & Pauli Conſtantinopolitani abdicatione, literas ſcripſiſſe ad Conſtantium Orientis Imperatorem, *ut tres Epiſcopi rationem de Pauli & Athanaſii abdicatione reddituri ad ipſum mittantur.* Et hac occaſione, inquit Socrates, miſſi ſunt illi Legati, *qui cùm veniſſent, congredi quidem cum Athanaſio noluerunt*, &c. Ex quibus liquet, Athanaſium, qui Romæ hoc anno verſabatur, monitum per literas de iis, quæ Antiochiæ geſta erant, adiiſſe Conſtantem Occidentis Imperatorem, & ab eo ad Conſtantium literas impetraſſe, quibus tres Euſebianæ partis Epiſcopi evocabantur, rationem reddituri de depoſitione Athanaſii. Literæ itaque illæ diu poſt Antiochenam Synodum tranſmiſſæ; licèt quarta illa Fidei Formula *poſt aliquot menſes* à Synodo exarata fuerit. Quare Legati illi anno tantùm ſequenti in Galliam miſſi ſunt. Neque enim parvo tempore opus fuit, ut Athanaſius de iis quæ Antiochiæ geſta erant, moneretur, Conſtantis literæ ad Conſtantium perferrentur, & Legati in Gallias pervenirent. His adde, eam Legationem non præceſſiſſe epiſtolam Julii Papæ ad Orientales; cùm in ea de Legatione iſta nulla mentio ſit: quin contrà Julius dicat, ſe diu fruſtra expectaſſe, ut ex Euſebianorum parte aliquis veniret. Inſuper Socrates lib. 2. cap. 12. aſſerit, Marim Chalcedonium, & Theodorum Heracleæ in Thracia Epiſcopum, ex Legatis duos, poſt Euſebii Conſtantinopolitani Epiſcopi mortem, quæ anni ſequentis initio contigit, Macedonium Conſtantinopoli ordinaſſe. Quare uterque Legatus anni ſequentis initio Conſtantinopoli erat. Socrati Sozomenus lib. 3. cap. 10. ſuffragatur. Denique epiſtola Julii Papæ ad Orientales, quæ anno tantùm ſequenti ſcripta, ad Narciſſum, Marim, Theodorum, Macedonium, alioſque directa eſt. Quare anno currenti Narciſſus & tres alii Legati in Occidentem non venerunt. Ait Athanaſius, hos Legatos quaſi à Synodo emiſſos eſſe, ὡς ἀπὸ συνόδου; quòd ſciret Athanaſius, inquit Schelſtratius in Diſſert. 5. de ſacro Concilio Antiocheno cap. 4. ſeparatis ab Euſebianis Catholicæ partis Epiſcopis, non tam Synodum quàm ſpeciem Synodi manſiſſe. Euſebiani enim uſque ad finem præſentis anni Antiochiæ ſubſtiterant, & poſt aliquot menſes à conſtitutis tribus primis Fidei Formulis hanc quartam edentes, Narciſſo & ſociis Conſtanti Auguſto præferendam tradiderunt: eoſque quaſi à Synodo emiſſos dixit Athanaſius, quòd tunc miſſi eſſent, cùm jam vera Synodus Antiochena deſiiſſet, & Conciliabulum Antiochiæ inchoaſſet.

XXXII. *In ea Fidei Formula Euſebiani doloſè agunt.*

Edita itaque hæc quarta Fidei Formula à ſolis Euſebianis, non jam contra Sabellianam hæreſim, ſed ad inuſtam hæreſeos Arianæ notam avertendam. Ob involutam tamen ſilentio Filii Conſubſtantialitatem ſubdolè egêre; & verum eſt quod ſcripſit Sozomenus lib. 3. cap. 5. Euſebianos Antiochiam conveniſſe, *ſimulatione quidem ut novam Eccleſiam conſecrarent; ſed revera, ſicut eventus declaravit, ut decreta Niceni Concilii abrogarent.* Enimvero Euſebiani ſimulatè Antiochenum Concilium inchoarunt, & zelum Fidei contra Sabellianam hæreſim propugnandæ, non minùs quàm zelum diſciplinæ Eccleſiaſticæ contra Canonum tranſgreſſores promovendæ, eo duntaxat animo oſtentarunt, ut Athanaſium ſimili zelo deponere, & quæ cauſæ ſuæ favere poterant, conſtituere viderentur. Quòd ex rerum eventu colligimus: quandoquidem zelo illo tot ſtatutis demonſtrato nihil proficere rati, larvam ſimulationis depoſuerint, & impia contra Eccleſiæ Canones ſtatuta fingentes, juxta ea Athanaſium depoſuerint; & quò magis in Fidei ab Athanaſio propugnatæ perniciem ſtudere viderentur, in edita, ad avertendam ſuſpicionem de hæreſi Ariana notam, Fidei Formula, verbum illud omiſerint, quo Arianæ hæreſeos fautores à Catholicis tunc temporis diſcreti fuerunt.

Licèt enim Formulæ à toto Antiocheno Concilio editæ non contineant expreſſis verbis *Conſubſtantialis* vocem; eandem tamen veritatem aliis verbis exprimunt; quod dici non poteſt de prima Formula ante Concilium, & de quarta poſt illud editis, quæ meritò in ſuſpicionem veniunt, licèt nihil eorum quæ Nicææ contra Arium deciſa ſunt, expreſsè improbarint. Cùm enim per illas Sabellianam hæreſim non oppugnent, ſed potiùs in iis Arianæ hæreſeos ſuſpicionem à ſe avertere conentur Euſebiani, fundamentum non habuere omittendi vocem *Conſubſtantialis*, quâ ſolâ omnem omnino ſuſpicionem hujus hæreſis à ſe amoviſſent.

XXXIII. *Synodus Romana.* Baron. num. XLVII.

Ad num. XIII & XIV. *Synodus Romana* in cauſa Athanaſii, & in cauſa Marcelli Ancyrani Epiſcopi, quam Baronius anno præcedenti inchoatam, præſentique continuatam arbitratus eſt, ad annum ſequentem pertinet, quo Baronius alteram Synodum Romanam excogitavit. Quo etiam anno, quæ ad Synodum Romanam pertinent, explicabimus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ
5835. ☉ 15 C. ☽ 1. P. 15. APRIL.
INDICT. 15.
JESU CHRISTI 342.
JULII PAPÆ 6.
CONSTANTII ET CONSTANTIS 6.

I. *Conſules. Decennalia Conſtantis, & Vicennalia Conſtantii.*

COss. *Conſtantius Aug. III, & Conſtans Aug. II.* Sumtus uterque Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam: Conſtans enim Imperii Cæſarei Decennalia; Conſtantius verò ejuſdem Imperii Vicennalia celebravit.

II. *Gregorius invadit Sedem Alexãdrinam.* Baron. num. 1 & ſeqq.

Ad num. I, II & III. Adventus Gregorii in urbem Alexandrinam malè à Baronio in hunc annum dilatus: epiſtola enim Euſebianorum, quam ipſe affirmat ſcriptam eſſe poſt Concilium Antiochenum ad Encænia, ideoque ante menſem Septembrem anni CCCXLI, quo Indictio XV inchoata, data eſt poſt Gregorii in urbem Alexandrinam ingreſſum, ut colligitur ex eo quòd Julius in ſua ad Orientales epiſtola ſcribat, Preſbyteros ſuos, qui eam attulerant, cum luctu ab Euſebianis remiſſos fuiſſe, *ob ea, quæ iſthic geri conſpiciebant*, ut legitur in eadem epiſtola recitata ab Athanaſio pag. 740. Præterea ibidem pag. 749. poſtquam Pontifex fusè narravit mala à Gregorio tunc patrata, Euſebianos irridet dicens: *Scribitis, magnam pacem Alexandriæ & per Ægyptum fuiſſe, niſi fortè res officiumque pacis in contrariam jam ſignificationem abierit.* Rectè itaque Bollandus die decima ſeptima Januarii pag. 110. Gregorii invaſionem anno CCCXLI conſignat. Porro quæ narrat hic Baronius de iſta intruſione ex epiſtola Athanaſii ad Orthodoxos ſcripta, pertinent ad annum CCCLVI, ſeu ad ſecundam Sedis Alexandrinæ invaſionem; cùm hujus occaſione epiſtola illa ſcripta fuerit, ut anno præcedenti monſtravi. Neque enim dici poteſt, Athanaſium Euſebianos aggreſſos eſſe in ea, in qua commorabatur Eccleſia; cùm ipſemet teſtetur, ſe, hos ubi tumultus *auditione* accepit, Romam navigaſſe, ut anno præcedenti oſtendimus. Ad hunc ingreſſum referenda, quæ anno ſuperiori num. XXVII ex ipſomet Athanaſio ſcripſimus de geſtis in hac priori Eccleſiæ Alexandrinæ invaſione.

III. *Synodus Romana in cauſa Athanaſii.* Baron. ann. 341. num. XLVI & ſeqq. Spondan. ibid.

Ad num. V & VI. Valeſius in Obſervat. Eccleſiaſt. lib. 1. Baronii varios lapſus in Romana Synodo, quæ Athanaſium abſolvit, explicanda detexit, ex quo hæc mutuati ſumus. Cùm ex epiſtola Julii ad Orientales data conſtet, *Athanaſium* Romæ manſiſſe annum integrum & ſex menſes, dum Euſebianorum adventum expectaret, Baronius qui illum anno CCCXL Romam veniſſe ſcripſerat, neceſſe habuit, Romanam Synodum, in qua abſolutus eſt, in exitum anni CCCXL conjicere. Sed ea ante præſentem annum non celebrata. Athanaſius enim in epiſtola ad Solitarios disertè ſcribit, Romanam Synodum poſt dimiſſos ab Euſebianis Julii Legatos Elpidium atque Philoxenum congregatam eſſe. Locus eſt pag. 816. ubi, poſtquam retulit, Elpidium atque Philoxenum Preſbyteros à Julio miſſos fuiſſe, qui Euſebianos ad cauſam dicendam citarent, ſubdit, Euſebianos, audito nomine Eccleſiaſtici judicii, adeo contremuiſſe, ut animum prorſus deſponderent. Ad ſolitas igitur artes eos converſos ait, Preſbyteros Julii ultra diem Synodo præfinitum à Julio detinuiſſe, vanaſque prætuliſſe excuſationes, quòd metu Perſici belli Romam ipſis proficiſci non liceret. Tandem verò, inquit, *Preſbyteros ſuos dimiſerunt cum abſurdiſſima excuſatione hoc genere colloquii inter ipſos habito: Quandoquidem Eccleſiaſtico judicio vincere non poſſumus, ſolita noſtra vi agamus. Dant igitur literas ad Philagrium, auctoreſque ſunt, ut ille quamprimùm cum Gregorio in Ægyptum abeat.* Deinde cruentum Gregorii introitum in Urbem Alexandrinam, & cædes atque exilia Epiſcoporum recenſet. Ac tum demum Romanam Synodum commemorat pag. 818. *Romæ verò congregati Epiſcopi propè quinquaginta, Euſebianos ut ſuſpectos timenteſque ſe ſiſtere, non receperunt, & quæ ab ipſis ſcripta eſſent, infirmarunt. Nos autem ſuſceperunt, & communionem nobiſcum amplexi ſunt.* Ex quibus verbis liquidò apparet, Romanam Synodum nonniſi poſt reditum Legatorum habitam fuiſſe

IV. *Præſenti anno celebrata eſt.*

Idem demonſtrat Valeſius ex altero Athanaſii loco, qui habetur in Apologia ſecunda adverſus Arianos pag. 739. quem nova verſione donat; quia ab Interprete malè tranſlatus fuit: *Denique Epiſcopi plures quàm quinquaginta, congregati in Baſilica, in qua Vito Preſbyter populum colligebat, noſtram quidem defenſionem æquo animo ſuſceperunt, & communionem nobiſcum ac dilectionem fovendam eſſe ſanxerunt: adverſus autem Euſebianos indignati ſunt, & Julium rogarunt, ut hæc ad illos perſcriberet, cùm illi priores ad ipſum ſcripſiſſent. Scripſit ergo Julius, & literas miſit per Gabianum Comitem.* Subjungit deinde Athanaſius literas Julii, quarum hoc eſt exordium: *Julius Dianio, Flaccillo, Narciſſo, Euſebio, Mari, Macedonio, Theodoro, & qui cum illis ſunt, dilectiſſimis fratribus, qui Antiochiâ ad nos ſcripſerunt. Legi epiſtolam veſtram quam Preſbyteri mei Elpidius & Philoxenus mihi attulerunt, &c.* Denique poſt recitatas Julii literas hæc addit

Athanaſius: *Hac cum Romana Synodus per Julium Romanum Pontificem ſcripſiſſet*, &c. Ex his colligitur primò, Romanam Synodum, quà Athanaſius innocens pronuntiatus eſt, celebratam eſſe poſt reditum Elpidii atque Philoxeni. Secundò, literas Epiſcoporum Antiochenæ Synodi ad Julium Papam, quas ſupradicti Legati detulerant, in eadem Synodo Romana eſſe recitatas. Tertiò, Julium Papam rogatum eſſe ab Epiſcopis Synodi Romanæ, ut Epiſcopis Antiochenæ Synodi reſcriberet, iiſque decretum Synodi Romanæ ſignificaret. Poſtremò, epiſtolam illam Julii, quam ibidem refert Athanaſius, & cujus initium duntaxat adſcripſimus, eam ipſam eſſe, quam Julius ſcripſit rogatu & nomine Synodi Romanæ, quæ Athanaſium abſolverat. Quæ omnia ex lectione epiſtolæ ipſius Julii apertè confirmantur. Nam & literas Epiſcoporum Synodi Antiochenæ in Synodo Romana lectas eſſe diſertè teſtatur Julius in principio ſuæ epiſtolæ: nec ſolùm poſt reditum Legatorum ſuorum eam Synodum celebratam eſſe indicat, verùm etiam diu poſt ordinationem Gregorii, & poſt violentum ejus ingreſſum in urbem Alexandriam. Certè cædes & exilia Epiſcoporum, proſcriptiones & carceres civium, & alia ſcelera ac ſacrilegia commemorat, à Gregorio tunc temporis perpetrata, quem Julius ne nomine quidem Epiſcopi unquam dignatur, ut videre eſt pag. 749. Atque hæc Julius Papa ſe accepiſſe dicit, tum ex literis Epiſcoporum, qui ex Ægypto hæc ad ipſum ſcripſerant, tum ex Preſbyteris, qui Alexandriâ Romam venerant. Sed & *Carponem* quendam, olim ab Alexandro Alexandrinæ urbis Epiſcopo ob Arianam hæreſim damnatum, unà cum aliquot aliis ob eandem perfidiam ab illo damnatis, à Gregorio ad ſe miſſum eſſe ſcribit pag. 743. qui ſcilicet pacificas ſeu communicatorias Gregorii literas perferret. Idem diu poſtea tentavit *Georgius* Arianus, cùm in locum Athanaſii ſuffectus fuiſſet. Legatos enim ſuos miſit ad Liberium Papam, ambiens communionem Eccleſiæ Romanæ, ut diſcimus ex epiſtola Liberii Papæ. Cùm igitur hæc *Carpona* Legatio præſenti anno contigerit, Synodus Romana quæ poſt illam Legationem facta eſt, ante eundem annum celebrari non potuit.

V. *Non duæ, ſed unica Synodus Romana celebrata.*

Reſpondet Baronius, epiſtolam illam *Julii* Papæ non ad Synodum illam Romanam pertinere, in qua abſoluti ſunt Athanaſius & Marcellus, ſed ad alteram, quæ ſequente pòſt anno facta eſt, cùm Elpidius & Philoxenus ex Orientis partibus reverſi eſſent, Orientalium ad Julium literas ſecum deferentes. Duas enim Synodos Romanas diſtinguit Baronius. Alteram quinquaginta Epiſcoporum, qui Athanaſium & Marcellum innocentes eſſe pronuntiarunt anno Chriſti CCCXLI; alteram hoc anno factam, in qua lectæ ſunt literæ Orientalium Epiſcoporum, quas Elpidius & Philoxenus attulerant. Verumenimvero Athanaſius unam duntaxat agnoſcit Synodum Romanam, & in ea ſe omnium Epiſcoporum ſententiis innocentem judicatum eſſe ſcribit, & Julium Papam rogatum eſſe ab Epiſcopis, ut Orientalibus, qui ad ipſum literas ſcripſerant, reſponderet, quemadmodum numero præcedenti explicavimus. Aut igitur falſus eſt Athanaſius, qui id tam

Baron. num. XXVIII & ſeqq.

diſertè affirmat, aut Baronius qui negat.

VI. *Fundamentum Baronii pro duabus Synodis Romanis.*

Sed videamus, inquit Valeſius citatus, quænam ratio Baronium impulerit, ut duas Synodos Romanas diſtingueret, & epiſtolam Julii Papæ ad Orientales, quæ refertur ab Athanaſio, ſcriptam eſſe diceret, non rogatu atque nomine Synodi Romanæ, ejus quæ Athanaſium abſolverat, ſed alterius Synodi, quæ ſequente anno congregata eſt. Unicam hujus rei cauſam affert Baronius, quòd ſcilicet Julius in ea epiſtola teſtatur, Orientales in literis, quas ad ipſum ſcripſerant per Elpidium ac Philoxenum Preſbyteros, graviter conqueſtos eſſe, quòd Julius Athanaſium in communionem ſuſcepiſſet. Atqui Athanaſius nonniſi à Synodo Romana, in qua quinquaginta ſedebant Epiſcopi, ſuſceptus eſt in communionem. Orientalium igitur literæ ad Julium Papam ſcriptæ ſunt poſt Synodum Romanam, in qua abſolutus ab omni crimine, & ad communionem admiſſus fuerat Athanaſius. Ex quo ſequitur, epiſtolam illam Julii Papæ, quam reſcripſit ad Orientales Epiſcopos, non ex perſona Synodi Romanæ & quinquaginta Epiſcoporum, à quibus Athanaſius in communionem ſuſceptus eſt, datam fuiſſe, ſed nomine & rogatu alterius Synodi Romanæ. Hæc eſt Baronii ratiocinatio.

Baron. anno 341. n. XLII.

VII. *Refellitur primò.*

Sed facillimum eſt cuivis eam refellere. Primò enim negare poſſumus, Orientales in ſuis ad Julium literis queſtos fuiſſe, quòd ille Athanaſium in communionem ſuſcepiſſet. Certè in tota Julii epiſtola, nullum ejus querimoniæ apparet veſtigium. Conqueſti quidem fuerant Orientales in ſuis literis, quòd Julius contra Canones faceret, & quòd flammam diſcordiæ accendiſſet. Sed de communione cum Athanaſio inita nullum verbum hîc legitur. Excuſat ſe etiam *Julius Papa*, quòd profugos Epiſcopos benignè exceperit, quòd doluerit unà cum dolentibus fratribus, quòd cum flentibus fleverit. Sed nihil ampliùs dicit. Verùm concedamus Baronio, Orientales Epiſcopos in ſuis ad Julium literis nominatim queſtos fuiſſe, quòd Athanaſium in communionem ſuam recepiſſet. Quid tum? An ex eo ſequitur, epiſtolam Julii Papæ non eſſe ſcriptam nomine Synodi Romanæ, in qua Athanaſius fuerat abſolutus? Nullo modo. Deceptus nimirum eſt Baronius, & quicumque eum ſecuti ſunt, dum exiſtimant, Athanaſium nonniſi in Synodo Romana ſuſceptum fuiſſe in communionem. Quod non modò falſum, ſed ab omni ratione alienum videtur. Sexdecim integros menſes Romæ permanſit Athanaſius, adverſariorum ſuorum adventum expectans, antequam Synodus Romana cauſam ipſius cognoſceret. An igitur credibile eſt, Julium Papam toto illo tempore à communione Athanaſii abſtinuiſſe? Atqui contrà eſt ipſe Athanaſius, qui in Apologetico ad Imperatorem Conſtantium diſertè ſcribit, ſe veniſſe Romam, ut ſe ſuaque omnia Eccleſiæ illi committeret: *Quo quidem tempore*, inquit, *aſſiduus eram in ſynaxibus*. Si in ſynaxibus Romæ aſſiduus erat Athanaſius, ergo cum Epiſcopo Romano communicabat. Deinde Julius Papa & Athanaſium & ejus adverſarios Romam ad cauſam dicendam evocaverat. Non potuit igitur Julius ante cauſæ cognitionem Athanaſii communionem refugere, ne præjudi-

cium cauſæ faceret : id enim æquitatis ratio non patitur. Et Julius quidem cum Athanaſii adverſariis, cumque Euſebio ipſo communionem fovebat, quippe qui & eorum literas accipiebat, & ad ipſos viciſſim ſcribebat. Cur ergo idem Julius inclementior fuiſſet erga Athanaſium, præſertim cùm ille Julii Papæ literis evocatus ſtatim paruiſſet, & ad diem dictam adfuiſſet, adverſariis judicium Romanæ Sedis detractantibus? Atqui Preſbyteros ipſius Athanaſii, quos ad refellendas Euſebianorum calumnias Romam paulò antè miſerat Athanaſius, Julius benignè exceperat, & ad communionem ſuam admiſerat. Id enim ipſe Julius ſatis apertè ſignificat in epiſtola ad Orientales. Quæ igitur cauſa eſſe potuit, quamobrem præſenti Athanaſio idem non præſtaret. Poſtremò, Athanaſius in Apologia ſecunda adverſus Arianos, de Synodo Romana loquens, perſpicuè declarat, Eccleſiam Romanam ſemper ſecum communicaſſe. Non enim dicit, quinquaginta Epiſcopos, qui ad Synodum Romanam convenerant, ipſum ad communionem ſuſcepiſſe; ſed communionem cum ipſo, & charitatem ſuis ſententiis confirmaſſe. Jam ergo antea cum ipſo communicabant. Verba Athanaſii hæc ſunt : καὶ ἐκύρωσαν ἐις ἡμᾶς τήν τε κοινωνίαν καὶ τὴν ἀγάπην. In epiſtola verò ad Solitarios ejuſdem Synodi Romanæ ſententiam refert his verbis : ἡμᾶς δὲ ἀπεδέξαντο, καὶ τὴν πρὸς ἡμᾶς κοινωνίαν ἠγάπησαν; id eſt, *Nos autem probaverunt, & communionem nobiſcum foverunt*. Ruit ergo funditus tota Baronii argumentatio, quâ probare nititur, duas Synodos Romanas diſtinguendas eſſe, & epiſtolam Julii Papæ ad poſteriorem Synodum Romanam pertinere, non ad priorem illam, in qua abſolutus fuerat Athanaſius.

VIII. *Refellitur ſecundò.* Atque hæc ſufficere poterant ad evertendam Baronii ſententiam. Verùm, ne ſolius Athanaſii teſtimonio niti videar, ipſius etiam Julii Papæ auctoritate id evincam, inquit Valeſius. Ille in epiſtola ad Orientales pag. 745. disertè teſtatur, ſe totius Synodi nomine ad ipſos ſcribere, quamvis non omnium Epiſcoporum, ſed ſolùm ipſius nomen literis præfixum ſit. Nam & cùm priores literas ad ipſos ſcriberet, quibus ipſos ad Synodum evocabat, ſe omnium Occidentalium nomine ſcripſiſſe indicat Julius. *Et nunc*, inquit, *condicto die omnes adfuerunt, & ejuſdem ſententiæ omnes fuere, quam ego iterum vobis ſcribens ſignifico.* Quid his verbis poteſt eſſe manifeſtius? Ait Julius, omnes Epiſcopos adfuiſſe ad diem condictum, quo Synodum indixerat. Poteſtne de alia Synodo id intelligi, quàm de Romana illa, in qua Athanaſius auditus & abſolutus eſt? Oſtendant igitur adverſarii alteram Synodum, quam Romæ indixerit Julius; ſed profectò nunquam oſtendere poterunt. Præterea addit Julius, ſe his poſterioribus literis ſententiam illius Synodi Orientalibus ſignificare. Id ipſum eſt quod antea dixerat Athanaſius; Julium Papam rogatum eſſe à Synodo, ut Orientalibus ſcriberet. Vides quàm bene inter ſe conveniant Athanaſii & Julii teſtimonia : adeò ut Baronius, qui has Julii literas ad Orientales datas eſſe negat poſt Synodum Romanam, in qua auditus eſt Athanaſius, non ſoli Athanaſio, ſed ipſi Julio Papæ refragari videatur.

IX. *Duplex Athanaſii Romam adventus confutatur.* Baronius ſcribit, Athanaſium poſt judicium Synodi Romanæ, quo à criminationibus adverſariorum fuerat abſolutus, ſtatim Alexandriam navigaſſe anno CCCXLI, vel ſub initium anni currentis; idque Socratis auctoritate confirmat; paulò poſt verò, cùm *Gregorius* militari manu ſuccinctus Alexandrinam Eccleſiam occupaſſet, iterum Romam veniſſe. Verùm duplicem illum Athanaſii in Urbem adventum ipſemet manifeſtiſſimè refellit. Cùm enim in libris ſuis ſæpius locutus ſit de ſua in urbem Romam profectione, ſemel tantùm ab urbe Alexandrina Romam ſe veniſſe tradit. Primùm, in Apologetico ad Imperatorem Conſtantium, reſpondens calumniis adverſariorum, qui ipſum apud Imperatorem Conſtantium accuſarant, quòd *Conſtantem Auguſtum* adverſus fratrem ſuis ſermonibus excitaviſſet, ait, ſe profectum Alexandriâ, non ad Comitatum Conſtantis Auguſti, ſed Romam iter feciſſe : cùmque ſe ſuaque omnia Eccleſiæ illi commendaſſet; aſſiduum fuiſſe in Collectis & Conventibus Eccleſiaſticis. Quarto deinde poſt anno literis Conſtantis Auguſti Româ evocatum ſe eſſe Mediolanum. Sed Græca verba ipſius Athanaſii pag. 675. præſtat apponere, quippe quæ ſententiam noſtram apertiùs confirmant : ταῦτα τοίνυν εἰ καὶ ἱκανὰ πρὸς ἀπόδειξίν ἐστι, συγχώρησον ὅμως διηγήσασθαί σοι, καὶ τὸν λογισμὸν τῆς ἀποδημίας. id eſt, *Hæc quidem ſufficiunt pro demonſtratione : ſed tamen patere, quæſo, ut totius profectionis meæ tibi rationem reddam, quò cognoſcas quàm temere me calumnientur adverſarii.* Subjicit deinde Athanaſius : *Profectus ſum Alexandriâ, non ad caſtra fratris tui, aut alium quempiam, ſed Romam duntaxat*, &c. quæ ſuperiùs expoſui. Cùm igitur teſtetur Athanaſius, ſe totius profectionis ac peregrinationis ſuæ rationem Conſtantio redditurum, ſi Romam bis veniſſet ab urbe Alexandria, certè id hoc loco commemorare debuiſſet, ne coram Principe veritatem ſciens occultaſſe videretur. Præterea in Apologia 2. adverſus Arianos, ſemel ſe Romam veniſſe ſcribit ad cauſam dicendam, cùm Euſebiani à Julio poſtulaſſent, ut ad cauſam Athanaſii cognoſcendam Synodus Romæ congregaretur. De ſecunda autem profectione ne verbum quidem extat in tota illa Apologia. Denique in epiſtola ad Solitarios, idem Athanaſius cuncta, quæ ſibi contigerant, diligenter enarrans, unius tantùm in urbem Romam profectionis ſuæ meminit; tunc ſcilicet cùm ad Synodum Romanam Julii Papæ literis accitus eſt. Poſt illam autem Synodum ait, Epiſcopos, qui Concilio interfuerant, ea quæ in Synodo geſta erant, Conſtanti Auguſto per literas nuntiaſſe; cuncta item quæ Alexandriæ perpetrata erant à Gregorio, eidem ſignificaſſe. Quòd ſi poſt Synodi Romanæ judicium Athanaſius Alexandriam reverſus fuiſſet, atque illinc rurſus in urbem Romam rediiſſet; nunquam id hoc loco omiſiſſet Athanaſius. Hoc enim ad ejus inſtitutum maximè faciebat, ut mala atque ærumnas & calamitates, quas ab adverſariis ſuis perpeſſus fuerat, omnium oculis ſubjiceret.

Baron. num. XXVIII & ſeqq.

X. *Iterum confutatur.* Huc accedit, quòd Athanaſius abſque conſenſu & literis Imperatoris Conſtantii, Româ

Alexandriam redire non potuit. Licuit quidem Athanaſio, ut ſaluti ſuæ conſuleret, & inimicorum inſidias effugeret, relictâ Alexandriâ Romam navigare. Honeſta enim eſt quævis ratio expediendæ ſalutis. Sed Româ reverti Alexandriam ab alterius Principis ditione, idque poſt biennii moram, id non licuit ſine mandato Principis. Certè poſt Serdicenſe Concilium, id eſt, poſt œcumenicam Synodum, quâ Athanaſius innocens, adverſarii verò illius calumniatores & hæretici judicati ſunt, vix tandem auſus eſt Athanaſius Alexandriam reverti; neque id priùs fecit, quàm creberrimis Conſtantii literis ad Comitatum evocatus fuiſſet. Sed & antea, cùm poſt obitum Conſtantini Maximi ex Gallicano exilio in Ægyptum reverſus eſt, trium Cæſarum literis reſtitutus fuerat. Proinde ſi poſt Synodum Romanam Athanaſius Alexandriam rediit, tunc quoque Conſtantii literis munitus fuerit, neceſſe eſt. Cur ergo eas Conſtantii literas nuſquam memorat Athanaſius, qui reliquas ejuſdem Principis epiſtolas, ad ſuam cauſam ac reſtitutionem pertinentes, tam ambitiosè tamque diligenter apponere conſuevit. Fefellit Baronium Socrates, qui in libro ſecundo Hiſtoriæ ſcribit, Athanaſium, cùm poſt violentam ordinationem Gregorii Romam ſe ad Julium Papam contuliſſet, cognitâ cauſâ, à Julio reſtitutum, & Alexandriam cum ejuſdem Julii literis reverſum eſſe: ac deinde paulò pòſt amoto Gregorio, & in ejus locum ſubſtituto Georgio, Romam iterum profugiſſe. Verùm tota illa Socratis ac Sozomeni narratio mendis innumeris ſcatet, quorum maximam partem Baronius ipſe ac Blondellus in libro de Primatu Papæ jamdudum obſervarunt. Quare Socratis teſtimonium in rebus Athanaſii nullius ponderis eſt, quippe qui pugnantia inter ſe dixerit atque contraria.

X I.
Baronii fundamentum evertitur.

Baron. anno 341 n. XIIX.

Omiſſa igitur Socratis auctoritate, altera Baronii ratio excutienda. Sic igitur is ratiocinatur: Athanaſium quidem reverſum eſſe Româ Alexandriam anno CCC XLI, vel inſequentis exordio, ex eo quoque facilè poteſt colligi, quòd conſtat, tempore graſſationis Arianorum in Alexandrinam Eccleſiam anno CCC XLII factæ, eum illic repertum fuiſſe; quod ipſemet teſtatur in epiſtola ad Orthodoxos. Ex qua manifeſtè colligitur, Gregorium circa Paſchalis feſti ſolennia Alexandrinam Eccleſiam occupaſſe, Athanaſium verò metu Arianorum in Eccleſiam irruentium, clam ſe è medio ſubduxiſſe. Quæ cùm anno CCC XLI geri non potuerint, eò quòd Antiochena Synodus, in qua Gregorius Alexandrinæ urbis Epiſcopus eſt conſtitutus, & cujus geſtis tanquam Alexandrinus Epiſcopus ſubſcripſit, maximam partem anni illius occupaverit, ſequenti anno adſignentur neceſſe eſt. Hæc eſt Baronii ratiocinatio. Verùm ad eam jam anno ſuperiori numero XXV & ſequentibus reſpondimus, oſtendimuſque, illam Athanaſii *ad Orthodoxos* epiſtolam ſcriptam eſſe poſt ordinationem Georgii, quæ anno CCCLVI contigit, non verò poſt ordinationem Gregorii, quæ ad annum CCC XLI pertinet. Quare cùm Baronii argumentatio falſo fundamento innitatur, duplex ille Athanaſii Romam acceſſus rejiciendus.

X I I.
Marcellus Ancyræ Epiſcopus in Synodo Romana cauſam dicit.

Baron. anno 341. num. 2 & ſeqq.

Damnatus in Synodo Antiochena Marcellus Ancyræ Epiſcopus Romam confugit. Scribit de eo Athanaſius in epiſtola ad Solitarios: *Ille autem Romam profectus, ſeſe innocentem docuit*: quod ipſemet Marcellus teſtatur in Fidei Formula Romæ Julio primo oblata: *Neceſſariè Romam mihi veniendum putavi, ut eos, qui contra me ſcripſerunt. . . . . ut cùm adveniſſent, de duobus illis à me convincerentur, cùm illa ipſa falſa eſſe, quæ in me ſcripſerunt, tum eos in priſtino errore perſeverare, & indigna quædam adverſus Eccleſias Dei, ac nos ipſos illarum Præſides eſſe machinatos. Sed cùm illi venire noluerint, tametſi Preſbyteros ad ipſos miſeris, ego verò anno integro ac tribus menſibus Romæ commoratus fuerim, faciendum mihi omnino cenſui, ut antequam hinc proficiſcerer, meæ Fidei Profeſſionem tibi ſincerè atque ex animo, meaque manu perſcriptam offerrem*, ut legitur apud Epiphanium hæreſi 72. Ex quibus, inquit Schelſtratius in Diſſert. 3. de ſacro Concilio Antiocheno cap. 3. docemur primò, Marcellum, nonniſi poſt latam à Synodo Antiochena ſententiam, iter Romanum arripuiſſe; cùm ideo Romam eundum duxerit, ut rationem redderet de eo quod *Præſides ipſorum Euſebianorum*, utique in Synodo Antiochena congregati, fuerant machinati. Secundò docemur, ipſum Antiochiâ diſceſſiſſe, antequam Legati Romani Pontificis in eam urbem adventarent; aliàs enim non ſe Romam contuliſſet, ut Julium primum ad accuſatorum ſuorum evocationem incitaret. Tertiò, Romam adventare debuiſſe, poſtquam Julii primi Legati jam diſceſſerant. Licèt enim Romam properarit Marcellus, ut Julium primum ad Euſebianorum evocationem incitaret, nullibi tamen affirmat, ad ſuam inſtantiam evocatos fuiſſe, quòd ante ſuum adventum Julius primus Preſbyteros ſuos dimiſiſſet, Euſebium cum ſociis evocaturos pro cauſa Athanaſii, quem non minùs, quàm Marcellum damnarant. Quartò, Marcellum Romam adventaſſe anno præcedenti circa initium menſis Julii, cujus rei teſtis eſt Sozomenus lib. 3. cap. 8. ſcribens, quòd *eodem tempore*, quo Athanaſius, Romam venerit, id eſt, eodem anno. Nam Athanaſius Romæ moratus fuerat integro anno cum dimidio, antequam Synodus Romana congregaretur à Julio. Anno uno cum tribus menſibus ibidem hæſerat, antequam hunc libellum Julio primo offerret: obtulit autem in eadem illa Synodo Romana, ut conſtat, tum ex eo quòd Marcellus fateatur reditum ſuum inſtare, tum ex eo quòd roget in fine libelli, ut Julius eum inſerat ſuis ad Epiſcopos literis, quæ literæ erant Synodicæ Romanæ ſub ſolius Julii nomine ad Orientales ſcribendæ. Ex quibus conſtat, veriſimile eſſe, quòd *Marcellus* anno ſuperiori circa initium menſis Julii Romam advenerit, & Synodus Romana hoc anno circa autumnum celebrata fuerit.

X I I I.
Marcellus innocens declaratur.

Scribit *Marcellus* in Formula Fidei de evocatis Romam Euſebianis: *Apparere non voluerunt, cùm demiſeris tu Preſbyteros.* Id quod Julius primus graviter tulit in ſuis ad Euſebianos literis, ubi eorum quoque tergiverſationes refellit, & inter alias querelam de Marcello in communionem admiſſo præ-

clarè in auctores retorquet. Dicit Athanaſius in epiſtola ad Solitarios de Marcello: *Ille autem Romam profectus ſeſe innocentem docuit.* Enimvero ubi Julium primum adiit, ita cauſam ſuam proponere novit, ut à Romano Epiſcopo non communione privatus, ſed donatus fuerit. Docebat enim, ſe orthodoxum fuiſſe, & olim in Concilio Nicæno Fidem egregiè propugnaſſe; quod ſæpius urget Julius primus: *Marcelli enim Fides Confeſſioque Nicaæ ſpectata eſt, cùm Arianis contradiceret.* Deinde ſe non temere in communionem ſuſcepiſſe Athanaſium & Marcellum ſcribit Julius primus; demonſtrari ex iis, quæ Euſebiani falsò de Athanaſio ſcripſerant, ut & idem ſuſpicari poſſet factum fuiſſe cum Marcello, qui ſe orthodoxum fuiſſe docebat ex Nicæno Concilio, & ſe adhuc eſſe profitebatur coram omnibus. Deinde plurimos habebat, qui verbis ſcriptiſque ejus innocentiam tuebantur. Hæc enim ait Julius primus, ſuffeciſſe ad communionem impertiendam Marcello, donec Euſebiani Romam adventaſſent, ubi communi conſilio res hæc cum Athanaſii cauſa erat pertractanda. Interea dum hæc Romæ fiebant, Elpidius & Philoxenus, qui poſt initium anni CCCXLI diſceſſerant, Antiochiam adventarunt, nec de Marcelli communione aliquid dicere potuerunt, cùm ipſum Romæ non viderint. Tandem ad inſtantiam Euſebianorum *Marcelli* Fides examinatâ, ipſeque innocens declaratus. Integrum ejus Fidei libellum nobis ſervavit Epiphanius laudatus. Verum eſt, exiſtimare Baronium eam Fidei Profeſſionem non eſſe eam, quam Julius per omnia conſentientem eſſe tradit Eccleſiæ Catholicæ, quòd licèt in ea multa ad Arianorum opinionem confutandam reperiantur, tamen quod potiſſimùm exigebatur à profeſſore Catholico, nomen *Conſubſtantialis* in ea non legatur. Sed ſilentium illud *Marcello* minimè vitio vertendum, cùm nullus eum accuſaret, quòd non crederet Conſubſtantialitatem, quam ſubſcripſerat & defenderat in Concilio Nicæno, ſed tantùm ei imputaretur error contrarius, Sabellianorum nempe & Pauli Samoſateni.

XIV. *Obitus Euſebii Nicomedienſis.*

Baron. num. XLIII.

Ad num. VII. Euſebius Nicomedienſis Epiſcopus hoc anno obiit. Socrates enim narrans quæ paulò poſt mortem ejus accidère, lib. 2. cap. 13. ait: *Geſta ſunt hæc duobus Auguſtis Conſulibus: Conſtantio ſcilicet tertiùm & Conſtante iterum. Quo quidem tempore Conſtans Francos bello ſuperatos, ſocios ac fœderatos Populi Romani effecit.* Socrati ſuffragatur Idacius in Faſtis, qui ſub hujus anni Conſulibus habet: *His Conſſ. victi Franci à Conſtante Aug. ſeu pacati. Tractus Hermogenes*, qui ſcilicet miſſus fuerat à Conſtantio, ut Paulum, quem cives Conſtantinopolitani poſt Euſebii mortem ad Sedem ſuam revocarant, eâ ex civitate exturbaret. Porro licèt Euſebius Nicomedienſis Arianorum partes ſemper foverit, nihilominus pacem cum Julio Romanæ urbis Epiſcopo, & communionem cum Eccleſia Catholica ad obitum uſque retinuit. Nam & ad Julium Papam paulò ante mortem literas pacificas miſit, & ab eodem viciſſim accepit, ut teſtatur Julius in epiſtola ad Orientales. Julius certè in ea, quæ data eſt ad Epiſcopos omnes qui Antiochenæ Synodo interfuerant, tum Euſebium ipſum, tum reliquos, *Fratres dilectiſſimos* in titulo appellat, & in corpore ejuſdem epiſtolæ, eoſdem non ſemel *dilectos* nominat. Non itaque pro Hæretico eum Julius habuit. Scripta eſt autem hæc epiſtola hoc anno, mortuuſque Euſebius paulò antequam ea in Orientem perlata eſſet. Quare, ut jam Viris doctis obſervatum, ad obitum uſque in communione Eccleſiæ Romanæ perſeveravit. Eum *Magnum Euſebium* vocat non ſolùm Philoſtorgius, ſed etiam Euſebius Cæſarienſis in libro contra Marcellum. Quæ malè ab Euſebio geſta recenſet Baronius.

XV. *Orthodoxi Paulum in Sedem reſtituunt.*

Baron. num. XLIV & ſeqq.

Poſt ejus mortem *Paulus*, ut diximus, à Conſtantinopolitanis in Sedem reſtitutus, ab Euſebianis verò *Macedonius* in Euſebii locum ſubrogatus. Quæ res ingentem tumultum in urbe regia excitavit, recitatum à Socrate loco laudato. *Hermogenis* Magiſtri militum ab Imperatore miſſi, ut Paulum expelleret, domus incenſa, ipſeque pedibus tractus ac miſerè truncatus, in mare à populo præcipitatus. De hac ingenti ſeditione loquitur Libanius in Baſilico pag. 126. ubi teſtatur, Imperatorem Conſtantium, qui, audito eo nuntio, Conſtantinopolim venit, admirabili celeritate uſum eſſe in faciendo itinere, nec nives atque imbres eum ab itinere deterruiſſe. Et ſontes quidem ab illo caſtigatos eſſe dicit, neminem tamen morte affectum; cùm Senatus urbis Conſtantinopolitanæ pro reis apud ipſum interceſſiſſet.

XVI. *Paulus Cpolitanus Epiſcop. relegatur.*

Ad num. VIII. Socrates citatus, quem ſecutus eſt Baronius, *Paulum*, poſtquam è Sede dejectus eſt, Romam veniſſe ſcribit. Verùm Valeſius in Obſervat. Eccleſiaſt. in Socratem & Sozomenum lib. 2. cap. 6. jure merito ſuſpicatur, Paulum à Conſtantio relegatum eſſe Singaram, & aliquantò pòſt inde Emeſam eſſe tranſlatum, metu ſcilicet Perſicæ incurſionis. Poſtquam enim Athanaſius primum Pauli exilium, quod ſub Conſtantino Magno contigit, memoravit, ait: *Iterum vero à Conſtantio catenis ferreis vinctus Singaram Meſopotamiæ deportatus eſt, atque inde tranſlatus Emeſam.* Quòd cùm tam diſertè affirmet Athanaſius, non alio tempore id factum aſſignari poteſt, quàm præſenti. Etenim ingens illa ſeditio in urbe regia, & cædes *Hermogenis* Magiſtri militum, & Pauli reſtitutio ſine Imperatoris conſenſu facta, hunc commoviſſe videntur, ut Paulum ferro vinctum in tam longinquum exilium amandaret. Ex quo tamen exilio non ita multò pòſt Emeſam eum tranſtulit, ſive ut Conſtantinopolitanis, qui Paulo inprimis ſtudebant, gratificaretur, ſive Perſarum metu, qui *Singaris* aſſiduè imminebant. Certè haud multò pòſt circa id caſtrum ingenti prælio Perſæ cum Romanis conflixere. Ceterùm, Ariani ſeditionem, de qua ſuprà, cædeſque hominum in ea factas, uni Paulo adſcribebant, ut teſtatur epiſtola Synodica pſeudo-Synodi Serdicenſis. Paulum verò Romam anno CCCXL veniſſe, eo anno diximus.

XVII. *Sacrificia Gentilium Cōſtātis juſſu abolita.*

Conſtans anno præterito Gentilitiam ſuperſtitionem & ſacrificiorum uſum abolere cœpit, ut liquet ex Lege 2. Codicis Theodoſiani *De Paganis.* In eo Templorum excidio hoc tempore perrexit, non quidem iis deſtrui juſ

Baron. anno 346. num. x.

ſis, verùm uſu & ingreſſu eorum abolito, ut liquet ex Lege 3. ejuſdem Codicis *De Paganis.* quam Gothofredus in Commentario huic anno adſcribit, licèt Baronius eam anno CCC XLVI datam exiſtimet, quòd in ea legatur: *Dat. Kalend. Novemb. Conſtantio IV, & Conſtante III AA. Coſſ.* Verùm corrigenda illa ſubſcriptio, reponendumque, *Conſtantio III & Conſtante Coſſ.* id eſt, anno CCC XLII. Nam *Catullinus*, cui hæc Lex inſcripta, Præfectus Urbi fuit annis CCC XLII, CCC XLIII & CCC XLIV, non autem anno CCC XLVI, ut liquet ex libello de Præfectis Urbi. Ea Lex Conſtanti utpote Romam tenenti tribuenda, non verò Conſtantio, qui in Oriente imperabat. Conſtans itaque Romæ omnem ſuperſtitionem ceſſare, ſacrificia aboleri, & per Præfecturam Urbis ſuperſtitionem omnem, id eſt, aras & idola exſcindi voluit; at non ædes ſeu ædificia ipſa Templorum erui. Sanè de aris exciſis fidem quoque facit *Ara Victoriæ* in Senatu, ſeu Curia urbis Romæ Conſtantis imperio diruta: de quo queritur multò pòſt Symmachus in Relatione ad Valentinianum, ſeu epiſt. 54. lib. 10. Nam de ea reſtituenda agens, & exempla in utramque partem Principum colligens: *Meritò*, inquit, *Divi Conſtantis factum diu non ſtetit: omnia vobis exempla vitanda ſunt, quæ mox remota didiciſtis.* Quo loco Symmachus Magnentii factum tacitè opponit, qui ut ſacrificia nocturna, ita & *Aram* proculdubio *Victoriæ* reſtituerat. Noluit autem Conſtans Templa extra muros Urbis, quæ plurima fuere, dirui propter voluptatem Populi Romani ac lætitiam publicam: nempe quòd ex nonnullis origo Ludorum exorta fuerit. Quam rationem illuſtrat hic Lactantii locus lib. 6. cap. 20. *Ludorum celebrationes Deorum feſta ſunt: ſiquidem ob nativitates eorum, vel* TEMPLORUM NOVORUM DEDICATIONES *ſunt conſtituti.* Quæ omnia doctè à Gothofredo laudato obſervata, apud quem plura in eandem rem. Lex hæc Decennaliorum Conſtantis indicium.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5836. ☉ 16 B. ☽ 2. P. 27. MART.
INDICT. I.
Olymp. 280. *ſecundum Baronium.* JESU CHRISTI 343.
JULII PAPÆ 7.
CONSTANTII ET CONSTANTIS 7.

I. *Conſules.* COſs. *M. Mæcius Memmius Furius Placidus*, & *Fl. Piſidius Romulus*, ut ex duabus Inſcriptionibus Onuphrianis conſtat.

II. *S. Pauli primi Eremitæ obitus.* Baron. num. 1.

Ad num. I. Divus *Antonius* Abbas non hoc anno, ſed CCC XLI, à Sancto Paulo primo Eremita viſitatus. Hieronymus enim in Vita S. Pauli affirmat, hunc anno ætatis centeſimo decimo tertio demortuum, cùm Divus Antonius nonagenarius eſſet. Quare cùm D. *Antonius* anno Chriſti ducenteſimo quinquageſimo primo natus ſit, nonageſimus ejus ætatis annus cum anno Chriſti CCC XLI concurrit; ideoque *Paulus* eo anno ad Deum migravit, vel initio anni CCC XLII, ſi die XV Januarii, quo colitur, ſupremum diem obierit. Chronologia quippe vitæ Divi Pauli ex anno natali & emortuali S. Antonii pendet. Porro *Congregatio*, quæ ejuſdem Sancti vitæ rationem imitatur, quæque eum ſibi patronum adoptavit, auctorem vel præcipuum propagatorem agnoſcit *Euſebium* quemdam *Strigonienſem*, cui ſociiſque tradita fertur quædam piè vivendi norma à *Bartholomæo Quinquen-Eccleſienſi Epiſcopo*, anno circiter milleſimo ducenteſimo quadrageſimo primo. Dein *Paulus* Veſprinienſis in Hungaria Antiſtes quaſdam eidem Ordini leges ſcripſit, tumque primùm à S. Paulo Eremita nomen illi impoſitum, ut tradit Bollandus tomo 1. Sanctorum menſis Januarii die 15. in Vita Sancti Pauli.

III. *Perſecutio Perſica.* Baron. num. x & ſeqq.

Ad num. III & IV. Hoc quidem anno perſecutio in *Perſide* adverſus Chriſtianos à *Sapore* Perſarum excitari cœpta, Hieronymo, Mariano Scoto & Theophane teſtibus; ſed martyrium *Simeonis* & ſociorum, nonniſi anno treceteſimo quadrageſimo nono contigit. Sozomenus enim, qui eorum Acta ſcripſit, in lib. 2. cap. 10. Uſthazani martyrio relato, ait: *Poſtridie ejus diei, qui erat dies ſextus hebdomadæ, in quo ante celebrem diem Reſurrectionis memoria ſalutaris Chriſti Paſſionis recoli ſolet, decernit Rex, ut Simeones gladio feriatur.* Dies igitur, quo Sancti Martyres occiſi, fuit feria ſexta hebdomadæ Sanctæ in Paraſceve, excepto Uſthazano eunucho, qui pridie in Cœna Domini interfectus fuerat. Quare illorum martyrium incidit in diem XXI Aprilis anni CCC XLIX, quo Paſcha die XXIII Aprilis celebratum, quóve Conſtantius Imperator bello Perſico illigatus, Veteranorum filios ad militiam convocavit, & menſe Aprili Antiochiæ conſtitit, ut ſubſcriptiones Legum Codicis Theodoſiani oſtendunt.

IV. *Alii Martyres in Perſide.*

Ex his liquet, Martyres, de quibus numero IV agitur, anno tantùm treceteſimo quinquageſimo paſſos eſſe. Sozomenus enim cap. 11. ait: *Sequenti anno, eo ipſo die, quo Paſſionis memoria celebrabatur, crudeliſſimum edictum per univerſam Perſarum ditionem propoſitum* eſſe, & *Azadam* eunuchum peremtum. Quæ Henſchenio die XXI Aprilis in Vita Sanctorum perſecutione Perſica occiſorum, obſervata.

V. *Expeditio Britannica.*

Hoc anno *Conſtans* Imperator, poſtquam ſuperiori *Francos* debellaſſet, in Britanniam è Gallia adverſus Scotos & Pictos trajecit ſæva hieme, teſte Libanio in Baſilico: de quo bello à nobis actum anno CCC XXXVII num. IX. Hinc, ut obſervat Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani, Lex ejuſdem Codicis 5. *De extraordinariis*. dicitur *VI Kal. Feb. dat. Bononiæ*, Bononiæ nempe Galliarum, quæ antea Geſoriacum dicta. Cangius in *Conſtantinopoli Chriſtiana*, Tabulâ XI, Conſtantis Nummum producit, in cujus poſtica legitur: BONONIA OCEANUS. Viſitur triremis in mediis fluctibus, in cujus prora Victoria dextrâ lauream, ſiniſtrâ palmam tenens; in medio navis Imperator galeatus, dextrâ haſtam, ſiniſtrâ clypeum habens; in mediis fluctibus figura nuda. Qui Nummus ad hanc expeditionem ſine dubio referendus. De ea ſcripſerat Ammianus, ut ipſemet teſtatur in lib. 27. *Et quoniam cùm*

Conſtantis Principis actus componerem, motus adoleſcentis & ſeneſcentis Oceani, tractumque Britanniæ pro captu virium explanavi, ad ea quæ digeſta ſunt ſemel; revolvi ſuperfluum duxi. Verùm priores Ammiani libri, in quibus de hoc bello mentio erat, periere.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5837. ☉ 17 AG. ☽ 3. P. 15. April. Indict. 2.
Jesu Christi 344.
Julii Papæ 8.
Constantii et Constantis 8.

I. *Conſules.* COss. *Leontius*, & *Saluſtius*.

II. *Synodus Antiochena* Baron. num. I & II. Ad num. I & II. *Synodus Antiochena* Arianorum, in qua prolixa Fidei Formula promulgata, quæ μακρόστιχος vulgò cognominatur, ante annum trecenteſimum quadrageſimum quintum celebrata non eſt. Athanaſius enim libro de Synodis pag. 97. ait: *Poſt hæc quaſi iſtorum eos pœniteret, poſt triennium rurſus Concilium partis ſuæ congregant. Et Eudoxium, Martyrium, Macedonium Cilicem, & alios quoſdam unà cum illis mittunt in partes Italiæ deferentes Fidem multis verbis conſcriptam.* Idem habent Socrates lib. 2. cap. 19. & Sozomenus lib. 3. cap. 11. Sed nec Athanaſius, nec duo hi Hiſtorici dicunt Synodum collectam fuiſſe poſt triennium, quàm Antiochena Synodus in Encæniis habita fuerat, ut eos Baronius interpretatus eſt, ſed poſt triennium quàm Narciſſus, Theodorus, Maris, & Marcus Arethuſanus novam Fidei Formulam, tanquam Antiochiæ conditam ad Conſtantem Auguſtum pertuliſſent. Nam capite præcedenti tam Socrates, quàm Sozomenus, non de Antiochena Synodo in Encæniis, ſed *de Legatione Narciſſi* & ſociorum ſermonem habent. Porro hæc Legatio, ut ſuo loco dixi, anno trecenteſimo quadrageſimo ſecundo miſſa; ac præterea anno trecenteſimo quadrageſimo ſexto *Eudoxius* & conſortes illam Fidei Formulam Mediolani Occidentalibus in Concilio congregatis obtulerunt, ut infrà oſtendam. Valeſius in Notis ad Socratem hujus Concilii epocham obſervavit; ſed præter hanc rationem, aliam adducit, quam prævalidam exiſtimat, quæ tamen futilis & vana. Ait enim, locutionem hanc, *poſt triennium*, quà utitur Athanaſius, ſeu iſtam, *tranſacto triennii ſpatio*, quam Socrates & Sozomenus adhibent, quartum annum, non verò tertium ſignificare, & tres annos elapſos jam eſſe, denotare. Verùm Antiqui his ſimilibuſque loquendi modis utrumque extremum annum, etiam incompletum, aliquando exprimunt, aliquando tres aut quatuor annos elapſos intelligunt, imò aliquando quartum jam inchoatum excludunt, ut pluribus exemplis paſſim in hoc Opere relatis liquet. Ex circunſtantiis itaque, an de tribus, aut de quatuor annis integris, aut incompletis Antiqui loquantur, dijudicandum.

III. *Prior Synodus Mediolanenſis.* Ad num. III. Fidei Formulam in præfata Synodo Antiochena ſcriptam Legati Orientalium obtulerunt Occidentalibus Epiſcopis, ut tradunt Socrates lib. 2. cap. 20. & Sozomenus lib. 3. cap. 11. Qui quidem Occidentales Epiſcopi Mediolani congregati erant; Baron. num. VI. quod neuter ex his Hiſtoricis memorat, ſed quod ex mox dicendis manifeſtum fiet. Occidentis Epiſcopi eam Arianorum expoſitionem ſuſcipere recuſarunt, ut uterque Hiſtoricus teſtatur, & petierunt ab Orientalibus Legatis, ut ipſi priùs Arianam hæreſim condemnarent; qui id facere detrectantes, irati ex Concilio diſceſſerunt, ut ſcribit Liberius in epiſtola ad Conſtantium, ubi ait: *Quæ eſt pax, clementiſſime Imperator, cùm ſint ex partibus ipſis quatuor Epiſcopi, Demophilus, Macedonius, Eudoxius, Martyrius, qui ante annos octo cùm apud Mediolanum Arii ſententiam hæreticam noluiſſent damnare, de Concilio iratis animis exierunt.* In Mediolanenſi Synodo Photini hæreſis damnata; adverſus verò Marcellum nihil pronuntiatum; propterea quòd in Synodo Romana anno CCCXLII celebrata, integer à crimine hæreſeos fuerat judicatus. In Mediolanenſi etiam Synodo *Urſacius* & *Valens*, qui in ſuſpicionem hæreſis Arianæ venerant, porrecto libello, quo Arii & Photini perfidiam damnabant, ſuſcepti ſunt in communionem, ut docet epiſtola Synodica Ariminenſis Concilii, & teſtantur Urſacius & Valens in altero libello, quem poſtea obtulerunt Romæ Julio Papæ: *Item anathema dicimus iis, qui negant, Chriſtum Deum eſſe, & Filium Dei ab æterno, ſicut per priorem libellum noſtrum, quem apud Mediolanum porreximus.* Sed hæc accuratiùs diſcutienda.

IV. *Duæ Synodi Mediolanenſes diſtinguendæ.* Hujus *Mediolanenſis Synodi* memoria in Annalibus Baronii admodum obſcura, quo factum, ut Viri eruditi ad eam illuſtrandam magnam operam contulerint, Petavius nempe, Sirmondus & Petrus de Marca, peculiaribus ea de re Opuſculis editis. Annum, quo ea congregata, deducunt communiter omnes ex laudatis Liberii verbis. Quare Baronius, quia Liberii epiſtolam anno CCCLIV ſcriptam credidit, annos octo, quorum in ea mentio, à currenti inchoat, eoque hujus Concilii meminit. Papebrocius tomo 1. Sanctorum Menſis Maii in Actis S. Athanaſii cap. 15. num. 164. ex eadem epiſtola anno CCCLIV, ut ipſe putat, ſcripta, deducit, Synodum Mediolanenſem habitam anno CCCXLV. Sirmondus in Diatriba ſecunda de Photino, & Petrus de Marca in Diatriba *de tempore Synodi Sirmienſis Plenariæ*, arbitrantur eam epiſtolam anno CCCLIV datam, & Concilium Mediolanenſe anno CCCXLVI congregatum. Petavius in Diſſert. *de Photino Hæretico ejuſque damnatione* autumat, eam epiſtolam ſcriptam, antequam Liberius in exilium mitteretur, ideoque anno CCCLV. Quare, inquit, octavus annus ante eam epiſtolam eſt annus Chriſti CCCXLVII, ut Sardicenſem Synodum brevi intervallo Mediolanenſem ſecuta ſit. Denique Valeſius in Notis ad lib. 3. Sozomeni cap. 23. putat, epiſtolam exaratam anno CCCLVI, & mendoſum eſſe locum laudatum, legendumque, *ante annos novem*, non verò, *ante annos octo*. At cùm ea Liberii epiſtola anno CCCLIV, ut tunc videbimus, data ſit, & locus citatus correctione non egeat, liquet, alterutrum ex duobus dicendum, aut anno CCC

XLVI, vel CCCXLVII, Mediolanenſe Concilium fuiſſe coactum, aut duas Synodos Mediolanenſes diſtinguendas, quarum altera anno CCC XLVI celebrata fuerit, & de ea loquatur Liberius in ſua epiſtola; altera verò anno CCC XLVII, & in ea Photinus damnatus fuerit, de qua tamen minimè intelligenda ſint verba Liberii: quæ ſententia Petri de Marca fuit.

V.
Prior Synodus Mediolanenſis explicatur.

Profectò non video rem aliter ſe habere potuiſſe. Sozomenus enim lib. 3. cap. 11. ubi de Fidei Formula in Concilio Antiocheno anno CCC XLV celebrato ſcripta locutus eſt, ait: *Hanc porro Expoſitionem, cùm Eudoxius Epiſcopus Germaniciæ, & Martyrius ac Macedonius detuliſſent, Occidentis Sacerdotes ſuſcipere noluerunt. Decretis enim Synodi Nicanæ ſe contentos eſſe dicebant, nec præterea quidquam curioſius eſſe inquirendum. Cúmque Conſtans Auguſtus id beneficii loco à fratre ſuo poſtulaſſet, ut Athanaſium in Sedem ſuam reſtitueret, nec tamen literis ſuis quidquam proficeret, obſiſtentibus ſcilicet hæreticæ factionis hominibus: Athanaſius verò ac Paulus Conſtantem adeuntes, Synodum fieri flagitarent, tanquam idcirco inſidiis appetiti, ut rectè Fidei doctrina ſubverteretur: ex communi conſenſu utriuſque Imperatoris placuit, ut tam Orientis, quàm Occidentis partium Epiſcopi, conſtituto die Serdicam convenirent.* Idem ſcribit Socrates lib. 2. cap. 20. Cùm itaque Concilium Serdicenſe anno CCC XLVII coactum fuerit, manifeſtum eſt, Occidentales Epiſcopos, qui eam Fidei Formulam, quæ μακρόστιχος vulgò cognominatur, ab Orientalibus propoſitam admittere noluere, *Mediolani* congregatos fuiſſe anno CCC XLVI, cùm, ut infrà viſuri ſumus, poſt Concilium Serdicenſe Epiſcopi Occidentales rurſus *Mediolani* coadunati fuerint ad Photinum damnandum. Nec dici poteſt, in uno eodemque Mediolanenſi Concilio, & Formulam illam Fidei recitatam, & Photinum damnatum; cùm Synodus, in qua hic Hæreſiarcha ab Eccleſia ejectus, Serdicenſem conſecuta ſit; quæ verò eam Confeſſionem Fidei, ut Athanaſius vocat, ſuſcipere noluit, eandem Serdicenſem præceſſerit, ut ex citatis Sozomeni & Socratis verbis colligere eſt. Neque cauſa aliqua erat, cur *Eudoxius* aliique Legati tamdiu differrent ad Occidentales accedere, præſertim cùm poſt Synodum Serdicenſem, in qua Fides Orthodoxa ſtabilita, eorum petitio abſurda viſa fuiſſet. Hæc itaque Liberii Papæ verba de priori Synodo Mediolanenſi intelligenda: *Quæ eſt pax, clementiſſime Imperator*, &c.

VI.
Quæ adverſus eam afferuntur, nullius momenti.

Sirmondus in Diatriba ſecunda examen continente Diſſertationis, quam de Photino Hæretico ejuſque damnatione Petavius in lucem dedit, jure merito miratur, Petavium ſibi in animum inducere potuiſſe, in Synodo Mediolanenſi, quæ anno CCC XLVII poſt Sardicenſem habita fuerit, Arianæ ſectæ quatuor Epiſcopos, Demophilum, Macedonium, Eudoxium & Martyrium interfuiſſe, Ariique perfidiam damnare noluiſſe; cùm illi Epiſcopi alii non ſint, quàm quorum ſubſcriptiones in Sardicenſi Arianorum Synodica leguntur, Demophili à Beroë, Macedonii à Mopſueſtia, Eudoxii à Germanicia. Quòd ſi hos ipſos, inquit Sirmondus, eſſe non negabit, edicat, ſi poteſt, undenam tanta iſtorum tam repentina mutatio, ut qui proximè apud Sardicam, ne cùm Catholicis coirent, ſeceſſionem fugâ fecerant, iidem nunc eoſdem, ut eorum Concilio interſint, Mediolanum uſque conſectentur? Si edicere non poteſt, incredibilia & falſa hæc eſſe confiteatur. Habet tamen unde vera eſſe confirmet, Liberii Papæ ad Conſtantium epiſtola, in qua narrat, octavo antè anno quàm ſcriberet, hoc eſt, ut ipſe ratiocinatur, anno ipſo Synodi Sardicenſis CCC XLVII, Epiſcopos iſtos, cùm ad Mediolanum Arii ſententiam hæreticam noluiſſent damnare, de Concilio iratis animis exiiſſe. De hac ergo nos epiſtola quid ſtatuemus? Errare hîc etiam illum, & falſo niti principio, qui ſcriptam ponat anno CCC LV, cùm anno ſuperiori ſcriptam non vanis argumentis evicerit Baronius, tum cùm indicta Synodus nondum erat, cujus impetrandæ gratiâ, Legati cum epiſtola mittebantur, ut cùm in Galliis adhuc ageret Conſtantius, quem inde poſtea in Italiam ſub exitum anni CCC LIV ad hiberna deſcendiſſe auctor eſt Ammianus Marcellinus, proinde hunc verum & legitimum eſſe annum epiſtolæ Liberianæ. Ad hos ergo annos octo, quos numerat Liberius, ſi regrediare, Conventus occurret Mediolanenſis, non quo anno ſtatuebat Diſſertatio, ſed anteriore CCC XLVI; ac tum plana & liquida fluent omnia. Nam & Eudoxium collegaſque Epiſcopos, qui ab Orientalibus Legati, ut Socrates & Sozomenus tradunt, μακρόστιχον illam Fidei Formulam in Italiam attulerant, Mediolani tunc adfuiſſe nihil erit abſurdi. Et cùm Athanaſium eodem quoque anno Mediolanum Româ Conſtantis Principis accitu veniſſe, atque inde in Gallias profectum Sardicam ad Synodum unà cùm Hoſio contendiſſe Athanaſii ipſius ad Conſtantium Apologia pag. 526. demonſtret, liquet profectò, Mediolanenſem iſtum, qui fuit Epiſcoporum, Conventum, de quo ſcribit Liberius, Sardicenſi, contra quàm amico noſtro viſum eſt, non ſucceſſiſſe, ſed anteceſſiſſe. Ita rectè Sirmondus.

VII.
Ea Synodus magis probatur.

Duæ itaque Synodi Mediolanenſes, quas Petavius malè in unam confundit, omnino diſtinguendæ, cùm præter allatum argumentum, verba quæ leguntur in libello quem Urſacius & Valens obtulerunt Julio Papæ Romæ, de Concilio Mediolanenſi poſt Serdicenſe celebrato, neceſſariò intelligenda ſint: *Item anathema dicimus iis, qui negant Chriſtum Deum eſſe, & Filium Dei ab æterno, ſicut per priorem libellum noſtrum, quem apud Mediolanum porreximus, & nunc & ſemper anathematiZaſſe, ac manu noſtra, quâ ſcripſimus, profitemur.* Certè Athanaſius in Apologetico ad Conſtantium ait, *Quarto anno* ſcilicet, ex quo Romam venerat, à Conſtante Auguſto Mediolanum ſe accitum fuiſſe, additque: *Comperiebam autem quoſdam Epiſcopos, qui eò profecti erant; precibus ab eo* (nempe Conſtante) *ut tuæ pietati de Synodo facienda ſcriberet.* Anno itaque CCC XLVI quidam Epiſcopi Mediolani erant, quos licèt Athanaſius Synodum celebraſſe non dicat, veroſimile tamen eſt, eoſdem poſt Athanaſii diſceſſum in Synodo coactos, præ-

ſatam

ſatam Arianorum Confeſſionem in Concilio Antiocheno conſcriptam ſuſcipere noluiſſe. Hæc magis conſtabunt, cùm de altero Mediolanenſi Concilio ſermo erit.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5838. ☉ 18 F. ☽ 4. P. 7. April.
Indict. 3.
Olymp. 281. Jesu Christi 345.
Julii Papæ 9.
Constantii et Constantis 9.

I. *Conſules.*

COſs. *Amantius, & Albinus.*

II. *Ardet bellū Perſicum.*

Baron. num. I & II.

Ad num. I. Prælium à Romanis cum *Perſis* geſtum haud procul Niſibi apud *Singaram* ad præſentem annum pertinet. Julianus enim in Orat. I. disertè ſcribit, Magnentii tyrannidem in Gallia ſexto ferme poſt hoc prælium anno exortam eſſe. Narrato enim illo prælio, quod *Barbarorum ſucceſſum maximum* appellat, ait: *Exeunte jam hieme, ſexto circiter anno poſt bellum illud, de quo paulò antè dixi, nuntiatum eſt, Galliam unà cum Tyranno defeciſſe.* Magnentius autem anno CCCL Imperium in Gallia invaſit. Quare Idacius in Faſtis & Hieronymus in Chronico prælium illud perperam differunt ad annum CCCXLVIII. Valeſius in Notis ad lib. 18. Ammiani exiſtimat, loco, *ἕκτῳ ἔτει*, id eſt, *ſexto circiter anno*, legendum eſſe, *τρίτῳ*, id eſt, *tertio.* Sed id alio argumento non probat, quàm auctoritate Idacii, qui in temporibus conſignandis non rarò errat.

III. *Synodus Antiochena*

Celebrata hoc anno Synodus *Antiochena*, in qua prolixa Fidei Formula edita, & ad Epiſcopos Occidentis tranſmiſſa, ut anno præcedenti demonſtravimus.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5839. ☉ 19 E. ☽ 5. P. 25. Mart.
Indict. 4.
Jesu Christi 346.
Julii Papæ 10.
Constantii et Constantis 10.

I. *Conſules.*

COſs. *Conſtantius Aug. IV, & Conſtans Aug. III*, ut Auctor Chronici Alexandrini, & Faſti Græci Theonis disertè habent, ſicuti & Idacius in Faſtis.

II. *Decennalia utriuſque Auguſti.*

Sumtus ab utroque Imperatore Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam: Imperii enim Auguſtei tam Conſtantii, quàm Conſtantis Decennalia in hunc annum incidunt.

III. *Templa Gentilium occludi juſſa.*

Baron. num XI.

Ad num. I. Lex 4. Codicis Theodoſiani *De Paganis.* quæ directa eſt *ad Taurum PF. P.* & dicitur *dat. Conſtantio IV & Conſtante II AA. Conſſ.* ad hunc annum non pertinet, cùm Taurus anno tantùm CCCLIII Præfectus Prætorio Italiæ eſſe cœperit. Corrigenda itaque ſubſcriptio, & loco, *Conſtantio IV & Conſtante II AA. Conſſ.* legendum, *Conſtantio VI & Conſtante II Conſſ.* qui Conſulatus in annum CCCLIII incidit. Sed *Conſtans* ille alius non eſt, quàm *Conſtans Cæſar*, ut ſuo loco videbimus. Eâ Lege Templa Gentilium ubique claudi, eorumque aditus omnibus præcludi jubentur, & ſacrificia interdicuntur, ſed non per totum Imperium Romanum; cùm hæc Conſtitutio ad Taurum Præfectum Prætorio Italiæ inſcripta fuerit. Templa Gentilium, ut à Conſtantino Magno, ita & à filiis ejus occluſa fuiſſe, præter Theodoretum lib. 5. cap. 20. teſtatur quoque Sozomenus lib. 3. cap. 16. ubi ad hanc Legem ſine dubio reſpicit. Quin imò & everſa ab eo Templa nonnulla Libanius oſtendit Orat. funebri in Julianum pag. 253. & Orat. *ὑπὲρ τῶν ἱερῶν*, ubi addit, magno labore conſtitiſſe hæc Templorum excidia, propter eorum inſignem ſtructuram. Item donata ab eo Templa Palatinis Aulicis. Cùm itaque ſacrificia jam prohibita, Templaque occludi juſſa fuiſſent, tamen, quod Lex hæc indicat, Judicum conniventiâ, & Templa alicubi adhuc patebant, & ſacrificia quædam clam agitabantur, atque ita perditis quibuſdam *delinquendi occaſio*, id eſt, de fine Principis Magos conſulendi, patebat: à quibus injuriis ſeſe variis ſubinde Legibus vindicare neceſſe habuit Conſtantius, cujus hæc Lex eſt, ut videre eſt in Commentario Gothofredi ad eam Legem, ex quo hæc exſcripſimus. Porro Lex 3. Codicis Theodoſiani *De Paganis*, quam hoc anno recitat Baronius, data eſt anno CCCXLII, ut ibidem explicavimus.

IV. *Synodus Sardicenſis ab Impp. indicta.*

Baron. num. V.

Ad num. II. Celebratum hoc anno primum *Concilium Mediolanenſe*, de quo fusè anno CCCXLIV egi. Ac paulò pòſt Concilium Sardicenſe in annum ſequentem indictum, non quidem à Julio Papa, ut Baronius & Chriſtianus Lupus exiſtimarunt, ſed ab utroque Imperatore; quod ex Athanaſio in Apologia 2. manifeſtè patet. Ibi, recitatâ Julii Papæ ad Euſebianos epiſtolâ, ait: *Hac, cùm Romæ Synodus per Julium Romanum Epiſcopum ſcripſiſſet, improbâ iterum audaciâ Euſebiani in Eccleſiis perturbandis, inſidiiſque tendendis uſi ſunt: quod cùm reſcitum eſſet à religioſiſſimis Imperatoribus Conſtantio & Conſtante, juſſi ſunt Epiſcopi Orientis & Occidentis Serdicam convenire.* Præterea in epiſtola ad Solitarios: *Miſſa igitur litera à Conſtante ad fratrem ſuum Conſtantium, ibique de amborum ſententia placuit ut Synodus celebraretur.* Imò in epiſtola Synodica ad omnes Epiſcopos id teſtantur Patres Sardicenſes: *Quapropter cooperante Dei gratia, ipſi quoque religioſiſſimi Principes nos ex diverſis Provinciis & civitatibus in unum convocarunt, cupientes ut ſancta Synodus in Sardorum civitatem conveniret, quò omnis controverſia præcideretur, & ejecto quidquid pravæ Fidei eſſet, ſola in Chriſtum pietas ab omnibus retineretur. Venerunt quoque ex Oriente Epiſcopi, ad id & ipſi inſtigati à religioſiſſimis Imperatoribus.* Idem teſtantur Socrates lib. 2. cap. 16. Sozomenus lib. 3. cap. 10. Theodoretus lib. 2. cap. 5. Sulpicius Severus lib. 2. & Nicephorus lib. 9. cap. 12.

V. *Baronii opinio refellitur.*

Nec Baronii rationes aliquod robur habent. Ait primò, Sozomenum lib. 3. cap. 9. indicare, hanc Synodum à Julio Papa convocatam, dum inquit: *At cùm literis apud Epiſcopos Orientis de rebus propter quas ſcripſiſſet, nihil proficeret, cauſam Athanaſii*

& Pauli ad Conſtantem retulit, qui quidem dedit literas ad fratrem Conſtantium, &c. Verùm teſtimonium illud tantùm probat, Julium cauſam Athanaſii & Pauli Conſtanti Imperatori commendaſſe, ut apud fratrem Conſtantium pro utriuſque in Sede ſua reſtitutione ageret; vel rogaſſe Imperatorem, ut ipſe cum Conſtantio ſacra juſſione Concilium indiceret. Ait ſecundò Baronius, Socratem. lib. 2. cap. 20. ſcribere, *quoſdam Epiſcopos Orientales Sardicam non conveniſſe propter corporis infirmitatem: alios temporis præſtituti cauſatos anguſtiam, culpamque illius rei in Julium Epiſcopum Romanum contuliſſe.* Quæ quærimonia ſupponit, Julium Epiſcopos ad certum diem vocaſſe ad Concilium. At Valeſius in Notis ad illum Socratis locum jam obſervavit, falli hunc Hiſtoricum, qui ad Serdicenſem Synodum retulerit ea quæ ad Romanam pertinebant. Nam, cùm Julius Orientales Epiſcopos Romam ad Synodum evocaſſet, ut Athanaſii cauſa ibi cognoſceretur, Orientales eò venire recuſarunt, inter alias cauſas anguſtiam præſtituti temporis prætexentes, ut docet Julius Papa in epiſtola ad eoſdem Orientales apud Athanaſium pag. 744. Certè quæ ſequuntur apud Socratem: *Cùm tamen ab eo tempore, quo Synodus indicta fuerat, & quo Athanaſius Synodi conſeſſum expectans Romæ commorabatur, anni & ſex menſium ſpatium intercesſiſſet*, manifeſtè confirmant id quod dixi. Athanaſius enim Julii literis evocatus, Romam cùm veniſſet, annum integrum & ſex menſes in ea Urbe permanſit, adverſarios & Synodum, quæ Romæ indicta fuerat, opperiens. Teſtatur id Julius in epiſtola ſuprà memorata pag. 748. *Præter hæc omnia annum totum & integros ſex menſes apud nos hæſit veſtram præſentiam expectans.*

VI. Ad num. III. Sirmondus in Notis ad
Concilium Colonienſe. Concilium C olonienſe dicit, illud celebratum fuiſſe anno CCC XLV; nec abſurdum videri debere, quòd *Euphrata*, præſertim ſi
Baron. num. VII. reſipuerit, ad Legationem fuerit poſtea delectus, aut ſi adhuc in errore verſabatur, alias tamen ob cauſas, neceſſaria ejus hac in re viſa fuerit opera. Cointius in Annalibus Francorum anno CCC LV num. XIII, exiſtimans, temporis notam huic Concilio præfixam, mendoſam eſſe, ſcribit, aliam ſubſtituendam, quæ anno Chriſti circiter trecenteſimo quinquageſimo ſecundo conveniat. Sed, ut rectè obſervat Henſchenius die XIII Maii in Illuſtratione Vitæ S. *Servatii* Trajecti ad Moſam Epiſcopi, qui huic Synodo interfuit, ea à currenti anno removeri non poteſt; cùm Sanctus Maximinus Trevirenſis Epiſcopus, qui ei præfuit, anno trecenteſimo quadrageſimo nono obierit. Ait itaque Henſchenius, ab imperito Librario nomen Epiſcopi in hoc Concilio damnati longè à vero deformatum, aut Euphratem ſanctiſſimum Præſulem, quem Epiſcopo Hæretico ejuſdem nominis ſucceſſiſſe credendum, pro nomine Eupraxii, Euphraſii, aut alio ſimili perperam ſcriptum eſſe. Celebratum anno ſequenti Concilium Sardicenſe, ad quod profectus Euphrates Epiſcopus Coloniæ Agrippinæ in locum pſeudo-Epiſcopi ordinatus, tum alii plerique Epiſcopi, qui fuerant in Concilio Agrippinenſi, per quos potuit Concilio innoteſcere hæreſis Photiniana, quam ibi detectam eſſe auctor eſt Epiphanius hæreſi 72. Electi fuerunt à Concilio duo Epiſcopi, *Vincentius* Capuanus, & *Euphrates* Colonienſis, ut viri eximia ſanctitate & doctrinâ præclariſſimâ, quos ad Conſtantium Imp. deſtinatos Athanaſius in epiſtolâ ad Solitarios deſcribit. Ita ratiocinatur Henſchenius. At cùm in diverſis Epiſcoporum Catalogis duos ejuſdem nominis Epiſcopos eandem Eccleſiam ſucceſſivè ſæpius rexiſſe legere ſit, exiſtimo, tam Epiſcopum in Concilio Colonienſi depoſitum, quàm Epiſcopum in ejus locum ſubrogatum, Euphratam, ſeu Euphratem vocatum fuiſſe, perperamque ſecundum, ſeu Orthodoxum, cum priori qui Hæreticus fuit, confundi; ideoque rejiciendum, quod conjicit Cointius, poſt eam nempe Legationem, Euphratam à Fide defeciſſe. Quod verò de Photino Henſchenius ex Epiphanio dicit, infrà refutabitur.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ
5840. ☉ 20 D. ☽ 6. P. 6. APRIL. Anno Urbis
INDICT. 5. 1100.
JESU CHRISTI 347. Olymp. 281.
JULII PAPÆ 11. *ſecundum*
CONSTANTII ET CONSTANTIS 11. *Baronium.*

COSS. *Euſebius*, & *Rufinus*. Quindecen- I.
nalia Imperii Cæſarei Conſtantis, quo- *Conſules.*
rum manifeſtum indicium Synodus Sardicenſis ad Athanaſium & Paulum in Sedes ſuas *Quindecennalia Imperii Cæſaris Conſtantis.* reſtituendos à Conſtante Imperatore petita, & conſentiente Conſtantio Orientis Imperatore celebrata. Annis enim hujuſmodi ſolenniis deſtinatis exules de more relaxatos, ac Religioni conſultum mille exemplis liquet.

Ad num. VII. Cùm abſolutus per Syno- II.
dum Serdicenſem *Marcellus* Ancyræ Epiſcopus fuerit, non levis difficultas oritur de auctoritate Antiocheni Concilii, quod Marcellum damnavit, ejuſque hæreſim anathemati ſubjecit. *Marcellus Ancyræ Epiſc. ab aliquibus defenſus.* Augetur difficultas ex Athanaſio in epiſtola ad Solitarios, in qua ait: *De Marcello autem Epiſcopo Galatiæ, ſupervacuum fuerit fortaſſe mentionem facere, cùm nulli non conſtet, Euſebianos ab eo de hæreſi reprehenſos, hæreſeos recriminationem pro talione illi viciſſim impegiſſe, ſenemque hominem in exilium ejeciſſe. Ille autem Romam profectus ſeſe innocentem docuit, &, ut juſſus ab illis fuerat, ſcripto ſuam Fidem, quam Sardica Synodus amplexa eſt, edidit.* Scripſit hanc epiſtolam poſt Sardicenſe Concilium Athanaſius, & quantumvis Antiochiæ damnatus fuiſſet Marcellus, id nonniſi Euſebianorum dolo adſcribere videtur, innuens & Romani & Sardicenſis Concilii auctoritatem prævalere. Idem in epiſtola ad Orientales Antiochiæ adhuc congregatos ſcribit Julius primus, refertque, edito per ipſum Fidei libello, neminem non percipere, *eum nihil à veritate profiteri alienum, ſed eadem cum pietate, qua Eccleſia, de Domino ac Salvatore noſtro ſentire.* Quod Julius primus ex Fidei libello, hoc ipſe Marcellus probare contendit in eodem à ſe edito. Ex cujus teſtimonio cum Athanaſii & Julii teſtimoniis conjuncto, concludunt

aliqui Viri doctiſſimi, Marcellum integerrimæ Fidei Epiſcopum fuiſſe, & in ejus abſolutione Synodum Sardicenſem non erraſſe. Præterea Sanctus Epiphanius hæreſi 72. narrat, olim gravem ortam controverſiam de mente Marcelli: *A nonnullis eo nomine inceſſitur, quaſi ad Sabellianorum cavillationes partim adhæſerit: verum alii eidem patrocinantes verum id eſſe negant, è contrario verò præclarè illum vixiſſe, ac rectè ſenſiſſe confirmant. Unde magna de eo controverſia conflata eſt.* Scribit hæc Epiphanius duobus poſt Marcelli obitum annis. Ex quibus apparet, tunc diſputatum fuiſſe de hæreſi Marcelli, quæ nonniſi poſt multos annos poſtea innotuit, ut obſervat Schelſtratius in Diſſert. 3. de ſacro Concilio Antiocheno cap. 5. ex quo ſequentia exſcribemus.

III.
Marcellus Hæreticus à D. Athanaſio creditus.

Baron. num. XX & ſeqq. & num. LVI & ſeqq.

Marcello recenter per Sardicenſe Concilium abſoluto, & Sedi ſuæ reſtituto, magis exaſperata Euſebianorum factio, eodem tempore *Philippopoli* congregata voluit Orbi univerſo oſtendere, ſubdolis *Marcelli* fraudibus in facto erratum eſſe. Plures abſoluti erant in ſacroſancto Sardicenſi Concilio, quos omnes factio Ariana inſectabatur, quóſque in ſua Synodica enumerat. Licèt verò cauſam Aſclepæ Gazæ, Pauli Conſtantinopoleos, & Athanaſii Alexandriæ Epiſcoporum ibidem pertractet, omnium tamen primò exaggerat cauſam Marcelli Ancyrani, quia in ea ſe putabat maximè fundatam. Affert, ipſum in Concilio Conſtantinopolitano damnatum fuiſſe etiam ab illis, qui eum nunc admittebant; adduntque, tunc apud Orientales omnes habitum fuiſſe ut Hæreticum. Id ubique ſpargebant Euſebiani, ut ad omnium Catholicorum aures perveniret; quod adegit Epiphanium ad exquirendam Divi Athanaſii de Marcello mentem: *De quo*, inquit Epiphanius hæreſi 72. *cùm aliquando beatum Papam Athanaſium interrogaſſem, cujuſmodi eum fuiſſe arbitraretur, ille neque purgavit hominem, neque verò aſperiùs notavit: ſed leniter arridens, non multùm ab improbitate abhorruiſſe ſignificavit, & in eorum loco, qui ſe purgaſſent, habuit.* Quibus ex verbis colligere licet, jam tum Athanaſium non ampliùs habuiſſe Marcellum tanquam ab omni hæreſeos macula alienum, *neque purgavit hominem*, inquit Epiphanius, cùm tamen purgare debuiſſet juxta Julii primi & Sardicenſis Concilii ſententiam, ſi nullus tùnc ſcrupulus fuiſſet, ne circumveniretur. Quòd poſtea ipſe Athanaſius Marcellum habuerit ùt Hæreticum, docet Hilarius Pictavienſis in Fragmentis, dum de Sirmienſi Synodo agit: *Photinus Hæreticus deprehenſus, nec tunc quidem per factionem populi potuit ex Epiſcopatu amoveri, ſed Athanaſius Marcellum, qui poſt recitationem libri, quem ſcriptum ediderat, ſententiâ Synodi Sardicenſis Epiſcopatui erat redditus, ubi quædam alia nova miſcere ſentit, & ambiguis prædicationibus ejus, in quam Photinus erupit, doctrinæ viam quærere, à communione ſua ſeparat: anteriore tempore quàm Photinus arguitur, præventam judicio meditationem corruptæ voluntatis oſtendens, & non ex libri editione condemnans.* Et infrà: *Negata ſibi ab Athanaſio communione, ingreſſu ſeſe Eccleſiæ Marcellus abſtinuit*: quod & teſtatur Sulpicius lib. 2. Hiſtoriæ ſuæ.

IV.
Marcellus ut Hæreticus ab omnibus agnitus.

Euſebiani, poſt damnatum ab Athanaſio Marcellum, ipſum Athanaſium adoriuntur, rati, tam unum quàm alium malè à Synodo Sardicenſi abſolutum, ut ſcribit Sulpicius citatus: *Nacti ergo Ariani iſtiuſmodi occaſionem, conſpirant penitus Sardicenſis Synodi decreta ſubvertere. Etenim eis color quidam ſuppetere videbatur, quòd tam injuſtè fuiſſet pro Athanaſio judicatum, quàm Marcellus fuerat abſolutus, qui nunc etiam Athanaſii judicio Hæreticus eſſe probaretur. Namque Marcellus Sabellianæ hæreſis aſſertor extiterat; Photinus verò novam hæreſim jam antè protulerat, à Sabellio quidem in unione diſſentiens, ſed initium Chriſti ex Maria prædicabat. Igitur Ariani aſtuto conſilio, miſcent innoxium criminoſis, damnationemque Photini & Marcelli & Athanaſii eâdem ſententiâ comprehendunt: illud nimirum apud Imperatorum animos præſtruentes, ut non putarentur de Athanaſio perperam judicaſſe, qui de Marcello atque Photino vera ſenſiſſent.* Quæ ratio fuit, cur Occidentales non adeò libenter de Marcelli cauſa poſt apertum ejus animi dolum tractarint. Qua de re queritur Baſilius epiſtolâ 10. ad Sanctum Gregorium Nazianzenum: *Quale nobis auxilium ab Occidentalium ſupercilio & faſtu aderit! Qui veritatem neque norunt, neque diſcere ſuſtinent, verùm falſis opinionibus præpediti, illa nunc faciunt, quæ priùs in Marcello patrarunt.* Dicebat Baſilius, quòd ſicut Marcellus deceperat dolosâ Fidei Confeſſione Occidentales; ita & nunc Vitalis Apollinariſtarum Epiſcopus Damaſum. Ad quod cùm Divus Gregorius reſpondiſſet, de duplici ſenſu, & quòd de malo Formulæ ſenſu ipſe Apollinaris jam detectus, reprobatuſque eſſet ab ipſo Damaſo, ſcripſit de miſſis à Romana Eccleſia in Orientis ſubſidium Legatis, epiſt. 51. ad Athanaſium: *Quæritur & hoc à nonnullis illic, ut & nobis ipſis videtur, neceſſariò, ut Marcelli hæreſim illi cùm venerint, tanquam malam & nocivam, & à ſana Fide alienam exterminent. Quoniam ad hunc uſque diem, in omnibus, quas ſcribunt literis, peſſimè quidem audientem Arium ſurſum ac deorſum verſantes, anathematiZare, atque ex Eccleſiis eliminare non ceſſant: Marcellum autem, qui ex diametro reſpondentem Ario impietatem attulit, atque contra eandem Unigeniti, Divinitatiſque eſſentiam impiè egit, Verbique appellationem malè uſurpavit, ne ſemel quidem accuſare videntur.* Occidentales, qui cauſam Marcelli aliquandiu ſilentio obvolverant, eum tandem damnarunt, ut patet ex Paulino Trevirenſi & Liberio Papa, poſt cujus ſententiam Marcellus ab omni ſub cælo Eccleſia rejectus fuit.

V.
Photinus ſæpius damnatus.

Baron. num. XLIII.

Ad num. XI. Petavius in Diſſert. de Photino Hæretico ejuſque damnatione cap. 3. ſcribit, *Photinum* in Synodo Sardicenſi damnatum auctore Epiphanio hæreſi 71. ubi Photinum narrat, *in Sardicenſi Occidentali Synodo depoſitum.* Ac ne ambiguum foret, quia ſecedentibus apud Sardicam Arianis, Synodus biſariam diviſa eſt, ab utra parte damnatum intelligeremus, à Catholicis damnatum affirmat, & hoc addit ipſe de ſuo. Sed itane,

„ inquit Sirmondus in Diatriba ſecunda de
„ Photino Hæretico, ut damnatum à Catholi-
„ cis eo judicio Photinum credamus, in quo
„ an Catholicorum quiſquam ſederit, incer-
„ tum, Hæreticus omnium conſenſu præfuit,
„ & primas partes egit Semiarianorum princeps
„ Baſilius Ancyranus? Credet hoc affirmanti,
„ qui volet, nobis non perſuadebit. Porro cùm
„ damnati Epiſcopatuque dejecti Photini nulla
„ in Sardicenſibus Actis fiat mentio, & quæ de
„ Photini exauctoratione, deque Baſilii cum
„ Photino diſputatione ab Epiphanio tanquam
„ Sardicæ geſta memorantur, eadem omnia Sir-
„ mienſem ad Synodum pertinere, Scriptores
„ alii fidem faciant, parum perſpicacem vide-
„ ri oportet eum, qui Epiphanium, quod alii
„ pridem monuerunt, memoriâ lapſum hoc lo-
„ co, Synodo Sardicenſi tribuere, quod Sir-
„ mienſi congruebat, caſſamque & inanem Au-
„ ctoris obſervationem jacere non videat. Hæc Sirmondus, idque juxta Baronii ſententiam; qui uterque etiam rectè docent, primam Photini damnationem pertinere ad Synodum Antiochenam, quam anno CCCXLV celebratam docuimus: in hujus enim Synodi Fidei Formula, quæ refertur ab Athanaſio Apologiâ 2. pag. 691. damnantur *diſcipuli Marcelli & Scotini ab Ancyra Galatiæ*; ubi Photinus, *Scotinus* appellatus. Petavius in Diſſertatione laudata exiſtimat, *Photinum* primò damnatum in Synodo Conſtantinopolitana ab Hæreticis celebrata anno CCCXXXVI, fultus auctoritate Severi Sulpicii lib. 2. qui tradit, ipſum unà cum *Marcello* præceptore ſuo Synodi judicio condemnatum eſſe etiam ante Sardicenſem. Quam Synodum Petavius præfatam Conſtantinopolitanam interpretatur. Sed tam certum eſt, Severum eo in loco errare, quàm dum ſcribit, Sardicenſe Concilium ante Conſtantini Magni obitum congregatum fuiſſe. Prima itaque *Photini* damnatio contigit in ſecunda Synodo Antiochena memorata; altera ad Concilium Sardicenſe, & tertia ad Concilium Mediolanenſe præſenti anno celebratum pertinet, ut mox videbitur. Quæ diverſæ *Photini* damnationes ſedulò obſervandæ ob controverſias poſt Baronii mortem exortas de variis hujus Hæretici damnationibus, Conciliiſque, in quibus illæ contigere.

V I. *Jus appellationum Pontifici Romano aſſertum.* Baron. num. XLVIII.

Ad num. XII. Jus appellationum ad Sedem Romanam à Synodo Sardicenſi non inſtitutum, ſed confirmatum. Hoc enim ipſo, quo Romanus Pontifex eſt jure Divino omnium Epiſcoporum primus, & ceteris juriſdictione ſuperior, ac Eccleſiæ caput, conſequens eſt, ut ad ipſum Epiſcopi, cùm injuriam patiuntur, appellare poſſint. Quare jus appellationum Epiſcopalium ad Romanam Sedem Pontificii Primatûs appendix eſt. Et revera, inquit Perronius Cardinalis in Replica ad Reſponſionem Magnæ Britanniæ Regis cap. 3. Si jus illud à Concilio Sardicenſi inſtitutum eſſet, qua ratione Julius Romanus Pontifex pluribus ante Concilium illud annis ad Euſebianos hæc ſcripſiſſet? *Oportuit ſecundùm Canonem & non iſto modo, judicium fieri; oportuit ſcribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus quod juſtum eſſet, decerneretur. Epiſcopi enim erant, & non vulgares Eccleſiæ, qui iſta patiebantur, ſed quas ipſi Apoſtoli ad Fidem inſtruxerunt. Cur igitur & inprimis de Alexandrina civitate nihil nobis ſcribere voluiſtis? An ignari eſtis hanc conſuetudinem eſſe, ut primùm nobis ſcribatur, ut hinc quod juſtum eſt, definiri poſſit? Quapropter ſi iſtic hujuſmodi ſuſpicio in Epiſcopum concepta fuerat, id huc ad noſtram Eccleſiam referri oportuit.* Petrus de Marca lib. 7. de Concordia cap. 3. exiſtimat, jus in Synodo Sardicenſi quæſitum Epiſcopo Romano, diverſum prorſus eſſe à judicio appellationis, nihilque aliud ei conceſſum, quàm ut decernere poſſet cauſæ retractationem. Quippe, inquit, Synodus ſtatuit, ut ſi Epiſcopus damnatus Romanum Pontificem appellarit, in poteſtate ejus ſit, appellationem reſpuere, quo pacto ſententia Epiſcoporum Provinciæ confirmabitur, aut eam admittere. Quo caſu debet Epiſcopus Romanus judicium integrum remittere ad Epiſcopos Provinciæ, & ad finitimos, ut illi cauſæ cognitionem ſuſcipiant, præſente Legato Summi Pontificis, ſi is exiſtimaverit mittendum eſſe. Hæc ille. Verùm, ut jam Viris doctis obſervatum, Synodus hæc non ſolùm jus concedendi reviſionem, ſed poteſtatem judicandi appellationes ab Epiſcopis depoſitis factas ad Romanam Sedem, Romano Pontifici aſſeruit & confirmavit. Quod ex eo conſtat, quòd Romano Pontifici Concilium hoc auctoritatem attribuit, non ſolùm dandi novos judices, Epiſcopos nimirum ex viciniori Provincia, ſed etiam diſcutiendi ſententiam ab eis latam, & de ea judicandi, ſi Epiſcopus depoſitus, ab eis provocaverit. Canon enim IV ſic habet: *Cum aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit, eorum Epiſcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum ſibi negotium in urbe Roma, alter Epiſcopus in ejus Cathedra, qui videtur eſſe depoſitus, omnino non ordinetur, niſi cauſa fuerit in judicio Epiſcopi Romani determinata.* Ita hunc Canonem intellexere Græci Interpretes Zonaras & Balzamon, qui ſecundam appellationem à Romano Pontifice judicari poſſe, ſecundùm iſtius Canonis ſenſum agnoſcunt, eam nimirum quam ab Epiſcopis viciniorum Provinciarum, & ab earum ſententia Epiſcopi depoſiti interjecerint. Quæ contra hæc Vir doctiſſimus affert, jam ab aliis confutata, oſtenſumque, appellationum uſum, cùm in Eccleſia Orientali, tum in Occidentali poſt Concilium Sardicenſe frequentem fuiſſe; ejuſque initia perperam detrudi ab eodem doctiſſimo Præſule ad Concilii Trullani tempora in Eccleſia Græca, & ad octavum ſæculum in Latina. Porro Canones in hoc Concilio ſancitos explicat Chriſtianus Lupus in parte 1. Decretorum & Canonum Synodorum Generalium & Provincialium.

V I I. *Secunda Synodus Mediolanenſis adverſus Photinum coacta.* Baron. anno 350. n. XVIII. & ſeqq.

Celebrata hoc anno ſecunda *Synodus Mediolanenſis* conflata ex Epiſcopis Catholicis, in qua damnatus *Photinus*, & *Valens* ac *Urſacius* in communionem recepti. Hanc Synodum Baronius anno CCCL coactam credidit, & Petavius in Diſſert. de Photino Hæretico cap. 1. perperam cum priori Mediolanenſi anno præterito coacta confudit, ſed hoc anno habitam agnovit. Contrà verò Sirmondus in Diatriba ſecunda adverſus eam Petavii Diſſertationem, priorem Synodum Me-

diolanenſem accuratè ſuo anno reddidit, ſed male hanc ſecundam commentitiam exiſtimavit. Petrus de Marca eruditiſſimus Pariſienſium Præſul in Diatriba de tempore Synodi Sirmienſis Plenariæ, & de Valentis & Urſacii venia, à numero X ad XX, hanc ſecundam Synodum Mediolanenſem ſedulò explicat, ex quo hæc à nobis mutuata. Biennio præceſſit Romanam, de qua infrà. Hæc Synodus habita, ut in *Photini* cauſam inquireretur, quemadmodum disertè docet Hilarius in Fragmento de Synodis. Numeroſiorem eſſe Synodum oportebat, cùm de ſtatu Metropolitani Epiſcopi, & de cauſa Fidei ageretur. Itaque & Italicæ Diœceſis, cujus caput erat Mediolanum, & Illyricianæ, ex qua erat Photinus, & Urbicariæ ſeu Romanæ Diœceſeos affuiſſe Epiſcopos non eſt dubium; cùm Eccleſiæ Romanæ Legatos huic Synodo Mediolanenſi aſtitiſſe teſtetur Hilarius, & celebratam fuiſſe præſentibus Romanæ Eccleſiæ Presbyteris doceat epiſtola Concilii Ariminenſis, in qua habetur: *Ea de cauſa Urſacius & Valens à noſtra communione ſegregati fuere, quam ut denuo recuperarent, de peccatis ſuis, in quibus ſe conſcios cognoſcebant, pœnitentiam veniamque poſtularunt, ut eorum ſyngrapha teſtantur: & ob id illis venia gratiaque facta eſt. Hæc autem per id temporis facta ſunt, cùm Mediolani Synodus in conſeſſum ibat, præſentibus ibidem Romanæ Eccleſiæ Presbyteris.* Præſentibus, inquam, Romanæ Eccleſiæ Legatis, non autem Conſtantino præſente, ut ſe habet lectio epiſtolæ Concilii Ariminenſis apud Hilarium, quæ laborat interpunctione. Itaque ſenſus reſtituetur, inquit Petrus de Marca, ut idem cum eadem epiſtola ab Athanaſio & Socrate relata ſignificet, ſi interpunctio ponatur poſt hæc verba, *Eccleſiæ Romanæ. Conſtantino præſente in hoc, cum magno examine fuiſſet conſcriptum, quod tenens, baptizatus ad quietem Dei commigravit, nefas putamus inde aliquid mutilare.* In hoc, id eſt, in Nicæno tractatu, cujus meminit ſuperiùs. Sanè Conventum iſtum Mediolanenſem Catholicorum Epiſcoporum fuiſſe, rectè probat Petavius, tum ex Legatorum Romanæ Eccleſiæ præſentia, tum ex verbis Hilarii, qui docet ſatis liquidò, in ea Synodo Arianam hæreſim fuiſſe proſcriptam; tum præcipuè quòd Urſacius & Valens, qui à Sardicenſi Synodo abſtenti fuerant, rogatâ veniâ in gratiam recepti ſunt, ut docet epiſtola Synodi Ariminenſis, & ipſe libellus oblatus Julio ab Urſacio & Valente apud Hilarium. Itaque cùm apertiſſimè conſtet, Mediolanenſem hanc Synodum & Romanam habitas eſſe poſt Synodum Sardicenſem, & ante obitum Conſtantis, id eſt, ab anno CCCXLVII ad initium anni CCCL, & Mediolanenſis biennio Romanam præcedat, neceſſariò ſequitur, primam cadere ſub finem currentis anni, aut exordium ſequentis, Romanam verò in annum CCCXLIX.

VIII. *Urſacius & Valens in Cõcilio Mediolanenſi ad communionem recepti.*

Sed hìc gravis quæſtio, quæ Viros doctiſſimos exercuit, non eſt diſſimulanda. Sirmondus enim loco citato fultus Hilarii teſtimonio, & ipſo libelli ſupplicis ab Urſacio & Valente porrecti exemplo, veniam & Eccleſiæ pacem à Julio Papa impetraſſe ambos illos Hæreticorum duces ab errore reſipiſcentes docet. Unde robuſtè colligere ſe putat, eos non fuiſſe reſtitutos in Synodo Mediolanenſi, quæ biennio præceſſerit pacem illis à *Julio* datam. Quare ſibi perſuadet, per errorem hujus reconciliationis Mediolani peractæ mentionem factam in epiſtola Synodica Concilii Ariminenſis. Petavius excipit, fruſtra injici ſuſpicionem mendi in ea epiſtola, quæ totidem verbis deſcripta ſit ab Athanaſio, Socrate, Theodoreto, Sozomeno, & cujus ſynopſis refeatur in Fragmentis Hilarii, ubi Patres teſtantur, *Urſacium & Valentem* veniam ſcripto petiviſſe, & impetraſſe; ea verò geſta fuiſſe, cùm Mediolani Conventus Synodi haberetur præſentibus Romanæ Eccleſiæ Presbyteris. Cur autem repetita fuerit illa reconciliatio, rationes à Scriptoribus non eſſe memoriæ proditas, ut nec multorum eventuum, de quibus dubitare ſit nefas.

IX. *Urſacius & Valens ſæpius Eccleſiæ reconciliati.*

Sed quia vim facit Sirmondus, in hoc quod biennio poſt Concilium iſtud *Valens & Urſacius* in integrum reſtituti ſunt, quod factum non fuiſſe videtur, ſi hoc anno cum Eccleſia Catholica in gratiam rediiſſent, oſtendit Petrus de Marca, nihil novum aut inſolens in reſtitutione communionis Urſacii & Valentis accidiſſe, ſed omnia rite & ſecundùm Canones peracta. Duo iſti adoleſcentes imperiti, ut loquitur Concilium Sardicenſe, degebant in Occidentis Imperio, ſub Principatu Conſtantis Principis. Occidentalium Epiſcoporum ſententiâ dejecti erant, non ſolùm à communione Eccleſiæ, ſed etiam à Sedibus ſuis. Relatio Synodi ad Conſtantem facta fuerat, ut executioni mandanda curaret, quæ decreta fuerant Sardicæ. Quid agerent *Urſacius & Valens*, ut periculo Sedium amittendarum defungerentur, quàm ut ſtatim reſtitui in communionem poſtularent, depoſitâ hæreſi? Id verò conſequi non poterant alibi, quàm in numeroſa Epiſcoporum Synodo, ex præſcripto Canonum. Ideoque Synodi Mediolanenſis opportunitatem nacti, libello ſuo Arianam hæreſim abjurant, Ariumque & ejus ſatellites anathematizant, ut ipſimet fatentur in libello, quem deinde obtulerunt Julio. Synodus eis pacem Eccleſiæ induſit, & ſententiæ adverſus eos in Sardicenſi Concilio latæ gratiam fecit, ut docet epiſtola Synodica Concilii Ariminenſis. Reſtitutio illa communionis accepta fuit Julio Papæ, qui hac de re certior factus, juxta Synodi Mediolanenſis decretum communionem ſuam illis impertivit. Quod fatentur his verbis in libello oblato Julio: *Maximè cùm Sanctitas tua, pro inſita ſibi benevolentia, errori noſtro veniam fuerit dare dignata.*

X. *Urſacius & Valens juſſi ſeſe cum Athanaſio reconciliare.*

Verumtamen id unum videtur *Julius* ab iis exegiſſe, ut Athanaſii communionem amplecterentur, de quo judicium tuliſſet Sardicenſis Synodus, & ut omnibus ſcripto teſtarentur, ſe per calumniam accuſationes in Athanaſium intendiſſe. Ægrum illis erat ſcripto ſibi calumniæ notam inurere. Itaque literis ſuis eos convenit Julius, ut ſtarent promiſſis: quod illi ſe proxima quaque die impleturos epiſtolâ ſuâ ſignificarunt. Cùm autem tempus traherent, & in eas anguſtias ſe redactos viderent, ut à communione Eccleſiæ projiciendi forent, ſi longiores moras ne-

4 T iij

ſterent, occaſione Synodi Romanæ uſi, *Julium* adeunt, & ſcripto profitentur ſibi falsò ſuggeſta fuiſſe ea crimina, quorum reum Athanaſium fuiſſe docuerant; itaque ſe Athanaſii communionem amplecti. Hæc eſt libelli Julio oblati ſententia, ut patebit, ſi quis verba rectè perpenderit: *Quoniam conſtat nos antehac multa gravia de nomine Athanaſii Epiſcopi literis noſtris inſinuaſſe, atque literis Sanctitatis tuæ conventi* (lege, *conventos*) *ejus rei, de qua ſignificavimus, non præſtitiſſe rationem, profitemur apud Sanctitatem tuam cunctis præſentibus Presbyteris fratribus noſtris, omnia quæ antehac ad aures noſtras pervenerunt de nomine prædicti, falſa nobis eſſe inſinuata, atque omnibus viribus carere, atque ideo nos libentiſſimè amplecti communionem prædicti Athanaſii; maximè cùm Sanctitas tua, pro inſita ſibi benevolentia, errori noſtro veniam fuerit dare dignata.*

X I. *Urſacio & Valenti venia ſub conditione conceſſa.*

Tamen non eſt prætermittendum, è verſione Athanaſii, apud quem libellus iſte Græcè perſcriptus habetur in Apologia ſecunda pag. 776. alium ſenſum educi poſſe, ſcilicet *Valentem & Urſacium* pacem quidem adeptos *Mediolani*, Ario anathematizato, ſed ab Athanaſii communione ſeſe ſuſpendiſſe intra certum tempus, quò fidem facerent eorum criminum, quæ Athanaſio objecta fuerant; conventos autem à Julio, non potuiſſe implere probationem, cui ſe adſtrinxerant; ideoque cùm viderent, aut cadendum à communione Eccleſiæ, aut communicandum Athanaſio, Profeſſionem ſuam obtuliſſe Julio, quâ teſtantur falsò ſibi ſuggeſtum fuiſſe contra Athanaſium, & ejus ſe communioni adhærere velle: ἐκ πράγματος χάριν περὶ οὗ ἐδυ- λείπομεν, ἐκ ἠδυνήθημεν λόγον ἀποδοῦναι, id eſt, ut vertit Interpres Athanaſii, *ut crimina probaremus, nunquam earum rerum documenta afferre potuiſſe.* Sed parum intereſt, quo pacto iſta explicentur, cùm ex utraque interpretatione id liquidò conſtet, veniam illis conceſſam fuiſſe Mediolani ea conditione, ut aut Athanaſium reum peragerent, aut calumniam paſſum eſſe faterentur, & hoc caſu communionem ejus amplecterentur delatores. Quod ultimum cùm feciſſent ſcripto, calumniæ ſuæ pœnitentes, plena illis, pura & integra reſtitutio abſque conditione eſt indulta. Hoc eſt quod urget Hilarius, dum ſcribit in Fragmentis, eis reditum ad Catholicam Fidem cum communione donatum. Si enim hæc verba rigidè acciperentur, quaſi tunc primùm in Eccleſiam recepti fuiſſent, pugnarent non ſolùm cum epiſtola Synodi Ariminenſis, quæ veniam & pacem conceſſam Mediolani fatetur; ſed etiam cum hoc libello, quo nulla venia nunc de novo petitur, ſed jam fuiſſe ante hunc libellum conceſſa oſtenditur. Quod etiam verſio Græca liquidò exprimit: ἡ θεοσέβειά σου κατὰ τὴν ἔμφυτον αὐτῇ καλοκαγαθίαν τῇ πλάνῃ ἡμῶν κατηξίωσε συγγνώμην δοῦναι. id eſt, ut vertit Interpres Athanaſii: *Tua in Deum pietas veniam ſecundum genuinam ſuam probitatem noſtro errori impartiri dignata eſt.* Itaque non eſt cur Sirmondus citatus dicat, non liquere, cur venia ſemel indulta Valenti & Urſacio in Synodo Mediolanenſi, iterum indulgeatur in Synodo Romana; cùm ea, quæ ſub conditione conceſſa ſunt, eveniente conditione poſſint & debeant iterum purè concedi, vel ſi mavis, confirmari.

X I I. *Cauſa celebrationis Synodi Mediolanenſis II.*

Si cui autem hæreat ſcrupulus, cur non longo tempore à Synodo Sardicenſi altera Synodus *Mediolani* indicatur, poterit eximi facili negotio, ſi perpendamus, tribus de cauſis eum Conventum neceſſarium fuiſſe. Prima eſt, ut decreta Synodi Plenariæ nota fierent Synodis particularibus curâ & ſtudio Metropolitarum & Exarchorum, præcipuéque Romani Epiſcopi diligentiâ. In eum itaque finem ſtatim poſt Concilium OEcumenicum Provinciales Synodi cogebantur. Secunda cauſa, quæ nunc copioſiorem ſolito Synodum requirebat, fuit diſſidium illud Orientalium Epiſcoporum, qui Sardicâ diſceſſerunt, & Sardicenſis Synodi nomine ad Imperatores Conſtantium & Conſtantem & ad univerſas Eccleſias literas dederunt. Itaque, ut huic vulneri mederentur Epiſcopi Occidentales, opus illis fuit auctoritate Conſtantis Imperatoris, qui Mediolani reſidebat, quò noſtri ſe tranſtulerunt, & Synodum habuerunt in eadem urbe, ut turbis excitatis ad impediendum reditum Athanaſii præſtò eſſet auxilium & conſilium Occidentalium. Tertia cauſa, eaque graviſſima, fuit damnatio *Photini*, quæ non poterat peragi niſi in majore & numeroſiore Epiſcoporum Synodo. Hæc eſt enim prima *Photini* damnatio, ut diſertè docet Hilarius in Fragmentis, dum ait, *Marcellum* communione Athanaſii privatum poſt Synodum Sardicenſem, *anteriore tempore quàm Photinus arguitur.* Ut hinc pateat, & paulò poſt Synodum Sardicenſem, Athanaſium (qui caput iſtud admiſſi in communionem Marcelli valde urgeri videbat ab Orientalibus, qui Sardicâ diſceſſerant) à ſua communione ſeparaſſe *Marcellum* ante reditum in Orientem, & in Synodo Mediolanenſi damnatum primò fuiſſe *Photinum*; etſi repetito judicio, in Romana Synodo, & poſtea in Sirmienſi ſit confectus Photinus. Et ſic Athanaſius exemplo communionis à ſe denegatæ Marcello, præbuit auctoritatem iis, quæ gerenda erant in Photinum, ut loquitur Hilarius, cujus mentem breviter expreſſimus. Itaque menſes aliquot neceſſe eſt interceſſiſſe inter Sardicenſe & Mediolanenſe Concilium. Neque enim biennium illud Hilarii per momenta eſt computandum, ſed benigniùs, ut partem utriuſque anni, primi & ſecundi, complectatur.

X I I I. *Epocha ſecundi Concilii Mediolanenſis.*

Denique laudanda eſt Sirmondi obſervatio, quâ poſitâ dejicitur è præſidio Petavius, quod ad Synodi iſtius aſſertionem validum exiſtimabat. Petitum illud erat ex epiſtola Liberii Papæ ad Conſtantium, quâ Pontifex teſtatur, Demophilum, Macedonium, Eudoxium & Martyrium Epiſcopos ante annos octo Mediolani ſententiam Arii noluiſſe damnare, & iratis animis è Concilio exiviſſe. Etenim ſi ſcripta ponatur epiſtola anno CCC LIV, ut cenſuit Baronius, non autem CCC LV, ut putabat Petavius, demtis annis octo incidet Conventus ille Mediolanenſis in annum CCC XLVI, qui Synodum Sardicenſem anteceſſit; cujus Concilii epiſtolæ Synodicæ ab Arianis editæ Demophilus ille, Macedonius & Eudoxius

ſubſcripſerunt poſt diſceſſum ex urbe Mediolanenſi, quò ſe contulerant ab Orientalibus Epiſcopis ad Conſtantem miſſi, ut Athanaſii damnationem tuerentur. Tamen non eſt omittendum, Sirmondum in ſua Diatriba alienam ſententiam affingere Hilario, cùm exiſtimat, damnationem Photini in Concilio Mediolanenſi ab Hilario commemoratam, trahendam ad Concilium illud Mediolanenſe, quod coactum fuit anno trecenteſimo quinquageſimo quinto. Certum quidem eſt ex epiſtola ipſius Synodi prolata à Baronio, damnatos ibi fuiſſe Marcellum, Photinum & Athanaſium. Sed hic Conventus Arianorum fuit, ut omnes fatentur, & docet ipſa Athanaſii damnatio. At verò Conventus Mediolanenſis, de quo Hilarius, conflatus erat ex Epiſcopis Catholicis, & habitus fuit currenti anno, ut ſuperiùs eſt demonſtratum. Itaque duplex Synodus Mediolanenſis ſtatuenda eſt, in qua Photinus damnationem exceperit. Prima eſt Hilario dicta, ex Epiſcopis Catholicis compoſita, & coacta anno trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo. Altera eſt Arianorum Synodus anno trecenteſimo quinquageſimo quinto, qui damnationem Athanaſii cum Photino conjungunt. Quod Hilarius ſine exprobratione non prætermiſiſſet, ſi ejus feciſſet mentionem. Quæ omnia à Petro de Marca laudato diligenter obſervata.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5841. ☉ 21 CB. ☽ 7. P. 3. April. Indict. 6.
Jesu Christi 348.
Julii Papæ 12.
Constantii et Constantis 12.

I. *Conſules.* Coss. *Fl. Philippus, & Fl. Salia.*

II. *Gregorii Sedis Alexandrinæ invaſoris obitus.* Baron. num. v & ſeqq. Ad num. II. *Gregorius*, qui Sedem Alexandrinam poſt dejectum *Athanaſium* occupabat, initio tantùm ſequentis anni mortuus eſt. Athanaſius enim in epiſtola ad Solitarios narrat, *Stephanum* Antiochenum Epiſcopum Arianum tragœdiam adornaſſe adverſus *Euphratem* Colonienſem Epiſcopum, unum ex Legatis à Synodo Sardicenſi ad Conſtantium miſſis, & illius conſilio conductam publicam meretricem, immiſſamque ad Euphratem, *ipſis ſanctiſſima Paſcha diebus.* Deinde *poſt menſes decem defuncto Gregorio* Conſtantium acceſſiſſe Athanaſium. Feſtum Paſchatis currenti anno in diem tertium Aprilis incidit, ideoque initio anni ſequentis, poſt menſes nempe decem, Gregorius obiit, & Stephanus Epiſcopatu dejectus, ac *Leontius*, etiam Arianus, in ejus locum ſubrogatus.

III. *Paulus Cp. Concilio Sardicenſi non adfuit.* Baron. num. xiv. Ad num. III. *Paulus Conſtantinopolitanus* Epiſcopus Sardicenſis Synodi ſententiâ non videtur reſtitutus, cùm in epiſtola Sardicenſis Concilii nulla ejus mentio ſit. Imò Theodoretus lib. 2. cap. 5. disertè affirmat, Paulum Sardicenſi Synodo minimè interfuiſſe. Quod Valeſius in Obſervat. Eccleſiaſt. ad Socratem & Sozomenum lib. 2. cap. 7. contigiſſe exiſtimat, quia cives urbis Conſtantinopolitanæ noluerint illuc Paulum proficiſci, veriti ſcilicet ne ab Arianis in itinere per inſidias interficeretur. Jam itaque ante Synodum Sardicenſem *Paulus* Epiſcopatûs ſui locum receperat à Conſtantio, vel in gratiam Conſtantinopolitanorum, qui eum præcipuo quodam amore proſequebantur, vel ob metum Conſtantis Auguſti, qui frequentibus literis ad Conſtantium miſſis, ut Paulus, Athanaſius, & reliqui Orientis Epiſcopi ſuas in Sedes reſtituerentur, poſtulaverat. Hinc videtur Paulus à Singarenſi & Emeſeno exilio ſolutus, reverſus eſſe Conſtantinopolim. Unde cùm ad Sardicenſe Concilium proficiſci vellet, à Conſtantinopolitanis civibus detentus eſt, ut docet Theodoretus loco laudato.

IV. *Concilium Carthaginenſe ſub Grato, in Collectione Canonum Africanorum non memoratur.* Baron. num. xiv & ſeqq. Ad num. IV. Poſt tempora Cypriani, primum, quod deprehenditur Concilium *Carthaginenſe*, illud eſt quod *Gratus* Epiſcopus è Concilio Sardicenſi redux, ſatis frequens coëgit, poſt Legationem Pauli & Macarii miſſam à Conſtante Imperatore in Africam ad molliendos Schiſmaticorum animos, hoc vel ſequenti anno, ut Baronius annotavit. In eo Concilio quatuordecim canones editi ſunt: fuerat hactenus corruptiſſimum, ſed illud poſt Baronii mortem Holſtenius ex vetuſto Codice Vaticano emendavit. Præcipuos ejus canones explicavit Schelſtratius in Diſſert. 3. de Eccleſia Africana cap. 5. Sciendum porro, præſente Fauſtino Legato Romanæ Sedis habitam fuiſſe Synodum univerſalem totius Africæ, quæ *ſexta* dicitur, ſub *Aurelio* Carthaginis Epiſcopo: in qua relecti ſunt canones illi omnes, qui diverſis in Conciliis editi fuerant tempore Aurelii, & nova definitione, conſentiente *Fauſtino*, approbati ſunt. Horum Conciliorum geſta & canones *Fauſtinus* Romam cùm detuliſſet, Apoſtolicæ Sedis conſenſu adeo probata ſunt, ut partem deinde fecerint Collectionis noſtræ veteris, quæ incipit à tertio Carthaginenſi Concilio, & cetera ex ordine complectitur, quæ habita ſunt ſub Aurelio uſque ad ſeptimum Carthaginenſe, & præterea Milevitanum ſub Aurelio. Primum Carthaginenſe Concilium ſub *Grato* hoc vel ſequenti anno celebratum, & ſecundum ſub *Genethlio*, licèt canones aliquot conſtituerint, non deſcribuntur in Collectione Canonum Africanorum: quæ propria Romanæ Eccleſiæ cùm eſſet, nefas erat, ut aliis iſta legibus uteretur, quàm iis, de quibus ad eam relatio facta fuerat, aut quas præſentiâ Legatorum ſuorum probando, ſuas fecerat. Concilia ſub Grato & Genethlio, quemadmodum & Telenſe, Septimicenſe & Macrianenſe, quorum meminit Ferrandus in Breviario, Eccleſiæ Africanæ ordinandæ deſtinata erant, ejuſque erant decreta ſpecialia. Sed Concilia habita ſub Aurelio, ad Romana Scrinia delata primùm, publicæ legis vim tandem obtinuerunt in Occidente univerſo in conſequentiam Collectionis, in qua Canones ſingulorum Conciliorum Africanorum deſcribuntur. Hæc Petrus de Marca in Diſſertatione de veteribus Collectionibus Canonum cap. 4. quod eſt *de Canonibus Africanis*.

V. *Ludi Seculares non celebrati.* Victor de Cæſaribus loquens de Ludis Secularibus à Philippo Imperatore celebratis ait: Noſtra *quoque ætate poſt mille centeſimus*, (nempe annus) *Conſule Philippo*, ex-

ceſſit, nullis, uti ſolet, ſolennibus frequentatus: adeo in dies cura minima Romanæ urbis. Geſſit hoc anno Conſulatum Philippus, Saliâ Collegà. Quare, cùm annus Urbis milleſimus centeſimus anno CCC XLVIII abſolutus fuerit, annus ejuſdem Urbis milleſimus cum anno Chriſti ducenteſimo quadrageſimo octavo expiravit. Hincque manifeſtum ſit, Baronii Chronologiam ante Diocletiani tempora depravatam eſſe: vult enim annum Urbis milleſimum anno Chriſti CCL abſolutum eſſe, ut videre eſt in Annalibus. Quod ſi verum eſſet, Conſulatus Philippi & Saliæ non cum anno Chriſti CCC XLVIII, ſed cum anno CCC L omnino copulandus eſſet; quod nullus dixerit. Nihil itaque verius, quàm Baronium ante Diocletiani Imperium Conſulatus duos reſecaſſe, ut Æram Dionyſianam aſſequeretur, quòd eam biennio citiùs inchoaſſet.

Olymp. 282.

Ann. Urbis 1100. *ſecundum Baronium.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5842. ☉ 22 C. ☽ 8. P. 23. APRIL.
INDICT. 7.
JESU CHRISTI 349.
JULII PAPÆ 13.
CONSTANTII ET CONSTANTIS 13.

I. *Conſules.*

COSS. *Ulpius Limenius*, & *Aco Fabius Catullinus*, ut oſtendit Onuphrius in Faſtis.

II. *Athanaſius Alexandriã redit.*

Ad num. I. Mortuo anni hujus initio Gregorio Sedis Alexandrinæ invaſore, Athanaſius in eam reſtitutus eſt, currentique anno glorioſus ejus Alexandriam reditus contigit, non verò ſequenti; quod credidit Baronius, quódque anno ſequenti confutabimus.

III. *Varia reſcripta hoc anno data.*

Baron. num. XVII & ſeqq.

Ad num. V. Sub hujus anni Conſulibus data à Conſtante Imperatore Lex 2. Codicis Theodoſiani *De ſepulchris violatis.* quâ iis qui ſepulchra hactenus violaverant, unius auri libræ mulctam imponit, capitali ſeu ſanguinis pœnâ ſublatâ. Quod poſtea Patres Concilii Toletani quarti c. 45. imitati ſunt: *Quia facinus hoc pro ſacrilegio legibus publicis ſanguine vix vindicatur.* Deſignat tempus Imperator, *ex Conſulatu ſcilicet Dalmatii & Zenophili*, qui in annum CCC XXXIII incidit, quo Conſtantinus Magnus aras, idola, templaque everti juſſit, ut ibidem diximus. Ubi & oſtendimus, ab eo tempore, ut in templa, ita & in ſepulchra ſævitum eſſe. Plura Gothofredus in illius Legis Commentario. Data & à Conſtante Lex 2. ejuſdem Codicis *De raptu virginum & viduarum.* Anno CCC XX Conſtantinus Magnus Legem priorem ejuſdem Codicis *De raptu virginum vel viduarum.* emiſerat, & Raptoribus atrociſſimam pœnam, & quidem indefinitè impoſuerat; quam Legem Conſtans hac ſua temperat; capitis pœnâ, id eſt, gladii liberis indictâ, ſervis verò ignis ſupplicio impoſito. Licèt porro Conſtantii Lex aliqua hac de re non occurrat ſub eodem titulo, non dubium tamen, quin ejuſdem ſententiæ fuerit. Sanè extat Libanii locus in Baſilico ad Conſtantium & Conſtantem, qui hoc anno compoſitus videtur pag. 146. & 147. de munita conjugii ſanctitate à Conſtantio adverſus Raptores conjugum alienarum, & quidem militares. Ejuſdem alioquin Conſtantii adverſus Raptores viduarum & virginum Sanctimonialium eſt Lex 1. ejuſdem Codicis *De raptu vel matrimonio Sanctimonialium virginum vel viduarum*, data anno CCC LIV. Denique Conſtantius hoc anno emiſit Legem 9. *De Epiſcopis.* quæ eſt de immunitate Clericorum à civilibus muneribus, ac civilibus functionibus, quam Gothofredus in Commentario eò pertinere credit, quòd Conſtantius hoc ipſo tempore immunitatem Clericis, qui cum Athanaſio communicabant, paulò ante ademptam, hoc ipſomet anno poſt Concilium Sardicenſe reſtituit duabus epiſtolis, quas ipſemet refert in Apologia 2. pag. 600. & 601. in quarum poſteriore Interpres ἀλειτουργησίαν contrario ſenſu *officium* reddidit, cùm ea voce ſignificetur *immunitas à muneribus*, pariter ut voce ἀτελείᾳ in priore uſus fuerat.

IV. *Synodus Romana in cauſa Valentis & Urſacii.*

Baron. anno 350. n. XX & ſeqq.

Congregata hoc anno Synodus *Romana*, in qua Valens & Urſacius communionem Athanaſii amplexi ſunt, & de *Photini* expulſione actum eſt. De qua antequam diſſeramus, obſervandum, exortam noſtro ſeculo magnam controverſiam de anno Synodi Sirmienſis, in qua Photinus damnatus eſt. Socrates & Sozomenus eam convocatam tradidere poſt Sergii & Nigriniani Conſulatum, qui geſtus fuit anno Chriſti CCC LI. At Baronius toto ſexennio ab utroque diſſert, celebratam docens anno CCC LVII. Socrati & Sozomeno adſtipulatur Petavius in Animadv. ad Epiphanium 306. Baronio verò Sirmondus in Diſſertatione de anno Synodi Sirmienſis, ubi putat, Baronii ſententiam juvari manifeſto teſtimonio Hilarii in Fragmentis, qui biennio anteriorem facit Synodum Mediolanenſem ipſa Synodo Sirmienſi. Aliunde verò conſtare ait, Synodum illam *Mediolani* habitam incidere in annum CCC LV. Petavius in Diſſert. de Photino Hæretico, ut ſe his nodis eximat, hæc Hilarii verba, quæ leguntur apud Hilarium poſt libellum Valentis & Urſacii: *Hæc epiſtola poſt biennium miſſa eſt, quàm hæreſis Photini à Romanis damnata eſt;* interpretatur de Mediolanenſi Synodo, & ex iis probare nititur, Mediolanenſem Synodum, quæ biennio Sirmienſem præceſſit, è Catholicis Epiſcopis fuiſſe conflatam, & aſſignandam anno CCC XLVII, aliquot menſibus poſt Sardicenſe Concilium, non autem ex Epiſcopis Arianis fuiſſe compoſitam; cujuſmodi erant illi, qui Mediolanenſem alteram Synodum conſtituebant; quæ à Conſtantio indicta eſt anno CCC LV. Porro non in eo hæret; ſed ex laudato Hilarii loco novam Synodum profert Sirmienſem, quæ Mediolanenſi anno CCC XLVII congregatâ ſit biennio poſterior, & ideo collocanda currenti Chriſti anno, quam ſecuta fuerit altera Synodus Sirmienſis, de qua eſt controverſia, an competat anno CCC LI, an verò CCC LVII. Verùm illam Sirmienſem Synodum à Petavio in medium adductam, commentitiam eſſe, & currenti anno ſeu biennio poſt Synodum Mediolanenſem, non Sirmienſem, ſed Romanam coactam fuiſſe, oſtendam ex Petro de Marca in Diatriba de tempore Synodi Sirmienſis Plenariæ, cujus verba ferè exſcribam.

V.
Biennio poſt Mediolanẽſem habita.

Photinus itaque Epiſcopus Sirmii, inquit Marca, damnatus fuit in ſecundo Concilio Mediolanenſi, à quo etiam *Valens* & *Urſacius* Pannoniæ & Mœſiæ Epiſcopi, qui ſententiâ Synodi Sardicenſis à communione Eccleſiæ Catholicæ abſciſſi fuerant, pacem & veniam exorarunt. Biennio elapſo poſt Conventum Mediolanenſem, iterum altera Synodus cogitur ad pellendum Epiſcopatu Photinum. Hæc Hilarii in Fragmentis verba: *Igitur ad tollendum ex Epiſcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanenſi Synodo erat Hæreticus damnatus, ex plurimis Provinciis congregantur Sacerdotes*, &c. Qui Conventus Romæ habitus eſt, non verò Sirmii, ut ſibi perſuaſit Petavius citatus. Conventûs hujus & loci opportunitatem nacti Valens & Urſacius, communionem, quam Mediolani obtinuerant, quámque Julius Epiſcopus Romanus approbaverat, ea conditione, ut Athanaſii communionem amplecterentur, & conflatas in eum calumnias detegerent, Profeſſione data, ratam haberi libello ſupplici rogant, *Athanaſium* ſuſcipiunt, & præterea Arianos damnant, prout altero libello, quem Mediolani porrexerant, ſe feciſſe profitentur. Damnati Photini *à Romanis*, id eſt, à Synodo Romana, decretum ab Occidentalibus, *ſicut mos poſcebat*, ad Orientales mittitur, *non injuriâ extorquendi, ut nunc agitur, adſenſum*, inquit Hilarius, *ſed inſtruendæ univerſorum ſcientiæ conſuetudine.* Libellus autem Valentis & Urſacii oblatus Julio non ſtatim ad Orientem eſt delatus, ſed biennio poſt damnationem Photini à Romanis decretam, ut teſtatur Hilarius loco numero præcedenti citato; licèt poſt aliquantum temporis, *poſteaquam ſuperiorem epiſtolam Romæ emiſerant* Valens & Urſacius, ut loquitur Hilarius, *ab Aquileia ad Athanaſium*, epiſtolam alteram miſerint, quâ locum cum illo, & Eccleſiaſticam communionem ſe habere ſignificarint. Enimvero epiſtola Julio data miſſa non eſt, niſi poſt biennium.

VI.
Synodus Sirmienſis poſt Romanam habita.

Itaque *ſuperioribus literis* (Julio Epiſcopo oblatis,) *venia indulgetur, orantibus reditus ad Catholicam Fidem cum communione donatur; maximè cùm Sardicenſis Synodi veritatem ipſæ orantium veniam literæ continerent. Verùm inter hæc Sirmium convenitur*, inquit disertè Hilarius, ſcilicet anno CCC LI, poſt Romanam Synodum, interim dum libellus ſupplex Valentis & Urſacii ad Orientem mittitur. Ita enim hunc locum accipiendum ipſa narrationis ſeries omnino cogit, ut patebit iſta ſeriò perpendenti. Quid autem Sirmii geſtum fuerit, docet Hilarius, nempe *Photinum* olim reum pronuntiatum, & à communione unitatis abſciſſum, ne tum quidem per factionem populi Epiſcopatu amoveri potuiſſe. Porro Orientales, ad quos relatio miſſa fuerat à Romana Synodo de damnatione Photini, reſcriptis ſuis inde occaſionem arripiunt, judicium, quod de Athanaſio & Marcello latum fuerat in Synodo Sardicenſi, callidè ſubvertendi: quod tandem obtinuere in Synodis Arelatenſi anno CCC LIII, & Mediolanenſi anno CCC LV coactis. Color inde quæſitus fuit, Marcelli magiſterio *Photinum* perfidiam ſuam didiciſſe; in ea autem cauſa Marcellum nunc eſſe, poſt ipſum Sardicenſe judicium, ut Athanaſius ab ejus communione ſibi temperandum eſſe duxerit: itaque locum eſſe, etiam ipſius Athanaſii exemplo, rem Sardicæ judicatam retractandi.

VII.
Photinus non in Sirmienſi, ſed in Romana Synodo damnatus.

Porro duplici argumento oſtendit Petrus de Marca, Photinum iterum in Romana Synodo, non verò in Sirmienſi à Petavio excogitata, poſt Mediolanenſem fuiſſe damnatum. Unum eſt, quòd Urſacius & Valens referantur ab Hilario *hujus Synodi opportunitatem* nacti, Romanæ plebis Epiſcopum adiviſſe, & deprecatos eſſe, ut per veniam in communionem admitterentur, Julium ex Concilio veniam, quam orabant, impertiviſſe. Hæc Hilarii verba: *Igitur ad tollendum ex Epiſcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanenſi Synodo erat Hæreticus damnatus, ex plurimis Provinciis congregantur Sacerdotes*, &c. *Quam opportunitatem nacti Urſacius & Valens Romanæ plebis Epiſcopum adeunt, recipi ſe in Eccleſiam deprecantur, & in communionem per veniam admitti rogant. Julius ex conſilio veniam, quam orabant, impertit.* Nempe fruſtra commendaretur captata Synodi opportunitas, ut Julius adiretur, niſi Romæ coactam interpretemur; maximè ſi tanto intervallo à Romana urbe coacta fuiſſet, videlicet Sirmii in Pannonia, ut vult Petavius. Julium verò illos communioni reſtituiſſe *ex Concilio*, id eſt, de Concilii ſententia, ſcribit Marca juxta hunc Hilarii locum: *Julius ex conſilio, veniam, quam orabant, impertit, ut cum lucro Catholicæ Eccleſiæ, vires quoque detraheret Arianis:* ubi loco *ex conſilio*, legendum vult, *ex Concilio.* Verùm hæc emendatio, textûs depravatio eſt, nihil aliud enim Hilarius ſignificat; quàm id *Julium* conſultò ſeu de induſtria feciſſe, ut vires demeret Arianis. Ex Theſauro enim Roberti Stephani verbo *conſilium*, aliquot exemplis conſtat, hanc loquendi formulam, *conſilio* in ablativo, ſæpe uſurpari pro *arte* vel *de induſtria*: ac aliquid *ex conſilio* alicujus facere phraſim Ciceronianam eſſe. Secundum argumentum deſumitur ex iſtis Hilarii verbis: *Hæc epiſtola poſt biennium miſſa eſt, quàm hæreſis Photini à Romanis damnata eſt.* Cùm enim Photini hæreſim à Romanis damnatam fuiſſe dicit, intelligit de Synodo Romana, de qua agebat, præſertim cùm ad Synodum Mediolanenſem, niſi per vim apertam, referri non poſſint: quod tamen Petavius ſibi perſuaſit, eo prætextu quòd Legati Eccleſiæ Romanæ ei Synodo Mediolanenſi interfuiſſent, quia ſola Legatorum præſentia id obtinere non poteſt, ut damnatio Photini profecta à Romanis eſſe videatur.

VIII.
Urſacius & Valens Julium PP. in Concilio adeunt.

Liberius, inquit Petrus de Marca, in Colloquio apud Theodoretum lib. 2. cap. 16. docens, Valentem & Urſacium libellos in Synodo dediſſe, quibus veniam rogabant, ob ea, quæ in Mareote Provincia per calumniam eremodicio judicio, ſeu ex una parte *ἐκ μονομερῶς*, confecta fuerant, non debet accipi de Synodo Mediolanenſi, ut perperam Petavius in Diſſert. de Damnatione Photini, ſed de Synodo Romana, ubi calumniam criminum Athanaſio objectorum nunc primùm profiten-

tur; cùm in Synodo Mediolanenſi ſolùm Arianæ hæreſi renuntiaſſent, ut patet ex lectione libelli Julio oblati ſub finem. Liberius autem falſitatem accuſationis delatæ adverſus Athanaſium explicat, non iis verbis generalibus, quæ concepta ſunt libello, ſed ἐξαιρετικῶς, potiori capite illius accuſationis indicato, nempe fabulâ Mareoticâ. Valeſius in Notis ad eum Theodoreti locum, ubi is habet: *Qui poſtea in Synodo libellos obtulerunt, veniam poſcentes ob acta, quæ per calumniam, altera duntaxat parte præſente, adverſus Athanaſium in Mareote confecerant*; ibidem de Synodo Romana agi etiam obſervavit; ait enim: *Intelligit libellum ſatisfactionis, quem Urſacius & Valens Julio obtulerunt, orantes ut in communionem reciperentur. Cave autem intelligas, libellum hunc oblatum eſſe in Synodo Serdicenſi. Oblatus eſt enim Romæ Julio Papæ, ut docet Athanaſius in ſecundo Apologetico contra Arianos, Hilarius in Fragmentis, & Socrates atque Sozomenus, biennio poſt Synodum Serdicenſem, id eſt, anno Chriſti CCC XLIX. Quare Synodi nomine hic intelligenda eſt Synodus Romana*, cujus tamen nulla neque apud Baronium, neque in Collectione Labbeana Conciliorum mentio habetur.

IX. *Epoch Synodi Romanæ.* Denique eam *Synodum Romanam* ad currentem annum referendam eſſe, non videtur in dubium revocari poſſe. Sub Julio enim habitam teſtatur libellus ab Urſacio & Valente illi oblatus, & certiſſimum eſt, ſuperſtite Conſtante, ambos illos reſipuiſſe, ac libellos dediſſe; quod probat Petavius in Diſſert. de Photino Hæretico cap. 1. ex eo quòd Athanaſius in epiſtola ad Solitarios pag. 828. ſcribat, Valentem & Urſacium poſt Conſtantis obitum ab Arianis adductos eſſe, ut ad vomitum redirent, & ab Athanaſii pariter atque Eccleſiæ Catholicæ communione deſciſcerent, cauſantes, metu ſe Conſtantis & ingratiis ad ſimulandam hanc pœnitentiam eſſe compulſos. Hoc verò falsò illos allegaſſe dicit Athanaſius, quòd neque tum ullus Palatinus, aut Notarius ad eos miſſus ſit, qui illos cogeret, quemadmodum ipſi deinceps inſtituerunt facere, ſed nec Imperator quidem adeſſet, verùm ſponte ipſi Romam advolaſſent, & in medio Eccleſiæ cœtu pœnitentiæ libellos palam protuliſſent. Hæc Athanaſius. Ex quibus perſpicuum eſt, Conſtante adhuc vivo, Valentem & Urſacium Julio pariter & Athanaſio ſupplicaſſe, ideoque ante annum CCCL. quo XV Kalendas Februarii Conſtans Imperator occiſus eſt. Quare omnino dicendum, *Romanam Synodum* hoc anno coactam fuiſſe, biennio poſt Mediolanenſem Synodum & ante obitum Conſtantis; & Sirmienſem, quam eodem anno Petavius collocandam voluit, commentitiam eſſe. Baronius alio loco ex Athanaſio deſumto, probat, Valentis & Urſacii pœnitentiam ante Conſtantis mortem factam: & ex laudato Athanaſii loco habemus Urſacium & Valentem non *Sirmii*, ſed *Romæ* pœnitentiam egiſſe, ac ſignaſſe, idque paulò ante *Magnentii* tyrannidem, & Athanaſii Alexandriam reditum, ut Athanaſium legenti liquet.

Baron. anno 350. n. XX.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5843. ☉ 23 G. ☽ 9. P. 8. APRIL.
INDICT. 8.
JESU CHRISTI 350.
JULII PAPÆ 14.
CONSTANTII 14.

COSS. *Sergius*, & *Nigrinianus*. I. *Conſules.*

Ad num. I. Idacius in Faſtis ſub hujus anni Conſulibus ait: *His Conſſ. Conſtans occiſus eſt in Galliis à Magnentio: & levatus eſt Magnentius die XV Kal. Februar. & Vetranio apud Sirmium Kal. Mai. eo anno, & Nepotianus Romæ III Non. Junias, & pugna magna fuit cum Romanis & Magnentianis.* Idem narrat Auctor Chronici Alexandrini, ſed loco non ſuo, ſub Conſulibus nempe anni præcedentis. Rectè tamen loco *Kal. Mai.* habet *Kal. Martiis*: ideoque littera *i* pro *r* per errorem in Faſtos Idacii irrepſit. Et ratio eſt, quia *Vetranio* menſe Decembri, Imperii decimo, depoſitus eſt, ut infrà dicemus; ideoque non menſe Maio, ſed Martio Auguſtus dictus fuerat. Eutropius lib. 10. ait, Conſtantem occiſum *anno Imperii XVII*, ideoque errorem Baronii indicat, qui eum Cæſarem nuncupatum ait anno CCCXXXV. Quare Cæſar dictus fuerat anno CCCXXXIII, à quo ideo Imperium ejus Cæſareum inchoandum. II. *Conſtans Aug. occiditur.* Baron. num. 1.

Ad num. IV & ſeqq. Adventus *Athanaſii* tam Hieroſolymam, quàm Alexandriam contigit anno præcedenti; quo, menſe circiter Januario, *Gregorius*, qui Sedem Alexandrinam invaſerat, mortuus eſt. Nam Athanaſius in Apologia ad Conſtantium teſtatur, ſe poſt Gregorii mortem à Conſtantio accerſitum. Dum autem per Palæſtinam iter faceret, Synodus Hieroſolymis coacta, ſcripſit literas gratulatorias ad Alexandrinos, in quibus ait: *Veſtrum eſt orare pro pietate religioſiſſimorum Imperatorum, qui ipſum* (ſcilicet Athanaſium) *cum omni honore dignati ſunt reſtituere.* Unde Conſtans, qui hoc anno menſe Januario peremtus eſt, adhuc in vivis erat, quando Concilium Hieroſolymitanum celebratum. Ejus reſtitutionem anno ſuperiori factam eſſe probari etiam poteſt ex Lege Codicis Theodoſiani 39. *De Decurionibus*, quæ menſe Aprili à Conſtantio data dicitur. Ibi enim Athanaſium jam reducem cum illo congreſſum eſſe, teſtatur ipſemet Athanaſius in Apologia ad Conſtantium pag. 527. & in epiſtola ad Solitarios, Sozomenus lib. 3. cap. 20. Theodoretus lib. 2. cap. 12. & Socrates lib. 2. cap. 23. Præſenti verò anno Conſtantius non Antiochiæ in Syria fuit, ut ſcribit Julianus Orat. 1. pag. 47. & 48. ſed in Meſopotamia, & quidem Edeſſæ propter bellum Perſicum, ut tradit Philoſtorgius lib. 3. cap. 22. & mox motu Perſico compoſito, *Conſtantinopoli*, unde poſtea in Pannoniam adverſus Tyrannos movit. III. *Athanaſius Alexandriâ redit.* Baron. num. IX & ſeqq.

Epiphanius in hæreſi 68. poſtquam retulit, Athanaſium à Conſtantino Magno in Gallias relegatum fuiſſe, addit: *Duodecim itaque vel tredecim annis in Gallia manſit.* Petavius in Notis ait: *Neque illud verum eſt, tot annis* IV. *Athanaſii exilium maſgis explicatum.*

in Galliis hæſiſſe. Verùm Epiphanius eos annos exorditur ab anno CCC XXXVI, quo Athanaſius in exilium miſſus, à quo anno ad CCC XLIX anni tredecim fluxere, vel duodecim, ſi ultimum, in quo Alexandriam Athanaſius rediit, excludas. Epiphanium enim eo modo intelligendum, ipſemet oſtendit, quando paulò pòſt ſcribit, Athanaſium *poſt Conſtantini obitum* à Conſtante & Conſtantino (id eſt, Conſtantio, familiari errore Græcorum, qui hæc nomina ſæpe confundunt) hujus filiis in Ægyptum remiſſum eſſe, ſubjungitque: *Ita ille Sedi ſuæ reſtitutus eſt poſt Gregorium, quem exulanti Athanaſio Ariani ſuffecerant.* Ubi vides, Epiphanium Athanaſii exilium ab anno Chriſti CCC XXXVI auſpicari, eundemque anno CCC XLIX reſtitutum inſinuare.

V. *Secunda obſidio Niſibis.* Julianus Orat. 1. teſtatur, allato nuntio de Conſtantis nece, & Magnentii ac Vetranionis tyrannide, Conſtantium, munitis Syriæ oppidis, *etiamſi abſens foret*, in Occidentem eſſe profectum: *Perſas* verò in eam occaſionem intentos, occupato civilibus & Occidentalibus bellis Imperatore, *Niſibim* aggreſſos eſſe, in qua quatuor menſes exegerunt. Quæ obſidio egregiè ibidem pag. 47. & ſequentibus deſcripta, quemadmodum à Theodoreto lib. 2. cap. 30. & à Theophane in Chronico. De ea ſub hujus anni Conſulibus loquitur Auctor Chronici Alexandrini, & Philoſtorgius lib. 3. cap. 23. narrata Magnentii tyrannide, de illa obſidione ſermonem inſtituit.

VI. *Epocha Synodorū Mediolanenſis & Romanæ.* Baron. num. XIX. Ad num. VII. *Synodus Mediolanenſis*, quam hoc anno Baronius in Annalibus celebratam dicit, & in qua Valens & Urſacius in communionem recepti ſunt, pertinet ad annum trecenteſimum quadrageſimum ſeptimum, ut ibidem fusè oſtendimus. Libellus verò oblatus eſt ab utroque, Julio Papæ, anno præcedenti, & quidem in Concilio Romano biennio poſt Mediolanenſe celebrato, ut eo anno num. III & ſequentibus demonſtratum eſt. Utraque autem Synodus ideo accuratè à nobis tractata, quia à paucis annis cognita.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5844. ☉ 24 F. ☽ 10. P. 31. MART. INDICT. 9.

Olymp. 282. *ſecundum Baronium.*

JESU CHRISTI 351.

JULII PAPÆ 15.

CONSTANTII IMP. 15.

I. *Quindecennalia Conſtantii Aug.* ALII Conſules in Orbe Romano, alii in Galliis, Italia, Africa & aliis Provinciis quæ Magnentio parebant, Faſtis nomen dedêre. In Imperio Romano nulli Conſules creati, ſed uſurpata hæc formula: *Poſt Conſulatum Sergii & Nigriniani.* In Imperio Magnentiano *Magnentius* & *Gaiſo* Conſules proceſſere, ut liquet ex libello de Præfectis Urbi, in quo Conſules, qui Romæ agniti ſunt, de more notati. Imperii Auguſti Conſtantii Quindecennalia in hunc annum incidunt. Vide dicta anno CCC LIII num. VI.

II. *Magnentius à Conſtantio* Ad num. I. Idacius in Faſtis hoc anno habet: *His Conſſ. bellum Magnentii fuit Murſa die IV Octob. & eo anno depoſitus Vetranio VIII Kal. Januar. & levatus eſt Aug. victus.*
Conſtantius Cæſar Id. Mart. & apparuit in Oriente ſignum Salvatoris die III Kal. Baron. ann.
Februar. Luna XXVIII. Auctor verò 351. num.
Chronici Alexandrini hoc anno ſcribit: *Con-* XLI.
ſtantius Auguſtus ſine Collega Imperator, Gallum patruelem conſortem Imperii Idibus Martiis Cæſarem declaravit, & Conſtantii cognomentum indidit. Perſiſque ingruentibus Antiochiam, in Orientem amandavit. Signum Crucis Chriſti Hieroſolymis hoc ipſo tempore ſub horam tertiam ipſo die Pentecoſtes, Nonis Maii, in cælo velut lumen apparuit à monte Oliveti uſque ad Golgotha, in quo loco Dominus crucifixus eſt, extenſum verſus Orientem, unde Dominus in cælum aſſumtus eſt, coronâ, quæ Iridis ſpeciem referebat, Crucem pretioſam, quæ apparuit, in orbem ambiente. Eâdemque horâ etiam Conſtantio Auguſto in Pannoniis & copiis ipſius viſa eſt, cum in prælio contra Magnentium cœpiſſet vincere, & Magnentius cum Conſtantio confligeret ad urbem Murſam. Magnentius victus, cum paucis in Galliam evaſit. Conſtantius Gallus jam antè dictus Cæſar in Oriente Antiochiæ verſabatur. Verùm, cùm ejuſdem Chronici Alexandrini Auctor anno præcedenti tradat, Vetranionem *poſt decimum menſem quàm imperaverat*, Pruſias Bithyniæ civitatem à Conſtantio amandatum fuiſſe, vel *cis menſem decimum*, ut inquit Victor de Cæſaribus, qui hoc tempore vivebat, uti & Theophanes, quod ſcribit de eo Idacius citatus: *Eo anno depoſitus Vetranio VIII Kal. Januar.* pertinet ad annum præcedentem, quo juxta Idacium Kalendis Martiis *Vetranio* Auguſtus renuntiatus fuerat: ſic enim omnia rectè in eodem Chronico procedent. Baronius *Vetranionis* depoſitionem in annum ſequentem malè diſtulit, quemadmodum & Crucis apparitionem, quam eo anno, currenti contigiſſe demonſtrabimus.

III. *Varia loca Daphnes nomine appellata.* Baron. num. III & IV. Ad num. II. Superſunt Conſtantini Magni Numiſmata, in quorum poſtica legitur; CONSTANTINIANA DAPHNE CONS. Viſitur in iis Victoria ſedens, dextrâ ramum, ſiniſtrâ palmam habens; ad pedes ejus captivus ſtratus & trophæum. In aliis eadem eſt inſcriptio cum Victoria inſidente ſpoliis. Baronius inde deducit, apud Antiochiam ad Daphnidis lucum, celebrem memoriam Helenæ fuiſſe, dictam *Auguſtale*, ibique Conſtantinum Magnum matris ſuæ ſtatuam collocaſſe. Sed Cuperus Vir eruditiſſimus *in Numiſmatis antiquis explicatis* pag. 256. rectè oſtendit, Daphnen hanc fuiſſe prope Conſtantinopolim, uti conſtat ex Heſychio Mileſio, Auctore Chronici Alexandrini & Suida, qui narrant inſuper, Conſtantinum Magnum matris ſuæ ſtatuam columnæ impoſuiſſe, & locum *Auguſtæum* appellaſſe. Fuit itaque *Daphne* ſuburbium Conſtantinopoleos, cujus etiam Stephanus meminit; ideoque in hujuſmodi Numiſmatis hæc vox, CONS. *Conſtantinopolim* denotat. Alius Conſtantini Nummus inſcribitur, CONSTANTIANA DAFNE, in quo ſedet Victoria alata ramos tenens utraque manu; & ante eam fixum eſt trophæum cum captivo, cujus manus poſt tergum revinctæ ſunt. Cuperus cum Va-

Ieſio & Spanhemio putat eſſe caſtrum Daphne, quod Conſtantinus Magnus ad ripam Danubii extruxit in Mœſia, à quo milites in Notitia Imperii, CONSTANTINI DAPHNENSES, &, BALISTARII DAFNENSES nominati ſunt. Victoria ſedet in eo Nummo, quia Gothos & Sarmatas Thraciam depopulantes profligavit. Quò ſpectat hæc Inſcriptio, SARMATIA DEVICTA, uti in aliis Conſtantini Magni Nummis legitur. Utraque igitur Daphne nihil commune habet cum tertia Daphne in ſuburbiis Antiochiæ poſita, quò Gallus Cæſar Sanctæ Babylæ Martyris reliquias transferri juſſit.

IV. *Prælium ad Murſam.* Baron. num. XV.

Ad num. IV. *Magnentius* Tyrannus è Gallia Italiaque Noricum, dein Pannoniam profectus, à Conſtantio Auguſto in Pannonia Murſenſi prælio ad Dravum fluvium ſuperatus eſt, ſub autumni exitum, ut Julianus Orat. 1. pag. 121. & 128. & Orat. 3. pag. 298. 308. & 442. habet. De qua Conſtantii victoria legendi etiam Socrates lib. 2. cap. 27. Sozomenus lib. 4. cap. 6. Victor de Cæſaribus, Auctor Chronici Alexandrini & Severus Sulpicius lib. 2. Quam hoc anno reportatam Auctor Chronici Alexandrini & Idacius in Faſtis teſtantur. Imò is diem notavit, ſcilicet *IV Kal. Octobris.* Utriuſque Scriptoris verba numero ſecundo recitavimus.

V. *Pagani unde ſic dicti.* Baron. num. XVI.

Gothofredus in Notis ad titulum 10. libri 16. Codicis Theodoſiani ait, incertum eſſe ſub quo Imperatore Chriſtiano *Paganorum* nomen Gentilibus tradi cœperit. Antiquior *Paganorum* mentio repetitur ex Mario Victorino in lib. *de ὁμοουσίῳ recipiendo*, ubi inquit, *Græci, quos Ἕλληνας, vel Paganos vocant, multos Deos dicunt.* Opus illud nihil aliud eſt, quàm Epitome librorum de Trinitate, quod ſcriptum eſt poſt libros ipſos de Trinitate adverſus Arianos; in quo cùm dicat Marius, *ante quadrageſimum annum* celebratum eſſe Concilium Nicænum, nomen illud circa annum CCCLXV inoleſcere cœpit, cùm Synodus Nicæna anno CCCXXV habita fuerit. Gothofredus, recitatis variis ſententiis circa hujus nominis rationem, tandem veriſſimam exiſtimat eam, ad quam accedit Baronius, *Paganos* dici cœpiſſe ſub Chriſtianis Imperatoribus, eo modo quo dicitur etiam *Lex Pagana* apud Plinium lib. 28. cap. 2. quæ ſcilicet in pagis obtinebat, & *Paganalia ſacra*, quorum peculiaris etiam ratio fuit, & de quibus Halicarnaſſeus lib. 4. nempe ut prima & antiquiſſima, antequam in urbes populi contributi eſſent, templa Deorum pagatim ſacrata habebantur, teſte Livio Decade 4. lib. 1. duobus in locis, frequentiſſimaque per vicos & pagos ea erant: ita ultima in his ſtetit Gentilium hoc ævo ſuperſtitio, ſacrificiis per urbes jam interdictis. Quare quòd ſacrificiis in urbibus profligatis, templis Pagorum aliquandiu ſuperſtitio relicta fuerit, inde *Pagani* omnino dicti fuere. Hinc Oroſius in Præfatione libri primi *Paganos* vocatos ſcribit *ex locorum agreſtium compitis & pagis.* Plura hac de re Gothofredus.

VI. *Annus natalis S. Martini.* Baron. num. XVII & ſeqq.

Ad num. V & ſeqq. In Chronologia annorum S. *Martini* Epiſcopi Turonenſis, Gregorius Turonenſis unus ex hujus Sancti ſucceſſoribus Severo præferendus, utpote qui ſibi ſemper conſtet, & fatente ipſo Baronio, Sancti Martini Vita à Severo ſcripta depravata fuerit, in eaque inſint Martino prorſus indigna. Quare, cùm Gregorius ſcribat, Sanctum Martinum anno undecimo Conſtantini Magni, Chriſti nempe CCCXVI, in lucem prodiiſſe; idemque ſupponat Severus, cùm ait, *Conſule Evodio*, anno videlicet Chriſti CCCLXXXVI, *Martinum* fuiſſe ſeptuagenarium, prætereaque hæc Chronologia confirmetur ex iis quæ leguntur in Annalibus & in Epitome de militia S. Martini, manifeſtè deducitur, hujus Sancti annos accuratè à Gregorio numeratos fuiſſe, ut magis ex iis, quæ de ejus Epiſcopatu ac morte infrà dicemus, liquebit. Sanctum enim Martinum anno Chriſti CCCXVI natum eſſe, annoque ætatis octogeſimo primo demortuum, certum inpoſterum eſſe debet; licèt Baronius, qui annum ejus natalem rectè ſtatuit, emortualem tardiùs conſignaverit, ut infrà videbitur.

VII. *Maximo Hieroſolymitano ſuccedit Cyrillus.* Baron. num. XXIV & ſeqq.

Ad num. IX. Hieronymus in Chronico anno Abrahami 2366. juxta editionem Pontaci, qui cum menſe Auguſto anni Chriſti CCCL abſolvitur, ait: *Maximus quadrageſimus poſt Macarium Hieroſolymorum Epiſcopus moritur, poſt quem Eccleſiam Ariani invadunt, primùm Cyrillus, Eutychius*, &c. Theodoretus etiam lib. 2. cap. 26. ait: *Maximo ad immortalem vitam tranſlato, Cyrillum Epiſcopalem gratiam promeruiſſe.* Maximum tamen Epiſcopatu ab Arianis dejectum fuiſſe, certum videtur. Libellus enim Synodicus ſcribit, Athanaſio & Paulo ad ſua ovilia proficiſcentibus, impietatis antesignanos Synodum Hieroſolymis Hæreticam coëgiſſe, & Maximum abjeciſſe, ac Cyrillum tanquam Arianum elegiſſe. Addit libellus: *Acacius Cæſareæ Philippi propter Primatum Sede hac exegit*, nempe Cyrillum Catacheten. Quod factum exiſtimo, quia Maximus vicinos Epiſcopos ad Synodum evocarat, cùm Athanaſius anno CCCXLIX Alexandriam pergebat, abſque permiſſu ejuſdem Acacii, cùm *Maximus* Metropolitanus non eſſet. Sozomenus lib. 4. cap. 20. & Theophanes in Chronico libelli Synodici Auctori ſuffragantur, licèt eam depoſitionem in Synodo factam non memorent: de quo tamen minimè dubitandum; cùm Epiſcopi nonniſi in Synodis deponi ſoliti eſſent. *Acacius* Cyrillum poſtea depoſuit, quòd de jure Metropolitano adverſus ſe controverſiam moviſſet, ut teſtatur Sozomenus lib. 4. cap. 25. Jus autem Metropolitani in eo præcipuè conſiſtit, ut Epiſcopi omnes ad ipſius Concilium vocati venire cogantur. Cyrillus itaque *Maximo* adhuc viventi ſubrogatus, idque anno præcedenti, ut ex Hieronymo laudato conſtat. Præterea Auctor libelli Synodici factum id dicit, cùm Athanaſius Alexandriam properaret, & Synodum Hieroſolymitanam Arianorum ante Sirmienſem, quæ hoc anno celebrata eſt, recitat. Verum eſt, Theophanem Sancti Maximi depoſitionem referre ad annum Chriſti CCCLV: ſed Theophanis Chronologia per hæc tempora prorſus corrupta; quod ex eo liquet, quòd Euſebii Conſtantinopolitani Epiſcopi mors cum anno CCCLVI in eo Chronico copuletur. Verùm Theophanes ex Theophane corrigendus. Is Maximi depoſitione narrata, ait: *Sub id tempus, Cyrillo Epiſcopum agente, vivifica*

Crucis ſignum luce magna coruſcans, die ſacro Pentecoſtes, apparuit in cælo. Contigit ea apparitio die ſeptimo Maii currentis Chriſti anni, ut anno CCCLIII oſtendam, idque ſub Cyrilli Epiſcopatûs initium. Hic enim in epiſtola, quam de ea apparitione ad Conſtantium Imperatorem Hieroſolymis ſcripſit, ipſo initio ait: *Primas haſce ex Hieroſolymis ad te, Deo dilecte Imperator, mitto literarum primitias*, &c. Recèns itaque Epiſcopatum Hieroſolymitanum Cyrillus adeptus erat, quando Chriſti Crux in Oriente hoc anno apparuit; ideoque etiam ex Theophanis ſententia Cyrillus anno præcedenti Epiſcopus Hieroſolymitanus inauguratus. Quare Henſchenius die XVIII Martii in Vita S. Cyrilli Hieroſolymitani, & Papebrocius in Hiſtoria Chronologica Patriarcharum Hieroſolymitanorum, Sancti Maximi depoſitionem & Cyrilli initium non bene ad annum CCCLV referunt, licèt uterque Cyrillum à ſuſpicione hæreſeos Arianæ jure merito liberent. Hieronymus enim valde juvenis erat, quando Chronicon ſuum ſcripſit, in quo Cyrillum inter Epiſcopos Arianos nominat. Sedit *Maximus* annos XVI utrimque incompletos; ideoque in Chronico Nicephori, ubi annos VI ſediſſe dicitur, nota numeralis X Librarii errore videtur omiſſa. Hinc liquet, Maximum anno CCCXXXV Macario ſucceſſiſſe. Colitur Maximus tam à Latinis quàm à Græcis die V menſis Maii.

VIII. *Obitus S. Pauli Cpolitani.* Baron. num. XLVIII.

Ad num. XI. Mors Sancti *Pauli* Epiſcopi Conſtantinopolitani, qui à Græcis die VI Septembris, à Latinis verò die VII Junii colitur, rectè hoc anno à Baronio conſignata.

IX. *Prior Synodus Sirmienſis.* Baron. anno 357. num. 1 & ſeqq.

Prior Synodus Sirmienſis, in qua *Photinus* ab Orientalibus damnatus eſt, à Baronio & Sirmondo in Diſſert. de anno Synodi Sirmienſis differtur in annum CCCLVII propter rationem à nobis indicatam anno CCCXLIX num. IV. Verùm eam præſenti anno coactam rectè cenſuit Socrates lib. 1. cap. 24. ubi memorat, eam habitam *poſt Conſulatum Sergii & Nigriniani*, qui currenti anno competit. Photinus enim, cùm in Synodo Mediolanenſi anno CCCXLVII damnatus ac depoſitus fuiſſet, adiit Conſtantium, petiitque, ut coram judicibus ab ipſo nominatis de Fide diſputaret, quemadmodum tradit Epiphanius in hæreſi Photinianorum, ubi tamen perperam ſcribit, in Serdicenſi Synodo Photinum depoſitum. Conſtantius quidem *Baſilio Ancyræ Epiſcopo* injunxit, ut contra Photinum diſputationem ſuſciperet: Judices verò ſeu Auditores hujus diſputationis dedit Thalaſſium, Datianum, Cerealem & Taurum Comites. Ex his *Thalaſſius* primas apud Imperatorem obtinebat, ut tradit Zoſimus in lib. 2. & Præfectus Prætorio miſſus eſt in Orientem hoc anno unà cum Gallo Cæſare. Mortuus eſt autem anno CCCLIII, Conſtantio Aug. VI & Gallo Cæſare II Coſſ. ut habet Ammianus in lib. 14. Proinde Sirmienſis Synodus & diſputatio Baſilii contra Photinum non poteſt cadere in annum CCCLVII, ut contendit Baronius. Huc accedit quod ſcribit Epiphanius, in ea diſputatione Baſilii contra Photinum, Notarium fuiſſe *Callicratem*, qui erat Exceptor Rufini Præfecti Prætorio. Fuit autem *Rufinus* Præfectus Prætorio per Gallias Conſulatu Conſtantii VI & Galli Cæſaris II, ut teſtatur Ammianus in lib. 14. Sed biennio antè Præfectus fuerat Illyrici. Anno autem Chriſti CCCLVII, non Rufinus, ſed *Anatolius* Præfecturam Prætorii gerebat per Illyricum. Sed & ex Epiſcopatu *Germinii* manifeſtè colligitur, Sirmienſem contra Photinum Synodum, in qua Photinus Epiſcopatu dejectus eſt, non eſſe celebratam anno CCCLVII. Etenim antequam *Georgius*, pulſo Athanaſio, Alexandrinam Sedem invaderet, jam tum *Germinius* Epiſcopus erat Sirmii, ut tradit Athanaſius in epiſtola Encyclica, quam ſcribit ad Epiſcopos Ægypti & Libyæ, tunc cùm *Georgius* Alexandrinam Eccleſiam occupaſſet. Porro Georgius Alexandrinam Sedem occupavit ineunte anno CCCLVI. Cùm ergo ante eum annum *Germinius* Epiſcopus fuerit Sirmii, Photinus quoque, cui ſucceſſit Germinius, ante annum CCCLVI depoſitus fuerit neceſſe eſt. Certè Athanaſius in epiſtola ad Solitarios pag. 860. ubi ordinationes exterorum hominum à Conſtantio factas recenſet, primam commemorat ordinationem Gregorii, deinde *Germinii & Cecropii*, poſtea *Auxentii*, ac poſtremò *Georgii*. Ex his Gregorius quidem Alexandrinis datus eſt Epiſcopus anno Chriſti CCCXLI; Germinius verò in locum Photini factus eſt Sirmienſis Epiſcopus præſenti anno, cùm à Conſtantio Sirmii agente accitus fuiſſet, ut prodit Athanaſius in loco ſuprà citato, quem Interpres Latinus perperam vertit. *Cecropius* autem eodem anno factus eſt Epiſcopus Nicomediæ, ut colligitur ex ſupradicto Athanaſii loco. Auxentius denique ad Mediolanenſem Epiſcopatum promotus eſt anno CCCLV, & ſequenti anno Georgius Sedem Alexandrinam invaſit. Hæc totidem verbis ex Valeſio in Notis ad Socratem lib. 2. cap. 30.

X. *Poſt Synodum Romanam Sirmienſis coacta.*

Photinus, inquit Petrus de Marca in Diſſert. de tempore Synodi *Sirmienſis* Plenariæ numero XX & ſequentibus, & facundiæ nomine commendabatur, & flagrantiſſimâ gratiâ valebat apud Principem. Itaque magno conatu opus erat, ut à Sede pelleretur. Imò verò, ut regulis quæ tunc obtinebant, adhæreamus, cùm Fidei cauſa ageretur; neceſſe erat Orientis Epiſcopos in unam ſententiam conſpirare cum Occidente, ut hæreſis profligata cenſeretur. Itaque relatione decreti adverſus Photinum miſſa ab Occidentalibus in Orientem ex more, ut docuit Hilarius, quid erat reliquum, niſi ut juſſu Conſtantii Imperatoris Orientales Sirmium ſe conferrent, ut damnatione Photini ſuffragiis tot Epiſcoporum confirmata, hæreſis confoderetur? Sanè Concilium illud *Sirmienſe* ex Orientalibus Epiſcopis conflatum fuit, ut ſcripſit Hilarius, ſeu, ſi mavis loqui cum Vigilio, ex toto Oriente. Ex ea ſanè ſatis eleganti conjectura ſequitur, non longo intervallo temporis abfuiſſe Synodum Sirmienſem à Synodo Romana, unde profecta fuerat relatio ad Orientales. Hoc etiam apertè docet Hilarius in Fragmentis, dum ait: *Verum inter hæc Sirmii convenitur*, ſcilicet dum libellus Urſacii & Valentis mittitur in Orientem, & Orientales literis ſuis res Sardicæ judicatas per inſidias refricare conantur ſub prætextu damnationis

Photini, & communionis Marcello denegatæ ab Athanaſio. Conſtituatur ergo Romana Synodus in anno trecenteſimo quadrageſimo nono, poterit haberi Synodus Sirmienſis, ex mente Hilarii, currenti anno: quæ eſt Socratis & Petavii Diſſert. de Photino Hæretico aſſertio. Reclamat tamen Sirmondus in Diatriba de anno Synodi Sirmienſis, & Synodum Sirmienſem Hilarii aliam à Sirmienſi Synodo Orientalium omnino eſſe pertendit; hac præcipuè ratione, quòd in iſta Photinus exauctoratus eſt, ut docent Sozomenus & ceteri Hiſtorici; in illa verò teſtatur Hilarius populi tumultu id effectum, ut Epiſcopatu amoveri non poſſet. Verùm certum eſt ex Epiphanio & Socrate, damnatum Photinum, ex more illius ſæculi, à Synodo ad Imperatorem provocaſſe. Conſtantius dedit Judices ex aula. In eo autem Magiſtratuum conſeſſu Baſilius Ancyranus à Synodo delectus, ut cauſam communem ageret, poſtquam diu cum Photino verbis conflixiſſet, hominem diſputatione oppugnavit, qui victus in exilium eſt actus. Itaque ſupereſt locus conciliandi Hilarii cum Sozomeno, hac ratione. Photinus damnatus eſt in Synodo Sirmienſi; ſed populo per ſeditionem intercedente, & Epiſcopo damnato ad Principem provocante, judicium non eſt executioni demandatum. Tamen Judicum à Principe datorum ſententiâ Photinus meritas hæreſeos & impudentiæ pœnas dedit, in exilium actus.

XI. *Hoſii Formula ad ſecundam Sirmienſem Synodum pertinet.*

Hoc jacto fundamento profligata eſt quæſtio de Fidei Formula ab Hoſio ſubſcripta, terrore, minis & verberibus coacto, ut ipſe moriens profeſſus eſt, teſte Athanaſio; quâ ut concordiæ inter diſſidentes Epiſcopos ratio iniretur, *οὐσία*, *ὁμοούσιον*, & *ὁμοιούσιον* reticentur, tanquam vocabula à Scripturis non deprompta. Tempus hujus Formulæ cadit in annum CCC LVII, ut conſentiunt omnes. Ergo non fuit edita in Synodo Sirmienſi, quæ coacta fuit contra Photinum præſenti anno. Petavius in laudata Diſſertatione de Photino Hæretico, nobili & eleganti obſervatione evincit, in hac Synodo Sirmienſi Plenaria Orientalium Epiſcoporum non fuiſſe conceptam Hoſii Formulam, ex eo quòd Baſilius Ancyranus, ejus Synodi ferè princeps, non paſſus fuiſſet ejus Formulæ interpolationem, (quæ illum latere non potuiſſet, utpote quæ Conſtantii minis ſit extorta) cùm tantis animis eam Formulam à Conſtantio revocari, coacta eam in rem Synodo Ancyrana, petiverit, ſtatim atque in Orientem Ectheſeos illius Hoſianæ cognitio penetravit. Imò verò non adeo obnixè poſtulabat ea, quæ Sirmii decreta fuiſſent, confirmari, nulla habita exceptione, ſi eodem tempore perfidiæ Hoſianæ Formula Sirmii fuiſſet ab Epiſcopis concepta.

XII. *Formula Fidei in prima Synodo Sirmienſi edita.*

Tres Formulæ *Sirmii* urbis inſcriptæ nomine leguntur, quæ in tribus diverſis Synodis Sirmienſibus editæ ſunt. Prima Græcè concepta eſt cum anathematiſmis XXV. In ea damnantur anathemate, qui dicunt Filium *de non extantibus, aut ex altera hypoſtaſi eſſe, vel fuiſſe tempus aut ſeculum quando non erat.* Hæc Formula in Concilio Sirmienſi contra Photinum hoc anno celebrato conſcripta eſt. Hilarius quidem in libro de Synodis, ut Catholicam commendat: Athanaſius verò in libro de Synodis eam condemnat & rejicit; perinde ac reliquas ab Arianis exaratas. Neque verò de hac ſola Fidei Formula Hilarius & Athanaſius inter ſe diſſentiunt, verùm etiam de aliis, v. g. de Antiochena. Nam Hilarius quidem fatetur, Orientales meritò novas Fidei Formulas condidiſſe, cùm novæ hæreſes adverſus Eccleſiam ſurrexiſſent. Athanaſius verò novas illas Fidei Formulas callidè ab Arianis compoſitas eſſe contendit, ad deſtructionem Nicænæ. Hanc Formulam præter Socratem referunt Athanaſius & Hilarius in libro de Synodis. Socrates lib. 2. cap. 30. & Sozomenus lib. 4. cap. 6. præfatam Formulam à Marco Arethuſio dictatam eſſe aſſerunt; quam opinionem amplexus eſt Baronius. At Marcus Arethuſius non hanc dictavit, ſed aliam, cui præfixa erant Conſulum nomina, & quæ poſtea Arimini recitata eſt, ut ex *Germinii* epiſtola jam pridem obſervavit Nicolaus Faber in Præfatione, quam ſcripſit ad Fragmenta Hilarii. De aliis duabus Fidei Formulis Sirmienſibus & duabus Synodis, in quibus eæ editæ annis CCCLVII & CCCLIX, iiſdem annis agetur.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5845. ☉ 25 ED. ☽ 11. P. 19. APRIL.
INDICT. 10.
JESU CHRISTI 352.
LIBERII PAPÆ 1.
CONSTANTII 16.

I. *Conſules.*

D*Ecentius*, & *Paulus* in regionibus, quæ Magnentio Tyranno parebant, Conſules fuere, ut teſtatur libellus de Præfectis Urbi. Erat *Decentius* Magnentii frater, quem is poſt aliquas victorias Cæſarem nuncupavit, ut docet Zoſimus lib. 2. quod anno præcedenti factum, ejus Conſulatus hoc anno geſtus inſinuat. In reliquo Orbe Romano *Conſtantius Aug. V*, & *Conſtantius Cæſar* Conſules agniti: hic juxta primam, ille juxta tertiam regulam.

II. *Obitus Julii PP.* Baron. num. 1 & ſeqq.

Ad num. I. In Catalogo Pſeudo-Damaſi legitur: *Julius annos quindecim, menſes duos, dies ſex. Fuit temporibus Conſtantis, à Conſulatu Feliciani & Titiani, ex die VIII Idus Februarii, in diem pridie Idus Aprilis Conſtantio V & Conſtantio Cæſare Coſſ.* Julius itaque, qui die ſexta Februarii anni trecenteſimi triceſimi ſeptimi ordinatus fuerat, ſedit annos quindecim, menſes duos, dies ſex, obiitque hoc anno die duodecima Aprilis, quâ colitur. Baronius præter annos quindecim, ſcribit; eum ſediſſe menſes quinque, dies ſeptemdecim; quia nempe hujus Pontificis initium non bene collocavit. Porro eum ſediſſe annos quindecim, notatur in Anaſtaſianis MSS. Barberino, Mazarino, duplici Thuano, in Catalogo Palatino & in utroque Corbeienſi.

III. *Julio Liberius ſucceſſit.* Baron. num. 1 x.

Ad num. II. Poſt *Julii* mortem Sedes vacavit menſibus duobus ac diebus aliquot. In Catalogo enim Damaſi legitur: *Liberius fuit temporibus Conſtantii ex die XI Kalendas Junias, in diem ... à Conſulibus Conſtantio V & Conſtantio Cæſare.* Sed cùm dies undecimus Kalendas Junias, ſeu viceſimus

ſecundus menſis Maii hoc anno cum feria ſexta, non verò cum die Dominica, quo ordinationes Pontificum fieri ſolitæ, concurrat, videtur legendum, *ex die XI Kalendas Julias*, id eſt, die vigeſima prima Junii, quæ hoc anno Dominicalis fuit. Hîc nos deſtituit Chronicon Damaſi, quod ante *Liberii* mortem exaratum oſtendit ſpatium vacuum relictum, ad diei numerum, quando *Liberius* moreretur, notandum. Ex omnibus Julii Scriptis ſuperſunt duæ tantùm epiſtolæ ab Athanaſio relatæ, quarum altera ad Euſebianos, altera ad Eccleſiam Alexandrinam miſſa. Nam Decretales duæ, quæ Julii nomine circumferuntur, commentitiæ ſunt.

IV. *Magnentii clades.* Baron. num. XIX.

Ad num. V. *Vetranio* non hoc anno, ut credidit Baronius, ſed anno CCCL in ordinem redactus eſt, poſtquam menſes decem imperaſſet, ut anno præcedenti num. II demonſtravimus. Hoc verò anno *Magnentius*, qui à Conſtantio in Pannonia profligatus fuerat, & è Pannonia in Italiam urbemque Romam ſeſe contulerat, à Conſtantio perruptâ Aquileiâ, ut teſtatur Julianus Orat. 1. pag. 130. 132. & Orat. 3. pag. 350. & à Ducibus Conſtantii imminentibus, Urbe Italiaque fugere coactus eſt.

Olymp. 283.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5846. ☉ 26 C. ☽ 12. P. 11. APRIL.
INDICT. II.
JESU CHRISTI 353.
LIBERII PAPÆ 2.
CONSTANTII 17.

I. *Conſules.*

COss. *Conſtantius Aug. VI*, & *Conſtantius Cæſar II.*

II. *Tricennalia Conſtantii.*

Conſtantii Auguſti Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam; Imperii enim Cæſarei Tricennalia celebravit, ut mox ex Ammiano declarabimus: Conſtantii verò Cæſaris Conſulatus juxta tertiam, ut nempe Conſtantii Auguſti Collega eſſet.

III. *Magnentii interitus.* Baron. num. I & ſeqq.

Ad num. I & II. *Magnentius* ſub finem ſuperioris anni ex Italia in Galliam profugus, poſtquam triennium & ſex menſes imperaſſet, teſte Zoſimo lib. 2. à Conſtantio Auguſto apud Cottias Alpes devictus eſt, teſte Juliano Orat. 2. pag. 137. *Quem dum Conſtantii Duces acriùs inſequuntur, iterum pugna commiſſa eſt in loco, qui dicitur Mons Seleucus. Eo prælio victus Magnentius, cæſis ad internecionem ſuis copiis, ſolus fugam arripuit, Lugdunum contendens urbem Galliæ, quæ à ſupradicto munimento diſtat tridui itinere*, inquit Socrates lib. 2. cap. 32. De illo ad Montem Seleucum prælio mentionem etiam faciunt Sozomenus lib. 4. cap. 6. & Auctor Chronici Alexandrini. Situs eſt autem Mons ille, vulgò *Monſaleon* dictus, in Provincia Delphinatûs, Vapincum inter & Deam Vocontiorum, diſtatque ab urbe Lugdunenſi millium paſſuum CLIII, ut docet Valeſius in Notitia Galliarum, verbo, *Seleucus Mons.* Tandem Magnentius Lugduni ſeſe interfecit, vel *IV Idus Auguſti*, ut habet Chronicon Alexandrinum, vel *III Idus Auguſti*, ut habet Idacius in Faſtis, vel *die XV Auguſti*, ut Socrates loco laudato. *Decentius* Magnentii frater apud Senonas laqueo ſeſe ſuſpendit *XV Kal. Septemb.* ut ſcribit Idacius in Faſtis.

IV. *Silvani rebellio.*

Ad num. III. *Silvani* rebellio anno tantùm trecenteſimo quinquageſimo quinto contigit, quo & eam narrat Ammianus lib. 15. cap. 5. quo etiam anno in Chronico Hieronymi poſt narratum Galli Cæſaris interitum, his verbis memoratur: *Silvanus in Gallia res novas molitus XXIX die extinctus eſt*, Coloniæ nempe Agrippinæ, ubi cum Imperium invaſiſſe, & interfectum eſſe teſtatur Ammianus citatus. Uterque Victor, ac Eutropius *Silvani* rebellionem, poſtquam de Galli Cæſaris morte, quæ anno ſequenti contigit, egere, recitant; ideoque minimè dubitandum, quin illa ad annum CCCLV referenda ſit. Scaliger in Notis ad Chronicon Hieronymi, hunc Silvani Nummum exhibet: D. N. FL. SILVANUS P. F. AUG. Julianus Imp. de Silvano loquitur pag. 89. & 183.

V. *Conſtantius Obeliſcum apud Arelatem erigi jubet.* Baron. num. XVI.

Ad num. VI & ſeqq. Conſtantius bello Magnentiano defunctus Rhodani oſtia occupavit, teſte Juliano Orat. 3. pag. 361. ut & Pyrænei juga, miſſa eò claſſe, ut ibidem Julianus pag. 438. Hinc Arelatem ſe contulit, ut colligitur ex Athanaſio in epiſtola ad Solitarios pag. 829. ubi de Conſtantio, Athanaſio parum æquo ait: *Cùm autem eſſet Arelate & Mediolani, omnia pro Hæreticorum adhortatu ſuggeſtioneque faciebat.* Ea in urbe moratus eſt à menſe Octobri uſque ad ſequentis anni ver, ut ex Legibus Codicis Theodoſiani conſtat. Arelate dum agit, *VI Idus Octobris* Imperii Cæſarei Tricennalia celebravit, ut nos docuit Ammianus lib. 14. cap. 5. *Arelate hiemem agens Conſtantius, poſt Theatrales Ludos atque Circenſes, ambitioſo editos apparatu, die VI Idus Octobres, qui Imperii ejus* (nempe Cæſarei) *annum triceſimum terminabat, inſolentiæ pondera graviùs librans*, &c. Horum ſolennium occaſione *Obeliſcum* Arelate erigi juſſit, qui noſtris diebus è terra effoſſus gloriæ Ludovici Magni conſecratus eſt, rurſumque in platea publica collocatus. In eo nulla epigraphe, nullique characteres, qui in anni quo elaboratus, aut Principis cui primùm dicatus fuerat, notitiam perducere poſſint. Sed quia Obeliſci annis Decennalibus & id genus feſtis addictis in honorem Principum de more in publicis locis ponebantur, non dubito, quin Arelatenſis præſenti anno in Conſtantii Imperatoris honorem erectus fuerit; eò magis quò anno CCCLVII in ſeptimis ejus Quinquennalibus alter *Obeliſcus* Romæ *in Circo erectus eſt maximo*, inquit Ammianus lib. 17. cap. 4. qui ultimus Obeliſcus à Sixto V Pontifice Maximo Chriſto dicatus. Nec dici poteſt *Obeliſcum* Arelatenſem à Conſtantino Magno in Decennalibus ſuis collocatum. Nam præterquam quòd certum non ſit, an in ea civitate Conſtantinus Magnus Decennalia ſua exhibuerit, apparet ex Ammiani loco citato, hujuſmodi Obeliſcos ex Ægypto Romam adduci ſolitos, & parte alia Romam columnis, ſtatuis, aliiſque monumentis ab Imperatoribus denudatam non fuiſſe ante Conſtantinopolim conditam. Mediobarbus in Numiſmatis Impp. pag. 493. Nummum Conſtantii Aug. producit in averſa parte inſcriptum: VICT. D. D. N. N.

AUG. ET CAES. R. Q. In ea ſunt duæ Victoriæ ſuſtinentes clypeum, in quo VOT. XXX. qui Nummus in his Tricennalibus percuſſus. In eo victoriæ tam à Conſtantio Aug. quàm à Gallo Cæſare reportatæ memorantur, non quæ hoc anno relatæ fuerint, ut Mediobarbus pag. 490. & 491. ſimiles Nummos interpretatur; ſed quia annis hujuſmodi ſolenniis deſtinatis victoriæ ſuperioribus annis ab Imperatore relatæ in Nummis memorari ſolitæ eſſent. Quamobrem hæc vox *Victoria* de more cum Decennalibus & id genus feſtis in Nummis expreſſa. Præterea Cæſarum quandoque mentio in Nummis Imperatorum Vota Decennalia repræſentantibus: quod obiter dictum ſit.

VI. *Apparitio Crucis quo anno contigerit.*

Ad num. IX. Apparitio Crucis in Oriente contigit anno Chriſti trecenteſimo quinquageſimo primo, teſte Idacio in Faſtis, ubi ait: *Levatus eſt Conſtantius Cæſar Idib. Mart. & apparuit in Oriente ſignum Salvatoris die III Kal. Februar. Lunâ XXVIII.* Verùm error in diem irrepſit: dies enim XXX Januarii & viceſimus octavus Lunæ eo anno inter ſe convenire non poſſunt. Cùm itaque dies viceſimus octavus Lunæ anno CCCLI, cum die ſeptima Maii, quâ in Menologio Græcorum hujus Apparitionis feſtum colitur, concurrat, ea alio die contigit. Verùm de die poſtea videbitur. Neque alio anno quàm CCCLI hoc prodigium conſignatur in Chronico Hieronymi juxta editionem Pontacenam, quod tamen in Scaligeriana rectiùs omittitur, cùm ipſo Pontaco fatente, de ea in pluribus MSS. nulla mentio ſit. Præterea Socrates lib. 2. cap. 28. ſcribit, ſignum illud apparuiſſe, *dum Antiochiam ingrederetur* Gallus Cæſar, qui eo anno die XV Martii Cæſarea dignitate decoratus fuerat, ſtatimque in eam urbem miſſus. Tertiò, Philoſtorgius lib. 3. cap. 26. ait, illud ſignum viſum, cùm *Conſtantius victoriam de Tyranno* (nempe Magnentio) *reportavit*, & cùm *Magnentius à Conſtantio primùm victus fuiſſet*: addens, Magnentium poſtea *viribus paulatim reſumtis, ſecundo prælio congreſſum*, penitus debellatum eſſe, tandemque Lugdunum profugiſſe. Quare apparitio illa in primo prælio Magnentium inter & Romanos commiſſo contigit. Unde quando in Actis S. Arthemii Martyris ſub Juliano die XV Octobris apud Surium legitur: *Cùm expugnatus eſſet Magnentius, ſignum Crucis maximum mirificè apparuit*; ea verba de priori victoria ad *Murſam* reportata intelligenda. Quartò, in Chronico Alexandrino ea apparitio cum eodem anno copulatur. Legenda quæ de ea ibidem habentur à nobis ea anno recitata num. 11. Denique Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus in epiſtola, quam de hac apparitione ad Conſtantium Auguſtum ſcripſit, ait: *Ac alii quidem unde habent honorem, aureas coronas gemmis ſplendidiſſimis exornatas afferentes, caput tuum perſæpe coronant. Nos autem non rebus hiſce terrenis, ſed cæleſtium rerum divinam virtutem, tempore Deo dilecti Regni tui, Hieroſolymis apparentem, pietatis tuæ in notitiam ſtudioſè deducimus, ut amplioribus te divinitus coronis cæleſtibus honoratum non ignorans Deo univerſorum Regi gratias agas.* Anno trecenteſimo quinquageſimo primo

Baron. num. XXIII & ſeqq.

Conſtantius Imperii Auguſtei Quindecennalia celebravit, quibus in feſtivitatibus urbes & Provinciæ coronas Imperatoribus offerebant, ad quas alludebant Oratores in Panegyricis ad eoſdem in ſimilibus ſolenniis dictis, ut oſtendi in ſecunda parte Diſſert. Hypaticæ cap. 2. num. 18. & 19. Quare, cùm Cyrillus in ſua ad Conſtantium epiſtola de eo prodigio ſcripta eum loquendi modum uſurpet, manifeſtum eſt, illud anno CCCLI accidiſſe, eodemque anno ea Quindecennalia Imperatorem exhibuiſſe; quod & nuncupatio Galli Cæſaris eodem anno facta indicat.

VII. *Quo die Crux Chriſti in cælo viſa.*

Non minor de die, quo hoc prodigium viſum, quàm de anno controverſia eſt. Cyrillus laudatus ait: *Sanctis hiſce diebus ſanctæ Pentecoſtes, circiter horam tertiam, omnium maxima Crux ex lumine conſtituta in cælo ſuper ſanctiſſimum montem Golgotham viſa.* In ea epiſtola à Baronio hoc anno recitata hæc tantùm verba leguntur. Verùm tam in Græco, quàm in Latino, dies additur hoc modo: *Sanctis hiſce diebus Pentecoſtes, Nonis Maiis*, &c. Philoſtorgius loco laudato ſcribit, eam viſam *circa horam tertiam ejus diei, quæ vulgò dicitur Pentecoſtes.* Auctor Chronici Alexandrini: *Ipſo die Pentecoſtes Nonis Maii.* Theophanes in Chronico, *die ſacro Pentecoſtes.* Quæ verba Eruditorum ingenia excruciarunt; cùm anno CCCLI Paſcha die XXXI Martii, Pentecoſtes die XIX Maii celebrata fuerit, & nunquam feſtum Pentecoſtes in diem ſeptimam Maii incidere poſſit. Verùm totum arcanum in eo ſitum, quòd Græci Pentecoſtem ſumunt, non ſolùm pro die illo, qui à die Paſchali quinquageſimus; ſed etiam pro ſeptem hebdomadis, quæ Paſcha ſubſequuntur. Hujus rei egregium exemplum ſuppeditat Euſebius in Vita Conſtantini Magni lib. 4. ubi poſtquam de ejus ægritudine, quæ feſtis Paſchalibus peractis contigit, de ejus Helenopolim profectione, de illius Baptiſmo, ac de Imperii inter filios diviſione locutus eſt, cap. 64. ait: *Porro hæc omnia gerebantur in maxima illa ſolennitate veneranda & ſacratiſſima Pentecoſtes, quæ ſeptenario hebdomadum numero decorata, unitate obſignatur. In qua & communis Servatoris Aſcenſum in cælos, & Sancti Spiritus in terras Deſcenſum contigiſſe, ſacræ Literæ teſtantur. In ea igitur ſolennitate, Imperator, hæc diximus quæ conſecutus, ultima tandem die (quam ſi quis omnium feſtivitatum maximam vocet, haud quaquam meo judicio aberraverit) circa meridiem migravit ad Dominum*, die nimirum XXII Maii, in quem anno CCCXXXVII Conſtantini Magni emortuali feſtum Pentecoſtes incidit. Quare Euſebius, ut rectè vidit Valeſius in Notis, feſtum ſeu ſolennitatem Pentecoſtes, eos omnes dies appellat, qui à die Paſchatis ad diem Pentecoſtes incluſivè fluxerunt. Unde Baſilius Magnus de Spiritu Sancto ad Amphilochium cap. 27. inquit: *Porro omnis quoque Pentecoſte eſt Reſurrectionis, quæ in ſæculo exſpectatur, monimentum. Unus enim & primus dies, ſepties ſeptuplicatus, ſeptem ſacræ Pentecoſtes hebdomadas efficit. A primo enim incipiens in eundem deſinit per ſimiles* (dies nempe Dominicos) *qui in medio revolvuntur quinquageſies.*

Quare

Quare & ævum ſimilitudine imitatur, tanquam in motu circulari ab iiſdem ſignis incipiens, & in eadem deſinens. Hinc quemadmodum Græci hebdomadam, quæ feſtum Paſchæ proximè ſequitur, ipſamque diem Dominicam Paſchalem *Diacœneſimæ* nomine vocant, & tanquam unum diem reputant, ut ex illorum Typico diſcimus, eaſdemque ideo Horas recitant; ſic ſeptem hebdomadas, quæ Paſcha ſubſequuntur, Pentecoſtes nomine appellant.

VIII.
Quinquaginta dies Pentecoſten præcedentes pro uno habiti.

Denique Theodorus Balſamon Patriarcha Antiochenus in epiſtola de Jejuniis à Cotelerio in II tomo Monumentorum Eccleſiæ Græcæ publicata, cap. 15. ſcribit: *Sancitum eſt à Deo per Moſem, ut poſt Agni feſtum populus per VII hebdomadas quietè degeret, atque ita cum jejunio & humilitate perageret celebritatem hebdomadarum. Anima enim, inquit, quæcumque per jejunium humiliata non fuerit ante feſtum, exterminabitur. Oportuit ergo & nos, qui digni habiti ſumus cernere poſt ſeptem hebdomadas adventum ſanctiſſimi Spiritûs, ſtatim cum jejunio feſtum diem ducere, loco Typici hebdomadarum feſti, ſanctam Pentecoſten. Sed quadam maximè divina traditio mundo ſalutarem Domini Reſurrectionem magnificans, ortamque ex ea lætitiam velut continuans, & jubens hoc quinquaginta dierum curriculum* PRO UNA DIE *haberi, nec genu flectere, nec aliud quid agere, quod gaudii magnitudini adverſetur, cohibuit quin ſacer hebdomadarum ritus per hoc lætum feſtum abſolveretur.* Ex quibus omnibus certum redditur, diem ſeptimam Maii inter Pentecoſtes dies connumeratam, licèt anno CCCLI, quo Crucis ſignum in cælo viſum, feſtum Pentecoſtes die XIX Maii celebratum fuerit; neque hac de re amplius quæſtionem eſſe poſſe.

Levit. 23. v. 29. & Pſal. 34. v. 13.

IX.
Sacrificia Gentilium prohibita.

Ad num. XII. Conſtantius *ſacrificia nocturna, Magnentio auctore permiſſa* prohibuit Lege 5. Codicis Theodoſiani *De Paganis.* Nam inter alia, inquit Gothofredus in hujus Legis Commentario, quæ Magnentius etiam Romæ, firmandæ ſcilicet dominationi, invexerat, vel permiſerat, nocturna ſacrificia erant, non auſus forſan diurna permittere. Cui proximum eſt, quod Athanaſius in Apologia ad Conſtantium pag. 528. ait, Magnentium Magis & incantationibus contra Dei juſſa attendiſſe. Sanè Libanius Scriptor Gentilis in Oratione funebri ad Julianum pag. 268. etſi alieni Imperii incubatorem commendat, quòd imperaret κατὰ ὀ...ὸν τῶν νόμων; quod à Gentili Scriptore dictum ob ſacrificia aliquatenus ſaltem reſtituta vel permiſſa, quæ Conſtantius nunc aboleri jubet. Quo exemplo Conſtantinus Magnus quoque victo Maxentio Tyranno nocturna Romæ ſacrificia ſuſtuliſſe videtur ex Lege 3. ejuſdem Codicis *De infirmandis his, quæ ſub Tyrannis.* Denique Valentinianus poſtea, cùm diurna non prohiberet, nocturna ſaltem ſacrificia in quibuſdam Imperii ſui partibus perniciosiùs invecta prohibere neceſſe habuit, ut liquet ex Lege 7. ejuſdem Codicis *De Maleficis.* & Zoſimo lib. 4. pag. 735.

Baron. num. XXXII.

X.
Immunitas occaſione Tricennaliū Clericis conceſſa.

Data & hoc anno à Conſtantio Lex 10. Codicis Theodoſiani *De Epiſcopis.* quâ pleniſſima immunitas omnibus Clericis conceditur, *ut Eccleſiarum cœtus concurſu populorum ingentium frequentetur,* quemadmodum in ea Lege dicitur. Creſcentibus nempe jam ubique Eccleſiis, ac proficiente in dies Religione Chriſtiana, (ac nominatim Athanaſio ex exilio reduce, ut ipſe teſtatur in Apologia ad Conſtantium) jam ſolito pluribus etiam immunitatibus homines ad Clericatum invitandi viſi ſunt, præter veteres immunitates jam conceſſas. Prima itaque immunitas eſt à cenſibus, qui poſſeſſionum nomine Fiſco dependuntur. Quæ immunitas à cenſibus & vectigalibus poſtea ſæpius infracta, præſertim ſub Valente, ut conſtat ex duabus Gregorii Nazianzeni epiſtolis, puta 159. & 156. Baſilius quoque epiſtolâ 279. ad Modeſtum Præfectum Prætorio Orientis de eadem immunitate ſub eodem Valente Imperatore conculcata conqueritur, eamque inſtaurari petit. Secunda immunitas eſt à muneribus ſordidis, de quibus in Codice Theodoſiano lib. 11. Tertia eſt à *Luſtrali collatione*: nempe Clerici ab ea collatione, quæ à negotiatoribus præſtatur, quæque Luſtralis dicebatur, immunes declarantur. Ultima eſt immunitas *parangariarum*, de quibus videndus Gothofredus in Commentario illius Legis. Hæ porro immunitates Tricennalium Conſtantii occaſione conceſſæ.

Baron. num. XXXIII.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5847. ☉ 27 B. ☽ 13. P. 27. MART. INDICT. 12.
JESU CHRISTI 354.
LIBERII PAPÆ 3.
CONSTANTII IMP. 18.

I.
Conſules.

COSS. *Conſtantius Aug. VIII, & Conſtantius Gallus III*: prior juxta priorem regulam, ob initium nempe ejus Monarchiæ anno præcedenti initæ; poſterior juxta tertiam: niſi hic forſan ob Quinquennalia, quæ anno ſequenti celebranda fuiſſent, Conſulatum illum, Collega patruo, ſumſerit.

II.
Epiſtola Liberii PP. ad Conſtantiū.

Ad num. I. Literæ *Liberii* Papæ ad Conſtantium Imp. in quibus ait, Demophilum, Macedonium, Eudoxium & Martyrium *ante annos octo* de Concilio Mediolanenſi *iratis animis* exiiſſe, & Arii ſententiam damnare noluiſſe, hoc anno, ut rectè vidit Baronius, ſcripta. Nondum enim tum indicta fuerat Synodus Mediolanenſis, quæ anno ſequenti habita eſt, cujus impetrandæ gratiâ Legati cum epiſtola Liberii miſſi ſunt; & præterea adhuc in Galliis agebat Conſtantius, quem ſub currentis anni exitum in Italiam ad hiberna diſceſſiſſe, teſtatur Ammianus lib. 14. cap. 4. Erravit itaque Petavius in Diſſert. de Photino Hæretico, qui eam epiſtolam anno ſequenti datam arbitratus eſt, quemadmodum & Valeſius in Notis ad lib. 3. Sozomeni cap. 23. qui ex eo quòd in iis Liberii literis dicatur, quoſdam extra Catholicam Eccleſiam politos Conciliabula habere, *quibus aſſeveratur etiam Georgius in Alexandria per literas communicare*, exiſtimat Georgium Sedis Alexandrinæ invaſorem, Alexandrino Epiſcopatu potitum eſſe, cùm illa epiſtola ſcripta eſt, ideoque eam pertinere ad annum trecenteſi-

Baron. num. II & ſeqq.

mum quinquageſimum ſextum, quo Georgius Sedem illam occupare cœpit. Verùm Liberius non de Georgio Alexandrino, ſed de Georgio Laodiceno Epiſcopo Ariano, qui in Concilio Sardicenſi damnatus eſt, cujuſque crebra per hæc tempora mentio, ſermonem habet. De eo Athanaſius ſæpe loquitur, præſertim initio Apologiæ ſuæ de fuga ſua, quam his verbis exorditur: *Audio Leontium, qui nunc eſt Antiochia & Narciſſum Neronipolitanum, & Georgium Laodicenſem, reliquoſque cum ipſis Arianos, multa de me obgannire, & crimen timiditatis opprobrare, quod cùm ab ipſis ad necem quærerer*, (anno CCCLVI) *non me ipſis in deditionem obtulerim.*

III. *Concilium Mediolanenſe Liberius à Conſtantio impetrat.* Baron. num. IX.

Porro obtentum eſt ea Legatione quod petebatur, nempe ut Concilium Mediolani celebraretur anno ſequenti in cauſa Athanaſii, quòd nempe in eum annum Vicennalia Imperii Auguſtei Conſtantii inciderent, & mos ferret, ut annis hujuſmodi ſolenniis deſtinatis Religioni & Eccleſiæ conſuleretur. Quæ ratio cùm Baronium fugeret, putavit, eam Synodum præſenti anno celebrandam fuiſſe: ſed quòd Conſtantium adverſus Gundomadum & Vadomarium fratres Alemannorum Reges Galliam invadentes oportuit arma movere, Concilium in annum dilatum fuiſſe. De eo bello legendus Ammianus lib. 14. Verùm hæc conjectura ex dictis corruit, liquetque non alio anno quàm CCCLV Synodum illam congregari debuiſſe.

IV. *Galli Cæſaris cædes.* Baron. num. X.

Ad num. II. Conſtantii Galli Cæſaris cædes ſub hujus anni Conſulibus rectè à Socrate lib. 2. cap. 34. Sozomeno lib. 4. cap. 7. & Idacio in Faſtis conſignata: *Exceſſit è vita ætatis anno nono atque vigeſimo, cùm quadriennio imperaſſet*, inquit Ammianus in fine lib. 14. Quibus ex verbis etiam liquet, Cæſares Imperii participes fuiſſe, non verò tantùm Imperii ſucceſſores deſignatos. Hujus mortis nuntium ad Conſtantium, dum Mediolani eſſet, perlatum, ut ſcribit Ammianus initio lib. 15. Hoc anno ineunte Conſtantius Arelate conſtitit, indeque verno tempore Valentiam petiit, moturus in Gundomadum & Vadomarium fratres Allamannorum Reges; cum quibus mox fœdus pepigit, ut prodit Ammianus lib. 14. cap. 10. qui capite ſequenti ſubdit: *Icto poſt hæc fœdere, Imperator Mediolanum ad hiberna diſceſſit.* Tum Galli Cæſaris cædem recitare incipit, quæ ideo ſub hujus anni finem contigit. De ea legendus Philoſtorgius lib. 4. cap. 1. Victor de Cæſaribus, Galli Cæſaris morte narratâ, ait: *Ita longo intervallo annum ferè poſt ſeptuageſimum, relata ad unum cura Reipublicæ.* Si à præſenti anno per ſeptuaginta retrocedas, pervenies ad annum Chriſti CCLXXXIV, quo Diocletianus Imperium iniit, vivente adhuc Carino Auguſto, qui anno inſequenti occiſus eſt. Septuaginta itaque illorum annorum initium videtur repetendum ab anno CCLXXXII, quo Probus, qui ſolus imperaverat, interemtus eſt; cui Carus cum Carino & Numeriano Cæſaribus ſucceſſit. Quare Victor numero rotundo loquitur, demonſtratque, curam Reipublicæ penes Cæſares etiam fuiſſe.

V. *Hiſtoria Philoſtorgii.* Baron. num. XVI.

Ad num. III. Dionyſius Gothofredus Codicis Theod. Commentator Excerpta ex Hiſtoria Eccleſiaſtica Philoſtorgii, quæ Photius Patriarcha Cpolitanus ex duodecim ejus libris collegerat, poſt Baronii obitum in lucem edidit. Sed, cùm ejus editio, atque Latina interpretatio pluribus mendis referta eſſet, Henricus Valeſius duos alios manuſcriptos Codices nactus, aliam adornavit, quam Hiſtoriæ Theodoreti ſubjunxit. Ex ea Philoſtorgii Hiſtoria, quam Baronius non viderat, plura paſſim in medium adducimus.

VI. *Naſcitur S. Gregorius Nazianzenus.* Baron. num. XXIII & ſeqq.

Ad num. V. Ex locis quibuſdam S. Gregorii Nazianzeni in Carmine de Vita ſua negligenter Latinè redditis deceptus Baronius, exiſtimavit, hunc Sanctum præſenti anno viceſimum tantùm ætatis annum attigiſſe, ideoque poſt Concilium Nicænum anno CCCXXV celebratum in lucem prodiiſſe. Verùm, cùm nonagenario major ſupremum diem obierit, ut ſuo loco videbitur, natus eſt hujus ſeculi initio; & quando Athenis diſceſſit, annum circiter quinquageſimum quintum agebat. Papebrocius die nona Maii in Vita S. Gregorii Nazianzeni loca omnia explicat, quæ Baronium alioſque Viros doctiſſimos huc uſque in errorem induxere. Nazianzenus poſtquam dixit, Athenis digrediente Baſilio, ſe ſubſiſtere coactum fuiſſe, ſubjungit: *Etenim longum tempus impenderam eloquentiæ exercendæ: eratque is annus mihi ferme trigeſimus.* Quod cùm factum eſſe conſtaret poſt annum Chriſti trecenteſimum quinquageſimum quintum, quo Julianus ſtudiorum causâ Athenas appulit, conſequens eſſe videbatur, ut non niſi poſt Concilium Nicænum Gregorius natus eſſet. Sed, ut Gregorius Preſbyter in Vita hujus Sancti advertit, Baſilius Athenis diſceſſit, cùm Gregorius *triceſimum annum explevisset in diſciplinarum artibus pertractandis.* Quare erat is annus Gregorio Nazianzeno ferme triceſimus in eo ſtudio, non verò triceſimus à nativitate ejus.

VII. *Nazianzenus & Baſilius virtutẽ amplectuntur.*

Objicitur præterea quod ſcribit Gregorius Nazianzenus in Oratione ad laudem Baſilii, ubi de ſe ſuoque Baſilio juxta accuratam Papebrocii verſionem ait: *Ut igitur domum revertimur, qui aliquando mundo ac ſcenæ ſerviieramus, quantùm ſcilicet ſatis erat, ut aliorum plurium obſequeremur cupiditati, (neque enim ipſimet ad Theatralem oſtentationem propendebamus) continuò facti ſumus juris noſtri: & tanquam ex imberbibus facti viri, ad philoſophandum nos contulimus generoſiùs.* At ſicut Nazianzenus, quando dicit, ſe & Baſilium tum ſui *juris factos*, non intelligit de legali emancipatione, ſed de figurata, qua mundo ſervire coacti fuerant: ſic nec quòd *ex imberbibus* dicat *viros factos*, debet cum reſpectu ad ætatem accipi, ſed referri ad animum, qui tunc primum viriliter agi cœpit ac reſerari; cùm ſepoſito aliis placendi ſtudio, quod imperfectorum eſt, ad veram ſolidamque virtutem, quæ eſt virorum perfectorum, conatum ſuum intenderunt. Tertium locum ex Gregorio deſumtum apud Papebrocium explicatum vide.

VIII. *Ætas patris S. Gregorii diſcutitur.*

Ætas porro Nazianzeni, ut rectè idem Papebrocius, cum Gregorii patris ætate comparari debet. Pater, ſicut in Orat. 19. ait filius, obiit, *cùm annos ferme centum vixiſſet, ex eiſque egiſſet in Sacerdotio quinque & qua-*

draginta. Cùm itaque S. Gregorius Nazianzi Epiſcopus, Gregorii de quo loquimur, pater, è vivis exceſſerit anno trecenteſimo ſeptuageſimo tertio, aut veroſimilius uno anno tardiùs, (rerum enim deinde ſecutarum ſeries non permittit, ut eum poſtea vixiſſe exiſtimemus) conſequens fit, eum natum circa annum ducenteſimum ſeptuageſimum tertium, & S. Gregorium Theologum filium primogenitum ex Sancta Nonna conjuge & *coætanea*, ut inquit idem Gregorius Theologus in Carmine de Vita ſua, genuiſſe circa annum Chriſti trecenteſimum primum. Inde Gregorius pater Epiſcopus Nazianzi creatus eſt circa annum trecenteſimum viceſimum nonum, & Gregorius filius anno trecenteſimo quinquageſimo quinto, vel potiùs inſequenti, Athenis diſceſſit, poſtquam ibidem per annos triginta ſtudiis operam navaſſet, ab anno nempe trecenteſimo viceſimo ſexto. Porro, cùm Julianus non niſi poſt Galli Cæſaris fratris necem Athenas profectus fuerit, apparet, eum anno tantum ſequenti in eam urbem adventaſſe; nam Socrates lib. 3. cap. 1. ait, Gallo interfecto, Julianum juſſum eſſe cuſtodiri. Sed, cùm cuſtodes ſuos effugere voluiſſet, mutatis ſubinde latebris, ſibi ſalutem quæſiviſſe: tandem verò *Euſebiam* Imperatoris uxorem, cùm eum latitantem deprehendiſſet, perſuaſiſſe viro ſuo, ut nullo malo eum afficeret, ſed potiùs Athenas ire permitteret, Philoſophiæ operam daturum. Quo fit, ut S. Gregorius Nazianzenus & S. Baſilius anno tantùm trecenteſimo ſexto Athenis diſceſſerint.

IX. *Synodus Antiochena adverſus Athanaſiũ.* Collecta hoc anno Synodus *Antiochena* adverſus D. Athanaſium, de qua hæc Sozomenus habet lib. 4. cap. 8. *Præcipuè vero criminabantur Athanaſium, quem tantopere oderant, ut nec Conſtante quidem adhuc ſuperſtite & Conſtantio benevolentiam erga eum ſimulante, hoſtiliter eum perſequi deſierint: ſed Antiochiæ in unum congregati Narciſſus Cilix, Theodorus Thraciæ, Eugenius Nicænus, Patrophilus Scythopolites, Menophantus Epheſius, & alii circiter triginta numero ad omnes ubique conſtitutos Epiſcopos literas ſcripſerint, quibus affirmabant, Athanaſium contra leges Eccleſiæ rediiſſe Alexandriam, non in Synodo priùs innocentem declaratum, ſed per contentionem eorum, qui idem cum illo ſentiebant: hortatique ſint, ut neque cum illo communicarent, neque ad eum ſcriberent, ſed cum Georgio potiùs, qui ab ipſis ordinatus fuerat, communionem ſervarent. Athanaſius verò tum quidem nullam iſtorum rationem duxit. Sed enim multò graviora quàm priùs, erat perpeſſurus.* Valeſius in Notis ait, Sozomenum perperam aſſerere, eam Synodum Conſtante adhuc ſuperſtite congregatam. Verùm id non ſcribit Sozomenus, qui jam de Magnentii interitu & Julii Papæ morte locutus fuerat, ſed tantùm indicat, Arianos, qui Conſtante adhuc ſuperſtite Athanaſium vexarant, poſt hujus Imperatoris mortem hoſtiliter eum perſecutos fuiſſe. Subjungit Valeſius, eam Synodum anno Chriſti trecenteſimo quinquageſimo ſexto coactam, quo Georgius Epiſcopatum Alexandriæ occupavit, huncque ſtatim ex urbe Antiochena cum militari ſatellitio miſſum eſſe Alexandriam, eodem modo quo ante quindecim annos in Antiocheni Synodo, ea quæ in Encæniis celebrata eſt, Gregorius ordinatus fuerat Epiſcopus Alexandriæ, atque inde miſſus Alexandriam, ut teſtatur Athanaſius. Verùm currenti anno exeunte, eam congregatam inſinuat Sozomenus, cùm illam recitet proximè ante Concilium Mediolanenſe prioribus anni inſequentis menſibus habitum. Præterea Lucifer Calaritanus, qui Concilio Mediolanenſi interfuit, in Apologia pro Athanaſio lib. 1. teſtatur, Georgium ante Concilium Mediolanenſe ordinatum eſſe, & his verbis Conſtantium alloquitur: *Perſequeris eum, per quem te audire præceperit Dominus, agente eo in rebus humanis, quo Hæreticum tuum Georgium mittis ſucceſſorem; cùm tametſi liberatus fuiſſet Athanaſius è corpore, tibi non licuerit mittere*, &c. Paulò poſt: *Nunquid poteſt Deus eſſe cum inimico Georgio? Nunquid ei quem non ordinaverit, quem non elegerit, poterit eſſe propitius?* &c. Ad hæc Valeſius ait, unum Sozomenum hujus Synodi meminiſſe; cùm tamen Nicephorus lib. 9. cap. 33. diſertam ejus mentionem faciat. Denique non ex urbe Antiochena, ut putat Valeſius, ſed ex Cappadocia miſſus fuit Georgius, ut docent Athanaſius in Apologia de fuga ſua, & ex eo Theodoretus lib. 2. cap. 14. quanquam miſſus dici poſſit ex urbe Antiocheni, cùm in ea ordinatus fuerit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ
5848. ☉ 28 A. ☽ 14. P. 16. APRIL.
INDICT. 13. Olymp. 283.
JESU CHRISTI 355. *ſecundum*
LIBERII PAPÆ 4. *Baronium.*
CONSTANTII IMP. 19.

COSS. *Arbetio & Lollianus.* Conſtantium Auguſtei Imperii Vicennalia hoc anno celebraſſe oſtendunt tam nuncupatio Juliani, de qua mox, quàm Concilium Mediolanenſe à Conſtantio coactum, ad Orientis atque Occidentis Epiſcopos in unam eandemque de Fide ſententiam perducendos. Annis enim hujuſmodi feſtivitatibus addictis Cæſares de more creari, & de Religione actum. I. *Conſules.* *Vicennalia Conſtantii.*

Ad num. I. Concilium *Mediolanenſe* currentis anni initio celebratum. *Ammo* enim Epiſcopus in epiſtola ad Theophilum Patriarcham Alexandrinum de *Converſatione & particulari Vita Sanctorum Pachomii & Theodori*, cap. 4. ſcribit: *Perſecutionis porro ejus, qua anno ſexto, menſe nono, Athanaſium Papam expulit, Julianus imperavit, homo idololatra.* Uſurpat Ammo menſes Ægyptiacos, ut duobus in locis epiſtolæ videre eſt. Quare, cùm *Pachon* nonus Ægyptiorum menſis incipiat cum die viceſima ſexta Aprilis, & cum die viceſima quinta Maii terminetur, liquet, inter intervallum iſtud, Julianum Auguſtum dictum anno trecenteſimo ſexageſimo, ac ante diem viceſimum quintum Maii præſentis anni Concilium Mediolanenſe, in quo ſubſcripta S. Athanaſii damnatio, celebratum. Alioquin ſi poſt menſem Maium coactum eſſet, Julianus non anno ſexto, ſed quinto perſecutionis Athanaſii Auguſtus nuncupatus eſſet. Porro Conſtantium, qui Concilio Mediola- II. *Concilium Mediolanenſe.* Baron. num. 11 & ſeqq.

nenſi interfuit, hoc ferme anno Mediolani conſtitiſſe docet Ammianus lib. 15. cap. 38. & ſeqq. & patet ex ſubſcriptionibus plurium Legum Codicis Theodoſiani, ubi legitur L. 2. *De his qui per metum Judicis.* data *Kal. Janu. Mediolani.* In Codice etiam Juſtinianeo recitatur L. 6. *Qui teſtam. facere poſſ.* data *Mediolani XII Kalend. Martiis.* Ex quibus manifeſtum fit, epiſtolam Liberii, quâ Concilium celebrari poſtulavit, anno præcedenti ſcriptam eſſe, ut tunc diximus. Concilii Mediolanenſis Acta, quibus hactenus carebamus, edidit Ughellus in tomo 4. Italiæ ſacræ, & cum Codice Bibliothecæ Colbertinæ contulit Baluzius in nova Collectione Conciliorum pag. 29.

III. *S. Felix verè fuit Pontifex Romanus.* Baron. num. LVII & ſeqq.

Ad num. X. Petronius in ſua ad Magnæ Britanniæ Regem Reſponſione, Bellarminus in Defenſione Felicis Papæ, & Henſchenius in Appendice tomo 3. menſis Aprilis ſubjecta oſtendunt, Felicem verum fuiſſe Pontificem, quòd antiquus Pontificum Catalogus habeat: *Congregati Sacerdotes & cum conſilio eorum Liberius ordinaverunt in locum ejus Felicem Preſbyterum Epiſcopum.* Hinc in inſcriptione ſarcophagi ejuſdem Felicis ab aliquot annis reperta legitur: *Hic jacet corpus S. Felicis Papæ & Martyris, qui Conſtantium Hæreticum damnavit.* Chriſtianus Lupus in parte quinta ad Dictatum S. Gregorii VII, pag. 794. ubi contrariam ſententiam tuetur, ait: Rem omnem inſigniter exponunt Fauſtinus & Marcellinus Romanæ Eccleſiæ Preſbyteri in Præfatione precum quas exhibuerunt Theodoſio Imperatori. Sed Henſchenius laudatus reſpondet, memoratos Preſbyteros fuiſſe Schiſmaticos, & plura mentiri, ipſo Lupo paulò pòſt fatente. Urget Lupus, Athanaſium in epiſtola ad Solitarios pag. 666. & Hieronymum in Chronico omnem fidem mereri. Sed quid mirum, inquit Henſchenius, ſi perturbata rerum Romæ geſtarum notitia in Ægyptum pervenerit ad Athanaſium? Hieronymus Chronicon ſuum in Oriente conſcripſit valde juvenis ex monumentis ibidem repertis. Ceterùm utraque opinio ſuos patronos, ſuaſque rationes habet, nihilque certum de hac controverſia dici poteſt.

IV. *Julianus fit Cæſar.* Baron. num. XV.

Ad num. XVI. *Julianus* hoc anno à Conſtantio Cæſar creatus, Galliiſque præpoſitus; quod in Italia factum, teſte Zoſimo initio libri 3. & quidem Mediolani, ut Hieronymus in Chronico ſcribit. Peracta ea nuncupatio *VIII Idus Novemb.* ut Ammianus lib. 15. & Idacius in Faſtis, non verò VIII Octob. ut perperam Auctor Chronici Alexandrini. Ammiano & Idacio ſuffragatur Polemius Silvius in fragmento Laterculi anno CCCC XLIX editi, & à Bollando in Præfatione tomi primi ad menſem Januarii pag. 43. recitati, ubi ad octavum Idus Novembris legitur: NATALIS JULIANI; qui dies natalis Imperii ejus Cæſarei, non verò natalis ejus genuinus, ut credidit Cangius V. C. in Familiis Byzantinis Auguſtis. Ex Italia Kal. Decembris Julianum in Gallias pergentem media hieme (ut ipſe teſtatur in epiſtola ad Senatum Populumque Athenienſem pag. 510. & Libanius in Juliani Conſulatu pag. 236. & in Necem Juliani pag. 270.) Conſtantius deducit ad locum uſque duabus columnis inſignem inter Laumellum & Ticinum, unde mox Julianus Taurinos pervenit, teſte Ammiano lib. 15.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5849. ☉ 1 GF. ☽ 15. P. 7. APRIL. INDICT. 14.
JESU CHRISTI 356.
LIBERII PAPÆ 5.
CONSTANTII IMP. 20.

I. *Conſules.*

COSS. *Conſtantius Aug. VIII, & Julianus Cæſar:* hic juxta priorem regulam, ille juxta tertiam.

II. *Lex Conſtantii adverſus Maleficos.* Baron. num. I.

Ad num. I & II. Conſtantius dedit hoc anno L. 4. Codicis Theod. *De Maleficis & Mathematicis. Mediolani VIII Kalend. Febr.* quâ capite punitur quicumque pro curioſitate futurorum, vel Invocatorem Dæmonum, vel Divinos, quos Ariolos appellant, vel Aruſpicem, qui auguria colligit, conſuluerit. D. Hieronymus Commentario in Daniel. cap. 2. oſtendit, quâ notâ diſtinguendi ſint omnes illi, qui circa divinandi curioſitatem occupati, hac Lege nominantur: *Quos nos Ariolos, ceteri ἐπαοιδοὺς interpretati ſunt, id eſt, Incantatores. Ergo videntur mihi Incantatores eſſe, qui verbis rem peragunt: Malefici, qui ſanguine utuntur & victimis, & ſæpe contingunt corpora mortuorum. Porro in Chaldæis γενεθλιαλόγους ſignificari puto, quos vulgus Mathematicos vocat; conſuetudo autem & ſermo communis Magos pro Maleficis accepit, qui aliter habentur apud gentem ſuam, eò quòd ſint Philoſophi Chaldæorum, & ad artis hujus ſcientiam Reges quoque & Principes ejuſdem gentis omnia faciunt.* Diſtinctiùs tamen hæc ita ſeparat Gothofredus in illius Legis Commentario. *Aruſpices* ſunt qui hoſtiis & extis inſpectis, ex iis judicium faciebant: *Mathematici* propriè, qui ex ſyderum curſu: *Genethliaci* & Aſtrologi, qui & *Chaldæi*, quorum frequens apud Tacitum mentio: *Arioli*, qui ut Tertullianus loquitur, aris inhalantes, numen de nidore concipiebant, &, ut Iſidorus ait, qui circa aras Idolorum preces emittentes & ſacrificia offerentes, Dæmonum reſponſa accipiebant: *Augures* verò ſunt, qui ex avium garritu vel volatu conjecturam faciebant: *Vates*, qui, ut Tertullianus quoque ſcribit, de Deo pati exiſtimabantur, *Virgilianâ* imitatione, id eſt, *Fanatici*, qui vi Numinis interiori agitari ſe fingebant, quales deſcribit Apuleius octavâ Mileſiâ, qui ſe Deo plenos adſimulabant, ut Paulus lib. 5. Sentent. tit. 21. *Magorum* appellatione indicantur Incantatores, qui verbis & ventilationibus rem ferme peragebant. Denique *Malefici* dicuntur *Negromantiæ* artem operati, ut Hieronymus citatus rectè indicavit: quamquam & iidem *Magorum* appellatione nonnumquam comprehenduntur. Data & à Conſtantio L. 6. Cod. Theod. *De Paganis.* quâ Sacrificia & Simulachrorum cultus ſub capitis pœna rurſus inhibentur: de qua legendus Gothofredus in Commentario.

III. *Athanaſius*

Athanaſium currenti anno, Syriano Duce adverſus eum perſecutionem movente, ex ur-

Alexandria fugere coactus. Baron. num. 11.

bo Alexandrina fugiſſe inter omnes convenit. At circa hujus fugæ circumſtantias aliquot graviſſimæ difficultates occurrunt. Et primò quidem, cùm Athanaſium die nona Februarii ex ea urbe aufugiſſe conſtet, & Syrianum poſt dies tres & viginti à promiſſo à ſe facto, quòd Eccleſiæ Alexandrinæ non turbarentur, dum Alexandrini Legatos ad Conſtantium mitterent, ut ab eo ſcirent, an juſſiſſet Athanaſium ex urbe Alexandrina diſcedere, conſequens eſt, eam promiſſionem à Syriano factam die decima octava menſis Januarii præſentis anni: ab eo enim die ad nonum Februarii viginti tres illi dies effluxere. Athanaſius autem, qui hæc narrat in Apologia ad Conſtantium pag. 688. & ſeqq. non ſemel teſtatur, *Maximum* tum Ægypti Præfectum fuiſſe, imò & præſentem eo tempore, quo populus & Preſbyteri Syrianum adiere. Et tamen ex ipſomet Athanaſio in epiſt. ad Orthodoxos hac de fuga ſcripta affirmat, *Philagrium* tunc Ægypti Præfectum fuiſſe, ut videre eſt pag. 945. Rurſumque in epiſt. ad Solitarios pag. 847. de fuga ſua, quæ hoc anno contigit, loquens, dicit, Heraclium Comitem, adjuncto ſibi Ægypti Præfecto *Cataphronio*, Idolorum adoratores concitaſſe, ut ex præcepto Imperatoris invaderent Eccleſias, & populum lapidarent. En tres Ægypti Præfectos eodem ferme tempore eam Provinciam adminiſtrantes; cùm tamen certum ſit, eam ab unico gubernatam. Exiſtimo, *Maximi* Præfecturam hujus anni initio poſt menſem Januarium abſolutam, Philagriumque in ejus locum ſubrogatum, quem & *Cataphronii* nomine appellatum oportet, ad diſtinctionem fortè Philagrii patris. Qui meliora afferet, libenter amplectar.

IV. *Montanus & Diogenes ad Athanaſiū miſſi.* Baron. anno 354. n. XVII & ſeqq.

Interim corrigendus hìc Baronii error, qui anno CCCLIV recitat ex Athanaſio, quod is ſcribit in Apologia ad Conſtantium pag. 686. veniſſe nempe ad ſe *Montanum* Palatinum cum epiſtola, quaſi ipſemet Athanaſius ab Imperatore petiiſſet jus in Italiam abeundi, quæ cùm ficta eſſet ab illius adverſariis, Alexandriam Athanaſius relinquere noluit, ut ipſemet narrat, qui paulò pòſt addit: *Cùm igitur aliò Montanus profectus eſſet, ſupervenit Diogenes Notarius, poſt ſex demum & viginti menſes, qui ne ipſe quoque epiſtolam exhibuit: neque tanquam mandatum haberet, quidquam mihi præcepit. Quin cùm ipſe Syrianus exercitus ductor Alexandriam ingrederetur, quærebam num iſtiuſmodi literæ, quales illi jactitarent, allatæ eſſent. Literas enim mandati tui (fateor) ab illis depoſcebam: poſtquam ipſi eas ſe habere pernegarent, poſtulabam, ut ſaltem vel ipſe Syrianus, vel Præfectus Ægypti Maximus mihi ad ipſum ſuo ſcripto injungeret, poſtulabamque id ea de cauſa, quòd tua humanitas in ſuo diplomate vetuerat, ne quis me turbaret, utque ego negligerem aliorum terrores, & ſecuriter in Eccleſiis permanerem.* Subdit paulò pòſt Athanaſius: *Syriano igitur hanc rerum quietem tranquillitatemque promittente, conventus omnium cum gaudio & ſecuritate in Eccleſiis fiebant, quo tempore poſt dies tres & viginti à promiſſo, cùm ſubitò Syrianus cum militibus in Eccleſiam irrupit*, &c. die ſc. nona Februarii, quæ XXIII erat à die XVIII Januarii, quo die tranquillitas illa promiſſa. Quare *Montani* ad Athanaſium profectio pertinet ad annum trecenteſimum quinquageſimum tertium, & *Diogenis* Alexandriam adventus, qui poſt menſes viginti ſex à profectione Montani contigit, ad annum præcedentem revocanda. Sozomenus lib. 4. cap. 9. paulò aliter rem narrat, aitque, Athanaſium Imperatoris literas accepiſſe, quibus ad Palatium evocabatur: *Prævaluit tamen*, inquit, *conſilium ut Athanaſius maneret: & is qui literas Principis attulerat* (nempe Montanus) *re infecta reverſus eſt. Sequenti æſtate alter ab Imperatore miſſus*, (nempe Diogenes) *unà cum Provinciæ Rectoribus Alexandriam veniens, cum ex urbe diſcedere compulit, Clerumque Eccleſiæ acerbiſſimè vexavit. Sed cùm populus Alexandrinæ Eccleſiæ animos reſumſiſſet, is qui ab Imperatore miſſus erat, cernens, plebem ad pugnandum paratam eſſe, ipſe quoque re infecta abſceſſit. Nec longo pòſt tempore copiæ, quas Romani Legiones vocant, ex Ægypto & Lybia accerſuntur.*

V. *Quo die Athanaſius Alexandriâ fugerit.* Baron. num. III & ſeqq.

Baronius refert proteſtationem populi Alexandrini, quam ipſemet Athanaſius recitat tom. 1. pag. 866. in qua Alexandrini omnibus exponunt quid in Eccleſia actum ſit, *illuceſcente quinto Iduum Februariarum die, hoc eſt, decimo quarto menſis Mechir, vigilantibus nobis in Dominico, & precibus vacantibus, eò quòd Synaxis Paraſceves die celebranda eſſet.* In Græco legitur, ἐπιφωσκούσῃ γὰρ τῇ πέμπτῃ εἰδῶν φεβρουαρίων, τουτέστι τῇ ιδ'. τοῦ Μεχὶρ μηνός. Sed quia Interpres per errorem vertit, *illuceſcente quinto Kalendas Februarias die*, factum eſt, ut Baronius Romanum Martyrologium recognoſcens, & Sanctis, quibus videbatur, augens, die XXVIII Januarii ſcripſerit: *Alexandriæ plurimorum Sanctorum Martyrum, qui hac ipſa die, factione Syriani Ducis Ariani, dum in Eccleſia Synaxim agerent, diverſo mortis genere ſunt interemti.* In ipſius proteſtationis fine eundem errorem Interpretis legere eſt: dicitur enim ipſa proteſtatio ſcripta, *poſt Conſulatum Arbethionis & Lolliani decimo ſeptimo die menſis Mechir, quæ eſt pridie Kalendarum Februarii*; cùm tamen juxta Græcum legendum ſit, *pridie Id. Febr.* Error etiam irrepſit in textum Græcum Athanaſii, ubi legitur, τουτέστι τῇ ιδ'. τοῦ Μεχὶρ μηνὸς, legendum enim, ιε'. τοῦ Μεχὶρ μηνός. id eſt, *die decima quinta menſis Mechir*, qui dies cum nono Februarii noſtri copulatur, quique hoc anno cum Paraſceve, ſeu feria ſexta concurrebat. Die itaque nona Februarii Athanaſium ex Alexandria fugere coactum, & præfata martyria contigiſſe, certiſſimum eſt.

VI. *Athanaſius Alexandriā rediit.*

Poſt hanc fugam Athanaſium Alexandriam quamdiu Conſtantius vixit, non rediiſſe, una eſt communis omnium qui hujus Sancti Vitam ſcripſere, opinio. Verùm illuc tempore Quadrageſimæ è ſua ſolitudine reverſum eſſe, ac quando Georgius Alexandrinæ Sedis invaſor adventavit, ibidem cum latuiſſe, elicio ex epiſtola ad Orthodoxos hoc anno ſcripta. Ibi pag. 945. & ſeq. deſcribit Georgii in eam urbem introitum his verbis: *Præclara igitur iſta Arianica Georgii conſtitutio tale ſui exordium habuit. Illius porro introitus in Alexandriam, quàm multa nefaria perpetraverit, quantorumque malorum auctor extiterit, licebit vobis & ex literis noſtris & ab iſthuc profici-*

ſcentibus reſcire. Populis ergo graviter ferentibus iſtarum rerum inſolentiam, ideoque in Eccleſiis cœtus facientibus, ne Arianorum perfidia Eccleſiæ Fidei admiſceretur: Philagrius jam olim in Eccleſiam & virgines injurius, per id tempus Præfectus Ægypti, olim transfuga noſtræ Religionis, Georgii conterraneus, homo nequaquam ſpectatis moribus, fretus magiſtratus ſui auctoritate, præſidioque ad quidvis audendum promptus, & qui apoſtata, in Eccleſiam infeſtus & præceps, Ethnicas Tribus, Judæoſque item atque alios protervos homines adhortationibus, magniſque promiſſis, quæ ſecundùm pacta pro opera præſtita bene perſolvit, adverſus Eccleſiam inſtigatos cuneatim cum gladiis & fuſtibus, contra populos in Eccleſias immittit. Jam quid inde evenerit, non ſimplicem poſthac ſermonem requirit, cùm ea res nec ſatis dignè explicari queat, aut ſine lacrymis & planctu vel ex minima parte recenſeri. Ubi enim apud priſcos talis tragœdia? Aut quid ſimile in bello & perſecutione factum eſt unquam? Siquidem & Eccleſiis & Baptiſteriis flamma injecta: magnus igitur luctus, ejulatus & planctus per civitatem. Cives ea quæ aiebant, indignè ferre, acclamare Præſidi, vim proteſtari, eò quòd virgines ſanctæ & incontaminatæ nudatis corporibus nefaria paterentur, iiſdemque ſi contumaciùs obſiſterent, periculum capitis immineret: Monachi pedibus obtriti expirarent, alii Fiſco addiſcerentur, alii gladiis fuſtibuſque mactarentur, alii vulneribus plagiſque malè mulctati diſcederent.

VII.
Scelera in enthroniſmo Georgii patrata.

In ſacroſanctam autem menſam, proh! quanta impietas & facinora commiſſa! Vidiſſes enim eos aves & nuces pineas immolare, idola ſua laudibus efferre: in Dominum noſtrum Salvatorem Jeſum Chriſtum & Filium Dei viventis convicia, verborumque contumelias jacere, ſacros Scripturarum libros, quos in Eccleſiis inveniebant, comburere: in ſacrum Baptiſterium (proh Superi!) Chriſticidas Judæos & Atheos Ethnicos, nulla cum reverentia ingreſſos eam verborum factorumque turpitudinem nudatis corporibus deſignare, ut pudendum abominandumque ſit relatu. Nec defuere impii homines, æmuli acerbiſſimorum perſecutorum, qui virgines continenteſque injectis manibus traherent, raptarent, & ad blaſphemiam Dominique abnegationem compellerent, eoſque qui id facere recuſarent, conciderent, pedibuſque obtererent. In hoc genere introitus ſui ſplendidus ille & perquam egregius Georgius, lætus de iſtis malis, ſimulque mercedem præmiaque pro hac tam ſcelerata victoria Ethnicis, Judæis, cæteriſque quorum opera ad talia uſus erat, diſpenſans, in prædam rapinaſque Eccleſiam dabat. Semel aut iſtiuſmodi genere ſcelerum & licentiâ datâ, multa tetriora quàm in bello, crudeliora quàm in latrocinio committebantur, cùm & iſti obvia diriperent, illi in cellis repoſita dividerent, magnamque copiam vini aut ebiberent, aut effunderent, aut aſportarent, oleumque reconditum prædarentur, fores cancelloſque tanquam rejectamenta geſtarent, & candelabra inibi ad parietem deponerent, cereoſque Eccleſiæ, idolis adolerent. In ſumma, magna ubique in Eccleſia depopulatio & plurima mortis imago. Non tamen ad iſta impii Ariani ullo pudore commovebantur: quin tetriora adhuc atrocioraque accumulavere. Vidiſſes enim Preſbyteros & Laïcos in jus trahi, ac virgines à cœtu ſuo divulſas, ad tribunal Præſidis raptari, & in carcerem conjici, alios Fiſco addiſci, alios flagellis cædi, panibus ſacrificiorum miniſtris & virginibus interdici.

VIII.
Georgius ante Paſcha Alexandriã adventavit.

Hæc autem ſub Paſcha in ſacra Quadrageſima acta ſunt, per quod tempus jejuniis deditï erant. Interim egregius ille Georgius arrogatis ſibi moribus Caïphæ cum Præſide Pilato contra pios Chriſti cultores debacchabatur. Certè ipſo die Paraſceves ingreſſus in quandam Eccleſiam cum Præſide & populis Ethnicis, intellecto hominum odio, quo illius violentum introitum averſabantur, auctorem conſuaſoremque ſe præbuit crudeliſſimo Præſidi, ut eâdem horâ triginta quatuor virgines & matronæ, item virique ingenui publicè flagellis cæderentur, inter quos virginem quandam ſtudioſam literarum, & adhuc Pſalterium manibus retinentem publicè flagellari juſſit: diſcerptus eſt à carnificibus liber, ipſa autem poſt flagella in carcerem recluſa eſt. His igitur ad iſtum modum patratis, ne in reliquum quidem tempus otium egere: quippe qui in illa alia Eccleſia, in qua ego potiſſimùm per eos dies commorabar, eadem prorſus molientes, furore ipſorum etiam in templum immiſſo, nihil non egere, ut ibi me interceptum de medio tollerent: nec aliter eveniſſet, niſi gratiam Chriſti propitiam auxiliaremque mihi expertus fuiſſem, unde ita elapſus, licuit mihi paucula iſta ex innumeris malis recenſere. Ego enim videns eos ad extremam rabiem deveniſſe, mecumque ratione iniens, quo ne vel Eccleſia noxam acciperet, aut virgines indigna paterentur, eadeſque denuo committerentur, eademque iterum injuria contumeliaque in populum incumberet, furtim me populis ſubduxi, memor verbi Salvatoris noſtri: Si vos perſecuti fuerint in hac civitate, fugite in aliam. *Noveram enim ex his, quæ adverſus illam Eccleſiam perpetraverant, nihil ſceleris eos in iſtam Eccleſiam omiſſuros, ubi ne ipſam quidem Dominicam diem ſanctiſſimi feſti ulla in reverentia habuere, quominus eo ipſo tempore, quo Dominus omnes ex mortis vinculis compedibuſque aſſeruerit, homines ejus Eccleſiæ in vincula conjicerent,* &c. Hæc Athanaſius. Matth. 10.

IX.
Duplex fuga Athanaſii ex ejus Scriptis deducta.

Ex quibus habemus, Athanaſium currenti anno ante diem Paſchatis die ſeptima Aprilis celebrati, Alexandriæ in quadam Eccleſia latuiſſe, & ne ab Arianis interceptus de medio tolleretur, in fugam ſe dediſſe. Intelligimus præterea, Georgium Eccleſiæ Alexandrinæ invaſorem in eam urbem non veniſſe cum Syriano Duce, die nona Februarii, quâ Athanaſius fugam arripere coactus eſt, ſed duntaxat tempore Quadrageſimæ in eam urbem introiiſſe; quod ipſemet Athanaſius in Apologia de fuga ſua pag. 704. diſertè etiam teſtatur: *Deinde*, inquit, *ſuperveniens per tempus Quadrageſimæ, qui ab ipſis è Cappadocia miſſus fuerat Georgius, ſcelera quæ ab iis didicerat, cumulatiora reddidit. Videre enim erat poſt ſeptimanam Paſchæ virgines in carcerem detrudi*, &c. Præterea Athanaſius in Apologia ſua ad Conſtantium

pag. 691. de vi quibuſdam Epiſcopis illata locutus ſubjungit: *Hæc cum ego admirarer, & iis cogitatione perplexus hærerem, ecce denuo alia atrox fama de Ægypto & Lybia nobis ad aures allabitur, Epiſcopis propè nonaginta pulſis, Eccleſiiſque profeſſoribus Arii traditis, ſexdecim in exilium actis, ceteris deinde aut fugatis, aut ad ſimulationem hæreſeos coactis, ſummam illatam fuiſſe perſecutionem. Siquidem cùm Alexandriæ per diem Paſcha & diebus Dominicis in loco deſerto, juxta cœmeterium in orationibus hærerent, ductor exercitus ampliùs tribus armatorum millibus ſuccinctus, gladios telaque ferentibus, impreſſionem in Chriſtianos fecit*, &c. Ex hoc ultimo loco diſcimus, D. Athanaſium hoc anno die Paſchatis in ſolitudine, ac extra urbem Alexandrinam fuiſſe; ideoque in Oratione ad Orthodoxos, quando de malis *ipſo die Paraſceves* perpetratis loquitur, iis verbis feriam ſextam majoris hebdomadæ non intelligere, ſicuti nec per Dominicam Reſurrectionis, de qua paulò pòſt ſermonem habet, diem Paſchatis. Antiqui enim quamlibet diem Dominicam, Reſurrectionis Dominicam plerumque appellant. His poſitis, Athanaſium, poſtquam die nona Februarii ex urbe Alexandrina fugit, in eandem tempore Quadrageſimæ, quæ hoc anno die viceſima prima menſis Februarii cœpit, reverſum eſſe, manifeſtiſſimè liquet. Is enim, qui Syriano perſequente Alexandriam die nona Februarii reliquit, in eadem rurſus urbe tempore Quadrageſimæ reperitur, & ne in Arianorum manus incidat, rurſus fugæ ſe dat, ut ex laudata ad Orthodoxos Oratione conſtat. Hinc in epiſt. ad Solitarios pag. 843. ait: *Deinde poſt acta iſta Syriani, poſt tanta facinora, poſt virginum contumelias, approbans hujuſmodi mala, iterum ſcribit* (Conſtantius) *Senatui populoque Alexandrino juventutem ſollicitans, ut omnes ſimul in unum coacti, Athanaſium perſequantur, aut ſcirent, ipſos ſibi infeſtos peſtiferoſque eſſe. Athanaſius autem, antequam iſta mandata ſupervenirent, invaſâ jam à Syriano Eccleſiâ, aliò acceſſerat, non immemor ejus quod ſcriptum eſt*: Sed abſcondere paulilper, donec furor prætereat. *Harum autem literarum adminiſter Heraclius fuit*, &c. Quod conſilium ipſummet ſecutum eſſe, & ad tempus tantùm receſſiſſe dubitari non poſſe videtur.

X.
Epiſtola ad Orthodoxos ab Athanaſio hoc anno ſcripta.

Nec eſt quòd quis reſpondeat cum Baronio anno CCC XLII, Hermantio in Vita S. Athanaſii lib. 5. cap. 14. & Papebrocio in Vita ejuſdem, die ſecunda Maii, inſerta cap. 13. eam ad Orthodoxos epiſtolam ab Athanaſio ſcriptam, quando *Gregorius* anno CCC XLI Sedem Alexandrinam invaſit, non verò currenti anno, quo ea iterum à *Georgio* occupata. Jam enim anno CCC XLI, num. XXV & ſeqq. vulgarem illum errorem evertimus, eamque epiſtolam ad hanc ſecundam invaſionem ſpectare demonſtravimus. Tantùm enim abeſt, ut in priori illa irruptione in aliqua Alexandriæ Eccleſia obſeſſus fuerit Athanaſius, indeque ad fugiendam perſecutionem evaſerit; ut ipſemet in epiſtola ad Solitarios teſtetur, antequam Eccleſiæ occuparentur, alii cæderentur, alii in carcerem truderentur, alii bonorum proſcriptione mulctarentur, ſeſe Alexandriam reliquiſſe; & Romam profectum eſſe: *Athanaſius autem priuſquam iſta fierent, cùm rem auditione tantùm accepiſſet, Romam navigavit; non ignarus hæretici furoris.* Quare ea ad Orthodoxos epiſtola ad priorem invaſionem immeritò trahitur, ex eaque etiam malè deducitur, invaſionem illam tempore Quadrageſimæ peractam. Nam quæ hoc anno facta, tempore Quadrageſimæ contigiſſe ex indubitatis Athanaſii locis numero præcedenti recitatis certò conſtat; priorem verò eidem tempori adſcribendam, ex una ad Orthodoxos epiſtola, quæ non de ea, ſed de ſecunda invaſione loquitur, duntaxat inferri poteſt. Is itaque error è vita Athanaſii in poſterum eliminetur, certumque maneat, *Gregorium* anno CCC XLI Alexandriam incerta anni tempeſtate veniſſe; *Georgium* currenti anno ad eandem civitatem Quadrageſimæ tempore perveniſſe; ac denique Athanaſium hoc anno bis ex urbe Alexandria fugiſſe, die nempe nona Februarii, quando in eam Syrianus Dux irrupit, iterumque tempore Quadrageſimæ, quando Georgius Pſeudo-Pontifex Alexandrinus in eadem urbe omnia ſuſdeque vertit.

XI.
Athanaſius Conſtantium adire meditatur.

Athanaſius poſtquam ex urbe Alexandrina fugit, in ſolitudinem ſeceſſit, ut ipſemet in Apologia ad Conſtantium pag. 690. & 697. teſtatur. Ibidem Apologiam *de fuga ſua, quando à Syriano Duce perſecutionem patiebatur*, ſtatim ſcripſiſſe videtur, cùm necdum factus eſſet certior cædium à Syriano Eccleſiam invadente patratarum, dum adhuc ipſe in ſacrario eſſet: nam gratias agit Deo, quòd ſalvari potuerit *populo priùs dimiſſo*, & nullam alterius violentiæ mentionem facit, quàm ejus, quâ ipſummet intercipere Dux & milites moliebantur. Nec refert, quòd in eo Opuſculo referatur Oſii lapſus, qui anno ſequenti contigit; videtur enim parentheſis poſtea adjecta margini ab ipſomet Athanaſio, & à Librariis imperitè inſerta textui. Dum in ea ſolitudine verſatur, Imperatorem adire deliberat, *fiduciam habens excuſandi ſui primùm apud Deum, deinde apud Imperatorem, ſi quis eum accuſare vellet*, ut ipſemet Athanaſius in Apologia ad Conſtantium pag. 690. ſcribit. Qui pagina ſequenti ſubdit: *Nihil mihi mali conſcius, ad Pietatem tuam cum hac defenſione properabam.* Tum ſubjicit pag. 692. *Jamque mihi iter ingredienti, relicto eremo, fama derepente advolat. Ubique enim jactabatur, Liberium Romæ Epiſcopum*, &c. *alioſque complures in exilium exterminatos eſſe, eò quòd contra nos ſuſcribere recuſaſſent.* Dein ſcribit, ſe denuo famâ accepiſſe, *cum Alexandriæ per diem Paſcha & diebus Dominicis in loco deſerto juxta cœmeterium in orationibus hærerent* Chriſtiani; ductorem exercitus *impreſſionem in Chriſtianos* feciſſe. Narratis poſtea quæ poſt Pentecoſten acta fuerant pag. 693. ſubjicit: *Ego tamen ne tunc quidem deſtiti, ſed iterum profectus ſum iter ad tuam Pietatem.* Tandemque pag. 697. concludit: *In eremum, fateor, rurſus reverti.*

XII.
Athanaſius ad Epiſcopos Ægypti & Libyæ ſcribit.

Profectionem itaque illam Athanaſius ſuſcepit, poſtquam ſecunda vice Alexandriâ tempore Quadrageſimæ fugit; cùm in itinere famâ acceperit quæ Alexandriæ Paſchatis tempore ac poſt Pentecoſten acta fuerant. Porro,

quia Athanaſius ipſe non explicat quouſque pertenderit, Papebrocius die ſecunda Maii in Vita S. Athanaſii cap. 25. ſuſpicatur, eum uſque in Syriam aut Palæſtinam perveniſſe. Etenim, inquit, epiſtolam encyclicam *contra Arianos ad Epiſcopos Ægypti & Libyæ* ſcribens Athanaſius, quæ ſub nomine *primæ Orationis contra Arianos* Operibus ejus inſeritur tomo primo, ſimul indicat, ſe tunc in Ægypto non fuiſſe. Verùm ex ipſamet epiſtola encyclica manifeſtè apparet, eam hoc anno ſcriptam, antequam Georgius Eccleſiam Alexandrinam invaſiſſet, & dum adhuc Athanaſius poſt primam ſuam fugam in ſolitudine commoraretur. Nam pag. 290. Athanaſius loquens de quadam Formula Fidei ab Epiſcopis circiter octodecim ſubſcripta, omnes oſtendit ab Euſebianis ordinatos, ad Orthodoxos Epiſcopos per calumniam ſubvertendos, additque: *Ob eandem cauſam Georgium quendam ex Cappadocia conduxerunt mittendum ad vos, cujus tamen nulla habenda eſt ratio: dicunt enim in his partibus, quod ne quidem Chriſtianus omnino ſit, ſed idolorum Zelator, & moribus carnifex, ideoque ab eis electum eſſe, ut poſſit injurias, rapinas & cædes facere: ad hæc enim exercitatus eſt diu, & quæ Chriſtianæ Fidei ſunt, prorſus ignorat.* Quibus ex verbis habemus, necdum Alexandriam perveniſſe Georgium, imò nec famâ quidem adhuc Ægyptiis notum fuiſſe, cùm eam epiſtolam encyclicam contra Arianos ad Epiſcopos Ægypti & Libyæ Athanaſius ſcriberet; ideoque eam ab hoc Sancto in ſuo receſſu poſt irruptionem Syriani Ducis, & ante ſuum in urbem Alexandrinam reditum, & ante introitum Georgii in eandem civitatem exaratam eſſe, & ex conſequenti nihil eam habere commune cum profectione, quam Athanaſius verſus Conſtantium ſuſcepit, poſtquam ſecunda vice Alexandriam relinquere coactus eſt. Baronius eam epiſtolam encyclicam uſque ad annum CCCLXI diſtulit, quo ideo ejus fundamenta evertemus.

XIII. *Conſtantius Romam venit.*

Ad num. XIV. Idacius in Faſtis ſub hujus anni Conſulibus ſcribit: *His Conſſ. introierunt Conſtantinopolim reliquiæ Apoſtoli Timothei die Kal. Jun.* De qua Tranſlatione Baronius agit anno CCCXXXVI. Conſtantio verò IX & Juliano Cæſare II Coſſ. anno nempe ſequenti, Idacius habet: *His Conſſ. introierunt Conſtantinopolim reliquiæ SS. Apoſtolorum Andreæ & Lucæ die V Non. Mart. & introivit Conſtantius Aug. Romam IV Kal. Maias, & edidit XXXV.* Quare adventus Conſtantii Auguſti Romam malè hoc anno in Annalibus conſignatur: pertinet enim ad annum ſequentem, in quem ſeptima Imperii Cæſarei Conſtantii Quinquennalia inciderunt, quæ cum triumpho Romæ exhibita fuiſſe minimè dubitandum. Idacio ſuffragatur Ammianus lib. 16. cap. 10. ubi ſcribit, Conſtantium *concluſo Jani Templo*, ac poſt Magnentii exitium Romam triumphaturum veniſſe, addens: *Triceſimo poſtquam ingreſſus eſt die IV Kal. Junias ab Urbe profectus, per Tridentum iter in Illyricum feſtinavit.* Hinc intelligimus intra unum eundemque menſem & Conſtantium triumphaſſe, & ſeptima Quinquennalia edidiſſe, nec longius temporis ſpatium ad utramque pompam repræſentandam neceſſarium fuiſſe. Secundò, utraque ſolennia de more conjuncta fuiſſe. Tertiò, triumphum plerumque aliquot poſt annos à ſtratis hoſtibus dilatum. Quæ omnia, quia aliquibus Viris doctis non probata, variis paſſim exemplis confirmavi. Baronius porro, qui Idacium non viderat, ex laudato Ammiani loco infert, Conſtantium tertio Kalendas Maii hoc anno Romam ingreſſum. Sed, ut jam dixi, res anno ſequenti geſta, dieque IV Kal. Maii. Ammianus citatus deſcribit pompam Ludoſque Circenſes, quos Conſtantius populo Romano dedit. De qua etiam celebritate legenda Oratio XIII Themiſtii, & Claudianus in ſexto Conſulatu Honorii pag. 158. Auctor Chronici Alexandrini ſub anni ſequentis Conſulibus ſcribit: *Conſtantius Auguſtus propter Vicennalia ſua cum ingenti pompa & apparatu Romam venit, & cum eo uxor ejus Euſebia.* Sed Raderus malè interpretatus eſt hæc verba, εἰς τὴν ἰκοστὴν ἐνιαυτίδα: ſignificant enim eo in loco, *anno viceſimo*, non verò propter Decennalia. Sequens enim Chriſti annus viceſimus eſt Imperii Auguſtei Conſtantii, rectéque Combefiſius in Notis ad Theophanem pag. 560. vertit, *anno viceſimo*. Errat verò Auctor Chronici Alex. quando ait, Conſtantium Romæ dies XIV moratum eſſe. Sed de Conſtantii Romam adventu rurſus anno ſequenti agetur. Ceterùm *Ara Victoriæ* Conſtantii juſſu ſublata non erat in Capitolio, ut putavit Baronius, ſed in Curia, ut in Apparatu oſtendimus.

XIV. *Eudoxius fit Epiſcopus Antiochiæ.*

Ad num. XVI. Obitus *Leontii* Antiochiæ Epiſcopi Ariani, & ejuſdem Eccleſiæ occupatio ab *Eudoxio* ad annum CCCLVIII pertinent. Socrates quidem lib. 2. cap. 37. ſcribit: *Mortuo Leontio, qui Aëtium Hæreticum ad Diaconatus gradum evexerat, Eudoxius Germaniciæ, quæ & ipſa Syriæ urbs eſt, Epiſcopus, qui tum Romæ aderat, properandum ſibi eſſe decrevit. Et cum Imperatore callidè collocutus, quaſi Germanicenſium civitas ſolatio ipſius ac providentiâ indigeret, petiit ut quamprimum illuc redeundi poteſtas ſibi concederetur. Imperator verò nihil doli ſuſpicatus, hominem dimiſit. At ille primores Regis Cubicularios adjutores nactus, relictâ civitate ſua, Epiſcopatum Antiochiæ per fraudem occupavit.* Quo pacto Eudoxius anno ſequenti, menſe Maio, Romæ fuiſſet, eoque tempore jam Leontius obiiſſet. Verùm Sozomenus, qui Socratem emendare ſolet, lib. 4. cap. 12. ſcribit tantùm: *Imperatore adhuc in Occidentis partibus commorante, nuntius allatus eſt de morte Leontii Antiochenſis Epiſcopi.* Et Athanaſius in epiſtola ad Solitarios, in qua de lapſu Liberii ſermonem habet, pag. 812. ait: *Leontius ille caſtratus, qui Antiochiæ nunc Epiſcopatum tenet.* Quare anno CCCLVIII, quo Liberius Arianæ formulæ ſubſcripſit, Leontius adhuc in vivis erat, eoque anno deceſſit. Hinc Philoſtorgius lib. 4. cap. 3. lapſum & reſtitutionem Liberii memorat, & capite ſequenti ait, *mortuo Leontio Antiochenæ urbis Epiſcopo, Eudoxium ex urbe Germanicia tranſlatum* eſſe. Valeſius in Notis dicit, Philoſtorgium hallucinari, & Liberium in propriam Sedem non eſſe reſtitutum anno CCCLVIII, niſi

póſtquam anno præcedenti Leontius mortuus eſſet. Sed ipſummet Valeſium hallucinari ex dictis conſtat. Ea autem tranſlatio ante Paſcha contigit, ut anno ſequenti oſtendetur.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5850. ☉ 2 E. ☽ 16. P. 20. MART. INDICT. 15.
Olymp. 284. JESU CHRISTI 357.
LIBERII PAPÆ 6.
CONSTANTII IMP. 21.

I. *Conſules.* COss. *Conſtantius Aug. IX*, & *Julianus Cæſar II.* Hic juxta tertiam regulam; ille juxta ſecundam: ſeptima enim Imperii Quinquennalia hoc anno celebravit, & quidem Romæ, ubi & de hoſtibus triumphum duxit, uti anno præcedenti demonſtravimus. Hinc Auctor Chronici Alex. hoc anno ſcribit: *His Conſulibus menſe Diſtro* (nempe Martio) *die III Conſtantinopolim allata ſunt reliquiæ SS. Lucæ & Andreæ Apoſtolorum, curâ Conſtantii Auguſti cum veneratione & cultu, pſalmis & hymnis, depoſitaque ſunt in æde Apoſtolorum.* Reliquiæ enim annis hujuſmodi ſolenniis deſtinatis de more tranſlatæ, quamvis aliquando aliis diebus ejuſmodi tranſlationes factæ, uti reliquiæ S. Timothei anno præcedenti, ut ibidem oſtendimus num. XIII. Porro nondum uſus ferebat, ut reliquiarum tranſlationes diebus Dominicis, aut feſtis ſolennioribus fierent. Hoc enim anno dies tertius Martii cum feria ſecunda concurrit, & anno præcedenti dies primus Junii, quo reliquiæ S. *Timothei* elevatæ, in diem Sabbati incidebat.

Septima Quinquennalia, & triumphus Conſtantii.

II. *Secunda Sirmienſis Synodus malè cum prima confuſa.* Ad num. I. Jam ſuprà oſtendimus hallucinatum eſſe Socratem lib. 2. cap. 29. dum anno CCCLI Synodum Sirmienſem adverſus Photinum conſignat, in quam etiam Hoſii lapſum conjicit. Neque enim lapſus ille & conſenſus in Arianam impietatem ante præſentem annum contigit, ut rectè vidit Baronius, qui tamen dum Socratem corrigit, in alium errorem ipſemet incidit. Error enim Socratis in eo ſitus eſt, quòd duas Synodos Sirmienſes diverſis annis habitas in unam confuderit, quas & ipſe Baronius pariter confundit, in hoc tantùm à Socrate diſſentiens, quòd eam Synodum non anno CCCLI, ſed præſenti congregatam exiſtimarit. Verùm prima Sirmienſis Synodus anno CCCLI adverſus Photinum indicta. Secunda verò, in qua Hoſius lapſus eſt, præſenti anno celebrata, & quidem eo in finem vergente. Conſtantius enim quarto Kalendas Junii Româ digreſſus, ut Idacius in Faſtis docet, Mediolanum reverſus eſt, ubi conſtitit uſque ad initium menſis Decembris, ut ex variis ſubſcriptionibus Legum Codicis Theod. patet. Extremo jam menſe Decembri Sirmii erat, ubi data ab eo Lex 27. Codicis Theod. *De appellationibus.* Porro Conſtantio Sirmii conſtituto Liberii & Hoſii lapſum contigiſſe, teſtantur Sozomenus lib. 4. cap. 15. & Philoſtorgius lib. 4. cap. 3. Quare Synodi Ancyrana & Antiochena, de quibus mox, anno tantùm ſequenti congregatæ, cùm poſt Sirmienſem habitæ fuerint.

III. Neque quis dicat, Ammianum lib. 16. cap. 10. ſcribere: *Conſtantius triceſimo poſtquam ingreſſus eſt die IV Kal. Junias ab Urbe* (nempe Roma) *profectus, per Tridentum iter in Illyricum feſtinavit*; qui addit, eum Sirmium veniſſe. Quibus ex verbis colligi poſſe videtur, Conſtantium Româ Mediolanum profectum non eſſe, ideoque verno tempore Synodum Sirmienſem haberi potuiſſe. Ammianus enim de profectione Mediolanenſi non loquitur; quia ideo Conſtantium Româ diſceſſiſſe ait, quòd, dum Romæ eſſet, certis nuntiis accepiſſet, *Suevos Rhetias incurſare, Quadoſque Valeriam, & Sarmatas ſuperiorem Mæſiam & ſecundam populari Pannoniam*: quibus percitus *ab Urbe profectus per Tridentum iter in Illyricum feſtinavit.* Quare non erat quòd Ammianus de profectione Mediolanenſi loqueretur, cùm ad præfatos tantùm motus reſpiceret. Ex quibus duo neceſſariò conſequuntur. Primum, ſi Conſtantius ſecundæ Sirmienſi Synodo interfuerit, quod non omnino certum, eam ante currentis anni finem inchoatam non eſſe. Secundum, verum non eſſe quod ſcribit Hermantius lib. 8. Vitæ S. Athanaſii cap. 1. inter ſubſcriptiones Legum Codicis Theod. & Ammianum non convenire, & parum veroſimile eſſe, poſteriorem Sirmienſem Synodum exeunte hoc anno coactam eſſe. Nam ſi Conſtantius, quando ea celebrata, Sirmii egerit, id omnino dicendum. Quia tamen non ſatis liquet, ut Hermantius fatetur, an Conſtantius tunc Sirmii egerit, nihil certi hac in re pronuntiari poſſe videtur.

IV. *Photinus damnatur.* Ad num. II & III. *Photinus* in priori Synodo Sirmienſi anno CCCLI celebrata damnatus, priorque tunc Sirmienſis Formula Fidei ſcripta, ut eo anno pluribus explicavimus, ad quem ideo Lectorem remittimus.

V. *Hoſius ſubſcribit Formulæ Fidei Sirmienſi.* Ad num. IV & V. Secundæ Formulæ Sirmienſis ab Hoſio ſubſcriptæ inſcriptio, quæ apud Hilarium, Athanaſium & Socratem legitur, ſatis indicat, eam à paucis Epiſcopis Arianis, præſertim Occidentalibus, non verò à Plenaria Synodo anno CCCLI celebrata, profectam. Hilarius enim hoc ei lemma præſcribit: *Exemplum blaſphemiæ apud Sirmium per Hoſium & Potamium conſcriptæ.* Tum his verbis incipit: *Cùm nonnulla putaretur eſſe de Fide diſceptatio, diligenter omnia apud Sirmium tractata ſunt ac diſcuſſa, præſentibus ſanctiſſimis fratribus & Coëpiſcopis noſtris, Valente, Urſacio & Germinio.* Quiſnam autem ſit Potamius ille, qui Hoſio adjunctus eſt, docet Marcellinus Preſbyter in Libello precum, quem obtulit Imperatori Theodoſio. Ubi inter prævaricatores Divinæ & Apoſtolicæ Fidei, poſt Arium primo loco hunc numerat: *Potamius Odyſſiponæ civitatis Epiſcopus, primùm quidem Fidem Catholicam indicans, poſtea verò præmio fundi fiſcalis, quem habere concupiverat, Fidem prævaricatus eſt. Hunc Hoſius de Corduba apud Eccleſias Hiſpaniarum & detexit & repulit ut impium Hæreticum. Sed & ipſe Hoſius Potamii querelâ accerſitus ad Conſtantium Regem; miniſque perterritus, & metuens ne ſenex & dives exilium proſcriptionemque pateretur, dat manus impietati*, &c.

VI. *Synodus Ancyrana.* Ad num. VI. Synodus *Ancyrana* anno tantùm ſequenti celebrata. Habita quippe eſt poſt Synodum *Antiochenam*, ut teſtatur Sozomenus lib. 4. cap. 12. & adverſus Eudoxium Epiſcopum Antiochenum res novas agitantem, ut capite ſequenti Sozomenus docet. Quare cùm Eudoxius ante annum ſequentem eam Sedem non obtinuerit, ut anno præcedenti num. XIV oſtendimus: & parte alia in Ancyrani Concilii Synodica, quam refert Epiphanius in hæreſi Semiarianorum, dicatur, illud celebratum fuiſſe *paulò ante Paſcha*, ob idque pleroſque ob hiemem venire non potuiſſe, manifeſtiſſimum eſt, ante præſentis anni Paſcha, quo nondum *Eudoxius* Epiſcopus Antiochenus erat, coactum non fuiſſe; Synodicamque illam de ſequentis anni Paſchate, quo die XII Aprilis peractum eſt, intelligendam. Nam hujus Synodi epocha ab initio Epiſcopatûs Eudoxii omnino pendet; quam cùm Baronius anno ſuo non reddiderit, non mirum, ſi in Concilii Ancyrani tempore conſignando à vero diſceſſerit. Celebrata ea Synodus occaſione dedicationis cujuſdam Baſilicæ à Baſilio Epiſcopo Ancyrano conſtructæ: *Fortè enim tunc Baſilius ad dedicationem Baſilicæ à ſe conſtructæ, multos vicinarum urbium Epiſcopos convocaverat*, inquit Sozomenus lib. 4. cap. 13. Dedicatio illa legitimo tempore non facta, cùm in annum ſequentem nulla Quinquennalia aliaque id genus feſta inciderint.

VII. *Epiſtola in Synodo Ancyrana lecta.* Refert ibidem Sozomenus literas, quas Georgius Laodicenus Epiſcopus ſcripſit Eudoxio res novas agitanti, ut eum reprimeret; quæ quidem literæ inſcriptæ ſunt: *Macedonio, Baſilio, Cecropio, Eugenio, Georgius in Domino ſalutem.* Putat Baronius eas à Georgio ſcriptas ad eos qui Ancyræ convenerant. Sed, ut obſervat Valeſius in Notis ad Sozomenum, contrarium oſtendunt nomina Epiſcoporum mox recitatorum, quæ in titulo epiſtolæ Georgii leguntur. Nullus enim ex iſtis, ſi unum Baſilium excipias, Synodo Ancyranæ interfuit. Quare recitata quidem ea in Concilio Ancyrano, ut docet Epiphanius in hæreſi Semiarianorum: non tamen ſcripta ad Epiſcopos Synodi Ancyranæ.

Baron. num. LXXVI.

VIII. *Geſta in Synodo Ancyrana.* *Baſilius Ancyranus* Epiſcopus acceptis Georgii Laodiceni Epiſcopi literis, cognitiſque quæ Sirmii à Valente & Urſacio hoc anno geſta fuerant, cùm ad Eccleſiæ conſecrationem Conventum haberet Epiſcoporum, *Ancyranam* Synodum celebrat, in qua Sirmienſis Hoſii ac Valentis & ceterorum condemnata Fidei Formula eſt, ſtatutumque, Patri Filium ſubſtantiâ eſſe ſimilem. Qua ex Synodo literæ ſcriptæ ſunt ad Phœnices & Syros, ubi Eudoxii Antiocheni ſtudio Anomæorum perfidia flagrabat; quas Epiphanius recitat. Deinde Legati ad Imperatorem Sirmium miſſi, Baſilius ipſe aliique, qui Eudoxianorum illic diſturbatis conſiliis Imperatorem perpulerunt, ut adverſus Eudoxium & Anomæos ad Antiochenos ſcriberet. Tum autem videtur accidiſſe quod narrat Socrates, ut nempe Imperatoris mandato Hoſiana Sirmienſis abrogaretur Formula; cùm Baſilius Semiarianorum ſignifer plurimùm apud Imperatorem gratiâ & auctoritate poſſet. Atque ad Orientales illos tumultus, novamque hæreſim exterminandam Conſtantius Synodum auctore Baſilio Nicomediam indixit. Quæ cùm terræ motu concidiſſet, ac ſubinde Nicæam, quò Epiſcopos convocari placuerat, eadem calamitas afflixiſſet: tandem Baſilius Imperatoris literis cum Epiſcopis aliis de idoneo loco deliberare juſſus, cùm inter illos minimè conveniret, Sirmium ad Imperatorem advolat. Ibi Arianos Epiſcopos reperit, Marcum Arethuſium, Georgium Alexandrinum, Valentem & ceteros. Quorum omnium conſilio Conſtantius Seleuciam in Iſauria ad Synodum delegit. Verùm Eudoxii, Acacii, Valentis, Urſacii Anomæorum operâ factum eſt, ut diviſis Epiſcopis, Occidentales quidem Arimini, Orientales verò Seleuciæ congregarentur. In hoc Arianorum principum congreſſu accidit, quod Hilarius lib. de Synodis narrat, ut Orientales Epiſcopi, qui Sirmienſi blaſphemiæ ſubſcripſerant, Auctores ejus compellerent, ut ſubſcribendo damnarent quod fecerant. Quin etiam ex eodem Hilario colligitur, poſteaquam dividi Synodum placuit, principio Ancyram ad Orientalium conſeſſum delectam fuiſſe. Scribit enim his verbis: *Sed maximè cùm comperiſſem Synodos in Ancyra atque Arimino congregandas, & ex ſingulis Provinciis Gallicanis binos, vel ſingulos eò eſſe venturos.* Quæ verbatim excerpta ex Petavio in Animadverſionibus Epiphanianis ad hæreſim LXXIII, quæ eſt Semiarianorum.

IX. *Synodus Antiochena* Paulò poſt Sirmienſem Synodum, Antiochena ab Eudoxio Antiochiæ Epiſcopo congregata, & quidem anno ſequenti, quo Eudoxius Epiſcopatum Antiochenum adeptus eſt. Sozomenus de ea loquitur lib. 4. cap. 12. antequam de Ancyrana ſermonem inſtituat. In hac Synodo perinde ac in Sirmienſi ſecunda damnatum eſt nomen ſubſtantiæ, & ὁμοούσιος, atque ὁμοιούσιος ex æquo rejecta ſunt. Legati etiam miſſi ad Conſtantium Imperatorem *Aſphalius* Presbyter unà cum aliis, qui Synodicam epiſtolam ad eum perferrent. De hac Synodo nulla in Labbeana Conciliorum Collectione mentio. Ejus tamen Socrates etiam meminit lib. 2. cap. 37. ubi ait, Eudoxium ad Antiochenſis Eccleſiæ Epiſcopatum evectum, quem Leontius ejus deceſſor Diaconatu abdicarat, ut habet Theodoretus in lib. 2. cap. 24. *collecto Epiſcoporum Concilio* in priſtinum gradum reſtituere conatum eſſe.

X. *Obitus Hoſii.* Ad num. X. Oratio prima Athanaſii contra Arianos, ſeu potiùs *epiſtola Encyclica contra Arianos ad Epiſcopos Ægypti & Libyæ*, anno præcedenti ſcripta, ut tunc diximus, & infrà demonſtrabimus. Quare perperam ex ea deducit Baronius, Hoſium anno CCC LXI in vivis non fuiſſe, quòd in ea ejus tanquam jam mortui mentio ſit. Vanum enim illud fundamentum, quia cùm in ea dicitur, Arianos *ab annis triginta ſex* declaratos eſſe Hæreticos, *Athanaſius* reſpicit ad Synodum Alexandrinam, in qua *Arius* anno CCC XXI damnatus, non verò ad Synodum Nicænam, ut malè Baronius Athanaſium interpretatur. Præterquam quòd in ea Oratione mentio ſit *Hoſii* tanquam adhuc viventis, non verò tanquam mortui. Deinde Baronius *Hoſii* mortem uſque ad annum CCC LX differt propter epi-

ſtolam à S. Euſebio Vercellenſi Epiſcopo eo anno ſcriptam, quia in ea ſermo fit denegatæ *Hoſio* communionis à Gregorio Illiberitano Epiſcopo. Verùm videtur Euſebius eo anno ex occaſione ſignificare, quæ uno aut altero antea à ſe geſta eſſent. Quare Hoſii mors anno circiter inſequenti contigit; cùm in epiſtola ad Solitarios ejus tanquam demortui meminerit Athanaſius, & ea epiſtola tardiùs ſcripta non videatur.

XI. *Liberius ſubſcribit Formulæ Fidei Sirmienſis.* Ad num. XI. Synodus *Sirmienſis* anno ſequenti continuata. In ea reſtitutus *Liberius*, cùm Formulæ Fidei in eadem & in Ancyrana exaratæ ſubſcripſiſſet. De ea Synodo loquitur Philoſtorgius lib. 4. cap. 3. & Sozomenus lib. 4. cap. 15. Quæ enim in eo capite à Sozomeno referuntur, in Concilio Epiſcoporum geſta eſſe manifeſtum eſt. Quippe & Formula Fidei ibi conſcripta eſt, cui ſubſcripſerunt Orientales & Occidentales Epiſcopi, & ipſe *Liberius* adhuc exul: & epiſtola ab ipſis ſcripta eſt ad Felicem Epiſcopum & ad Clerum urbis Romæ, ut Liberium redeuntem ſuſciperent, utque ambo ſimul, Felix videlicet ac Liberius, Epiſcopatum adminiſtrarent. Quæ, ut inquit Valeſius in Notis ad Sozomenum, nonniſi à Synodo decerni potuerunt; cùm repugnet Eccleſiaſticæ regulæ ac diſciplinæ, ut in ea eademque Eccleſia duo ſint pariter Epiſcopi. Hæc igitur Synodus Sirmienſis, quam Baronius cum aliis videtur confudiſſe, quæque anno ſequenti celebrata, tertia eſt inter Sirmienſes. Prima enim in qua depoſitus eſt Photinus, anno CCCLI habita. Secunda, in qua Hoſius blaſphemiam dictavit, currenti anno congregata. Tertia denique, in qua Liberius reſtitutus eſt, cùm Formulæ in in ea conſcriptæ ſubſcripſiſſet, anno CCCLVIII coacta. Hæc videtur fuiſſe, quam Hilarius in Fragmentis vocat perfidiam ab Arianis conſcriptam, & quam Liberius Catholicam vocat, & à Demophilo ſibi oblatam ſuſcepiſſe ſe dicit in epiſtola ad Orientales. Ob quod factum Hilarius ter anathema dicit Liberio. Sed hac de re plura ibidem Valeſius & Petavius in Animadverſionibus Euſebianis pag. 316.

XII. *Liberius Romam redit.* Ad num. XV & ſeqq. *Liberius* anno tantùm ſequenti Romam rediit. Verum quidem eſt, Theodoretum lib. 2. cap. 17. ſcribere, *elapſo biennio*, nempe à *Liberii* exilio, Conſtantium Romam profectum eſſe, & à matronis Romanis rogatum *Liberium ab exilio redire* juſſiſſe. Sed Nicephorus lib. 9. cap. 35. poſtquam de earum feminarum illuſtrium zelo locutus eſt, ait: *Et Imperator cum Epiſcopis ſuis re communicata, redditurum ſe eis hominem pollicitus eſt, ſi in eandem cum Epiſcopis ſuis concederet ſententiam.* Quare Theodoretus ex Nicephoro interpretandus, dicendumque, Conſtantium Romæ poſitum *Liberii* reſtitutionem matronis Romanis promiſiſſe, anno nempe currenti, ſed ſequenti tantùm rem executioni mandatam. Certè Lex 14. Codicis Theod. *De Epiſcopis*, data IX Id. Decemb. Mediolani, directa eſt ad Felicem Epiſcopum Romanum; ideoque *Liberius* menſe Decembri Sedi ſuæ nondum reſtitutus erat. Certum eſt enim, Liberium non eodem tempore Sedem Romanam & conjunctim cum Felice tenuiſſe: quippe quandiu Felix Sedem tenuit, Liberius abdicatus fuit: contrà, ex quo Liberius Epiſcopatum repetiit, Felicem expulit; quandoquidem Hieronymus in Chronico & Marcellinus aiunt: *Victor Romam ingreſſus eſt.* Diem quo Romam introiit, Anaſtaſius nobis conſervavit: *Ingreſſus Liberius in urbem Romam quarto Nonas Auguſti.*

XIII. *Synodus Melitinenſis.* Celebrata hoc circiter anno *Melitinæ* in Armenia Synodus, cujus mentio apud Sozomenum lib. 4. cap. 24. & 25. ubi is Hiſtoricus loquitur de Concilio Cpolitano anno CCCLIX inchoato, & inſequenti continuato. Nam Sozomenus de Euſtathio Sebaſtæ Epiſcopo ait: *Ab Euſebio Conſtantinopoleos Epiſcopo depoſitus* fuerat. *Deinde tanquam ſecus quàm oportet, prædicans & agens & ſentiens, à Gangrenſi Concilio Epiſcopatu exutus fuerat. In Antiochenſi autem Synodo perjurii convictus erat. Et quòd decreta eorum, qui Melitinæ congregati fuerant, ſubvertere conaretur.* Exauctoratus & Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymorum, *propterea quòd cum Euſtathio & Elpidio communicaſſet, qui decreta Melitinenſis Synodi, cui ipſe quoque interfuerat, abrogare ſtuduerant.* Neque plura de Melitinenſi Concilio, cujus nulla mentio in Collectionibus Conciliorum Generalium. Ex citatis porro verbis intelligimus, *Concilium Gangrenſe* habitum poſt annum trecenteſimum quadrageſimum, quo Euſebius ex urbe Nicomedienſi ad Sedem Cpolitanam tranſlatus eſt, nec poſt annum CCCLVII, cùm eidem Hoſius interfuerit, & poſt lapſum Cordubam ſucceſſerit. Cùm autem Cyrillus *Melitina* Synodo adfuerit, ea ante annum CCCLI non congregata; quia eo circiter anno Cyrillus ſedere cœpit. *Melitinenſis* Synodi meminit S. Baſilius in epiſtola 79. ad Occidentales, ubi Euſtathium in ea Synodo depoſitum eſſe teſtatur. Quare cùm Meletius Concilio Seleucenſi anno CCCLIX congregato tanquam Epiſcopus Sebaſtenus adfuerit, jam eo anno Euſtathius è Sebaſteno Epiſcopatu dejectus fuerat, ſicque Synodus Melitinenſis anno CCCLVIII aut inſequenti habita.

XIV. *Felicis II obitus.* Baron. num. LVIII & ſeqq. Ad num. XX. *Felix* hujus nominis II, *Liberio* in exilium deportato, ordinatus eſt ab Arianis anno trecenteſimo quinquageſimo quinto, ſeditque annos plus minùs tres uſque ad diem XXIX menſis Julii anni trecenteſimi quinquageſimi octavi. Nam in auctiori Catalogo veterum Pontificum legitur: *Felix depoſitus de Epiſcopatu habitavit in prædiolo ſuo à die III Kalendas Auguſti.* Marcellinus verò & Fauſtinus Preſbyteri Schiſmatici ſcribunt: *Tertio anno rediit Liberius, cui obvians cum gaudio populus Romanus exivit: Felix notatus à Senatu & Populo de Urbe propellitur.* Iidem Marcellinus & Fauſtinus, narrata gemina expulſione Felicis ab Urbe, aiunt: *Poſt annos octo Valentiniano & Valente Coſſ.* (anno ſc. Chriſti trecenteſimo ſexageſimo quinto) *X Kalendarum Decembrium defunctus eſt Felix.* Porro Marcellino & Fauſtino tutò hac in re fides haberi poteſt, cùm ea narrent quæ in totius Urbis conſpectu geſta erant. De S. Felicis Epiſcopatu Romano legendi Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Romanorum Pontificum, aliique. Colitur *Felix* ut Martyr in Breviario & Martyrologio Romanis

die xxix menſis Julii, quemadmodum in Martyrologio Adonis aliiſque, & in Sacramentario S. Gregorii legitur Officium in *miſſa S. Felicis Martyris & Pontificis*. Nec eſt quòd quis dicat, hæc intelligenda eſſe de *Felice primo* ſub Aureliano martyrium paſſo, & Martyrologia, quæ ipſum *Felicem ſecundum* eſſe indicant, in hoc emendatione indigere. Nam Felix primus paulò ante perſecutionem Aurelianeam ad Deum migravit, & in Indiculo Bucheriano *Depoſitionis Epiſcoporum* memoratur, non verò in Indiculo *Depoſitionis Martyrum*, ut patet ex dictis anno CCLXXIV. Duo verò Indiculi illi ſedente Liberio ſcripti; ideoque nihil iis de Sanctis Pontificibus habemus antiquius. Quia verò quæ de Felicis martyrio tradit Anaſtaſius, & ex eo Ado aliique Martyrologi, fabuloſa videntur, & Marcellinus ac Fauſtinus loco laudato eum morte naturali defunctum tradunt, exiſtimo, *Felicem ſecundum* ideo Martyrem appellatum fuiſſe, quòd multa pro Chriſto pertulerit, non verò quòd ejus causâ occiſus fuerit, idque ex modo loquendi prioribus Eccleſiæ ſeculis uſurpari ſolito. Hinc Fronto Canonicus Regularis Ordinis S. Auguſtini ſcribit, extare *Litanias* in Codice MS. à ſeptem aut octo ſeculis exarato, in quibus *Felix II* in numerum Pontificum refertur cum *Sancti* ac *Confeſſoris* nomine, quod etiam *Julio* & *Damaſo* attribuunt.

XV. *Obeliſcus Romæ erectus.* Ad num. XXIII. Ex Obeliſco hoc anno ſeptimis Imperii Cæſarei Conſtantii Quinquennalibus addicto, hujus Imperatoris juſſu Romæ erecto, intelligimus, Imperatores annis id genus ſolenniis deſtinatis ſimilia monumenta de more poſuiſſe: quod non ſemel infrà obſervabimus.

XVI. *Gladiatores paulatim abolentur.* Data hoc anno à Conſtantio Imperatore Lex 2. Codicis Theod. *De Gladiatoribus*. quâ Palatinis & militibus nominatim Gladiatorius ludus interdictus. Nempe cùm Gladiatorum *deteſtandum nomen*, ut illud Conſtantius vocat, Romæ adhuc duraret, quicquid in Oriente Conſtantinus M. Lege primâ ejuſdem Codicis *De Gladiatoribus* anno CCCXXV data conſtituiſſet, & ſic Roma hac parte veterem morem retineret, atque adeo Principes Gladiatoria ſpectacula, quamlibet *deteſtanda* ibi ferre cogerentur (quod hæc Lex apertiſſimè oſtendit, itemque Lex 3. *De Gladiatoribus*. & Symmachus lib. 10. epiſtol. 61.) ſatis viſum initio, ſi nonnullis ſaltem & honeſtis vitæ generibus ludo Gladiatorio ibi interdiceretur: quod utique factum hac Conſtantii Conſtitutione. Sic paulatim *Gladiatores* Romæ aboliti, donec tandem Honorius eos penitus antiquavit. Toto cælo porro errant, qui *Gladiatores* hac Lege à Conſtantio penitus ſublatos ſcribunt. Nam Gladiatores hac Lege, etſi *deteſtandos* eos vocat, in commune Romæ tolerantur, Palatini tantùm & milites in ludum deſcendere, ſeque auctorare vetantur: quod alioquin utrique facere ſoliti: quia & utrique proceſſoſi, ut Caſſiodorus eos vocat, & armaturæ periti erant; ac proinde prono facilique exinde ad ludum tranſitu. Plura Gothofredus in illius Legis Commentario.

XVII. *Magicæ artes prohibitæ.* Data & hoc anno Lex 5. ejuſdem Codicis *De Maleficis*. quâ Conſtantius damnat magicarum artium uſum, quem aliqui uſurpabant ad labem conciliandam, id eſt, ad inſontes & inimicos ſuos labefactandos vel conficiendos. Ait Lex: *Multi magicis artibus auſi elementa turbare, vitas inſontium labefactare non dubitant*. Scilicet elementa turbari magicis artibus Antiquitas quoque credidit. In Viſigothicis lib. 6. t. 2. l. 3. *Malefici & immiſſores tempeſtatum, qui quibuſdam incantationibus grandinem in vineas meſſeſque mittere perhibentur*, &c. Hi *tempeſtarii* propriè dicti. Elegans eſt locus apud Agobardum Epiſcopum pag. 158. *In his regionibus penè omnes homines nobiles & ignobiles, urbani & ruſtici, ſenes & juvenes putant, grandines & tonitrua hominum libitu poſſe fieri: dicunt enim mox, ut audierint tonitrua, & viderint fulgura,* AURA LEVATITIA *eſt. Interrogati autem quid ſit aura levatitia, confirmant incantationibus hominum, qui dicuntur tempeſtarii, eſſe levatam.* Addit Lex: *Et Manibus accitis audent ventilare, ut quiſque ſuos conficiat malis artibus inimicos.* Præcipuè enim hæ Magorum præſtigiæ fuerunt animarum & ſpirituum evocationes, quarum meminit Juſtinus Apologiâ 2. Defunctorum animas *inclamare* dicit Tertullianus in Apologetico cap. 23. *Porro ſi & Magi phantaſmata edunt, & jam defunctorum inclamant animas, ſi pueros in eloquium oraculi eliciunt, ſi multa miracula circulatoriis præſtigiis ludunt*, &c. Phantaſmata dixit Tertullianus, quia Magi ſenſibus illudunt, ac viſus præſtigiis obcæcantibus fallunt, dum videre nos putamus quæ non ſunt, niſi per phantaſiam. Hæc & plura alia Gothofredus in illius Legis Commentario.

Huc etiam referenda Lex 1. Codicis Theod. *De Luſtrali conlatione*. quæ dicitur dat. *IV Non. Decemb. acc. Rom. VIII Id. Feb. Conſtantio A. IX & Juliano Cæſ. II Coſſ.* Eâ declarat Conſtantius à Luſtrali collatione præſtanda Clericos excipi tantùm, qui *Copiatæ* appellantur. Horum *Copiatarum* officium erat circa defunctorum obſequia, ut docet Epiphanius in fine libri 3. contra Hæreticos. Iidem & *Foſſarii* dicti, de quibus Auctor *tractatûs de ſeptem gradibus Eccleſiæ ad Ruſticum Narbonenſem*, inter Opera D. Hieronymi cap. 2. tomo ultimo. Porro dicti *Copiatæ* videntur, tanquam ſi diceres *Operarios*, vel *Laboratores*, ἀπὸ τοῦ κόπου τοῦ κοπιᾶσθαι. Quæ Lex à Baronio omiſſa, hic delibanda fuit. De ea plura Gothofredus in Commentario. XIII. *Copiatæ immunes à Luſtrali collatione.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5851. ☉ 3 D. ☽ 17. P. 12. APRIL.
INDICT. 1.
JESU CHRISTI 358.
LIBERII PAPÆ 7.
CONSTANTII IMP. 22.

COSS. *Neratius Cerealis*, & *Datianus*. De Datiano legendus Valeſius in Notis ad lib. 2. Socratis cap. 39. qui plura de eo ex Libanio habet. I. *Conſules.*

Ad num. V. Obitus D. *Antonii Magni* anno trecenteſimo quinquageſimo ſexto con- II. *Obitus D.*

Antonii Abbatis. tigit, & quidem die decima ſeptima Januarii, quo à duodecim circiter ſeculis in Eccleſia colitur. Annum nos docet Hieronymus
Baron. num. XXI. in Chronico tam juxta editionem Pontaci, quàm juxta editionem Scaligeri. In eo tranſitus ille conſignatur anno Abrahami 2371. qui Kalendis Septembribus anni Chriſti 355. inchoatur. Quare cùm die XVII Januarii ad Deum migrarit, ea mors ad annum CCCLVI retrahenda. Quod ex eo confirmatur, quòd Hieronymus & Athanaſius teſtentur, eum annos quinque ſupra centum vixiſſe, ejuſque nativitas anno Chriſti CCLI, Decio imperante, acciderit, ut ſuo loco oſtendi. Ejus Vita à Bollando in Actis Sanctorum menſis Januarii die præfata illuſtrata: aliquot verò ejus Epiſtolæ ab Abrahamo Ecchellenſi poſt Baronii mortem publicatæ.
Baron. anno 240. num. VII. Porro deceptus eſt Baronius, quando exiſtimavit, Divum Athanaſium Vitam Antonii Magni, eo adhuc vivente, ſcripſiſſe, Romamque, cùm illuc, Julio PP. ſedente, venit, ſecum detuliſſe. Nam cùm in ea Divi Antonii obitus disertè memoretur, poſt illum etiam ea Vita elucubrata. Nec urget Baronii fundamentum, qui ait, Hieronymum epiſt. 16. teſtari, Sanctam Marcellam ab Alexandrinis Sacerdotibus & S. Athanaſio, qui Romam confugerant, *Vitam B. Antonii adhuc tunc viventis, Monaſteriorumque in Thebaide Pachomii & virginum & viduarum diſciplinam* didiciſſe. Verùm inde minimè ſequitur, Athanaſium jam tum eam Vitam in literas miſiſſe: quemadmodum enim diſciplinam viduarum, virginum ac Monaſteriorum Thebaïdis vivâ voce ab eo edocta eſt, ſicuti & ab Alexandrinis Sacerdotibus; ita & Vitam S. Antonii, quam diu poſtea in literas miſit. Quæ verò à Riveto aliiſque Heterodoxis afferuntur ad Opus illud Athanaſio adjudicandum, doctè confutat Hermantius in Vita S. Athanaſii lib. 11. cap. 9.

II. *Initium belli Perſici.*

Ad num. VI. Conſtantius Sirmii hoc anno bello adverſus *Quados & Sarmatas* illigatus conſtitit; de quo bello legendus Ammianus lib. 16. & lib. 17. Ibi hoc ipſo anno Perſarum Legati eum convenere, teſtibus Ammiano lib. 17. & Zonara. Idacius autem diem, quo Cpolim ingreſſi ſunt, ſub hujus anni Conſulibus notavit: *His Conſſ. introierunt Cpolim Legati Perſarum die VII Kal. Mart.* Ab hoc anno Perſici motus initium repetendum, dicit Gothofredus in Chronologia Codicis Theod.

III. *Geſta hoc anno.*

Ad hunc annum pertinent Synodus Ancyrana, tertia Synodus Sirmienſis, reſtitutio Liberii Papæ, & mors Leontii Epiſcopi Antiocheni, de quibus anno præcedenti egimus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5852. ☉ 4 C. ☽ 18. P. 4. APRIL. Olymp. 284. *ſecundum Baronium.*
INDICT. 2. Ann. Urbis 1110. *ſecundùm Baronium.*
JESU CHRISTI 359.
LIBERII PAPÆ 8.
CONSTANTII 23.

I. *Conſules.*

COSS, *Flavius Euſebius, & Hypatius*, ut liquet ex Formula Fidei Concilii Ariminenſis ab Athanaſio recitata lib. de Synodis pag. 875. Fratres erant germani & Conſtantii affines, ut docet Ammianus lib. 29. cap. 2. fratres nempe Euſebiæ Auguſtæ, ut teſtatur Ammianus lib. 21. cap. 6. Hinc diſcimus, Conſtantium Auguſtei Imperii quinta Quinquennalia exhibuiſſe. Si enim annis, quibus hujuſmodi pompæ repræſentandæ erant, Imperatores Conſulatum non ſumerent, eum in propinquiores aut perſonas illuſtriores de more transferebant. Horum ſolennium manifeſta ſuperſunt alia veſtigia, de quibus mox.

Quinta Quinquennalia Conſtantii Aug.

II. *Synodus Ariminenſis.*

Ad num. I & ſeqq. Quia annis, quibus Imperatores Vicennalia & id genus feſta exhibebant, rebus Eccleſiaſticis de more providebant, Conſtantius ad controverſias de Fide componendas OECUMENICAM SYNODUM indixit, quæ ab Orientalibus Seleuciæ, ab Occidentalibus verò Arimini congregata eſt. Sic anno CCCXLI Concilium Antiochiæ, anno CCCXLVII aliud Concilium Sardicæ; annoque CCCLV Concilium Mediolanenſe celebratum: imò & anno CCCLIII Concilium Arelatenſe habitum; quibus annis alias hujuſmodi feſtivitates editas eſſe in dubium revocari non poſſe videtur.

III. *Synodus Cpolitana.*

Ad num. XX. Propter eandem rationem celebrata hoc anno Synodus Cpolitana, quæ menſe Decembri cœpit, & in annum ſequentem continuata eſt. Sozomenus enim lib. 4. cap. 23. ait, primùm de quæſtione Aëtii judicium ferre juſſum eſſe Honoratum, *quem paulò antea Conſtantius primum omnium Præfectum urbis Cpolitanæ creaverat.* Et paulò pòſt ſubjungit: *Cúmque poſtridie ad ſolennem Conſulatûs pompam ſe pararet, ſicuti moris eſt apud Romanos Kalendis Januariis.* Honoratus hoc anno creatus eſt Præfectus urbis Cpolitanæ, ut docet Idacius in Faſtis, Euſebio & Hypatio Coſſ. *Ipſo anno primùm proceſſit Cpoli Præfectus Urbi nomine Honoratus die III Idus Decembris.* Idem habet Chronicon Alex. niſi quòd pro Decembri menſe, September in eo per errorem, ut videtur, ponitur. Quare cùm Honoratus Præfectus Urbis Cpolitanæ, juſſu Imperatoris huic Synodo præfuerit, ut teſtatur Sozomenus citatus, ſub hujus anni finem ea Synodus inchoata. Interim notandus character quintorum Quinquennalium Conſtantii in Præfectura Honorati. Annis enim quibus hujuſmodi ſolennia edita, novitates de more inductæ.

IV. *Eudoxius ad Epiſcopatum Cpoleos tranſlatus.*

Ad num. XXI. Auctor Chronici Alex. ſub anni ſequentis Conſulibus ſcribit: *Hoc anno menſe Peritio (ſeu XV Februarii) magna Eccleſia Cpoli dedicata eſt. Macedonius Epiſcopus Cpolitanus propter multa ipſius propria crimina exauctoratus eſt, & in locum ejus ſubrogatus Eudoxius menſe Audynæo,*

(*ſeu Januario XXVII*) *præſentibus Epiſcopis LXXII.* Sed de ea dedicatione anno ſequenti, quo peracta eſt, agetur. Interim ex his verbis habemus, Macedonium ante ſequentem annum ad Epiſcopatum Cpolitanum tranſlatum non eſſe.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5853. ☉ 5 B A. ☽ 19. P. 23. April. *ſecundùm Alexandrinos*; 26. Mart. *ſecundùm Latinos.* Indict. 3.
Jesu Christi 360.
Liberii Papæ 9.
Constantii Imp. 24.

I. *Conſules.* COss. *Conſtantius Aug. X*, & *Julianus Cæſar III*: prior juxta tertiam regulam, poſterior juxta ſecundam, propter nempe Cæſarei ejus Imperii Quinquennalia, *Quinquennalia Juliani Cæſaris.* quæ *agens apud Viennam Auguſtus jam edidit*, ut affirmat Ammianus initio libri 21.

II. Ad num. I & II. D. Hieronymus in Chronico ſecundùm editionem Pontaci eodem anno Hilarii in Galliam reditum & Conſtantii Imperatoris obitum conſignat. In Opere verò contra Luciferianos tradit, poſt ejuſdem Imperatoris mortem Hilarium reverſum eſſe in Gallias. Quod ita intelligendum videtur, ut Conſtantio vivente, exilio ſolutus fuerit, eo verò mortuo Pictavos pervenerit. Ex quo annus Hilarii emortualis, de quo inter Eruditos controverſia eſt, innoteſcit. Nam cùm Sulpicius Severus lib. 2. Hiſt. ſcribat: *Hilarius ſexto anno poſtquam redierat, in patria obiit*; & Beda dicat: *Pictavis Idibus Januarii Natalis colitur S. Hilarii Epiſcopi & Confeſſoris*; liquet Hilarium ineunte anno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo ad cæleſtem patriam migraſſe: quod magis ſuo loco confirmabitur.

III. *Liber Hilarii adverſus Conſtantiū.* Liber Hilarii adverſus Conſtantium Imp. hoc anno exaratus, ipſo Hilario teſte, qui initio refert, quæ ante quinquennium ipſemet præſtiterat, cùm Paulinus, Euſebius, Lucifer & Dionyſius Urſacii & Valentis factione in exilium miſſi ſunt, quod anno trecenteſimo quinquageſimo quinto contigit. Verum quidem eſt, Hieronymum lib. de Script. Eccleſiaſt. teſtari, Hilarium contra Conſtantium jam demortuum librum ſcripſiſſe. At major Hilario de ſe ipſo loquenti fides, quàm Hieronymo habenda; vel forſan Hieronymus deceptus, quia nonniſi poſt Conſtantii mortem Opus illud publicatum, niſi Hieronymus de alio libro, qui perierit, loquatur, ut inquit Hermantius in Vita S. Athanaſii lib. 9. cap. 10.

IV. *Alii Hilarii libri.* Eodem etiam circiter tempore, teſte Hermantio citato, Hilarius librum adverſus Urſacium & Valentem ſcripſit, in quo Hiſtoriam Conciliorum Ariminenſis & Seleuciæ confecit. Hujus Hiſtoriæ fragmenta ſuperſunt, ex quorum præfatione liquet, eam durante adhuc perſecutione ſcriptam. Blondellus lib. de Primatu pag. 479. arbitratur, quæ à 37. pagina prioris editionis leguntur, extracta fuiſſe ex aliquo alio Opere à S. Hilario poſt aliquot annos elucubrato, quod continebat, ut ex fine colligitur, ſeriem Conciliorum Ariminenſis & Seleucienſis; quod conjicit Blondellus ex quibuſdam literis ibidem recitatis, anniſque CCCLXV, & etiam CCCLXVI ſcriptis. Poſt hæc fragmenta novus quaſi liber ſubjungitur, in quo varia Acta ad idem tempus pertinentia, quæque etiam Hilario attribuuntur, legere eſt. Sed non deſunt, qui illud Opus ab eo abjudicent, quòd verba, quibus Acta inter ſe aliquando connectuntur, tanto Doctore indigna videantur; ob id tamen ea non minùs facienda, ut inter Eruditos convenit.

V. *Duæ Synodi Antiochenæ in cauſa Meletii.* Ad num. IX & ſeqq. Valeſius in Notis ad Theodoretum lib. 2. cap. 31. arbitratur, Synodum Antiochenam in cauſa *Meletii* habitam, de qua Theodoretus agit, eandem eſſe cum illa, de qua Socrates lib. 2. cap. 45. quam ait anno ſequenti Antiochiæ celebratam. Sed tam Valeſius, quàm Baronius aliique duas Synodos Antiochenas diverſis annis congregatas perperam confundunt. Prior Synodus hoc anno coacta, in eaque *Meletius* è Sede Sebaſtena ad Antiochenſem tranſlatus. Hanc Theodoretus laudatus, & Libellus Synodicus diſertè memorant: de tranſlatione verò *Meletii* in ea facta agunt Socrates lib. 2. cap. 44. Sozomenus lib. 4. cap. 28. Philoſtorgius lib. 5. cap. 1. & Hieronymus in Chronico juxta editionem Scaligeri ad annum Abrahami 2376. qui cum menſe Auguſto currentis Chriſti anni deſinit. Ex quo & conſtat, *Meletium* præſenti anno, non verò ſequenti, ut malè Valeſius autumat, ad Antiochenam Sedem tranſlatum. Præterea Socrates citatus dicit, id factum, *Concilio apud Cpolim congregato*, id eſt, dum Concilium Cpolitanum anno præcedenti inceptum nondum abſolutum eſſet. Quare uno eodemque anno duæ magnæ Synodi coactæ. Poſterior *Antiochena* Synodus habita Tauro & Florentio Coſſ. ut teſtatur Socrates cap. 45. anno ſc. ſequenti, *cùm Euzoïus ei præeſſet Eccleſiæ*: Meletius enim in exilium actus eſt *à Conſtantio, & ipſo Antiochiæ agente, in patriam ipſius Melitenem*, inquit Philoſtorgius lib. 5. cap. 5. ideoque hoc anno exeunte, vel initio ſequentis. Etenim Conſtantius nonniſi hieme ſub finem præſentis anni è procinctu Perſico Antiochiam venit, teſte Ammiano lib. 20. cap. 11. In hac ſecunda Synodo Antiochena Ariani *eandem Fidei Formulam recitarunt, quam priùs Cpoli ediderant*, ut aſſerit Socrates citatus. Sozomenus lib. 4. cap. 29. de ſecunda iſta Antiochena Synodo loquitur, indicatque, ſecundam fuiſſe Antiochenam; ait enim: *Acaciani Antiochiæ unà cum paucis iterum congregati, ea quæ priùs ipſi decreverunt, reprehenderunt, nomenque illud ſimile ex Formula Fidei, Arimini & Cpoli recitata, expungere ſtatuerunt.* Jam itaque in electione Meletii, de qua proximè Sozomenus locutus erat, prima Synodus Antiochena celebrata fuerat.

VI. *An Conſtantius Synodo Antiochenæ interfuerit.* Conſtantius Imp. priori Concilio Antiocheno, in quo Meletius electus, non interfuit; hujus enim electione, ſeu potiùs è Sebaſtena Eccleſia ad Antiochenam tranſlatione narratâ, Sozomenus cap. 28. ait: *Imperator verò, cùm Perſas res novas moliri accepiſſet, Antiochiam perrexit*, ſub finem nempe cur-

ſentis Chriſti anni, ut ex Ammiano lib. 20. cap. 11. liquet. Neque Theodoretus lib. 2. cap. 27. ubi de utraque Synodo Antiochena in unum perperam confuſa id dicit; imò contrarium inſinuat, cùm ait, *Meletium* ad Eccleſiam Antiochenam tranſlatum Antiochiam veniſſe *acceptis Imperialibus literis.* Prior itaque Synodus Antiochena habita, dum adhuc Cpoli Conſtantius moraretur: ſecunda verò anno ſequenti. Sed incertum, an eidem Conſtantius adfuerit. Cùm tamen ex Chronologia Codicis Theod. à Gothofredo condita conſtet, Conſtantium anno ſequenti Antiochiæ fuiſſe, veroſimilius eſt, eum Synodo interfuiſſe; & id Theodoretus inſinuat, cùm ait, in ea Synodo *Meletium* in exilium miſſum eſſe. Meletius nonniſi anno Chriſti CCCLXII Antiochiam rediit. Auctor enim Chronici Alex. ſub illius anni Conſulibus ſcribit: *Meletius, qui ob impietatem & alia crimina depoſitus fuerat, Antiochiam reverſus, veterem Eccleſiam per vim occupavit, adjunctis illi Clericis, qui jam antea depoſiti fuerant à S. Synodo. Inter quos præcipuus erat Diogenes ex Preſbyteris, præ reliquis omnibus concurſans & partes adjuvans: & Vitalis Laicus, qui ſemper fraudes atque impoſturas exercuerat. Hic ulteriùs progreſſus ad extremum offenſus Meletio, ab illo ſeſe abrupit, & hæreſim ipſe quoque ridendam condidit, à qua etiam hodie Vitaliani nuncupantur.* Sunt hæc, inquit Valeſius in Notis ad Theodoretum lib. 3. cap. 1. ex veteri quodam Auctore deſcripta, &, ut videtur, Ariano. Nam idem Auctor Chronici Alexandrini ſub Coſſ. anni Chriſti CCCLI Leontium Epiſcopum Arianum Antiochiæ multipliciter prædicat.

VII. *Julianus dicitur Auguſtus.* Ad num. XII. Menſem, quo *Julianus* acclamatus eſt Imperator, unus nos docuit *Ammo* Epiſcopus in epiſtola ad Theophilum Patriarcham Alex. *de Converſatione & particulari vita SS. Pachomii & Theodori*, ubi cap. 4. ait: *Perſecutionis porro ejus, quæ anno ſexto, menſe nono Athanaſium Papam expulit, Julianus imperavit homo idololatra.* Pachon menſis nonus Ægyptiorum cum die viceſima quinta Maii terminatur. Quare hoc anno inter illud intervallum Julianus Auguſtus nuncupatus, anno ſc. ſexto jam inchoato perſecutionis Athanaſii, quæ anno CCCLV in Concilio Mediolanenſi cœpta eſt. Ammonem verò menſes Ægyptiacos uſurpare, oſtendunt duo ejuſdem epiſtolæ loca. Hujus auctoritatis ope declarandus Ammiani locus, qui lib. 20. cap. 3. antequam capite ſequenti dicat, Julianum à militibus acclamatum eſſe Auguſtum, ait, *cælum ſubtextum caligine obſcura viſum eſſe, & à primo auroræ exortu uſque ad meridiem intermicaſſe jugiter ſtellas.* Quibus verbis, ut advertit Calviſius in Opere Chronologico, ſignificatur Eclipſis Solis, quæ præſenti anno accidit die viceſima octava Auguſti, feriâ ſecundâ, paulò poſt exortum Solis, in Meſopotamia, ubi Sol totus obſcuratus obſervatus eſt. Nam Ammianus eo libro partim de Juliano, partimque de Conſtantio agit; eclipſim autem illam narrat in ordine ad illa, quæ in Oriente, non verò quæ in Occidente gererentur. Porro ipſemet Julianus in epiſtola ad Senatum Populumque Athenienſem refert, qua occaſione ipſe Auguſtus renuntiatus fuerit, libellum ſcilicet ſine nomine ſparſum fuiſſe, in quo multa adverſus Conſtantium jactabantur: *Quo allato*, inquit Julianus, *qui Conſtantio erant addictiſſimi, valde commoti ſunt, mihi ut quantùm poſſent conatibus inſtarent, uti citiùs milites emitterem* (in Orientem nempe, uti juſſerat Conſtantius) *priuſquam in alios ordines ſimiles libelli ſpargerentur.* (*Neque enim alius quiſpiam aderat eorum, qui benevolo in me animo eſſe viderentur.*) *Erant ii Nebridius, Pentadius, ac Decentius, quem ad id negotii Conſtantius ipſe miſerat.* Ad quæ verba Petavius in Notis ait: *Mendum ſubeſt huic loco. Neque enim iſti* (Nebridius, Pentadius, ac Decentius) *vel tunc aberant; vel Juliano favebant. Imò verò à Conſtantio ſtabant. Nebridius ex Quæſtore Juliani Præfectus Prætorio Galliarum factus fuerat à Conſtantio in Florentii locum. Decentius verò Tribunus & Notarius ab eodem miſſus ad milites abſtrahendos.* Verùm locus minimè corruptus, ſed ipſemet Petavius hallucinatur, qui non advertit, Julianum aliud non ſignificare, quàm Nebridium, Pentadium, ac Decentium, qui Conſtantio erant addictiſſimi, valde commotos fuiſſe, non verò Julianum referre hæc verba: *Erant ii Nebridius*, &c. ad immediatè præcedentia parentheſi incluſa, ſcilicet: *Neque enim alius quiſpiam aderat eorum*, &c. Nam tres illos viros à Conſtantio, non verò à Juliano ſteriſſe, & tunc ibidem præſentes fuiſſe, ex Ammiano certò liquet. Quæ obiter dicta ſunto ad loci illius elucidationem.

VIII. *Synodi Gãgrenſis & Cæſarienſis.* Synodus *Gangrenſis* ante Concilium Cpolitanum hoc anno abſolutum, celebrata. Id Sozomenum inſinuare diximus anno CCCLVII, cùm de Synodo Melitinenſi ageremus. A Sozomeno non diſſentit Socrates: hic enim poſtquam ſcripſit, Euſtathium è Sede Sebaſtenæ Eccleſiæ depoſitum fuiſſe, & in ejus locum Meletium ſubrogatum, ait: *Ceterùm Euſtathius poſt hæc etiam in Synodo Gangrenſi, quæ ipſius cauſâ in Paphlagonia collecta fuerat, condemnatus eſt, eò quòd poſt condemnationem ſententiam adverſus ipſum prolatam in Synodo Cæſarienſi, multa contra leges Eccleſiaſticas ageret.* Tum narratis falſis dogmatis ab Euſtathio diſſeminatis, ſubdit: *Hæc & hujuſmodi alia plurima, cùm ille & faceret & doceret, Synodus Gangris in Paphlagonia congregata eum depoſuit, ejuſque dogmata anathemate damnavit. Verùm hæc poſtea geſta ſunt. Tunc verò expulſo Macedonio, Eudoxius Cpoleos Epiſcopus conſtituitur*, præſenti nempe anno, die viceſima ſeptima menſis Januarii, ut anno ſuperiori ex Chronico Alex. oſtendimus. Quare inter Socratem & Sozomenum convenit, Gangrenſem Synodum paulò ante Cpolitanam habitam eſſe, licèt in variis circumſtantiis inter ſe diſſentiant. Synodus *Cæſarienſis* ante Gangrenſem anno incerto habita, poſtquam Euſtathius, qui in ea depoſitus fuerat, errores ſuos ſparſit; quod Socrates citatus his verbis inſinuat: *Verùm hæc poſtea geſta ſunt.* Quibus ex verbis Valeſius in Notis ad Socratem malè infert, Synodum Gangrenſem juxta Socratis ſententiam poſt Cpolitanam coactam eſſe. Nam Socrates eo in loco non reſpicit ad Synodum Cpolita-

nam, ſed ad *Cæſarienſem*, poſt cujus celebrationem ait, Gangrenſem Euſtathii dogmata anathemate damnaſſe. In *Cæſarienſi* Synodo Meletius Sebaſtenæ urbis Epiſcopus renuntiatus videtur, eaque Synodus anno treceenteſimo quinquageſimo octavo, aut circiter celebrata. Nam Theodoretus lib. 2. cap. 25. poſtquam retulit Leontii Epiſcopi Antiocheniis mortem, & Eudoxii in ejus locum ſubrogationem, quæ præfato anno contigere, ait: *Per idem tempus Euſtathius Epiſcopatum gerebat Sebaſtiæ.* Quare nonniſi poſt Eudoxii ad Sedem Antiochenam tranſlationem Euſtathius dignitate abdicatus eſt, cùm Meletius jam Sebaſtenus Epiſcopus Concilio Seleucenſi anno præcedenti celebrato interfuerit.

IX.
Dedicatio Eccleſiæ S. Sophiæ.

In Chronico Alex. ſub hujus anni Conſulibus legitur: *Hoc anno menſe Peritio (ſeu XV Februarii) magna Eccleſia Cpolitana dedicata eſt. Macedonius Epiſcopus Cpolitanus propter multa ipſius propria crimina exauctoratus eſt, & in locum ejus ſubrogatus Eudoxius menſe Audynæo (ſeu Jan. XXVII) præſentibus Epiſcopis LXXII.* Paulò pòſt: *In ea Synodo Epiſcoporum non poſt multos dies ab inauguratione Eudoxii Epiſcopi Cpoleos. Encænia magnæ Eccleſiæ ejuſdem urbis celebrata ſunt anno trigeſimo quarto plùs minùs, quàm fundamenta Conſtantinus victor Auguſtus geſſerat. Acta ſunt Encænia etiam bis Coſſ. XVI Kal. Martias, qui dies menſis Peritii (ſeu Februarii) XIV. Ad ea Encænia Imperator Conſtantius Auguſtus vota, ſeu munera, multa cimelia aurea & argentea ingentia, gemmeaſque & auro intertextas telas pro altari multas contulit. Quin & in januis geminas utrinque fores aureas vario opere fecit, ipſaſque exteriores portas auro mirè variavit. Multa beneficia magnificè contulit, cùm in univerſum Clerum, tum in religioſas virgines & viduas. In Xenodochia item & eorum alimenta, pauperum quoque & pupillorum domiciliis frumentum auxit majori numero, quàm pater ejus Conſtantinus erat elargitus.* Loquitur Auctor Chronici Alex. de Concilio Cpolitano, in quo Eudoxius ad Sedem Cpolitanam tranſlatus, quam hoc anno adhuc continuatam eſſe ſuprà diximus. Sed loco *XVI Kal. Martias*, legendum, *XV Kal. Martias*; & loco *Februarii XIV*, legendum, *Februarii XV*; eo enim die Eccleſiam Sanctæ Sophiæ dedicatam jam dixerat: quo etiam ea Encænia peracta diſertè teſtantur Idacius in Faſtis, & Socrates lib. 2. cap. 43. Porro hæc dedicatio ingenteſque largitiones, de quibus Auctor Chronici Alex. loquitur, factæ occaſione Quinquennalium Juliani adhuc tunc Cæſaris, quæ hoc anno exhibuit, poſtquam jam Auguſtus ab exercitu dictus eſſet. Porro dies XXVII Januarii cum feria quinta, dies XV Februarii cum feria VII concurrit; ideoque nondum ſimilia ſolennia diebus Dominicis fieri ſolita.

X.
Synodi Ariminenſis hiſtoria ex Lege hoc anno data lucem accipit.

Data hoc anno à Conſtantio Lex 15. Codicis Theod. *De Epiſcopis.* adverſus immunitatem Eccleſiarum & Clericorum, quam omiſit Baronius in geſtis hujus anni, quanquam illam referat anno præcedenti num. LIII. Eam egregiè explicat Gothofredus in Commentario, quòd ad ea, quæ Synodum Ariminenſem proximè ſecuta ſunt, pertineat, quæ alioquin vix alibi occurrunt. Primùm ex ea Lege liquet, in Ariminenſi Synodo non tantùm tractatum habitum de Fide, vel etiam de cauſis Epiſcoporum (quod in ea tractari voluit Conſtantius, teſte Sozomeno lib. 14. cap. 16.) verùm etiam tractatum habitum in ea de privilegiis Eccleſiarum & Clericorum, ac nonnulla ſuper his diſpoſita ad Principem Conſtantium perlata, nempe de Eccleſiis & Clericis in univerſum pleniſſima immunitate, etiam à ſolitis & ordinariis functionibus & tributis, donandis. Secundò, ex hac Lege diſcimus, Conſtantium hanc Ariminenſis Synodi diſpoſitionem ſanctione ſua ſtatim repuliſſe. Voluit itaque Conſtantius, Eccleſias, etſi ab extraordinariis muneribus & tranſlationibus immunes eſſent, (ut ex fine Legis etiam liquet) attamen à canonicis & ordinariis immunes non eſſe; quod idem Honorio placuit, ut ſuo loco dicetur: adeo ut id etiam in Metropolitanis Eccleſiis obtinuerit, veluti Theſſalonicenſi; ut oſtendit L. 33. Codicis Theod. *De annona & tributis.* De Clericis verò hæc Conſtantii mens eſt, ut non tantùm canonica, verùm etiam extraordinaria agnoſcant; veluti tranſlationem, itemque luſtralem collationem, aliaque negotiorum munera & penſitationes: quorum eo fine certa quædam matricula confecta fuit, quique poſtmodum Clerici facti operam mercimoniis addixere. Verùm hanc Legem hac parte poſtea anno ſequenti abrogavit L. 16. *De Epiſcopis.* quam, hâc rejectâ, confirmat Valentinianus Senior Lege 18. *De Epiſcopis.*

XI.
Plures Legati ad Conſtantium miſſi.

Tertiò id obſervetur, poſt Ariminenſem Synodum certam Clericorum negotiantium matriculam factam, ut ita negotiatorum penſitationes agnoſcerent. Excepti tantùm *Clerici* & *Copiatæ* exiguis admodum mercimoniis tenuem ſibi victum veſtitumque conquirentes: quæ tertia Conſtantii poſtremaque ſententia hac parte fuit, quemadmodum & Honorii Lege 36. *De Epiſcopis.* Quartò obſervetur quod hac Lege dicitur de Epiſcopis, qui ad Comitatum Conſtantii venerunt ex partibus Italiæ, ut & de Epiſcopis, qui ex Hiſpania & Africa eòdem commearunt. Quod utique non pertinet ad Legatos, qui ex Ariminenſi Synodo ad Conſtantium miſſi ſunt; & quidem deni à Catholicis, decem ab Arianis: hi enim ſuperiori anno ad Conſtantium miſſi, & quidem à Synodo fuere: de quo videndus Severus Sulpicius lib. 2. Hiſt. Etenim hi, quorum hac Lege mentio fit, hoc anno recenter ad Comitatum Conſtantii commearunt, neque à Synodo miſſi fuere, verùm etiam ex Italiæ partibus, item ex Hiſpania & Africa commeantes. Quod perpendens Gothofredus laudatus, atque nullam Gallorum mentionem fieri videns, in eam adducitur ſententiam, cùm totus jam *Orbis ingemuiſſet*, atque *Arianum ſeſe eſſe miratus eſſet*, poſt Ariminenſis nempe Concilii exitum, (quod nominatim ſcribit Hieronymus adverſus Luciferianos) & cùm in Arianam pravitatem Italorum, Afrorum, Hiſpanorum plerique, etiam Hoſius Cordubenſis, conceſſiſſent, ac Arimini geſta confirmaſſent, eo jam nomine Epiſcoporum Legationes ex illis partibus ad Conſtantium commeaſſe, & Cpolim ad Imperatorem concurriſſe; quod etiam teſtatur Severus Sulpicius

citatus.

citatus. Solæ Galliæ, inquit Gothofredus, piaculo hæreſis liberatæ fuere, Hilarii beneficio, ubi frequentibus intra Gallias Conciliis, atque omnibus ferè Epiſcopis de errore profitentibus apud Ariminum geſta condemnata fuere, & in ſtatum priſtinum Eccleſiarum Fides reformata. Præterquam quòd idem Hilarius ante Ariminenſe Concilium, edito ad Gallos *de Synodis* Commentario, eos à dolis Hæreticorum cautos reddidit. Quin imò & iidem Galli fidem ſuam teſtatam Hilario paulò antè reddiderant, idemque de eorum conſtantia gratulatur. Hæc igitur cauſa eſt, cur nulli hîc de Gallia Epiſcopi memorentur, utpote qui in Fide ſana ſani manſere. Proculdubio enim & Epiſcopi, quorum hac lege fit mentio, Ariani fuere, atque hæc Lex in favorem Arianorum emiſſa obſiſtentium Catholicorum diſpoſitioni ſeu poſtulationi de pleniſſima immunitate concedenda Eccleſiis & Clericis. Hæc Gothofredus, cujus conjecturam firmat Concilium Pariſienſe, quod hoc anno Hilario agente celebratum fuiſſe ad Arianam impietatem damnandam, anno CCC LXII monſtrabimus. Verum eſt, pridie Kal. Julii, quo die hæc Lex Mediolani data dicitur, Julianum jam Auguſti titulum in Galliis uſurpaſſe, ſicque veroſimile non eſſe, auſos fuiſſe Arianos Galliarum Epiſcopos Cpolim ad Conſtantium proficiſci. At conjicere poſſumus ex hac Juliani nuncupatione Hilarii animum ad Concilium Pariſienſe celebrandum excitatum fuiſſe; ideoque, cùm illud hoc anno habitum fuerit, in eoque hæreſis Ariana damnata, non fuiſſe, cur Galli Legatos Cpolim mitterent. Sed de hoc Concilio legenda, quæ infrà anno CCC LXII in medium adducimus.

XII. *Perſica expeditio.* Perſica expeditio Conſtantii in hunc annum incidit, ſc. poſt adultum ver, ducto itinere per Cæſaream Cappadociæ, Melitinam, Lacotenam, Samoſatam & Edeſſam, ubi diu moratus, poſt æquinoctium tandem autumnale, in Perſas movit, teſte Ammiano lib. 20. & lib. 21. Ad hanc expeditionem referenda Lex 2. Codicis Theod. *De Luſtrali conlatione.* hoc anno data, quâ Conſtantius veteranos ſolos veroſque à Luſtrali conlatione immunes eſſe jubet. Quæ Luſtralis collatio indicta hoc tempore videtur juvandæ erogationi publicæ ſeu militari eo tempore, quo Conſtantius difficillimo bello Perſico maximè illigatus erat, atque in id magnos belli apparatus facere neceſſe erat. Quò etiam pertinet Lex 6. Codicis Theod. *De erogatione militaris annonæ.* quæ hoc anno *X V I Kal. Jun.* data eſt Hieropoli, dum ſc. Conſtantius in Perſas moveret.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5854. ☉ 6 G. ☽ 1. P. 4. APRIL. INDICT. 4. Olymp. 285.
JESU CHRISTI 361.
LIBERII PAPÆ 10.
JULIANI IMP. 1.

I. *Conſules.* COSS. *Taurus*, & *Florentius.*

II. *Epiphania & Natale idem apud Græcos.* Ad num. I. Ammianus lib. 21. cap. 5. ait, Julianum menſe Januario, die Epiphaniæ Eccleſiam Chriſtianorum ingreſſum eſſe; Zonaras verò eum Eccleſiam introiiſſe narrat *Natali Domini.* Orientales enim Epiphaniam & Natale Chriſti uno eodemque die, octavo nempe Idus Januarii celebrabant, quia eo die Chriſtum & natum & baptizatum eſſe credebant.

III. *Tertiæ Conſtantii nuptiæ.* Ad num. IV. Nuptiæ Conſtantii Aug. cum *Maxima Fauſtina*, ut in Nummis vocatur, tertiæ dicendæ, non ſecundæ. Notanda Ammiani lib. 21. cap. 6. verba, *amiſſa jam pridem Euſebia*, quam, ut docet Julianus in Orat. III ad Euſebiam, profligata Magnentii tyrannide, uxorem duxerat. Duæ hæ itaque Conſtantii uxores diverſæ ſunt à priori, quam vivente Conſtantino Magno patre ſibi copularat.

IV. *Obitus Conſtantii.* Ad num. V & ſeqq. Auctor Chronici Alex. ſub hujus anni Coſſ. ſcribit: *Conſtantius initio quartæ Indictionis* (erat quinta Indictio à Septembri cœpta) *denuntiatis ſibi Juliani Cæſaris inſidiis concitus à Tarſo Ciliciæ ad Mopſueſtiam, ſeu Mopſi fontes veniens, accepto ab Euzoïo Antiochiæ Epiſcopo ex Monaſterio per Conſtantium accerſito, baptiſmate, Conſtantius Aug. menſe Dio ſeu Novembri die tertia anno Antiocheno C D X, Indict. V, cùm Eccleſia pacem annos quinquaginta habuiſſet, dictis Conſulibus Tauro & Florentio mortem cum vita commutavit.* Die tertia Novembris mortuum eſſe, teſtantur etiam Socrates lib. 2. cap. 47. Idacius in Faſtis, Theophanes & Hieronymus in Chronico, ubi ait, Conſtantium regnaſſe annis XXIV, menſibus V, diebus XII; quod verum eſſe non poteſt, niſi Conſtantius die tertia Novembris è vivis exceſſerit. Quare Ammianus, qui lib. 21. cap. 5. ait: *Abiit è vita III Non. Octobrium, Imperii vitæque anno quadrageſimo, & menſibus paucis*; ſicut errat in imperii vitæque annis, ita & in die emortuali Conſtantii, niſi locus corruptus ſit: quod veroſimilius. Nam quoad tempus Imperii ejus, rectè illud expreſſum à Victore in Epitome, licèt Baronius locum mendoſum perperam exiſtimarit: *Interiit anno ævi quarto & quadrageſimo, Imperii nono atque triceſimo*; (quibus verbis evincitur, eum anno CCC XXIII creatum fuiſſe Cæſarem; ab eo enim anno ad currentem, extremo incompleto pro integro numerato, anni ſunt triginta novem) *verùm Auguſtus quarto viceſimoque* (hîc extremum annum incompletum Victor non numerat) *octo ſolus* (ab annò nempe CCC LIII, quo Magnentius extinctus) *cum fratribus atque Magnentio ſedecim* (ab anno ſc. CCC XXXVII, quo Conſtantinus Magnus obiit, ad annum CCC LIII, quo Magnentius pro-

ſligatus) *quindecim Cæſar.* (ab anno exeunte CCC XXIII ad initium anni CCC XXXVII ubi ultimum annum incompletum pro completo numerat) Quare locus purus eſt, ex eoque diſcimus, quando Socrates lib. 2. cap. ultimo, Sozomenus lib. 5. cap. 1. & Hieronymus in Chronico ſcribunt, eum annos quinque & quadraginta vixiſſe, annum ultimum non integrum pro integro poſuiſſe; ac Socratem & Sozomenum rectè ſcripſiſſe, Conſtantium imperaſſe *annos octo & triginta.* Tot enim ab anno CCC XXIII, quo Cæſar dictus eſt, uſque ad præſentem fluxere. Diſcimus præterea, malè hactenus Viros eruditos Cæſaream Conſtantii dignitatem ab alio anno, quàm à CCC XXIII auſpicatos eſſe; ac denique Conſtantium anno CCC XVII natum eſſe, vel *Idibus Auguſti*, ut docet Lex 10. Codicis Theod. *De Prætoribus.* vel *VII Idus Auguſti*, ut teſtatur Kalendarium Lambecianum. Natum autem Conſtantium in Illyrico, prodit Julianus Orat. 1.

V. *Exequiæ Conſtantii.*

Julianus, cùm Conſtantii Imp. mortem, dum in Dacia eſſet, ut ait Ammianus initio lib. 22. accepiſſet, Cpolim venit, teſtibus Mamertino in Panegyrico, Marcellino lib. 21. & Zoſimo pag. 712. & ſeq. In eam urbem ingreſſus eſt die undecima menſis Decembris, Auctore Chronici Alex. Idacio in Faſtis, Ammiano lib. 22. & Socrate lib. 3. cap. 1. affirmantibus. Ibi octo ferme menſibus egit, etſi Zoſimus citatus decem dicat: eum enim errare anno ſequenti videbimus. Hinc Conſtantii exequiæ, quas Julianus cohoneſtavit, ante diem XI Decembris peractæ non fuere. Philoſtorgius lib. 6. cap. 6. teſtatur, Julianum, cùm Conſtantii corpus ad ſepulturam deferretur, ante feretrum proceſſiſſe, diademate de capite ſublato. Quod ex eo exſcripſit Nicephorus lib. 10. cap. 2. & habent etiam Acta S. Artemii die XX Octobris apud Surium. Libanius in Oratione funebri pag. 289. ait, Julianum manibus contigiſſe feretrum, omnibus Regni inſignibus præter chlamydem depoſitis. Imò Gregorius Nazianzenus hunc Juliani in Conſtantii funere habitum, ſive vi, ſive ſponte adſcitum ait, additque, *demiſſo vultu Imperatori extremum officium præſtitiſſe.* Porro Julianus non annos undetriginta, ut ſcribit Baronius, ſed annos triginta natus Imperium ſuſcepit, ut ex his, quæ in morte ejus dicemus, patebit.

VI. *Julianus fit Pontifex Maximus.*

Ad num. XII. Exiſtimavit Baronius, Prudentium in *Romano* Martyre, Hymno 10. deſcribere ritus prophanos, quibus Pontifices Maximi Gentilium initiabantur, qui ritus cum impuri ac riſu digni eſſent, & longè ab Imperatoria dignitate abhorrerent, cedunt in ignominiam perfidi deſertoris, ſe tauri ſanguine ad abſtergendum Chriſti ſignum proluentis. At Prudentius loco laudato ſacra, *Tauropolia* dicta, ſeu conſecrationem & regenerationem myſticam, quam Gentiles non ſolùm pro ſe ipſis, verùm & pro aliis ſuſcipiebant, accuratè deſcribit, licèt illorum nomen non exprimat, cùm eſſent ſatis ſuperque nota, quòd ad ipſius uſque tempora perpetrarentur. Salmaſius aliquot verſus, quamvis non ſatis integros, primus è tenebris eruit, qui verſus ex Prudentio à Baronio allatos apprimè illuſtrant, pluresque, licet breviter, hujuſce fœdæ cæremoniæ circumſtantias oculis noſtris objectant:

Quis tibi Taurobolus veſtem mutare ſuaſit,
Inflatus dives ſubitò mendicus ut eſſes
Obſitus & pannis modicis tepeſactus. . . .
Sub terra miſſus, pollutus ſanguine tauri,
Sordibus infectus veſtes ſervare cruentas,
Vivere cùm ſperas viginti mundus in annos.

VII. *Sacra Tauropolia.*

Neque tantùm unus, duo, treſve viri feminæque, aut ſeorſim, aut ſimul pro ſe ipſis, vel etiam pro aliis, verùm & integri ordines ac civitates Provinciæque pro ſalute Imperatorum hoc ſacrificium celebrabant, ut liquet ex Inſcriptionibus III, X, aliiſque pag. 29. apud Gruterum. Dicebantur hæc ſacra Tauropolia *regeneratio:* quod nemini mirum videri debet, cùm ex Tertulliano aliiſque conſtet, etiam alias regenerationum ſpecies inter Ethnicos habuiſſe locum. De ſacris itaque Tauropoliis, non verò de conſecratione Pontificis Maximi loquitur Prudentius, ac de eodem ſacro, de quo Firmicus lib. de Errore prophanarum Religionum, ubi poſtquam de D. N. Jeſu Chriſto locutus eſt, ita pergit: *Pro ſalute hominum Agni iſtius venerandi ſanguis effunditur, ut Sanctos ſuos filios Dei profuſione pretioſi ſanguinis redimat: ut qui Chriſti ſanguine liberantur, majeſtate priùs immortali ſanguine* CONSECRENTUR. *Neminem apud idola profuſus ſanguis juverit. Et ne cruor pecudum miſeros homines aut decipiat aut perdat,* POLLUIT *ſanguis iſte, non* REDIMIT, *& per varios caſus premit in mortem. Miſeri ſunt, qui* PROFUSIONE SACRILEGI SANGUINIS CRUENTANTUR. TAURIBOLIUM VEL CRIOBOLIUM SCELERATA TE SANGUINIS LABE PERFUNDIT. *Lavantur itaque ſordes iſtæ, quas colligis. Quære fontes ingenuos, quære puros liquores, ut illic poſt multas maculas cum Spiritu S. Chriſti ſanguis incandidet.* Taurorum nimirum & arietum, quibus prophana illa conſecratio fiebat, ſanguini, ſanguinem Chriſti ac Baptiſmum Firmicus opponit. Decepere Baronium alioſque hi Prudentii verſus:

Summus Sacerdos nempe ſub terram ſcrobe
Acta in profundum conſecrandus mergitur,
Mirè infulatus, ſectâ vittis tempora
Nectens coronâ tunc repexus aureâ,
Cinctu Sabino ſericam fultus togam.

VIII. *Summi Sacerdotes diverſi à Pontificibus Maximis.*

Sed obſervandum, inter Græcos & Romanos plures ſummos Sacerdotes plurimis in locis fuiſſe, ut patet ex Inſcriptionibus, quæ apud Gruterum pag. 315. 10. 448. 1. & 1024. 3. recitantur. Sufficiet hîc eam referre, quæ tomo 1. pag. 394. & 395. Græcè legitur, quam Antonius Van Dalen Diſſert. 1. de Oraculis Ethnicorum pag. 173. ita vertit: *Patria [erexit hoc monumentum] honori Marci Aurelii Diadochi [ſummi Sacerdotis ſui] Pontificis Aſiæ [Minoris] templorum, quæ ſunt Pergami, & Pontificis [ſeu ſummi Sacerdotis] eodem tempore patriæ ſuæ & ad vitam primi Conſiliarii, honorati à digniſſimo Imperatore Marco Aurelio Severo Antonino Auguſto, quòd glorioſè & magnificè ſtudueris injungere Pontificatum [Archieroſynas] in ambabus civitatibus [Thyatira ſc. & Pergami] acutis [eoque munere dignis] viris [vel Sacerdotibus] viri moribus, æquitate ac bona in patriam voluntate eximiè ex-

cellentis. Vides hîc ſummum Pontificem, qui & alios ipſe Pontifices crearet civitatibus, qui tamen nullo modo erat Pontifex Maximus, quem Græci omnes ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΜΕΓΙΣΤΟΝ conſtanter appellant. Non itaque Prudentius loco laudato de Juliano Imperatore loquitur, neque hunc ritum eidem, dum ipſemet puer eſſet, adminiſtratum fuiſſe dicit; ſed de ſummo aliquo Sacerdote Gentilium, cujus nomen reticet, ſermonem habet. Porro Julianum ſummum Pontificatum accepiſſe, ipſemet indicat in epiſtolis pag. 257. ubi ait: *Ego itaque quorum patriorum ſacrorum ſum Magnus Pontifex*, &c. Sed hac de re plura Antonius Van Dalen citatus, ex quo præfata exſcripſimus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5855. ☉ 7 F. ☽ 2. P. 31. MART. INDICT. 5.

Initium IV Tomi Annalium Baron. — JESU-CHRISTI 362.
LIBERII PAPÆ II.
JULIANI IMP. 2.

I. *Conſules.* COSS. *Mamertinus, & Nevitta.*

II. *S. Cæſarius primum dignitatis locum accipit inter Medicos.* Baron. num. VIII. Ad num. II. Lambecius tomo 4. Bibliothecæ Cæſareæ codice CVIII, qui eſt de S. Cæſarii Gregorii Nazianzeni fratris Operibus, confutat quod ſcribit Baronius, Cæſarium nempe donatum fuiſſe à Juliano Præfecturâ cuſtodiæ theſauri. Nam S. Gregorius Nazianzenus in Orat. funebri diſertè aſſerit, S. Cæſarium à Juliano accepiſſe *primum dignitatis locum inter Medicos*, atque inſuper ob variam eruditionem ſuam aſſumtum fuiſſe *in numerum amicorum* ejuſdem *Imperatoris*; idcoque apud hujus aulam *in maximo honore* fuiſſe. *De Comitiva autem rerum privatarum & cuſtodia theſauri privati Imperatorii*, non priùs in eadem Oratione mentionem facit Nazianzenus, quàm poſt Valentiniani & Valentis initium.

III. *Valentinianus à Juliano relegatur.* Baron. num. XXXVII. Ad num. VII. Philoſtorgius lib. 7. cap. 7. de Valentiniani conſtantia fruſtra à Juliano tentata, ait: *Julianus Apoſtata Valentinianum numeri cujuſdam militaris rectorem: erat enim Comes eorum qui Cornuti dicuntur, cum, omnibus fruſtra tentatis, à pietate nunquam dimovere potuiſſet, dignitate privatum Thebas Ægyptias relegavit.* Sozomenus tamen lib. 6. cap. 6. dicit Valentinianum in perpetuum exilium miſſum Melitenem Armeniæ. Præterea Socrates lib. 4. cap. 1. inquit, etſi Valentinianus cum fratre Valente cingulum militare deponere maluiſſet, quàm Fidem Chriſtianam ejurare, attamen Julianum neutrum dignitate privaſſe, eo quod utrumque utilem Reipublicæ intelligeret. Qua in re Socrates diſſentit à Philoſtorgio, Theodoreto & Sozomeno.

IV. *Julianus Antiochiam venit.* Baron. num. XLIV. Ad num. XI & XII. *Julianus*, cùm octo ferme menſibus Cpoli egiſſet, eamque maximis incrementis fulſiſſet, quòd Ammianus lib. 22. & Zoſimus pag. 713. ſcribunt, Antiochiam tendens per Chalcedonem, Libyſſam & Nicomediam tranſiit, teſte Ammiano ibidem. Et ſic in Bithynia egit, de qua Juliani in Bithynia mora, & Libanius epiſtola ad Sopatrum 22. libri primi, & Julianus ipſe epiſt. 40. & Lex 8. Codicis Theod. *De Erogatione militaris annonæ.* Kal. Aug. data, fidem faciunt. Julianus Nicomediâ digreſſus, per Nicæam, Ancyram, Peſſinunta Phrygiæ, Pylas, Tarſum Ciliciæ, Antiochiam tandem venit, ut docet Marcellinus lib. 22. his Coſſ. & Libanius in Orat. funebri in Juliani obitum pag. 254. & 255. Ingreſſus autem Julianus Antiochiam menſe Julio extremo, ut indicant variæ Leges ab eo datæ; quòd & ex Ammiano colligere eſt, qui ait, Julianum Antiochiam ingreſſum per Adonia & Adonicos luctus, ut Macrobius docet lib. 1. Saturnalium cap. 21. Quòd ſanè in extremum Julium menſem incidit: quo dies jam imminuti rectè apparent, poſt diem VI Kal. Auguſtarum, quo breviſſima nox, ut eſt in veteri Kalendario Aſtronomico, ſeu Solſtitium vulgare, quod incidit in XV Kal. Aug. Quare Hieronymi, vel Librarii ejus error eſt in cap. 8. Ezechielis, qui menſi Junio id adſcribit. Hæc Gothofredus in Chronologia Codicis Theod. qui Leges à Juliano Antiochiæ conſtituto datas poſtea explicat. Per Nicæam in Galatiam venit Julianus, & Cæſaream Cappadociæ divertit. Fallitur autem Sozomenus lib. 5. cap. 4. quando ait, eam urbem, Mazacam antea dictam, Cæſaris nomine à Claudio Imp. donatam eſſe, eoque à Juliano privatam. Nam Mazaca Cæſarea à Tiberio Aug. appellata, ut docet Euſebius in Chronico.

V. *S. Baſilius Eccleſiam Cæſarienſem regit.* Baron. num. XLV & ſeqq. Ad num. XIV & XV. S. *Amphilochius* in Vita Baſilii M. ait, hunc Sanctum cum ſociis Juliano Imperatori obviàm proceſſiſſe, cùm Cæſaream venit, ut videre eſt cap. 8. & 9. ejuſdem Vitæ, quæ ſpuria ſuppoſititiaque creditur Baronio, Bellarmino, aliiſque Viris eruditis, quòd plura continere videatur, quæ veritati Hiſtoricæ repugnant. Et quidem in locis citatis agitur de Baſilio, quaſi tunc fuiſſet Eccleſiæ Cæſarienſis Epiſcopus: imò eodem capite nono Libanius Juliani Quæſtor dicitur *genibus Pontificis*, nempe Baſilii, *advolutus*. Sed, ut rectè Combefiſius in Notis ad eam Vitam, non mirum ita vocari ab Amphilochio Baſilium, cùm ſub Juliani adventum ad urbem Cæſaream jam Præſulis partes ageret, ejuſdemque urbis & plebis Legationem paſtor obiret, Epiſcopo vel abſente, vel certè latitante. Dictus eſt itaque Baſilius *Pontifex* ab Amphilochio, quòd officio, munere & juriſdictione, ut vocant, Pontifex eſſet. Quod confirmari poteſt ex Nicephoro lib. 10. cap. 25. qui de ejuſdem Juliani per Cappadociam tranſitu loquens ait: *τῶν ἐν Καππαδοκίᾳ [illegible] ἔχοντος*, quæ verba Interpres ſic vertit: *Baſilius qui eo tempore Cappadociæ Eccleſias Epiſcopus curavit.* Hæc verſio Baronium in errorem induxit, ut videre eſt in Epitome anno CCCXLIX num. VII. Exiſtimavit enim docuiſſe Nicephorum, imperante Juliano, Baſilium jam Cæſareæ Epiſcopum fuiſſe; & tamen aliud non dicit Nicephorus, quàm quod in ejus Vita Amphilochius tradit, Baſilium ſc. tunc illius Eccleſiæ curam ſuſcepiſſe. Quare Nicephori verba Græca ſic vertenda: Baſilius, *qui eo tempore Cappadociæ Eccleſiarum curam gerebat.* Præterea Auctor Chronici Alex. ſub ſequentis anni Coſſ. Juliani Imp. morte narrata inquit: *Eadem porro nocte per nocturnam ſpeciem ſanctiſſimus Pontifex Baſilius Cæſareæ*

Epiſcopus vidit cælos apertos & Chriſtum Salvatorem in ſolio pro tribunali ſedentem, magnoque clamore vocantem: Mercuri, abi, occide Julianum Imp. illum hoſtem Chriſtianorum, &c. Quare Baſilius per hæc tempora *Epiſcopus* dictus fuit, quòd Eccleſiæ Cæſarienſis, abſente Paſtore, curam gereret. Quoad Libanium, de quo Amphilochius, non eſt hic Libanius Sophiſta, ſed alter ejuſdem nominis, qui Chriſtianus erat. Unde perperam Viri docti ob alterutrum caput hoc Opus Amphilochio abjudicarunt.

VI. *Julianus Miſipogonē componit.*
Baron. num. LXXXI.

Ad num. XXI. Ammianus lib. 22. cap. 14. ſub Conſulatu *Mamertini & Nevittæ* hoc anno geſto perperam ſcribit, Julianum hoc anno *Miſopogonem* compoſuiſſe. Is enim liber, ut rectè Valeſius in Notis ad Ammianum, anno ſequenti publicatus eſt. Etenim & Kalendarum Januariarum meminit Julianus, quibus ipſe Conſul proceſſit, & Juliani avunculi ſui mortem commemorat, qui anno CCCLXIII interiiſſe dicitur ab Ammiano. Poſtremò in pag. 66. Antiochenſes inducit conquerentes, quòd gravitatem ac triſtitiam ipſius jam menſe tolerarent. Ingreſſus autem erat Antiochiam ſub exitum menſis Julii. Igitur anno ſequenti id Opus Julianus edolavit. Quare Petavius in Notis ad Juliani Miſopogonem, ubi hoc anno hunc librum ſcriptum dicit, ab Ammiano deceptus eſt.

VII. *Dicteria Antiochenorum in Julianum.*
Baron. num. LXXXIV.

Socrates lib. 3. cap. 17. non dicit, Julianum taurum in Numiſmate inſculpiſſe, qui mundum cornibus expugnaret, ut perperam Interpretes Socratis locum intellexere. Hoc ſolùm dicit Socrates, inquit Valeſius in Notis ad Sozomenum lib. 5. cap. 19. Antiochenos Julianum deridentes dixiſſe: *Nummi tui taurum habent, & Orbis everſus eſt.* Gloriabatur nempe Julianus, quod templa ac ſacrificia reparaſſet, quódque centenos interdum tauros Jovi immolaret, ut ſcribit Ammianus. Quare, cùm in ejus Nummis taurus eſſet inſculptus, hinc jocandi anſam arripientes Antiocheni dicebant, *non tauros à Juliano, ſed Orbem mactatum eſſe*, ſeu, ut loquitur Sozomenus, *Orbem everſum eſſe perinde ac tauros ſupinos.* Reſupinari enim, ſeu ὑπτιάσθαι, quo verbo utitur Sozomenus, proprium eſt victimarum, quæ cùm immolarentur Diis cæleſtibus, reſupinari conſueverant. Porro in Nummis Juliani poſtquam Auguſtus nuncupatus eſt, taurum inſculptum fuiſſe, oſtendunt ejus Numiſmata apud Mediobarbum. In uno exhibetur taurus cum aquila, in aliis taurus cum duabus ſtellis, & in altero taurus cum duabus ſtellis, ante quem aderat ciconia pede ſiniſtro elato. Ex quibus Nummis plures Antiochiæ percuſſi, ut in illis legitur.

VIII. *S. Babylæ Martyris tranſlatio.*
Baron. num. CCII & ſeqq.

Ad num. XXII & ſeqq. Ammianus lib. 22. cap. 13. de rebus hoc anno geſtis loquens, ait: *Die XI Kalend. Novembrium ampliſſimum Daphnæi Apollinis fanum ſubita vi flammarum exuſtum eſt.* Tum lib. 23. cap. 1. ſubſequentis anni Coſſ. Juliani olim Orientis Præfecti & Felicis Præfecti ærarii olim Chriſtianorum, ſed in gratiam Imperatoris Apoſtatarum factorum mortem recitat. Præterea Theodoretus lib. 3. cap. 10. de eo incendio & tranſlatione reliquiarum S. Babylæ loquitur, ac poſtea cap. 13. de infelici morte Juliani & Felicis ſermonem habet. Quare Daphnæi templi incendium hoc anno contigit, anno verò ſequenti S. Babylæ Martyris tranſlatio peracta, ut Valeſius in Notis ad lib. 5. Sozomeni cap. 8. obſervavit, ubi D. Chryſoſtomi in Orat. 2. contra Gentiles de S. Babyla memoriæ lapſum corrigit. Is enim de Juliani Comitis morte ita loquitur, quaſi ea ante tranſlationem reliquiarum S. Babylæ contigiſſet, cùm tamen anno poſt illam tranſlationem acciderit, Juliano ſc. IV & Saluſtio Coſſ. ut conſtat ex Ammiano, initio lib. 23. & ex Theodoreto in lib. 3. Hiſt. Eccleſiaſt. Nam Ammianus mortem Felicis ac Juliani refert ſtatim poſt Conſulatum Juliani & Saluſtii, id eſt, anno CCCLXIII. Theodoretus verò illorum obitum refert poſt reliquiarum S. Babylæ tranſlationem. Unde emendandi Annales Baronii, qui Chryſoſtomum ſecutus, id præſenti anno retulit. Neque enim hac in re ſtandum Chryſoſtomo, cùm SS. Patres in Orationibus res hiſtoricas ſine certa probatione aliquando narrent. Præterea Theophanes, narrato Daphnenſi incendio, ait, iratum Imperatorem miſiſſe Julianum & Felicem, qui magnæ Eccleſiæ bona publicarent: quod etiam ſcribit Cedrenus. Addit Theophanes, utrumque paulò poſt interiiſſe. Certè D. Chryſoſtomus, qui annos tantùm octo natus erat, eam hiſtoriam ab aliis didicerat, & in circumſtantiis falli proclive eſt. Gothofredus in Diſſert. in lib. 7. Philoſtorgii cap. 10. obſervat, Philoſtorgium infelicem trium apoſtatarum, Felicis nempe, Juliani & Helpidii mortem narrare, poſt ea, quæ circa S. Babylam acta ſunt, & poſt Templi Daphnenſis incendium. Quod validè confirmat Gothofredus de Juliano ex Codice Theod. Nam cùm incendium illud XI Kal. Novembris acciderit, duæ occurrunt Conſtitutiones ad hunc Julianum poſt illud tempus datæ, puta L. 54. *De Decurionibus*, & L. 3. *De contrah. empt.* quarum prior emiſſa Kalend. Novemb. altera VIII Idus Decemb. Erat enim Julianus Comes Orientis.

IX. *S. Artemius occiditur.*
Baron. num. XCI.

Ad num. XXV. S. *Artemii* martyrium anno præſenti contigit, ut patet ex Ammiano lib. 22. cap. 11. ubi illud recitat ſub hujus anni Coſſ. atque, Alexandrinos, *Artemii comperto interitu*, Georgium Sedis Alexandrinæ invaſorem interfeciſſe. Quare malè in Chronico Alex. martyrium illud in annum ſequentem dilatum eſt. Colitur S. *Artemius* die XX Octobris, quo die ejus Acta apud Surium extant. In iis *Artemius* paſſus dicitur die XX Octobris: quod tamen incredibile, cùm nonniſi, eo occiſo, Alexandrini in *Georgium* inſurrexerint, & hoc interfecto, S. Athanaſius Alexandriam venerit, unde ante primum diem menſis Decembris currentis anni, Juliano jubente, exire coactus eſt, ut Baronius obſervat. Cùm itaque ea, quæ Athanaſius Alexandriæ egit, nonniſi intra aliquot menſes peragi potuerint, liquet, martyrium Artemii ante diem XX Octobris, quemadmodum & Athanaſii in urbem Alexandrinam adventum, contigiſſe. Neque quis dicat, Ammianum laudatum ſuffragari Actis S. Artemii. Nam cap. 11. Artemii & Georgii mortem recitat, & mox cap. 13. ait: *Eodem tempore die XI Kal. Novemb. ampliſſimum Daphnæi*

Apollinis fanum exuſtum eſt. Quibus verbis indicare videtur, Artemium die XX Octobris interemtum, & Templum Daphnes die XXII ejuſdem menſis incenſum. At hæc difficultas evaneſcet, ſi conſideremus, Ammianum, ubi adventum Juliani ad urbem Antiochenſem narravit, Artemii mortem recitare, aſſerereque, Alexandrinos hujus mortis nuntio accepto, Georgium interfeciſſe. Artemius autem, ut ejus Acta teſtantur, Antiochiæ, quæ non parum ab urbe Alexandrina diſtat, martyrium pertulit. Unde nonniſi poſt multos dies hujus mortis nuntium ad Alexandrinos perferri potuit; ideoque exiſtimandum, menſe circiter Auguſto Artemium & Georgium occiſos, & Athanaſium Alexandriam ingreſſum.

X. *Lucius Arianorum Epiſcopus.* Baron. num. CLXXV.

Ad num. XXXVII. Georgio Sedis Alexandrinæ invaſori Ariani quidem *Lucium* ſubrogarunt, ut ſcribunt Socrates lib. 3. cap. 4. & Sozomenus lib. 5. cap. 7. ſed ea ſubrogatio anno tantùm trecenteſimo ſeptuageſimo tertio, poſt Athanaſii nempe obitum, facta, ut ſuo loco videbitur, & conſtat ex ipſomet Sozomeno lib. 6. cap. 5. ubi de rebus Joviano imperante geſtis loquens, *Lucium* Preſbyterum appellat.

XI. *Latebræ S. Athanaſii.* Baron. num. CLXXI.

Ad num. XXXVIII. Athanaſius Alexandriam circa menſem Auguſtum adventavit, ut ex iis, quæ de S. Artemii martyrio loquens dixi, intelligere poſſumus; ideoque verum eſt quod Sozomenus lib. 5. cap. 6. ſcribit, Athanaſium per ſeptem annos delituiſſe: quod etiam Palladius in Lauziaca cap. 135. teſtatur. Illi tamen anni ſeptem utrimque incompleti numerandi ſunt, ab anno CCCLVI ad currentem. Qui loquendi modus, ut ſæpe alibi, decepit Valeſium, qui in Notis ad Sozomenum ait, ſi rem ad exactos calculos revocare voluerimus, reperiemus nos, Athanaſium ſex tantùm annos, eoſque non integros delituiſſe. Nam Antiquos, annos incompletos plerumque pro integris numerare, mille exemplis liquet. Præterea eſt hic octavus perſecutionis Athanaſianæ annus, quæ, ut ſuprà oſtendi, cœpta eſt ante finem Maii anni trecenteſimi quinquageſimi quinti; à Concilio nempe Mediolanenſi. Quare Athanaſii perſecutio ſeceſſum ejus anno uno antecedit.

XII. *Athanaſius ab Alexandrinis ſummâ lætitiâ exceptus.* Baron. num. CLXXI & ſeqq.

Baronius in Annalibus & Hermantius in Vita S. Athanaſii lib. 10. cap. 4. ad reditum hujus Sancti in urbem Alexandrinam poſt Conſtantii mortem; referunt; quæ ſcribit Gregorius Nazianzenus in encomio S. Athanaſii tomo 1. hujus Operum, pag. 18. & 19. ubi effuſam Alexandrinorum in iſtius adventu lætitiam deſcribit. Papebrocius tamen tom. 1. Sanctorum menſis Maii, in Vita S. Athanaſii cap. 18. Gregorium Nazianzenum de Athanaſii in urbem Alexandrinam adventu, qui anno CCCXLIX contigit; & de Gregorio priori Sedis Alexandrinæ invaſore interpretandum contendit; imò & exceptionem illam Athanaſii cum magna rerum ac temporum confuſione Nazianzenum narrare: *Primùm*, inquit Papebrocius, *cùm poſt Georgii mortem, regnante jam ſc. Juliano, facta ſcribit, quæ neceſſariò debent acta intelligi poſt mortem Gregorii. Deinde cùm ſecundam Philagrii Præfecturam, quam ille iniit eo ipſo tempore, quo infelicem ſuum Epiſcopatum, non dico Georgius, ſed Gregorius, eâ quam deſcribit exceptione, facis poſteriorem. Tertiò, denique cùm ſuum Gentilem Philagrium eum eſſe putat, cujus ad iterandam adminiſtrationem ingreſſus tantâ occurrentis exultantiſque populi frequentiâ fuerit honoratus. Nempe encomium illud ſcripſit, dixitque Nazianzenus Cpoli, procul ab Alexandria, prout ſibi vel ſuggerebat ſenilis memoria, (erat enim octogenario tunc major) vel ipſius Athanaſii Scripta quædam, fortaſſis non ſatis integra correctaque, decimo duntaxat poſt Sancti mortem anno.* Tum encomii Athanaſii à Nazianzeno compoſiti parte narratâ ſubdit Papebrocius: *Hactenus Nazianzenus nominum Gregorii & Georgii affinitate veroſimiliter abductus à recta temporum ratione: imò nec ſatis conſtanter eos inter ſe diſtinguens: ut cùm par fuerit utriuſque in ſuo ingreſſu immanitas, nihil penè in Gregorium dicat, dira autem omnia in Georgium: poſt cujus crudeliſſimam cædem à furente Ethnicorum plebe patratam, rurſus quidem Athanaſius Alexandriæ comparuit, vel ex ſuis ibidem latebris prodiens, vel peregrè reverſus in urbem. Nullatenus tamen credi debet, quòd ſub novo Juliani dominatu, & rebus Orthodoxorum uſque adeo dubiis, tam ſolennis exceptio potuerit adornari. Quare fidenter hæc omnia refero ad hoc tempus* (ad annum nempe CCCXLIX) *cùm reſpectu ad primam ab exilio Gallicano reverſionem, quæ Conſtantii junioris mortem præceſſit, & ſplendidiſſima fuiſſe etiam debuit. Quidquid enim nunc factum eſt, quia ſumma duorum Imperatorum Conſtantii & Conſtantis voluntate nitebatur, ſicuti extra periculum erat; ſic potuit & debuit fuiſſe ſplendidiſſimum poſt tales ac tantas de calumnia & impietate victorias, publicis Synodorum judiciis & ipſorum Imperatorum ſuffragiis relatas.*

XIII. *In encomio Athanaſii à Nazianzeno compoſito aliqua difficilia.*

Ad Præfectum quod attinet, cujus prior Magiſtratus adeo fuit populo gratioſus, ut ad ſecundum poſtulari meruerit; nego eum fuiſſe Philagrium, hominem, uti ſuprà vidimus; à Religione Chriſtiana apoſtatam, & in vexandis Orthodoxis crudeliſſimum: de quo meritò Athanaſius queritur in epiſt. ad Solitarios tom. 1. pag. 844. quòd eum Conſtantius, præter mentem patris *Conſtantini*, *ſub quo priora patrarat flagitia, ob eadem forſitan exauctoratus*, pro ſecunda vice Præfectum miſit; *deteriora etiam patraturum. Præterea non conveniunt tempora, quemadmodum exordiens inſinuavi, & exceptio Philagrii Magiſtratum ſecundò ineuntis, quantocumque Gentilium & Arianorum ſtudio fuiſſet celebrata; ut ſummùm comparari potuiſſet cum ea, quæ Athanaſio obtigit antè octennium. Ignoraſſe debuit hominem Nazianzenus, qui eum, quòd Gentilis ſuus & Cappadox eſſet, tam honorificè hic nominavit. Quòd autem factum dictumque narrat, contigiſſe potuit, aliquo ex miſſis Præfectis ingrediente, puta Sancto Artemio; à cujus, duplici titulo ſibi exoſi, cæde; quia & Chriſtianus erat, & Gentilibus valde fuerat adverſatus, auſpicatus & Julianus perſecutionem eorum, qui præcipuos ſub Conſtantio Magiſtratus geſſerant.* Ita Vir doctiſſimus.

XIV. *Nazianze-*

Verumenimvero Nazianzenus, qui in ea laudatione, quam poſt Athanaſii mortem ha-

nus de Athanaſio poſt Conſtantii mortem reduce loquitur.

buit, ne verbum quidem de Gregorio habet, quemque nec nominat, pluribus in Georgium invehitur. Extat ea Gregorii Oratio tom. 2. Operum Athanaſii in Appendice, ubi pag. 11. de ejus facinoribus loqui incipit, tandemque pag. 17. & 18. de Athanaſii ſeceſſu ſexennali, de Conſtantii Imp. morte & Georgii interitu, qui ad currentem annum pertinet, ſermonem inſtituit. Hinc tranſit ad Athanaſii reditum, à quo ad Juliani perſecutionem orationem convertit; quâ narratâ, de Athanaſii ab exilio revocatione per Jovianum Imperatorem facta verba habet, & ſic ex toto encomii contextû rectè eam Baronium hoc anno recitaſſe, luce meridiana clarius patet. Sed, ut conjecturarum à Papebrocio in medium adductarum vanitas manifeſtè pateat, ejuſdem encomii pars aliquibus notulis illuſtrata, hic neceſſariò recitanda.

XV. *Seceſſus ſexennalis Athanaſii: & interitus Conſtantii ac Georgii.*

Tantum nobis in Athanaſio, illo, inquam, Eccleſiæ columine, præſidii erat, quandiu nobiſcum verſabatur? Tantam rurſus nobis ejuſdem abſentia calamitatem importavit, poſtquam improborum hominum conatibus ceſſit? Quemadmodum enim qui firmam quandam arcem expugnare in animum induxerunt, ſi eam acceſſu alioqui captuque difficilem eſſe perſpexerint, ad arcem ſe conferunt, atque arcis Præfecto pecuniis aut fraude ad ſuas partes pertracto, ita jam nullo negotio & labore arcem quoque ipſam, in ditionem redigunt: aut ſi mavis, quemadmodum qui Sampſoni inſidias ſtruxerant, crinem, in quo vires poſitas habebat, abſtulerunt; ita demum Judicem in poteſtatem acceperunt, poſteaque ipſi arbitratu ſuo inſultarunt, priſtinæque ipſius potentiæ parem ex adverſo poteſtatem adepti ſunt: ſic quoque alienigenæ noſtri, ſummoto atque è medio ſublato noſtro robore, ac detonſa Eccleſia gloriâ, ita jam in impietatis dogmatibus & actionibus incredibili quadam cum voluptate verſabantur. (hæc de ſeceſſu ſexennali Athanaſii) *Hic vitam cum morte commutat adverſarii Paſtoris confirmator & patronus* (Conſtantius nempe Imperator anno præcedenti demortuus) *malum haud malo Imperio finem imponens, atque inutili, ut ferunt, pœnitentia in extremo vitæ ſpiritu affectus, cùm nimirum ob alterius ſeculi tribunal, æquus rerum ſuarum unuſquiſque judex eſt. Tria enim hæc eſſe aiunt, ob quæ tanquam Imperio ſuo indigna pœnitentia ductus fuerit. Primum, quòd propinquis ſuis necem intuliſſet: alterum quòd Julianum Apoſtatam Imperatorem nominaſſet: poſtremum, quòd novis Fidei dogmatibus ſtuduiſſet: ſimulque cum his vocibus è vita diſceſſiſſet. Itaque veritatis doctrina poteſtatem ac licentiam rurſum accipit, atque ii qui vexati atque oppreſſi fuerant, ſolutam libertatem, Zelo nempe iracundiam acuente. Quod etiam ipſum Alexandrinis accidit, qui ut in eos, à quibus contumeliam acceperunt, acerbiſſimi eſſe ſolent, importunam hominis* (nempe Georgii) *audaciam indigniſſimis animis ferentes, tum novo mortis genere impravitatem, tum novo dedecore mortem notandam atque infamandam duxerunt.*

XVI. *Athanaſius ſummâ letitiâ ab Alexandrinis exceptus.*

Notus eſt vobis camelus ille, (ſc. Georgius, qui ab Alexandrinis peremtus, *camelo* impoſitus eſt, & *ad lacus* vectus, ut ſcribit Ammianus lib. 22. cap. 11. Quare miror, Papebrocium hæc verba de Gregorio intelligere potuiſſe) *atque inſueta ſarcina, & nova magnitudo, primaque illa, ac, niſi me opinio fallit, ſola circumductio, quæ etiamnum contumelioſis hominibus minaciter denuntiatur. Poſteaquam autem ille injuſtitiæ turbo, illa pietatis labes & corruptela, ille pravi ſpiritus præcurſor, hujuſmodi ſupplicio mulctatus eſt, meo quidem judicio, haud rectè, (nec enim quid eum pati, ſed quid nos facere decebat, ſpectandum fuit) ſed mulctatus eſt tamen, totiuſque populi impetum atque iracundiam ſubiit: tum verò nobilis ille Athleta* (ſc. Athanaſius) *ex preclara peregrinatione, (ſic enim ipſius fugam pro Trinitate & cum Trinitate ſuſceptam appello) in urbem redit,* (præſenti nempe anno) *atque ita lætos & alacres cives offendit, imò univerſam propè Ægyptum undequaque in unum concurrentem, atque ab editis omnibus locis, ut alii ſola Athanaſii voce, alii formâ & aſpectu ſaturarentur, alii (quod de Apoſtolis prædicatur) ex umbra ſaltem ipſa, novaque corporis ſimulacro ſanctitatem contraherent; ut cùm multis jam ſæpenumero ex omni hominum memoria honores habiti ſint, multis etiam obviàm proditum ſit, idque non Præfectis tantùm publicis & Epiſcopis, ſed familiarum quoque ampliſſimis quibuſque & clariſſimis, nullius tamen occurſionis major frequentia & ſplendor fuiſſe memoretur: unum duntaxat Athanaſium, eumque honorem, quo ad priorem urbis ingreſſum ornatus fuerat,* (anno ſc. CCC XLIX, quando Conſtantio & Conſtante imperantibus Alexandriam rediit, non verò, ut perperam interpretatur Papebrocius, anno CCC XXXVIII, quo poſt Conſtantini M. obitum ex exilio revocatus eſt, ut ſequentia de ejus fuga verba manifeſtè indicant; tunc enim non fugerat, ſed in exilium miſſus fuerat) *cum ex eadem fuga & ob eaſdem cauſas inita, Alexandriam repeteret, cum ea comparari poſſe.*

XVII. *Exceptio Athanaſii cum paucis comparanda.*

Quin & de honore illo hujuſmodi quiſpiam ſermo circumfertur: dicam enim, ſupervacaneus licèt videri poſſit; ac velut condimentum adventitiumque florem orationi adjungam. Poſt illius adventum (ideoque poſt currentem Chriſti annum) *quidam in Urbem vehebatur, alteram jam Præfecturam gerens* (δευ-ἐπαρχον, ut in Græco legitur, ideoque locus rectè in Latinum verſus) *noſter hic erat, quippe Cappadox, vir in primis clarus: nec mihi dubium eſt, quin Philagrium illum à me nominari ſentiatis.* (diverſus eſt hic Philagrius ab eo ejuſdem nominis, qui Ægyptum adminiſtravit anno CCC XXXV, & anno CCC XLI, ejuſque fuit, ut videtur, filius, bis etiam, ut pater, eadem Præfecturâ Ægypti decoratus, ut anno CCC XLI num. XXVI explicavimus. Quare rectè conjiciebat Papebrocius citatus, hunc Philagrium diverſum eſſe ab eo, qui præfatis annis CCC XXXV & CCC XLI eandem Præfecturam geſſit. Hæſit & ad hunc locum Hermantius in Vita S. Athanaſii lib. 10. cap. 2. ubi hunc Philagrium Nazianzeno parum cognitum arbitratur; cùm tamen Nazianzenus de gentili ſuo, viroque notiſſimo ſe loqui oſtendat) *Ea porro civium erga illum amoris flamma, ut nec ulla alia*

par, nec erga alium: honor autem, ut rem totam paucis verbis ob oculos ponam, amoris magnitudini reſpondens: cui etiam urbis adminiſtratio, tum civium deprecatione, tum Imperatoris calculo & ſententia rurſus mandata fuerat. (poſt mortem nempe Conſtantii, quo imperante priorem Præfecturam adeptus erat; cùm poſterior geſta ſit poſt præſentem Chriſti annum & poſt adventum Athanaſii in urbem Alexandrinam) *Tum igitur è vulgo quiſpiam, cui infinita multitudo videbatur, ac velut pelagus quoddam oculis haudquaquam circumſcriptum, ad amicum quemdam & familiarem, ut in hujuſmodi rebus accidere ſolet, ita locutus eſſe fertur: Dic mihi, Vir optime, tantam ne unquam populi multitudinem vidiſti, tamque concordibus animis ad unum hominem ornandum effuſam? Minimè, inquit juvenis. Ac ne Conſtantium quidem ipſum pari honorificentia exceptum fuiſſe opinor:* (ex his verbis liquet, Conſtantium aliquando in Ægyptum veniſſe, quod aliunde nobis non innoteſcit. Hermantius laudatus obſervat, textum Græcum non exprimere, an juvenis ille de exceptione, quæ facta fuiſſet Conſtantio, aut de ea, quæ in ejus honorem fieri potuiſſet, ſi Alexandriam veniſſet, ſermonem habeat. Ipſemet ea verba in ſecundo ſenſu accipit, & hoc modo vertit: *Minimè, inquit juvenis, & quando Conſtantius ipſemet veniret, illum pari honorificentia non excipiendum eſſe opinor.* Sed interpretatio illa rejicienda; nam cùm hîc ſermo ſit de exceptione Philagrii iterum Præfecti, quæ poſt Conſtantii mortem contigit, vulgaris Nannii interpretatio certa eſt. Profectò ſi Conſtantius numquam Alexandriam adventaſſet, juvenis ille poſt hujus mortem non de Conſtantio defuncto, ſed de Imperatore tunc regnante locutus fuiſſet.) *tanquam videlicet per Imperatoris nomen ſummus honoris vertex ſignificaretur. Tum ille perquam ſuaviter arridens: Quid ais, inquit, quaſi magnum aliquid & admirandum dicens? Imò magnum quoque illum Athanaſium pari honore introductum fuiſſe, vix adduci poſſum ut credam: ſimulque quoddam jusjurandum ad id, quod dixerat, confirmandum adjunxit. Eò autem hic ſermo ſpectabat, quemadmodum etiam vobis perſpicuum eſſe arbitror, ut Imperatori quoque ipſi Athanaſium anteferret. Tanta erat apud omnes hujus viri veneratio!* &c.

XVIII. *Athanaſiũ à Juliano in exilium miſſum Jovianus honorat.*

Paulò pòſt pag. 21. de perſecutione à Juliano adverſus Athanaſium nuper Alexandriam reverſum excitata loquitur: *Sed ſc. fieri non poterat, ut invidia hæc ferret, atque Eccleſiam, priſtinæ gloriæ ſuæ veterique ſanitati reſtitutam videre ſuſtineret, diſſectis nimirum partibus celerrimâ cicatrice, velut in corpore, obductis. Ac proinde Imperatorem* (ſc. Julianum) *adverſus eum* (Athanaſium) *excitat, in eodem, quo ipſe* (nempe Conſtantius) *defectionis crimine verſantem atque improbitate parem, tempore ſolo poſteriorem, qui primus Chriſtianorum Imperatorum adverſus Chriſtum furore percitus, atque impietatis baſiliſcum, quem multò ante parturiebat, oblata occaſione ſubitò profundens, ſimul atque Imperator declaratus eſt, ſtatim & erga Imperatorem* (nempe Conſtantium) *qui ipſius fidei Imperium commiſerat, improbè, & erga Deum, cui ſalutem debebat, improbiùs ſe gerit,* &c. *Non multum temporis interceſſerat, cùm impium illum & ſacrilegum ad Perſas vis numinis ultrix ablegat, illique cauſam diſceptat: & quem magnificum & honoris cupiditate flagrantem tranſmiſerat, eundem mortuum reducit,* &c. *Surgit autem alter Imperator* (nempe Jovianus) *facie minimè impudens, quemadmodum is, de quo antè verba fecimus,* &c. *Qui, ut pulcherrimum Imperii ſui fundamentum jaceret, rectamque Legum ſanctionem, unde conveniebat, auſpicaretur, cum omnes alios Epiſcopos, tum eum ante omnes qui omnibus virtute præſtabat, ac citra dubitationem ullam pietatis cauſâ oppugnatus fuerat, ab exilio revocat.* Certum itaque exploratumque, Gregorium Nazianzenum in ea Oratione neque res, neque tempora confundere, nec memoria lapſum, nec Scriptis parum integris uſum, nec de Gregorio ullo modo locutum, ac denique *Philagrium* illum duplici Ægypti Præfecturâ cohoneſtatum, cujus Nazianzenus meminit, diverſum eſſe ab altero *Philagrio*, qui iterato etiam illo honore ante Conſtantii mortem exornatus fuerat. Quod ait Papebrocius, nullatenus credi debere ſub Juliano tam ſolennem exceptionem potuiſſe adornari, his Hieronymi lib. adverſus Luciferianos verbis penitùs evertitur: *Omnes Epiſcopi per indulgentiam novi Principis ad Eccleſias redeunt. Tum* TRIUMPHATOREM *ſuum Athanaſium Ægyptus excepit.* Denique non mirum, ſi Nazianzenus honorificè loquatur de Philagrio, viro parum Chriſtianis æquo, cùm ibi nec de Fide, nec de re ad mores ſpectante ſermo ſit.

XIX. *Paulinus creatur Epiſcopus Antiochenſis.*

Ad num. XXXIX & ſeqq. *Meletius* communi Catholicorum & Arianorum conſenſu Antiochenus Epiſcopus anno CCCLX creatus eſt. Sed Ariani, prætérquam quod fuerant opinati, videntes, eum profiteri Catholicam de Trinitate Fidem, in exilium ejecere. Interim Catholici in partes diviſi erant, quibuſdam eorum *Meletii* ordinationes ideo reprehendentibus, quòd ab Arianis renuntiatus eſſet; ceteris eidem inhærentibus, quòd Fidei cauſâ illum relegatum conſtaret, & ordinationi ejus aſſenſum à Catholicis præſtitum nemo ignoraret. Itaque cùm redituri eſſent in Occidentem, *Lucifer Calaritanus* Epiſcopus & *Euſebius Vercellenſis* Epiſcopus, qui uterque in Ægyptum relegatus fuerat, Euſebius Luciferum exoravit, *ut ad videndum Athanaſium Alexandriam pergerent, communique tractatu cum his qui ſuperfuerant Sacerdotibus, de ſtatu Eccleſiæ decernerent,* ſed *præſentiam ſuam denegans Lucifer, Legatum pro ſe Diaconum ſuum mittit, atque ipſe intento animo Antiochiam pergit,* inquit Rufinus lib. 10. cap. 17. Ex epiſtola tamen Synodica, quam Synodi Alexandrinæ nomine ad Epiſcopos Catholicos, qui erant in urbe Antiochia, Athanaſius ſcripſit, diſcimus, Luciferum duos Diaconos ſuos Herennium & Agapetum miſiſſe ad Synodum Alexandrinam, qui huic Synodo interfuere, & Synodicæ epiſtolæ Athanaſii ſubſcripſere. Rem ſic ſe habuiſſe autumat Valeſius in Notis ad Socratem lib. 3. cap. 5. à quo Baronius parum diſcrepat. Poſt profectionem Euſebii ad Synodum Alexandrinam Lucifer unà cum Epiſco-

Baron. num. CCXV.

pis Cymatio & Anatolio Paulinum Antiochiæ ſtatim creavit Epiſcopum. Qui mox ordinatus Legatos ſuos *Maximum* & *Calemerum* ad Alexandrinam Synodum direxit. *Apollinaris* quoque Laodicenus Epiſcopus, qui Sectam propriam & Epiſcopum factionis ſuæ habebat Antiochiæ, Legatos eòdem miſit. Epiſcopi igitur Ægyptii, qui Alexandriæ congregati erant, cùm Euſebium & Aſterium & Legatos Luciferi à Lucifero, Cymatio & Anatolio miſſos audiiſſent, Legatos etiam à Paulino & Apollinare ſuſcepiſſent, ſinguli ad Sedes ſuas receſſerunt, mandaruntque Athanaſio & aliquot aliis Epiſcopis, qui Alexandriæ remanſerant, ut epiſtolam ad Epiſcopos Antiochiæ coactos ſcriberent, de recipiendis in communionem Hæreticis & Schiſmaticis. Horum mandato obſecutus Athanaſius ſcripſit epiſtolam ad Epiſcopos Antiochiæ congregatos, Luciferum ſc. Euſebium & Aſterium (hi enim jam ab Alexandrina Synodo redierant) Cymatium & Anatolium. Ita rem explicat Valeſius.

XX.
Sed in Concilio Alexādrino, vel poſt illud.

Rectiùs tamen Hermantius in Vita S. Athanaſii lib. 10. cap. 9. Rufino lib. 1. cap. 30. adhæret, ſcribitque, *Paulinum* non niſi durante Concilio Alexandrino, aut eo celebrato, Antiochiæ Epiſcopum à Lucifero creatum eſſe. Nam, cùm epiſtola Synodica Concilii Alexandrini, ſeu Athanaſii, Eccleſiæ Antiochenſis negotia præcipuè concerneret, Paulino, ſi Epiſcopus erat, ante alios inſcribi debebat; quod tamen factum non eſt. Præterea nunquam de illo in particulari in ea epiſtola mentio; ſed de iis qui communionem Paulini ſequebantur. Ibidem *frater* non vocatur; quod tamen nomen eidem denegari non potuiſſet, ſi Epiſcopus agnitus eſſet. Inſuper aliquo modo ei præſcribitur, ut cum Meletianis communicet. Quare *Paulinus*, dum Concilium celebraretur, videtur electus: perperamque ſcribit Baronius, ejus ordinationem Concilium approbaſſe, quòd eidem Concilio ejus Legati interfuerint, illique Paulinus ipſemet ſubſcripſerit. Ex Paulini enim ſubſcriptione nihil inferri poteſt, cùm textus doceat, ipſum Synodicæ ſubſcripſiſſe, quando Alexandriam perlata eſt. Athanaſius Epiſcoporum, qui Concilio Alexandrino interfuerant, mandato obſecutus, ſcripſit epiſtolam ad Epiſcopos Antiochiæ collectos, Luciferum ſc. Euſebium & Aſterium, qui jam ab Alexandrina Synodo redierant, Cymatium & Anatolium. Hanc epiſtolam Baronius Synodicam eſſe Synodi Alexandrinæ exiſtimavit. Apparet tamen ex ipſius epiſtolæ lectione, non à Synodo, ſed ab Athanaſio eam ſcriptam eſſe; nec ad omnes Epiſcopos, ſed ad Antiochenos peculiariter datam. Quod quidem colligere eſt, tum ex inſcriptione ipſa, tum ex textu totius epiſtolæ. De ſolius enim Antiochenſis Eccleſiæ rebus illic agitur, ut præter cetera docet hic locus: *Omnes igitur, qui pacem nobiſcum ſervare volunt, inprimis autem eos qui in veteri urbe Collectas agunt, & eos, qui ab Arianis veniunt, ad vos allicite*, ut Athanaſii locum ab Interprete non intellectum Valeſius rectè vertit. Intelligit Athanaſius eos, qui Meletio Antiochenſi Epiſcopo adhærebant. Hi enim ab Euſtathianis ſegregati, in *Palea*, id eſt, in veteri urbe Collectas agebant, ut teſtatur Theodoretus in lib. 2. cap. 31. & in lib. 3. cap. 4. De iiſdem loquitur Athanaſius in dicta epiſtola, ubi eos diſtinguit ab aſſeclis Paulini, id eſt, ab Euſtathianis. Ex horum enim numero erat *Paulinus*. Illi ergo qui in *Palea* Conventus agebant, alii eſſe non poſſunt, quàm fautores Meletii, quos præcipue commendat Athanaſius.

XXI.
Epiſcopi de ſtatu Eccleſiæ reparande ſoliciti.

Ceterùm, ut ibidem Valeſius notat, non ſoli *Euſebius* & *Lucifer* de reparando Eccleſiarum ſtatu & de ſtabilienda Fidei regula conſilium inierunt; ſed alii præterea Epiſcopi, qui Juliani Imp. edicto tunc ab exilio revocati ſunt; ſc. *Aſterius* & reliqui, ut obſervat Theodoretus lib. 3. cap. 4. Hi zelo Fidei Baron. num.
Catholicæ incenſi Hæreticos & Schiſmaticos CC XII.
ad veritatis tramitem reducere & ad priſtinam concordiam revocare inſtituerunt. Quare, quod Baronius ait, Euſebium ac Luciferum Legatos Sedis Apoſtolicæ creatos eſſe à Liberio ad reparandum Eccleſiæ ſtatum, verum eſſe non poteſt. Idem enim de Hilario ac reliquis dicendum eſſet. Adde quòd Rufinus hoc diſertè refellit cap. 29. Scribit enim, Legationem hanc Euſebio & Aſterio ab Alexandrina Synodo injunctam eſſe: *Cùm igitur*, inquit Rufinus, *hujuſcemodi ſententiam ex Evangelica auctoritate prolatam, ordo ille Sacerdotalis & Apoſtolicus approbaſſet, ex Concilii decreto, Aſterio ceteriſque, qui cum ipſo erant, Orientis injungitur procuratio, Occidentis verò Euſebio decernitur.*

XXII.
Hilarius R. Eccleſiæ Diaconus reſipiſcit.

Ad num. XLVII. *Hilarius* Romanæ Eccleſiæ Diaconus, qui Luciferianorum Schiſmati adhæſit, Auctor fuit Commentariorum in Epiſtolas S. Pauli, jam olim D. Ambroſio adſcriptorum. Ita enim Auguſtinus loquitur: *Sic S. Hilarius intellexit quod ſcriptum eſt: in quo omnes peccaverunt. Ait* Baron. num.
enim: in quo, id eſt, in Adam omnes pecca- CC XXIV.
verunt. Deinde addit: manifeſtum in Adam omnes peccaſſe, quaſi in maſſa. Ipſe enim per peccatum corruptus eſt, & omnes quos genuit, nati ſunt ſub peccato. Hac ſcribens Hilarius, &c. Quæ totidem verbis leguntur in Commentariis cap. 5. epiſt. ad Romanos. Scripſit verò Hilarius iſte, quem S. Auguſtinus laudat, ſedente Damaſo, ut ipſe diſertis verbis teſtatur in cap. 3. epiſt. 1. ad Timoth. *Cùm*, inquit, *totus mundus Dei ſit, Eccleſia tamen domus ejus dicitur, cujus hodie rector eſt Damaſus*, qui anno CCC LXXXIV ſupremum diem obiit. Præfatorum Commentariorum Auctorem Pelagianis erroribus refertum eſſe, Janſenius Yprenſis lib. 7. de hæreſi Pelagiana cap. 4. & Poſſevinus in Apparatu perperam aſſerunt. Nam, licèt aliqua in ea ſint duriùs dicta, eadem tamen è Patribus Græcis, qui ante hæreſim Pelagianam ſcripſere, præſertimque à S. Joanne Chryſoſtomo iiſdem pene verbis ad eoſdem locos Apoſtoli fuerunt prolata, quia nondum litigantibus Hæreticis, ſecuriùs loquebantur, ut ait S. Auguſtinus. Quare tam in Hilario, quàm in aliorum Antiquorum Commentariis benigna interpretatione loca molliri debent. *Hilarius* Diaconus Auctor eſt etiam Operis *Quæſtionum veteris & novi Teſtamenti*, quod inter Opera D. Auguſtini circumfertur. Unum enim eſſe Commentariorum in Epiſtolas Sancti Pauli, & ha-

rum

rum Quæſtionum Auctorem, tempus & ſententiarum communitas indicant. Scribit Auctor, ſe elucubrare illud Opus trecentis circiter annis poſt excidium Hieroſolymorum à Veſpaſiano, ideoque anno trecenteſimo ſeptuageſimo, quo Damaſus Eccleſiam Romanam adminiſtrabat. Præterea refellit argumenta Photini, quem adhuc tanquam viventem alloquitur, & diſputat adverſus Appollinarem, cujus hæreſis à Damaſo damnata. Hilarium porro reſipuiſſe, colligitur ex eo, quòd honorificè de Damaſo loquatur, eique communione jungatur. Secundò, quòd contra *Rebaptizantes* Schiſmaticos luculentam dicat ſententiam in cap. 1. Epiſt. 1. ad Corinth. ad illa verba: *Gratias ago Deo, quòd neminem veſtrum baptizavi*, &c. *Per hoc*, inquit Hilarius, *arguens & baptizantes & baptizatos. qui ad injuriam Salvatoris baptizantis ejus gratiam hominibus deputabant, illis diſſimulantibus gratiæ cauſâ. Sic enim erant; ſicut nunc Novatiani & Donatiani, qui baptiſmum ſibi vindicant, à noſtris baptizatos reprobantes, & baptizati ab his gloriantur in perſona eorum. Denique Chriſti nomine abdicato, Novatianos & Donatianos vocari ſe gloriantur.* Reſipuit itaque, ut jam dixi, Hilarius à Rebaptizantium Hæreſi & Luciferiano Schiſmate. Auctor tertiæ partis Quæſtionum ait, ſe ſcribere anno mundi ſexto milleſimo, quem Garnerius in Appendice poſteriori ad primam partem Operum Marii Mercatoris Diſſert. 1. cap. 9. exiſtimat concurrere cum anno Chriſti CCCC LIX ſecundùm Græcos, ideoque tranſpoſitis numerorum notis errorem irrepſiſſe, & pro VI milleſimo legendum IV milleſimo, ſeu millenario. Verùm *Hilarius* illarum Quæſtionum Auctor, qui hoc tempore vixit, loquitur numero rotundo, utiturque Ærâ ſeptuaginta Interpretum, quæ Chriſtum anno mundi quinquies milleſimo centeſimo nonageſimo nono natum ſupponit: quo pacto certum eſt, Hilarium anno mundi ſexto milleſimo, ſeu ſexto millenario Opus illud elucubraſſe.

XXIII. *Epocha Synodi Pariſienſis.*

Baron. num. CCXXIX.

Ad num. XLIX. Hieronymus in Chronico Epocham *Concilii Pariſienſis* nos edocet, quando ſcribit: *Gallia per Hilarium Ariminenſis perfidiæ dolos damnat*, in Concilio nempe Pariſienſi; quod hactenus nemini obſervatum. Sed in eo Chronico annus juxta varias editiones variè conſignatus. Non dubito tamen, quin Hieronymus anno trecenteſimo ſexageſimo Synodum illam celebratam docuerit. Sub eodem enim numero, quo de hoc Concilio loquitur, plura refert, quæ hoc anno contigere, ſc. hæc: *Hilarius, cùm apud Cpolim librum pro ſe Conſtantio porrexiſſet, ad Gallias redit.* Tum: *Macedonius Cpoli pellitur.* Dein: *Omnes penè toto Orbe Eccleſiæ ſub nomine pacis & Regis Arianorum conſortio polluuntur.* Ad hæc: *Cpoli Eccleſiarum maxima dedicatur.* Poſtea: *Meletius Sebaſtiæ Armeniorum Epiſcopus Antiochiam transfertur.* Denique: *Gallia per Hilarium Ariminenſis perfidiæ dolos damnat.* Quare ſicut quæ mox retulimus, anno trecenteſimo ſexageſimo peracta; ſic & Concilium Pariſienſe illis verbis indicatum. Certè ante Conſtantii mortem illud habitum, non tantùm certum facit Hieronymus laudatus, qui poſt hæc verba de ea loquitur; ſed etiam Synodica Concilii Pariſienſis: ex ea enim diſcimus, Epiſcopos, cùm Concilium Pariſienſe habitum eſt, adhuc in exilio fuiſſe, à quo nonniſi poſt Conſtantii obitum revocatos conſtat. Hæc Synodicæ verba: *Blaſphemias quoque omnes, quas literis veſtris ſubjeciſtis, damnamus, maximèque eorum Sacerdotes Apoſtatas reſpuentes, qui in loca fratrum indigniſſimè exulantium, quorumdam aut ignoratione, aut impietate ſunt ſubſtituti.* Ad hæc in Lege 11 Codicis Theod. *De Epiſcopis*, anno CCC LX, num. IX & ſeqq. à nobis explicata, liquet, jam eo anno hæreſim Arianam in Galliis profligatam fuiſſe; cùm Hiſpanis, Italis & Afris ad Conſtantium Cpoli agentem Epiſcopos Arianos legantibus, Galli eorum exemplum ſecuti non ſint, Juliani Cæſaris rebellione, quæ eo annò in Galliis contigit, viam, ut conjicere licet, ſancto Hilario aperiente, ut Concilium Pariſienſe aliaque celebraret, & Ariminenſis Synodi dolos omnibus notos faceret.

XXIV. *Qua occaſione ab Orientalibus ad Occidentales ſcriptum.*

Præterea *Semiariani*, qui in Concilio Cpolitano anno CCC LX congregato ita ſe geſſerant, ut Orthodoxi haberi poſſent, ſicut teſtatur S. Hilarius lib. de Synodis, illius anni initio in exilium miſſi, quoquoverſum ſcripſere literas adverſus Eudoxium alioſque ejuſdem factionis Epiſcopos, ut Epiſcopi Orthodoxi ab eorum communione tanquam ab animarum peſte abhorrerent, quemadmodum liquet ex epiſtolis 72. 73. & 82. Baſilii Magni. Imò Philoſtorgius lib. 5. cap. 1. de Epiſcopis in Concilio Cpolitano relegatis loquens, ait: *Qui cùm in exilium ducerentur, ſubſcriptiones ſuas, quibus Ariminenſis Concilii Fidem confirmaverant, revocarunt: atque hi quidem conſubſtantialem, illi verò ſimilis ſubſtantiæ Filium iterum prædicarunt.* In Synodica verò Concilii Pariſienſis legitur: *Ex literis veſtris, quas dilecto fratri & Conſacerdoti noſtro Hilario direxiſtis, fraudem Diaboli, & conſpirantia adverſus Eccleſiam Domini Hæreticorum ingenia cognovimus, ut diviſi in partibus Orientis atque Occidentis, diverſis invicem opinionibus falleremur. Nam plures numero, qui aut Arimini, aut Nicææ adfuerunt ſub auctoritate veſtri nominis, ad uſiæ ſilentium ſunt coacti.* Quare Orientales tunc ad Hilarium ſcripſiſſe videntur, & eorum epiſtolæ Synodus Pariſienſis reſpondere: Synodica enim Pariſienſis *ad Orientales Epiſcopos* inſcripta. Neque apparet, alio tempore, quàm anno CCC LX, Orientales illos ad Occidentales ſcribere potuiſſe. Quam conjecturam firmat quod in ea Synodica de Legatis Concilii Ariminenſis dicitur: *Itaque, chariſſimi, cùm ex literis veſtris in uſiæ ſilentio fraudem ſe paſſam ſimplicitas noſtra cognoſcat, eorum pietatem* (legendum *impietatem*) *eorum qui Arimino Cpolim reverterunt, conventos ſicut epiſtola noſtra* (legendum *veſtra*) *contenta teſtatur, neque eos ad tantam rem* (legendum *tantarum*) *blaſphemiarum damnationem potuiſſe compellere, fidelis Dominici nominis prædicator frater noſter Hilarius nuntiaverit.* Ita hunc locum, qui ſine dubio corruptus, emendat Hermantius in Vita S. Athanaſii lib. 10. cap. 12. ubi licèt Concilium Pariſienſe hoc anno cum Baronio indictum

arbitretur, ſuſpicatur tamen, illud jam ab anno ccc lx haberi potuiſſe, innixus ultima ratione, quam mox ex illo retulimus. Denique in Chronico Hieronymi ab Auberto Miræo publicato, in quo ſolæ Olympiades notantur, hæc verba, *Gallia per Hilarium Ariminenſis perfidiæ dolos damnat*, copulat cum anno quarto Olympiadis cc lxxxiv, qui Kalendis Septembris anni Chriſti trecenteſimi quinquageſimi noni inchoatur. In eo enim Chronico Olympiades cum anno populari, qui Antiochenus erat, auſpicantur, idque anno ante Olympiades communes. Quare Concilium Pariſienſe anno ccc lx ante menſem Septembrem celebratum.

XXV. *Martyrium Joannis & Pauli.*

Ad num. LII. *Joannes & Paulus fratres* paſſi ſunt quidem Juliano imperante; cùm Beda aliique Martyrologi hujus martyrii meminerint. Verùm hujus Paſſionis Acta à Surio die xxvi Junii recitata ſpuria eſſe, jam anno ccc xxx num. viii oſtendi.

XXVI. *Duo Saluſtii malè hactenus confuſi.*

Ad num. LIII. *Saluſtium* Præfectum Prætorio Galliarum dirè eas exagitaſſe, deducit Baronius ex Hieronymo de Scriptoribus Eccleſiaſt. in Hilario, ubi ait, Sanctum Hilarium Pictavienſem Epiſcopum adverſus eundem Commentarium ſcripſiſſe; quod verum eſſe non poteſt, niſi contra vulgarem ſententiam duo Saluſtii diſtinguantur; quod Gothofredo in Proſopographia Cod. Theod. verbo *Saluſtius*, & verbo *Secundus*, ac Hermantio in Notis ad Vitam Gallicam S. Athanaſii à ſe compoſitam lib. 10. cap. 11. noſtra ætate obſervatum, quodque hic certis argumentis magis ſtabiliendum, ne unus pro alio ſumatur, aut quæ tanquam indubitata haberi debent, in dubium revocentur. Uterque itaque *Saluſtius* Præfectus Prætorio fuit, alter in Galliis, alter in Oriente. Qui in Galliis, anno ſequenti Juliani in quarto ejus Conſulatu Collega fuit: qui verò Præfecturam Orientis adminiſtravit, *Saluſtius Secundus* appellatus eſt, ſecus quàm putavit Gothofredus citatus, qui Saluſtii Secundi nomine Conſulem intelligendum vult. Imò Saluſtius Secundus alius non eſt, quàm *Saturninius Secundus*, quem tamen tam Gothofredus loco citato, quàm Valeſius in Notis ad lib. 6. Sozomeni cap. 3. in duos etiam dividunt, quòd apud Gruterum pag. 465. num. 8. & apud Smetium in Inſcript. antiquis Inſcriptio referatur, in qua *Saturninius Secundus* Saluſtius non nominatur. Eam Inſcriptionem Romæ effoſſam hic repræſento.

SATURNINIO. SECUNDO. V. C.
PRÆSIDI. PROVINCIÆ. AQUITANICAE.
MAGISTRO. MEMORIÆ. COMITI. ORDI
NIS. PRIMI. INTRA. CON
SISTORIUM. ET. QUÆSTORI. PRÆF.
PRÆTORIO. ITERUM. OB. EGREGIA
EJUS. IN. REMPUBLICAM. MERITA
D. D. NN. VALENTINIANUS. ET
VALENS. VICTORES. AC TRIUMPHA
TORES. SEMPER. AUGUSTI
STATUAM. SUB. AURO. CONSTI
TUI. LOCARIQUE. JUSSERUNT.

Saturninium Secundum diverſum non eſſe à Saluſtio Secundo, duplex Præfectura Prætoriana Orientis ante Valentiniani & Valentis mortem ab eo geſta certum reddit. Saluſtius enim anno Chriſti ccc lxvii ſecundam Præfecturam depoſuit, Auxoniumque ſucceſſorem accepit. Zoſimus quippe lib. 4. pag. 741. de initio belli Gothici anno ccc lxvii ſuſcepti loquens de Valente ſcribit: *Exercitum propter Iſtri ripam porrigens, & ipſe Marcianopoli degens*, &c. *Præfectum quidem Prætorii declarabat Auxonium, Saluſtio propter ſenectutem hoc munere liberato, qui jam ſecundò Magiſtratum hunc geſſerat.* Quòd ſi *Saturninius Secundus* diverſus eſſet à *Saluſtio Secundo*, utriuſque ejus Præfecturæ aliqua veſtigia in Legibus Cod. Theod. per hæc tempora datis ſupereſſent. Decepit Viros doctos cognominis *Saluſtii* omiſſio in relata Inſcriptione. Verùm obſervare debuerant, quod anno c xxxvii num. v & ſeqq. oſtendimus, Romanos nempe ab Hiſtoricis & in uſu vulgari loquendi quibuſdam quandoque cognominibus appellatos, quæ eis nunquam in Inſcriptionibus Actiſque publicis attribuuntur. Quare *Secundus* à Zoſimo variis in locis, ab Eunapio in Vita Maximi, Rufino lib. 10. Socrate lib. 3. cap. 19. Sozomeno lib. 5 cap. 20. aliiſque *Saluſtius* vocatur: ab Ammiano modò ſimpliciter *Saluſtius* dicitur, uti lib. 23. cap. 5. ubi ait de Juliano Auguſto: *Literas triſtes Saluſtii Galliarum Præfecti ſuſcepit*, anno nempe ccc lxiii, dum in Perſidem pergeret; ſtatimque ait eodem tempore viſum cadaver cujuſdam apparitoris, *quem Præfectus Saluſtius præſens ea re ſupplicio capitali damnarat*. (Qui ultimus Saluſtius diverſus eſt à priori, qui Gallias, dum Secundus Orientem, regebat. Quo etiam ex loco utriuſque Saluſtii diſtinctio manifeſtè patet.) Modò ab eodem Ammiano Secundus Saluſtius nuncupatur, uti lib. 22. cap. 3. ubi de rebus anno præcedenti geſtis loquitur: *Brevì deinde Secundo Saluſtio promoto Præfecto Prætorio ſummam quæſtionum agitandarum ut fido commiſit.* Modò denique ſimpliciter & abſolutè *Secundus* vocatur, ut in Inſcriptione omnium Legum Cod. Theod. quæ eidem inſcribuntur, & à Philoſtorgio lib. 8. num. 8. ubi ait, *Secundum* Præfectum Prætorio operam ſuam contuliſſe, ut Valentinianus Senior Imperator eligeretur. Quæ narrans Zoſimus lib. 4. pag. 734. ait: *Omnium ſuffragia in unum Saluſtium Præfectum Prætorii concurrebant: illo ſenectutem prætendente, filium ſumma rerum præfici poſtulabant.* Ex quo & habemus, *Saluſtium* iſtum *Secundum* vocatum fuiſſe.

XXVII. *Duplex Præ-*

Sed, ut de utroque Saluſtio ſeorſim agam, Secundus Saluſtius anno præterito Præfectus

fectura Secundi Saluſtii.

Prætorio Orientis à Juliano Auguſto poſt Conſtantii Auguſti mortem renuntiatus fuit, ut mox diximus ex Ammiano lib. 22. cap. 3. Eum ea in dignitate *Helpidio* ſucceſſiſſe, docet Libanius epiſt. ad Julianum 648. & 655. Sed utraque adhuc inedita. Fuit *Helpidius* Chriſtianus, cujus uxor *Ariſtanete* extitit, mulier ob pietatem eximiam celebris, quæ Sanctos Antonium & Hilarionem magnopere coluit, ut docet Hieronymus in Hilarionis Vita. *Secundus* Gentilis erat, ut teſtantur Socrates, Sozomenus, & Rufinus locis laudatis; vir tamen perilluſtris, ut fidem facit ſtatua aurea ei à Valentiniano & Valente Imperatoribus Chriſtianis poſita; exercitúſque ſuffragium, ut Imperator fieret. Julianum Aug. in expeditione Parſica comitatus eſt. Eam Præfecturam continuavit uſque ad electionem Valentiniani, quâ peractâ, cùm milites adminiſtrationes alioſque magiſtratus à Juliano datos auferrent, eorum *in numero Præfectus etiam Prætorii Saluſtius erat*, inquit Zoſimus lib. 4. pag. 735. In Secundi locum *Nebridium* ſubrogatum fuiſſe affirmat ibidem Zoſimus pag. 737. ubi ait: *Cùmque Cæſarium, quem Imperatores Præfectum Urbis conſtituerant; itemque Nebridium, quem poſt Saluſtium Præfectum Prætorii fecerant, apprehendiſſet: hos quæcumque ſibi viderentur, ad ſubditos ſcribere coëgit*, Procopius nempe; cùm anno CCCLXV menſe Septembri Conſtantinopoli tyrannidem arripuit. Ammianus lib. 26. cap. 7. Zoſimo ſuffragatur, cùm de eadem defectione loquens ait: *Confeſtim Nebridius in locum Saluſtii Præfectus Prætorio factione Petronii recèns promotus, & Cæſarius Conſtantinopolitanæ urbis Præfectus, in vincula compinguntur*, à Procopio ſcilicet. Nebridium porro anno CCCLXIV, paulò antequam Imperatores inter ſe partiti fuiſſent Imperium, Secundo Saluſtio ſubſtitutum fuiſſe, modus loquendi Zoſimi indicat, duplexque *Secundi* Præfectura Orientalis; alioquin hic non duplicem Præfecturam, ſed triplicem adminiſtraſſet. Quo pacto, Leges aliquæ Cod. Theod. anno CCCLXIV, & anno CCCLXV ante menſem Septembrem *Secundo Præfecto Prætorio* directæ, anno CCCLXVI, vel initio CCCLXVII, (quo tempore ſecundam Præfecturam Secundus geſſit) emiſſæ, deceptuſque Gothofredus in Chronologia Cod. Theod. qui *Secundum* anno CCCLXIV & CCCLXV Præfectum Prætorio Orientis fuiſſe credidit. Ille tamen ex variis Conſtitutionibus ad *Voluſianum P. U.* id eſt, Præfectum Urbis anno CCCLXIV & CCCLXV datis; quo non Voluſianus, ſed Symmachus Præfectus Urbis erat, quaſque ideo ad annum CCCLXXIII Gothofredus retrahendas eſſe rectè vidit, intelligere poterat, Leges illas ad Secundum Pf. P. miſſas, extra ordinem in Codice Theodoſiano pariter recitari: quæ tranſpoſitio eo in Codice non infrequens.

XXVIII. *Secunda Præfectura Secundi Saluſtii.*

Sed quidquid hac de re ſit, rectè ſcribit Libanius in epiſtola ultima, *Secundum* à Juliano Præfecturam Prætorianam primùm nactum; in eâque à Valente Imperatore firmatum, & quidem, ut conjectura eſt, poſt *Nebridii* mortem, & non ante eam. Is paulò poſtquam in carcerem à Procopio conjectus fuit, fato functus eſt, ut Valeſius in Notis ad

Seculum IV.

Ammianum lib. 26. cap. 7. colligit ex Themiſtio in Oratione nona juxta veterem ordinem, ubi Themiſtius inquit: *E ſummis verò Magiſtratibus alter qui erat verè mortuus, non credebatur: qui vivebat, mortuus putabatur.* Hi enim ſummi Magiſtratus alii eſſe non poſſunt quàm *Nebridius* Præfectus Prætorio, & *Cæſarius* Urbi Præfectus. Quorum Nebridius cùm brevi poſt abiiſſet è vita, adhuc vivere fingebatur, ut literis ejus nomine inſcriptis Procopius populum ad ſe pelliceret. Nebridio demortuo, vel ſaltem in carcere detento, Valens Saluſtium ſeu Secundum iterum Præfectum Prætorio declaravit. Tradit enim Eunapius in Maximo, Procopio tyrannidem Conſtantinopoli exercente Saluſtium res Imperii curaſſe. Præfecturam itaque hac ſecunda vice uſque ad annum CCCLXVII, quo poſt inchoatum bellum Gothicum Valens ei Auxonium ſuffecit, continuavit, ut jam ex Zoſimo docuimus, quem etiam ſucceſſorem ei Eunapius citatus attribuit. In Codice Theodoſiano aliquæ Conſtitutiones reperiuntur annis CCCLXV & CCCLXVI datæ, & ad Secundum Pf. P. inſcriptæ, & poſt eum annum nulla ampliùs ejus mentio. Sed earum Legum ſubſcriptiones vel in urbe quâ datæ ſunt, vel in Conſulibus, vel in aliis temporis characteribus mendoſæ.

XXIX. *Præfectura Gallica Saluſtii.*

Venio ad *Saluſtium* alterum, cui pars maxima eorum quæ ad *Secundum Saluſtium* pertinent, huc uſque per errorem attributa. Hunc Conſtantius cum Marcello in Gallias ablegavit, quando eiſdem Julianum Cæſarem præfecit: *Illis ipſis, non Cæſari, tota iſthic adminiſtratione credita*, ut prodit Zoſimus lib. 4. pag. 703. qui poſtea pag. 707. dicit, Conſtantium Saluſtium acceſſiſſe. Hinc in Operibus Juliani Imp. habetur *Juliani Imp. ob diſceſſum Saluſtii conſolatoria Oratio VIII*, in qua quantum eum diligeret, oſtendit. Succeſſit Saluſtius in Gallica Præfectura *Nebridio*, de quo Ammianus lib. 20. cap. 9. in geſtis anni CCCLX ait: *In locum Florentii Præfectum Prætorio Nebridium, tum Quæſtorem ejuſdem Cæſaris promoverat*, ſcilicet Conſtantius. Sed cùm juramentum Juliano præſtare nollet, *ad larem ſuum receſſit in Thuſciam*, inquit Ammianus lib. 21. cap. 5. dum de rebus eodem anno geſtis ſermonem habet. Tum cap. 8. loquens de rebus anni CCCLXI: *Diſcedens inter hæc Julianus à Rauracis Saluſtium Præfectum promotum remiſit in Gallias, Germaniano juſſo vicem tueri Nebridii.* Erat autem Nebridius (ut hunc locum obiter explicem) Juliani Quæſtor, cùm Conſtantius eum Præfectum Prætorio Galliarum deſignavit; ut mox ex Ammiano diximus: cujus Quæſturam Conſtantius in diſpoſitione Juliani Cæſaris reliquerat; quia is factus à militibus Auguſtus ad Conſtantium ſcripſerat; Præfectos Prætorio ſe ab illo accepturum: reſiduos vero ordinarios Judices, militiæque moderatores ſuo arbitrio concedi conſentaneum eſſe. Quas Juliani literas refert Ammianus lib. 20. cap. 8. poſt quas Conſtantius *Nebridium* Præfectum Prætorio creavit, præcepitque Juliano, *intra Cæſaris ſe poteſtatem continere*, ut cap. 9. habet Ammianus. In Codice Theodoſiano nullæ Leges ad Saluſtium anno CCCLXI directæ leguntur, ſed anno

CCC LXII complures inſcriptæ, modò *Saluſtio Pf.* modò *Secundo Pf.* argumento evidenti hos Præfectos diverſos fuiſſe, & Saturninium Secundum in Actis publicis Saluſtium appellatum non fuiſſe. Saluſtius Galliarum eam dignitatem geſſit anno CCC LXIII, quo Conſul proceſſit. Ammianus enim initio libri 23. ait: *Julianus jam ter Conſul aſcito in Collegium Trabeæ Saluſtio Præfecto per Gallias, quater ipſe ampliſſimum inierat magiſtratum.* Quis ei in Præfectura Gallica ſucceſſerit, incertum. Ex his liquet, duos eodem tempore floruiſſe *Saluſtios*, alterum Præfectum Galliarum, alterum Præfectum Orientis: cujus diverſitatis primus ex Antiquis meminit Suidas in voce *Μαῖος*; & quibus characteribus alter ab altero dignoſci poſſit, quando ejus mentio, vel in Annalibus Eccleſiaſticis, vel in Hiſtoricis profanis occurrit.

Baron. ann. 386. num. XXIX.

Anno CCC LXXXVI loquitur Baronius de Saluſtio Præfecto Urbi ſub Valentiniano Juniori, cui is literas dedit de conſtruenda Baſilica S. Pauli Apoſtoli viâ Oſtienſi: ſed Saluſtius iſte à duobus præcedentibus diverſus ac Chriſtianus.

XXX. *Julianus Chriſtianos & docere & diſcere vetuit.*

Baron. num. CC LXXXII & ſeqq.

Ad num. LVI & LVII. Baronius putavit, Julianum prohibuiſſe quidem Chriſtianos docere, ſed à diſcendo eoſdem ab eo rejectos non fuiſſe, ideoque & erraſſe Rufinum lib. 10. cap. 32. Socratem, Sozomenum & Theodoretum, imò & Auguſtinum lib. 18. de Civit. Dei cap. 52. qui ſcripſere, edicto Juliani non tantùm à docendo, ſed etiam à diſcendo Gentilium literas Chriſtianos vetitos fuiſſe. Præcipuum Baronii fundamentum, epiſtola Juliani 42. ubi Chriſtiani prohibentur docere. Verùm quid vetat, inquit Hermantius in Vita S. Baſilii M. lib. 2. cap. 26. Julianum alio poſtea edicto, quod ad nos non pervenerit, prohibuiſſe quod epiſtola illa 42. non prohibuit? Certè quod Nazianzenus Orat. 3. & Theodoretus lib. 3. cap. 4. referunt tanquam deſumtum ex edicto, quod Chriſtianis ſtudio literarum interdicebat, in ea Juliani epiſtola non legitur. Quare cùm Rufinus & Auguſtinus de re à ſe viſa loquantur, tutò illis hac in re fides adhiberi poteſt. Nec urget quod ex Ambroſio epiſt. 30. ad Valentinianum Imp. ſcribente refert Baronius: *Petunt etiam, ut illis privilegia deferas, qui loquendi & docendi noſtris communem uſum Juliani Lege proxima denegarunt.* Quibus verbis, inquit Baronius, ſignificat Ambroſius, Ethnicos edicto Juliani fultos Chriſtianis denegaſſe jus acquiſitum loquendi & docendi. At, ut rectè Hermantius, vox illa *loquendi* ſtudium eloquentiæ artemque ſermonis, quam præcipuè Chriſtianis Julianus invidebat, deſignare poteſt. Affert & Hieronymum in Chronico Baronius, ubi dicitur: *Proæreſius Sophiſta Athenienſis, Lege data ne Chriſtiani liberalium artium Doctores eſſent, cum ſibi ſpecialiter Julianus concederet, ut Chriſtianos doceret, Scholam ſponte deſeruit.* Sed reſpondet Hermantius, ſatis fuiſſe Hieronymo de prohibitione docendi loqui, cùm ſolùm Proæreſii occaſione de Juliani edicto in Chronico ageret: quod factum videmus ab Auguſtino de Victorino ſermonem habente lib. 2. Confeſſ. cap. 8. Quòd ſi ex Hieronymi omiſſione concludendum ſit, ex ejus ſententia Julianum ſtudium Chriſtianis non prohibuiſſe, idem dicendum erit de Auguſtino, quem tamen conſtat lib. 18. de Civitate cap. 25. diſertè exprimere quod lib. 8. Confeſſ. cap. 2. ſilentio preſſit. Gregorium Nazianzenum, idem quod Rufinus & Auguſtinus ſcripſere, aſſerentem erroris arguere Baronius non audet. Sed, cùm Nazianzenus magis oratoriè quàm hiſtoricè loquatur, in veram ejus mentem penetrare non ita facile. Cùm tamen Gregorius Preſbyter in ejus Vita, & Billius Abbas in Commentario eundem juxta noſtram ſententiam interpretati fuerint, non dubito, quin & ipſe idem quod Rufinus & Auguſtinus in literas miſerit. Sed plura hac de re Hermantius laudatus.

XXXI. *Muſonius prohibitus non eſt docere.*

Baron. num. CC XCVII.

Ad num. LXIX. Baronius, ut oſtendat, *Julianum* vetuiſſe *Muſonium* docere, affert hunc Eunapii locum in Vita Philoſophorum: *Idem, Juliano imperante, excluſus à docendi munere, quòd Chriſtianus haberetur, cernens Hierophantam tanquam Delphicum tripodem omnibus futura præſcire optantibus eſſe expoſitum, mira quadam & nova arte cognitionem hujuſce rei fraudulenter intercepit.* Verùm ille Eunapii locus non de Muſonio, ſed de *Proæreſio* intelligendus, ut jam Viris doctis obſervatum; etſi eo loco paulò ante de Muſonio jam egerit Eunapius. Quare non tantùm ex Hieronymi loco numero præcedenti recitato colligitur, *Proæreſium* Chriſtianum fuiſſe, verùm & ex iſto Eunapii.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5856. ☉ 8 E. ☽ 3. P. 20. April. Olymp. 285. *ſecundum Baronium.*
Indict. 6.
Jesu Christi 363.
Liberii Papæ 12.
Juliani Imp. 3.

I. *Conſules.*

Coss. *Julianus Aug. IV* & *Saluſtius.* Juliani Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam: eum enim Imperii Cæſarei Decennalia exhibuiſſe monſtrant varia ejus Numiſmata à Mediobarbo recitata, in quorum poſtica legitur: Votis X. Mult. XX. Quæ formula in Decennalibus in Nummis per hæc tempora de more ſculpta. Hæc autem ſolennia anno uno anticipata ſunt; cùm Quinquennalia anno CCC LX dederit. Julianus antequam in Perſas moveret, hæc Decennalia Vota emiſiſſe videtur, ut Deos ſuos magis ſibi propitios faceret. Horum Decennalium præbet indicium, quod ſcribit Ammianus initio libri 23. *Et videbatur novum, adjunctum eſſe Auguſto privatum, quod poſt Diocletianum & Ariſtobulum nullus meminerat geſtum.* Novitates enim plerumque annis hujuſmodi feſtivitatibus addictis introductæ. Ammianus tamen memoriâ labitur, vel potiùs locus corruptus eſt: Maximianus enim Herculius Auguſtus ſecundum Conſulatum Januario Collega geſſit anno CC LXXXVIII; qui Conſulatus quartus eſt à Conſulatu Diocletiani & Ariſtobuli. Hujus feſtivitatis occaſione perſecutio adverſus Chriſtianos aucta fuit.

Decennalia Juliani.

II. *Reædificatio*

Ad num. II & III. Philoſtorgius lib. 7. num 14. pluribus agit de Hieroſolymitani

Templi Hieroſolymitani — Baron. n. v.

Templi ſub Juliano reſtitutione, quæ magna ex parte Nicephorus exſcripſit. *Julianus*, inquit Philoſtorgius, *cum urbem Hieroſolyma inſtaura. injuſſiſſet, eo conſilio, ut Domini noſtri de illa prædictiones irritas eſſe convinceret, prorſus contrarium iis quæ moliebatur, effecit*, &c. Hæc etiam reædificatio Decennalium Juliani ſignum. Annis enim hujuſmodi feſtis deſtinatis Templa, urbes, aliaque publica monumenta de more conſtructa, non eſt cur ulteriùs moneamus.

III. *Julianus funera de die fieri vetuit.* — Baron. num. XX & ſeqq.

Ad num. V. *Julianus*, antequam in Perſas duceret, dedit Legem 5. Codicis Theod. *De Sepulchris violatis*. & quidem ad *populum* ſc. Antiochenum, in quem male affectus erat, utpote qui potiſſima parte Chriſtianus eſſet. Sanè Julianus ipſe in *Miſopogone* fatetur, totum populum Antiochenum impietatis ſectam (ſic impius ille Chriſtianam Religionem vocat) ſectari, ejuſque civitatis Chriſtum fuiſſe veluti Numen tutelare ab ipſis civibus habitum, & vehementer cultum. In eo edicto *Julianus* nocturna funera introducere, & exequias mero die factas tollere voluit: potiorem rationem è veteri Jure Pontificio, quâ & Majores nocturnam elationem induxere, deſumit. Eſt autem hæc, quòd videlicet funeris aſpectu funeſtari, ac proinde ad ſacra ineptos reddi, veteri illo Jure creditum eſſet. *Quod quidem*, inquit Julianus, *oculos hominum infauſtis inceſtat aſpectibus. Qui enim dies eſt bene auſpicatus à funere? Aut quomodo ab Deos & Templa venietur?* Ex mox: *Liberari convenit populi totius aſpectus*. Quibus concinit Servius lib. 11. Æneid. ad verba illa, *rapuere faces. Quia*, inquit, *in religioſa civitate cavebant, ne aut Magiſtratibus occurrerent, aut Sacerdotibus, quorum oculos nolebant alieno funere violari.* Neque dicas cum Baronio, referre Gellium lib. 10. cap. 15. etſi fas non eſſet Pontifici, vel Flamini Diali mortuum intueri, & feralia tangere, funus tamen exequi, ne quidem Pontifici religioni fuiſſe. Neque enim hæc ſunt contraria. Non fuit religioni Pontifici funus exequi de nocte, quo tempore Sacra non celebrantur: religioni fuiſſet de die, ut in indictivo funere. Vide exemplum in Tiberio apud Dionem lib. 55. in funere Cæſaris Auguſti, quo tempore Sacrorum celebratio diurna fiebat. Itaque deceptus eſt Baronius, cùm rationem hanc, quâ Julianus utitur, à priſco Jure Pontificio alienam prodit. Inceſtari quippe oculos hominum & conſpectu funeris diurno, & funeris proſecutione diurna, veteri Jure Pontificio jactatum eſt, ut fuſiùs probat Gothofredus, ex quo hæc exſcripta, in illius Legis Commentario.

IV. *Juliani interitus.* — Baron. num. LIII & ſeqq.

Ad num. XIV & XV. De genere mortis, quo Julianus Auguſtus periit, variæ admodum ſententiæ fuere, ut oſtendit Gothofredus in Diſſert. in lib. 7. Philoſtorgii cap. 15. ubi tamen oblitus eſt referre quod Eutychianus Chrongrophus, qui huic bello interfuit, apud Joannem Malelam, & Auctor Chronici Alex. narrant, Julianum nempe lanceâ divinitus transfixum fuiſſe à S. Mercurio Martyre, quòd S. Baſilium Seleucenum Epiſcopum veneno extinxiſſet; quod inquit Cangius in Opere de Familiis Auguſtis Byzantinis pag. 51. antiquæ picturæ conſentaneum, quæ in Codice MS. Operum Gregorii Nazianzeni, Baſilio Macedone imperante, exarato, in Bibliotheca Regia cernitur. In eo epictus eſt Julianus ad terram proſtratus, equite cum lancea inſtante, ſuprà cujus caput inſcriptum: ΑΓΙΟϹ ΜΕΡΚΟΡΙΟϹ, id eſt, Sanctus Mercurius. Sublatus eſt Julianus VI Kalendas Julias, die nempe vigeſima ſexta Junii, ut Ammianus, Socrates, Idacius in Faſtis & Auctor Chronici Alex. teſtantur. Socrates, qui anno tertio Imperii eum occiſum ſcribit, initium ejus repetit à tempore, quo Pariſiis, vivente adhuc Conſtantio, à militibus dictus eſt Imperatot. Annum enim tantùm ac menſes octo inchoatos eum poſt Conſtantium imperaſſe certum eſt.

V. *Ætas Juliani.* — Baron. num. LXIII.

Interfectus eſt *anno ætatis altero & triceſimo*, inquit Ammianus lib. 15. id eſt, anno ætatis triceſimo ſecundo, ut rectè Hieronymus, Hermannus Contractus, Marianus Scotus in Chronicis, & Valeſius in Notis ad Ammianum ſcripſere. Sic Cicero, Quintilianus aliique loquuntur, & in numeralibus vocem *alter* ſæpe pro ſecundo uſurpari, Robertus Stephanus in Theſauro linguæ Latinæ aliquot exemplis demonſtrat. Ipſemet Julianus in epiſt. 5. ad Alexandrinos, XXXII annos natum ſe eſſe dicit; quod in *Miſopogone* ſignificat. Neque contrarius eſt, ut loco laudato arbitratur Valeſius, Socrates, quando lib. 3. ſcribit, Julianum anno ætatis triceſimo primo periiſſe: ſed tantùm indicat triceſimum ſecundum incompletum fuiſſe: quod verum eſt.

VI. *Sepultura Juliani.* — Baron. num. LXIX & ſeqq.

Cadaver Juliani in Ciliciam deportatum, *non conſulto quidem conſilio, verùm caſu quodam, è regione ſepulchri, quo Maximiani oſſa continebantur, ſemitâ ſolâ loculos abinvicem ſeparante*, inquit Philoſtorgius lib. 8. cap. 2. ubi de Maximino Imp. loquitur, qui errôre familiari Græcis, ſæpe dicitur Maximianus. Prope igitur Maximini cadaver convenienter, etſi caſu, velut qui inter ſe tot in rebus conveniebant. Hinc factum, ut Zoſimus lib. 2. Maximianum Herculium *Tarſi* ſepultum perperam ſcripſerit. Julianus in epiſt. laudata ad Athenienſes, ut eis Religionem Chriſtianam execrabilem redderet, de ſe loquens ait: *Non à recto tramite aberrabitis, ſi ei fidem habeatis, qui ad annum uſque viceſimum ætatis illâ viâ progreſſus eſt*, (id eſt, Chriſtianus fuit) *& hunc alteram modò duodecimum jam inſiſtit annum*. Scripta, ut videtur, ea epiſtola præſenti anno ante expeditionem Perſicam. Quare Julianus anno circiter trecenteſimo quinquageſimo primo, *clam Gentilium ſuperſtitionem amplexus eſt. Poſt hæc jam virilem ingreſſus ætatem promptiùs ad hæc ferri, eaque agere cœpit*, inquit Sozomenus lib. 5. cap. 2. Quo etiam ex loco liquet, Baronium & communiter recentiores Hiſtoricos, qui Julianum anno ætatis triceſimo primo occiſum volunt, hallucinatos eſſe. Juliano ſucceſſit *Jovianus*.

VII. *Alexandrina Synodus* — Baron. num. CXXXII & ſeqq.

Ad num. XIX. In libello Synodico Alexandrina Synodus ab Athanaſio celebrata his verbis deſcribitur: *Piiſſimus Imperator Jovianus, miſſa Alexandriam ad Athanaſium Legatione, immutabilem veræ Orthodoxiæ definitionem quæſivit. Is igitur delectos Ægypti, Thebaïdos & Libyæ Epiſcopos con-*

gregans, definitionem Synodicam gratiâ & veritate plenam, Joviano Chriſti amanti miſit. Quare rectè Baronius hanc epiſtolam ſcriptam exiſtimavit in Synodo Epiſcoporum totius Ægypti, quos Athanaſius, accepto Joviani edicto, ſtatim Alexandriam evocaverat. Libello Synodico ſuffragatur Nicephorus lib. 10. cap. 42. ubi ait, *Athanaſium* Synodum Provincialem Alexandriæ coëgiſſe, præfatamque Athanaſii epiſtolam, quam integram recitat, ad Jovianum Aug. miſiſſe. Valeſius tamen in Notis ad Theodoretum lib. 4. cap. 5. ſuſpicatur, hanc epiſtolam ſcriptam eſſe ab Athanaſio *Antiochiæ*, quò unà cum aliquot Epiſcopis Ægypti ac Libyæ ſe contulerat, ut Jovianum Imp. illic ſalutaret. Cùmque Imperator regulam Fidei ab illo & à reliquis Epiſcopis flagitaſſet, ut teſtatur Nazianzenus in Oratione funebri de laudibus Athanaſii, Athanaſius, collatione habita cum Epiſcopis Ægypti ac Libyæ, qui ipſum comitabantur, epiſtolam de Fide ſcripſit ad Jovianum. Quam conjecturam confirmat Valeſius titulo ipſius epiſtolæ, qui rectè ſic habet: *Athanaſius, & reliqui Epiſcopi, qui venerunt ex perſona omnium Epiſcoporum Ægypti, Thebaïdos, ac Libyarum.* Ubi non dicit Theodoretus, Epiſcopos illos in unum conveniſſe, ut malè vertit Chriſtophorſonus, qui Baronio impoſuit, ſed tantùm veniſſe. Quo verbo ſignificatur, Epiſcopos illos, qui cum Athanaſio erant, miſſos fuiſſe ab univerſis Epiſcopis Ægypti ac Libyæ, ut pro Athanaſio teſtimonium redderent apud Jovianum Imp. Ita Valeſius. Verùm vana hæc conjectura. Theodoretus enim cap. 2. antequam epiſtolam illam Synodicam referat, ait: *Scripſit etiam* (nempe Jovianus Imp.) *literas ad Athanaſium, egregium illum Nicenæ Fidei defenſorem, petens, ut accuratam de Divinis rebus inſtitutionem ad ſe perſcriberet. Hic igitur* Congregatis *Epiſcopis, qui doctrinâ excellere videbantur, reſcripſit Joviano, ſuadens, ut Fidem Nicææ olim expoſitam, tanquam Apoſtolicæ doctrinæ conſentientem ſervaret.* Præterea cùm in ea Synodica ne verbum quidem in gratiam Athanaſii legatur, verum eſſe non poteſt, quod ait Valeſius, Epiſcopos illos, qui cum Athanaſio erant, Antiochiam miſſos fuiſſe, qui pro Athanaſio teſtimonium dicerent coram Joviano.

VIII. *Synodus Antiochena.* Ad num. XX. Jovianus Imp. *menſe Hyperberetæo*, (id eſt, Octobri) *Antiochiam advenit*, inquit Theophanes. Ammianus lib. 25. teſtatur, cum in ea urbe *moratum pauliſper* eſſe, & *flagrante hieme* inde profectum Tarſum Ciliciæ urbem veniſſe, ac poſtea Ancyram. Quare poſt menſem Septembrem Synodus Antiochena habita videtur. Agit de ea Libellus Synodicus, ubi dicitur, eam Nicæna decreta ſynodicè confirmaſſe. Sed quia hæc verba epiſtolæ Synodicæ à Sozomeno lib. 6. cap. 4. recitatæ, *ut ſc. Filius ex ſubſtantia Patris genitus, & quoad ſubſtantiam Patri ſimilis eſſe intelligatur*, in perverſum ſenſum ab his, qui non bene de Meletio ſentiebant, acciperentur; quòd voces illæ, *ſimilis in ſubſtantia*, Semiarianis & Macedonianis communes eſſent; ſcriptus adverſus hanc Synodum Antiochenam liber, qui tom. 1. Operum Athanaſii legitur, cujus titulus eſt: *Refutatio Hypochriſeos Meletii, Euſebii & Pauli Samoſatenſis.* Qui liber Athanaſio perperam adjudicatus, cùm potiùs ſit Paulini Antiochenſis, aut alterius ex ejus factione. Imò D. Hieronymus, qui Paulinum ſequebatur, in Chronico ſuo ſcripſit: *Synodus Antiochiæ à Meletio & ſuis facta: in qua homouſio anomeoque rejecto medium inter hæc homoiouſion Macedonianum dogma vindicaverunt.* Ita enim in omnibus exemplaribus legitur.

Baron. num. cxl & ſeqq.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5857. ☉ 9 DC. ☽ 4. P. 4. April.
Indict. 7.
Jesu Christi 364.
Liberii Papæ 13.
Valentiniani et Valentis Impp. 1.

I. *Conſules.* Coss. *Jovianus Aug.* & *Varronianus Nobiliſſimus puer*: uterque juxta priorem Conſulatuum Cæſareorum regulam; qui enim Nobiliſſimi pueri nomine cohoneſtabantur, Conſulatu poſthac, non minus quàm Cæſares, initio dignitatis exornati.

II. *Obitus Joviani Aug.* Ad num. I & II. Jovianus decimo quarto Kalendas Martii, die nempe decima ſexta menſis Februarii mortalitatem exuit. Major enim fides Eutropio tunc viventi, illudque teſtanti habenda, quàm Socrati, qui XIII Kalend. aut Auctori Chronici Alex qui XII Kalend. aut denique quàm Idacio in Faſtis, qui XI Kalend. Martii diem ſupremum obiiſſe Jovianum tradunt. Quod ex eo certum redditur, quòd Ammianus lib. 26. aſſerat, poſt Joviani mortem, diebus decem nullum Imperii tenuiſſe gubernacula. A die autem decimo quarto Kalendas Martias ad quintum Kalendas ejuſdem menſis, quo ex Ammiano & Idacio laudatis inauguratio Valentiniani contigit, decem dies intercedunt, bis VI Kalend. (hic enim annus biſſextilis eſt) numeratis. Valentinianus itaque die viceſima quinta Februarii, ſeu VI Kalend. Mart. Imperator dictus, ipſo nempe die intercalari: ſed eo tanquam infauſto vitato, poſtridie, quinto nempe Kalendas Martias, ſeu die XXVI Februarii Imperium ſuſcepit, ut docet Ammianus initio lib. 25. Hoc biſſextum præcedentium ſubſequentiumque certa regula eſt, evincitque primum Chriſtianæ Æræ annum cum anno Juliano quadrageſimo ſexto concurrere, ideoque Chronologiam Baronii ante Diocletiani Imperium annos biſſextiles loco ſuo movere.

Baron. num. 1 & ſeqq.

III. *Valentinianus fit Imperator.* Socrates initio lib. 4. ait: *Cùm Imperator Jovianus Dadaſtanis extremum diem obiiſſet, die decimo tertio Kalendas Martii Conſulatu ſuimet ipſius & Varroniani filii: milites ex Galatia progreſſi ſeptimo poſt die Nicæam Bithyniæ pervenerunt: atque ibi communi ſuffragio Valentinianum Imperatorem renuntiant ſexto Kalendas Martii iiſdem Conſulibus.* In Græco legitur, ἐν τῇ αὐτοῦ ὑπατείᾳ, id eſt, *in ipſo ejus Conſulatu*, Joviani nempe & Varroniani. Quare emendandum quod ſcripſi in ſecunda parte Diſſertationis Hypat. cap. 13. num. 10. ea verba Græca de Valentiniano in ſequentem annum Conſule deſignato in-

Baron. num. IV.

telligenda eſſe. Manifeſtum eſt enim, Socratem de ipſius Joviani & Varroniani Conſulatu loqui. Socrates & Ammianus tradunt, Valentem Imperii conſortem factum v Kalend. April. quod quidem Ammianus diſertis verbis aſſerit; Socrates verò indicat, quando ait, Valentem triceſimo pòſt die, quàm Valentinianus Auguſtus fuerat nuncupatus, id factum eſſe. Dies tamen illi more Romano numerandi, à quinto nempe Kalendas Martii ad quintum Kalendas Aprilis, ultimuſque terminus excludendus. Alioquin à quinto Kalendas Martii ſeu à die viceſima quinta Februarii illi triginta dies numerati deſinerent in diem viceſimum quintum Martii, ſeu octavum Kalendas Aprilis. Quare apparet Ammianum & Socratem inter ſe conſentire, & errare Idacium in Faſtis ac Auctorem Chronici Alex. qui Valentis inaugurationem in diem IV Kalendas Aprilis referunt.

IV. *Imperium in Occidentale & Orientale diviſum.* Baron. num. VIII.

Inter Valentinianum & Valentem diviſum Imperium in Occidentale & Orientale. Valentinianus Occidentem integrum ſibi ſervavit, qui Conſtantino juniori & Conſtanti ceſſerat; puta totum Illyricum ex Lege 7. Codicis Theod. *De metallis*. Italiam, Africam, Gallias, Hiſpanias, Britannias: Valenti verò fratri reliquit omnem Orientem, quod laudata Lex teſtatur, Ægyptum uſque & Thraciam, teſte Zoſimo lib. 4. pag. 735. Quare inpoſterum qui Conſules in Occidente, qui in Oriente deſignati fuerint, declarare juvabit, idque ex variis quæ ſuperſunt Antiquitatis monumentis. Factum id primùm quidem ab Onuphrio in Faſtis; ſed quia poſt ejus mortem variæ Inſcriptiones è terra erutæ, variaque hac in re à Viris doctis paſſim annotata ſunt, hanc Faſtorum partem non parum me illuſtraturum ſpero.

V. *Concilium Lampſacenum.* Baron. num. XII.

Ad num. VI. Sozomenus Concilium Lampſacenum hoc anno celebratum docet, Socrates verò illud in annum ſequentem confert. Sed quia Baronius exiſtimabat inter utrumque convenire, reprehendit Sozomenum, quòd ſcripſerit, Valenti, relicto fratre, Cpolim redeunti occurriſſe apud Heracleam Legatos Concilii Lampſaceni. Verùm non Sozomenus, ſed Socrates reprehendendus, qui Concilium iſtud in annum ſequentem diſtulerit: qua in re non ſequendus à Baronio, ſed deſerendus erat.

VI. *Procopius Tyrannidem arripit.* Baron. num. XIII.

Ad num. VII. Defectio Procopii anno tantùm ſequenti contigit, cùm nempe exercitus adverſus Gothos mittendus eſſet, Valente ex urbe Cpoli in Bithyniam tranſgreſſo, ulteriúſque tendente in Syriam adverſus Perſas. Qua de re legendi Ammianus lib. 26. Themiſtius Orat. 9. Philoſtorgius lib. 9. cap. 5. Socrates, Sozomenus & Zoſimus. Theophanes ait, Procopium *menſe Septembri Cpoli* rebellaſſe. Idacius in Faſtis ſub primo Valentiniani & Valentis Conſulatu, anno nempe ſequenti, habet: *Ipſo anno latro nocturnus hoſtiſque publicus intra urbem Cpolim apparuit die IV Kal. Octob.* Theophani & Idacio ſuffragatur Ammianus laudatus, dum ait, *prope Kalend. Novembris venturo Valentiniano Pariſios*, eam defectionem eâ die nuntiatam eſſe. Porro Lex 3. *De metallis.* & 11. *De Numerariis.* quæ leguntur in Codice Theod. datæ ſunt Pariſiis, quemadmodum & Lex 13. *De Annona.* xv Kal. Novemb. emiſſa. Valentinianus itaque non hoc anno, ut putavit Baronius, ſed ſequenti Pariſios adventavit. Hoc verò anno ante menſem Septembrem in Italiam ex Oriente reverſus non eſt, ut liquet ex ſubſcriptionibus Legum Codicis Theod. quæ etiam indicant, eum uſque ad menſem Septembris ſequentis anni in Italia fuiſſe.

VII. *Valens in Philoſophos ſævit.* Baron. num. XVI.

Ad num. VIII. Quæ de *Maximo* Philoſopho, & *Priſco* item Philoſopho in Annalibus dicuntur, ad annum ſequentem pertinent; cùm contigerint eo tempore, quo Procopius invaſit Imperium.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5858. ☉ 10 B. ☽ 5. P. 23. MART.
INDICT. 8.
JESU CHRISTI 365. Olymp. 286.
LIBERII PAPÆ 14.
VALENTINIANI ET VALENTIS IMPP. 2.

I. *Conſules.*

COSS. *Valentinianus Aug.* & *Valens Aug.* Uterque juxta primam regulam: ille in Occidente, hic in Oriente Conſul proceſſit.

II. *Concilium Lampſacenum.* Baron. num. II & ſeqq.

Ad num. I. Baronius tria reprehendit in narratione Concilii Lampſaceni, quæ apud Sozomenum lib. 6. cap. 7. legitur. Primum eſt, quòd Sozomenus Catholicos ſeu Conſubſtantialis aſſertores fuiſſe cenſet eos, qui ad Lampſacenum Concilium convenerunt. Baronius enim *Semiarianos* illos fuiſſe demonſtrat. Alterum eſt, quòd Sozomenus eam Synodum refert ante tumultum Procopii, quem Baronius anno præcedenti cœptum eſſe contendit. Lampſacena autem Synodus hoc anno congregata eſt, ut ex Socrate Baronius docet. Poſtremò, Sozomenum arguit, quòd dixerit, Legatos à Lampſacena Synodo miſſos conveniſſe Valentem in urbe Thraciæ Heraclea, redeuntem ex Thraciis. Fratrem enim Valentinianum Romam verſus iter facientem aliquatenus comitatus fuerat Valens, ut ſcribit Sozomenus. Id autem contigiſſe anno præcedenti, Baronius credidit: ac proinde Sozomenum longè falli exiſtimavit. Verùm Baronius valde hallucinatus eſt, dum non animadvertit, Sozomenum & Socratem inter ſe non convenire, ac Socratem perperam *Lampſacenum* Concilium hoc anno celebratum putaſſe. Nec refert, quòd is duos temporum characteres adhibeat, præſentis nempe anni Conſules, & ſeptimum poſt Seleuciæ Concilium annum. Socrates enim etiam dum hujuſmodi notas temporarias uſurpat, non raro in errorem labitur, ut v. g. cùm de Athanaſii morte agit. Quoad primum accuſationis caput, difficile eſt excuſare Sozomenum, niſi dicamus, inquit Valeſius in Notis, pro voce ὁμοούσιον, ſcribendum eſſe, ὁμοιούσιον. Certè Theodoretus in libris Hæreticarum Fabularum, ait Macedonianos, à quibus hanc Synodum collectam eſſe conſtat, primum inrexiſſe, τὸ ὁμοιούσιον. Sed & Sozomenus hanc emendationem confirmat: ait enim in hanc Synodo ſtabilitum eſſe τὸ ὅμοιον κατ' οὐσίαν, id eſt, *ſimile ſecundùm ſubſtantiam*. Ita Valeſius. In ſecundo accuſationis capite Baro-

nius ipſemet fallitur: motus enim Procopii, quem ipſe confert in annum præcedentem, hoc anno certiſſimè contigit.

III. *Itinerarium Valentiniani & Valentis.*

Quoad tertium, ſcribit Sozomenus, cui omnino adhærendum, Valentiniano Imp. cùm relicta Cpoli, ubi triginta diebus cum Valente conſtiterat, teſte Auctore Vitæ Athanaſii apud Photium pag. 1447. Romam contendente & per Thraciam iter faciente, Epiſcopos Helleſponti Bithyniæ, Hypathianum Heracleæ Perinthi (urbs Thraciæ eſt) Epiſcopum elegiſſe, qui peteret ab Imperatore, ut eis convenire permitteretur: & facultate obtenta, Epiſcopos *Lampſacum* conveniſſe: tum Valentem Imp. è Thracia revertentem adiiſſe: *Fratrem enim*, inquit, *Romam proficiſcentem comitatus fuerat. At Valens Legatos Lampſaceni Concilii hortatus eſt, ne ab Eudoxio diſſiderent*, quos contradicentes abire in exilium juſſit. *Poſt hæc Imperator in Syriam perrexit: verebatur enim ne Perſæ inducias rumperent.* Ita Sozomenus, qui capite ſequenti addit, graviora tunc mala perpetrata fuiſſe, niſi bellum Procopii superveniſſet. Imperatores, percurſis Thraciis, in Daciam perrexere. Poſtea Serdicam & Naiſſum venere, teſte Ammiano lib. 26. cap. 5. *ubi in ſuburbano, quod appellatum Mediana à civitate tertio lapide diſparatur, quaſi mox ſeparandi, partiti ſunt Comites*, &c. *Poſt hæc cùm ambo fratres Sirmium introiiſſent, diviſo Palatio, Valentinianus Mediolanum, Cpolim Valens diſceſſit*, inquit Ammianus, cui ſuffragatur Codex Theod. ubi L. 13. *De operibus publicis.* dicitur dat. XIII Kalend. Jul. Med. Divo Joviano & Varroniano Coſſ. id eſt, *Medianæ*, ut rectè interpretatur Gothofredus in Chronologia Codicis Theod. Lex verò 7. *De pactis.* dicitur hoc anno data *III Non. Jul. Sirmio*. Valens, nonniſi *conſumtâ hieme* Cpoli in Syriam feſtinavit, & Bithyniam ingreſſus eſt, inquit Ammianus, ideoque anno elapſo, quo *XIV Kal. April.* Legem Codicis Theod. 11. *De extraordin.* Cpoli dedit. Valentinianus Pannoniâ digreſſus per Arelapen & Emonam Norici civitates Italiam tetendit. Unde menſe Auguſto datæ Arelape L. 2. Cod. Juſt. *De condit. in publ. horr.* Emonæ L. 2. *De Auro coronario*. Tandem Valentinianus Italiam pervenit: menſe enim Septembri & Octobri præcedentis anni variæ Conſtitutiones ab eo Aquileiæ emiſſæ. Quare Hypathianus Heracleæ Epiſcopus Valentem Imp. menſe circiter Junio anni ſuperioris adiit.

IV. *Concilii Lampſaceni epocha.*

Ex his conſtat, Concilium *Lampſacenum* anno antecedenti celebratum eſſe, & Valeſium in Notis ad Sozomenum perperam ſcribere, Valentinianum, cùm Valentem fratrem Auguſtum nuncupaſſet, Cpoli digreſſum eſſe ſub exitum anni trecenteſimi ſexageſimi quarti, comitante eum Valente Auguſto; & per Thraciam profectos ambos Imperatores, veris initio veniſſe in Daciam currenti anno, & in urbe Thraciæ Naiſſo, vel potiùs villa Mediana, exercitus inter ſe partitos eſſe. Mox cùm in Pannoniam veniſſent, in urbe Sirmio Officiales Palatii inter ſe diviſiſſe: & Valentinianum quidem Mediolanum, Valentem verò Cpolim veniſſe. Addit, Valeſius, ex his manifeſtè convinci Valentem anno currenti vernis menſibus è Thraciis rediiſſe, cùm jam Conſul eſſet. Ait enim Ammianus: *Agentes in ſupra memoratis urbibus Principes ſumpſerunt primitus trabeas Conſulares.* Concluditque, ex Ammiani narratione liquere, Valentem non rediiſſe ex Thraciis, niſi currenti anno, quo primùm Conſul cum Valentiniano fuit. At ſi Valeſius ſubſcriptiones Legum Codicis Theod. cum Ammiano contuliſſet, certò ei conſtitiſſet, præfata omnia, quæ ex eo Hiſtorico refert, anno præterito contigiſſe, quo Valentinianus varias Leges dedit Mediolani, Aquileiæ, Altini & Veronæ, poſtquam Cpoli ſeu Sirmio in Italiam rediit. Valens etiam XVII Kal. Janu. præcedentis anni Cpoli dedit Legem 1. Cod. Theod. *Ne quibus publ. lætitia.* Appetente enim Conſulatu ſuo, concuſſionibus, quæ à Conſulatûs ſui, hoc anno geſti, nuntiis adverſus Provinciales exerceri poterant, ea Lege occurrendum voluit. Ceterùm Valentinianum Mediolani, Valentem Cpoli hoc anno Conſulatum exorſos eſſe certum indubitatumque eſt.

V. *Legatio Macedonianorum ad Liberium PP.*

Ad num. II. Valeſius in Notis ad Sozomenum lib. 6. cap. 11. exiſtimat cum Baronio, Socratem Legationem Macedonianorum ad Liberium Papam referre cum Conſulatu ſecundo Valentiniani & Valentis anno CCC LXVIII geſto, & in Notis ad Socratem lib. 4. cap. 12. jam ſcripſerat, eam in annum trecenteſimum ſexageſimum ſeptimum conferendam eſſe. Sed utrobique perperam. Socrates enim refert Conſulatum illum ſecundum Valentiniani & Valentis ad ea, quæ cap. 11. narrat, quóve ejuſdem Conſulatus meminit, non verò ad Legationem Macedonianorum, quam capite ſequenti narrat. Quare cùm *Lampſacena Synodus* anno præcedenti celebrata fuerit, Legati Macedonianorum ultra præſentem annum iter differre non potuere; ideoque exiſtimandum, eos ſub hujus anni finem in Italiam perveniſſe. Sozomenus enim lib. 6. cap. 10. inquit: *Legati cùm in Italiam veniſſent, Imperatorem in Galliis morari didicerunt, bellum gerentem cum Barbaris eas accolentibus.* Parte alia Ammianus lib. 26. cap. 5. affirmat, Valentinianum hoc anno ex Italia *prope Kalendas Novembres Pariſios* veniſſe, quo anno, ut & duobus conſequentibus, exercitus magnus in Galliis oppoſitus erat adverſus Alemannos potiſſimùm, ut narrat initio lib. 27. Quare adventus Legatorum Macedonianorum à præſenti anno removendus non eſt.

Baron. num. VI & ſeqq.

VI. *Sicula & Tyanenſis Synodi.*

Ad num. III. *Synodus Sicula* anno ſequenti coacta. Teſtatur enim Sozomenus lib. 6. cap. 11. Legatos Macedonianorum Confeſſionem ſuam ſcriptis proditam Liberio tradidiſſe, *& acceptis Liberii literis de rebus quæ geſtæ fuerant*, in Siciliam navigaſſe. Subdit Sozomenus cap. ſequenti: *Ibi congregato Concilio, cùm Epiſcopi illius inſulæ eadem decreviſſent, his rebus confectis, in patriam reverſi ſunt. Eodem tempore cùm Synodus Epiſcoporum congregata eſſet Tyanis, &c. Liberii & Occidentalium literæ recitatæ ſunt.* Quare & Tyanenſis Synodus ad annum etiam ſequentem referenda. Perperam porro Baronius & Collectores Conciliorum epiſtolam LXXX S. Baſilii ad Tyanenſem Synodum revocant. Illa enim non ad Concilium Tyanenſe, ſed ad Conſilium, Curiam, vel Senatum

Baron. num. VII & ſeqq.

natum

natum Tyanenſem à Baſilio ſcripta. Hic quippe epiſtolæ titulus, ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΤΟΥ ΒΑΣΙΛΕΙΟΥ ΤΗ ΒΟΥΛΗ ΤΥΑΝΩΝ. & hanc dictionem βουλὴ pro Synodo ſignificanda uſurpatam non legimus. Id ante nos vidit Hermantius in Vita SS. Baſilii & Gregorii Nazianzeni lib. 3. cap. 10. Sed is fallitur, quando ſcribit, eam epiſtolam à Baſilio ad Tyanenſes datam ob diſſidia, quæ Anthimum inter Epiſcopum Tyanenſem & Euſebium Cæſareæ Antiſtitem verſabantur. Nam ex epiſtolæ lectione Baſilium de diſſenſione, quæ inter ſe & alium, nempe Euſebium, vertebatur, loqui maniſeſtiſſimè patet. In eam ſententiam abreptus Hermantius, quòd exiſtimarit, Baſilium anno trecenteſimo ſexageſimo ſexto in gratiam rediiſſe, & Concilium Tyanenſe anno tantùm CCC LXVII coactum fuiſſe. Verùm hæc Synodus indicta vivente adhuc Liberio, quem certum eſt anno ſequenti ad Deum migraſſe: & præterea ea Baſilii cum Euſebio reconciliatio anno trecenteſimo ſeptuageſimo peracta, ut certis argumentis infrà oſtendam. Porro vocem ΒΟΥΛΗ Conſilium, Senatum & Curiam propriè ſignificare demonſtrat Andreas Morellius V. C. in Specimine univerſæ Rei Nummariæ antiquæ pag. 63. explicans Nummum Marci Aurelii, in cujus poſtica legitur, ΒΟΥΛΗ ΠΕCCΙΝΟΥΝΤΙΩΝ, id eſt, *Senatus Peſſinuntiorum*. Erat *Peſſinus* Phrygiæ quondam, poſtea Galatiæ urbs. Ceterùm jam Viris doctis obſervatum, in epiſtola 73. D. Baſilii, quam Baronius in Annalibus laudat, emendandam eſſe verſionem Latini Interpretis, qui perperam habet: *Eſt Nicana Fides, quam Occidentales attulerunt, Tyanenſique Synodo tradiderunt.* Loco enim *Occidentales*, legendum, *ab Occidente*, cùm in Græco habeatur, ἀπὸ τῆς δύσεως, & qui Fidem præfatam Romà in Orientem attulerunt, eamque Synodo Tyanenſi obtulerunt, non Occidentales fuerint, ſed Orientales, ſc. Euſtathius Sebaſtenus, Silvanus Tarſenſis, & Theophilus Caſtavabalenſis. Quare illa verſio, quod Baronius non animadvertit, Hiſtoriæ veritati & Græco textui adverſatur.

VII. *Tarſenſis & Carienſis Synodi.* Præterea Legati Macedonianorum Tyanenſes rogarunt, *ut ante exitum veris ad ſtatutum diem, quem ipſi præſcripſerant, Tarſum Ciliciæ convenirent*, inquit Sozomenus citatus, qui paulò pòſt addit: *Imperator verò Eudoxii impulſu, Concilium quod in Cilicia futurum ſperabatur, diremit, ſcriptis ea de re literis & adjectis minis. Specialiter quoque Rectoribus Provinciarum mandavit, ut Epiſcopos qui Conſtantii temporibus depoſiti, poſtea regnante Juliano Sacerdotium recuperaverant, Eccleſiis expellerent.* Quod Valentis edictum anno trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo ante Paſcha emiſſum fuiſſe, anno CCC LXX demonſtrabo. Ex quo intelligimus, *Concilium Tarſenſe* celebrandum fuiſſe verno tempore anni trecenteſimi ſexageſimi ſeptimi; *Carienſe*, quod teſte Sozomeno coactum erat, *cùm Synodus jam congreganda eſſet in urbe Tarſo*, ad initium anni CCC LXVII pertinere; & Valeſium in Notis ad Socratem & Sozomenum, alioſque quoſdam Viros doctos malè diſtuliſſe Legationem Macedonianorum ad Liberium Papam, Concilia Siculum & Tyanenſe uſque ad annum trecenteſimum ſexageſimum ſeptimum; cùm eo anno jam Liberius defunctus eſſet, & ante Paſcha ejuſdem anni edictum de pellendis Epiſcopis poſt illa Concilia celebrata emanatum, jam executioni mandatum fuerit, ut infrà videbitur.

VIII. *Synodus Illyriciana.* Reſtat *Concilium Illyricianorum*, de quo Baronius hoc anno in Annalibus agit. Stabilita in eo *conſubſtantialis* Trinitatis Fides, quam totus Occidens profitebatur, ut ait Theophanes in Chronico. Præterea Sozomenus lib. 6. cap. 22. ait, cùm de Spiritu Sancto mota eſſet quæſtio, decretum fuiſſe, eum Patri & Filio conſubſtantialem eſſe, & Epiſcopi Romani judicio controverſiam diremtam. Ubi Sozomenum de Concilio Illyriciano loqui, licèt ejus mentionem non faciat, rectè vidit Nicephorus lib. 11. cap. 30. qui eo de Spiritu S. narrato, recitat literas Valentiniani Imp. *ad Epiſcopos Diœceſis Aſianæ, Phrygiæ, Carophrygiæ, Pacatianæ*: ac poſtea epiſtolam Synodicam Illyricianorum ad eoſdem Epiſcopos: quam utramque epiſtolam Theodoretus lib. 4. cap. 8. & 9. etiam recitat. Certum itaque, in ea Synodo *conſubſtantialem* Trinitatem comprobatam; ſed quo anno ea habita fuerit, hactenus valde obſcurum. Eam tamen anno trecenteſimo ſeptuageſimo primo aut ſecundo congregatam exiſtimo, ideoque non *Liberio*, ſed *Damaſo* ſedente, ut ex mox dicendis intelligi poterit. Habita eſt hæc Synodus poſt epiſtolam Synodi Romanæ, de qua agam anno CCC LXIX num. V, quæ ſcripta fuit ad Epiſcopos Illyrici, quam referunt Sozomenus lib. 6. cap. 23. & Theodoretus lib. 2. cap. 22. nam in fine hujus epiſtolæ, Epiſcopi Synodi Romanæ Illyricianos invitant, ut Fidem à ſe expoſitam amplecti velint: *Veſtra igitur reverentia judicium cum omnium Sacerdotum judicio conſentiat: in qua Fide vos ſtabiles & firmos manere confidimus.* Epiſcopi Illyrici, cùm hanc epiſtolam accepiſſent, Legatos ſuos miſerunt ad Valentinianum Auguſtum, poſtulantes ut in unum coeundi, & Fidem Catholicam exponendi liberam ipſis facultatem concederet; quod nos docuit Theophanes in Chronico, ubi ait: *Epiſcopi facta ſuis petitionibus à Valentiniano poteſtate, Synodum in Illyrico coëgerunt, quâ Nicæa Fidem expoſitam confirmavere.* Baronius quidem ad hanc Synodum Romanam refert aliam epiſtolam ad Illyricianos Epiſcopos ſcriptam, quæ legitur in Fragmentis S. Hilarii. Verùm, ut oſtendam anno CCC LXIX, ea Synodica ſcripta ab alia Synodo Romana, quæ inter eas, quæ ſedente Damaſo congregatæ ſunt, ſecunda dici debet. Porro Synodum Illyricianam circa annum CCC LXXII indictam oſtendunt quæ dicam anno CCC LXIX num. V & VI.

Baron. num. XVIII & ſeqq.

IX. *Illyricum Valentiniano ſubditum fuit.* Baronius exiſtimat, epiſtolam Imperatoriam ad Aſianos ſcriptam, quam recitat Theodoretus lib. 4. cap. 8. Valenti, non verò Valentiniano ejus fratri attribuendam, in quo ſine dubio fallitur: data enim ea à Valentiniano, cui integrum *Illyricum* parebat, quique Fidem Catholicam, à qua Valens abhorrebat, tuebatur. *Illyrici* adminiſtratio variè ab Antiquis Principibus compoſita eſt, laxatis eorum arbitrio, vel reſtrictis Provinciarum finibus; donec ex Conſtantini M. decreto quatuor Præ-

ſecturæ inſtitutæ ſunt, ſc. Galliarum, Illyrici, Italiæ & Orientis. Tunc Præfectura *Illyrici* compacta eſt *ex Pannoniis, utroque Norico, Dalmatia, Daciis, Mæſia, Dardania, Macedonia, Achaia, Theſſalia, utraque Epiro & Creta*, teſte Zoſimo, qui ſolus hujus corporis membra diſtinxit. *Sirmium* autem Pannoniæ ſecundæ civitas, erat Illyrici caput, ut ait diſertè *Anemius* civitatis illius Epiſcopus in Synodo Aquileienſi anno CCC LXXXI. *Caput Illyrici nonniſi civitas Sirmienſis.* Unde *matrem urbium* eam vocat Ammianus; ibique Principum Romanorum Regiam ſeu Palatium fuiſſe docet lib. 21. & 26. & Zoſimus lib. 4. Hic quoque erat Illyricianæ Præfecturæ ſedes, ut colligere licet ex eodem Ammiano lib. 15. quod etiam Juſtinianus annotavit Novellâ 11. *Antiquis temporibus, Sirmii Præfectura conſtituta, ibique omne fuerat Illyrici faſtigium, tam in civilibus, quàm in Epiſcopalibus cauſis.* Deinde ſectum eſt in duas partes Illyricum, ita ut Diœceſis Macedoniæ, quæ Macedonias primam & ſecundam, Theſſaliam, Achaiam, & utramque Epirum complectebatur, & Diœceſis Daciæ, adjunctæ ſint Orientis Imperio, ſub diſpoſitione Præfecti Prætorio Illyrici, cujus ſedes conſtituta eſt *Theſſalonicæ*: Pannoniæ, utrumque Noricum, & ceteræ Provinciæ retentæ ſint in Occidentis Imperio, ſub Præfectura Prætorio Italiæ & Vicario Sirmii. Quæ omnia doctè à Marca in Diſſert. de Primatu Lugdunenſi num. XXX & ſequenti obſervata.

X.
Non Valens, ſed Valentinianus ſcripſit ad Epiſcopos Aſianos.

Diviſo inter filios Conſtantini Orbe Romano, ſolidum *Illyricum* abſque ulla ſectione ceſſit Occidentis Imperio, quod Conſtantius & Conſtans obtinuere; relicto penes Conſtantium Oriente, ut notavit Zoſimus. Eandem formam ſecutus eſt Valentinianus ſenior, quemadmodum teſtatur idem Auctor lib. 4. Eandem diviſionem referunt Sozomenus lib. 4. cap. 6. Theodoretus lib. 4. cap. 4. Ammianus quoque, teſtatur totum Illyricum Valentiniano paruiſſe, ut patet ex iis quæ lib. 30. de Epirotis narrat. Denique, *Probo* Illyrici Præfecto, Occidentis Imperio ſubjectam fuiſſe Diœceſim Macedonicam anno CCC LXVIII, teſtatur Lex 7. Cod. Theod. *De Metallis.* Poſt Valentiniani ſenioris obitum, Italia, Africa & Illyricum Valentiniano II paruere, teſte Zoſimo lib. 4. Nec Illyricum in Occidentale & Orientale diviſum ante Theodoſii M. in conſortium Imperii aſcitum, ut anno CCC LXXX monſtrabo. Quare, cùm Illyricum integrum Valentiniano ſubeſſet, quando Concilium Illyricianum celebratum, non dubium, quin literæ Imperatoriæ Synodicis adjectæ, ſcriptæ fuerint à Valentiniano, eoque tempore, quo Valens Orthodoxos perſequebatur. Hinc Valentinianus in ea ad Aſianos epiſtola, quam refert Theodoretus loco citato, Epiſcopis exprobrat, quòd longâ ejus patientiâ abuſi fuerint, & contumaces ac rebelles apparuerint. Licèt verò trium Imperatorum nomina in ea ad Aſianam Diœceſim epiſtola legantur, ea tamen à *Valentiniano* data. Hic enim de more illorum temporum Valentis etiam non conſulti nomen appoſuit. Deceptus eſt autem Theodoretus lib. 4. cap. 7. quando hinc intulit, nondum *Valentem* Orthodoxos perſecutum eſſe, quando ea epiſtola miſſa. Nihil enim in Valentis favorem magis inde concludi poteſt, quam ex reſtitutione *Athanaſii* in Sedem Alexandrinam in gratiam *Conſtantii* ab eo prorſus averſi, ſed *Conſtantis* fratris voluntati ſeſe accommodantis. Licèt enim tam Conſtantius, quam Valens ad ſectam Arianam omnino propenſi fuerint, ſæpe tamen ea aut præſtare aut tolerare coacti ſunt, quæ magis cum bono publico & propriis commodis congruerent. Sed uterque oſtendit quantum differret Imperator, qui proprio inſtinctu agit, ab illo qui ad Collegæ nutum arbitriumque ſe flecteret. Quare ex perſecutione à *Valente* decreta malè quis inferret, eum non permiſiſſe, ut *Valentinianus Orthodoxorum patrocinium ſuſciperet. Valentem fratrem & Gratianum filium data ſententia ſocios adhibuit,* in eo edicto promulgando, ſc. Valentinianus, ut tradit Theophanes, cui Cedrenus ſubſcribit. Quare, cùm Gratianus anno tantùm Chriſti trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo menſe Auguſto, Imperator nuncupatus fuerit, neque Baronii, neque Valeſii ſententia ſtare poteſt. Prior enim eam Synodum anno præſenti coactam dicit, alter verò in Notis ad Socratem lib. 4. cap. 12. eam confert in annum trecenteſimum ſexageſimum ſeptimum, quo, inquit, Liberius in vivis eſſe deſiit ineunte Septembri. At cùm Liberius anno CCC LXVI hominem exuerit, Synodus Illyriciana neque anno CCC LXVII, neque ſub Liberii Pontificatu celebrari potuit; eo enim ſedente Gratianus Auguſtus non fuit.

XI.
Baronii opinio refellitur.

Valeſius in Notis ad Theodoretum lib. 4. cap. 8. ſolidè refellit Baronium hanc epiſtolam non à Valentiniano Imp. ſed à Valente ſcriptam eſſe exiſtimantem. Nam cùm in titulo qui epiſtolæ præfixus eſt, tam apud Theodoretum, quàm apud Nicephorum, unà cum Valentiniano & Valente, Gratianus quoque nuncupetur, proculdubio ante annum Chriſti CCC LXVII hæc epiſtola ſcribi, & Synodus Illyriciana congregari non potuere. Neque etiam verum eſt, quod ait Baronius, Valentis nomen in titulo hujus epiſtolæ præponi, ac præterea res Aſianæ Diœceſeos nihil ad Valentinianum attinuiſſe. Etenim ex Ammiano diſcimus, Valentinianum ſeniorem, licèt Valenti fratri Orientis Imperium tribuiſſet, cuncta tamen pro arbitrio ſuo eſſe moderatum, & Valentem inſtar apparitoris ei morigerum ſemper fuiſſe. Sententia itaque Baronii nullo pacto defendi poteſt.

XII.
Baronii opinio magis confutatur.

Neque fundamenta ejus & aliorum urgent. Primò enim, ex eo quòd Epiſcopi Concilii Illyriciani ad Epiſcopos Diœceſeos Aſianæ ſcribant, miſiſſe ſe unum ex omnibus Dominum ſuum & Comminiſtrum *Elpidium*, accuratè exploraturum prædicationem eorum, *utrum ita ſe habeat*, inquiunt, *uti accepimus à Domino & Comminiſtro noſtro Euſtathio,* inferunt, Illyricianam Synodum eodem anno contigiſſe, quo Macedonianorum Legatio, cùm *Euſtathius* unus fuerit è Legatis à Macedonianis ſeu Lampſacenis in Italiam ad Liberium Papam, indeque ad Concilium Tyanenſe miſſis. Sed quo ex Auctore Baronius aliique didicere, *Euſtathium*, à quo Aſianorum Fidem acceperunt Illyriciani, eundem eſſe ac *Euſtathium*, Sebaſtenum Epiſcopum, unum ex Legatis Concilii Lampſa-

ceni? Certè Illyriciani eum tantùm Dominum & Comminiſtrum vocant, non verò Sebaſtiæ Epiſcopum. Sanè, inquit Petrus de Marca in Diatriba de Synodica Epiſtola Synodi Illyricianæ, quin dictio συλλειτουργὸν ad Preſbyteros referri debeat, dubitare non ſinit hæc epiſtola, in qua *Elpidius*, qui tantùm Preſbyter erat, bis nuncupatur συλλειτουργός. Ad cujus nominis dignitatem Diaconi quoque trahuntur, quoniam, ut loquitur Lex Theodoſiana, *Eccleſia eſt in Epiſcopis, & Preſbyteris, & Diaconis.* Ibidem Marca reprehendit errorem Interpretum, qui, quod ſeparatim dicitur in contextu ejuſdem Synodicæ *de conſtituendis Epiſcopis, & de Comminiſtris conſtitutis*, in verſione miſcent, & Collegas, vel etiam Comminiſtros, Epiſcopos interpretantur, ut Chriſtophorſonus, & Sirmondus in editione Operum Theodoreti. Langus quidem in verſione Nicephori diſtinguit Epiſcopos ab eorum adminiſtris; ſed creandos, vel creatos ad utroſque refert, quamvis in contextu inter ſe hæc diſtinguantur. Valeſius in Notis ad Theodoretum exiſtimat, *Elpidium* Epiſcopum fuiſſe, quòd in ea Synodica Illyriciani eum *fratrem* ſuum & *Comminiſtrum* appellent, & iis titulis, inquit, Epiſcopum potiùs deſignari videri, quàm Preſbyterum. Sed miror, Virum eruditiſſimum non animadvertiſſe, Divum Baſilium in ſuis epiſtolis Diaconos *fratris* nomine ſæpe appellare, ideoque exinde malè inferri Elpidium Epiſcopum fuiſſe. *Euſtathius* itaque, cujus mentio in Synodica Illyriciana, aut Epiſcopus non fuit, aut ſaltem alterius urbis quàm Sebaſtiæ; neque inter Lampſacenam & Illyricianam Synodum aliquid commune.

XIII. *Epiſtola Epiſcoporum Italiæ non reſpicit Synodum Illyricianam.*

Alterum Baronii aliorumque fundamentum deſumitur ex epiſtola Epiſcoporum Italiæ ab Hilario lib. 1. Fragm. & à Baronio hoc anno numero XXVI recitata, cujus hoc initium: *Dilectiſſimis fratribus per Illyricum Fidem paternam retinentibus, Epiſcopi Italiæ, in Domino æternam ſalutem.* Sed ea alterius Synodi Romanæ epiſtola Concilium Illyricianum, de quo hic agitur, non reſpicit. In hoc enim *conſubſtantialis Trinitatis* Fides comprobata, ut jam oſtendimus: epiſtola verò Epiſcoporum Italiæ adverſus Concilium Ariminenſe, Valentem ac Urſacium ſcripta. Utraque epiſtola inter ſe conferatur, certòque conſtabit, eas diverſis annis datas, & ob diverſos fines exaratas fuiſſe. Illud itaque Concilium Romæ alio anno celebratum, indeque ad Illyricos ſcriptum, Damaſo Eccleſiam Romanam gubernante, ut anno trecenteſimo ſexageſimo nono oſtendo: Illyricianum verò ad Trinitatem *conſubſtantialem* tuendam eodem Damaſo Pontifice habitum. Denique epiſtola Epiſcoporum Italorum ad Illyricianos ante annum trecenteſimum ſexageſimum ſeptimum, quo Sanctus Hilarius obiit, data, cùm ab eodem Hilario in Fragmentis deſcribatur. Concilium verò Illyricianum poſt diem viceſimum quartum Auguſti anni trecenteſimi ſexageſimi ſeptimi celebratum; cùm Gratianus in titulo epiſtolæ Synodicæ Illyricianorum unà cum Valentiniano & Valente Auguſtus appelletur. Quomodo enim Epiſcopi Italiæ Illyricis congratulari potuere; quòd Ariminenſis Concilii fraudem agnoviſſent, cùm tempore, quo epiſtolam ſuam ſcripſere, Illyriciani nondum conveniſſent, & Trinitatem *conſubſtantialem* eſſe nondum profeſſi eſſent. Hæc profectò ſe ipſis ruunt.

XIV. *Decretum Synodi Illyricianæ.*

Petrus de Marca in Diatriba de Synodica epiſtola Synodi Illyricianæ, quam præſenti anno malè conſignat, locum ejuſdem epiſtolæ variè acceptum ab Interpretibus, qui ſententiam Illyricianorum aſſecuti non ſunt, ob vetus mendum quod in ejus lectione latet, feliciter emendavit, ſicque legendum docuit: *Hæc de re ad vos ſcribentes, quæ monenda habemus, hiſce quoque literis noſtris expreſſimus de conſtituendis Epiſcopis, & de Comminiſtris quoque jam conſtitutis, nempe ut ex iis qui ſunt functi magiſtratu, ſi ſani ſint, conſtituantur Epiſcopi; ſin minùs, ex ipſo Preſbyterio. Similiter & Preſbyteri & Diaconi e ſacro Clericorum Collegio, ut ſint omni in parte inculpati; minimè verò de Curia, vel ex officio militari.* Exiſtimarunt Patres, non ſcrupuloſè ſervandam veterem regulam, quæ ex ſolo Preſbyterio Epiſcopos deligendos præſcribebat; quin imò ſi Fidei ſanæ & integræ invenirentur aliqui viri, qui magiſtratu civili functi eſſent, hos potiùs Epiſcopos deligendos; deinde ſi tales non reperirentur, petendos juxta ordinem antiquum ex corpore Preſbyterii. Preſbyteros verò & Diaconos ex ſolo Clericorum corpore cooptandos docet, ne ſcilicet exemplo ejus, quod de Magiſtratibus in Epiſcopatum aſciſcendis, ſingulari jure decernebat, putaret aliquis, Preſbyteros quoque & Diaconos è Laïcis probatis adlegendos. Legatur Petrus de Marca loco citato. Valeſius in Notis ad Theodoretum lib. 4. cap. 9. præfatum locum ita vertit: *Scripſimus item de Epiſcopis, qui conſtituuntur, aut qui conſtituendi ſunt Comminiſtri, ſiquidem ſint idonei, ex Epiſcopis jam vità functis orti: ſin minùs, ex Preſbyterorum ordine eligantur.* Sirmondus in editione Operum Theodoreti illum locum aliter legit; ſed Petri de Marca verſio præferenda, quæ quanta ſit Magiſtratibus civilibus cum Epiſcopatu in tuenda Fide communio, manifeſtum facit, & ſolùm vocem *Epiſcoporum* repetitam, ſecundo in loco expungit.

XV. *Procopii defectio.*

Procopii defectio hoc anno certiſſimè contigit, ut ea quæ anno ſuperiori in medium attuli, oſtendunt.

XVI. *Immunitas tribus perſonarum generibus à Valentiniano conceſſa.*

Valentinianus ſenior Leg. 4. Cod. Theod. *De Cenſu. dat. X Kalend. Decemb. Valentiniano & Valente AA. Coſſ.* tria perſonarum genera à cenſu, ſeu à plebeia capitatione exemit: primum, in virginitate perpetua degentes: ſecundum, viduas: tertium, pupillos, virilis ſcilicet ſexus uſque ad annos XX, fœminei quouſque virum ſortitæ ſint. Cùm verò hoc ævo nullum jam ampliùs capitis, ſeu pro capite libero tributum uſurparetur, omnino hæc Lex accipienda de capitatione & jugatione pro capitibus & jugis ſeu poſſeſſionibus. Cùm autem ea Lex inſcripta ſit *ad Viventium Pf. P. Galliarum*, liquet, non tantùm Legem hanc pro Gallis emiſſam; ſed veroſimiliter anno CCCLXVIII, quo Valentinianus & Valens iterum Conſules fuere, ita ut numeralis nota neglecta ſit; cùm Via- Baron. num. XLIV.

ventius adhuc anno CCCLXVII Præfectus Urbi fuerit, ut docet Ammianus lib. 27. & liquet ex ſubſcriptione quarumdam Legum Cod. Theod. Unde demum Præfectus Galliarum factus eſt: quam Præfecturam adminiſtravit anno CCCLXVIII & tribus conſequentibus, ut oſtendit Gothofredus in hujus Legis Commentario, ex quo hæc excerpta.

XVII. *Lex Valentis adverſus Mathematicos.* Baron. ibid.

Data & à Valente Lex 8. Cod. Theod. *De Maleficis & Mathematicis*, quâ Mathematicæ artis, vaticinandi, futura prænoſcendi exercitium omnibus omnino publicè aut privatim per Orientem, omni tempore & loco interdicitur. Sed ea Lex ad præſentem annum referri non poteſt, cùm inſcribatur *Modeſto Præfecto Prætorio*, qui ante annum CCCLXX eam dignitatem non geſſit, ut infrà dicetur. Cùm itaque dicatur, *Dat. II Id. Decemb. Conſtantinop. Valentiniano & Valente AA. Coſſ.* ea revocanda ad annum CCCLXX, quo Valentinianus & Valens tertium Conſulatum iniere, & Valens menſe Decembri Conſtantinopoli fuit.

XVIII. *Valentis Lex adverſus Clericos Curiales.* Baron. ibid.

Neque denique hoc anno Lex Cod. Theod. 19. *De Epiſcopis.* emiſſa eſt; cùm etiam Modeſto Præfecto Prætorio inſcripta ſit, dicaturque, *Dat. XVI Kal. Novemb. Hierap. Valentiniano & Valente AA. Coſſ.* Hierapoli ſcilicet Phrygiæ, non verò Hierapoli Syriæ, ut perperam Gothofredus exiſtimavit. In illa autem urbe anno CCCLXX Valentem fuiſſe, eo anno oſtendemus. Ea Lege Valens Curiales Clericos ad Curiam revocari jubet, niſi decennium in Clericatu fuerint, pariter ut Monachos Curiales ad Curiam revocari voluit Conſtitutione emiſſa ad eundem Modeſtum Præfectum Prætorio, puta Lege 63. Cod. Theod. *De Decurionibus.* Quare veroſimile eſt, utramque Legem eodem anno, ſcilicet CCCLXX, datam eſſe. De hac ultima vide quæ anno CCCLXXV dicemus, quo de ea Baronius agit; & de Lege 19. *De Epiſcopis.* lege Commentarium Gothofredi.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5859. ☉ 11 A. ☽ 6. P. 16. APRIL. INDICT. 9.
JESU CHRISTI 366.
DAMASI PAPÆ I.
VALENTINIANI ET VALENTIS IMPP. 3.

I. *Conſules.*

COSS. *Gratianus Nobiliſſimus puer*, & *Dagalaiphus* uterque Occidentalis. Gratianus enim filius eſt Valentiniani, qui, quòd à patre Nobiliſſimus puer renuntiatus, hoc anno Faſtis nomen dedit, ut in more poſitum fuiſſe jam diximus. Dagalaiphus verò hoc anno ſub Valentiniano Magiſter militum fuit, idque per Gallias, ut teſtatur Ammianus lib. 26. & 27.

II. *Procopius tyrannidem arripit.* Baron. num. 81.

Ad num. II. *Procopius Tyrannus* his Conſulibus victus in Phrygia Salutari ad Nacoliam, interfectuſque, Ammiano lib. 26. cap. 9. Zoſimo lib. 4. pag. 739. Socrate lib. 4. cap. 5. & Hieronymo in Chronico teſtibus. Idacius in Faſtis eum oppreſſum ſcribit *ſexto Kalendas Junias*: Auctor verò Chronici Alexandrini *XII Kal. Julias.* Philoſtorgius lib. 9. cap. 5. ait, eum capite truncatum eſſe, *cùm ſex menſium ſpatio tyrannidem exercuiſſet.* Sed ex dictis anno CCCLXIV, eam per plures menſes *Procopius* exercuit.

III. *Initium belli Gothici.* Baron. num. III.

Gothicum bellum, *inter præcipua cenſendum*, ut ait Eunapius in Excerptis, non hoc anno, ſed ſequenti, à Valente *pubeſcente vere* ſuſceptum, caſtris prope Daphnen munimentum metatis: mox & Iſtro tranſito. Ita Ammianus lib. 27. cap. 5. qui cùm hæc referat poſt Procopii interitum, qui hoc anno poſt vernum tempus, ut numero præcedenti dixi, contigit, non dubium, quin ad annum ſequentem pertineant, & initium belli Gothici anno uno Baronius anticiparit. Hinc anno trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo, menſe Maio data à Valente *Marcionopoli* Lex 1. Cod. Theod. *Si Curialis relicta civitate.* & Lex 1. *De equorum collat.* Docet enim Zoſimus lib. 4. pag. 741. Valentem *Marcionopoli* fuiſſe, cùm bellum illud ſuſcepit: *Inito vere Marcionopoli ſolvens Imperator Barbaros adoritur.* Duravit bellum Gothicum annos tres, teſtibus Ammiano laudato, & Themiſtio in Orat. 10.

IV. *Valens baptizatur.* Baron. num. IV.

Ad num. III. *Valens* non hoc anno, ſed ſequenti *baptizatus*, & Orthodoxorum perſecutio ab eo cœpta. Theodoretus enim lib. 4. cap. 12. ait, cùm Gothi trajecto Danubio Thraciam popularentur, Valentem bellum iis inferre decreviſſe, ſed Baptiſmatis armaturâ munitum ad certamen procedere voluiſſe. Tradit autem Ammianus citatus, bellum Gothicum à Thraciarum motibus inchoatum. Hinc liquet, Valentem circa vernum tempus anni ſequentis baptizatum eſſe, eademque tempeſtate perſecutionem in Orthodoxos motam. Quod confirmabitur ex iis, quæ infrà dicam de Sancti Athanaſii fuga, quæ anno CCCLXVII contigit.

V. *Baſilius Cæſaream venit.* Baron. num. XVI & ſeqq.

Ad num. IV. Hermantius in Vita SS. Baſilii & Gregorii Nazianzeni lib. 3. cap. 9. Baronium ſequitur, & cum eo Baſilii è Ponto in urbem Cæſareenſem reditum, hujus cum Euſebio Cæſareæ Epiſcopo reconciliationem, & Valentis Imperatoris *Cæſaream* acceſſum præſenti anno conſignat. At hæc anno tantùm trecenteſimo ſeptuageſimo contigiſſe, & Sozomenum lib. 6. cap. 15. ea in re non erraſſe, eo anno demonſtrabimus, ac Epiſcopatûs Baſilii initium hactenus ignoratum anno ſuo reddemus: quâ epochâ rectè conſtitutâ, plures errores à magnis Viris commiſſi emendari poterunt. Quando porro Rufinus lib. 11. cap. 9. ſcribit, *Nazianzenum ſecum ad Monaſterium manu injecta Baſilium perduxiſſe, ibique per annos (ut aiunt) tredecim* ſolis divinæ Scripturæ voluminibus operam dediſſe, intelligendus eſt de priori utriuſque in *Pontum* ſeceſſione, quæ ideo contigit anno circiter trecenteſimo quinquageſimo ſeptimo. Ab eo enim anno ad trecenteſimum ſeptuageſimum anni tredecim interjiciuntur.

VI. *Naſcitur Valentinianus Valentis filius.* Baron. num. XXXI.

Ad num. VI. Valentinianus junior non Valentiniani Aug. ſed Valentis Aug. filius fuit, ut docet Idacius in Faſtis, qui ſub hujus anni Conſulibus ſcribit: *His Conſ. natus eſt Valentinianus junior, filius Auguſti Valentis, die XV Kal. Februarias.* Ita enim in

MS. quod ſervatur in Bibliotheca Collegii Pariſienſis Patrum Societatis Jeſu, legitur, licet Sirmondus à Socrate deceptus, in editione illius Operis repoſuerit, *filium Aug. Valentiniani*, ut Valeſius in Notis ad lib. 4. Socratis cap. 10. obſervavit, & ipſimet vidimus in eo MS. nobis à V. C. Harduino ejuſdem Bibliothecæ Præfecto exhibito. Hic Valentinianus junior ipſe eſt, ut inter omnes conſtat, qui poſt biennium cum Victore Conſul fuit, cuique Themiſtius Orationem Conſularem dixit, in qua paſſim Valentem hujus Valentiniani patrem, & Gratianum patruelem appellat. Præterea idem Themiſtius pag. 254. editionis Petavianæ Procopii interitum, qui hoc anno contigit, ortu Valentiniani à Deo ſignificatum eſſe affirmat. At ſi Valentinianus junior Valentiniani ſenioris filius fuiſſet, ejus ortus nihil ſignificaſſet Valenti. Valentinianus junior alio nomine *Galates* dictus à Socrate lib. 4. cap. 26. & Sozomeno lib. 6. cap. 16. ubi disertè aſſerit, Valenti unicum filium fuiſſe ex Dominica uxore, nomine *Galatem*. Porro Socratis ac Sozomeni, qui Valentinianum hoc anno natum filium Valentiniani ſenioris faciunt, error ex eo manaſſe videtur, quòd duos Valentinianos juniores, alterum Valentis, alterum Valentiniani ſenioris filium inter ſe confuderunt, & ex duobus unum fecerunt. Putarunt enim, Valentinianum Nobiliſſimum puerum hoc anno natum eundem eſſe cum Valentiniano juniori, qui poſt mortem patris ſui Valentiniani ſenioris Imperium tenuit cum Gratiano, quod anno CCC LXXV falſum eſſe oſtendemus. Hæc omnia Valeſio laudato accuratè obſervata. Corrigendum itaque quod ſcribit Baronius, Valentinianum juniorem ſenioris ex Juſtina filium extitiſſe.

VII. *Obitus Liberii PP.* Liberius Papa hoc anno è vivis exceſſit, quem excepit Damaſus, ut anno ſequenti videbimus.

Olymp. 286. ſecundum Baronium.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5860. ☉ 12 G. ☽ 7. P. 10. APRIL.
INDICT. 10.
JESU CHRISTI 367.
DAMASI PAPÆ 2.
VALENTINIANI ET VALENTIS IMPP. 4. GRATIANI IMP. 1.

I. *Conſules.* COSS. *Lupicinus & Jovinus*: prior Orientalis; Magiſter enim Equitum in Oriente fuit, ut teſtatur Ammianus lib. 16. cap. 5. poſterior Occidentalis, cujus ſæpe meminit Marcellinus lib. 25. 26. & 28.

II. *Liberii PP. obitus.* Baron. num. 11. Ad num. I & II. *Liberii* Papæ obitus anno antecedenti contigit, quo eum Hieronymus in Chronico juxta Pontaci editionem conſignavit. Præterea Marcellinus & Fauſtinus Preſbyteri Luciferiani qui hoc tempore vixere, in Præfatione libelli precum ad Imperatorem Valentinianum, Theodoſium, & Arcadium, tradunt Liberium humanis rebus exemptum *VIII Kalendas Octobris Gratiano & Dagalaipho Coſſ.* id eſt, anno præcedenti. Eadem die, nempe vigeſima quarta Septembris memoratur in Martyrologio Bedæ: in quibuſdam verò Martyrologiis, ut in Hieronymiano, nomen ejus ad IX Kalend. Octobris inſcriptum. Qua ex diverſitate intelligimus, *Liberium* die XXIII Septembris demortuum, ſequentique ſepulturæ mandatum. Ammianus lib. 27. cap. 3. dicit quidem, ſub *Viventii* Præfectura, quæ in hunc annum incidit, ortum eſſe Damaſum inter & Urſicinum diſſidium pro urbis Romæ Epiſcopatu. Sed *Prætextatus* jam menſe Auguſto currentis anni eidem ſucceſſerat, ut liquet ex Lege Codicis Theodoſiani *De ingratis liberis.* dat. *XV Kalend. Septemb.* Prætextato inſcripta, ideoque *Viventius* jam anno præcedenti ante menſem Septembrem, quo Liberius obiit, dignitatem illam inierat. Quare diſſidium illud quod Ammianus narrat, anno ſuperiori contigit; cùm non ſit ratio, cur in morte Liberii Marcellino & Fauſtino fides non adhibeatur. Baronius hujus S. Pontificis obitum VIII Idus Maias contigiſſe ſcribit, ſed nullo teſte. Liberio Damaſus ſucceſſit; & quidem die prima Octobris anni ſuperioris, in quam Dominica cadebat, ut ex ejus Sedis duratione conſtabit.

III. *Gratianus Auguſtus creatur.* Baron. num. XX. Ad num. VI. Gratianus *die IX Kal. Septemb.* Auguſtus à Valentiniano patre renuntiatus eſt, Idacio in Faſtis, Auctore Chronici Alexandrini, & Socrate lib. 4. cap. 11. teſtibus; quod *Ambianis* factum teſtatur Hieronymus in Chronico, & Idacius in Faſtis. Natus autem erat anno trecenteſimo quinquageſimo nono, ut produnt Auctor Chronici Alex. & Idacius in Faſtis, qui tamen in die Natali differunt: prior enim *X Kal. Junias*: poſterior *XII Kal. Aug.* natum Gratianum ſcribit.

IV. *Pluvia Saxea & fames magna.* Baron. num. XXXII & ſeqq. Ad num VII. Auctor Chronici Alexandrini ſub hujus anni Conſulibus ſcribit: *His Coſſ. Deus Conſtantinopoli grandinem ſaxeam depluit menſe Deſio*, hoc eſt, Junio. Idacius in Faſtis dicit, id contigiſſe ſub hujus anni Conſulibus *die IV Nonas Julias*: Socrates verò lib. 4. cap. 11. *VI Nonas Julii.* Porro Oratio Gregorii Nazianzeni *De plaga grandinis*, quam Baronius hanc in rem citat à Gregorio Nazianzeno jam Epiſcopo compoſita, ut Nicetas obſervat, ideoque alia occaſione dicta. Præterea *fames*, quæ Cappadocas exagitavit, de qua Gregorius à Baronio citatus loquitur, contigit anno CCC LXX, ut eo anno videbimus; eo enim Baſilius adhuc Preſbyter erat. Sed Baronius, qui Baſilium Epiſcopum anno CCC LXIX renuntiatum credidit, bis famem in Cappadocia graſſatam ſcribere coactus eſt, quòd conſtaret, Baſilio adhuc Preſbytero famem Cappadociam afflixiſſe, & exiſtimaret Baronius, eum anno CCC LXIX jam Epiſcopum fuiſſe. Inde enim intulit, famem, quæ anno CCC LXX ſæviit, aliam eſſe ab ea, quæ contigerat Baſilio adhuc Preſbytero. Hermantius in Vita SS. Baſilii & Gregorii Nazianzeni lib. 3. cap. 15. Baronium ſequitur, & ex una fame duas etiam facit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5861. ☉ 13 FE. ☽ 8. P. 20. APRIL.
INDICT. II.
JESU CHRISTI 368.
DAMASI PAPÆ 3.
VALENTINIANI ET VALENTIS IMPP. 5. GRATIANI IMP. 2.

I. *Conſules.* COss. *Valentinianus Aug. II*, & *Valens Aug. III.* Ille in Occidente, hic in Oriente: ille juxta tertiam regulam, hic juxta ſecundam. *Quinquennalia Valentis Aug.* Titulus enim Græcus Orationis 8. Themiſtii in Valentis Quinquennalibus dictæ, quem è tenebris eruit Harduinus V. C. in nova editione Operum Themiſtii, ea Quinquennalia *Marcionopoli* habita docet. Hoc verò anno Valentem Marcionopoli fuiſſe teſtantur variæ Leges Codicis Theodoſiani, & Ammianus lib. 27. Anno CCCLXX tertium Conſulatum Imperatores geſſere; ſed, cùm eo anno Valens Marcionopoli non fuerit, Valentinianum ſua in eum Quinquennalia diſtuliſſe exiſtimandum eſt.

II. *Privilegia Clericorum confirmata.* Data hoc anno à Valentiniano ſeniori Lex 18. Codicis Theodoſiani *De Epiſcopis.* à Baronio in Annalibus omiſſa, quâ privilegia Clericorum Catholicorum per Africam Proconſularem nominatim reſtituit Valentinianus; quæ videlicet his Conſtantius Imperator ultimo vitæ ſuæ tempore conceſſerat; à Juliano verò Apoſtata, & ſub eo, Clericis adempta fuerant: ſub quo videlicet Paganorum animi adverſus ſanctiſſimam Legem quibuſdam depravationibus fuerant irritati. Legendus Gothofredus in hujus Legis Commentario.

III. *Bellum Gothicum.* Eſt hic annus ſecundus belli Gothici à Valente ſuſcepti: quid eo peractum docet Ammianus lib. 27. cap. 5. ubi ait, *Valentem Marcionopolim* in hiberna diſceſſiſſe.

IV. *Status Virginum Veſtalium hoc tempore.* Data hoc anno à Valentiniano ſeniore Lex 8. Cod. Theod. *De Medicis & Profeſſoribus ad Pretextatum P. U.* ex qua liquet, Virgines Veſtales hoc tempore Medicos peculiares habuiſſe, & inter labentis Romæ ſuperſtitionis rudera ſummam adhuc eiſdem Veſtalibus religionem ſteriſſe; quod non tantùm ex hac Lege à Baronio non memorata deducitur, verùm etiam ex aliis monumentis. I. Vetus Orbis deſcriptio ſub Conſtantio & Conſtante Impp. viginti fermè annis ante hanc Legem conſcripta, inter ea quibus Romam celebrat: *Sunt autem*, inquit, *in ipſa Roma & Virgines ſeptem ingenuæ & clariſſimæ, quæ Sacra Deorum pro ſalute civitatis ſecundum Antiquorum morem perficiunt, & vocantur Virgines Veſtæ.* II. Symmachus in Relatione ſua ait, *Conſtantium ſacrarum Virginum privilegiis nihil detraxiſſe, decreviſſeque nobilibus ſacerdotia, Romanis cærimoniis non negaviſſe impenſas.* III. Valentinianus ſenior hujus Legis auctor Virginibus Veſtalibus ſua jura reliquit; quod Symmachus teſtatur in laudata Relatione. IV. Gratianus Veſtalibus virginibus ſubſidia vetera, prærogativam, agros detraxit, prædiaque hæreditate quæſita, & annonam ſeu victum, quæ de publico & *populi annonis* præbebantur. Quæ omnia Senatus à Gratiano petiverat; verùm excluſa ejus petitio, & Legatis audientia denegata: quæ omnia tradit Symmachus in dicta Relatione. V. Sub Valentiniano jun. Senatus iterum per Symmachum P. U. anno CCCLXXXIV repetiit, cujus eſt quoque in finem famoſa illa *Relatio ad Valentinianum jun.* Verùm, (quod Ambroſius teſtatur epiſt. *ad Imp. Eugenium*) ei nec quicquam detulit. VI. Neque Theodoſius anno CCCLXXXVIII vel CCCLXXXIX; quod & ipſum teſtatur citata epiſt. *ad Eugenium.* VII. Neque ruſus idem Valentinianus junior, cùm iterum Legatio miſſa ad eum fuiſſet intra *Galliam* anno CCCXCII, ut habetur in eadem epiſt. & memorat Paulinus in Vita Ambroſii. VIII. Tandem, cùm ab Eugenio in primordiis Imperii eodem anno CCCXCII hoc ipſum Legati poſtulaſſent, ut annonas Templi (ac perinde ac Veſtalibus) reſtitueret, non fecit; cùm iterum alii poſtulaſſent, reniſus eſt: tandem ea donavit quibuſdam præcellentibus in Republica Gentilis obſervantiæ viris id petentibus; in quod invehitur Ambroſius in dicta epiſt. de quo & Paulinus in Vita S. Ambroſii. Quæ de Virginibus Veſtalibus hac tempeſtate Romæ ad Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ illuſtrationem collegit Gothofredus in Commentario laudatæ Legis.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5862. ☉ 14 D. ☽ 9. P. 12. APRIL. Olymp. 287.
INDICT. 12.
JESU CHRISTI 369. Ann. Urbis
DAMASI PAPÆ 4. 1120. *ſecundùm Baronium.*
VALENTINIANI ET VALENTIS IMPP. 6. GRATIANI IMP. 3.

I. *Conſules.* COss. *Valentinianus Nobiliſſimus puer*, & *Victor*, non verò *Julius Felix Valentinianus* vir privatus, ut perperam Onuphrius. Eſt enim Valentinianus Valentis filius ſecundùm primam regulam Conſulatuum Cæſareorum Conſul, & quidem Orientalis, quemadmodum & *Victor*, qui ſub Valente Magiſter militum fuit, ut liquet ex Lege 12. Codicis Theod. *De erogat. ann.* Ad hunc Victorem extat S. Baſilii epiſtola 347. ut & Gregorii Nazianzeni epiſt. 133. & 134. ubi disertè dignitatem, ſeu officium ejus militare deſignat, quem Chriſtianum & Orthodoxum fuiſſe teſtatur Baſilius citatus & Gregorius dictâ epiſtolâ 133. quâ eum hortatur ad promovendam Eccleſiæ pacem, ut obſervat Gothofredus in Proſopographia Codicis Theodoſiani. Quare is *Victor* non eſt *Aurelius Victor* celebris Hiſtoricus, ut cum Onuphrio Baronius putavit. Idacius in Faſtis Valentinianum *Nobiliſſimum* appellat.

II. *Hilarius contra Auxentium agit.* Ad num. I. *Valentinianus* Auguſtus exeunte anno trecenteſimo ſexageſimo quinto, relictâ Italiâ, in Galliam venit, neque in Italiam rediit, niſi diu poſt currentem annum, ut ex Chronologia Codicis Theodoſiani à Gothofredo confecta manifeſtè deducitur. Quare quæ S. Hilarius apud Valentinianum Imp. adverſus *Auxentium* Arianum Mediolani egit, ad annum Chriſti trecenteſimum ſexageſimum quintum, quo Mediolani Valentinianus fuit, revocanda. Decepit

Baronium libellus Auxentii, quem recitat, ubi is ait, Hilarium alioſque ei adhærentes abjicere decreta *ante annos decem* a ſexcentis Epiſcopis edita. Quæ Auxentii verba de Concilio Ariminenſi anno CCC LIX celebrato intelligenda Baronius putavit. Sed, ut rectè Hermantius in lib. II. Vitæ S. Athanaſii cap. 8. obſervavit, videtur Auxentius reſpexiſſe ad ea, quæ Mediolani anno trecenteſimo quinquageſimo quinto acta in Synodo ibidem congregata, aut ad ordinationem ſuam eodem anno peractam. Neque enim Libellus ille hoc anno offerri potuit, cùm dicatur porrectus *Valentiniano & Valenti Auguſtis*, & nulla Gratiani Auguſti jam à biennio ea dignitate præditi, in eo mentio ſit; qui tamen, ſecundùm morem tunc receptum, non minùs quàm Valentinianus & Valens nominari debuit. Præterea S. Hilarius, qui Mediolani erat, quando Auxentius Libellum illum obtulit, ante hunc annum mortuus eſt. Quare non dubito quin decem illi anni à Concilio Mediolanenſi ſint deſumendi. Bollandus die XIII Januarii in Vita S. Hilarii arbitratur, errorem irrepſiſſe in numeros præfati Libelli; & cùm Hilarius ad cælum migrarit anno trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo, loco *ante annos decem*, legendum, *ante annos ſeptem*. Sed fruſtra recurritur ad numerorum errorem, ubi certiora argumenta ſuppetunt. Denique cùm ipſemet Hilarius tradat, poſt oblatum illum Fidei Libellum, juſſum ſe Mediolano egredi, & Euſebius Vercellenſis Epiſcopus eum anno CCC LXIII in Italia, quá e Gallia ſe contulerat, invenerit, & cum eo ad Eccleſiarum pacem procurandam ſeſe conjunxerit, valde veroſimile, Hilarium uſque ad annum CCC LXV in Italia conſtitiſſe, eoque anno adverſus Auxentium ſtudium ſuum oſtendiſſe.

III. *S. Hilarii Pictavienſis Epiſc. obitus.*

Baron. num. XXII.

Ad num. II. *Sancti Hilarii obitus* anno trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo contigit; cùm Hieronymus in Chronico juxta editionem Scaligeri, Hermannus Contractus, & Marianus Scotus id teſtentur, & Gregorius Turonenſis lib. I. cap. 39. prodat, Hilarium demortuum *quarto Valentiniani & Valentis anno*, anno nempe Juliano, & utroque extremo incompleto pro integro numerato. Præterea Severus Sulpicius lib. 2. Hiſt. ait: *Hilarius ſexto anno poſtquam redierat, in patria obiit.* Cùm itaque anno trecenteſimo ſexageſimo ab exilio revocatus fuerit, mors ejus ad annum CCC LXVII pertinet. Severus enim, ut quandoque alii Antiqui, utrumque ultimum annum incompletum non numerat. Colitur Hilarius in Martyrologiis die XIII Januarii, & in quibuſdam die prima menſis Novembris, qui ultimus dies tranſlationis ejus communiter creditur: ſed idem dicendum de die XIII Januarii. Epiſtola enim Synodica *Conciliabuli Singidini* in Myſia habiti, quæ ab Hilario in Fragmentis refertur, dicitur data *decimo quinto Kalend. Januarii Gratiano Nobiliſſimo P. & Dagalaipho Coſſ.* die nempe decimâ octiva menſis Decembris anni trecenteſimi ſexageſimi ſexti. Quòd ſi Hilarius die XIII anni inſequentis, ſc. CCC LXVII, mortuus fuiſſet, Synodicam illam Fragmentis ſuis inſerere non potuiſſet, cùm Pictavis obierit, urbe nempe à Myſia non parum diſſita. Vita S. Hilarii legenda apud Bollandum tomo I. die XV menſis Januarii, ubi tamen mors ejus eo die accidiſſe non bene dicitur. Ejus Opera cum variis MSS. collata ſtudio Patrum Benedictinorum quamprimùm nova editione donabuntur.

IV. *Prior Synodus Romana ſub Damaſo.*

Baron. num. XXVIII & ſeqq.

Ad num. IV. Duorum priorum Conciliorum Romæ ſub Damaſo celebratorum epocha magnis tenebris ſepulta. Primum tamen anno trecenteſimo ſexageſimo ſexto, adverſus Valentem & Urſacium alioſque Arianos jam damnatos coactum. De eo loquitur Athanaſius ad Epiſcopos Africanos, ut optime Baronius notavit: *Sufficiunt*, inquit Athanaſius, *ſcripta Damaſi Comminiſtri noſtri dilecti & magnæ Romæ Epiſcopi, & tam multorum cum ipſo congregatorum Epiſcoporum*, &c. Et pauló infrà: *Gratiam habemus & illius pietati* (nempe Damaſi) *& ceteris qui cum ipſo fuerint Epiſcopis, quòd Urſacio & Valente cum ſociis ſuis ejuſdem ſententiæ ejectis, concordiam Eccleſiæ conſervarint.* Hujus Concilii Synodica perperam à Baronio, quemadmodum & à Conciliorum Collectoribus inter Acta Synodi Illyricianæ relata, ut jam anno CCC LXV numero XI obſervavi. Nam cùm Synodi Illyricianæ epiſtolam Synodicam à Theodoreto recitatam habeamus, in eáque Synodo, non de Valente & Urſacio, ſed de Spiritus Sancti *conſubſtantialitate* ſermo fuerit, malè ad eam refertur præfata Synodica, cujus hæc inſcriptio: *Dilectiſſimis fratribus per Illyricum Fidem paternam retinentibus, Epiſcopi Italiæ in Domino æternam ſalutem.* In ea ſcribunt Epiſcopi illi, ſe Concilii Ariminenſis reciſionem mittere, ſubduntque: *Auctores autem hæreſis Arianæ vel Aëtianæ Valentem & Urſacium, ceteroſque eorundem conſortes, non nunc eſſe, quòd manifeſtari apud Illyricum cœperunt, ſed olim condemnaſſe manifeſtum eſt.* Nonne clarè apparet, eam epiſtolam non in Illyrio, ſed in Italia & in alia Synodo Romana ſcriptam? Secundò, ideo eam ad Illyrios miſſam, quia Valens Murſi, & Urſacius Singidonis in Illyrio ante depoſitionem, Epiſcopi fuerant. Tertiò, Synodum, in qua ea data, non ſub Liberio, ſed ſub Damaſo habitam eſſe. Ac denique, Athanaſium laudatum, & Epiſcopos Italiæ, de una eademque re loqui, de Valente nempe, Urſacio, & ſociis. Porro, cùm S. Hilarius eam Synodicam inter Fragmenta recitet, iſque anno trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo obierit, liquet, eam epiſtolam ipſo Damaſi Pontificatûs initio in Concilio Romano ſcriptam, ideoque primum Concilium Romanum ſub Damaſo anno trecenteſimo ſexageſimo ſexto exeunte, aut ſaltem ſexageſimo ſeptimo ineunte congregatam fuiſſe, eoque etiam tempore illam Athanaſii epiſtolam exaratam. Certè Damaſum, ubi Pontificatum adeptus eſt, *confeſtim Synodum* congregaſſe, teſtatur Auctor libelli Synodici, qui tamen in eo errat, quòd dicat, eam fuiſſe contra Auxentium. Contrà verò de ſecunda Synodo Romana loquens ait, eam Damaſum congregaſſe *pro Homouſio contra Auxentium*, ubi vides hunc Auctorem perperam ſcribere, utramque Synodum Romanam adverſus Auxentium coactam eſſe, & quæ geſta in prio-

Baron. anno 365. n. XVIII.

ti Synodo, ubi Nicæna Fides confirmata, attribuere poſteriori. Rectè tamen aſſerere, Damaſum, confeſtim ac Pontifex creatus, Synodum congregaſſe, adverſus nempe Valentem & Urſacium. Hanc etiam Synodum ſecundam ſub Damaſo perperam Baronius vocat.

V. *Secunda Synodus Romana ſub Damaſo.* Secunda *Synodus Romana*, quam Baronius *primam* credit, à Damaſo adverſus Auxentium coacta anno trecenteſimo ſeptuageſimo primo exeunte, aut inſequentis initio. Ejus Synodicam ad Epiſcopos Illyrios ſcriptam referunt Theodoretus lib. 2. cap. 22. Sozomenus lib. 6. cap. 23. & Nicephorus lib. 11. cap. 31. Sed duo ultimi proximè ante Sancti Ambroſii ordinationem. Præterea Divus Athanaſius in epiſtola ad Epictetum, ait, Auxentium, alioſque Lucifugas *diverſis Conciliis per Galliam, Hiſpaniam & Romæ celebratis anathemate* percuſſos fuiſſe. Quare Concilium Romanum ſecundum ante Sancti Athanaſii mortem habitum. Ex quo liquet, hallucinatum eſſe Valeſium, qui in Notis ad lib. 5. Theodoreti cap. 3. quæ in Collectione Romana Holſtenii de hoc Concilio Romano leguntur, refert ad Concilium Antiochenum poſt Sancti Baſilii mortem celebratum. Nam non ſolùm ante Athanaſii obitum; ſed etiam poſtquam Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus ordinatus eſt, coactæ Synodi tam Romana quam Antiochena adverſus Auxentium; cùm ipſe Baſilius epiſtolam XCVI, quam Baronius integram refert, ſcripſerit ad Epiſcopos Italos & Gallos in Concilio Romano coactos. Ad quod Concilium illam Baſilii epiſtolam pertinere, ipſe Valeſius loco laudato monet. Notanda hæc verba, quæ de ea Synodo in Collectione Romana leguntur: *Explicit hæc epiſtola, vel expoſitio Synodi Romanæ habita ſub Damaſo Papa, & tranſmiſſa ad Orientem: in qua omnis Orientalis Eccleſia, facta Synodo apud Antiochiam, conſona fide credentes, ſinguli ſua ſubſcriptione confirmant.* Poſt ſeptem Epiſcoporum ſubſcriptiones ibidem legitur: *Similiter & alii CXLVI Orientales Epiſcopi ſubſcripſere.* Numeroſior itaque Synodus Antiochena, quæ Romanam confirmavit, quàm hæc, in qua tantùm XCIII *ex reſcripto Imperiali* interfuere, ut habetur in epigraphe Synodicæ Collectionis Romanæ poſt Baronii mortem ab Holſtenio publicatæ.

Baron. ann. 371. num. XV.

Ceterùm, quod in Collectione Romana titulus hujus epiſtolæ præfert, eam ſcriptam eſſe *Epiſcopis Catholicis per Orientem conſtitutis*, falſum non eſt, ut Valeſius laudatus perperam ſcribit, quòd Sozomenus & Theodoretus laudati eam ad Epiſcopos Illyrici ſcriptam eſſe habeant, idque ex ipſis Synodicæ verbis appareat. Nam, ut animadvertit Hermantius in Vita S. Ambroſii lib. 1. cap. 18. ideo hæc epiſtola ad Catholicos Orientis Epiſcopos directa, quòd ejus exemplar ad eoſdem, quemadmodum & ad Illyrios, miſſum fuiſſet. Quod demonſtrant verba præfatæ Synodicæ Collectionis Romanæ ſubjecta: *Ego Sabinus Diaconus Mediolanenſis Legatus de authentico dedi.* Hermantius loco laudato ſcribit, hunc Sabinum non videri diverſum à Sabino, quem Meletius Romam ad Damaſum miſit. Quæ conjectura prorſus certa; cùm Sanctus Baſilius in epiſtola CCLXXIII de literis ad Occidentales ſcribendis loquens, dicat: *Ego cùm inciderim in Sabinum Diaconum, quo nuntio huc ad nos illi uſi ſunt, ad Illyricos ſcripſi, ad Italos præterea & Gallos Epiſcopos.* Ex quo liquet, Synodum tam Romanam, quàm Antiochenam, ante annum trecenteſimum ſeptuageſimum primum, quo Baſilius Cæſareæ Epiſcopus creatus, coactas non fuiſſe; quod & de Illyriciana dicendum, de qua egimus anno CCCLXV.

VI. *In ſecunda Synodo Romana actum de conſubſtantialitate Spiritus Sancti.* Actum in hac ſecunda Synodo Romana de *conſubſtantialitate Spiritus Sancti*, ut videre eſt in laudata Synodica. Unde etiam conſtat, eam Synodum Baſilio jam Epiſcopatum adepto celebratam eſſe: eo enim Epiſcopo ea quæſtio maximè agitata. Hujus Synodi mentio in Decretali epiſtola Damaſi, quam refert Baronius anno CCCLXXIII numero XI, ex Theodoreto lib. 5. cap. 11. In Latino enim exemplari hujus epiſtolæ quædam adduntur, quæ Theodoretus omiſit. Nam ubi Theodoretus habet: *Et quia poſt Concilium Nicænum hic error inolevit, ut quidam ore ſacrilego auderent dicere, Spiritum Sanctum factum eſſe per Filium*; in Latino apud Juſtellum legitur: *Poſt Concilium itaque Nicænum, & quod in urbe Roma Concilium congregatum eſt à Catholicis Epiſcopis, addiderunt de Spiritu Sancto, quia poſtea inolevit*, &c. Valeſius in Notis ad locum citatum Theodoreti dicit, hic intelligi Synodum Romanam, quam Silveſter congregaſſe dicitur Romæ ad confirmationem Synodi Nicænæ. At ea Synodus ſuppoſititia, ut ſuo loco dixi. Loquitur itaque ibidem Damaſus de Synodo Romana adverſus Auxentium celebrata, ut ipſemet Valeſius in Notis ad Sozomenum lib. 6. cap. 25. ſubodoratus eſt.

VII. *Synodus Ægyptiaca.* *Synodus Ægyptiaca* ab Athanaſio celebrata, & de qua mentio in ejus ad Africanos epiſtola, revocanda, ut videtur, ad annum trecenteſimum ſeptuageſimum primum; cùm in ea dicat Athanaſius, ſcripſiſſe ſe ad Damaſum *contra Auxentium invaſorem Mediolanenſis Eccleſiæ*, & mirari ſe, *cur nondum depoſitus, ejectuſque ſit ex Eccleſia.* Quare Concilium anno trecenteſimo ſeptuageſimo ſecundo Romæ à Damaſo adverſus Auxentium indictum, hujus S. Athanaſii monitionis effectus videtur. In Concilio porro Ægypti non tantùm epiſtola ad Damaſum adverſus Auxentium ſcripta; ſed alia etiam ad Epiſcopos Africanos, quâ ii rogati ſunt, ut eos rejicerent, qui Concilium Ariminenſe adverſus Nicænum tuebantur. Exiſtimavit Baronius, Epiſcopos illos Africanos fuiſſe Provinciæ *Cyrenaïcæ*, non verò *Carthaginenſis*. Sed, ut rectè obſervat Hermantius lib. 11. Vitæ S. Athanaſii cap. 12. Epiſcopi *Cyrenaïcæ* Patriarchatui Alexandrino ſubditi erant, ideoque cum Athanaſio eam epiſtolam ad Africanos ſeu Carthaginenſes ſcripſere. Præterquam quòd Africæ nomen per hæc tempora Libyæ Cyrenaïcæ non attributum, & regio prope Carthaginem ſita ab hujus temporis Auctoribus Libya non vocata. Hoc itaque nomine deſignabantur Provinciæ Ægypto vicinæ, quæ à Patriarchatu Alexandrino & Imperio Orientali pendebant; reliquum, quod Epiſcopum

Baron. num. XXXV.

Cartha-

Carthaginenſem & Imperium Occidentale agnoſcebat, *Africæ* nomine exprimebatur. Hos Epiſcopos nonaginta fuiſſe, quando eam epiſtolam dedêre, ipſimet in eadem profitentur, indicantque, in Synodo Alexandrina ſeu Ægyptiaca lecta fuiſſe ſcripta Damaſi adverſus Valentem & Urſacium in Ægyptum allata.

VIII. *Naſcitur S. Ambroſius.* Baron. num. XXXVII & ſeqq.

Ad num. V. Annus Natalis genuini Sancti Ambroſii poſtea Mediolanenſis Epiſcopi incertus. Opinio tamen Hermantii in Vita S. Ambroſii lib. 1. cap. 3. præferenda. Is Divum Ambroſium anno circiter trecenteſimo quadrageſimo natum arbitratur, quòd Paulinus in ejus Vita de eo ſcribat: *Cum adoleviſſet, & eſſet in urbe Roma conſtitutus, cum matre vidua & ſorore, quæ virginitatem jam fuerat profeſſa, cùm videret Sacerdotis à domeſtica ſorore vel matre manus oſculari, ipſe ludens offerebat dexteram dicens & ſibi fieri oportere, & quidem Epiſcopum ſe futurum eſſe memorabat.* Marcellina Sancti Ambroſii ſoror ante annum trecenteſimum quinquageſimum ſecundum virginitatem profeſſa non eſt, cùm teſte D. Ambroſio lib. 3. de Virginibus, velum acceperit à Liberio die Natali Chriſti, & Liberius anno trecenteſimo quinquageſimo ſecundo Pontifex ordinatus fuerit. Quòd ſi Ambroſius anno trecenteſimo trigeſimo tertio in lucem prodiiſſet, ut putavit Baronius, anno trecenteſimo quinquageſimo ſecundo annum ætatis viceſimum attigiſſet, & tamen eo Chriſti anno adhuc in pueritia verſabatur: actio enim de qua Paulinus loquitur, puero tantùm convenire videtur. Præterquam quòd incertum ſit, quo anno Liberius velum Marcellinæ dederit. Quòd ſi tertio aut quarto Pontificatûs anno hanc Virginem Deo ſacrarit, Baronii opinio minùs veroſimilis comperietur. Fundamentum, quo Cardinalis eruditiſſimus ad eam opinionem adductus, anno trecenteſimo octogeſimo ſeptimo evertetur.

IX. *D. Ambroſius Arelati natus nō eſt.*

Paulinus in Vita S. Ambroſii ait: *In adminiſtratione Galliarum patre ejus Ambroſio natus eſt Ambroſius, qui infans in area Prætorii poſitus.* Quibus verbis fultus Theophilus Raynaudus perſuaſum habuit, Divum Ambroſium in urbe Arelatenſi natum eſſe, quòd ex Conſtitutione Honoriana anno quadrageſimo decimo octavo data, & ex libello precum Epiſcoporum Gallicanorum ad S. Leonem Papam conſtet, eam urbem ſedem fuiſſe Præfecti Prætorio Galliarum. Neque obſtare inquit, quòd Divus Athanaſius in epiſtola ad ſolitariam vitam agentes de Paulino Trevirenſi Epiſcopo dicat: *Paulinus Epiſcopus Trevirorum Metropolis Galliarum.* Quia illis verbis aliud non deſignat, quàm urbem Treverenſem Metropolim fuiſſe in Galliis. Verùm anno quadringenteſimo viſuri ſumus ſedem Præfecturæ ex urbe Trevirenſi ad Arelatenſem poſt Concilium Taurinenſe tranſlatam fuiſſe, ideoque circa præfatum Chriſti annum. Erat itaque Arelatum, quo tempore Ambroſius in lucem prodiit, non Metropolis Galliarum, ſed ſecunda poſt Auguſtam Trevirorum civitas, ut docet anonymus Auctor Græcus Deſcriptionis veteris Orbis, qui libellum ſuum aureum poſt annum Chriſti CCCXLVII, & ante annum CCCL, in lucem emiſit, ideoque decem circiter annos poſt Divi Ambroſii ortum: Πόλιν δὲ μεγίστην φασὶν ἔχειν, ἣ καλεῖται Τρίβερις, ὅπου καὶ οἰκεῖν ὁ Κύριος λέγεται, καὶ ἔστι μεσόγειος. Ὁμοίως δὲ ἔχει ἄλλην πόλιν ἐν πᾶσι βοηθοῦσαν, ἣ ἐστιν ἐπὶ τῆς θαλάττης, ἣν λέγουσιν Ἀρέλατον, ἣ ἀπὸ παντὸς κόσμου ἐμπορίαν λαμβάνουσα, τῇ προειρημένῃ πόλει ἐκπέμπει. id eſt: *Civitatem porro maximam habere dicitur* (Gallia nempe) *quæ vocatur Triveris, ubi etiam Imperator morari dicitur: eaque mediterranea eſt. Pariter & aliam civitatem habet in omnibus ei adminiculantem, quæ ad mare ſita eſt, quam vocant Arelatum: quæ cum ab omni Orbe commercia ſuſcipiat, & prædictæ civitati ea ſubmittit.* Is Auctor in Deſcriptione Galliæ nullius civitatis præterquam harum duarum meminit; cui ſuffragatur Auſonius in Claris urbibus, ubi de Arelato canit:

Per quem Romani commercia ſuſcipis Orbis.

Natale itaque Divi Ambroſii longè ab Arelato quærendum, ſed non extra Galliam, imò nec extra urbem Trevirenſem; cùm Paulinus in Vita ejus dicat: *Qui infans in area Prætorii poſitus.* Certum eſt autem, Prætorium in ea urbe fuiſſe.

X. *Mulctæ Eccleſiaſticis inflictæ, in pauperes erogandæ.* Baron. num. XL.

Ad num. VI. Data hoc anno à Valentiniano ſeniore Lex 10. Codicis Theodoſiani, *Quorum appellationes non recipiantur.* quâ Chronopius quidam Epiſcopus à multis Epiſcopis damnatus, quia à ſententia, quæ juſtè prolata fuerat, appellavit, mulcta quinquaginta librarum argenti eidem imponitur. *Hoc autem*, inquit Valentinianus, *non Fiſco noſtro volumus accedere, ſed his qui indigent, fideliter erogari. Quod in hac cauſa & ceteris Eccleſiaſticis fiat.* Quod utique pium Valentiniani inſtitutum fuit; quod ſecutus & Athalaricus in eadem ferè ſpecie apud Caſſiodorum lib. 8. epiſt. 24. ſervantque paſſim hodie Galliæ Parlamenta, ut nempe mulctæ Eccleſiaſticis exſculptæ, in pauperes erogentur, ut obſervat Gothofredus in hujus Legis Commentario, ubi plura alia de eadem Lege.

XI. *Epiſcopatus S. Baſilii.* Baron. num. XLI & ſeqq.

Ad num. VII. Sanctus *Baſilius* neque hoc anno, ut Baronio viſum, neque ſequenti, ut paſſim Viri doctiſſimi ſcribunt, ſed anno trecenteſimo ſeptuageſimo primo ad Epiſcopatum Cæſareenſem evectus, ut quæ ſequentibus annis in medium adducemus, manifeſtum facient. Quo Epiſcopatu anno ſuo reddito, Chronologia per hæc tempora in multis illuſtrari poterit. Cogimur autem, quæ ad Epiſcopatum illum aſtruendum faciunt, præter morem in ſequentes annos differre, ut res clarior procedat.

XII. *Gregorius Nyſſenus Epiſc. creatus.* Baron. num. XLV.

Ad num. VIII. Quo anno *Gregorius Nyſſenus* Sancti Baſilii frater Epiſcopus dictus ſit, incertum. Baronius exiſtimans, epiſtolam Gregorii Nyſſeni ad Olympium de Sancta Macrina, ſcriptam eſſe anno trecenteſimo ſeptuageſimo octavo, infert eum anno trecenteſimo ſeptuageſimo in exilium miſſum, cùm jam Epiſcopus eſſet, quòd ipſemet in ea epiſtola dicat, ſe jam ab annis octo in perſecutione verſari. At cùm ex infrà dicendis conſtet, eam ad Olympium epiſtolam ante finem anni trecenteſimi octogeſimi datam non eſſe, liquet ejus exilium ante annum trecenteſimum ſeptuageſimum tertium non contigiſſe. Videtur itaque Gregorius an-

no trecenteſimo ſeptuageſimo ſecundo ad Epiſcopatum promotus, non *Nyſſæ* in Aſia Minori, ubi urbs hujus nominis, ſed *Nyſſæ* in Cappadocia, à Cæſarea triginta quinque circiter leucis diſtita. Unde Theodoretus lib. 4. cap. 27. cum inter eos, qui Fidem in Cappadocia propugnarunt, numerat. Videtur itaque Gregorius à Baſilio fratre ordinatus; cùm epiſtola 385. ab Epiſcopis, à quibus Gregorius ordinatus, Baſilio attribuatur.

XIII. *Pax Gothos inter & Romanos inita.*

Ad num. IX. *Athanaricus* Gothorum Rex hoc anno regnare cœpit, ut videre eſt tam in Chronico Iſidori, quàm Hieronymi. Is enim de eo agit anno Abrahami 2385. qui anno Chriſti CCCLXVIII incipit. Præterea
Baron. num. LXVII. Athanaricus, qui initio anni CCCLXXXI obiit, dicitur ab Iſidoro annos tredecim regnaſſe. Valens itaque tertio hoc ultimoque belli Gothici anno, per *Noviodunum* perrupto Barbarico, Grutungos aggreſſus, Athanaricum *Judicem eorum* coëgit in fugam, ut disertè Ammianus lib. 27. Inde datæ à Valente menſe Julio hujus anni *Novioduni* Lex 1. Codicis Theodoſiani *De veſtibus oloveris.* & Lex 2. *De Fiſci debitoribus.* Hoc ipſo tempore, ut rectè conjicit Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani, videtur Valens *Tomos* profectus, (urbs eſt ad mare ſita in ſiniſtro latere Ponti Euxini) de qua profectione Sozomenus lib. 6. cap. 20. à Baronio ad annum trecenteſimum ſeptuageſimum primum non bene relata, ut ex iis, quæ eo anno dicemus, intelligi poterit. Tandem bellum Gothicum hoc anno confectum, pace cum Athanarico facta, de qua Ammianus lib. 27. Themiſtius Orat. 10. qui indicare videtur, eam factam media æſtate, & Zoſimus lib. 4. pag. 741. Inde pace facta Valens Conſtantinopolim rediit, ut patet ex Ammiano lib. 27. Zoſimo 741. & 742. & Socrate lib. 4. cap. 13. Hinc data menſe Decembri hujus anni ab eo Conſtantinopoli Lex 2. Codicis Theod. *De legitimis hereditatibus ad Auxonium PF. P.* Auxonius itaque ſub hujus anni finem adhuc Præfectus Prætorio erat. Philoſtorgius lib. 9. cap. 11. ait, poſt Auxonium, Modeſtum Præfectum Prætorio conſtitutum fuiſſe, & quidem anno ſequenti. Quod confirmat Zoſimus loco laudato, qui ait, Valentem pace cum Gothis ſancita, Conſtantinopolim profectum eſſe, & quia Præfectus Prætorio, quem antea *Auxonium* fuiſſe dixerat, diem ſuum ſupremum clauſerat, Modeſto magiſtratum hunc tradidiſſe. Ex quo apparet, Sanctum Baſilium, neque hoc, neque ſequenti anno Cæſareæ Epiſcopum creatum eſſe, cùm Modeſto Præfecturam Prætorii gerente, *Baſilius* adhuc Presbyter fuerit: qua de re infrà. Ceterum Gothico bello ſucceſſit Perſicum poſt Procopii necem ortum, aut ſaltem poſt rebellionem, ut indicat Zoſimus lib. 4. pag. 740. Adverſus eos Valens anno tantùm ſequenti profectus eſt, ut ex dicendis anno ſequenti patebit.

XIV. *Breviarium Rufi quando editum.*

Rufus Feſtus *Breviarium rerum geſtarum populi Romani* Valenti Imperatori dicatum in lucem emiſit poſt annum CCCLXVI, ut liquet ex verbis, quibus illud abſolvit: *Ut ad hanc ingentem de Gothis etiam Babyloniæ tibi palma pacis accedat.* Cœptum autem bellum Perſicum tertio hujus Imperatoris anno, Chriſti ſcilicet CCCLXVI, ut teſtatur Philoſtorgius lib. 9. num. 5. *Valens tertium ſui Imperii annum ingreſſus, expeditionem adverſus Perſas ſuſcepit.* Sed, cùm pax ſancita fuerit cum Gothis media æſtate currentis anni, ut mox oſtendimus, Opus illud ſub hujus anni finem, vel ſaltem ſequenti publicatum. Quare decepti ſunt aliqui Viri docti, qui illud initio ejuſdem Imperatoris editum credidere.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5863. ☉ 15 C. ☽ 16. P. 28. MART. INDICT. 13.
JESU CHRISTI 370.
DAMASI PAPÆ 5.
VALENTINIANI ET VALENTIS 7. GRATIANI 4.

I. *Conſules.*

COSS. *Valentinianus Aug. III*, & *Valens Aug. III*: ille in Occidente, hic in Oriente, ille juxta ſecundam regulam. Quinquennalia enim uno anno dilata dedit: hic juxta tertiam. Neque enim hujus Conſulatus alia ratio aſſignanda videtur. Horum ſolennium indicia variæ Leges Codicis Theodoſiani hoc anno à Valentiniano datæ, & dedicatio Eccleſiæ Sanctorum Apoſtolorum, de qua infrà.

II. *Valentiniani Auguſti Quinquennalia.*

III. *Perſecutio Orthodoxorum.* Baron. num. 1 & ſeqq.

Ad num. I & II. Edictum Valentis adverſus Epiſcopos Orthodoxos, & fuga Sancti Athanaſii ad annum trecenteſimum ſexageſimum ſeptimum pertinent, ideoque Valentis perſecutio triennio tardiùs quàm oportuerit, à Baronio conſignata. Gregorius Nyſſenus in epiſtola ad Olympium, enumerat quidem annos octo exilii ſui; ſed ea anno CCCLXXVIII non ſcripta, ut putavit Baronius; verùm anno trecenteſimo octogeſimo exeunte, ut ſuo loco videbitur: præterquam quòd Nyſſenus de ſua, non verò de aliorum Epiſcoporum perſecutione loquitur. Quare motæ perſecutionis tempus ex ea epiſtola minimè deduci poteſt. Sozomenus lib. 6. cap. 12. illud nos edocet, cùm ait, Concilium, quod Tarſi in Cilicia ſperabatur futurum, Valentem Imperatorem Eudoxii impulſu diremiſſe, & Rectoribus Provinciarum mandaſſe, ut Epiſcopos, qui regnante Juliano Sacerdotium recuperaverant, Eccleſiis expellerent. Ob quam juſſionem, qui in Ægypto magiſtratum gerebant, Athanaſium Alexandriâ ejicere ſtuduiſſe. Concilium autem Tarſi in annum CCCLXVIII indictum fuit, ut ſuo loco dictum. Addit Sozomenus, poſt edictum illud promulgatum pluribus Epiſcopis ademtas fuiſſe Eccleſias, Athanaſium verò Imperatoris juſſu ſuam Eccleſiam recepiſſe: & dum in alios perſecutio incumberet, Ægyptum iſtarum calamitatum expertem fuiſſe, *Athanaſio adhuc ſuperſtite.* Quare Theophanes de Athanaſii morte loquens rectè ſcribit: *Annos integros quadraginta in perſecutionibus, periculiſque pro Fide & pietate ſuſceptis* peregiſſe; quod verum eſſe non poteſt, niſi ejus fuga & reſtitutio anno trecenteſimo ſexageſimo acciderit. Auctor Farraginis in Scaligero publicatus prodit, *Tatianum* Lupicino & Jovino Coſſ. anno nempe CCCLXVII, primum Auguſtalem in Ægyptum miſſum, & *VI*

Kalend. Februarias Alexandriam introiſſe. Cui Auctori fidem adhibendam eſſe oſtendit Lex I. Codicis Theodoſiani *Si Curialis relicta civitate*, data *VI Idus Maii*, & directa ad Tatianum PF. Ægypti. Quæ Lex præfato anno CCC LXVII emiſſa. Porro Auctor anonymus Vitæ Athanaſii apud Photium, & Metaphraſtes in Vita ejuſdem Sancti aſſerunt, *Tatianum* Ægypti Præfectum fuiſſe, quando Athanaſius fugere coactus eſt, illumque Orthodoxos valde afflixiſſe: *Tatiano tum temporis Ægypti Præfecto, horrenda Chriſtianos omnes, horrendi & graves cruciatus manebant, & multi per eum martyrii finem adepti ſunt*, inquit Anonymus Photianus: *Tum temporis Tatiano Ægypti Præfecto multi non ſolùm diverſas plagas ſuſtinebant, ſed & martyrio afficiebantur, multa illo contra Eccleſiam moliente: quem Tatianum ultio Divina ad pœnam traxit*, inquit Metaphraſtes. Sed de magni hujus Athanaſii perſecutoris, cujus nulla apud recentes Auctores, qui ejus Vitam ſcripſere, mentio, funeſto obitu ſuo loco agetur.

IV. *Initio anni CCC LXVII decreta.* *Tatianum*, ubi primùm Alexandriam advenit, perſecutionem exorſum eſſe, colligitur ex epiſtola S. Athanaſii ſuper Sancti *Theodori* Pachomii diſcipuli mortem, *Orſieſium* ejuſdem Pachomii in Monachorum Tabennenſium Præfecturam ſucceſſorem ſolantis. Nam in epiſtolæ fine gratulatur ſibi Athanaſius, *quòd Paſcha & Pentecoſtes ſolennitates animo ſecuro agere* potuerit. Scripta ea epiſtola, ut notat Papebrocius in Vita SS. Pachomii & Theodori Abbatum Tabennenſium in Thebaïde, die XIV Maii, paragrapho 17. anno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo octavo, poſt Theodori mortem, quæ, ut legitur in laudata Vita, contigit *Dominicâ Gaudii*, id eſt, Paſchatis, ut Papebrocius interpretatur. Quare laudatis verbis Athanaſius inſinuat, ſeſe anno trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo Paſchatis & Pentecoſtes feſta animo ſecuro agere non potuiſſe, ob Tatiani perſecutionem. Et profectò, cùm teſte Socrate lib. 4. cap. 13. *quatuor integros menſes in paterno monumento* delituerit Athanaſius, in feſtis Paſchatis & Pentecoſtes adhuc in eo latebat, verumque eſt quod jam dixi, *Tatianum* Alexandriam ingreſſum, die nempe viceſima ſexta Januarii, ſtatim edictum adverſus Orthodoxos publicaſſe. In laudata Farragine duo de *Tatiano* adduntur, ſcilicet eum condidiſſe in Alexandria *fluvium* (id eſt, lavacrum vel aquæductum) qui vocatur *Tatianus*. Item eum portas feciſſe, dictas *Petrinas*, auro perfuſas. In eadem Farragine iterum Auguſtalius fuiſſe dicitur annis CCC LXXIV, CCC LXXV & CCC LXXVI. Verùm in ea Conſules turbati. Gothofredus in Proſopographia Codicis Theodoſiani verbo *Tatianus*, oſtendit, anno CCC LXXIV eum Comitem fuiſſe ſacrarum Largitionum, & ab eo anno ad CCC XCI, quo Conſul cum Symmacho fuit, multas ad eum Leges inſcriptas, & in Lege 19. Cod. Theod. *De extraordinariis*. à Theodoſio Magno data, diſertè Tatianum in inſcriptione Legis Præfectum Orientis vocari. Tanta auctoritate per hæc tempora Tatianus florebat. Sed de eo rurſus infrà.

V. Ad num. V. Cùm *Baſilius* epiſt. 311. ad Pelagium Laodicenum Epiſcopum ſcribat, valde ſe cupere eum adire, liquet, tempore, quo ea ſcripta, *Pelagium* nondum in exilium miſſum eſſe. Cúmque ea anno trecenteſimo ſeptuageſimo quinto data videatur, ut ex profectione *Sanctiſſimi*, de qua loquitur, colligitur, Pelagii exilium eo anno conſignandum. *Exilium S. Pelagii.* Baron. num. XIII.

Ad num. VI. *Eudoxius* ſub hujus anni Conſulibus mortuus, ut tradit Socrates lib. 4. cap. 14. & inſinuat Philoſtorgius lib. 9. cap. 8. Quod verò apud Socratem dicitur, eum Conſtantinopolitanam Eccleſiam annos *novemdecim* rexiſſe, error Librarii eſt, non verò Socratis, ut obſervat Valeſius in Notis. Alioquin Socrates à ſe ipſo diſſentiret, cùm lib. 2. cap. 42. eum in Concilio Conſtantinopolitano anno CCC LIX inchoato, ſequentique continuato, Eudoxium in locum Macedonii depoſiti ſubſtitutum teſtetur. Obiit porro, quando Valens Antiochiam tendens paulatim Nicomediæ ſubſtitit, ut habet Sozomenus lib. 6. cap. 13. ideoque circa menſem Maium, ut mox videbitur. De *Demophilo* ab Arianis in locum Eudoxii ſubrogato legendus Philoſtorgius lib. 9. cap. 10. & 14. VI. *Eudoxii Cp. Epiſcopi obitus.* Baron. num. XXV & ſeqq.

Dira illa *fames*, quæ Cappadociam afflixit, hoc anno contigit. Idacius enim in Faſtis ſub hujus anni Conſulibus ſcribit: *His Conſſ. magna fames fuit in partibus Phrygiæ*. Quæ verba etiam in Chronico Hieronymi hoc anno leguntur, quia nempe magis in Phrygia quàm in aliis partibus ſævit. Baronius eam famem diverſam exiſtimavit ab ea, de qua Gregorius Nazianzenus Oratione in laudem Baſilii, in qua ait, eam maximè Cappadocas afflixiſſe, eoque tempore Cæſareæ S. Baſilii adhuc Preſbyteri magnam in alendis pauperibus charitatem enituiſſe. Quæ duplex fames ideo ab eo excogitata, quia Baſilium anno CCC LXIX Cæſareæ Epiſcopum renuntiatum credidit; cùm tamen fames, quæ Cappadociam exagitavit, Baſilio adhuc Preſbytero contigerit. Verùm, cùm certis argumentis conſtet, Baſilium currenti anno adhuc Preſbyterum fuiſſe, manifeſtum eſt, eandem famem & in Cappadocia & in Phrygia eodem anno graſſatam. Atque hinc validum eruitur argumentum ad initium Epiſcopatûs Baſilii rectè conſignandum. Gregorius enim Nyſſenus in epiſtola ad Olympium de Sancta Macrina, affirmat, poſt famem illam, quæ Cappadoces invaſit, & ante creationem Baſilii Epiſcopi, Sanctam *Emmeliam* hujus matrem ex hac vita migraſſe. Colitur S. *Emmelia* in Tabulis Eccleſiaſticis die triceſima menſis Maii. Quare ſi eo die obiit, ut mox viſuri ſumus eam vitâ functam, ea mors ad alium annum quàm ad præſentem pertinere non poteſt; conſtatque, Baſilium currenti anno poſt famem illam adhuc Preſbyterum fuiſſe, & ante ordinationem ſuam *Emmeliam* matrem amiſiſſe. VII. *Fames quæ Phrygiam, Cappadociã etiam afflixit.* Baron. num. XXVIII, & an. 367. num. XXXIII.

Nec audiendus Hermantius lib. 6. Vitæ S. Baſilii cap. 8. ubi contendit, *Emmeliam* exeunte anno trecenteſimo ſeptuageſimo ſecundo ad Deum migraſſe, quòd epiſtola ſeptima Baſilii ad Euſebium Samoſatenſem Epiſcopum, in qua de morte matris, de Eccleſiæ negotiis, & de ſuis perſecutioni- VIII. *S. Emmeliæ obitus.* Baron. ann. 369. num. LXI & ſeqq.

bus loquitur, videatur ab eo ſcripta, non Presbytero, ſed jam ad Epiſcopatum evecto. Nam, cùm Hermantius Baſilium currenti anno Epiſcopum renuntiatum tradat, Emmeliæ mortem, quæ Baſilio adhuc Presbytero contigit, ad annum CCCLXXII nullo modo differre potuit. Baſilius in epiſtola 254. ad Euſebium Samoſatenſem data, ait, hiemem adeo intolerabilem fuiſſe, ut per *duos integros menſes*, intra domum, tanquam intra cavernam, clauſus manere coactus fuerit. Quæ hiems adeo inclemens currenti anno ſævivit, quod non tantùm fames, quæ Phrygiam & Cappadociam vexavit, à vi frigoris hiemiſque, ut videtur, illata, demonſtrat; ſed etiam quòd in ea Baſilius de Demophilo Conſtantinopolitano Epiſcopo tanquam de re recenti loquatur. Quare cùm *Demophilus* hujus anni initio Epiſcopus Cp. dictus ſit, ea epiſtola præſenti anno ſine dubio data, quemadmodum & epiſtola VII Baſilii ad Euſebium Samoſatenum poſt eam epiſtolam 254. exarata; cùm in ſeptima Baſilius dicat, prætermittere ſe dicere *hiemis odium*, aliaque, ut eidem *pridem ſignificata*. Nam Baſilium anno CCCLXXI, vel CCCLXXII ad amicos de intoleranda hieme anni trecenteſimi ſeptuageſimi ſcripſiſſe, nullus ſibi perſuaſerit. Unde, cùm in iiſdem epiſtolis, & de hiemis inclementia, & de Emmeliæ matris obitu ſermo ſit, manifeſtum eſt, Baſilium de rebus, quæ hoc anno acciderint, verba facere, ideoque Emmeliam præſenti anno demortuam, idque die XXX Maii, quo ejus memoria celebratur, non verò verſus hiemem, ut ex epiſtola ſeptima ad Euſebium Samoſatenum deduci putat Hermantius. Nam in ea epiſtola ait tantùm Baſilius, ſe jam pridem ſignificaſſe Euſebio *hiemis odium, & negotiorum continuitatem*. Tum ſubdit: *Nunc autem, quod unicum habebam vitæ ſolatium matrem, etiam hanc propter mea peccata amiſi.* Quamobrem epiſtola illa ſeptima non hieme, ſed vere vel æſtate ſcripta; cùm in ea dicat Baſilius, ſe jam diu *hiemis odium*, nunc verò matris mortem ſignificare.

IX. *Valens hujus anni initio Orientalem profectionem inſtituit.*

Sed præfatæ duæ Baſilii epiſtolæ deinceps ſcriptæ ad hujus temporis Hiſtoriam illuſtrandam magis examinandæ. Ex epiſtola 254. ad Euſebium Samoſatenum eruimus, Valentem hujus anni initio profectionem ſuam ad Orientem inſtituiſſe, ipſoque menſe Januario Nicomediam perveniſſe, ubi, inquit Socrates lib. 4. cap. 14. ſubſtitit, quòd Eudoxius Arianæ factionis Epiſcopus ſtatim poſt Imperatoris diſceſſum extremum diem obierat, & Ariani *Demophilum* in ejus locum ſubſtituerant, Orthodoxi verò Evagrium, exindeque contentiones inter Arianos & Orthodoxos ortæ eſſent. Quam Eudoxii mortem hujus anni initio contigiſſe ex laudata Baſilii epiſtola 254. manifeſtè colligitur. Ubi enim Baſilius de hiemis rigore locutus eſt, ait: *Jam dudum Conſtantinopoli hæret Demophilus, de quo qui huc ad nos appellunt ſinguli, unanimi conſenſu deprædicant, illum veritatis & pietatis fictam ſibi perſonam ſuperinduxiſſe, eo tamen ſucceſſu, ut divulſæ civitatis illius, & diſtractæ factiones coaluerint*, &c. Tum ſubdit: *Eccleſia verò partes cæteræ, per Dei gratiam rectiſſimè ſunt affectæ. Deum porro omnes venerantur obnixiùs, ut vere proximo te liceat in hiſce regionibus coràm denuo intueri & affari.* Scripta itaque ea epiſtola hieme currentis anni, ut in eadem Baſilius diſertè indicat, & demonſtrat deſiderium videndi verno tempore Euſebium, quo ſe teneri ſcribit. Præterea, cùm in ea epiſtola de Eccleſiarum perſecutione ſermonem non habeat, ea ante hujus anni æſtatem, quâ Valens Eccleſiarum pacem turbavit, data. Denique ex epiſtola ſeptima ad Euſebium Samoſatenum poſt epiſtolam 254. ſcripta, manifeſtè apparet, hanc ante æſtatem miſſam. In illa enim Eccleſiam jam vexatam ſcribit: *Porro Eccleſiæ ferè ut corpus meum affectæ ſunt, nulla quidem ſpe bona affulgente, verùm in deteriora rebus ſemper delabentibus.* Quare cœpta tunc erat perſecutio, cùmque in ea epiſtola *Emmeliæ* matris mortem Euſebio ſignificet, non dubium quin ea die XXX Maii, quo nomen ejus in Martyrologiis legitur, è vivis exceſſerit, & poſt illum diem Baſilius hanc epiſtolam 7. ſcripſerit. Idacius in Faſtis ſub hujus anni Conſulibus ſcribit: *Dedicata eſt Sancta Eccleſia, ubi beati Apoſtoli poſiti ſunt, V Idus April.* id eſt, die nona Aprilis, quæ hoc anno cum feria ſexta concurrebat. Ex quo & liquet, nondum uſum hoc tempore invaluiſſe, ut Eccleſiarum dedicationes diebus Dominicis, aut feſtis ſolennibus fierent. De eadem dedicatione loquitur Hieronymus in Chronico hoc anno, licèt diem non exprimat, quem tamen diſertè memorat Auctor Chronici Alexandrini. Eccleſia Apoſtolorum à Conſtantino quidem ædificata & dedicata fuerat, ſed jam anno CCCLVIII ruinam minabatur; quod in cauſa fuit, cur Macedonius Cp. Epiſcopus Conſtantini Magni corpus inde auferri juſſerit, ut legitur in Annalibus. Hermantius in Vita SS. Baſilii & Gregorii Nazianzeni lib. 4. cap. 24. exiſtimat, Valentem Conſtantinopoli ante eam dedicationem peractam digreſſum non eſſe. Sed ex duabus præfatis Baſilii literis inter ſe comparatis apparet, ipſo anni initio Valentem profectionem ſuam inſtituiſſe, cùm Demophilum jam ante vernum tempus Eudoxio ſucceſſiſſe ex eiſdem conſtet. Denique ſeptimâ illâ epiſtolâ à Baſilio adhuc Presbytero proculdubio ſcripta, ut ex ejus lectione colligere eſt, ſaltem nullum in ea verbum, quod eum tunc Epiſcopum fuiſſe inſinuet.

X. *Ex Baſilii morbo annus emortualis matris ejus innoteſcit.*

In utraque laudata epiſtola ſe morbo affici ad Euſebium Samoſatenſem ſcribit Baſilius, indeque intelligimus, eas epiſtolas alio quàm currenti anno datas non eſſe. In epiſtola enim ſexta, quam poſt eaſdem ad eundem Euſebium ſcripſit Baſilius, ait, paululum ſe ex morbo convaluiſſe, & in foribus adeſſe hiemis inclementiam, quæ etiamſi ſolito contigerit tolerabilior, ſe tamen domi cohibere. Concludit, ſe intra ædes ejus eum complexurum, ſi vitæ tempus non defecerit, *nec fames minus pervium iter reddiderit.* Quamobrem hæc epiſtola ipſo hujus anni fine ad Euſebium miſſa, ex eaque manifeſtè liquet, non alio anno ſcriptam, quàm eo, quo fames Cappadociam afflixit, currenti nempe. Baronius in Annalibus, ubi Baſilium anno CCCLXIX Epiſcopum renuntiatum eſſe credit,

antequam de ejus inauguratione verba faciat, de *Emmeliæ* obitu ſermonem habet, recitatque epiſtolam ſeptimam Baſilii ad Euſebium, in qua eadem mors nuntiatur. Rectè quidem Baronius, juxta eam quam de Baſilii Epiſcopatu imbiberat opinionem. Sed, cùm modò certò conſtet, Baſilii Epiſcopatûs initium anno CCC LXXI affigendum eſſe, *Emmeliæ* obitus ſeptimaque illa epiſtola à currenti anno removeri non poſſunt.

XI.
Baſilius bis à Valente impetitus.

Baron. num. XXXIX & ſeqq.

Ad num. VI & VII. *Baſilius* bis à Valente Aug. impugnatus. Primò, dum ille Cæſarienſis Eccleſiæ adhuc Preſbyter eſſet. Secundò, cùm ejuſdem urbis Epiſcopatum adminiſtraret. Primam incurſionem Baronius conſignat anno CCC LXVI: quam opinionem ſecutus eſt etiam Hermantius in Vita SS. Baſilii & Gregorii Nazianzeni lib. 3. cap. 10. Verùm eo anno Valens Aug. Cæſaream non venit, ſed anno CCC LXV, teſte Ammiano lib. 26. in illius anni geſtis; quod etiam clarè teſtatur ſubſcriptio Legis 5. Codicis Theodoſiani *De Suſceptoribus.* quæ data dicitur *IV Non Jul. Cæſareæ Valentiniano & Valente AA. Coſſ.* anno nempe CCC LXV. In ea verò urbe conſtitutus Valens, indeque jam profecturus, *ut vaporatis æſtibus Ciliciæ jam lenitis* ad Antiochiam procurreret, de Procopii Tyrannide didiſcit. Quâ re factum, ut Valens retrocederet. Unde cùm Procopii defectio anno CCC LXV acciderit, eo anno, non verò inſequenti, Valens Cæſareæ fuit. Sed eo tempore Baſilius in eremo latitabat, & Valens Orthodoxos nondum perſequebatur. Poſteriorem incurſionem Baronius hoc anno narravit. Certum tamen indubitatumque, anno tantùm currenti Baſilium adhuc Preſbyterum à Valente Imp. primò impetitum, alteramque in eum jam Cæſareæ Epiſcopum renuntiatum impreſſionem nonniſi poſt aliquot annos factam eſſe. Combefiſius in Notis ad Theophanem pag. 565. ſcribit, Baronium erraſſe, quòd uno Valentis Cæſaream acceſſu poſito, eò profectum exiſtimet, cùm Nicomediâ iter agens Antiochiam perrexit. Subjungit Combefiſius, ſemel & iterum, Antiochiam videlicet euntem, & eâ revertentem, iter Cæſareâ Valentem feciſſe, & in eam ingreſſum, Baronium non advertiſſe. At dupliciter ipſemet Combefiſius fallitur. Nam Baronius primam Valentis in Baſilium Preſbyterum incurſionem loco laudato ex Gregorio Nazianzeno recitat. Secundam verò pluribus hoc anno refert. Deinde verum non eſt, Valentem, dum Antiochiâ rediret, Cæſaream veniſſe, cùm, ut mox viſuri ſumus, longè tardiùs Valens Cæſaream Baſilium Epiſcopum ad ſuam ſectam deducturus, deditâ operâ ſeſe contulerit. Tria itaque hactenus ignorata nobis hîc demonſtranda. Primum, Baſilium anno tantùm ſequenti Cæſareæ Epiſcopum ordinatum, ideoque præſenti anno à Valente primò impugnatum. Secundum, eundem Imperatorem præſenti anno Antiochiam non perveniſſe, ſed Cæſareâ Conſtantinopolim rediiſſe. Tertium, ſecundam Valentis in Baſilium jam Epiſcopum impreſſionem contigiſſe anno circiter trecenteſimo ſeptuageſimo quinto. Quibus demonſtratis, Baſilii epiſtolæ magna ex parte à Viris doctis ſuis annis reddi poterunt.

XII.
Baſilius adhuc Preſbyter impugnatus.

Baron. anno 366. n. XVI.

Valens itaque ipſo currentis anni initio Conſtantinopoli relicta, Antiochiam contendit, ipſo enim anni exordio cum ſeſe vix dediſſe jam ſuprà oſtendimus. *Aberat Conſtantinopoli Imperator in Oriente*, inquit Gregorius Nyſſenus lib. 1. contra Eunomium pag. 312. *elatus mente, rebus contra Barbaros non ita pridem feliciter geſtis, exiſtimanſque cupiditatibus ſuis nihil omnino adverſari debere: præcedebat eum Præfectus* (ſcilicet Modeſtus) *ſpecie quidem, quaſi neceſſaria Imperatoris adventui præparare deberet; reverà autem, ut Orthodoxos propriis ſedibus exterminaret, in ejectorumque locum alios non legitimè vocatos & ordinatos, in contemtum & injuriam Eccleſiæ, ſubſtitueret. Hac igitur mente, velut nube quadam malorum, cùm violentia & exagitatio contra Eccleſias ex Propontide progreſſa eſſet, & Bithyniam quidem ex improviſo deſolaſſet, Galatiamque ſine labore vaſtaſſet, & cum omnia illis ad voluntatem fluxiſſent; jam ſerpenti malo objiciebatur noſtra Regio.* (nempe Cappadocia) *Quid igitur Magnus Baſilius*, &c. Vides, Valentem Imp. Cæſaream non veniſſe ad Baſilium impugnandum, niſi poſt bellum Gothicum confectum, pacemque cum Athanarico Gothorum Rege anno præcedenti ſancitam: verumque eſſe quod Socrates lib. 4. cap. 14. Sozomenus lib. 6. cap. 13. & Auctor Vitæ Sancti Athanaſii apud Photium pag. 1449. teſtantur; Valentem ſcilicet Conſtantinopoli Nicomediam Bithyniæ veniſſe: ubi ob Evagrii ordinationem, poſt Eudoxii Conſtantinopolitani Epiſcopi Ariani mortem, à Catholicis factam, aliquantiſper ſubſtitit, ut Sozomenus & Socrates notant. Tunc etiam factum quod ſcribit Philoſtorgius lib. 9 cap. 8. *Poſt hæc Nicæam profectus, ut Epiſcopum illic ordinaret, mortuus enim erat Eugenius urbis illius Epiſcopus: priuſquam ei negotio finem impoſuiſſet, obiit è vita. Demophilus verò à Berrœa tranſlatus eſt Conſtantinopolim, Imperatore ſententiam Synodi comprobante.* Dein Valens *Cyzicum* Myſiæ urbem ad Propontidem venit, ubi IV Idus Junii dedit Legem 17. Codicis Theodoſiani *Quorum appellationes.* *Cyzico* in *Galatiam* ſe contulit, ut ex Gregorio Nyſſeno mox laudato colligere eſt, qui & aſſerit, Valentem è Galatia Cæſaream, ubi Sanctus Baſilius erat, ſeſe contuliſſe.

XIII.
Baſilium tunc Preſbyterum fuiſſe magis probatur.

Baron. anno 366 n. XII & ſeqq.

Baſilium tunc tantùm Preſbyterum fuiſſe ſcribunt Theophanes & Cedrenus, ac ante eos Sozomenus lib. 6. cap. 15. ubi de Valente & Arianis Epiſcopis, quos ſecum ducebat, loquens tradit: *Simul atque nuntiatum eſt, eos in Cappadociam contendere, Baſilius Ponto decedens ſuopte motu venit Cæſaream. Et cum Euſebio* (Cæſareæ Epiſcopo) *quidem in gratiam reverſus eſt: Eccleſiam verò opportunè admodum eloquentiæ ſuæ ſubſidio adjuvit. Valens itaque unà cum Epiſcopis, quos ſecum habebat, conatu ſuo depulſus, tum quidem re infectâ diſceſſit.* Huc itaque retrahenda, quæ Baronius anno CCC LXVI, de diſceſſu Baſilii & Gregorii Nazianzeni è Ponto, ac de Baſilii cum Euſebio Epiſcopo ſuo reconciliatione dicit. Ea enim, ut ex his Sozomeni verbis liquet, hoc anno geſta. Quamobrem Baſilius adhuc Preſbyter erat

quando hoc anno Valens Cæſaream venit. Reſpondet Baronius, Sozomenum hac in re erraſſe. At Gregorius Nyſſenus loco laudato, Sozomenum rectè ſcripſiſſe Euſebium Cæſareæ Epiſcopum adhuc vixiſſe, confirmat. Ait enim: *Poſt illas in Bithynia tragœdias, devictoſque ſolitâ facilitate Galatas, nullius negotii exiſtimabat, etiam apud nos arbitratu ſuo inſanire. Rebus verò futuris exordium dedit oratio minis ſimul & promiſſis mixta: & ſiquidem obtemperaret Baſilius, promittebat honores omnes ab Imperatore, & præterea Eccleſiæ gubernaculum & clavum; ſi reluctaretur, proponebat omnia, quæ acerbitas animi cum poteſtate quidvis agendi conjuncta excogitare poteſt.* Poſtea Nyſſenus pag. 315. ſcribit, Imperatorem irâ inflammatum rurſus fortunam expertum eſſe, *Modeſto irâ multò vehementiùs quàm primâ impreſſione accenſo.* Utraque itaque incurſio facta, dum Modeſtus Præfectus Prætorio eſſet. Is autem ante currentem annum Præfectus Prætorio non fuit, ut in fine anni ſuperioris dixi; ideoque Baſilius hoc anno adhuc Presbyter erat, quando Modeſtus eum minis & promiſſis flectere conatus eſt. Quòd ſi Baſilii ordinatio in diem XIV Junii, quo in omnibus Martyrologiis & Menæis notatur, facta fuerit, manifeſtum eſt, eum hoc anno Epiſcopum renuntiatum non eſſe: non enim parum Cyzicum, ubi IV Idus Junii Valentem fuiſſe diximus, ab urbe Cæſarienſi diſtat, ideoque nonniſi poſt decimum quartum Junii diem Valens Cæſaream pervenire potuit. Sed argumenta, quæ à diebus ordinationis, aut natalibus Sanctorum in Martyrologiis deſcriptis eruuntur, non magnum robur habent; cùm innumeris exemplis conſtet, Sanctos aut mortuos aut ordinatos aliis diebus, quàm quibus in Tabulis Eccleſiaſticis coluntur. Hoc unum nobis ſufficere debet, Baſilium, quando primum à Valente impugnatus, Preſbyterum tantùm fuiſſe, eamque aggreſſionem ante currentem annum nullo modo accidere potuiſſe.

XIV. *Valens Cpolim redit.*

Valens videns, *Baſilium* neque potentiâ perfringi, neque labefactari minis, neque exorari promiſſis poſſe, petendæ Antiochiæ conſilium mutavit, & Conſtantinopolim hoc anno rediit. Jam *pridie Nonas Aug.* Hierapolim, quæ urbs magnæ Phrygiæ, pervenerat; eo enim die emiſit Legem unicam Codicis Theodoſiani *De jure Italico urbis Conſtantinopoleos.* Ibidem *IV Idus Aug.* dedit Legem 5. Codicis Juſtinianei *De Defenſoribus civitatum.* Tum XIV Kal. Octob. Legem 6. Codicis Theodoſiani *De Tyronibus.* ad Modeſtum P. P. Ac denique XVI Kal. Octob. Legem 19. ejuſdem Codicis *De Epiſcopis.* ad Modeſtum P. P. Digreſſus Hierapoli Conſtantinopolim reverſus eſt, ubi *II Idus Decemb.* currentis anni dedit Legem 8. Codicis Theod. *De Maleficis* ad Modeſtum P.F. Quibus poſitis, quis ſibi impoſterum perſuadere poterit, Valentem hoc anno vel ſequentis initio Antiochiam acceſſiſſe, Conſtantinopoli octingentis circiter paſſuum millibus diſſitam. Illuc enim neque antequam Cyzicum veniret, proficiſci potuit; cùm Cyzicum, ubi ineunte Junio Imperator erat, non longè ab urbe Conſtantinopolitana poſita ſit: neque etiam poſtquam Cyzicum reliquit, Antiochiam ſeſe conferre potuit; cùm hinc ad Cæſaream longiſſima ſit via, per tres circiter menſes Valens Hierapoli moratus fuerit, & menſis Decembris initio Conſtantinopoli jam fuerit. Perperam itaque Zoſimus lib. 4. pag. 742. & Ammianus initio libri 29. à Gothofredo in Chronologia Codicis Theodoſiani hoc anno eam in rem adducti, ut anno CCC LXXII, quo Valens Antiochiam adventavit, demonſtrabimus. Neque etiam *Hierapolis*, ubi memoratæ Leges emiſſæ, *Hierapolis Syriæ* eſt, ut explicat Gothofredus citatus, ſed *Hierapolis Phrygiæ*, quod oſtendit ipſemet Zoſimus, quando ait, Valentem verno tempore Antiochiâ Hierapolim profectum eſſe, ideoque non hoc anno, quo tantùm ſub æſtatis finem Hierapolim venit.

XV. *Sanctitas Euſebii Cæſarienſis Ep.*

Enituit & *Euſebii Cæſareæ Epiſcopi* virtus, ſive in ſuſtinenda, ſive in depellenda Hæreticorum procella. Gregorius enim Nazianzenus in Oratione de funere patris non tantùm mortem ejus glorioſam fuiſſe, ac non longè poſt reconciliationem cum Baſilio, repulſumque ab utroque Valentem accidiſſe refert; ſed etiam Euſebium in perſecutionibus invictum animum oſtendiſſe ait: *Rurſus eadem civitas eandem ob cauſam ſeditione laborabat,* (ſc. poſt mortem Euſebii) *eo nimirum, qui honeſtâ & egregiâ vi ad Epiſcopatum pertractus fuerat, celeri morte arrepto, atque ad Deum, cujus causâ in perſecutionibus fortiter, ſtrenuéque decertaverat, profecto.* Non una illi fuit perſecutio: nam ſub Juliano Apoſtata multa paſſus eſt, & ſub Valente ſecundæ perſecutionis agonem fortiter explevit. Ex celeri à Gregorio vocata morte *Euſebii* Baronius deducit, eum repentino violentoque morbo confectum ex hac vita ſublatum eſſe. Verùm Gregorius aliud non indicat, quàm *Euſebium* citò mortuum eſſe, poſtquam Baſilius è Ponto rediit Cæſaream. Amphilochius quippe in Vita S. Baſilii dicit, *Euſebium* poſt adventum Baſilii *non multò pòſt temporis* obiiſſe. Idem affirmat Gregorius Preſbyter in Vita S. Gregorii Nazianzeni, qui de Euſebio Cæſarienſi ait: *Neque multo interjecto tempore* (poſt reditum ſc. Baſilii) *Præſes Eccleſiæ, quem diximus,* (ſc. Euſebius) *meliorem ad vitam tranſlatus eſt.* Ex quibus etiam liquet, *Baſilium* ante præſentem annum è Ponto Cæſaream reverſum non eſſe; cùm Euſebii mors anno ſequenti contigerit. Præterea Nazianzenus in Oratione de laudibus Baſilii, explicationem Baronii rejiciendam demonſtrat; cùm tradat, *Euſebium* in manibus *Baſilii* ſuaviſſimè animam exhalaſſe: *Cùm is, qui nomen à pietate appoſitè ducebat,* (Euſebius enim, quod nomen *Pium* Latinè ſignificat) *ex hac vita migraſſet, atque in ipſius manibus animam ſuaviter exhalaſſet, ad excelſam Epiſcopatûs Sedem evehitur,* nempe Baſilius. Hinc in Martyrologio Hieronymiano ad diem XXI Junii legitur: *In Cæſarea Depoſitio S. Euſebii Epiſcopi.* Quæ verba tam in hoc, quam in aliis Martyrologiis, de Euſebio Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopo intelligenda eſſe, oſtendi annô CCC XL num. XXII, dum de Euſebio Palæſtino egi. Baronius *Euſebium* noſtrum non ſolùm in Sanctorum Epiſcoporum claſſem non retulit, ut videre eſt anno

Baron. anno 369. n. XLVI.

CCC LXII num. LXIII. Sed etiam ejus electionem, ut quodammodo violentam, damnare videtur. Verùm Fortunius in Notis ad Martyrologium Hieronymianum ad diem XXI Junii, quo S. Euſebius colitur, ad omnia dubia ac conjecturas Baronii ſolidè reſpondet, & Euſebium inter Sanctos & recenſendum & aliàs recenſitum fuiſſe doctè oſtendit. Porro paulò ante hiemem anni ſequentis, non verò die XIV Junii, quo ejus ordinatio celebratur, Epiſcopum creatum eſſe Baſilium, oſtendere videtur ipſemet Baſilius in epiſtola ad Gregorium Nazianzenum apud Baronium anno CCC LXIX num. XLVI, quâ eum rogat, ut in Eccleſiam Paſtore deſtitutam veniat: *Verùm te rurſus ac ſæpius rogo, ut abjecta omni cunctatione, hîc nobis preſtò ſis, hiemiſque moleſtias anticipes.* Quare cùm Gregorium oret, ut hiemem antevertat, ante hiemem obierat *Euſebius*, & ante eandem anno CCC LXXI electus Baſilius videtur.

XVI. *S. Baſilius fit Epiſcopus Cæſarienſis.* Initium Epiſcopatus Baſilii ab anno ejus emortuali pendet. Quare cùm anno trecenteſimo octogeſimo Kalendis Januarii ad Deum migrarit, ut infrà demonſtrabitur, idque *pòſt annis octo tranſactis* in Epiſcopatu, *& nono inchoato*, ut teſtatur Gregorius Nyſſenus in epiſt. ad Olympium, conſequens eſt, Baſilium anno inſequenti Epiſcopatum Cæſarienſem adeptum eſſe, idque die decima quarta menſis Junii, quâ ejus ordinatio in Martyrologiis & Menæis notatur. Sed quia is dies anno ſequenti cum feria tertia concurrit, valde ſuſpicor, ne ea in alium diem inciderit. Licèt enim Eccleſiarum dedicationes & Cæſarum ac Auguſtorum nuncupationes diebus Dominicis aut ſolennioribus feſtis hoc ſeculo de more non fierent, ordinationes tamen Epiſcoporum Romanorum imò & aliorum, jam diebus Dominicis, ut celebrarentur invalere cœperat. Quare ſicut ordinatio D. Martini Epiſcopi Turonenſis in Occidente ſeculo integro poſt hujus mortem diei tranſlationi ejus reliquiarum illigata fuit, ut anno CCC LXXV oſtendam: ita ordinatio S. Baſilii in Oriente videtur conjuncta fuiſſe cum die XIV Junii, non quòd illo facta fuerit; ſed quia eodem die, aut reliquiæ ejus tranſlatæ, vel aliqua Baſilica in ejus honorem dedicata, vel propter alias cauſas nobis ignotas. Dies itaque ordinationis S. Baſilii non ſat certus.

Baron. anno 369. n. XLI & ſeqq.

XVII. *Baſilius iterum à Valente impetitur.* Reliquum eſt, ut oſtendam, quo anno Baſilius jam Cæſarienſis Epiſcopus ſeſe Valenti Cæſaream reverſo iterum oppoſuerit. Huc uſque ab omnibus creditum, id præſenti, vel ſaltem inſequenti anno contigiſſe. At perperam, cùm Antiqui omnes à priori Baſilii victoria hoc anno relata, ad poſteriorem aliquod tempus effluxiſſe inſinuent. Gregorius Nazianzenus Orat. in laudem Baſilii ait: *Ut verò alia omnia pervagatus Valens in hanc* (nempe Cæſarienſem) *firmam & ab omni injuria tutam Eccleſiarum matrem impetum fecit, ut vitalem quoque illum veritatis igniculum, qui ſolus reliquus erat, opprimeret.* Theodoretus lib. 4. cap. 19. *Valens cùm omnes propemodum Eccleſias Paſtoribus ſuis expoliaſſet, Cæſaream profectus eſt, quam incolunt Cappadoces.* Cùm autem per aliquot annos Valens Epiſcopos Orthodoxos perſecutus fuerit, Cæſarienſis Epiſcopus, quem ultimum aggreſſus eſt, non niſi tardè ab eo impetitus. Socrates lib. 4. cap. 26. utramque Valentis in Baſilium molitionem recitat poſt S. Athanaſii mortem, & poſt exilium SS. Monachorum. Sed quid alios quærimus, cùm ipſum Baſilium hujus rei teſtem habeamus? Is in epiſt. 297. ad Chalcidenſes ſcripta ait: *Incendium certè illud quod pleraſque Orientis deformavit, ad noſtras regiones etiamnum ſerpit, & poſtquam cuncta in circuitu depavit, Eccleſias involvere ſatagit per Cappadociam, quas ad hunc uſque diem, nonniſi à vicinis fumus ad lacrymas commovit. Hic reliquum eſt, ut nos apprehendere deinceps tentet, quem ſpiritu ſui oris avertat Dominus, & improbi hujus incendii flammam dividat.* Quid clarius dici poteſt.

Rei geſtæ annum Theophanes in Chronico, licèt non ſine errore, nos edocet. Anno enim Incarnationis ſecundùm Alexandrinos trecenteſimo ſexageſimo octavo, qui Kalendis Septembribus anni Chriſti trecenteſimi ſeptuageſimi quinti incipit, hanc ſecundam Baſilii Epiſcopi de Valente victoriam recitat, ideoque eam initio anni Chriſti trecenteſimi ſeptuageſimi quinti menſe Januario relatam ſignificat. Et ratio eſt, quia Theophanes tam priorem victoriam, quàm initium Epiſcopatûs Baſilii uno anno tardiùs narrat. Quare & in victoria ſecunda recitanda in eodem errore perſtitiſſe eò magis exiſtimandum, quo ex ſubſcriptionibus Legum Codicis Theod. pateat, *Modeſtum*, qui Valentem Cæſaream comitatus eſt, Præfectum Prætorio fuiſſe anno trecenteſimo ſeptuageſimo quinto; incertum verò ſit, an eam dignitatem initio anni trecenteſimi ſeptuageſimi ſexti adhuc geſſerit. Præterea D. Hieronymus in Chronico juxta editionem Scaligeri anno 2392. qui menſe Septembri anni Chriſti trecenteſimi ſeptuageſimi quinti incipit, ait: *Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus Cappadociæ clarus habetur.* Quæ verba Marianus Scotus in ſuum Chronicon anno Chriſti CCC LXXV tranſtulit. Porro Hieronymus de Scriptoribus aliiſque Viris illuſtribus, illis ſimilibuſque verbis loqui ſolet, annis quibus aliquod Opus in lucem emiſere, aut aliquo præclaro facinore magnam ſibi gloriam peperere. Ob defenſam itaque Cæſarienſem Eccleſiam anno Chriſti CCC LXXV, ubique Baſilii nomen inclaruiſſe indicat Hieronymus.

XVIII. *Quo anno ſecunda illa incurſio contigit.*

XIX. *Valens ex urbe Antiochenſi Cæſaream venit.* Die Epiphaniæ ſacro Valentem Eccleſiam Cæſarienſem ingreſſum eſſe, diſertè ſcribunt Sozomenus laudatus & Nicephorus lib. 11. cap. 8. & quod rem certam reddit, Gregorius Nazianzenus in Oratione funebri Baſilii. Quo modo verò res geſta ſit, Theophanes citatus paucis accuratè explicat: *Valens devaſtatâ univerſâ Eccleſiâ, in Divinum Baſilium furens, ex Oriente Cæſaream ſe contulit, ubi demum ea commiſit, quæ Gregorius in funebri Oratione in Baſilium refert: quo tempore Galates Valentis filius gravi morbo ja-ctatus periit, & conjux Dominica difficili ægritudine vexata eſt,* &c. apud eum legenda. Quibus ex verbis conſtat, Valentem *ex Oriente* Cæſaream veniſſe, ſeu ex urbe Antiochena, ut habet Nicephorus lib. 9. cap. 18.

qui Socratem lib. 4. cap. 26. emendat ſcribentem, Baſilium *ab urbe Cæſarea Antiochiam* abductum. Quem etiam errorem Sozomenus laudatus ante Nicephorum correxerat.

XX. *Præfectus Ponti Baſilium vexat.* Baron. num. LVIII.

Ad num. IX. Certamen S. Baſilii cum Euſebio Ponti & Cappadociæ Præfecto poſt annum ſequentem conſignandum; cùm Baſilius ante annum CCCLXXI Epiſcopus creatus non fuerit.

XXI. *Meletius in exilium miſſus.* Baron. num. LXV & ſeqq.

Ad num. X. Scribit Sozomenus lib. 6. cap. 7. Valens *cùm Perſæ nihil novi moliti eſſent, Antiochiæ conſedit. Quo quidem tempore Meletium Epiſcopum exilio damnavit.* Cùm igitur initio tantùm anni trecenteſimi ſeptuageſimi ſecundi Valens Antiochiam pervenerit, ut infrà oſtendetur, ante eum annum Meletius Antiochenus Epiſcopus in exilium non amandatus. Quare Concilium Antiochenum paulò poſt ſecundum Concilium Romanum ſub Damaſo habitum, potuit celebrari anno trecenteſimo ſeptuageſimo primo exeunte, aut inſequentis exordio. Neque Epiſcopos congregari Valentem prohibuiſſe, colligitur ex Concilio Nicopolitano, de quo in Epitome anno ſequenti num. 2. licèt loco nón ſuo.

XXII. *Duo Aſterii Ariani ac Sophiſtæ non confundendi.* Baron. num. LXXXI.

Ad num. XI. Baronius *duos Aſterios*, utrumque Sophiſtam ac præterea Arianos confundit. Primus Cappadox fuit, & Conſtantino Magno imperante floruit: ſecundus Eccleſiæ Cyrenſi præfuit ante Iſidorum Theodoreti deceſſorem. Primus neque Epiſcopus, imò nec Presbyter fuit, ſi Athanaſio credimus: fuit verò ſecundus. Theodoretus enim in Hiſt. Religioſa cap. 2. à Baronio hoc anno recitato, eum Cyri, oppido duorum dierum itinere ab Antiochia diſtanti, creatum Epiſcopum teſtatur; eóque non multò pòſt demortuo, Cyrenſis Eccleſia per aliquot annos vidua manſit, donec poſt Valentis Imperatoris interitum Iſidorus ab Euſebio Samoſatenſi Epiſcopus ordinatus eſt. Prior *Aſterius* ad currentem Chriſti annum vitam producere non potuit, niſi centenarius, aut centenario proximus periiſſe dicatur; cùm in perſecutione Diocletianea immolarit: quo tempore cùm jam magni nominis eſſet, minor triginta annis non extitit. Duo itaque fuere Aſterii, uterque Arianus, uterque Sophiſta. Prioris mentionem facit Athanaſius lib. de Synodis, Socrates, ac Sozomenus: poſterioris, nempe Epiſcopi, Theodoretus loco laudato. Baronius hoc anno hæc verba D. Hieronymi lib. de Script. Eccleſiaſt. de Aſterio Epiſcopo intelligit: *Aſterius Arianæ Philoſophus factionis ſcripſit regnante Conſtantio in Epiſtolam ad Romanos, & in Evangelia & Pſalmos Commentarios, & multa alia quæ à ſuæ partis hominibus ſtudioſiſſimè leguntur.* Sed de quo Aſterio Hieronymus loquatur, non liquet. Theodoretus in allocutione dicta Chalcedóne contra ſanctæ memoriæ Cyrillum menſe Septembri anni CCCCXXXI, ut obſervat Garnerius in Auctario Operum Theodoreti pag. 34. ubi hanc allocutionem Theodoreti eſſe oſtendit, ait: *Diſce tuum Doctorem. Hos Aſterius Arianus genuit, & Apollinarius tuus pater. Te ipſum enim illius filium conſtituiſti.* Ubi Theodoretum de priore Aſterio locutum arbitratur Garnerius: poſterior enim, inquit, Conſtantinopoli innoteſcere facilè non potuit. Utriuſque Aſterii occaſione obſervandum, floruiſſe hoc ſæculo alium Aſterium Amaſeæ in Ponto Epiſcopum doctrinà & ſanctitate illuſtrem, qui poſt annum Chriſti quadringenteſimum adhuc in vivis fuit, ut liquet ex Oratione *de Kalendis* eo anno ſcripta, de qua infrà ſermo erit. Jam tamen Juliano Apoſtata imperante celebris erat, ut colligitur ex Orationibus *de Kalendis*, & *adverſus Avaritiam*, ubi antequam loquatur de iis, quos is Imperator ad Fidem negandam induxerat, ait: *Et hæc quidem*, inquit, *anteriorum exempla temporum memoria ſervavit: ſunt etiamnum recentia ac noſtræ ætatis.* De ejus Operibus legendus Labbeus in Diſſert. de Scriptoribus Eccleſiaſt. ubi & mentionem facit quarti Aſterii Petræ in Arabia Epiſcopi, qui hac ætate vixit; quique die X Junii in Martyrologio Romano colitur, de quo Baronius hoc anno. Baron. num. LXXVI. Poſt Labbei mortem Cotelerius in tertio tomo Monumentorum Eccleſiæ Græcæ aliqua Divi Aſterii Amaſenſis Epiſcopi Opuſcula publicavit, & in linguam Latinam convertit. De Aſterio Philoſopho Spondanus in Epitome anno CCCXXXVI num. v.

XXIII. *Inſidiæ Valenti Aug. extructæ.* Baron. num. XCIII & ſeqq.

Ad num. XIV & XV. Cùm Valens Imperator ante vernum tempus anni trecenteſimi ſeptuageſimi ſecundi Antiochiam non pervenerit, ut ex his quæ infrà dicemus, conſtabit, annus, quo diræ habitæ ſunt quæſtiones de iis qui de hujus Imperatoris vita conſuluiſſent Magos, quóve celebriores Philoſophi occîdi juſſi, qui annus utique hactenus in obſcuro fuerat, in manifeſtam lucem educitur. Illud enim contigit anno trecenteſimo ſeptuageſimo tertio. Scribit quippe Zoſimus lib. 4. pag. 742. *Cùm Antiochiæ degeret Imperator*, magiæ præſtigiis de Valentis ſucceſſore conſultum eſſe, cui Socrates & Sozomenus à Baronio citati ſuffragantur. Ammianus verò initio libri 29. inſinuat, factum id *æſtate conſumta*, & dum Modeſtus Præfectus Prætorio *formidine ſucceſſoris agitaretur in dies.* Quare cùm Modeſtus, qui huic crimini vindicando incubuit, anno trecenteſimo ſeptuageſimo tertio ultimum Præfecturæ ſuæ annum egerit, non dubium, quin eo anno quæſtiones illæ exercitæ ſint, & quin L. 8. Cod. Theod. *De Maleficis.* quæ ſine die & Conſulibus eſt, ad eundem annum pertineat, ut Gothofredus in ejuſdem Legis Commentario ſuſpicatus fuerat. Nam Modeſtum anno trecenteſimo ſeptuageſimo quarto Prætorio Præfectum non fuiſſe, liquet ex Legibus Codicis Theod.

Anno

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5864. ☉ 16 B. ☽ 11. P. 4. APRIL. INDICT. 14.
JESU CHRISTI 371.
DAMASI PAPÆ 6.
VALENTINIANI ET VALENTIS IMPP. 8. GRATIANI IMP. 5.

I. *Conſules.* COSS. *Gratianus Aug. II*, & *Sextus Petronius Probus*, uterque Occidentalis. De ultimo, qui e familia Anicia erat, legendus Onuphrius in Faſtis. *Quinquennalia Gratiani Aug.* Gratiani Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam ſumtus; ejus enim Quinquennalia in hunc annum incidunt, quorum occaſione datæ à Valentiniano Leges, de quibus in Epitome num. x.

II. *Epiſtolæ Baſilii loco non ſuo recitatæ.* Baron. num. VII & ſeqq. Ad num. I uſque ad num. VIII. Pleraque quæ hoc anno ex epiſtolis D. Baſilii à Baronio narrantur, ad ſequentes annos pertinent, cùm Baſilius circa hujus anni medium creatus fuerit Epiſcopus, eaque omnia Baſilio jam Epiſcopatum adepto acciderint.

III. *Valens Antiochiam hoc anno non pervenit.* Ad num. VIII. Scribit Baronius, cùm Valens Antiochiâ recedens in Syriam ſuperiorem peregrinaretur, *Edeſſam* profectum Orthodoxos ibidem variis modis afflixiſſe. Verùm Valens Auguſtus ante anni inſequentis initium Antiochiam non pervenit. Baron. num. VIII. Subſtitit itaque Valens Cpoli ad menſem ſaltem Maium. Nam in ea urbe VIII Kal. Feb. dedit Legem Cod. Theod. 7. *De cenſu ad Modeſtum Pf. P.* Dein XII Kal. Feb. dedit ibidem Legem 2. Cod. Juſtinianei *De ſententiis ex periculo recit.* Tum tertio Id. Feb. Legem Cod. Theod. 14. *De navicularTiis.* VII Id. April. Legem ejuſdem Codicis 1. *De conlat. æris.* Et denique Kal. Maii Legem ejuſdem Codicis 14. *De annona & tributis.* Quæ omnia reſcripta Cpoli hoc anno à Valente data, & ad Modeſtum Præfectum Prætorio directa. Inde Valens diſcedens *Ancyram* Galatiæ primariam venit, ubi tertio Idus Julias emiſit Legem Codicis Theod. 76. *De Decurionibus.* ad Modeſtum Pf. P. Quò poſtea Valens profectus fuerit, incompertum. Eum tamen neque Cæſaream, neque Antiochiam ſe contuliſſe, certum. Cæſareæ enim hoc anno eſſe non potuit Valens, cùm, ut anno præcedenti oſtendimus, in eam urbem venerit menſe Januario, quo menſe hoc anno adhuc Cpoli conſtitit. Præterea Valens ex urbe Antiochenſi Cæſaream abiit, ut anno ſuperiori oſtendi. Antiochiam autem ante anni inſequentis initium non pervenit, ut tunc demonſtrabo. Quare pro certo tenendum, hallucinatos eſſe Viros doctiſſimos, qui ſcripſere, Valentem hoc anno Cæſaream profectum eſſe, & Baſilium jam Epiſcopum ad ſuam ſectam pertrahere conatum eſſe. Id enim longè poſt hunc annum factum. De perſecutione Eccleſiæ Edeſſenæ agemus anno ſequenti.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5865. ☉ 17 AG. ☽ 12. P. 8. APRIL. INDICT. 15.
JESU CHRISTI 372.
DAMASI PAPÆ 7.
VALENTINIANI ET VALENTIS IMPP. 9. GRATIANI IMP. 6.

COSS. *Modeſtus & Arinthæus*, uterque Orientalis, ut ex Onuphrio in Faſtis, & Gothofredo in Proſopographia Codicis Theod. conſtat. I. *Conſules.*

Ad num. II. Secunda Baſilii Legatio ad Occidentales poſt hunc annum contigit, cùm Valens Imp. hujus tantùm anni initio Antiochiam pervenerit. Adeo enim intolerabilis in Cilicia, quà tranſeundum erat, æſtus invaluerat, ut anno trecenteſimo ſexageſimo quinto Valens Antiochiam proficiſcens, Cæſareæ conſtiterit, *donec vaporati æſtus Ciliciæ jam leniti eſſent*, ut ait Ammianus lib. 26. cap. 7. Quam etiam in rem Quintus Curtius ſcribit: *Et tunc æſtus erat, cujus calor non aliam magis quàm Ciliciæ oram vaporat Solis accendit.* Denique Hieronymus in epiſt. ad Rufinum anno præcedenti ſcripta, ait: *Cùm me Thracia, Pontus, atque Bithynia totum Galatiæ & Cappadociæ iter, & fervido Cilicum terra fregiſſet æſtu, Syria mihi velut portus occurrit.* Ex quo penitus evertitur doctorum Virorum ſententia, quæ fert, anno CCCLXX, aut CCCLXXI Valentem Antiochiam veniſſe: hoc enim pacto æſtivis caloribus Cilicia ei pertranſeunda fuiſſet. Et tamen Valentem hieme Antiochiam perveniſſe, oſtendit etiam Lex Codicis Theod. unic. *Ne conlatio per Logographos celebretur.* data *pridie Nonas Aprilis Seleuciæ*, quæ haud procul Antiochiâ. Tum Idibus Aprilis Lex 19. ejuſdem Codicis *De Prætoribus. Antiochiæ* emiſſa. Currentis itaque anni initio Valens Antiochiam ingreſſus eſt. Certè Libanius in Vita ſua ſe quinquagenarium fuiſſe Joviano imperante teſtatur pag. 46. poſtea pag. 48. annum ætatis octavum & quinquageſimum egiſſe ſe dicit, tum cùm Valens Antiochiam venit. Jovianus Auguſtus Antiochiam profectus eſt ſub finem anni trecenteſimi ſexageſimi tertii, teſte Ammiano lib. 25. Quare, ſi eo anno Libanius quinquagenarius erat, præſenti quinquageſimum octavum compleverat, ideoque non alio anno Valens Antiochiam adventavit. Quòd ſi jam antea ad eandem urbem is acceſſiſſet, prioris illius adventûs mentionem Libanius feciſſet. Interim obiter obſervandum, Imperatores nonniſi per hiemem in Cilicia iter habuiſſe. Ammianus enim laudatus, ubi dixit, Jovianum Antiochiæ pauliſper moratum eſſe, addit: *Flagrante hieme inde profectus, Tarſum urbem Cilicum nobilem introiit: & cùm introiiſſet Ancyram Imperator Conſulatum iniit*, Kalendis nempe Januariis anni CCCLXIV. II. *Valẽtis Imp. Antiochiam adventus.* Baron. ann. 370. num. LXIII.

Quæ Zoſimus lib. 4. pag. 742. de Valente Imp. ſcribit, Viris eruditis anſam dedêre exiſtimandi, eum & anno CCCLXX Antiochiam veniſſe, & illuc poſtea anno præcedenti vel currenti rediiſſe. Verumenimvero non ſolùm III. *Ante hunc annum Valens Antiochiam non venit.*

ho, Zoſimus non inſinuat, ſed etiam noſtram ſententiam aperte confirmat. Hæc Zoſimi verba: *Valens Imperator contra Perſas in Orientem, quò tendebat initio, ſe parat; ac lentè progreſſus,* (annis nempe CCC LXX & CCC LXXI) *oppidis Legatos ad ſe mittentibus, ubi poſceret uſus, opitulatur; aliaque multa ritè adminiſtrat, æqua petentibus facilè poſtulata concedens. Antiochiam cùm perveniſſet* (præſenti ſc. anno) *omnino cautè res bellicas adminiſtrat. Et hìc me quidem in Antiochena regia commoratus, Hierapolim verno tempore proficiſcitur:* (Hierapolim nempe Syriæ non longè ab Antiochia poſitam) *atque inde contra Perſas ducens exercitus, inſtante rurſus hieme, revertitur Antiochiam. Ac bellum quidem Perſicum in hunc modum extrahebatur.* Gothofredus in Chronologia Cod. Thod. eo Zoſimi loco abutitur, ut oſtendat, Valentem anno CCC LXX Antiochiæ fuiſſe, quia eo anno aliquas Leges Hierapoli dedit, ut ſuo loco dixi. Verùm Leges illæ Hierapoli Phrygiæ, & quidem ante hiemem emiſſæ. Quare, cùm ipſemet Gothofredus fateatur, Valentem ſub finem anni CCC LXX Cpolim rediiſſe, liquet, eum illo anno Antiochiam non veniſſe; & ex dictis, nec etiam anno CCC LXXI illuc perveniſſe.

IV. *Perſecutio graſſatur.* Valens, dum Antiochiæ moratur, eos qui Arianam opinionem averſabantur, hoſtiliter vexavit, ut narrat Socrates lib. 4. cap. 17. qui cap. ſequenti recitat quæ *Edeſſæ* in Meſopotamia facta ſunt adverſus Orthodoxos. In Palæſtina Orthodoxi non minùs quàm in Meſopotamia vexati, ut teſtatur Epiphanius hæreſi LXXIII, & Hieronymus epiſt. 61.

V. *S. Athanaſii obitus.* Baron. num. LXIII & ſeqq. Ad num. IV. Magna huc uſque de anno emortuali S. Athanaſii controverſia fuit. Socrates lib. 4. cap. 20. cum Gratiano iterum & Probo Coſſ. præcedenti nempe anno, mortuum ſcribit, eumque Hermantius in Vita S. Athanaſii, & Papebrocius die ſecunda Maii in ejuſdem Sancti Vita ſequuntur. Imò Petavius in Notis ad epiſtolam Proterii Epiſcopi Alexandrini, quam in fine tomi ſecundi de Doctrina Temporum recitat, eandem ſententiam tuetur, & in Diſſert. de Photini damnatione cap. 2. inquit, Socratem nunquam temere aut falsò notas Conſulares adhibere. Sed Epiſcopatûs S. Baſilii initium anno ſuo redditum, & adventus Valentis Antiochiam hoc anno conſignatus, Socratis errorem manifeſtum faciunt, evincuntque, Sanctum Præſulem anno tantùm ſequenti ad Deum migraſſe. Cùm enim dies mortis ejus certus ſit, ſecundus nempe menſis Maii, quo colitur, ipſeque Baſilium Epiſcopum in ſuis Operibus vocet, mors ejus die ſecunda Maii anni trecenteſimi ſeptuageſimi primi contingere non potuit, ſive Baſilius die XIV Junii ejuſdem anni Cæſareæ Epiſcopus dictus ſit, ſive alio die ordinatus fuerit; cùm certum ſit, eum nonum Sedis annum tantùm inchoaſſe. Ad hæc Socrates lib. 4. cap. 21. narrata Athanaſii morte, ait: *Confeſtim igitur Ariani animos reſumſere ob Imperatoris Religionem inſolentiâ elati. Et abſque mora Valenti, qui tunc Antiochiæ verſabatur, rem ſignificarunt.* Quare, cùm currenti tantùm anno Valens Antiochiam adventarit, non poteſt dici, Athanaſium anno præcedenti mortuum eſſe; conſtatque, fidem Socrati in morte Athanaſii narranda adhibendam non eſſe, cùm ipſemet fateatur, Valentem Antiochiæ verſatum eſſe, quando Eccleſia magnum illud lumen amiſit.

VI. *Certum teſtimonium mortis Athanaſii.* Rectè itaque S. Proterius, unus ex ſucceſſoribus S. Athanaſii, anno ſequenti Athanaſium mortuum tradit; quæ & Hieronymi & Theophanis in Chronicis ſententia fuit. Proterius in epiſt. quam anno CCCC LIV ad S. Leonem PP. ſcripſit de Paſchate, inquit: *In octogeſimo anno ab Imperio Diocletiani ſuperſtite beatæ memoriæ Patre noſtro & Epiſcopo Anaſtaſio* (legendum Athanaſio) *cum XIV Luna Paſchalis XXVIII die menſis Phamenoth* (*id eſt, nono Kalendarum Aprilium*) *die proveniſſet, die Dominico, in ſubſequentem tranſlatum eſt Dominicum, ita ut quinta die menſis Pharmoti* (*hoc eſt, pridie Kalendarum Aprilium*) *celebraretur Paſcha Dominicum.* Quos characteres omnes annum CCC LXXIII notare, nullus inficias ierit. Idem ſcribit Auctor Hiſtoriæ Patriarcharum Coptitarum, quam Abrahamus Ecchellenſis Latinam fecit & vulgavit: ait enim, obiiſſe S. Patriarcham *ſeptimo Beſcinas die Jovis.* Eſt menſis Ægyptiacus, cujus dies ſeptimus cum die ſecunda Maii concurrit. Quare cùm anno trecenteſimo ſeptuageſimo tertio dies ſecunda Maii in feriam quintam inciderit, (erat enim littera Dominicalis F) S. Athanaſii mors accuratè in eo Chronico conſignata. Reſpondet Papebrocius loco laudato, Auctorem illum feriam ex ſuo calculo addidiſſe. Sed Baſilii Epiſcopatûs exordio, & Valentis Antiochiam adventu exactè conſtitutis, manifeſtum eſt, illum Anonymum ex veteri aliquo monumento eam feriam mutuatum eſſe.

VII. *Quot annis ſedit Athanaſius.* His accedit auctoritas D. Cyrilli Alexandrini in epiſt. prima ad Solitarios, qui tradit, hunc Chriſti Athletam *integros quadraginta ſex annos* Eccleſiam Alexandrinam moderatum eſſe: quod verum eſſe non poteſt, niſi uſque ad annum ſequentem vitam produxerit. Vanæque quæcumque horum verborum interpretationes à contrariæ ſententiæ aſſertoribus in medium adducuntur. Denique Theophanes non tantùm anno Chriſti CCC LXXIII Athanaſium mortuum dicit; ſed etiam addit, *poſt geſti Epiſcopatûs annos ſex & quadraginta, quorùm integros quadraginta in perſecutionibus periculiſque pro Fide & pietate ſuſceptis peregerat.* Athanaſius annò CCC LXVII, menſe circiter Junio, in Eccleſiam ſuam revocatur, ut anno CCC LXX monſtravi. Quare ab eo anno ad initium inſequentis, ſex illi anni, quibus in tranquillitate vixit Athanaſius, ſunt numerandi. Nicephorus Patriarcha in Chronico poſt priores viginti Epiſcopos Alexandriæ memoratos ſcribit: *XX Athanaſius Martyr, ab Arianis frequenter à Sede pulſus, in cujus locum Gregorius Arianus ſuffectus annis..... XXI Athanaſius ſecundò, eoque Conſtantini* (id eſt Conſtantii) *juſſu expulſo. XXII Georgius Cappadox Arianus annis...... Athanaſius tertiò, itemque quartò, & etiam quintò Sedi reſtitutus: ejus anni univerſi XLVI.* Ubi Nicephorus ab Athanaſii expulſionibus ad ejus reſtitutiones tranſit, & primam reſtitutionem, quæ poſt Conſtantini M. mortem ab hujus filiis facta eſt, prætermittit; quæ tamen numeranda fuiſſet. Secunda enim reſtitutio anno CCC XLIX à Conſtantio Aug. peracta. Tum Atha-

naſius tertiùm à Juliano Aug. anno ccc LXII Eccleſiæ ſuæ redditus. Rurſus quartò anno ccc LXIII à Joviano Aug. in Sedem reſtitutus. Quintò & ultimò, anno ccc LXVII à Valente Aug. Alexandriam redire juſſus. In Martyrologio Hieronymiano ad diem XIII Octobris legitur: *In Alexandria Athanaſii Epiſcopi.* Sed is dies ad aliquam Tranſlationem referendus; quamvis Florentinius in Notis ſuſpicetur, hunc eſſe ejus diem natalem, quòd Genebrardus die ſecunda Maii, quo Athanaſium mortuum diximus, habeat: *Tranſlatio Reliquiarum Athanaſii Magni.* Nam corpora Sanctorum ſæpe die eorum natali tranſlata fuiſſe, aliquot exemplis oſtendimus.

VII. *Ægyptus poſt Athanaſii mortem vexata.* Baron. num. LXIX.

Ad num. V. Perſecutio poſt Athanaſii obitum adverſus Orthodoxos in Ægypto ſuſcitata ad annum ſequentem revocanda, quo Athanaſium è vivis exceſſiſſe mox demonſtravimus. Ex Farragine Alexandrina, quam Scaliger publicavit, diſcimus, *Publium* anno Chriſti trecenteſimo ſeptuageſimo tertio Auguſtalem Ægypti fuiſſe, & Tatiano Orthodoxorum pene utori ſucceſſiſſe. Sed loco *Publii*, reponendum, *Palladium*, quem Theodoretus lib. 4. cap. 22. Ægypti Rectorem, dum de ea perſecutione loquitur, vocat. Petrus D. Athanaſii ſucceſſor ſtatim literas Synodicas ad Damaſum PP. miſit, quibus perſecutiones Arianorum ac Gentilium adverſus ſe excitatas narravit. His literis Damaſus reſpondens, literas communicatorias ſimul & conſolatorias ſcripſit ad Petrum, ut is teſtatur apud Theodoretum loco laudato. Ex quo apparet, inquit Valeſius in Notis ad eum locum, inter ordinationem Petri ac fugam ſatis longum temporis ſpatium interceſſiſſe: nec probabilem videri Baronii ſententiam, qui ordinationem ac fugam Petri in eundem annum conjicit, nempe præſentem, quo Athanaſium mortuum credidit.

VIII. *Rufinus & Melania in Orientem ſe conferunt.* Baron. num. XXXIV.

Ad num. VI. *Rufinus & Melania* anno trecenteſimo ſeptuageſimo primo Alexandriam venerunt. Nam, licèt Hieronymus in Chronico anno Chriſti ccc LXXIII ſcribat, Melaniam Hieroſolymam navigaſſe, non intelligit tamen, eam illo tantùm anno in Orientem veniſſe; ſed, ut rectè Baronius obſervavit, ſignificat, ex Ægypto Hieroſolymam eo anno Melaniam ſe recepiſſe. Solet enim Euſebius, uti alii Epitomatores, res diverſis annis geſtas, uno eodemque narrare. Porrò eam primùm in Ægyptum, ac poſtea Hieroſolymam veniſſe, doctè oſtendit Baronius in Annalibus.

IX. *S. Hieronymi ætas.* Baron. num. LVII & ſeqq.

Ad num. VIII & ſeqq. Epiſtola XLI S. Hieronymi ad Rufinum, dum Monachi in Syria vexarentur, ſcripta non eſt ante annum ſequentem, quo poſt mortem Athanaſii perſecutio in Ægypto cœpta. Ceterùm quoad Hieronymi ætatem à Proſperi ſententia, ut Spondanus rectè notavit, non recedendum, ideoque dicendum, illum circa annum Chriſti trecenteſimum viceſimum nonum in lucem prodiiſſe.

X. *Mauviæ Saracenorum Reginæ converſio.* Baron. num. CIII & ſeqq.

Ad num. XIII. *Mauviæ* Saracenorum Reginæ converſio rectè hoc anno à Baronio recitatur. Theodoretus enim lib. 4. cap. 23. de ea converſione agit, ipſo Lucii Pſeudo-Epiſcopi Alexandrini initio, quemadmodum & Rufinus lib. 11. cap. 6. Præterea Eunapius in Excerptis ait, Valentem adverſus Gothos, qui anno ccc LXXVI bellum Romanis intulere, aliquot Saracenos Cpolim præmiſiſſe. Quare ante eum annum pax inter Saracenos & Romanos ſancita, Mauviaque ad Fidem converſa. Ex quibus liquet, erraſſe Sozomenum, qui lib. 6. cap. 38. bellum Saracenos inter & Romanos ac converſionem Mauviæ refert poſt Valentiniani ſenioris mortem: quem errorem hauſit ex Socrate, qui lib. 4. cap. 36. bellum Saracenicum recitat poſt Valentis *diſceſſum ex urbe Antiochia*, qui contigit anno ccc LXXVII. Bellum itaque *Saracenicum* per hæc tempora geſtum, & poſt Athanaſii obitum pax inita, & Mauvia Regina Fidem Chriſtianam amplexa.

XI. *Obitus S. Hilarionis Abbatis.* Baron. num. CVII.

Quoad S. *Hilarionem* Abbatem, qui apud Saracenos Fidei fundamenta jecerat, is anno Chriſti ducenteſimo nonageſimo natus erat. Mortuus eſt enim octogenarius, ut ſcribit S. Hieronymus in ejus Vita; eratque ætatis ſexaginta quinque annorum, quando D. Antonius M. deceſſit, teſte eodem Hieronymo. Obiit autem D. Antonius anno trecenteſimo quinquageſimo ſexto menſe Januario. Quare Sancti Hilarionis mors ad annum trecenteſimum ſeptuageſimum retrahenda. Colitur tam à Græcis quàm à Latinis die XXI Octobris.

XII. *Manichæi magiæ dediti.* Baron. num. CXI & ſeqq.

Ad num. XIV. *Valentinianus* anno præcedenti emiſit Legem 9. Codicis Theod. *De Maleficis.* quâ magiæ & maleficiorum exercitium *Manichæis* prohibuit. Manichæi enim curioſas & magicas artes tractabant, ut docet L. 3. ejuſdem Codicis *De apoſtatis.* Atque hoc etiam contemplatu, ut notat Gothofredus in Commentario Legis 3. Cod. Theod. *De Hæreticis.* Valentinianus hanc Legem 3. *De Hæreticis.* hoc anno promulgavit. Ex quo liquet, nihil commune habere hanc Legem cum his quæ narrat longè pòſt Auguſtinus de Moribus Manichæorum lib. 2. cap. ultimo, & contra Fauſtum lib. 5. cap. 6. quæ ad hanc Legem perperam refert Baronius.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5866. ☉ 18 F. ☽ 13. P. 31. MART. INDICT. I.
JESU CHRISTI 373.
DAMASI PAPÆ 8.
VALENTINIANI ET VALENTIS IMPP. 10. GRATIANI IMP. 7.

COss. *Valentinianus Aug. IV. & Valens Aug. IV.* ille in Occidente, hic in Oriente; ille juxta tertiam regulam, hic juxta ſecundam; Decennalia enim exhibuit Valens. Extat adhuc Oratio, quam Themiſtius in hujus Decennalibus recitavit. — I. *Conſules.* *Decennalia Valentis.*

II. *Synodus Romana.* Baron. num. I & ſeqq.

Ad num. I. Synodus *Romana* conſignatur à Theophane anno Incarnationis ſecundùm Alexandrinos ccc LXVII, qui Kalendis Septembris anni Chriſti ccc LXXIV inchoatur. Et quidem rectè: nam Petrus Alexandrinus Epiſcopus, qui hoc anno D. Athanaſio ſucceſſit, quique eidem Concilio interfuit, nonniſi ſequenti anno Romam pervenire potuit, ut liquet ex iis, quæ anno præcedenti num. VII dixi. Præterea Sozome-

nus lib. 6. cap. 25. de hac Synodo loquitur poſt narratam D. Ambroſii ordinationem anno CCCLXXIV factam. Denique S. Epiphanius, qui anno CCCLXXIV Panarium ſcripſit, non ſolùm Apollinarem damnatum non dicit, ſed etiam eum *fratrem*, imò *chariſſimum & maximè ubique honorandum* prædicat. Quare, licet jam in Oriente multi in ejus blaſphemias inſurrexiſſent, non deerant tamen qui eum excuſarent; nondùmque damnatus erat, quando Epiphanius Opus illud ſcripſit; aut ſaltem ejus damnationis nuntium nondum in Orientem perlatum erat, aut denique Epiphanius, ut multi alii, Apollinari favebat. Cùm verò Theophanes de hac Synodo loquatur poſt S. Ambroſii ordinationem, eodemque anno, quo Valentiniani ſenioris mortem recitat, ea Synodus poſt hunc annum celebrata fuit.

III. *Anno ſequẽti celebrata.* Porro in hac Synodo Romana multipliciter ab Hiſtoricis erratum. Primò, in anno, ut jam vidimus. Secundò, quia Baronius ad eum refert epiſtolam Damaſi PP. quæ incipit: *Quod debitam Apoſtolicæ Sedi reverentiam exhibet*; quæ recitatur à Theodoreto lib. 5. cap. 10. poſt Synodum Cpolitanam anno CCCLXXXI habitam. Verum, ut obſervat Valeſius in Notis ad Sozomenum, hæc epiſtola non eſt Synodica, ſed Decretalis tantùm ipſius Damaſi. Ac præterea, ut idem Valeſius in Notis ad Theodoretum laudatum obſervat, ea jam diu poſt hoc tempus ſcripta. Ait enim Damaſus: *Quid depoſitionem Timothei à me denuo poſtulatis? Qui & hic judicio Sedis Apoſtolicæ, præſente etiam Petro Alexandrinorum urbis Epiſcopo, depoſitus eſt unà cum magiſtro ipſius Apollinare.* Perperam itaque ea epiſtola ad præſens Concilium Romanum, in quo Apollinaris & Timotheus à Damaſo & à Petro Alexandrino damnati, relata. Tertiò, Anathematiſmi adverſus Apollinarem aliosque Hæreticos ex alia Damaſi epiſtola deſumti, & à Theodoreto lib. 5. cap. 11. poſt Synodum Cpolitanam anno CCCLXXXI coactam recitati, malè etiam ad hoc Concilium Romanum referuntur: pertinent enim ad aliam Synodum Romanam anno trecenteſimo octogeſimo congregatam, ut ſuo loco videbitur. Denique graviter à Valeſio in Notis ad citatum Sozomeni locum, peccatum fuit. Ibi enim hanc Synodum Romanam confundit cum ea, quæ anno CCCLXXX, quámque ipſe anno CCCLXXVIII conſignat, coacta. Sunt quippe duæ Synodi Romanæ, Damaſo ſedente, diverſo tempore, ut infrà, celebratæ.

IV. *Theodoſius Comes occiſus.* Ad num. VII. *Firmus* Africæ Tyrannus hoc quidem anno periit, ut rectè in Annalibus; ſed *Theodoſii Comitis* patris Theodoſii Auguſti, qui Firmum debellavit, mors anno tantùm trecenteſimo ſeptuageſimo ſexto contigit, ut Hieronymus in Chronico teſtatur. Baron. num. XXXVI. Quare errarunt Socrates lib. 4. cap. 19. & Paulus Diaconus, qui ſcripſere, eum propter nomen ſuum in conjuratione Theodori, de qua in Epitome anno CCCLXX num. XIV agitur, à Valente Aug. morte affectum fuiſſe. Nam Carthago Africæ caput, ubi *Theodoſius Comes* jugulatus eſt, non Orienti, ſed Occidenti parebat, ideoque Valentiniano juniori, cujus curam ac tutelam cum matre tunc Gratianus gerebat. Non itaque Theodori conjuratio, ſed aulicorum & inimicorum calumniæ hujus mortis cauſæ fuere, neque à Valente, ſed à Gratiano Imp. fraude invidorum decepto, cædes iſta iniqua mandata. Tradit quidem Oroſius lib. 7. cap. 19. *Comes Theodoſius à Valente miſſus effuſas Maurorum gentes multis præliis fregit.* Sed vel legendum à Valentiniano, vel Oroſius hallucinatus eſt. Canuſii (Apuliæ Peucetiæ oppidum eſt) egregia ſupereſt Inſcriptio poſt Theodoſii Comitis mortem poſita, quæ hic ex Reineſio in ſuo Syntagmate pag. 326. referenda.

INCLYTAE VENERANDAEQ. MEMORIAE VIRO
FLAVIO THEODOSIO GENITORI DOMINI NOSTRI
INVICTISSIMI PERENNIQ. PRĪCIPIS THEODOSI
PERPETUI AUGUSTI CUJUS VIRTUTE FELICITATE
JUSTITIA PROPAGATUS TERRARUM ORBIS EST
ET RETENTUS. STATUAM EQUESTREM SUBAURATAM
POSUERUNT CURANTE AC PERFICIENTE
FLAVIO SEXINE VIRO PERFECTISSIMO
CORRECTORE APULIAE ET CALABRIAE

Notat porrò Reineſius, loco *Sexine*, legendum eſſe, *Sextione*: Nam Flavius Sextio Theodoſio ſeniore imperante Rector Calabriæ fuit, ut docet Symmachus lib. 2. epiſt. 43.

V. *Gothorum excurſiones in Thraciã.* Pax Gothos inter & Romanos anno quidem CCCLXIX ſancita fuit; ſed, eâ contemtâ, hoc anno exeunte Gothi in Thraciam excurſiones fecere, ut docet Ammianus lib. 30. cap. 2. ubi proximè ante Gratiani III & Equitii Conſulatum anno CCCLXXIV geſtum, ait: *Rem Romanam alius circumſteterat metus totius Gothiæ Thracias licentius perrumpentis; quæ funera tunc explicari poterunt carptim, ſi ad ea quoque venerimus*, id eſt, ſi Hiſtoriam noſtram perducamus ad annum CCCLXXVI, quo Gothi, Iſtro ſuperato, majorem vaſtitatem Thraciæ aliiſque Provinciis intulere. In his rerum anguſtiis Valens, tum contra Perſas bellum gerens, *auxiliares copias reprimendis Gothorum incurſionibus* à Valentiniano fratre petiit, qui mittere detrectavit, dicens: *Homini Deo bellum inferenti ſuppetias ferre mihi nefas eſt.* Ita Theophanes eodem anno, quo initium Epiſcopatûs D. Ambroſii collocat, cui Cedrenus ſuffragatur. Idem habet Theodoretus lib. 4. cap. 31. & 32. ubi ait: *Miſit ad fratrem, militares copias ab eo petens.* Valeſius in Notis exiſtimans, Theodoretum loqui de bello à Valente poſt Valentiniani fratris obitum adverſus Gothos ſuſcepto, ait, Theodoretum pro Valentiniano *Gratianum* ſcribere debuiſſe, & ἀνεψιὸν, pro ἀδελφὸν, ſed perperam. Theodoretus enim loquitur de incurſionibus, quæ hoc anno, ut docet Ammianus, contigerunt. Quod ex eo certum redditur, quòd ſtatim

ſubdat: *Nec tamen à priſtina temeritate deſtitit, ſed in oppugnanda veritate perſeveravit*, ſc. Valens. Et tamen Socrates lib 4. cap. 5. ſcribit, Valentem, cùm accepiſſet Gothos Iſtrum ſuperaſſe, Orthodoxos Epiſcopos de exilio revòcaſſe; quod etiam teſtantur Hieronymus in Chronico & Oroſius lib. 7. cap. 19. Ex quibus liquet, Theodoretum, quem Nicephorus lib. 11. cap. 49. exſcribit, loqui de re ante Valentiniani mortem geſta; Socratem verò & alios, de iis, quæ poſt Valentiniani obitum acciderunt.

VI. *Egregium Terentii Ducis facinus.*

Imò interpretatio Valeſii ex ipſo Ammiano evertitur. Hic enim lib. 31. cap. 7. tradit, poſtquam Gothi Iſtrum trajecerunt anno CCC LXXVI, Gratianum *Valentis petitu* ſuppetias adverſus Gothos miſiſſe. Hoc itaque anno contigit, quod narrat Theodoretus de Terentio Duce, qui *unam Eccleſiam iis concedi petiit, qui Apoſtolicam doctrinam tuerentur*, cujus tamen libellum Valens *diſcerpſit*. Baronius in Annalibus anno CCC LXXII num. III illud factum recitat, ſed anno non ſuo: tunc enim pax Gothos inter & Romanos vigebat. Theodoretus præclarum illud *Terentii* facinus recitaturus ait: *Reverſus tunc erat ex Armenia, devictis hoſtibus.* Terentius autem anno CCC LXX Armeniam adverſus Perſas tuebatur, ut teſtatur Ammianus lib. 27. cap. 12. Præterea D. Baſilius circa hæc tempora Armeniæ Eccleſias viſitans ad *Terentium* Comitem, qui huic Provinciæ præerat, epiſtolam CCC XLIX dedit; ideoque non dubium, quin Theodoretus & Nicephorus res diverſis annis geſtas uno tenore narraverint, eoque agendi modo recentes Chronologos in errorem induxerint. Ab his enim Gothorum irruptio, quæ hoc anno accidit, cum iis, quæ poſt triennium factæ ſunt, confunditur.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5867. ☉ 19 E. ☽ 14. P. 13. APRIL.
INDICT. 2.
JESU CHRISTI 374.
DAMASI PAPÆ 9.
VALENTINIANI ET VALENTIS IMPP. 11. GRATIANI IMP. 8.

I. *Conſules.*

COss. *Gratianus Aug. III, & Equitius*, uterque in Occidente creatus. Onuphrius quidem *Equitium* Conſulem Orientalem dicit. Verùm ex Victore in Epitome, Zoſimo lib. 4. pag. 746. & Ammiano lib. 30. cap. 6. conſtat, eum apud Valentinianum ſeniorem, quando obiit, fuiſſe, & Magiſterium militum exercuiſſe. Conſulatus Gratiani juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam, propter nempe Decennalia ejus, quæ ideo anno uno anticipavit.

II. *Valentiniani Decennalia.*

Edita à Valentiniano Aug. hoc anno Decennalia. Hinc Ammianus lib. 29. cap. ultimo de Claudio hoc anno urbis Romæ Præfecto ait: *Inſtauravit vetera plurima*, inter quæ porticum excitavit ingentem, lavacro Agrippæ contiguam. Eorum etiam indicium L. 18. Cod. Theod. *De operibus publicis*: & L. 10. *De Luſtrali collatione* à Valentiniano datæ.

III. *S. Ambroſius ordinatur Epiſcop. Mediolanẽſis.*

Ad num. I & II. S. *Ambroſii* ordinatio hoc anno peracta, ut rectè Hieronymus in Chronico ſecundùm editionem Scaligeri, anno ſc. Abrahami 2391. perperam verò in editione Pontaci anno ſequenti: quam tamen Petavius lib. 6. Rationarii temp. aliique quidam ſecuti ſunt, non animadvertentes, *ſeptimo Idus Decembris* anni ſequentis, quo die tam Græci quàm Latini ejus ordinationem celebrant, Valentinianum Aug. jam demortuum fuiſſe; cùm tamen certum ſit, eo vivente Ambroſium renuntiatum fuiſſe Epiſcopum. Præterea hoc anno dies ſeptimus Idus Decembris, ſeu dies ſeptimus Decembris in Dominicam incidit, quâ Epiſcoporum ordinationes jam hoc ſeculo de more peractæ. Qui mos mihi ſuſpicandi locum præbet, die XIV menſis Junii, quo Baſilii ordinatio in Martyrologiis memoratur, Epiſcopum Cæſarienſem creatum non eſſe; cùm anno CCC LXXI is dies cum feria tertia concurrerit, non verò cum die Dominica.

Baron. num. 1 & ſeqq.

IV. *Concilium Valentinum*

Ad num. IV. Celebratum hoc anno Concilium *Valentinum*, in quo ſtatutum canone IV, *ut quiſquis de ſe vel vera, vel falſa dixiſſet, fides ei, quam ſuomet teſtimonio confirmaret, haberetur.* Hujus canonis edendi materiam præbuit, non *Acceptus* electus Epiſcopus Forojulienſis, qui, ut dignitatem effugeret, falsò ſe criminum reum propalarat, ſed aliorum Sanctorum Sacerdotum humilitas, qui tremendum miniſterium ſuſcipere veriti, piiſſimam illam fallendi artem excogitaverant. Et ratio eſt, quia *Accepti viri ſanctiſſimi* factum, poſt conditum canonem illum, à *Concordio* Arelatenſi Epiſcopo in medium adductum eſt. Præterea alia de cauſa dubium illud in Concilio fuiſſe propoſitum, definitumque manſiſſe, ut cuilibet fides, *quam ſuomet teſtimonio confirmaret, haberetur*, liquet ex verbis ejuſdem Synodi in cauſa *Accepti* prolatis. *Tamen quia in Synodo jam ſederat*, id eſt, jam ſtatutum fuerat, & continenter, *non potuit præſtari uni quod ceteris negabatur.* Quare hæc ſanctio inſerta canoni IV. hujus Concilii facta non eſt *Accepti* occaſione, ut inquit clariſſimus Antelmius in Diſſert. de initiis Eccleſiæ Forojulienſis cap. 10. qui ſubdit, ante *Acceptum* alios quidem Sedem Forojulienſem occupaſſe, ſed eos penitus ignotos eſſe, ſicuti & incertum, an *Quillinius*, vel Sanctus *Leontius* electus poſtea fuerit Forojulienſis Epiſcopus: nam electionem in alterutrum cecidiſſe non videtur dubitandum.

V. *Inſtitutio Quinque Provinciarũ vulgò dictarum.*

Hujus Concilii Synodica inſcripta eſt: *Dilectiſſimis fratribus per Gallias, & quinque Provincias conſtitutis Epiſcopis.* Hîc prima *Quinque* Provinciarum vulgò dictarum mentio, ultimaque in Concilio Taurinenſi anno CCC XCVIII celebrato occurrit; quia poſt eum annum *Septem* Provinciæ vulgò dictæ inſtitutæ ſunt, ut anno CCCC demonſtrabo. Hæ *Quinque* Provinciæ, & poſtea *Septem* Provinciæ ſpeciale Reipublicæ corpus conſtituerunt in Galliis, cujus partes, quia hactenus non ſatis notæ, nobis explicandæ erunt, non ſolùm quia Baronius de neutra harum diviſionum egit, ſed etiam, quia ex earum elucidatione Antiquitas Eccleſiaſtica non parum illuſtrari, & doctorum Virorum lapſus detegi emendarique poterunt. *Quinque* itaque Provinciæ vulgò dictæ,

quæ Galliis abſolutè poſitis opponuntur, aliquando ſeorſim, aliquando cum Galliis, memorantur: ſeorſim, uti in Notitia Imperii, ubi ſub diſpoſitione Comitis rerum privatarum, quinque Provinciæ ita deſignantur: *Rationalis rei privatæ per Hiſpanias: Rationalis rei privatæ per Gallias: Rationalis rei privatæ per quinque Provincias: Rationalis rei privatæ per Britannias*; conjunctim verò, uti in laudata Synodica, & in epiſtola Maximi Tyranni ad Siricium Papam anno CCCLXXXV ſcripta: *Quorum* (nempe Epiſcoporum) *Conventum ex opportunitate omnium, vel qui intra Gallias, vel qui intra Quinque Provincias commorantur, in qua elegerint urbe, conſtituam.* Conqueſtus erat *Siricius* Papa apud Maximum de Agroëtio quodam, qui indebitè conſecutus erat Preſbyterii gradum: reſcripſitque *Maximus*, ſe ut difficultatem illam ſolvat, congregaturum Synodum ex omnibus Galliis, vel ex *Quinque* Provinciis tantum.

VI. *Quæ fuerint Quinque Provinciæ vulgò appellatæ.*

Quæ fuerint hæ *Quinque* Provinciæ in controverſia poſitum, diſtractis in varias, eaſque improbabiles, ſententias Eruditis. Ea valde communis, quæ docet, Quinque Provincias vulgò dictas, alias non fuiſſe, quàm eas, in quas ſolida Provincia Narbonenſis diviſa fuiſſe vulgò dicitur, *Narbonenſem* ſcilicet *primam, Viennenſem, Alpes maritimas, Alpes Graias, & Narbonenſem ſecundam.* Gothofredus Codicem Theod. egregiis Commentariis locupletans, in Commentario Legis 15. ejuſdem Codicis *De Paganis.* aliam opinionem propoſuit, aſſeruitque apud ſe certum eſſe, Quinque Provincias vulgò dictas alias non fuiſſe, quàm *Aquitaniam primam & ſecundam, Lugdunenſem Senoniam, in qua Pariſii, ſecundam Lugdunenſem, in qua Rothomagum, & tertiam Lugdunenſem, in qua Turones.* Quo pacto Galliarum quinque Provinciis oppoſitarum nomine, intelligenda veniret antiqua Provincia Narbonenſis, & paucæ aliæ Provinciæ. Verùm ea quemadmodum & vulgaris opinio mox recitata hic evertenda, eamque ob rem variæ Galliarum diviſiones, ut ea, de qua agitur, certiùs innoteſcere poſſit, percurrendæ.

VII. *Antiqua Provincia Narbonenſis à Galliis diſtincta.*

Gallia, inquit Cæſar initio libri primi ſuæ Hiſtoriæ, *eſt omnis diviſa in partes tres, quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam qui ipſorum linguâ Celtæ, noſtrâ Galli appellantur.* Ubi Cæſar Narbonenſem Provinciam à Galliis excludit, quia pridem Romanorum erat, Provinciiſque Romanis accenſita. Eandem diviſionem nos edocent Agrippa apud Plinium, Suetonius in Julio, Solinus in cap. 24. aliique. Quare, ut rectè Scaliger in Notitia Galliæ obſervavit, ante tempora Auguſti, qui de Imperii Romani Provinciis ſcripſerunt, in diviſione Galliarum nunquam Provinciam Narbonenſem comprehendunt: ideoque, cùm apud illos Scriptores Galliarum mentio occurrit, excipienda ſemper Narbonenſis, ſi res geſtæ ante Auguſti Imperium narrantur. Hæc diviſio non ſolùm ab Hiſtoricis profanis, ſed etiam Eccleſiaſticis per plura ſæcula uſurpata; ita ut urbes antiquæ Narbonenſis, Galliarum nomine non intelligerentur. Eccleſiæ Lugdunenſis & Viennenſis de Martyribus Marco Aurelio imperante apud ſe paſſis, ad Eccleſiam Aſiæ Phrygiæque ſcribentes, ſic ſuam epiſtolam apud Euſebium lib. 5. cap. 1. incipiunt: *Servi Chriſti, qui apud Viennam & Lugdunum Galliæ degunt, fratribus per Aſiam & Phrygiam conſtitutis.* Ubi Lugdunum civitatem Galliarum vocant, non verò Viennam, quia hæc ſita in antiqua Provincia Narbonenſi, quæ a Galliis diſtincta erat. Quare cùm Severus Sulpicius lib. 2. Hiſt. de Martyribus Lugdunenſibus loquens, ait: *Sub Aurelio Antonino* (ſic Marcus Aurelius vocabatur) *viſa primum in Galliis Martyria. Galliarum* nomine antiquam Provinciam Narbonenſem minimè comprehendit. Præterea Ammianus lib. 15. cap. 11. locum, qui eſt ad confluentes Araris & Rhodani, *exordium Galliarum* appellat, & in Itinerario Peutingeri legitur: *Lugdunum caput Galliarum*: quia ſcilicet poſt emenſam Viennenſem Provinciam antiquæ Narbonenſis partem, prima Romanis civitas occurrebat, ex iis, quæ apud Gallias ſpecialiter dictas, ſitæ erant. Hinc Plinius Provinciam Narbonenſem ſejunctim à Galliis cum Provinciis Italiæ deſcribit, de eaque ait: *Breviterque Italia potiùs quàm Provincia.* Hic etiam loquendi modus à ſacris Conciliis uſurpatus. In ſubſcriptionibus Concilii Arelatenſis primi anno CCCXIV celebrati poſt Epiſcopos Provinciæ Viennenſis nominantur Epiſcopi Gallicani è Provinciis Lugdunenſi, Belgica & Aquitanica, ſed præmiſſo hoc titulo: *Item è Gallia.* In Concilio etiam Aquileienſi anno CCCLXXXI congregato, initio referuntur nomina Epiſcoporum qui eidem interfuere, inter quos Epiſcopus Arauſionis, Epiſcopus Maſſilienſis, aliique ex antiqua Narbonenſi Provincia. Tum hi Epiſcopi nominantur: *Conſtantius Epiſcopus Sciſcianenſis Legatus Gallorum. Juſtus Legatus Gallorum. Felix Legatus Afrorum,* &c. Quare Epiſcopus Arauſionis, Maſſilienſis aliique ex antiqua Narbonenſi, qui huic Concilio præſentes fuere, pro Gallis non habiti. Quod & factum in Synodo Vaſenſi anno CCCXLII habita, quæ ex Epiſcopis antiquæ Narbonenſis conſtabat, ubi Epiſcopi Lugdunenſis, Belgicæ, & Aquitanicæ Provinciarum, dicuntur *Gallicanarum Provinciarum Epiſcopi.* Ex quibus liquet, *Quinque* Provincias vulgò dictas in alia Provincia non quærendas, quàm in antiqua Gallia Narbonenſi, quæ à Scriptoribus tam profanis quàm Eccleſiaſticis, tanquam pars Galliarum non eſſet, memoratur.

VIII. *Secunda diviſio Galliarum.*

Auguſtus aliam *Galliarum diviſionem* inſtituit, in qua Provinciam Narbonenſem complexus eſt, eaſque in quatuor partes ſecavit, videlicet, *Narbonenſem, Aquitanicam, Lugdunenſem & Belgicam*, ut videre eſt apud Strabonem, Melam, Plinium & Ptolomæum, qui ſub Hadriano & Antonino vixit, quique eam diviſionem in Galliæ deſcriptione ſequitur.

IX. *Tertia diviſio Galliarum.*

Tertia diviſio fuit in XIV Provincias hoc ordine: *Narbonenſis* partita eſt in Narbonenſem, Viennenſem, Alpes Maritimas, Alpes Graias & Penninas. *Aquitanica* in duas Aquitanias, & Novempopulanam. *Lugdunenſis* in Lugdunenſes duas, & Maximam Sequanorum. Et denique *Belgica* in duas Belgicas, & duas Germanias. Primus omnium

hujus diviſionis meminit Rufus Feſtus in Breviario, quod Valenti Imperatori poſt annum CCCLXIX dicavit. Ibi enim ait: *Sunt Galliæ cum Aquitania & Britanniis Provinciæ decem & octo: Alpes Maritimæ, Provincia Viennenſis, Narbonenſis, Novempopulana, Aquitaniæ duæ, Alpes Graïæ, Maxima Sequanorum, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ, Lugdunenſes duæ: in Britannia Maxima Cæſarienſis, Flavia Cæſarienſis, Britannia prima, Britannia ſecunda.* Quare ſi ex eo numero quatuor Provincias, quas in Britanniis tranſmarinis ponit, demas, ſupererunt quatuordecim. Quidam hanc diviſionem ab *Hadriano*, quidam à *Conſtantino*, quidam à *Theodoſio* inductam volunt. Sed ultimi manifeſtè hallucinantur; cùm Theodoſius anno CCCLXXIX imperare cœperit, & jam initio Imperii Valentiniani & Valentis hæc diviſio vigeret. Veroſimile eſt, inquit Marca in Diſſert. de Primatu Lugdunenſi num. LXII, introductam primò eſſe hanc diviſionem in quibuſdam Provinciis ex mero Principum arbitrio; deinde ſub Hadriano vel Antonino, qui diſponendi Imperii curam ſingularem geſſere, ad numerum XIV Provinciarum perductam eſſe. Verùm neque hæc ſententia admittenda. Ille itaque Provinciarum Gallicarum numerus paulatim auctus, & Valentiniani ſenioris tempore ad numerum illum perductus. Jam Lugdunenſis in duas ſecta erat Conſtantino M. imperante: Lex enim I. Cod. Theod. *De cenſu.* data Conſtantino II & Licinio Coſſ. anno ſc. CCCXII, directa eſt *ad Antonium Marcellinum Præſidem Provinciæ Lugdunenſis primæ.* Quare ea diviſio eo anno jam facta erat. Verùm *Aquitania* initio Imperii Valentiniani & Valentis adhuc unicam Provinciam conſtituebat. Gruterus enim pag. 465. hanc Inſcriptionem profert:

SATURNINO. SECUNDO. V. C.
PRÆSIDI. PROVINCIÆ. AQUITANICÆ
MAGISTRO. MEMORIÆ. COMITI. ORDI
NIS. PRIMI. INTRA. CON
SISTORIUM. ET. QUÆSTORI. PRÆF.
PRÆTORIO. ITERUM. OB. EGREGIA
EJUS. IN. REMPUBLICAM. MERITA
D. D. NN. VALENTINIANUS. ET
VALENS. VICTORES. AC TRIUMPHA
TORES. SEMPER. AUGUSTI
STATUAM. SUB. AURO. CONSTI
TUI. LOCARIQUE. JUSSERUNT.

Cùm Saturninus non dicatur *Præſes Aquitaniæ primæ*, aut *Præſes Aquitaniæ ſecundæ*, initio Imperii horum Imperatorum ea Provincia nondum in duas diviſa. Sed, cùm Rufus Breviarium ſuum, in qua utriuſque Aquitaniæ mentio fit, compoſuerit poſt annum Chriſti CCCLXIX, ut ſuprà oſtendi, & ante currentem annum, intra illud intervallum Provinciæ Galliarum ad numerum XIV auctæ, tandemque ad numerum uſque XVII.

X. *Quarta diviſio Galliarum.* Quarta itaque Galliarum diviſio inſtituta, ut videtur, à Gratiano ante præſentem annum, cùm in ea enuntietur Provincia Narbonenſis ſecunda, cujus in Breviario Rufi nulla mentio, quæque ideo poſt annum Chriſti CCCLXIX & ante annum præſentem nata. Lugdunenſis itaque & Narbonenſis in varias Provincias ſectæ ſunt, avulſaque Senonia à prima Lugdunenſi, & tertia Lugdunenſis ſeu Turonia à ſecunda: *Narbonenſis* etiam in primam & ſecundam Narbonenſem diviſa. Narbonenſis itaque ſecunda, Lugdunenſis tertia, atque Senonia quatuordecim prioribus Provinciis adjectæ, efficiunt numerum Provinciarum XVII. Marca loco laudato num. LXIV non Narbonenſem, ſed Viennenſem partitam contendit; ideoque Narbonenſem ſecundam partem fuiſſe, non Narbonenſis primæ, ſed Viennenſis, etſi nomen hanc ſectionem à Narbonenſi prima factam fuiſſe demonſtrare videatur. Etenim, inquit Marca, Narbonenſis prima Rhodano terminabatur; Viennenſis verò Arelatem & Maſſiliam comprehendebat. Unde ſequitur, Narbonenſem ſecundam, quæ civitatem Aquenſem, & reliquas uſque ad Alpium Maritimarum fines continebat, à Viennenſi diſtractam, non autem à Narbonenſi prima, à qua tanto intervallo diſſita erat. Marcam alii paſſim ſequuntur. Verùm longè potior conjectura Anſelmii Viri eruditiſſimi, quam mihi per literas ſignificavit, *Narbonenſem* ſcilicet *ſecundam* partem fuiſſe Narbonenſis primæ, ab eaque diſtractam. Quod ex eo liquet, quòd Viennenſi, cùm à Narbonenſi ſeparata eſt, attributæ fuiſſent civitates viginti, novem tantùm Narbonenſi relictis. Contrà verò, ſi Narbonenſem ſecundam à Narbonenſi prima avulſam fuiſſe dixerimus, quando facta eſt diviſio in Narbonenſem & Viennenſem, tredecim civitates utrique Provinciæ aſſignatæ fuerint, & poſtea in ſubdiviſione Provinciæ Narbonenſis, Narbonenſis prima ſex civitates retinuerit; & ſeptem Narbonenſi ſecundæ attributæ fuerint; quod longè veroſimilius eſt, quàm ſi dicamus, Narbonenſem ſecundam à Viennenſi ſeparatam, & in ea ſeparatione tredecim civitates Viennenſi relictas, & ſeptem tantùm Narbonenſi ſecundæ adſcriptas. Hæc enim diviſio proportionem non habuiſſet. Præterea quemadmodum Provinciæ à Lugdunenſi prima avulſæ ejus nomen retinuerunt, dictæque ſunt Lugdunenſis ſecunda, & Lugdunenſis tertia; ideo, pari eademque ratione, quinta Provincia antiquæ Narbonenſis, dicta eſt Narbonenſis ſecunda, quia à Narbonenſi prima disjuncta. Nec refert, quòd Narbonenſis ſecunda tanto intervallo à prima diſſita ſit, & Viennenſi ita vicina. Viennenſis enim Rhodano cum Arelate, & mari Mediterraneo cum Maſſilia jungebatur; ideoque ex urbe Viennenſi ad Maſſilienſem, quà ſecundo amne, quà maritimo itinere, facilis acceſſus erat. Unde in Notitia Imperii

Viennenſis Provincia paſſim vocitatur *Gallia Ripenſis*, vel *Gallia Riparienſis*, à Rhodano nempe, quo hæc Provincia alluitur.

XI. *Notitia Provinciarum Galliæ.* Quia verò hanc diviſionem Galliarum in XVII Provincias Eccleſia in conſtituendis per Gallias Metropolitanis & Epiſcopis plerumque ſecuta eſt, exhibenda hic Notitia Provinciarum & civitatum Galliarum, quam primùm Sirmondus cum Conciliis Gallicanis in lucem emiſit, non ſolùm ad locupletandos Annales Eccleſiaſticos, ſed etiam, ut Quinque ac Septem Provinciæ à Galliis diſtinctæ in aſpectum lucemque quodammodo proferantur.

NOTITIA PROVINCIARUM ET CIVITATUM GALLIÆ.

In Provinciis Gallicanis, quæ civitates ſint.

Provincia Lugdunensis prima, numero III.

Metropolis Civitas Lugdunenſium.
Civitas Æduorum.
Civitas Lingonum.
Caſtrum Cabilonenſe.
Caſtrum Matiſconenſe.

Provincia Lugdunensis secunda, numero VII.

Metropolis Civitas Rotomagenſium.
Civitas Bajocaſſium.
Civitas Abrincatum.
Civitas Ebroïcorum.
Civitas Sagiorum.
Civitas Lexoviorum.
Civitas Conſtancia.

Provincia Lugdunensis tertia, numero IX.

Metropolis Civitas Turonorum.
Civitas Cenomannorum.
Civitas Redonum.
Civitas Andicavorum.
Civitas Namnetum.
Civitas Coriolopitum.
Civitas Venetum.
Civitas Oſiſmorum.
Civitas Diablintum.

Provincia Lugdunensis Senonia, numero VII.

Metropolis Civitas Senonum.
Civitas Carnotum.
Civitas Antiſiodorum.
Civitas Tricaſſium.
Civitas Aurelianorum.
Civitas Pariſiorum.
Civitas Meldorum.

Provincia Belgica prima, numero IV.

XII. *Aliæ Galliarum Provinciæ.* Metropolis Civitas Treverorum.
Civitas Mediomatricorum Mettis.
Civitas Leucorum Tullo.
Civitas Verodunenſium.

Provincia Belgica secunda, numero XII.

Metropolis Civitas Remorum.
Civitas Sueſſionum.
Civitas Catellaunorum.
Civitas Veromanduorum.
Civitas Atrabatum.
Civitas Camaracenſium.
Civitas Turnacenſium.
Civitas Silvanectum.
Civitas Bellovacorum.
Civitas Ambianenſium.
Civitas Morinûm.
Civitas Bononienſium.

Provincia Germanica prima, numero IV.

Metropolis Civitas Moguntiacenſium.
Civitas Argentoratenſium.
Civitas Nemetum.
Civitas Vangionum.

Provincia Germanica secunda, numero II.

Metropolis civitas Agrippinenſium.
Civitas Tungrorum.

Provincia Maxima Sequanorum, numero IV.

Metropolis Civitas Vaſontienſium.
Civitas Equeſtrium Noiodunus.
Civitas Elvitiorum Aventicus.
Civitas Baſilienſium.
Caſtrum Vindoniſſenſe.
Caſtrum Ebredunenſe.
Caſtrum Rauracenſe.
Portus Abucini.

Provincia Alpium Graiarum et Penninarum, numero II.

Civitas Centronum Darantaſia.
Civitas Vallenſium Octoduro.

Item in Provinciis Septem.

Provincia Viennensis, numero XIII. XIII. *Septem Provinciæ vulgò dictæ.*

Metropolis Civitas Viennenſium.
Civitas Genavenſium.
Civitas Grationopolitana.
Civitas Albenſium.
Civitas Deenſium.
Civitas Valentinorum.
Civitas Tricaſtinorum.
Civitas Vaſienſium.
Civitas Arauſicorum.
Civitas Cabellicorum.
Civitas Avennicorum.
Civitas Arelatenſium.
Civitas Maſſilienſium.

Pro-

Provincia Aquitanica prima, numero VIII.

Metropolis Civitas Biturigum.
Civitas Arvernorum.
Civitas Rutenorum.
Civitas Albienſium.
Civitas Cadurcorum.
Civitas Lemovicum.
Civitas Gabalum.
Civitas Vellavorum.

Provincia Aquitanica secunda, numero VI.

Metropolis Civitas Burdigalenſium.
Civitas Agennenſium.
Civitas Ecoliſmenſium.
Civitas Santonum.
Civitas Pictavorum.
Civitas Petrocoriorum.

Provincia Novempopulana, numero XII.

Metropolis Civitas Eluſatium.
Civitas Aquenſium.
Civitas Lactoratium.
Civitas Convenarum.
Civitas Conſorannorum.
Civitas Boatium.
Civitas Benarnenſium.
Civitas Aturenſium.
Civitas Vaſatica.
Civitas Turba, ubi caſtrum Bigorra.
Civitas Elloronenſium.
Civitas Auſciorum.

Provincia Narbonensis prima, numero VI.

Metropolis Civitas Narbonenſium.
Civitas Toloſatium.
Civitas Beterrenſium.
Civitas Nemauſenſium.
Civitas Lutevenſium.
Caſtrum Ucecienſe, aliàs Civitas Ucecienſis.

Provincia Narbonensis secunda, numero VII.

Metropolis Civitas Aquenſium.
Civitas Aptenſium.
Civitas Rejenſium.
Civitas Forojulienſium.
Civitas Vappincenſium.
Civitas Segeſteriorum.
Civitas Antipolitana.

Provincia Alpium Maritimarum, numero VIII.

Metropolis Civitas Ebrodunenſium.
Civitas Dinienſium.
Civitas Rigomagenſium.
Civitas Sollinienſium.
Civitas Sanitienſium.
Civitas Glannativa.
Civitas Cemelenenſium.
Civitas Vintienſium.

In Provinciis XVII. Civitates CXV, aliàs CXIII.

XIV. *Notitia Galliarum imperante Honorio ſcripta.*

Hæc Galliarum Notitia, ut in memoria penitus inſideat, identidem pervolutanda & relegenda. Eandem Galliarum in XVII Provincias diviſionem ſequitur Notitia Imperii Romani, poſt Honorii mortem ſub Valentiniano Placidiæ Auguſtæ filio facta. Notitia verò Galliarum imperante Honorio deſcripta, cùm in ea Septem Provinciarum numero XI mentio ſit: quæ inſtitutio eum auctorem agnoſcit. Denique in ea Notitia Provinciæ Gallicanæ à Septem Provinciis diſtinguuntur, & Gallicanarum Provinciarum nomine decem Provinciæ Galliarum, videlicet Lugdunenſis IV, Belgicæ II, utraque Germania ad Rhenum, Maxima Sequanorum, & Alpes Graiæ & Penninæ; nomine autem *Septem Provinciarum*, Provincia Viennenſis, Aquitania prima & ſecunda, Novempopulana, utraque Narbonenſis, & Alpes Maritimæ deſignantur. Quâ obſervatione magis confirmatur quod ſuprà num. VI diximus, Narbonenſem ſcilicet antiquam ſæpe ab Antiquis, ut à Galliis ſeparatam, habitam eſſe.

XV. *Rationes Queſnelli in contrarium ſoluta.*

Queſnellus V. C. in Diſſert. 8. Apologetica pro S. Hilario Arelatenſi Epiſcopo parte I. cap. 10. cùm perſuaſum haberet, *Arelatum* per hæc tempora Metropolim civilem fuiſſe, videretque, eam in Notitia Galliarum tanquam civitatem Viennenſis Metropoleos proponi, imò inferiorem etiam locum in ea Provincia tenere, hanc ſimiléſve Galliarum Notitias, non Honorii temporibus, ſed longè poſterioribus eſſe conditas, & Hilarii Leoniſque Pontificum Romanorum ætate inferiores eſſe affirmavit. Verùm conjecturæ ejus leviores, quàm ut nos movere debeant. Ait primò, ex Conſtitutione Honorii anno CCCCXVIII data patere, Arelatem Metropolim appellatam eſſe: *In Metropolitana*, inquit, *id eſt, in Arelatenſi civitate*; ideoque præfata Notitia alio tempore ſcripta, quàm Honorii. At, cùm in hac Notitia ſingularum Provinciarum Metropoles ac capita in ſpeciali deſcribantur, nulla in ea mentio de Arelate, quæ Metropolis Galliarum recèns effecta fuerat, fieri debuit. Dicit ſecundò Queſnellus, Arelatem penultimam omnium civitatum Viennenſi ſubjectarum numeratam non fuiſſe, ſi Honorii tempore hæc Notitia ſcripta eſſet; cùm poſt Conventum Septem Provinciarum apud Arelatem conſtitutum Sedes Præfecturæ in ea poſita fuiſſet. Sed in ea Notitia non ordo dignitatis, verùm poſitionis urbium plerumque ſervatus: quo pacto, quia Arelatum & Maſſilia à civitate Viennenſi remotiores erant, ideo ultimo loco collocatæ ſunt. Dicit tertiò, ſi ante Leonis tempora deſcripta eſſet hæc Notitia, lectum iri inter civitates Provinciæ Alpium Maritimarum *Nicaenſe caſtrum* ſeu civitatem, in quo ad extrema uſque Leonis tempora proprius fuit Epiſcopus à Cemelenenſi diſtinctus. Sed nec etiam hæc conjectura urget. Ex eo enim quòd caſtrum Nicæenſe in hac Notitia prætermittatur, intelligimus illud jam hoc tempore ad eas anguſtias eamque tenuitatem redactum eſſe, ut inter caſtra numerari non deberet: quod ex eo confirmatur, quòd Hilari Papæ tempore, id eſt, poſt annos circiter ſexa-

ginta à deſcriptione hujus Notitiæ, Epiſcopali Sede, quâ honorabatur, ſpoliatum fuerit, & ex duobus Epiſcopatibus, Cemelenenſi nempe & Nicæenſi, unicus effectus. Quid mirum igitur, ſi Honorius Niciam à numero civitatum & caſtrorum excluſerit; cùm aliquot poſt annos Pontifices Romani Epiſcopali honore eam privarint? Ea oppidorum inclinatio in deteriorem ſtatum notatur in Provincia Narbonenſi prima num. XI, ubi legitur: *Caſtrum Uceciense, aliàs Civitas Ucecienſis.* Sed, cùm jam Nicia nec civitas nec caſtrum, ſed tantùm caſtellum eſſet, neque hæc dejectio è priore ſtatu, ideoque nec ipſa Nicia memorari debebat. Denique in Notitia Provinciarum Gallicarum agitur de ſtatu civili, non verò de Eccleſiaſtico: quare Honorius in ea condenda nullam Epiſcopatuum rationem habuit. Quartò, ſi Honorii ætate, inquit Queſnellus, facta eſſet ea Notitia publica auctoritate, vel ex indubitata omnium cognitione, non ancipites & dubii manſiſſent Patres Concilii Taurinenſis, utri amborum Epiſcoporum, Arelatenſi, an Viennenſi, Metropoliticam in rebus Eccleſiaſticis dignitatem attribuere deberent; nec ad hanc ſententiam coarctati eſſent, *ut qui ex eis approbaret ſuam civitatem eſſe Metropolim, is totius Provinciæ honorem Primatûs obtineret.* Quod rerum illius temporis ſtatum demonſtrat minùs diſtinctum fuiſſe, & jura minùs clara, quàm in Notitia repræſentatur. Hæc Queſnellus, qui vulgari opinione decipitur, quòd nempe in Concilio Taurinenſi actum fuerit de Metropoli civili. Diſſidium enim erat de Metropoli Eccleſiaſtica, quòd inter Galliarum invaſionem à Tyrannis factam alteruter ex illis Epiſcopis jus ſibi Metropoliticum aſſeruiſſet, licèt in Provincia Viennenſi unicus tantùm antea Metropolita fuiſſet. Quare in Gallia contigit, quod Socrates lib. 5. cap. 7. accidiſſe dicit. Loquens enim de Synodo OEcumenica Conſtantinopolitana anno CCCLXXXI coacta, ait: *Sed & Patriarchas conſtituerunt, Provinciarum diviſione facta, ita ut nullus Epiſcopus ultra propriam Diœceſim alienas Eccleſias invaderet. Id enim antea propter perſecutiones promiſcuè factum fuerat.* Ad quæ verba Valeſius in Notis inquit: *In ſecundo canone Synodi Conſtantinopolitanæ, quem hîc deſignat Socrates, nulla fit mentio Patriarcharum. Eo enim tempore nondum uſu receptum erat Patriarcharum vocabulum. Nulla item in eo canone diviſio fit Provinciarum. Quinam ergo ſenſus eſt illius canonis? Agitur in eo de Diœceſibus Orientalis Eccleſiæ: & interdicit Synodus, ne Epiſcopi ex una Diœceſi in aliam tranſiliant ad ordinationes faciendas, aut ad alia negotia Eccleſiaſtica: jubetque ut Epiſcopi ea tantùm curent, quæ ſunt ſuæ Diœceſeos. Quare hic canon non ad Patriarchas ſolùm pertinet & Exarchos, ſed ad omnes generaliter Epiſcopos cujuſque Diœceſis.* In Galliis itaque quemadmodum & in Oriente, tam Proculus Epiſcopus Maſſilienſis, quàm Epiſcopus Viennenſis Epiſcopos ordinarant, indeque jus Metropoliticum ſibi aſſerebant, ille in Provincia Narbonenſi ſecunda, hic in Provincia Viennenſi, ut anno CCCC oſtendemus. Quare eo tempore, quo Taurinenſe Concilium habitum, ſtatus Eccleſiarum utriuſque civitatis minùs quidem diſtinctus erat, & jura minùs clara; ſed ſtatus politicus & civilis tam notus erat, quàm quod notiſſimum; neque ullus ignorare poterat, Viennam eſſe Metropolim civilem, & caput Provinciæ Viennenſis, & Arelatum puram putam civitatem, licèt celeberrimam, eidem in politia civili ſubjectam. Sed hac de re plura infrà.

XVI. *Diviſio Galliarum in Quinque Provincias & Gallias.*

Quinta Galliarum diviſio, cujus occaſione de præcedentibus locuti ſumus, fuit in Gallias & Quinque Provincias; cujus cùm prima mentio occurrat in Concilio Valentino hoc anno habito, & anno CCCLXX ſecunda Provincia Narbonenſis, quam unam ex Quinque Provinciis vulgò dictis mox dicemus, nondum nata eſſet, ut liquet ex Breviario Rufi circa illum annum compoſito, ubi inter Galliarum Provincias Narbonenſis ſecunda non numeratur; manifeſtum eſt hanc quintam Galliarum diviſionem inter annum CCCLXX & currentem factam eſſe. Poſt præſentem annum ſecundæ Narbonenſis mentio eſt in epiſtola Concilii Aquileienſis anno CCCLXXXI ſcripta, cujus hæc inſcriptio: *Concilium quod convenit Aquileiæ, dilectiſſimis fratribus Epiſcopis Provinciæ Viennenſis & Narbonenſium primæ & ſecundæ.* Præterea ejuſdem Narbonenſis ſecundæ mentio in Concilio Taurinenſi anno CCCXCVIII congregato.

XVII. *Quænam fuerint Quinque Provinciæ à Galliis diſtinctæ.*

Tota controverſia eſt, quænam fuerint hæ Quinque Provinciæ. Berterius Diatribâ prima cap. 5. arbitratus eſt, eas fuiſſe duas Narbonenſes, Viennenſem, Alpes Maritimas, & Alpes Penninas. Idem docent Marca in Diſſert. de Primatu Lugdunenſi num. LXV, aliique paſſim; quòd *Quinque* Provinciæ ſint partes ſolidæ Narbonenſis antiquæ, quæ olim diſtincta fuit à reliquis tribus Provinciis Galliarum. Verùm, licèt certum ſit, antiquam Narbonenſem Quinque memoratas Provincias olim comprehendiſſe, eamque partem Galliarum habitam non fuiſſe, dubitandi tamen locus non videtur, quin *Quinque* Provinciæ vulgò dictæ, inter Septem Provincias vulgò dictas, quæ anno circiter CCCC inſtitutæ ſunt, ut infrà oſtendam, locum habuerint, iiſque duæ aliæ adjectæ fuerint. Cùm autem ex Notitia Galliarum num. XI ſuprà recitata conſtet, *Septem* Provincias vulgò dictas alias non fuiſſe, quàm Provincias Viennenſem, Aquitanicam primam, Aquitanicam ſecundam, Novempopulanam, Narbonenſem primam, Narbonenſem ſecundam, & Provinciam Alpium Maritimarum, manifeſtum eſt, *Alpium Graiarum* Provinciam, quæ in eadem Notitia inter Provincias Gallicanas, ibidem à *Septem* Provinciis ſeparatas, numeratur, à *Quinque* Provinciis vulgò dictis excludendam eſſe. Ratio autem cur ſola Provincia Alpium Graiarum ex Quinque, quæ aliàs in Provincia Narbonenſi comprehendebantur, inter *Quinque* Provincias vulgò dictas recenſita non fuerit, petenda vel ex eo quòd ea longè minor eſſet, quàm quatuor aliæ, vel quia Provincia erat ſine ulla Metropoli, duabus tantùm civitatibus comprehenſa. Noſtra porro ſententia eò probabilior, quòd, qui vulgarem ſententiam tuentur, Alpium Graiarum Provinciam à *Septem* Provinciis vulgò dictis, excluſam fuiſſe fateantur; cùm tamen

incredibile videatur, eam Provinciam unam ex Septem vulgò dictis non fuiſſe, ſi una ex Quinque vulgò dictis extiterit. Neque audiendus Marca citatus num. LXVI quando ait: *Harum Quinque Provinciarum corpus Petronius Præfectus Prætorio Galliarum immutavit. Expunctâ enim Provinciâ Alpium Graiarum, ex reliquis quatuor & ex duabus Aquitaniis, & Novempopulana, Conventus Septem Provinciarum apud Arelatem agi conſtituit: cujus formam confirmavit Honorius Conſtitutione lata anno CCCC XVIII.* Nam Petronius harum quidem Quinque Provinciarum corpus immutavit, ſed duas Provincias prioribus quinque addendo, non verò unam ex illis expungendo. Queſnelius in Diſſert. pro S. Hilario Arelatenſi Epiſcopo parte 2. cap. 7. hunc Marcæ errorem agnovit, ſed dum corrigere vult, in alium incidit: *Cum Petronius*, inquit, *Præfectus Prætorio Galliarum Honorii tempore, Septem Provinciarum corpus compoſuit, quorum Conſilium apud Arelatum conſtituit ſingulis annis congregandum, vix dubitari poteſt, quin Alpes Graias & Penninas eiſdem annumeraverit. Qui enim corporis hujus amplificandi cauſâ duas Aquitanias cum Novempopulana antiquæ Narbonenſis partibus annectere compulſus eſt, num illud Alpium Penninarum & Graiarum detractione minuiſſet? Hoc certè veroſimile non eſt: ſed par eſt potius credere Viennenſi annexam eſſe tanquam partem ejuſdem, & illius Septem Provinciarum corporis.* Rectè Queſnellus ſcribit, omnino improbabile videri, Petronium Alpium Graiarum detractione, corpus quod amplificare volebat, minuiſſe. Sed perperam ſibi perſuadet, Alpium Graiarum Provinciam cum Viennenſi conjunctam fuiſſe; cùm ex Notitia Galliarum manifeſtum ſit, illam Provinciam poſt inſtitutionem Septem Provinciarum, remanſiſſe decimam ex Provinciis in ea Notitia *Gallicanis* appellatis. Ad hæc, verum non eſt, Petronium tres Provincias *Quinque* Provinciis vulgò dictis adjeciſſe, ut ſtatim patebit.

XVIII. *Novempopulana una & Quinque Provinciis.* Quintam Provinciam ex vulgò dictis Severum Sulpicium cum Philaſtrio collatum nos edocere primo fonte exiſtimavi. Philaſtrius, qui hoc tempore floruit, in hæreſi Manichæorum 62. de Priſcillianiſtis agens: *Ut latrones*, inquit, *jam ſub figura Confeſſionis Chriſtianæ, multas animas mendacio ac peculiari turpitudine non deſinunt captivare, qui & in Hiſpania, & Quinque Provinciis latere dicuntur, multoſque hac quotidie fallaciâ captivare.* Priſcillianiſtas verò in ſecunda Aquitania & Novempopulana errores ſuos diſſeminaſſe diſertè teſtatur Sulpicius lib. 2. Hiſt. Philaſtrio coævus: loquens enim de Inſtantio, Salviano & Priſcilliano à Synodo Cæſaraugustana in Hiſpania condemnatis, & Romam atque Italiam proficiſcentibus, ait: *Sed iter eis præter interiorem Aquitaniam fuit, ubi tum ab imperitis magnificè ſuſcepti ſparſere perfidiæ ſemina, maximéque Eluſanam plebem, ſanè tum bonam & Religioni ſtudentem, pravis prædicationibus pervertere, à Burdigala, per Delphinum repulſi: tamen in agro Euchrociæ aliquantiſper morati infecere nonnullos ſuis erroribus. Inde iter cœptum ingreſſi ſane turpi pudibundoque comitatu, cum uxoribus atque alienis etiam fœminis, in quibus erat Euchrocia ac filia ejus Procula, de qua fuit in ſermone hominum, Priſcilliani ſtupro gravidam, partum ſibi graminibus abegiſſe.* Burdigala ſecundæ Aquitaniæ, civitas verò Eluſatium Metropolis Novempopulanæ, ut videre eſt in Notitia Galliarum. Quare alterutram ex his duabus Provinciis unam ex Quinque Provinciis vulgò dictis fuiſſe arbitrabar; cùmque Novempopulana Narbonenſi primæ contigua ſit, ab ea verò Aquitania ſecunda ſeparetur, concludebam, Quinque Provincias fuiſſe Viennenſem, utramque Narbonenſem, Alpes Maritimas & Novempopulanam. Verùm in animum poſtea venit, Honorium Imp. in reſcripto ſuo anno CCCC XVIII emiſſo, ubi ex Septem Provinciis ſermonem habet, jubere, ut Judices ſingularum Provinciarum, ſingulis annis ad Conventum Arelates celebrandum veniant; *ita ut*, inquit Honorius, *de Novempopulana & ſecunda Aquitania, quæ Provinciæ longiùs conſtitutæ ſunt, ſi earum judices certa occupatio tenuerit, ſciant, Legatos juxta conſuetudinem eſſe mittendos.* Cùm autem certum ſit, Aquitaniam primam unam ex Septem Provinciis fuiſſe, eaque in laudato reſcripto cenſeatur proximiùs conſtituta, quam Aquitania ſecunda & Novempopulana, quia ſcilicet ex urbe Bituricenſi, quæ caput Aquitaniæ primæ, ad urbem in qua Conventus habebatur, navigio facilis deſcenſus erat, nunc non dubito, quin quando corpus quinque Provinciarum vulgò dictarum conflatum eſt, Aquitania prima, quæ Narbonenſi primæ contigua, una ex illis fuerit, & quin poſtea Novempopulana & Aquitania ſecunda quinque præfatis Provinciis additæ fuerint, eò magis, quò de his tantùm duabus mentio ſit in Conſtitutione Honoriana. Sed de hac re legenda quæ dico anno CCCC, cùm de Septem Provinciarum vulgò dictarum inſtitutione verba facio. Interim obiter obſervandum, Priſcillianiſtas, cùm in quinque Provinciis latuerint, ut dicit Philaſtrius, etiam errores ſuos per Aquitaniam primam ſparſiſſe, cùm una ex quinque Provinciis vulgò dictis fuerit. Unde & ea hæreſis in Gallia non parum propagata.

XIX. *Singularis Gothofredi de Quinque Provinciis opinio evertitur.* Ex dictis planè evertitur opinio Gothofredi citati, qui ſibi perſuaſit, „Quinque Provincias fuiſſe Aquitaniam primam & ſecundam, Senoniam, ſecundam & tertiam Lugdunenſem; quia, inquit, ex Synodo Valentina apparet, Viennenſem, (ſaltem primam & ſecundam) in qua Valentia, Narbona, Maſſilia, Vienna, harum Quinque Provinciarum numero non fuiſſe, utpote cùm non alibi quærendas quàm in Galliis appareat ex ſcopo ipſo Maximi Tyranni, Concilii Valentini & Taurinenſis. Maximus agit de Concilio quod agi debebat in judicio Agrœcii Presbyteri Gallicani: Concilium Valentinum mittens decreta ſua in Gallias, eas dividit in *Gallias & Quinque Provincias.* Concilium Taurinenſe, quod à Conciliis Gallicanis ignotum erat, rationem reddit judicii ſui." Ita Gothofredus. Verùm tam ex ſcopo ipſo Maximi Tyranni, quàm ex Conciliis Valentino & Taurinenſi contrarium colligitur. Cum enim Quinque Provincias à Galliis propriè di-

ctis diſertè diſtinguant, Quinque Provinciæ minime quærendæ in ea Galliarum parte, quæ propriè Gallia dicta eſt, ubi ſunt Senonia & Lugdunenſes Provinciæ: quod eò magis dicendum, quòd Lugdunum *exordium Galliarum & caput Galliarum* ab Antiquis appellatum ſit, ut ſuprà monſtravi; cùm è contra antiqua Provincia Narbonenſis ab iiſdem tanquam à Galliis ſeparata memoretur. Verum quidem eſt, Aquitaniæ aliquando tanquam à Galliis diſtinctæ Veteres meminiſſe; ſed Narbonenſis ſolida magis propriè à Galliis diſtinguitur, ſæpiuſque quam Aquitania tanquam à Galliis ſeparata legitur. In caſu autem de quo agitur, antiquam Narbonenſem, non verò utramque Aquitaniam intelligendam, tum ex dictis, tum ex dicendis de Septem Provinciis vulgò dictis manifeſtè liquet. Sicque ruit alterum Gothofredi fundamentum. Tertium ejus fundamentum deducitur ex Notitia Imperii, quæ cùm de Duce Tractus Armoricani & Nervicani limitis agit: *Extenditur*, inquit, *Tractus Armoricani & Nervicani limitis per Provincias quinque: per Aquitaniam primam & ſecundam, Senoniam, ſecundam Lugdunenſem & tertiam.* Quod teſtimonium ita clarum Gothofredus arbitratur, ut miretur, Viros doctos in hac inquiſitione ad illud non attendiſſe. Sed quæſtio non eſt, per quas Provincias Tractus Armoricani & Nervicani limitis extenderetur. Nullus enim in dubium revocat, quin per quinque illas Provincias in Notitia Imperii deſignatas extenderetur. Verùm, an quinque illæ Provinciæ ibidem expreſſæ, ſint Quinque Provinciæ vulgò dictæ, quæ in Galliarum diviſione, de qua eſt ſermo, tanquam à Galliis diſtinctæ proponuntur; quod Gothofredo probandum incumbebat. Ceterùm hujus loci explicatio legenda apud Blondellum lib. contra Primatum pag. 704. cùm enim ea ad rem non faciat, hìc eam in medium non afferam. Ex iis, quæ anno CCCC de ſeptem Provinciis dicemus, tam Gothofredi quàm aliorum ſententiæ magis convellentur, noſtraque majus robur accipiet.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5868. ☉ 20 D. ☽ 15. P. 5. APRIL. INDICT. 3.
JESU CHRISTI 375.
DAMASI PAPÆ 10.
VALENTIS 12. GRATIANI 9.
VALENTINIANI JUNIORIS 1.

I. *Valentiniani Decennalia.* HIc annus hac formulâ notatus: *Poſt Conſulatum Gratiani Aug. III. & Equitii*, quia ſc. propter bellorum tumultus Conſules creati non ſunt. Gratianus Aug. Decennalia dedit, quorum ſignum quæ Idacius in Faſtis hoc anno habet: *His Conſſ. Thermæ Caroſianæ dedicatæ ſunt, agente Præfecto V. C. Vindalonio Magno.* Erat *Caroſia* Valentis Imperatoris filia. Hujuſmodi verò dedicationes annis id genus ſolenniis deſtinatis de more peractæ.

II. *Obitus Valentiniani ſenioris.* Ad num. I. Idacius in Faſtis hoc anno habet: *Diem functus Valentinianus ſenior XV Kal. Decemb. in Caſtello Virgitione. Et levatus eſt Valentinianus junior Aug. filius Aug. Valentiniani ab exercitu in tribunali die X Kal. Decemb. in civitate Acinco*, quam Cluverius Budam eſſe autumat. Ammianus lib. 30. cap. 6. ait, mortuum eſſe Valentinianum *anno ætatis quinquageſimo quinto, Imperii, minus centum dies, ſecundo & decimo.* Ex quo liquet, Ammianum emortualem diem non excludere, ſc. decimum ſeptimum Novembris, quo tam Idacius quam Socrates Valentinianum mortuum teſtantur; rectéque Socratem lib. 4. cap. 1. tradidiſſe, Valentinianum die vigeſima quinta Februarii dictum eſſe Imperatorem; cùm à die XVII Novembris præſentis anni, quo is mortuus, ad viceſimum quintum Februarii anni ſequentis dies centum numerentur, die viceſimo quinto, quo Valentinianus electus, excluſo: ſequens enim annus biſſextilis fuit. Baron. num. IV.

III. *Numiſma Placidii Valentiniani Valentiniano ſeniori malè adſcriptum.* Cangius V. C. in *Conſtantinopoli Chriſtiana* tabulâ 17. inter Valentiniani ſenioris Numiſmata iſtud deſcribit: D. N. VALENTINIANUS P. F. AUG. In poſtica: IMP. XXXII. COS. XVII. PP. CON. OB. id eſt, *Pater Patriæ Conſtantinopoli obſignata.* Qui Nummus Viris eruditis crucem fixit. Cangius in Diſſert. de inferioris ævi Numiſmatibus numero XXXVIII de hoc Valentiniani Nummo loquens ait: *Cur Valentinianus Conſul decimùm ſeptimùm inſcribatur, nemo, opinor, attigit, cùm ſemel hanc dignitatem cum filio inierit, adeo ut dicendum ſit hæc in longioris vitæ ac Imperii vota fuiſſe adſcripta.* Mediobarbus pag 505. hunc Nummum Valentiniano etiam ſeniori attribuens, ait: *XVII Conſulatum Valentiniani in Nummo ſignari monſtrum eſt; nam revera quatuor tantùm vicibus Conſul proceſſit, & niſi Illuſtriſſimus Eruditiſſimuſque Dominus le Cange Nummum in ſua* Conſtantinopoli Chriſtiana *proferret, omnino incredibilis mihi viſa foret hujus Nummi epigraphe. Hercules aliquis Gallicus monſtrum hoc vincat, quod mihi certè perſuaſum eſt Monetarii errore natum.* Verùm, ut jam alibi demonſtravi, in averſa parte Nummi alicujus Imperatoris non rarò epigraphe legitur, quæ ad alium referenda eſt. Nummus itaque ille perperam Valentiniano ſeniori attributus, eſt Placidii Valentiniani, qui Theodoſii junioris tempore in Occidente imperavit, & Liciniam Eudoxiam hujus Imperatoris filiam uxorem duxit, qui in ſoceri honorem in averſa ſuorum Numiſmatum parte Conſulatum ejus decimum ſeptimum anno Chriſti quadringenteſimo triceſimo nono geſtum, ac titulum Imperatoris XXXII in Nummis Theodoſii cum eadem epigraphe copulatum, inſculpi juſſit. Averſam enim partem illam Nummi Valentiniani ad Theodoſium juniorem referendam demonſtrat hic Eudociæ ejuſdem Theodoſii uxoris Nummus à Mediobarbo pag. 526. productus: AEL. EUDOCIA AUG. in poſtica: IMP. XXXXII. COS. XVII. P. P. CON. OB. Nam inter Numiſmata Theodoſii junioris, alia habent, IMP. XXXII. COS. XVII. Alia verò, IMP. XXXXII. COS. XVII. Producit ibidem Mediobarbus alium ejuſdem Eudociæ Nummum, cujus hæc poſtica pars: VOT. XX. MULT. XXX. CON. OB. qui etiam recitatur à Cangio in *Conſtantinopoli Chriſtiana* tabulâ 21. quibus ex Nummis regula à

nobis ſuprà ſtatuta, certa redditur, utriuſque nempe alicujus Numiſmatis Imperialis partem ad diverſos Imperatores aliquando pertinere, conſtatque prælatos Nummos, in quibus Conſulatus decimus ſeptimus legitur, de Theodoſio juniore, qui decimum ſeptimum Conſulatum geſſit, interpretandos eſſe, idemque certum Valentiniani Nummum Placidio Valentiniano, Theodoſio æquali, attribuendum eſſe. Ultimus autem Eudociæ Nummus exhibet in poſtica Vicennalia Theodoſii junioris. Quando Diſſertationem Hypaticam compoſui nondum in hoc arcanum penetraram, ideoque in parte 2. cap. 14. num. 7 aliæ Placidiæ Nummum explicans, in quo legitur: Dn Galla Placidia P F·Aug, & in poſtica Vot XX Mult. xxx, ex hac epigraphe perperam intuli, Placidiam Auguſtam Imperatorum inſtar Decennalia & id genus feſta celebraſſe. Verùm ex laudato Eudociæ Nummo & regula à nobis conſtituta, intelligimus, hæc Vicennalia ad Valentinianum III ejus filium referenda eſſe. Poſtquam hæc ſcripſi, venit in manus meas Opus Beggeri V.C. de Numiſmatis Selectis S. E. Palatini, ubi laudatum Valentiniani Nummum ad Valentinianum III referendum, etiam obſervavit.

IV. *Ætas Valentiniani junioris.* Valentiniano ſeniori ſucceſſit *Valentinianus junior*, ejus filius, adhuc quadrimus. Verum quidem eſt, plures annos ei Baronium attribuere, quòd exiſtimet, eum eſſe Valentinianum illum, qui anno CCCLXVI in lucem prodiit, quique non multò poſt, Victore Collega, Conſulatum geſſit. At is error jam ſuprà confutatus, oſtenſumque, Valentinianum illum Dominicæ & Valentis filium fuiſſe, ac hoc tempore, ut videtur, jam obiiſſe: Valentinianum verò, qui hoc anno Valentiniano ſeniori ſucceſſit, filium fuiſſe ejuſdem Valentiniani ex *Juſtina* ſecunda ejus uxore. Socrates itaque non ſolùm Baronium, ſed etiam Cangium in Familiis Auguſtis Byzantinis, alioſque Viros doctos in errorem induxit.

V. *S. Martinus fit Episc. Turonenſis.* Ad num. III. Cùm S. *Martinus Turonenſis Epiſcopus* anno trecenteſimo nonageſimo ſeptimo die ſeptimo Novembris mortalitatem expleverit, ut ſuo loco ex Gregorio Turonenſi demonſtrabitur, ſederitque *annos XXVI, menſes IV, dies XXVII*, teſte eodem Turonenſi lib. 10. cap. 31. qui addit, eum ordinatum fuiſſe *anno VIII Valentis & Valentiniani*, liquet, hunc Sanctum anno trecenteſimo ſeptuageſimo primo, quo, menſe Februario octavus Valentiniani & Valentis annus inchoatur, conſecratum fuiſſe, idque pridie Id. Jun. ſeu die duodecima menſis Junii, quæ eo anno in Dominicam incidebat. Nam tam in Occidente quàm in Oriente ſub hujus ſeculi finem Epiſcoporum ordinationes diebus Dominicis aut Feſtis ſolennioribus jam factas fuiſſe, valde veroſimile. Scriptores tamen paſſim affirmant, Sanctum Martinum *quarto Nonas Julias*, ſeu quarto die menſis Julii ordinatum Epiſcopum, quòd Gregorius Turonenſis lib. 2. cap. 14. tradat: *Solennitas ipſius Baſilicæ triplici virtute pollet, id eſt, Dedicatione templi, Tranſlatione corporis Sancti, ordinatione ejus Epiſcopatus. Hanc enim quarto Nonas Julias obſervabis. Depoſitionem vero ejus tertio Idus Novembris eſſe cognoſces.* Ubi Gregorius diem

Baron. num. III & ſeqq.

Depoſitionis & Tranſlationis eidem diei, ordinationem autem quarto Nonas Julii aſſignat. Sed animadvertendum, rem ita quidem ſe habuiſſe Gregorii ætate, ac poſterioribus ſeculis; verùm ante Concilium Turonenſe anno CCCCLXI habitum, iſtis ſolennitatibus alios dies attributos fuiſſe. Nam, ut teſtatur ibidem Gregorius, S. Perpetuus Epiſcopus Turonenſis magnificam Baſilicam ædificavit in locum cellulæ ſuper ſepulchrum S. Martini fabricatæ; à quo tempore tres præfatæ ſolennitates iis diebus affixas fuiſſe colligimus ex eodem Gregorio; non tantùm quia de iis non agit, niſi poſtquam proximè de illius Baſilicæ extructione locutus eſt: ſed etiam quia ipſemet prodit, Martinum ſediſſe annos XXVI, menſes IV, dies XXVII: quod verum eſſe non poteſt, niſi die XII Junii ordinatus fuerit; cùm aliunde Gregorius aſſerat, Martinum nocte quæ interceſſit inter Sabbatum & Dominicam Novembris, die nempe VII Novembris, ad Deum migraſſe. Dies itaque, quo Depoſitio S. Martini colitur, diverſus eſt à die, quo è vivis exceſſit, ut anno CCCCII demonſtrabimus.

VI. *S. Martinus die XII Junii ordinatus.* Sed, ut hîc tantùm de die ordinationis ejus loquar, Cointius in Annalibus Eccleſiaſt. Francorum anno 498. num. VI & num. XXIV rectè obſervat, diſtinguendas eſſe duas Tranſlationes S. Martini à S. Perpetuo, qui anno CCCLXI ſedere cœpit, peractas. Prior ad eundem annum & ad Epiſcopatus ejus initia pertinet. In Præfatione enim Concilii Turonenſis, cui Perpetuus præfuit, habetur: *Severino V. C. Conſule, ſub die XVIII Kalendas Decembris, cùm ad ſacratiſſimam feſtivitatem, quâ Martini receptio celebratur, in civitate Turonum beatiſſimi Sacerdotes conveniſſent*, &c. Et poſt Præfationem ſubjunguntur tredecim Canones, quibus diſciplina Eccleſiaſtica reformata eſt: ita enim in more poſitum erat, dum Epiſcopi propter alicujus Eccleſiæ dedicationem, aut id genus alia congregabantur. Sed legendum, *XIV Kalendas Decembris*, ut multi veteres libri habent, non verò *XVIII Kalend. Decemb.* ut cum Remenſi & Bellovacenſibus Codicibus perperam ſcribit Cointius citatus, qui addit: *Ea diſcrepantia nullius videtur momenti.* Imò ex die XIV Kalendas Decembris, ſeu die XVIII menſis Novembris manifeſtè apparet, corpus S. Martini in Concilio Turonenſi eodem die tranſlatum, & propter illam Tranſlationem illud Concilium coactum fuiſſe. Nam anno CCCCLXI Quinquennalibus Majoriani Imp. deſtinato, dies decimus octavus Novembris concurrit cum feſto Dedicationis Baſilicarum Petri & Pauli: dies verò XVIII Kalend. Decemb. ſeu dies XIV menſis Novembris, in feriam tertiam incidit. Et tamen reliquiarum Tranſlationes quinto Eccleſiæ ſeculo diebus Dominicis aut feſtis ſolennibus fieri ſolebant. Epiſcopi itaque, qui huic Concilio interfuere, non convenere ad ſolennem S. Martini feſtivitatem, quæ ſingulis annis recolebatur, ſed ad Tranſlationem reliquiarum, quæ tunc facta, & illo tantùm anno celebrata eſt. Hæc autem Tranſlatio peracta, quia Perpetuus ſubmovit Baſilicam, *quam prius Bricius ex decelloribus ſuis unus ædificaverat ſuper Sanctum Martinum*, ut colligitur ex Gregorio

Turonenſi lib. 2. cap. 14. & lib. 10. cap. 31. ampliorique Baſilicæ tum fundamenta jacta. Ea Tranſlatio ea tantùm vice à populo celebrata. Nova Baſilicâ abſoluta, alia rei gratiarum S. Martini facta eſt, ut ex iiſdem Gregorii verbis elicitur; ait enim: *Summotâ Baſilicâ* (& tunc prior Tranſlatio celebrata) *quam Briccius Epiſcopus ædificaverat ſuper S. Martinum, ædificavit aliam ampliorem, miro opere. In cujus abſcida beatum corpus ipſius Venerabilis tranſtulit*; & tunc altera Tranſlatio contigit, quæ ſequentibus ſeculis eodem die celebrata eſt, idque *quarto Nonas Julias*, ut ex Gregorio ſtatim oſtendimus. Imò eo die triplex ſolennitas acta, nempe Tranſlatio S. Martini, ejus ordinatio, & novæ Baſilicæ dedicatio. Tres enim illæ res eodem die conſignantur in Adonis Martyrologio & in Hiſtoria Gregorii Turonenſis lib. 2. cap. 14. quibus innixus Auctor Martyrologii Romani ad IV Nonas Julias habet: *Turonis Tranſlatio Sancti Martini Epiſcopi & Confeſſoris, & dedicatio ipſius Baſilicæ, hoc ipſo die, quo etiam is ante aliquot annos in Epiſcopum fuerat ordinatus.* Sed in illum diem Divi Martini ordinatio incidere non poteſt, ut Cointius obſervat, & jam viſum eſt. Ab eo itaque tantùm anno ordinatio S. Martini & ejus Tranſlatio quarto Nonas Julii celebrata. Unde in Martyrologio Uſuardi eo die notantur Tranſlatio & ordinatio S. Martini, dedicatione Baſilicæ non expreſſa.

VII. *Feſtum ordinationis S. Martini in diem IV Julii tranſlatum.*

Reſtat, ut inveſtigemus, quo anno triplex hæc ſolennitas quarto Nonas Julias, magnâ pompâ, ut conjicere licet, celebrata primùm fuerit. Cointius laudatus eligit annum quadringenteſimum ſeptuageſimum primum, quia Sigebertus in Chronico anno quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo ſcribit, S. Perpetuum magnam Baſilicam in honorem S. Martini ædificaſſe, dedicaſſe, & corpus hujus Sancti in eam tranſtuliſſe. Quæ Cointii conjectura mihi valde probatur. Quia veriſimile non eſt, tantam ſolennitatem alia die factam, quàm die Dominica, ut in more poſitum erat: anno autem quadringenteſimo ſeptuageſimo primo, dies quartus Nonas Julias cum die Dominico concurrit. Præterea erat is annus centeſimus ab ordinatione S. Martini; ut ex dictis conſtat. Quòd ſi ea ſolennitas cum die XII Junii, quo Martinus ordinatus, conjuncta non fuerit, id accidit, quia anno CCC LXXI is dies non cum Dominica, ſed cum Sabbato concurrebat. Ad hæc, eo anno Anthemius Imperator Quinquennalia exhibere debebat, ut ſuo tempore referemus. Inſuper eo anno Leo Auguſtus IV & Probianus Conſules proceſſere, & hic Imperator Quindecennalia celebrare debebat, quæ tamen anticipare coactus fuit, ut ſuo loco dicam. Annis verò quibus hujuſmodi ſolennia in Oriente edebantur, vel edi debebant, Tranſlationes reliquiarum & id genus alia in Occidente, & vice verſa in Oriente, factas eſſe innumeris exemplis liquet. Ex dictis intelligis, quantum referat obſervare dies & annos, quibus Eccleſiæ de more dedicatæ, reliquiæque tranſlatæ; licèt certum ſit, cùm aliqua urgeret neceſſitas, neutrorum rationem habitam fuiſſe. Baronius, qui currenti anno, die quarta Julii Martinum ordinatum credidit, innixus eſt quoad diem, auctoritati Gregorii Turonenſis, qui tamen eo quo explicavimus modo, exponendus; & quoad annum, auctoritati Severi in Vita Sancti Martini, qui ſcribit, hunc ſub Conſulatu Evodii anno CCC LXXXVI geſto fuiſſe ſexagenarium, & vix illo adhuc annos XVI. Sed cùm Turonenſis teſtetur, Sanctum *Martinum* anno ætatis octogeſimo primo ad Deum migraſſe, manifeſtum eſt, illum Severi locum corruptum. Certum itaque maneat, Martinum die XII Junii, qui Dominicalis erat anno trecenteſimo ſeptuageſimo primo, ordinatum fuiſſe, & progreſſu temporis eam ordinationem cum quarto die Julii, ſeu quarto Nonas Julias, copulatam fuiſſe.

VIII. *Oratio Themiſtii ad Valentem.* Baron. num. IX.

Ad num. IV. Oratio Themiſtii ad Valentem, de qua Socrates lib. 4. cap. 32. quam Baronius periiſſe exiſtimabat, poſt hujus mortem Latinè edita fuit à Duditio. In ea leguntur quæ à Socrate laudato ſummatim narrantur.

IX. *S. Epiphanius ſcribit Panarium.* Baron. num. XVI.

Ad num. V. Sanctus *Epiphanius* ſcripſit Panarium ſeu librum adverſus hæreſes anno præcedenti: ipſe enim in ejus exordio indicat, fuiſſe tunc annum undecimum Valentis & Valentiniani, qui anno præterito menſe Februario extinctus eſt. Rectè itaque eo anno Baronius in Annalibus hunc librum ſcriptum notavit.

X. *Lex Valentis adverſus Curiales Monachiſmum profeſſos.*

Valens Imperator Lege 63. *De Decurionibus.* definivit, non poſſe omnino Curialem conditionem Monachiſmo vitari: ſed ſi qui è Curialibus ad monaſticam vitam ſeſe contulerint, erui eos oportere, & ad alterutrum adigendos, vel ad Curiæ munia ſubeunda, vel ad cedendum bonis ſuis in eorum gratiam qui loco illorum, patriæ Curiæque munera ſubituri ſunt. Dicitur hæc Lex *PP. Beryto Kalend. Januar. Valentiniano & Valente AA. Coſſ.* Ubi cùm non adſcribatur numerus Conſulatûs, eam refert Baronius ad annum CCC LXV, quo Valentinianus & Valens primum Conſulatum geſſere. Verùm numerali nota omiſſa, Conſulatus in ea Lege, ut in quibuſdam aliis, ſimpliciter editur; cum inſcripta ſit *ad Modeſtum Pf. P.* qui eam dignitatem ſub finem anni CCC LXIX iniit, & ſequentibus aliquot annis continuavit, ut ſuo loco dictum. Quare ea anno CCC LXX, quo Valentinianus & Valens tertium Conſulatum geſſere, vel anno CCC LXXIII, quo quartùm Conſules proceſſere, emiſſa eſt. Gothofredus ad ultimum illum Conſulatum eam revocat, quòd exiſtimet, Divum *Athanaſium* mortuum eſſe menſe Maio anni trecenteſimi ſeptuageſimi ſecundi, & Valentem Monachis & Ægyptiis contrarium ſeſe non oſtendiſſe, quandiu Athanaſius vixit. Verùm, cùm certum ſit, anno uno tardiùs Athanaſium deviſſe, menſe ſcilicet Maio anni CCC LXXIII, Lex hæc propoſita Kalendis Januariis, quatuor ſcilicet menſibus ante Athanaſii mortem, nihil commune habere poteſt cum perſecutione, quæ mortuo Athanaſio Alexandriæ adverſus Monachos excitata eſt, præſertim ſi eam Valens dedit anno CCC LXX; quod non parum veroſimile.

XI. *Lex Valentis adverſus Monachos.*

Quidquid de hac re ſit, de qua mox, notandum, hanc inter alias fugiendæ evitandæque *Curiæ* rationes, miſeros *Curiales* hac ætate adinveniſſe, ut ad Monachiſmum concederent, quaſi ea re maximè tuti futuri, & la-

titaturi. Gothofredus in illius Legis Commentario arbitratur, eam diverſam non eſſe ab ea, quæ dicitur in Hieronymi Chronico à Valente in Monachos promulgata, de qua in eo Chronico, Valentiniani ſenioris morte narrata, hæc verba leguntur: *Valens, Lege data, ut Monachi militarent, nolentes fuſtibus juſſit interfici.* Obſervat enim Gothofredus hoc ævo *militiæ*, & *militandi*, στρατείας ϗ στρατεύεσθαι, voce deſignari quæcumque officia, muniaque publica: unde Militia non tantùm Armata, ſed etiam Togata Palatina, Officialium Advocatorum militia, λειτουργία, tandem omne publicum miniſterium, atque adeo Municipalia quoque ſeu Curialia officia muniaque pro patria. Inde igitur errorem natum putat ex hujus vocis homonymia, quaſi Monachi à Valente militare juſſi fuerint, & quidem in Militia Armata, eóque adacti, & quidem indiſcretim; cùm tamen Valens nonniſi Monachos ex Curialibus ad Militiam Curialem retrahi juſſerit. Ita Vir doctiſſimus.

XII. *Lex Valentis adverſus Curiales diverſa à Lege ab eodem data adverſus Monachos.*

Verùm, cùm tam Hieronymus citatus, quàm Oroſius lib. 7. cap. 33. Legem Valentis Monachos ad militiam adigentis poſt Valentiniani ſenioris obitum datam diſerte ſcribant, Lex laudata *De Decurionibus.* ab ea prorſus diverſa. Nec eſt quòd dicat Gothofredus, verba laudata non eſſe Hieronymi, ſed Proſperi Aquitani, qui ejus Chronicon continuavit: certum enim, Hieronymi Chronicon in Valentis interitu deſinere, ideoque quæ poſt Valentiniani ſenioris mortem in eo leguntur, Proſpero neutiquam attribui poſſunt. Ex Oroſii verbis, qui primus poſt Hieronymum illius Legis meminit, quæque perperam pro ſe Vir eruditiſſimus adducit, ea opinio jugulatur: *Imperium quatuor annis Valentiniano mortuo tenuit, qui ſolus cùm impiè ageret, & poſſet erubeſcere, illico velut effrænata libertatis audacia Legem dedit, ut Monachi, hoc eſt, Chriſtiani, qui ad unum Fidei Opus dimiſſa ſecularium rerum multimoda actione ſe redigunt, ad militiam cogerentur. Vaſtas illas tunc Ægypti ſolitudines arenaſque diffuſas, quas propter ſitim ac ſterilitatem, periculoſiſſimamque ſerpentum abundantiam converſatio humana non noſſet: magna habitantium Monachorum multitudo compleverat. Ut Tribuni & milites miſſi, qui ſanctos & veros milites Dei, alio nomine perſecutionis abſtraherent, interfecerunt ibi agmina multa Sanctorum: quæ autem per diverſas ubique Provincias, his ſimilibuſque juſſis adverſus Eccleſias Catholicas, & rectæ Fidei populos geſta ſint, ſatis ſignificatum*, &c. Quæ manifeſtè arguunt earundem Legum diverſitatem. A Lege porro, quâ Monachi militare jubentur, ortum habuiſſe videtur quod apud Baſilium epiſt. 264. legitur. Ibidem enim habetur, Vicarium quendam Ponticæ omnes Sacerdotalis ordinis uni voce Curiæ mancipaſſe. Denique quod ea Lege contra *Curiales* à Valente, vivente Valentiniano ſeniore mandatur, aliis Principum Conſtitutionibus conforme.

XIII. *Lex Valentis adverſus Monachos explicata.*

Quod verò poſt Valentiniani fratris mortem eidem attribuitur, ut ſcilicet Monachi militare cogerentur, omnibus improbatum. Valens itaque Imperator L. 63. *De Decurionibus.* neque ſimpliciter Curiales è monaſtica vita retrahi jubet, quomodo ſæpe aliàs Curiales è Clericatu abſtrahi abſolute Imperatores voluere: ſed ſub alternativa, vel retrahi, vel bonis ſuis cedere oportere eis, qui vice eorum munera functionum ſubituri eſſent. Id verò ipſum de Clericis frequentibus Conſtitutionibus ſtatutum, ut videlicet bonorum jacturam facerent; ſic ut (exceptis quandoque ſolis Epiſcopis) modò vice ſua Curialia munia ſubituris extraneis vel propinquis, modò etiam Curiæ ipſi, modò in totum, modò pro parte, cedere neceſſe haberent, ut liquet ex Legibus Cod. Th. 49. 59. 99. 104. 121. 123. 163. 172. *De Decurionibus.* Lege 7. ejuſdem Codicis *De Cohortalibus.* & Lege 21. ejuſdem Codicis *De Epiſcopis.* Legendus etiam Ambroſius epiſt. 2. adverſus Symmachum. Quæ omnia à Gothofredo loco laudato obſervata. Ceterùm, prorſus incertum, an Lex illa *De Decurionibus.* anno CCC LXX, vel anno CCC LXXIII emiſſa fuerit; cùm utroque anno Valentinianus & Valens Faſtis nomen dederint. Quòd ſi ea anno CCC LXX data, prorſus corruit Gothofredi ſententia; cùm diu poſt eum annum Monachi in Ægypto à Valente vexati fuerint, poſt Athanaſii nempe obitum, quem ſuo loco demonſtravi menſe Maio anni CCC LXXIII contigiſſe.

XIV. *Diviſio Imperii inter Valentinianum juniorem & Gratianum.*

Poſt mortem Valentiniani ſenioris Imperium ejus inter ſe partiti ſunt Gratianus & Valentinianus junior, teſte Zoſimo lib. 4. pag. 746. Gratiano ceſſere Galliæ, Hiſpaniæ, Britanniæ: Valentiniano Italia, Illyricum, & tandem Africa, poſtquam nempe Theodoſius Magnus à Gratiano Auguſtus dictus eſt. Gratianus verò, quamvis frater ejus Valentinianus Auguſtus proclamatus fuiſſet, quandiu Valens ſuperſtes fuit, ſolus Imperium Occidentale adminiſtravit, ut patet ex omnibus Legibus ab eo Treviris vel Moguntiaci datis annis CCC LXXVI, CCC LXXVII, & CCC LXXVIII, quibus annis nullæ Valentiniani junioris occurrunt, ut obſervat Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ
5869. ☉ 21 C B. ☽ 16. P. 27. MART.
INDICT. 4.
JESU CHRISTI 376.
DAMASI PAPÆ 11.
VALENTIS 13. GRATIANI 10.
VALENTINIANI JUNIORIS 2.

I. *Conſules.*

COSS. *Valens Aug. V*, & *Valentinianus junior Aug.* Hic in Occidente, & quidem juxta primam regulam, ob Imperium nempe anno præcedenti initum: ille in Oriente, ac juxta tertiam regulam.

II. *Synodi unius Diœceſis quandoque congregatæ.*

Ad num. I. Gratianus dedit hoc anno Legem 23. Cod. Theod. *De Epiſcopis.* quâ jubet, ut *ſi qua ſunt, ex quibuſdam diſſenſionibus, levibuſque delictis, ad Religionis obſervantiam pertinentia, locis ſuis, & à ſuæ Diœceſeos Synodis audiantur.* Ubi indicatur duplex gradus audientiæ, ſeu cognitionis Eccleſiaſticæ. Negotia Eccleſiaſtica primùm *locis ſuis*, id eſt, apud civitatis Epiſcopum audiebantur: dein in Synodo totius Provinciæ,

Baron. num. VI.

ſeu apud Metropolitanum & Primatem cum omnibus Provinciæ Epiſcopis: (quod & ipſum *Plenarium Concilium* dicitur cap. 9. Codicis Africani) hæc enim duo locorum ſuorum appellatione hic intelligenda ſunt, ut oſtendit Gothofredus in Commentario Legis 11. Cod. Theod. *De pœnis.* ubi de loci propria ſignificatione agit. Tandem negotia in Synodo totius Diœceſeos agitabantur, ut docet quoque canon VI Concilii I Conſtantinopolitani. Eſt autem *Synodus Diœceſeos* Synodus Epiſcoporum è multis Provinciis ſub uno Patriarcha vel Primate, ſeu Exarcho conſtitutorum coacta. Cujus generis fuit Aquileienſe Concilium, cui Ambroſius Mediolanenſis præfuit, ex epiſtola Impp. Theodoſii & Valentiniani, quâ jubentur Epiſcopi ex Diœceſi (ſcilicet Italiæ) in Aquileienſium civitatem ad Concilium convenire. Talia etiam fuere Concilia Africana ſeu Carthaginenſia, Gallicana, Hiſpanica, Britannica & ſimilia. Hinc patet, ut obſervat Gothofredus in hujus Legis Commentario, hallucinatum Marcam lib. 3. de Concordia cap. 1. pag. 378. cùm ait, hac Lege primos omnium Valentem, Gratianum, & Valentinianum Imperatores Epiſcopis unius Diœceſeos conceſſiſſe ad exemplum Judicum & Honoratorum, ut non ſolùm in ſingularum Provinciarum Synodis, ſed etiam generali totius Diœceſeos Synodo in unum coire, jure ordinario ſine mandato ſpeciali poſſent. Gratianus enim hac Lege *De Synodis Diœceſios.* agit tanquam jam uſitatis, quâſque jungit *locis ſuis*, id eſt, Provincialibus Synodis: tantùm earum audientiâ quà amplificatâ, quà reſtrictâ. Et ſanè, (quod tamen perperam negat Marca) ante hanc Legem Synodi Diœceſeon habitæ ſunt, & quidem non extraordinario Principum imperio, verùm more ordinario. Quæ *Synodi majores* dictæ, ut docet jam triginta quinque ante hanc Legem annis, canon XII Antiocheni Concilii anno CCC XLI celebrati, & oſtendunt tot Synodi Diœceſeon ante hanc Legem habitæ. Sicut & deinceps frequenter uſitatæ ſunt, quæque *Plenaria* dictæ.

III. *Concilium Gallicanum incerto loco habitum.* Hæc porro Lex, ut in ejus fronte legitur, directa eſt *Artemio, Euridico, Appio, Geraſimo, & ceteris Epiſcopis*, qui quidem in Synodum Diœceſeos alicubi collecti tum coïerant, præcipuis tantùm nomine expreſſis, ceteris generali voce comprehenſis. Quod eò magis exiſtimandum, quòd hac in Lege de his Diœceſeon Synodis agatur. Quare cùm hæc Lex data ſit *Treviris*, ſequitur, habitam eam Synodum ſub Gratiano in Occidente. Gothofredus in hujus Legis Commentario autumat, hanc Conſtitutionem pertinere ad *Priſcillianiſtas*, & Epiſcopos ejus ſectæ, inter quos & Catholicos per hæc tempora digna memoratu certamina extitere; & Epiſcopos hic nominatos Aquitanos fuiſſe, quòd *Artemius*, qui primus nominatur, *Arvernorum*, quæ prima civitas erat Aquitaniæ primæ, *Epiſcopus* eſſet. Verùm incertum, an Artemius iſte idem ſit cum Artemio Epiſcopo Arvernenſi *Nepotiani* ſucceſſore, cujus meminit Gregorius Turonenſis lib. 1. cap. 46. præſertim cùm Savaro in Originibus Claramontanis pag. 123. *Nepotianum* circa annum Chriſti CCC LXXVII mortuum arbitretur. Addit Gothofredus, credere ſe, hanc Legem pertinere ad Synodum aliquam per quinque Galliarum Provincias, prout à Galliis diſtinguuntur, celebratam contra Priſcillianiſtas, qui teſte Sulpicio Severo per urbes *Burdegalam* & *Eluſam* perfidiæ ſuæ ſemina ſparſerant. Sed hæc conjectura non admittenda: *Burdegala* enim ſecundæ Aquitanicæ, *Eluſa* verò Novempopulaniæ Metropolis erat: conſtatque ex Proſperi Chronico, Priſcillianum anno tantùm CCC LXXIX Auſonii & Olybrii Conſulatu notato ſectam ſuam in Hiſpania condidiſſe, quam in primam Aquitaniam ubi Arvernorum civitas poſita, penetraſſe, vetera monumenta non produnt. Præterea cùm ſecta in Hiſpania orta fuerit, primumque adverſus eam in ea regione celebratum Concilium, fuerit Cæſaraugustanum, anno CCC LXXX habitum, non videtur veroſimile, ante Concilium illud alia in Galliis contra Priſcillianiſtas celebrata. Incertum itaque quo in loco, quâve de cauſa Concilium illud habitum fuerit. Porro adeo magna erat horum univerſæ Diœceſeos Conciliorum auctoritas, ut ab illis ne Epiſcopis quidem provocare liceret, eaque ad univerſam Diœceſim extenderetur. In Concilio Pariſienſi Epiſcoporum Gallicanorum anno CCC LX celebrato, ubi Formula Fidei in Ariminenſi Concilio propoſita, revocata eſt, & *Saturninus Arelatenſis Epiſcopus* depoſitus, Epiſcopi Synodicam ſuam epiſtolam ad Epiſcopos Orientales miſerunt ſub titulo Epiſcoporum Gallicanorum; ad cujus calcem iis verbis utuntur, quibus teſtatum voluerunt, auctoritatem ſuam extendi ad univerſam Galliam: *Quiſquis his quæ ſtatuimus intra Gallias, putaverit renitendum, à communione ac ſede Sacerdotii ſui abjiciendus.* Infrà: *Saturninum excommunicatum ab omnibus Gallicanis Epiſcopis charitas veſtra cognoſcat.* De Synodis Gallicanis ſtante Imperio celebratis legendus Marca lib. 6. de Concordia cap. 17. ubi tales fuiſſe ait Colonienſem anno CCC XLVI, Arelatenſem anno CCC LIII, Biterrenſem anno CCC LV, Pariſienſem anno CCC LX, non verò, ut ipſe habet, CCC LXII celebratas.

Ad num. II. Noriſius Vir eruditiſſimus lib. 1. Hiſtoriæ Pelagianæ cap. 2. exiſtimat, Gothos anno trecenteſimo ſeptuageſimo tertio Iſtrum ſuperaſſe, quòd Ammianus lib. 30. cap. 2. proximè ante Gratiani III & Equitii Conſulatum anno CCC LXXIV geſtum id indicet. Verùm eo anno numero V oſtendimus, Ammianum explicandum eſſe de quibuſdam tantùm, quæ eo anno contigere, Gothorum incurſionibus, non verò de ingentibus direptionibus, quas poſt Valentiniani ſenioris mortem Romanis intulere; quo tempore ſe eas narraturum ſpondet Ammianus, & reapſe promiſſis ſtat. Gothi itaque anno tantùm currenti expulſi ſunt ab Hunis, & ſuſcepti in Romania Valentis Auguſti juſſu, Hieronymo, Caſſiodoro, & Proſpero in Chronicis, Idacio in Faſtis, ac Oroſio lib. 7. teſtibus. Neque hac de re nos dubitare patitur Eunapius in Excerptis de Legationibus, ubi ait, Valentem Scythas admitti juſſiſſe, *ex æmulatione quam habebat cum his, qui Imperium cum eo tenebant. Erant autem filii fratris, & verò ipſi prima partes attribuebantur, ſed*

IV. *Gothi à Romanis recepti.* Baron. num. VII.

illi Imperatoriam poteſtatem ex æquis partibus inter omnes dividi oportere cenſebant, neque ulla in re patruo concedebant. Ita Eunapius, qui pluribus poſtea, quæ mala Gothi, quos Scythas vocat, quemadmodum plerique Antiquorum, ſuſceptoribus ſuis importarint, proſequitur. Iſter itaque a Gothis non ſuperatus, niſi Gratiano & Valentiniano juniore in Occidente regnantibus. Adducit præterea Noriſius Claudianum, ſed argumento ex eo deducto anno CCCC III commodiùs ſatisfaciemus.

III. *D. Ambroſius ſcribit Commentaria in Lucā.* Baron. num. IX.

Ad num. III. Commentaria Divi *Ambroſii* in Lucam longe poſt hunc annum ſcripta, cùm in iis Lectorem remittat ad tertium & quartum librum *de Fide*, quem anno trecenteſimo ſeptuageſimo nono elucubravit. Præterea non obſtante in iis Apologia David citatur: in hac autem memoratur Principis mors, qui poſtquam Imperium à patre accepiſſet, ſuorum perfidiâ necatus; quod nonniſi de Gratiano anno trecenteſimo octogeſimo tertio occiſo interpretari poteſt. Denique manifeſta in iiſdem mentio perſecutionis à Juſtina & Auxentio adverſus Divum Ambroſium excitatæ: quibus rationibus fultus Hermantius in Vita S. Ambroſii lib. 4. cap. 20. hoc Opus anno trecenteſimo octuageſimo ſexto ſcriptum putat. Idem autem Baronius ea hoc tempore elucubrata exiſtimat, quia in iis ſermo eſt de bellis & devaſtationibus Gothorum, Hunnorum, & aliorum Barbarorum: ſed hæ depopulationes poſt viginti adhuc annos durabant, ut ſcribit Hieronymus epiſt. 3. quæ porro de Chronologia Operum Divi Ambroſii à Patribus Benedictinis in nova eorum editione ſcripta, nondum mihi videre licuit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5870. ☉ 22 A. ☽ 17. P. 16. APRIL.
INDICT. 5.
JESU CHRISTI 377.
DAMASI PAPÆ 12.
VALENTIS 14. GRATIANI 11.
VALENTINIANI JUNIORIS 3.

I. *Conſules.*

COss. *Gratianus Aug. IV*, & *Merobaudes*, uterque in Occidente Conſulatum auſpicatus: Merobaudis enim operâ Valentinianus junior ad Imperium evectus eſt, ut teſtatur Marcellinus lib. 30. Sumtus hic à Gratiano Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam, ob ejus nempe Quindecennalia, ſive ea anticipaverit, ſive anno ſequenti ediderit.

Gratiani Quindecennalia.

II. *Valens ex urbe Antiochena Cpolim ſe confert.* Baron. num. II.

Ad num. I. *Valens* Imp. hoc anno modò *Antiochiæ*, modò Hierapoli Syriæ fuit, ut ex ſubſcriptionibus Legum Codicis Theodoſiani liquet, idque propter Perſas & Armeniarum ſtatum, de quo Ammianus lib. 31. Cum illis tamen mox pacem pepigit, ut teſtatur Eunapius in Excerptis. Tum ex urbe Antiochenſi Conſtantinopolim profecturus diſceſſit; ſed ad eam urbem non adventavit ante diem tertium Kalendas Junias, ut Socrates docet. Diu Valens Antiochiæ moratus eſt, ut inſinuant Zoſimus lib. 4. pag. 747. Ammianus lib. 31. cap. 11. Socrates & Sozomenus, ab anno nempe trecenteſimo ſeptuageſimo ſecundo uſque ad currentem, niſi quòd dum illic moraretur modò Cæſaream, modò Edeſſam, modò in alias Orientis urbes ſeſe contulerit. Fallitur enim Gothofredus in Chronologia Cod. Th. ubi anno CCC LXXIII ait, illum eo anno Conſtantinopoli conſtitiſſe, quòd Leges duæ Cod. Theod. eo anno Conſtantinopoli datæ dicantur. Verùm in iis Legibus per *data* intelligendum *accepta*, vel *propoſita*, ut ipſemet Gothofredus in variis aliis reſcriptis verbum illud intelligendum docet.

III. *Naſcitur S. Auguſtinus.* Baron. num. VII.

Ad num. III. Chronologia Vitæ Sancti *Auguſtini* ex ejuſdem libris à Noriſio in quodam ſuo Opuſculo hoc modo ordinata. Auguſtinus Tagaſte in Africa natus eſt *Idibus Novembris* anni trecenteſimi quinquageſimi quarti, non verò quinquageſimi quinti, ut perperam Baronius habet. Diem ipſemet nos edocet lib. de Vita beata. Anno trecenteſimo octogeſimo quarto Mediolanum venit, ac elapſis feriis vindemialibus, Rhetoricam docuit, & de more ineunte anno CCC LXXXV Bautoni Conſuli Magiſtratum auſpicanti panegyrim recitavit: libro enim 3. contra literam Peritiani cap. 25. ait: *Cùm ego Mediolanum ante Bautonem Conſulem venerim, eique Conſuli Kalendis Januariis laudem pro mea tunc Rhetorica profeſſione recitaverim.* Anno itaque CCC LXXXV quo Bauto Conſul fuit, annum ætatis triceſimum agebat Auguſtinus. Nam annum ætatis viceſimum nonum egit Carthagine cum Fauſto: lib. enim 6. Confeſſionum cap. 11. ſcribit: *Et ecce jam tricenariam ætatem gerebam in eodem luto hæſitans, dum dico: Cras inveniam: ecce manifeſtum apparebo, & tenebo, & ecce Fauſtus veniet, & exponet omnia.* Erat tunc annus Chriſti trecenteſimus octogeſimus tertius. Libri 5. Confeſſionum caput 8. ita exorditur: *Egiſti mecum, ut mihi perſuaderetur Romam pergere*, quò paulò poſt tranſmiſit, ibique ſcholam privatam aperuit, ut ipſemet eo loco cap. 9. & 10. teſtatur. Interea Symmachus Urbis Præfectus eum Mediolanum ad docendum Rhetoricam miſit, ipſo Auguſtino teſte cap. 13. Symmachi autem Præfectura in annum CCC LXXXIV incidit, ut Baronius obſervavit. Quòd ſi Auguſtinus anno trecenteſimo quinquageſimo quinto natus fuiſſet, anno viceſimo nono exeunte, ac jam tricenariam ætatem agens, Chriſti CCC LXXXIV fuiſſet Rhetor Carthagine, Fauſto convixiſſet, & ab eo diſceſſiſſet; cùm tamen anno CCC LXXXIV Romæ docuerit, indeque Mediolanum à Symmacho miſſus fuerit, ubi incumbente autumno publicum Rhetorem agere cœpit; & ineunte anno CCC LXXXV tanquam oratoriæ artis Profeſſor ad Bautonem Conſulem Orationem habuerit. Ex Symmachi itaque Præfectura Auguſtini ætas elicienda, de qua rurſus infrà ſermo erit.

IV. *Gratianus nunquā Romæ fuit.*

Petavius in Notis ad Orationem XIII Themiſtii ſuſpicatur, *Gratianum* currenti anno Romam veniſſe, ibique triumphaſſe, quòd Themiſtius dicat: *At certè Scipio cùm aſſertum à vinculis Terentium Carthagine adduceret, jucundiùs eſt à vetuſtis illis Romanis conſpectus: atque hæc triumphi maximè ſplendida & magnifica pars fuit, Vir Romanus*

illuſtris, Scipionem in libertatis pileo affectans. At Gratianum ſolemni pompa ingredientem, quantum agmen eorum, qui ſervati & ſoluti ſunt, ſine pileo, aut alia libertatis nota ſequitur? Ego vero ſanctiorem hunc triumphum exiſtimo, quem de iis, quos ſervaverit & cuſtodierit, ducet. Hæc quæ de apparatu triumphali dicuntur, quo Gratianus Romam ingrediens excipiendus erat, magnam mihi ſuſpicionem faciunt, inquit Petavius, id quod tamen ex nullis aliis monumentis liquet, Gratianum Romam veniſſe, quo anno dicta eſt Oratio hæc, id eſt, anno CCCLXXVII circa menſem Aprilem aut Maium: quo tempore nulla Conſtitutio, nullum reſcriptum proferri poteſt, à Gratiano alibi datum; nullum denique veſtigium, quo ejus vel in Galliis, vel in alia terrarum parte commoratio demonſtretur. Auget verò ſuſpicionem meam, quod Orat. 15. pag. 198. conceptis verbis Theodoſio audiente confirmat, Gratianum à ſe viſum olim & oratione compellatum: ſe viciſſim dicentem ab eo auditum, acceptumque comiter & perbenigne. Romæ igitur id factum oportuit, quo & ſe veniſſe Gratiano hortatore, profitetur Orat. 31. ubi denique expectari Gratianum hoc loco teſtatur. Ita Petavius. Verùm hæc conjectura neutiquam admittenda: ab anno enim trecenteſimo quarto ad quadringenteſimum quartum nempe per integrum ſeculum *ter* tantùm Auguſti Romæ viſi, ut inquit Claudianus in ſexto Conſulatu Honorii, cujus verſus anno CCCXCV num. V explicabimus. Quare Conſtantini Magni tempore ipſe & Maximianus Herculius Romæ fuerunt. Secundò, Conſtantius ibidem triumphavit, & tertiò, Theodoſius Magnus & Valentinianus junior in eandem Urbem venere; ſed nullus alius Imperator toto illo ſeculo Romæ fuit, ut loco citato magis explicabimus. Themiſtius itaque loquitur de ingreſſu Gratiani in urbem Trevirenſem poſt victoriam Alamannicam hoc anno reportatam, de qua anno ſequenti agemus. Poſt pugnam enim Argentuarenſem, ſeu victoriam, Treveros reverſus eſt: ubi data ab eo XV Kal. Octob. Lex 3. Codicis Theodoſiani *Tributa in ipſis ſpeciebus. Menſe Februario* Alemanni Rhenum tranſiere, adverſus quos Gratianus Duces ſuos miſit, quos ipſemet poſtea ſecutus eſt, ut habet Ammianus lib. 31. cap. 10. Themiſtius Gratianum videre & oratione compellere potuit anno trecenteſimo ſeptuageſimo octavo, aut inſequenti, quo eum Conſtantinopolim veniſſe, anno CCCLXXVIII num. V dicemus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5871. ☉ 23 G. ☽ 18. P. 1. APRIL. INDICT. 6.
JESU CHRISTI 373.
DAMASI PAPÆ 13.
GRATIANI 12. VALENTINIANI JUNIORIS IMPP. 4.

COSS. *Valens Aug. VI, & Valentinianus junior Aug. II.* Ille in Oriente, hic in Occidente: ille juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam; Quindecennalia enim exhibuit: hic juxta tertiam. I. *Conſules.* *Quindecennalia Valentis.*

Ad num. I. Divus *Baſilius* Cæſareæ Epiſcopus *Kalendis Januariis*, anni trecenteſimi octogeſimi mortalitatem explevit. De die nulla difficultas eſſe poteſt; ſed annus hactenus ignoratus fuerat. Hunc tamen indicarat Amphilochius in fine Vitæ hujus Sancti: ſed qui locus interpolatus eſt, à recentibus Scriptoribus non intellectus. Ait Amphilochius: *Requievit Baſilius primo Januarii anni quinti Valentis & Valentiniani.* Baronius in Annalibus anno ſequenti numero XLIII, ea verba interpretatur de anno quinto Imperii Valentiniani ſenioris & Valentis, quo nondum Baſilius Epiſcopus erat; hincque Amphilochium jocose ludit, quòd Baſilium ante mortuum, quàm Epiſcopum crediderit. Combefiſius in Notis ad Amphilochium eadem verba intelligit de quinto Valentis Conſulatu, qui in annum Chriſti CCCLXXVI incidit. Sed vana utraque explicatio: Amphilochius enim loquitur de anno quinto Valentiniani junioris, menſe Novembri anni trecenteſimi ſeptuageſimi noni inchoato, ideoque ſignificat, Kalendis Januariis anni trecenteſimi octogeſimi Baſilium mortuum eſſe. Eum quippe Kalendis Januariis ad Deum migraſſe diſertè aſſerit. Nomen itaque Valentis à ſciolo quopiam intruſum, ideoque ex Amphilochii textu expungendum. Nec mirum, Amphilochium Baſilii mortem anno quinto Valentiniani junioris, qui in Occidente imperabat, conſignaſſe, cùm Hieronymus eundem ſub Gratiano, qui etiam in Occidente regnabat, deceſſiſſe ſcripſerit. Quare non dubium, quin Combefiſius citatus hallucinatus fuerit, quando ſcribit, annum illum quintum ſive Imperii, ſive Conſulatuum Valentis & Valentiniani falſum eſſe; quòd, inquit, ea temporis nota in Vitis Sanctorum non ſoleat apponi. Nam nihil frequentius in eiſdem, quàm ſimiles temporis characteres occurrunt. Rectè tamen Combefiſius ait, eam Sancti Baſilii Vitam Amphilochio abjudicandam non eſſe; quod eò magis exiſtimandum, quòd in ea certus Baſilii mortis annus, qui alibi non legitur, diſertè memoretur. Quòd ſi Baſilius anno tantùm trecenteſimo ſeptuageſimo primo Epiſcopus Cæſareæ dictus fuerit, ut ſuo loco oſtendi, mors ejus in alium annum, quàm in trecenteſimum octogeſimum incidere non potuit. Præterea Cotelerius in 2. tomo Monumentorum Eccleſiæ Græcæ refert ex duobus Codicibus Bibliothecæ Regiæ epiſtolam, cui titulus: ΒΑΣΙΛΕΙΟΣ τῷ μεγάλῳ φαμένῳ Θεῖον... id eſt: *Baſilius Magno* II. *Obitus D. Baſilii.* Baron. num. 1 & ſeqq.

Imperatori Theodoſio. Theodoſius die XIX Januarii anni trecenteſimi ſeptuageſimi noni Imperator nuncupatus eſt; Baſilius verò Kalendis Januariis ad cæleſtem patriam migravit. Non itaque ante annum trecenteſimum octogeſimum: alioquin ad Theodoſium Imperatorem ſcribere non potuiſſet, cùm mortuus fuiſſet, vel hoc anno, ut vult Baronius, vel Kalendis anni ſequentis, ut Hermantius in Vita SS. Baſilii & Gregorii Nazianzeni; aliîque Viri doctiſſimi tradidere. Hæc epiſtola certò difficultatem dirimeret, ſi conſtaret, eam legitimum Sancti Præſulis fœtum eſſe. Verùm Cotelerius in Notis ad eam epiſtolam ait: *In primo è Codicibus emunctæ naris Criticus adnotaverat.* ἡ ἐπιστολὴ αὕτη, οὔτε ἀπὸ τῶν νοημάτων, οὔτε ἀπὸ τῆς φράσεως ἔοικεν εἶναι τοῦ μεγάλου Βασιλείου. hoc eſt: *Iſta epiſtola neque ex ſenſis, neque ex dictione videtur eſſe Magni Baſilii.* Ipſeque Cotelerius, dum viveret, illius epiſtolæ ſtylum Baſilio non convenire ſeſe autumare, mihi ore tenus affirmavit. Sed quidquid hac de re ſit, Baſilium hoc vel ſequenti anno mortuum gratis aſſeritur, ut mox magis videbitur.

III. *S. Ephremi obitus.* Ad num. III. S. *Ephrem* poſt Sanctum Baſilium ex hac vita migravit, ut ex Sancti Baſilii Vita ab Amphilochio elucubrata liquet. Quare verum eſt, quod in Anthologio

Baron. num. XII. ab Antonio Arcudio publicato legitur, Ephrem ſcilicet temporibus Theodoſii Magni floruiſſe. Ephremi Vita die prima menſis Februarii, quo colitur, à Bollando & Henſchenio illuſtrata, ſed perperam mors ejus præſenti anno collocata eſt. In dubium revocat Baronius, quod Amphilochius in Vita S. Baſilii cap. 15. dicit, Baſilium nempe Sanctum Ephremum ordinaſſe, quòd haud eſſet Baſilii juris Syrum hominem ordinare. Sed non dubito, quin Baſilius Spiritu Divino impulſus, ut Eccleſiæ laboranti, & tunc ab Arianis oppugnatæ ſuccurreret, extra ordinem Ephremum Sacerdotem ordinaſſe. Multa enim ſimilia in Hiſtoria Eccleſiaſtica occurrunt contra vigorem Canonum geſta à præſtantiſſimis Epiſcopis, qui, ubi Chriſtianam Religionem periclitari videbant, parvipendere ſolebant regulas & Canones Eccleſiæ, dummodo Eccleſiam ipſam ſalvam & integram conſervarent. Quare in hujuſmodi diſcriminibus valebat hæc regula: *Salus Eccleſiæ ſuprema Lex eſto.* Combefiſius laudatus alias hujus facti rationes affert; ſed hæc, quâ Valeſius in ſimili caſu in Notis ad Theodoretum lib. 5. cap. 6. utitur, præferenda. Cotelerius tomo 3. Monumentorum Eccleſiæ Græcæ pag. 453. refert Sancti Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani epiſtolam continentem reſponſiones ad quaſdam interrogationes ſibi factas, in qua legitur: *Interrogatus I. de Preſbyteris ordinatis Romæ, Neapoli & in Longobardia, abſque acclamatione & titulo, an oportet eos recipere, & unà cùm iis communicare, veſci, pſallere? Reſponſio. Hæreſeos tempore propter cogentem neceſſitatem, non ea planè omni ex parte fiunt, quæ in pace ſancita ſunt. Id quod feciſſe cernitur tum Beatiſſimus Athanaſius, tum ſanctiſſimus Euſebius, qui ambo extra Provinciam ordinationes peregerunt. Idemque nunc in præſenti hæreſi factum conſpicitur. Itaque memorati Preſbyteri, ſi palam non ſint reprehenſibiles, nequaquam ob hujuſmodi ordinationem averſandi ſunt; verùm admittendi ſecundùm quatuor propoſitiones,* &c. Quod idem in re de qua agitur, dicendum. Eſt is Euſebius Samoſatenſis Epiſcopus, de quo mox.

Ad num. V. Victoriam Alamannicam à Gratiano relatam ſub præcedentis anni Conſulibus Caſſiodorus in Chronico his verbis recitat: *Alamannorum triginta circiter millia apud Argentariam oppidum Galliarum [ab exercitu Gratiani] cæſa.* Quæ verba leguntur etiam in Chronico Hieronymi ſub eodem Chriſti anno, nempe CCCLXXVII, juxta editionem Scaligeri; Pontacena enim per hæc tempora depravata. Quare quando Ammianus lib. 31. cap. 10 dicit, Alamannos tranſiiſſe *Rhenum gelu pervium pruinis Februario menſe*, loquitur de menſe Februario præcedentis Chriſti anni. Verum eſt, Hermantium lib. 8. Vitæ SS. Baſilii & Gregorii Nazianzeni cap. 4. contendere, eam pugnam ad Argentariam oppidum in Alſatia ſitum, nuncque *Colmaria* appellatum, hoc anno habitam eſſe, quòd eam referat Ammianus inter ea quæ ſub finem anni præcedentis, & adventum Valentis Conſtantinopolim, quò die XXX Maii præſentis anni pervenit, contigere. Et quia Ammianus affirmat, bellum hoc ortum, quòd Germani noſcerent *exercitus pleramque partem in Illyricum, ut Imperatore mox affuturo, prægreſſam*, ut nempe Valenti adverſus Gothos Gratianus auxilio eſſet. Quæ verba ad exordium anni CCCLXXVII referri non poſſe arbitratur Vir eruditiſſimus, quia non apparet, Gothos jam tum rebellaſſe, ideoque nec Valentem auxilium nec præſentiam Gratiani poſtulare coactum fuiſſe. Nam leves hæ conjecturæ; cùm certum ſit, jam ab anno CCCLXXVI Gothos adverſus Romanos tumultuatos eſſe, & anno CCCLXXVII, ut tradit Ammianus citatus cap. 7 *Richomerem* imperatu Gratiani è Galliis properaſſe ad Thracias petitu Valentis; imò & Valentem eo anno circiter medio Antiochiâ, ubi à pluribus annis agebat, adverſus Gothos moviſſe; Cyrillus enim in Vita S. Euthymii à Cotelerio tomo 2. Monumentorum Eccleſiæ Græcæ publicata cap. 3. ait: *Valens nondum quinto menſe poſt Euthymii nativitatem elapſo exercitum duxit adverſus Barbaros.* Natus eſt Sanctus Euthymius quarto Gratiani Conſulatu, ut ibidem prodit Cyrillus, anno nempe Chriſti trecenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, idque ante menſem Maium, ut tomo ſequenti oſtendemus. Quare, licet *Valens* hoc tantùm anno Conſtantinopolim pervenerit, præcedenti tamen, cùm accepiſſet Gothos Conſtantinopolim uſque excurrere, auxilium Gratiani Imp. imploravit; ac dein Conſtantinopolim profecturus, ex urbe Antiochenſi diſceſſit. Imò Valentem copias auxiliares anno CCCLXXVI à Gratiano poſtulaſſe exiſtimandum, cùm eo anno jam Gothi rebellarint. Nec refert, quòd Ammianus de hac victoria ſermonem habeat, poſtquam narravit quæ *anno* præcedenti in *autumnum vergente* in Thracia à Gothis geſta. Is enim de more res uno tenore recitat, ſicque cùm ad narrationem rerum in alia parte Imperii geſtarum orationem convertit, rurſus ad prin-

IV. *Gratianus Alamannos vincit.*

Baron. num. XV.

cipium anni redit. Quare, non mirum ſi poſt narrata quæ in Thracia æſtate contigere, motus Alemannorum recitaturus, regrediatur ad menſem Februarium, quo Rhenum tranſiere.

V.
Valentis Aug. interitus.
Baron. num. XXII & ſeqq.

Ad num. VI. Idacius in Faſtis hoc anno ſcribit: *His Conſſ. ingreſſus eſt Valens Aug. ab Oriente Conſtantinopolim, die III Kal. Jun. & ipſo anno profectus eſt Valens Aug. ex urbe ad Foſſatum, die III Idus Jun. & pugna magna fuit cum Romanis & Gothis milliario XII ab Adrianopoli die V Idus Aug. Ex ea die Valens Aug. nunquam apparuit, & toto anno per Diœceſim Thraciarum & Scythiæ & Mœſiæ Gothi habitaverunt ſimul, & eas prædaverunt. Deinde uſque ad portas urbis Conſtantinopolis venerunt.* Eadem ſcribit Socrates cap. ultimo libri quarti, & cum Idacio tam in narratione, quàm in temporum characteribus convenit. Gratianus Valenti opitulaturus adverſus Gothos è Galliis in Illyricum feſtinavit per Felicem Arborem, Lauriacum, Bononiam, Sirmium, Martis caſtra, (in Dacia Ripenſi) præmiſſo ad Valentem Richomere, à quo quemadmodum & à Trajano & Profuturo Ducibus, anno præcedenti in autumnum vergente, variis cladibus adverſus Gothos pugnatum eſt, ut videre eſt apud Ammianum lib. 31. Valens autem non expectato Gratiano, neque ejus copiis mox ſecuturis, infeliciter, ut mox diximus, pugnavit. Gratianus in hac rerum perturbatione è Galliis in Pannoniam, Myſiam, Thraciaſque (quò pertinet & quod Ambroſius ſcribit in fine lib. 2. de Fide) imò & Conſtantinopolim venit, ibique præſens, (ut referunt Joannes Antiochenſis & Suidas) Orientem Danubiique limitem ordinavit pacavitque.

VI.
Synodus Antiochena anno CCCLXXX coacta.
Baron. num. XXXV & ſeqq.

Ad num. IX. & ſeqq. Concilium *Antiochenum* nono poſt Baſilii obitum menſe celebratum, teſte Gregorio Nyſſeno in epiſtola ad Olympium, pertinet ad menſem Octobrem anni trecenteſimi octogeſimi; ideoque ante eum annum Baſilius mortuus non eſt. Valente currenti anno, menſe Auguſto, extincto, Gratianus *cunctos, qui ab eo in exilium ejecti fuerant, revocavit. Lege præterea ſanxit, ut omnes cujuſcumque Religionis homines in Eccleſiis convenirent: ſoli autem Eunomiani, Photiniani & Manichæi pellerentur Eccleſiis.* Ita Socrates lib. 5. cap. 2. cui ſuffragatur Sozomenus lib. 7. cap. 1. Tum anno trecenteſimo ſeptuageſimo nono, *tertio Nonas Auguſti*, Mediolani aliam Legem dedit, quâ eam revocavit, omneſque hæreſes perpetuò conquieſcere juſſit. Ea Lex memoratur in Epitome eo anno num. 111, eſtque 5. Codicis Theod. *De Hæreticis.* Tum Theodoſius Magnus anno trecenteſimo octogeſimo, Kalendis Martii, Theſſalonicæ edictum promulgavit, quo juſſit omnes in ea Religione verſari, quam Damaſus Pontifex, & Petrus Alexandriæ Epiſcopus ſequerentur. Ea Lex ſecunda eſt Cod. Theod. *De Fide Catholica.* Theodoretus tamen lib. 5. cap. 2. ubi narravit, Gratianum hoc anno Valenti patruo ſucceſſiſſe, ait: *Lege lata præcepit, ut Paſtores qui in exilio ejecti fuerant, redirent, utque ædes ſacræ iis traderentur, qui cum Damaſo communicarent.* Ea Lex hodie non extat. Addit Theodoretus: *Porro ſimul cum Lege Saporem quoque Magiſtrum militum miſit, qui tunc celeberrimus habebatur, & Arianæ quidem blaſphemiæ prædicatores, tanquam feras quaſdam à ſacris ædibus excludi juſſit: optimis autem Paſtoribus ac Divino gregi eaſdem reſtitui. Atque id quidem in ſingulis Provinciis ſine controverſia executioni mandatum eſt: Antiochiæ verò, quæ Metropolis eſt Orientis, hujuſmodi contentio extitit,* &c. Tum capite ſequenti, quæ idem Sapores in Concilio Antiocheno præſtiterit, enarrat Theodoretus. Quare, cùm *Sapores* in Synodo Antiochena Legem à Theodoſio Magno anno trecenteſimo octogeſimo datam promulgaverit, conſtat, ante eum annum Baſilium è vivis non exceſſiſſe; cùm Concilium Antiochenum nono poſt obitum ejus menſe celebratum fuerit.

VII.
Sapores Dux ad Synodum Antiochenam miſſus.

Nec eſt quòd quis dicat, *Saporem* à Gratiano in Orientem miſſum eſſe, ut Legem ab eo ante Principatum Theodoſii emiſſam exequeretur; non verò eam, quæ anno trecenteſimo octogeſimo à Theodoſio Magno data eſt. Illud enim, inquit Valeſius in Notis ad præfatum locum Theodoreti, nunquam à Gratiano præſumtum fuiſſet, ſi tunc temporis Theodoſius Orientis Imperium obtinuiſſet. Sed vana hæc Valeſii evaſio. Quemadmodum enim Valentinianus poſtquam Valentem fratrem Orientali Imperio præpoſuit, negotiis Orientis ſeſe ſæpe immiſcuit, adeo ut Ammianus lib. 26. cap. 4. ſcripſerit, Valentem fratri *in modum apparitoris morigerum* fuiſſe: ita non dubitandum, quin Gratianus negotio Fidei ante evectionem Theodoſii cœpto, ſeſe interponere, illudque ad debitum finem perducere voluerit. Rem itaque ita ſe habuiſſe exiſtimandum. Præſenti anno, Valente extincto, edicti in favorem Orthodoxorum emiſſi executio *Sapori* Orientis Duci, ut docet Theophanes in Chronico, à Gratiano mandata, & quinque poſt menſes ab ea morte, Theodoſius Imperator Orientis renuntiatus, cui Gratianus, qui eum hoc honore donavit, eam Fidei cauſam commendavit; utque *Sapores* mandatum ſibi commiſſionem proſequi poſſet, poſtulavit. Videtur itaque inter utrumque conveniſſe, ut Hæretici omnes comprimerentur, Saporeſque Leges omnes hanc in rem latas vel ferendas exequeretur; quod cùm conjecturâ ſcripſiſſem, gaviſus ſum illud poſtea in Theophane literis mandatum repériſſe. Ait Theophanes: *Gratianus & Valentinianus Epiſcopos exilio damnatos datâ Lege revocaverunt ad Sedes ſibi proprias*, &c. *Imperatores porro Legem Orthodoxorum commodo latam per Saporem quendam Orientis Ducem miſerunt. Hic Antiochiam profectus*, &c. Quæ verba à Theophane ſcripta, poſtquam de Theodoſii Magni in Imperii conſortium aſſumtione proximè locutus eſt. Quare Imperatorum nomine tres Imperatores intelligit Theophanes.

VIII.
Omnes Leges adverſus Hæreticos pro una reputatæ.

Theodoretus itaque qualeſcumque Leges poſt Valentis mortem in Orthodoxorum gratiam emiſſas conjunctim conſiderans, eaſdem Gratiano attribuit, reſque variis temporibus tam à Theodoſio, quàm à Gratiano decretas in unum conjunxit, idque brevitatis & identitatis materiæ causâ. Unde, licèt Lex 2. Codicis Theodoſiani *De Fide Catholica.* à Theo-

doſio data, non tantùm de iis, qui cum Damaſo, ſed etiam de iis, qui cum Petro Alexandrino communicarent, loquatur, per ſynecdochen tamen Damaſum ſolùm memorat. Imò Legem 25. Cod. Theod. *De Epiſcopis.* datam *III Kalend. Mart. Theſſalonicæ*, anno Chriſti trecenteſimo octogeſimo, his verbis Theodoretus exprimit: *Optimis Paſtoribus ac Divino gregi eaſdem* (nempe ſacras ædes) *reſtitui juſſit*. quod doctè Gothofredo in Commentario Legis 2. de Fide Catholica obſervatum. Similis facti illuſtre exemplum extat apud Socratem lib. 4. cap. 12. Is de Legatione Macedonianorum ad Liberium Papam loquens, libellum Fidei recitat, quem Legati Liberio obtulerunt; in quo poſtquam de pluribus Synodis mentionem fecere, de Lampſacena videlicet, aliiſque in Lycia, Pamphylia, Piſidia atque Iſauria celebratis, dicunt ſe ab una Synodo Legatos veniſſe, & unius Synodi epiſtolam deferre: ἧς συνόδου πρεσβείαν πιστευθέντες πρὸς τὴν χρηστότητά σου, καὶ πάντας τοὺς Ἰταλούς τε καὶ δυτικοὺς ἐπισκόπους γράμματα κομίζομεν. id eſt: *Cujus Synodi Legationem obeuntes, tum ad tuam benignitatem, tum ad univerſos Italiæ & Occidentis Epiſcopos literas afferimus.* Cauſa cur ita Legati loquantur, ut Valeſius ad illum locum optimè adnotavit, hæc eſt, quòd Synodus Smyrnenſis & reliquæ per Piſidiam & Iſauriam, Pamphyliam & Lyciam à Macedonianis celebratæ, ad exemplum & ſimilitudinem Synodi Lampſacenæ, à qua delegati fuerant, compoſitæ erant, ejuſque Fidem & doctrinam tanquam primitivum exemplar exprimebant. Quamobrem omnes iſtæ Synodi pro una ſumuntur à Legatis Macedonianorum: & ſingularum Synodorum epiſtolæ, quas ab iiſdem Legatis perlatas eſſe paulò antea retulit Socrates, pro una eademque ſumuntur epiſtola, eò quòd eandem Fidei doctrinam complecterentur. Eundem igitur Socratis loquendi modum uſurpat Theodoretus; fruſtraque Blondellus libro contra Primatum Eccleſiæ pag. 191. & ſeqq. contendit, edicti Eccleſiarum poſſeſſionem iis, qui cum Damaſo communicarent, adjudicantis, executionem Sapori committi non potuiſſe. Fruſtra etiam Gothofredus loco laudato ait, Baronium jam rectè omnino obſervaſſe, turbidè multa hac parte Socratem narrare.

IX. *Duæ Synodi Antiochenæ non confundendæ.* Perperam etiam Valeſius in lib. 5. Theodoreti cap. 2. ait, præfatam Legem 2. *De Fide Catholica.* datam eſſe à Gratiano: conſtat enim, eam à Theodoſio emiſſam; quod apertè docet ejus inſcriptio, *Edictum ad populum urbis Conſtantinopolitanæ*, & ſubſcriptio, *Dat. Theſſalonicæ*, & confirmat Sozomeni auctoritas. Malè etiam Valeſius Synodum Antiochenam initio Epiſcopatûs Sancti Baſilii coactam, cum ea, de qua agimus, quæ novem poſt ejus mortem menſes celebrata, confundit: quod ex ipſomet Valeſio oſtendi poteſt. Ait is, in præſenti Synodo Antiochena ſcriptam eſſe epiſtolam Synodicam ad omnes Epiſcopos Italiæ & Galliæ, quæ habetur inter epiſtolas Baſilii ordine 69. Verùm ea epiſtola in hac Synodo Antiochena ſcripta eſſe non poteſt, cùm poſt Baſilii obitum congregata fuerit. Baluzius in nova Conciliorum editione à Valeſio deceptus, quæ ad priorem illam Synodum Antiochenſem pertinent, ad iſtam poſteriorem retraxit.

X. *Legationes in Synodo Antiochena falſæ.* Quæ in ea Synodo geſta, Baronius recitat. Sed cum, dum Legationes, quas in diverſas Provincias, ad componendum Eccleſiarum ſtatum in ea decretas eſſe dicit, hallucinatum credit Valeſius. Verum quidem eſt, Gregorium Nyſſenum ſe à Concilio in Arabiam miſſum teſtari, ob idque non improbabile eſſe, eam Legationem à Synodo Antiochena decretam: ſed de Euſebio Samoſatenſi Epiſcopo nihil hujuſmodi proditum eſt ab Antiquis; nec credibile, Synodum huic poteſtatem dediſſe, non in una duntaxat Provinciâ, ſed in pluribus, adeoque in Syria-Cœle, quæ Diœceſis erat Meletii, Epiſcopos ordinandi; cùm id Meletio contumelioſum fuiſſet. Cenſet igitur Valeſius, Euſebium, quod jam de Ephremo diximus, ſpiritu Divino impulſum Eccleſiæ laboranti auxilium tuliſſe. Diu antea idem præſtiterat Euſebius, & Valentis temporibus Preſbyteros, Diaconos & Epiſcopos in alienis Provinciis ordinarat, ut auctor eſt Theodoretus lib. 4. cap. 13. Quemadmodum ergo tunc temporis nulla Legatione fretus id geſſit; ſic etiam nunc poſt reditum ab exilio, nulla Legatione opus habuit, ut idem præſtaret. Quod ante Valeſium Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus num. III citatus, diſertè de eodem Euſebio etiam ſcripſerat. Denique Gregorius Nazianzenus anno CCCLXXX, quo Synodus Antiochena celebrata, jam Conſtantinopoli docebat, ut ſuo loco oſtendam. Baron. num. XLV.

XI. *Apollinaris in Synodo Antiochena damnatus.* Ceterum rectè à Baronio ſcriptum, in Synodo Antiochena ſtabilitam fuiſſe regulam Fidei, itemque hæreſibus nuper obortis, puta Apollinariſtarum, anathema dictum: idque apparere ex epiſtola Synodica Concilii Conſtantinopolitani ad Damaſum apud Theodoretum lib. 5. cap. 9. Sed in eo deceptus eſt Baronius, quòd exiſtimavit, eam Synodum Romanam, ex qua Damaſus eam Synodicam miſit, diverſam non eſſe ab ea, quæ poſt Divi Athanaſii mortem Romæ habita eſt anno CCCLXXIII, ut vult Baronius, aut anno CCCLXXV, ut ſuo loco diximus. Petrus de Marca in Opuſculis poſthumis pag. 192. & ſeqq. explicans canonem quintum prioris Synodi Conſtantinopolitanæ, his verbis conceptum: *De libello Occidentalium etiam eos ſuſcipimus, qui Antiochiæ unam Patris & Filii & Spiritus Sancti Deitatem confitentur*, Baronio adhæret, niſi quòd Synodum Romanam, quam is anno Chriſti CCCLXXIII illigat, ipſe ad annum CCCLXXVIII (quo etiam Antiochenam poſt Baſilii mortem coactam credit) differt. Quam etiam opinionem Valeſius in Notis ad Socratem lib. 6. cap. 25. tuetur; dubius tamen, an Romana anno CCCLXXVII, an verò CCCLXXVIII habita fuerit. Sed hæc magnorum Virorum ſententia penitus explodenda. Ut enim rectè idem Valeſius in Notis ad Theodoretum lib. 5. cap. 10. docet, epiſtola Synodica Damaſi, quam eo loco Theodoretus recitat, data non eſt in Synodo Romana poſt Athanaſii mortem coacta; cùm in ea Damaſus dicat: *Quid depoſitionem Timothei à me denuò poſtulaſtis? qui & hîc, judicio Sedis Apoſtolicæ, præſente etiam Petro Alexandrinorum urbis Epi-*

4 F f iij

ſcopo, depoſitus eſt, unà cum magiſtro ipſius Apollinare.

XII. *Tres Synodi Romanæ diſtinguendæ.* Quare hæc Synodica Damaſi ex alio Concilio Romano, quam ex eo, cui Petrus interfuit, & Apollinaris primùm damnatus eſt, miſſa in Orientem. Diſtinguendæ itaque tres Synodi Romanæ, male ab aliquibus in unam confuſæ. Prior circa annum trecenteſimum ſeptuageſimum ſecundum celebrata, cui alia Synodus Antiochiæ congregata ſubſcripſit, ut dixi anno CCCLXIX num. V. Secunda anno CCCLXXV habita, in eaque *Apollinaris* à Damaſo & Petro Alexandrino damnatus. Tertia anno trecenteſimo octogeſimo, quo etiam Antiochena, ad quam Sapores miſſus, habita eſt. Ad hanc tertiam Synodum Romanam comprobandam faciunt verba epiſtolæ *Alexandri Hierapolitani ad Acacium Berœenſem Epiſcopum*, quæ legitur cap. 57. Synodici adverſus tragœdiam Irenæi. In ea Alexander ait: *Scit enim Sanctitas tua, ſicut olim mihi per epiſtolam ſcripſit, quia & in Roma coram ſanctæ memoriæ Epiſcopo Damaſo, præſente tua Sanctitate, motum eſt de hæreſi Apollinarii: & nobis duas naturas confitentibus, ut non Divinitati paſſionem tribuamus, dicebant hi, qui erant Apollinarii, duos nos dicere Filios.* Lupus in Scholiis ad illud caput, dicit, ſermonem hic eſſe de Synodo Romana anno CCCLXXIII indicta. Lupi lapſum agnovit Baluzius in Notis ad eandem epiſtolam pag. 763. *Aut enim*, inquit, *Acacius nondum erat Epiſcopus, cùm hæc Synodus habita eſt, aut certè oportet eam ſeriùs ſcriptam, cùm, vel ipſo teſte Lupo, conſtet eum ordinatum anno CCCLXXVIII.* Sed, cùm Acacii ordinatio ab anno CCCLXXVIII, quo & eam Baronius conſignavit, removeri non poſſit, aliquam poſt eum annum Synodum Romanam adverſus Apollinariſtas, cui Acacius Berœenſis Epiſcopus interfuit, congregatam fuiſſe omnino aſſerendum. Hæc autem alia eſſe non poteſt, quàm quæ anno hujus ſæculi octogeſimo, quo etiam Antiochena, in qua iidem Hæretici damnati, coacta fuit.

XIII. *Geſta in Synodis Antiochena & Romana anno CCCLXXX.* Tam Antiochena, quàm Romana Synodi anno trecenteſimo octogeſimo indictæ, ex Petro de Marca laudato ſic explicandæ. Editus eſt libellus Fidei ab Antiochena Synodo, & Conſtantinopolim ad Concilium miſſus ad Orientis Concilium; quod docet epiſtola Synodica Conſtantinopolitana apud Theodoretum, quâ teſtantur Patres, qui ſecundò in urbe regia convenerunt, anno ſcilicet trecenteſimo octogeſimo ſecundo: *Ex qua*, (nempe Fide) *majorem adhuc voluptatem vobis capere licebit, ſi libellum Antiochiæ conditum à Synodo, quæ illic celebrata eſt, legere dignemini.* Porro hanc Fidei Formulam miſſam fuiſſe non ſolùm ad Concilium Conſtantinopolitanum; ſed etiam ad Occidentis & Romanum Concilium, nemo dubitare poterit, niſi qui relationes decretorum Fidei ab Oriente in Occidentem, & viciſſim mitti ſolitas ignoret. Miſſa ergo ab Antiochenis ad Romanos & ceteros Occidentales Fidei Formulâ, ut in eadem communionis ſocietate ſe conjunctos eſſe profiterentur, quid aliud expectamus, quam, ut Synodus Romana Antiochenſium Formulam amplecti profiteatur, epiſtolâ datâ ad Orientales Epiſcopos, qui Synodum Conſtantinopoli habebant anno trecenteſimo octogeſimo primo? Nihil etiam vetat, quin viciſſim Romæ anno CCCLXXXI ineunte præſcripta fuerit eodem tempore Damaſi epiſtola Synodica ad Paulinum Antiochenum, quæ fuerit etiam ab Occidentalibus ad Orientale Concilium tranſmiſſa. Hæc eruditiſſimus Pariſienſium Præſul, qui tantùm in anno, quo Synodus Romana celebrata eſt, peccare videtur. Baronius epiſtolam Synodicam ad Paulinum, ad Synodum Romanam poſt Athanaſii mortem congregatam, perperam refert.

XIV. *Duæ Synodi anni CCCLXXX.* Rem eo, quo dixi, modo ſe habuiſſe, inſinuat libellus Synodicus, qui poſtquam dixit, Gratianum poſt Valentis mortem pios Epiſcopos ab exilio revocaſſe, ait: *Quo tempore Beatus etiam Damaſus ſacram Romæ convocavit Synodum adverſus Arianos, Pneumatomachos & alios plurimos Hæreticos, expoſitamque definitionem Divinorum capitum, Theſſalonicam ad Paulinum miſit.* Tum de Synodo Antiochena habet: *Sed & Meletius, qui ἀοίδιμος, id eſt, celeber, cognominatur, ſuo in Throno Antiochiæ Divinam & ſacram convocavit Synodum, quæ Divinum confirmans Symbolum, & Marcellum & Photinum, ac Apollinarium anathemate notans, Divinam ad Damaſum & Epiſcopos Occidentis miſit Expoſitionem.* Dici hæc de Synodo Antiochena, poſt Baſilii obitum celebrata, non videtur dubitandi locus.

XV. *Cura Eccleſiæ Cpolitanæ Gregorio commiſſa.* Ad num. XIV. Divus Gregorius Nazianzenus ad curandam Eccleſiam Conſtantinopolitanam hoc vel ſequenti anno miſſus eſt, ſed non à Synodo Antiochena poſt Sancti Baſilii mortem habita, ut perperam Baronius exiſtimavit; cùm hæc Synodus ad annum trecenteſimum octogeſimum pertineat, &, ut Theophanes in Chronico, poſtquam de ea ſermonem habuit, ſcribit: *Tunc Gregorius Theologus Conſtantinopoli in Oratorio Sanctæ Anaſtaſiæ majori cum libertate* docuerit. Idem Theophanes, antèquam Valentiniani ſenioris mortem narret, ait: *Tum etiam Gregorius Theologus, Baſilii, Meletii & aliorum pietatis propugnatorum induſtriâ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ regimen ſuſcepit.* Tradit hæc Theophanes, poſtquam proximè locutus eſt de Concilio Illyriciano anno trecenteſimo ſeptuageſimo quinto congregato. Ex quo liquet, Nazianzenum non à Synodo Antiochena, verùm ab aliqua alia Conſtantinopolim deſtinatum, quæ nonniſi poſt Valentis mortem celebrata fuit. Eo enim vivente, Nazianzenum adverſus Arianos Conſtantinopoli docuiſſe, nullus ſibi perſuaſerit. Baronius in Annalibus duo egregiè demonſtrat. Primum, Nazianzenum triennio tantùm Conſtantinopoli docuiſſe, ideoque ante præſentem annum illuc ſeſe non contuliſſe. Secundum, eum non ſponte Conſtantinopolim veniſſe, ſed coactum ab Epiſcoporum Conventu. Verùm in eo erravit Baronius, quòd Conventum illum Antiochenum poſt Divi Baſilii mortem habitum fuiſſe exiſtimaverit. Certè Divum Baſilium adhuc in vivis fuiſſe, quando hæc cura Nazianzeno commiſſa, docet Gregorius Preſbyter in Nazianzeni Vita dicens: *Divino ſpiritu ad eam ex-*

Baron. num. L & ſeqq.

Baron. num. LI & ſeqq.

peditionem impulſum fuiſſe, ut illic pro ipſo ſpiritu depugnaret: ſtatim autem Magnum Baſilium hortatorem acceſſiſſe, quaſi jure ad ſpiritualia certamina eum inauxiſſe: ac complures Epiſcopis, & Regiæ urbis cives obnixè ab eo popoſciſſe. Imò ipſe Gregorius Nazianzenus in Oratione funebri de laude Baſilii, quam altero aut circiter anno poſt hujus obitum habuit, illius officii tarditatem excuſans inquit: *In vera doctrinæ periclitantis negotio interim occupati fuimus, pulchrè coacti, & propter Deum tantùm non extranei effecti*, ſcilicet à Cappadocia, in qua natus Nazianzenus; qui addit, quòd hoc *non* videatur *præter mentem generoſo illi veritatis pugili accidiſſe, qui nihil ita ſpiravit, ac veram & totius mundi ſalvificam doctrinam.* Rectè itaque Theophanes prodidit, Baſilium hortatum fuiſſe Nazianzenum, ut Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ curam ſuſciperet, idque, ut conjectura eſt, in Synodo Illyriciana, cui ideo tam Baſilium, quàm Meletium interfuiſſe dicendum. Hermantius in Vita S. Baſilii lib. 8. cap. 18. & Papebrocius die XII Maii in Vita S. Gregorii Nazianzeni arbitrantur, Nazianzenum nonniſi poſt Baſilii mortem Conſtantinopolim miſſum eſſe, Gregorium Presbyterum deceptum ſcribunt, & locum laudatum Nazianzeni interpretari conantur. Sed Baſilii Epiſcopatu & obitu ſuis annis redditis, hujuſmodi interpretationes evaneſcunt, conſtatque, Baſilii mortem profectionem Conſtantinopolitanam Nazianzeni non præceſſiſſe, ſed ſubſecutam eſſe.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5872. ☉ 24 F. ☽ 19. P. 21. APRIL.
INDICT. 7.
JESU CHRISTI 379.
DAMASI PAPÆ 14.
GRATIANI 13. VALENTINIANI JUNIORIS 5. THEODOSII 1.

I. *Conſules.* COSS. *Auſonius, & Q. Clodius Hermogenianus Olybrius*; uterque Occidentalis: nam poſt Imperii in Orientale & Occidentale diviſionem, Imperatoribus Quinquennalia vel id genus feſta in Occidente edentibus, uterque Conſul ſæpe in Occidente creatus, & vice verſa in Oriente, ut multis exemplis liquet. In hunc porro annum *Valentiniani junioris Quinquennalia* incidunt. De Olybrio legendus Gothofredus in Proſopographia Cod. Theod.

Quinquennalia Valentiniani junioris.

II. *Auſonii Panegyricus ſub finem anni recitatus.* *Auſonius* Treviris poſitus Panegyricum Gratiano dixit, in quo accepti Conſulatus ei gratias agit. Qui Panegyricus, ut doctè notavit Gothofredus in Chronologia Cod. Theod. non hujus anni initio, ut perperam Auſonii Interpretes, ſed circa finem recitatus. Quomodo enim *Kalendis Januariis*, ut vult Vinetus, Gratianus initium Conſulatûs Præceptoris ſui, præſentiâ ſuâ honorare potuit; cùm is die decimo nono ejuſdem menſis Januarii *Sirmii* fuerit, ibique *Theodoſium Magnum* Orientis Imperatorem, ut mox dicetur, renuntiarit, ipſoque Vincto ſatente, Treviros inter & Sirmium ſint plus mille & quingenta milliaria, & ſic plus ſeptuaginta quinque dictum iter, aut circiter? Auſonius in fine ſuæ Gratiarum actionis ait: *Dein quia intereſſe primordiis dignitatis per locorum intervalla non poterat*, (ſcilicet Gratianus) *ad ſolennitatem condendi honoris occurreret, beneficiis ne deeſſet officium.* Tum paulò poſt: *Tu Gratiane, tot Romani Imperii limites, tot flumina & lacus, tot veterum interſepta Regnorum, abuſque Thracia, per totum, quàm longum eſt, latus Illyrici, Venetiam, Liguriamque & Galliam veterem, inſuperabilia Rhætiæ, Rheni aquoſa, Sequanorum invia, porrecta Germaniæ, celeriore tranſcurſu, quàm eſt properatio noſtri ſermonis, evolvis, nulla requie otii, ne ſomni quidem, aut cibi munere liberali, ut Gallias tuas inopinatus illuſtres, ut Conſulem tuum, quamvis deſideratus, anticipes.*

Baron. num. 1.

Gratianus itaque, ut Gothofredus citatus obſervat, menſibus Januarii & Februarii *Sirmii* fuit, ubi VI Kal. Mart. dedit Legem 1. Cod. Theod. *De Palatinis S. L.* Sirmio in *Galliam* reverſurus per Venetiam, ubi *Aquileia*, & Liguriam, ubi *Mediolanum*, tranſiit, teſte Auſonio laudato. Itaque datæ menſe Julio, *Aquileiæ* L. 2. Cod. Theod. *De deſertoribus.* & L. 11. *De Inſtrali conlat.* eodemque menſe Julio extremo & Auguſto *Mediolani* L. 4. Cod. Juſtin. *Quemadmodum teſtam. aperiantur.* & L. 5. Cod. Theod. *De Hæreticis.* Mediolano profectus Liguriam, Galliam veterem, Rhætiam, Rheni accolas, Sequanos, Germaniam (primam ſcilicet) pertranſiit. Hujus celeritatis rationem alligat Socrates lib. 5. cap. 6. ubi ait: *Et Gratianus quidem confeſtim ad Gallias reverſus eſt, eò quòd Alamanni Provincias illas depopularentur.* Emenſis illis regionibus Treviros pervenit, ubi XIII Kal. Octob. dedit L. 12. Cod. Theod. *De Medicis & Profeſſoribus.* Hinc eſt quòd Auſonius in ea urbe Gratiano de Conſulatu gratias agens ait: *Quia intereſſe non poterat*, &c. *ad ſolennitatem condendi honoris occurriſſe, beneficiis ne deeſſet officium*, id eſt, circa finem Conſulatûs, ut Gothofredus interpretatur. Porro ex hoc Auſonii loco validè confirmatur quod anno CCCLXXVIII num. V aſſirmavimus, Gratianum nempe, Valente mortuo, Gothiſque ad portas uſque urbis Conſtantinopoleos excurrentibus, teſte Eunapio in Excerptis, in eam urbem in Thracia ſitam veniſſe, indeque Sirmium; cùm Auſonius dicat, eum à Thracia digreſſum, totum latus Illyrici, cujus initium Sirmio longè remotius, percurriſſe.

Porro ex ea Auſonii Oratione conſtat, annos certos fuiſſe Imperatorum Conſulatibus deſtinatos; ait enim: *Te videre ſæpius in hoc ex præſcripto magiſtratu, Gratiane, deſidero, ut & ſexe pro Conſulatu Valerii Corvini, & ſeptem Caii Marii & tum ſumſe cognominis tui Auguſti tredecim Conſulatus reuniùs æquiparas. Tibi plures poteſt ætas & fortuna tua præſtare:* (vides Conſulatus aliquos ab ætate pependiſſe, qui nempe Decennalibus & id genus feſtis addicti erant, quique in aliorum Imperatorum conſortio geri debebant, quoſdam verò à fortuna, qui ſcilicet propter victorias aut triumphos aſſumi poterant) *verùm ego in numero parcior, qui in munere liberalior. Ipſum enim te ſæpius hoc honore defraudas, ut & aliis largiaris.* Erant itaque Conſulatus aliqui Imperatoribus proprii, quibus plerique ſeipſos ſæpe privabant;

III. *Imperatores*

Difficile tamen annos reperire, quibus ſe Gratianus Conſulatu fraudavit. Is anno CCCLXVII Auguſteam dignitatem adeptus eſt, annoque inſequenti, quo juxta primam Conſulatuum Cæſareorum regulam Conſul procedere debuit, locum aliis reliquit. Sed in Quinquennalibus, Decennalibus, & Quindecennalibus Conſulatum aſſumſit. Quomodo itaque dici poteſt, eum ſe ſæpius Conſulatu defraudaſſe; cùm ſemel tantùm Conſulatum in alios tranſtuliſſe videatur? Sed ceſſabit admiratio, ſi conſideremus, Gratianum ſemel & iterum cum Valentiniano patre triumphaſſe, ut indicat Auſonius in Moſella, de Rheno fluvio loquens:

Spectavit junctos Natique Patriſque triumphos
Hoſtibus exactis Nigrum ſuper & Lupodunum.

Ad quos triumphos referenda Inſcriptio, quæ extat apud Gruterum pag. 285. 6.

VICTORIIS TRIUMFISQUE
MAGNIFICO
D. N. VALENTINIANO
INCLYTO PRINCIPI
SEMPER. AUG.
RUFIUS VOLUSIA
NUS V. C. PRAEF
URB. ITERUM
JUDEX SACRARUM
COGNITIONUM
CLEMENTIÆ EJUS
DEDICATUS

Quare, cùm propter utrumque triumphum Gratiano Conſulatus debitus eſſet, iſque eum non capeſſierit, jure merito ſcribit *Auſonius*, Gratianum ſæpius ſeſe Conſulatu defraudaſſe. Fatendum tamen, Imperatores triumphum cum Decennalibus & id genus feſtis de more copulaſſe, & quando aliis annis triumpharunt, ut plurimùm Conſulatum ſuſcepiſſe: indeque intelligimus, indicare Auſonium, Gratianum in Quinquennalibus propriis, vel patris, in quibus Conſulatum ſuſcepit, triumphaſſe; quamvis ſpeciales Conſulatus triumphis ſuis deſtinare potuiſſet. Dici etiam poteſt, Oratorem ſignificare, Gratianum, tam anno CCCLXVIII, quo propter Imperii exordium annum aperire debebat, quàm præſenti, quo ob partum anno elapſo Imperium Orientale Conſulatus ei debebatur, ea ſe dignitate fraudaſſe. Auſonius enim in laudata Oratione de Conſulatu ſuo loquens, ait: *Quartum hunc gradum novi beneficii tui, Auguſte, conſtituis, auferre tibi ipſi, quo alter ornetur.* Verum quidem eſt, Gratianum eum Conſulatum non tam recuſaſſe, quàm in ſequentem annum diſtuliſſe, ut tunc videbimus. Verùm Auſonius non hiſtoricè, ſed oratoriè loquitur, & iis in locis rhetoricatur.

IV. *Theodoſius fit Imperator.* Ad num. II. Theodoſius non *XVII Kalend. Februarii*, ut perperam ſcribit Socrates & Baronius cum eo, ſed *XIV Kalend. Februarii* ſeu die XIX Januarii in conſortium Imperii adſcitus, ut Idacius in Faſtis, Auctor Baron. num. III. Chronici Alexandrini, Marcellinus in Chronico & Farrago Alexandrina teſtantur. Hinc nova Imperii diviſio facta. Theodoſio ceſſit Oriens cum Thracia, ut docent Zoſimus lib. 4. Oroſius lib. 7. & Miſcella lib. 12. Inter Gratianum verò & Valentinianum fratres diviſum Imperium Occidentale, ita ut Gratiano ceſſerint Galliæ, Hiſpaniæ, Britanniæ; Valentiniano Italia, Illyricum & Africa. Nuncupatio Theodoſii Auguſti indicium Quinquennalium Valentiniani junioris, ac fortè Quindecennalium Gratiani.

Ad num. III. Gratianus hoc anno *III Non. Aug. Mediolani* emiſit Legem 5. Cod. Theodoſiani *De Hæreticis*. quâ cœtus ſeu conciliabula omnium omnino Hæreticorum, itemque ſuas hæreſes Hæretici pandere, alioſque in his inſtituere prohibentur: revocato *reſcripto Sirmienſi* nupero: firmatis contra Valentiniani patris ſuiſque juſſionibus. Indicat autem Gratianus Legem à ſe poſt Valentis obitum editam, cujus meminere Socrates lib. 5. cap. 2. & 4. Sozomenus lib. 7. cap. primo. Suidas in voce Γρατιανὸς, & Joannes Antiochenus in Excerptis Conſtantinianis, quâ cautum fuerat, ut ſine fraude vel metu, quam quiſque Fidem profiteretur, impune ſectaretur, omnibuſque adeo paſſim coëundi licentia eſſet, exceptis tantùm *Manichæis, Photinianis, & Eunomianis*. Gratianus itaque Valente ſuperſtite in Hæreticos omnes inſurrexit; eo verò mortuo in Orientem profectus, nonniſi in *Manichæos, Photinianos & Eunomianos*: mox hac Lege in omnes rurſum. Eam Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo auctore Gratianum emiſiſſe, vel ſaltem communicato cum eo conſilio, Gothofredus in ejus Commentario ſuſpicatur, quòd hoc tempore Ambroſius Gratiano petente libros *de Fide* ſcripſerit, ut apparet ex fine libri 2. ubi Valentis necem perſtringere videtur Gratiano ad bellum profecto. V. *Gratianus omnes Hæreticorum cœtus prohibet.* Baron. num. XI.

Dedit & Gratianus *III Non. Jul. Aquileiæ* Legem Cod. Theod. 11. *De luſtrali collatione*. qua cum Valentiniano fratre certum ſolidorum numerum ſtatuit, intra quem Clerici negotiantes immunes eſſent à luſtrali collatione: nempe *in Illyrico* (Occidentali ſcilicet: nam Orientali potiebatur Theodoſius Magnus) *& Italiâ* intra decem ſolidos, *in Galliis* intra quindecim. Clericis hactenus à Conſtantio immunitas à luſtrali collatione haud adeo diſtinctè & limitate data fuerat, verùm indeterminatè: vel enim ab eo data fuerat alimoniæ tantùm causâ negotiationem exercentibus, Lege 8. Cod. Theod. *De Epiſcopis*. ſi exiguis admodum mercimoniis victum ſibi & veſtitum conquirerent Lege 15. ejuſdem Codicis *De Epiſcopis*. vel etiam indiſtinctè data fuerat, Lege 10. & 14. ejuſdem Codicis *De Epiſcopis*. hoc præſuppoſito quòd quæſtum negotiationis omnem in pauperes erogaturi eſſent. Valens contrà & contraria illatione, Clericos omnes negotiantes luſtrali collationi obnoxios fecit Lege 5. Cod. Theod. *De luſtrali collatione*. quam Valentis conſtitutionem Gratianus & Valentinianus junior hoc anno ex parte abrogant. Nempe quandiu & ubi Clerici nondum, vel non adeo divitiis abundavere, ac maximè cum divites ad Clericatum non aſſumerentur; qua de re videndæ Leges Cod. Theod. 3. 6. 17. *De Epiſcopis*. negotiationem quandam alimoniæ causâ exercentibus ipſis, & ut victum ſibi veſti- VI. *Immunitas Clericis negotiantibus conceſſa.* Baron. num. XII.

veſtitumque conquirerent, ea immunitas data. Item aliquando data indiſtinctè, ut ipſi pauperes juvare poſſent; quod utique peculiare votum Clericorum erat, ut docet Lex 5. Cod. Theod. *De luſtrali collatione* Iterum adempta indiſtinctè, ubi jam ſatis divitiarum in Eccleſiam & Clericos congeſtum videbatur, apparebatque, non pauperibus eos, verùm ſuis commodis ſtudere. Tandem data diſtinctè hoc anno Lege 11. laudata *De luſtrali collatione.* & determinatè: quia viſum, aliquid his deeſſe: & quidem variè; nempe ubi ditiores Clerici erant, veluti in Italia & Illyrico, intra minorem ſummam: ubi non adeo divites, veluti in Galliis, intra dimidio majorem. Hæc enim, neque alia proportionis iſtius ratio reddi poteſt, ut rectè obſervat Gothofredus in hujus Legis Commentario; ubi plura de hac Lege.

VII. *Maximus Epiſc. Cpolitanus creatus.* Baron. num. XXIV.

Ad num. V. *Maximus Cynicus* Conſtantinopoleos Epiſcopus ordinatus eſt à *Petro Alexandrino* Epiſcopo, qui ad eam ordinationem peragendam tres Epiſcopos ex Ægypto miſit, quemadmodum affirmat epiſtola Epiſcoporum Italiæ ad Theodoſium Imp. quam Sirmondus poſt Baronii mortem publicavit; quæque tomo 2. Conciliorum Generalium pag. 1007. legitur. Baronius quidem ait, *Petrum Alexandrinum* ſeptem Epiſcopos Ægypti ad id perficiendum miſiſſe, citatque hanc in rem Orationem Gregorii in Ægyptiorum adventum. Verùm, qui in ea nominantur, non Epiſcopi erant, ſed nautæ, ſeu potiùs gubernatores claſſis Alexandrinæ, qui frumentum ex Ægypto Conſtantinopolim advexerant. Quo maximè argumento convincitur, eos Epiſcopos non fuiſſe. Neque enim Epiſcopali dignitati convenit frumenti advectio. Denique in tota illa Oratione eos nunquam Epiſcopos, ſemper verò Laïcos Nazianzenus appellat, cùm dicit toties, λαὸς ἐμὸς, & λαὸς Θεοῦ, id eſt, *populus meus*, & *populus Dei.* Et verba hæc Gregorii: *Verùm poſteaquam Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, contuliſtis, Deo etiam, quæ Dei ſunt, tribuiſtis: illi nempe vectigal, huic timorem: & poſtquam cibis veſtris populum aluiſtis, ipſi quoque, ut alamini, huc acceditis*: hæc, inquam, verba apertè Laïcos deſignant, & nautas qui frumentum ſeu canonem urbis Conſtantinopolitanæ advexerant: quæ obſervatio eſt Valeſii in Notis ad lib. 5. Theodoreti cap. 8.

VIII. *Damaſus tranſlationem Nazianzeni ad Sedem Cp. improbat.* Baron. ann. 380. num. X.

Ceterùm, Damaſus Papa non ſavit Gregorio Nazianzeno in hac cauſa, ut putavit Baronius. Damaſus enim in epiſtola generali ad aliquot Epiſcopos Ægyptios data primùm graviter reprehendit ordinationem *Maximi*, deinde verò damnat eorum conſilium, qui *Gregorii* tranſlationem peregerant, tametſi hunc non nominet. *Decurſis literis dilectionis veſtræ* (inquit Damaſus in Collect. Romana Holſtenii pag. 37.) *fratres chariſſimi, ſatis ſum contriſtatus, eo tempore quo Deo præſtante Hæretici jacuerant abjecti, neſcio quos ex Ægypto venientes in poſtulatione contra regulam Eccleſiaſticæ diſciplinæ alienam à noſtra profeſſione in Cpolitanâ civitate Cynicum ad Sacerdotium vocare voluiſſe.* Tum exagitata ordinatione illa, addit, commonere ſe eos, ut in Concilio Cpolitano, quod indictum ob eam cauſam erat, darent operam, quemadmodum prædictæ civitatis Epiſcopus eligatur, qui nullam habeat reprehenſionem. In fine eos hortatur ad cuſtodiam canonum, & ne patiantur aliquem migrare de civitate ad civitatem. Quod adverſus *Gregorium* ſcriptum eſſe, nullus eſt dubitandi locus. Sic ergo ait Damaſus: *Illud præterea commoneo Dilectionem veſtram, ne patiamini aliquem contra ſtatuta Majorum noſtrorum de civitate alia ad aliam tranſduci, & deſerere plebem ſibi commiſſam, & ad alium populum per ambitionem tranſire. Tunc enim contentiones oriuntur, tunc ſchiſmata graviora ecipiunt*, &c. De Gregorio hîc agi manifeſtum eſt, & docet præterea epiſtola Concilii Italiæ apud Theodoſium de ordinatione Maximi agens, his verbis: *Tamen ne abſentibus partibus præſumtè aliquid definiſſe videremur, Clementiam tuam datis literis putavimus inſtruendam, ut ei conſuleretur ex uſu publicæ pacis atque concordiæ, quia reverà advertebamus, Gregorium nequaquam ſecundùm traditionem Patrum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſibi Sacerdotium vindicare.* Extat ea epiſtola in Appendice Codic. Theod. pag. 104. Præter illam epiſtolam generalem, Damaſus aliam ſeorſum dedit ad Acholium Theſſalonicenſem Epiſcopum, à quo & ipſe ſeorſum ab Epiſcopis ſcriptam epiſtolam acceperat de ordinatione Maximi; ad eumque reſcripſit, non ſibi placuiſſe ordinationem illam, hortaturque eum dare operam, uti Catholicus Epiſcopus in Conſtantinopolitanâ urbe conſtituatur. Extat hæc epiſtola apud Holſtenium laudatum pag. 43. Has epiſtolas Baronius non vidit, quia ejus ætate ex nondum editæ erant; ex iiſque evertitur ejus conjectura ex epiſtola Nicolai I Papæ ad Imperatorem Michaëlem ſcripta. Excerpta hæc tota obſervatio ex lib. 5. Marca de Concordia cap. 21.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5873. ☉ 25 E D. ☽ 1. P. 12. APRIL.
INDICT. 8.
JESU CHRISTI 380.
DAMASI PAPÆ 15.
GRATIANI 14. VALENTINIANI JUNIORIS 6. THEODOSII 2.

I. *Conſules.*

COss. *Gratianus Aug. V*, & *Theodoſius Aug.* hic juxta priorem Conſulatuum Cæſareorum regulam, ob Imperium nempe anno præcedenti ſuſceptum: ille juxta tertiam. Auſonius in Edyllio VIII, cujus titulus: *Precatio Auſonii Conſulis deſignati, pridie Kalendas Januarii faſcibus ſumtis.* Dictum illud die triceſima prima menſis Decembris anni trecenteſimi ſeptuageſimi octavi pridie quàm Conſul Olybrio Collega procederet. In eo Edyllio hæc Poëta habet:

Jane, veni: novus anne, veni: renovate veni Sol.
Hoſtibus edomitis, quâ Francia mixta Suëvis
Certat ad obſequium, Latiis ut militet armis:
Quâ vaga Sauromates ſibi junxerat agmina Chuni;

Quàque Getes ſociis, Hiſtrum adſultabat Alanis.
Hæc mihi prepetibus victoria nuntiat alis.
Jam venit Auguſtus, noſtros ut comat honores,
Officio exornans, quos participare cupiſſet.
Jane, veni: novus anne, veni: renovate veni Sol.
Aurea venturo Sol porrige gaudia Jano:
Faſcibus Auſonii ſuccedet Cæſar in annum,
Quintam Romulei prætextam habiturus honoris.
Ecce ubi ſe cumulat mea purpura (mitibus audi
Auribus hoc Nemeſis) poſt me dignatur oriri
Auguſtus Conſul. Pluſquam conferre videtur
Me ſibi, qui juſſit noſtros præcedere faſces.

Ex his diſcimus, *Gratianum* anno CCC LXXVIII Conſulem ſeſe in præſentem annum deſignaſſe, & quidem juxta primam Conſulatuum Cæſareorum regulam, *ob novum* nempe *Orientis Imperium*, quemadmodum Conſtantinus M. anno CCC XII ob novum Urbis, Italiæ Africæque Imperium ſeſe in annum CCC XIII Conſulem renuntiavit. Auſonius in Gratiarum actione de Conſulatu ſuo ait, *Gratianum* Conſulatum, quem ei dedit, ſibi ipſi abſtuliſſe. Ejus verba anno præterito num. III recenſuimus, quia nempe Gratianus morem aliquorum Imperatorum ſequi noluit, qui Conſulatum jam aliis deſtinatum in ſe transferebant; eamque ob rem ſeſe tantùm in hunc annum Conſulem dixit. Verùm, *infuſis Imperio Barbaris*, ut ait Ambroſius in fine Orationis de obitu Theodoſii, Gratianus Theodoſium Auguſtum creavit, & uterque propter illam novam inaugurationem Conſul proceſſit: hic juxta priorem regulam; ille verò non ampliùs juxta eandem, ſed juxta tertiam, ut nempe ejus Collega eſſet. Quid verò dicere velit Auſonius, quando ait, *Gratianum* honores ejus Conſulatus participare cupiſſe, fateor me non intelligere. Vinetus in Notis ad Auſonium ait: *Cur non fuiſſet Gratianus Conſul, ſi voluiſſet?* Cui interrogationi ipſe non reſpondet. Verùm cùm Imperatores certis & determinatis annis Magiſtratum illum inirent, ſeque jam Gratianus, cùm Auſonius hæc cecinit, Conſulem in hunc annum deſignaſſet, anno præcedenti eam dignitatem gerere non debuit; cùm hujus ſuſcipiendæ nulla cauſa ſupereſſet, ſicut ejus exoptandæ nulla fuiſſe videtur. Quem nodum aliis ſolvendum relinquo.

II. *Barbari hoc anno à Theodoſio M. victi.*

Denique ex laudatis Auſonii verſibus, in quibus nulla mentio victoriæ *de Alanis, Hunnis & Gothis* reportatæ, manifeſtè colligitur, eam ad annum CCC LXXIX pertinere, hoſque, poſtquam Theodoſius in Imperii conſortium à Gratiano adſcitus eſt, profligatos fuiſſe, ut rectè à Zoſimo lib. 4. pag. 751. proditum, & à Victore in Epitome innuatum. Si enim anno CCC LXXVIII Theodoſius adhuc privatus Barbaros illos deviciſſet, ut vult Theodoretus lib. 5. cap. 5. & ex eo Auctor Miſcellæ lib. 12. cap. 19. Auſonius, qui Edyllium prælatum ſub illius anni finem cecinit, inſignem adeo victoriam ſilentio non præteriiſſet. Quare Baronius rectè illum Theodoreti lapſum agnovit; ſed perperam Theodoreti narrationem amplexus eſt. Cùm enim hic in tempore, quo ea victoria relata, peccarit, veroſimile eſt, in narrando facto etiam erraſſe, Zoſimo eam longè aliter referente, ut apud ipſum legere eſt. Zoſimo ſuffragantur Socrates lib. 5. cap. 6. Sozomenus lib. 7. cap. 4. Oroſius lib. 7. cap. 20. Jornandes tam in lib. de Regnorum ſucceſſione cap 93. quam in libro de Rebus Geticis cap. 26. Marcellinus in Chronico, & Idacius in Faſtis, uterque anno CCC LXXIX. Imò Idacius diem memorat, quo hujus victoriæ nuntium Romam perlatum eſt. Auſonio enim & Olybrio Coſſ. anno ſc. CCC LXXIX prodit: *Ipſo anno multa bella Romani cum Gothis commiſerunt. Deinde victoria nuntiata ſunt adverſus Gothos, Alanos atque Hunnos die XV Kal. Decemb.* Error itaque Theodoreti excuſari non poteſt.

III. *Theſſalonica in Illyrico ſita.*

Ad num. I. Theodoſius Magnus ab Acholio Epiſcopo Theſſalonicenſi baptizatus eſt, ut docet Socrates lib. 5. cap. 6. quam urbem in Illyrico fuiſſe rectè inſinuat; totius enim Illyrici Metropolis erat, ut Theodoretus lib. 5. cap. 16. oſtendit, ideoque non ſoliùs Macedoniæ, quæ tamen & ipſa in Illyrico fuit. Quare lapſus eſt Baronius, cùm Socratem hac parte erroris arguit, & Theſſalonicam non in Illyrico, verùm in Macedonia fuiſſe ſcribit. Illyricum quippe Orientale ex duabus Diœceſibus conſtabat; Macedonia videlicet & Dacia, & Macedonicæ Diœceſis Theſſalonica Metropolis fuit; Epiſcopus verò Theſſalonicenſis Illyrici totius Primas. Baron. num. 1.

IV. *Quando Illyricum in Orientale & Occidentale diviſum.*

Hic autem gravis difficultas oritur, quomodo ſc. Theodoſius Magnus baptizari, ac tot Leges tam præſenti quam præcedenti anno *Theſſalonicæ* dare potuit, cùm *Illyricum* illi non crediderit Gratianus, ſed eam Imperii partem, quam Valens rexerat, ut ſcribit Theodoretus lib. 5. cap. 6. Idem confirmat Zoſimus lib. 4. inquit Marca in Diſſert. de Primatu Lugdunenſi, num. XXXIII, qui Theodoſium Orientis & Thraciæ rebus, non autem Illyrici à Gratiano præfectum docet lib. 4. Inde eſt, quòd *Probus* Valentiniani II beneficio Præfecturâ Italiæ, Africæ & omnis Illyrici potiebatur anno CCC LXXXIII, ut colligitur ex L. 1. Cod. Theod. *Si per obrep. reſcr. fuer. Imp.* Quare Sozomeni hallucinatio excuſari non poteſt, qui commiſſum Theodoſio *Illyricum*, & Orientem ſcripſit lib. 7. cap. 5. *cum Illyricum & Orientis partes Theodoſio tradidiſſet*, nempe Gratianus. Poſt necem Gratiani à Maximo Tyranno caſi anno CCC LXXXIII, Valentinianus II eundem Maximum in ſocietatem Imperii aſcivit: & ſtatim, ut caput ſuum tueretur ab inſidiis Tyranni, qui contra fœderis leges Italiam cum copiis ingreſſurus erat, ex *Aquileia* in ultimos Regni fines, nempe per Theſſalonicam, navigio aufugit cum Juſtina matre anno CCC LXXXIII, teſte Zoſimo. Quod retulit Socrates ad conſilium Probi Præfecti lib. 5. cap. 11. quem ab Italia diſcedentem ad Illyricum ſe contuliſſe ſcribit, & conſtitiſſe Theſſalonicæ: *Confeſtim ex Italia digreſſus venit in Illyricum, & in urbe Macedoniæ Theſſalonica ſedem fixit.* Hic verò diſſimulari non debet lapſus Theodoreti lib. 5. cap. 15.

> cui formâ Imperii Orientalis, quæ ſua ætate, id eſt, anno CCCCL vigebat, inſpectâ, putavit, Valentinianum II in ditionem Theodoſii, Regno ſuo derelicto, confugiſſe: cùm tamen, ut monui, & teſtimoniis certiſſimis atque adeo ipſius Theodoreti, probavi, ſolidum Illyricum & Theſſalonica civitas tunc temporis pars eſſet Occidentalis Imperii. Eodem anno CCCLXXXVIII Theodoſius expeditionem in Maximum ſuſcepit, & ab eo devicto meritas pœnas ob Gratiani cædem ſumſit: compoſitiſque rebus Valentinianum II integro Occidentis Imperio præfecit; relictis illi Provinciarum iis tractibus, quos pater illius Valentinianus ſenior poſſederat, id eſt, Galliâ, Britanniâ, Hiſpaniâ, Africâ, & ſolido Illyrico, uſque ad Thraciam. Deinde Valentiniano II per ſummum Arbogaſtis ſcelus Viennæ intra Gallias ſtrangulato anno CCCXCII Theodoſius iterum ultor Regii ſanguinis in Occidentem penetravit, ſublatoque *Eugenio* Tyranno, ipſe quoque Mediolani obiit, collato Occidentis in Honorium filium Imperio, & in Arcadium Orientis, anno CCCXCV. Tunc *Illyrici ſectio in duas partes*, quas Notitia Imperii exhibet, inducta eſt, ex Theodoſii arbitrio, aut ex Arcadii uſurpatione. Variant enim in hoc capite veteres Hiſtorici. Major apud me fides Zoſimi, cujus hæc ſunt verba: *Theodoſius Imperator gentes Italiæ adjunctas, Hiſpanos, Gallos, atque omnem Africam Honorio filio tradidit.* Illyrici Præfecturam omiſit, quia tranſcripta erat in Arcadium. Ita Marca laudatus.

V.
Ex divisio à Gratiano facta.

Verùm exiſtimo, Præſulem eruditiſſimum hallucinari, & *Illyricum*, quod uſque ad annum præcedentem indiviſum fuerat, aſcito in Imperium Theodoſio abiiſſe in Orientale & Occidentale, ut notavit Gothofredus in Commentario Leg. 8. Cod. Theod. *De metallis.* Quod licèt is non probet, illud tamen evidenter oſtendunt, non tantùm præfatæ Leges *Theſſalonicæ* datæ, & Theodoſii baptiſmus à Theodoſio Magno *Theſſalonicæ* ſuſceptus; ſed etiam quòd Theodoſius, poſtquam à Gratiano Auguſtus renuntiatus eſt *Sirmii*, Theſſalonicam profectus, illic diu ſedit; & Legationes civitatum Orientis excepit. Præterea, inquit Valeſius loco mox citando, in Synodo Cpolitana anno ſequenti habita, cui ſolos Epiſcopos Orientales interfuiſſe conſtat, recenſetur Acholius Epiſcopus Theſſalonicenſis, ut videre eſt apud Socratem lib. 5. cap. 8. Reſpondet Marca lib. 5. cap. 20. ſeu potiùs Baluſius, cujus eſt illud caput, Acholium non fuiſſe unum ex Epiſcopis Orientalibus, cùm Illyricum ſolidum accenſeretur Occidenti, & præterea cùm interfuiſſe huic Synodo, ut unum Occidentalium; cùm in epiſtola Concilii Italiæ ad Theodoſium Imp. dicant Patres, ſe ita unius Acholii expectaſſe judicium, *ut de Occidentalibus partibus Cpolim evocandum putarent.* Verum ipſemet Valeſius in Notis ad lib. 5. Theodoreti cap. 8. illum locum laudavit, & cap. 9. obſervat, Acholium interfuiſſe Synodo Romanæ anno CCCLXXXII celebratæ, quòd eſſet Occidentalium Epiſcopus. Erat itaque Occidentalis, quia Theſſalonica pendebat à Patriarchatu Romano; erat verò Orientalis, quia Theſſalonica parebat Theodoſio. Hinc Theodoretus lib. 5. cap. 7. rectè ſcripſit: *Theodoſius Epiſcopos duntaxat Imperii ſui Cpolim juſſit convenire.* Denique Marca lib. 1. de Concordia cap. 4. rectè docet, *ſecundum Patrum Cpolitanorum ſententiam pro Occidentalibus haberi, qui circumſcripti non ſunt Diœceſibus illis quinque, Thraciâ, Ponticâ, Aſianâ, Orientali, & Ægyptiacâ*: quod probat ex Canone V illius Synodi, ut apud eum videre eſt. Valeſius in Notis ad Socratem lib. 5. cap. 11. exiſtimat, Valentem poſt mortem fratris Valentiniani, Macedoniam & Daciam Imperio ſuo adjunxiſſe, ex conſenſu filiorum fratris ſui; quod ſe colligere ait ex lib. 31. Ammiani in fine, ubi ait, milites ac palatinos Valentis, qui apud *Hadrionopolim* obſeſſi fuerant à *Gothis*, ſoluta tandem obſidione digreſſos, alios in *Daciam*, alios in *Macedoniam* properaſſe, *Valentem* eò ſe recepiſſe exiſtimantes. Verùm hæc conjectura leviſſima; cùm Valens, ſi in fugam tantùm à Gothis anno CCCLXXXVIII conjectus fuiſſet, potuiſſet in Macedoniam vel Daciam, quæ Valentiniano juniori nepoti ſuo parebant; ſeſe recipere, ad eas præſertim inſitas adactus. Diviſio itaque *Illyrici in Occidentale & Orientale*, non Theodoſio Magno morienti, ſed *Gratiano* hunc in Imperii conſortium aſciſcenti, videtur attribuenda. Nec obſtat Lex unica Cod. Theod. *Si per obreptionem fuerint impetrata.* à Valentiniano II data, in qua Probo Præfecto Prætorio injungit, ut eam obſervari curet *per omnem Italiam; tum etiam per Urbicarias, Africanaſque regiones, ac per omne Illyricum.* Valentinianus enim intelligendus de omni eo Illyrico, quod Probo ſubditum erat, non verò etiam de ea Illyrici parte, quæ jam à quinquennio Imperatori Orientis, nempe Theodoſio Magno, à Gratiano conceſſa fuerat.

VI.
Illyricum Orientale Theodoſio paruiſſe probatur.

Illyricum Orientale Theodoſio Magno paruiſſe certum facit L. 17. Cod. Theod. *De Cohortalibus*, data à Theodoſio Magno *Timaſio & Promoto Coſſ.* anno ſc. Chriſti CCCLXXXIX, quâ mandat, *ut aurum ad Officium Inluſtris per Illyricum Præfecturæ cum certa taxatione* perferatur, ſeu ad Officium Præfecti Prætorio Illyrici. Adjutum tunc Illyricum auro Orientis, ad cujus Prætorii Præfectum ea Lex directa, conficiendis fortè reliquiis Barbarorum, qui in Macedonum Theſſalorumque fortunas graſſati fuerant, abſente Theodoſio in Occidente, adverſus Maximum Tyrannum; de qua graſſatione, & victoria Theodoſii de illis relata legendus Zoſimus lib. 4. pag. 770. & 771. *Macedonia* itaque, cujus caput *Theſſalonica*, & *Theſſalia* ſubjectæ erant Theodoſio Magno, ut ex Zoſimo ibidem deducitur. Hic itaque in diviſione Imperii de Illyrico non loquitur, quia ejus tantùm partem Gratianus Theodoſio conceſſit. Contrà verò Illyricum Theodoſio ceſſiſſe dicit Sozomenus à Marca citatus & perperam reprehenſus, ob eam nempe, quæ ei data eſt, partem. Sic male Theodoretum arguit Marca, quòd ſcripſerit, Valentinianum II *relictis Imperii ſui partibus* in ditionem Theodoſii ſe recepiſſe. Theſſalonicam enim, quæ Theodoſio Magno parebat, venit. *Theſſalonicæ* etiam anno CCCXC magna hominum cædes facta, ob quam D. Ambroſius Theodoſium objur-

gavit, quòd ſeptem millia hominum occidi paſſus eſſet. Quare Theodoſio tunc Theſſalonica parebat. Legendus Gothofredus in Commentario L. 2. Cod. Theod. *De Conſtit. Principum.* ubi multa ſcitu digna habet de Præfectis Prætorio Illyrici, qui tamen contra illud quod in Comm. L. 7. *De metallis.* jam citato ſcripſerat, ait, *Illyricum* non ceſſiſſe Theodoſio Magno, niſi poſt cædem Valentiniani junioris anno CCC XCII patratam, exindeque tantùm Illyricum diviſum fuiſſe in Orientale & Occidentale. Nam verum eſt, tunc totum Illyricum Theodoſium obtinuiſſe; ſed jam ipſo ſui Imperii initio pars ei Illyrici tradita fuerit; quod rectè, quantùm in re obſcuriſſima aſſequi poſſum, ſcripſit poſtea Gothofredus in Comment. laudato in Leg. 7. *De metallis.* Quas Provincias complecteretur Illyricum Orientale, dixi anno CCC LXV n. XIV.

VII. *Eccleſiæ Cpolitanæ Orthodoxis reddita.*

Baron. num. X.

Ad num. II. Idacius in Faſtis ſub hujus anni Conſulibus ſcribit: *His Conſſ. victoria nuntiatæ ſunt amborum Auguſtorum. Et ipſo anno ingreſſus eſt Theodoſius Aug. Conſtantinopolim die XVIII Kal. Decemb.* Verùm, ut obſervat Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani, nota numeralis X rejicienda, reponendumque VIII Kal. Decembris. Nam XV vel XVI Kal. Decembris Theodoſius erat adhuc Theſſalonicæ, ut docet Lex 15. Cod. Theod. *De petitionibus.* Præterea Auctor Chronici Alexandrini Theodoſium VIII Kal. Decemb. Conſtantinopolim ingreſſum disertè ſcribit, quod etiam Socrates laudatus docet. Theodoſius Conſtantinopolim ingreſſus Orthodoxis Eccleſias dedit: *Annus autem hic erat, quo Gratianus quintum & Theodoſius primum Conſulatum geſſere: ex quo verò Ariani Eccleſias occupaverant, quadrageſimus*, inquit Sozomenus lib. 7. cap. 5. ab anno nempe trecenteſimo quadrageſimo, quo Euſebius ex urbe Nicomedienſi ad Sedem Conſtantinopolitanam tranſlatus. Hinc manifeſtum fit, Eccleſias ab Arianis occupatas non anno CCC XXXIX, ut credidit Baronius, ſed anno CCC XL; alioquin hic annus non quadrageſimus, ſed quadrageſimus primus, aut ſecundus fuiſſet.

VIII. *S. Ambroſius Sirmiũ venit.*

Baron. num. XVIII.

Ad num. IV. Baronius exiſtimat, ideo Divum *Ambroſium* hoc anno Sirmium veniſſe, ut Sirmienſi Eccleſiæ Orthodoxum Epiſcopum præficiendum curaret, quia Lege Vatinia conjuncta erat Provincia Illyrici Galliæ Ciſalpinæ. Verùm ex Suetonio in Julio cap. 22. quem Baronius citat, liquet, in favorem Julii Cæſaris illas duas Provincias unitas, ſed à Conſtantino M. duobus Præfectis Prætorio ſubjectas. Quare quando ea etiam unio duraſſet poſt Julium Cæſarem, Conſtantini tamen tempore ceſſaſſet. Sirmium itaque Epiſcopo Mediolanenſi ſubjecta non erat: ideoque illuc venit Ambroſius, aut quia à Provinciæ Epiſcopis vocatus, aut ut laboranti Eccleſiæ opem ferret, ut notavit Hermantius in Vita S. Ambroſii lib. 2. cap. 19.

IX. *Obitus Saporis Perſarum Regis.*

Sapores Perſarum Rex, qui tot annis imperavit quot vixit, ſeptuaginta nempe, hoc circiter anno mortuus eſt, poſtquam multas de Romanis victorias reportaſſet. *Poſt Saporem Artaxeres germanus frater, ut regni tum particeps, quatuor ubi regnans egiſſet annos, emoritur. Hujus filius Sapores & ipſe dictus, annos quinque regnavit: totidem verò & geminatos, alteroque adjecto Saporis filius Varanes. Poſt hunc Iſdigertes filius ſuſcepit Principatum, qui & magnus apud Romanos habetur, & celeberrimus*, inquit Agathias lib. 4. num. 12. De Iſdigerte ſeu Iſdigerde, ut alii eum appellant, ſeculo ſequenti ſermo erit: alii enim Perſarum Reges, qui eum præceſſere, obſcuri, hicque ſolùm memorari, ut illorum Regum ſerie Annales illuſtrentur.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5874. ☉ 26 C. ☽ 2. P. 18. MART.
INDICT. 9.
JESU CHRISTI 381.
DAMASI PAPÆ 16.
GRATIANI 15. VALENTINIANI JUNIORIS 7. THEODOSII 3.

COSS. *Flavius Encherius* Orient. & *Flavius Syagrius* Occident. De utroque fusè egi in Prolegomenis Diſſert. Hypat. num. 27. Eucherius fuit Arcadii Imperatoris patruus, ut ſuo loco dicam. De Syagrio multa habet Gothofredus in Proſopographia Cod. Theod. I. *Conſules.*

II. *Athanarici Gothorum Regis obitus.*

Baron. num. X.

Ad num. I. Idacius in Faſtis hoc anno habet: *His Conſſ. ingreſſus eſt Athanaricus Rex Gothorum Conſtantinopolim die III Idus Januar. Eodem menſe diem functus Athanaricus VIII Kalend. Februar.* Sub ſequentis verò anni Conſulibus ſcribit: *His Conſſ. Theodoſius Aug. corpus Auguſti Valentiniani in ſarcophago depoſuit die IX Kal. Mart. Ipſo anno univerſa gens Gothorum cum Rege ſuo in Romaniam ſe tradiderunt die V Non. Octob.* Die itaque undecima Januarii Athanaricus Conſtantinopoli ſuſceptus eſt, dieque viceſima quinta ejuſdem menſis obiit. Hinc Iſidorus, Proſper, & alter Idacius in Chronicis ajunt, die XV, quo ſuſceptus fuerat, mortuum eſſe. Anno inſequenti, Marcellino & utroque Idacio teſtibus, Gothi Romano ſeſe tradidere Imperio, ſed *infida pace*, inquit Idacius in Chronico. Quare in Faſtis Idacii loco, *cum Rege ſuo in Romaniam*, legendum, *cum Regno ſuo in Romania*; cùm anno ſequenti, quo Gothi Romanis ſe tradidere, Regem non haberent. Iſidorus currenti anno Gothos Romano ſe tradidiſſe Imperio ſcribit; annoque ſequenti ait, Gothos *patrocinium Romani fœderis recuſantes Alaricum Regem ſibi* conſtituiſſe. Verùm Iſidorum hallucinatum oſtendit Themiſtii Gratiarum actio *ad Imperatorem Theodoſium, ob pacem cum univerſa Gothorum gente factam, & ob Conſulatum Saturnini* militum Magiſtri anno CCC LXXXIII geſtum. Rupta itaque pax videtur anno CCC LXXXIII, quo ea Oratio recitata, eoque anno Alaricus à Gothis Rex declaratus: ait enim ibidem Iſidorus, eum viceſimo octavo anno Regni defunctum eſſe, anno nempe CCCC X, ut ſuo loco oſtendam; ideoque anni illi XXVIII utrinque incompleti fuere.

III. *Quid Romania ſignificet.*

Non hinc diſcedam, quin priùs obſervavero, vocem *Romania* aliàs Imperium vel Occidentale, vel Orientale deſignaſſe. Athanaſius in epiſt. ad Solitarios ait, Arianos Liberio Epiſcopo Romano non peperciſſe, nec reveritos fuiſſe Romam *Metropolim eſſe Ro-*

maniæ, id eſt, Imperii Occidentalis. Epiphanius in hæreſi 46. ſcribit, Manem, Perſarum regione relicta, *Romaniam* invaſiſſe; & hæreſi 49. inquit, Conſtantinum literas adverſus Arium miſiſſe per totam *Romaniam*: & denique Poſſidius in Vita Auguſtini cap. 30. de Vandalis Africam depopulantibus loquens, eos *Romaniæ* everſores appellat. Ex quibus omnibus liquet, *Romaniæ* nomine aliàs Imperium Romanum ſignificatum fuiſſe; quo etiam nomine ſæpius ab Idacio in Faſtis & ab Auctore Miſcellæ in libris 18. 19. 20. 21. 22. 23. & 24. Imperium Orientis deſignatur. Illud tamen nomen hodie æquivocum: ut enim animadvertit Blondellus in lib. de Primatu Eccleſiæ pag. 125. Myræus lib. 2. de ſtatu Religionis cap. 27. Malabariæ Indiæ tractûs populos Romaniam vocare teſtatur, regiones, quæ aliàs Imperii Occidentis pars fuere, quòd eorum Lingua è Latino ſeu Romano derivata ſit. Sic Turcæ Thraciam Provinciam Conſtantinopoli vicinam *Romaniam* ſeu *Rumeliam* nominant, quòd Conſtantinopolis nova Roma dicta aliàs fuerit. Sic denique Itali antiquum Ravennæ Exarchatum Romandiolam, vulgò *la Romagna*, nuncupant, quòd illum Pipinus Pontifici Romano tradiderit. Quæ variæ ſignificationes Hiſtoricos legentibus negotium faceſſere poſſunt.

IV.
Synodus OEcumenica Cpolitana.
Baron num. XVII.

Ad num. II. Synodus *OEcumenica Conſtantinopolitana* menſe Maio, ut habet Socrates, celebrata: perperamque Spondanus ſcribit, eam ad finem anni coactam apertè intelligi ex literis Synodalibus, quibus Patres teſtantur, eam convocatam eſſe poſt Concilium Aquileienſe *Nonis Septembris* habitum; cùm Epiſcopi in ea loquantur non ſolùm de Synodo poſt Concilium Conſtantinopolitanum OEcumenicum congregata, ſed etiam de ipſo Concilio OEcumenico; dataque ſit ea Synodica anno ſequenti; & dicant Patres, ſe eo anno Conſtantinopolim conveniſſe juxta literas Damaſi Papæ, *ſuperiore anno* (currenti nempe) *poſt Aquileienſe Concilium ad piiſſimum Imperatorem Theodoſium miſſas*. Literæ itaque Damaſi poſt Concilium OEcumenicum, ac poſt menſem Septembrem ſcriptæ, ſed illud jam menſe Maio coactum.

V.
A Theodoſio indicta.

Porro hæc Synodus à Theodoſio Magno convocata, ut liquet ex epiſtola Synodica ad Theodoſium, quâ Epiſcopi ſe & ejus mandatis ad eam vocatos teſtantur, & geſtorum confirmationem ab ipſo petunt. Præterquam quòd Socrates lib. 5. cap. 8. Sozomenus lib. 7. cap. 7. & Theodoretus lib. 5. cap. 7. Theodoſium ſuæ Fidei Epiſcoporum Concilium convocaſſe disertè teſtantur; aitque Theodoretus: *Theodoſius Epiſcopos duntaxat Imperii ſui Conſtantinopolim juſſit convenire.* His adde Auctorem Anonymum Vitæ Sancti Pauli Conſtantinopolitani Epiſcopi apud Photium in Bibliotheca codice 257. *Convocat Concilium pius Imperator, meditans & Macedonianos conciliare Orthodoxis, & qui Conſubſtantialitatem profiterentur.* Denique ſi Theodoſius Damaſum conſuluiſſet, is procul dubio Legatos ad hanc Synodum miſiſſet, & ad eam Epiſcopos Occidentis convocaſſet. Quare vi convocationis ſolius Orientis Synodus fuit, & tantùm ex poſtfacto OEcumenica extitit, Damaſo totaque Occidentali Eccleſia hanc illi ſuo conſenſu dignitatem & auctoritatem tribuentibus. Hanc Synodum per ſe habitam non eſſe pro OEcumenica, ex epiſtola Concilii Italiæ hoc anno coacti ad Theodoſium Imp. colligitur. In ea enim Epiſcopi inquiunt: *Nos in Synodo ea quæ totius Orbis Epiſcopis videbatur eſſe præſcripta, nihil temere ſtatuendum eſſe cenſuimus. At eo ipſo tempore, qui Generale Concilium declinaverant, Conſtantinopoli quæ geſſiſſe dicuntur? Nam cùm cognoviſſent, ad hoc partium veniſſe Maximum, ut cauſam in Synodo ageret ſuam, quò etiam ſi indictum Concilium non fuiſſet*, &c. Ubi Epiſcopi Generale Concilium Conſtantinopolitano opponunt, illudque appellant quod Romæ anno ſuperiori à Damaſo ad Maximi Cynici cauſam diſcutiendam indictum fuerat. Quod cùm Orientales Epiſcopi detrectaſſent, iterum hoc anno Italiæ Epiſcopi poſt Aquileienſe Concilium, Theodoſium Imp. rogarunt, ut Romæ Generalis Synodus Orientalium ſimul & Occidentalium congregaretur. Ad quam convocati à Damaſo Epiſcopi Orientales, moram ſuam Conſtantinopoli excuſarunt, quòd ob ſuarum Eccleſiarum diſcrimen in Oriente detenti, Romam proficiſci non poſſent, temporis anguſtias inſuper cauſati: agnoſcentes nihilominus Romani Pontificis auctoritatem, quâ eos ad ſuum Concilium jure convocabat, ut legere eſt in illorum epiſtola Synodica.

VI.
Non indicta à Damaſo.

Neque Baronii rationes in contrarium urgent. Nam Codices MSS. quos citat, antè octavum Eccleſiæ ſeculum exarati non videntur, & non poteſt non eſſe ſuſpecta ac dubia Codicum, licèt perveruſtorum, fides, quibus veterum omnium Hiſtoricorum & ipſius epiſtolæ Synodicæ à Patribus Conſtantinopolitanis ad Theodoſium Imp. datæ auctoritas refragatur. Deinde ex auctoritate ſextæ Synodi, quâ dicitur Theodoſium & Damaſum Macedonio obſtitiſſe, non ſequitur, hunc Concilium Conſtantinopolitanum convocaſſe; cùm in Concilio Romano ejus hæreſim anathemate confixerit, & quæ Conſtantinopoli contra eam decreta ſunt, aſſenſu ſuo firmarit. Denique regulæ quidem Eccleſiaſticæ Synodos facere, & decreta in Eccleſiis ſancire abſque Romanorum Pontificum auctoritate vetant; ſed non prohibent abſque ejus auctoritate Nationales Synodos, vel totius etiam Orientis Concilia convocari, quæ OEcumenica quidem non erunt vi convocationis ab Imperatoribus, Patriarchis, vel Metropolitanis factæ; eorum tamen auctoritatem conſequentur, ſi Romani Pontificis & totius Occidentalis Eccleſiæ aſſenſus acceſſerit, ut jam diximus, & videre eſt in Epitome num. VI.

VII.
Patriarchatus Cpolitanus inſtituitur.
Baron. num. XXV.

Ad num. V. Canon tertius, qui eſt de ſecundo Epiſcopi Conſtantinopolitani in Eccleſia loco, & honoris primatu poſt Romanum, commentitius non eſt, ut putavit Baronius; cùm antiqui omnes Codices, & Collectiones omnes antiquæ mediæ ætatis & poſteriorum ſeculorum illum contineant; ac præterea Socrates lib. 5. cap. 8. Sozomenus lib. 7. cap. 9. & Nicephorus lib. 12. cap. 13. conditum illud decretum teſtentur. Neque hic tertius canon adverſatur ſecundo, quo ex præſcripto Nicæni Concilii decrevit Synodus Conſtan-

tinopolitana, quibuſcunque Provinciis Jura ſua eſſe ſervata: quia privilegium legem firmat, ideoque non ſequitur aliarum Sedium jura convelli, etiamſi æqualibus privilegiis Conſtantinopolitana exornetur. Præterea conſtituit quidem canon ille, ut in limitibus, quos figit, Diœceſeon, Orientis Epiſcopi Orientem tantùm gubernent, *ſervatis privilegiis, quæ Nicænis Canonibus Eccleſiæ Antiochenæ tributa ſunt.* Sed per erectionem Sedis Conſtantinopolitanæ in Patriarchicam, non fuit imminutus Antiochenæ Sedis honos. Imò nec fuit derogatum aliquid Alexandrinæ Eccleſiæ juribus; quia Thracica Diœceſis, cujus adminiſtratio in Conſtantinopolitanum translata eſt, à nullo Patriarcharum pendebat. Quod etiam de Aſiana & Pontica dicendum, quæ poſtea Regiæ urbis Epiſcopo ſubjectæ ſunt. Nec enim Diœceſes Synodis ſuis commiſſæ, Exarchis ſuis parebant, Pontica Cæſarienſi, Thracica Heracleenſi, Aſiatica Epheſino. Quare ſoli Epiſcopo Heracleenſi injuria aliqua irrogata cenſeri poteſt. Quæ tamen injuria dici non debet, cùm penes Concilium eſſet jus adminiſtrandi Eccleſiam Thracicam, ſibi per Nicænam Synodum quæſitum, in alium Epiſcopum, vel in Conſtantinopolitanum tranſcribere. Neque opus fuit, ut Anatolius poſt Synodum Chalcedonenſem canonem illum laudaret, cùm à S. Leone urgebatur; cùm eum apprimè calleret Sanctus Leo, utpote in Concilio Chalcedonenſi citatum. Imò Anatolius canonem illum protulit, ut patet ex epiſtola S. Leonis ad ipſum data, in qua his verbis ipſum compellat Leo: *Perſuaſioni enim tuæ in nullo penitus ſuffragatur quorundam Epiſcoporum ante LXX, ut jactas, annos facta ſubſcriptio*, &c. Legenda quæ de hoc tertio canone Viri doctiſſimi diſſertarunt.

VIII.
Gregorius Nazianzenus Sedem Cpolim relinquit.

Ad num. IX. Amphilochius in Vita Sancti Baſilii de Gregorio Nazianzeno ſcribit: *Qui & annos circiter duodecim Apoſtolicæ Sedis gubernacula tenuit.* Gregorius Preſbyter in Encomio, quo texit Vitam *Gregorii*, duodecim annos ipſum Conſtantinopoli commoratum eſſe ſcribit. Nicephorus Patriarcha annos ei XII attribuit. Idem habent Menæa die XXX Januarii in memoria trium Sanctorum Eccleſiæ Doctorum. Denique Cedrenus ait, decennium & paulò ampliùs Conſtantinopoli moratum eſſe Gregorium. Et tamen certum eſt, hunc non ampliùs quàm triennio in ea urbe docuiſſe. Baronius exiſtimat, hos Scriptores duodecim illorum annorum principium ab anno CCCLXX deduxiſſe, ideoque valde hallucinatos eſſe. Combefiſius in Notis ad Vitam S. Baſilii ab Amphilochio compoſitam idem ſcribit. At incredibile, eos in tam craſſo errore verſatos eſſe, dicendumque, illos *Gregorio Nazianzeno* attribuiſſe tempus, quod ab anno trecenteſimo ſeptuageſimo nono, quo Conſtantinopolim ſe contulit, uſque ad mortem ejus fluxit. Licet enim Sedem Conſtantinopolitanam hoc anno abdicarit, ea tamen quæ ad Catholicam Fidem ſpectare videbat, graviter ſemper implevit. Sic *Apollinariſtis* rurſus Conventum facientibus, dormientem in his *Nectarium* Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ſcriptis ad eum literis ad tanti mali depulſionem & correctionem hortatus eſt. In eo tamen ab aliquibus ex citatis Scriptoribus erratum, quòd tradiderint, Nazianzenum per annos duodecim Conſtantinopoli moratum eſſe. Qui error inde profluxit, quòd in antiquis Auctoribus legerant, eum per annos duodecim Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ curam geſſiſſe, à morte nempe Valentis, ſeu anno CCCLXXIX ad trecenteſimum nonageſimum primum, quo ad Deum migravit. Nam ſi rigorosè loquendum ſit, paucis hebdomadis Gregorius Epiſcopus Conſtantinopolitanus fuit; cùm eadem Synodo & renuntiatus ſit Epiſcopus & exauctoratus. Certè hoc anno III Kalend. Aug. quo Theodoſius dedit Legem 3. Codicis Theodoſiani *De Fide Catholica*, jam Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus erat; ejus enim in ea Lege mentio. Liquet præterea ex eadem Lege, eo die jam finitum eſſe Concilium Conſtantinopolitanum, cujus ideo canones rectè ideo præferunt diem ſeptimum Iduum Juliarum.

Baron. num. XIV & ſeqq.

Baron. anno 378. n. II.

IX.
Meletii obitus.

Ad num. XI. In Lege 3. Codicis Theodoſiani *De Fide Catholica*, memorantur *Nectarius* Epiſcopus Conſtantinopolitanus, & *Timotheus* Alexandrinus Epiſcopus; Epiſcopi verò Antiocheni nulla mentio fit, quia paulò poſt abſolutam Synodum *Meletius* Epiſcopus Antiochenus mortuus eſt, cui *Flavianus* per factioſos quoſdam ſubſtitutus fuit, cujus electioni Catholici refragati ſunt: unde de novo ſchiſma in Eccleſia Antiochena obortum. Igitur cum Theodoſius ea Lege Catholicorum Epiſcoporum exempla prælata vellet, Antiochenæ præferre non potuit, utpote cujus communioni Catholici communicare nollent, ut rectè Gothofredus in Commentario hujus Legis. Lex 8. ejuſdem Codicis *De Hæreticis*, dicitur data *XIV Kal. Aug.* ideoque poſt celebratum Concilium Conſtantinopolitanum, non verò dum illud ageretur, ut perperam ſcribit Baronius. Denique Theodoſius *VI Nonas Maii* Legem 1. Codicis Theodoſiani *De Apoſtatis*, emiſit, quâ iis, qui ex Chriſtianis Pagani fierent, teſtandi facultatem eripuit. Primus Theodoſius fuit, qui non tantùm in Paganorum ritus, quod ſuperiores Principes fecerant; ſed etiam qui in Apoſtatas, è Chriſtianis ad Paganorum ritus tranſeuntes, quod alii Imperatores nondum fecerant, inſurrexit. Legendus rurſus Gothofredus in illius Legis Commentario.

Baron. num. LX.

X.
Acta Concilii Aquileienſis.

Ad num. XII. Petrus Franciſcus Chiffletus è Societate Jeſu, qui Vigilii Tapſenſis libros adverſus Arianos ſcriptos Notis illuſtravit, contendit, Altercationem contra Palladium, germana Concilii Aquileienſis Acta complecti, una cum epiſtola ad Gratianum, alteraque ad Epiſcopos Gallorum, ac Scripto adverſus Arianos Divo Ambroſio attributo; ideoque quæ hujus Concilii circumferuntur Acta, ſuppoſititia eſſe. Sed Hermantius lib. 3. cap. 3. Vitæ S. Ambroſii, quam linguâ Gallicâ compoſuit, ſeſe oſtendit, Chiffletium hac in re deceptum fuiſſe; cùm in iiſdem Actis nihil legatur quod Ambroſio hujus Concilii Aquileienſis quaſi animâ dignum non ſit. Argumenta, quibus Chiffletius motus, ibidem confutata videri poterunt.

Baron. num. LXI.

XI.

Ad num. XIV. Concilium *Cæſarangu-*

Synodus Cæſaraguſtana. *ſtanum* Ærâ 418. celebratum, ut titulus hujus habet, ad quem Baronius animum non advertit, proindeque anno Chriſti trecenteſimo octogeſimo. Proſper in Chronico ſub Auſonii & Olybrii Conſulatu anno CCCLXXIX

Baron. num. c 111. geſto ait: *Ea tempeſtate Priſcillianus Epiſcopus de Galecia ex Manichæorum & Gnoſticorum dogmate hæreſim nominis ſui condidit.* Eo itaque anno ea hæreſis agnita, & inſequenti Synodus hæc adverſus eam habita. Idacius in Chronico anno Abrahami 2401. qui Kalendis Septembribus anni Chriſti trecenteſimi octogeſimi quarti incipit, ait: *Priſcillianus declinans in hæreſim Gnoſticorum per Epiſcopos, quos ſibi in eadem pravitate collegerat, Abula Epiſcopus ordinatur. Qui aliquot Epiſcoporum Conciliis auditus, Italiam petit & Romam. Ubi ne ad conſpectum quidem ſanctorum Epiſcoporum Damaſi & Ambroſii receptus, cum his, cum quibus iverat, redit ad Gallias. Inibi ſimiliter a Sancto Martino Epiſcopo, & ab aliis Epiſcopis Hæreticus judicatus, appellat ad Cæſarem; quia in Galliis his diebus poteſtatem Tyrannus Maximus obtinebat Imperii.* Baronius Chronicon illud non viderat, cujus ope Annales variis in locis illuſtrari potuerunt. Idacius ex Epiſcopis Hiſpaniarum unus, qui naſcenti huic hæreſi ſeſe oppoſuit, vocatur à Severo lib. 2. Hiſt. quando de hoc Concilio loquitur, *emeritæ ætatis* Sacerdos. Sed locus corruptus, videturque fuiſſe Emeritæ Epiſcopus, ideoque legendum, *Emeritæ civitatis*, ut Viris doctis obſervatum. Queſnellus in Notis ad S. Leonem ſcribit, Priſcillianum nunquam agnitum fuiſſe Epiſcopum, & locum Hieronymi ad Cteſiphontem, ubi habet, *in Labilenſi oppido*, corruptum eſſe. Sed perperam; cùm præter Hieronymum Proſper & Idacius eum Epiſcopum in ſuis Chronicis vocent.

XII. Duodecim tantùm Epiſcoporum nomina,
Marcus auctor hæreſeos Priſcillianiſtarum. eaque corrupta in Actis leguntur: primus eſt Siradius, qui videtur eſſe Sanctus *Phœbadius* Agennenſis in Aquitania ſecunda Epiſcopus, qui ob antiquitatem, ſanctitatem, ac ſcientiam primum locum tenere potuit. Secundus eſt, *Delphinus* Burdigalæ Aquitaniæ ſecundæ

Baron. num. xcix & ſeqq. Metropoleos Epiſcopus. Septimus eſt *Ithacius*, vocatus *Itacius* ab Iſidoro Hiſpalenſi, *Claruſque* cognominatus. Hic Epiſcopus Hiſpaniæ erat, & veroſimiliter *Oſſonobenſis*, ut exiſtimat Mariana, quia Sulpicius Severus vocat eum Epiſcopum *Soſſabenſem*, quod nomen corruptum. *Oſſonoba* autem urbs Luſitaniæ fuit. Nomina ceterorum vel corrupta, vel eorum Sedes adhuc ignotæ. Ceterùm Severus Sulpicius de hac hæreſi loquens, ait: *Primus eam intra Hiſpanias Marcus intulit, Ægypto profectus, Memphi ortus: hujus auditores fuere, Agape quædam non ignobilis mulier, & Rhetor Helpidius.* Qui Helpidius non videtur diverſus ab Helpidio in Concilio Cæſaraugustano damnato. Quare *Marcus* iſte alius à Marco auctore ſectæ *Marcoſiorum*, cujus mentionem facit Irenæus lib. 1. cap. 89. & de quo loquitur Baronius anno CLXXV num. XXIV & ſeqq. Secta enim Priſcillianiſtarum, ex Manichæorum & Gnoſticorum dogmate conflata, ut numero præcedenti oſtendi: Manes autem hæreſim ſuam publicavit anno CCLXXVII, ſeculo ferme poſt hæreſim Marcoſiorum. Et tamen Baronius utrumque *Marcum* confundit, innixus auctoritate Divi Hieronymi, qui in Commentario ad Iſaiam cap. 44. ſcribit, Marcum in Gallias primò, deinde navigaſſe in Hiſpanias. *Et per hanc occaſionem*, inquit Hieronymus, *multaque hujuſmodi, Hiſpaniarum & Luſitaniæ deceptæ ſunt mulierculæ oneratæ peccatis*, &c. *de quibus diligentiſſimè ſcribit Vir Apoſtolicus Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis & Martyr, multarum originem explicans hæreſeon, & maximè Gnoſticorum, qui per Marcum Ægyptium Galliarum primùm circa Rhodanum, deinde Hiſpaniarum nobiles fæminas deceperunt.* Qua de re idem Hieronymus epiſt. 29. ubi magis mentem ſuam aperit. Verùm hallucinatur Sanctus Doctor, ut etiam obſervavit Hermantius in Notis ad Vitam Gallicam Sancti Ambroſii lib. 3. cap. 10. Irenæus enim de alio Marco loquitur, qui ante originem hæreſis Manichæorum devixerat, ut mox dixi. Secundò, non dicit Irenæus, *Marcum* à Rhodano in Aquitaniam, & poſtea in Hiſpaniam tranſiiſſe; ſed tantùm habet: *Talia dicentes & operantes, & in iis quoque, quæ ſunt ſecundùm nos, regiones Rhodanenſes, multas ſeduxerunt mulieres.* Verum itaque non eſt, Gallias primùm hæreſi Priſcillianiſtarum infectas fuiſſe, & Marcum, cujus meminit Irenæus, eundem eſſe cum Marco hæreſeos Priſcillianiſtarum auctore. Perperam etiam Baronius exiſtimat, Marcum hunc veniſſe ex Ægypto anno CCCLXXII, quo credit, Epiphanium ibi fuiſſe, & octoginta circiter Gnoſticos latitantes locorum illorum Epiſcopis denuntiaſſe, ut ipſemet Epiphanius ait hæreſi 26. Nam, ut Papebrocius obſervat die XII Maii, in Vita Sancti Epiphanii cap. 12. illa Gnoſticorum denuntiatio referenda ad annum circiter CCCXXVI, ut ibidem explicat, quo tempore Marcus Priſcillianiſtarum auctor nondum fortaſſe natus erat.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5875. ☉ 27 B. ☽ 3. P. 17. APRILIS.
INDICT. 10.
JESU CHRISTI 382.
DAMASI PAPÆ 17.
GRATIANI 16. VALENTINIANI JUNIORIS 8. THEODOSII 4.

COSS. *Antonius* & *Syagrius*: ille in Oriente, hic in Occidente creatus. Syagrius diverſus eſt a Syagrio, qui anno præcedenti annum aperuit, ut oſtendi in Prolegomenis ad Diſſert. Hypaticam num. XXVIII, ideoque perperam cum nota numerali à Baronio editur. Antonius erat pater Placillæ prioris Theodoſii Imperatoris uxoris. Themiſtius enim in Oratione, quæ inſcribitur, *Gratiarum actio ob pacem & ob Conſulatum Saturnini* anno ſequenti geſtum, quam Harduinus V. C. in nova Operum Themiſtii editione publicavit, Theodoſium laudat his verbis: τὴν γὰρ τῷ γένει ἀγχιστείαν πρώτην. ποιήσας τὸν [illegible] λέγω καὶ τὸν κηδεστὴν, &c. id eſt: *Poſtquam enim generis propinquitati primas* I. *Conſules.*

honoris detuliſti, patruo videlicet & affini. Ubi patruus eſt Eucherius, qui anno præcedenti Conſul fuit; affinis verò, ſeu, ut vox Græca κηδεστὴν magis propriè ſignificat, alius non eſt, quàm Antonius hoc anno in Oriente Conſul Placillæ Auguſtæ pater. Verum eſt, Zoſimum lib. 5. pag. 781. vocare Eucherium πρὸς τοῦ βασιλέως θεῖον, id eſt, *Imperatoris patruum*, nempe Arcadii, de quo ibidem loquitur. Sed vox θεῖος, quæ propriè patruum, aut avunculum ſignificat, eo in loco *propatruum* ſignificare exiſtimo, qualis erat Eucherius reſpectu Arcadii. Quinta Gratiani Auguſti Quinquennalia in hunc annum incidunt.

II. *D. Chryſoſtomus fit Lector Eccleſiæ Antiochenæ.* Ad num. XII. Nicephorus lib. 13. cap. 2. *Zenonem*, qui Sanctum Chryſoſtomum Lectorem ordinavit, Gazæ ſeu Majumæ Epiſcopum facit. Sed, cùm Zeno Epiſcopus Majumæ regnante Theodoſio creatus fuerit, ut ſcribit Sozomenus lib. 5. cap. 8. alius ſit oportet ab illo *Zenone*, qui Chryſoſtomum Lectorem ordinavit; cùm Chryſoſtomus Lector factus ſit Principatu Valentis Auguſti anno circiter CCCLXX. Baronius *Zenonem* hunc, à quo Chryſoſtomus Lector Antiochiæ eſt ordinatus, tradit, Epiſcopum fuiſſe *Tyri*, eum qui interfuit Concilio Conſtantinopolitano; & tunc abſente Meletio Vicarium ejus fuiſſe in Eccleſia Antiochena. Quæ conjectura veroſimilis. Sed, quòd Socratem reprehendit, qui *Zenonem* illum fuiſſe dixerit Epiſcopum Hieroſolymorum, in eo perſpicuè fallitur, inquit Valeſius in Notis ad lib. 6. Socratis cap. 3. Neque enim Socrates Zenonem facit Epiſcopum Hieroſolymorum; ſed tantùm ait, *Zenonem* Epiſcopum Hieroſolymis redeuntem, ordinaſſe Chryſoſtomum Lectorem Antiochiæ. *Joannem*, inquit Socrates, *Zeno Epiſcopus Hieroſolymis rediens Lectorem Antiochenæ Eccleſiæ deſignavit.* Profectus autem fuerat *Zeno* Hieroſolymam vel orationis causâ, ut mos fuit illorum temporum, vel ob aliquam Eccleſiaſticam neceſſitatem. Palladius in Vita Chryſoſtomi, ſcribit, eum à Meletio Lectorem eſſe ordinatum; quod ita intelligendum putat Valeſius, ut à Meletio id factum eſſe dicatur, quod à Zenone ejus vices agente factum eſt.

III. *Lex adverſus Apoſtatas.* Ad num. XIII. Lex 3. Codicis Theodoſiani *De Apoſtatis.* non à Gratiano, ut exiſtimat Baronius, ſed à Valentiniano juniori emiſſa, Merobaude II & Saturnino Coſſ. anno ſcilicet ſequenti. Inſcripta eſt enim *ad Hypatium PF. P.* Africæ, ut liquet ex Legg. Codicis Theodoſiani 13. & 15. *De extraordinariis.* directis ad Hypatium PF. P. & Carthagine propoſitis.

Baron. ann. 383. num. XXI.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5876. ☉ 28 A. ☽ 4. P. 9. APRIL.
INDICT. II.
JESU CHRISTI 383.
DAMASI PAPÆ 18.
VALENTINIANI JUNIORIS 9.
THEODOSII 5. ARCADII 1.

I. *Conſules.* COSS. *Merobaudes II, & Saturninus:* prior Occidentalis, cujus operâ Valentinianus junior ad Imperium evectus, de quo Ammianus lib. 30. poſterior verò Orientalis, ad quem extat non una Gregorii Nazianzeni epiſtola, qui & Comes Orientis fuit, ut liquet ex epiſtola D. Baſilii 315. Iteratus Merobaudis Conſulatus, & Auguſtea dignitas Arcadio à Theodoſio patre conceſſa Quinquennalium Theodoſii Magni hoc anno editorum indicia: ſed certum eorum annum nos docuit Themiſtius in Oratione gratulatoria ad Theodoſium de pace & Conſulatu Saturnini Ducis, quæ operâ Joannis Harduini Viri eruditiſſimi prodiit in nova Themiſtii editione anno 1684. In ea Oratione quæ modò ordine 16. eſt, Themiſtius non tantùm docet, Theodoſium Magnum currenti anno Quinquennalia dediſſe, ſed & Imperatores annis hujuſmodi ſolennibus addictis Conſulatum inire ſolitos; illum verò in Saturninum Theodoſium hoc anno tranſtuliſſe. *Magnus*, inquit Themiſtius de Conſulatu Saturnini loquens, *ex iis, quæ dixi, meritò præſens eſt habendus honor: ſed ex iis, quæ deinceps audietis, multò pluris exiſtimandus eſt. Nam, cùm ſuperioris memoriæ Imperatores omnes hoc ſibi devitandum inprimis putare conſueviſſent, ut ne Quinquennali aut Decennali vertente curriculo, eum magiſtratum à quo annus inſcribitur, cuiquam concederent: hanc tamen ille prærogativam iſti detulit, & Conſulatum dedit, neutiquam cum aliis numerandum; ſed tantò pluris æſtimandum, quantò præſentia Quinquennalia annis prioribus antecellunt. Sic quod nemini antea tributum fuit, in Imperatorio luſtro primas in Republica privatus tenet; neque hoc ſimplici ratione: ſed ita ut id in primo luſtro, & propterea grato & accepto, ſit conſecutus. Quem igitur pro ſe, quem ipſemet, quem in primo annali Imperii orbe Conſulem fecit: nonne ille beatus, & in pretio habendus, qui tot nominibus ceteros vincit, qui eundem honorem aliquando ſunt adepti.* In Diſſertatione Hypatica anno milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo ſecundo in lucem emiſſa, variis conjecturis & inductionibus innixus docui, Imperatores annis eorum Quinquennalibus & Decennalibus deſtinatis Conſulatum ſumere ſolitos, aut illum in Viros illuſtriores transferre. Fuere poſtea qui canonem illum à me ſtatutum impugnarint, illum falſum eſſe contendentes. Sed laudata Oratio Themiſtii, quæ tunc mihi prorſus ignota, quia lucem non viderat, non ſolùm hanc meam regulam, quæ ſecunda Conſulatuum Cæſareorum eſt, veriſſimam oſtendit; ſed etiam omnia Cenſorum argumenta in alias eorundem Conſulatuum regulas in medium adducta, prorſus evertit; cùm

Quinquennalia Theodoſii Magni.

Inſignis Themiſtii locus Hypat. Differt. regula mirè firmans ac elucidans.

cùm contra ceteras nihil objectum fuerit, quin contra ſecundam etiam militet; quam tamen certam indubitatamque eſſe nullus nunc negare poteſt. Valentiniani junioris Decennalia in hunc annum incidunt.

II. *Maximi Tyranni patria.* Ad num. I. *Maximum* Tyrannum *Hiſpanum* fuiſſe teſtatur Zoſimus lib. 4. Nominatur tamen à Gilda *germen plantationis Britannicæ*, & ab Auſonio de Claris Urbibus, *Rutupinus latro*, quòd, ut docet Victor in Epitome, *apud Britanniam Tyrannidem arripuiſſet*, indeque *in Galliam tranſmiſiſſet*. Nec alia mens Socratis lib. 5. cap. 11. cùm ſcripſit: μάξιμος ἐκ τῶν μερῶν τῆς βρεττανίας ὁρμῶν ἐπανίστα τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ, id eſt, ut rectè vertit Uſſerius lib. de Britannicarum Eccleſiarum primordiis pag. 198. *Maximus ex partibus Britanniæ arma contra Imperium Romanum tulit*; licèt Baronius, aliique Chriſtophorſonum ſecuti patriâ illum Britannum fuiſſe hinc collegerint. Ethelwerdus in Chronico, & Annales Anglo-Saxonici natum in Britannia aſſerunt. At Pacatus, qui tum vixit, in Panegyrico Theodoſio Magno dicto, *homines inſulanos totius incendium continentis adoleviſſe, & regali habitu exulem ſuum illos exules Orbis induiſſe* affirmans, ipſumque Maximum *Orbis extorrem, patriâque fugitivum* appellans, inter Britannos *toto Orbe diviſos*, & ea ratione *Orbis exules* atque *extorres*, ab iſto Oratore habitos, relictâ propriâ patriâ, advenam illum vixiſſe non obſcurè ſignificat, inquit Uſſerius laudatus. Maximi itaque Tyranni genus ex *Helena* Conſtantini Magni matre deductum prorſus fabuloſum, præſertim cùm *Helena* in Britannia nata non fuerit.

III. *Paſſio Sanctæ Urſulæ & ſociarum.* Ad num. II. Per hæc tempora Sancta *Urſula* cum ſociis martyrii palmâ coronata eſt; ſed ejus Hiſtoria multa fabuloſa continet, nec legitima ſunt Acta, quæ à Surio ad diem XXI Octobris ex Auctore anonymo referuntur; ſicut nec quæ citantur à Baronio in Notis ad Martyrologium Romanum, quæque in Breviariis pleriſque leguntur. Hermannus quidem Crombak Societatis Jeſu Theologus tomum integrum *de Urſula vindicata* compoſuit. Sed quam cauſam tuendam ſuſcepit, magis incredibilem reddidit. Licèt enim certiſſimum ſit, *Pontianum* & *Antherum* Pontifices Romanos immediatè ſibi ſucceſſiſſe, Crombakius tamen *Cyricium* fictitium Pontificem Romanum interſerit, qui undecim mille Virgines, relictâ Sede, fuerit comitatus, martyrii, cujus palmam in illarum ſocietate ſibi conferendam revelatione divina prænoverat, deſiderio. Uſuardi Martyrologium Caroli Calvi juſſu conſcriptum Sanctæ Urſulæ & XI millium Virginum Martyrum ad diem XXI Octobris non meminit, ſed die XX Octobris adſcribit Paſſionem *SS. Virginum Marthæ & Saulæ, cum aliis pluribus*; & quidem *Coloniæ*, ubi Martyrologium Romanum & alia recentiora S. Urſulæ & ſociarum Paſſionem die XIX conſignant. Denique Schola Sorbonica, quæ Sanctam Urſulam & ſocias, ut Patronas veneratur, in ſacro, quod in illarum feſtivitate perſolvit, Officio, de earum hiſtoria unicam tantùm Lectionem recitat, Urſulæ ſociarum numerum ſilens; & Breviariorum Colonienſium tam veterum, quàm recentium Collectores multa reſecarunt, quæ fabuloſa

Baron. num. III & ſeqq.

eſſe non dubitabant. Martyrium itaque S. Urſulæ & ſociarum certum; ſed harum numerus incertus, pluraque ad eam Hiſtoriam pertinentia prorſus fabuloſa. Rectè Martyrologium Romanum ad diem XXI Octobris, ubi priùs legebat: *In Colonia Agrippinenſi Natale ſanctarum undecim millium Virginum, quæ pro virginitatis conſtantia, martyrio vitam conſummaverunt*; nunc habet: *Apud Coloniam Agrippinam Natalis Sanctarum Urſulæ & ſociarum ejus, quæ pro Chriſtiana Religione, & virginitatis conſtantia ab Hunnis interfectæ, martyrio vitam conſummaverunt, & plurima earum corpora Coloniæ condita fuerunt.* In recognitione etiam Breviarii Romani tantæ Virginum multitudinis mentio prudenter omiſſa.

IV. *Armorica dicta Minor Britannia.* *Maximum* Tyrannum Britanniam ingenti juventute & omni armato milite ſpoliaſſe, militaribus Britannorum copiis, quæ nondum poſtea redierunt, ſecum in Galliam tranſvectis, hiſque minoris Britanniæ agros, pulſis inde Armoricis, illum diſtribuiſſe, atque Conanum Meriodacum illis præfeciſſe, Britannici nonnulli Scriptores, quos Baronius ſecutus eſt, tradiderunt; ſed Britannorum Coloniam in *Armoricam* poſt Saxonum adventum traductam eſſe, oſtendit Uſſerius in lib. de Britannicarum Eccleſiarum primordiis pag. 420. & ſequentibus. Teſtatur id vetus Scriptor Armoricanus, qui Fracanum conſobrinum Cotonii Regis Britannici cum filio ſuo è majore Britannia in *Armoricam* tranſmigraſſe oſtendens, de tempore Britannicæ Coloniæ eò deductæ iſta præmittit: *Britannorum ſoboles ratibus ad iſtam devecta eſt citra mare Britannicum terram, tempore quo gens barbara (dudum aſpera in armis, moribus indiſcreta) Saxonum maternum poſſedit ceſpitem. Tunc ſe chara ſoboles in iſtum concluſit ſinum: quo loco magnis laboribus feſſa conſedit ſine bello quieta*, inquit præfatus Anonymus in Vita Sancti Wingualoë filii Fracani memorati. Similiter & Eginhardus in Annalibus anno DCCLXXXVI: *Cùm ab Anglis & Saxonibus Britannia inſula fuiſſet invaſa, magna pars incolarum ejus mare trajiciens, in ultimis Galliæ finibus Venetorum & Caroſolitanorum regiones occupavit.* His adde Fragmentum Hiſtoriæ Franciæ à Petro Pithœo editum: *Juxta Normannos habitationem habent Britanni, qui pulſi à Britannica inſula dudum à Saxonibus, eandem regionem, quam modò incolunt, ſibi vindicantes, appellavere à ſua gente Britanniam, quæ priùs Cornu-Gallia dicebatur.* Mitto Gobelinum in Commentario Pii II lib. 3. Krantzium, & alios recentiores: pro quibus, inquit Uſſerius citatus, illud maximè facit, quòd ante tempora Childerici I Francorum Regis, qui eo propè tempore, quo Saxones in Britanniam venere, regnare cœpit, Britannorum Galliam incolentium nulla certa apud Auctores mentio occurrat; neque ulla cauſa afferri poſſit, quare vel [illegible] Dionyſii Periegetæ, vel *Britones* ſive *Brittones*, Juvenalis, Martialis, & Auſonii, de minoris hujus magis quàm de majoris Britanniæ incolis accipere debeamus. Childerico verò regnante, *Armoricam* à Britannis poſſeſſam, & *Letaviam* dictam fuiſſe, in Vita

à Joanne Boſco edita, & *Britannos de Biturica à Gothis expulſos fuiſſe, multis apud Dolenſem vicum peremtis*, in Gregorii Turonenſis Hiſtoria lib. 2. cap. 18. & Concilio Turonico I anno CCCC LXI celebrato *Manſuetum Epiſcopum Britannorum* interfuiſſe & ſubſcripſiſſe, & *Britannos ſuper Ligerim ſitos*, in Sidonio Apollinari lib. 1. epiſt. 7. legimus; cujus & ad Riothamum epiſtola extat lib. 3. epiſt. 9. in qua Britannorum illorum mores graphicè deſcribit. Poſt annum itaque Chriſti quadringenteſimum quadrageſimum ſeptimum, quo Saxones in Britanniam adventarunt, Armorica *Minor Britannia* appellata.

V. *Templa Idolorum everſa.* Baron. num. V.

Ad num. III. *Gracchus* Præfectus Urbis ſub Gratiano anno trecenteſimo ſeptuageſimo ſexto in dejiciendis idolis egregiam navavit operam. Fuit enim is Præfectus Urbi *Kalendis Decembris* illius anni, eique inſcripta Lex unica Cod. Theodoſiani *Ne in ſua cauſa quis judicet*. Anno proximo, nempe CCC LXXVII, eam quoque dignatem obtinuit: ad eum enim directa *pridie Non. Januar.* Lex 3. Codicis Theod. *De Quæſtionibus*. Gracchi meminit. Hieronymus epiſtola 7. ad Lætam, & Prudentius lib. 1. adverſus Symmachum. Quare deceptus eſt Baronius, qui quæ de *Graccho* ab utroque dicuntur, ad præſentem annum retraxit. Nempe multa eo tempore circa Religionem Paganam ſub hoc Graccho emendata. Nam & ſimulachra portentoſa Romæ ab eo exciſa, qua de re Hieronymus & Prudentius laudati; & ara Victoriæ juſſu Gratiani diruta. Ita Gothofredus in Chronologia Cod. Theod. Ceterùm anno CCC XII num. XV & ſeqq. confutavimus quæ tradit Zoſimus de Imperatoribus Chriſtianis, eos ſc. Pontificatus Maximi nomen uſque ad Gratianum tuliſſe. Quare videnda quæ ibi diximus.

VI. *Gratianus Aug. occiditur.* Baron. num. VII & ſeqq.

Ad num. IV. *Gratianus* VIII Kal. Septembris hoc anno occiſus, ut inquit Marcellinus in Chronico, non verò anno ſequenti, ut perperam Proſper in Chronico, ubi aſſerit, id factum *Merobaudis Magiſtri militum proditione*. Legendum enim, ut obſervat Hadrianus Valeſius lib. 2. Rerum Francicarum, *Mallobaudis Magiſtri militum proditione*. Merobaudes quippe, qui bis Conſulatum geſſit, fidem ad ultimum Gratiano præſtitit, eoque ab exercitu ſuo deſerto ac prodito, *Maximi* Tyranni juſſu ſibi mortem conſcivit, ut docet Pacatus in Panegyrico cap. 28. Nec refert, quòd Ammianus lib. 30. cap. 3. *Mallobaudem Regem* appellet; cùm idem Auctor lib. 31. cap. 10. prodat, Gratianum Mallobaudem Francorum Regem renuntiaſſe Domeſticorum Comitem, anno nempe Chriſti trecenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo; & Comites ſeu rectores Domeſticorum, equitum & peditum Præfectorum & Magiſtrorum militiæ auctoritati proximi fuerint, ideoque dignitate eminuerint. Natus erat *Gratianus* die decima octava menſis Aprilis anni Chriſti trecenteſimi quinquageſimi noni, ut teſtatur quoad annum Hieronymus in Chronico, & anno CCC LXVII oſtendimus. Vixit itaque *annis quatuor ac viginti*, ut habet Socrates lib. 5. cap. 11. aut annos circiter quatuor ac viginti, ut habet Sozomenus lib. 7. cap. 13. Accuratè uterque: vixit enim Gratianus annos viginti quatuor & aliquot menſes. Baronius tamen Socratem hallucinatum contendit, quòd Ammianus lib. 27. cap. 6. loquens de evectione Gratiani ad Imperium, quæ anno CCC LXVII contigit, ſcribat, Gratianum *adulto jam proximum* fuiſſe, cumque annos ſedecim imperaſſe conſtet. Addere poterat Baronius Victorem in Epitome, qui ait, *Valentinianum* ſibi ſocium in Imperio adſciviſſe Gratianum filium *necdum plenè puberem*. Verùm hujuſmodi loquendi formulæ facilè in errorem inducunt, ut paſſim ſimiles, quæ ætatem exprimunt, in hoc Opere explicantes oſtendimus. Imperii ejus annos Victor in Epitome rectè diſtinxit: *Imperavit*, inquit, *cum patre Valentiniano annos octo, dies octoginta quinque*, (die ſcilicet emortuali excluſo) *cum patruo & fratre tres*: (poſt mortem ſc. Valentiniani patris) *cum eodem fratre ac Theodoſio quatuor: & cum his omnibus accedente Arcadio, menſes ſex*: ubi utrumque extremum menſem incompletum Victor prætermittit: alioquin ſcribere debuiſſet, *menſes ſeptem & aliquot dies*: cum, ut mox viſuri ſumus, *Arcadius* die XIX menſis Januarii Auguſtus dictus ſit.

VII. *Inter Maximum & Imperatorem pax ſancita.* Baron. num. XIII & ſeqq.

Ad num. V. Zoſimus lib. 4. narrata *Gratiani* cæde, ait, *Maximum* Legatos ad Theodoſium Imperatorem miſiſſe, & Theodoſium conſenſiſſe, *ut Maximus Imperator eſſet*, ſed clam in eum bellum molitum eſſe. Rufinus verò lib. 11. cap. 15. ait: *Valentinianus in Italia degens, fratris nece atque hoſtis metu perterritus, ſimulatione oblatam pacem à Maximo, ſimulans ipſe quoque libenter amplectitur.* Duæ itaque Legationes diſtinguendæ, altera *Maximi* Tyranni ad Theodoſium M. altera à *Valentiniano juniori* ad Maximum. Utra prior fuerit, incertum. A Valentiniano D. Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus ad Maximum miſſus: Legatio verò ad Theodoſium anno ſequenti obita, ut tradit Sigonius in libro de Occidentali Imperio. Verùm eſt, Valeſium in Notis ad Socratem lib. 5. cap. 12. contendere, eam pertinere ad annum CCC LXXXVII, quo Cynegius Præfectus Prætorio fuit, quòd Zoſimus laudatus ſcribat, Theodoſium dediſſe in mandatis Cynegio Præfecto Prætorii, cùm eum ablegaret in Ægyptum, *ut imaginem Maximi conſpiciendam Alexandrinis exhiberet, publicéque poneret, & conſortem hunc Imperii factum eſſe, habita ad populum oratione declararet.* Verùm Cynegius Præfectus Prætorio fuit anno CCC LXXXIV, & quinque ſequentibus. Cúmque Poſtumianus Præfectus Prætorio Orientis ad extremum hujus anni adhuc fuerit, apparet, Maximum anno tantùm ſequenti Imperatorem à Theodoſio M. agnitum. De Cynegii & Poſtumiani Præfectura legendus Gothofredus in Chronologia Codicis Theod. ubi variæ Leges exhibentur ad Cynegium PF. P. anno ſequenti inſcriptæ. Maximus *Victorem* filium primùm Cæſarem, ac deinde Auguſtum renunciavit, ut docet vetus Inſcriptio à Sigonio citato deſcripta: DD. NN. MAG. CL. MAXIMO, ET FL. VICTORI PIIS FELICIBUS SEMPER AUGUSTIS BONO R. P. NATIS. Ubi Maximus duo prænomina habet *Magni* ſcilicet, & *Cle-*

mentis. In Nummis tamen dicitur tantùm *Magnus Maximus*: ſed Sulpicius in lib. 2. Hiſt. eum *Maximum Clementem* vocat.

VIII. *Arcadius à patre Auguſtus dictus.* Baron. num. XXII.

Ad num. VI. *Arcadius* à Theodoſio patre Auguſtus renuntiatus XIV Kal. Febr. ſeu die XIX Januarii, ut habent Auctor Chronici Alexandrini & Miſcella. Quare errant Theodorus Lector in fine libri 2. ubi hoc factum ſcribit die decima ſeptima Januarii, Socrates ac Idacius in Faſtis, qui id factum tradunt die decima ſexta Januarii. Dies XIX electus, quia Theodoſius Magnus eodem Imperium acceperat. Sic Arcadius Theodoſium juniorem filium *IV Idus Januarii*, quo Honorius ejus frater Imperator dictus fuerat, Imperii conſortem fecit, ut infrà videbimus. Si jam uſus invaluiſſet, ut diebus Dominicis, aut ſolennioribus Feſtis hujuſmodi nuncupationes fierent, errores, qui in numeros irrepſere, faciliùs detegerentur; ſed hoc ſubſidio deficiente, ad conjecturas recurrendum. Porro eam inaugurationem currenti anno peractam, ex Arcadii Nummis, & Themiſtii Oratione 16. quæ eſt de pace & Conſulatu Saturnini, hujus anni initio recitata, certum redditur. Cangius lib. *de Familiis Byzantinis Auguſtis*, duos Arcadii Nummos producit, in quorum poſtica legitur: CONCORDIA AAAA. quæ quatuor ultimæ literæ quatuor Auguſtos denotant, nimirum Gratianum, Valentinianum juniorem, Theodoſium & Arcadium. Hæc enim Numiſmata poſt præſentem annum, quo Gratianus menſe Auguſto occiſus eſt, cudi non potuere. Parte alia, ante currentem annum Arcadius eam dignitatem non obtinuit: Themiſtius enim loco citato Theodoſium laudans, quòd Saturninum in hunc annum Conſulem deſignaſſet ait: *Cùm in poteſtate eſſet tua, ſi nondum tibi tempeſtivum illum honorem* (nempe Conſulatum) *judicares, unicum tuum deſignare filium, hunc, inquam, cùm pro te renuntiare liceret; (quod & antiquis & recentioribus Imperatoribus ſolenne fuit, ut illud tanquam futuri Principatûs initium, liberis ſuis ante purpuram traderent) cùm hæc facere tibi omnia liceret, noluiſti tamen.* Nondum itaque hujus anni initio, quo ea Oratio dicta, Arcadius Imperator erat.

IX. *Collatio de Fide à Theodoſio Mag. indicta.* Baron. num. XXIV & ſeqq.

Ad num. VII. Imperatores Chriſtianos annis, quibus *Quinquennalia* & id genus feſta edidere, Religioni conſulere, & ad reducendos Hæreticos *collationes indicere* ſolitos, variis exemplis oſtendi. Luculentum hoc anno Theodoſii Magni Quinquennalibus nobilitato, ſeſe offert. Poſt Conſtantinopolitanam Synodum OEcumenicam à biennio celebratam, quâ Eunomiani, Ariani, Macedoniani ſeu Pneumatomachi inter ceteras hæreſes condemnati ſub Theodoſio M. fuerant, Eccleſiæque Orthodoxis Epiſcopis reſtitui juſſæ: vice verſa Hæreticorum, præſertim eorundem, cœtus prohibiti Lege 8. Codicis Theod. *De Hæreticis.* eodem anno data, & Lege 9. ejuſdem Codicis *De Hæreticis.* anno præcedenti emiſſa. Nihilominus in multis Imperii Præfecturæ Orientalis partibus tumultus exinde exorti, & Hæretici Imperialium Conſtitutionum executioni omni opere intercelſere. Quare Theodoſio viſum, hoc anno novam Synodum *Conſtantinopoli* indicere, quò etiam conventum *menſe Junio*, ut memorant Socrates lib. 5. cap. 10. & Sozomenus lib. 7. cap. 12. eò nempe fine, ut paci Eccleſiæ tandem conſuleretur, atque in unam Fidem mutuo Epiſcoporum congreſſu coïretur. Et verò Arianorum, Eunomianorum, Macedonianorum anteſignani eò convenere, tentatique ibi eorum animi duplici potiſſimùm ratione. Provocati quippe primùm ad *Patres & Scriptores*, qui Eccleſiæ diſtractionem præceſſerant; deinde *Formula Fidei* à ſingulis expetita: verùm irrito hæc omnia conatu. Quare ad juſſiones & ſanctiones animum rurſus appulit Theodoſius M. Lege 11. Codicis Theod. *De Hæreticis.* hoc anno emiſſa; ſequenti verò anno Lege 12. ejuſdem Codicis *De Hæreticis*, quæ diſtrictior & ſeverior. At quàm parum, vel quàm lentè ea Lex executioni tradita fuerit, & quidem in ipſa urbe Conſtantinopolitana, oſtendit Lex ejuſdem Codicis 13. *De Hæreticis.* haud integris quinque menſibus poſt Legem 12. data: imò & Lex 14. *De Hæreticis.* anno CCCLXXXVIII lata, quâ urbibus expelli, contrà loca abdita adire Hæretici quicunque jubentur: iidemque Clericos vel Epiſcopos conſtituere, habere, cœtus agitare, privatim publicéque prohibentur. Supplicandi tandem ſibi contra id Theodoſius Magnus aditum Hæreticis intercludit. Vide plura apud Gothofredum in harum Legum Commentariis, è quibus hæc excerpta.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5877. ☉ 1 G F. ☽ 5. P. 24. MART.
INDICT. 12.
JESU CHRISTI 384.
SIRICII PAPÆ 1.
VALENTINIANI JUNIORIS 10.
THEODOSII 6. ARCADII 2.

I. *Conſules.*

COss. *Clearchus* & *Richomeres*, prior Orientalis, poſterior Occidentalis, ut liquet ex iis, quæ de utroque habet Gothofredus in Proſopographia Codicis Theodoſiani.

II. *Obitus Damaſi PP.* Baron. num. XVIII & ſeqq.

Ad num. II. *Damaſum* Romanum Pontificem præſenti anno demortuum teſtatur Proſper in Chronico, & evincit Epitaphium Siricii ejus ſucceſſoris, de quo Epitaphio anno ſequenti. Hoc tamen in dubium revocat Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum, quòd Marcellinus in Chronico Siricii initium ſub præcedentis anni Conſulibus conſignet. Sed Marcellinus in hujus ſeculi rebus referendis ita frequenter in Chronologiam peccat, ut mirum non ſit, in Siricii exordio ſtatuendo erraſſe. Hieronymus in Martyrologio ad IV Idus Decembris, ſeu ad diem X Decembris, ait: *Romæ Depoſitio Sancti Damaſi Epiſcopi*; quod in auctiori Chronico veterum Pontificum die XI Decembris accidiſſe dicitur: *Sepultus eſt in Baſilica ſua III Idus Decembris, cum matre ſua & germana:* Eundem diem exhibet Catalogus à Papebrocio publicatus, cujus titulus *Nomina Apoſtolicorum.* Qua ex diverſitate juxta regulam à nobis ſtatutam apparet, *Damaſum* die decima De-

cembris ad Deum migraſſe, & poſtridie ſepulturæ mandatum eſſe. Quare cùm in Catalogo citato *de Nominibus Apoſtolicorum*, legatur, Damaſum ſediſſe *annos octodecim, menſes duos, dies decem*, liquet, eum Pontificatum iniiſſe die prima menſis Octobris anni trecenteſimi ſexageſimi ſexti: in eam enim diem Dominica incidebat. Anaſtaſius habet *dies undecim*, ſed mendosè.

III. *Opera Damaſi PP.* Baron. num. XXI.

Ad num. III. Opera S. *Damaſi* à Martio Milelio Zarazanio collecta; ſed epiſtola 8. quæ dicitur ſcripta *Stephano Archiepiſcopo Concilii Mauritaniæ & univerſis Epiſcopis Africanæ Provinciæ*, ſuppoſititia eſt, ut oſtendit ſubſcriptio: *Data Flavio & Stilicone VV. CC. Coſſ.* Flavius enim Stilico unus & idem eſt, qui anno CCCC Aureliano Collega, & iterum anno CCCCV Anthemio Collega Conſulatum geſſit. Præterea prænotatur epiſtola: *Damaſus ſervus ſervorum Dei, atque per gratiam ejus Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ urbis Romæ*: cùm tamen ante Martinum I Pontifices Romani vix ſeſe *ſervos ſervorum Dei* in epiſtolis appellarent. Liber etiam Pontificalis, ſeu Pontificale tomis Conciliorum inſertum Damaſo perperam attribuitur, ut inter Eruditos convenit. Nec denique Hieronymi ad Damaſum, & Damaſi ad Hieronymum epiſtola, inter Opera Damaſi numeranda, ut oſtendit Schelſtratius in 2. parte Antiquit. illuſtr. Quoad Catalogum veterum Pontificum, qui in Liberio Papa deſinit, quique Damaſi Chronici nomine à nobis appellatus eſt, Damaſi partum non eſſe, rectè vidit Baronius. Hujus tamen Catalogi, utpote pervetuſti, auctoritas magni ab omnibus facienda; cùm ad Chronologiam Pontificiam uſque ad Liberium ordinandam Opus certius non ſuperſit. Damaſo ſucceſſit Siricius, & quidem currenti anno die XV Decembris, in quam Dominica incidebat. Qua de re anno ſequenti.

IV. *Honorius poſtea Imp. naſcitur.* Baron. num. XLIII & ſeqq.

Ad num. VIII. Auctor Chronici Alexandrini ſub hujus anni Conſulibus ait: *Eodem anno natus eſt Honorius germanus frater Arcadii Aug. menſe Gorpiæo ſeu Septembri, V Idus Septembres.* Idem habent Socrates lib. 5. cap. 12. & Idacius in Faſtis. Mater ejus fuit *Placilla*, prima Theodoſii Magni uxor, ex qua tres liberos ſuſcepit, (Gratianum ſc. Arcadium, & Honorium) ut teſtatur Nyſſenus in Oratione Funebri de hujus Reginæ laudibus. Gothofredus hoc anno in Chronologia Cod. Theod. dicit, Claudianum in quarto Honorii Conſulatu v. 153. & v. 372. referre hoc Natale Honorii in annum ſequentem. Sed qui Claudiani verſus accuratè expenderit, hunc tantùm obſcurè locutum fuiſſe comperiet. Honorius non multò poſt nativitatem *Nobiliſſimus* atque unà *Conſul* deſignatus fuit, ut teſtatur Theophanes. Unde Idacius in Faſtis ſub hujus anni Conſulibus habet: *Ipſo anno natus eſt Honorius nob. in purpuris die V Id. Sept.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5875. ☉ 2 E. ☽ 6. P. 13. APRIL.
INDICT. 13.
JESU CHRISTI 385.
SIRICII PAPÆ 2.
VALENTINIANI JUNIORIS 11.
THEODOSII 7. ARCADII 3.

COSS. *Flavius Arcadius Aug.* Orient. & *Bauto* Occident. de quo anno CCCXCIV, quo *Eudoxiam* filiam Arcadio Aug. uxorem dedit. Arcadii Conſulatus juxta primam regulam; cum enim Trajani aliorumque multorum exemplo in præſentem annum diſtulit. I. *Conſules.*

II. *Siricius anno præcedenti Pontifex Rom. creatus.* Baron. num. V.

Ad num. II. Sanctus *Siricius*, non hoc anno, ut Baronius in Annalibus, & Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum Romanorum exiſtimarunt, ſed præcedenti ſubrogatus eſt in locum Damaſi. Et ratio eſt, quia in Epitaphio Siricii de eo legitur:

Ter quinos populum in annos, qui rexit amore,
Nunc requiem ſentit cæleſtia regna potitus.

Cùm autem Siricius ſub finem anni trecenteſimi nonageſimi octavi è vivis exceſſerit, liquet, eum anno præcedenti Pontificatum iniiſſe, & quindecim illos annos utrinque incompletos fuiſſe. Nec mirum, Poëtam, qui Epitaphium illud compoſuit, dies aliquot pro anno numeraſſe; cùm etiam Hiſtorici hunc loquendi modum aliquando uſurpent, ut patet de Suetonio in Nerone, qui huic ideo annos triginta duos attribuit, quia à XVIII Kalend. Januarias anni Chriſti XXXVII, quo die natus eſt Nero, ad Kalendas Januarii anni Chriſti XXXVIII annum unum numerat, adeo ut dies XVI pro anno integro poſuerit, ut de Nerone loquentes explicavimus. Sic Theodorus Lector lib. 2. ſcribit: *Arcadius filius ejuſdem Magni Theodoſii, imperare cœpit menſe Januario, die decimo ſeptimo, poſt annos quinque, quàm pater ipſius Imperator fuerat nuncupatus*; ubi quintus Imperii Theodoſiani annus diebus decem & ſeptem coarctatur, annique Theodoſii Juliani numerantur, non verò Imperii ejus anni. Similia paſſim exempla occurrent.

III. *Ceſſatio Sedis Romanæ poſt mortem Pontificum.*

Ceterùm, tam in libro Pontificali, quàm in auctiori Chronico veterum Pontificum, ceſſatio Epiſcopatûs, poſt Damaſi, Siricii, Innocentii & Zoſimi regimen, qui immediatè ſibi ſucceſſere, malè annotatur. Nam in auctiori Chronico poſt Damaſi obitum dicitur ceſſaſſe Epiſcopatum dies XXXVI, poſt Siricii mortem dies XX, & poſt Anaſtaſii, Innocentii, & Zoſimi Pontificatum dies XXI; quamvis vix contingere potuerit, ut æquali dictum intervallo Sedes per ea tempora vacaverit. Præterquam quòd Interpontificia tam diuturna eſſe non potuere, ſi Pontifices illi tot annis, menſibus ac diebus, quos ei Catalogi attribuunt, ſederint. Cum itaque in libro Pontificali ea meliùs quàm in illo Chronico non memorentur, ex conjectura eorum Pontificum exordium collocandum. Dama-

ſus itaque die x Decembris anni præcedentis obiit, & dies undecim Sedes vacaſſe videtur, ad diem nempe x x i i ejuſdem menſis, quæ in Dominicam incidebat. Niſi enim *Siricius* anno antecedenti Pontificatum adeptus eſſet, in ejus Epitaphio ſupra laudato non diceretur, cum *ter quinque annos* Eccleſiam rexiſſe.

IV. *Decretalis Siricii P. P. fruſtra impugnata.* Papebrocius laudatus, qui Siricii initium cum die v Januarii currentis anni copulat, arbitratur, ſubſcriptionem epiſtolæ Siricii ad *Hymerium Tarraconenſem Epiſcopum* datæ *III Idus Februarii Arcadio & Bautone VV. CC. Coſſ.* quam Baronius recitat, ex duplici capite ſuſpectam eſſe. Primò, quia aliæ hujus Pontificis epiſtolæ carent Conſule, nec in præcedentium Pontificum germanis epiſtolis, neque in iis, quas Epiſcopi alii ad Romanos Pontifices, imò & ad hunc Siricium dedere, notatur hactenus data dies vel Conſulatus; ut omnino videatur necdum uſus iſte in ſignandis epiſtolis obtinuiſſe. Secundò, ſuſpectus meritò eſt communis utrique Conſuli titulus: nemo enim ea ætate ſic ſcripſerit, ſed benè: *Arcadio Aug. & Bautone V. Clar. Coſſ.* Ita Papebrocius. Sed cùm epiſtolam legitimam eſſe appareat, ob ea aliaque hujuſmodi motiva in dubium non revocanda. Nam licèt verum ſit, Epiſcopos ad Romanum Pontificem ſcribentes literas Conſulum nominibus ſignare ſolitos non fuiſſe, Pontifices tamen Romani à Siricio ſuas Conſulum nominibus munire incepere; quamvis licèt in eo uſu conſtantes non fuerint, eorumque nomina non rarò prætermiſerint. Præterea nonniſi Librarii errore ſcriptum eſt, *Viris clariſſimis*, cùm in exemplari eſſet; *Vir clar.* id eſt, *Viro clariſſimo*. Qui error aliàs ſæpe ab Exſcriptoribus commiſſus. Epiſtola Siricii anno ſequenti data Conſules etiam ſubſcriptos habet, eaque ſubſcriptio immeritò à Papebrocio in dubium etiam vocata, ut tunc videbimus. Ob eam ſubſcriptionem ait Papebrocius, priorem epiſtolam alioquin probam, laudem integræ undequaque ſinceritatis amittere; & ſecundam eadem laude novo titulo juſtiùs privari. Quare non mirum, ſi in illis ſubſcriptionibus, variiſque loquendi formulis tuendis, majorem operam quàm par eſſe videretur, impendamus; cùm ex hujuſmodi minutiis res magni momenti ſæpe pendeant. Hæc prima Decretalium Romanorum Pontificum, quam Eruditi paſſim tanquam veram agnoſcunt, primaque, quæ in antiquis Eccleſiæ Latinæ Collectionibus legitur. Neque ea in dubium revocanda, cùm ſola in Dionyſii Exigui Collectione reperiatur, ex eaque deſumta ſint quæcumque Creſconius ex Siricii decretis citat.

V. *Theophilus fit Epiſcop. Alexādrin.* Ad num. VII. *Timotheus* Epiſcopus Alexandrinus obiit die viceſimo ſexto menſis *Epiphei*, inquit Theophanes, cui ſuffragatur Auctor Patriarcharum Copſitarum, qui ait, eum diem concurriſſe cum Dominica. Quare cùm dies ille x x v i Epiphæi concurrat cum die viceſimo menſis Julii, qui currenti anno Dominicalis fuit, liquet, *Timothei* obitum rectè à Baronio conſignatum. Scripſit, teſte Sozomeno lib. 6. cap. 29. Vitam Sancti *Apollo*, & aliorum Monachorum, qui in Ægypto, imperante Theodoſio, floruerunt, quo Opere modò non extante *Palladium* uſum, non dubitandum; cùm Rufinus lib. 2. cap. 29. alios ante ſe Sancti Macarii Alexandrini miracula ſcripſiſſe teſtetur. Facundus lib. 4. cap. 2. epiſtolam ejus ad Diodorum refert, ubi ſe Divi Athanaſii diſcipulum Timotheus profitetur. Timotheo ſucceſſit *Theophilus*.

Baron. num. xxx.

VI. *Obitus Placillæ uxoris Theodoſii Magni.* Ad num. VIII. *Placilla* ſeu Flacilla *Antonii* nuper Conſulis filia, quam Theodoſius ante Imperium uxorem duxerat, hoc anno obiit, ut Auctor Chronici Alexandrini inſinuat. Baronius *Flacillam* appellatam fuiſſe contendit. Lambecius verò tomo 2. Bibliothecæ Cæſareæ pag. 586. *Placillam*: ex Antiquis enim alii eam Placillam, alii Flacillam vocant. Eâ defunctâ, Theodoſius Gallam Valentiniani ſenioris ex Juſtina filiam, uxorem duxit anno c c c l x x x v i i, ut rectè Baronio obſervatum. Fuit Placilla mater Arcadii, Honorii, & Gratiani, qui præmaturè obiit, quique tamen matri ſuperſtes fuit, ac præterea Pulcheriæ ante matrem demortuæ. Patent hæc partim ex Gregorio Nyſſeno Oratione in funere Placillæ ſub finem, partim ex Ambroſio in Orat. de obitu Theodoſii Magni. Ait Nyſſenus: *Dicam etiam aliquod maritalis amoris indicium & argumentum. Oportebat omnino, ſoluto corporis conjugio, etiam pretioſa bona, quibus abundabat, venire in diſtributionem. Cum enim tres eſſent liberi (hæc enim bonorum capita ſunt) qui virilis ſexus eſſent, apud patrem reliquit, qui regno ejus præſidio eſſent. Ad ſuam verò partem ſolam filiam pertinere exiſtimavit. Vides quanto candore atque æquitate animi pariter ac indulgentiâ ſit uſa, quæ in rebus pretioſis majorem partem viro conceſſerit.* Tertii filii, cujus Cangius in *Familiis Byzantinis Auguſtis* non meminit, & filiæ nomina prodit Ambroſius citatus: *Nunc ſe Auguſtæ memoriæ Theodoſius regnare cognoſcit ..... nunc ſibi Rex eſt, quando recipit etiam filium Gratianum & Pulcheriam, dulciſſima ſibi pignora, quæ hic amiſerat, quando ei Flacilla adhæret.* Gratianus itaque ante patrem deceſſit; falliturque Baronius, qui ſcribit, Gratianum ante matrem vitâ functum eſſe.

Baron. num. xxxiii.

VII. *D. Ambroſius vexatur.* Eſt hic primus annus perſecutionis à *Juſtina* Auguſta adverſus *Ambroſium* Mediolanenſem Epiſcopum excitatæ, quam anno ſequenti explicabimus.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5879. ☉ 3 D. ☽ 7. P. 5. April. Indict. 14.
Jesu Christi 386.
Siricii Papæ 3.
Valentiniani Junioris 12.
Theodosii 8. Arcadii 4.

I. *Conſules.* Coss. *Honorius Nobiliſſimus puer*; & *Evodius*; ille in Oriente, hic in Occidente: anno enim præterito Maximi Tyranni Prætorio Præfectus fuerat. Conſulatus Honorii juxta primam regulam; anno enim c c c l x x x v *Puer Nobiliſſimus* dictus.

II. *Decretalis Siricii non* Ad num. II. Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum veterum Pontificum, dubitat de integritate epiſtolæ à Si-

bene impugnata.

ricio Papa in Concilio Romano hoc anno celebrato ſcriptæ *ad Epiſcopos Africæ*, datæ *Romæ in Concilio Epiſcoporum octoginta, ſub die VIII Idus Januarii, poſt Conſulatum Arcadii Auguſti & Bautonis Virorum clariſſimorum Conſulum.* Inſolens, inquit Papebrocius, formula, cóque difficiliùs recipienda, quòd annus per priorem Conſulatum ſignetur, quo tamen anno magiſtratum illum iniviſſe ſciebantur Honorius N. P. & Fl. Evodius: "quantò enim major fuit hujus Conſulatus lætitia per Imperium, tantò minùs debuerunt hæc nomina ſileri. Neque dubites, utrum Romæ ſciri tam citò potuerit, quinam Conſtantinopoli declarati fuerint Conſules, cùm ſoliti fuerint pluribus menſibus antea nominari & publicari, qui erant cum novo anno magiſtratum inituri; ex eoque die glorioſo deſignati Conſulis titulo honeſtari." Ita Papebrocius. Sed levis hæc conjectura. Jamdiu enim ea formula in uſum vocata erat; & quia in Occidente initio anni ſæpe ſciri non poterat, qui Conſul in Oriente deſignatus fuiſſet, & vice verſa, in cujuſque arbitrio relictum uti hac formula *Poſt Conſulatum*, vel ſolius Occidentalis Conſulis nomine Acta publica ſignare in Occidente; & ſolius Conſulis Orientalis in Oriente, ut in Diſſert. Hypatica oſtendi. Præterea, quando qui anno præcedenti Conſulatum geſſerant, illuſtriores erant, præfata formula ſæpe uſurpata. Quare cùm Arcadius Auguſtus eſſet, non mirum ſi in Concilio Romano ea formula adhibita fuerit. Denique valde incertum, an Romæ Honorii deſignatio hujus anni initio innotuerit: tardiùs enim Conſules creati videntur, quòd in tractatione pacis Theodoſium ac Valentinianum inter & Maximum Tyrannum conventum fuerit, ut Evodius, qui Præfecturam Galliarum ſub Maximo gerebat, Conſul in Occidente procederet. Ex ea itaque ſubſcriptione potiùs inferendum, pacta fœderis anno præcedenti in finem vergente tranſacta eſſe, eamque ob rem Conſules, qui in hunc annum deſignati fuerant, tardiùs nuntiatos. Ex hoc dubio aliud Papebrocio natum, quòd nempe epiſtola interpolata fuerit; ſed illo ſublato, iſtud negotium faceſſere non poteſt.

Baron. num. II.

III.
D. Ambroſius à Juſtina Aug. vexatus.

Baron. num. X & ſeqq.

Ad num. III & ſeqq. Divi *Ambroſii* perſecutio à *Juſtina* Auguſta Valentiniani junioris matre excitata biennio duravit, eaque anno præcedenti cœpta, currentique continuata, ut oſtendit Lex 4. Codicis Theodoſiani *De Fide Catholica*, quæ præſenti anno x Kal. Feb. Mediolani data eſt, quâ Valentinianus Imp. Arianis conventus agendi poteſtatem fecit. Anno itaque trecenteſimo octogeſimo quinto, Juſtina Auguſta, quæ Arianam ſectam amplectebatur, egit cum Divo Ambroſio, ut Baſilicam Arianis concederet, ubi ſuos & ipſi conventus celebrarent. *Ambroſius* nullis promiſſis, aut minis ad id inflecti potuit. Unde in Oratione *de non tradendis Baſilicis*, quam anno ſecundo perſecutionis ſuæ recitavit, ait: *Quaſi vero ſuperiori anno, quando ad Palatium ſum petitus, cum præſentibus Primatibus ante Conſiſtorium tractaretur, cùm Imperator Baſilicam vellet eripere, ego tunc aulæ contemplatione regalis inflexus ſim, conſtantiam non tenuerim Sacerdotis, aut imminuto jure diſceſſerim.* Hinc Juſtina impotens irâ, auctrix Valentiniano fuit, ut Legem illam hujus anni initio publicaret. Quare Proſper in Chronico Imperiali initium perſecutionis Sancti Ambroſii rectè anno præcedenti, quemadmodum & Sigebertus in Chronico, conſignarunt.

IV.
Floret S. Felix Epiſcop. Trevirenſis.

Baron. num. XXVIII.

Ad num. VII. Bollandus menſe Januario refert Vitam Sancti *Felicis* Epiſcopi Trevirenſis, ſed poſt Normanorum deprædationes, proindeque poſt annum octingenteſimum octogeſimum ſecundum ſcriptam. Anno CCCXCVIII, quo Concilium Taurinenſe poſt D. Martini Turonenſis Epiſcopi mortem celebratum, adhuc extra communionem Epiſcoporum Catholicorum erat, & poſt illud in eam receptus, ut oſtendit Browerus in Hiſtoria Trevirenſi lib. 4. cap. 102.

V.
Obitus S. Cyrilli Hieroſolymitani.

Baron. num. LVII.

Ad num. XIV. Sanctus *Cyrillus* Epiſcopus Hieroſolymitanus hoc anno ad Deum migravit, ut rectè Baronius. Auctor enim Tabularum Theophani inſertarum annos ei triginta quinque tribuit. Ex quo & liquet, Epiſcopatus ejus initium rectè à nobis fuiſſe conſignatum. Cyrillo ſucceſſit Joannes, quem Henſchenius & Papebrocius in Hiſtoria Chronologica Patriarcharum Hieroſolymitanorum primum Hieroſolymorum Patriarcham faciunt. Verùm, Patriarchatus ille ſæculo tantùm ſequenti poſt Concilium Epheſinum exortus eſt.

V.
Theodoſii de Grothingis victoria.

Theodoſius Imperator Thraciam ab hoſtibus *Grothingis* victis & expugnatis vindicavit, ut teſtatur Claudianus in quarto Conſulatu Honorii à v. 621. ad 635. qui id haud obſcurè huic Honorii Conſulatui adſcribit, uti Marcellinus in Chronico, Idacius in Chronico, & Idacius in Faſtis, qui diem etiam, quo Conſtantinopolim Theodoſius rediit, annotavit: *His Conſſ.* inquit, *victi atque expugnati, & in Romania captivi adducti gens Grothingorum à noſtris. Theodoſio & Arcadio deinde cum victoria & triumpho ingreſſi ſunt Conſtantinopolim die IV Idus Octob.* Marcellinus in Chronico tantùm ait: *Victorque cum Arcadio filio ſuo urbem ingreſſus eſt.* Neque enim verè hoc anno Theodoſius triumphavit, ſicuti nec anno CCCLXXX; licèt Marcellinus in Chronico eo anno ſcribat: *His Coſſ. Theodoſius Magnus, poſtquam Scythicis gentibus triumphavit*, Eccleſias Orthodoxis reſtituit. Semel enim Theodoſius, idque de Maximo Tyranno, triumphavit, & Pacatus in Panegyrico, quem tunc Theodoſio dixit, hunc aliàs triumphaſſe non memorat; licèt de Scythicis victoriis numero 22. mentionem faciat, Scythicos triumphos non prætermiſſurus, ſi verè ducti fuiſſent. Hujuſmodi itaque loquendi formulis aliud non denotant Scriptores, quàm Imperatorum ſolemnem in urbem introitum poſt inſignem aliquam victoriam reportatam. Veri enim triumphi aut cum Decennalibus & id genus feſtis fuere conjuncti; vel ſi aliis annis acti, Imperatores Conſulatum capeſſiere, ut ſæpius jam dixi. Geſta porrò contra Grothingos narrat Zoſimus lib. 4. pag. 762.

VI.
Cura Templorum Gentilium Chri-

Imperante Conſtantino Magno licuit adhuc Gentilibus ſua ſolemnia vel in totum, vel in partem publicè agitare. Reparata dein poſt Julianum Apoſtatam Chriſtiana Religione ſub

ſtianis interdicta.

Valentiniano ſeniore, ſua quoque Paganis ſententia, ſui ritus, templaque & templorum ſolennia relicta fuere. Theodoſio demum imperante, & ſacrificia aliquandiu agitare licuit, ad annum ſcilicet Chriſti CCC XCI, quo Valentinianus junior Theodoſii M. conſilio Romæ & in Italia ſacrificia hoſtiarum ſeu victimarum, templorumque ingreſſum & ſimulacrorum cultum prohibuit Lege 11. Cod. Theod. *De Paganis.* eo anno Mediolani emiſſa, & in Annalibus à Baronio memorata. Quare, ut hoc obiter obſervem, non debuit mirari Cardinalis doctiſſimus, quòd anno CCC XC *Voluſianus* quidam Romæ aram quandam ad ſacrificia dedicarit, nec exiſtimare, id à Voluſiano in propriis ædibus factum: ad privatorum ſacrorum uſum; cùm id ante annum CCC XCI Legibus non inhiberetur. Deinceps, ſacrificiis quamlibet interdictis, quædam adhuc ſolennitates, veluti convivia, feſta, ludique Gentilibus permiſſi. Currenti autem anno *XVI Kal. Jul. Cpoli* Theodoſius M. dedit Legem 12. Codicis Theod. *De Decurionibus.* in qua ait: *In conſequenda Archieroſyna ille ſit potior, qui patriæ plura præſtiterit, nec tamen à Templorum cultu obſervatione Chriſtianitatis abſceſſerit.* Quam Legem, cùm Baronius in Annalibus omiſerit, ex Gothofredo in ejus Commentario hic explicabo. Quid eſſet *Archieroſyna*, & ipſo nomine patet, & diſertè hæc Lex docet: quæ enim initio ejus *Archieroſyna* dicitur, eadem mox definitur & deſcribitur, *munus eſſe, ad cujus curam Templa & Templorum ſolennia pertinent*; ubi *Templorum* appellatione, ut alibi paſſim, Templa Gentilium propriè intelliguntur. Ad eum itaque qui huic muneri præficiebatur, pertinebat Templis præeſſe, & cuique quod conveniret tribuere, externumque ornatum, qui ſub ſenſus caderet, adcurare; Sacerdotes demum in officio continere, honeſtatique eorum conſulere. *Solennia* verò *Templorum* erant, quæ votorum, id eſt, lætitiæ publicæ & religioſæ, celebritates dicuntur in Leg. 8. Codicis Theod. *De Paganis.* Vota publica Leg. 17. *De Paganis.* Feſti Conventus civium, communiſque lætitia hominum, dicta Lege 17. Ludi ſeu priſcarum voluptatum ſolennitates, Lege 3 *De Paganis.* quibus ſcilicet ſuperſtitionis Templorum, ſeu Gentilitatæ aliquid adhærebat. Feſta item convivia indidem profecta, eodémve pertinentia, ut colligitur ex Lege 19. *De Paganis.* Kalendarum item Januariarum per hæc adhuc tempora ſolennitas, quæ & feſtis conviviis peragebantur. *Vota* item propriè ita dicta, quæ tertio die Kal. Jan. pro ſalute Principis in Templis ſuſcipiebantur, feſtiſque pariter conviviis tranſigebantur: quæ agitata adhuc ſub Theodoſio Magno per Aſiam fuiſſe, prodit ejus ævi Scriptor Eunapius, ſub finem Vitæ Maximi pag. 115. quæ & ipſa in Synodo Trulienſi canone 62. βοτὰ dicuntur.

VIII. *Templa Gentilium eorumque ſolennia curare Chriſtianos, illicitum.*

Ad hæc itaque & ſimilia Templorum ſolennia, eorumque curam, Chriſtianos hoc ævo Gentiles adigendos putabant. Quare & Synodi & Principes, quantum in ſe fuit, huic rei obviàm ivere: & hac quidem Lege Theodoſius M. vetitis Chriſtianis ab horum ſolennium cura, *Archieroſyna* dicta, quæ Curialibus ſeu Senatoribus civitatum, & potioribus quidem inter eos, quique patriæ plura præſtitiſſent, pro magno delata: in tantùm, ut Chriſtiani quoque Curiales eam amplecterentur; imò, quod ex hac Lege diſcimus, magna prenſatione ambirent; ideo ſcilicet quòd hoc munus, ut ipſi putabant, ſuperſtitione vacuum eſſet, etſi circa Templa, Templorumque ſolennia occupatum. Quandiu itaque Templa, Templorumque ſolennia ſteterunt, *Archieroſynæ* quoque munus ſtetit, ſeu Templorum, ſolenniumque iſtorum cura: quod Theodoſius Magnus hoc anno Lege 12. citata *De Decurionibus.* interdicit; quòd nempe etiamſi Chriſtiani *Archieroſynæ* munus obeuntes, non ipſi quidem Templorum cultu ſuperſtitioneque mentem ſuam & conſcientiam obligarent, etſi etiam ſolennia illa haud adeo ſuperſtitiosè tum implerentur, attamen vel ipſa Templa, Templorumque ſolennia *curare* Chriſtianos, non indecorum modò, verùm etiam illicitum viſum. Huc pertinet Tertulliani locus de Idololatria cap. 17. *Neque ſacrificet, neque ſacrificiis auctoritatem ſuam accommodet, non hoſtias locet, non* CURAS TEMPLORUM *deleget, non vectigalia eorum* PROCURET, *non ſpectacula edat de ſuo, aut de publico, aut edendis præſit.* Sunt etenim hæc omnia, ut & iſtud de quo hac Lege, etſi non ſacrificia, certè AD SACRIFICII ſaltem genera, quo verbo utitur Tertullianus ibidem cap. 16. Eo itaque ſolo quòd Templorum ſolennia, invectaque ea à Gentilibus ſuperſtitioſo fine aliquo eſſent, atque ita publicè celebrarentur in honorem ſacrilegi ritus, eorum curam Chriſtianis non competere cenſuit Theodoſius M. ſuperſtitioſo, inquam, fine aliquo invecta: exempli gratiâ votorum celebritates ludique in honorem Deorum ferme inſtituti erant, ut pluribus exequitur Tertullianus lib. de Spectaculis: quin, ut idem ait, paratura omnis ſpectaculorum ex idololatria conſtabat. Sic Lactantius lib. 6. Divin. Inſtit. cap. 20. *Ludorum celebrationes Deorum feſta ſunt: ſiquidem ob nativitates eorum, vel Templorum novorum dedicationes ſunt conſtitutæ.* Notumque, natales ſeu encænia & dedicationes Templorum feſtos fuiſſe, & convivia in honorem Deorum inſtituta. Qua de cauſa convivia hæc, ſicuti & ludi, in Chriſtianis improbata. Qua de re plura Gothofredus laudatus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ
5880. ☉ 4 C. ☽ 8. P. 25. APRIL.
INDICT. 15.
JESU CHRISTI 387.
SIRICII PAPÆ 4.
VALENTINIANI JUNIORIS 13.
THEODOSII 9. ARCADII 5.

COſs. *Valentinianus Aug. III, & Eutropius*: prior in Occidente; poſterior in Oriente, ut ex Proſopographia Codicis Theodoſiani verbo *Eutropius*, liquet. I. *Conſules.*

Valentiniani Conſulatus juxta ſecundam regulam; ejus enim Quindecennalia in hunc annum incidunt. Præterea Idacius in Faſtis ſcribit: *His Conſſ. Quinquennalia Arcadius* II. *Quindecennalia Valentiniani jun.*

& Quinquēnalia Arcadii.

Aug. propria cum Theodoſio Aug. patre ſuo editionibus ludiſque celebravit XVII Kal. Feb. id eſt, die XVI Januarii, quo & eum Imperatorem factum jam ſcripſerat. Quare Idacius vel in errore perſtat, vel forſan Arcadius eo die Imperator dictus. Quinquennalia enim die natali Imperii de more acta. Eadem verba recitat Marcellinus in Chronico, die tantùm omiſſo. Difficultatem faciunt illa verba ab utroque prolata, *propria cum Theodoſio Aug. patre ſuo.* Inde enim ſequi videtur, Theodoſium hoc anno Quindecennalia etiam exhibuiſſe. Verùm ea anno CCCLXXXIX edita infrà oſtendemus.

III.
D. Ambroſius à Juſtina Aug. vexatus.
Baron. num. I & ſeqq.

Ad num. II & ſeqq. Quæ hic narrantur de perſecutione S. *Ambroſii* à *Juſtina* Aug. ſuſcitata, ad annum præcedentem, qui ſecundus fuit perſecutionis hujus Sancti, revocanda. Habita enim eo anno à Sancto Ambroſio inſignis Oratio *de non tradendis Baſilicis Hæreticis.* Nam, cum Feſta Paſchalia inſtarent, juſſit Imperator ſibi concedi Baſilicam Portianam, in qua cum matre ac ceteris Arianis ſacros dies celebraret. Ambroſius in ea Oratione conqueritur *inclinatum jam vel Imperatoris judicium, quod lata Lege patefecit;* & paulò inferiùs: *Hanc ergo Legem quiſquam ſequatur, quâ firmatur Ariminenſe Concilium, in quo creatura dictus eſt Chriſtus.* Quamobrem ea Oratio habita paulò poſt eam pro Arianis Legem à Valentiniano anno præcedenti latam. Nam ſi eam recitaſſet die XVIII Aprilis, Dominicâ Palmarum currentis anni, ut vult Baronius, poſt decimum nempe quintum menſem ab ea Lege emiſſa, non dixiſſet Ambroſius, *jam inclinatum Imperatoris judicium;* cùm ante annum & menſem tertium id contigiſſet. Et ſanè cur Juſtina irarum ac minarum plena, ac ſuis Arianis impotenter favens, ejus Legis executionem in alterum annum, & quidem Mediolani præſens, diſtuliſſet? Itaque cùm anno CCCLXXXVI feſta Paſchalia inſtarent, Comites è Conſiſtorio Principis Ambroſium convenere, ut eundem ad Baſilicam tradendam inclinarent.

IV.
Ea perſecutio magis explicata.
Baron. num. XXVIII.

Rem fuſiùs narrat Ambroſius in epiſtola 14. ad Marcellinam ſororem, ſcribens: *Sequenti die* (erat enim Dominica) *poſt Lectiones atque Tractatum dimiſſis Catechumenis, Symbolum aliquibus Competentibus in Baptiſterii tradebam Baſilica.* Erat ea Dominica Palmarum, quâ die Symbolum ab Epiſcopis, Competentibus tradebatur, qui poſtea in pervigilio Paſchatis baptizabantur. Addit Ambroſius: *Ego in Baſilica veteri totum exegi diem, inde domum cubitum me recepi, ut ſi quis abducere vellet, inveniret paratum.* Nam fama erat, Ambroſium Imperatoris juſſu in exilium deportandum; quod veritus populus, eidem excubias faciebat. Id teſtatur Ambroſius ſtatim initio Orationis laudatæ: *Video vos præter ſolitum eſſe turbatos, atque aſſervantes mei. Miror quid hoc ſit, niſi fortè quia per Tribunos me vidiſtis, aut audiſtis Imperiali mandato eſſe conventum, ut quò vellem, abirem hinc,* &c. Et inferiùs: *Certè ſi Dominus huic nos certamini deputavit, fruſtra pervigiles tot noctibus & diebus cuſtodias exhibetis. Implebitur Chriſti voluntas.* Anno præcedenti Dominica Palmarum incidit in diem viceſimum nonum Martii. In eadem epiſtola narrationem proſequens Ambroſius ait: *Ante lucem, ubi pedem limine extuli, circumfuſo milite occupatur Eccleſia.* Erat feria ſecunda Majoris Hebdomadæ & dies XXX Martii. Addit Ambroſius: *Exactus eſt totus ille dies in mœrore noſtro; ſciſſa tamen ab illudentibus pueris cortina Regia. Ego domum redire non potui, quia circumfuſi erant milites, qui Baſilicam cuſtodiebant.* Itaque coactus eſt in Baſilica pernoctare. Poſtea ait: *Sequenti die* (nempe feriâ tertiâ die XXXI Martii, non autem feriâ ſecundâ, ut putavit Baronius) *lectus eſt de more liber Jonæ,* &c. Tunc verò populum hymnos ab Ambroſio compoſitos in Eccleſia cecinisse, idem teſtatur in citata Oratione: *Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum populum ferunt.* Interea milites palam Imperatori denuntiarunt, ituros ſe orandi gratiâ ad illam Baſilicam, in qua foret Ambroſius, nec ulla ratione ſe pati poſſe ab ejuſdem communione ſeparari. Tunc Imperator militarem tumultum ac iratæ plebis furorem veritus, conſilium extorquendæ Baſilicæ depoſuit. Hæc omnia Norisius in ſuo Opuſculo de Itinerario Divi Auguſtini poſt Baptiſmum.

V.
Inventio reliquiarum SS. Gervaſii & Protaſii.
Baron. num. XXXVII.

Ad num. IV. Anno trecenteſimo octogeſimo ſexto, ſub id ferme temporis, quo præcedenti numero narrata contigere, inventa ſunt ab Ambroſio corpora SS. Martyrum *Protaſii & Gervaſii.* Sanctus Auguſtinus lib. 9. Confeſſ. cap. 7. ait, opportunè detectas eas Sanctorum reliquias, *ad coërcendam rabiem femineam, ſed regiam,* nam ob patrata miracula, *illius inimica animus, etſi ad credendi ſanitatem non applicitus, à perſequendi tamen furore compreſſus eſt.* Hoc ipſum teſtatur Paulinus in lib. de Vita Sancti Ambroſii, quem Auguſtinus nuncupavit, ubi narratis miraculis in depoſitione corporum Sanctorum Martyrum factis, ait: *Denique ex hoc tempore ſedari cœpit perſecutio, quæ Juſtinæ furore accendebatur, ut Sacerdos de Eccleſia pelleretur.* Ambroſius in epiſtola ad Marcellinam ſororem, narrata Sanctorum Martyrum inventione, ait: *Acclamavit populus, ut in Dominicum differretur diem Martyrum Depoſitio: ſed tandem obtentum, ut ſequenti fieret die.* Reperta autem fuerant corpora, dum Baſilica Ambroſiana à Sancto Ambroſio dedicabatur. Ex quibus intelligimus, nondum hoc tempore Eccleſiarum dedicationes & reliquiarum tranſlationes de more die Dominica factas. In Martyrologio Romano Sancti Gervaſius & Protaſius die XIX Junii coluntur, qui dies videtur eſſe Tranſlationis biduo poſt inventas reliquias factæ, ut teſtatur ibidem Ambroſius, qui poſtquam de dedicatione Baſilicæ & inventione Martyrum locutus eſt, ait: *Ingens concurſus populi per totum illud biduum.* Tum: *Sequenti die tranſtulimus ea in Baſilicam, quam appellant Ambroſianam.* Anno autem præcedenti dies decimus nonus Junii & feria ſexta concurrunt. Quare ſi dies natalis horum Martyrum alius non eſt à die tranſlationis reliquiarum, cùm ante hanc inventionem eorum memoria Mediolani obſcura eſſet, liquet, eam Baſilicæ Ambroſianæ dedicationem

dicationem die Dominica factam non fuiſſe, licèt tranſlationis reliquiarum dies ex laudatis verbis ſatis non innoteſcat.

VI. *Secunda Ambroſii ad Maximum Legatio.*

Baron. num. XLV & ſeqq.

Ad num. V & VI. Legatio Divi Ambroſii ad *Maximum* Tyrannum, quæ hoc anno contigit, alterum nobis argumentum ſuppeditat ad oſtendendum, nec ſecundum perſecutionis S. Ambroſii annum, nec Sanctorum Martyrum Gervaſii & Protaſii inventionem præſenti anno contigiſſe. Valentinianus ac Juſtina præſenti anno Ambroſium Legatum ad Maximum Treviros miſerunt, qui re infecta dimiſſus, ad Valentinianum ſcripſit epiſt. 56. *Eſto tutior adverſus hominem pacis involucro bellum tegentem.* Quare Imperator *Domninum*, alterum pro confirmanda pace Legatum ad Maximum deſtinavit, quem *Maximus* ingenti honore exceptum, ac regiis muneribus decoratum dimittens, illum cum exercitu ſubſecutus, Cottiis ac Juliis Alpibus occupatis, ut tradit Pacatus in Panegyrico ad Theodoſium cap. 30. in Italiam deſcendens, *Aquileiam* contendit. Valentinianus verò improviſo Tyranni adventu territus; conſcenſa nave, cum Juſtina matre Theſſalonicam fugit, Theodoſii, qui in Oriente imperabat, opem imploraturus. Non ante menſem Septembrem Valentinianus Occidentem reliquit; cùm *VI Idus Septemb. Mediolani* emiſerit Legem Codicis Theodoſiani 4. *De Principibus agentium in rebus.* Paulinus in Vita S. Ambroſii poſt narrata miracula in SS. Gervaſii & Protaſii reliquiarum inventione facta, ac remiſſum Juſtinæ furorem, ait: *Sanctus verò Ambroſius Epiſcopus majoris humilitatis vir factus donatam ſibi à Domino gratiam reſervabat, creſcebatque quotidie Fide & amore coram Deo & hominibus.* Ibi verò pauló pòſt ſcribit, Ambroſium alteram ad Maximum Legationem ſuſcepiſſe. Igitur, cùm die XIX Junii ſacræ reliquiæ tranſlatæ ſint, ac poſtea ob miraculorum famam totius populi ore celebratam, Juſtina iram remiſerit, id circa exitum Junii videtur contigiſſe. Cùm verò Paulinus, antequam narret delatam Ambroſio Legationem, dicat, illum creviſſe *quotidie Fide & amore coram Deo & hominibus*, vix ante initum Auguſtum Legatione functus videtur. Neque enim Juſtina hominem heſterna die, ut ita dicam, ſibi inſenſiſſimum tam citò eo honore exornaſſet, præſertim cùm Maximus Arianos perſequeretur.

VII. *Ex ea Legatione perſecutionis annus innoteſcit.*

Hinc patet, memoratam Ambroſii perſecutionem anno præcedenti contigiſſe: neque enim intra trimeſtre ſpatium, Ambroſii & iterum Domnini Legationes, ac Maximi in Italiam irruptionem contingere potuiſſe affirmabit, qui locorum diſtantiam conſideraverit; cùm Maximus *Treveris*, Valentinianus verò *Mediolani* vel *Aquileiæ* ſubſiſteret. Zoſimus ſcribit, *Domninum* Aquileiâ Legatum deſtinatum. Maximus certè labente autumno Alpes ſuperavit, cùm circa hiemem gelu rigeant, exercitibus planè imperviæ. Confirmantur hæc omnia ex Proſpero Tyrone, in cujus Chronico per annos Imperii Romanorum Imperatorum ab obitu Valentis uſque ad Valentiniani III necem digeſto, anno CCC LXXXVI legitur: *Juſtina mater Valentiniani Arianis favens in Ambroſium & omnem Mediolanenſem Eccleſiam diverſa injuriarum genera congerit. Reliquiæ Gervaſii & Protaſii Martyrum ab Ambroſio primum Mediolani repertæ. Hymni Ambroſii compoſiti, qui nunquam ante in Eccleſiis Latinis modulis canebantur.* Hæc doctè Noriſius in Opuſculo laudato, & Hermantius in Vita Gallica Sancti Ambroſii.

VIII. *Ætas S. Ambroſii.*

Baron. num. LXI.

Ad num. VII. Ex epiſtola 57. *Ambroſii* ad Severum, in qua dicit, ſe ad annum ætatis quinquageſimum tertium vitam produxiſſe, Baronius deducit, Sanctum *Ambroſium* anno trecenteſimo triceſimo tertio natum. At, ut jam Viris doctis obſervatum, ea ad Severum epiſtola, non *Maximo*, ſed *Eugenio* Tyrannidem exercente, ſcripta videtur. Licèt enim in ea neuter Tyrannus nominetur, ſeries tamen vitæ S. Ambroſii exiſtimandi fundamentum præbet, eum circa annum CCC XL natum, ideoque anno CCC XCIII, quo Eugenius Tyrannus periit; quinquageſimum tertium ætatis annum attigiſſe.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ
5881. ☉ 5 BA. ☽ 9. P. 9. APRIL.
INDICT. I.
JESU CHRISTI 388.
SIRICII PAPÆ 5.
VALENTINIANI JUNIORIS 14.
THEODOSII 10. ARCADII 6.

I. *Conſules.*

COSS. *Theodoſius Aug. II, & Cynegius*: uterque Orientalis. Theodoſii Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam; in hunc enim annum Decennalia ejus incidunt; quæ tamen in annum ſequentem dilata fuiſſe, Theodoſii triumphus eo anno ductus exiſtimandi locum præbet: triumphi enim cum Decennalibus de more conjuncti, aut Conſulatus ab Imperatoribus ſumtus iis annis, quibus exhibiti. Præterea natali die Imperii, ſc. die XIX menſis Januarii, quo de more ea ſolennia peragebantur, Theodoſius *Conſtantinopoli* non erat, ſed *Theſſalonicæ*, quò anno præcedenti ſe contulit: ubi accepit, Valentinianum & Juſtinam matrem eò ex Occidente acceſſiſſe, ut teſtatur Zoſimus lib. 4. Quare, cùm Decennalia à menſe Januario ad alium menſem Theodoſius tranſtuliſſet, & poſtea Maximum Tyrannum debellaſſet, tam Decennalia, quàm triumphum in annum ſequentem diſtulit.

II. *Seditio Antiochena.*

Baron. num. II & ſeqq.

Ad num. I, II & III. *Seditio Antiochena*, in qua Theodoſii, filiorum ac Placillæ uxoris jam demortuæ ſtatuæ dejectæ ſunt, ad annum præcedentem revocanda, ut rectè vidit Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani. Argumentum tamen, quod à Quinquennalibus Arcadii, & Theodoſii M. Decennalibus deducit, rem non evincit; eoque etiam ad ſuam opinionem confirmandam utitur Baronius. Libanius in Oratione ad Ellebichum pag. 527. ait, ſeditionem motam occaſione exactionis tributariæ ad exercendam liberalitatem in milites, in Quinquennalibus Arcadii & Theodoſii Decennalibus. Quare, cùm Arcadius anno præcedenti Quinquennalia dederit, eo pariter anno illa ſeditio excitata. Ita Gothofredus. Verùm Libanius non de Quinquennalibus Arcadii, & Decennalibus Theodoſii, ſed de anno quinto Arcadii, decimoque Theodoſii

loquitur. Hæc Libanii verba: *Principi ob neceſſitatem Imperii pecuniâ opus fuit, maxime cùm ipſi quidem decimus, filio autem quintus Imperii annus procederent. Quo tempore ſolent Imperatores aurum militibus largiri.* Decimus Theodoſii annus die XIX Januarii currentis Chriſti anni inchoatus, eodemque die & anno ſextus Arcadiani Imperii annus cœptus eſt: neque ullo modo quintus Imperii Arcadii annus cum decimo Theodoſii concurrere poteſt, ut numeranti patet. Quare error in numeros irrepſit, ideoque nihil ex eo loco concludi poteſt, niſi circa Quinquennalia Arcadii, & Decennalia Theodoſii tumultum illum ortum eſſe.

III. *Dum Theodoſius Cpoli erat, mota ſeditio.*

Secundum Gothofredi argumentum à nobis magis corroboratum iſtud eſt, motam eſſe ſeditionem eo tempore, quo Theodoſius non Antiochiæ, ſed Conſtantinopoli conſiſtebat; quod indicat Libanius in Orat. ad Cæſarium 20. pag. 779. in Orat. ad Theodoſium 12. in priori Oratione 21. in laudem Ellebichi pag. 535. Hoc verò anno Theodoſius Theſſalonicæ fuit, idque ab anno præterito, quo Valentinianus ſibi à Maximo Tyranno timens, *navem ingreſſus, Theſſalonicam abiit, ſocia navigationis Juſtina matre*, inquit Zoſimus lib. 4. pag. 767. Addit Zoſimus, Theodoſium, cùm hoc accepiſſet, cum nonnullis è Senatu Theſſalonicam ſe contuliſſe; ibique communi decreto ſtatutum, *ut à Maximo patrata facinora punirentur*, & Theodoſius Gallam Juſtinæ Auguſtæ filiam uxorem duceret. Deinde ſubjicit Zoſimus, poſt illas nuptias Theodoſium apparando bello totum incubuiſſe. *Ob eam cauſam*, inquit, *mortuo in itinere Cynegio Præfecto Prætorii, cùm ex Ægypto reverteretur; quemnam Præfectum Prætorii conſtitueret, diſpiciebat. Accerſitum itaque Aquileiâ Tatianum, Prætorii Præfectum in patria declarat*, &c. Denique ait poſtea Zoſimus, Theodoſium cum exercitu per ſuperiorem Pannoniam Aquileiam contendiſſe. Ex quibus conſequens eſt, ſeditionem Antiochenam hoc anno contingere non potuiſſe; quia, ut rectè Baronius, ante Quadrageſimam & Paſcha ea ſuſcitata, & quidem dum Theodoſius Conſtantinopoli erat. Hic autem ultimis præcedentis anni menſibus Theſſalonicæ fuit. Ultima Lex Codicis Theodoſiani anno præcedenti à Theodoſio lata, nempe 118. *De Decurionibus.* data eſt *prid. Non. Jul. Conſtantinop.* Prior autem ejuſdem Codicis ab eo Imperatore hoc anno data eſt *VI Id. Mart. Theſſal.* nempe Lex 14. *De Hæreticis.* Lex verò 2. ejuſdem Codicis *De nuptiis.* & Lex 5. *Ad L. Jul. De adult.* dicuntur datæ *pridie Id. Mart.* Hinc colligere eſt, Theodoſium (quem anno præterito Italiam contra Maximum Tyrannum pugnaturum acceſſiſſe docet Marcellinus in Chronico, quémque Theſſalonicam Macedoniæ urbem, quò Valentinianus, Juſtina & Galla venerant, ſe contuliſſe, ibique Gallam uxorem duxiſſe, mox diximus) hujus anni initio, ſeu menſe Januario ac Februario Conſtantinopoli non fuiſſe; alioquin dicendum non eſſet, eum ſub præcedentis anni exitum Conſtantinopolim veniſſe, & currenti anno, ſæviente hieme, Theſſalonicam, ubi initio menſis Martii currentis anni erat, rediiſſe. Quod nec Zoſimus dicit, nec ullo modo veroſimile eſt, ſive Valentinianum, Juſtinam & Gallam Theſſalonicæ reliquiſſe, ſive eaſdem ſecum Conſtantinopolim duxiſſe velis.

IV. *Cynegius ad Theodoſium Theſſalonicæ agentem venit.*

Præterea ex Cynegii Præfecti Prætorio obitu intelligimus, Theodoſium prioribus hujus anni menſibus Conſtantinopoli non fuiſſe. Nam Idacius in Faſtis ſub hujus anni Conſulibus ſcribit: *Defunctus eſt Cynegius Præfectus Orientis in Conſulatu ſuo Conſtantinopoli. Hic univerſas Provincias longi temporis tabe deceptas in ſtatum priſtinum revocavit, & uſque ad Ægyptum penetravit, & ſimulacra gentium evertit. Unde cum magno fletu populi civitatis deductum eſt corpus ejus ad Apoſtolos die XIV Kal. April. & poſt annum tranſtulit cum matrona ejus Achantia ad Hiſpanias pedeſtre*, quia, ut inde colligere eſt, natione Hiſpanus erat. Mortuus eſt itaque Cynegius die XIX Martii aut aliquot ante diebus, idque *in itinere, cùm ex Ægypto reverteretur*, inquit Zoſimus laudatus, & jam Conſtantinopolim perveniſſet, ut tradit Idacius loco citato, ideoque dum Theodoſius ab urbe Conſtantinopolitana aberat. Cynegius enim Præfectus Prætorio ad Theodoſium apparatibus bellicis incumbentem ex Ægypto veniebat; ſed antequam Theſſalonicam ubi Imperator erat, ejus mortis tempore, perveniſſet, *in itinere*, Conſtantinopoli nempe, ſupremum diem obiit. In ejus autem locum *Tatianus* vir ſtrenuiſſimus ſubrogatus eſt, idque *in patria ſua*, ut habet Zoſimus loco laudato, ideoque in Lycia Aſiæ minoris Provincia natus non erat, ut à Gothofredo perperam creditum; qua de re infrà. Porro hanc ſeditionem ante Quadrageſimam & Paſcha hiberno tempore contigiſſe rectè ex D. Chryſoſtomo notavit Baronius; ſed inde diſcere poterat, rem anno præcedenti, quo prioribus ejus menſibus Theodoſium Conſtantinopoli fuiſſe certum, peractam eſſe.

V. *Theodoſius Flavianum in caſtris erat, quando Antiochenis pepercit.*

Contrariæ ſententiæ favere videtur Chryſoſtomus Homiliâ 20. ad Populum, ubi ait, *Flavianum* Epiſcopum Antiochenum, cùm à Theodoſio Antiochenſibus veniam impetraſſet, ab eo petiiſſe, ut filium Antiochiam mitteret; eique Theodoſium reſpondiſſe: *Orate hæc auferri obſtacula, hæc bella extingui; & ego veniam omnino.* Inſuper Chryſoſtomus Homiliâ 17. ad Populum, loquens de literis à Solitariis in favorem Antiochenorum ad Theodoſium ſcriptis, ait: *Literis nunc lectis in caſtris omnes ipſorum magnanimitatem admirabantur.* Et infrà de Sacerdotibus, qui animi magnitudinem in eadem cauſa oſtenderant, inquit: *Et alius quidem in caſtra ſe contulit, paratus, niſi Regi perſuaderet, mori.* Unde inferri poſſe videtur, ſeditionem Antiochenam hoc anno contigiſſe, dum bellum adverſus Maximum Tyrannum pararetur. Verùm, cùm varia bella Theodoſius geſſerit, præfata loca de alio quopiam bello, quàm de eo quod contra Maximum geſtum, intelligenda ſunt. Cùm nullus Hiſtoricus qui extet, Theodoſii Vitam ſcripſerit, quod bellum anni præcedentis initio geſtum fuerit, ſcire non poſſumus. Certè exercitus, quem Theodoſius adverſus Maximum duxit, non Conſtantinopoli, ſed Theſſalonicæ coactus fuit, ut ex Zoſimo laudato liquet. Et tamen *Flavianus*

Baron. num. xxv.

ſtatim poſt ſeditionem Antiochenam ad Theodoſium venit, ut oſtendit Baronius, cumque Conſtantinopoli allocutus eſt, & gratiam Antiochenſibus impetravit, ut teſtatur Chryſoſtomus Homiliâ 20. ad Populum. Sic quæ mox adducta ex literis Solitariorum, intelligenda de caſtris, quæ prope Conſtantinopolim erant; non verò de iis, quæ Theſſalonicæ extabant.

VI. *Maximus à Theodoſio debellatus.*

Theodoſius *Theſſalonicâ* adverſus Maximum movens, in Macedonia *Stobis* iter promovit, ubi datæ ab eo Leges Cod. Theod. 15. *De Hæreticis.* & 2. *De his, qui ſuper Religione contendunt.* prior, *XVIII Kal. Jul.* poſterior, *XVI Kal. Jul.* Inde *Scupos* venit, quæ urbs aliàs Mœſiæ ſuperioris in confinio Macedoniæ, nunc Italis *Scopia* dicta, ibique dedit Legem Codicis Theodoſiani 119. *De Decurionibus.* XI Kal. Jul. Poſt Macedoniam emensâ Pannoniâ Noricoque, (ubi duobus præliis, uno *Syſcia*, altero *Petavione*, eos, qui Maximi partes tuebantur, devicit, *Hemonamque* ultro ſe dedentem accepit) in Italiam ſeſe contulit adverſus Maximum Tyrannum, ut narrat Zoſimus lib. 4. pag. 769. Ait Baronius, Maximum prælio *Syſcienſi* adfuiſſe. Sed in Panegyrico Pacati cap. 34. ubi prælium illud ad Savam fluvium habitum deſcribitur, legitur: *Ipſum illum vexillarium ſacrilegæ factionis avidis gurgitibus abſorbuit*, (nempe Sava fluvius) *& ne morti ſepultura contingeret, cadaver abſcondit.* Quare, cùm Dux illius exercitus in eo conflictu aquis ſubmerſus fuerit, dici non poteſt, *Maximum* eidem præfuiſſe. Maximus relictâ Galliâ ſuperatiſque Alpibus Cottiis, ad Julias Alpes ſeſe contulerat, ut teſtatur Pacatus cap. 30. tandemque intra Aquileiam, amiſſa omni ſpe Imperii, quaſi amens reſedit, quinto Tyrannidis anno, teſte Pacato cap. 24. & Philoſtorgio lib. 10. cap. 8. inter clauſtra reductus, ut habet Claudianus in quarto Conſulatu Honorii v. 80. Tandem tertio milliari apud *Aquileiam* à Theodoſio M. debellatur, capiteque truncatus vel *V Kal. Aug.* ut habet Idacius in Faſtis, vel *IV Kalendas Auguſtas*, ut Idacius in Chronico, vel *VI Kalend. Septembris*, ut Socrates lib. 5. cap. 14. habet: *Sed & filius ejus Victor occiditur poſt paucos dies in Galliis à Comite Theodoſii*; inquit Idacius in Faſtis. Poſt eam victoriam Theodoſius uſque ad annum CCC XCI in Occidente remanſit.

VII. *Flavianus veniam impetrat Antiochenſibus*

Baron. num. xxiv & ſeqq.

Ad num. III. Baronius fabuloſum credit, quod Sozomenus habet, *Flavianum* nempe Antiochenſem Epiſcopum perſuaſiſſe adoleſcentibus ad menſam Imperatoris canere ſolitis, pronuntiare cantilenas, quæ in Antiochenſium ſupplicationibus erant, quia, inquit Baronius, Chryſoſtomus Homiliâ 20. ad Populum ea de re non loquitur. At Chryſoſtomus in ea Homilia illa tantùm pro concione Antiochenſibus narravit, quæ ipſe à quodam qui præſens fuerat, cùm Flavianus Theodoſium Magnum allocutus eſt, acceperat. Quare, cùm jam Antiocheni cantilenas illas ad Theodoſium placandum pronuntiatas eſſe ſcirent, opus non erat, ut in narrationem ſuam Chryſoſtomus peculiare illud factum inſereret. Ad hæc, redarguit Baronius Zoſimum, quòd ſcripſerit, Libanium unà cum

Baron. num. xi.

Hilario pro ſalute civitatis Legationem ſuſcepiſſe ad Theodoſium; quòd Chryſoſtomus Homiliâ 17. ad Populum Philoſophis exprobret, quòd univerſi civitatem omninò deſeruerint. Additque Baronius, jam hoc tempore Libanium vitâ functum eſſe. Sed non legerat doctiſſimus Cardinalis Orationem 12. & 13. Libanii ad Theodoſium M. quarum prior eſt de ſeditione Antiochena; poſterior de reconciliatione, quæ tamen ejus tempore typis Germanicis excuſæ erant. Vivebat itaque hoc tempore *Libanius*, qui cùm in Vita ſua aſſerat, ſe Joviano imperante natum fuiſſe *annos quinquaginta*, præſenti anno ad ſeptuageſimum quartum ætatis annum pervenerat. Unde verum eſt quod Eunapius in Libanio ſcribit, hunc in ſumma ſenectute obiiſſe.

VIII. *Libanius & Hilarius ad Theodoſium legati.*

Cùm itaque Chryſoſtomus Homiliam illam 17. ad Populum intra hebdomadam ſecundam Quadrageſimæ habuerit, (neque enim Homiliæ illæ ad populum Antiochenum in Operibus D. Chryſoſtomi ſine confuſione digeſtæ) ex prælata tantùm Homilia 17. deducitur, ordinem Decurionum nondum Legatos miſiſſe, cùm Chryſoſtomus Homiliam illam recitavit. Nihil porro impedit, quin Theodoſius, qui *Flaviano* Antiocheno Epiſcopo Antiochenſium veniam conceſſerat, eandem poſtea Hilario Libanioque ab Antiochenſibus miſſis rurſus annuerit. Sed Zoſimus Chriſtianæ Religionis inimicus, quæ Flavianus egit, diſſimulat, totamque gloriam in *Hilarium Libaniumque* confert, qui tamen aliqua tantùm ex parte in ejus ſocietatem venerant. Ceterùm epiſtola 18. Ambroſii ad Theodoſium, in qua de Maximo Tyranno debellato loquitur, perperam à Baronio adducta, ad probandum, ſeditionem Antiochenam præſenti anno contigiſſe, Incertum enim an ea epiſtola hoc anno, quóve ex ſequentibus data fuerit.

IX. *D. Auguſtini Baptiſmus.*

Baron. num. lxxi & ſeqq.

Ad num. IX. Divum *Auguſtinum* anno triceſimo tertio ætatis Baptiſmum ſuſcepiſſe inter omnes convenire debet. Tota difficultas eſt, num is annus fuerit completus, vel tantùm inchoatus. Baronius & Rivius lib. 1. de Vita Auguſtini cap. 1. aliique contendunt, ſanctum Doctorem aquis ſalutaribus ablutum anno ætatis triceſimo tertio completo. Verùm Auguſtinum baptizatum fuiſſe die viceſima quarta Aprilis Sabbato ſancto, anno trecenteſimo octogeſimo ſeptimo, cùm nondum annum ætatis XXXIII egreſſus eſſet, communis nunc eſt Eruditorum ſententia. Hunc ſui Baptiſmi annum apertè inſinuat Auguſtinus lib. 9. Confeſſionum, ubi, cùm cap. 6. narraſſet, ſe poſt Baptiſmum inter ſacros hymnorum cantus in Mediolanenſi Eccleſia fleviſſe, initio capitis 7. hæc ſcribit: *Non longè cœperat Mediolanenſis Eccleſia genus hoc conſolationis & exhortationis celebrare, magno ſtudio fratrum concinentium vocibus & cordibus. Nimirum annus erat, aut non multò ampliùs, cum Juſtina Valentiniani Regis pueri mater, hominem tuum Ambroſium perſequeretur hæreſis ſuæ cauſâ, quâ fuerat ſeducta ab Arianis. Excubabat pia plebs in Eccleſia, mori parata cum Epiſcopo ſuo, ſervo tuo, &c. Tunc Hymni & Pſalmi, ut canerentur ſecundùm morem O-*

rientalium partium, ne populus mœroris tædio contabeſceret, inſtitutum eſt. Et ſtatim: *Tunc memorato Antiſtiti tuo per viſum aperuiſti, quo loco laterent Martyrum corpora Protaſii & Gervaſii.* Et narratis miraculis in ſacrarum reliquiarum tranſlatione patratis, ait: *Inde illius inimicæ animus, etſi ad credendi ſanitatem non applicitus, à perſequendi tamen furore compreſſus eſt.* Hæc anno ante ſuum Baptiſmum contigiſſe Auguſtinus teſtatur. Quare, cùm oſtenderimus, Juſtinæ contra Ambroſium perſecutionem, hymnorum apud Mediolanenſem Eccleſiam inſtitutionem, ac denique Inventionem reliquiarum Martyrum Protaſii & Gervaſii contigiſſe anno trecenteſimo octogeſimo ſexto, apparet, Auguſtinum anno trecenteſimo octogeſimo ſeptimo baptizatum fuiſſe, quando, ut ipſemet ait, *annus erat aut non multò ampliùs, cùm Juſtina Valentiniani Regis pueri mater hominem tuum Ambroſium perſequeretur*, &c. quando *excubabat pia plebs in Eccleſia, mori parata cum Epiſcopo ſuo*, &c. Porro gravior perſecutionis fragor contra Ambroſium detonuit, uti ſuo loco dictum, die XXIX ac XXX Martii anni Chriſti CCC LXXXVI, Nocte verò poſtremam ejus menſis diem præcedente, plebs cum Epiſcopo Ambroſio in Eccleſia excubuit. Cùm verò *Auguſtinus* baptizatus fuerit die XXIV Aprilis Sabbato ſancto anno CCC LXXXVII, rectè ſcripſit Auguſtinus nuper baptizatus: *Annus erat, aut non multò ampliùs.* Nam à Dominica Palmarum anni CCC LXXXVI, ad diem ab ſe ſuſcepti Baptiſmi, numeratur annus, ac dies inſuper viginti ſeptem, quos illis vocibus, *aut non multò ampliùs*, apertiſſimè expreſſit, ut doctè obſervat Noriſius in quodam de hoc Baptiſmo Opuſculo; quod confirmat auctoritate Proſperi Tyronis in Chronico Imperiali, ubi ſub diſtinctis annorum notis hæc leguntur.

X. *Annus Baptiſmi Sancti Auguſtini valde confirmatus.*

II. *Juſtina mater Valentiniani Arianis favens in Ambroſium & omnem Mediolanenſem Eccleſiam diverſa injuriarum genera congerit.*

Reliquiæ Gervaſii & Protaſii Martyrum ab Ambroſio primùm Mediolani repertæ.

Hymni Ambroſii compoſiti, qui nunquam antè in Eccleſiis Latinis modulis canebantur.

III. *Maximus indignum ducens contra Eccleſiæ ſtatum agi, locum irrumpendi, quod cum Valentiniano junxerat, fœdus, invenit. Valentinianus veritus imminentem jam cervicibus ſuis Tyrannum, ad Theodoſium confugit.*

Auguſtinus Mediolani Rhetoricam apprimè docens omiſſis Scholis ad Fidem rectam convertitur, cùm antè Manichæus fuiſſet.

IV. *Theodoſius cum exercitu ad Italiam tranſgrediens, Maximum interfecit, & Valentinianum proprio Regno reddidit.*

Juſtina, quæ Eccleſias vexaverat, ne Regnum cum filio reciperet, morte præventa eſt.

Ita Chronologus ille Auguſtino ſynchronus, quæ numero II anno Chriſti CCC LXXXVI reſpondenti tria illa refert; quæ Auguſtinus ante annum ſui Baptiſmi contigiſſe narrat. Tum numero III anno Chriſti CCC LXXXVII reſpondenti recitat Valentiniani fugam, ac Baptiſmum Sancti Auguſtini; & quamvis *converſionem ad Fidem* nominet, quæ ineunte æſtate anni CCC LXXXVI acciderat, nomine *converſionis* publicam Fidei profeſſionem in Baptiſmo factam intelligit: neque enim notum illi erat, quid privatim antea Auguſtinus ſecum deliberaverat. Denique numero IV, ſeu anno Chriſti CCC LXXXVIII, *Maximi* necem refert, & poſtea ſub numero IX mortem Valentiniani, quæ cùm contigerit anno CCC XCII, Juſtinæ perſecutio juxta laudatum Chronologum cadit in annum CCC LXXXVI, & in ſequentem Baptiſmus, ſeu publica converſio Auguſtini. Si Baronius annum natalem Auguſtini anno uno tardiùs non conſignaſſet, ejus Baptiſmum in hunc annum non diſtuliſſet. Quæ adverſus noſtram ſententiam objici poſſunt, hujus loci non ſunt, nec tanti momenti, ut de ejus veritate nos dubitare ſinant.

XI. *Auctor Cantici* Te Deū laudamus, *incertus.*

Quoad Canticum *Te Deum laudamus*, quod in Chronico S. Dacio Mediolanenſi Epiſcopo attributo, dicitur à Divis Ambroſio & Auguſtino poſt hujus Baptiſmum decantatum eſſe, Menardus in Notis ad Sacramentarium Gregorii Magni, certum ait, non eſſe S. Dacii illud Chronicon, ex quo ea narratio deſumta, quòd non redoleat ſtylum illorum temporum; atque etiam quædam falſa contineat. Poſt Menardum idem ſcripſit Mabillonius tom. I. Analectorum veterum Patrum pag. 5. ubi inquit, Chronicon illud, quod in Bibliotheca Ambroſiana aſſervatur, variorum eſſe Scriptorum; cùm producatur uſque ad annum Chriſti milleſimum ſexageſimum ſeptimum, & S. *Dacius* imperante Juſtiniano obierit. Gavantus in Rubric. Breviarii ſect. 5. cap. 19. aſſerit, in antiquiſſimo Breviario MS. Collegii Aniciani de Urbe iſti Cantico præferri hunc titulum: *Hymnus S. Abundii.* In antiquo Breviario Chori Monaſterii Caſſinenſis deſcripto paulò poſt annum 1086. hoc Canticum inſcribitur: *Hymnus Siſebuti Monachi.* Bona Cardinalis cap. 16. de Divina Pſalmodia ſcribit, ante Sanctum *Benedictum* cap. 11. Regulæ, & *Teridium* diſcipulum Sancti Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi, qui de hoc in Regula ſua locutus eſt, nullum Veterum mentionem illius feciſſe: in Pſalterio MS. Baſilicæ S. Petri in Vaticano inſcribi: *Hymnus S. Siſebuti*: in Pſalterio Latino-Gallico, cujus meminit Jacobus Uſſerius in Tractatu de Symbolo Romanæ Eccleſiæ, epiſtolâ ad Voſſium, Sancto *Nicetio* attribui; ſed recedendum non eſſe ab antiqua traditione, quæ hoc Canticum SS. Ambroſio & Auguſtino tribuit, cùm ſit adeo communiter recepta. Auctorum tamen diverſitas, quibus illud adſcribitur, ſatis oſtendit, hujus Cantici Auctorem adhuc nos latere.

XII. *Synagoga Judæorum à Chriſtianis incenſa.*

Ad num. X. Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani contendit, epiſtolam XIX Divi Ambroſii ad Theodoſium Magnum, quæ eſt de *Synagoga Judæorum* à Chriſtianis incenſa, pertinere ad annum Chriſti trecenteſimum nonageſimum tertium, eamque jungendam cum Lege Codicis Theod. 9. *De Judæis.* data *Ad Addeum Comitem* & Magiſtrum militum per Orientem; qua Theodoſius jubet, nimietatem eorum, qui ſub Chriſtianæ Religionis obtentu *Synagogas* deſtruebant, & expoliabant, cohiberi. Sed hallucinatur Vir doctiſſimus: Paulinus enim in Vita S. Ambroſii factum illud narraturus ait: Baron. num. CII.

Extincto Maximo, poſito Theodoſio Imperatore Mediolani; à Chriſtianis viris Synagoga Judæorum concremata. Et poſt hanc hiſtoriam, cladem Theſſalonicenſem, quæ anno CCCXC contigit, recitat. Quare, cùm anno trecenteſimo nonageſimo tertio, quo memorata Lex emiſſa, Theodoſius in Oriente fuerit, neque ante annum inſequentem, ut inter omnes conſtat, poſt *Eugenium* nempe devictum, Mediolanum venerit, liquet, Baronium incendium illud rectè conſignaſſe, perperamque Gothofredum illud cum Lege 9. *De Judæis.* conjunxiſſe. Ex hac porro Ambroſii epiſtola, Legeque 9. *De Judæis.* patet, Judæos, qui Theodoſii Magni tempore Synagogas habere nulla adhuc Lege prohibebantur, identidem à Chriſtianis turbatos fuiſſe.

XIII. *Gregorius Bæticus floret.*

Ad num. XI. Exiſtimat Baronius, *Gregorium Bæticum* Epiſcopum Eliberitanum in communione Eccleſiæ Catholicæ obiiſſe. Sed, cum is à ſolo Iſidoro cap. 1. libelli de Viris illuſtribus laudetur, hicque Auctor ſuppoſititius ſit, teſte ipſo Baronio anno CCCLVII num. XXXI, (ubi etiam ait, Iſidori Hiſtoriæ primum Auctorem extitiſſe Marcellinum Preſbyterum Luciferianum) meritò ab eo diſſenſit Hermantius in Vita S. Athanaſii lib. 10. cap. 11. Legitur quidem hujus Gregorii nomen tam in Martyrologio Romano, quàm in Martyrologio Uſuardi; ſed, cùm per annos ampliùs viginti in Schiſmate Luciferiano fuerit, nullibique legatur, ab illo receſſiſſe, incertum, inquit Hermantius, an utriuſque Martyrologii auctoritas fundamentum ſufficiens ſit.

Baron. num. XCVIII & ſeqq.

XIV. *Opera Gregorii Bætici.*

Queſnellus tomo 2. Operum S. Leonis Diſſert. 14. *De Libellis in Codice veteri Romanæ Eccleſia contentis*, exiſtimat, *Tractatum* de Fide, qui Latine tantùm extat ex verſione Rufini, quique Gregorio Nazianzeno adſcribitur, legitimum fœtum eſſe Gregorii Bætici; cùm appareat, illius Operis Auctorem Latinum fuiſſe, & Græco idiomate donatum Gregorio Nazianzeno adſcribi potuiſſe. Divus quidem Auguſtinus epiſtolâ 3. ex eo Opuſculo nonnulla refert ſub nomine *Gregorii Orientalis Epiſcopi.* Sed unum pro altero Gregorium à S. Auguſtino laudatum probabiliter cenſet Queſnellus, Orientalem nempe pro Bætico & Illiberitano; cùm Auguſtinus ipſe lib. 1. contra Julianum cap. 5. eundem Nazianzenum à Nyſſeno non diſcernat. Quare perperam Tractatus ille, Orationis 49. locum inter Opera Gregorii Nazianzeni obtinet. Malè etiam tomo 4. Operum Sancti Ambroſii inſcriptus eſt ſub hoc titulo: *De Filii Divinitate & Conſubſtantialitate contra Arianos.* Malè denique Vigilio Tapſenſi à Chiffletio in Vigilianis Vindiciis aſſeritur. Ejuſdem Gregorii Bætici eſt Tractatus *de Fide Nicæna*, qui Orationis 50. locum obtinet inter Opera Gregorii Nazianzeni. Oſtendit enim Queſnellus citatus, utrumque in ſtyli ſimilitudine convenire, utrumque Nicænæ Fidei Symbolum explicare; ſed compendioſè unum, alterum fuſiori & dogmatica tractatione. Addit, unum alterius explicationem & apologeticum eſſe; priorem poſterioris. Unius igitur ejuſdemque Auctoris eſt uterque Tractatus: ſed brevior *de Fide Nicæna*, priorem locum obtinere debet; prolixior, qui inſcribitur ſimpliciter *de Fide*, poſteriori loco reponi; neuter verò S. Gregorio Nazianzeno, ſed Gregorio Bætico uterque adſcribendus, ſi conjecturæ Viri doctiſſimi apud ipſum legendæ admittendæ ſint.

XV. *Palladius Auctor Lauſiacæ Hiſt. floret.*

Ad num. XIII. Uſſerius in Opere de Britannicarum Eccleſiarum Primordiis cap. 16. quæ de *Palladio* à Baronio ſcripta, magis explicat. Patriâ, inquit, Galatam fuiſſe Palladium illum Origeniſtam, Evagrii diſcipulum; & Epiphanius in epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum, inter Hieronymianas ordine 60. & ipſe in Lauſiaca ſua Hiſtoria cap. 48. & Heraclio Paradiſo cap. 22. confirmat. Hanc in Prœmio ad *Lauſum* Præfectum, à ſe etiam ſcriptam fuiſſe indicat anno triceſimo tertio, poſtquam vitæ ſeſe addixiſſet monaſticæ, cùm viginti quidem in Epiſcopatu, totius verò vitæ quinquaginta & tres exegiſſet annos. Cùm verò *in ſecundo Theodoſii ſenioris Conſulatu*, qui in præſentem Chriſti annum incidit, monaſticam primùm vitam amplexatum illum fuiſſe conſtet, ex Lauſiacæ cap. 1. & 2. anno trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo natum, quadringenteſimo ordinatum Epiſcopum, & quadringenteſimo viceſimo Hiſtoriam ſuam ſcripſiſſe colligimus. Poſſevinum enim ratio fugit, qui eum Alexandriam anno CCCLXXXVIII ex eremo petiiſſe, Commentariumque memoratum ſcripſiſſe aſſerit. In patria autem ſua Bithynia creatum ſe Epiſcopum teſtatur ipſe libro laudato cap. 22. & 43. in Sede nimirum Helenopolitana, à qua ad Aſponitanam in eadem Bithynia civitatem tranſlatum ex Socrate lib. 7. cap. 36. ibidemque ante annum quadringenteſimum triceſimum primum vitam finiiſſe, ex Epheſini Concilii Actis intelligimus, quæ Actione primâ & ſextâ, *Euſebium Aſponorum Galatiæ Epiſcopum* Concilio illi interfuiſſe affirmant. Simul quoque adfuiſſe Palladium *Helleſponti Epiſcopum* eadem Acta ibidem docent, quem eum fuiſſe, ad quem ſcripſit Cyrillus Dialogum *de Adoratione in ſpiritu, & quòd Lex Evangelicæ vitæ umbra tantùm typuſque ſit*, potiùs quàm Scotorum Palladium, quod opinatus eſt Balæus, prudens quivis judicaverit. Baronius hunc Palladium cum Palladio Scotorum Epiſcopo aliquando confundit; ſed eum ab illo diverſum eſſe anno CCCCXXIX oſtendemus, ubi & plura de Palladio Helenopolitano Epiſcopo in medium afferemus.

Baron. num. CIII & ſeqq.

Baron. anno 400. n. LXI. & anno 417. num. 1.

XVI. *Evagrius Ponticus multa ſcribit.*

Ad num. XIV. *Evagrium Ponticum* Gregorii Nazianzeni diſcipulum fuiſſe teſtatur Sozomenus. Multa ſcripſit, quorum aliqua tum fragmenta, tum citationes habentur in Codice Regularum, in Patrum Vitis & Apophthegmatibus, in Catenis, in libris Excerptorum, in Theſauro Aſcetico, in Scholiis ad Climachum, necnon apud Palladium, Socratem, Climachum, Dorotheum Maximum, itemque in Damaſceno Billii, & Palladio Bigotiano. Scripſit librum unum *de octo Vitioſitatibus* editum ab Emerico Bigotio in 4. poſt Vitam Sancti Chryſoſtomi à Palladio compoſitam. Item Sermonem dogmaticum *de Sancta Trinitate, ad eos qui monaſticam vitam degunt in patria*, quem Joſephus Maria Suares Epiſcopus Vaſionenſis cum Niliacis publicavit. Præterea Cotelerius tomo 3. Monumentorum Eccleſiæ Græcæ in lucem emiſit

epiſtolam Evagrii *ad Anatolium*, in qua multa de vita, tum *practica*, cùm *gnoſtica*, hoc eſt, quæ actione vel cognitione conſtat. Inſuper, librum *Practicum*, & aliud Opuſculum, cui titulus, *Evagrii Monachi Rerum Monachalium rationes, earumque juxta quietem appoſitio*; quibus in libris multa egregia ad mores informandos habentur, ex iiſque Diſſertatio Labbei de Scriptoribus Eccleſiaſt. ſuppleri poſſet.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5882. ☉ 6 G. ☽ 10. P. 1. APRIL.
INDICT. 2.
JESU CHRISTI 389.
SIRICII PAPÆ 6.
VALENTINIANI JUNIORIS 15.
THEODOSII 11. ARCADII 7.

I. *Conſules.*

COss. *Timaſius & Promotus*, uterque Orientalis: quorum priorem copiis pedeſtribus, poſteriorem equeſtribus anno præcedenti Theodoſius contra Maximum Tyrannum pugnaturus, præfecerat, ut teſtatur Zoſimus lib. 4. pag. 769. In præmium itaque rei præclarè adverſus Maximum geſtæ, uterque hoc anno Conſul creatus, quo Theodoſius de eodem Tyranno triumphavit, &, ut videtur, Decennalia etiam edidit, uno anno dilata.

Decennalia Theodoſii.

II. *S. Monicæ obitus.*

Baron. num. 1 & ſeqq.

Ad num. I. Thomas Herrera, aliique quidam Auguſtiniani tradunt, *Auguſtinum* baptizatum anno CCCLXXXVII die XXIV Aprilis; *Monicam* verò è vita migraſſe anno CCCLXXXVIII quarta die Maii, Auguſtini ætatis anno triceſimo tertio completo. Et hi quidem ſcribunt, Auguſtinum, cùm poſt Baptiſmum aliquantiſper Mediolani ſubſtitiſſet, inde poſtea cum matre ac ſociis viâ Aureliâ per Tuſciam, Romam, ac denique Oſtiam profectum, ac ibidem matrem IV Nonas Maii amiſiſſe. Alii putant, *Auguſtinum* Oſtiæ moratum uſque ad necem Maximi Tyranni: alii Romam reverſum dicunt. Sed hac in re Noriſio in quodam de Auguſtini Baptiſmo Opuſculo ſtandum. Sanctus Doctor, inquit, cùm lib. 9. Confeſſionum narraſſet, ſe Mediolani Baptiſma ſuſcepiſſe, ac ibidem aliquantiſper poſtea commoratum, cap. 8. hæc ſtatim ibidem ait: *Quærebamus quiſnam locus nos utiliùs haberet, ſervientes tibi, pariter remeabamus in Africam.* Itaque ſtatuit Auguſtinus rectà in Africam pergere. Idem cap. 10. narraturus quod ſibi in colloquio cum matre apud Oſtiam contigerat, ait: *Illic apud Oſtia Tiberina, ubi remoti à turbis, poſt longi itineris laborem inſtaurabamus nos navigationi, &c.* Si Auguſtinus diutiùs antea Romæ commoratus fuiſſet, ac libros, quos ab ſe poſt Baptiſmum Romæ ſcriptos teſtatur lib. 1. Retractat. cap. 7. 8. & 9. compoſuiſſet, antequam Oſtiam deſcenderet, non dixiſſet, *poſt longi itineris laborem*: cùm Romà uſque Oſtiam ex Antonini Itinerario iter tantùm ſit M. P. XVI, vel uti modò numerant, XVIII. Et quidem cap. 9. libri citati ait: *Cum autem Romæ demoraremur, &c.* Hinc patet, Rivium in Vita S. Auguſtini falsò ſcripſiſſe, Auguſtinum, ſcriptis Romæ libris laudatis, cum matre ac ſociis Oſtiam ſe contuliſſe, in Africam tranſmiſſurum. Quare ex illis verbis, *poſt longi itineris laborem*, manifeſtè colligitur, *Auguſtinum* Mediolano profectum, rectà Oſtiam viâ Aureliâ perrexiſſe eodem anno trecenteſimo octogeſimo ſeptimo, quo fuerat baptizatus. Porrò viâ Aureliâ per Piſas, ac inde diſtantes M. P. CLIX Centum-Cellas, & Lorium uſque iter habuit; illinc verò ad Oſtia Tiberina deflexit, ubi cùm *poſt longi itineris laborem* ſeſe navigationi inſtauraret, Monica mater è vita migravit.

III. *Monicæ alio die quàm quo colitur, mortua.*

Hunc autem obitum contigiſſe anno trecenteſimo octogeſimo ſeptimo ante Idus Novembris, quamvis menſis ignoretur, inſinuat Auguſtinus, dum ait, ſe anno ætatis *trigeſimo & tertio* matrem amiſiſſe; ille verò annus Auguſtino exibat die decima tertia Novembris anni trecenteſimi octogeſimi ſeptimi. Quòd ſi annus trigeſimus tertius completus intelligatur, ac dies mortis *Monicæ* ponatur IV Maii anni trecenteſimi octogeſimi octavi, Auguſtinus ſupra annum otioſus à ſcribendo fuiſſet. Nam lib. 1. Retract. cap. 6. narrat quæ Mediolani inter Competentes allectus, ac proximè baptizandus ſcripſit; tum cap. 7. recitat, quæ *jam baptizatus, cùm Romæ eſſet*, elucubravit. Quare, cùm ruri degens, ſeſe ad Baptiſmum præpararet, ac jam jam ſacris myſteriis initiandus, libros ſcriberet; qui fieri potuit, ut baptizatus pleno anno ſtylo pareret, nec quicquam in literas mitteret? Hinc circa autumnum anni trecenteſimi octogeſimi ſeptimi Romam reverſus videtur, ubi ſacris Literis, *in quibus nondum aſſuetum ſe fuiſſe* fatetur lib. 1. Retract. cap. 7. accuratam operam ponens, libris ſcribendis majorem anni trecenteſimi octogeſimi octavi partem exegit; ſiquidem lib. 3. contra literam Petiliani cap. 25. teſtatur, ſe ex Italica *peregrinatione jam poſt Maximi Tyranni mortem Africam repetiſſe.* In vetuſtis Martyrologiis, Adonis, Bedæ, Notkeri, Rabani, Vandalberti & aliorum Veterum die IV menſis Maii S. Monicæ nomen non legitur, ac proinde poſt plura ſecula ab ejuſdem obitu, in ſacris Tabulis recitari cœpit, ut Inventionis, ſive Tranſlationis potiùs, quàm mortis dies ſub initium Maii recolatur: quod ſæpius in aliis Sanctis ibidem commemoratis contingere certum eſt. Quæ omnia diligenter Noriſio laudato obſervata. Ex die itaque, quâ *Monica* colitur, emortualis ejus annus deduci non poteſt. Papebrocius tomo I. SS. menſis Maii die IV S. Monicam anno trecenteſimo octogeſimo octavo mortuam arbitratur; nullo tamen argumento, ad id probandum, in medium allato. Baronius locum adductum Auguſtini, ubi ait, ſe anno ætatis *triceſimo & tertio* matrem amiſiſſe, corruptum eſſe exiſtimat, ac legendum, *anno triceſimo quinto.* Sed, cùm eundem numerum omnes ad unum Codices exhibeant, ut obſervant Patres Benedictini in accurata editione Operum S. Auguſtini, inde certò intelligitur, locum minimè depravatum eſſe, & *Monicam* ad præſentem annum non perveniſſe.

IV. *Obitus S. Gregorii Nazianzeni.*

Ad num. II & ſeqq. In morte D. *Gregorii Nazianzeni* conſignanda huc uſque à Chronologis peccatum. Ea enim contigit anno trecenteſimo nonageſimo primo. Suidas in

Baron. num. xi & ſeqq.

voce γεγηρακὼς, ait: *Cùm ad nonageſimum ætatis annum, & ulterius progreſſus fuiſſet, decimo tertio Theodoſii Magni imperantis anno ex hac vita decedit.* Incipit is Theodoſii annus die x i x Januarii anni trecenteſimi nonageſimi primi, quo ideo, die x i i Maii Eccleſia hunc egregium Doctorem amiſit. Eodem pariter anno Sigebertus in Chronico eam mortem conſignat; nec hactenus aliquid prolatum, quod utrumque erraſſe ſuſpicandi locum præbeat. Nec enim D. Hieronymus in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſt. in quo hæc de Gregorio Nazianzeno habet: *Deceſſit ante ferme triennium ſub Theodoſio Principe*, Suidæ & Sigeberto contrarius eſt, ut autumat Baronius; quin potiùs eorum ſententiam confirmat. Nam Hieronymus librum illum anno trecenteſimo nonageſimo tertio, quo Theodoſius die x i x Januarii annum decimum quintum iniit, & Quindecennalia celebravit, in lucem emiſit. Solebant quippe Auctores (ut toties monitum) annis hujuſmodi ſolenniis dicatis, Opera ſua publicare. Quare eo in Opere Hieronymus loquitur de Scriptoribus, qui uſque ad annum Theodoſii x i v incluſivè, non verò excluſivè, ut credidit Baronius, floruere; ipſumque in lucem dedit anno decimo quinto Theodoſii, licèt in eo tantùm locutus fuerit de Scriptoribus, qui ante eum Imperatoris annum aliqua Opera ediderant. Triennium itaque illud utrinque incompletum intelligendum. Ætas Nazianzeni adeo accuratè à Suida memorata facit, ut ei in anno ejuſdem emortuali fides omnino adhibenda ſit.

V.
Ætas S. Gregorii Nazianzeni.

Nam Gregorium ætate provectum fuiſſe, quando hominem exuit, ex ipſomet Gregorio oſtendit Papebrocius in Actis Sanctorum die x i i Maii in Vita S. Gregorii Nazianzeni; ubi tamen Baronii opinionem, quoad annum mortis hujus Sancti perperam amplexatus eſt. Gregorius in Carmine de Vita ſua, quod non diu poſt Cæſarii fratris, & Gorgoniæ ſororis mortem, ac ante patris obitum compoſuit, ita queritur:

Baron. num. xiii & ſeqq.

Jam caput albeſcit canis, rugoſaque membra
Triſtis ad occaſum vitæ mihi prona feruntur.

Neque *prematuram* fortè canitiem intelligas, ſicut Interpres metro ſerviens *prematuram* ejus *ſenectutem* in eodem Carmine paulò pòſt dixit. Non enim hoc habet textus Græcus. Sed ſolùm indicat χαλεπὸν πάθος, moleſtum ſcilicet temporalium, quas antè deſcripſerat, curarum conflictum, ipſum quietioris vitæ impatienter cupidum, κατὰ γήρως ἕλκει, *præcipitaverit in ſenium*, non qualecumque, ſed veluti extremum; ideo enim addit, ϗ νεύων ποτὶ γαῖαν, *& propendens in terram*, quod ſilicerniorum eſt. Qui verò tunc canus & incurvus erat, quod in ſeptuagenario ſene non mirum, in viro quadragenario portentoſum fuiſſet. Decennio pòſt, cùm morbo prohiberetur Olympium Præſidem per ſe accedere reis civibus veniam oraturus, eundem appellans per epiſtolam 172. meritò his verbis utitur: *Moveat te noſtra canities: hæc efferenda erit, atque annorum numerus?* Quot hi, aut quæ illa, ſi anno trecenteſimo viceſimo ſexto, aut etiam ſeriùs natus fuerit Gregorius, ut Baronius contendit? *Patris canities & anni*, inquit Billius, ſed perperam: ſuam enim propriam canitiem intelligit, ſuorumque annorum allegat numerum, talem utique qui præcipuè debeat miſerationem movere. Denique Gregorius Orat. 27. quomodo cùm Conſtantinopoli verbo doctrinæ inſiſteret, Ariani dicteriis ſibi illuſerint, narrans, non obliviſcitur objectam ſibi *membrorum contractionem ab ætate & morbo*; ætatem utique in noſtra ſententia annorum circiter octoginta tunc habens, juxta alios verò annorum quinquaginta quinque. Hæc eruditè Papebrocius. Quare cùm rectè Suidas tradiderit, Nazianzenum nonagenario majorem extremos clauſiſſe dies, eum in anno mortis ejus narrando erraſſe, prorſus improbabile.

VI.
Theodoſius Romæ triumphat.

Ad num. VII. Idacius in Faſtis ſub hujus anni Conſulibus ſcribit: *Introivit Theodoſius Aug. urbem Romam cum Honorio filio ſuo, die Iduum Juniarum, & dedit congiarium Romanis.* Imperatores enim annis, quibus triumphabant, uti Theodoſius hoc anno Romæ, congiarium diſtribuere ſoliti. Addit Marcellinus in Chronico, eum Urbe egreſſum *Kal. Septembris* poſtquam triumphaſſet. Per tres illos menſes Theodoſius urbi Romæ plurimùm conſuluit, teſte Pacato in fine Panegyrici, tum variis Conſtitutiònibus, tum aliis modis. Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani ait, colligi ex Claudiano, Eucherium Stiliconi Romæ natum, Theodoſio ibi præſente. Theodoſius Româ digreſſus Mediolanum rediit, ubi ante ſuum Romam adventum agebat. Baronius innixus auctoritate Socratis lib. 5. cap. 14. & Sozomeni lib. 7. cap. 14. ſcribit, utrumque Imperatorem Romæ triumphaſſe. Verùm tam Socratem, quàm Sozomenum hallucinatos non dubito. Certum quidem, Valentinianum Romam veniſſe; cùm variæ Leges Theodoſio-Valentinianæ in Codice Theodoſiano Romæ datæ legantur, nempe Lex 18. *De Hæreticis.* data x v Kal. Jul. Lex 49. *De appellationibus.* data v i i i Kal. Aug. Lex 2. *De feriis*, data v i i Id. Aug. Lex unica *De mancipibus.* & Lex 11. *De maleficis.* datæ x v i Kal. Sept. Lex 5. *De Suariis.* data x v Kal. Septemb. Lex 6. *De Suariis.* data v i i i Kal. Septemb. & Lex 5. *De aquæductu.* data v Kal. Septemb. ac denique Lex ultima Codicis Juſtinianei *De ſervis fugitivis.* data v i i i Kal. Aug. quæ Leges omnes Romæ ab utroque Imperatore emiſſæ, & Albino Præfecto Urbis inſcriptæ. Hujus Romanæ profectionis teſtis eſt Auctor Miſcellæ lib. 13. qui ait: *Tunc igitur Imperatores Valentinianus & Theodoſius peractâ victoriâ Romam venère.* Et poſtquam ſermonem habuit de variis, quæ à Theodoſio Romæ geſta dicit, concludit: *His actis, relicto Valentiniano Romæ, ipſe cum Honorio Conſtantinopolim remeavit, Conſulatu Tatiani & Symmachi, I V Idus Novemb.* anno nempe c c c x c i. Jam anno præcedenti Valentinianus Auguſtus Romam venerat. Zoſimus enim lib. 4. pag. 769. ſcribit, Theodoſium dum Theſſalonicæ eſſet, & poſtquam *Gallam* ejus ſororem uxorem duxiſſet, utrumque Romam miſiſſe: *Juſtinam quidem cum filio & filia navibus impoſitam & tutò deductoris traditam, Romam ablegat: perſuaſus Romanos lubentiſſimis* animis hos excepturos, quorum à Maximo voluntates eſſent

Baron. num. xlix & ſeqq.

alienæ. Adeo verum eſt, Valentinianum ſemel & iterum Romæ fuiſſe. Verùm unus Theodoſius triumphavit, ut certos nos reddit Pacatus in Panegyrico, quem Romæ Theodoſio poſt triumphum dixit. In eo enim unicum ſemper Imperatorem alloquitur, & numero ultimo loquens de iis, quæ Romæ egit, ait: *Ea verò quæ Romæ geſta ſunt & geruntur, ingeniis permittenda Romanis ſunt, qualem te Urbi dies primus invexerit: quis in Curia fueris, quis in Roſtris; ut pompam præeuntium ferculorum curru modò, modò pedibus ſubſecutus, alterno clarus inceſſu, nunc de bellis, nunc de ſuperbia triumphaveris: ut te omnibus Principem, ſingulis exhibueris Senatorem; ut crebro civilique progreſſu, non publica tantùm opera luſtraveris, ſed privatas quoque ædes Divinis veſtigiis conſecraris, remota cuſtodia militari, tutior publici amoris excubiis.* Profectò, ſi Valentinianum Theodoſius triumphi conſortem feciſſet, aliqua hujus rei, aut ſaltem Valentiniani mentio in eo Panegyrico fieret; cùm tamen ne verbum quidem de Valentiniano Pacatus habeat. Hinc Ruſinus, qui hoc tempore vivebat lib. 11. cap. 17. poſtquam de Maximi tyrannide locutus eſt, ait: *Adfuit Theodoſius propter regni fidem, bonitatiſque ac beneficiorum Gratiani memor: & in vindictam totius viribus Orientis inſurgens, ultus eſt ſanguinem juſtum. Valentiniani quoque impia inter hæc matre defuncta* (anno nempe præcedenti, ut ex Chronico Imperiali Proſperi anno CCC LXXXVIII num. XI diximus) *Fidem Catholicam, quam ipſa violaverat, & Regnum tyrannide depulſa reſtituit. Atque ipſe poſteaquam Romam illuſtri triumpho invectus eſt, ad propria rurſus Regna remeavit.* ubi de unico triumphatore loquitur Rufinus.

VII.
Evagrius Epiſc. Antiochenus.

Ad num. X. Bollandus in Actis Sanctorum die XVII Januarii in Vita S. Antonii Abbatis, paragrapho nono, oſtendit, Baronium in *Evagrio*, qui hoc anno Paulino demortuo in Epiſcopatum Antiochenſem ſucceſſit, deceptum eſſe ab Interprete Latino Operum Sancti Baſilii. Nam Sanctus Baſilius in epiſtola 8. quæ eſt ad Euſebium Samoſatorum Epiſcopum, ait: ὁ πρεσβύτερος Εὐάγριος ὁ υἱὸς Πομπηιανοῦ τοῦ Ἀντιοχέως, id eſt, *Presbyter Evagrius filius Pompeiani Antiocheni.* Et tamen Interpres perperam vertit: *Senior Evagrius filius Pompeiani Antiocheni.* Qua ex prava interpretatione deducit Baronius, alium *Evagrium* illo juniorem eodem tempore vixiſſe, & ex uno Evagrio duos facit. Jam ipſius Juliani Imperatoris temporibus doctrinæ opinione clarus erat *Evagrius*, qui Sanctum Euſebium Vercellenſem Epiſcopum in Italiam redeuntem comitatus eſt, ut teſtatur Sanctus Baſilius in laudata epiſtola. Contra Auxentium Epiſcopum Mediolanenſem inſurrexit cum Sanctis Euſebio & Hilario Pictavienſi Epiſcopo, ut elicitur ex epiſtola 49. Hieronymi, qui & in ejus comitatu ſe in Syriam profectum indicat epiſt. 41. ad Rufinum. Denique Vitam Sancti Antonii Magni ab Athanaſio Græcè vulgatam, Latinè interpretatus eſt, ut docet Hieronymus lib. de Eccleſiaſt. Scriptoribus. Baronius porro modò eum parentem facit junioris Evagrii, qui poſtea fuerit Epiſcopus Antiochiæ: ita anno CCC LXII numero CC XXVI; modò dicit, haud exploratum ſatis habere potuiſſe, quis infracto animo *Evagrius* contra *Auxentium* ſteterit; ita anno CCC LXIX numero XXVII. Rurſus anno CCC LXXII numero XXVIII, illum eundem aſſerit, qui olim cum Euſebio Vercellenſi in Italiam abierat, & jam ſocius S. Hieronymi peregrinatus ad Sanctum Baſilium in Cappadociam, indeque in Syriam redierat. Denique mox eundem Presbyterum facit, & XLIII Epiſcopum poſtea conſecratum, quòd in Sancti Malchi Vita eum Sanctus Hieronymus *Papam* appellet. Et tamen unus idemque Evagrius eſt, qui cum Sancto Euſebio in Italiam profectus, quique Paulini Epiſcopi Antiochenſis ſucceſſor deſignatus eſt, ut colligitur ex Socrate lib. 5. cap. 12. Sozomeno lib. 7. cap. 15. & Theodoreto lib. 5. cap. 25. Hæc doctè Bollandus, cui ſuffragatur Valeſius in Notis ad lib. 6. Sozomeni cap. 3.

Baron num. LXIV & ſeqq.

VIII.
Bonoſus Epiſcopus Sardicenſis fuit.

Ad num. XII. Marius Mercator in Appendice ad Contradictionem XII Anathematiſmi Neſtoriani ait: *Ebionem Philoſophum ſecutus Marcellus Galata eſt: Photinus quoque, & ultimis temporibus Sardicenſis Bonoſus, qui à Damaſo urbis Romæ Epiſcopo prædamnatus eſt.* Eſt Sardica civitas Metropolis Daciæ, ac Macedoniæ finitima. Ignoratum huc uſque fuerat, cui Eccleſiæ Bonoſus præfuiſſet, unuſque M. Mercator nos hoc docuit. Quod à Mercatore dictum confirmat Capuenſis Synodi decretum, quo Bonoſi judicio poſtulati cauſa Anyſio Theſſalonicenſi & Macedonibus Epiſcopis demandata eſt, utique ſecundùm Eccleſiæ Canones, quibus cavetur, ut Epiſcopus quiſque reus à finitimis Coëpiſcopis judicetur, non tamen à ſuis ſubditis, ſi Metropolitanus ſit. Incertum pariter fuerat, *Bonoſum* à Damaſo prædamnatum eſſe; quod nihilominus pars ſecunda epiſtolæ, quam Damaſus ex Synodo Romana ad Paulinum Antiochenum ſcripſit, probat: *Si quis dixerit, Verbum pro humano ſenſu in Domini carne verſatum, hunc Catholica Eccleſia anathematizat: necnon & eos, qui duos in Salvatore Filios confitentur,* &c. Bonoſus enim in eo maximè errabat, quòd duos in Chriſto Filios confiteretur, æternum unum, alterum temporalem. Porro, inquit Garnerius in Diſſert. de Hæreſi Neſtorii cap. 4. paragrapho 6. quia Mercator *prædamnatum* ait à Damaſo Bonoſum, id eſt, priùs damnatum, quàm hæreſim proderet, ratio ducitur, quâ, ut cetera deficerent, abjudicaretur Damaſo epiſtola ad Illyricianos: neque enim verè diceretur Pontifex prædamnaſſe *Bonoſum*: quippe quem Auctor epiſtolæ ſuâ ſententiâ intactum judicibus à Synodo electis judicandum relinquat. Ceterùm, epiſtola illa ad Illyricianos perperam Divo Ambroſio adjudicata. Holſtenius in Collectione Romana eam tribuit Siricio Papæ: an ex conjectura, vel ex fide alicujus Codicis MS. incertum; cùm is ſuæ opinionis fundamentum non prodiderit.

Baron. num. LXXII.

IX.
Serapii everſio.

Ad num. XIV & ſeqq. Marcellinum in Chronico ſecutus eſt Baronius, quando ſcripſit *Serapidis* templum totius Ægypti pulcherrimum Theodoſii Magni juſſu hoc anno everſum fuiſſe. Verùm illud anno tantùm trecenteſimo nonageſimo primo factum. Sozomenus enim lib. 7. cap. 16. de *Serapio*, templo

Baron. num. LXXVI & ſeqq.

templo

Templo nempe illo nobiliſſimo loquens, ait: *Erat tunc temporis Dux militum in Ægypto Romanus: Evagrius verò Præfectus Auguſtalis erat Alexandriæ.* Socrates lib. 5. cap. 16. de ejuſdem Templi everſione diſſerens inquit: *Præfectus Alexandriæ & Dux militum Ægypti Theophilo* (Epiſcopo Alexandrino) *ſuppetias tulere.* Quare, cum Lex 11. Codicis Theod. *De Paganis.* data *XV Kalend. Jul. Aquileiæ, Tatiano & Symmacho Coſſ.* anno ſc. CCCXCI, quâ per *Ægyptum* ſacrificia adituque Templorum interdicuntur, inſcripta ſit, *Evagrio P F. Auguſtali & Romano Comiti Ægypti*: non videtur dubium, quin *Serapii* exordium ad illum annum revocandum ſit. Præterea Proſper in Chronico Imperiali recitat hanc demolitionem anno VIII Theodoſii Magni poſt Gratiani necem imperantis. Is autem occiſus anno CCCLXXXIII, menſe Auguſto: ideoque octavus ille annus, anno Chriſti CCCXC inchoatus, ſequentique abſolutus. Denique Ammianus in lib. 22. pag. 324. *De Serapeo*, ut adhuc ſtante, loquitur; & tamen in lib. 26. pag. 317. *Neotherii* Conſulis meminit: hunc autem magiſtratum geſſit *Neotherius* anno CCCXC. Non dubito itaque, quin Marcellinus in Chronico, ubi toties in Chronologia peccat, hallucinatus fuerit. Neque audiendus Valeſius in Notis ad lib. 5. Socratis cap. 16. dicens, *Cynegium* Præfectum Prætorio, cùm anno CCCLXXXVIII in Ægyptum miſſus fuiſſet, in mandatis accepiſſe, ut templa Gentilium everteret, quemadmodum ſcribit Zoſimus lib. 4 pag. 762. & Idacium in Faſtis eo anno tradere, id Cynegium exequutum fuiſſe. Nam accidere potuit, ut *Cynegius* anno CCCLXXXVIII demortuus omnia Templa evertere non potuerit, vel ſeditionem timens ab iſto diſturbando abſtinuerit. Præterquam quòd Idacius tantùm habet: *Simulachra gentium evertit*, id eſt, ſtatuas, vel denique multa Templa, ſed non omnia. Certe ſi omnia Cynegius diſturbaſſet, Conſtitutione 11. *De Paganis.* opus non fuiſſet.

X. *Prava loci Eunapii verſio emendatur.*

Baronius refert egregium locum *Eunapii* in Ædeſio de hujus delubri everſione loquentis; ſed Junii pravam interpretationem ſequutus eſt, quam Gothofredus in Commentario Legis laudatæ 11. *De Paganis.* emendavit: *Vix ex hac vita migraverat*, inquit Eunapius, *cùm & cultus numinis apud Alexandriam, & Serapidis delubrum diſturbata diſſipataque fuere. Non Religio tantùm, ſed univerſa fabrica, eum habuerunt exitum, quem Poëtarum fabulæ tribuunt Gigantum victoriæ. Simile enim quid Canobii templis accidit imperante tunc Theodoſio, Prætorii Præfecto Theophilo, piaculari homine, & Eurymedonte quopiam, qui*

Latè Rex tumidos inter ſævoſque Gigantes
Primatum tenuit.

Venereo tunc urbis Præfecto politico, & Romano Ægypti legiones cum Imperio obtinente, &c. Verùm *Theophilus* non Præfectus Prætorio, ſed Epiſcopus Alexandrinus erat; neque etiam hoc dicit Eunapius, ſed ὡς ἐπὶ προεστῶτος. id eſt, *Theophilo ſe ducem*

Sicinium IV.

præbente, vel *præſidente*. Epiſcopi namque Græcis προεστῶτες quoque & προκαθήμενοι, ut Latinis *Præſidere*, *Præſides*, *Præſules*, *Antiſtites* dicti; quod omnibus notum. Zoſimus ſanè & ipſe Gentilis, hanc quoque, Theophilo Epiſcopo inſtante, Templorum ſtragem lib. 4. pag. 779. perſtringit. Secundò, loco horum verborum: Εὐαγρίου δὲ τὰ πολιτικὰ τῆς ἀρχῆς ἄρχοντος, legendum, Εὐαγρίου; ac vertendum: *Evagrio res civiles adminiſtrante. Evagrius* itaque non Præfectus Urbi, ut perperam vertit Hadrianus Junius, ſed Præfectus Auguſtalis erat, ut præter Legis laudatæ inſcriptionem teſtantur Socrates ac Sozomenus pariter laudati.

XI. *Templa Gentilium diu ſteterunt.*

Ex citata porro Lege *De Paganis.* diſcimus, anno CCCXCI Serapidis Templum ſacraque exciſa fuiſſe Alexandriæ; cùm ea ſub *Conſtantio* adhuc ſtetiſſent; quod teſtatur *vetus Orbis Deſcriptio* ſub eo edita: imò & ſub *Theodoſio Magno* adhuc hujus Legis auctore anno CCCLXXXVIII, vel inſequenti, ut teſtatur Libanius in Orat. ὑπὲρ τῶν ἱερῶν, à Gothofredo edita, quo ipſo tempore & *Romæ* quoque hæc ſacrificia ſtetiſſe docet. Quo ipſo docemur, inquit Gothofredus loco citato, etiam Orationem habitam ante hanc Legem, ut & 10. Codicis Theod. *De Paganis.* datam anno CCCXCI. Denique Gentiliſmi reliquiæ in totum ſuppreſſæ anno CCCCLI edicto Valentiniani III & Marciani, ut legere eſt eo anno in Annalibus numero ult.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5883. ☉ 7 F. ☽ 11. P. 12. APRIL. INDICT. 3.
JESU CHRISTI 390.
SIRICII PAPÆ 7.
VALENTINIANI JUNIORIS 16.
THEODOSII 12. ARCADII 8.

I. *Conſules.*

COss. *Valentinianus Aug. IV*, & *Neoterius*: ille in Occidente, hic in Oriente, ut liquet ex iis, quæ de hoc ultimo habet Gothofredus in Proſopographia Codicis Theodoſiani. Valentiniani Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam, propter nempe ejus Vicennalia, quæ vel anticipavit, aut, quod quandoque contigit, Conſulatum anno antequam ea ederet, ſuſcepit.

Vicennalia Valentiniani junioris.

II. *Cædes Theſſalonicenſis.*

Ad num. I & ſeqq. *Cædes Theſſalonicenſis*, in qua juſſu Theodoſii ſeptem hominum millia interfecta, rectè hoc anno à Baronio recitata. *Rufinus* enim Magiſter Officiorum tunc erat, ut teſtatur Theodoretus lib. 5. cap. 18. cui D. Ambroſius exprobravit, quòd tantæ cædis Auctor extitiſſet. Rufinus autem præſenti anno hanc dignitatem geſſit, ut demonſtrat Lex 3. Codicis Theodoſiani *De Fabricenſibus.* menſe Martio Mediolano ſcripta.

Baron. num. 11 & ſeqq.

III. *Illyricum Orientale ſubditum erat Theodoſio.*

Theodoretus lib. 5. cap. 17. de ea cæde loquuturus, ait: *Theſſalonica civitas eſt ampla & incolarum multitudine abundans, ſita quidem in Macedonia Provincia, ſed quæ caput eſt Theſſaliæ & Achaiæ & aliarum plurium Provinciarum, quæ ſunt ſub adminiſtratione Præfecti Prætorio Illyrici.* Ait poſtea, cùm

cædem patratam occaſione *Butherici*, eo tempore Magiſtri militum *per Illyricum*. Marca in Diſſertatione de Primatu Lugdunenſi num. XXXVII ſcribit, hunc Theodoreti locum fraudi fuiſſe Viris eruditis, qui iſtius Hiſtorici verba de Præfecturæ Sede ad Theodoſii Magni tempora trahunt: cùm tamen, inquit, is Auctor de ſui temporis ſtatu apertè loquatur, id eſt, anni CCCC L, quo *Theſſalonica* Præfectoriana dignitate potiebatur. Verùm ipſummet Virum doctiſſimum hallucinari, manifeſtè liquet ex iis, quæ anno CCC LXXX diximus, jam ſc. ab anno trecenteſimo ſeptuageſimo nono Illyricum diviſum fuiſſe, in Occidentale & Orientale, & ab eo tempore *Illyricum Orientale*, in quo Macedonia & Theſſalonica, ſubditum fuiſſe Imperatori Orientis. Quare ſub Theodoſio duo Præfecti Prætorio fuere, Præfectus ſc. Prætorio Orientis, & Præfectus Prætorio Illyrici, videlicet Orientalis, & *Buthericus* erat hoc tempore Magiſter militum per *Illyricum Orientale*. Quomodo enim Theodoſius cædem illam præcipere potuiſſet, ſi Theſſalonica ab ejus Imperio non pependiſſet? Hinc anno CCC LXXX data ab eo *VI Kalend. April.* dum Theſſalonicæ eſſet, Lex 4. Codicis Theod. *De Quæſtionibus*, *Albuciano Vicario Macedoniæ* inſcripta. Theodoſio itaque parebat Macedonia. Mirum porrò, ut id obiter obſervem, eodem anno, iiſdemque ſæpe menſibus, Leges à Theodoſio directas ad quatuor Præfectos Prætorio, ad Neotherium nempe, Eutropium, Florum & Tatianum, ut videre eſt in Chronologia Codicis Theod. anno CCC LXXX: quòd à Gothofredo non animadverſum, & cujus rei cauſa mihi incomperta.

IV. *Lex à Theodoſio data periit.* Antequam D. Ambroſius Theodoſium in Dei Templum intrare permitteret, juſſit, ut Legem ſcriberet, *quæ furoris ſententias irritas redderet atque inanes: & triginta dierum ſpatio manerent ſcriptæ ſententiæ de cæde ac bonorum proſcriptione, rationis judicium expectantes*, ut inquit Theodoretus citatus cap. 18. Quod & factum fuiſſe ſcribit. Id certè ſtatuitur Lege 3 Codicis Theod. *De pœnis*, quam Caſſiodorus in Hiſtoria Tripartita integram refert, demta ſubſcriptione, exiſtimans, eam Legem ipſiſſimam eſſe, quæ à Theodoſio hujus cædis occaſione emiſſa eſt. In eandem ſententiam abiit Baronius, & poſt eum Gothofredus in illius Legis Commentario. Sed utrumque deceptum fuiſſe, apud me penè certum: ejus enim inſcriptio hæc eſt: IMPPP. GRATIANUS, VALENTINIANUS ET THEODOSIUS AAA. FLAVIANO P. P. ILLYRICI ET ITALIÆ: dicitur verò *data XV Kal. Septemb. Veronæ*, *Antonio & Syagrio Coſſ.* anno nempe Chriſti CCC LXXXII. Quare hæc Lex diverſa ab ea, quam Theodoſius hujus cædis occaſione emiſiſſe dicitur. Reſpondet Baronius, characteres illos temporum depravatos fuiſſe, & quidem ab aliquo, qui indignè ferret, ea ſuo loco & tempore atque titulo poſita Legi, quibus Theodoſii immane facinus decantaretur. Sed, cùm id ſine teſte aſſerat, ac de nulla alia Codicis Theodoſiani Lege dici poſſit, ejus conjectura rejicienda. Addit Baronius, Theodoſium hoc anno Veronæ fuiſſe, ut liquet ex Chronologia Codicis Theodoſiani. At ex eadem Chronologia conſtat, *Valentinianum juniorem* anno CCC LXXXII Patavii & Veronæ fuiſſe, ut Gothofredus fatetur.

V. *Sententia Baronii & Gothofredi confutatur.* Ipſe Gothofredus, ad probandum illorum characterum errorem, utitur argumento ex *Flaviani* nomine, ad quem Lex 13. *De pœnis*. directa, deducto. Fuit, inquit, Flavianus hic Præfectus Prætorio Illyrici & Italiæ per hæc omnino tempora anno Domini CCC XC & CCC XCI, ut docet Lex 11. Codicis Theodoſiani *De fide teſtium*. Lex 4. & 5. *De Apoſtatis*. Lex 2. *De Conſtitutionibus Principum*. Lex 6. *De contrahenda emptione*. Poſt *Polemium* ſc. qui primis adhuc hujus anni CCC XC menſibus P. P. Illyrici & Italiæ erat, Lege 28. Codicis Theod. *De operibus publicis*. & ante Apodemium, qui anni CCC XCII initio P. P. Illyrici & Italiæ reperitur Lege 21. Codicis Theodoſiani *De Naviculariis*. Fuit proinde *Flavianus* P. P. Illyrici & Italiæ poſterioribus anni CCC XC menſibus, & anno CCC XCI. Quanquam Flavianum Præfectum Prætorio quoque reperio Merobaude & Saturnino Coſſ. anno CCC LXXXIII, Lege 8. Codicis Theod. *De deſertoribus*. & Lege 2. ejuſdem Codicis *De his qui latrones*. Ita Gothofredus, qui inde infert, ex hujus Legis *De pœnis*. titulo expungendum eſſe nomen Gratiani jam à ſeptennio occiſi. At ſi Gratiani, Flaviani etiam nomen delendum eſſet; is enim ſub Valentiniano juniore, non verò ſub Theodoſio, Præfecturam Prætorii geſſit. Laudatæ itaque Leges annis CCC XC & CCC XCI datæ, non ad Theodoſium, ſed ad Valentinianum juniorem referendæ, ipſo Gothofredo in illarum Commentariis teſte. Quare Flavianus Præfectus Prætorio Italiæ & Illyrici, ſc. Occidentalis, fuit annis CCC LXXXII & CCC LXXXIII, rurſumque anno CCC XCI, imò & aliquot menſibus anni CCC XCII Lex enim 10. Codicis Theodoſiani *De petitionibus*. inſcripta eſt *Flaviano P. F. P.* diciturque *P. P. VI Idus April. Arcadio Aug. II & Rufino Coſſ.* anno ſc. CCC XCII; ideoque emiſſa ea, non à Theodoſio, ut perperam Gothofredus, ſed à Valentiniano juniore, qui in vivis fuit uſque ad diem XV menſis Maii. Docent enim Rufinus lib. 2. cap. 33 Sozomenus lib. 7. cap. 22. & Paulinus in Vita Sancti Ambroſii, *Flavianum* Præfectum Prætorio fuiſſe, quando Valentinianus junior trucidatus eſt, ac auctorem extitiſſe omnium, quæ adverſus hunc geſta ſunt: qui Scriptores de Præfectura Italiæ loquuntur, ut ex eorum lectione apud Baronium conſtat. Verùm anno CCC XC, non Flavianus, ſed *Polemius* Præfectus Prætorio Illyrici & Italiæ fuit, & quidem ab initio anni uſque ad ejus finem. Lex enim Codicis Theodoſiani 26. *De operibus publicis*. data eſt *Mediolani XVIII Kal. Feb. Polemio P. F. P. Illyrici & Italiæ*. Tum *prid. Non. April.* data *Mediolani*. Lex 28. ejuſdem Codicis *De operibus publicis*. inſcripta *Polemio P. P. Illyrici & Italiæ*. Denique *X Kal. Jun.* data Mediolani Lex 9. Codicis Juſtiniani *De Officio Rectoris Provinciæ*. inſcripta *Polemio P. P. Illyrici*. Alium hoc anno Illyrici & Italiæ Prætorio Præfectum obtrudit Gothofredus in Chronologia

Baron. ann. 392. n. XVI & ſeqq. & an. 393. n. XXXVII.

Codicis Theod. ſc. *Neotherium.* quòd Lex 3. Codicis Theod. *De Theſauris.* quæ dicitur data *VI Non. Mart. Conſtantinop.* inſcribatur *Neotherio PF. P.* & Lex 7. ejuſdem Codicis *De curioſis.* data loco non expreſſo *V Kal. Jun.* inſcribatur *Neotherio P F. P.* Sed, cùm Lex illa *De Theſauris.* data ſit Cpoli, non dubium quin ad Theodoſium M. referenda ſit, ideoque & Lex laudata *De curſu publico.* Hæret Gothofredus in Commentario hujus ultimæ Legis, ſub quo Imperatore Præfectus Prætorio *Neotherius* fuerit, & cujus Præfecturæ Prætorianæ, quòd Symmachus lib. 5. epiſt. 38. hunc *Neotherium*, hoc anno Conſulem in Occidentis partibus, & quidem in Italia fuiſſe oſtendere videatur, concluditque, ſe hanc rem in medio relinquere. Sed, cùm Theodoſius Legem citatam *De Theſauris.* ad Neotherium miſerit, & aliquas alias Leges ad *Tatianum* PF. P. non dubito, quin hic Præfectus Prætorio Orientis fuerit, *Neotherius* verò Præfectus Prætorio Illyrici Orientalis. Et ratio eſt, quia Lex ultima Codicis Theod. *De Tutoribus & Curatoribus.* dicitur *XII Kal. Feb. dat. Mediol. Tatiano PF. P.* & poſt VI Nonas Martias, (quo die Lex citata *De Theſauris.* directa eſt, ad Neotherium PF. P.) ſequentibus menſibus Theodoſius Magnus varias Leges inſcribit *Tatiano* Præfecto Prætorio. Quare uno eodemque tempore *Tatianus* & *Neotherius* Præfecturam geſſere in diverſis Imperii Orientalis partibus, in Oriente ſc. & in Illyrico Orientali. Quoad Symmachum, is quidem indicat, *Neotherium* Conſulatûs poſſeſſionem Mediolani iniiſſe; ſed factum id, quia Theodoſius, qui eum Conſulem Orientalem deſignavit, toto hoc anno & majori parte ſequentis in Italia fuit.

VI. *Diviſio Illyrici ante Valentiniani jun. necẽ facta.*

Apodemius verò fuit Præfectus Prætorio Orientalis, non verò Præfectus Illyrici & Italiæ, ut ſibi perſuaſit Gothofredus, qui exiſtimavit, Illyricum hoc tempore nondum diviſum fuiſſe. Lex enim 20. Codicis Theod. *De Navicularüs.* inſcripta eſt, *Apodemio PF. P. Illyrici & Afric.* diciturque data *XV Kal. Mart. Cpoli Arcadio A. II & Rufino Coſſ.* anno videlicet Chriſti CCCXCII. Ubi hæ voces, *& Afric.* abdicandæ, non verò earum loco vox *Italiæ* ſubſtituenda, ut perperam Gothofredus. Cùm enim ea Lex data ſit Cpoli, & quidem paulò ante mortem Valentiniani jun. die XV Maii illius anni occiſi, non dubium, quin ad Theodoſium Magnum pertineat, ut ipſemet Gothofredus fatetur. Poſt Valentiniani junioris cædem duæ aliæ Leges ad Apodemium *PF. P. per Illyricum* à Theodoſio miſſæ: Lex nempe 12. & 13. Codicis Theod. *De Legatis.* Prior, data *V Aug.* poſterior, *IV Idus Septemb.* Cùm autem eodem anno CCCXCII *Flavianus*, ut jam oſtendi, Præfecturam Prætorii Italiæ & Illyrici, ſc. Occidentalis, geſſerit, & *Apodemius* ante diem XV Maii Valentiniani junioris emortualem, Illyrico, nempe Orientali, præfuerit, ut ex tribus Legibus mox citatis planum fit, ac poſt diem XV Maii Præfectus Prætorio Italiæ & Illyrici fuerit, intelligimus, *Flavianum* auctorem cædis Valentiniani, Præfecturâ indignum à Theodoſio judicatum, Italiamque & ſolidum Illyricum Apodemio commiſſa fuiſſe: quo vel ſolo argumento conſtat, diviſionem *Illyrici in Orientale & Occidentale* factum eſſe ante necem Valentiniani junioris, ſecus ac credidit Gothofredus. Neque enim poſt peremtum Valentinianum Theodoſius Imperium partitus eſt, ſed Eugenius Tyrannus Occidenti præfuit, nominatimque Galliis; Theodoſius verò ceteris orbis Romani regionibus. Ex quibus tandem omnibus concludendum, Flavianum currenti anno non fuiſſe Præfectum Italiæ & Illyrici, ideoque nec Legem 13. Cod. Theod. *De pœnis.* eam eſſe, quam poſt cædem Theſſalonicenſem Theodoſius M. emiſit. Cùm enim *Neotherius* currenti anno Præfectus Prætorio Illyrici Orientalis fuerit, Lex illa Theodoſii, quæ periit, ad eum dirigi debuit.

Seculum IV.

VII. *Jam ab anno CCCLXIV Præfectura Italiæ & Illyrici memorata.*

Gothofredus tamen, ut oſtendat, Legem illam Theodoſianam aliam non fuiſſe, quam præfatam *De pœnis.* alterum argumentum adducit, deductum ex Præfectura Prætoriana Illyrici & Italiæ, quam dicit, non memorari ante annum Chriſti CCCLXXXVII: ex quo infert, Legem illam *De pœnis.* inſcriptam Flaviano Præfecto Prætorio Italiæ & Illyrici, datam eſſe poſt illum Chriſti annum, non verò anno CCCLXXXII. Verùm ea regula, quam Vir doctiſſimus ſtatuit etiam in Commentario Legis 2. Cod. Theod. *De Conſtitutionibus Principum.* vera non eſt; cùm ex iis, quæ ipſemet in eodem Commentario refert, conſtet, annis Chriſti CCCLXIV, CCCLXV, CCCLXVI & duobus ſubſequentibus unum eundemque Præfectum Prætorio præfuiſſe Italiæ, Illyrico & Africæ, exindeque annis CCCLXXVII & tribus inſequentibus. Falſum etiam illud quod ibidem ponit: *Cùm Illyricum Italiæ ſociari per hæc tempora* (anno ſc. CCCXCIII, quo ea Lex *De Conſtitutionibus Principum.* data) *videmus ante Arcadium & Honorium ferme, de utroque Illyrico, ſeu univerſo, id accipiendum eſt, quod utique ſub eodem Occidentis Imperatore, & ſub eadem adminiſtratione conjunctum erat: ſub Conſtante primùm, dein ſub Valentiniano ſeniore, tandem & ſub Valentiniano juniore & Gratiano.* Nam *Illyricum* in Occidentale & Orientale anno trecenteſimo ſeptuageſimo nono diviſum fuiſſe, certis argumentis me demonſtraſſe exiſtimo, tam anno trecenteſimo octogeſimo, quàm currenti. Præterea ex mox dictis liquet, *Apodemium* Præfectum Prætorio Illyrici Orientalis, ſimpliciter & abſolutè vocari Præfectum Prætorio *per Illyricum.* Sicut itaque poſt Theodoſium M. Illyricum abſolute poſitum plerumque de Orientali intelligitur, ut ex multis Codicis Theod. Legibus patet; ita & non rarò poſt ejus Imperii initium de Illyrico Orientali vox illa explicanda. Alia argumenta, quæ Gothofredus in medium profert, aliud non probant, quàm cædem Theſſalonicenſem præſenti anno perpetratam eſſe: qua in re neque à Baronio, neque ab eo diſſentimur.

VIII. *Ut per XXX dies ſententiâ ſuſpenderentur, & à Valen-*

Sed hanc Legem *De pœnis.* aliam eſſe à Theodoſiana poſt eam cædem lata, ejus ſubſcriptio manifeſtè oſtendit: data eſt enim *menſe Auguſto*, non verò, ut Baronius memoriæ lapſu ſcribit, *menſe Septembri.* Theodoretus quippe lib. 5. cap. 18. ubi cædem Theſſalonj-

tiniano & à Theodoſio ſtatutum.

cenſem narravit, ait: *Longo pòſt tempore elapſo: octo enim menſes exceſſerant: Servatoris noſtri natalis dies advenit.* Addit Theodoretus, cùm tunc Theodoſius ad Eccleſiam veniſſet, petiiſſe ab eo D. Ambroſium, ut ſcriberet Legem, *quæ furoris ſententias irritas reddat atque inanes; & triginta dierum ſpatio maneant ſcriptæ ſententiæ de cæde ac bonorum proſcriptione, rationis judicium expectantes*; & ſtatim Imperatorem Legem ſcribi præcepiſſe, eamque *manus ſua ſubſcriptione* firmaſſe. Quare cædes Theſſalonicenſis accidit circa menſem Maium præſentis anni, & Lex Theodoſiana, quæ ad nos non pervenit, data eſt circa finem menſis Decembris, idque *Mediolani*, ubi Theodoſius conſtitit ad menſem ferme Auguſtum, ut patet ex Legibus Codicis Theod. hoc anno datis. Valeſius in Notis ad Theodoretum lib. 5. cap. 18. exiſtimat, hanc Leg. 13. *De pœnis.* primùm quidem latam fuiſſe à Gratiano annis octo ante ſtragem Theſſalonicenſium, poſtea verò hujus occaſione renovatam eſſe à Theodoſio: priorem tamen titulum Legis ſemper remanſiſſe, qui *Gratiani* nomen præferebat. Verùm hæc conjectura non admittenda, quia Italia, ubi ea Lex *De pœnis.* data, non Gratiano, ſed Valentiniano juniori parebat, ideoque & ab eodem Valentiniano ea Lex lata. Præterea inſcripta eſt, ad *Flavianum* Præfectum Prætorio Italiæ & Illyrici, nempe Occidentalis, atque ita ad Theodoſium nullo pacto referri poteſt. Gothofredus in Commentario laudatæ Legis *De pœnis.* ſcribit: *Putabam ipſe aliquando hanc Legem Valentiniano juniori tribuendam eſſe, ut ita & Theodoſius ſuo tempore, & Valentinianus ſuo, de differenda in triceſimum diem pœna extra ordinem à Principe imperata aliquid conſtituerit. Sed alia mihi nunc ſtat ſententia*, &c. Conjectura tamen quæ Viro doctiſſimo in mentem venit, omnino retinenda, cùm eâ ſolâ hæc difficultas explicari poſſe videatur.

IX. *Concilium Mediolanenſe.* Baron. num. xxxv & ſeqq.

Ad num. VII. Hoc quidem anno Concilium *Mediolanenſe* celebratum, ut liquet ex epiſtola S. Ambroſii 28. Sed an Jovinianus in eo, vel in alio Concilio damnatus fuerit, incertum. Proſper tamen in Chronico Imperiali, anno ſeptimo Theodoſii Magni poſt Gratiani mortem regnantis, præſenti nempe, inſinuat aliam hujus Concilii cauſam; ait enim: *Ingens inter noſtros contentio oborta: quòd ſcilicet Epiſcopi, qui ab Hæreticis depulſi fuerant, nollent his ab Imperatore dejectis, alios quàm ſe ſubſtitui Sacerdotes.* Videtur loqui Proſper de Epiſcopis, de quibus alter Proſper in Chronico Conſulari ſub præcedentis anni Conſulibus ſcribit: *Ithacius & Urſacius Epiſcopi ob necem Priſcilliani, cujus accuſatores fuerant, Eccleſia communione privantur.* Hermantius lib. 7. Vitæ Sancti Ambroſii cap. 1. hunc Proſperi locum ad Concilium Mediolanenſe explicandum affert, ex quo cum priori Chronici Imperialis, quod Hermantius non recitat, aliquid in re obſcuriſſima ſtatui poteſt. Legenda Epitome anno 397. numero XII, ubi de Concilio Taurinenſi, & Acta primi Concilii Toletani anno cccc celebrati, in quibus de Priſcillianiſtis in Concilio Mediolanenſi, præſenti nempe, damnatis agitur. Ex illis omnibus aliqua hujus Concilii Hiſtoria concinnari poteſt. Certè Sulpicius Severus, qui anno Chriſti cccc Hiſtoriam ſuam abſolvit, ait, turbas illas inter Epiſcopos jam à quindecim annis etiam tum perduraſſe.

X. *Theodoſii Lex de Monachis.* Baron. num. LXVII.

Ceterùm Lex 1. Codicis Theod. *De Monachis.* lata non eſt occaſione *Jovinianiſtarum*, qui è Monaſteriis ejecti, in urbibus tamen cum habitu monaſtico vagabantur. Nam præterquam quòd, ut inquit Gothofredus in hujus Legis Commentario, hæc Lex ad Orientem pertinet (ubi Tatianus, cui ea inſcribitur Præfectus Prætorio erat) non agitur in ea de Monaſterio ejectis, verùm de quibuſcumque *qui ſub Profeſſione Monachi reperiebantur*, id eſt, de omnibus qui monaſticam vitam profitebantur, interim tamen civitates frequentabant, ut oſtendit Lex 2. ejuſdem Codicis *De Monachis.* quà poſt biennium memorata Lex abrogatur. Quare hac Lege *Monachi* quicumque, non pœnæ loco ad deſerta loca & ſolitudines conferre ſeſe jubentur, ut credidit Baronius; verùm pro vitæ ſuæ inſtituto eò redire. Denique pertinet hæc Lex ad Monachos, ſive Eremitas, cujuſmodi in Ægypti potiſſimùm Syriæque ſolitudinibus aliiſve agebant, deſerta loca & vaſtas ſolitudines ſequentes. Qua de re plura Gothofredus in hujus Legis Commentario.

XI. *Gallam interſ Arcadium diſſidium.* Baron. num. LXXV.

Marcellinus in Chronico ſub hujus anni Conſulibus ſcribit: *Galla Theodoſii uxor ab Arcadio privigno ſuo ejecta eſt: Obeliſcus in circo poſitus eſt: columna haud longè ab Eccleſia conſtituta eſt, quæ argenteam Theodoſii Magni ſtatuam ferens hactenus contemplatur.* Baronius, qui in Annalibus hæc verba recitat, ait, Gallam hoc anno demortuam, & ab Arcadio ſepultam; quæ profectò Marcellinus non dicit. Imò Zoſimus pag. 776. Valentiniani junioris morte, quæ anno ccc XCII accidit, narrata, ait: *Univerſis hiſce Theodoſio Principi eodem tempore renuntiatis, uxor ejus Galla, fratrem deplorans, regiam univerſam conturbata.* Mortua eſt autem Galla anno ccc XCIV, quo Theodoſius ad vindicandam Valentiniani junioris mortem Conſtantinopoli digreſſus eſt, teſte Zoſimo pag. 777. *Conjugem ipſius Gallam parturientem mori contigit, infantis onere cum vita depoſito.* Obeliſcus ille, qui hactenus Conſtantinopoli viſitur, Vicennalium Valentiniani occaſione Theodoſio poſitus: nam Imperatoribus hujuſmodi ſolennia in Occidente exhibentibus, in Oriente obeliſci erecti, Eccleſiæ dedicatæ, ſimiliaque peracta, & vice verſa.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ
5884. ☉ 8 E. ☽ 12. P. 6. APRIL.
INDICT. 4.
JESU CHRISTI 391.
SIRICII PAPÆ 8.
VALENTINIANI JUNIORIS 17.
THEODOSII 13. ARCADII 9.

I. *Conſules.* COſs. *Tatianus*, & *Q. Aurel. Symmachus*; prior Orientalis, ut ex Legibus Codicis Theodoſiani patet: poſterior Occidentalis, cujus variæ epiſtolæ ad nos pervenere.

II. *Duæ Valentiniani Leges adverſus Hæreticos.* *Baron. num. 3.* Ad num. I. Lex Codicis Theodoſiani 5. *De Apoſtatis.* non à Theodoſio, ut exiſtimavit Baronius, ſed à Valentiniano juniore emiſſa: inſcripta eſt enim Flaviano Præfecto Prætorii Illyrici & Italiæ, non verò Orientis, ubi Tatianus Præfectus Prætorio fuit, dataque eſt *Concordiæ*, quæ Italiæ urbs. De ejus explicatione legendus Gothofredus in Commentario. Neque etiam Lex 20. ejuſdem Codicis *De Hæreticis.* ad Orientalem Eccleſiam referenda, ut putavit Baronius. Data eſt enim *Romæ*, eáque urbibus Romanæ urbi vicinis Hæretici eorumque Conventus arcentur. Præterea, hoc edictum peculiariter ad *Manichæos* pertinet, quos ante biennium ferme Theodoſius & Valentinianus Lege 18. *De Hæreticis.* urbe Roma expulerunt; at nunc etiam urbibus Romæ vicinis pelli jubentur, id eſt, ultra centeſimum lapidem. Legendus Gothofredus in ejus Commentario.

III. *S. Auguſtinus fit Preſbyter.* *Baron. num. XXII.* Ad num. III. Sanctus *Auguſtinus* circa Paſcha Preſbyter ordinatus videtur. Cùm enim Valerius Epiſcopus, qui ei Sacerdotium detulit, vellet, Auguſtinum impoſito munere ſtatim fungi, is ad ſe præparandum *parvum tempus vel uſque ad Paſcha* ſibi concedi rogavit, ut liquet ex epiſtola Auguſtini 148. ad Valerium. An verò parvum illud tempus à Valerio obtinuerit, incertum.

IV. *Theodoſius relinquit Occidentem.* *Baron. num. VII.* *Theodoſius* M. ex Italia, ubi triennio ferme conſtiterat, Conſtantinopolim rediit his Coſſ. cum Honorio filio ſuo, ut teſtatur Socrates lib. 5. cap. 18. qui addit, eum in eam urbem ingreſſum eſſe, *die IV Idus Novembris.* Marcellinus in Chronico eum etiam hoc anno Conſtantinopolim reverſum tradit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ
5885. ☉ 9 DC. ☽ 13. P. 28. MART.
INDICT. 5.
JESU CHRISTI 392.
SIRICII PAPÆ 9.
THEODOSII 14. ARCADII 10.

I. *Conſules.* COſs. *Arcadius Aug. II*, & *Rufinus*; uterque Orientalis. Rufinus enim poſt Tatianum in exilium miſſum, factus eſt Præfectus Prætorio Orientis in Conſulatu ſuo, ex Ambroſio epiſtola 53. Sumtus hic ab Arcadio Conſulatus juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam, ob ejus nempe Decennalia, quæ in hunc annum incidunt. *Arcadii Decennalia.*

II. *Legatio ad Valentinianum.* *Baron. num. II.* Ad num. I. Legatio Gentilium ad Valentinianum, ut ab eo impetrarent vetera ſacra, Decennalium Arcadii manifeſtum indicium: annis enim hujuſmodi ſolenniis deſtinatis Legationes ad Imperatores ad aliquam gratiam obtinendam de more miſſas, ac Religioni conſultum eſſe, frequenter in memoriam revocare juvat.

III. *Valentiniani junioris obitus.* Ad num. II. Obitus *Valentiniani junioris* nobilibus characteribus conſignatus ab Epiphanio lib. de Menſuris & Ponderibus, num. XX, ubi ait: *Quibus Coſſ* (nempe Arcadio II & Rufino) *mortuus eſt Valentinianus junior, Valentiniani Magni filius: qui ſubinde, uti ferunt, præfocatus in Palatio repertus eſt, Idibus Maii, pridie Pentecoſtes, dies Sabbati, ipſo verò die Pentecoſtes elatus eſt. Erat tum apud Ægyptios menſis Pachon dies viceſima prima: juxta Græcos Arthemiſii menſis tertia & viceſima: ſecundum Romanos decimo ſeptimo Kalend. Junias.* Occiſus eſt itaque Valentinianus junior die decima quinta menſis Maii, quæ in Sabbatum, ac in pervigilum Pentecoſtes cadebat. Die inſequenti, qui decimus ſextus ejuſdem menſis fuit, ac XXI menſis Pachon, ſepulturæ mandatus eſt. Erat is dies XXIII *Artemiſii* ſecundum Græcos, ſi Smyrnæorum calculum conſulamus: illi enim cum menſem die XXV Aprilis noſtri auſpicantur, inquit Uſſerius in libello de Macedonum & Aſianorum anno ſolari cap. 4. Verùm, ut obſervat Petavius in Notis Epiphanianis pag. 421. ſi Arthemiſii XXIII dies eſt Maii Juliani XVI, cœpit Artemiſius Aprilis XXIV: quod dici non poteſt; ea enim menſium diſpoſitio inaudita. Cenſet itaque Petavius Ἕλληνας, de quibus loquitur Epiphanius, *Syro-Macedones* & Antiochenos eſſe, quorum menſes merè Juliani ſunt, Græcis nominibus appellati. Horum verò *Artemiſius* idem eſt cum Maio. Quare XVI Maii eſt Artemiſii Græcorum, ſive Syrorum XVI; & in præfato loco pro *tertio & viceſimo*, legendum, XVI. Verùm ibi *Artemiſius* menſis eſt quidem Syro Macedonicus, & non Julianus; ſed incipit die XXV Aprilis: ideoque loco *Artemiſii XXIII*, legendum, *Artemiſii XXII.* Marcellinus in Chronico anno antecedenti Valentiniani mortem conſignat; ſed is per hæc tempora parum in Chronologia accuratus. Cùm verò quadrimus fuerit *Valentinianus*, quando Imperium ſuſcepit, ut Ammianus, Victor in Epitome, Zoſimus lib. 4. Zonaras & Philoſtorgius lib. 11. cap. 16. habent, rectè ſcripſit Nicephorus lib. 12. cap. 38. Valentinianum II annos viginti natum ſublatum eſſe. His ſuffragatur Hieronymus in epiſtola de exitu Nepotiani; ubi ait, eum *adoleſcentem adhuc & penè puerum* occiſum eſſe. Sed Baronius, qui hunc Valentinianum Juſtinæ ac Valentiniani ſenioris filium, ac Gratiani fratrem confundit cum Valentiniano Valentis & Dominicæ filio, anno CCCLXVI nato, anno ætatis viceſimo ſeptimo Valentinianum II interfectum perperam ſcribit, putatque, lectionem Ambroſii in Oratione Funebri Valentiniani II, in qua dicitur, eum obiiſſe anno XVI regni ſui, mendoſam eſſe; cùm tamen Ambroſius more Antiquis uſitato utrumque annum extremum incompletum pro integro numerarit: quo pacto ab anno Chriſti trecenteſimo ſeptuageſimo

quinto ad currentem, anni decem & octo fluxere.

IV.
Harduini opinio de Valentiniani jun. Imperio.

Harduinus Vir eruditiſſimus in Notis ad Orat. XV Themiſtii, quæ eſt de Regia virtute ad Theodoſium, ſingularem de Valentiniano juniore opinionem habet; ait enim: *Etſi nomen ille quidem Auguſti interdum geſſit, dum tamen Gratianus ſuperſtes fuit, Occidente toto hujus unius dominatu omnia tenebantur. Confirmat egregiè hanc noſtram animadverſionem vetus Inſcriptio quæ Romæ extat, afferturque à Grutero pag. M LXXX, 10. ex apographo Sirmondi noſtri.*

VALENS. ET. GRATIANUS
PII. FELICES. AC. TRIUMPHATORES
SEMPER AUGG.
PORTICUS. AREASQ. MACELLO.
LIVIAE. AD. ORNATUM. URBIS
SUAE. ADDI. DEDICARIQ.
JUSSERUNT.

Item & alterum Inſcriptionis fragmentum, Romæ apud S. Anaſtaſiam eidem pariter Patri Sirmondo viſum, ab eodem Grutero relatum pag. M LXXXVI. 10.

. . . .

LIBERTATIS. D. N. FL. GRATIANO
FORTISSIMO. INVICTISSIMO-
QUE. PRINCIPI. SEMPER AUGUS
TO.
FLAVIUS MAXIMUS. V. P.
PRAEF. VIG. D. N. M. Q. EJUS.

Et verò Valentiniano juniori non plus eſſe delatum honoris ac poteſtatis minimè mirum videri debet. Primus omnium ille extitit, quem à militibus Cæſarem appellatum, Cæſar alter vivere paſſus ſit. Ante hæc tempora ſimile factum odiis tam exitialibus proſequi ſoliti erant, ut illa Gratiani pietas erga fratrem illius ævi Scriptoribus, ethnicis ſaltem, ut Ammiano lib. 30. nimia viſa ſit, in recenti præſertim memoria Conſtantii, qui nec Gallum, nec Julianum, nedum alios ferre potuerit. Hæc Harduinus.

V.
Confutatur.

At Gratianum Valentiniani fratris electionem, paucis poſtquam facta eſt diebus, ratam habuiſſe, & Valentinianum, ſub Juſtinæ matris tutela & Gratiani patrocinio, Italiam & Illyricum ſupremo jure adminiſtraſſe, ſemperque Auguſti nomen tuliſſe, certum. Nam ipſo Imperii initio, ac poſtea in Quinquennalibus Conſulatum ordinarium geſſit, & Valentis patrui in ſexto ejus Conſulatu Collega fuit, omnibuſque honoribus & prærogativis, quibus alii Auguſti, potitus eſt. Nec refert quòd in præfatis ſimilibuſque Inſcriptionibus, in quibus Gratiani, Valentis & Theodoſii mentio fit, nomen ejus prætermittatur; cùm multæ ſuperſint, in Severi Imp. honorem exaratæ, in quibus patris nomen ommittitur. Sic imperante Valeriano variæ Inſcriptiones *Gallieno* filio dedicatæ, quæ adhuc ſuperſunt, in quibus *Valeriani* nomen tacetur. Imò non deſunt, in quibus tam Gratiani, quàm Valentiniani & Theodoſii nomen legitur. Sponius pag. 276. Miſcellanearum Erudit. Antiquit. unam exhibet, quæ Romæ in horto Barberino extat, cujus hoc initium:

SALVIS DDD. NNN.
GRATIANO VALENTINIANO ET THEODOSIO
VICTORIBUS SEMPER AUGUSTIS

Idem Sponius jam pag. 157. aliam epigraphen produxerat, quæ trium horum Imperatorum nomina etiam præfert. Nullæ quidem ante Theodoſii M. inaugurationem, annumque CCCLXXIX Codicis Theodoſiani Leges Valentiniani nomine inſcribuntur; ſed hinc tantùm inferri ad ſummum poteſt, Gratianum ſolum Imperium Occidentale, uſque ad Theodoſii ad Imperium evectionem adminiſtraſſe, ob ſummam videlicet Valentiniani pueritiam, qui quadrimus Imperium acceperat; vel id Collectoris errori adſcribendum. Certè ab anno CCCLXXIX ad CCCLXXXIII, quo Gratianus occiſus, trium Imperatorum nomina in Legum fronte leguntur.

VI.
Tatiani Orthodoxorum perſecutoris calamitas.

Tatianus, qui anno elapſo Symmacho Collega Conſulatum geſſerat, currenti verò Præfecturam Prætorianam Orientis, & cujus filius Proculus hoc anno Præfectus urbi Conſtantinopoleos fuit, ut liquet ex Lege 10. Codicis Theod. *De annonis civicis*. capitali primùm ſententia damnatus eſt, verùm clementiâ Theodoſii ſervatus, in exilium miſſus fuit in patriam ſuam: filius verò ejus *Proculus* capite plexus eſt VIII Idus Decemb. ut habet Auctor Chronici Alexandrini ſub anni ſequentis Conſulibus, loco non ſuo. Legendus Zoſimus lib. 4. pag. 774. qui, quæ tunc geſta ſunt, narrat; quique antea pag. 769. loquens de iis, quæ anno CCCLXXXVII contigere, ait: *Arceſſitum igitur Aquileia Tatianum, qui & alios ſub Valente magiſtratus geſſerat, & erat in omnibus virtute ſingulari præditus, Prætorii Præfectum in patria declarat;* (nempe Theodoſius Magnus) *& miſſis ad eum magiſtratûs inſignibus, filio ipſius Proculo Præturam urbanam tradit. Enimverò præclarè ſe hic geſſit, ampliſſimis magiſtratibus ejuſmodi viris commiſſis, qui etiam poſt obitum Principis optimè res ſubditorum adminiſtrare poſſent,* dum ſcilicet Theodoſius M. in Occidente contra Maximum Tyrannum pugnaret. Eum verò ideo impensè Zoſimus laudat, quia Ethnicum & à noſtra Religione alienum. Ut enim anno CCCLXX vidimus, dum Præfectus Ægypti eſſet, Divum Athanaſium perſecutus eſt, & Chriſtianos valde afflixit: de quo etiam Rufinus lib. 10. cap. 2. de Valente Imperatore loquens ſcribit: *Epiſcopos egit in exilium, & Presbyteros, ac Diaconos & Monachos, Tatiano Alexandriæ Præſidente, uſque ad tormenta deduxit, & ignibus tradidit.* Beatus Aſterius Homiliâ in feſtum Kalendarum loquens de Conſulibus, qui in ſummas calamitates incidere, de Tatiano & Proculo filio ejus hæc habet: *Præſidem illum, rectoremque Provinciæ fortiſſimum & invictum, ut exiſtimabat, qualis vitæ cataſtrophe excipit? Primùm quidem filium ſuum vidit capite truncatum, & ipſe poſtea capitali ſententia damnatus eſt, laqueoque gulæ jam admoto, clementiâ Principis manibus carnificis exemtus eſt, ut quantulum ætatis ſupererat ſenex in dolore & calamitate, ſenſuque malorum exigens, ac plenus dedecoris & ignominiæ tali magni Conſulatus exitu vitâ decederet.*

VII. *Tatianus non è Lycia, ſed è Macedonia ortus.*

Gothofredus in Commentario Legis Cod. Theod. 9. *De indulgentiis criminum.* exiſtimat, Tatianum in *Lyciam*, Aſiæ minoris regionem, relegatum fuiſſe, eumque in ea natum, quòd ea Lex ab Arcadio anno CCCXCVI, poſt mortem ſcilicet Rufini, data, his verbis concepta ſit: *Devotiſſimæ nobis Provinciæ Lyciæ priorem famam, meritumque inter ceteras renovari cenſemus. Idque excellens Eminentia tua, edictis propoſitis, cunctis faciat innoteſcere, ne quis poſthac civem Lycium contumelioſo nomine injuriæ audeat vulnerare. Teneant honores ſuos, quos meritis ac laboribus perceperunt, & à noſtra Serenitate ſumturi ſunt. Habeant præteritas dignitates, ſperentque ſui devotione venturas. Nec unius viri inluſtris Tatiani tantùm valuerit temporalis offenſio teterrimi judicis inimici, ut adhuc macula in Lycios perſeveret, quæ in ipſo jam temporis abſolutione conſumta eſt.* Tatianus, inquit Gothofredus, cùm Rufini, qui apud Theodoſium maximâ gratiâ pollebat, offenſionem incurriſſet, reus Majeſtatis factus eſt: eundemque Rufinum judicem nactus eſt, ut tradit Zoſimus loco laudato. Idque etiam hæc Lex his verbis teſtatur: *Nec unius viri inluſtris Tatiani tantum valuerit temporalis offenſio teterrimi Judicis inimici.* His enim verbis Rufinus indicatur, cujus offenſionem Tatianus incurrerat, quémque Judicem habuerat. Rufino itaque id agente, *teterrimo Judice*, in totam Provinciam Lyciam offenſione itum eſt: ita quidem, ut tota Provincia eo nomine infamata fuerit, propter unius videlicet Tatiani, ex ea Provincia oriundi ſive crimen, ſive *offenſionem temporalem*, ut hac Lege dicitur. At Rufino, *teterrimo Judice & inimico* Tatiani, interfecto, itum eſt ad ipſius Tatiani ſimul & Lyciæ patriæ in integrum reſtitutionem; quod hujus Legis argumentum eſt. Ita Gothofredus. Verùm Vir doctus, cujus ipſe Gothofredus in Commentario Legis Cod. Theod. *De bonis proſcriptorum.* nomen reticet, & opinionem confutat, rectè arbitratus eſt, proſcriptos à Rufino *Lycios* fuiſſe, ex nulla vel levi cauſa, idque ultione acerbiſſima, indeque maculam *Lyciam* incurriſſe, & privilegiis ſuis privatam eſſe. Quæ quidem explicatio certa. Nam, cùm teſte Zoſimo, cujus verba numero præcedenti recitavimus, *Tatianus* Præfectus Prætorio *in patria ſua* declaratus fuerit à Theodoſio Magno anno trecenteſimo octogeſimo octavo, dum hic vel Theſſalonicæ, vel ſaltem in Macedonia eſſet, ut eo anno num. III demonſtravimus, liquet *Tatianum* è Macedonia oriundum eſſe, & veroſimiliter *Theſſalonicam* ejus patriam fuiſſe, ideoque & eum in eam urbem relegatum. Theodoſium enim initio anni trecenteſimi octogeſimi octavi, quo Tatianum, poſt Cynegii mortem, Præfectum Prætorio in ejuſdem Tatiani patria declaravit, in *Lycia* fuiſſe omnino à veritate alienum, ut ex ipſomet etiam Gothofredo in Chronologia Codicis Theodoſiani liquet. Verum itaque eſt, Tatianum, Rufinum inimicum dudum infenſum, Judicem nactum eſſe; ſed falſum, in laudata L. 9. *De indulgentiis criminum.* Rufini aliquam mentionem fieri, eumque *teterrimi Judicis* nomine in ea expreſſo deſignari, ut ipſa etiam grammaticalis conſtructio manifeſtum facit. Si Gothofredus ad laudatum Zoſimi locum animum advertiſſet, in eam opinationem delapſus non eſſet; contrà verò qui in hujus Legis ſenſum penetravit, lætitiâ exultaſſet, quòd conjecturam ſuam certò firmatam vidiſſet. Miror, Baronium in Annalibus, & recentes Scriptores Vitæ Sancti Athanaſii, mentionem non feciſſe hujus *teterrimi Judicis* & Orthodoxorum perſecutoris, cujus innocentiæ teſtimonium Arcadius non perhibuit, ut perperam putavit Gothofredus laudatus, ſed eum *teterrimum Judicem* appellavit.

VIII. *Omnis cultus Gentilitius prohibetur.*

Ad num. V. Theodoſius Magnus hoc anno, Arcadii filii ſui Decennalibus celebri, emiſit Legem 12. Cod. Theod. *De Paganis.* quâ ſacrificia omnia, omniſque alius Deorum cultus perſonis omnibus & locis per Orientem univerſum interdicuntur: uno verbo omnis Idolorum cultus, omnes cæremoniæ Gentilitiæ. Et hæc quidem Theodoſius hac Lege, ſicuti & Lege 11. *De Paganis.* anno ſuperiori data; cùm antea neque Templorum aditu, neque alio Deorum cultu interdixiſſet, ac nominatim non igne, non nidore ſeu thure. Anno trecenteſimo octogeſimo primo Templis quidem bellum indictum, ut teſtatur Zoſimus lib. 4. pag. 758. ſed Lege 8. *De Paganis.* anno CCCLXXXII, & Lege 9. anno CCCLXXXV emiſſis ſacrificia per Orientem inhibentur; at non etiam Templorum aditus & thurificatio. Hic itaque gradus ad abolendam Gentilitiam ſuperſtitionem ſub Theodoſio Magno notandus eſt: primùm enim ſacrificia prohibita, inſignioraque Templa vel diruta, vel donata, confiſcatave. At ceteri Deorum cultus, thurificatio, Templorumque aditus non ideo inhibiti; neque ornamenta his detracta: quod ſecundo tertióve pedato factum. Poſtremùm tandem, Templa quoque in pagis, ſeu agris paſſim diruta, ubi cultus diutius hæſit. Baron. num. XXVI.

IX. *Ritus decem prohibiti.*

Porro præter publicam victimarum & hoſtiarum immolationem, & ſimulacrorum cultum hac in Lege ritus decem memorantur; & quidem plerique *ſecretiore piaculo*, ſeu intra familiam domumque domeſtico cultu & familiari. Prohibet igitur Larem igne, mero Genium, Penates nidore venerari: accendere lumina, imponere thura, ſerta ſuſpendere, ſpirantia exta conſulere, redimita vittis arbore, vel erectâ effoſſis arâ ceſpitibus vanas imagines honorare, & loca quæ thuris conſliterit vapore fumaſſe, Fiſco addicuntur. Larem igne venerari ſolitos Gentiles omnibus notum. Lares enim domuum Genii habebantur, ut eos quoque Auſonius vocat. Eis cura foci & familiæ, id eſt, ſervorum, qui etiam in foco tanquam præſentiâ Dei ſui cibum ſumebant, commiſſa credebatur. Capitolinus in Pertinace: *Et cùm apud Lares ſacrificaret, carbones vivaciſſimi extincti ſunt.* Secundò, mero Genius cultus, ut vel illud Perſici protritum oſtendit, *funde merum Genio.* Tertiò, quod nidorem attinet, Arnobius lib. 6. *Nidorem conſectabantur & fumos.* Quartò, lumina Diis accendebantur; quod irridet Seneca epiſt. 96. Quintò, thuris impoſitio; hinc Lactantius lib. 5. cap. 21. *Et animas ſuas cum thure ipſo cremandas aris deteſtabilibus imponunt.* Sextò,

ſerta ſuſpendi ſolita : ſertis enim Deos ornatos paſſim obvium. Arnobius lib. 7. *Etiam Dii ſertis, coronis afficiuntur & floribus.* Atque hoc nomine damnatæ olim a Chriſtianis coronæ, ut videre eſt apud Tertullianum. Nominatim vero Templorum poſtes ſertis ornati, ut ex Lege 7. Cod. Juſtinian. *De Paganis* patet : *Abſit ut ſeculo noſtro redimiri ſertis Templorum impios poſtes.* Septimò, Extiſpicina prohibetur, de qua Virgilius 4. Æneidos, *ſpirantia conſulit exta*, id eſt, palpitantia. Octavò, ait Theodoſius, *Redimita vittis arbore imagines honoratas.* Hinc Arnobius lib. 1. adverſus Gentes : *Venerabar nuper veternoſis in arboribus tænias.* & lib. 10. *Quid lanarum vellera, quibus arbores colligatis & circumvolvitis ſtipitem.* Et mox : *Quid tempri violaceis coronis & redimiti arboris ramuli.* Hic tamen mos poſtea diu manſit, & quidem in Italia ut Gregorius Papa lib. 7. epiſt. 20. in Africa, ut canon 84. Codicis Africani, & Divus Auguſtinus Sermone de Tempore 241. teſtantur. Et denique per Galliam, ut Concilium Arelatenſe VII, Altiſiodorenſe, Nannetenſe, Agathenſe, & Capitularium lib. 1. tit. 64. & lib. 7. tit. 236. memorant. Nonò, prohibentur aræ ceſpititiæ & ſubitaneæ ex ceſpitibus erectæ ; hinc Apuleius lib. 7. Metamorph. *Aram ceſpite virenti Marti Deo faciunt.* Decimò, Fiſco addicit Theodoſius loca, quæ conſtiterit thuris vapore fumaſſe. Hinc Prudentius lib. 1. contra Symmachum verſu 363.

Aut ornat redimita roſis, aut thure vaporat.

Quæ omnia ex Gothofredo in illius Legis Commentario excerpta.

Olymp. 293. ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5886. ☉ 10 B. ☽ 14. P. 17. APRIL.
INDICT. 6.
JESU CHRISTI 393.
SIRICII PAPÆ 10.
THEODOSII 15. ARCADII 11.
HONORII 1.

I. *Conſules.* COss. *Theodoſius Aug. III, & Abundantius* Orient. ut ex iis, quæ anno CCCXCV dicam, manifeſtum fiet. Conſulatus Theodoſii juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam : Quindecennalia enim exhibuit.

Quindecennalia Theodoſii.

II. *Honorius Aug. creatur.* Ad num. I. *Honorius* IV Idus Januar. à Theodoſio patre Auguſtus nuncupatus, ut Socrates & Miſcella docent. Sed quoad diem, Petavius lib. 13. de Doct. Temp. & Hermantius in Vita S. Ambroſii lib. 8. cap. 5. Socratem deceptum putant, remque *menſe Novembri* geſtam ſcribunt, quòd Proſper in Chronico tradat, *Honorium* imperatorem factum, cùm *horâ tertiâ tenebræ factæ ſunt*, quæ verba etiam Marcellinus in Chronico habet. Et quidem, inquit Petavius, Sol defecit Novembris XX, feriâ primâ : quo die Honorium Auguſtum eſſe ſalutatum, ambos illos Chronologos indicare arbitratur. Sed ſine dubio fallitur ; eo hoc enim quartò Iduum Januariarum die *Theodoſius junior* poſtea Auguſtus dictus, argumento Honorium patruum eo die eandem dignitatem obtinuiſſe. Nihil itaque aliud Proſper & Marcellinus volunt, quam eo anno, quo Honorius Auguſtus appellatus, deliquium Solis accidiſſe. Nec refert quòd Philoſtorgius lib. 11. cap. 2. ſcribat : *Theodoſius alteri quidem filiorum Honorio Imperatoriam coronam impoſuit, tota vero hieme, quæ ad bellum facerent, ipſe præparavit. Vere autem illuceſcente expeditionem paravit adverſus Tyrannum, & ad Alpes promotus, potitus iis eſt proditione.* Nam Philoſtorgius de hieme & vere anni inſequentis intelligendus ; cùm Leges hoc anno à Theodoſio datæ, eæque magno numero & diverſis menſibus, Conſtantinopoli ſubſcriptæ ſint. Imo Leges anno ſequenti à Theodoſio Magno emiſſæ, uſque ad finem Maii, eandem ſubſcriptionem habent. Quare rectè Marcellinus in Chronico anno ſequenti ſcribit, *Theodoſium* adverſus *Eugenium Tyrannum* properaſſe. Ceterum, Hieronymus quidem in epiſtola contra Joannem Hieroſolymitanum meminit tenebrarum in feſto Pentecoſtes ; ſed in Pentecoſten nunquam incidit, nec plenilunium, nec novilunium ; & latitudo Lunæ circa hoc tempus in vere plane refragatur, ut obſervat Calviſius hoc anno in Opere Chronologico. Hæc inauguratio Quindecennalium Theodoſii initium.

Baron. num. I.

III. *Origeniſtæ Catholicos laceſſunt.* Ad num. II. Inter *Origeniſtas*, alii fuere miti ingenio, alii vero contentioſi, refractarii & cervicoſi, veluti qui Theophilo Alexandrino violentas prope manus attolerunt : alii denique dicaces, qui ſæpe dicteriis & contumeliis Catholicos laceſſebant, eoſdem appellantes *Peluſiotas*, id eſt, inquit Clariſſimus Huetius Epiſcopus Sueſſionenſis deſignatus, lib. 2. Origenianorum cap. 4. tanquam luto immerſi, & *curvi in terras ac cœleſtium inanes* ; ad vocem πηλός & nomen Peluſii in Origeniſtarum Nitrienſium, & eorum qui in Palæſtina degebant, vicinia ſiti, frigido & ſcurrili joco alludentes. Hieronymus epiſtolâ 61. ad Pammachium cap. 5. *Hæ ſunt ſtrophæ atque præſtigiæ, quibus nos Peluſiotas, & jumenta, & animales homines dicunt, quia non recipimus ea, quæ Spiritus ſunt.* Idem habet Hieronymus epiſt. 65. ad Pammachium cap. 3. Quare rejicienda hujus vocis explicatio, quæ apud Baronium legitur.

Baron. num. IX & ſeqq.

IV. *Concilium Hipponenſe.* Ad num. V. Breviarium *Synodi Hipponenſis* inſertum Synodicæ Carthaginienſis Concilii ſine ulla ſuppoſitionis ſuſpicione admiſere Baronius & omnes Conciliorum Collectores. Verum Schelſtratius Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus in Diſſert. 3. de Eccleſia Africana cap. 6. ubi hanc difficultatem examinavit, exiſtimat, Synodicam, ſi non ſuppoſititiam, ſaltem interpolatam eſſe. Primo, quia ea inſcribitur Epiſcopis *Numidiæ*, *Mauritaniæque utriuſque*, *Tripolis*, & *Provinciæ Proconſularis*, omiſsâ Provinciâ Byzacenâ ; cujus alia ratio afferri non poteſt, quam quia hæc Synodica ab Epiſcopis *Byzacenis* ſcripta eſt ad aliarum Provinciarum Epiſcopos, etiam Proconſularis ; cujus Metropolitanus tunc temporis erat *Aurelius*, qui, ut fidem faciunt Acta Africana, per Auctorem Concilii vulgò Africani, Dionyſium Exiguum, Zonaram, & Balſamonem relata, teſtatus eſt in Concilio Carthaginienſi

Baron. num. XXXIII & ſeqq.

thaginienſi III, literas fratrum Byzacenorum & *Muzonis* à ſe tranſmiſſas, ut ibidem legerentur. Unde ſequuntur duo: *Aurelium* inprimis inſcriptioni Synodicæ contra Actorum fidem haberi inſertum: *Synodicam* inſuper falsò præ ſe ferre titulum Carthaginienſis Concilii; cùm ſit Byzaceni, ut recte animadvertit in Notis ad Codicem Africanæ Eccleſiæ Juſtellus. Secundò, quòd ipſa Synodica habeat: *Dum in Carthaginienſi urbe conveniremus.* Cùm conſtet ex Actis Africanis à memoratis Græcis poſteritati conſecratis, Synodum hanc habitam fuiſſe in *Byzacio* Metropoli civili Provinciæ Byzacenæ, unde Synodica illa ad Carthaginem miſſa eſt: *Litera fratrum noſtrorum ex Byzacio.* Quæ quamvis non de civitate *Byzacii*, ſed de Provincia Byzacena intelligerentur, adhuc erroneum eſſet, ipſos in epiſtola ſcripſiſſe, ſe in Carthaginienſi urbe conveniſſe, ubi ipſimet atteſtantur in eadem ſua Synodica, Concilium illud Provinciæ Byzacenæ fuiſſe: *Hæc communi Concilio*, inquiunt, *per univerſam Provinciam Byzacenam in notitiam cunctis deducenda cenſuimus.*

V. *Synodica Cõcilio Hipponenſi falsò attributa.*

Tertiò, quòd ante Breviarium Canonum hæc verba legantur: *Concilii Hipponenſis abbreviationes factæ in Concilio Carthaginienſi III:* cùm non ſolùm Acta Africana referant, Aurelium in Concilio Carthaginienſi III dixiſſe, ſeſe Breviarium Hipponenſium Canonum recepiſſe à fratribus Byzacenis, ſed id ipſum teſtetur *Mizonius* Byzacii Primas in Synodica, de qua agitur, ubi ſcribit: *Brevem verò ſtatutorum huic epiſtolæ ſubdi fecimus.* Quartò, quia *Aurelius* iterum ſubſcriptus habetur, qui Synodo Byzacenæ non adfuit, ejuſque Synodicæ proinde ſubſcribere non potuit, multò minùs tanquam Synodicæ Concilii Carthaginienſis tertii, in quo de emancipatione ſtatutum fuit canone XIV, quem titulum impoſtor ſalvum voluit, & ad pleniorem tractatum reſervatum fuiſſe adjunxit. Omitto alias Schelſtratii conjecturas apud ipſum legendas; ex quibus concludit, vel *Synodicam Byzacenam* cum ſubſcriptionibus eſſe interpolatam, vel cum Breviario eidem inſerto aliam fuiſſe, quàm quæ poſt Synodum Carthaginienſem III ex Codice Sancti Bavonis exhibetur. Synodus enim ipſa habita fuit: *Imperatore Theodoſio Aug. III, & Abundantio Viris Cl. Coſſ. VIII Idus Octobris Hippone regio in Secretario Baſilicæ pacis*, ut teſtantur Auctor Concilii vulgò Africani, Dionyſius Exiguus in Codice Canonum, & Acta Africana in Græcum tranſlata. Canones Hipponenſes doctè ibidem Schelſtratius explicat.

VI. *Theodoſius in Cpolitanos beneficus.*

Theodoſius ſuorum Quindecennalium occaſione, prolixa Conſtitutione ad Aurelianum P. V. emiſſa, *Senatorium Ordinem*, ut & Curialium, variis modis erexit; ſimul & civitatum decori conſuluit, abrogatis nonnullis, quæ Tatianus hac parte perperam invexerat. Cujus Conſtitutionis ſeptem vel octo fragmenta in Codice Theodoſiano reperiri, obſervat Gothofredus in ejus Chronologia. Præterea *annonis civicis*, quæ ex Conſtantini Magni & Conſtantii inſtituto gratuitæ civibus Conſtantinopolitanis præbebantur, ita conſuluit hoc anno, ſeu Indictione ſexta, Theodoſius, Lege 11. & 12. Cod. Theod. *De annonis civicis.* ut inſuper novum canonem ſeu incrementum in id adjecerit, CXXV diurnorum modiorum frumenti Lege 2. Codicis Juſtinianei *De annonis civilibus.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5887. ☉ 11 A. ☽ 15. P. 2. APRIL. INDICT. 7.
JESU CHRISTI 394.
SIRICII PAPÆ 11.
THEODOSII 16. ARCADII 12. HONORII 2.

COSS. *Arcadius Aug. III, & Honorius Aug. II:* prior juxta tertiam regulam; poſterior juxta primam, ac uterque in Oriente. I. *Conſules.*

II. *Joannes Evangeliſta & Philippus Apoſtolus Theodoſio apparent.*

Ad num. II. *Theodoſius Magnus* Conſtantinopoli verno tempore adverſus *Eugenium* movit, ut anno præcedenti dictum, relicto Conſtantinopoli utroque filio, ut Claudianus in III Conſulatu Honorii teſtatur. Claudiano Rufinus lib. 11. cap. ultimo, Socrates & Sozomenus ſuffragantur. Quare non videntur audiendi Marcellinus in Chronico, & Zoſimus lib. 4. qui aiunt, *Theodoſium* ſecum *Honorium* duxiſſe. Theodoretus lib. 5. cap. 24. ait, *Joannem Evangeliſtam & Philippum Apoſtolum* Theodoſio apparuiſſe, & redintegrandi prælium animum dediſſe: cujus rei, inquit Baronius, extat Numiſma effigiem Theodoſii repræſentans, in poſtica verò parte effigiem horum Sanctorum, tonſura Clericali & Sacerdotali habitu ornatorum. Sed in Diſſert. Hypat. parte 3. cap. 14. num. 7. jam obſervavi, eo in Nummo deſignari Theodoſii junioris Tricennalia Vota Imperii, vivente Arcadio patre, ſuſcepti, & Quinquennalia Valentiniani III, ejus in duodecimo Conſulatu Collegæ. In poſtica enim parte, in qua duæ figuræ, ſcilicet duo Imperatores capite radiato viſuntur, legitur hæc Inſcriptio: VOT. XXX. MULT. XL. Præterea uterque Imperator non *Sacerdotali*, ſed *Conſulari* habitu indutus. Nummi porro, in quibus ſimilia verba leguntur, in id genus ſolennibus tantùm cuſi. Denique Imperatores radiato capite repræſentari ſolitos, varia eorum Numiſmata demonſtrant. Albertus Rubenus lib. 1. de Re Veſtiaria cap. 13. præfatam Baronii explicationem confutavit; ſed perperam ſcripſit, duos illos Imperatores eo habitu expreſſos, alios non eſſe, quàm *Theodoſium ſeniorem & Arcadium:* Theodoſius enim ſenior nunquam Tricennalia Vota nuncupavit, nec Arcadio filio Collega Conſulatum geſſit. Rectè tamen obſervat Rubenus, Imperatores hodiernos, quando coronantur, eo modo ornari.

Baron. num. 1 & ſeqq.

III. *Nummi Cõſulares Imperatorum explicantur.*

Hujus Numiſmatis à Baronio adducti occaſione obſervandum, hunc doctiſſimum Annaliſtam Nummos tres Conſulares Imperatorum producere, in quibus cernere eſt Imperatores omophorio, ſceptro & mappâ inſignes; quos omnes in eorum Conſulatibus percuſſos oſtendit Wilthemius in Diptycho Leodienſi cap. 5. Primus eſt Theodoſii junio-

ris, non ſenioris, ut cenſebat Baronius; de quo Nummo numero ſuperiori actum. Secundus *Valentiniani III & Leonis I*, apud Chiffletium in Anaſtaſi Childericiana. Tertius ejuſdem *Valentiniani*, quem exhibet Baronius anno CCCCXXV. Contendit is, ſacrum eſſe Evangelium volumen illud, quod eſt in manu Theodoſii & Valentiniani. Eſt tamen mappa circenſis convoluta, qualis ſpectatur in manu Anaſtaſii Conſulis in Diptyco Leodienſi, & vel maximè in dextra Philoxeni item Conſulis in Diptycho Compendienſi. Neque quis dicat, ſceptrum Conſulum fuiſſe aquiliferum, & in his Nummis Imperatores præferre cruces. Nam tametſi olim religioſe cuſtodiebatur mos ille, præfigendi Conſularibus ſceptris aquilas, poſtea in arbitrio cujuſque Conſulis poſitum fuiſſe videtur, aquilam ſumendi vel omittendi. Ita in Diptycho Leodienſi Anaſtaſii Conſulis ſceptro inſidet aquila, quæ in ſceptro *Philoxeni* non comparet. Crucem fuiſſe Imperatorum jam inde à Conſtantino & Theodoſio Magnis proprium inſigne, patet in eorum Nummis, quorum aliquos Lipſius, plures Gretſerus, uterque in libris de Cruce, plurimoſque Cangius in *Familiis Byzantinis Auguſtis* collegere. Quare poſt Conſtantinum, præſertimque poſt Theodoſium, quo adverſus *Eugenium* Tyrannum hoc anno pugnante labarum crucigerum ſtupendo illo prodigio inclaruit, crux deinceps, geſtamen, & velut ſceptrum proprium Imperatoribus fuerit, minimè mirum eſt, eos in Conſulatibus ſuis crucem pro aquila ſceptro impoſuiſſe, prout à ſignis bellicis, eàdem remotâ aquilâ, crucem ſubſtituerunt.

IV. *Alii Nummi Imperatorum explicati.*

Baronius, cùm crederet, Nummum, quem hoc anno refert, eſſe Theodoſii Magni, huicque adverſus *Eugenium* Tyrannum pugnaturo Joannem & Philippum Apoſtolos opem tuliſſe ſciret, videretque duorum in Theodoſii Nummo ſedentium capita circulo, (ut Divis nunc ſolent) circumdari, cenſuit, hos Divum Joannem & Divum Philippum eſſe oportere. Verùm, circuli illi neutiquam Divos aut Sanctos oſtendunt; alioquin Nummus ille, quem Baronius anno CCCCCXXVI propoſuit, in quo duo quoque ſimiliter conſident, circulo ambiente utriuſque caput, etiam Sanctos exprimeret; cùm tamen diſertè circum ita ſedentes ſcriptum ſit: D. N. JUSTINUS. ET. JUSTINIANUS. P. F. A. Et verò, quod magnopere obſervandum, conſtat, Chriſtianos veteres ferme primis quatuor ſeculis, nec Chriſto, nec Apoſtolis, nec ulli Superûm ejuſmodi circulos adhibuiſſe. Quod vel ex tumulis Romanis apud Aringhum in Roma Subterranea manifeſtum eſt; in quibus tumulis Chriſti & Apoſtolorum, aliorumque ante Chriſtum Divorum longè plurimæ imagines, nudis ſine circulo capitibus ſculptæ cernuntur. Sunt hæ tumbæ pleræque Conſtantino Magno aut æquales aut ſuppares. Omnes enim eam formam habent, quam tumba *Junii Baſſi Præfecti Urbis*, mortui ſub Conſulatu Euſebii & Hypatii, hoc eſt, anno CCCLIX, & tumba *Probi V. C.* qui Conſul fuit anno CCCLXXI: præterquam quòd Conſtantiniano Chriſti monogrammate ☧ ferè ſcriptæ ſunt. Quare neceſſe eſt, aliis de cauſis circulos fuiſſe capitibus Imperatoriis in Nummis illis appoſitos, quàm ut Divos denotarent. Nummus alter *Valentiniani* apud Baronium, titulum hunc in poſtica parte habet: VOT. XXX. MULTIS. XXXX. & in antica facie ejuſdem Nummi viſitur ejus imago Conſularis cum omophorio, mappa circenſi, & cruce, penè ad ſimilitudinem Nummi Theodoſii junioris, de quo ſuprà locuti ſumus. Nummus verò Leonis in parte poſtica exhibet ipſum *Leonem* Imperatorem more Conſulari inſidentem ſellæ curuli, & dextrâ mappam, ſiniſtrâ crucem præferentem, adſcriptumque, VICTORIA AUGG. quæ victoria illa veroſimiliter eſt, quâ exercitus ejus *Aſparem & Ardaburium* affectato Imperio fugientes comprehendit, interemitque. Quod factum anno CCCCLXXI, quo ipſe *Leo* erat Conſul IV, Probiano Collega. Hæc ex Wilthemio loco laudato exſcripta, ex quibus is rectè deducit, præfatos Nummos Conſulares eſſe, & ex quibus etiam liquet, Imperatores annis Decennalibus & id genus feſtis deſtinatis Conſulatum iniſſe.

V. *Leges Theodoſii.*

Emiſſæ hoc anno à Theodoſio Magno Leges Codicis Theodoſiani à Baronio in Annalibus omiſſæ, quarum prior 13 eſt *De Hæreticis.* data XV Kal. Julii *Adrianopoli*, quâ adverſus Eugenium movens, teſtamenti factionem ſeu teſtabilitatem *Eunomianis* reſtituit; quam poſtea *Arcadius* anno Imperii ſui primò revocavit. Poſterior eſt Lex 12. *De Scenicis.* data *Heracleæ III Kal. Jul.* quâ mimarum veſtem à *Sanctimonialium* habitu diſtinguit. Nempe peculiari habitu Virgines Deo dicatæ hoc ævo jam uſæ. Legendus Gothofredus in utriuſque Legis Commentario.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5888. ☉ 12 G. ☽ 16. P. 25. MART. INDICT. 8.
JESU CHRISTI 395.
SIRICII PAPÆ 12.
ARCADII 13. ET 1. THEODOSII 3. ET 1.

I. *Conſules.*

COSS. *Olybrius & Probinus*: uterque Occidentalis, ut ex mox dicendis liquet.

II. *Familia Cóſulum hujus anni.*

Baron. num. 11 & ſeqq.

Ad num. I. Baronius in Annalibus occaſione Olybrii & Probini fratrum, hujus anni Conſulum ordinariorum, quorum majores à Sanctis Patribus celebrati, multa habet de *Aniciis, Probis, & Olybriis*; quæ ex Reineſio epiſtolâ 69. ubi Aniciorum genealogiam exhibet, illuſtranda & corrigenda. *Sex. Anicius Petronius Probus*, qui, ut oſtendit Baronius, Proconſul Africæ fuit, ac Præfectus Prætorio Italiæ, Illyrici, Africæ & Galliarum, Conſulatum geſſit anno CCCLXXI; cujus uxor fuit *Anicia Faltonia Proba*, quam Baronius cum *Faltonia Proba Poetria* perperam confundit, ut liquet ex Inſcriptionibus apud Gruterum 5. & 6. pag. 352. & 1. pag. 353. Eam laudat Hieronymus epiſtolâ ad Demetriadem; quemadmodum & Claudianus de Conſulatu Probini & Olybrii, à verſu 177.

Procopius lib. 1. Hiſt. Vandalicæ cap. 2. ſcribit, eam *Alarico* Romam dedidiſſe, ut legere eſt in Epitome anno CCCC X numero IV. Avia fuit, ſcilicet paterna, *Demetriadis*, ex Hieronymo in epiſtola laudata, ac mater *Anicii Probi* anno CCCC VI Conſulis ordinarii, *Anicii Probini*, & *Anicii Hermogeniani Olybrii* hoc anno Conſulum ordinariorum. Probinus vivente etiamnum matre, ſed capta urbe profuga, obiit, ut rectè Baronius oſtendit. At *Olybrius* ante matrem & captam ab Alarico Romam, ut Hieronymus in epiſtola citata.

III. *Olybrius Conſul, Probæ filius, pater Demetriadis, conjux Julianæ.* *Anicia Juliana* Turania Anicia Juliana dicta apud Gruterum 2. pag. 353. nupſit Quinto Clodio Hermogeniano Olybrio, ut ibidem videre eſt, eratque filia *Anicii Juliani*. Quare decipitur Baronius, dum Q. Clodium, Hermogenianum Olybrium Turaniæ maritum cum Anicio Hermogeniano Olybrio, & conjugem illius cum hujus uxore *Anicia Juliana* confundit, ac alibi *Julianam* Demetriadis matrem filiam *Probæ* facit, memoriæ lapſum imputans Hieronymo, qui *Demetriadem* è filio Probæ Anicio Hermogeniano natam ſcripſerat. Error ipſi natus è Lapidibus Gruterianis 6. pag. 352. 1. pag. 353. 3. pag. 450. in quibus *Anicius Hermogenianus Olybrius*, & *Anicia Juliana* Sex. Petronii Probi, & Faltoniæ Probæ *filii devotiſſimi* nominantur: cùm vocabulo filiorum ibi maritus, quippe naturâ filius, & uxor ſeu nurus ſignificentur, non frater & ſoror geniturâ; & præter tres filios, Olybrium, Probinum, & Probum, filia Probo Probæque nulla fuerit, ut ex Hieronymo epiſt. 8. apparet. Baronium ipſa *Julianæ* & *Demetriadis* tempora, quæ ex Innocentii Pontificis Romani, Chryſoſtomi, Hieronymi, Auguſtini, & Alipii Epiſcoporum ad eas epiſtolis colligere licet, movere poterant, ne *Olybrio* anno trecenteſimo ſeptuageſimo nono Conſuli eas conjugem & filiam poneret. Cùm Hieronymus *Demetriadem* de immaturo obitu patris ejus, qui Conſul fuiſſet in pueritia, nimirum anno currenti, & non vidiſſet patriam corruentem; quod contigit anno CCCC IX, verba facit: *Ne*, inquit, *ſanctæ matris vulnus exaſperem*, ſc. *Probæ*, quæ cum nuru & nepte, direpta à Gothis Urbe, in Africam profugerat; & mox de eodem ait: *Pius filius*. Filius igitur Probæ Olybrius, pater Demetriadis, conjux Julianæ, & *Juliana* non filia Probæ, ſed nurus, conjux *Anicii Hermogeniani Olybrii*, non Clodii Hermogeniani Olybrii. Et quomodo in eum, qui ab anno Chriſti CCC LXV uſque ad Conſulatum anno CCC LXXIX in ſuprema dignitate & potentia, domi foriſque fuiſſet, & ætate provecta, ſcilicet Hermogenianum Olybrium convenire poterit, immatura morte ſubtractum eſſe, & quidem paulò ante Urbis memoratum caſum; quod expreſsè de patre Demetriadis refert Hieronymus? Hæc Reineſius laudatus, apud quem integra Aniciorum Familia legenda.

IV. *Faltonia Proba Poëtria.* Baron. num. XIII. Ad num. II. *Faltonia Proba Poëtria* perperam cum Faltonia Proba trium Conſulum ordinariorum matre à Baronio confuſa. Reineſius in Familia Aniciorum obſervat, *Faltonium Probum Alipium* Præfectum Urbis fuiſſe ſub Theodoſio Magnò anno CCC XCI, exiſtimatque, hunc *Alipium* patrem fuiſſe Alipii Prætoris ſub *Joanne Tyranno* anno CCCC XXIV, de quo loquitur Olympiodorus. In Faſtis legitur Alipius Conſul anno CCCC XLVII, qui potuit pater eſſe Probæ Poëtriæ; cùm Iſidorus lib. de Viris Illuſtribus cap. 5. tradat, hanc Poëtriam filiam fuiſſe Probi Adelphii. Quidquid ſit, hæc *Faltonia* à ſuperiori diverſa, & quæ Baronius in medium adducit, ut probet unam & eandem eſſe, contrarium inſinuant.

V. *Theodoſius Honorium Cpoli evocat.* Baron. num. XXIII Tomi IV. Ad num. III. Philoſtorgius lib. 11. cap. 2. *Eugenii* Tyranni morte narrata, ait: *Poſt hæc Imperator Mediolani conſtitutus filium ſuum Honorium acterſivit, eique totum Occidentem commiſit.* Idem tradunt Socrates in fine libri 5. Sozomenus in fine libri 7. & Zoſimus lib. 4. pag. 779. Baronius tamen exiſtimat, tam Arcadium, quàm Honorium à Theodoſio patre evocatos eſſe; quia Divus Ambroſius de Diverſis 3. pag. 122. ſcribit, Theodoſii filios ad eum veniſſe, quod etiam inſinuare videtur Paulinus in Vita Sancti Ambroſii. Præterea Auctor Chronici Alexandrini aſſerit, *Arcadium* Româ profectum; ibi *Honorium* fratrem reliquiſſe. At certum videtur, *Honorium* ſolùm in Occidentem veniſſe, non tantùm quia Auctores ſuprà citati id diſertè affirmant; ſed etiam quia Claudianus in tertio Conſulatu Honorii, hujus iter deſcribens, nullam *Arcadii* mentionem facit; licèt ſtatim poſt eam deſcriptionem, Theodoſium utrumque filium Stiliconi commendaſſe tradat. Quare quando Paulinus in Vita Sancti Ambroſii ait: *De filiis nihil habebat novum quod conderet, quibus totum dederat, niſi ut eos præſenti commendaret parenti*; loquitur de Stilicone, cui Theodoſius filios etiam abſentes commendare potuit. Quo pacto D. Ambroſius de uno *Honorio* & *Placidia* ejus ſorore locutus videtur. Chronici Alexandrini auctoritas per Theodoſii M. tempora parvi facienda. Denique Rufinus lib. 2. cap. 34. ſcribit, Theodoſium Honorium ad ſe evocantem Arcadio mandaſſe, ut Imperii Orientalis, cui jamdiu præfectus eſſet, curam ageret, & D. Ambroſius Oratione in funere Theodoſii habita, diſertè dicit, *Arcadium* funeri non interfuiſſe.

VI. *Eureſius Epiſcopus Luciferianus hæreſi notatus.* Baron. num. X. Ad num. VII. Data hoc anno ab Arcadio Imp. Lex 28. Cod. Theod. *De Hæreticis.* in qua *Eureſium* quendam tum temporis Epiſcopum Hæreticorum numero cenſendum ſtatuit; quam quidem Legem Baronius Annalibus inſeruit, ſed nulla, quod Hiſtoriæ ratio requirebat, interpretatione addita, aſteriſco tantùm Eureſii nomine notato, quaſi in eo error ſubeſſet. Gothofredus in laudatæ Legis Commentario quis iſte Eureſius fuerit, nos docet ex libello Fauſtini Preſbyteri Luciferiani, qui oblatus fuit Valentiniano, Theodoſio & Arcadio pro Luciferianis, ideoque non ante annum CCC LXXXIII, quo Arcadius Auguſtus à patre nuncupatus eſt: *Sed & nuper tentavit* (Damaſus ſcilicet, qui obiit anno CCC LXXXIV) *graviter perſequi Beatiſſimum Eureſium Epiſcopum, ſanctitate & Fidei æmulatione ferventem, ordinatum intimante plebe Romana, à conſtantiſſimo Epiſcopo Toargia, & ipſo illibatæ Fidei, vel*

rùm ſub invidia falſi impoſiti cognomenti, per ſuos defenſores interpellans Judicem Baſſum, quaſi adverſus Luciferianos. Sed Baſſus olim Catholicam Fidem venerans, ſciebat, in Lucifero nullam hæreſeos fuiſſe pravitatem: quippe qui & bene noverat, pro Fide Catholica decem annos exilia fuiſſe perpeſſum. Et pro conſtantia ſuæ integritate repulit accuſatores (deſenſores) *Damaſi, negans ſe facturum, ut homines Catholicos & integræ Fidei viros inſequeretur: maximè quòd ipſi Conſtitutiones Imperatorum contra Hæreticos ſolummodo promulgatæ viderentur, non contra hos qui ſanctiſſimam Fidem ſine ſeculi ambitione conſervant.* Hactenus Fauſtinus Luciferianus in ſuo libello, cujus meminit Gennadius de illuſtribus Eccleſiæ Scriptoribus cap. 16. qui & teſtatur, eum Damaſum urbis Romæ Epiſcopum in eo Opuſculo culpare auſum eſſe; quod ex verbis mox recitatis clarè apparet. Ex quo & diſcimus, Eureſium Luciferianum fuiſſe, & ideo appetitum quoque à Damaſo apud Baſſum, procul dubio Præfectum Urbi: ſed tum tamen nihil in eum ſtatutum, quòd Catholicam Fidem ſequi tum viſus fuiſſet. Certè Luciferiani non tam Hæretici, quàm Schiſmatici habiti ferme fuerunt; quod Auguſtinus teſtatur ad *Quodvult Deum.* Ait tamen Auguſtinus, ſe inter Hæreticos Luciferianos poſitos inveniſſe; & alicubi legiſſe, Luciferianos dixiſſe, animas ex traduce generari, eaſque ex carne & carnis eſſe ſubſtantia: haud ſatis tamen ſibi compertum, verúmne id eſſet. Theodoretus etiam lib. 3. cap. 5. ait: *Lucifer in Sardiniam reverſus, Eccleſiaſticæ doctrinæ nova quædam dogmata adjecit.* Quidquid ſit, Eureſius inter Luciferianos peculiarem aliquam ſententiam à Fide Catholica deviam fovit: quod ex hac Lege liquet; cùm in ea ad Aurelianum Proconſulem Aſiæ directa dicat Arcadius: *Experientia tua Eureſium Hæreticum, nec in numero ſanctiſſimorum Antiſtitum habendum eſſe cognoſcat.* Ex qua inſcriptione collata cum ſuperiori Fauſtini loco colligimus, Eureſium ex Italia, ubi fuerat ordinatus, in Aſiam migraſſe.

Initium Tomi V Annal. Baronii.

VII. *Theodoſius ſemel tantùm Romæ fuit.*

Sunt qui exiſtimant, *Theodoſium* poſt debellatum *Eugenium* Romam veniſſe, quòd Zoſimus lib. 4. pag. 779. tradat, eum poſt devictum *Eugenium* Romam ingreſſum, *Honorium* filium Imperatorem declaraſſe, & Prudentius lib. 1. in Symmachum prodat, *Theodoſium*, quando Romam venit, & idololatriam prohibuit, jam duos Tyrannos, Maximum & Eugenium, debellaſſe. Præterea Auctor Miſcellæ, clade Eugenii narratâ, ait, *Theodoſium* Honorium Imperatorem Romæ declaraſſe. Verùm Theodoſium ſemel tantùm, idque poſt devictum Maximum, Romæ fuiſſe, ceteri Hiſtorici ſcribunt, quibus omnino ſtandum. Zoſimus autem profectionem Romanam Theodoſii, quam poſt Maximi interitum narrare debuit, poſt Eugenii cædem diſtulit, & alio errore tunc Honorium à patre Imperatorem Romæ dictum ſcripſit. Prudentium explicat Baronius, & Auctor Miſcellæ ſæpe hallucinatur, quemadmodum & Auctor Chronici Alexandrini, qui ſub Timaſii & Promoti Conſulatu, anno nempe CCC LXXXIX ſcribit: *His Conſulibus Theodoſius Imperator Romam ingreſſus inauguravit Honorium filium Imperatorem; qui Romæ regnavit annos XIV;* cùm tamen certum ſit, *Honorium* anno tantùm CCC XCIII appellatum eſſe Imperatorem, annoſque triginta imperaſſe. Denique Claudianus in ſexto Conſulatu Honorii litem dirimit, & quoties hoc Chriſti ſeculo Imperatores Romæ fuerint, nos edocet:

Baron. ann. 389. num. 1.

His annis qui luſtra mihi bis dena recenſent,
Noſtra, ter Auguſtos, intra pomœria vidi.

Quibus verſibus Roma, quam Claudianus loquentem inducit, queritur, quòd à centum annis ter tantùm Imperatores ſuos viderit, ante ſolennem Honorii Auguſti in urbem Romam introitum, qui anno CCCC IV contigit. Qui verſus faciles explicatus non habent. Certum eſt enim ab anno Chriſti CCC IV ad annum CCCC IV plures Imperatores, quoſdamque pluries Romæ fuiſſe. Romam ingreſſus *Conſtantinus Magnus* poſt cladem Maxentianam, annoque CCC XXVI, quo ibidem Vicennalia celebravit, ejuſque Imperii initio *Maximianus Herculius* poſt reſumtum Imperium Romæ etiam fuit. Tum *Conſtantius* anno CCC LVII Romæ triumphavit, ſicuti & *Theodoſius Magnus* anno CCC LXXXIX, quo etiam *Valentinianus junior* Romam venit, ad quam anno CCC LXXXVIII à Theodoſio Magno ex urbe Theſſalonicenſi ablegatus fuerat, ut ſuo loco dictum. Ex Claudiani Interpretibus alii eum tres Auguſtos duntaxat eo ſeculo Romæ viſos indicare; alii verò adverbio illo *ter* variùs Romæ Auguſtos fuiſſe Claudianum intelligere, ſcripſere. Verùm, locus ille malè ab illis explicatus: nihil enim aliud Poëta deſignat, quàm toto illo ſeculo *ter* tantùm, id eſt, ſub trium tantùm Auguſtorum Imperio, Romam ſuorum Principum præſentiâ potitam; ſub *Conſtantino* nempe, *Conſtantio*, & *Valentiniano juniori*. Quo pacto dici non poteſt, Theodoſium Magnum poſt devictum Eugenium Romam profectum eſſe. Cùm enim tunc tam Orientis, quàm Occidentis Imperator eſſet, Roma non *ter*, ſed *quater*, id eſt, ſub quatuor Auguſtorum Imperio Principum ſuorum præſentiâ cohoneſtata fuiſſet. Ex quibus manifeſtum eſt, non bene conjeciſſe Petavium, Gratianum anno CCC LXXVII Romam adventaſſe, ut tunc oſtendimus.

Ad num. V. Auctor Chronici Alexandrini ſub hujus anni Conſulibus ait: *Arcadius Auguſtus nuptias celebravit menſe Xanthico, V Kal. Maii.* Ejus uxor fuit *Julia Eudoxia*, de qua Philoſtorgius lib. 11. cap. 6. ſcribit: *Arcadius Imp. poſt patris obitum filiam Bautonis duxit uxorem. Erat autem Bauto natione Barbarus, & Magiſterio militum in Occidentis partibus perfunctus fuerat.* Nec Zoſimus lib. 5. pag. 781. contrarium ſcribit, ut exiſtimat Baronius. Nam tantùm dicit, puellam quam *Arcadius* conjugem duxit, educatam fuiſſe in domo unius ex filiis *Promoti*, non verò, ut interpretatur Baronius, *Promoti* filiam fuiſſe. Erat *Bauto* natione Francus ab avaritia doniſque captandis prorſus immunis, in bellicis rebus prudentiâ pariter ac

VIII. *Arcadius Eudoxiam uxorem ducit.*

Baron. num. III & IV Tomi V.

robore præſtans, inquit Zoſimus lib. 4. pag. 758. *Francos* autem Barbaros à Romanis vocatos fuiſſe, certum eſt.

IX. *Caſus Rufini, Timaſii, & Abundãtii.* Baron. num. xxv & ſeqq.

Ad num. XII. Cùm *Rufinus* Præfectus Prætorio, qui Imperium Orientale triennio & ampliùs pro libitu ſuo adminiſtraverat, *V Kalendas Decembris*, teſte Socrate, periérit, & Suidas in voce *ῥυφῖνος* teſtetur, Eutropium præpoſitum cubili Timaſium ex Aſia evocaſſe, ut eum ſummæ rerum præficeret; hunc verò tanto cum faſtu Conſtantinopolim veniſſe, ac ſi *Eutropium*, ipſumque adeo Imperatorem ludibrio habiturus eſſet, ante annum ſequentem in exilium miſſus non eſt: *Timaſius*, inquit Zoſimus lib. 5. pag. 787. *ad inhabitandum Oaſim damnatus, expellitur. Is erat locus inſigniter ſterilis: è quo nemo poſſet evadere, qui eò deportaretur.* Erat autem Oaſis in mediis Libyæ arenis. Narrat pag. ſequenti Zoſimus exilium Abundantii, qui *ſub Theodoſio maximos honores adeptus, etiam Prætor atque Conſul deſignatus fuerat: mox aulâ pellitur: oppidum Phœniciæ Sidonem habitare juſſus, ubi reliquum vitæ tranſegit.* Sed non in Phœniciam, verùm in Colchidem relegatum fuiſſe, ibique adhuc vixiſſe anno Chriſti quadringenteſimo, teſtatur Aſterius Homiliâ in feſtum Kalendarum eo anno recitata, in qua de Rufino, de Timaſio & Abundantio ita loquitur: *Ubinam Conſules & Faſces? Propone tibi ob oculos, & enumera, qui heri, qui nudiuſtertius fuerunt: nonne hic quidem* (nempe Rufinus) *ut facinoroſus aliquis per repentinam armatæ multitudinis ſeditionem capite truncatus eſt, oſtentatuſque majore poſt necem pompa, quàm cùm in curru ſublimis & exultabundus tranſveheretur. Ille* (videlicet Timaſius) *præter exercitûs Præfecturam eundem adeptus honorem, in extremis Ægypti, Libyæque finibus, in locis arenoſis & humoris omnis humanique cultûs expertibus, damnationis ſupplicium fugiens, miſerrimè extinctus eſt. Quid de eo dicamus,* (nempe Abundantio) *qui & ipſe de numero Conſulum atque Ducum exercitûs, in terra Colchide nunc degens, Barbarorum humanitati vitam & ſpiritum debet?* Quando porro Aſterius de Abundantio ait, *in terra Colchide nunc degens*, oſtendit, verum eſſe quod Zoſimus ſcribit, eum Phœniciæ Sidonem habitare juſſum; in eo autem illum errare, quòd ſubdat, Abundantium ibi reliquum vitæ tranſegiſſe. E Phœnicia itaque in Colchidem Abundantius miſſus, ejuſque exilii locus mutatus. Aſterio enim ſuffragatur Hieronymus epiſtolâ 3. ubi tradit, Abundantium apud *Pityuntem* exulare juſſum. Pityus enim oppidum eſt in extremis Colchidis & Imperii Romani, *quod accolunt crudeliſſimi Barbari*, inquit Theodoretus lib. 5. cap. 34. ubi & in Inſula ſitum fuiſſe teſtatur, addens, S. Chryſoſtomum ad illam *Cucuſo*, quod Armeniæ oppidum, tranſportatum in via demortuum eſſe.

X. *D. Auguſtinus fit Epiſcopus Hipponenſis.* Baron. num. xxxii.

Ad num. XIII. Proſper in Chronico ſub hujus anni Conſulibus Divum *Auguſtinum* Hipponenſem Epiſcopum ordinatum ſcribit; quod non tantùm Baronius, ſed quotquot Auguſtini geſta ſcripſere, etiam docent. Eruditiſſimi Benedictini noviſſimi hujus Sancti Operum editores ab ea communi epocha diſcedere religioni duxere; ſcripſere tamen, ſe eam ordinationem anno ſequenti factam conjectare. Nam Auguſtinus lib. 2. Retract. cap. 1. ait: *Librorum, quos Epiſcopus elaboravi, primi duo ſunt ad Simplicianum*, quem in epiſtola nuncupatoria, & initio libri 1. *Patris* titulo exornat. Simplicianus autem menſe Aprili anni trecenteſimi nonageſimi ſeptimi Divo Ambroſio in Epiſcopatu Mediolanenſi ſucceſſit. Parte alia, Auguſtinus in lib. de Prædeſtinatione SS. cap. 4. laudatos ad Simplicianum libros à ſe *in ipſo exordio Epiſcopatûs ſui* ſcriptos fuiſſe dicit, & ubicumque de iis libris loquitur, conſtanter aſſerit, ſe eos *ad Simplicianum Mediolanenſis Eccleſiæ Antiſtitem* ſcripſiſſe, ut iidem Benedictini obſervarunt. Cùm itaque omnium conſenſu libri illi anno trecenteſimo nonageſimo ſeptimo elucubrati fuerint, Epiſcopatûs Auguſtini initium ad annum CCCXCVI revocandum. Alioquin Auguſtinus annos propemodum duos præter morem à ſcribendo abſtinuiſſet. Ex quo & magis Henſchenii ſententia evertitur, qui contendit, Ambroſium anno tantùm CCCXCVIII ad Deum migraſſe, ideoque & Simplicianum eo tantùm anno eidem ſucceſſiſſe. Verùm, ſi Caſſiodorus in Chronico Proſpero ſuffragetur, ea ordinatio hoc anno peracta videtur, à quo etiam laudati illam non removent, licèt Proſper in Chronico per hæc tempora ſæpe in Chronologia peccet. Porro S. Auguſtini ordinatio menſe Decembri contigit; cùm ipſemet Homiliâ 25. inter quinquaginta cap. 3. dicat: *Natalis Domini imminet.* Quæ Homilia in anniverſaria ordinationis ſuæ die ab eo ad Populum habita fuit.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5889. ☉ 13 FE. ☽ 17. P. 3. April. Indict. 9.
Jesu Christi 396.
Siricii Papæ 13.
Arcadii 14. et 2. Honorii 4. et 2.

Coss. *Arcadius Aug. IV*, & *Honorius Aug. III*; alter in Oriente, alter in Occidente, & uterque juxta primam Conſulatuum Cæſareorum regulam. I. *Conſules.*

Gildo Comes & Magiſter utriuſque militiæ per *Africam* à Theodoſio Magno, Eutropio agente, anno trecenteſimo octogeſimo ſeptimo creatus, præſenti Africam turbare cœpit, ac ſub finem autumni veniente hieme, teſte Claudiano *de bello Gildonico* tyrannidem arripuit, ex qua, inter alia mala, graviſſima Romæ fames exorta, ob occupatam videlicet Africam, ut liquet ex Lege 2. Cod. Theod. *De conditis in publicis horreis.* quam, ut imminenti fami occurreret *Honorius*, VI Kal. Januarii Mediolani emiſit, ſicut obſervat Gothofredus in illius Legis Commentario. De annonæ defectu, ſeu fame Romæ exorta ob occupatam à *Gildone Africam*, legendus Claudianus de bello Gildonico à verſu 17. & lib. 1. in Stiliconem, & lib. 1. in Eutropium, ac Symmachum epiſt. 54. lib. 4. ad Florentinum currenti anno Urbis Præfectum. Porro in Imperio Occidentali, non tantùm Italia, II. *Gildo Africam turbat.*

Galliæ, Hiſpaniæ & Britanniæ hoc tempore continebantur, ſed etiam Africa, ut teſtis eſt Zoſimus in fine lib. 4. imò & Illyricum, Occidentale nempe, ut teſtatur Olympiodorus apud Photium.

III. *Arcadius Judæis favet.*

Arcadius Imperator enixo ſtudio *Judæos*, eorumque privilegia, ut & *Patriarcharum* procerumque eorum, tuitus eſt. Quare hoc anno Leges duas à Baronio in Annalibus omiſſas, emiſit. Prior eſt Lex Codicis Theodoſiani 10. *De Judæis.* quâ iis rerum ſuarum venalium pretia æſtimanda, diſcutienda, moderanda relinquit, exteris à Religione Judæorum facultate ea ademta. Altera Lex eſt 11. ejuſdem Codicis *De Judæis.* quâ Arcadius Judæorum *Patriarchas* ab injuriis & contumeliis vindicavit *per Comitivam Orientis.* Judæi enim hac tempeſtate Chriſtianorum contumeliis expoſiti fuere, ut oſtendit Gothofredus in utriuſque Legis Commentario.

Olymp. 294 Ann. Urbis 1150.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5890. ☉ 14 D. ☽ 18. P. 5. APRIL. INDICT. 10.
JESU CHRISTI 397.
SIRICII PAPÆ 14.
ARCADII 15. ET 3. HONORII 15. ET 3.

I. *Conſules.*

Quindecennalia Arcadii.

COss. *Atticus*, & *Cæſarius*: prior Occidentalis, poſterior Orientalis, ut liquet ex iis, quæ habet Gothofredus in Proſopographia Codicis Theodoſiani. Quindecennalia Arcadii cum Theodoſio patre imperantis.

II. *Melania & Rufinus Romam ex Oriente reduces.*

Baron. num. 1 & ſeqq.

Ad num. I. Adventum *Rufini* & *Melaniæ* ex Oriente in Urbem Noriſius in lib. 1. Hiſt. Pelagianæ cap. 2. anno præcedenti, Baronius præſenti, Chiffletius verò in parte 2. Paulini Illuſtrati cap. 11. anno ſequenti conſignandum arbitratur. Quæ opinionum diverſitas, ex anno, quo uterque in Orientem profectus, orta. Quare prior hujus profectionis annus hic ſtatuendus, oſtendendumque, *Melaniam* & *Rufinum* per annos viginti ſeptem in Oriente fuiſſe, annoque trecenteſimo ſeptuageſimo primo, non verò inſequenti, ut putavit Baronius, illuc profectos eſſe. Anno itaque quadringenteſimo primo *Origeniſtis* ab Anaſtaſio Romano Pontifice damnatis, Rufinus qui in ea damnatione minimè nominatus fuerat, ſtatim literas ad *Anaſtaſium* Papam miſit, gratias agens, quòd *calumniantibus non* accommodavit auditum; & quia Pontifex frequentibus literis acciverat eum, ut ſe defenderet, addit Rufinus; *Æquum putavi, ut quoniam ipſe poſt triginta ferè annos parentibus redditus ſum, & durum ſatis erat, ſi tam citò deſererem eos, quos tam tardè reviſeram*, &c. Quam excuſationem Hieronymus in lib. 2. Apologiæ primæ anno quadringenteſimo primo ſcriptæ irridens, ait: *Hic ſupinus & laſſulus poſt triginta annos per molliſſimum Flaminiæ iter eſſedo venire non poteſt; ſicque prætendit longi itineris latitudinem, quaſi triginta annis ſemper cucurrerit, aut biennio Aquileiæ ſedens præteriti itineris labore confectus ſit.* Aquileiam Rufinus profectus eſt anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo nono jam provecto, ibique per biennium manſit, ut infrà dicetur. Romam venit vivente adhuc *Siricio Papa*, qui anno CCC XCVIII exeunte deceſſit. Quare in Orientem profectus erat anno trecenteſimo ſeptuageſimo primo, indeque Romam rediit poſt annum viceſimum ſeptimum: alioquin anno quadringenteſimo primo verè dicere non potuiſſet, ſe poſt triginta ferè annos parentibus redditum eſſe. Secundò, S. *Paulinus Epiſcopus Nolanus* in epiſt. 10. ad Severum ait, ſe Melaniam *ex Hieruſalem poſt quinque luſtra remeantem* excepiſſe. Quare, cùm *Melania* ex Ægypto Hieruſalem anno trecenteſimo ſeptuageſimo tertio venerit, adventus ejus Romam, vel ſub finem currentis Chriſti anni, vel ſub inſequentis initium contigit. Scribit quidem Palladius in Lauſiaca cap. 102. Melaniam *per annos viginti ſeptem* Hieroſolymis in Monaſterio cum quinquaginta virginibus manſiſſe: ſed is per errorem annos viginti ſeptem, quibus in Oriente degit Melania, commorationi ejus in urbe Hieroſolymitana attribuit. Baronius ait, *Melaniam* annos tantùm XXV juxta Paulinum in Oriente fuiſſe, ideoque illuc anno CCC LXXII profectam eſſe. Verùm Paulinus de annis, quibus Hieroſolymis Melania fuit, tantùm ſermonem habet, vel ſaltem numero rotundo loquitur.

III. *Adventus S. Nicetæ Epiſcop. ad urbem Nolam.*

Profectò breve temporis ſpatium inter *Melaniæ* & *Nicetæ Epiſcopi Dacorum* adventum Romam interceſſit; cùm *Paulinus* in ea epiſtola 10. ad Severum, de utriuſque *Nolam* acceſſu loquatur, & in nona ad eundem epiſtola, eodem ferè tempore, ut obſervat Chiffletius ibidem cap. 11. ſcripta, nec de Melania verbum ullum habeat. Ex tranſitu itaque Sancti Nicetæ per urbem Nolanam, dum Natale Sancti Felicis die XIV Januarii celebraretur, adventûs Melaniæ & Rufini in Occidentem tempus colligendum. Teſtatur autem Paulinus in epiſtola 9. ad Severum, ſe natalitia Carmina Sancto Felici, quotannis tributi inſtar penſitare. Primum Natale Scripſit in Hiſpania, unde *Nolam* ſub Paſcha imminens profectus eſt, quod ex eodem primo Natali manifeſtè liquet. Quare, cùm *Paulinus* anno trecenteſimo nonageſimo quarto Nolam incolere cœperit, ad eum annum primum Natale, ſecundum ad ſequentem, & ſic cetera deinceps uſque ad quintum decimum, quod ultimum fuit, revocanda, ut animadvertit Chiffletius. Neque enim primum Natale cum Baronio anno trecenteſimo nonageſimo tertio copulandum; cùm in decimo tertio ſermò ſit de *Radagaiſi* interitu, qui contigit anno CCCC VI, ut ſuo loco oſtendetur. Paulinus itaque in Natali 9. anno CCCC II compoſito præſentem *Nicetam* ita compellat:

Veniſti tandem, quarto mihi redditus anno.

Quo ex verſu habemus, primum *Nicetæ Nolam* acceſſum incidiſſe in quintum Natale, in annum nempe CCC XCVIII; cùm eodem ferè tempore, quo Melania & Rufinus, Sanctus Præſul per eam Urbem tranſierit; certumque ſit Rufini adventum in annum CCC XCIX differri non poſſe. Ex quibus tandem omnibus concludendum, priorem *Nicetæ Nolam* adventum, ideoque & Melaniæ ac Rufini in urbem Romam, non pertinere ad an-

num trecenteſimum nonageſimum ſextum, ſed ad finem currentis, aut initium inſequentis. Vide infrà quæ in Radagaiſi morte dicam.

IV. *Natalitium Carmen in laudem S. Paulini.* Baron. ibid.

Hujus peregrinationis initio ita conſtituto, cùm Palladius in Lauſiacis cap. 35. de Melania loquens dicat: *De Cæſarienſium civitate ad urbem Romam intra dieram viginti ſpatium navigavi*: exiſtimo, eam menſe Decembri præſentis anni navem conſcendiſſe, & menſe Januario inſequenti Romam appuliſſe. Rectè autem ſcripſit Chifflerius, *Nicetam* Dacorum Epiſcopum anno CCC XCVIII interfuiſſe natali diei Sanct. Felicis Nolani Presbyteri die XIV Januarii celebrari ſolito, quod perperam in Annalibus currenti anno accidiſſe dicitur; quòd Baronius primum natalitium Carmen S. Paulini in S. Felicis laudem elucubratum, anno uno citiùs conſignarit. Præterea non mihi probatur quod ſcribit, ſc. *Nicetam* primùm, ac dein *Melaniam* Nolâ tranſiiſſe. Nam ex epiſtola 10. S. Paulini ad Severum colligi videtur contrarium: *Martinum noſtrum* (Vitam nempe Sancti Martini ab eodem Severo ſcriptam) *illi* (nempe Melaniæ) *ipſe recitavi: quo genere te & venerabili Epiſcopo, atque doctiſſimo Nicetæ, qui ex Dacia Romanis meritò admirandus advenerat, revelavi*, &c. Ubi de Melania primùm, dein de Niceta ſermonem habet; quia nempe eodem ferè tempore Nolam adventarant.

V. *Rufinus Aquileiam ſe confert.* Baron. num. XIX.

Rufinus per biennium aut circiter Romæ manſit, ut ex Hieronymo non obſcurè colligitur; qui cùm à Rufino accuſaretur, quòd diſcipulos Romam contra ipſum ſubmiſiſſet, reſpondet in ſecunda Apologia adverſus Rufinum: *Paulinianus & Euſebius poſt annum veſtræ navigationis* (id eſt, poſt præſentem, quo à Palæſtina Rufinum diſceſſiſſe diximus) *profecti ſunt.* (nempe Romam, ubi anno ſequenti Rufinus erat) *Rufinus in cauſa Claudii* (eſt is diverſus à Rufino Aquileienſi) *poſt biennium miſſus*, anno ſc. CCC XCIX. Hoc ipſemet Aquileienſis confirmat. Libro enim primo Invectivarum dicit, præfatum *Euſebium* ſecum Romæ fuiſſe: *Cùm me, ſicut ipſe noſti, Romæ poſitum haberet.* Imò anno CCC XCIX alter *Rufinus* in cauſa Claudii miſſus; cùm poſt biennium à Rufini Aquileienſis ex Oriente diſceſſu Romam, ac dein Mediolanum ad Honorium Imperatorem veniret, Hieronymus eundem, ut Aquileienſem Romæ, ſuo nomine, ſalutaret, rogavit, ut videre eſt in epiſtola 66. ad Rufinum: *Sanctum quoque Presbyterum Rufinum ob quandam cauſam per Romam Mediolanum miſimus, & oravimus, ut noſtro animo & obſequio vos videret.* Exacto itaque biennio à diſceſſu Aquileienſis, nondum intellexerat Hieronymus hunc Româ diſceſſiſſe, & Aquileiam profectum eſſe. Quòd ſi diu antè ex Urbe digreſſus eſſet, hoc Sanctum Doctorem non fugiſſet; cùm tunc ob Melaniam ultro citroque literæ commearent. Quare perperam Baronius & Noriſius loco citato Rufinum anno trecenteſimo nonageſimo octavo Aquileiam ſeſe contuliſſe ſcripſere. Rectè tamen obſervavit Noriſius, Rufinum per biennium Romæ fuiſſe.

VI. *Obitus Sancti Ambroſii Episc. Mediolanenſis.* Baron. num. XXV & ſeqq.

Ad num. VII. Hoc anno die IV Aprilis, in quam Sabbatum Sanctum incidebat, Sanctus *Ambroſius* ad Deum migravit. Diem nos edocent omnes Martyrologiorum Conditores, & Paulinus in Vita Sancti Ambroſii, ubi Sancti Præſulis morte narrata, ait: *Atque inde ad Eccleſiam antelucanâ horâ, quâ defunctus eſt, corpus ipſius portatum eſt, ibique eadem fuit nocte, quam vigilavimus in Paſcha.* Tum addit, luceſcente die Dominico corpus ejus ſepultum eſſe in Baſilica Ambroſiana. Mortuus eſt itaque die Sabbati Sancti matutinis horis, non verò ipſa nocte Sabbati Sancti, ut Paulinum interpretatur Baronius. Si itaque die quarta Aprilis, in quam Sabbatum Sanctum incidebat, vitâ functus eſt *Ambroſius*, mors ejus à currenti anno removeri non poteſt. Henſchenius tamen in Exercitatione præfixa Tomo 1. Actorum SS. menſis Aprilis, contendit, hanc mortem anno ſequenti contigiſſe, ac ideo die XVII Aprilis, quæ cum Sabbato Sancto concurrebat. In cujus ſententiæ confirmationem adducit Marcellinum in Chronico, quem ait perperam à Baronio pro noſtra opinione citatum; ac *Gregorium Turonenſem*, qui ſcribit, Divum Ambroſium in exequiis Divi Martini Epiſcopi Turonenſis hoc anno menſe Decembri demortui apparuiſſe. Sed levia hæc argumenta adverſus auctoritatem omnium Martyrologiorum, imò & Eccleſiæ Mediolanenſis & Romanæ. Henſchenio quidem favet Marcellinus, in cujus Codicem mendoſum Baronius inciderat. Marcellinus enim Ambroſii mortem ſub anni ſequentis Conſulibus recitat. Verùm is per hæc tempora in Chronologia plerumque fallitur. Quoad Gregorium Turonenſem, deceptus is ab illis, qui eam ei hiſtoriam narrarunt, qui ex eo quòd accepiſſent, ut conjectura eſt, S. Martinum Ambroſii exequiis interfuiſſe, retulere, Ambroſium in exequiis Sancti Martini apparuiſſe. Denique parum curandum, quòd aliqui Mediolanenſes Epiſcopi eam viſionem in Eccleſia Mediolanenſi jamdiu depingendam voluerint; cùm ea traditio alteri ejuſdem Eccleſiæ opponatur, quod ſc. Ambroſius die IV Aprilis vitam cum morte commutarit.

VII. *Henſchenii ſententia rejicitur.*

Valido argumento ex Concilio Carthaginienſi hoc anno celebrato, deſumto ſententiam ſuam probat Baronius. Nam in ejus canone 48. legitur: *De Donatiſtis, placuit, ut conſulamus fratres & Conſacerdotes Siricium & Simplicianum.* Hic enim Simplicianus alius non eſt, quàm qui Divo Ambroſio in Præſulatu Mediolanenſi ſucceſſit. Quod enim reſpondet Henſchenius, vel *Simplicianum* adhuc tantùm Presbyterum fuiſſe, vel alium eſſe à Sancti Ambroſii ſucceſſore, nullo modo ſatisfacit; cùm parum veroſimile ſit, Epiſcopos Afros, neglecto Ambroſio, cujus fama per omnium ora volitabat, *Simplicianum* adhuc Presbyterum, ipſo Ambroſio vivente, conſuluiſſe; & aliunde in hujus temporis hiſtoria non occurrat aliquis alius Simplicianus Epiſcopus, quem Concilium illud conſulere potuerit. Probari etiam poteſt ex Concilio Carthaginienſi quinto, Divum Ambroſium hoc anno vivere deſiiſſe. In eo enim Concilio poſt Conſulatum Flavii Stiliconis *XIV Kalend. Julias*, id eſt, anno quadringenteſimo primo habito, cùm ob Donatiſtarum ſævitiam apud Eccleſias Catholicas ma-

xima Clericorum penuria eſſet, ſtatuerunt Africani, conveniendos *Anaſtaſium* Sedis Apoſtolicæ Epiſcopum, & *Venerium* Sacerdotem Mediolanenſis Eccleſiæ, ut communi periculo provideant, & *conſentiant*, quemadmodum loquitur canon primus apud Labbeum tomo 2. Conciliorum pag. 1084. & 1085. ac pag. 1648. & 1649. *ut ſaltem qui parvuli baptiZati ſunt à Donatiſtis, & majores facti cognitum errorem deſeruerunt, poſſint Clericatûs officio admoveri.* Cùm itaque in Concilio tertio Carthaginienſi hoc anno celebrato de eadem re Siricium & Simplicianum canone 48. conſulendos conſtituant, de qua tunc Anaſtaſium Papam & Venerium Mediolanenſem Epiſcopum, æquè certum, Africanos in Concilio tertio Carthaginienſi de Simpliciano Epiſcopo Mediolanenſi loqui, quam in quinto de Venerio etiam Epiſcopo Mediolanenſi; cùm Africani iidem de una eademque re edoceri poſtulent. Anno ſequenti num. x & anno cccc num. ii duo alia argumenta afferam, quæ rem hanc extra omnem controverſiam ponent.

VIII.
Concilium Taurinenſe.
Baron. num. xlii.

Ad num. XII. Cùm Sanctus *Martinus* Turonenſis Epiſcopus currenti anno è vita deceſſerit, ut anno cccc ii, in quem mortem ejus Baronius differt, certis argumentis oſtendetur, & Concilium Taurinenſe poſt ejus mortem celebratum fuerit, illud ante annum ſequentem celebrari non potuit, cùm *X Kalend. Octobris* habitum ſit. Rectè obſervat Sirmondus in Notis ad illud Concilium, ex Zoſimi Papæ epiſtola 2. & altera ejuſdem ad Africanos conſtare, quo tempore ea Synodus coacta, *Briccium* apud Turonos Epiſcopum fuiſſe. Quare, cùm Baronius Sancti Martini mortem anno cccc ii conſignaverit, hanc Synodum anno cccc iii memorare debuit, vel potiùs S. *Martini* mors ad præſentem annum, quo contigit, retrahenda erat. Nos Baronii ordinem ſequentes de obitu Divi *Martini* agemus anno cccc ii: & quoad Concilium Taurinenſe Lectorem remittimus ad Notas poſtumas Sirmondi, quas Labbeus in fine tomi 2. Conciliorum pag. 1809. exhibet. De ſtatutis in eo etiam agemus anno cccc.

IX.
Concilia Carthaginienſia diligentiùs pertractata.
Baron. num. xliv & ſeqq.

Ad num. XIV & ſeqq. Diſcuſſionem Conciliorum Carthaginienſium diligentiori examine pertractare aggreſſus eſt Baronius; ſed, cùm in Acta depravata incidiſſet, ipſeque eorum Conciliorum ordinem invertiſſet, rem obſcuram aliquando obſcuriorem reddidit. Qui tamen excuſatione dignus, quia cùm corrupta eſſent exemplaria, OEdipus non erat, qui divinare poſſet. Meliorum itaque Codicum ope & variorum hac de re Tractatuum, poſt Baronii mortem publicatorum, ſubſidio, hanc Annalium Eccleſiaſticorum partem conabor illuſtrare. *Primum* itaque Concilium Carthaginienſe, ut vulgò dicitur, habitum fuit ſub *Grato* Carthaginienſi Epiſcopo anno ccc xlviii vel inſequenti, ut inter omnes convenit. *Secundum* congregatum ſub *Genetlio* Epiſcopo anno trecenteſimo nonageſimo, quod cùm in editione vulgata celebratum dicatur, *Valentiniano A. IV & Theodoſio V. C. Coſſ.* Baronius Theod. nomen retinendum eſſe exiſtimans, illud Concilium Carthaginienſe in annum quadringenteſimum viceſimum quintum, quo Valentinianus Cæſar cum Theodoſio Aug. IX Conſulatum geſſit, rejiciendum putavit, & è ſecundo loco inter Carthaginienſia Concilia in ultimum tranſtulit. At *Theodoſii* nomen Librariorum errore irrepſit, ut patet ex Codice Vaticano ab Holſtenio publicato, in quo Theodoſii loco, legitur *Neoterico*, qui cum Valentiniano Aug. anno ccc xc Conſulatum geſſit, quo ideo anno hæc Synodus celebrata, non ordine inter Carthaginenſes *ultima*, ſed, ut nomen præfert, *ſecunda*. De iſtius Concilii veritate nullus ſupereſt dubitandi locus, cùm & in Collectione veteri exhibeatur, & ex eo plures Canones citet Ferrandus. Juſtellus tamen ait, falſum & fictum omnino eſſe; quod probare tentat ex erronea Conſulum ſubſcriptione mox memorata, quæ tamen corrigenda erat. Addit Juſtellus, *Alypium* Tagaſtenſem Epiſcopum, qui hac in Synodo interloquitur, nonniſi quatuor annis poſt prædictorum Conſulatum ordinatum fuiſſe Epiſcopum, ut obſervat Baronius ex Auguſtino & Hieronymo. Quo argumento cùm ipſe quoque Baronius utatur, illique ſatisfecerit Petrus de Marca in Diſſert. de veteribus Collectionibus Canonum cap. 5. quæ Præſul doctiſſimus de hoc Concilio ſcripſit, huc transferenda.

X.
Epocha Concilii II Carthaginenſis.

Baronius, inquit Marca, mitiùs agit cum hoc Concilio, quàm Juſtellus: ille enim Concilium hoc gradu ſolùm movendum putat, & poſterius eſſe Conciliis omnibus, quæ ab Aurelio Carthaginenſi habita ſunt: qui quidem, velut emeritus, ſucceſſorem ſibi deſignarit *Genetlium*. Unde factum, ut in Actis ejus Concilii Genetlii & Aurelii mentio injiciatur, ac ſi uterque Synodo præeſſet; ille ut actu Epiſcopus, alter ob dignitatem retentam, cùm tamen certum ſit, vice verſa *Aurelium* ſucceſſiſſe *Genetlio*. Probat autem ſententiam ſuam Baronius, ex eo quòd Valentinus Numidiæ Primas huic Synodo interfuerit, qui fuit *Xantippi* ſucceſſor. Porro *Xantippus* Milevitano Concilio præſens aderat anno cccc ii, ante quod tempus Carthaginenſe *tertium*, quod vocant, *quartum* & *quintum* habita fuerant. Ergo *ſecundum* dici non poteſt, in quo Valentinus Xantippi ſucceſſor interfuit. Huic argumento aliud addit Baronius, nempe canone ſecundo hujus Concilii citari canonem xxxvii Collectionis Dionyſianæ *de continentia Clericorum*, qui petitus eſt ex Concilio habito anno cccc i, & canone tertio laudari canonem *de Chriſmate, reconciliatione pœnitentium, & puellarum conſecratione*, qui extat in Concilii ſexti canone decimo.

XI.
Canones Concilii VI Carthaginenſis, ex aliis Conciliis petiti.

His difficultatibus ut ſatisfaciat Marca, obſervat, canones Concilii Carthaginenſis ſexti petitos eſſe ex variis Conciliis prioribus, nempe ex Concilio ſub *Grato* canonem quintum, ex Carthaginenſi tertio pleroſque, & ex Synodo ſub *Genetlio* canones ii, iii, iv, vi, vii, viii, ix, x, xi, xii & xiii, iiſdem quandoque verbis, aliquando verò pauliſper mutatis. Unde accidit, ut interlocutiones Epiſcoporum quæ tribuuntur rectè Aurelio, Alypio, Numidio, & aliis in Concilio ſexto, in quod canonum ſub Genetlio verba tranſcribuntur, fuerint deinde inter exſcribendum, Librariorum vitio, retentæ in Actis Concilii ſub *Genetlio* ſub nominibus

eorundem

eorundem Epiſcoporum; qui alii erant in vero exemplari illius Concilii ſub Genetlio, ut ſtatim patebit. Interim ut tota res ſit adhuc apertior, canones editi à Concilio ſub *Genetlio*, quos habet Ferrandus, hic proponendi ſunt, & reliqui expendendi: unde conſtabit vetuſtas hujus Concilii præ cæteris habitis ſub Aurelio, tantùm abeſt, ut ſit ultimum, quemadmodum ſibi perſuaſerat Baronius. Tum etiam manifeſtum fiet diſcrimen illius Concilii à *ſexto*: quod tamen à priore pleraque mutuatum eſt, ut dixi. Denique quid ſignificetur per *præteritum Concilium* in canone II & III ſub Genetlio. Sicque Baronii argumentis reſpondebitur.

XII. *Probatur antiquitas Concilii Carthaginenſis III.*

Quatuor hujus Concilii canones citat Ferrandus in Breviario, quartum, octavum, nonum & decimum. Quarti canonis compendium hoc eſt apud illum Auctorem numero CXCIV: *Ut qui aliquibus ſceleribus irretitus eſt, vocem accuſandi non habeat. Concilium Carthaginienſe ſub Sancto Genetlio tit. IV Concil. Carthag. tit. VI. Hoc & in Concilio Thenitano ſtatutum eſt.* Ex collatione iſtorum canonum patet, duo fuiſſe Concilia Carthaginienſia, quæ criminoſos ab accuſatione ſummoverunt: alterum ſub Genetlio, idque prius, ut docet ordo ſcripturæ; & alterum Carthaginenſe. Quod congruit cum antiqua Collectione; ubi res eadem ſancitur in Concilio ſub Genetlio tit. VI, & præterea apud Dionyſium in Carthaginienſi ſub Aurelio, quod vocant ſextum, tit. VIII. Ubi diligenter obſervandum eſt, hunc canonem editum in Concilio ſub Genetlio, teſte Ferrando, & in Carthaginienſi ſexto, eodem teſte; in utroque fieri ad ſuggeſtionem Numidii, Aurelio interloquente & Præſidis munus exercente. Quod, ut conveniat Concilio ſexto, non poteſt convenire Concilio ſub Genetlio. Quare dicendum, canonis verba deprompta quidem à Patribus Concilii *ſexti* ex Concilio ſub Genetlio: ſed à Librariis tranſcribentibus vices mutatas, & Epiſcoporum nomina ex Concilio ſexto in hoc tranſlata. Idem error pervaſit canones VII, X & XI Concilii ſexti, qui reſpondent canonibus IV & VIII Concilii ſub Genetlio, ubi fit mentio Alypii & Valentini.

XIII. *Canones aliqui Concilii III Carthaginienſis.*

Tituli octavi lemma hoc eſt num. LV apud Ferrandum: *Ut Epiſcopus ſi cauſam habuerit, à duodecim Epiſcopis audiatur. Concilium Carthaginenſe ſub S. Genetlio tit. VIII.* Et de Preſbyteris num. XCVI apud eundem: *Ut Preſbyter qui reatum incurrerit, à ſex vel à ſeptem Epiſcopis audiatur. Concil. Carthagin. ſub Antiſtite Genetlio tit. IX* in Collectione veteri can. X, ad ſuggeſtionem Felicis Epiſcopi Selemſelitani. Quæ repetita ſunt iiſdem verbis in Carthaginienſi ſexto ſub Aurelio, demta tamen iſta clauſula, quæ eſt in iſto ſecundo: *Genetlius Epiſcopus dixit: Quid ad hæc dicit Sanctitas veſtra? Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt, à nobis veterum ſtatuta debere ſervari.* Unde manifeſtè patet, hunc canonem è Concilio ſub Genetlio tranſlatum fuiſſe in Concilium ſextum. Ad rem ipſam quod attinet, numerus duodecim Epiſcoporum ad judicandum Epiſcopum conſtitutus fuerat à Concilio ſub Grato can. XI, ſex in judicio Preſbyteri, trium autem in cauſa Diaconi. Quare non inutiliter in Concilio ſub Genetlio additum eſt illud conſtitui *juxta veterum canonum ſtatuta.* Quod iterum confirmatum fuit canone VIII Concilii Carthaginenſis tertii, qui repetitus eſt in canone XX Concilii Carthaginienſis ſexti; explicata phraſi quæ in præcedenti Concilio obſcurior videbatur. Dicto enim canone VIII ſtatuitur, quòd *ſi Preſbyteri vel Diaconi fuerint accuſati, adjuncto ſibi ex vicinis locis legitimo numero Collegarum, id eſt, in Preſbyteri nomine quinque, in Diaconi duorum, Epiſcopi ipſorum cauſas diſcutiant.* Quem loquendi modum retinuit Ferrandus num. LI: *Ut Epiſcopus accuſatos Preſbyteros convocatis quinque Epiſcopis audiat.* Quod ita enunciatur in dicto canone XX Concilii Cartaginienſis ſexti, ut ſententia prioris canonis explicetur. Ait enim, vicinos Epiſcopos petendos & eligendos ab accuſatis, & debere eos eſſe numero ſex, unà cum proprio Epiſcopo, in Preſbyteri nominé, & in Diaconi tres.

XIV. *Canones alii ejuſdem Concilii.*

In Concilio ſub Genetlio conſtitutum docet Ferrandus num. XXIV: *Ut nullus Epiſcopus plebem alienam uſurpet. Concil. Carthagin. ſub Sancto Grato tit. IX. Concilium Carthagin. ſub Antiſtite Genetlio tit. IX. Concil. Carthagin. tit. V.* Canon iſte nonus, eſt undecimus numero in Collectione veteri, editus ad ſuggeſtionem Victoris Epiſcopi. In Concilio ſexto ſub Aurelio canone V, quem laudat Ferrandus, ad relationem Aurelii de avaritiæ variis capitibus cavetur, inter cætera generaliter, *ne quis alienos fines* uſurpet. Unde patet diſcrimen utriuſque Concilii, & prius eſſe Concilium ſub Genetlio, quàm Carthaginenſe ſub Aurelio. Eadem differentia & antiquitas magis elucet ex titulo X, quem laudat Ferrandus num. IV. *Ut Epiſcopus à tribus ordinetur, conſentientibus aliis per ſcripta, cum confirmatione Metropolitani vel Primatis. Concil. Carthagin. ſub Antiſtite Genetlio tit. X. Concil. univerſale Carthagin. tit. XLIV.* Sanè conſenſus & præceptum Primatis diſertè requiritur, & numerus trium Sacerdotum in ordinando Epiſcopo, ex definitione cànonis XII ſub Genetlio in editis, qui ad ſuggeſtionem Numidii Maſſulitani conſtitutus eſt. Quæ ſententia brevioribus verbis, referente Aurelio, expreſſa eſt canone XIII Concilii Carthaginienſis ſexti; licet decretum iſtud & interlocutio diſertè tribuatur Genetlio in ſuperiori Concilio. Quo exemplo docemur, Aurelii interlocutiones inſertas Actis Concilii ſub Genetlio corrigendas eſſe, & tribuendas ipſi *Genetlio*, non autem *Aurelio*, qui nondum erat Epiſcopus. Ea omnia docent apertiſſimè diſcrimen Concilii ſub Genetlio à ceteris Africanis, & illius vetuſtatem; quamvis canones aliquot ex eo tranſcripti ſint in Concilium Carthaginienſe ſextum ſub Aurelio, iiſdem quandoque verbis; quandoque verò illorum ſententia ſolà, ut ſuperius probatum eſt. Quod accidit quoque in ſecundo canone Carthaginienſis ſexti; qui, demta præfatione quæ eſt in Concilio ſub Genetlio, tranſcriptus eſt è primo capitulo illius Concilii; nempe, ut *Trinitas credatur, & prædicetur.*

XV. Canon tertius & quartus ejuſdem Concilii

Canones alii.

ſexti, *de continentia Sacerdotum*, quorum primus Aurelio ſuggerente conſtituitur, & alter Fauſtino quoque interloquente, deſumti ſunt ex canone ſecundo ſub Genetlio: ubi Aurelius interloquens introducitur, ſed de Fauſtino tacetur; quæque in ſexto Concilio, Fauſtino Legato Romanæ Sedis tribuuntur, in Concilio habito ſub Genetlio univerſis Epiſcopis adſcribuntur. Unde fit manifeſtum, Concilium ſub Genetlio vetuſtate præcedere aliud, quod ex priore locupletatur. Quod autem conſtituitur de Sacerdotum continentia, juxta *præteriti Concilii* definitionem, ut aiunt, intelligendum eſt de Concilio habito ſub Siricio ſtatim poſt epiſtolam Synodicam Concilii Romani ad Africanos directam poſt Conſulatum Arcadii Auguſti & Bautonis, id eſt, anno CCCLXXXVI, ubi cavetur ſpecialiter de Sacerdotum abſtinentia ab uxoribus, ut jam ipſemet Marca docuerat lib. 1. de Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 8. paragrapho 4. Quare fallitur Baronius, qui canone illo ſecundo laudari putat canones Concilii Carthaginienſis ſexti.

XVI. *Canones alii.*

Sextus canon *de Chriſmate, Reconciliatione pœnitentium, & puellarum Conſecratione à Presbyteris non agenda*, ad ſuggeſtionem Fortunati, rogante ſententias Aurelio, iiſdem verbis exhibetur in canone tertio Concilii ſub Genetlio. In quo ſine dubio eſt hallucinatio exſcriptoris, qui canonem Concilii ſexti adſcripſit Concilio ſub Genetlio, in quo ea de re nihil ſtatutum fuit, ſed in Carthaginienſi tertio canones XXXI & XXXVI, quod præteritum Concilium dicitur in canone illo ſexto. Sanè Ferrandus num. XCI utitur in hac re ſolo teſtimonio Carthaginienſis tertii: *Ut Presbyter inconſulto Epiſcopo virgines non conſecret, Chriſma vero nunquam conficiat. Concil. Carthagin. tit. XLI.*

XVII. *Canones alii.*

Vetuſtas quoque Concilii iſtius ſub Genetlio deprehenditur ex canone quinto, ubi ad ſuggeſtionem Felicis Selemſelitani, interloquente Genetlio, definitum eſt: *Ut Diœceſes, quæ nunquam Epiſcopos habuerunt, non habeant, niſi ex conſenſu proprii Epiſcopi.* Quæ definitio deinde confirmata eſt in canone XLII Concilii tertii, ubi habetur, illud *in multis Conciliis jam fuiſſe conſtitutum.* Quibus verbis Concilium ſub Genetlio, inter cetera, indicatur. Hæc ſententia dein aucta eſt, requiſito tamen conſenſu Primatis & Concilii Plenarii auctoritate in canone quarto Concilii Carthaginienſis habiti anno CCCCVII, qui relatus eſt in Collectione Dionyſii.

XVIII. *Canones alii.*

Aliud quoque ſuggerente eodem Felice, & interloquente Genetlio, conſtitutum eſt canone ſeptimo, nempe, ut *Epiſcopus ille excommunicetur, qui ab alio excommunicatum ſuſceperit.* Quod in nullo poſteriore Concilio inſertum eſt. Et canone nono ad ſuggeſtionem Numidii ſtatuitur, *ut Presbyter inconſulto Epiſcopo in quolibet loco agenda non audeat celebrare.* Quod extat apud Ferrandum num. XC ex Concilio Carthaginienſi titulo VII, ubi deeſt ſine dubio nota, quam addit alibi, nempe ex Concilio ſub Genetlio. Tandem *Genetlius* Concilium ſuum claudit ſanctione iſta, ut quæ ſtatuta ſunt ab eo glorioſiſſimo cœtu, cuſtodiantur, & qui ſubſcriptionem ſuam violaverit, deponatur. Quæ omnia de ſecundo Carthaginienſi Concilio ſub Genetlio anno CCCXC celebrato verbotenus exſcripſimus ex Marca laudato. Ipſius Concilii Acta, tam corrupta, quàm ab Holſtenio ad Codicem Vaticanum recenſita exhibet Schelſtratius in Diſſert. 3. de Eccleſia Africana cap. 4. & ex tredecim hujus Concili canonibus juxta ſe invicem poſitis manifeſt oſtendit, corruptum eſſe editionis vulgatæ textum plerîſque in locis, & quæ in iiſdem canonibus notatu digna occurrunt, breviter refert.

XIX. *Synodus Hipponenſis.*

Poſt Synodum ſub Genetlio habitam, Concilium univerſale omnium Provinciarum Africæ coactum eſt in *Hipponenſi* civitate ſub Aurelio, Theodoſio Aug. III & Abundantio Coſſ. id eſt, anno CCCXCIII, ut adnotavit Dionyſius in ſua Collectione. Hæc Synodus canones unum ſuprà quadraginta conſtituit, qui deinde recenſiti ſunt in Concilio Carthaginienſi tertio hoc anno celebrato. De hac Synodo Hipponenſi anno CCCXCIII, quo rectè eam Baronius recitat, egimus.

XX. *Concilium Carthaginienſe III.*

Sequitur Concilium Carthaginienſe *tertium* vulgò nuncupatum, quod revera tertium ordine fuit, *Cæſario & Attico Coſſ.* currenti nempe anno, *V Kalend. Septemb.* ab Aurelio habitum, ut legitur in ejus præfatione à Dionyſio Exiguo recitata. Eo autem die congregatum eſt juxta ſtatutum Concilii Hipponenſis de celebrando Concilio Plenario *X Kal. Sept.* Cùm enim ad illum diem convocatum fuiſſet Concilium, & nondum omnes Provinciarum Legati adeſſent, Zitilenſis Provinciæ Legatis paulò pòſt adventantibus, quinto Kalendas Septembris inchoatum eſt, ut in ſua præfatione indicat Aurelius. Quare Concilium vulgò Africanum dictum corrigendum venit, dum canonem *de non navigando ſine formata Primatus*, attribuit VI Kalendas Julii, quidquid Baronius & Perronius exiſtiment, retinendum potiùs eſſe *VI Kal. Julii.* Cùm enim, inquit Schelſtratius Diſſert. 3. de Eccleſia Africana cap. 7. de die alicujus Synodi controverſia eſt, illud ſequi debemus, quod plures & melioris notæ Codices habent: ſed in Actis, inprimis ipſius Synodi tertiæ Carthaginienſis legitur: *V Kalend. Septembris.* Et Collectio Canonum Africanorum idem confirmat apud Dionyſium Exiguum Collectorem Latinum, & Zonaram ac Balzamonem Collectores Græcos; quin imò Auctor Concilii vulgò Africani; qui, dum convenisse aſſerit *V Kalend. Septembris*, erroneum eſſe demonſtrat, quod poſtea refert de Epiſcopis ſine formata navigare prohibitis *VI Kalend. Julias.* Illud enim ipſum ſtatutum, eſt canon XXVIII Concilii Carthaginienſis tertii, qui ab Auctore Concilii vulgò Africani, loco non ſuo refertur, ut Perronius rectè animadvertit cap. 49. Reſponſionis ad Magnæ Britanniæ Regem. Cùm enim initio Concilii Aurelius proponeret, legendum Breviarium *Hipponenſis Concilii*, cunctaque ejus ſtatuta recitata eſſent, ſtatim ſequitur in Actis Carthaginienſium Synodorum à Dionyſio Exiguo, Zonara & Balzamone relatis, *quòd nihil eorum, quæ in Hipponenſi Synodo acta ſunt, ſit corrigendum: Epigonius Epiſcopus dixit*, &c. Inter quem canonem & Aurelii interlocutionem nihil medium interjici poteſt, ut Perronio obſervatum.

XXI. *Concilium illud magis explicatum.* Ceterùm, inquit Schelſtratius ibidem, quia Auctor Concilii vulgò Africani appellati, non illum tantùm canonem, qui agit de navigando ſine formata, ſed alias Conciliorum præfationes interpoſuiſſet, uti Concilii Carthaginienſis Honorio IV & Eutychiano Coſſ. & alterius Carthaginienſis poſt Conſulatum Flavii Stiliconis celebratorum, poſt quæ ſequitur definitio Epigonii de non mutando aliquid, in Breviario Hipponenſi ſuprà relata, ex eo Perronius cap. 48. notat, occaſionem ſumſiſſe Baronium minùs recte ſtatuendi, tam canonem ab Epigonio ſtatutum, quam XXII ſequentes attribuendos Concilio Carthaginienſi poſt Conſulatum Stiliconis celebrato, ubi viginti duos priores conſtat eſſe Concilii Carthaginienſis tertii Attico & Cæſario Coſſ. habiti. Quòd autem tantùm XXIII canones tertii Carthaginienſis referantur in Concilio vulgò Africano, aut Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ, hanc rationem reddit Perronius, quia Auctor Codicis non inſeruit canones Carthaginienſis III, niſi illos, qui aut amplificarant, aut reſtrinxerant Concilii Hipponenſis canones. Ex quo ſequeretur, XXIII canones *Hipponenſes* renovatos fuiſſe, & novis additamentis relatos inter canones Carthaginienſis tertii; quod, ut recte Schelſtratius loco laudato animadvertit, dici non poteſt. Innititur enim hoc tantùm Breviario Hipponenſis Synodi, quod Synodicæ Byzacenæ adjunctum fuiſſe putatur, & poſt hanc Carthaginienſem tertiam refertur ex Codice S. Bavonis, ubi referuntur unus & quadraginta tituli tanquam Hipponenſis Concilii; cùm ſint revera Carthaginienſis tertii, in quo ubi relatum fuiſſet *Hipponenſis* Breviarium, à toto Concilio ſtatutum eſt, *quòd nihil eorum, quæ in Hipponenſi Synodo acta ſunt, ſit corrigendum*, addente Epigonio, ex omnibus Breviarii titulis nihil emendandum, vel in aliquo aſſuendum, *niſi ut dies Sanctæ Paſchæ tempore Concilii innoteſcat.* Quod ad canonem *Hipponenſem* additum fuiſſe in canone primo Carthaginienſis tertii, fidem facit canon ejus XLI, ubi Aurelius teſtatur, à Concilio id ſuprà ſtatutum fuiſſe. Unde evincitur, canonem primùm Concilii Carthaginienſis non eſſe illum, qui in ejus Actis vulgatis extat, ſed qui in Collectione tam Græcorum, quàm Latinorum Codicum reperitur, ut diligenter notavit Schelſtratius laudatus, qui quinquaginta canonum titulos huic Concilio tributos Scholiis illuſtrat. Legenda etiam, quæ de hoc Concilio tertio Carthaginienſi habet Marca in Diſſert. de veteribus Collectionibus Canonum cap. 5. & 6.

XXII. *Apparatus belli Gildonici.* In apparatu belli Gildonici pars currentis anni abſumta; quod oſtendunt Leges Codicis Theodoſiani 12. 13. & 14. *De Tironibus.* currenti anno datæ, quarum priori definitur, cùm publica utilitas ſuaſerit, juniores in arma conſcribendos, ne rem privatam quidem Principis ab hoc immunem eſſe. De quo apparatu accipiendus Honorius apud Claudianum:

——— *Quæcumque mea gens barbara nutu*
Stringitur, adveniet, Germania tota feratur
Navibus, & ſocia comitentur claſſe Sicambri,
Pallida tranſlatum jam ſentiat Africa Rhenum.

Et quæ deinceps de legionibus Romanis ſubjicit, de Herculea & Jovia cohorte, de Nerviis, de Felici & Auguſta legione, de Invictis, de Leonibus. Eodémque pertinent, quæ idem ſcribit lib. 1. in laudem Stiliconis, agens de hoc apparatu:

——— *Veteres firmare cohortes:*
Explorare novas. Et mox. *Unde rudis tanto* TYRONE *juventus*
Enituit, ſenioque iterum vernante reſumſit
Gallia bis fractas Alpino vulnere vires?
Non ego delectu, Tyrii, ſed vomere Cadmi;
Tam ſubitas acies concepto dente Draconis,
Exhibuiſſe reor.

Hæc Gothofredo in Chronologia Codicis Theodoſiani obſervata.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5891. ☉ 15 C. ☽ 19. P. 18. APRIL. INDICT. 11.
JESU CHRISTI 398.
ANASTASII PAPÆ I.
ARCADII 16. ET 4. HONORII 6. ET 4.

COss. *Honorius Aug. IV, & Eutychianus* in Oriente creatus, ac Præfectus Prætorio. Hi *Conſulatum editionibus ludiſque celebrarunt: Romæ quidem Honorius Imp. Conſtantinopoli verò Eutychianus* inquit Socrates lib. 6. cap. 2. Conſulatus Honorii juxta ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam; Imperii enim vivente patre initi Quinquennalia celebravit. I. *Conſules.* *Priora Quinquennalia Honorii.*

Ad num. I. *Siricius* Papa die viceſima ſexta Novembris obiit. Eo enim die in Martyrologio Hieronymiano legitur: *Romæ depoſitio Siricii Epiſcopi*, quo die etiam in Bedæ Martyrologio Natale ejus ſignatur. Quare eo ipſo mors ejus contigiſſe videtur. In Chronico auctiori veterum Pontificum habetur: *Sepultus eſt in Cœmeterio Priſcillæ, via Salaria VII. Kalendas Martii.* In aliquibus exemplaribus Anaſtaſii dicitur, ſepultus *VIII Kalend. Martii*, in aliis *IX Kalend. Martii.* Sed duo ultimi ex illis numeris mendoſi. Quidquid ſit, aliqua hujus Sancti Tranſlatio facta menſe Februario, die XXII. Baronius quidem Siricium die XXII Februarii demortuum exiſtimat, perſuaſus, Anaſtaſium in libro Pontificali diem emortualem Pontificum exhibere. Sed præterquam quòd fundamentum illud loco ſuo everſum, ex ejus ac ſucceſſoris Pontificatûs duratione apparet, eum ad finem hujus anni vitam produxiſſe. *Siricium* annos quindecim Sedem obtinuiſſe in veterum Pontificum Catalogis legitur: imò in pleriſque ſupra annos quindecim, adduntur menſes XI, nullis diebus memoratis; in Anaſtaſio verò & quibuſdam Catalogis legitur, eum ſediſſe *annos quindecim, menſes undecim, dies viginti quinque.* Qui error inde forſan natus, quòd in ejus epitaphio quod antiquum videtur, hic verſus legatur: II. *Obitus S. Siricii PP.* Baron. num. 1 & ſeqq.

Ter quinos populum in annos qui rexit amore.

Verùm illi anni quindecim utrinque incompleti fuere; alioquin Damaſi & Anaſtaſii Sedes ſuſdeque vertenda eſſet. Cùm itaque juxta noſtram ſententiam Siricius die viceſima ſecunda menſis Novembris anni trecenteſimi octogeſimi quarti Pontificatum adeptus fuerit, & die viceſima ſexta Novembris currentis anni ad Deum migravit, liquet, eum ſediſſe annos tredecim, menſes undecim, dies quinque, & errorem irrepſiſſe in numeros in Catalogis expreſſos; qui cùm in noſtra ſententia facilè corrigatur, & undecim menſium numerus ſervetur, initium & finis Siricii rectè à nobis conſtituta videntur. Nam, ut inter omnes conſtare debet, numerus annorum in his Catalogis depravatus, & loco dierum v, facile fuit, duobus numeris additis, ſcribere *dies X X V*. Florentinius in Notis ad Martyrologium Hieronymianum ſanctitatem Siricii adverſus Baronium pluribus defendit, miraturque, quòd multa in ipſo non laudanda ſuggeſſerit, licèt nomen ejus ſcriptum viderit in veteri S. Cyriaci Martyrologio, cujus ope hodiernum Romanum pluribus Sanctis auxit. Bollandus etiam die x x i Februarii Siricium inter *Pretermiſſos* reponit, de quo tamen ibi prolixè agit. Poſt Siricii mortem Sedes vacavit, non dies viginti, ut habet liber Pontificalis & Baronius cum eo, ſed *dies novem* : Anaſtaſius enim ordinatus eſt die quinta menſis Decembris, in quam Dominica incidebat, ut in ejus morte oſtendemus.

III. *Adventus Rufini & Melaniæ Romam.*

Baron. num. v i & ſeqq.

Ad num. II. Epiſtola Hieronymi ad Pammachium, quæ ordine eſt x x v i, rectè hoc anno à Baronio conſignata; cúmque in ea dicat Hieronymus : *Qui importunè per biennium tacui, vereor ne nunc importunius loquar* ; liquet, *Paulinæ* Pammachii uxoris obitum anno trecenteſimo nonageſimo ſexto aut inſequenti accidiſſe. Præterea, cùm in ejuſdem epiſtolæ fine mentio ſit de Pauliniano S. Hieronymi germano, tunc à ſe in Italiam miſſo, manifeſtè colligitur, *Melaniam & Rufinum* anno trecenteſimo nonageſimo ſeptimo ex Oriente diſceſſiſſe. Hieronymus enim in ſecunda Apologia adverſus Rufinum, ſcribit, Paulinianum poſt annum navigationis Rufini Romam profectum eſſe, præſenti ſcilicet anno. Quare non video ſententiam Noriſii lib. I. Hiſt. Pelag. cap. 2. quæ Rufinum anno c c c x c v i ex Oriente digreſſum eſſe docet, ſuſtineri poſſe. Sic enim hic annus ſecundus eſſet commorationis Rufini in Urbe, aut etiam tertius inchoatus, qui tamen primus tantùm eſt. Ad hæc Hieronymus in epiſtola 30. ad Oceanum ait : *Quarta æſtatis circulus volvitur, ex quo ad Heliodorum Epiſcopum Nepotiani ſcribens epitaphium, quidquid habere potui virium, in illorum dolore conſumſi. Ante hoc ferme biennium Pammachio meo pro ſubita peregrinatione Paulinæ brevem epiſtolam dedi.* Scripta hæc ad Heliodorum epiſtola anno c c c x c v i, ut videre eſt eo anno apud Baronium. Quamobrem epiſtola ad Oceanum hoc, vel præcedenti anno ſcripta. Ex quo conſequens eſt, epiſtolam x x v i ad Pammachium anno præſenti exaratam, Paulinianum eodem anno Romam veniſſe, & Melaniam ac Rufinum anno c c c x c v i i Orientem reliquiſſe. Quæ ſcrupuloſiùs diſcutere juvat, quòd à Rufini & Melaniæ in Occidentem adventu variæ difficultates ſolvantur.

IV. *Terminus Chriſtianæ Religioni ab Ethnicis præfixus.*

Ad num. IV. Baronius Chronologiam ſuam auctoritate Divi Auguſtini lib. 18. de Civit. Dei cap. 53. rectè conſtitutam exiſtimavit. Is enim ait, Ethnicos excogitaſſe neſcio quos verſus Græcos, quos in vulgus tanquam oracula jactabant, quibus aſſerebant, Chriſtum cultum iri *per trecentos ſexaginta quinque annos*, quo annorum numero completo, Religio Chriſtiana *ſine mora ſumeret finem*. Quibus verbis capite ſequenti hæc ſubjicit Auguſtinus : *Ex ipſo anno quærendum eſt, quando trecenti ſexaginta quinque completi ſint. Mortuus eſt ergo Chriſtus duobus Geminis Conſulibus, octavo Kalendas Aprilis, &c. Ac deinde aliis atque aliis acceſſibus Credentium crevit Eccleſia. Ac per hoc colligitur etiam dies, ex quo annus ipſe ſumſit initium, ſcilicet quando miſſus eſt Spiritus Sanctus, id eſt, per Idus Maias. Numeratis proinde Conſulibus, trecenti ſexaginta quinque anni reperiuntur impleti, per eaſdem Idus Maias, Conſulatu Honorii & Eutychiani*, præſenti ſcilicet anno. Quam quidem Auguſtini ſupputationem, inquit Baronius, noſtræ Chronographiæ optime convenire cognoſcis: ſiquidem quem nos numeravimus Domini annum trigeſimum quartum, ipſe à die Pentecoſtes numerat primum. Porro numero trecentorum ſexaginta quinque annorum ſi addas triginta tres, utique reperies à naſcente Domino, uſque ad dictos anni hujus Conſules Honorium & Eutychianum rectè numerari annos trecentos nonaginta octo. Ita Baronius. Verùm fallitur Cardinalis doctiſſimus: Auguſtinus enim Chriſti mortem illigat Conſulatui duorum Geminorum, qui incidit in annum æræ Chriſtianæ viceſimum nonum, quem Baronius more ſuo cum anno Chriſti x x x i copulat. Quare cùm alio anno Auguſtinus, alio Baronius mortem Chriſti conſignent, non poſſunt trecentorum ac ſexaginta quinque præfatorum annorum finem cum eodem Conſulatu conjungere; plures enim Auguſtinus, quàm Baronius, inveniet annos, quia trecentorum ac ſexaginta quinque annorum numerum à Conſulatu duorum Geminorum ille inchoavit, Baronius verò à Conſulatu Domitii Ænobardi & Vitellii, quo Chriſtum crucifixum arbitratur. Locus itaque Auguſtini Baronii Chronologiæ minimè ſuffragatur. Sed nec noſtræ etiam favet; quia Auguſtinus in putando illo intervallo malè calculos poſuit. A Conſulatu enim duorum Geminorum, ſeu Idibus Maii anni Chriſti x x i x, uſque ad currentem Chriſti annum Honorii & Eutychiani Conſulatu notatum, Iduſque Maias, anni fluxere integri trecenti ſexaginta novem. Res ita meo judicio ſe habuit. Gentiles finxerant, oraculorum reſponſis definitum fuiſſe, manſuram eſſe Religionem Chriſtianam per annos tantùm trecentos ſexaginta quinque, ideoque ad mortem duntaxat Theodoſii Magni, quæ menſe Januario anni trecenteſimi nonageſimi quinti accidit: à Conſulatu enim duorum Geminorum ad Conſulatum Olybrii & Probini, quibus magiſtratum gerentibus vitam cum morte commutavit Theodoſius, anni ſunt c c c l x v, anno Theodoſii emortuali excluſo. Verùm Auguſtinus, poſtquam annorum illorum initium à

duorum Geminorum Conſulatu rectè deſumſiſſet, eorum finem ad Conſulatum Honorii & Eutychiani malè produxit; cùm in Conſulatu Olybrii & Probini anni illi trecenti ſexaginta quinque terminentur. Nec dici poteſt, Auguſtini locum corruptum eſſe; cùm Patres Benedictini in noviſſima editione Operum Sancti Auguſtini nullam lectionem contrariam exhibeant. Quæ porro ad hanc difficultatem explicandam in medium adducunt in Notis, parum mihi probantur.

V. *Auguſtinus ſcribit adverſus Petilianum.* Baron. num. XXII.

V. Ad num. V. Divus *Auguſtinus* lib. 2. contra literam Petiliani cap 51. de Cathedra Eccleſiæ Romanæ loquens, ait: *In qua hodie Anaſtaſius ſedet.* Quare liber ille poſt diem quintum Decembris currentis anni Anaſtaſii natalem, ſcriptus. Ait in eo Auguſtinus, nullam Legem ab Imperatoribus datam eſſe, quâ præcipiatur capitali ſupplicio injuriam vindicandam. Quod tamen Honorius Imp. Lege Codicis Theodoſiani 31. *De Epiſcopis.* dat. *VII Kalend. Maii, Mediolani*, ſtatuit. Quare Auguſtinus in Africa, ubi ſcribebat, anno ſequenti ignoravit quod currenti Mediolani ab Honorio Imp. hac in re decretum, Opuſque illud anni inſequentis initio exaratum: diutius enim eam Legem Auguſtinus ignoraſſe non videtur.

VI. *IV & V Cōcilium Carthaginenſe.* Baron. num. XXXVI.

VI. Ad num. VII. Baronius exiſtimavit, Concilium Carthaginenſe, *Quintum* vulgò appellatum, anno currenti *die VI Kalend. Junii* celebratum eſſe, quòd in quodam MS. Codice legatur illud habitum, *poſt Conſulatum Cæſarii & Attici die VI Kalend. Junii.* Sed hanc ejus ſententiam plures rejiciunt, quòd in Collectione MS. Iſidori Mercatoris legatur: *Poſt Conſulatum Flavii Stiliconis XVI Kal. Julias*, id eſt, anno Chriſti CCCC I. Eo etiam nomine hæc ſententia aliis non probata, quòd Conciliorum Carthaginienſium ſeriem invertat, & *Quintum* ante *Quartum* celebratum ſupponat. Carthaginenſe enim Quartum, ut vulgò appellatur, *Honorio IV & Eutychiano Coſſ. VI Idus Novembris* congregatum, ut in Actis dicitur. Utrumque autem præſenti anno Baronius recitat. De iis legendus Schelſtratius in Diſſert. 3. de Eccleſia Africana cap. 8. ubi de Concilio Carthaginienſi Quarto præſenti anno, ut inter omnes convenit, coacto, ſermonem habet, & cap. 9. ubi de Concilio Carthaginienſi Quinto, quod poſt Conſulatum Manlii & Eutropii, anno nempe CCCC, celebratum exiſtimat, verba facit. Legenda & quæ de utroque Concilio ſcripſit Marca in Diſſert. de veteribus Collectionibus Canonum cap. 7. ubi de Concilio Carthaginienſi Quarto, & cap. 8. ubi de Concilio Carthaginienſi Quinto, quod *poſt Conſulatum Flavii Stiliconis*, anno nempe quadringenteſimo primo, habitum cenſet. Legendus & Gothofredus in Commentario Legis 17. Cod. Theod. *De Paganis.* ubi Concilium Carthaginienſe *Quintum* hoc anno, aut ſaltem inſequenti indictum oſtendere conatur. Nobis nihil hactenus occurrit, quo Concilii *Quinti* Carthaginienſis epocha certò definiri poſſit.

VII. *Gildo in Africa debellatus.* Baron. num. XL & ſeqq.

VII. Ad num. VIII & ſeqq. Adverſus *Gildonem* Tyrannum Africæ exercitus Romanus movit, vel præcedentis anni exitu, vel præſentis initio; certè hieme, teſte Claudiano de bello Gildonico ibi: *Solvite jam ſocii*, &c. & in libro in laudem Stiliconis, ibi: *Tales utrinque procellæ cùm fremerent.* Fuit *Gildo* Comes & Magiſter utriuſque militiæ per Africam, ut oſtendit inſcriptio Legis 9. Cod. Theod. *De adulteriis.* & teſtatur Zoſimus lib. 5. pag. 788. *Gildo* ſive tyrannidem in Africa moliretur, ſive quòd Africam Occidentali Imperio detractam, Orientali adjunctam vellet, ſub finem autumni anni trecenteſimi nonageſimi ſexti Africam ſibi vendicare cœpit. Apud Claudianum his verbis Roma conqueritur:

—— *Spes unica nobis*
Reſtabat Libya.

& mox:

Hanc quoque nunc Gildo rapit ſub fine cadentis
Autumni.

& paulò antè:

Quem veniens induxit hiems, ver perculit hoſtem.

Mox Senatuſconſulto, priſco more, Romæ facto, *Gildo* publicus hoſtis declaratus, bellumque in ipſum decretum; quod Claudianus in laudes Stiliconis lib. 1. & Symmachus in epiſt. ad Stiliconem 4. libri quarti. Tandem præſenti anno, teſte Marcellino in Chronico, Gildo debellatus, mox & ſtrangulatus ſua manu interiit. Superatus eſt autem ante diem duodecimum menſis Aprilis, ut ex tribus Conſtitutionibus hoc anno datis deducit Gothofredus in Chronologia Cod. Theod.

VIII. *Qua anni tempeſtate Gildo devictus.*

VIII. Prior eſt Lex 4. *De canone frumentario urbis Romæ.* quâ *Honorius* canoni frumentario, ſeu annonæ urbis Romæ conſuluit, fraudibuſque annonæ urbicæ damnoſis occurrit. Altera eſt Lex unica *De pretio panis Oſtienſis.* quâ idem Imperator annonæ urbis Romæ plenè conſuluit, pretio videlicet panis ſtatuto; panis nempe Oſtienſis ſeu Fiſcalis. Tertia Lex 10. *De piſtoribus.* in eundem finem data VII Kalend. Maii, die nempe XXV Aprilis, cùm jam duæ priores eodem die, nempe duodecimo illius menſis emiſſæ fuiſſent. Porro poſteriorem Legem ad Africam pertinere manifeſte apparet ex Lege 31. *De Epiſcopis.* publicata *VII Kalendas Maii* currentis anni, quâ irruentium in Eccleſias per *Africam* impetum variis rationibus perſequitur Honorius, & in ejus Legis fine de Judicibus Africanis & Comite Africæ, qui militibus præerat, loquitur. Datæ hæ Leges, quia graviſſima fames Romæ exorta fuerat propter retardatum ex Africa commeatum, de qua Claudianus de bello Gildonico, & lib. 1. in Eutropium, & lib. 1. in laudes Stiliconis, Symmachus lib. 4. epiſt. 4. & Proſper in Chronico Imperiali agunt. Sed non tantùm laudatæ Leges ad *Africam* & ad annonam inde aſportari ſolitam pertinent, ſed & ad victoriam de Gildone relatam; quod ex lib. 7. epiſt. 38. Symmachi clare deducitur. Is enim narrato metu, in quo propter bellum fuerant Romani, ſubjungit, jam meliorem ſpem affulgere, Urbemque de alimonia provideri.

IX. *Ante mēſem Aprilem Gildo victus.*

IX. Imò ante menſem Aprilem devictum fuiſſe *Gildonem*, oſtendit Lex 3. Cod. Theod. *De calumniatoribus.* data hoc anno Mediolani III Id. Mart. Nam, ut in ejus Commentario obſervat Gothofredus, Tyrannis debella-

tis, aut cæſis, exoriri paſſim ſolebant *delatores* eorum, qui Tyrannorum ſectatores fuiſſent, eorumque partibus faviſſent: adeo ut promiſcue innocentes etiam ab hujuſmodi delatoribus deferrentur, inimicos ſuos forte hoc tyrannidis prætextu perditos volentibus. Quare laudata Lex *De calumniatoribus*. ab Honorio poſt Gildonem Tyrannum in Africa debellatum, emiſſa; quod & inſcriptio demonſtrat: data eſt enim ad *Victorium Proconſulem Africæ*: & ipſa quoque temporum ratio ſuffragatur, cùm in vernum tempus, quo *Gildo* devictus, ea Lex incidat.

X. *Annus emortualis D. Ambroſii ex Gildonis interitu deductus.*

Quæ accuratiùs à nobis explicata, ut pateat, Divum Ambroſium præſenti anno, die decima ſeptima menſis Aprilis, ſupremum diem obire non potuiſſe, ſed ante illum jam demortuum eſſe. Oroſius enim, qui hoc tempore vivebat, lib. 7. cap. 24. de Gildone proſtrato loquens, ait: *Ardalio (fluminis nomen eſt) quod fluit inter Thebaſtem & Metrideram civitates: ubi cum parva manu, hoc eſt, cum quinque millibus, ut aiunt, militum contra ſeptuaginta millia hoſtium, caſtra metatus*, (nempe Maſcezel adverſus Gildonem ab Honorio Imperatore miſſus) *cum interjectâ morâ excedere è loco, oppoſitaſque præjacentis vallis anguſtias tranſgredi vellet, intercurrente nocte, Beatum Ambroſium Epiſcopum Mediolani paulo antè defunctum per ſomnium ſibi videre viſus eſt: ſignificantem manu, & impacto ad humum ter baculo, dicentem Hic, hic, hic, addens, his verbis annuntiatam fuiſſe victoriam poſt tres dies de Gildone reportatam.* Quod miraculum Marcellinus in Chronico hoc anno etiam narrat: imò Paulinus in Vita Sancti Ambroſii, ait: *Nos tamen ea Mediolani poſiti, ipſo Maſcezile referente, cognovimus. Nam & in hac Provincia, in qua nunc poſiti deſcribimus, plurimis hoc ipſum retulit Sacerdotibus; quibus etiam referentibus ſeverius antè nobis cognita, huic libro adjungere arbitrati ſumus.* Quomodo itaque Divus Ambroſius, qui Sabbato ſancto vitâ functus eſt, uſque ad hunc annum vitam producere potuit, cùm Paſcha die decimo octavo Aprilis celebratum fuerit, & Gildo ante menſem Aprilem, ſaltem ante duodecimum hujus menſis diem Ambroſii jam demortui ope proſtratus fuerit? Profectò, ſi laudatæ Leges poſt victoriam de hoc Tyranno reportatam promulgatæ ſunt, de quo non videtur dubitandi locus, S. Præſulis mors anno præcedenti certiſſimè contigit.

XI. *Magis confirmatur.*

Dicet forſan aliquis, ex Lege laudata *De calumniatoribus*. malè illud inferri; cùm, ſi poſt victum *Gildonem* ea emiſſa eſſet, ſequeretur, eam victoriam menſe circiter Februario fuiſſe reportatam, ejuſque nuntium menſe tantùm ſequenti Mediolani, ubi ea Lex data, acceptum; ideoque non *vere*, ut canit Claudianus citatus, ſed hieme Tyrannum cæſum, aut Legem laudatam ante mortem ejus emiſſam eſſe. Verùm Oroſius loco citato tradit, Gildonem, poſtquam victus eſt, fugam molitum eſſe, & adhuc aliquandiu vixiſſe: *Gildo & ipſe fugam molitus, arrepta navi, ut in altum provectus, ac deinde revocatus in Africam eſt, poſt aliquot dies ſtrangulatus interiit*: quod ſe ab iis qui interfuere, accepiſſe Oroſius ſcribit. Claudianus lib. 1. in Poëmatis Præfatione, Gildonem in Sicilia obtruncatum teſtatur:

Agnovitque novos abſens Arethuſa triumphos,
Gildonis ſenſit teſte cruore necem.

Eſt enim *Arethuſa* fluvius Siciliæ apud Syracuſas. Quæ cùm ſine notabili mora fieri non potuerint, apparet, Gildonem *vere* quidem occiſum, ut teſtatur Claudianus, ſed hieme ſuperatum fuiſſe, ac dein fugam arripuiſſe, ſed revocatum in Africam eſſe; indeque in Siciliam ductum, ac capite truncatum: ideoque S. Ambroſii viſio menſe Februario, aut Martio contigit, & poſt debellatum Gildonem omnes Leges laudatæ emiſſæ.

XII. *Cæleſtius librum ſcribit adverſus peccatum originale.* Baron. num. LXXXVIII.

Ad num. XIV. Concilium Carthaginenſe *quartum*, centum & quatuor canonibus conſtans, *Honorio Aug. IV, & Eutychiano Coſſ. VI Idus Novembris*, ideoque currenti anno, habitum eſſe, inter omnes convenit. Epiſcopi Africæ menſe Novembri facile convenire potuere; cùm hujus anni initio Gildo Africæ Tyrannus debellatus fuerit. Titulo primo habetur, in examine Epiſcopi ab eo exigendam Profeſſionem contrariam hæreſibus tunc vigentibus, & ab eo inter alia petendum, *Si in Baptiſmo omnia peccata, id eſt, tam illud originale contractum, quàm illa quæ voluntariè admiſſa ſunt, dimittantur*: quod contra hæreſim Pelagianam conſtitutum eſſe, nemo dubitare poteſt. Cùm autem *Pelagius* anno CCCCXI in Africam venerit, & nonniſi anno CCCCXII damnatus reperiatur; quî fieri potuit, ut hoc anno contra Pelagii hæreſim interrogati ſint Epiſcopi? Ad quod dubium reſpondet Schelſtratius in Diſſert. 3. citata de Eccleſia Africana, in confeſſo eſſe apud omnes, ante *Pelagium* ſcripſiſſe *Cæleſtium* ejus diſcipulum, & ante omnia hæreſis Pelagianæ capita librum conſcriptum fuiſſe contra peccatum originale, ideoque illum in Africam mitti potuiſſe, antequam Auctores illuc pervenirent. Unde liber *Cæleſtii* non anno circiter CCCCII, ut putat Garnerius in Notis ad Marium Mercatorem Diſſert. 1. *De primis Auctoribus hæreſis Pelagianæ*, ſcriptus fuit; ſed hoc anno, ut fidem facit hujus Synodi Carthaginienſis quartæ capitulum primum laudatum.

XIII. *Lex Arcadii.* Baron. num. LXXIV.

Ad num. XV. Lex 32. Codicis Theodoſiani *De Epiſcopis*. data eſt ab Arcadio, non verò ab Honorio; quod perperam ſcribit Baronius, ut rectè notavit Gothofredus in illius Legis Commentario. Hujus Legis hic titulus eſt: *Iidem A A. Cæſario P F. P.* id eſt, iidem Auguſti, ſcilicet Arcadius & Honorius, Propræfecto. Nam notæ hæ P. F. vel PF. P. non interpretandæ ſunt *Præfecto Prætorio*, verùm *Propræfecto*, id eſt, Vicario. Hinc Ammianus lib. 23. ubi de Alypio, & lib. 27. ubi de Civili agit, ait, Propræfectos Diœceſes regere, curare; & in veteri Inſcriptione: SYMMACHUS PROPRÆFECTIS PRÆTORIO IN URBE ROMA FINITIMISQUE PROVINCIIS. Qua de re plura Gothofredus in Commentario Legis 15. Codicis Theod. *De Paganis*. Certè Cæſarius hoc anno Præfectus Prætorio eſſe non potuit, neque Italiæ, neque Galliarum, neque Orien-

tis, neque Illyrici, ut ex Chronologia Codicis Theod. liquet. Cúmque ex Proſopographia ejuſdem Codicis conſtet, cum varias dignitates ſub Theodoſio Magno geſſiſſe, non dubium, quin Proprætectus in Oriente fuerit. Eà Arcadius Clericos e Monachorum numero ordinari voluit, quod ante & poſt hanc Legem Patribus viſum, ideoque & multi è monaſtica vita in Clerum tranſlati. Legendus Gothofredus citatus.

XIV. *S. Chryſoſtomus fit Epiſcopus Cp.* Barop. num. XXXVII.

Ad num. XVII. Neque Marcellinus in Chronico, neque Sozomenus, neque Socrates diem ordinationis Sancti *Chryſoſtomi* Epiſcopi Conſtantinopolitani expreſſere. Unus Gregorius Alexandrinus Epiſcopus in Vita S. Chryſoſtomi num. XX tradit, Chryſoſtomum die *XXVI* Februarii fuiſſe ordinatum. Sed, cùm dies illa hoc anno cum feria ſexta concurrat, videtur Gregorius diem enthroniſmi pro die ordinationis nobis obtrudere. Socrates enim lib. 6. cap. 2. ait: *Ordinatus Joannes in Epiſcopali Sede conſtituitur IV Kalendas Martii.* Quare, cùm Epiſcoporum ordinationes diebus Dominicis per hæc tempora peragerentur, videtur Chryſoſtomus eo die non ordinatus, ſed in Sede Epiſcopali conſtitutus.

XV. *Turbæ Eccleſiæ Antiochenæ cõpoſitæ.* Baron. num. XXXX.

Ad num. XVIII. Theodoretus lib. 5. cap. 23. loquens de Legatione *Acacii* à Flaviano Romam miſſi, ut tandem dirimeretur diſcordia, quæ in Eccleſia Antiochena vigebat, ait: *Hic* (nempe Acacius) *unà cum reliquis Romam veniens, diuturnam ſimultatem, quæ ſeptemdecim annos duravit, ſedavit, pacemque inter Eccleſias compoſuit.* Baronius diſcordiam illam repetit à Principatu Juliani Apoſtatæ ob electionem Paulini Epiſcopi Antiocheni: à quo tempore ad præſentem annum, cùm plures quàm ſeptemdecim annos fluxiſſe videret, exiſtimavit eam *Acacii* Legationem ante currentem annum obitam. Verùm, ut Valeſius in Notis ad Theodoretum obſervat, accurata eſt hæc enumeratio: cœperat enim ea diſcordia anno trecenteſimo octogeſimo primo, à Flaviani ordinatione, ut legitur in Epitome eodem anno num. VII; cùm antea per pactionem illam, quæ in Concilio Antiocheno Paulinum inter ac Meletium facta fuerat, ſedata eſſe videretur. Sed eo anno, cùm *Meletio* demortuo *Flavianus* in Antiochenam Sedem ſucceſſiſſet, ea rurſus ſuſcitata eſt.

XVI. *Tumultus in Provinciis Imperii excitantur.*

Tribigildus, qui militibus in Phrygia præerat, inſtigante *Gaina*, verno tempore magnos motus in Phrygia excitare cœpit, ut obſervat Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani. Nam Claudianus lib. 2. in Eutropium num. CX, ait:

Mitior alternum Zephyri jam bruma teporem
Senſerat, & primi laxabant germina flores:
Jamque iter, in gremio pacis, ſolenne parabant
Ad muros, Ancyra, tuos, auctore repertum
Eutropio, Pelagi ne tædia longa ſubirent.

Tum inducit Martem Urbes & Provincias contra Eutropium incitantem, præſertimque Phrygiam, ubi primùm Tribigildus tumultuatus eſt. Nam ſub numero CXLV ita loquentem Martem inducit:

— Oſtrogothis colitur, mixtiſque Gruthungis
Phryx ager. Hos parvæ poterunt impellere cauſæ
In ſcelus: ad mores facilis natura reverti
Sic ea: in noſtro quando jam milite robur
Torpuit, & molli didicit parere magiſtro.

Ac denique numero CCXXXV oſtendit Claudianus, ut *Tribigildo* duce pars Phrygiæ deficere cœperit; tum Lydiæ, Piſidiaque. Zoſimus lib. 5. ubi hanc hiſtoriam accuratè narrat, de *Gaina*, ait: *Non enim tantopere contemtus urebat hominem, quantùm Eutropius ad ſummum jam potentiæ faſtigium elatus: adeo quidem, ut etiam inter Conſules deſignaretur*, anno nempe præſenti; cùm ſequenti Faſtis nomen dederit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5892. ☉ 16 B. ☽ 1. P. 10. APRIL.
INDICT. 12.
JESU CHRISTI 399.
ANASTASII PAPÆ 2.
ARCADII 17. ET 5. HONORII 7. ET 5.

I. *Conſules.* *Quinquennalia Arcadii.*

COss. *Manlius Theodorus* Occident. & *Eutropius* Orient. cujus nomen è Faſtis eraſum, ut oſtendit Baronius. Quinquennalia Arcadii poſt mortem patris imperantis in hunc annum incidunt, quorum indicium novitas à Sozomeno lib. 8. cap. 7. de Eutropio loquente obſervata: *Hic cùm præpoſitus eſſet Imperatoris cubiculariis, primus ac ſolus ex omnibus, quos aut vidimus aut auditione accepimus, Conſulis ac Patricii honorem adeptus eſt.* Superſunt & varia alia in Legibus Codicis Theodoſiani eorum ſolennium veſtigia.

II. *Eutropii caſus.* Baron. num. IV & ſeqq.

Ad num. I & ſeqq. Eutropius *die XVI Kalend. Febr.* omnibus dignitatibus exutus fuit, & in Cyprum inſulam relegatus, ut ex Lege Codicis Theod. 17. *De pœnis.* ea die data, conſtat. Non multò pòſt inde abductus, capite mulctatus eſt, ut teſtes ſunt Philoſtorgius lib. 11. cap. 6. Zoſimus lib. 5. aliique. Verum eſt, Baronium in Annalibus num. XXIV exiſtimare, prope Paſchale tempus *Eutropii* confugium ad Eccleſiam contigiſſe, & errorem irrepſiſſe in ſubſcriptionem præfatæ Legis *De pœnis.* qua in re conſentientem habet Gothofredum in ejus Commentario, quòd Divus Chryſoſtomus in fine Orationis de Eutropio, agat de indulgentiæ & veniæ tempore, procul dubio, inquit Gothofredus, ante Paſchalem Quadrageſimæ indulgentiam indicans. Verùm neque in Paſchate, quod credidit Baronius, habita ea Oratio, neque memoratæ Legis ſubſcriptio mendoſa. Chryſoſtomus enim ait: *Nunquid non clarior nobis & celebrior hodie conventus eſt? Nihil minus eſſe video in multitudine, quàm ſi Sanctus Paſcha dies ageretur. Quis iſtas huc hodie innumeras multitudines congregavit?* Non itaque in Paſchate ea Oratio dicta, ſed quando *Eutropius* in exilium miſſus eſt; qua occaſione Chryſoſtomus coram magno populi conventu peroravit. Nec urget quod habet Gothofredus ex Claudiano lib. 2. in Eutropium:

Mitior alternum Zephyri jam bruma tepo-
rem
Senſerat, &c. anno præcedenti num. XVI recitata.

Hi enim verſus non reſpiciunt caſum *Eutropii*, qui verno tempore contigerit, ſed motus in Phrygia à *Tribigildo* excitatos, ut ibidem oſtendimus. Quod ex eo manifeſte liquet, quòd proximè Claudianus tumultus illos fusè deſcribat, nec de *Eutropii* exilio, aut morte ſermonem habeat.

III. *Majuma ſublata.* Baron. num. XXXVIII.

Ad num. V. Varia habet de *Majuma* Gothofredus in Commentario Legis 2. Codicis Theod. *De Majuma*, obſervatque, Majumæ mentionem non occurrere, niſi ab eo tempore, quo Chriſtiani Imperatores extitere, tantumque ejus retinendæ populi ſtudium fuiſſe, contrà verò tam juſtas ejus coërcendæ, mox & prohibendæ, iiſdem Imperatoribus cauſas viſas eſſe, ut à Conſtantino Magno, quo imperante *Majumam* celebratam veroſimile, ad Arcadium, octies hac parte variatum fuerit, eâ modò permiſsâ, modò vetitâ. In *Syria* agitata hæc feſtivitas, ac nominatim in locis, quæ aquis luxuriabant; cujuſmodi ſanè fuit *Daphne* prope Antiochiam Syriæ caput. Hoc ludicrum *Libanius* tribus Orationibus deſcribit, & proſcribit; licèt *Majumæ* nomine nullibi id deſignet. Penetravit & ad alias quoque urbes Majuma, quamvis majori licentia in Syria. Nam Theophanes & ex eo Miſcella lib. 23. de Leone ſecundo Conſtantini filio loquens, ait: *Imperator factâ Majumâ in Sophianis, ſedit in ſolio cum filio ſuo.* Tandem huc pertinere videtur quod Chryſoſtomus Antiochiæ tum degens (ut ipſemet disertè profitetur) Homiliâ 7. in Matthæum memorat, & tanquam diabolicum damnat de Euripo & κολυμβήθρα, in Theatro, ubi cum ingenti voluptate de loco ſuperiori meretrices ſpectabantur natantes, & in mediis aquis nudæ natatû ludentes. Quare rectè Baronius cenſet, *Majumam* dictam à civitate maritima Majuma in littore Syriæ Palæſtinæ primæ, ubi erat navale urbis Gazæ. Qua de re plura Gothofredus citatus.

IV. *Concilii Alexandrini & Cyprii epocha.* Baron. num. XXXIX & ſeqq.

Ad num. VI & ſeqq. Cùm Hieronymus epiſtolam 78. ad Pammachium & Marcellam initio anni quadringenteſimi ſecundi ſcripſerit, ut eo anno demonſtrabitur, & in ea aſſerat, anno præterito damnatos fuiſſe *Origeniſtas*, liquet, Concilium Alexandrinum, & Concilium Cyprium non ad præſentem annum, ſed ad annum CCCCI pertinere. Hinc Proſper in Chronico Imperiali anno VII Honorii Imp. ait: *Contentio ex doctrina Origenis Synodum apud Alexandriam movit, cujus extitit ſententia, ut extra Eccleſiam fieret quicumque ſupradicti viri Opera probaviſſet.* Ordo præpoſterus epiſtolarum Paſchalium Theophili Epiſcopi Alexandrini in Operibus Divi Hieronymi contentarum Baronio aliiſque Viris doctiſſimis errandi occaſio fuit. Prima enim Paſchalis epiſtola, quâ libri Origenis damnati, quæque anno quadringenteſimo primo, die Epiphaniorum de more promulgata, ibidem exhibetur poſt illam, quæ anno tantùm quadringenteſimo ſecundo publicata, perperamque inſcribitur *ſecunda*: ſicut è contra ſecunda ibidem inſcribitur *prima*. Qua de re plura inferiùs.

V. *Initium diſſidiorum inter Hieronymum & Rufinum.*

Hoc anno Hieronymus epiſtolam ad *Pammachium & Oceanum*, quæ ordine eſt 65. ſcripſit, in qua datas ſibi à Rufino laudes deſpexit; brevem etiam ad eundem *Rufinum* epiſtolam miſit, quâ datas ſibi laudes contumeliarum loco ſe habere teſtatus eſt. Ubi Pammachio literæ redditæ ſunt, earum exemplar *Apronianus*, qui in Rufini rem diligentiſſimè incumbebat, Aquileiam ad Magiſtrum tranſmiſit. Hic verò totus in rabiem actus duos è veſtigio libros Invectivarum ſcriptitavit, quibus non modò datam ad Pammachium epiſtolam confutavit; ſed Commentaria etiam Hieronymi in ſacras Scripturas aculeatis cenſuris perſtrinxit. Hos libros *Aproniano* nuncupavit, quos is poſtea ac collegæ amicis per univerſam Italiam legendos exhibuere. Porro epiſtolam 66. ad Rufinum, itemque Invectivarum libros hoc anno exaratos, Hieronymi teſtimonio comprobatur, qui in Apologia ſecunda, quam initio anni CCCCII ſcripſit, eam epiſtolam fatetur ante *hoc circiter triennium* miſſam ab ſe fuiſſe; de libris verò Invectivarum ibidem hæc habet: *Libri enim tui, quos limaſti per triennium, diſertiores ſunt.* Quare eiſdem componendis hoc anno Rufinus manum admovit: quos demum veluti poſtremâ limâ expolitos anno CCCCI, ipſemet velut de victoria ſecurus ad Hieronymum jactabundus tranſmiſit. Baronius cum illo triennio computandum eſſe contendit annum trecenteſimum nonageſimum ſeptimum, quo, inquit, Rufinus in Urbe commorabatur. At non ita eſt, ut Noriſius lib. 1. Hiſt. Pelagianæ cap. 2. obſervavit. Hæc enim ſcribit initio ſtatim libri primi Rufinus: *Perlegi ſcripta tua, Aproniane chariſſime, quæ ab amico & fratre bono* (Hieronymum ſuggillat) *de Oriente ad virum nobiliſſimum Pammachium miſſa tranſmiſiſti ad me.* Quare Rufinus jam Aquileiæ erat, Romamque deſeruerat, cùm Hieronymi epiſtolam, quam duobus poſtea libris confutare conatus eſt, Româ accepit. Ex his manifeſtum redditur, ut id obiter dicam, *Rufinum & Melaniam* poſt annum CCCXCVI ex Oriente Romam reverſos eſſe. Si enim eo anno, ut vult Noriſius, illuc rediiſſent, *Rufinus* per triennium integrum *Aquileiæ* commoratus fuiſſet, antequam Hieronymus primam adverſus illum Apologiam exararet; & tamen in ſecundo libro ejuſdem Apologiæ, anno quadringenteſimo ſcriptæ, Hieronymus dicit, eo tempore *Rufinum* jam biennio *Aquileiæ* ſediſſe. Unde liquet, anno currenti Rufinum Romam reliquiſſe, annoque trecenteſimo nonageſimo ſeptimo exeunte, aut inſequentis initio ad eandem Urbem adventaſſe.

VI. *Ethniciſmus in Africa declinat.* Baron. num. LIV & ſeqq.

Ad num. X. Sola ſimulacra evertenda ſtatuerat *Honorius* Imp. ſed ejus mandata *Gaudentius & Jovius* Comites ampliarunt, & Auguſtino lib. 18. de Civitate cap. 54. teſte, *XIV Kalendas* Apriles falſorum Deorum Templa everterunt, & ſimulacra fregerunt. *Aurelius* Carthaginenſis Epiſcopus hoc anno aliter ſe geſſit reſpectu famoſi Templi Deæ, Cæleſti dictæ, ſacri: de quo teſtis oculatus Auctor anonymus *De Promiſſionibus*, qui perperam creditur Proſper Aquitanus, lib. 8.

cap.

cap. 38. ait: *Cùm Sanctæ Pyſchæ ſolennis ageretur feſtivitas, collecta illic & undique omni curioſitate etiam adveniens multitudo Sacerdotum multorum, Pater & dignæ memoriæ nominandus Antiſtes Aurelius, cæleſtis jam patriæ civis, cathedram illic loco Cæleſtis & habuit, & ſedit. Ipſe tunc aderam cum ſociis & amicis, atque (ut ſe adoleſcentium ætas impatiens circumquaque vertebat) dum curioſi ſingula quæque pro magnitudine inſpicimus, mirum quoddam & incredibile noſtro ſe injecit aſpectui, titulus æneis grandioribuſque literis in frontiſpicio Templi conſcriptus: Aurelius Pontifex dedicavit.*

VII. *Templum Cæleſtis Deæ everſum.* Hæc porro inſcriptio inciſa baſi, ſuper quam Cæleſtis Deæ ſimulacrum collocatum erat:

INVICTÆ
CÆLESTI
AUR. ONESI
MUS. D. D.

Explicat eam Schelſtratius in Diſſert. 1. de Eccleſia Africana cap. 1. oſtenditque, ultima verba intelligenda non eſſe de *Aurelio* Carthaginienſi Epiſcopo, qui *Cæleſtis Deæ* Templum eo ipſo tempore vero Deo dedicavit: ſed de *Aurelio Gentili* Carthaginienſium Pontifice, cui præfata epigraphe dicata. Nam, cùm Templum hoc ſub Aurelio Gentili Pontifice, ſimulacro Cæleſtis Deæ dedicatum fuerit, & poſtea ſub altero Aurelio Catholico Epiſcopo, Numini Divino conſecrari contigerit, illud non immeritò, tanquam Divinæ Providentiæ opus, Scriptor anony.mus mirabatur. *Hunc titulum*, ſubjun c idem Anonymus, *legentes populi mirabantur: præſago tunc Spiritu acta, quæ præſcius Dei ordo certo iſto fine concluſerat.* Quæ germana hujus loci videtur explicatio. Sozomenus lib. 7. cap. 11. refert, dum *Serapidis* Templum, Theodoſio imperante, Alexandriæ everteretur, literas quaſdam hieroglyphicas ſigno Crucis ſimiles inciſas apparuiſſe; quas, cùm viri earum rerum periti interpretarentur; vitam æternam ſignificare dixerunt: *Quas literas*, inquit Socrates lib. 5. cap. 17. *cùm cernerent G..tiles & Chriſtiani, ſuæ quiſque Religioni eas adaptabat, ſiquidem Crucis effigies aliud apud Chriſtianos, aliud apud Gentiles ſignificat.* Chriſtiani ſignum eſſe dicebant ſalutaris Chriſti Paſſionis, propriam Religionis ſuæ notam, Crucem ſcilicet eſſe cenſebant: Gentiles verò commune quiddam Chriſto & Serapidi eſſe affirmabant. Quod itaque tunc Alexandriæ, nunc Carthagine evenit, quod *præſcius Dei ordo certo iſto fine concluſerat*, ut inquit Anonymus. Hoc porro anno Arcadii Quinquennalium occaſione in Oriente & in Occidente Religioni conſultum, illic enim *Majuma* ſublata, & hîc ſimulacra everſa, & utrobique multa alia præſtita, ut liquet ex Legibus Codicis Theodoſiani, quæ horum ſolennium veſtigia quædam exhibent.

VIII. *Chriſtiani bis in Africa à Paganis vexati.* Ad num. XI. Recitat hoc anno Baronius ex Divo Auguſtino res duas, quæ eodem anno non contigere. Hoc enim circiter anno in colonia Suffectana, cùm Herculis ſimulacrum deturbatum fuiſſet, Gentiles armis Chriſtianos aggreſſi, ex iis trucidarunt ſexaginta, quorum mentio in Martyrologio Romano die XXX Auguſti. Qua de re Auguſtinus ad Seniores coloniæ Suffectanæ ſcripſit epiſtolam 267. quæ modò eſt 50. Tum anno quadringenteſimo octavo Calamæ Gentiles in opprobrium Legum adverſus Deos ſuos promulgatarum, in Chriſtianos pariter inſurrexere, & ædificiis Eccleſiaſticis ignem injecere, ut liquet ex epiſtola Auguſtini 202. ad *Nectarium*, quæ novo ordine eſt 91. in qua Auguſtinus num. VIII, ait: *Contra recentiſſimas Leges Kalendis Juniis, feſto Paganorum ſacrilega ſolennitas agitata eſt.* Quæ verba ſpectare ad Legem Codicis Theod. 19. *De Paganis.* datam VIII Kalend. Decemb. Romæ anno CCCC VIII, & propoſitam *Carthagine Nonis Juniis* anni quadringenteſimi noni oſtendit Auguſtinus, qui ipſiſſima hujus Legis verba huc transferenda curavit, conquerens, *ſolennitatem contra Leges agitatam fuiſſe.* Præterquam quòd Legibus hoc anno contra Paganos promulgatis, ad quas hoc factum refert Baronius, ſacrificia Idolis fieri prohibentur, non ſolennia feſta celebrari. Ad hæc, epiſtola Sancti Paulini ad Auguſtinum, quæ aliàs erat inter Auguſtinianas 249. nunc verò 94. in qua proſequitur laudes Melaniæ ſenioris & Publicolæ nuper defuncti: & epiſtola 95. quæ aliàs erat 250. quâ Auguſtinus Paulino reſpondet, ſcriptæ non ſunt ante annum quadringenteſimum decimum; cùm Paulinus aſſerat, Melaniam ab Auguſtino viſam fuiſſe proximè ante tempus negotii Calamenſis, & Auguſtinus in ſuo reſponſo num. 1. dicat: *Proinde ad iſtam lætitiam, quâ vobiſcum eſt frater Poſſidius, cùm ex ipſo audieritis, quàm triſtis eum cauſa compulerit, hoc me veriſſimè dicere cognoſcetis.* Paulinus in ſua epiſtola Melaniæ ſenioris & unici ejus filii nuper defuncti laudes proſequitur, eamque cum Auguſtino in Africa poſt Urbem ab Alarico captam collocutam eſſe teſtatur. Certum eſt autem, Melaniam ſeniorem cum familia ante finem anni quadringenteſimi noni, aut initium inſequentis, è Sicilia in Africam non tranſiiſſe. Quarè neutra epiſtola ante annum CCCC X ſcripta. Imò ex utraque deducitur, facinus Calamenſe circa Kalendas Junias illius anni accidiſſe. Epiſtola enim Paulini, ut ex ejus lectione liquet, poſt menſem Maium data, & exeunte eodem anno Auguſtinus Paulini epiſtolæ reſpondens, loquitur de cauſa, quæ Poſſidium in Italiam navigare compulerit; quod nempe in Carthaginienſi Concilio die XIV Junii anni CCCC X habito Legatus cum aliis tribus Epiſcopis ad Imperatorem contra Donatiſtas miſſus ſit. Non videtur itaque alia Legatio comminiſcenda, oūām propter ſolum facinus Calamenſe Poſſidius Calamæ Epiſcopus obierit.

Baron. num. LXXII & ſeqq.

IX. *Judæorum privilegium reſciſſum.* Ad num. XII. Data hoc anno, *tertio Idus Aprilis*, ab Honorio Imperatore Lex 14. Codicis Theod. *De Judæis.* quâ *Apoſtolatum*, ut vocabant, ad Judæorum Patriarcham ex Occidente mitti vetuit Honorius. Quod ut intelligatur, obſervandum cum Gothofredo in hujus Legis Commentario, ſtante olim Hieroſolyma à Judæis quotannis, ſtato tempore, ex omnibus Provinciis per quas ſparſi erant, ad eam Urbem Templumque, aurum Baron. num. LXXIX.

Seculum IV.

δίδραχμον juxta Legem, cujus etiam in Evangelio mentio extat, miſſum & deportatum, quod Templo ſeu ærario publico inſerretur. Hinc Joſephus lib. 16. Antiquit. cap. 10. recitat literas Auguſti, Agrippæ, Norbani, item Flacci, Julii Antonii ad Cyrenenſes, Epheſios, Sardos atque ad alios miſſas, in quibus ſcriptum erat, ut Judæi, qui ibi habitabant, dona pecuniaſque in uſum Templi & ſacrorum mittere Hieroſolymam prohiberentur. Sed poſt excidium Templi Hieroſolymitani in vicem ſuperioris collationis aurique, Patriarcha Judæorum ex omnibus Orbis Romani Provinciis tributum quoddam à ſuperiore diverſum, annuum, ſeu penſionem coronarii auri nomine à ſingulis Synagogis accepit mox & exegit; & quidem etiam ſub Chriſtianis Imperatoribus, diviſo quamlibèt etiam Imperio in Orientale & Occidentale; quod docent Epiphanius hæreſi Ebionitarum 30. & Julianus Imp. epiſt. 25. Quare, cùm Patriarcha qui in Oriente præſidebat, hoc *Apoſtolatûs* ſeu auri coronarii tributum ab Occidentalibus quoque Judæis exigeret, indignum Honorio viſum, cùm Occidentis Imperium nulla in re Orientali ſubeſſet, Patriarchæ Orientali licere jus quoddam ſupremæ poteſtatis in hoc exercere, & aurum illud coronarium, ſeu tributum, à partibus Occidentalibus exigere. Poſt quinquennium tamen, anno nempe quadringenteſimo quarto, Decennalibus ejus Imperii poſt patris mortem adminiſtrati inſignito, dum Romæ eſſet Honorius, conſuetudine, ſecundùm veterum Principum ſtatuta, reductâ, Judæis Occidentalis Orbis ſui mittendi hujus auri coronarii copiam fecit, ut liquet ex Lege 17. Codicis Theodoſiani *De Judæis*. Romæ *VIII Kalend. Aug.* ab Honorio data. Gothofredus in Commentario conſulendus.

X. Ad num. XIII. Honorius Imp. dedit
Lex Honorii adverſus Legem 34. Codicis Theod. *De Epiſcopis.* & quidem *VII Kalend. Jul. Brixiæ*, in qua
Donatiſtas. privilegia, id eſt, immunitates Eccleſiarum & Clericorum confirmat, & quidem ſub
Baron. num. pœna quinque librarum auri jam antea con-
LXXXII. ſtituta. Baronius exiſtimat, emanaſſe hanc Conſtitutionem ad Legationem Concilii Carthaginienſis hoc anno *V Kalend. Maii* habiti, ad Honorium Imperatorem, *ut pro confugientibus ad Eccleſiam, quocumque reatu involutis, Legem promulgaret, ne quis eos auderet abſtrahere*, ſicuti refertur in Codice canonum Eccleſiæ Africanæ canone 56. quia nempe *Maſcezel* Gildonis frater anno ſuperiori Eccleſiam ſacrilegus temeraſſet, extractis ſeu protractis ex ea ad pœnam quibuſdam, teſte Oroſio lib. 7. cap. 37. Verùm, ut obſervat Gothofredus in Commentario hujus Legis, poſtulatio illa Patrum Carthaginienſium nihil cum hac Lege commune habet. Primùm enim, *Privilegiorum* hîc appellatio, pariter ut in quibuſdam aliis Legibus *De Hæreticis*. propriè pertinet ad immunitatem Eccleſiarum & Clericorum à muneribus extraordinariis & ſordidis; non autem ad aſyli Eccleſiaſtici rationem. Quod nequidem *privilegii* ſatis appellatione rectè hîc veniat: neque enim aſyla Eccleſiarum, ullum Eccleſiarum vel Clericorum commodum continent, verùm ad miſerorum ſecuritatem inducta ſunt. Secundò, privilegia, de quibus hîc agitur, *Eccleſiis & Clericis communia* fuiſſe hæc Lex oſtendit. Tertiò, ab Hæreticis & ſimilibus hæc privilegia *violata* oſtendit; quod cum *Maſcezilis* facto commune nihil habet. Contrà ex Lege 1. & 2. *De Hæreticis.* liquet, quònam illud pertineat, nempe ad *Donatiſtas* & Hæreticos: quibus cùm eadem, quæ Eccleſiis Catholicis, privilegia, ſeu immunitates non competerent, Catholicorum privilegia impetere & violare viſum. Quartò, factum *Maſcezilis* propriæ auctoritatis fuit: etenim hac Lege innuitur, illos, de quibus hac Lege agitur, per obreptionem contra Leges & Privilegia Eccleſiarum aliquid à Principe *impetraſſe*; quod nunc damnari Honorius jubet. Denique, neque temporum ratio ſatis conſtare poſſe videtur: poſtulatio enim illa Patrum Africanorum, ſeu decretum de Legatis in id mittendis ad Honorium Imp. datum eſt *V Kalend. Maias*: Lex verò illa *VII Kalend. Jul.* duobus non integris menſibus pòſt: quibus certè Legati illi Carthagine miſſi Brixiam ad Honorium vix pervenire potuere. Quare Lege 34. *De Hæreticis.* occurritur Donatiſtarum & ſimilium obreptioni, pariter ut Leg. 1. & 2. *De Hæreticis.*

Hoc anno *Syneſius* egregiam de *Regno* O- XI.
rationem recitavit: nam pag. 22. & 24. ad *Oratio de*
Tribigildi motus, qui anno præcedenti in- *Regno à Sy-*
choati, reſpexit, cùm pericula ex barbaro m- *neſio dicta.*
lite memorans, inquit: *Hujus rei aliquot jam præludia ac velitationes fieri, nonnullaſque Imperii partes haud aliter atque corpus inflammari; cum quo aliena in ejuſdem ſanè temperamenti concordiam coaleſcere nequeunt.* Et rurſus: *Ampliſſimos & validos exercitus cum Scythis ſervis neceſſitudine conjunctis tum fuiſſe, qui in Rempublicam Romanam infelici ſortè influxerunt; ſeditionis auctores, (ἄνω) duceſque eos habere, qui ſumma & apud ipſos & apud Romanos ſint auctoritate.* Quare, cùm Syneſius epiſt. 41. ſcribat, ſe Conſtantinopoli diſceſſiſſe *Aureliano Conſule*, anno ſcilicet CCCC, & libro *de Inſomniis*, ac *Hymno* 3. teſtetur, Legationem ſuam triennalem fuiſſe, liquet, cum anno præcedenti, quo *Tribigildus* tumultuari cœpit, ut ibidem diximus, vix ſe dediſſe, currenti anno Orationem illam habuiſſe, ac ſequenti Conſtantinopoli diſceſſiſſe. In ea Oratione *Cyrenes* patriæ ſuæ ſemirutæ aliquid opis ab Imperatore petiit, occaſione ſcilicet Quinquennalium hoc anno exhibitorum. Annis enim hujuſmodi ſolenniis dicatis, urbes conſtructas, aut reædificatas, & ex urbibus ac Provinciis Legationes ad Principem de more miſſas, mille exemplis liquet; quæ licèt ſæpius inculcata, pro occaſione retractare non omittimus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 5893. ☉ 17 AG. ☽ 2. P. 1. APRIL. INDICT. 13.
JESU CHRISTI 400.
ANASTASII PAPÆ 3.
ARCADII 18. ET 6. HONORII 8. ET 6.

I. *Conſules.*

COSS. *Fl. Stilico*, & *Aurelianus*: ille Occidentalis, ubi ſummâ gratiâ apud Honorium pollebat: hic Orientalis, qui anno præcedenti Præfectus Prætorio Orientis fuit, & interfuit judicio de *Eutropio* habito, ut teſtatur Philoſtorgius lib. 11. cap. 6. Honorius Imperii poſt Theodoſii patris mortem initi Quinquennalia celebravit.

Quinquennalia Honorii.

II. *Martyrium Sanctorum Anaunenſium.*

Ad num. I. Sanctorum *Anaunenſium* martyrium contigit anno trecenteſimo nonageſimo ſeptimo. Vigilius enim, qui eorum Acta ſcripſit, ea apud Surium die XXIX Maii his verbis claudit: *Dies autem Paſſionis Sanctorum quarto Kalendas Junias, ſextâ feriâ, luce naſcente.* Qui concurſus feriæ ſextæ cum die Maii XXIX oſtendit literam Dominicalem D; ideoque annum CCCXCVII. Cùm verò Paulinus in fine Vitæ S. Ambroſii ſcribat: *Siſinnii etiam, Martyrii & Alexandri Martyrum, qui noſtris temporibus, hoc eſt, poſt obitum Sancti Ambroſii in Ananniæ partibus martyrii coronam adepti ſunt*, &c. liquet, verum eſſe quod ſuprà ſcripſimus, Divum Ambroſium Sabbato ſancto anni trecenteſimi nonageſimi ſeptimi demortuum, ac poſt duos ferè menſes ab ejus obitu Sanctos Martyres paſſos eſſe. Verùm quidem eſt, legi apud Monbritium, eos morti traditos *Stilicone Conſule*, adeoque currenti anno. Sed jam à Petro Franciſco Chiffletio in 2. parte Paulini illuſtrati cap. 21. animadverſum, illam notam Conſularem alicujus Recentioris additamentum eſſe; quæ, ſi quo ſenſu vera eſt, ad Sanctorum tranſlationem Mediolanum videtur referenda. Quæ Viri doctiſſimi conjectura optima; cùm hoc anno Honorius Quinquennalia exhibuerit, anniſque, quibus ea ſolennia edita, Sanctorum reliquiæ de more tranſlatæ fuerint. Vigilius Tridentinus Epiſcopus de hoc martyrio epiſtolam ſcripſit *Domino ſancto ac venerabili Patri Simpliciano*, Sancto ſcilicet Simpliciano Mediolanenſi Epiſcopo, Divi Ambroſii ſucceſſore; qui hoc anno *die III Iduum Septembrium* adhuc in vivis erat, ut liquet ex exemplari *definitivæ ſententiæ* adverſus quoſdam Epiſcopos, qui Priſcilliano adhæſerant, latæ in Concilio Toletano I hoc anno celebrato. Quare, cùm S. Simplicianus in Martyrologio Romano, ac in Breviario Ambroſiano die IV Maii colatur, obitus ejus anno ſequenti, die IV Maii contigiſſe videtur, ſicque quatuor annos ſediſſe. Ei Sanctus *Venerius* eodem anno ſucceſſit: ejus enim mentio in Synodo Carthaginienſi menſe Maio eo anno habita.

Baron. num. IV & ſeqq.

III. *Duo Vigilii, alter Tridentinus, alter Tapſenſis Epiſcopus.*

Ad num. II. Diſtinguendus prorſus *Vigilius Tridentinus* Epiſcopus, per hæc tempora martyrium paſſus, à *Vigilio Africano* Tapſenſi in Provincia Byzacena Epiſcopo, cujus Opera laudatus Chiffletius vendicavit & reſtituit. Monuit is, in Codice Jurenſi optimæ notæ & perveruſto libris Vigilii adverſus Eutychen hunc titulum præfigi: *Incipit liber Vigilii Epiſcopi Tapſenſis Eccleſiæ contra Eutycheten.* Quare, licèt Vigilii Tridentini Epiſcopi & Martyris nomine inſcripti libri quinque adverſus Eutychen aliquoties prodierint; Vigilio tamen Tapſenſi reſtituendi ſunt; eò magis, quò longè ante S. Leonis Papæ & Concilii Chalcedonenſis tempora, (quorum in iis libris frequens mentio) Vigilius Tridentinus martyrio coronatus fuerit; ideoque contra Eutycheten, qui nondum hæreſim ſuam ſparſerat, & qui forſan nondum natus erat, ſcribere non potuerit. Floruit verò Vigilius Africanus circa annum Chriſti CCCCL, ut videre eſt apud Labbeum in Diſſert. de Scriptoribus Eccleſiaſt.

Baron. num. XVI & ſeqq.

IV. *Concilium Toletanum primum.*

Ad num. III & IV. Concilium *Toletanum* primum celebratum eſt *Erâ CCCCXXXVIII Kalend. Septemb.* ut habent exemplaria Profeſſionum Fidei in Concilio Toletano contra ſectam Priſcilliani, ideoque hoc anno, ut rectè vidit Baronius. Quamobrem mirum eſt, Petavium, qui Chronicon Idacii poſt Baronii mortem à Sirmondo publicatum legerat, in lib. 13. de Doctrina Temporum, hoc Concilium conſignare anno Chriſti CCCCV; cùm Idacius de eo ſermonem habeat anno Abrahami 2416. qui anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo nono Kalendis Octobris ab eo hîc inchoatur. Si enim annum à Kalendis Septembribus, ut alibi facit, exordiretur, Concilium Toletanum I anno Chriſti præcedenti habitum ſcriberet contra fidem præfatorum Actorum. Perperam itaque à quibuſdam hoc Concilium alio, quàm currenti anno conſignatum. Idacium autem in Chronico annum auſpicari modò à Kalendis Septembris, modò à Kalendis Octobris, tomo ſequenti, Deo dante, monſtrabimus.

Baron. anno 405 num. XLIII.

V. *Origeniſtæ damnati.*

Ad num. V. *Origeniſtæ* anno tantùm ſequenti in Oriente & Occidente damnati: in Occidente quidem ab Anaſtaſio Papa in epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum data, de qua anno CCCCII, quo à Baronio recitatur, agam: in Oriente verò à Theophilo Alexandrino Epiſcopo, qui in epiſtolâ Paſchali, anno ſequenti poſt diem Epiphaniorum, ut moris erat, publicata, *Origenem* uti Hæreticum acerrimè inſectatus eſt. Hanc epiſtolam Hieronymus Latinam fecit, ſtatimque ad Pammachium & Marcellam Romam miſit, quò non modò eos in Oriente geſtorum contra Origenem certiores redderet; verùm etiam, ut eadem Anaſtaſio Papæ exhibita hunc ad Origenem damnandum provocaret. Harum literarum meminit Hieronymus in epiſtola 78. quam unà cum altera Paſchali anno quadringenteſimo ſecundo ad eundem Pammachium & Marcellam miſit. Decepit Baronium ordo epiſtolarum Paſchalium Theophili. Nam, ut obſervat Noriſius in lib. 1. Hiſt. Pelag. cap. 2. Baronius inverſo ordine eas in Codicibus Hieronymianis poſitas non animadvertens, & Cyclos eorum Paſchales non diſcutiens, putavit, primam epiſtolam, quæ incipit: *Solennitatis auguſta*, &c. reapſe eſſe earum, quæ extant, primam; ante quam, cùm in epiſtola 78. Hieronymus dicat, aliam ſe præterito anno miſiſſe, quar-

Baron. num. XXXII.

Baron. anni 399. n. 11.

tam epiſtolam, quæ deſideretur, excogitavit Baronius. Et tamen tres tantùm Theophili Paſchales literas Hieronymus interpretatus eſt. Prima ea eſt, cujus exordium: *Chriſtum Jeſum*, &c. in cujus fine indicitur futurum Paſcha *XIX menſis Pharmuti*, qui dies concurrit cum die XIV Aprilis, quâ anno ſequenti Paſcha contigit. Quam epiſtolam Baronius ibidem num. LII dicit promulgatam anno CCCC II, pro ſequenti anno CCCC III. Et tamen eæ epiſtolæ publicabantur peracto die Epiphaniorum, ut liquet ex Caſſiano Collat. 10. cap. 2. Secunda Theophili epiſtola ea eſt, quæ incipit: *Solennitatis auguſtæ*: in qua indicitur Paſcha celebrandum *die XI menſis Pharmuti*. Quæ cùm concurrat cum die ſexta Aprilis, quo anno quadringenteſimo ſecundo Paſchalia feſta peracta ſunt, liquet, eo tantùm anno eam promulgatam. In ea fit mentio *præteriti anni*, ſcilicet CCCC I; & Origeniſtæ, qui eo anno in ea damnantur, jugulantur etiam in epiſtola anno CCCC II ſcripta.

VI. *Gainæ interitus.*

Baron. num. XXXVIII & ſeqq.

Ad num. VI & ſeqq. Marcellinus in Chronico ſub hujus anni Conſulibus ait, *Gainam* occiſum *menſe Februario*; ſub Conſulibus verò anni inſequentis addit, ejus caput haſtili præfixum Conſtantinopolim allatum eſſe: quod eo etiam anno confirmat Auctor Chronici Alexandrini, dicens, illud tranſmiſſum eſſe *menſe Audynæo III Nonas Januarias*. Verùm Marcellinum errare in menſe; & loco *menſe Februario*, legendum eſſe *menſe Decembri*, mihi perſuaſiſſimum. Nam cùm *Gaina* in Thracia occiſus fuerit, ut Socrates lib. 6. cap. 6. aliique docent, ideoque non longè ab urbe Conſtantinopolitana: cur tantùm anni ſequentis initio caput ejus in eam Urbem perlatum fuiſſet; cùm nulla potuerit eſſe cauſa publicæ lætitiæ tamdiu differendæ? Secundò, Zoſimus lib. 5. dicit, Aurelianum *ejus anni Conſulatum* geſſiſſe, quando hunc & Saturninum virum Conſularem obſides ſibi dari poſtulavit Gaina. Facta itaque præſenti anno, quo Aurelianus Conſul Orientalis fuit, ea obſidum petitio. Sed quomodo intra menſes Januarium & Februarium quæcumque à Zoſimo, Socrate & Sozomeno narrantur geſta, fieri potuere? Profectò longè majus ſpatium ad ea patranda neceſſarium. Tertiò, Auctor Chronici Alexandtini ſub hujus anni Conſulibus bellum uſque ad finem anni continuatum fuiſſe indicat; ait enim: *Eodem anno cæſi ſunt Gothi multi in Lamomacellio. Conflagravit quoque Gothorum Eccleſia cum magno numero Chriſtianorum menſe Panemo IV Idus Julias. Hauſti item fluctibus in mari anguſto, quod Stenon in Cheroneſo appellatur, Gothi menſe Apellæo X Kalendas Januarias.* Sed numerus ultimus ibi corruptus. Prælium intra Urbem adverſus barbaros geſtum, hoſque Eccleſiam, quæ dicebatur Gothorum, conſumſiſſe, teſtantur Socrates lib. 6. cap. 6. Sozomenus lib. 8. cap. 4. & Zoſimus pag. 796. qui aſſerit, tunc *Gainam* fuiſſe in ſuburbano quodam quadraginta ſtadiis ab urbe remoto. Die itaque Julii undecima *Gaina* adhuc vivebat. Poſt hæc ad Cheroneſum venit, quæ pars Thraciæ eſt ad Helleſpontum, quem, cùm trajicere parat, ingens Barbarorum multitudo in trajectu interiit: *Gainas, magna copiarum amiſſa parte, cum reliquis ad Iſtrum curſu properat; & quia vaſtatam ſuperioribus irruptionibus Thraciam reperiſſet, quidquid obviàm eſſet, diripit*, inquit Zoſimus; qui addit, Gainam cum ſuis trajeciſſe Iſtrum, & cum Ulde Hunnorum Principe *manus non ſemel, ſed multoties* conſeruiſſe exercitus, tandemque Gainam interfectum. Quare, cùm Iſter ſeu Danubius à Cheroneſo non parùm diſtet, naufragium illud ante diem vigeſimum tertium Decembris contigit. Alioquin anno ſequenti die tertio Januarii Gainæ caput Conſtantinopolim perlatum non fuiſſet, cùm inter naufragium illud & Gainæ interitum aliquot menſes interjectos fuiſſe, rerum geſtarum ſeries inſinuet.

VII. *Quo anno Monachi Origeniſtæ Conſtantinopolim venerint.*

Baron. num. LXI & LXVII.

Ad num. IX uſque ad num. XIII. Theophilus Alexandrinus Monachos Origeniſtas ex Nitriæ Ægypti Monaſteriis expulit anno ſequenti, quo diximus *Origeniſtas* damnatos; cùm, nonniſi poſtquam damnati ſunt, è ſuis Monaſteriis expelli potuerint. Conſtantinopolim autem profecti ſunt, poſtquam eòdem Legatos à Theophilo miſſos accepere. Falsò id à Palladio & Sozomeno confictum dicit Baronius, nec quemquam illuc ante legaſſe Theophilum contendit, quàm eòdem abiiſſe *Origeniſtas* intellexit. Falſum quoque eſſe vult, inter Origeniſtas fuiſſe *Iſidorum*; id licèt præter Sozomenum Socrates aſſeveret. Nititur Baronius Theophili ad Epiphanium epiſtolâ, quæ eſt inter Hieronymianas 67. *Didici enim*, inquit Theophilus, *quòd calumniatores veræ Fidei, Ammonius, Euſebius & Euthymius, novo pro hæreſi furore bacchantes, Conſtantinopolim navigarint: ut & novos, ſi quos voluerint, decipiant, & veteribus ſuæ impietatis ſociis conjungantur.* Ubi nulla Iſidori mentio. Verùm neque Dioſcori, neque aliorum quinquaginta, quos illuc perrexiſſe tradit Palladius, meminit Theophilus, qui nomina ſingulorum percenſere non inſtituerat. Ait deinde Theophilus: *Et, ut celeriùs noſtra Conſtantinopolim Scripta perveniant, mitte induſtrium virum, & aliquem de Clericis, ſicut & nos de ipſis Nitriæ Monaſteriis Patres Monachorum, cum aliis Sanctis & continentiſſimis Viris miſimus, qui poſſint cunctos in præſentia docere quæ geſta ſunt.* Ex quibus effici putat Baronius, ab Epiphanio; non autem à Theophilo, tunc Legatum fuiſſe miſſum Conſtantinopolim; Theophilum autem quoſdam è Monachis Nitrienſibus aliò ablegaſſe. Sanè id ex epiſtolæ verbis non colligitur; imò verò rogat Epiphanium Theophilus, ut aliquem mittat Conſtantinopolim, ſicut à ſe Nitrienſes Monachi miſſi ſunt. Quò miſſi? Nempe quò aliquem mitti vult ab Epiphanio, Conſtantinopolim ſcilicet. Nam quid aliud verba ſonant? Quòd autem *peregrina communione* eos exceperit Chryſoſtomus, inde concludit Baronius, Synodi Alexandrinæ literas contra Origeniſtas illuc nondum fuiſſe perlatas; alioqui damnatos & proſcriptos Monachos minimè fuiſſe excepturum. At non inde ſequitur, Conſtantinopolitanum iter priùs ſuſcepiſſe Nitrienſes Origeniſtas, quàm Legatos ſuos eòdem Theophilus miſiſſet. Probabile quippe eſt, Theophili Legatos, diſſeminandarum Præſulis illius Synodicarum literarum gratiâ, multas Provincias adiiſſe, proindeque ſeriùs Conſtantinopolim

eaſdem importaſſe ; cùm interea illorum diſceſſione audita, nullam interponentes moram, magnis itineribus illuc contendiſſent Origeniſtæ, & qui ſeriùs ſuſceperant iter, maturiùs illud confeciſſent. Quæ omnia Eruditiſſimo Huetio lib. 2. Origenianorum num. 8. obſervata.

VIII. *Epocha Cōcilii Cpolitani & Epheſini.* Baron num. LXII & ſeqq.

Ad num. XIII & XIV. Ideo Baronius Aſianorum Epiſcoporum depoſitionem in Synodo Epheſina à Chryſoſtomo factam, præſenti anno conſignat, quòd Palladius ſcribat, eoſdem poſt Chryſoſtomi exilium, quod anno CCCC IV contigiſſe conſtat; reſtitutos fuiſſe *poſt quadriennium* ab eorum exauctoratione. At quadriennium illud non ab hoc, ſed à ſequenti Chriſti anno incipiendum; ideoque depoſitio illa anno quadringenteſimo primo collocanda, ut rectè monet Valeſius in Notis ad Sozomenum lib. 8. cap. 6. Cauſa enim eorum Epiſcoporum primùm examinata eſt in Concilio Conſtantinopolitano *XIII Indictione*, hoc eſt, præſenti anno ante Kalendas Septembris, quo Indictio XIV cœpit, celebrato; cùm Euſebius Epiſcopus libellum Concilio obtuliſſet adverſus Antoninum Epheſi Epiſcopum, ut ſcribit Palladius in Vitâ Chryſoſtomi, & *adventus Gainæ Conſtantinopolim immineret*, inquit Georgius in Vita Chryſoſtomi. Miſſi ſunt deinde in Aſiam Epiſcopi tres, qui teſtes audirent. Hi tota æſtate in Aſia commorati ſunt. Poſtea Chryſoſtomus ipſe ſub finem hiemis in Aſiam profectus Synodum ſeptuaginta Epiſcoporum *Epheſi* congregavit, in qua depoſiti ſunt ſex Epiſcopi, non autem tredecim, ut perperam ſcribit Sozomenus. Profectus eſt itaque Chryſoſtomus in Aſiam anno ſequenti, profligato jam Gaina. Quando autem Euſebius in Synodo Epheſina dixit: *Cauſa iſta biennio examinata eſt*: biennium illud à currenti anno inchoandum, quo Kalend. Septembr. Indictio XIV incœpta, annoque CCCCI, quo Epiſcopi judicati ſunt, abſolvendum; ideoque biennium illud utrimque incompletum fuit: quod magis liquebit ex iis, quæ anno CCCCXXIX de Palladio loquentes dicemus.

IX. *Origo Pſalmorum alternatim decantatorum.* Baron. num. LXXXVI & ſeqq.

Ad num. XVI. Primi omnium *Flavianus* ac *Diodorus*, regnante Conſtantio, pſallentium choros Antiochiæ bifariam diviſerunt, & Pſalmos Davidicos alternis canendos eis tradiderunt; quæ res tum primùm inſtituta, poſtea ad reliquas totius Orbis Eccleſias dimanavit. Teſtatur id Theodoretus in lib. 2. cap. 24. & ante illum Theodorus Mopſueſtenus, qui iiſdem temporibus, quibus Flavianus atque Diodorus, vixit; cujus verba refert Nicetas in Theſauro Orthodoxæ Fidei lib. 5. cap. 30. Ea tamen Pſalmodiæ ſpecies jam ante Flavianum atque Diodorum à Syris videtur uſurpata. Scribit enim Theodorus, Flavianum ac Diodorum primos omnium eam Pſalmodiæ ſpeciem, quas Antiphonas vocant, ex Syrorum lingua in Græcam tranſtuliſſe, & omnium propè ſolos hujus rei auctores cunctis Orbis partibus apparuiſſe. Quod igitur Syri diu ante Flavianum præſtiterant, Pſalmos Davidicos linguâ Syriacâ antiphonatim canentes, id Flavianus ac Diodorus à Græcis Antiochenſibus Pſalmos Græce canentibus fieri inſtituerunt. Valeſius in Notis ad Socratem lib. 6. cap. 8. ubi hæc obſervat; verum non eſſe credit quod eo loco Socrates ſcribit, eam nempe Hymnos in Eccleſia alternis canendi conſuetudinem initium ſumſiſſe à S. Ignatio Antiochiæ in Syria Epiſcopo; quem dicit Socrates vidiſſe aliquando Angelos Hymnis alternatim decantatis Sanctam Trinitatem celebrantes, & canendi rationem, quam in illa viſione animadverterat, Eccleſiæ Antiochenſi tradidiſſe: cujus nullum rei teſtem, inquit Valeſius, Socrates citat.

X. *Alterni cātûs antiquitas.*

Verùm, Bona Cardinalis Eruditiſſimus lib. de Divina Pſalmodia cap. 16. rectè oſtendit, *Theodoretum*, non de quocumque alterno cantu, ſed de ſolis Davidicis Pſalmis intelligendum, & *Flavianum* ac *Diodorum* Antiochenos Monachos, pſallentium Choro duas in partes diviſo, Pſalmos Davidicos alternis canendos, primos inſtituiſſe; eamque Pſalmodiæ ſpeciem ex Syrorum lingua in Græcam tranſtuliſſe; ac ideo Socrati fidem non eſſe deneganđam. Ea autem alternatio non ſtatim in omnes terræ partes propagata eſt; cùm Caſſianus lib. 2. de Inſtitut. Cœnob. cap. 5. & ſeqq. referat, ſuo tempore hunc morem viguiſſe; ut ſedentibus ceteris & omni cordis intentione ad vocem pſallentis intentis, unus in medio integrum Pſalmum ſolus cantaret. Imò quantalibet multitudo conveniſſet, nunquam ampliùs, quàm quatuor Monachi pſallebant in Synaxi. Quod etiam hodie in quibuſdam Galliarum Monaſteriis ſervari accepi. Viguit etiam apud Ethnicos cantûs alternatio; cùm Homerus Iliade 1. verſu 604. Muſas alternatim cantantes deſcribat. Unde & colligi poteſt, Valeſium perperam in dubium revocaſſe, quod à Socrate ſcriptum, *Ignatium* nempe Martyrem primùm in Eccleſia Orientali Antiphonis initium dediſſe: Chriſtiani enim profanos Gentilium mores in veri Dei cultum transferebant; & quod Socrates ſcribit, diſcere potuit à Scriptoribus, quorum Opera ad nos non pervenere.

XI. *Eudoxia Auguſta renuntiata.*

Auctor Chronici Alexandrini hoc anno habet: *His Coſſ Nobiliſſima Eudoxia menſe Januario V Idus Januarii renuntiata eſt Auguſta, nataque eſt nobiliſſima Arcadia menſe Xanthico III Nonas Apriles.* Quintus Idus Januarii, ſeu dies nonus Januarii, incidit in diem Lunæ: quare nondum mos ferebat, ut diebus Dominicis aut ſolennioribus feſtis hujuſmodi nuncupationes fierent; ſed tantùm annis Quinquennalibus, aut hujuſmodi feſtis dicatis. Præterea Imperatorum uxores Auguſtæ dictæ poſtquam liberos pepererant; anno autem præcedenti *Pulcheria* Arcadio altera filia nata erat, ut teſtantur Marcellinus in Chronico, & Auctor Chronici Alexandrini; qui ultimus addit, *Pulcheriam* XV Kal. Feb. in lucem prodiiſſe. Cæſario autem & Atticò Coſſ. anno nempe CCCXCVII, *Flaccilla* Arcadio nata erat; ut prodit ibidem Marcellinus.

XII. *Septem Provinciæ vulgò dictæ inſtituuntur.*

Hoc circiter tempore *Quinque* Provinciis appellatis, nempe Narbonenſi primæ, Vienneniſi, Alpibus Maritimis, Narbonenſi ſecundæ, & Aquitaniæ primæ, duæ adjectæ ſunt, Novempopulana ſc. ac ſecunda Aquitania, & *Septem* Provinciæ à Galliis diſtinctæ, à Petronio Præfecto Prætorio Galliarum inſtitutæ ſunt; ab eòque decretum, ut Conventus ſeptem Provinciarum ſingulis annis *in Metro-*

politana, id eſt, in Arelatenſi urbe, congregaretur, quemadmodum diſcimus ex Conſtitutione Honorii & Theodoſii junioris data anno quadringenteſimo decimo octavo, & ad Agricolam Præfectum Galliarum directa. In ea Imperatores dicunt, ſe decernere, ut Conventus ille, qui interpolatus fuerat, *vel incuriâ temporum, vel deſidiâ Tyrannorum*, repararetur ab Agricola. Legitur primùm hæc nova diviſio in epiſtola Zoſimi Papæ anno CCCCXVII data, in cujus fronte habetur: *Zoſimus univerſis Epiſcopis per Gallias & Septem Provincias conſtitutis.* Quæ diſtinctio *Septem Provinciarum* à Galliis diſertè explicata eſt in Notitia Galliæ à Sirmondo publicata, ut videre eſt anno CCCLXXIV num. XI. Edictum itaque primarium hujus inſtitutionis à Petronio factæ, nobis tantùm innoteſcit ex Conſtitutione Honorii laudata, in qua *Septem* quidem Provinciæ in univerſum memorantur, ſed duæ tantùm in ſpeciali exprimuntur, Aquitania nempe ſecunda & Novempopulana, his verbis: *Ita ut de Novempopulana & ſecunda Aquitania, quæ Provinciæ longiùs conſtitutæ ſunt, ſi earum Judices certa occupatio tenuerit, ſciant Legatos juxta conſuetudinem eſſe mittendos*, ad Conventum nempe Septem Provinciarum.

XIII. *Inter Septē Provincias Alpes Graiæ non numerandæ.*

Porro non tantùm ex laudata Notitia Galliarum, ſed etiam ex Hincmaro ac Callixto Papa hujus nominis II, *Alpes Graias* in numerum Septem Provinciarum adſcriptas non fuiſſe, ideoque & Blondellum in lib. contra Primatum Eccleſiæ pag. 709. eaſdem eo numero comprehendentem hallucinatum eſſe diſcimus. Hincmarus enim epiſt. 14. ad Epiſcopos de jure Metropolitanorum num. XVII, de Delegatione vicium Apoſtolicæ Sedis loquens, ait: *Quæ temporibus Theodoſii & Honorii Imperatorum, Pontificatu Papæ Zoſimi, per Septem Provincias, ſcilicet Viennenſem, Lugdunenſem, Narbonenſem primam, & ſecundam, & Alpinam, & Novempopulanam, & ſecundam Aquitanicam emanavit; ut de his Provinciis Honorati vel Poſſeſſores, Judices & Epiſcopi præfatarum Provinciarum ab Idibus Auguſtis, quibuſcumque mediis diebus, in Idus Septembris, in urbe Arelatenſi, quæ Conſtantina vocatur, ad Conſilium Forenſe vel Eccleſiaſticum convenirent. Ita ut de Novempopulana & ſecunda Aquitanica, quæ Provinciæ longiùs conſtitutæ ſunt, ſi earum Judices & Metropolitanos occupatio certa retineret, Legatos ſuos juxta conſuetudinem mitterent: ſicut in edicto præfatorum Imperatorum, & in epiſtolis Apoſtolicæ Sedis Pontificum invenitur.* Ubi Provinciæ Alpium Graiarum non meminit, oſtenditque, edictum illud perperam Conſtantino Tyranno attribui in exemplari, quo uſus eſt Scaliger in Notis ad Auſonium *in Claris Urbibus*, ubi illud integrum recitat. Dupliciter tamen Hincmarus peccat: primò enim *Aquitaniam primam* prætermittit, & in ejus locum *primam Lugdunenſem* ſubſtituit; quæ omnium conſenſu fuit Provincia Galliarum, prout à Quinque vel Septem Provinciis diſtinguuntur. Secundò, falſum eſt, in Honorii Conſtitutione ſtatui, ut tam Epiſcopi, quam Judices, ad Conſilium Forenſe, vel Eccleſiaſticum apud Arelatum convenirent, & ut Novempopulanæ ac ſecundæ Aquitaniæ Metropolitani Legatos mittere poſſent. Ea enim Conſtitutio ſolùm loquitur de Honoratis & Judicibus ſub præſentia Præfecti conventuris; licèt poſtea ad exemplum Conventus Civilis Septem illarum Provinciarum, Hilarius Arelatenſis Epiſcopus Concilium in civitate Regienſi celebrarit eorum Epiſcoporum, qui per eas Provincias conſecrabantur, quibus ipſe præſideret, ut obſervat Marca lib. 5. de Concordia cap. 32. Callixtus etiam in Reſcripto *Valentiæ V Kal. Martii* anni MCXX dato, Viennenſis Eccleſiæ privilegia confirmans, nullam Alpium Graiarum mentionem facit, ſed tantùm concedit, *ut videlicet ſuper Septem Provincias Primatum obtineat: ſuper ipſam Viennenſem, ſuper Bituricam, Burdigalam, Auxitanam, quæ Novempopulitana dicitur, ſuper Narbonam, Aquenſem, & Ebredunenſem.* Quæ urbes Septem Provinciarum ab Honorio inſtitutarum Metropoles civiles extiterunt. Nec eſt, quòd contendat Anteſmius V. C. Honorii Conſtitutionem Blondelli ſententiæ favere, cùm in ea Novempopulana & ſecunda Aquitania dicantur *Provinciæ longiùs conſtitutæ*; ideoque & Legatos Arelatem mittere poſſe, ut patet ex loco ejuſdem Conſtitutionis numero præcedenti citato; cùm tamen prima Aquitania magis ab ea urbe, quàm ſecunda diſtet. Nam ex prima Aquitania fluviis Ligeris & Rhodani merces facile Arelatem deportari poterant; cùm è contrà ex ſecunda Aquitania nonniſi terreſtri itinere & cum minori commodo: ac præterea Judices & Honorati terreſtri viâ magis fatigabantur; ideoque & ſecunda Aquitanica ac Novempopulana remotiores dici poterant. Neque aliam ob cauſam civitas Arelatenſis ad Conventum Septem Provinciarum electa, niſi & propter *loci* opportunitatem, & copiam *commerciorum*, & frequentiam *coëmentium*, ut Honorius in ſua Conſtitutione diſertè aſſerit.

XIV. *Quo circiter anno ea inſtitutio facta.*

Hæc diviſio à *Petronio* facta ante annum CCCCXVII; cùm eo anno Zoſimus in laudata epiſtola de iis mentionem faciat, & Honorius in ſua Conſtitutione ad Agricolam, tradat, illum Conventum interpolatum fuiſſe, *vel incuriâ temporum*, ideoque aliquot ante annos ante emiſſam Conſtitutionem Honorianam, *vel deſidiâ Tyrannorum*, ideoque antequam Conſtantinus tyrannidem invaderet, aliique Tyranni Provinciam ſolidam Narbonenſem affligerent. Verùm hæc immutatio accidere non potuit ante Concilium Taurinenſe anno trecenteſimo nonageſimo octavo celebratum; cùm in Conſtitutione Honoriana Arelate ſimpliciter Metropolis appellativè nominetur his verbis: *In Metropolitana, id eſt, in Arelatenſi civitate*, & apud me certum ſit, ante Concilium Taurinenſe non ſolùm Arelatum Metropolim Galliarum non fuiſſe, ſed nec meram Metropolim in Politia Civili. Ad hæc, tempore Concilii Taurinenſis Quinque Provinciæ vulgò appellatæ nondum duabus aliis ampliatæ erant; cùm Synodica ejus inſcribatur: *Fratribus dilectiſſimis per Gallias & Quinque Provincias conſtitutis.* Tertiò, *Petronius* Præfectus Prætorio Galliarum illius immutationis auctor, alius non videtur, quàm *Petronius* ſub Honorio Vicarius Hiſpaniarum anno CCCXCV, ut liquet

ex Lege unica Cod. Theod. *Quorum bonorum.* & anno CCC XCVI, ut oſtendit Lex ejuſdem Codicis 151. *De Decurionibus.* ac tandem anno CCC XCVII, ut habetur ex Lege ejuſdem Codicis 5. *Unde vi.* Petronius itaque Præfecturâ Prætorii Galliarum cohoneſtari non potuit ante Vicariatum in Hiſpaniis geſtum. Quamobrem urbs Arelatenſis Metropolis Galliarum a Petronio Imperatoris juſſu inſtituta, poſt Concilium Taurinenſe illam dignitatem adepta eſt.

XV. *Sedes Præfecturæ ex urbe Trevirenſi Arelatum tranſlata.*

Inſtitutionis Septem Provinciarum tempore ſic recte conſtituto, manifeſtum eſt, tranſlationem Sedis Præfecturæ Galliarum ex urbe Trevirenſi ad Arelatenſem factam eſſe poſt Concilium Taurinenſe, annumque Chriſti trecenteſimum nonageſimum octavum, ideoque & ab Honorio Imperatore, non verò à Valentiniano juniore poſt cædem Maximi Tyranni, ut putavit Marca lib. 5. de Concordia cap. 30. num. 7. & 8. & in Diſſert. de Primatu Lugdunenſi num. 70. ac denique urbem Arelatenſem, quæ antea Metropolis tantùm Eccleſiaſtica erat, quæque etiam dignitas Epiſcopum inter Arelatenſem & Viennenſem ambigebatur, factam eſſe Metropolim Septem Provinciarum poſt illud Concilium. Blondellus in libro contra Primatum Eccleſiæ pag. 724. Marca locis laudatis, Queſnellus in Diſſert. 5. Apologetica pro S. Hilario Arelatenſi Epiſcopo parte 1. cap. 5. aliique paſſim contendunt, *Arelatem* ante Concilium Taurinenſe jam Metropolim civilem fuiſſe; quos tamen omnes hallucinatos fuiſſe non dubito. Refert Marca ad ſuam opinionem tuendam, canonem ſecundum Concilii Taurinenſis, in quo legitur: *Illud deinde inter Epiſcopos urbium Arelatenſis & Viennenſis, qui de Primatûs apud nos honore certabant, à Sancta Synodo definitum eſt, ut qui ex eis approbaverit ſuam civitatem eſſe Metropolim, is totius Provinciæ honorem Primatûs obtineat, & ipſe juxta canonum preceptum, ordinationum habeat poteſtatem. Certè ad pacis vinculum conſervandum hoc conſilio utilius decretum eſt, ut ſi placet memoratarum urbium Epiſcopis, unaquæque de his viciniores ſibi intra Provinciam vindicet civitates, atque eas Eccleſias viſitet, quas oppidis ſuis vicinas magis eſſe conſtiterit; ita ut memores unanimitatis atque concordiæ, non alter alterum, longiùs ſibi uſurpando, quod eſt ſibi propiùs, inquietet.* Integrum canonem retuli, inquit Marca, ut oſtenderem, tum Arelatem fuiſſe urbem Metropolitanam. Fruſtra enim definirent Patres hunc totiùs Provinciæ honorem Primatûs habiturum, qui approbaret ſuam civitatem eſſe Metropolim; ſi nulla ex hoc capite controverſia fuiſſet inter Viennenſem Epiſcopum & Arelatenſem; quæ nulla eſſe poterat, ſi Arelas non fuiſſet tum Metropolis. Compertum habebant, Viennam eſſe veterem Provinciæ Metropolim, adeoque ad illam ſecundùm Eccleſiaſticas regulas pertinere ordinationes Epiſcoporum Provinciæ Viennenſis. Sed quia tum Arelas erat Metropolis Galliarum in ordine civili, contendebatque haud dubiè ob eam cauſam Epiſcopus Arelatenſis tranſiiſſe ad ſuam Eccleſiam à Viennenſi jura ordinationum, quòd Vienna tum contributa eſſet Arelatenſi urbi, Patres in Synodo Taurinenſi congregati, in his anguſtiis conſtituti, obſcuro & ambiguo dicendi genere interlocuti ſunt, eam civitatem frui debere honore Primatûs, quæ doceret ſe eſſe Provinciæ Metropolim. Hæc Marca.

XVI. *Facta ea tranſlatio poſt Concilium Taurinenſe.*

A Marca non diſſentit Queſnellus citatus, qui poſtquam rectè obſervavit, ex laudatis Synodi verbis perſpicuum eſſe, jamdiu moleſtiſſimas inter Galliarum Epiſcopos diſſenſiones exarſiſſe, de Viennenſis Provinciæ, imò & de aliarum Provinciarum Primatu: quoniam & illorum jura, & harum limites ex perturbationibus per tyrannidem Maximi ſubortis intra Gallicanas Provincias, obſcura & difficultatibus impedita evaſerant; ſubdit: *Ex Synodi verbis alterum elucet, ad hoc nimirum totam controverſiam devolvi, ut quænam illarum civitatum eſſet Metropolis, inquireretur. Hoc videlicet apud Judices certum erat, illi deferendum eſſe in Eccleſiaſticis Primatûs honorem, qui eundem in civili politia obtineret. In quam partem propenderent Taurinenſes Patres, ſatis hac definitione ipſi innuunt. Etſi enim neutri civitatum Primatum dare ſuâ viderentur ſententiâ, reverâ tamen illum Arelatenſi adjudicabant, quam tunc temporis Metropolim eſſe conſtabat. Unde non ſine arte conſcripta mihi videtur eſſe illa definitio, quæ non decernit, illi attribuendam eſſe Metropolicam dignitatem, qui comprobaret ſuam civitatem* olim & ex antiquo fuiſſe Metropolim, *quod rem in ancipiti reliquiſſet, & operoſæ inquiſitioni dediſſet locum, ſed quæ approbaret* eſſe, *per eam ſcilicet tempeſtatem: quod aliud non erat, quàm in gratiam Arelatenſis pronuntiare.* Hæc Queſnellus; qui, quemadmodum & Marca, ſupponit, ante Concilium Taurinenſe Arelatem Metropolitanam civitatem, & Sedem Præfecturæ factam eſſe, idque à Valentiniano Imperatore ſeu primo, ſeu ſecundo, quòd Epiſcopi Gallicani in eo libello, quem pro Arelatenſi Epiſcopo obtulerunt Papæ Leoni, de urbe Arelatenſi dicant: *Hanc clementiſſimæ recordationis Valentinianus & Honorius fidelissimi Principes, ſpecialibus privilegiis, & ut verbo ipſorum utamur, matrem omnium Galliarum appellando, decorarunt.* At cùm Septem Provinciæ, quarum inſtitutionis occaſione Arelate Metropolitana civitas facta, in unum corpus poſt celebratum Concilium Taurinenſe redactæ ſint; manifeſtum eſt, eam inſtitutionem, non Valentiniano primo, aut ſecundo, ſed Honorio adſcribendam eſſe; & laudata verba libelli precum Epiſcoporum Gallicanorum intelligenda eſſe de quibuſdam aliis privilegiis à Valentiniano II, ut videtur, urbi Arelatenſi conceſſis; quæ reſcriptis deperditis nunc ignorantur: titulus verò *Matris omnium Galliarum* ab Honorio eidem civitati largitus eſt; poſtquam illam Metropolim Galliarum conſtituit. Quod ex ejus Conſtitutione ad Agricolam miſſa ſatis intelligitur, ubi latè de ſoli Arelatenſis fœcunditate loquitur. Laudata enim verba *diviſivè*, ut ita dicam, interpretanda; ita ut aliqua de Valentiniano, aliqua de Honorio dicta ſint. Quare falſo uterque innititur fundamento, dum aiunt, in Concilio Taurinenſi totam controverſiam devolutam eſſe, ut quænam illarum civitatum eſſet Metropolis in ſtatu civili, inquire-

retur. Nam quænam de eo capite controverſia eſſe potuiſſet, ſi jam Arelatum Galliarum Metropolis & Sedes Præfecti Prætorio extitiſſet, cùm illud etiam pueris innotuiſſet; eoque caſu inter Viennenſem & Arelatenſem Epiſcopos diſſidium duntaxat eſſe potuiſſet, an ex eo quòd Arelatum Metropolis Galliarum factum eſſet, Viennenſis Epiſcopus jus Metropolicum & Sacerdotum ordinandorum poteſtatem amiſiſſet, & utrumque ad Arelatenſem Antiſtitem tranſlatum eſſet? Reſpondet Marca, hoc reapſe in Concilio Taurinenſi agitatum fuiſſe, & Patres interlocutos eſſe, eam civitatem frui debere honore Primatûs, quæ doceret ſe eſſe Provinciæ Metropolim, nempe civilem. At abſurdum illud judicium fuiſſet & Concilio indignum; cùm Patribus, imò & quibuſcumque omnibus conſtaret, Viennam Metropolim eſſe, ac caput unius ex Septem Provinciis vulgò dictis: & ſi jus illud Metropolicum à Viennenſi ad Arelatenſem Epiſcopum tranſlatum fuiſſet, hoc Patres latere non potuiſſe certiſſimum. Verùm, quemadmodum Conſtantinopolis quando caput Imperii Orientalis & urbs Regia effecta, Epiſcopus Conſtantinopolitanus Metropolicam dignitatem non obtinuit, ſed Heracleenſi Metropolitæ, ſicuti antea, ſubditus remanſit, ita & Epiſcopus Arelatenſis Metropolita ut antea fuit, ſed Arelatum ad Metropoleos civilis dignitatem non aſſurrexit. Progreſſu verò temporis quemadmodum Conſtantinopolis non ſolùm Metropolis, ſed & Patriarchalis fuit, & in politia civili Præfecto urbis, uti antiqua Roma, exornata extitit; ita & urbis & Epiſcopi Arelatenſis honores aucti, licèt magnum diſcrimen inter utramque hac in re interceſſerit, ut omnibus notum. Sed redeo ad Concilium Taurinenſe.

XVII. *Ante Concilium Taurinenſe Arelas Metropolis civilis non erat.*

In eo Concilio tantùm inquiſitum fuiſſe, an Arelatum Metropolis Eccleſiaſtica eſſet, demonſtrat canon I. in gratiam Proculi Maſſilienſis Epiſcopi factus, quo decernitur, *ut in Eccleſiis Provinciæ ſecundæ Narbonenſis, quas vel ſuas Parochias, vel ſuos diſcipulos fuiſſe ordinatos conſtiterit, Primatûs habeat dignitatem*, licèt civitas Aquenſis, quæ caput Provinciæ ſecundæ Narbonenſis, jure civili Metropolis eſſet; ideoque ſi in Concilio Taurinenſi apud Epiſcopos certum fuiſſet, illi deferendum eſſe in Eccleſiaſticis Primatûs honorem, qui eundem in civili politia obtineret, ſtatuere non potuiſſent, ut Proculus Maſſilienſis Epiſcopus Metropolico jure præeſſet Provinciæ ſecundæ Narbonenſi, cujus Eccleſias vel Parochias ſuas fuiſſe aſſerebat, vel Epiſcopos à ſe in eiſdem Eccleſiis ordinatos; cùm Patres certò ſcirent, civitatem Aquenſem Metropolim civilem eſſe ſecundæ Narbonenſis, quæ erat una ex Quinque Provinciis vulgò dictis. Quamobrem parum illi curaſſent hujuſmodi rationes à Proculo in medium adductas, cùm eæ ad rem non facerent, utpote quæ res Eccleſiaſticas reſpicerent; cùm tamen de civili politia, ut ſupponitur, ageretur, de Metropolibus nempe politicis. Quòd ſi de jure Metropolico civili, ut Marca aliique volunt, controverſia fuiſſet, Taurinenſis Concilii Patres uno eodemque tempore de re eadem contrarium judicium tuliſſent: cùm Arelatem, vel Viennam Metropolim Eccleſiaſticam, ex eo quòd alterutra Metropolis civilis eſſet, declaraſſent; & Epiſcopum Aquenſem, qui civitati Metropolitanæ præerat, Epiſcopo Maſſilienſi, cujus civitas Metropolis civilis non erat, ſubjeciſſent. Quòd ſi in Concilio Taurinenſi de Metropolibus civilibus actum fuiſſet, Epiſcopus Aquenſis, aut ſecundæ Narbonenſis Epiſcopi contenti non fuiſſent defendere, *ſibi alterius Provinciæ Sacerdotem præeſſe non debere*; quia nempe Proculus Epiſcopus erat civitatis Maſſilienſis Provinciæ Viennenſi ſubjectæ; ſed contendiſſent, Epiſcopum Aquenſem Metropolitam in ordine civili, conſtitui debere Metropolitam Eccleſiaſticum, ne in primo Concilii canone, illo nempe qui eſt de Proculo Maſſilienſi, everteretur quod ſtatuebatur in ſecundo, qui eſt de diſſidio inter Arelatenſem & Viennenſem Epiſcopos quoad jus Metropolicum. Apparet itaque, in eo Concilio actum tantùm fuiſſe de Eccleſiaſticis Metropolibus, tam in cauſa Proculi, quàm in cauſa Viennenſis & Arelatenſis Epiſcoporum; ac civitatem Aquenſem fuiſſe tunc tantùm Metropolim civilem, nondumque ad Metropolis Eccleſiaſticæ dignitatem evectam. Unde non poteſt ſtare hæc regula à Marca in Diſſert. de Primatu Lugdunenſi num. LXIX ſtatuta: *Audacter aſſerere licet, nulli Metropoli Provinciæ civilis defuiſſe Metropolitanum Epiſcopum in Galliis. Quod juxta mores jam receptos ſancitum fuit canonibus IV & VI Synodi Nicenæ: eoſque canones in Galliis obſervari debere conſtituerunt Innocentius, Bonifacius, Celeſtinus, & Leo: ita ut unaquæque Provincia ſuo Metropolitano pareret.* Licèt enim id Concilium Nicænum & laudati Pontifices ſtatuerint; certum tamen, hoc ubique obſervatum non eſſe; cùm ex Taurinenſis Concilii canone primo luce meridiana clariùs conſtet, civitatem Aquenſem Metropolim civilem tunc fuiſſe, & tamen ejus Epiſcopum Metropolitani jura inter alios Epiſcopos non obtinuiſſe; quod & Sirmondus in Notis poſthumis ad Concilium Taurinenſe obſervavit. Parte altera, Epiſcopus Arelatenſis longè ante Concilium Taurinenſe jure Metropolico Eccleſiaſtico potiebatur, *quod prima inter Gallias Arelatenſis civitas miſſum à beatiſſimo Petro Apoſtolo S. Trophimum meruit habere Sacerdotem, & exinde aliis paulatim Regionibus Galliarum bonum Fidei & religionis infuſum*, ut Epiſcopi Gallicani ad S. Leonem Papam ſcripſere. Verum quidem eſt, jus illud inter Epiſcopum Viennenſem, qui Metropoli civili præerat, & Arelatenſem, qui in civitate tantùm, ſed celeberrima ſedebat, controverſum fuiſſe, quod vel Concilium Taurinenſe oſtendit; ſed ex iis, quæ mox ex S. Leone referemus, liquet, in Provincia Viennenſi in Eccleſiaſticis modò Viennenſem, modò Arelatenſem præcelluiſſe. Et tamen certum videtur, (quidquid Queſnellus citatus aliique multi in contrarium ſcripſerint) Arelatum, antequam Sedes Præfecturæ eſſet, Metropolim civilem non fuiſſe. Illa itaque Marcæ regula minimè vera.

XVIII. *Arelatum ob miſſionem*

Inſuper in Concilio Taurinenſi ab Epiſcopo Arelatenſi aliæ rationes ad jus Metropolicum ſibi aſſerendum in medium non adductæ, quàm

S. Trophimi Metropolis Eccleſiaſtica facta.

quàm quæ poſt aliquot annos coram Zoſimo Papa, ac poſtea coram S. Leone. Zoſimus autem in literis anno CCCCXVII datis *ad Epiſcopos per* Gallias & Septem *Provincias* conſtitutis, ideo Viennenſem, Narbonenſem primam, & Narbonenſem ſecundam Provincias Epiſcopo Arelatenſi ſubjicit: *Quoniam*, inquit, *Metropolitanæ Arelatenſium urbi vetus privilegium minimè derogandum eſt, ad quam primùm ex hac Sede Trophimus ſummus Antiſtes, ex cujus fonte tota Gallia Fidei rivulos acceperunt, directus eſt.* Quam rationem poſtea etiam coram S. Leone exaggerarunt, ut liquet ex libello precum ab Epiſcopis Gallicanis illi oblato. Quare in Concilio Taurinenſi Epiſcopus Arelatenſis non jus Metropolicum civile, quo Arelatum nunquam potitum fuerat, ſed Sancti Trophimi miſſionem, ejuſque contemplatione jus Metropolicum Eccleſiaſticum ſibi fuiſſe conceſſum, in medium proferebat. Cùm enim de una eademque re lis eſſet, eædem etiam rationes allegandæ erant. Verum quidem eſt, in præfato libello precum, poſtquam, tanquam fundamentum cauſæ ſuæ, Epiſcopi Gallicani allegarunt S. Trophimi Apoſtolicam miſſionem, eamque fusè amplificarent, eos ſubjicere: *Ceterùm multa ſunt, quibus ſecundùm inſtituta Principum, cunctis intra regiones noſtras civitatibus præferatur*, &c. poſtea de ſpecialibus privilegiis, quibus Arelate decorata fuit, verba habere. Verùm hæc ex abundanti, quia nempe Metropoles Eccleſiaſticæ nonniſi in præcipuis urbibus de more inſtitutæ. Præterquam quòd inter urbis Arelatenſis decora, ſedem quidem Præfecturæ aliaque hujuſmodi memorant, ſed antiquæ Metropoleos civilis nullam mentionem faciunt, quia videlicet ante inſtitutionem Septem Provinciarum nulla fuerat, licèt Arelatum nulli alii intra Gallias civitati præter Treviros tunc Metropolim Galliarum ſplendore cederet.

XIX. *Magis probatur, cōtroverſiam fuiſſe de Metropoli Eccleſiaſtica, non verò de civili.*

Sed quid hæremus, cùm Sanctus Leo Papa anno CCCCL Provinciam Viennenſem in duas diſtribuens, & quæcumque hactenus tam coram Concilio Taurinenſi, quàm coram ſuis prædeceſſoribus agitata fuerant, diſcutiens, diſſidium inter Arelatenſem & Viennenſem Epiſcopos præcipuè fuiſſe de jure Metropoleos Eccleſiaſticæ affirmet. Hæc Sancti Pontificis verba: *Conſideratis allegationibus utriuſque partis præſentium Clericorum, ita ſemper intra Provinciam veſtram & Viennenſem & Arelatenſem civitates claras fuiſſe reperimus, ut quarumdam cauſarum alterna ratione, nunc illa in Eccleſiaſticis privilegiis, nunc iſta præcelleret: cùm tamen eiſdem commune jus quondam fuiſſe à gentibus proderetur.* Sanctus Leo, ut ex juſtitiæ præſcripto litem, quæ tot annos duraret, dirimeret, de utriuſque civitatis Eccleſiaſticis prærogativis Clericos, de privilegiis verò civilibus Laïcos audire voluit; cúmque accepiſſet, alternis vicibus nunc iſtam civitatem, nunc illam in Eccleſiaſticis privilegiis præcelluiſſe, & utrique civitati commune quondam jus fuiſſe, Provinciam Viennenſem in duas dividendam cenſuit. Quare non dubium, quin in Concilio Taurinenſi præcipua inquiſitio de Metropoli Eccleſiaſtica fuerit, cùm diviſionem Parochiarum, quam Patres tunc utrique Epiſcopo ſuaſerant, nunc Sanctus Leo executioni mandarit. Quid porro ſit commune illud jus utrique civitati, de quo in laudatis verbis, fateor me non intelligere. Marca in Diſſert. de Primatu Lugdunenſi num. LXX, dicit, à gentibus Provinciæ illius proditum eſſe, commune fuiſſe quondam utrique civitati jus Metropoleos civilis in ea Provincia, ut à gentibus Provinciæ illius prodebatur, additque Marca: *Unde gentes regionis prodere poterant, jus quondam utrique civitati in ea Provincia fuiſſe commune, niſi ex eo quòd vetuſtas Coloniæ Viennenſis, & ſplendor adjectus Arelatenſi civitati, ex Conſtitutione Valentiniani II, qui obiit anno CCCXCII, in unius Juris civilis communionem ambas civitates jungebat? Itaque certa manet regula noſtra, Viennenſi Provinciæ ſuum non defuiſſe Metropolitanum: attamen, quia jus Metropoleos civilis inter duas illas civitates fuit controverſum, ambiguum quoque inter eas fuiſſe jus Metropoleos Eccleſiaſticæ, donec velut arbitrio de communi dividundo à Leone I terminatum eſt.* Verùm multipliciter peccat Præſul eruditiſſimus. Primò, quia non Valentinianus II urbem Arelatenſem Metropolim Galliarum & ſedem Præfecturæ declaravit, ſed Honorius, ut jam dictum eſt. Verba autem libelli precum à Præſulibus Gallis ad S. Leonem miſſi, quibus innititur Marca, ſuprà à nobis num. XV recitata & explicata ſunt. Quare Conſtitutio illa Valentiniani II commentitia. Secundò, Arelatum Metropolim Galliarum effectum poſt Concilii Taurinenſis celebrationem, certis argumentis me oſtendiſſe exiſtimo. Tertiò, jus Metropoleos civilis inter illas duas civitates poſt Septem Provinciarum vulgò dictarum inſtitutionem, controverſum eſſe non potuit; alioquin nec Quinque Provinciarum vulgò dictarum, nec poſtmodum Septem Provinciarum corpus componi potuiſſet, ſi quænam civitates Metropoles civiles eſſent, certò non conſtitiſſet. Si tamen loco *Valentiniani II*, Honorium ponas in laudatis Marcæ verbis, & illam juris communionem inter utramque civitatem poſt Concilium Taurinenſe factam dicas, quando nempe Septem Provinciæ inſtitutæ, & Arelatum Galliarum Metropolis appellatum, Marcæ explicatio locum habere poterit; quòd videlicet gentes regionis prodebant jus quondam utrique civitati in ea Provincia fuiſſe commune, ex eo quòd vetuſtas Coloniæ Viennenſis, & ſplendor adjectus Arelatenſi civitati ex Conſtitutione Honorii poſt Concilium Taurinenſe emanata, in unius juris civilis communionem ambas civitates jungebat: quæ forſan vera erit citatorum Leonis verborum explicatio; nam quæ à Queſnello in Diſſert. Apologetica pro Sancto Hilario Arelatenſi Epiſcopo parte I. cap. 5. aſſeritur, quòd nempe iis verbis declaretur, qualis fuerit Arelas *in civilibus* ſub Imperatoribus Ethnicis, nullam veriſimilitudinem præ ſe fert: *Qualis autem ſub Gentilibus fuerit*, (inquit Queſnellus de Arelate loquens) *vel uno Leone noſtro teſte edocemur, ut ſupervacaneum otioſumque fuerit antiquiora monumenta ſcrutari: fatetur enim ultro* conſideratis allegationibus utriuſque partis præſentium Clericorum, *civitatibus* Viennenſi & Arelatenſi commune jus quondam fuiſſe, idque à gentibus eſſe proditum. Hæc Queſnellus, quæ ex mox dictis corruunt.

XX.
Ante inſtitutionem Septem Provinciarum Arelate Metropolis Eccleſiaſtica erat.

Ex dictis apparet primò, *Arelatum* ante *Septem* Provinciarum inſtitutionem, & tranſlationem Præfecturæ ex urbe Trevirenſi in eandem, Metropolim quidem civilem non fuiſſe, ſed tamen eam dignitatem in politia Eccleſiaſtica obtinuiſſe, idque ab eo tempore, quo à Sede Apoſtolica Trophimum primum Antiſtitem accepit. Etſi enim fortè ante pacem Eccleſiæ à Conſtantino Magno datam ita Eccleſiaſticæ hierarchiæ forma in Galliis conſtituta nondum eſſet, ut poſtea ordinata fuit; non dubium tamen, quin aliquis inter Epiſcopos præëminuerit, penes quem ceterorum regendorum, & cùm opus erat, in Synodum congregandorum cura ac ſolicitudo reſideret; ſive ex dignitate Sedis ſuæ id obtineret, ſive ex Sacerdotii antiquitate, ſive ex communi Sacerdotum ſuffragio ac delectu: qui alius fuiſſe non videtur, quàm Epiſcopus Arelatenſis, ob S. Trophimi, à quo reliquæ Galliarum Eccleſiæ Fidem acceperant, reverentiam. *Matrices* enim Eccleſiæ magna apud primos Chriſtianos in veneratione erant. Unde aſſentiri non poſſum Viris doctiſſimis, qui arbitrantur, Epiſcopos Gallicanos in libello precum S. Leoni oblato, hæc contra veritatem ſcripſiſſe: *Jure ac meritò ea Urbs ſemper apicem ſanctæ dignitatis obtinuit, quæ in Sancto Trophimo primitias noſtræ Religionis prima ſuſcepit, ac poſtea intra Gallias, hoc, quod Divino munere fuerat conſecuta, ſtudio doctrinæ ſalutaris effudit. Cujus honoris obtentu Eccleſiam Arelatenſem omnes deceſſores, prædeceſſoreſque noſtri velut* MATREM *debito ſemper honore coluerunt, tenenteſque traditionem totam, ab hac ſibi civitatis noſtræ Sede Epiſcopos poſtularunt. Ab hujus Eccleſiæ Sacerdote tam deceſſores noſtros quàm nos ipſos, conſtat in ſummum Sacerdotium, donante Domino, conſecratos.* Certè omnibus, quæ ad munus ſuum dignè exercendum neceſſaria erant, inſtructior erat Divus Leo, & in rebus agendis prudentior, quàm ut in re tanti momenti facilè eidem imponi potuerit, & Gallicani Epiſcopi auſi fuerint in Antiſtitis Arelatenſis favorem in medium afferre, quæ certa traditione probari non poſſent. In eo itaque ſolùm peccaſſe videntur, quòd poſt diviſionem Provinciarum eas Provincias Arelatenſi Epiſcopo ſubjiciendas volebant, quæ ante eandem, ejus prædeceſſoribus, ob ordinationem ab illis acceptam, eiſdem ſeſe ſubmiſerant. Nec refert, quòd quando Eccleſiaſticæ diſciplinæ fundamenta jacta ſunt, conſtitutuſque ordo hierarchiæ ad formam politiæ civilis, ſtabilita ſit Sedium Epiſcopalium dignitas, & Metropolitarum poteſtas erecta. Nam eadem diſciplinæ forma non ſemper ſervata, nec Metropoles Eccleſiaſticæ ſemper civilibus annexæ. In Africa Metropoles Eccleſiaſticæ non reſpondebant civilibus, & in Italia quatuor tantùm erant Metropolitani, Romanus ſcilicet, Mediolanenſis, Ravennenſis, & Aquileienſis, ac præter hos in inſulis adjacentibus, Sicilia nempe & Sardinia, Syracuſanus & Salernitanus. Quemadmodum itaque Hieroſolyma, quæ Metropolis civilis non erat, Metropolitam Eccleſiaſticum obtinuit, quòd in ea primùm à Chriſto inſtituta fuiſſet Eccleſia, Eccleſia Hieroſolymitana *mater* eſſet *omnium Eccleſiarum*, ut dicitur in epiſtola Synodica Concilii Conſtantinopolitani primi apud Theodoretum lib. 5. cap. 9. & ex ea Evangelium ad ceteras Orbis partes perlatum fuiſſet: ita licet civitas Arelatenſis Metropolis civilis non eſſet, tamen ob miſſionem Apoſtolicam S. Trophimi, qui primus Fidem in Galliis prædicavit, ad dignitatem Metropolis Eccleſiaſticæ evecta fuit.

XXI.
Ante eam inſtitutionē de ea Metropoli diſſenſiones natæ.

Verùm quarto Chriſti ſeculo graves exarſere inter Arelatenſes & Viennenſes Epiſcopos de Primatu Eccleſiaſtico Viennenſis Provinciæ diſſenſiones, tum ob tyrannidem Maximi, qui Treveris ſedem Imperii collocavit, & per quinquennium in Galliis regnavit; tum ob inſtitutionem Quinque Provinciarum vulgò dictarum, quarum una Viennenſis Provincia erat; tum quia, Eugenius Valentiniano II ab Arbogaſte Comite apud Viennam occiſo anno CCCXCII, in ea urbe dictus eſt Imperator, & in Galliis uſque ad annum CCCXCIV, quo à Theodoſio Magno debellatus, imperitavit; tum denique ob alias rationes quæ nobis ignotæ ſunt. Harum innovationum & converſionum occaſione diſſenſiones illæ exortæ: *Per has procellas*, inquit Queſnellus in Diſſert. laudata parte 1. cap. 5. *probabile admodum eſt, Viennenſem Epiſcopum caput erexiſſe ad Primatum, cui prehenſando locum dedit Provinciæ Narbonenſis in plures non ita pridem facta diviſio, indita Viennenſi Provinciæ ex urbis nomine appellatio, & in diverſam, adverſamque dominationem Viennenſis ejuſdem Provinciæ ſciſſio, aliquibus civitatibus Tyranno parentibus ſub Viennenſi, aliis cum Arelatenſi ſub Romana ditione perſeverantibus. Facile enim fuit Viennenſi Antiſtiti, cujus civitas olim in laterculo Imperii Metropolis fuerat, & antiquitate eminebat, hoc Tyranno perſuadere, ut ibi Primatum Eccleſiaſticum conſtitui juberet, ubi Imperii ſui ſedem, vel ſaltem incunabula habebat. Fundatum his titulis Primatum, quibus potuit præſidiis, tutatus eſt, qui non aliud paſſim affectatæ dignitatis Metropolicæ fundamentum protulit, quàm civitatis antiquitatem, & ejuſdem civitatis olim in civilibus conceſſam poſſeſſionem.* Nec dici poteſt, utramque civitatem olim eodem tempore Metropolim Eccleſiaſticam fuiſſe; cùm Divus Leo poſt diligentem inquiſitionem, & utriuſque partis rationes diſcuſſas, dicat, ſe reperiſſe alternis vicibus nunc illam in Eccleſiaſticis privilegiis, nunc iſtam præcelluiſſe. Quare alterutrum propria auctoritate Metropolicum jus uſurpaſſe omnino dicendum: cúmque Proculus Viennenſis Provinciæ civilis Epiſcopus jus Metropolicum in ſecundam Provinciam Narbonenſem ſibi aſſerere conatus fuerit, veroſimile eſt, Epiſcopum Viennenſem Comprovincialis Epiſcopi exemplo motum, magis animatum fuiſſe ad Primatum Provinciæ Viennenſis ſibi arrogandum.

XXII.
Vicariatus S. Sedis in Galliis ex inſtitutione Septem Provinciarum ortus.

Apparet ſecundò, verum non eſſe quod ſcribit Marca lib. 5. de Concordia cap. 30. num. VII. Poſtquam enim dixit, Arelatum factum eſſe Metropolim Galliarum ante Concilium Taurinenſe, & poſt inſtitutionem Septem Provinciarum: *Ex honore civili*, inquit, *Arelatenſis urbis deſcendiſſe puto honorem Eccleſiaſticum, tentante nimirum Epiſcopo illius urbis in ſe trahere ordinationes Epiſcoporum Provinciæ Viennenſis, quæ antea pleno jure pertinuerant ad Viennenſem Me-*

tropolitanum. Nam, cùm ante Septem Provinciarum inſtitutionem Arelatenſis Epiſcopus jus Metropolicum Eccleſiaſticum coram Patribus Concilii Taurinenſis perſecutus fuerit, manifeſtum eſt, non ex ſecularium tantummodo ordinationum imitatione natum eſſe Eccleſiaſticum Arelatenſis civitatis ſplendorem, ſed in nativis illius Eccleſiæ juribus primævisque prærogativis eſſe fundatum, ut ſcribit Queſnellus laudatus cap. 6. ubi tamen perperam dicit, Zoſimum Papam anno CCCCXVII Epiſcopo Arelatenſi attribuiſſe Provincias Viennenſem, Narbonenſem primam & ſecundam, annoque tantùm ſequenti Honorium urbem Arelatenſem Metropolitanam dixiſſe, &, ut ibidem Conventus Septem Provinciarum fieret, decreviſſe; ſicque conceſſionem Juris Metropolici à Zoſimo factam, anno uno prævenire Honorii edictum. Nam ex ipſamet Zoſimi epiſtola, in qua Vir eruditiſſimus fundatur, liquet, jam Septem Provincias inſtitutas fuiſſe, ideoque & Arelatem Metropolim Galliarum dictam; cùm ea epiſtola directa ſit *univerſis Epiſcopis per Gallias, & Septem Provincias conſtitutis.* Ex honore itaque civili Arelatenſis urbis, ſeu ex dignitate Metropoleos Galliarum deſcendit quidem Vicariatus Sanctæ Sedis in Gallias ac Septem Provincias Arelatenſi Epiſcopo à Zoſimo aliiſque quibuſdam Pontificibus datus: ſed jus Metropolicum Eccleſiaſticum ex miſſione Sancti Trophimi originem habet.

XXIII. *Antiquitas miſſionis S. Trophimi.*

Apparet tertiò, admittendam non eſſe quorumdam doctiſſimorum Virorum opinionem, qui origines omnium Eccleſiarum Gallicanarum præter Lugdunenſem & alias paucas, ad medium tertii ſeculi detrudunt, affixâ, ex Gregorio Turonenſi, Decii & Grati Conſulatui anno ducenteſimo quinquageſimo geſto, miſſione Sancti Trophimi in Gallias. Quo enim alio fundamento innixus Epiſcopus Arelatenſis à Concilio Taurinenſi juris Metropolici honorem ſibi conſervari poſtulavit, niſi quia ad urbem Arelatenſem à S. Petro Apoſtolo Trophimus ſummus Antiſtes miſſus fuerat, & ex ejus fonte univerſæ Galliæ Fidei rivulos acceperant? Neque enim, ut ſuprà dixi, aliæ rationes coram Concilio Taurinenſi, quàm poſtea coram Zoſimo ac ejus ſucceſſoribus, deductæ ab Epiſcopo Arelatenſi ad cauſæ ſuæ tuitionem. Certè, ſi ea traditio de S. Trophimi primo Eccleſiæ ſeculo in Gallias delegatione, certa tunc apud omnes non fuiſſet, præſertimque apud Patres Concilii Taurinenſis hujus controverſiæ Judicibus; non ſolùm Epiſcopus Arelatenſis repulſam tuliſſet, ſed etiam ſeſe Patribus, & aliquot poſt annis, Pontificibus Romanis ridendum propinaſſet; quòd ad jus alterius uſurpandum miſſionem, quæ à ſeculo & ſeſquimedio facta fuiſſet, quæque ideo à nemine ferè ignorari poſſet, jam à Chriſtianæ Religionis initio contigiſſe affirmaret coram Epiſcopis, & poſtea coram Pontificibus Romanis antiquitatis Eccleſiaſticæ non ignaris; eoque præſertim titulo Viennam Metropolim in Laterculo Imperii ſibi ſubjiciendam poſtulare auſus eſſet: res profectò recentioris memoriæ fuiſſet, quàm, ut eam ſaltem Epiſcopus Viennenſis, aut omnes ex Concilio ignorare potuiſſent. Ex controverſiis itaque inter Epiſcopos Viennenſes & Arelatenſes de jure Metropolico Eccleſiaſtico, ſub quarti ſeculi finem ſumma animorum contentione agitata, S. Trophimum longè ante Deciana tempora, annumque Chriſti ducenteſimum quinquageſimum, Eccleſiam Arelatenſem fundaſſe, & in vicinioribus Provinciis Fidem annuntiaſſe, manifeſtè colligitur.

XXIV. *Septimania à Septem Provinciis dicta.*

Apparet denique, Provinciam Narbonenſem primam, cujus caput & Metropolis Narbo, ſeu, ut hodie vocamus Occitaniam, à Septem Provinciis *Septimaniam* appellatam fuiſſe, ut rectè vidit Scaliger in Notis ad Claras urbes Auſonii, videlicet κατ' ἐξοχήν, id eſt, per excellentiam, quidquid dicat Valeſius in Notitia Galliarum, ubi ſcribit, eam ſic appellatam, *non, ut Bernardus Guido Lutevenſis Epiſcopus putat, à Monte Setio: nam à Setio*, inquit, *Setiana diceretur: nec, ſicut Sirmondo placuit, à Septimanis Biterrenſibus; (quippe Sidonii ætate in omni ferè Gallia, ut Imperii Romani, ita & Coloniarum militarium memoria pridem exoleverat: neque civitas Biterra caput fuit Provinciæ Narbonenſis, ut ejus coloni Septimani nomen ipſi ſuum dare potuerint) multo minùs à Septem Provinciis, quarum Judices Honorius Aug. Arelatum quotannis convenire edicto juſſerat; quæ Scaligeri opinio eſt. Cur enim Conventus Arelatenſis in Provincia Viennenſi, nomen Provinciæ Narbonenſi primæ novum indidiſſet? Sed, quod primus animadverti, à numero civitatum Narboni Metropoli attributarum, atque ſubjectarum. Erant autem ſeptem, nimirum Toloſa, Beterra, Nemauſus, Agatha, Magalona, Luteva, Ucecia. Sic finitimam Aquitanicam, Novempopulanam: ſic Græci Cyrenaïcam, Pentapolitanam regionem: ſic partem Syriæ Damaſcenæ, Decapolim à numero oppidorum; & portionem Ægypti, à ſeptem Nomis ſeu Præfecturis oppidorum Heptanomiam dixere.* Ita Vir Clariſſimus. Verùm ejus conjectura nullo modo admittenda; cùm in Notitia Galliarum, in qua diſerta mentio Septem Provinciarum, quinque duntaxat civitates Metropoli Narbonenſi primæ ſubjiciantur, ut videre eſt anno CCCLXXIV num. XI. Quemadmodum itaque *Provinciæ* nomen parti antiquæ Provinciæ Narbonenſis attributum; ita & *Septimaniæ* alteri parti ejuſdem antiquæ Narbonenſis poſt Septem Provinciarum inſtitutionem; licèt tam *Provincia*, quàm *Septimania* antiquæ duntaxat Narbonenſis partem contineant. Certè, quando ea inſtitutio facta, Septem tantùm Provinciæ in unum corpus Reipublicæ conjunctæ; ſed civitates à Metropolibus, quibus antea ſubjacebant, ſubtractæ non fuere; ſicque prima Narbonenſis in eo ſtatu, in quo antea erat, relicta fuit. Hanc porro Septimaniæ denominationem Apoll. Sid. lib. 3. epiſt. 1. nobis primùm prodidit, qui, cùm hæc ſcriberet dimidio vix ſeculo poſt Septem Provinciarum inſtitutionem evoluto, idoneus eſt teſtis, nuncupationis iſtius originem ad illam ipſam diviſionem, uti coætaneam, referendam eſſe.

XXV.

Alaricus *ſumto exercitu per Pannonias, Rufinus Hi-*
Stilicone & Aureliano Conſulibus, & per ſtoriam Ec-
Sirmium dextro latere, quaſi viris vacuam cleſiaſt. Eu-
intravit Italiam. Nullo penitus obſiſtente ad ſebii conti-
pontem applicuit Condiani, qui tertio millia- nuat.

rio ab urbe erat Regia Ravennate, inquit Jornandes libro de Rebus Geticis cap. 29. Quod hoc etiam anno accidiſſe, tradunt Proſper & Caſſiodorus in Chronicis. Quare Rufinus Preſbyter Aquileienſis hoc anno Hiſtoriam ſuam Eccleſiaſticam elucubravit, & Euſebianam, Chromatio Metropolita Aquileienſi jubente, in Latinam linguam vertit. In Præfatione enim ad eundem Chromatium inſcripta aſſerit, eam verſionem ſibi ab eo injunctam, *tempore, quo diſruptis Italiæ clauſtris ab Alarico Duce Gothorum, ſe peſtifer morbus infudit, & agros, armenta, viros, longè lateque vaſtavit.* Addit Rufinus, ſe duos libellos addidiſſe à *temporibus Conſtantini poſt perſecutionem, uſque ad obitum Theodoſii Auguſti.* Qui duo Rufini libelli, decimus nempe & undecimus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebii ſubjuncti, ſeorſum typis dari deberent, ut Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſtudioſis uſui eſſe poſſent.

XXVI. *Sulpicius Severus Hiſtoriam ſuā abſolvit.* Publicavit & hoc anno *Sulpicius Severus* duos ſacræ Hiſtoriæ libros, à creatione mundi uſque ad præſentem annum. Is enim poſtquam ſcripſit, Chriſtum *duobus Geminis Coſſ.* id eſt, anno Æræ Chriſtianæ viceſimo nonó paſſum fuiſſe, ſubdit: *A quo tempore uſque in Stiliconem Conſulem ſunt anni CCCLXXI:* & quidem integri: & CCCLXXII, ſi uterque extremus annus, quod ſæpe fit, incompletus numeretur. Ex quo Severi Sulpicii loco liquet, Chronologiam Baronii uſque ad Diocletiani Imperium depravatam eſſe. Si enim, ut exiſtimavit Cardinalis doctiſſimus, duorum Geminorum Conſulatus in annum Chriſti triceſimum primum competeret, à duobus Geminis ad Conſulatum Stiliconis, quem rectè Baronius connectit cum anno Chriſti CCCC, anni integri duntaxat CCCLXIX; & CCCLXX, ſi extremi intelligerentur incompleti, numerarentur. Quare, cùm Sulpicius hac in re errare non potuerit, liquet, Conſulatum duorum Geminorum cum anno Chriſti XXIX, non verò XXXI connectendum fuiſſe; ideoque operam in hoc biennii metachroniſmo corrigendo, & Annalibus Eccleſiaſticis variis in locis illuſtrandis, ut eorum lectio utilior evaderet, non inutiliter à nobis poſitam.

FINIS SECULI IV.

KALENDARIUM ROMANUM.

QUIA in legendis Annalibus non rarò Kalendarium conſulendum, ut ſcire poſſimus, quem in menſis diem, Feſtum aliquod, præſertim mobile, ut vocant, v. c. Aſcenſionis Chriſti, inciderit, & cum qua feria dies, quâ res aliqua narratur geſta, concurrerit, ad majorem Lectoris commoditatem viſum hîc Kalendarium Romanum exhibere, ſacro-profanum à me concinnatum alias editurus,

JANUARIUS, Græcis AUDYNÆUS.

A	Kal.	1	Circumciſio Domini.
B	iv	2	Octava Sancti Stephani.
C	iij	3	Octava Sancti Joannis Apoſt.
D	Prid.	4	Octava S S. Innocentium.
E	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ cum Commem. S. Teleſphori Papæ & Martyris.
F	viij	6	Epiphania Domini.
G	vij	7	De Octava Epiphaniæ.
A	vj	8	De Octava.
B	v	9	De Octava.
C	iv	10	De Octava.
D	iij	11	De Octava, & Commem. Sancti Hygini Papæ & Martyris.
E	Prid.	12	De Octava.
F	Idib.	13	Octava Epiphaniæ.
G	xix	14	Hilarii Epiſcop. & Confeſſ. cum Commem. Sancti Felicis Preſbyteri & Martyris.
A	xviij	15	Pauli primi Eremitæ, cum Commem. Sancti Mauri Abbatis.
B	xvij	16	Marcelli Papæ & Martyris.
C	xvj	17	Antonii Abbatis.
D	xv	18	Cathedra Sancti Petri Romæ, & Commemorat. Sanctæ Priſcæ Virginis & Martyris.
E	xiv	19	Marii, Marthæ, Audiſacis & Abachum.
F	xiij	20	Fabiani & Sebaſtiani Martyrum.
G	xij	21	Agnetis Virginis & Martyris.
A	xj	22	Vincentii & Anaſtaſii Mart.
B	x	23	Emerentianæ Virginis & Martyris. *Initium Peritii, quinti Syro Macedonum; & Dyſtri, quinti Macedonum menſis.*
C	ix	24	Timothei Epiſcopi & Martyris.
D	viij	25	Converſio Sancti Pauli Apoſtoli.
E	vij	26	Polycarpi Epiſcopi & Martyris. *Initium ſexti menſis Ægyptiaci Mechir,* ſeu *Amſchir.*
F	vj	27	Joannis Chryſoſtomi Epiſcopi & Confeſſ.
G	v	28	Agnetis ſecundò.
A	iv	29	
B	iij	30	Martinæ Virginis & Mart.
C	Prid.	31	

FEBRUARIUS, Græcis PERITIUS.

D	Kal.	1	Ignatii Epiſcopi & Martyris,
E	iv	2	Purificatio B. Mariæ Virginis.
F	iij	3	Blaſii Epiſcopi & Martyris.
G	Prid.	4	
A	Non.	5	Agathæ Virginis & Martyris.
B	viij	6	Dorotheæ Virginis & Martyris.
C	vij	7	Romualdi Abbatis.
D	vj	8	
E	v	9	Apolloniæ Virginis & Martyris.
F	iv	10	
G	iij	11	
A	Prid.	12	
B	Idib.	13	
C	xvj	14	Valentini Preſbyteri & Martyris.
D	xv	15	Fauſtini & Jovitæ Martyrum.

E	xiv	16	
F	xiij	17	
G	xij	18	Simeonis Epiſcopi & Martyris.
A	xj	19	
B	x	20	
C	ix	21	
D	viij	22	Cathedra S. Petri Antiochiæ. *Initium Dyſtri, ſexti Syro-Macedonum; & Xanthici, ſexti Macedonum menſis.*
E	vij	23	Vigilia.
F	vj	24	Matthiæ Apoſtoli.
G	v	25	*Initium ſeptimi menſis Ægyptiaci Phamenoth*, ſeu *Barmahat.*
A	iv	26	
B	iij	27	
C	Prid.	28	

In anno Biſſextili Februarius eſt dierum 29. & Feſtum S. Matthiæ celebratur 25. Februarii, & bis dicitur, *Sexto Kalendas*; id eſt, die 25. & die 24. & litera Dominicalis quæ aſſumta fuit in menſe Januario, mutatur in præcedentem: ut ſi in Januario litera Dominicalis fuit A, mutatur in præcedentem, quæ eſt G, & litera F bis ſervit.

MARTIUS, Græcis DYSTRUS.

D	Kal.	1	
E	vj	2	
F	v	3	
G	iv	4	Caſimiri Confeſſ. & Commemorat. S. Lucii Papæ & Martyris.
A	iij	5	
B	Prid.	6	
C	Non.	7	Thomæ de Aquino Confeſſ. & Doctor. & Commemorat. SS. Perpetuæ & Felicitatis Martyrum.
D	viij	8	
E	vij	9	Franciſcæ Viduæ.
F	vj	10	Quadraginta Martyrum.
G	v	11	
A	iv	12	Gregorii Papæ & Confeſſ. & Eccleſiæ Doctoris.
B	iij	13	
C	Prid.	14	
D	Idib.	15	
E	xvij	16	
F	xvj	17	Patritii Epiſcopi & Confeſſoris.
G	xv	18	
A	xiv	19	Joſeph Confeſſoris.
B	xiij	20	Joachimi Confeſſoris.
C	xij	21	Benedicti Abbatis.
D	xj	22	
E	x	23	
F	ix	24	
G	viij	25	Annuntiatio B. Mariæ Virginis. *Initium Xanthici, ſeptimi Syro-Macedonum; & Artemiſii, ſeptimi Macedonum menſis.*
A	vij	26	
B	vj	27	*Initium octavi menſis Ægyptiaci Pharmuti*, ſeu *Barmude.*
C	v	28	
D	iv	29	
E	iij	30	
F	Prid.	31	

APRILIS, Græcis XANTHICUS.

G	Kal.	1	
A	iv	2	Franciſci de Paula Confeſſoris.
B	iij	3	
C	Prid.	4	
D	Non.	5	
E	viij	6	
F	vij	7	
G	vj	8	
A	v	9	
B	iv	10	
C	iij	11	Leonis Papæ & Confeſſoris.
D	Prid.	12	

E	Idib.	13	Hermenigildi Martyris.
F	xviij	14	Tiburtii, Valeriani & Maximi Martyrum.
G	xvij	15	
A	xvj	16	
B	xv	17	Aniceti Papæ & Martyris.
C	xiv	18	
D	xiij	19	
E	xij	20	
F	xj	21	
G	x	22	Soteris & Caii Pontificum & Martyrum.
A	ix	23	Georgii Martyris.
B	viij	24	Marci Evangeliſtæ.
C	vij	25	Cleti & Marcellini Pontificum & Mart. *Initium Artemiſii, octavi Syro-Macedonum: & Daſii, octavi Macedonum menſis.*
D	vj	26	*Initium noni menſis Ægyptiaci Pachon, ſeu Baſchnes.*
E	v	27	
F	iv	28	Vitalis Martyris.
G	iij	29	Petri Martyris.
A	Prid.	30	Catharinæ Senenſis Virginis.

MAIUS, Græcis ARTEMISIUS.

B	Kal.	1	Philippi & Jacobi Apoſtolorum.
C	vj	2	Athanaſii Epiſcopi & Confeſſoris.
D	v	3	Inventio Sanctæ Crucis, & Commemoratio SS. Alexandri, Eventii & Theoduli Martyrum, ac Juvenalis Epiſcopi & Confeſſoris.
E	iv	4	Monicæ Viduæ.
F	iij	5	
G	Prid.	6	Joannis ante Portam Latinam.
A	Non.	7	Stanislai Epiſcopi & Martyris.
B	viij	8	Apparitio S. Michaëlis Archangeli.
C	vij	9	Gregorii Nazianzeni Epiſcopi & Confeſſoris.
D	vj	10	Gordiani & Epimachi Martyrum.
E	v	11	
F	iv	12	Nerei, Achillei, & Domitillæ Virginis, atque Pancratii Martyrum.
G	iij	13	
A	Prid.	14	Bonifacii Martyris.
B	Idib.	15	
C	xvij	16	Ubaldi Epiſcopi & Confeſſoris.
D	xvj	17	
E	xv	18	
F	xiv	19	Pudentianæ Virginis.
G	xiij	20	Bernardini Confeſſoris.
A	xij	21	
B	xj	22	
C	x	23	
D	ix	24	
E	viij	25	Urbani Papæ & Martyris. *Initium Daſii, noni Syro-Macedonum: & Panemi, noni Macedonum menſis.*
F	vij	26	Philippi Nerii Confeſſoris, cum Commemoratione S. Eleutherii Papæ & Martyris. *Initium decimi menſis Ægyptiaci Payni, ſeu Beuna.*
G	vj	27	Joannis Papæ & Martyris.
A	v	28	
B	iiij	29	
C	iij	30	Felicis Papæ & Martyris.
D	Prid.	31	Petronillæ Virginis.

JUNIUS, Græcis DÆSIUS.

E	Kal.	1	
F	iv	2	Marcellini, Petri atque Eraſmi Martyrum.
G	iij	3	
A	Prid.	4	
B	Non.	5	
C	viij	6	Norberti Epiſcopi & Confeſſoris.
D	vij	7	
E	vj	8	
F	v	9	Primi & Feliciani Martyrum.
G	iv	10	

A	iij	11	Barnabæ Apoſtoli.
B	Prid.	12	Baſilidis, Cyrini Naboris & Nazarii Martyrum.
C	Idib.	13	Antonii de Padua Confeſſoris.
D	xviij	14	Baſilii Magni Epiſcopi & Confeſſoris.
E	xvij	15	Viti, Modeſti atque Creſcentiæ Martyrum.
F	xvj	16	
G	xv	17	
A	xiv	18	Marci & Marcelliani Martyrum.
B	xiij	19	Gervaſii & Protaſii Martyrum.
C	xij	20	Silverii Papæ & Martyris.
D	xj	21	
E	x	22	Paulini Epiſcopi & Confeſſoris.
F	ix	23	Vigilia.
G	viij	24	Nativitas S. Joannis Baptiſtæ.
A	vij	25	De Octava Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ. *Initium undecimi menſis Ægyptiaci Epiphi, ſeu Aibib. Initium Panemi, decimi Syro-Macedonum: & Loi, decimi Macedonum menſis.*
B	vj	26	Joannis & Pauli Martyrum.
C	v	27	De Octava.
D	iv	28	Leonis Papæ & Confeſſoris. Vigilia.
E	iij	29	Petri & Pauli Apoſtolorum.
F	Prid.	30	Commemoratio Sancti Pauli Apoſtoli.

JULIUS, Græcis PANEMUS.

G	Kal.	1	Octava S. Joannis Baptiſtæ.
A	vj	2	Viſitatio B. Mariæ Virginis.
B	v	3	De Octava Apoſtolorum.
C	iv	4	De Octava.
D	iij	5	De Octava.
E	Prid.	6	Octava Apoſtolorum Petri & Pauli.
F	Non.	7	
G	viij	8	
A	vij	9	
B	vj	10	Septem Fratrum & SS. Rufinæ ac Secundæ Martyrum.
C	v	11	Pii Papæ & Martyris.
D	iv	12	Naboris & Felicis Martyrum.
E	iij	13	Anacleti Papæ & Martyris.
F	Prid.	14	Bonaventuræ Epiſcopi & Confeſſoris, & Doct.
G	Idib.	15	
A	xvij	16	
B	xvj	17	Alexii Confeſſoris.
C	xv	18	Symphoroſæ cum ſeptem filiis Martyribus.
D	xiv	19	
E	xiij	20	Margaritæ Virginis & Martyris.
F	xij	21	Praxedis Virginis.
G	xj	22	Mariæ Magdalenæ.
A	x	23	Apollinaris Epiſcopi & Martyris.
B	ix	24	Sanctæ Chriſtinæ Virginis & Martyris. Vigilia.
C	viij	25	Jacobi Apoſtoli. *Initium duodecimi menſis Ægyptiaci Meſori ſeu Muſre. Initium Loi, undecimi Syro-Macedonum; & Gorpiæi, undecimi Macedonum menſis.*
D	vij	26	Annæ Matris B. Mariæ.
E	vj	27	Pantaleonis Martyris.
F	v	28	Nazarii, Celſi, & Victoris Papæ & Martyris, & Innocentii Papæ & Confeſſoris.
G	iv	29	Marthæ Virginis, & Commem. SS. Felicis Papæ, Simplicii, Fauſtini & Beatricis Mart.
A	iij	30	Abdon & Sennen Martyrum.
B	Prid.	31	Ignatii Confeſſoris.

AUGUSTUS, Græcis LOUS.

C	Kal.	1	Petri ad vincula.
D	iv	2	Stephani Papæ & Martyris.
E	iij	3	Inventio Sancti Stephani Protomartyris.
F	Prid.	4	Dominici Confeſſoris.
G	Non.	5	Dedicatio S. Mariæ ad Nives.
A	viij	6	Transfiguratio Domini.

B	vij	7	Donati Epiſcopi & Martyris.
C	vj	8	Cyriaci, Largi & Smaragdi Martyrum.
D	v	9	Romani Martyris. Vigilia.
E	iv	10	Laurentii Martyris.
F	iij	11	Tiburtii & Suſannæ Martyrum.
G	Prid.	12	Claræ Virginis.
A	Idib.	13	Hippolyti & Caſſiani Martyrum.
B	xix	14	Euſebii Confeſſoris. Vigilia.
C	xviij	15	Aſſumptio B. Mariæ Virginis.
D	xvij	16	Hyacinthi Confeſſoris.
E	xvj	17	Octava S. Laurentii.
F	xv	18	Agapiti Martyris.
G	xiv	19	De Octava Aſſumptionis.
A	xiij	20	Bernardi Abbatis.
B	xij	21	De Octava Aſſumptionis.
C	xj	22	Octava B. Mariæ. Commem. SS. Timothei, Hippolyti & Symphoriani Mart.
D	x	23	Vigilia.
E	ix	24	Bartholomæi Apoſtoli.
F	viij	25	Ludovici Regis Franciæ Confeſſoris. *Initium Gorpiæi, duodecimi Syro-Macedonum; & Hyperberetæi, duodecimi Macedonum menſis.*
G	vij	26	Zephyrini Papæ & Martyris.
A	vj	27	
B	v	28	Auguſtini Epiſcopi, Confeſſoris & Eccleſiæ Doctoris.
C	iv	29	Decollatio S. Joannis Baptiſtæ. *Initium primi menſis Ægyptiaci Thoth.*
D	iij	30	Felicis & Adaucti Martyrum.
E	Prid.	31	

SEPTEMBER, Græcis GORPIÆUS.

F	Kal.	1	Ægidii Abbatis.
G	iv	2	
A	iij	3	
B	Prid.	4	
C	Non.	5	
D	viij	6	
E	vij	7	
F	vj	8	Nativitas B. Mariæ Virginis.
G	v	9	Gorgonii Martyris.
A	iv	10	Nicolai de Tolentino Confeſſoris.
B	iij	11	Proti & Hyacinthi Martyrum.
C	Prid.	12	De Octava Nativitatis B. Mariæ.
D	Idib.	13	De Octava.
E	xviij	14	Exaltatio S. Crucis.
F	xvij	15	Nicomedis Martyris.
G	xvj	16	Cornelii & Cypriani Pontif. & Mart.
A	xv	17	Impreſſio Sacrorum Stigmatum in corpore B. Franciſci.
B	xiv	18	Thomæ de Villanova Confeſſoris.
C	xiij	19	Januarii Epiſcopi & Sociorum Martyrum.
D	xij	20	Euſtachii & Sociorum Martyrum.
E	xj	21	Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ.
F	x	22	Mauritii & Sociorum Martyrum.
G	ix	23	Lini Papæ & Martyris.
A	viij	24	*Initium Hyperberetæi, primi Syro-Macedonum; & Dii, primi Macedonum menſis.*
B	vij	25	
C	vj	26	Cypriani & Juſtinæ Martyrum.
D	v	27	Coſmæ & Damiani Martyrum.
E	iv	28	*Initium ſecundi menſis Ægyptiaci Paophi ſeu Baba.*
F	iij	29	Dedicatio S. Michaëlis Archangeli.
G	Prid.	30	Hieronymi Preſbyteri, Confeſſoris & Eccleſiæ Doctoris.

OCTOBER, Græcis HYPERBERETÆUS.

A	Kal.	1	Remigii Epiſcopi & Confeſſoris.
B	vj	2	
C	v	3	
D	iv	4	Franciſci Confeſſoris.
E	iij	5	Placidi & Sociorum Martyrum.
F	Prid.	6	Brunonis Confeſſoris.

G	Non.	7	Marci Papæ & Confeſſoris.
A	viij	8	Birgittæ Viduæ.
B	vij	9	Dionyſii, Ruſtici & Eleutheri Martyrum.
C	vj	10	
D	v	11	
E	iv	12	
F	iij	13	
G	Prid.	14	Calliſti Papæ & Martyris.
A	Idib.	15	Tereſiæ Virginis.
B	xvij	16	
C	xvj	17	
D	xv	18	Lucæ Evangeliſtæ.
E	xiv	19	
F	xiij	20	
G	xij	21	Hilarionis Abbatis, & Commem. SS. Urſulæ & Sociarum Virginum & Mart.
A	xj	22	
B	x	23	
C	ix	24	*Initium Dii, ſecundi Sacro-Macedonum; & Appellæi, ſecundi Macedonum menſis.*
D	viij	25	Chryſanthi & Dariæ Martyrum.
E	vij	26	Evariſti Papæ & Martyris.
F	vj	27	Vigilia.
G	v	28	Simonis & Judæ Apoſtolorum. *Initium tertii menſis Ægyptiaci Athyr, ſeu Athur.*
A	iv	29	
B	iij	30	
C	Prid.	31	Vigilia.

NOVEMBER, Græcis DIUS.

D	Kal.	1	Feſtum omnium Sanctorum.
E	iv	2	Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum.
F	iij	3	De Octava.
G	Prid.	4	Caroli Epiſc. & Confeſſ. & Commem. SS. Vitalis & Agricolæ Mart.
A	Non.	5	De Octava.
B	viij	6	De Octava.
C	vij	7	De Octava.
D	vj	8	Octava omnium SS. & Commem. SS. quatuor Coronatorum Martyrum.
E	v	9	Dedicatio Baſilicæ Salvatoris, & Commem. S. Theodori Martyris.
F	iv	10	Triphonis, Reſpicii, & Nymphæ Martyrum.
G	iij	11	Martini Epiſc. & Confeſſ. & Commem. S. Mennæ Martyris.
A	Prid.	12	Martini Papæ & Martyris.
B	Idib.	13	
C	xviij	14	
D	xvij	15	
E	xvj	16	
F	xv	17	Gregorii Thaumaturgi Epiſcopi & Confeſſoris.
G	xiv	18	Dedicatio Baſilicarum Petri & Pauli.
A	xiij	19	Pontiani Papæ & Martyris.
B	xij	20	
C	xj	21	Præſentatio B. Mariæ Virginis.
D	x	22	Cæciliæ Virginis & Martyris.
E	ix	23	Clementis Papæ & Martyris cum Commem. S. Felicitatis Martyris. *Initium Appellæi, tertii Syro-Macedonum; & Audinæi, tertii Macedonum menſis.*
F	viij	24	Chryſogoni Martyris.
G	vij	25	Catharinæ Virginis & Martyris.
A	vj	26	Petri Alexandrini Epiſcopi & Martyris.
B	v	27	*Initium quarti menſis Ægyptiaci Choeac, ſeu Chiac.*
C	iv	28	
D	iij	29	Vigilia, & Commem. S. Saturnini Martyris.
E	Prid.	30	Andreæ Apoſtoli.

DECEMBER, Græcis APPELLÆUS.

F	Kal.	1	
G	iv	2	Bibianæ Virginis & Martyris. Franciſci Xaverii Confeſſoris.
A	iij	3	
B	Prid.	4	Barbaræ Virginis & Martyris.
C	Non.	5	Sabbæ Abbatis.

D	viij	6	Nicolai Epiſcopi & Confeſſoris.
E	vij	7	Ambroſii Epiſcopi, Confeſſoris & Eccleſiæ Doctoris.
F	vj	8	Conceptio B. Mariæ Virginis.
G	v	9	
A	iv	10	Melchiadis Papæ & Martyris.
B	iij	11	Damaſi Papæ & Confeſſoris.
C	Prid.	12	
D	Idib.	13	Luciæ Virginis & Martyris.
E	xix	14	
F	xviij	15	Euſebii Vercellenſis Epiſcopi & Mart.
G	xvij	16	
A	xvj	17	
B	xv	18	
C	xiv	19	
D	xiij	20	Vigilia.
E	xij	21	Thomæ Apoſtoli.
F	xj	22	
G	x	23	
A	ix	24	Vigilia. *Initium Audynai, quarti Syro-Macedonum; & Peritii, quarti Macedonum menſis.*
B	viij	25	Nativitas Domini noſtri Jeſu Chriſti.
C	vij	26	Stephani Protomartyris.
D	vj	27	Joannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ. *Initium quinti menſis Ægyptiaci Tybi, ſeu Tubæ.*
E	v	28	SS. Innocentium Martyrum.
F	iv	29	Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi & Martyris.
G	iij	30	
A	Prid.	31	Silveſtri Papæ & Confeſſoris.

FINIS.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

IN APPARATU CHRONOLOCICO.

I. *Utraque Regni Herodiani epocha ex bello Parthico innoteſcit.*

JOSEPHUS lib. 14. Antiquit. cap. 26. dicit, Senatum Romanum *Herodem* Judææ Regem declaraſſe, quòd Antonius retuliſſet, *ad Parthicum bellum plurimum conducere, ut regnaret Herodes*; additque, Antigonum hoſtem judicatum, *quòd contemtis Romanis à Parthis accepiſſet Imperium*, Judæorum nempe. Quare ſi quæ Romanos inter & Parthos geſta annis ſuis certò aſſignentur, quibus annis *Herodes* primùm Rex Judææ renuntiatus fuerit, & poſtmodum, *Antigono* devicto, Hieroſolymis regnare cœperit, indubitatò etiam conſtabit. Poſt pugnam itaque ad *Philippos* Macedoniæ civitatem, anno Urbis DCC XII omnium conſenſu habitam, in qua Brutus & Caſſius Julii Cæſaris interfectores, victi profligatique, Imperium Cæſar Antoniuſque inter ſe partiti ſunt, & *Antonius in Aſiam, Cæſar in Italiam curſum convertit*; idque anno Urbis DCC XIII, ut aſſerit Dio lib. 48. ipſo ejus initio. Tum Antonius exactis totâ Aſiâ ac Syriâ graviſſimis tributis, quæ multis motibus occaſionem præbuêre, relicto in Aſia L. Munatio Planco, in Syria verò L. Decidio Saxa, *militibus per hiberna diſtributis, in Ægyptum poſt Cleopatram profectus eſt*, inquit Appianus lib. 5. de Bellis civil. pag. 677.

II. *Herodes Rex Judææ dictus anno, quo Parthi Syriam occuparunt.*

Anno Urbis DCC XIV, Italiâ bello civili inter Cæſarem ac L. Antonium Conſulem flagrante, Antonioque Ægypti in hibernis voluptatibus indulgente, Parthi Pacoro Regis Parthorum filio ac Labieno Ducibus Syriam aggreſſi ſubegere univerſam, *Tyro excepta: quam urbem Romani reliqui, ac qui cum his ſentiebant Syri, anteceperant, ac neque ſuaſionibus, neque vi (nam claſſem Parthi nullam ſecum habebant) in poteſtatem ejus redigi potuerunt*, inquit Dio lib. 48. pag. 372. Tunc contigit quod refert Joſephus lib. 14. Antiquit. cap. 24. *Antigonus*, inquit, *mille talenta & quingentas mulieres daturum ſe Parthis eſt pollicitus, ſi ab Hyrcano in illum Regnum transferrent, & Herodem unà cum ſuis interficerent: quæ tamen non dedit; ſed Parthi nihilominus aſſerturi Regnum Antigono, duxerunt verſus Judæam exercitum, Pacorus per maritima, Satrapa per mediterranea. Pacorum excluſerunt Tyrii, ſed Sidonii ac Ptolemaïdenſes intromiſerunt.* Hæc Ptolemaïdenſium deditio ad Parthos hoc anno facta diligenter notanda; ex ea enim validum argumentum infrà deducemus ad priorem pugnam Parthos inter & Romanos habitam, in qua Labienus occiſus, ſuo anno reddendam. Porrò Syriam anno Urbis DCC XIV à Parthis occupatam, teſtatur non ſolùm Dio citatus, ſed etiam Joſephus lib. 14. Antiquit. cap. 23. qui ait, id factum *altero anno* ab adventu Antonii in Aſiam, quo cum anno Urbis DCC XIII ſeſe contuliſſe, ſuprà diximus. Illius invaſionis occaſione *Herodes* Rex Judææ à Senatu Romano declaratus, idque eo anno Urbis DCC XIV exeunte, ut in Apparatu Chronologico demonſtratum eſt. Annos autem Urbis cum Hiſtoricis Romanis à Kalendis Januariis hîc auſpicor. De priori hac regni Herodiani epocha nulla difficultas ſupereſſe videtur.

III. *Prior Ventidii de Parthis victoria anno Urbis DCC XV relata.*

Verùm, ſecunda hactenus in obſcuro fuit, aliis cum Dione eam ad annum Urbis DCC XVI, aliis ad annum Urbis DCC XVII referentibus. Sed Hieroſolymam anno tantùm Urbis DCC XVII, eoque in finem vergente, expugnatam eſſe, ideoque & ab eo anno ſecundam regni Herodis epocham deducendam, utraque Ventidii Romani Ducis victoria Parthica certò nos edocet. Hiſtorici Romani, qui de priori, in qua *Labienus* cecidit, locuti ſunt, teſtantur eam à Ventidio reportatam poſt reconciliationem Cæſaris & Antonii cum Sexto Pompeio, qui Siciliam tenens Italiam vaſtabat, navibuſque prædatoriis infeſtum mare faciebat. Plutarchus in Marco Antonio pag. 930. ait, *pace compoſita* Antonium præmiſiſſe in Aſiam Ventidium, ut *progreſſum Parthorum ſuſtineret*, Antoniumque Italiâ exceſſiſſe, & in Græciam veniſſe. Tum ſubdit: *Hibernanti Athenis prima Ventidii res proſperè geſta nuntiantur, Parthis fuſis, Labienum & ſummum Regis Herodis Ducem Pharnapatem ab eo interfectos.* Ad hæc, Velleius lib. 2. cap. 77. ubi de ea pace circa *Miſenum* inita locutus eſt, capite ſequenti de victoriis à Ventidio de Parthis relatis verba facit. Quare cùm ex Dione lib. 48. pag. 376. & 377. liqueat, eam pacis tractationem cœptam, cùm *jam in exitu* eſſet *annus*, Urbis ſc. DCC XIV, & inſequentis anni initio, Urbis nempe DCC XV, pacis conditiones conſcriptas, manifeſtum eſt, Labienum è Parthorum Ducibus unum, anno tantùm Urbis DCC XV à Ventidio devictum; quod cùm Dio etiam diſertè teſtetur ibidem pag. 38., mirum eſt, Noriſium, & Uſſerium, qui ſe hac in re Dionem ſequi profitentur, pugnam illam cum anno Urbis DCC XIV illigaſſe.

IV. *Annus ejuſdem victoriæ ex Conſulum deſignatione demonſtratur.*

Plutarcho, Velleio, & Dioni ſuffragatur Appianus lib 5. de Bellis civilibus pag. 709. ait enim, poſt ultimum fœdus inter Cæſarem & Antonium ictum, Antonium dimiſiſſe Ventidium in Aſiam, *ut reprimeret Parthos, Labienumque juniorem auxilio Parthorum per occaſionem civilis motus infeſtantem Syriam uſque Ioniam.* Tum pag. 113. & ſeqq. de pace inter Cæſarem, Antonium, & Sextum Pompeium ſancita ſermonem inſtituit; & inter ea quæ tunc geſta aſſerit, Conſulum deſignationem memorat: *Sequenti die*, inquit, *Conſules deſignati ſunt in quadriennium; ante omnes Antonius & Libo, ut tamen Antonio liceret alium pro ſe ſubſtituere:*

poſt illos Cæſar & Pompeius, tum Ænobardus & Soſius; deinde rurſum Cæſar & Antonius, tertiùm tunc futuri Conſules, &, ut ſperabatur, populo reddituri adminiſtrationem Reipublicæ. Conſules illi deſignati in annos Urbis DCCXX, DCCXXI, DCCXXII, & DCCXXIII, ut videre eſt apud Onuphrium lib. 2. Faſtorum. Quare tam pax illa cum Sexto Pompeio facta, quàm præfata Conſulum deſignatio pertinent ad initium anni Urbis DCCXV. Nam ſi anno præcedenti ea deſignatio facta eſſet, non in quadriennium, ſed in quinquennium Conſules illi nominati eſſent. Eoque Urbis anno Conſules illos deſignatos, inſinuat Dio lib. 48. pag. 377. cùm de rebus anno Urbis DCCXV geſtis verba habet. *Anſam*, inquit, *multitudini eorum, qui in Senatum allegerentur, expeditio Antonii quam in Parthos parabat, præbuit: unde & Magiſtratus alii in aliquot annos, & Conſules in octo totos annos, tum ordinaverunt*, in annos nempe Urbis DCCXVI, DCCXVII, DCCXVIII, DCCXIX, & quatuor ſequentes, de quibus ultimis tantùm Appianus mentionem facit: annum enim Urbis DCCXXIII ultimum fuiſſe ex illis octo, in quos creati Conſules ordinati fuerant, ipſemet Dio lib. 50. pag. 424. disertis verbis docet. Hujus deſignationis teſtes certiſſimi Marci Antonii Nummi apud Mediobarbum pag. 16. in quorum antica legitur .M. ANTONIUS IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT in poſtica: III. V.R. R. P. C. id eſt, *Triumviri Reipublicæ conſtituendæ.* Conſulatum geſſerat Antonius anno Urbis DCCX, iterum que Conſul fuit anno Urbis DCCXX, tertium Conſulatum ſuſcepturus anno DCCXXIII, niſi antea à populo hoſtis judicatus fuiſſet, illique is magiſtratus abrogatus. Cùm itaque Appianus lib. de Bellis Parthicis pag. 156. affirmet, *Ventidium* Parthos viciſſe, Labienumque occidiſſe, poſtquam Cæſar & Antonius cum Sexto Pompeio pacem pepigere, Conſuleſque in plures annos deſignavere, illa Ventidii de Labieno victoria anno Urbis DCCXV certiſſimè reportata.

V. *Livius pacē cum Sex. Pompeio factam præpoſterè narravit.*

Et tamen tam Uſſerius, quàm Noriſius, Labienum à Ventidio anno Urbis DCCXIV ſuperatum fuiſſe volunt; eodemque anno Antonium ac Cæſarem cum Pompeio pacem feciſſe, Noriſius in Cenotaphiis Piſanis pag. 141. contendit: nam Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. de ea pace non loquitur, cùm tamen ex ea annus prioris victoriæ de Parthis à Ventidio relatæ pendeat. Verum quidem eſt, in Epitome libri 127. Titi Livii hæc verba legi: *P. Ventidius Antonii Legatus Parthos prælio victos Syriâ expulit, Labieno eorum Duce occiſo. Cum vicinus Italiæ hoſtis Sex. Pompeius Siciliam teneret, & annonæ commeatum impediret, cum eo poſtulatam pacem Cæſar & Antonius quidem fecerunt, ita ut provinciam Siciliam haberet.* Ex quo ſequi videtur, exiſtimaſſe Livium, Ventidium ante pacem Cæſaris & Antonii cum Sex. Pompeio initam, Labienum debellaſſe, ideoque & anno Urbis DCCXIV, quo exeunte de ea pace agi cœptum. Verùm in illo argumento libri 127. ordinem temporis in omnibus Livius non ſervavit, quemadmodum nec Velleius laudatus, qui poſtquam de illa pace mentionem fecit, variaque alia narravit, inquit: *Hoc tractu temporum Octaviam ſororem Cæſaris Marcus Antonius duxit uxorem.* & tamen, ipſo etiam Livio ibidem teſte, Antonius, pace facta cum Cæſare, Octaviam ſib. matrimonio copulavit, antequam ſc. pacem cum Sex. Pompeio contraheret.

VI. *Annus quo Herodes Ptolemaïdem adventavit.*

Adventus Herodis *Ptolemaïdem* poſtquam à Senatu Romano Rex Judæorum declaratus eſt, Uſſerio Noriſioque errandi cauſa fuere, ut eruditiſſimus Toinardus in literis ad me datis obſervavit. Joſephus enim lib. 14. Antiquit. cap. 27. poſtquam ſuperiori de illo Senatuſconſulto locutus fuiſſet, ait: *Interim Herodes ex Italia reverſus Ptolemaïdem, collectis non mediocribus copiis, tum ex conductitio, tum ex ſuæ gentis milite, properabat per Galilæam contra Antigonum, adjutus à Silone ac Ventidio, ad quos Dellius ab Antonio miſſus fuerat cum mandatis, ut Herodem in ſuum Regnum deducerent: quamvis Ventidius tum ſorte diſtinebatur componendis civitatum tumultibus, quos irruptio Parthorum excitaverat: Silo verò in Judæa erat, ſed pecuniâ corruptus ab Antigono.* Exiſtimarunt enim, Herodem ſub finem anni Urbis DCCXIV Ptolemaïdem veniſſe, & in Judæa hiemem tranſegiſſe; cùm tamen ea hieme tam Ptolemaïs, quàm aliæ Syriæ urbes à Parthis occuparentur, nec eas receperit Ventidius, niſi poſtquam Labienum vicit, *Arado* tantùm excepta, quæ vix tandem poſtea ab aliis expugnata eſt, ut prodit Dio lib. 48. pag. 382. Quare Herodes *Ptolemaïdem*, quæ anno Urbis DCCXIV Parthos intromiſerat, ut ſuprà diximus ex Joſepho, eodem Urbis anno nullo modo venire potuit; neque ad eam accedere, niſi poſtquam, excepta Arado, Ventidius fuſo Labieno Phœniciam & Syriam ſibi ſubjecit. *Herodes* itaque poſtquam Rex declaratus eſt, hiemem tranſegit, vel Athenis apud Antonium, vel Rhodi, vel in aliqua alia civitate, quòd in Phœniciam & Judæam a Parthis & Antigono occupatas appellere non poſſet. Tranſacta verò illa hieme, ubi accepit, Labienum Parthorum Ducem à Ventidio ſuperatum, Ptolemaïdem venit, ideoque annò Urbis DCCXV, eoque tempore, quo *Ventidius diſtinebatur componendis civitatum tumultibus, quos irruptio Parthorum excitaverat*, ut disertè Joſephus citatus ſcribit.

VII. *Annus quo Pacorus occiſus.*

Priori victoria Parthica ſuo anno aſſignata, liquet, ſecundam, in qua *Pacorus* Parthorum Regis filius interfectus, pertinere ad annum Urbis DCCXVI, quo & eam Dio lib. 49. pag. 403. recitavit. Hæc enim Dionis verba: *Porrò Antonii & Barbarorum res*, &c. uſque ad illa, *anno inſequenti*, &c. ea continent quæ Dio anno Urbis DCCXVI geſta eſſe putavit. Cùm itaque tam Uſſerius, quàm Noriſius fateantur, duas illas Ventidii victorias, de Labieno nempe & de Pacoro, ad diverſos annos pertinere; nullum dubium eſſe poteſt, quin poſterior ad præſentem annum ſpectet, ideoque quin Hieroſolyma anno tantùm Urbis DCCXVII capta fuerit, & ab ea expugnatione, annoque Urbis, ſecunda Regni Herodiani epocha deſumenda ſit, ut in Apparatu Chronologico demonſtravi.

SECULO PRIMO.

Conſulatus Caii Cæſaris.

ANNO *Chriſti I. ad num. I & II.* Dum hoc Opus ſub prælo ſudaret, Romam ad amicum ſcripſi, ut videret, an in Bibliotheca Vaticana extaret aliquod MS. Hiſtoriæ Dionis, & quibus verbis hujus anni Conſulatus exprimeretur; qui reſcripſit, in Codice MS. Dionis num. 993. illum ita deſcriptum eſſe: Καισαρ αὔγυςος τῦ υ. λ' Αιμιλιος λ' υ. παῦλος. qui locus, ut in aliis Dionis MSS. depravatus. Sed vox υ. ſeu υἱὸς, id eſt, *filius*, Librarii errorem manifeſtè indicat, oſtenditque legendum eſſe, αὐγύςυ υἱὸς, id eſt, *filius Auguſti*, non verò αὔγυςος τῦ; cùm voces hæ minimè inter ſe cohæreant. Prætermiſit etiam Librarius litteram γ. id eſt, *Caius*. Porro

Sentius Saturninus Syriæ præeſt.

Anno Chriſti III. ad num. II. Annus Antiochenus XXXV à Kalendis Septemb. anni U.C. DCCXXIII deductus, inchoatur anno Urbis DCCLVII, ideoque anno Chriſti IV. Eo itaque anno *Cn. Sentius Saturninus* Syriam regebat, non verò *Quirinius*, ut putavit Baronius. Ille enim ante annum Chriſti VII in eam Provinciam miſſus non eſt. Anno

Phlegõ ſcripſit de Olympiadibus.

Anno Chriſti XXXII. ad num. XIV. *Olympicorum & Chronicorum Collectio* edita à Phlegonte Tralliano adhuc extabat nono Eccleſiæ ſeculo, quo Photius in ſua Bibliotheca cod. XCVII, ſe quinque illius libros legiſſe aſſerit, ex qua & aliqua decerpſit. Quare eam videre potuit Joannes Philoponus, qui longè ante Photium vixit. Incertum tamen an XVI libri, quibus ea Collectio conſtabat, adhuc omnes ſupereſſent.

Ad num. LXII.

Era Antiochena.

Anno Chriſti XXXIX. ad num. III. Dixi, priorem epocham Antiochenam, Pompeianam dictam, quæ communiter conſignatur anno Periodi Græco Romanæ 5441, biennio tardiùs inſtitutam eſſe. Verùm, cùm nullo id exemplo hactenus probare potuerim, ſatius eſt adhærere vulgari ſententiæ, donec aliquod occurrat. Anno

I. *Catalogus Bucherianus.*

Anno Chriſti LXVII ad num. VII. Cùm Catalogus veterum Pontificum Romanorum ab Ægidio Bucherio in Comment. de Doct. Temp. pag. 269. publicatus, (quem Chronicon Damaſi nominandum diximus) occaſio fuerit reſtitutionis Chronologiæ Pontificiæ, juvabit hîc variam ejus fortunam paucis explicare. Eo uſus eſt Onuphrius in Chronico Eccleſiaſtico; Baronius verò, quòd ejus Chronologiæ non congrueret, & aliunde aliquot erroribus fœdetur, aſpernatus eſt. Tum cùm anno MDCXX exemplar ejus MS. ad manus *Peireskii* Viri noſtro ſeculo futuriſque memorandæ eruditionis perveniſſet, longè aliud quàm Baronius de eo judicium tulit, ut liquet ex Epiſtola, quam dum Pariſiis eſſet, die XXVII Novembris illius anni Romam ad *Aleandrum* Virum doctiſſimum ſcripſit, quæque ſuo tempore lucem videbit. In ea ille Aleandrum monet, *D. Schilderum* ſummiſiſſe ſibi eum Catalogum, ad Præſidem Atrebatenſem pertinentem, ea conditione, ut ad alienas manus non veniret, & poſtquam illum examinaſſet ac deſcripſiſſet, tutò tranſmitteret. Addit *Peireskius*, in unico illo MS. ab annis circiter octingentis exarato, contineri quatuor alia Opuſcula, quæ, quemadmodum & Catalogum illum pluribus laudibus effert, aſſerens autographum ſeculo Conſtantinianeo videri compoſitum, pollicenſque Aleandro ſe exemplar exactiſſimum quamprimùm miſſurum. Poſt aliquot annos idem numero MS. in manus *Bucherii* venit. Is enim cap. 14. de Doct. Temp. ait, ſe, cùm menſe Octobri anni MDCXXXII Antuerpiam veniſſet, *Bollandum* quaſdam ſibi *Heriberti Roſweidi* ſchedas obtuliſſe, exſcriptas è vetuſtiſſima membrana, quam *D. Joannes Brennerus*, Regius olim in Senatu Luxemburgenſi Secretarius & Actuarius, diu penes ſe habuerat; & tandem *D. Aſſonvillio* Regi Catholico à privatis Bruxellæ Conſiliis dono dederat. Ea quinque Opuſcula, egregia Antiquitatis monumenta, Bucherius anno MDCXXXIV *Antuerpiæ* typis mandavit, monuitque, laudatum Pontificum Romanorum Catalogum reliquorum fontem videri poſſe.

II. *A Viris doctis commendatus.*

Anno MDCXLVI. *David Blondellus* Amſtelodami promulgavit Apologiam pro ſententia Hieronymi *de Epiſcopis & Presbyteris*, in qua, uti & in ejus Præfatione, Catalogum illum valde commendat, eoque ad veterum Pontificum tempora digerenda in illo Opere utitur. Tandem *Henſchenius* eundem Catalogum, aliumque ſexto Eccleſiæ ſeculo compoſitum, Chronicon auctius veterum Pontificum ad majorem horum Catalogorum diſtinctionem à me appellatum, tomo primo Sanctorum menſis Aprilis anno MDCLXXV edito præfixit illuſtravitque; eoque demortuo, uterque Catalogus à *Papebrocio* non ſolùm magis explicatus, ſed etiam Chronologia Pontificia ad noſtra uſque tempora producta. Tantorum Virorum de Catalogo Bucheriano judicium cùm diligenter perpendiſſem, non dubitavi, quin ad illius normam antiquorum Pontificum Romanorum anni ordinandi eſſent, locis tamen, in quibus ille corruptus & depravatus, emendatis. Parum autem curavi, quòd Auctori illi trium aut quatuor priorum Pontificum tempora ſatis perſpecta fuiſſe non videantur, ſicuti nec quis eorum priùs aut poſteriùs ſederit, cùm nulla eorum Acta habeamus, nullaque teſtimonia hiſtorica, quæ prioris illius ſeculi tenebras depellere poſſint; & in Chronologia arbitraria aut commentitia ſatius ſit adhærere alicui Scriptori antiquo, quàm incertis conjecturis inniti.

III. *Sed non ab omnibus.*

Poſtquam hujus Operis editio abſoluta, miſſa ad me ex Anglia Diſſertatio poſthuma *Joannis Pearſonii*, Ceſtrienſis Epiſcopi Proteſtantis, *de Serie & Succeſſione primorum*

Romæ Epiſcoporum hoc anno Londini prælo excuſa, cui ſubjuncta eſt alia de eadem ſucceſſione Diſſertatio, Auctore *Henrico Dodwello*, Viro ejuſdem ritûs doctiſſimo. Contendit Pearſonius, in primis Eccleſiæ Romanæ Traditionibus, Græcis potiùs, quàm ipſis Romanis acquieſcendum, eamque ob rem uſque ad Anicetum, *Eutychium* Epiſcopum Alexandrinum ſequitur; addens, Catalogum Bucherianum, ſi opportunè, ubi hiulcus eſt, ſuppleatur, & ubi depravatus, emendetur, in Aniceti ſucceſſoribus nos tutiſſimè ſequi poſſe. Verùm, licèt rectè obſervarit *Pearſonius*, Euſebium non ex Archivis Eccleſiæ Romanæ Pontificum tempora hauſiſſe, nec ex aliquo alio Scripto certis temporum characteribus inſignito; cùm alios in Chronico, alios poſtea in Hiſtoria Epiſcopis Romanis annos ſæpe tribuat; & in poſterioribus quoque & ſuæ ætati proximis, quæ prioribus notiora fuerunt, manifeſtò lapſus ſit, etiam tum cùm *Depoſitio* Romæ conſervaretur, peſſimum tamen ducem elegit. *Eutychius* enim homo externus, & decimi ſeculi Scriptor, cujus hiſtoriam *Edwardus Procockius* anno M DC LVIII in Latinam linguam vertit, veterum Pontificum Romanorum tempora ſcire non potuit, cùm etiam prædeceſſorum ſuorum, quæ tamen ab Euſebio rectè conſignata fuerant, ignoraverit; & in ſingulis fermè aliis narrationibus craſſos errores Chronologicos admiſerit; cùm contra Auctor Catalogi Bucheriani quarto Eccleſiæ ſeculo vixerit, in ipſo Eccleſiæ Romanæ ſinu natus ſit, & quamplurima referat, quæ ipſo Pearſonio teſte, nullus jure in dubium revocarit. Præterea, ſi poſt Anicetum, Bucherianum Catalogum, dummodo ſuppleatur & emendetur, tutò ſequi poſſumus, cur non & in præcedentibus Pontificibus, ſi eadem cautela adhibeatur, eo uti poterimus?

IV. *Euſebius in Chronologia Pontificia cæcutiit.*

Dodwellus Catalogo Bucheriano ubique ferè fidem derogat, & Euſebium uſque ad martyrium S. Fabiani Papæ, quod Decio imperante contigit, rectum tramitem tenuiſſe contendit, ac poſtea eum nihil explorati habuiſſe. At, ut inquit Pearſonius cap. 10. ſuæ Diſſertationis, ſi appareat, Euſebium in temporibus eorum, qui ſuæ ætati propiores erant, referendis, nullum certum indiculum habuiſſe, quem ſequeretur; nemo cum fundamento dixerit, ei certa magis & explorata fuiſſe priora Pontificum tempora à ſuis longè remotiora. In Chronico Euſebii ad annum Valeriani primum vel ſecundum hæc legimus: *Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum tenet XXIII Xyſtus annis VIII.* Et ad Gallieni decimum vel undecimum: *Alexandrinæ Eccleſiæ XXIV Epiſcopus ordinatur Maximus.* Ad ejuſdem undecimum vel duodecimum: *Romanæ Eccleſiæ XXIV Epiſcopus conſtituitur Dionyſius annis IX vel XII.* Et rurſus ſub initio Imperii Probi: *Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum ſuſcipit XXV Felix.* Duobus igitur Romanis Epiſcopis Xyſto & Dionyſio ſimul ſumtis annos tribuit ſupra viginti. Qui quidem immanis prochroniſmus eſt. Ac ne fortè error in editionem Chronici irrepſiſſe videatur, idem etiam haud minor, ſed major apparet in Hiſtoria. Illic enim lib. 7. cap. 27. Pontificatui Xyſti tribuit annos XI. Nec mirum; nam quem ordinatum eſſe docuit ſub initio Valeriani Chronicon, eundem ſub Gallo ordinatum eſſe narrat Hiſtoria. Primò igitur ingens error ubique committitur in Pontificatu Xyſti, ſive initium, ſive finem ejus ſpectes. Nam ſi ſub Gallo ordinatus eſt Xyſtus, ſucceſſit Lucio, & Stephanus Papa nunquam fuit; ſi ſub primo vel ſecundo Gallieni, error adhuc manet, qui & alium in Chronico ſibi adjunxit. Nam inde in eo legimus ad annum Valeriani ſecundum: *Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus martyrio coronatur.* Qui manifeſtus eſt aliquot annorum prochroniſmus. Si Cyprianus vel proximo vel eodem anno, quo ordinatus eſt Xyſtus, martyrium ſubiit, quod verum eſt, initium Xyſti multò maturiùs quàm oportuit, ab Euſebio ponitur. Unde conſtat, eum non habuiſſe certum aliquem Epiſcoporum Romanorum Catalogum, quod ad annos Cornelii, Lucii, Stephani, & Xyſti pertinet. Ita Pearſonius, qui & eundem errorem aliis argumentis manifeſtat. Cùm itaque in ſequentibus Pontificibus Romanis, iiſque præſertim, qui ſua ætate vixere, cæcutierit Euſebius, alteri non monſtrabit viam, qui ſibi ſemitam non ſapuit.

Porro quia

Anno Chriſti LXIX. ad num. III. Plutarchus in Galba pag. 1063. confirmat quod diximus de initio Vitellii, quòd ſc. die ſecunda menſis Januarii dictus fuerit Imperator, & Galbam ac Piſonem Cæſarem interfectos fuiſſe *ad octavum decimum Kal. Februarias.* Quæ Plutarchi loca ab Hiſtoriæ Auguſtæ Interpretibus miror non animadverſa. — *Initium Vitellii, & finis Galbæ.*

Ad num. III.

Anno Chriſti XCVII. ad num. IX. Si quis velit hæc Victoris in Cæſaribus verba: *Abhinc diviſa nomina Cæſarum, atque Auguſti*, &c. per parentheſim dicta eſſe, numeranda erunt inter falſa & portentoſa, quæ in Victore leguntur, de quibus num. V dixi. — *Corrigitur Victor.*

Denique

SECULO SECUNDO.

ANNO CIII. *num. I. poſt hæc verba :* in præmium virtutis datus, *adde :* ut aliquo modo in triumphi Dacici partem veniret. Ex quo & illum præſenti anno actum datur intelligi. Sic Promotus & Timaſius anno CCCLXXXIX, quo Theodoſius M. de Maximo Tyranno triumphavit, Faſtis nomen dedêre; quia in expeditione contra Maximum Promotus equeſtribus copiis, Timaſius pedeſtribus præfuerat. Mediobarbus

Imperatores Trib. Poteſtatem à die ſuſcepti Imperii inchoabant.

Eodem anno poſt num. V. hæc addenda. Jam diu Chronologos torquent varia Numiſmata, in quibus plures tribuuntur anni quibuſdam Imperatoribus, quàm ex certis Hiſtoriæ monumentis eos regnaſſe conſtat. Superſunt Nummi Græci *Nervæ*, in quibus tertius annus notatur; cùm tamen ſecundum Imperii tantùm delibarit. Sic in Nummo Græco *Heliogabali* à Vaillantio tom. 2. Numiſmatum Coloniarum recitato, legitur annus quintus, quem is prætermiſit, quòd *Heliogabalus* ad illum non pervenerit. *Toinardus*, quem in Critica laudavi, quique me monuit de illa Nummi Heliogabali mutilatione, exiſtimabat difficultatem ceſſare, ſi advertamus, Imperatores annos Imperii, ac Tribunitiam Poteſtatem à die *IV Idus Decembris* cum Tribunis iniiſſe, & menſes, qui à die ſuſcepti Imperii ad IV Idus Decembris fluxerant, pro anno computaſſe, eodemque die annum ſecundum, ſeu Tribunitiam Pot. II. inchoaſſe, & ſic deinceps. Verùm eam ſententiam Nummi refellunt. Mediobarbus duos *Neronis* exhibet, in quibus is dicitur TR. P. III. COS. II. qui tamen anno Chriſti LVII, quo ſecundum Conſulatum geſſit, TRIB. POT. IV. COS. II. diceretur, ſi menſe Decembri anni LIV ſecundam Tribunitiam Poteſtatem, ut vult Vir doctiſſimus, auſpicatus eſſet: menſe enim Octobri illius anni Claudio ſucceſſerat. Sic *Domitianus* in Nummo apud Mediobarbum dicitur TR. P. II. COS. VIII. Imperare cœpit Domitianus die XIII Septembris anni LXXXI: quare anno LXXXIII, quo Conſulatum IX ſumſit, non TR. P. II. ſed TR. P. III. diceretur, ſi ea ſententia vera eſſet. *Marcus Aurelius* Tribunitia Poteſtate anno Chriſti CXLVII ornatus eſt, qui ideo initio anni CLXI, quo tertiùm Conſul proceſſit, dictus fuiſſet TRIB. POT. XVI. Et tamen Mediobarbus varios hujus Imperatoris Nummos profert, in quibus legitur, TRIB. POT. XV. COS. III. Denique *Severus Alexander* in variis Nummis apud Mediobarbum dicitur TR. P. IIII. COS. II. qui, cùm anno Chriſti CCXXII menſe Martio regnare cœperit, annoque CCXXVI ſecundum Conſulatum capeſſierit, priùs Tribunitiam Poteſtatem V, quàm Conſulatum II ſuſcepiſſet, ſi IV Idus Decembris eam exorſus eſſet. Non dubito itaque, quin Vir eruditiſſimus eam ſententiam abjiciat, quando hæc legerit: neque enim ad eum hac de re ſcribendi nunc tempus ſuppetit. Hæc mea de hujuſmodi Nummis conjectura. Omnes Nummi Latini, in quibus anni Tribunitiæ Poteſtatis annos Imperii excedunt, aut mendosè deſcripti, aut à Monetariis in iis cudendis erratum, aut anni unius Imp. attributi alteri, ut de Gallo & Voluſiano loquens oſtendi. Quoad Nummos Græcos, in quibus plures Imperii anni leguntur, quàm reapſe Auguſti regnarint, vel idem dicendum ac de Latinis, in quibus anni Tribunitiæ Poteſtatis annos Imperii ſuperant, vel exiſtimandum, annos illos non ad Imperium, ſed ad aliquod aliud nobis incognitum referri. Extant in Gaza Regia Baſiliſci Tyranni, qui menſes tantùm viginti imperavit, Numiſmata, in quibus ſignatur annus III, in aliis annus IV, in aliis annus V, quos nullus dicet de ejus Imperii annis intelligendos eſſe; ſed quos nullus negabit ſine aliquo conſilio illis Nummis Græcis inſculptos. Anno CCXXXVIII num. V, varios Nummos exhibui Tarſi percuſſos, in quibus annus ſecundus ad annos Imperatorum in iiſdem expreſſorum ordinem non habent. Denique annus tertius, qui in quibuſdam Nervæ Nummis habetur, ad ejus Imperium referri non poteſt, cùm tam apud Mediobarbum, quàm in Cimeliis Principum, complures Nummi Latini extent, in quibus Nerva (qui anno Chriſti XCVI menſe Septembri Imperium iniit, annoque XCVIII, exeunte Januario, mortuus eſt, cùm Kalendis ejuſdem menſis Conſulatum IV cepiſſet) dicitur TR. P. II. COS. IIII. Quare in Nummis illis annus tertius ad ejus Imperii durationem pertinere non poteſt.

Trajanus hoc anno

Anno CXXVII. num. I. poſt hæc verba. COSS. Gallicanus & Tatianus, *adde*, ut inter omnes convenit. Onuphrius in Faſtis hunc ultimum putavit eſſe Cælium Tatianum, qui Hadriani tutor fuerat, de quo Spartianus in Hadriano cap. I. qui cap. 8. addit, eum ex Præfecto Prætorii ab Hadriano Senatorem renuntiatum fuiſſe. Verùm Salmaſius in Notis ad Spartianum obſervavit, illum Hadriani curatorem, ac poſtea Præfectum Prætorii non Tatianum, ſed *Attianum* dictum fuiſſe, & vulgaria Spartiani exemplaria ex veteri editione & Manuſcripto Palatino corrigenda; eò magis quòd Xyphilinus ex Dione tutorem Hadriani *Attianum* etiam appellet. Quam emendationem ipſemet Spartianus cap. 15. certam reddit: ibi enim Tatianum inter eos numerat, quos Hadrianus hoſtium loco habuit, & paulò pòſt ait: *Tatianum ut conſcium tyrannidis & argui paſſus eſt & proſcribi.* Quare Tatianus qui proſcriptus fuit, diverſus eſt à Tatiano, ſeu, ut ſcribi debet, ab Attiano, quem Hadrianus hoſtis loco habuit; & Tatianus hoc anno Conſul, non Attianus Hadriani tutor, ſed Tatianus, qui ab hoc Imperatore relegatus fuit. I. *Conſules.*

Spartianus

Anno

Phœnicia à Syria divulſa.

Anno C XXVIII. ad num. II. Hadrianum Imp. hoc vel ſequenti anno in Syria fuiſſe, hancque à Phœnice diviſiſſe, oſtendit Numiſma Regium Hadriani, in quo habetur ΑΤ. ΚΑ. ΤΡ. ΑΔΡΙΑΝΟϹ. in poſtica: ΓΑΖΑ. Γ. ΕΠΙ. ΒϤΡ. id eſt, annus III ſuper C XCII. Repræſentatur Hercules ſtans, qui dextram clavæ imponit. Toinardus, qui ejus ectypon ad me tranſmiſit, dicit, ſimile extare Pariſiis in Cimelio Clariſſimi Abbatis Drontii, & Vaillantium V. C. in Numiſmatibus Coloniarum, numerum illum tertium, ad Imperii Hadrianei annum referre. Verùm novam illam epocham in diviſione Phœniciæ à Syria inſtitutam nos edocet, ante Toinardum, qui eam detexit, omnibus ignotam. Gaza clariſſima Phœniciæ urbs anno U. C. DC XCIII à Pompeio M. libera declarata fuerat; ideoque annus Eræ Gazenſium C XCII cœpit menſe Octobri anni U. C. DCCC LXXXIV, ſeu Chriſti C XXXI, annuſque primus ſecundæ epochæ Gazenſium laudatis Nummis inſculptæ anno U. C. DCCC XC, ſeu Chriſti C XXIX, aut præcedenti; quia incertum, an hæc poſterior Gazenſium Era, quæ priori de more adjiciebatur, explicanda ſit de anno incipiente, vel de anno deſinente. Quare Hadrianum hoc vel ſequenti anno in Syria fuiſſe, præfati Nummi indubitatum reddunt. Ad num. III.

Ælius Verus Cæſar.

Anno C XXXVI ad num. V. Ex Inſcriptione Gruteriana ibidem recitata, in qua *XIII Kalendas Julias* Ælius Verus non dicitur Cæſar, ſed tantùm *Ceionius Commodus*, colligo, eo die, nempe decima nona menſis Junii, Ælium nondum Cæſarem nuncupatum fuiſſe, aut ſaltem nuntium hujus nuncupationis tunc non perveniſſe ad eum, cujus eſt illa Inſcriptio ſeu reſcriptum. Qui enim adhuc privati annum aperiebant, ſi poſtea Cæſares aut Auguſti crearentur, in Inſcriptionibus Actiſque publicis novæ dignitatis nomine cohoneſtabantur; ut oſtendit hæc Inſcriptio, quæ pag. 63. apud Gruterum legitur.

POMPONIUS. FAUSTUS.
SILVANUM.
CUM. BASE. D. D.
DEDICAVIT. IDIBUS. APRILIBUS.
IMP. M. AURELIO. ANTONINO. III. IMP. VERO.
AUGUSTO. COS. II.

Anno Chriſti C LXI Faſtis nomen dedêre M. Ælius Aurelius Verus Cæſar III, & L. Ælius Aurelius Commodus II. Sed, cùm menſe Martio ejuſdem anni uterque Auguſteam dignitatem conſecutus eſſet, prior non jam Cæſar, nec ſecundus vir privatus, ſed uterque in monumentis publicis *Imperator* aut *Auguſtus* appellatus. Imò tam in Faſtis Idacii, quàm Proſperi, hic Conſulatus his verbis exprimitur: *Duobus Auguſtis.* Quoad

Era tres Amiſi civitatis liberæ.

Anno C XXXVII. ad num III. *Amiſi* civitatis liberæ tres Eras fuiſſe, docent Strabo in Critica citatus, & aliqui Nummi. Hæc Strabonis de Amiſo loquentis verba: *Liberatam à Divo Cæſare, Antonius Regibus ſubjecit: deinde male eam tractavit Strato Tyrannus: rurſum deinde libertas ei reddita eſt à Cæſare Auguſto poſt Actiacam victoriam.* Prior Era pertinet ad annum Urbis DCC VII, quo poſt Pharnacem Mithridatis filium ſuperatum Julius Cæſar *Amiſenos* libertate donavit, ut refert Dio lib. 42. pag. 207. Holſtenius in Notis ad Stephanum de Urbibus, in voce *ἀμισός*, exhibet Caracallæ Nummum, in quo circa Victoriam bigis vectam legitur, ΑΜΙϹΟΥ ΕΛΕΥΘΕΡΑϹ. id eſt, *Amiſi civitatis liberæ*: ſubtus, ΕΤ. ϹΝΕ. id eſt, *anno CC LV.* Qui Nummus anno Urbis DCCCC LXI, Chriſti CC VIII percuſſus, & priori Amiſi Era inſignitus. Scaliger in Iſagogicis Canonibus pag. 301. producit Hadriani Imp. Nummum, in quo legitur annus Amiſenorum ΡΠΓ, id eſt, C LXXXIII, quem ipſe perperam deducit ab anno Periodi Julianæ 4651. cùm ab hac prima eorum Era accerſendus ſit, ut numeranti liquebit. Secunda ab anno Urbis DCC XXI aut inſequenti deſumenda, à tempore ſc. quo Amiſeni *Stratonis* Tyranni jugum excuſſere. Ad hanc pertinet Ælii Cæſaris Nummus à me in Critica deſcriptus, annoque Amiſenorum C LXIX ſignatus, qui ideo cuſus fuit anno Urbis DCCC LXXXIX aut ſequenti, ſeu Chriſti C XXXVI, aut C XXXVII. Epocham enim in eo Nummo notatam, Actiacam victoriam præcedere, non verò ſubſequi, ut hactenus pluribus perſuaſum, certum facit tertia hujus civitatis Era, quam nos edocet Nummus Gazæ Regiæ, cujus ectypon ad me tranſmiſit eruditiſſimus Toinardus. In eo habetur: Α. ΑΙΛΙΟϹ ΚΑΙϹΑΡ. caput nudum; in poſtica: ΑΜΙϹΟΥ ΕΛΕΥΘΕΡΑϹ ΕΤΟΥ ΡΖΕ. Mercurius ſtans, dextrâ caduceum; ubi Ζ pro Ξ, ut in aliis Nummis, legitur. Annus ille C LXV à neutra præcedentium Erarum proficiſci poteſt. Quare admittenda omnino tertia Amiſenorum Era poſt Actiacam victoriam, ut teſtatur Strabo, inſtituta; non quidem ipſo anno Urbis DCC XXIII, quo initio Septembris ad Actium pugnatum eſt, ſed anno Urbis inſequenti, quo Auguſtus Cæſar Amiſenis libertatem, quam jam ſibi armis comparaverant, confirmavit, quòd, ut rectè obſervavit Toinardus, adverſus Antonianos pro Auguſto pugnaſſent, ad exemplum Myſorum Aſianorum, de quibus Dio lib. 51. pag. 443. ubi loquitur de actis ab Auguſto anno Urbis DCC XXIV, narratque, *Cydoniis ac Lampæis* libertatem dediſſe, *præſtiti ſibi auxilii causâ.* Amiſo itaque eodem tempore ab Auguſto libertas ob eandem rationem confirmata, indeque nova Era ab Amiſenis inchoata: neque enim laudatus Ælii Nummus anno C LXV notatus, ab aliquo anteriori anno procedere poteſt. Sic cuſus erit anno Urbis DCCC LXXXIX, ſeu Chriſti C XXXVI, quo Ælius Cæſaream dignitatem obtinuit. Prior *Juliana*, ſecunda *ab excuſſa tyrannide*, tertia *Auguſtana* vocanda.

Viſuntur Nummi Diadumeniani anno CC XLIX, & Maximini Veri anno CC LXVIII conſignati, qui ideo ad ſecundam Eram revocandi. Ceionium Commodum

Eodem Chriſti anno ad num. IV. delenda hæc verba: Lucius quidem Ælii filius, Veri nomen non geſſit, *& ſequentia uſque ad illius numeri finem.*

Eodem anno ad num. V. hæc verba delenda: Verùm Capitolinus pugnantia non loquitur, *& ſequentia uſque ad illius numeri finem: & in eorum locum hæc ſubroganda:* Qui addit, nullum Ceioniorum ante Lucium Verum, Auguſtum, Veri cognomen tuliſſe, & hunc vulgarem errorem inde natum, quòd Lucius Aurelius Marci Aurelii Collega *Veri* cognomen habuerit; hincque idem cognomen Lucio Ælio Cæſari ejuſdem patri vulgò datum; quod tamen neque in Nummis aut Lapidibus eidem attributum legitur, in quibus, inquit Noriſius, ante adoptionem L. Ceionius Commodus, poſt adoptionem L. Ælius Cæſar tantùm inſcribitur. Verùm, diſtinguendus eſt uſus vulgaris loquendi, à modo loquendi in Nummis, Inſcriptionibus, Actiſque publicis uſurpari ſolito. Sic *Tiberius* Imperatoris prænomine non appellatur in Nummis, poſtquam Imperii Collega renuntiatus eſt, imò & poſtquam Auguſto ſucceſſit, percuſſis. Marcus Aurelius nunquam etiam *Imperatoris* prænomine in Nummis & Inſcriptionibus ante Auguſteum Imperium inſignitur; imò tam ipſe quàm *Lucius Verus* poſt tertium Imperii Auguſtei annum, & *Commodus* poſtquam M. Aurelius mortuus eſt, in Nummis & Inſcriptionibus raró eo prænomine nuncupantur. Apud me tamen certum, eos à populo Romano vulgò, quemadmodum & ceteros Imperii Collegas & Auguſtos, ſemper *Imperatores* appellatos. *Gallienus junior* Cæſar Gallieni Auguſti filius nunquam eo nomine in Nummis nuncupatur; ſed *Valeriani Cæſaris* aut Valeriani Salonini: & tamen paſſim ab Hiſtoricis Gallieni Cæſaris nomine eum appellatum conſtat; imò & eum Valerianus Auguſtus avus ejus ita nominabat, ut ſuo loco viſuri ſumus. Denique *Caius* Auguſtus, qui vulgò *Caligula* appellabatur, in Nummis tamen ſaltem Latinis, ſemper *Caius*, nunquam *Caligula* dicitur; Latinis, inquam: nam Toinardus V. C. mihi aliàs dixit, ſe unum Græcum vidiſſe, in quo Caligulæ nomen legebatur. Quare vulgaris loquendi modus, à loquendi modo in Nummis & Inſcriptionibus uſitato non raró diſcrepavit.

VI. *Ælius Cæſar Verus atque Commodus appellatus.*

Ælium Cæſarem antequam ad eam dignitatem eveheretur, modò *Verum*, modò *L. Ceionium Commodum* vocatum fuiſſe, non video in dubium revocari poſſe. Nam non tantùm Spartianus in ejus Vita, & Capitolinus in Vita Lucii Veri Ælii Cæſaris filii, id diſertè docent; ſed & Hadrianus, quo locupletiorem teſtem proferre non poſſumus, *Verum* eum vocavit, quotieſcumque de eo etiam mortuo loquutus eſt, ut numero præcedenti inſinuavi, & nunc magis confirmare juvat. Spartianus in Ælio Vero cap. 6. ait: *Cùm amici ſolliciti quærerent, qui adoptari poſſet, Hadrianum dixiſſe fertur his, etiam vivente adhuc Vero decreveram.* Tum cap. 7. *Denique illius* (nempe Ælii) *merito filium ejus Verum, nepotem utpote ſuum, qui pereunte Ælio in familia ipſius Hadriani remanſerat, adoptandum Antonino Pio cum Marco dedit: ſæpe dicens, Habeat Reſpublica quodcumque de Vero.* Præterea Capitolinus in Vero Imperatore Ælii Cæſaris filio de eodem L. Vero, antequam imperaret, loquens, eum *Verum* appellat, uti cap. 3. *Qua die togam virilem Verus accepit.* Inſcriptiones tamen tam Græcæ quàm Latinæ, in quibus primus ejus Conſulatus anno C LIV, vel ſecundus anno C LXI geſtus, memoratur, aliud nomen non prætulerunt, quàm Lucii Ælii Aurelii Commodi, ut videre eſt in Epiſtola Conſulari pag. 94. & 95. Quare his omnibus inter ſe collatis apparet, tam *L. Ceionium Commodum* Cæſarem ab Hadriano renuntiatum, quam *L. Ceionium Commodum* ejus filium, qui cum Marco corregnavit, ante eorum adoptionem vulgò *Veri* cognomen tuliſſe, *Commodi*que etiam cognomine appellatos fuiſſe. At in Actis publicis & Inſcriptionibus *L. Ceionii Commodi* nomine tantùm, utrumque nuncupatum fuiſſe. Poſtquam autem Lucius pater Cæſaream dignitatem aſſecutus eſt, vulgò dictus fuit Ælius *Verus* Cæſar; ſed in Nummis & Inſcriptionibus, non *Verus*, ſed tantùm *Ælius* Cæſar vocatus invenitur.

VII. *Lucius ante Imperium & Verus & Commodus appellatus.*

Quoad Lucium Ælii Cæſaris filium, ubi à Marco in Imperii conſortium adſcitus eſt, anno nempe Chriſti C LXI, ſicut tunc Marcus *Antonini*, à quo adoptatus fuerat, nomen accepit; ſic etiam nomen ſuum, *Veri* ſcilicet, in Lucium tranſtulit, quod Galenus, qui tum vivebat, diſertè teſtatur in libro contra eos, qui de typis ſcripſere: *Deceſſerat paulò antè de vita Antoninus, qui Hadriano in Imperio ſucceſſerat. Regnabat autem Severus,* (legendum *Verus*, nempe M. Aurelius Verus) *qui ſe ipſum nomine mutato Antoninum appellavit; quem Imperii ſeceras participem, Severum* (legendum *Verum*) *nominavit.* Lucius itaque in Imperii conſortium allectus, *Verus* vocatus eſt, non de propriæ familiæ nomine, uti antea, ſed de cognomine Marci Aurelii: neque in Nummis ac Inſcriptionibus alio unquam nomine vocatur; cùm antea in Inſcriptionibus & Actis publicis non *Verus*, ſed *Commodus* diceretur. Hinc facilè eſt intelligere Capitolinum, quem ſibi non conſtare Noriſius laudatus putavit: quando enim cap. 3. in Vero de Marco Aurelio Imperium cum Lucio Commodo communicante loquens dicit, *Verum vocari præcepit, ſuum in eum transferens nomen, cùm antè Commodus vocaretur*, non ſignificat, *Lucium* ante Imperium, Commodum duntaxat appellatum; ſed eum in Actis publicis ita ſolùm vocatum fuiſſe, quod verum eſt, ut ex dictis conſtat. Nam non dicebatur *Verus* de cognomine familiæ paternæ in Actis publicis, ſed tantùm in uſu vulgari loquendi. Ex quibus evertuntur quæ Noriſius in contrarium adducit. Hæſit & ad hoc *Veri* cognomen Caſaubonus in Notis ad cap. 7. Vitæ Marci Aurelii; neque etiam Salmaſius difficultatem iſtam ſolvere potuit;

quæ ideo à me diſſimulanda non fuit.

Teleſphoro

III. *Collegæ Imperii quinque fuere.*

Anno CXLVII. poſt numerum II. ſequentia addendi. Sed quia Principatus Imperatorius Marci Aurelii hactenus parum cognitus fuit, & ad Principatum Tiberii, annumque ejus quintum decimum à Luca Evangeliſta expreſſum meliùs intelligendum plurimùm confert, ideo magis explicandus. Tiberius itaque, Titus, Trajanus, Antoninus Pius, & Marcus Aurelius æquali poteſtate donati fuere, Tribunitia nempe Poteſtate, & Imperio Proconſulari, quæ partes duæ ſupremi Imperii erant, ratione quarum Imperii Collegæ nuncupati ſunt. Eo enim nomine illos appellatos Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores manifeſtè inſinuant. Tacitus initio lib. 1. Annal. de Tiberio ait: *Illuc cuncta vergere: filius, Collega Imperii, conſors Tribunitiæ Poteſtatis aſſumitur.* De Tito & Trajano liquet ex Panegyrico Plinii, qui num. 8. de Trajano ſcribit: *Simul filius, ſimul Cæſar, mox Imperator, & conſors Tribunitiæ Poteſtatis, & omnia pariter & ſtatim factus es, quæ proximè parens verus tantùm in alterum filium contulit:* ubi quod Tacitus Imperii Collegæ, Plinius Imperatoris nomine exprimit, oſtenditque, Imperii Proconſularis Collegas Imperatores dictos eſſe. Auguſtus tria in Tiberii gratiam egit; cùm enim filium declaravit, Collegam Imperii, Proconſularis videlicet, ut mox dixi, & conſortem Tribunitiæ Poteſtatis: Nerva verò quatuor in gratiam Trajani; hic enim factus eſt filius, Cæſar, Imperator, & conſors Tribunitiæ Poteſtatis. Cujus diſcriminis hæc ratio eſt, quòd Tiberius adoptatus in familiam Cæſaream, ejuſdem adoptionis vi, & filius & Cæſar dictus eſt; Trajanus verò vi adoptionis filius tantùm Nervæ appellari potuit: cùm filii naturales Imperatorum non naſcerentur Cæſares, ſed ſpeciali decreto eam dignitatem aſſequerentur, quod de adoptivis potiori jure dicendum; indeque liquet, Collegam Imperii à Plinio *Imperatoris* nomine deſignari. Addit Plinius, Nervam patrem adoptivum Trajani ejus causâ feciſſe, quod ab aliquot annis Veſpaſianus verus parens Titi & Domitiani unius tantùm causâ præſtiterat, Titi ſcilicet. Trajanum autem Collegam Imperii fuiſſe, conſtat non tantùm ex mox dictis, ſed & ex aliis ejuſdem Panegyrici locis, v. g. num. 9. de Trajano Plinius habet: *Magnum hoc tuæ moderationis indicium, quòd non ſolum ſucceſſor Imperii, ſed particeps etiam, ſociuſque placuiſti; nam ſucceſſor, etiam ſi nolis, habendus eſt, non eſt habendus ſocius, niſi velis.* Collega etiam Imperii Antoninus fuit: *factuſque eſt patri* (nempe Hadriano, inquit Capitolinus in Antonino cap. 4.) *& in Imperio Proconſulari & in Tribunitia Poteſtate Collega.* Denique idem Capitolinus in Marco cap. 6. de eo ait: *Suſceptâ filiâ, Tribunitia Poteſtate donatus eſt, atque Imperio extra Urbem Proconſulari.*

IV. *Duplex Proconſulatus diſtinguendus.*

Salmaſius in Notis ad Capitolinum in Marco cap. 6. loquens de Imperatoribus, qui Auguſto ſucceſſere, ait: *Quibus ſemper honoris gratiâ, Proconſulare Imperium delatum eſt, & tam Cæſaribus quàm Auguſtis*

Seculum IV.

ſolebat dari. Alius Vir doctus arbitratus eſt, Auguſtos, cùm Imperium Proconſulare extra Urbem Cæſaribus tribuebant, illud Imperium contuliſſe, quod Agrippa in Aſia & Syria, Vitellius à Tiberio in Oriente habuit, quamvis illud longè majus, quia eſſet in omnia loca, unâ Româ exceptâ: ideoque, inquit, ſi ita loqui licet, fuiſſe majores ſeu nobiliores Proconſules. Verùm duplex Proconſulatus diſtinguendus. Alter, qui ſupremi Imperii pars erat, iſque proprius erat Auguſtorum; ejuſque, antequam M. Aurelius & Lucius Verus imperarent, Collegæ tantùm Imperii & Nero Cæſar participes fuere. Alter Proconſulatus privatorum fuit, hicque non perpetuus, neque in omnia loca extra urbem Romanam, & puris putis Cæſaribus aliquando datus fuit, uti Domitiano Cæſari, quemadmodum ſuo loco dixi. Porrò, Imperii Collegas ob Imperium Proconſulare vulgò dictos Imperatores fuiſſe, imò & in Nummis Imperatoris prænomine inſignitos, ex eo apparet, quòd in prima Imperii Romani diſpoſitione, nulli Cæſares prænomen illud, quod ſummam potentiam denotabat, tulerint, nullique à Scriptoribus Hiſtoriæ Auguſtæ Imperatores vocati, præter eos, qui Imperium Proconſulare perpetuum aſſecuti ſunt. Hinc *Nero Cæſar*, qui Imperium Proconſulare ſine Tribunitia Poteſtate obtinuit, Imperator in Nummis dictus eſt, ut anno Chriſti LI num. I oſtendi. Nec refert quòd in duobus Neronis Cæſaris Nummis ibidem recitatis, vox IMP. poſtponatur nomini Neronis; cùm in Nummis Titi Cæſaris & Imperii Collegæ apud Mediobarbum prænomen IMP. aliquando poſtponatur. Propter quid itaque tam Nero Cæſar, quàm Imperii Collegæ Imperatores appellari dicti ſunt, quàm propter Imperium Proconſulare, cùm nullus Imperator vocatus fuerit, qui illud non obtinuerit. Quare ſicut ſtante Republica Proconſules Imperatores vocabantur poſt victoriam ac triumphum, ſic & eâ everſâ Auguſti & Imperii Collegæ Imperatores appellati ſunt ob Imperium Proconſulare; cum hoc diſcrimine, quod in his *Imperatoris* vox nomini præpoſita, in illis nomini ſubjuncta fuerit. Quamquam negandum non ſit, quin aliqui Auguſti, quorum primum Trajanum fuiſſe ex ejus Nummo apud Mediobarbum pag. 149. invenio, prænomen IMP. & ſimul titulum PROCOS. in quibuſdam Nummis tulerint, ad majorem ſcilicet ejuſdem poteſtatis expreſſionem. Quòd ſi in Nummis Collegarum Imperii, Imperium Proconſulare prænomine IMP. deſignatum non fuiſſet, ejuſdem nulla in iis mentio facta eſſet; cùm nec in Nummis, nec in Inſcriptionibus Proconſules nuncupentur.

V. *Imperii Collegæ Imperatores appellati.*

Hoc quibuſdam Viris eruditiſſimis me perſuadere non potuiſſe miror. Reſpondent enim, Trajanum Imperatorem dictum à Plinio num. 11 citato ob victoriam Germanicam, quæ ejus adoptionis causa fuit. Sed ea explicatio verbis immediatè ſequentibus refellitur. Poſtquam enim Plinius dixit, *mox Imperator & conſors Tribunitiæ Poteſtatis*, num. 9. ſubdit: *Credéntne poſteri, Patricio & Conſulari & Triumphali patre genitum, cùm fortiſſimum, ampliſſimum, amantiſſimum ſui exercitum regeret, Imperatorem non ab exercitu factum?*

Eidem, cùm Germaniæ præſideret, Germanici nomen hinc miſſum? Nihil ipſum, ut Imperator fieret, agitaſſe, nihil feciſſe, niſi quod meruit & paruit? Paruiſti enim Cæſar, & ad Principatum obſequio perveniſti. Nam Auguſti & Cæſares, ſeu, ut rectiùs loquar, Collegæ Imperii (cùm puri puti Cæſares ob victorias Imperatores dicti non fuerint, ut liquet ex Nummis) non fiebant Imperatores ob victoaias, ſed tantùm Imperatores propter illas dicebantur. Propter victorias enim dicebantur Imp. II. Imp. III. &c. Certum itaque videtur, Plinium, quando de Trajano ait, *mox Imperator*, intelligere, Imperium Proconſulare mox Trajano datum fuiſſe; & quidem non tanquam Agrippæ, Vitellio, aliiſque privatis attributum fuerat, ſed tanquam partem ſupremi Imperii, ſicuti fuit Tribunitia Poteſtas eodem tempore eidem delata.

VI.
Tiberius & M. Aurelius Cæſares Imperatores vulgò dicti.

Nec quemquam movere debet, quòd nec Tiberius, nec M. Aurelius ante Imperium Auguſteum, nec in Nummis nec in Inſcriptionibus Imperatoris prænomine cohoneſtentur; modus enim loquendi in Numiſmatis, Actiſque publicis à vulgari aliquando diſcrepabat, ut anno c xxxvii num. v demonſtravi. Quapropter non dubitandum, quin ab utroque Cæſare moderationis causâ admiſſum non fuerit. Certè Marcum Aurelium vivente adhuc Antonino Pio nuncupatum fuiſſe Imperatorem, ut ante eum ceteri Imperii Collegæ, docet Capitolinus in Marco cap. 6. *Erat autem in ſummis obſequiis patris Marcus, quamvis non deeſſent, qui aliqua adverſus eum inſuſurrarent, & præ ceteris Valerius Omulus: qui cùm Lucillam matrem Marci in viridario venerantem ſimulacrum Apollinis vidiſſet, inſuſurravit: Illa nunc rogat, ut diem tuum claudas, & filius imperet. Quod omnino apud Pium nihil valuit: tanta erat Marci probitas, & tanta in* Imperatorio Principatu *modeſtia.* Nec hæc verba, *& filius imperet*, Marcum tunc non imperaſſe ſignificant, ſed referuntur ad Imperium Auguſteum poſt Antonini mortem à Marco initum. Is enim loquendi modus Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus familiaris, quando de Collegis Imperii loquuntur. Sic Victor de Cæſaribus, *Titus*, inquit, *poſtquam Imperium adeptus eſt, incredibile quantùm quem imitabatur, anteierit, præſertim literis, clementiaque ac muneribus. Denique dum conceſſa per priores Principes firmari ab inſequentibus mos eſſet, ſimul Imperium cepit, talia poſſidentibus edicto ſponte cavit proſpexitque:* ubi de Imperio Auguſteo Victor ſermonem habet.

VII.
Tribunitia Poteſtas præcipua pars Imperii.

Alter honos, qui Imperii Collegis conferebatur, *Tribunitia* nempe *Poteſtas*, Proconſulatu perpetuo longè major erat; cùm ab ea Auguſtorum & Cæſarum, qui eam conſecuti erant, anni dinumerari ſolerent, & ubicumque de utroque honore ſimul Hiſtoriæ Auguſtæ Auctores loquuntur, Tribunitiam Poteſtatem poſtremo loco tanquam nobiliorem ferè ſemper memorent, ut patet ex locis num. II laudatis; quæ ſic intelligenda eſſe oſtendit Plinii in Panegyrico Trajani locus nuper recitatus, ubi Tribunitiæ Poteſtatis conſortium ultimo loco propter ejus excellentiam ponitur. Hinc Vopiſcus in Tacito cap. 1. *Video mihi poſſe objici, Curules magiſtratus apud Majores noſtros quadriennium in Republica non fuiſſe: ſed erant Tribuni Plebis cum Tribunitia Poteſtate, quæ pars maxima regalis Imperii eſt.* Quare minimè exiſtimandum cum aliquibus Viris eruditis, Tribunitiam Poteſtatem nullam auctoritatem, nullumque Imperium deſignaſſe, ſed tantùm poteſtatem intercedendi ac immunitatem ab omni injuria; cùm *pars maxima regalis Imperii* fuerit, ac edicta condendi, & Senatum convocandi poteſtatem ſecum invexerit, teſte Tacito lib. 1. Hiſt. paulò poſt initium, ubi narratâ Auguſti morte ait: *Tiberius cuncta per Conſules incipiebat, tanquam vetere Republica, & ambiguus imperandi, ne edictum quidem, quo Patres in Curiam vocabat, niſi Tribunitiæ Poteſtatis præſcriptione poſuit ſub Auguſto acceptæ. Verba edicti fuere pauca*; &c. Denique Euſebius, ſeu, ſi mavis, Hieronymus in Chronico, Tribunitiam Poteſtatem Druſo filio à Tiberio datam his verbis exprimit: *Tiberius Druſum conſortem regni facit*, quibus pariter verbis utitur, cùm Tribunitiam Poteſtatem Philippo juniori conceſſam narrat. Tribunitia itaque Poteſtas etiam quando ſine Imperio Proconſulari in aliquem conferebatur, non erat ſine auctoritate & Imperio aliquo. Quæ non ſemel à me inculcata, quia non ſatis huc uſque diſcuſſa.

VIII.
Opinio Noriſii.

Hæc cùm communicaſſem cum Noriſio, Viro in Romana Antiquitate peritiſſimo, quem à me diſſentire ſciebam, reſcripſit: Tacitus lib. 5. Annal. *narrat, Tiberium miſiſſe ad Senatum*, quis Poteſtatem Tribunitiam Druſo petebat. Id, *inquit Tacitus*, ſummi faſtigii vocabulum Auguſtus reperit, ne Regis aut Dictatoris nomen aſſumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera Imperia præemineret. Marcum deinde Agrippam ſocium ejus Poteſtatis, quo defuncto Tiberium Neronem dilegit, ne ſucceſſor in incerto foret. *Non potes non concedere, Tribunitiam Poteſtatem, ſtante Republica, fuiſſe tantum jus intercedendi cum immunitate, quâ Tribuni Plebis ſacroſancti habebantur: hoc enim omnis Romana docet Hiſtoria. Extat inſigne exemplum apud Livium, ubi de abroganda pace ad furcas Caudinas facta orationem recitat. Hanc ipſam Poteſtatem Imperatores poſtea habuerunt, eamque ſuis filiis adhuc tantùm Cæſaribus communicarunt. Dio lib. 53. eandem Poteſtatem, uti ea ſua ætate, nempe tertio ſeculo à Chriſto nato, Imperatores potiebantur, deſcribit:* Tribunitia Poteſtas, quam præclariſſimus quiſque Imperator habuit, efficit, ut intercedere iis, quæ ab aliis contra ipſorum placitum moventur, poſſint, ac ſacroſancti ſint, ut ſi vel minimo ſermone, ſe ab aliquo læſos exiſtiment, indictâ eum causâ, tanquam qui ſe piaculo obſtrinxerit, necare queant. *Vidéſne Dionem in ipſis Imperatoribus iiſdem terminis, ac antea erat in Republica, definiviſſe? Habes exercitum jus Tribunitiæ Poteſtatis à Tiberio apud Rhodum veluti in exilio degente, in Suetonio cap. 11. de Vita ejuſdem. Cur ergo eam poteſtatem ultra eos terminos extendis? Nunquam in Romanis Scriptoribus Impe-*

rium Tribunitium, ſed Poteſtatem tantùm Tribunitiam nominatam reperies, quæ licet Imperia aliorum, ut ait Tacitus, præmineret, non tamen erat Imperium, quo nomine poteſtas militaris veniebat. Ita Vir eruditiſſimus.

IX. *Refellitur.*

Verùm Dio neutiquam, Tribunitiam Poteſtatem ad jus illud intercedendi cum deſignata immunitate, ſtante Republica, coarctatam fuiſſe aſſerit; cùm immediatè pòſt ſubdat: *Gerere quidem Tribunatum plebis, nefas ducunt Imperatores, cùm utique ipſi Patritii ſint: omnem verò Tribunitiam Poteſtatem, quanta unquam maxima fuit, accipiunt.* Docet verò Onuphrius lib. 1. Faſtorum ad annum Urbis CCLX, Tribunorum plebis auctoritatem progreſſu temporis magnam fuiſſe, ſi quis ad eos vel etiam abſentes provocaſſet, eum ſtatim liberatum ab eo, à quo comprehenſus fuerat, vel in concionem adductum vel abſolutum fuiſſe, illud etiam ſibi vendicaſſe, ut Senatum convocarent, edicto non audientes punirent, Leges tuliſſe, & aliquando Conſules in carcerem conjeciſſe. Sed Tribunitiam Poteſtatem præter poteſtatem intercedendi & immunitatem, quâ Tribuni Plebis citra capitis periculum à quoquam lædi non poterant, aliquam auctoritatem Auguſtis & inſtituto Imperio Tribunitia Poteſtate donatis, tribuiſſe, egregiè probat locus Suetonii à Noriſio laudatus; ibi enim Suetonius ſcribit: *Fortè quodam in diſponendo die, manè prædixerat, quidquid ægrorum in civitate eſſet, viſitare ſe velle: id à proximis aliter exceptum eſt, juſſique ſunt omnes ægri in publicum porticum deferri, ac per valitudinum genera diſponi. Perculſus igitur inopinata re, diu quid ageret incertus, tandem ſingulos circuit; excuſans factum etiam tenuiſſimo cuique & ignoto. Unum hoc tantummodo, nec præterea quidquam, notandum eſt, in quo exercuiſſe jus Tribunitiæ Poteſtatis viſus ſit.* Vides, *Rhodienſes* minimè dubitaſſe, quin Tiberius vi Tribunitiæ Poteſtatis, quam obtinebat, jubere poſſet, ut omnes ægri ad ſe deferrentur. Quare quicumque Tribunitia Poteſtate exornati erant, præter jus intercedendi cum præfata immunitate varia alia præſtare poterant. Verum quidem eſt, Romanos nomine Imperii propriiſſimè ſumti intellexiſſe poteſtatem militarem, ſeu facultatem belli gerendi; ſed hoc non impedit, quin vox illa in alia ſignificatione potentiam vel auctoritatem deſignaverit, uti v. g. in loco Taciti numero præcedenti laudato, ubi is ait: *Id ſummi faſtigii vocabulum Auguſtus reperit, ne Regis aut Dictatoris nomen aſſumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera Imperia præmineret.* Hic *Imperium* non ſignificat Imperium militare, ut omnibus notum. Cúmque Tribunitia Poteſtas cetera Imperia præemineret, nempe Regium ac Dictatorium, non poterat ſecum non invehere aliquod Imperium ſeu aliquam poteſtatem, alioquin cetera non præeminuiſſet, ſed iis inferior fuiſſet.

X. *Tribuni Leges ferre poterant.*

Pergit Noriſius in ſua epiſtola: *Quod ais, Tiberium* Tribunitiæ Poteſtatis præſcriptione *Patres ex Tacito in Curiam vocaſſe, unde infers, eundem habuiſſe Imperium Legum, ſive edictorum condendorum, videris mihi velle ludere vocabulis: nam extant plurimæ Leges ac Edicta promulgata à Tribunis plebis, quæ vulgò* Plebiſcita *à Romanis dicebantur; at illa dicebantur facta Tribunitia Poteſtate, non Imperio Tribunitio: etenim Imperium rem tantùm militarem extra Urbem ſpectabat. Ita Prætores reos in carcerem detrudebant, nullo fulti imperio, ſed tantùm* jure Prætorio. *Itaque jus ad Prætores, poteſtas ad Tribunos Plebis, imperium denique ad Proconſules pertinebat. At hocce imperium ita Proconſules Imperatores conſtituebat, ut tamen titulo Imperatoris ſemet inſcribere non poſſent, niſi tanto hoſtium numero occiſo, quod etiam cognomen, ſive titulum ſtatim poſt triumphum deponebant.* Hæc Noriſius. Sed ſi Tribuni Plebis ante inſtitutum Imperium plebiſcita edere poterant, quantò magis poſt ejus inſtitutionem Imperatores, & quicumque Tribunitia Poteſtate donabantur, aliqua Edicta condere, non quidem virtute alicujus imperii militaris, ut me velle arbitratur Vir doctiſſimus, aut Imperii Tribunitii, ſed virtute auctoritatis, quam ea dignitas conferebat. Denique Tribunitia Poteſtas non erat imperium militare, ſed pars ſummi imperii, ſupremæque potentiæ. Et hæc de Tribunitia Poteſtate.

XI. *Cur Auguſti & Imperii Collegæ Imperatores dicti.*

Quoad Imperium Proconſulare, hæc de eo in ea epiſtola Noriſius habet: *In eo*, inquit, *diſſentimus, quòd putas Cæſares à Proconſulari Imperio prænomen Imperatoris habuiſſe, quod ipſe inficior. Nam inter titulos Auguſtorum poſtremo loco in vetuſtis Saxis, ac Nummis legitur* Procos. *utique à Proconſulari extra Urbem Imperio, quod neutiquam negare poteris. Itaque prænomen* IMP. *quod primo loco inter Auguſtorum ac quorumdam Cæſarum titulos legitur, non deſignat Imperium Proconſulare, quod poſtremo tantùm titulo legitur. Porrò titulus* IMP. *iis Proconſulibus tribuebatur, qui in acie tot millia hoſtium interemiſſent, uti ex Dione, Cæſare, & Appiano conſtat. Hic titulus poſt nomen Proconſulis ponebatur; at decreto adulantis Senatûs poſt victos Pompeii filios, tanquam prænomen Cæſari datum fuiſſe, jam noſti ex Dione lib. 43. ubi ait, illum titulum eidem delatum, non veteri conſuetudine ex pluribus necatis in bello hoſtibus;* neque ea ratione, quòd ei merum imperium, abſolutamque poteſtatem deferrent; ſed eo modo quo nunc his, qui ſummum imperium obtinent, tum primò Cæſari impoſuerunt tanquam ipſi proprium. *Porrò eo anno Urbis DCC IX Cæſar erat Dictator IV, ac deſignatus in annum DCC X, quo periit, Dictator V. Ex Dictatura ſummum imperium in Urbe ac toto Romano Imperio idem Cæſar obtinebat. Itaque eo prænomine* IMP. *nullum eidem imperium conferri poterat, qui ampliſſimo omnium, nempe Dictatorio, jam pollebat. Hinc rectè Dio illud prænomen* non ea ratione *datum ſcripſit, ſed ut ille titulus, qui puri puti honoris erat, uti etiam titulus* Auguſti, *Cæſaris proprius haberetur; cùm ante eundem nunquam prænominis loco fuiſſet. Quare jam vides, titulum illum ſummi quidem honoris, uti & alter Auguſti Octaviano datus, ſed nullius imperii fuiſſe.* Ita Noriſius.

XII. *Titus &*

Ad quam rationem reſpondeo, prænomen

Trajanus Imperium Proconſulare perpetuũ habuerunt.

illud I M P. nullam quidem potentiam nec Julio Cæſari Dictatori, nec Imperii Collegis attribuiſſe, ſed eiſdem attributam fuiſſe, deſignaſſe; in Julio quidem Dictatore perfectam & plenam, in Collegis Imperii valde affinem. Nam Dio lib. 43. citato ait, prænomen illud conceſſum fuiſſe Julio Cæſari *eo modo, quo nunc his qui ſummum imperium obtinent.* Lib. verò 53. de Imperatoribus tradit: *Conſules enim fiunt ſæpenumero, & quoties extra pomerium ſunt, Proconſules dicuntur: nomenque Imperatoris, non modò ſi qui aliquam victoriam retulerint, ſed & alii omnes, ad ſignificandam plenam ſuam & perfectam potentiam, ſemper gerunt, loco nominis Regii & Dictatoris: quæ ſemel è Republica ſublata, ut non imponunt ſibi; ita eorum vim ac rem ipſam Imperatoris titulo confirmant.* Quare verè ſcribit Noriſius, Imperatoris prænomine nullum Julio Cæſari imperium conferri potuiſſe, *qui ampliſſimo omnium, nempe Dictatorio, jam pollebat* At illud Julius imponi ſibi voluit, non ut major ſibi potentia conferretur, aut quòd prænomen illud aliquod imperium ſecum inveheret, ſed ut eò magis ſignificaretur plena ſua & perfecta potentia. Imperii verò Collegas in Nummis & Inſcriptionibus Proconſules dictos non eſſe jam num. III obſervavi. Porrò eos ob Imperium Proconſulare dictos fuiſſe Imperatores, hoc modo detexi. Ex Imperii Collegis Antoninus ante Auguſteum Imperium nuncupatus eſt Imperator, & ex puris putis Cæſaribus unus *Nero Cæſar:* utrumque autem Imperio Proconſulari decoratos fuiſſe certò conſtat. Ex quibus intuli, non ſolùm eos ob Proconſulatum perpetuum Imperatores appellatos, ſed etiam Tiberium & Marcum Aurelium, licèt Imperatores in Nummis & Inſcriptionibus non appellentur; quia uterque Proconſulatum perpetuum obtinuit: ac denique Titum & Trajanum Imperio Proconſulari perpetuo honeſtatos eſſe, quia uterque vocatus eſt Imperator, uti Nero & Antoninus, qui, ut dixi, Imperium Proconſulare habuere.

XIII.
Tiberius & M. Aurelius Imperii Collegæ in Nummis ſine prænomine IMP.

Inſuper hæc habet Noriſius: *Jam verò cùm Auguſti ſuos filios ſummis titulis inſignire vellent, non omnes eiſdem unà ſimul contulere, ſed modò plures, modò minores pro libito eiſdem conferebant. Agrippa ac Druſus* T R. P O T. *in Nummis inſcribuntur ſine prænomine* IMP. *quod neutiquam illis donatum fuit. Unus Titus omnium primus illud à patre obtinuit. At ex illo nullum imperium idem accepit. Suetonius cap. 6. in Tito ait, illum in Urbe plures neci tradendos juſſiſſe, ſed jure Præfecturæ Prætorii. Itaque titulus* I M P. *in prænomine erat tantum honoris. At Domitiano nihil præter nomen Cæſaris delatum fuit. Trajanus illud prænomen in adoptione, ſive paulò poſt adoptionem accepit, ut & Antoninus Pius, qui tamen M. Aurelium Cæſarem ita Tribunitia Poteſtate donavit, ut neutiquam prænomen* IMP. *eidem conceſſerit. Quæſo te, Vir doctiſſime, cur Titus cum eo prænomine in vetuſtis Inſcriptionibus legitur, non verò M. Aurelius in tot Nummis & Saxis ea ætate inſcriptis? Et ſanè nec ſemel quidem legitur. Sed inquis, eſſe argumentum negativum: At id genus debet eſſe, ut mea ſententia probetur. Ne uni Scriptori, ſi quiſpiam eſſet ejus ætatis, teſtanti, M. Aurelium illud prænomen habuiſſe, integram fidem adhiberes; nullam verò præſtandam putas tot Nummorum ac Lapidum monumentis, eum Cæſarem Imperatoris prænomine carentem prodentibus? Veniam, amice, dabis: videris mihi tua in opinione obſtinatior. Utinam illam feliciùs aliis, quàm hactenus mihi, perſuadeas. Reponis, neque Tiberium in Nummis cum prænomine* IMP. *legi. Rationem diſce ex Suetonio cap. 26. de eodem ſcribente:* Prænomen quoque Imperatoris, cognomenque Patris Patriæ, & civicam in veſtibulo coronam recuſavit. *Quare, cùm id prænominis ille noluerit, monetarii neutiquam cum eodem Tiberium ſcalpere potuere, illud prænomen dubio procul adjecturi, ſi illud Tiberius admiſiſſet. Cùm ergo in nullis Nummis M. Aurelius Imperator appelletur, eo profectò titulo caruit. Et quidem etiam Dio lib. 57. rationem profert, quà Tiberius prænomen* I M P. *non admiſit:* Sæpius dicens, *inquit de Tiberio*, Dominum ſe ſervorum, IMPERATOREM militum, PRINCIPEM ceterorum eſſe. *Nempe more vetuſto Reipublicæ, quo Imperator is tantùm dicebatur, qui Proconſul, ſive Conſul, aut quandoque Prætor militibus imperabat, nempe Dux exercitùs, qui à Latinis Scriptoribus* IMPERATOR *paſſim, ut & ab aliis vulgò appellabatur. Quare cùm nuſquam prænomen* IMP. *ſcalptum ſit in Nummis M. Aurelii ante mortem Pii, optimè colligimus, eodem caruiſſe. Hinc de Aurelio ſub mortem Pii ſcribit cap. 7. Capitolinus:* Poſt exceſſum Divi Pii à Senatu coactus regimen publicum capere, fratrem ſibi participem in Imperio deſignavit. *Itaque tum primùm, jubente Senatu* I M P. *dictus eſt; neque antea regimen publicum ſub Pio adminiſtravit, cùm Tribunitia tantum Poteſtate potiretur, quæ nullius imperii jus continebat.* Ita Noriſius.

XIV.
Nomẽ Imperatoris à Tiberio & M. Aurelio Imperii Collegis recuſatum.

Opiniones vetuſtas & penitus inſitas difficile eſſe ex animis evellere, quotidiana demonſtrat experientia. Quare non mirum, ſi Vir eruditiſſimus ita ſuæ adhæreſcat. Non ſolùm itaque *Agrippa* ac *Druſus Cæſar*, ſed etiam *Lucius Ælius* Cæſar cum prænomine IMP. in Nummis non exprimuntur, quia videlicet Imperium Proconſulare perpetuum non obtinuere. Titus verò ceterique Imperii Collegæ præter Tiberium & M. Aurelium cum illo prænomine in Nummis leguntur; & cum eo etiam Tiberius & M. Aurelius in Nummis exhiberentur, niſi præ modeſtia uterque illud recuſaſſet, ut de Tiberio doctè advertit Noriſius. Hujus autem exemplo, *M. Aurelium* illud non admiſiſſe omnino exiſtimandum; cùm uterque, non minùs quàm Titus, Trajanus, & Antoninus Pius, Imperio Proconſulari & Tribunitia Poteſtate potiti fuerint. Argumentum negativum omni alia probatione denudatum, fallax & errori obnoxium, quidquid Vir eruditiſſimus dicat. Præterea uſus vulgaris loquendi valde diverſus fuit à modo loquendi in Actis publicis Nummiſque adhibito, ut ſuo loco monſtravi. *Tiberius* Collega Imperii factus, imò & poſtquam Auguſteam dignitatem adeptus eſt, nunquam dictus eſt in Nummis,

aut in Actis publicis *Imperator*, ut rectè Noriſio obſervatum. At à Scriptoribus & à vulgo eo nomine appellatum indicat Joſephus, qui eo anno, quo Tiberius denatus, in lucem venit. Ille lib. 18. Antiquit. cap. 3. narrata Auguſti morte ait: *Et Tiberius Nero privignus ſucceſſit, Juliæ filius, Romanorum Imperator tertius τρίτος αὐτοκράτωρ.* Quòd ſi Tiberius, dum Rempublicam Romanam adminiſtrabat, vulgò Imperator vocatus non fuiſſet, Joſephus, qui cum illis qui Tiberium viderant, imò & qui cum illo frequentes fuerant, vixit, ſucceſſionem ejus in Imperium, alio quàm *Imperatoris* nomine deſignaſſet. Denique, cùm Plinius dedicet Hiſtoriam ſuam naturalem Tito *Imperatori*, id eſt, Cæſari, & eum alloquens dicat, *Jucundiſſime Imperator*, & Trajanus Cæſar ſæpius dicatur *Imperator* à Plinio Juniori in Panegyrico, certò nobis conſtat, Collegas Imperii, quales Titus & Trajanus Cæſares fuere, Imperatores dictos fuiſſe. Quare, cùm Veſpaſianus, Nerva, Hadrianus, & Antoninus Auguſtum tanquam exemplar ſibi propoſuerint, quando filios ſuos in Imperii ſocietatem aſcivere, non dubium, quin ideo eos *Imperatoris* titulo exornarint, quia Auguſtus eandem appellationem Tiberio attribuerat; qui eam tamen, ejuſque exemplo M. Aurelius, recuſavit, ille fictâ, hic verâ modeſtiâ, de quo Capitolinus num. v citatus & Xyphilinus mox laudandus nos ſubitare non ſinunt. Nec eſt qòud dicat Noriſius, unum Titum omnium primum Imperatoris prænomen à patre obtinuiſſe; ſed ex illo nullum Imperium accepiſſe. Cur enim in hac prærogativa Titus Tiberio ac M. Aurelio prælatus fuiſſet; cùm ad æqualem honoris gradum evecti fuerint, ad Tribunitiam nempe Poteſtatem, & Imperium Proconſulare perpetuum. Si ex prænomine Imp. nullum Imperium Titus accepit, quod negari non poteſt, neque prænomen illud aliquam potentiam in eo deſignavit, ut deſignaſſe diximus; quo fine, quàve de cauſa potiùs Tito, quàm ceteris omnibus Imperii Collegis datum fuit? Nulla enim afferri poteſt ratio, quam ob rem illud potiùs uni quàm alteri tribueretur. Denique ex eo quod Capitolinus ſcribit, *poſt exceſſum Divi Pii* à Senatu Marcum Aurelium coactum fuiſſe *regimen publicum* capere, perperam Vir eruditiſſimus infert, Marcum antea Imperii ſocium non fuiſſe; cùm diverſum eſſet regimen quod coactus eſt Marcus capere, ab eo quod antea habuerat. Antea enim Collega tantùm Imperii erat, poſtea Imperium Auguſteum obtinuit, ut jam num. v diximus.

XV. Ad locum Capitolini, quem eodem numero retuli, ita reſpondet Noriſius: *Verba autem illa Capitolini eodem capite*, Tanta erat Marci probitas, & tanta in Imperatorio Principatu modeſtia, *jam Caſaubonus rectè expoſuit, notans in aliis MSS. legi*, Imperatorio participatu, *quòd nempe titulum Cæſaris ac Tr. Pot. participaret, quæ duo Imperatorum propria erant, cetera inter inſignia. Et ſanè nomen* Principis, *id temporis, propriè loquendo, Auguſtos tantùm deſignabat. Lege Tacitum initio ſtatim Annalium. Quare uti Aurelius ante Imperium Auguſteum non fuit Princeps, ita nec Imperatorius Principatus, niſi ex ſpe adoptionis peractæ, ſive ex deſtinata jam eidem ſucceſſione competebat; ac proinde Capitolinus idoneè exponendus eſt.* Verùm ſi reperiantur aliqua MSS. in quibus pro *Principatu* legatur *participatu*, non dubito, quin in illis Librariorum errore ita ſcriptum ſit. Imò licèt ita ſcripſiſſet Capitolinus, ex illis verbis deduci poſſet, Marcum Imperatorem appellatum fuiſſe, cùm dignitatis Imperatoriæ particeps fuerit, Tribunitiæ nempe Poteſtatis &, Imperii Proconſularis, quæ qui participarunt Imperatores dicti ſunt. At Imperii Collegas *Principes* vocatos fuiſſe, demonſtrat locus Capitolini in Marco cap. 1. à me recitatus anno Chriſti LXXI num. IV, alterque locus Spartiani in Ælio Vero cap. ultimo à me explicatus, dum de Imperio Proconſulari Tiberio Cæſari collato verba egi. Legendum etiam quod ſcripſi ex eodem Capitolino anno CC XXXVI num. VIII. Denique Marcum Imperii Collegam fuiſſe, demonſtrat locus Xyphilini ex Dione ab ejus Interpretibus non ſatis accuratè in Latinum verſus: καὶ ὅτι οὐ προσποιητῶς, ἀλλ' ἐξ ἀρετῆς πάντα ἔπραττεν ἐπιδέδεικται. ἔτη γὰρ ὀκτὼ καὶ πεντήκοντα, καὶ μῆνας δέκα, ἡμέρας τε εἴκοσι, καὶ δύο ζήσας, καὶ τούτοις τῷ τε πατρὶ Ἀντωνίνῳ συχνὸν χρόνον ὑπάρξας, καὶ αὐτὸς ἐννέα καὶ δέκα ἔτη καὶ ἕνδεκα ἡμέρας αὐταρχήσας, ὅμοιος διὰ πάντων ἐγένετο, καὶ ἐν οὐδενὶ ἠλλοιώθη. quæ verba à Guilielmo Blanco ſic Latinè reddita: *Ac Marcum quidem nihil ſimulatè, ſed omnia cum virtute egiſſe, perſpicuum eſſe poteſt ex eo quòd cùm octo & quinquaginta annos, menſeſque decem, ac dies viginti vixerit, in iiſque cum Antonino patre diu fuerit cum Imperio, ipſeque annos decem & novem, & dies undecim regnaverit, tamen æquabilis in omni vita, ne ulla unquam in re immutatus fuit.* Leunclavius loco horum verborum, *in iiſque cum Antonino patre diu fuerit cum Imperio*, habet, *ſub Antonino patre diu ſocius Imperii fuerit.* Verùm locus ſic ad verbum interpretandus: *Et quòd non fictè, ſed virtute omnia agebat, certiſſimum. Annos enim octo & quinquaginta, & menſes decem, dies verò viginti & duos cùm vixerit, & in iis cum Antonino priùs per longum tempus fuerit*, (vel *cum Antonino priùs per longum tempus imperaverit*) *& ipſe annos novem & decem, & undecim dies per ſe ipſum* (vel *ex ſe*) *imperaverit, ſimilis in omnibus fuit, & in nulla re immutatus. Priùs* itaque M. Aurelius cum Antonino, ipſoque demortuo, per ſeipſum imperavit. Xyphilinus ex Dione, ut anno Chriſti LXXI num. IV oſtendimus, Veſpaſiani morte narrata ait, Titum principatum monarchicum adeptum eſſe, ὅτι δὴ Τίτος μοναρχήσας, quia ſcilicet mortuo patre ſolus regnavit; ſed quia Marcus Aurelius poſt Antonini obitum Lucium Verum Auguſti nomine donavit, monarchiæ quidem verbo Hiſtoricus non utitur, ſed aliud uſurpat, quod non minùs indicat, M. Aurelium Collegam Imperii fuiſſe, quàm verbum monarchiæ, Titum antea imperaſſe, ſed non ſolum, ac ſine alio.

M. Aurelium Imperii Collegam fuiſſe Capitolinus & Xyphilinus teſtantur.

Ad num. III.

Anno Chriſti C L I. Delendus primus numerus, & in ejus locum hic ſubſtituendus: Coss. Quintilius Condianus, & Quinti-

ſius Maximus ; uti accuratè Onuphrius ex Dione lib. 72. ubi tamen Librariorum errore loco *Condiani* legitur *Cardianus*, quemadmodum apud Lampridium in Commodo cap. 4. Sextus Cocidiani filius dicitur, loco Condiani hoc anno Conſulis, quem tamen Dio, cui major fides adhibenda, Maximi filium facit. Condianum etiam hoc anno edunt Faſti Græci Theonis à Dodwello Viro eruditiſſimo nuper publicati, quem annum aperuiſſe, non verò Gordianum, ut perperam Caſſiodorus & liber Cuſpiniani habent, ex eo liquet, quòd anno c l x x x *Sextus Quintilius Condianus* Maximi filius, non verò Quintilius Gordianus, Faſtis nomen dederit, ut teſtantur Faſti citati Theonis, & ſuo loco videbitur. Chronicon Alexandrinum à Radero publicatum Gordianum profitetur ; & tamen Faſti ex eo Chronico à Sylburgio editi Condianum habent ; qui ſimileſve errores Librariis attribuendi. *Quintiliorum* Domus omnis à Commodo extincta, ut tradunt Dio & Lampridius laudati, Maximus ſcilicet Condianus & Sextus Condianus, de quibus plura Caſaubonus in Notis ad laudatum Lampridii locum. Quinquennalia

II. *Verus in Oriente per quadriennium manſit.*

Baron. num. 11.

Anno C L X V I. *delendi numeri II, III, IV, & V. & in eorum locum ſequentes ſubrogandi.* Ad num. I. Annus reditûs Lucii Veri ex Oriente diſtinguendus ab anno, quo cum Marco Aurelio triumphavit : nam Lucius Verus anno præcedenti Orientem reliquit ; currenti verò Romæ triumphavit. Capitolinus in Marco cap. 13. ait, Lucium Verum *poſt quinquennium* reverſum eſſe : in Vero autem Imperatore cap. 7. rem magis explicans, de eo habet : *Cùm interfecto Legato, cæſis Legionibus, Syris defectionem cogitantibus, Oriens vaſtaretur ; ille in Apulia venabatur, & apud Corinthum, & Athenas inter ſymphonias & cantica navigabat, & per ſingulas maritimas civitates Aſiæ, Pamphyliæ, Ciliciæque clariores voluptatibus immorabatur. Antiochiam poſteaquam venit, ipſe quidem ſe luxuriæ dedit, Duces autem confecerunt Parthicum bellum Priſcus Avidius Caſſius, & Martius Verus, per quadriennium ; ita ut Babylonem & Mediam pervenirent, & Armeniam vendicarent, &c. Egit autem per quadriennium Verus hiemem Laodiceæ, æſtatem apud Daphnem, reliquam partem Antiochiæ.* Capitolinus itaque ſignificat, hoc bellum duraſſe per quadriennium completum, & per quinquennium non integrum. Quare, cùm anno c l x i inchoatum fuerit, anno c l x v deſiit, primaque hiems Laodiceæ tranſacta, à menſe Novembri anni c l x i deducenda. Si enim verno tempore, ut veroſimile eſt, itineri ſeſe commiſit, ſex aut ſeptem menſes ad varias illas regiones perluſtrandas, in iiſque aliquantulum immorandum ſuffecere.

III. *Verus anno ſuperiori Romam rediit.*

Turbat tamen Euſebius in Chronico ſecundùm editionem Pontacenam, qui ſecundo Marci Aurelii & Lucii Veri anno ſcribit : *Lucio Cæſari Athenis ſacrificanti, ignis in cælo ab Oriente in Occidentem ferri viſus.* Quo etiam anno Caſſiodorus, Hermannus Contractus, & Marianus Scotus in Chronicis eundem rem recitant, & quidem iiſdem verbis ; adeo ut ab Euſebio ea accepiſſe non dubitandum. Verùm, cùm in editione Scaligeriana prodigium illud cum primo utriuſque Imperatoris anno copuletur, ea hac in parte præferenda. Ad hæc, Capitolinus in Marco cap. 9. prodit, Marcum Aurelium *medio belli tempore filiam ſuam nupturam Brunduſium uſque* deduxiſſe, & ad Lucium Verum miſiſſe. Quare, cùm bellum Parthicum anno c l x i inchoatum fuerit, & Lucius Verus Lucillam uxorem anno c l x i i i, ut ſuprà demonſtravi, duxerit, anno c l x v ex Oriente rediit. Ceterùm eo anno adhuc bellum duraſſe inde colligitur, quòd Marcus Aurelius tertiùm Imperator dictus ſit. Mediobarbus enim Nummos hujus Imperatoris exhibet, in quibus legitur : Tr. P. xix. Imp. III. Cos. III. In aliis verò : Tr. P. xix. Imp. II. Cos. III. S. C. Tribunitiam Poteſtatem x i x ſuſcepit Marcus Aurelius anno c l x v, idque ante diem ſeptimum menſis Martii. Quare eo anno dicebatur adhuc Imperator II, quemadmodum & Lucius Verus, ut videre eſt in ejus Nummis ; & ob victorias Parthicas uterque dictus eſt Imp. III.

IV. *Verus Romam redit fame ſæviente.*

Inſuper Capitolinus in Marco cap. 13. inquit : *Et cùm famis tempore populo inſinuaſſet de bello, fratre poſt quinquennium reverſo in Senatu egit, ambos neceſſarios dicens bello Germanico Imperatores.* Hi famis tempore ſoliti erant ſummâ curâ procurare ex Ægypto, Africa, Sicilia frumenti vilitatem : quod anno c l x v à Marco Aurelio factum conſtat. Mediobarbus enim ejus Nummum producit in poſtica inſcriptum : P. M. Tr. P. xix Imp. III. Cos. III. Repræſentatur figura muliebris ſtans, dextrâ ſpicas, ſiniſtrâ cornucopiæ ; à dextris ad pedes congium frumentarium, à ſiniſtris prora navis. Anno itaque c l x v, quo Tribunitiam Poteſtatem x i x Marcus auſpicatus eſt, frumentum Romam nave advectum, & populo diſtributum. Quamobrem, cùm Lucius Verus Romam redierit anno, quo ea fame afflicta erat, ejus reditus cum anno c l x v omnino conjungendus. Præterea Mediobarbus in Numiſmatis Lucii Veri duo in medium adducit, in quorum poſtica legitur : Fort. red. Tr. P. v. Imp. II. Cos. II. S. C. Viſitur *Fortunæ reducis* ſedentis typus. In alio habetur, Tr. P. v. Imp. III. Cos. II. S. C. Fort. red. cum eodem typo. Prius, in quo Lucius Verus dicitur tantùm Imp. II. quando ex Oriente digreſſus eſt, percuſſum ſicut & alterum, in quo Imp. III. appellatur. Fortunæ enim reduci ſacrificia de more offerebantur, & cùm Imperatores profectionem inſtituebant, & quando in Urbem redierant. Nulla verò Numiſmata cum Fortuna reduce expreſſa, & ſexto Imperii Lucii Veri anno, ſeu Tribunitia Poteſtate ſexta notata apud Mediobarbum extant, ideoque ejus ex Oriente reditus in præſentem annum tam à Baronio quàm ab aliis malè hactenus dilatus. Porrò Lucius Verus, poſtquam Romam rediit, ob victorias à Legatis reportatas, currenti anno Imp. IIII. appellatus, ut patet ex Nummis apud Mediobarbum, in quibus Marcus dicitur : Tr. P. xx. Imp. IIII.

Cos.

Cos. III. S. C. Lucius verò Tr. P. vi. Imp. IIII. Cos. II. Capitolinus enim in Marco cap. 21. ait: *Cùm Mauri Hiſpanias propè omnes vaſtarent, res per Legatos bene geſta ſunt. Et cùm per Ægyptum Bucolici milites gravia multa feciſſent, per Avidium Caſſium retuſi ſunt.* Bellum Bucolicum anno clxviii geſtum, ut infrà videbitur: Mauritanicum itaque ad hunc annum pertinet, & ob victorias per Duces relatas uterque Auguſtus Imp. IIII. appellatus eſt. Illud autem verno circiter tempore currentis anni profligatum liquet, ex eo quòd pax in Imperio Romano hoc anno fuerit, ut mox dicetur.

V. *Marcus & Lucius hoc anno triumpharunt.*

Reditu *Lucii Veri* anno ſuo conſignato, nunc de anno *triumphi* differendum. Et quidem nihil ex Euſebio in Chronico, ubi hujus mentio habetur, innoteſcere poteſt; cùm alio anno in editione Scaligeriana, alio in Pontacena recitetur. Caſſiodorus & Hermannus Contractus in Chronicis hunc *triumphum* cum anno præcedenti illigant. Sed eum hoc anno ductum colligo ex illis Marci Aurelii & Lucii Veri Nummis mox referendis, in quibus Pax diſertè legitur. Ut enim anno xc de ſecundo *Domitiani* triumpho loquentes, jam obſervavimus, *Pax* expreſſe vel ſymbolicè de more repræſentata in Nummis, annis quibus triumphatum eſt, percuſſis. Sic *Pax* in quibuſdam Nummis anno clxxvi cuſis diſertè memorata, quo ſcilicet anno ſecundum triumphum Marcus Aurelius exhibuit. Ductum prius initio anni ex Capitolino in Vero cap. 8. deduco; ibi enim legitur: *Habuit hanc reverentiam Marci Verus, ut nomina quæ ſibi delata fuerant, cum fratre communicaret die triumphi, quem pariter celebrarunt.* Loquitur Capitolinus de *Parthici Maximi* titulo, qui in Nummis Marci à Mediobarbo recitatis non legitur, niſi quando Marcus Tribunitiam Poteſtatem xix; quæ hoc anno paulò ante diem ſeptimum Martii abſoluta eſt, gerit; antea enim in Nummis *Armeniacus* tantùm nuncupatur, ut patet ex variis Nummis à Mediobarbo relatis, in quibus habetur: M. Aurel. Antoninus Aug. Armeniacus. P. M. in averſa parte: Tr. P. xix. Imp. II. Cos. III. S. C. In alio: M. Aurel. Antoninus Aug. Arm. Parth. Max. in poſtica: P. M. Tr. P. xix. Imp. III. Cos. III. cùm tamen Lucius Verus in Nummis jam quarto Imperii ſui anno *Parthicus Maximus* appelletur. Triſtanus tomo 1. pag. 866. hunc Nummum producit: L. Verus. Aug. Arm. Part. Max. in poſtica: Tr. P. IIII. Imp. II. Cos. II. Lucius itaque priùs quàm Marcus Aurelius, *Parthicus* appellatus eſt, ſed hoc nomen Marco die triumphi ſui communicavit; quando hic nempe Tribunitiam Poteſtatem xix, quæ hoc anno ante diem ſeptimum Martii exivit, obtinebat.

VI. *Marci Aurelii filii Cæſares dicti.*

Nec refert, quòd Capitolinus in Marco cap. 12. ſcribat: *Petiit Lucius, ut ſecum Marcus triumpharet; petiit præterea Lucius, ut filii Marci Cæſares appellarentur.* Lampridius autem in Commodo Marci Antonini filio cap. 11. dicat: *Nominatus inter Cæſares quarto Iduum Octobrium, Pudente & Pollione Coſſ.* currente nempe anno. Lampridius jam cap. 1. ſcripſerat: *Appellatus eſt autem Cæſar cum fratre ſuo Severo.* ubi loco *Severo*, legendum *Sex. Vero*, id eſt, *Sexto Vero*, ut patet ex Galeno lib. de Recognit. cap. 10. Cùm itaque Commodus & Verus Marci Aurelii filii ante menſem Octobrem Cæſares nuncupati non ſint, ante eumdem menſem triumphus ille non videtur actus. Verùm Capitolinus non dicit, ſtatim ac Lucius petiit, Marcum filios ſuos Cæſares creaſſe; ideoque ex illis Capitolini verbis acti triumphi tempus deduci non poteſt. Marcus autem Aurelius, ut id obiter dicam, poſtquam imperavit, tres filios genuit, nempe *Commodum* & *Antoninum* gemellos, ut tradit Lampridius in Commodo cap. 1. qui dicit, eos natos *patre patruoque Coſſ.* anno nempe clxi. Tertius Marci filius *Verus* fuit, ſeptimo ætatis anno demortuus, ut infrà videbitur. Herodianus quidem lib. 1. cap. 2. duos tantùm filios M. Aurelio tribuit, *Commodum* ſc. & *Veriſſimum*, ut ipſe appellat, quia Antonini nullam mentionem facit, quòd, ut teſtatur Lampridius citatus, quadrimus elatus fuerit. Mediobarbus pag. 241. varios Nummos refert, in quibus legitur, vel Verus Caesar, vel, Annius Verus Cæs. adeo ut tertius Marci Aurelii filius dictus fuerit *Sex. Annius Verus*, & præterea in vulgari uſu loquendi *Veriſſimus*.

Eodem anno num. V. in fine deleantur hæc verba: Sed quoad annum quo triumphus ductus, &c. *uſque ad finem: eorumque loco lege.* An verò triumphus anno ſuperiori ductus ſit, nolim omni aſſeveratione affirmare, quòd in Nummis eo anno cuſis aliqua Pacis mentio non occurrat, quemadmodum in aliquibus hoc anno percuſſis, & anno lxxxx num. ultimo oſtenderim, annis quibus triumphatum, in aliquibus Nummis aliquod Pacis ſymbolum inveniri, aut eam diſertè memorari; quod & factum in ſecundo M. Aurelii triumpho anno clxxvi geſto, ut infrà videbitur. Verùm potuerunt Nummi anno clxv cum Pacis ſymbolo cuſi ad nos non perveniſſe, præſertim cùm ea, quæ ad triumphum anno ſuperiori affigendum attulimus, non parum urgeant, ſaltemque evincant, Lucium Verum anno clxv ex Oriente rediiſſe, poſtquam ob ultimam victoriam Imp. III. appellatus fuiſſet. Quo pacto hic annus triumpho deſtinatus fuerit; omniaque vitabuntur incommoda.

Poſt bellum Mauritanicum

SECULO TERTIO.

Duplex Macrini Conſulatus.

ANNO *CC XVII. num. V. poſt hac verba*, Diadumenianum filium Conſulem ſuffectum creavit, *ſequentia delenda uſque ad finem illius numeri, & hæc addenda*, ſeque Conſulem iterum in annum ſequentem deſignavit. Jam enim antea Conſulem fuiſſe, ſuffectum ſc. oſtendunt Nummi & Faſti. Anno

Anno CC XVIII. delendus primus numerus, ejuſque loco ſubſtituendum.

I. *Conſules.* Coss. Imp. *M. Opelius Macrinus Aug. II*, & *Adventus II*, ut docet Dio lib. 78. Sed Macrini è Faſtis eraſi loco ſeipſum conſtituit M. Aurelius Antoninus Aug. Heliogabalus dictus, qui Macrino hoc anno interfecto ſucceſſit: de qua ſubrogatione mox ſermo erit. Tam Macrinus, quàm Adventus Præfecti Prætorio erant tempore interitûs Caracallæ, ut notat Herodianus lib. 4. cap. 12. ubi tamen *Adventum*, perperam *Audentium* vocat, qui tamen error Librariis adſcribendus, de cujus etiam Præfectura tam Prætorii, quàm poſtea Urbis, & Conſulatu legendus Dio citatus, ubi diſertè teſtatur, tam *Macrinum* quàm *Adventum* aliàs ornamentis Conſularibus exornatos fuiſſe, & Conſules II hoc anno dictos eſſe, ut quondam fuerat *Plautianus*, poſtquam Conſulatum ordinarium adeptus eſt. Hinc apparet, Præfectos Prætorio, quales hi tres fuere, non rarò Conſulatum conſecutos fuiſſe, poſtquam nempe ad Senatoriam dignitatem evecti fuerant. Apparet ſecundò, ornamenta Conſularia data fuiſſe Viris Ordinis Equeſtris, uti erant Plautianus, Macrinus, & Adventus; quod & anno Chriſti LXXXXIV num. I etiam inſinuavimus. Dio enim loco laudato dicit, delirare viſum eſſe Macrinum, *quòd Præfecturam Urbanam priùs quàm Conſulatum* Adventus *accepiſſet: hoc eſt, quod antè Præfectus Urbis, quàm Senator fuiſſet.* Quare, cùm *Adventus* ornamentis Conſularibus cohoneſtatus fuerit, antequam Præfectus Urbis à Macrino renuntiaretur, liquet, eum adhuc in Ordine Equeſtri exiſtentem honoribus Conſularibus decoratum fuiſſe. Tandem, Alexandro Severo imperante, Præfecti Prætorio Senatores creati ſunt, ſicque Conſules eſſe potuere: *Præfectis Prætorio ſuis Senatoriam addidit dignitatem, ut Viri Clariſſimi & eſſent & dicerentur; quod antea vel rarò fuerat, vel omnino non fuerat: eò uſque ut ſi quis Imperatorum ſucceſſorem Præfecto Prætorii dare vellet, Laticlaviam eidem per libertum ſubmitteret: ut in multorum Vita Marius Maximus dixit. Alexander autem idcirco Senatores eſſe voluit Præfectos Prætorii, ne quis non Senator de Romano Senatore judicaret*, inquit Lampridius in Alexandro cap. 21. qui tamen in eo errat, quòd id nunquam antea contigiſſe dicat, ut liquet ex exemplis Arretini Clementis, Titi Cæſaris, Plautiani, & Adventi, multò magis Sejani, qui anno Chriſti XXXI ſimul Conſul & Præfectus Prætorio fuit, ut anno LXXXXIV cum Noriſio V. C. obſervavimus. Alexandri itaque Severi decreto Præfecti Prætorio in Senatorum numerum cooptati. Vide quæ dicam anno CC LXXXV in explicatione Conſulatûs Ariſtobuli Præfecti Prætorio Carini Auguſti. Porrò Macrini Conſulatus juxta priorem regulam, uti & ſecundus *Diadumeniani* Auguſti hoc anno geſtus, qui tamen ſuffectus fuit, non verò ordinarius, ut Baronius, Onuphrius, aliique perperam ſcripſere. De familia *Adventi* legendus Cujacius lib. 15. Obſervat. cap. 3. Ad num. I.

Præfecti Prætorio Cōſulatum adepti.

Anno CC XIX. num. I. poſt hæc verba, apud Gruterum pag. 300. *adde:* In Reineſiana tamen Inſcriptione *Sacerdos* ſine numerali nota editur. Si prior hujus Conſulatus ſuffectus fuit, non mirum quòd in hac ultima Inſcriptione prætermiſſus fuerit; cùm hujuſmodi Conſulatus vel taceri vel memorari poſſent. Sed ſi prior *Sacerdotis* Conſulatus honorarius extitit, liquet, Legem illam Macrini, cujus meminit Dio in Excerptis Valeſianis, quâ ſcilicet Macrinus ſuſtulit Legem à Severo inductam, juſſitque eum qui Conſularibus antea ornamentis ornatus, Conſulatum accipiebat, Conſulem ſine nota iterati Conſulatus appellari, obſervatam non fuiſſe. Certè ipſummet Macrinum, qui primùm Conſul honorarius, ac dein Conſul ordinarius fuit, eam non ſervaſſe, quemadmodum nec Adventum, docet Dio lib. 78. quando ait: *Sed parem his propè culpam in Macrinum contulere prudentes, ob eam cauſam, quòd inter Conſulares nonnullos retulit, ſtatimque Provinciarum adminiſtrationibus præfecit; licèt eum videri nollet iterum fuiſſe Conſulem, qui honores ſe Conſulares adeptum diceret; id quod imperante Severo cœptum, etiam filius Antoninus in uſu retinuerat. Et Macrinus quidem, ut hoc imprimis ex Legum præſcripto, tam in ſe ipſo, quàm in Advento ſervavit; ita*, &c. Ex quo inferre licet, Macrini Legem non magis ab aliis, quàm ab eo & ab Advento ſervatam fuiſſe, & Eutychianum Comazontem, qui anno ſequenti Faſtis nomen dedit, cum nota numerali edi debere, uti rectè ab Onuphrio præſtitum, ſive ter Conſulatum geſſerit, ut Xyphilinus, & Zonaras tradunt, ſive poſtquam Conſulares honores adeptus eſt, Conſul factus fuerit, ut docet Dio lib. 79. Ad num. I.

Anno CC XX. num. I. poſt hæc verba: & Eutychianus Comazon, *dele ſequentia & eorum loco pone*, II. ut anno præcedenti num. I. diximus.

Sumtus hic ab Heliogabalo ſtolido & exlege Imperatore Conſulatus, præter regulas, quemadmodum & primus anno CC XVIII initus; quod utrumque à Dione lib. 79. obſervatum: *Adverſus inſtituta patria*, inquit, *ſanè non magni quædam momenti, nec inſigne malum aliquod nobis afferentia*,

niſi quatenus à recepta conſuetudine aliena erant, innovata ab ipſo fuere. Inter quæ Dio numerat, *quòd Conſulatus Macrini loco, qui jam antè geſtus erat, nomen ſuum ſubſtituit, cùm nec Conſulatum à nobis accepiſſet, nec prorſus eum attigiſſet; quòd initio tribus in literis annum indicavit per Adventi Conſulatum, quaſi qui ſolus eum geſſiſſet, ac nihilominus alterum ſibi Conſulatum adrogare conatus eſt; cùm nullum antea nec magiſtratum, nec titulum magiſtratûs honorarium accepiſſet.* Quæ ultima verba de Conſulatu ejus anno præcedenti ſuſcepto intelligenda non ſunt; cùm is, ſicut & quartus, quem Collega. Alexandro Cæſare capeſſiit, juxta inſtituta patria fuerit; tertii verò anno currenti initi nulla ratio aſſignari poſſit. Neque enim ad illum antequam imperaret, deſignari potuit, cùm, ut ait Dio, *nullum antea nec magiſtratum, nec titulum magiſtratûs honorarium accepiſſet.* Ex quibus Dionis verbis intelligimus, uſum tuliſſe, ut privati Conſules non deſignarentur, niſi magiſtratum aliquem geſſiſſent: indeque Appianus tanquam ſingulare notat, quòd Pompeius Magnus, ne Queſtorius quidem, factus fuerit Conſul. Imò poſt inſtitutum Imperium filii Auguſtorum de more Quæſturam ante Conſulatum gerebant, ut liquet de Marco Aurelio, de quo Capitolinus in ejus Vita cap. 5. ait: *Hadriano ferente, gratiâ ætatis factâ, Quæſtor eſt deſignatus.* Idem de Lucio Vero in ejus Vita cap. 3. ſcribit: *Poſt Quæſturam ſtatim Conſul eſt factus:* quamquam non deſint, qui Quæſturâ non geſtâ Conſules deſignati fuerint, ut liquet de Commodo apud Lampridium, & de Caracalla apud Spartianum in illorum Vita.

Ad num. IV.

Eodem anno num. II. dele: anno Abrahami 2237. qui Kalendis Septembribus currentis, *& lege:* ſecundùm editionem Pontacenam (Scaligeriana enim hoc anno manifeſte corrupta) anno Abrahami 2238. qui Kalendis Septembribus ſequentis Chriſti

Quindecennalia Severi Alexandri.

Anno CC XXXIII. In fine primi numeri hæc addenda. Triſtanus tomo 2. pag. 397. mentionem facit Nummi argentei Severi Alexandri Auguſti, in cujus poſtica legitur: P. M. TR. P. XII. COS. III. P. P. & repræſentatur Imperator in curru triumphali, quem quatuor equi trahunt. Indeque infert Triſtanus, Alexandrum, cùm Tribunitiam Pot. XIV gereret, de Perſis triumphaſſe. Verùm is Nummus Quindecennalium Imperii ejus Cæſarei, in quibus victoriarum præcedentibus annis reportatarum memoria renovata, non verò ipſius triumphi tum primùm acti teſtis, & quidem locupletiſſimus. Dum Alexander

Explicatur locus Dionyſii Alexandrini.

Anno CC LXI. ad num. VI. Dodwellus in ſingulari Diſſert. de Rom. Pontif. primæva ſucceſſione cap. 6. §. 16. affert laudata Dionyſii Alexandrini verba: *Religioſiſſimus verò Deique amantiſſimus Imperator ſeptennalem circulum emenſus nonum Imperii annum degit, quo nos feſta celebraturi ſumus;* atque è verbis poſtremis, ἐν ᾧ ἡμεῖς ἑορτάζομεν, intelligi illam Epiſtolam, è qua ea verba deſumta, fuiſſe ἑορταστικὴν, & paulò ante feſtum Paſchale anni Gallieni IX ſcriptam. Verùm fallitur Vir doctiſſimus: ἑορτῆς enim nomine Antiquos Decennalia & id genus feſta ſæpe deſignaſſe, liquet ex Oratione Euſebii in Tricennalibus Conſtantini Magni habita, in qua hujuſmodi voce Græca feſtivitas Decennaliorum & id genus ſolennium multoties explicatur. Ibidem Dodwellus initium Macriani hoc anno, ejus verò interitum ſequenti conſignat, quod ex dictis ſubſiſtere non poteſt. Sublatis

---

SECULO QUARTO.

Accurata ſeries Epiſcop. Carthaginenſiũ Donatiſtarum.

Baron. num. XII & ſeqq.

ANNO CCC LXVIII. ad num. II. Longè ante hunc annum mortem *Donati* Epiſcopi Carthaginenſis Donatiſtarum contigiſſe oportet. Nam in Sermone ſecundo Sancti Auguſtini *de pace & charitate*, recitato ante Collationem Donatiſtarum anno CCCC XI habitam, quem poſt obitum Baronii Sirmondus edidit, & Baluzius in nova ſua Collectione Conciliorum pag. 1126. contulit cum veteri MS. Bibliothecæ Colbertinæ, legitur: *Et tamen adhuc poſt Apoſtolicas voces, poſt Eccleſiæ declarationem & toto mundo dilatationem, dicitur mihi: Non dimitto Donatum, non dimitto neſcio quem Caium, Lucium, & Parmenianum.* Quo ex Auguſtini loco diſcimus, quatuor priores Epiſcopos Carthaginenſes Donatiſtarum poſt Majorinum Schiſmatis auctorem, fuiſſe *Donatum, Caium, Lucium, & Parmenianum:* huncque non Donato, ut putavit Baronius, ſed Lucio ſucceſſiſſe. Parmenianum excepit *Primianus* anno circiter CCC XCII; cùm inſequenti *Maximianiſtæ* eam ordinationem damnantes Maximianum Diaconum Epiſcopum ſibi conſtituerint. Illud enim Schiſma non diu poſt Parmeniani mortem conflatum fuiſſe, ex conciliis Carthaginenſi & Cabarſuſſitano, de quibus infrà, ſatis intelligitur. Eſt hic annus ſecundus

Anno CCC LXXIV. poſt num. XIX. addendum. XX.

Alpes Graiæ non fuerũt ex quinque Provinciis Galliarum vulgò dictis.

Gothofredus in Commentario Legis 1. Cod. Theod. *De deſertoribus.* & aliis in locis, teſtatur, in veteri Indice Sconhoviano Provinciarum Imperii Romani, Theodoſio Magno imperante confecto, & à ſe publicato, *Alpes Graias* Italiæ adſcribi. Quare, cùm quinque Provinciæ Galliarum vulgò dictæ paulò ante Theodoſianum Imperium inſtitutæ fuerint, eaque inſtitutio aliquot annos poſt mortem

ejus perſeverarit, *Alpes Graiæ* una ex illis Provinciis eſſe non potuere. Gaviſus ſum, rei tantùm per conjecturas à me detectæ certum argumentum nactum eſſe. Statim itaque Lugdunum, Genevam, ubi Gothofredus moratus eſt, & aliqua Opera typis mandavit, ac ad alias quaſdam urbes ſcripſi, ut Indicem illum habere poſſem; ſed cùm hujus Operis editio jam ferme abſoluta eſſet, & ab illarum urbium Bibliopolis reſponſum mihi ſit, libellum illum ibi non reperiri, ſufficiat hîc de hac Provinciæ Alpium Graiarum cum Italia conjunctione Lectorem monuiſſe. *Salmaſius* in Epiſtola VII rectè obſervavit, Provinciarum Romanarum ſtatum non ſemel immutatum eſſe, & modò ex una Provincia duas, modò ex duabus unam factam; & *Alpes Graias & Pœninas*, Plinio, Ptolomæo, aliiſque Antiquis teſtibus, Italiæ aliàs accenſitas fuiſſe, quas rurſus hoc tempore Italiæ unitas ex eo Indice diſcimus. Docet Gothofredus, eum anno circiter treceteſimo nonageſimo compoſitum, ideoque & quo tempore quinque Provinciæ Galliarum vulgò dictæ vigebant. In Notitia Galliarum imperante Honorio facta *Alpes Graiæ* Galliis rurſus reſtitutæ, ſed cum ſeptem Provinciis Galliarum vulgò dictis nequaquam conjunctæ; quia ſc. inter quinque Provincias Galliarum vulgò dictas antea recenſitæ non fuerant. Anno

Maximus Cynicus invadit Cpolitanum thronum.

Baron. num. XXIV & ſeq

Anno CCC LXXIX. Maximus Cynicus Damaſum Papam alioſque Italiæ Epiſcopos circumvenit: hæc enim univerſa Maximi geſtorum ſeries à Blondello in Apologia pro ſententia Hieronymi *de Epiſcopis & Presbyteris*, Sect. 3. rectè obſervata. Anno CCC LXXII Maximus ob Fidei confeſſionem ab Ariomanitis *virgis caſus, & Oaſim deportatus eſt*, ut teſtatur ipſemet Nazianzenus Orat. 23. Anno CCC LXXVIII Valente mortuo, Alexandriam rediit, unde, ut inquit Gregorius Carm. de Vita ſua, *cùm conſueta alimenta deeſſent*, hoc anno ineunte Cpolim ſe contulit, à Gregorio laudibus (ob ſimulatum pietatis zelum) exceptus, ex eodem Orat. 23. ejuſdem *convictu* uſus eſt, ex eodem Carmine; donec cum Hammone aliiſque ſex claſſiariis, quos Petri Alexandrini Epiſcopi *exploratores* vocat Gregorius, advenientibus, prima de Cpolitano throno invadendo conſilia agitavit, ac paulò pòſt cum *Ducibus & Paſtoribus*, qui priores miſerant, id eſt, Præſulibus à Petro delegatis *Presbyteri Thaſſii* auro redempta factioſorum colluvie, conſpiravit, Anaſtaſiæ Baſilicam de nocte invaſit, ac inde fugatus *in Choraula domo tonſus* & ordinatus eſt. Cpolitanis ejus conſpectum non ferentibus, Theodoſium Theſſalonicæ degentem adiit, cúmque repulſam paſſus eſſet, in patriam redux, Petrum Alexandrinum (qui eodem anno fatis conceſſit) minis perculit, ab eo literas ad Occidentales extorſit, Gratiano *Mediolani inſignem de Fide librum dedit*, Italorum animos ſibi conciliavit; qui ſimul ac rejciſſam anno CCC LXXXI à Synodo Cpolitana ejus ordinationem audierunt, ſcriptâ ad Theodoſium Synodicâ, de Collegarum judicio conqueſti ſunt. Licèt autem Theodoſium Theſſalonicæ toto ferè anno CCC LXXX hæſiſſe latæ ibidem Leges doceant, ut videre eſt in Chronologia Cod. Theodoſ. indeque certum fiat, Illyricum Orientale, cujus caput Theſſalonica, ei à Gratiano attributum fuiſſe, ineunte tamen vere à Theodoſio rejectum Maximum neceſſe eſt, quandoquidem Theſſalonicâ excedens *Maximus* Alexandriæ turbas concitavit, antequam è vivis exceſſiſſet Petrus, literiſque ab eo quomodocumque impetratis, in Occidentem properavit. Hinc deceptus eſt Baronius, quando hoc anno ſcripſit, *Maximum ad tantam rem, quam* adverſus Gregorium *moliebatur, jacere inſtituentem fundamenta aggreſſum eſſe primùm aucupare animum majoris Imperatoris, nempe Gratiani; quamobrem Mediolanum ad eum profectum obtuliſſe illi librum, & quidem, ut ait Sanctus Hieronymus in Catalogo, inſignem.* Nam id ex ipſomet Hieronymi loco refellitur: cùm enim *Maximum* Cpoli *pulſum, inſignem de Fide adverſus Arianos ſcripſiſſe librum, quem Mediolani Gratiano Principi dedit*, totidem verbis Hieronymus aſſerat; poſtquam magnis excidit auſis, non quo tempore eadem moliebatur, Mediolanum ad Gratianum profectum fuiſſe rês ipſa clamat, inquit Blondellus.

Baron. num. XXIV.

Nazianzenus Cpolim vocatus venit.

Contrà verò Nazianzenus deſideratus ad Cpolitanos acceſſit, à Concilio Illyriciano, vel ab alio nobis ignoto delegatus, Thracum nemine reclamante. Petrus enim Alexandrinus, cui tandem Maximi partes fovere viſum eſt, factum laudavit; ſic enim de eo Gregorius in Carm. de Vita ſua, *Paſtorum illorum arbiter ipſe Petrus, literis adeò manifeſtè duplicitate liberis (prout ipſa ad nos data litera fidem facient) nos primùm ſtabilis, ſediſque teſſeris honoras.* Maximum thronum invadere auſum, urbe exegere Cpolitani, hinc Gregorius: *Illinc malè malus, aut (ſi verum loqui malis) ut malus bene latratibus abactus eſt.* Eadem in poſitis ad Theſſalonicam Imperatoris caſtris paſſum, & Alexandriam repetere coactum paulò pòſt Præfectus fugavit. *Ad caſtra accurrit*, inquit ibidem Gregorius, *& inde rurſus ut canis pulſus*, &c. *Alexandriam denuo ſeſe confert*; &c. *Præfecto concitatam flammam verente; foras mittitur.* Gregorio contrà anno CCC LXXX, Novemb. XXVI, Baſilicam majorem Arianis ademptam tradidit Theodoſius. *Dat* (inquit Imperator apud Gregorium ibidem) *templum per nos Deus tibi tuiſque laboribus*, ac exinde invitum in cathedra collocavit populus: *Zelo & irâ ferventes, vos (qui plebs eſtis) clamantem me & lamentantem in hoc throno collocaſtis*, inquit Gregorius Orat. 27. idque poſtea ex Orientali, Pontica, Aſiana, & Thracia Diœceſibus in urbe regia congregata Synodus anno CCC LXXXI ineunte confirmavit: *Quotquot per Orientem erant*

(Ægypto excepta) populorum præſides uſque ad Romam ſecundam, ex intimis terra mariſque receſſibus, neſcio quibus Dei verbis moti conveniunt, &c. *Hi me clamantem & gementem in venenandis thronis collocant*, inquit Gregorius in Carm. de Vita ſua.

Maximus Italis perſuaſit, Nazianzenum Sedem Cpolitanam invaſiſſe.

In alia tamen Itali coætanei, contra quàm putavit Baronius, ſententia fuiſſe videntur. Revera, inquiunt in Epiſtola anno CCC LXXIX num. … citata, *advertebamus Gregorium nequaquam ſecundùm traditionem Patrum Cpolitanæ Eccleſiæ ſibi ſacerdotium vindicare.* Unde *advertebant?* Si nunquam ſibi (æmulo carens) vindicaverat, imò oblatum à Petro Alexandrino, Theodoſio, Cpolitanis, Orientis totius Synodo, pro virili recuſaverat, quantùm minùs poſt inthronizatum Nectarium ſibi vindicaverit? Quamprimùm ipſum poſt intruſum Maximum de receſſu cogitare ſenſit Eccleſia, *Exurgit continuò*, inquit Greg. in Carm. de Vita ſua, *non ſecùs ac apum vi fumi infeſtatum examen, & clamoribus furit, viri, mulieres, virgines, juvenculi, pueri, ſenes, nobiles, ignobiles, præſides, veterani quidam, unuſquiſque irâ & deſiderio fervet ex æquo, irâ adverſus hoſtes, & Paſtoris deſiderio; ſed meum non erat ad vim genuflectere, nec illegitimam Sedem exoſculari, qui ne coactus legitimam admiſerim.* Et tamen Maximus aliter Italis perſuaſit. Hæc eorum ad Theodoſium Aug. verba ſunt in Appendice Cod. Theod. pag. 104. *In Concilio nuper Maximus Epiſcopus, Alexandrinæ Eccleſiæ communionem manere ſecum lectis Petri ſanctæ memoriæ viris literis prodidit.* Ignorabant itaque Italiæ Epiſcopi, Petrum paulò antequam Cpolim adveniſſet Maximus, ſcriptis Epiſtolis Nazianzeni Epiſcopatum firmaviſſe, eundemque ſtylum ſubinde cum mente vertere ſolitum, Maximi terrore ac minis, ut pro eo ſcriberet coactum fuiſſe. Tandem Maximus patriâ profugus in Occidentem abiit, Synodique Italiæ Patribus, non ſponte ſcriptas, quod videbatur, ſed extortas à Petro literas exhibuit, idemque ſibi *intra privatas ædes (quia Ariani Baſilicas adhuc tenebant) ſecretum eſſe, mandatoribus Epiſcopis ordinantibus, dilucida teſtificatione docuiſſe* viſus, ut in laudata Appendice pag. 104. dicitur, Orthodoxos ab anno CCC LXXVIII in ſanctæ Anaſtaſiæ Baſilica, expulſum ſe, ac demum *in Choraulæ infami domo* ordinatum tacuit. Imò quam aliis intulerat, *vim ſibi repugnanti à pleriſque, etiam de populo & Clero illatam*, ne quid *in quo de Epiſcopatu ejus dubitare poſſent, habere* ſe deinceps profiterentur Itali, mentitus eſt. Quare non mirum, ſi Damaſum & Epiſcopos Italiæ Maximus circumvenerit. Hæc Blondellus, quibus illuſtrari poteſt Vita Sancti Gregorii Nazianzeni, quæ extat Tom. II Actorum Sanctorum Bollandianorum, & refelli aliqui Scriptores Catholici, qui Gregorii electionem ejuſque agendi modum immeritò criminati ſunt.

Baron. ann. 1380. num. V.

Anno

Occaſione

Anno CCC LXXXV. in fine addendi hi duo numeri. Diviſo Illyrico in Orientale & Occidentale, quod anno CCC LXXIX factum fuiſſe, certum fit ex iis, quæ anno CCC LXXX num. IV & ſeqq. & anno CCC XC num. III & ſeqq. in medium adduxi, *Pannonia*, utrumque Noricum, Dalmatia, Mœſia, Dardania & Creta in Imperio Occidentali remanſere; ſervataque eſt hactenus Sirmio, quæ ſedes fuerat Præfecti Prætorio Illyrici, ſua dignitas, conſtituto illic Vicario Præfecti Prætorio Italiæ, qui Provincias illas regeret. Sedes verò Præfecti Prætorio Illyrici tranſlata eſt Theſſalonicam, eique contributæ Macedonia, Theſſalia, Achaia, Epirus utraque, Prevalis, & utraque Dacia. In Eccleſiaſticis ſicut ante eam diviſionem totum Illyricum Epiſcopo Romano ſeu Patriarchæ Occidentis ſuberat; ita & poſt illam eidem ſubditum remanſit; quia, ut ſcribit Innocentius Papa Epiſt. XXX ad Alexandrum Epiſcopum Antiochenum, Eccleſiæ dignitati non congruit *ad mobilitatem neceſſitatum mundanarum Dei Eccleſiam commutari, honoreſque aut diviſiones perpeti, quas pro ſuis cauſis faciendas duxerit Imperator.* Hæc tamen diviſio Illyrici Epiſcopis Cpolitanis cupiditatem injecit, Orientale ſuæ Sedi ſubjiciendi; quod non ſemel eos tentaſſe tomo ſequenti viſuri ſumus. Pontifices Romani, ut eorum conſiliis obviàm irent, impedirentque quominus Epiſcopi Illyrici Orientalis à ſua juriſdictione recederent, Epiſcopum Theſſalonicenſem Vicarium Sedis Apoſtolicæ in illis partibus conſtituendum judicarunt. Erat quippe Theſſalonica in civilibus urbs celeberrima, *μήτηρ πάσης Μακεδονίης*, id eſt, *mater totius Macedoniæ*, ut legitur in Antipatri Epigrammate lib. I. ἀνθολ. & ſedes Præfecti Prætorio Illyrici Orientalis. In Eccleſiaſticis verò una erat ex Apoſtolicis Eccleſiis à Paulo Apoſtolo fundata, ut ipſemet Epiſtola I. ad Theſſal. cap. I. docet, & legitur in Actis Apoſtolorum cap. 17. Indeque Tertullianus in lib. de Præſcript. cap. 20. & 26. enumerans Eccleſias Apoſtolicas, à quibus ceteræ dixerat traducem fidei & ſemina doctrinæ mutuatas eſſe, inter illas locat Theſſalonicenſem; cùm paulò antè dixiſſet, apud ipſas ſuis locis adhuc præſidere cathedras Apoſtolorum.

diviſionis Illyrici, Theſſalonicenſis Vicariatus inſtitutus.

Ea inſtitutio à Siricio PP. facta.

Non convenit inter Eruditos, quis primus Romanorum Pontificum Epiſcopos Theſſalonicenſes hoc honore affecerit: aliqui eam liberalitatem referunt ad *Damaſum*, cujus tempore *Acholius & Anyſius* Theſſalonicenſem Sedem tenuere; alii verò, uti Baluzius in Supplemento lib. 5. Marcæ de Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 23. *Siricium* hujus Vicariatûs auctorem faciunt. Quæ ultima ſententia à Viro doctiſſimo ibidem pluribus probata, præferenda. Siricius enim ſcribens ad Anyſium Theſſalonicenſem Epiſcopum, ut videre eſt in Collectione Holſteniana, nullam Damaſi mentionem facit, haud dubiè facturus, ſi eadem auctoritas ab illo tributa Anyſio fuiſſet. Præterea Leo I repetens primordia Vicariatûs Epiſcoporum Theſſalonicenſium in Epiſtola ad Anaſtaſium in eadem Collectione edita,

à Siricio incipit, omiſſo Damaſo. Verum quidem eſt, Innocentium I, Nicolaum I, & Joannem III Pontifices Romanos hujus Vicariatûs initium Damaſo attribuere. Sed id proceſſit ex eo quòd Damaſus mandata interdum aliqua, ubi occaſio tulit, dedit Acholio & Anyſio; quo exemplo invitatus Siricius, vices ſuas commiſit per Illyricum, & præteritæ delegationis occaſione expirantem auctoritatem *certa tum primum ratione*, Eccleſiæ Theſſalonicenſi commiſit. Licèt itaque Leo Vicariatum Theſſalonicenſem à Siricii delegatione repetat, indicat tamen aliquam fuiſſe antea iſtiuſmodi delegationem in Illyrico, ſed quæ *certa tum primum ratione* firmata ſit. In ea enim Epiſtola quæ extat apud Holſtenium pag. 145. dicit Leo, ſe committere Anaſtaſio Epiſcopo Theſſalonicenſi vices ſuas per Illyricum, additque id ſe facere exemplo Siricii, ſimulque arcanum aperit Conciliationis à Baluſio V. C. allatæ: *Beatæ recordationis Siricii exemplum ſecuti*, inquit, *qui ſanctæ memoriæ Anyſio prædeceſſori tuo bene de Apoſtolica Sede tunc merito, & rebus pòſt ſequentibus approbato, certa tum primùm ratione commiſit, ut per illam Provinciam poſitis, quas ad diſciplinam teneri voluit, Eccleſiis ſubveniret.* Iſtam obſervationem confirmant ſequentia verba Leonis: qui, cùm memoriam iniret eorum Epiſcoporum Theſſalonicenſium, quibus Romani Pontifices commiſerant vices ſuas, omnino incipit ab Anyſio, dum ait, prædeceſſores ſuos commiſiſſe vices ſuas prædeceſſori deceſſorique Anaſtaſii, id eſt, Anyſio & Rufo, quibus ſucceſſerat Anaſtaſius. Quare cùm horum tantùm mentionem faciat Leo, manifeſtum eſt, ab Anyſio incepiſſe eum Vicariatum, de quo ſæpe tomo ſequenti mentio occurret: cùm enim Baronius Collectionem Holſtenianam non viderit, ex ea infrà Annales ſupplendi erunt.

Anno

In Schiſmate Donatiſtarum duo Concilia adverſus Primianum habita.

Baron. num. XXXVI & ſeqq.

Anno CCC XCIV. ad num. VIII. Poſtquam Donatiſtæ inter ſe diviſi ſunt, aliique *Primianum* Carthaginenſem Epiſcopum, alii verò poſt aliquot annos *Maximianum* ejuſdem civitatis Epiſcopum conſtituerunt, Maximianenſes duo Concilia adverſus Primianum celebrarunt, primum *Carthagine*, alterum *Cabarſuſſi*, quorum Auguſtinus meminit. Priùs habitum eſſe Carthagine, docet Auguſtinus lib. 4. contra Creſconium cap. 6. & 7. Ab Epiſcopis tantummodo *quadraginta tribus factum eſt: qui nondum auſi ſunt ultimum præcipitare judicium, ſed quodam præjudicio conſuluerunt, ut* Primiano, *ſi cauſæ ſuæ fideret, ſequenti celebriori Concilio reſpondendi, ſeſeque purgandi relinqueretur locus: quò cùm venire noluiſſet, jam neceſſariò putaverunt eſſe damnandum ſine ulla ſuſpenſione ſententiæ*, ſc. in Concilio Cabarſuſſitano, ubi *à centum vel ampliùs Epiſcopis perfectè pleniùſque damnatus eſt* Primianus. Synodicam Epiſtolam Maximianiſtarum in Concilio Cabarſuſſitano congregatorum refert Divus Auguſtinus Enarratione in Pſal. XXXVI, & ex eo Baronius in Annalibus. Exiſtimavit is, prius Maximianiſtarum Concilium habitum eſſe apud *Cavernam Suſis*, quem locum dicit Carthagini vicinum: poſterius verò Cabarſuſſi coactum, & ad primum pertinere Synodicam, quam integram recitat Auguſtinus citatus. Baronium ſequuntur Schelſtratius Diſſert. 3. de Eccleſia Africana cap. 5. Labbeus in ſua Conciliorum Collectione, aliique plures. Verùm, Synodicam illam ad Concilium Cabarſuſſitanum, ſeu ad ſecundum contra Primianum pertinere, nunc certum eſſe debet. Baluzius enim in nova Collectione Conciliorum pag. 94. & Patres Benedictini in Notula ad Pſal. XXXVI Auguſtini pag. 277. tomi IV Operum Divi Auguſtini, Synodicam illam cum variis antiquis codicibus MSS. contulerunt, & in omnibus ſcriptum docent, *& ceteri qui in Concilio apud Cabarſuſſi fuimus*, niſi quòd in quibuſdam per Librariorum errorem legitur, vel *Cabarſiuſſi*, vel *Carbaſſus*; vel *Cebarſuſſi*.

Concilium Cavernenſe fictitium.

Prius Concilium Carthagine congregatum fuiſſe disertè teſtatur Auguſtinus lib. 4. contra Creſconium cap. 6. ubi agens de Conciliis adverſus Primianum habitis, ait: *Primum, quod apud Carthaginem à quadraginta & tribus factum eſt, quo prædamnatus eſt Primianus. Alterum, quod Cabarſuſſi centum vel ampliùs veſtri tunc Epiſcopi condiderunt, quo perfectè pleniùſque damnatus eſt.* Sed cùm in quadam editione Operum Divi Auguſtini in præfata Synodica loco *Cabarſuſſi* legeretur, *Cavernam Suſis*, in editione Lovanienſi *Cavernas Suſis*, & in quatuor MSS. ut obſervant Patres Benedictini, *Cavernaſuſis*, hinc factum, ut Baronius crediderit, priùs Concilium adverſus Primianum habitum eſſe, non Carthagine, ſed in *Caverna Suſis*, qui ideo locus Carthagini vicinus eſſe debuerit; cùm tamen inde potiùs inferendum fuiſſet, Cabarſuſſum vel diverſis nominibus appellatum fuiſſe, vel potiùs vocem illam ab amanuenſibus, ut ſæpe fit, depravatam eſſe. Ex hoc errore alius enatus. Nam cùm Auguſtinus in lib. 4. contra Creſconium cap. 6. ſcribat, Concilium Carthaginenſe factum eſſe à quadraginta & tribus Epiſcopis, & in memorata Synodica quinquaginta tres ſubſcripſerint, Baronius ex hac ſubſcriptione deduxit, corrigendum eſſe locum Auguſtini, ubi ait, Concilium illud fuiſſe quadraginta trium Epiſcoporum. Verùm locus purus eſt, & Concilio Carthaginenſi Epiſcopi XLIII interfuere; Concilio verò Cabarſuſſitano Epiſcopi LIII ſubſcripſere, ut videre eſt in eadem Synodica, quæ his verbis clauditur: *Omnes numero quinquaginta tres.* Imò ea Synodica non tantùm à quinquaginta tribus in ejus fine ſubſcriptis; ſed etiam à pluribus aliis edita. Nam non omnium qui Synodicæ condendæ interfuerunt, ſubſcriptiones recitatas eſſe, probant *Anaſtaſius*, *Conſtantius*, *Candorius*, & alii quidam Epiſcopi, in ejus principio, non in fine nominati. Præterea Auguſtinus tam in Enarratione in Pſal. XXXVI

num. XXIII, quàm in libro ad Donatiſtas poſt Collationem cap. 4. & 22. ait, centum aut circiter Epiſcopos interfuiſſe Concilio Cabarſuſſitano.

Epocha duorum Conciliorũ à Maximianiſtis adverſus Donatiſtas celebratorũ.

Hujus porro Concilii, ideoque & Carthaginenſis utriuſque adverſus Primianum habiti epocha deducitur ex Concilio Bagaïenſi *VIII. Kalend. Maias poſt Conſulatum Theodoſii Aug. III*, currenti nempe anno celebrato. Nam ſi menſe Aprili Bagaïæ in Numidia ordinatio Maximiani damnata eſt, certum eſt, anno præcedenti Concilium Cabarſuſſitanum celebratum. Scribit Auguſtinus lib. de Hæreſibus cap. 69. *Apud Carthaginem Maximianus contra Parmenianum ab ejuſdem erroris centum ferè Epiſcopis ordinatus.* Quod clariùs explicat lib. 4. contra Creſconium cap. 6. ubi ait: *Proferebat ſententiam* Primianus in Concilio Bagaïenſi *contra Maximianum, & XII ſocios ejus, quibus præſentibus ordinatus eſt.* A duodecim Maximianum ordinatum habens etiam Acta Concilii Bagaïenſis. Quare, cùm poſtquam à centum Epiſcopis Maximianus electus eſt, à duodecim ordinatus ſit, eaque ordinatio hoc anno damnata, apparet, tam Concilium Cabarſuſſitanum, quàm eam ordinationem ad annum præcedentem ſpectare.

Anno

FINIS.

INDEX RERUM
IN HOC OPERE CONTENTARUM.

Nota numeralis communis annum Chriſti, Romana numerum ſignificat.

A

ABLAVIUS Conſul procedit. 331. I.
Abundantius Faſtis dat nomen. 393. I. Sidonem Phœniciæ, dein Pytiuntem in Cholcide exulare jubetur. 395. IX.
Acceptus, electus Epiſcopus Forojulienſis, ut, eam dignitatem effugiat, falsò ſe criminum reum in Concilio Valentino pronuntiat. 374. IV.
Achillas Sancto Petro Alexandrino Epiſcopo ſubrogatur. 310. IV. & 311. XIX. Paucis menſibus ſedet. *ibid.*
Achilleus à Diocletiano & Maximiano Auguſtis deficiens, purpuram in Ægypto ſumit, ibique per ſex annos imperat. 296. VI. Quo anno regnare cœperit, quóve interfectus, annotatur. *ibid.*
Acta Martyrum, licèt primævis Eccleſiæ ſeculis ſolicitè ſcripta, in Diocletianea tamen perſecutione periere. 64. III.
Acta publica, quandonam & quare hâc Formulâ POST SEXTUM CONSULATUM notata. 307. I.
Actiaca pugna, quo anno & die habita. *App.* XCV.
Actiacæ Eræ initium aſſignatur. *App.* XCV.
Acyndus annum aperit. 340. I.
Adoleſcens: hujus vocis ſignificatio adducitur. *App.* LXIII.
Adventus, Prætorio Præfectus, Conſul procedit. 218. I. Hujus Conſulatus monſtruoſus, & quare. 217. V.
Ægyptiaca Synodus ab Athanaſio Damaſi temporibus celebrata, ad annum CCCLXXXI pertinet. 369. VII. In ea non tantùm ad Damaſum ſcripta eſt Epiſtola adverſus Auxentium, ſed & ad Epiſcopos Africanos, quâ rogabantur, ut eos rejicerent, qui Ariminenſe Concilium contra Nicænum tuebantur. *ibid.* Qui ſint illi Africani Epiſcopi, examinatur. *ibid.*
Ægyptiaci Regni inſtitutio, duratio, finis & Reges adducuntur. *App.* XXVI.
Ægyptii annos ſuos à capta per Auguſtum Alexandria dinumerant. *App.* CV.
Ægyptii pace Eccleſiis à Gallieno Aug. conceſſa ſtatim non gaudent. 259. XI. Poſt Macriani tamen interitum eâ potiuntur. 261. VI. & VII.
Ægyptus à Diocletiano & Maximiano Augg. poſt ſextum à rebellione Achillei annum recepta. 296. VI.
Ægyptus plures habuit Epiſcopos, antequam Demetrius Alexandrinam teneret Eccleſiam. 232. III. Hiſtoriola de eodem Demetrio primùm in Ægypto creante Epiſcopos, inter fabulas recenſenda. *ibid.*
Ælianus *L. Roſcius* Conſul ordinarius procedit. 223. I.
Ælianus Faſces ſuſcipit. 187. I.
Ælianus *L. Papirius* Conſulatu illuſtratur. 163. I.
Ælianus *Cn. Papirius* Conſulatûs magiſtratum init. 184. I.
Ælius Verus. *Vide* L. Ceionius Commodus.
L. Ælius Commodus. *Vide* L. Aurelius Commodus.
Æmilianus Faſtis dat nomen. 186. I.
Æmilianus *Fulvius* annum apperit 206. I.
Æmilianus *Fulvius* primo Conſulatu honoratur. 243. I. Eadem dignitate ſecundò decoratur. 249. I.
Æmilianus, Legionum Pannonicarum Dux, poſt victos Barbaros Imperator ſalutatur. 253. VIII. A Valeriano vincitur. *ibid.* Ejus Imperium partim ſub Galli, partim ſub Valeriani temporibus geſtum, nec ullo modo intermedium. *ibid.* & 253. IX.
Æmilianus Conſul ordinarius procedit. 259. I. Diverſus omnino ab Aurelio Memmio Fuſco, cui perperam *Æmiliani* nomen tribuitur. *ibid.* Error illorum, qui Æmilianum & Baſſum Collegam ab hoc anno removent, ut Gallienum Aug. IV, & Valerianum Cæſarem Conſules proponant, evertitur. 259. II. & III. Erroris hujus origo inſinuatur. *ibid.*
Æmilianus Ægypti Præfectus, nonniſi occiſo Macriano, Imperator dicitur. 259. IX. & 262. IX. A Theodoto Gallieni Duce vivus ad Imperatorem tranſmittitur. 262. IX. Quo anno mortuus, quantoque tempore imperaverit, enuntiatur. *ibid.*
Æmilianus *Fulvius*, Tacito Aug. Collegâ, Conſulatum gerit. 276. I. Paulinus perperam in ejus locum ſubrogatur. *ibid.*
Æſerinus *M. Claudius Marcellus* annum aperit. *App.* CIX.
Ætates mundi, earumque duratio recenſentur. *App.* VIII. IX. X. XII. XIV. & XXII.
Afri, quo anno contra Maximinum Aug. rebellarint. 236. V.
Africanus *Q. Fabius Maximus* faſcibus illuſtris. *App.* CXVI.
Africanus *Julius* Faſtis dat nomen. 236. I.
Africanus *T. Senſius* Conſulatu decorus. 112. I.
Africanum Concilium, quod à Sancto Cypriano anno CCLIX celebratum prætenditur, fictitium. 254. V.
Agabus Propheta famem Hieroſolymitanam prænuntiat. 46. III.
Agapius martyrium ſubit anno tantùm perſecutionis Diocletianeæ quarto. 306. III.
Agbarus, Edeſſenorum Rex, à Thaddæo converſus, ſanatur. 29. VIII.
Agricola *L. Virius* Conſulatum init. 230. I.
Agrippa, Herodis Agrippæ filius, Romæ apud Claudium educatus. 44. II.

Agrippa *M. Vipſanius* Conſul. *Apparat.* LXXXIX. Iterum. *App.* CVI. Tertiùm. *App.* CVII. In Syriam Præſes, tranſmarinas Provincias adminiſtraturus, ab Auguſto mittitur. *App.* CX. Quo anno id factum, aperitur. *App.* CXIII. Eodem tempore, quo ipſe Orientem regit, alios ſub ipſo Proconſules fuiſſe, qui particulares Provincias gubernarent, oſtenditur. *App.* CXIII. Tribunitiam Poteſtatem in quinquennium accipit. *ibid.* In Syriam de novo mittitur. *App.* CXV. Tribunitia iterum Poteſtate donatur. *App.* CXV. Moritur. *App.* CXVI.

Agrippa *M. Aſinius* Faſtis dat nomen. 25. I.

Agrippa *D. Haterius* Conſulatu decoratur. 22. I.

Ahenobardus *Cn. Domitius* Conſulatum gerit. *App.* XCIV.

Ahenobardus *L. Domitius* Faſcibus illuſtratur. *App.* CXV.

Ahenobardus *Cn. Domitius* Conſulatu fungitur. 32. I.

Albinus *Nummius* annum aperit. 206. I.

Albinus Númmius Conſulatûs init magiſtratum. 246. I.

Albinus *M. Nummius* Conſul procedit. 227. I. Iterum Conſul. 263. I.

Albinus in Judæam venit. 60. IV. Ejus adventus malè à ſuo tempore removetur. *ibid.*

Albinus *Ceionius Rufus* Conſul ordinarius. 335. I.

Albinus Faſcibus illuſtris. 345. I.

Albinus Cæſar. *Vide* Clodius Septimius Albinus.

Alexander Magnus Græcorum Imperium inſtituit, & quo anno. *App.* XXV. Quandiu imperarit, quóve anno mortuus, indicatur. *ibid.*

Alexander Zabina Syris Rex imponitur. *App.* XXXVIII. Ab Antiocho Grypo occiditur. *App.* XLII.

Alexander Jannæus vinculis à Salome matre ſolutus, Rex & Pontifex conſtituitur, fratremque ſibi inſidiantem necat. *App.* XLVI. Poſt regnum viginti & ſeptem annorum moritur. *App.* LI.

Alexander fit Papa poſt Evariſtum. 108. VI. Ejus Acta mendoſa. 67. XI. Et ſi non mendoſa, malè tamen intellecta. 67. XII. Moritur. 116. VII. & 130. II. Pontificatum non adipiſcitur ſub Hadriano, ſed ſub Trajano. 119. III. Quandiu ſederit, & quibus Conſulibus martyrium fecerit, indicatur. 130. II. Hujus Pontificis exitus & duratio perperam à quibuſdam conſignantur. *ibid.* Tres Decretales, quæ ſub illius nomine circumferuntur, à Viris doctis rejectæ. 130. IV.

Alexander, Heliogabali conſobrinus, Cæſar renuntiatur. 221. II. Annum aperit. 222. I. Auguſtus acclamatur. 222. II. Imperii Cæſarei exhibet Quinquennalia. 225. II. Secundùm Conſul procedit. 226. I. Auguſtei Imperii Quinquennalia celebrat, Thermaſque de ſuo nomine ædificat. 226. II. Faſtis tertiò dat nomen. 229. I. Imperii Cæſarei edit Decennalia. 229. II. In Campania aliquandiu verſatur. 229. III. In Orientem proficiſcitur. 229. IV. Hujus profectionis annus annotatur. 229. IX. Contra Artaxercem Perſarum Regem Romanos infeſtantem movet. 228. V. & 229. VII. Belli iſtius initium & Nummis & auctoritatibus confirmatur. 229. VII. Per Legatos bellum Germanis infert, dum ipſemet contra Perſas pugnat. 229. VIII. Auguſtei Imperii dat Decennalia. 230. II. De Perſis triumphum agit. 230. III. Quo anno hic triumphus actus fuerit, declaratur. 230. IV. Iterum in Germanos movet. 233. II. Belli hujus principium aſſignatur. 234. III. Quindecennalia ſive Auguſtei, ſive Cæſarei Imperii edit. 234. II. Maximini juſſu occiditur. 235. II. Quo die natus ſit, quantóque tempore vixerit, & regnarit, manifeſtatur. *ibid.*

Alexander, Præfectus Prætorio Africæ, purpurâ à militibus induitur. 306. XV. Chriſtianos vexat. 306. XIX. Poſt quatuor Regni annos à Maxentio debellatur. 306. XV. & 311. XXII.

Alexander in locum Achillæ Alexandrinæ Eccleſiæ Præſulis ſufficitur. 311. XIX. Athanaſium adhuc puerum alios baptizantem, & Præſulem agentem videt. 311. XX.

Alexandra, quæ & Salome, Alexandrum Jannæum filium Regem Judæorum conſtituit. *App.* XLVI.

Alexandra, Alexandri Jannæi uxor, Judæorum Regnum per annos novem adminiſtrat. *App.* LI.

Alexandrei anni à Surianis uſurpati, quo menſe & die inchoati. 235. II.

Alexandri Epiſcopi Conſtantinopolitani obitus rectè in Annalibus Baronii conſignatus. 340. IX. Varia in contrarium adducta rejiciuntur. 340. IX. & *ſeqq.*

Alexandria poſt octavum obſidionis menſem à Diocletiano capta. 296. VI.

Alexandrina perſecutio. *Vide* Perſecutio Alexandrina.

Alexandrina ſeditio, quando Æmilianus Tyrannidem arripit, orta, non confundenda cum ea, quæ ſub Claudio Aug. accidit. 262. III.

Alexandrina Synodus in cauſa Athanaſii, quo anno coacta. 339. VII. Epiſcoporum numerus, qui ei interfuerunt, aſſignatur. *ibid.* Quid in ea actum ſit pro Athanaſio, explicatur. 315. VII.

Alexandrina Synodus, Joviano imperante, ab Athanaſio celebratur. 363. VII. In ea, non verò Antiochiæ, ſcripta Fidei Formula ad Jovianum ab Athanaſio tranſmiſſa. *ibid.*

Alexandrina Synodus, in qua Origeniſtæ damnati, ad annum CCCC I pertinet. 399. IV.

Alexandrinæ Synodi duæ adverſus Arium errorem ſuum ſpargere incipientem indicuntur. 315. VIII. & 321. VII.

Alexandrinæ Eccleſiæ invaſiones duæ contra Athanaſium factæ, earumque tempora, & diverſitas indicantur. 341. XXV. & *ſeqq.*

Alexandrinorum fabula circa nomen *Papa.* 163. III.

Alfenus *P.* annum aperit. 2. I.

Allectus, Carauſii in Britanniarum Imperio

ſocius, poſt hujus mortem triennio imperat. 293. II. & 296. VI. Ab Aſclepiodoto Prætorianorum Præfecto interimitur. 296. VI.

Allenius *Sex. Papirius*, non verò Gallienus, Conſul. 36. I.

Amantius Faſtis dat nomen. 345. I.

Ambibulus *L. Varius* Conſul procedit 126. I.

Ambroſius, poſtea Mediolanenſis Epiſcopus, naſcitur. 369. VIII. At non Arelate, ſed Treviris. 369. IX. Et hoc circa Chriſti annum CCCXL. 387. VIII. Vivente adhuc Valentiniano ordinatur Epiſcopus. 374. III. Commentaria ejus in Lucam poſt annum CCCLXXVI ſcripta demonſtrantur. 376. V. Sirmium petit, non ut Orthodoxum Epiſcopum in ea civitate conſtitui curet, ſed aut ab Epiſcopis vocatus, aut laboranti Eccleſiæ opem laturus. 380. VIII. A Juſtina Auguſta Arianis favente per biennium vexatur. 385. VII. & 386. III. Quo anno hæc perſecutio inchoata fuerit, & quo continuata, demonſtratur. *ibid.* & 387. III. IV. & VIII. Ad Maximum Tyrannum à Theodoſio Aug. pro pace ſtabilienda legatur; & quo tempore utramque Legationem obierit, indicatur. 383. VII. & 387. IV. Hominem exuit, ejuſque mortis annus & dies ſtabiliuntur. 397. VI. Contraria ſententia rejicitur. 397. VII. Emortualis ejus annus ex Gildonis Tyranni obitu magis innoteſcit. 398. X. Magiſque adhuc confirmatur. 398. XI.

Ammonius, Origenis Præceptor, inter Auctores Eccleſiaſticos à Divo Hieronymo computatus. 232. IV.

Anacletus Clero Papæ ſubſtituitur. 83. V. Mortalitatem exuit. 95. VI. 101. IV. & 110. II. Quo anno mors ejus acciderit, & quot annis Pontificatum obtinuerit, aperitur. 101. IV. & 110. II. Dies, quo ejus memoria in Eccleſia colitur, non ad obitum, ſed ad aliquam ejus tranſlationem referendus. *ibid.* Decretales ipſi attributas ſuppoſitionis arguunt Eruditi. 101. V. & 110. III. Quibus fundamentis innixi ſic cenſeant. *ibid.*

Ananelus ſummo Judæorum Pontificatu ab Herode donatur. *App.* XCII.

Anaſtaſis & *Martyrium* Hieroſolymitanum, una Baſilica, non duæ. 326. VIII.

Anaunenſes Martyres, quibus anno & die paſſi. 400. II.

Ancyrana Synodus contra Eudoxium Antiochenum Epiſcopum, quo anno habita. 357. VI. & 358. IV. Epiſtola in ea Synodo lecta ad Patres in illa congregatos non directa. 357. VII. Quæ in eadem geſta ſint, expenditur. 357. VIII.

Andreas Judæorum Dux in eorum rebellione ſub Trajano. 114. II.

Andreæ Apoſtoli Reliquiæ, quandonam Conſtantinopolim tranſlatæ. 356. XIII. & 357. I.

Anicetus Papa poſt Pium Romanam regit Eccleſiam. 150. II. Ad Superos tranſit. 161. XII. & 173. III. Decretalis hujus Pontificis unica ad Galliæ Epiſcopos, falſa oſtenditur. 173. III.

Anicia Faltonia Proba, Sexti Anicii Petronii Probi uxor, perperam cum Faltonia Proba Poetria confunditur. 295. II. & IV.

Aniciorum, Proborum, & Olybriorum familiæ malè in Annalibus explicatæ corriguntur. 395. II. & III.

Anni Urbis conditæ, quo menſe inchoati. 39. I.

Annianus Faſtis dat nomen. 314. I.

Annibalianus Conſul ordinarius procedit. 292. I.

Annulinus *Annius* annum aperit. 295. I.

Annus confuſionis, qua anni parte cœptus. *App.* LXIV. Corrigitur. *ibid.*

Annus Julianus primus, unde deſumendus. *App.* LXV. Prava intercalatione turbatus reſtituitur. *App.* LXXIV.

Anterus Pontiano ſuccedit in Pontificatu Romano. 235. V. & VI. Obit. 236. II. Breve Sedis tempus, dieſque ordinationis & mortis adducuntur. *ibid.* Decretalis una ejus nomine inſcripta, falſa. 236. III.

Antigonus, ejecto Hyrcano, Judæis Rex imponitur. *App.* LXXVII. Victus, ſecuri necatur. *App.* XCI.

Antinous Hadriano carus, quo anno mortuus. 129. II. & 130. V. Quo mortis genere perierit, fit notum. 130. V. Inter Divos ab hoc Imperatore relatus. *ibid.*

Antinous, urbs Ægypti, quandonam ab Hadriano condita. 122. III.

Antiquarii ſæpius eruditioni plurimùm obſunt, dum quæ in Nummis & Inſcriptionibus habentur, non ſatis accuratè deſcribunt, vel correctionis prætextu corrumpunt. 105. V.

Antiochena Era Auguſtana à pugna Actiaca deſumta. *App.* XCVI.

Antiochenæ Eccleſiæ diſſidium, quo anno inchoatum; & Acacii ope ſedatum. 398. XV.

Antiocheni Templi à Conſtantino Magno incepti & ſub Conſtantio abſoluti encænia, occaſio Synodi Antiochenæ Julii Papæ temporibus celebratæ. 341. VI.

Antiochenorum Epiſcoporum ſucceſſionem conſignare incipit Auctor. 228. II.

Antiochenum Concilium, quod Apoſtolorum tempore factum creditur, commentitium. 56. III. Erroris contrarii fundamentum evertitur *ibid.*

Antiochenum Concilium adverſus Novatianum ſub Demetriano Epiſcopo celebratur. 252. IV.

Antiochenum Concilium contra Paulum Samoſatenſem cogitur. 269. VIII. Hujus epocha aſſignatur. 270. II. Sub Claudio Auguſto celebratum demonſtratur. 271. III. Fidei Profeſſio adverſus Paulum Samoſatenſem edita, falsò huic Synodo adſcribitur. 271. V. & 325. XVI.

Antiochenum Concilium, *in Encæniis* vulgò dictum, ab Orientalibus non indictum, ut Synodum Romanam vitent. 341. III. Quæ contra hanc ſententiam afferuntur argumenta, diluuntur. 341. VI. A pluribus ut Arianorum Conciliabulum in toto falsò hactenus creditum. 341. VII. & XII. Patrum, qui ei interfuerunt, numerus conſignatur. 341. VIII. Et quot inter illos Arianæ factionis extiterint, oſtenditur. 341. IX. & X. Ex eo quòd Julius Papa I. & Maximus Hieroſolymitanus Epiſcopus huic non interfuerint, nihil contra ejuſdem Sy-

nodi auctoritatem concludendum. 341. XI. Illius decreta de rebus Eccleſiaſticis probatiſſima, & per omnem Eccleſiam recepta. 341. XII. Quæ in ipſo contra regulas acta, non toti Concilio, ſed Euſebianorum circiter quadraginta Actis in fine illius habitis, adſcribenda. 341. VI. & VII. Quatuor in eo Concilio editæ Fidei Formulæ adducuntur & examinantur. 341. XIII. XIV. XVII. & XXXI. Non adverſus Arianos, ſed Sabellianos poſt Nicænam Synodum redivivos collectum. 341. XVII. & XVIII. Canones XXV. in eodem ſtabiliti, nec Arianorum ſunt figmenta, nec alteri Concilio Provinciali Antiochiæ habito attribuendi. 341. XIX. & XX. Synodica item illius genuina demonſtratur. 341. XX.

Antiochenum Concilium, in quo Fidei Formula, μακρόστιχος dicta, fuit promulgata, quo anno ab Arianis celebratum. 344. II. & 345. III.

Antiochenum Concilium adverſus Athanaſium anno CCCLIV colligitur. 354. IX.

Antiochenum Concilium ab Eudoxio Antiochiæ Epiſcopo poſt ſecundam Sirmienſem Synodum habetur. 357. IX. In eo *Subſtantiæ* nomen, perinde ac in ſecundo Sirmienſi damnatur. *ibid.*

Antiochenum Concilium, in quo Meletius è Sede Sebaſtena ad Antiochenſem tranſlatus, anno CCCLX cogitur. 360. V. Perperam cum eo, quod anno ſequenti ibidem celebratum eſt, confunditur. *ibid.*

Antiochenum Concilium ſecundum in cauſa Meletii, nonniſi Tauro & Florentio Coſſ. habitum. 360. V. In hoc Ariani eandem Fidei Formulam, quam priùs Conſtantinopoli ediderant, recitant. *ibid.*

Antiochenum Concilium poſt menſem Septembrem anni CCCLXIII celebratur. 363. VIII. Nicænam Fidem confirmat. *ibid.* Ejuſdem definitiones male à quibuſdam intellectæ, Paulino Antiocheno Epiſcopo adverſus eam ſcribendi occaſionem præbent. *ibid.*

Antiochenum Concilium, in quo Euſtathius Antiochiæ Præſul depoſitus, quo anno coactum. 307. III. & 340. XVIII.

Antiochenum Concilium anno CCCLXXX, nono poſt Baſilii obitum menſe cogitur. 378. VI. Ad hoc Sapores Dux à Gratiano mittitur. 378. VII. Diverſum ab Antiocheno, Epiſcopatûs Sancti Baſilii initio convocato, ſtatuitur. 378. IX. Legationes ab eo factæ explicantur. 378. X. Appollinarem damnat. 378. XI. Fidei Formula in eo edita non ſolùm ad Conſtantinopolitanam Synodum, ſed & ad Romanam, omneſque Occidentales Epiſcopos tranſmiſſa. 378. XIII. & XIV.

Antiochenſes ab Hadriano odio habiti. 127. II. Seditionem movent ſub Theodoſio Aug. & quo anno. 388. II. Eamque ortam, dum Theodoſius Conſtantinopoli ageret, evincitur. 388. III. & IV. Flaviani Antiochenſis Epiſcopi precibus veniam impetrant. 388. VII. Et hoc Theodoſio in caſtris exiſtente. 388. V. Ex eo quòd Flavianus gratiam ab Imperatore Antiochenſibus obtinuerit, perperam deductum, Libanium & Hilarium ad eundem Auguſtum pro eadem impetranda non fuiſſe legatos. 388. VII. & VIII.

Antiochia tribus intra annos triginta Eris utitur. 67. XXIV. Horribili terræ motu ſub Trajano affligitur. 115. II. Qua anni tempeſtate is acciderit, detegitur. *ibid.*

Antiochianus *Flavius* Faſtis dat nomen. 270. I.

Antiochus Soter in Syriam vocatur. *App.* XXXI. Fit Rex Syriæ. *App.* XXXII. Hyrcanum bello laceſſit, & intra Hieroſolymam obſidet. *App.* XXXV.

Antiochus Sidetes de Parthis victor, Babyloniam occupat. *App.* XXXVI. Ab iiſdem poſtea victus, occiditur. *ibid.*

Antiochus Grypus poſt mortem Seleuci fratris, Rex à Cleopatra Syris imponitur. *App.* XLI. Ab Antiocho Cyziceno expulſus ſolio, illud denuo aſcendit. *App.* XLIV.

Antiochus Cyzicenus Grypum fratrem Regno deturbat, & Cæleſyriâ potitur. *App.* XLIV. A Seleuco victus, interit. *App.* XLVII.

Antiochus Euſebes regnat in Syria. *App.* XLVIII. Antiochum & Philippum Seleuci fratres prælio ſuperat. *ibid.* Cum eodem Philippo de univerſo Regno obtinendo decertat. *ibid.* Contra Parthos dimicans, occumbit. *App.* L.

Antiochus Rex Comagenes, apud Veſpaſianum defectionis accuſatus, Romam vinctus mittitur. 69. VIII.

Antipater Judææ Procurator à Cæſare conſtituitur. *App.* LXI.

Antipater, Herodis filius, Romam proficiſcitur. *App.* CXXVIII. Quo anno ea profectio inſtituta. *ibid.* & CXXXII. Quanto tempore Romæ manſerit, ſtabilitur. *ibid.*

Antonianus in Numidia Epiſcopus, titubans literas à Cypriano recipit, reſcribitque. 252. III.

Antoninus Pius annum aperit, dum adhuc T. Aurelius Fulvus nominatur. 120. I. Ab Hadriano adoptatur, & ſub qua conditione, quóve die. 138. II. Cæſar & Imperii Collega dicitur. *ibid.* Imperatorem nominatum fuiſſe antequam Hadriano ſuccederet, Nummis comprobatur. *ibid.* Conſulatum ſecundum aſſumit. 139. I. Marcum Aurelium ſecundo tantùm menſe poſtquam ipſe fuerat adoptatus, adoptat. 138. II. Hunc Conſulem deſignat & Cæſaris appellatione donat. 139. II. Judæos rebellantes quandonam compreſſerit, indicatur. *ibid.* Tertiùm Conſul procedit. 140. I. Britannos domat. 140. V. Quinquennalia Imperii Proconſularis celebrat. 142. II. Auguſtei etiam. 143. II. Quartò dat Faſtis nomen. 145. I. Proconſularis Imperii Decennalia exhibet. 147. II. Horum ſolennium indicia deducuntur. *ibid.* Seculares Ludos *octavos* non celebraſſe, oſtenditur. 147. III. & IV. Nonum tamen Urbis ſeculum magnificentiſſimè celebraſſe, demonſtratur. 147. IV. Imperii Auguſtei Decennalia dat. 148. II. Eaque in Nummis memorari primus decernit. *ibid.* Chriſtianos inſequitur. 148. IV. Auguſtei Imperii

Quindecennalia exhibuiſſe, ex ejus Vicennalibus certum. 153. II. Proconſularis Imperii Vicennalia edit; ea tamen Nummis non inſculpta. 156. II. Imperii Auguſtei Vicennalia exhibet; eaque dilata oſtendunt Nummi. 159. II. Moritur. 161. II. Hujus liberi recenſentur. 161. III.

Antoninus, M. Aurelii filius, Commodi gemellus, quarto ætatis anno interit. 166. V.

Antoninus. *Vide* Caracalla.

Antonius *M.* equitum Magiſter, annum aperit. *App.* LXVI. Secundum init Conſulatum. *App.* XCIV. Ab Auguſto victus in Ægyptum ſe recipit. *App.* XCV. Ibi manus ſibi infert. *App.* CIV.

Antonius *L.* Conſul procedit. *App.* LXXV.

Antonius *Julius* Conſulatu ordinario illuſtratur. *App.* CXVI.

Antonius in Oriente Faſtis dat nomen. 382. I.

Antonius Abbas quo anno natus. 251. V. Hujus Sancti Vita ab Athanaſio extremos ætatis dies agente ſcripta. 328. III. Et non niſi poſt Antonii mortem exarata. 358. II. Obitus ejuſdem ab anno CCCLVI non removendus. *ibid.*

Anullinus *Cornelius* ordinarium init Conſulatum. 216. I.

Anullinus *P. Cornelius* Conſul. 199. I.

Aper *M. Flavius* annum aperit. 130. I. Iterum Conſul. 176. I.

Aper Faſtis dat nomen. 207. I.

Apollinares Ludi qua anni tempeſtate celebrati. 236. VIII.

Apollinis Daphnæi Templum, quo anno flammis conſumtum. 362. VIII.

Apologiæ à Chriſtianis pro Religione Imperatoribus Quinquennalia & id genus ſolennia celebrantibus de more oblatæ. 126. III. & IV.

Apotheoſes, ſeu Conſecrationes, in Quinquennalibus & id genus feſtis fieri ſolitæ. 198. VI.

Appollinaris *P. Cælius* Conſul procedit. 169. I.

Appollonia, non ſub Decio, ſed ſub Philippo paſſa. 250. III. Cauſa erroris contrarii inſinuatur. *ibid.*

Appollonius Romanus, quibus Conſulibus martyrium fecerit, indicatur. 187. III. Is neque Scriptor, neque Senator fuit. 187. IV.

Appuleius *M.* ordinarium init Conſulatum. *App.* CIX.

Appuleius *Sex.* Conſulatu inſignitur. 14. I. Falsò *Nepos* appellatus. *ibid.*

Appuleius *Sex.* Conſul. App. CVI.

Apronianus *Caſſius* Faſces ſuſcipit. 191. I.

Apronianus *Ventidius* init Conſulatum. 123. I.

Apronianus *C. Vipſtanus* annum aperit. 59. I.

Apronianus L. Vipſtanus Conſul. 117. I.

Aquarii, & eorum error circa Miſſæ ſacrificium. 254. IV.

Aquileienſis Concilii Acta non ſuppoſititia. 381. X.

Aquilinus *Vettius* Conſul creatur. 125. I.

Aquilinus *C. Vettius* procedit Conſul. 162. I.

Aquilinus *Vettius* annum aperit. 249. I.

Aquilinus *Vettius* Faſtis dat nomen. 286. I.

Arabes ſub Trajano Aug. à Palma Syriæ Præſide in ditionem Populi Romani rediguntur. 105. V. Tempus illius victoriæ ex Era ab iiſdem uſurpata innoteſcit. *ibid.*

Arbetio Conſulatu ordinario decoratur. 355. I.

Arcadius die Januarii XIX anni CCCLXXX Auguſtus dicitur. 383. VIII. Conſulatum, ſed dilatum init, ob Auguſteam videlicet dignitatem adeptam. 386. I. Quinquennalia Imperii exhibet. 387. II. Faſtis in Oriente dat nomen. 392. I. Et Decennalia celebrat. *ibid.* Tertiò in Oriente annum aperit. 394. I. Mediolanum à patre evocatus Occidentem regendum ſuſcipit. 395. V. Mortuo Theodoſio, Juliam Eudoxiam Bautonis filiam uxorem accipit. 395. VIII. Quartum aſſumit Conſulatum, propter novum Imperium. 396. I. In Judæorum gratiam Leges emittit. 396. III. Imperii cum patre geſti edit Quindecennalia. 397. I. Lex 32. Cod. Theod. *De Epiſcopis* ab eo, non ab Honorio lata. 398. XIII. Poſterioris Imperii dat Quinquennalia. 399. I.

Arcani diſciplinæ uſus apud veteres Chriſtianos. 32. II. Ejuſdem accurata explicatio. 118. VIII. Hæc Fideles non reſpiciebat. 118. V. Sacramentorum ritus & dogmata per illam olim occultata. 118. VI. & 313. XVI.

Arceſilaus annum aperit. 267. I.

Archelaus, Herodis Magni filius, exilio mulctatur. 7. II. & 14. II. Viennamque Galliæ amandatur. 14. II.

Archieroſyna, quid ſit explicatur. 386. VII.

Arcus triumphales in honorem Imperatorum poſiti, in eorum Decennalibus, de more erigi ſoliti. 312. VII.

Arelas ab Honorio Imperatore *Mater omnium Galliarum* dicta, & Prætorianâ Galliarum Præfecturâ exornata. 332. VI. & 400. XV. Quo anno Præfecturæ ſedes ex Trevirenſi urbe ad iſtam tranſlata fuerit, ſtabilitur. 400. XV. Poſt Concilium tantùm Taurinenſe hæc tranſlatio facta demonſtratur. 400. XVI. Eccleſiaſtica quidem Metropolis ob Sancti Trophimi miſſionem facta Arelas. 400. XVIII. Et ante *Septem* Provinciarum inſtitutionem. 400. XX. At civilis Metropoleos jure, nonniſi poſt Taurinenſe Concilium, illuſtrata. 400. XVII. Arelatem inter & Viennam diſſidium pro jure Metropoleos exortum, & in Concilio Taurinenſi, & coram Summis Pontificibus ventilatum, Metropolim ſolùm Eccleſiaſticam reſpicit. 400. XVIII. & XIX. Nam hæc diſſenſio antequam *Septem* Provinciæ inſtituerentur. 400. XXI. Sanctæ Sedis in Galliis Vicariatus, ex quo hujus urbis Epiſcopo conceſſus. 400. XXII.

Arelatenſe Concilium primum, ſub Silveſtro Papa celebratum, Hæreticorum Baptiſma non eſſe iterandum, ſancit. 314. XVIII. Plenarium totius Orbis non fuit. 314. XV. & XVI. Nec illud unquam pro tali habuit Auguſtinus. *ibid.* Neque item merè Provinciale extitit, ſed Occidentis Patriarchale. 314. XIX. Ducentos in eo fuiſſe Epiſcopos, demonſtratur. 314. XX. & XXI. An autem Conſtantinus M. eidem interfuerit, incompertum. 314. XXII.

Arelatenſe Concilium, Vaſenſe pro *Gloria Patri*, &c. citans, quo anno habitum. 325. XXXVIII.

Argivorum Regnum, quandonam cœptum. *App.* XI.

Arianæ hæreſeos initium aſſignatur. 315. V. A quo primùm hæc hæreſis damnata. *ibid.* VII.

Ariani Eccleſias omnes Conſtantinopoleos invadunt anno CCCXL. 340. XIX. Per quadraginta circiter annos eas obtinent. *ibid.* Iiſdem poſt id temporis à Theodoſio Magno excluduntur. *ibid.* & 380. VII.

Arianorum Epiſcoporum, qui poſt Euſtathium Antiochenam rexerunt Eccleſiam, ſeries expenditur. 340. XX.

Ariminenſis OEcumenica Synodus anno CCCLIX quintis Conſtantii Aug. Quinquennalibus celebri, ab Occidentalibus congregatur. 359. II. In ea non tantùm de Fide & de Epiſcoporum cauſis, ſed & de immunitate Eccleſiarum & Clericorum tractatum eſt. 360. X. Ejus circa dictam immunitatem ſtatuta ad Cònſtantium perlata, reſpuuntur. *ibid.*

Arintheus Faſtis in Oriente dat nomen. 372. III.

Ariſtænete, Helpidii Orientis Præfecti uxor, Divos Antonium & Hilarionem ſummopere colit. 361. XXVII.

Ariſteæ Liber, ſuppoſititius, non tamen contemnendus. 181. V.

Ariſtobulus Mariamne frater Ananelo adhuc viventi, in ſummo Pontificatu ab Herode ſubſtituitur. *App.* XCIV. Paulò pòſt ejuſdem Herodis juſſu ſuffocatur. *ibid.*

Ariſtobulus, qui & Judas, Hyrcani filius, Pontificatum ſimul & Principatum Judæorum obtinet. *App.* XLV. Primus poſt captivitatem Babylonicam diadema ſibi imponit. *ibid.* Ejus erga matrem & fratres crudelitas annotatur. *ibid.* Antigonum fratrem interficit, & paulò pòſt moritur. *App.* XLVI.

Ariſtobulus, Alexandri Jannæi filius, Rex & Pontifex Judæorum. *App.* LII.

Ariſtobulus Præfectus Prætorio ſub Carino Aug. & ab eo in Trabeæ ſocietatem aſſumtus, poſt hunc devictum & occiſum, in Conſulatûs Collegam, virtutis ergò, à Diocletiano deligitur. 285. I. Ab eodem in Prætorii Præfectura continuatur. 285. II.

Arius, nolens acquieſcere Concilii Nicæni decretis exilio mulctatur. 325. XXIII. Ab exilio ante Theognjum & Euſebium revocatur. 327. III. Sed nonniſi poſt oblatum ſatisfactionis libellum. 324. IV.

Armorica, quo tempore Minor Britannia appellata. 383. IV.

Arnobius, quibus Conſulibus Libros ſuos *Adverſus Gentes* in lucem emiſerit. 302. XIV.

Arrianus Trabeâ illuſtris. 245. I.

Arruntius *L.* Faſtis dat nomen. *App.* CIX.

Arruntius *L.* Conſulatum gerit. 6. I. Perperam *Nepos* vocatus. *ibid.*

Artabanus Rex Parthorum filiam uxorem dare Caracallæ recuſat; ideoque bello impetitur. 212. III.

Artaxerces Parthos ſuperat, eorumque Regem Artabanum interficit. 226. III. Perſarum Imperium tenet. *ibid.* Romanos præliis laceſſit. 227. II. Poſtquam annos circiter quindecim regnavit, moritur. 241. III.

Artemii martyrium anno ſuo & menſi redditur. 362. IX.

Aſcetæ, non Monachi à Sancto Marco Alexandriæ inſtituti. 62. IV. Unde hoc nomen deſumſerint. *ibid.* Illorum à Monachis differentia quæ ſit, exprimitur. *ibid.*

Aſclepiodotus init Conſulatum. 192. I.

Aſinius *L.* Conſulatûs Magiſtratu fungitur. 62. I.

Aſper *Julius* Conſulatu inſignis. 212. I.

Aſper *Julius* Conſul ordinarius procedit. 212. I.

Aſprenas *P. Nonius* Faſtis dat nomen. 38. I.

Aſprenas *L. Nonius* ordinario Conſulatu decoratur. 94. I.

Aſprenas *Torquatus* Faſcibus illuſtris. 128. I.

Aſſyriorum Imperii fundator & epocha adducuntur. *App.* XIII. Ejuſdem Imperii deſtructio, quando contigerit, aſſignatur. *App.* XVIII.

Aſterii duo Ariani & Sophiſtæ, inter ſe non confundendi. 370. XXII. Diſcriminis inter utrumque notæ referuntur. *ibid.*

Aſterius Amaſeæ Epiſcopus, quo tempore floruerit, indicatur. 370. XXII.

Aſterius Petræ in Arabia Epiſcopus. 370. XXII.

Athanaricus Gothorum Rex, pace cum Valente Aug. inita, regnare incipit. 369. XIII. Qua die Conſtantinopoli ſuſceptus fuerit, & qua mortuus, examinatur. 381. I.

Athanaſius pueros, dum ipſe puer eſt, baptizat. 311. XX. Hujus hiſtoriæ veritas defenditur. 311. XXI. Fit Epiſcopus Alexandrinus. 326. III. Ætas illius cùm ordinatus fuit, indicatur. 311. XXI. Quòd de pendendis Eccleſiæ linteis tributum indixiſſet, coram Conſtantino accuſatur. 329. II. & 331. II. Annus, quo hæc cauſa agitata fuerit, annotatur. 327. VI. & 328. II. In Synodo Conſtantinopolitana ex Euſebianis conflata, Treviros in exilium mittitur. 336. IV. Athanaſii epiſtola ad Marcum Papam pro exemplaribus Concilii Nicæni, & Marci ad Athanaſium reſponſio, purum ſunt figmentum. 336. X. Exilio ſolutus patriæ redditur. 338. V. & VI. Quo anno hæc acciderint, ſtabilitur. *ibid.* Argumenta in oppoſitum adducta rejiciuntur. 338. II. & ſeqq. Romam à Julio Papa evocatus venit. 340. II. Quomodo ad eandem urbem confugiſſe, intelligendum. 340. III. Ab Euſebianis de novo calumnias patitur & accuſatur. 341. XXI. Hujus cauſa in fine Concilii Antiocheni, & non niſi poſt conditos Canones agitatur, ipſeque deponitur. 341. XXI. & XXII. Canon, vi cujus hæc depoſitio facta, quotus ordine ſit, examinatur. 341. XXIII. Et ab Euſebio cum ſuis doloſè agentibus confictus oſtenditur. 341. XXIV. Athanaſii Epiſtola ad Orthodoxos ſecundam tantùm Eccleſiæ Alexandrinæ invaſionem à Georgio factam reſpicit. 341. XXV. & 342. II. Nec in ea ulla Euſebii fit mentio. 341. XXVIII. Annus, quo ea ſcripta, annotatur.

356. X. A Gregorio pſeudo Epiſcopo Sede ſua pellitur. 341. XXX. & 342. II. Romam navigat, at ſemel tantùm. 342. IX. & X. Mortuo Gregorio, iterum Alexandriam redit. 349. II. & 350. III. Quandiu hujus Sancti exilium duraverit, explicatur. 350. IV. Georgio Alexandrino Epiſcopo creato, adhuc tamen non adventante, & Syriano Duce perſecutionem movente, Alexandriâ fugit. 356. III. Annus & dies fugæ indicantur. *ibid.* & V. Circa eandem fugam difficultates quædam adductæ ſolvuntur. 356. III. & IV. Paulò poſt fugam è ſolitudine rediens, contra quàm vulgò creditum, Alexandriam intrat. 356. VI. Ibique deliteſcit, uſquedum Georgio adveniente quæſitus, denuo egredi cogatur. 356. VIII. & IX. Antequam fugam ſecunda vice arripiat, & in ſolitudine degens, Conſtantium adire meditatur. 356. XI. Eodemque tempore ad Epiſcopos Ægypti & Libyæ dat epiſtolam encyclicam. 356. XII. & 357. X. Quot annis delituerit, indicatur 362. XI. & XV. Alexandriam venit, & quo anno, quóve menſe. 362. IX. & XI. Ab Alexandrinis ſummâ lætitiâ excipitur. 362. XII. & XVI. Hæc Athanaſii exceptio cum paucis comparanda. 362. XVII. Rectè eam Baronius in Annalibus conſignavit. 362. XII. De eadem etiam exceptione, quæ Gregorius Nazianzenus in encomio Athanaſii narrat, intelligenda. *ibid.* & XIV. A Juliano de novo in exilium deportatum Jovianus honorat, Sedique reſtituit. 362. XVIII. Ad eundem Jovianum Orthodoxæ Fidei definitionem, de ea rogatus, mittit. 363. VII. Iterum ſub Valente perſecutionem in Orthodoxos excitante deliteſcere cogitur. 370. III. & IV. Sed paulò pòſt ejuſdem Imperatoris juſſu Eccleſiam ſuam recipit. 370. III. Mortalitatem explet. 372. V. Mortis ejus annus indicatur, certoque teſtimonio ſtabilitur. *ibid.* & VI. Eccleſiam Alexandrinam quadraginta & ſex annos adminiſtraſſe, certum. 372. VII.

Athenagoras Apologiam ſcribit. 165. VI. & 177. VII. Quo anno eam ſcripſerit, ex Peregrini Philoſophi morte, quam narrat, colligitur. *ibid.* Quandonam hæc oblata, quibuſve Imperatoribus præſentata, indicatur. 177. VIII. IX. & X.

Atilianus Conſul. 135. I.

Atratinus *A. Sempronius* Conſulatum ſumit. 89. I.

Atticus *M. Veſtinus* Conſul procedit. 61. I.

Atticus *C. Vettius* annum aperit. 14[illegible]. I.

Atticus Faſtis in Occidente dat nomen. 397. I.

Augur *L.* Faſcibus honoratur. 121. I.

Augurinus *Sentius* Conſulatu ornatur. 132. I.

Augurinus *C. Serius* init Conſulatum.

Auguſti initio Imperii *Imperatores* abſque victoria appellati. 117. XIV. Sine *Auguſti* nomine, vel etiam *Auguſtorum filii* tantùm, aliquando dicti. 175. VI. Cùm plures ſimul imperant, unus *ſenior*, *junior* alter vocatur. 167. III. Quando hic mos in uſu eſſe cœperit, indicatur. *ibid.* Si ſimul etiam plures regant Imperium, unius duntaxat in Actis publicis ſæpe fit mentio. 161. II. & 177. IV.

Auguſtinus: natalis ejus annus aſſignatur. 377. III. Anno Chriſti CCC LXXXVII, & ætatis triceſimo tertio nondum completo baptiſatum fuiſſe, ſtabilitur. 388. IX. & X. Circa Paſcha anni CCC XCI ordinatum Preſbyterum, veroſimilius. 391. III. Epiſcopus Hipponenſis creatur, & quo anno & anni parte. 395. X. Quibus Conſulibus adverſus Petilianum ſcripſerit, indicatur. 398. V.

Auguſtus *Caius Octavius* Julio Cæſari ſuccedit. *App.* LXVII. Ejus Imperii initium diverſimodè à diverſis inchoatum. *App.* LXVIII. & *ſeqq.* A Senatu Imperium extraordinarium accipit, Conſulque ſuffectus procedit. *App.* LXXI. Bellum cum Antonio gerit. *App.* LXXVIII. Pacem ſancit. *App.* LXXIX. Romam cum eodem ovans intrat, & quo anno. *ibid.* Faſtis dat nomen. *App.* XCIV. Tertium gerit Conſulatum. *App.* XCV. Ad Actium cum Antonio pugnat & vincit. *ibid.* Conſul quartùm. *App.* XCVII. Alexandriâ in Ægypto potitur, eamque nonniſi Sextili menſe ingreditur. *App.* CV. Quintum aſſumit Conſulatum, Aramque Victoriæ dedicat; at non in Capitolio, ſed in Curia Julia. *App.* CVI. Conſul ſextùm procedit. *ibid.* Septimùm. *ibid.* CVII. Imperium totius Orbis ſuſcipit, & qua die. *App.* CVIII. *Auguſti* item cognomentum adipiſcitur, ſed non eodem die, quo Imperium. *ibid.* Conſul octavùm. *ibid.* Nonùm. *ibid.* Decimum init. *ibid.* Undecimum ſumit Conſulatum. *App.* CIX. Tribunitia Poteſtas ipſi confertur, & quibus menſe & die id factum, indicatur. *ibid.* In Syriam anno Urbis 734. denuo venit, & quæ ibi egerit, enarrantur. *App.* CX. Vix quinque menſes, non verò triennium in ea permanet; nec ſolus, ſed cum Legatis qui Provincias adminiſtrent. CXII. In aliud quinquennium Principatum ſibi prorogat. *App.* CXIV. Ludos ſeculares exhibet. *App.* CXV. Principatus illi de novo à Senatu prorogatur. *App.* CXVI. Præſes Syriæ ab anno Urbis 734. uſque ad 738. perperam adſtruitur. *App.* CXV. Annum à Cæſare ordinatum & Sacerdotum negligentiâ turbatum rurſus ad priſtinam rationem redigit. *ibid.* Jani Templum ter claudit. *App.* CXXIX. Sed quandonam tertiò clauſerit, incertum. *App.* CXXX. Duodecimum Conſulatum ſuſcipit. *App.* CXXXI. Decimumtertium init. *App.* CXLV. Conſulatus ejus decimus quartus commentitius. 1. I. Cenſum inchoat. 12. III. Ipſi in decennium conceditur Imperium. 13. II. Tria luſtra facit. 14. IV. Paulò poſt ultimum moritur. *ibid.* Hæc mors malè ab Euſebio conſignata. 14. V.

Aviola *M. Acilius* Conſul creatur. 54. I.

Aviola *Acilius* annum aperit. 91. I.

Aviola *M. Acilius* Faſtis dat nomen. 239. I.

Avitus *Lollianus* Conſul. 144. I.

Avitus Faſcibus inſignitur. 209. I.

Aurelianus à Valeriano Aug. Conſul ſuffectus deſignatur poſt Ulpium Crinitum. 258. IX. At pro anno tantùm, quo Æmilianus & Baſſus annum aperuere. *ibid.* Rationes in contrarium adductæ ſolvuntur. *ibid.* Imperator renuntiatur. 270. III. Hujus geſta poſt adeptum ſtatim Imperium

narrantur. 270. IV. & 271. VI. Secundum gerit Conſulatum. 271. I. Cum nota numerali edendus, & quare. *ibid.* Perſecutionem in Chriſtianos excitat, & quo anno. 272. III. & 275. I. Bellum in Zenobiam movet, hujuſque belli annus proprius aſſignatur. 271. II. & 273. II. Quæ Tacito & Placidiano Conſulibus geſſerit, breviter exponuntur. 273. II. Gallias nonniſi iiſdem Coſſ. recipit. 273. III. Tertium init Conſulatum. 274. I. Cur aliqui hoc anno Conſulem ſolum II exhibeant, aperitur. 274. II. De Zenobia & Tetrico triumphum ducit, ſed nonniſi CCLXXIV Chriſti anno. 274. IV. Hujus Imperatoris bella poſt triumphum geſta exhibentur. 274. VI. Triplex ejuſdem Auguſti Romam adventus enuntiatur, eorumque primus cum ſecundo à quibuſdam perperam confuſus oſtenditur. 274. V. Quartùm Conſul procedit. 275. I. In Orientem proficiſcens interficitur. 275. II. & 277. II. Et hoc, die tertio Nonas Aprilis. 275. III. Annos quatuor, menſes quatuor circiter tantùm imperat. 275. II. Poſt ejus mortem interregnum ſex aut ſeptem menſibus durat. 275. III.

Aurelianus poſt geſtam Orientis Præfecturam Faſtis dat nomen. 400. I.

T. Aurelius Fulvus. *Vide* Antoninus Pius.

L. Aurelius Commodus, Marci Aurelii per adoptionem frater, annum aperit. 154. I. Secundùm Conſul procedit. 161. I. Quanto tempore in domo Imperatoris privatus, etiamſi jam adoptatus, manſerit, indicatur. *ibid.* In conſortium Imperii aſſumtus, Cæſar & Auguſtus ſimul ſalutatur. 161. IV. Ad bellum Parthicum proficiſcitur. 161. X. Hæc profectio perperam à quibuſdam anno uno dilata. *ibid.* Philoſophus dictus, & qua ratione. 162. III. & 148. III. De Parthis triumphum agit. 166. III. Tempus triumphi multis confirmatur. 166. IV. Tertiùm Conſul. 167. I. Quinquennalia Auguſtei Imperii uno anno dilata celebrat. 167. II. Adverſus Barbaros movet. 168. IV. & 169. III. Pannones aggreditur. 169. IV. Secundam in eoſdem expeditionem ſuſcipit. *ibid.* Apoplexi in itinere correptus interit. *ibid.* Mortis annus & tempus, Imperiique ejus duratio aſſignantur. 169. V. Apotheoſi poſt vitæ exitum à M. Aurelio donatur. 169. VI.

L. Aurelius Commodus M. Aurelii filius. *Vide* Commodus.

M. Aurelius Antoninus Elagabalus. *Vide* Elagabalus.

M. Aurelius Severus Alexander. *Vide* Alexander.

M. Aurelius Carus. *Vide* Carus.

M. Aurelius Carinus. *Vide* Carinus.

M. Aurelius Valerius Maximianus Herculius *Vide* Maximianus Herculius.

Aureolus, Illyricianorum exercituum Rector, capto à Perſis Valeriano Aug. purpuram ſumit. 259. IX. & 261. III.

Auſonius Faſtis in Occidente dat nomen. 379. I. Eodemque anno in finem vergente, Gratiano Treviris conſtituto panegyricum dicit. 379. II.

B

BABYLÆ Martyris tranſlatio quo anno facta ſit, aperitur. 362. VIII.

Bachonus, Anglus, Ordinis S. Franciſci, Chriſtum paſſum die Aprilis tertia, ſentit. 32. VI. Ideoque de errore ſuſpectus habetur. 32. VIII.

Bagaudæ, ducibus Amando & Æliano, tumultus in Gallia concitant, & à Maximiano Herculio Cæſare domantur. 285. V.

Balbus *D. Lælius* annum aperit. *App.* CXXI.

Balbus *C. Norbanus*, perperam *Flaccus* vocatus, Conſul. 19. I.

Balbus *Q. Julius* Conſul procedit. 129. I.

Barba ætatis anno XXII inchoato à Romanis poſita. 56. II. Mutatus tamen hic mos primùm ab Hadriano Imperatore. *ibid.*

Barbarus Conſulatu illuſtratur. 157. I.

Barus *T. Vibius* annum aperit. 160. I.

Baſileus, Epiſcopus Amaſenus, Concilio Nicæno non intereſt. 316. VIII. Initio perſecutionis Licinianeæ martyrii gloriâ coronatur. 316. VI. Ejus martyrium fruſtra in dubium revocatum. 316. VII. & IX.

Baſilius, Ancyræ Epiſcopus, cum Photino diſputare in Concilio Sirmienſi à Conſtantio Aug. jubetur. 351. IX. Ancyranam Synodum convocat, in qua Hoſii & aliorum Fidei Formula damnata. 357. VIII.

Baſilius nondum Cæſareæ Epiſcopus, Juliano Cæſaream adventanti occurrit. 362. V. Cur hoc loco Epiſcopus ab Amphilochio dictus. *ibid.* Hujus Pontificis in urbem Cæſaream è Ponto reditus, & cum Euſebio Cæſareæ Epiſcopo reconciliatio anno ſuo redduntur. 366. V. & 370. XIII. Epiſcopatus ejus annus primus aſſignatur. 369. XI. Bis à Valente Aug. impetitus oſtenditur. 370. XI. Primò, dum adhuc eſſet Preſbyter. 370. XII. & XIII. Fit Epiſcopus Cæſarienſis, ſed qua die ordinatus, non ſatis certum. 370. XVI. Iterumque ab eodem Valente vexatur. 370. XVII. Hujus ſecundæ vexationis annus ſtabilitur. 370. XVIII. Baſilii certamen cum Euſebio Ponti & Cappadociæ Præfecto ante annum CCCLXXI. non conſignandum. 370. XX. Ejuſdem Præſulis epiſtolæ quædam in Annalibus extra ſuos annos recitatæ. 371. II. Annus & dies mortis ejus aſſignantur. 378. II.

Baſſianus. *Vide* Caracalla.

Baſſus *C. Lecanius* Conſulatum init. 64. I.

Baſſus annum aperit. 258. I.

Baſſus Faſtis dat nomen. 259. I. Neque cum nota numerali edendus, neque cum Baſſo in Conſulatu prædeceſſore confundendus. *ibid.*

Baſſus *M. Ceionius Virius* Conſulatu ordinario decoratur. 271. I.

Baſſus *Tiberius* ſecundò Faſces ſuſcipit. 289. I.

Baſſus *Septimius* Conſul ordinarius procedit. 317. I.

Baſſus Conſulatum init. 331. I.

Bauto in Occidente Conſul creatur. 386. I. Arcadii Aug. ſocer. 395. VIII.

Blaſius ſub Licinio Aug. mortem pro Chriſto patitur; at utrum in fine, vel initio perſecutionis, incompertum. 316. XI.

Bolanus

Bolanus *M. Vettius* annum aperit. 111. I.

Bonifacius, Romanus, Martyr, Diocletiano quartùm & Maximiano tertiùm Conſulibus minùs tutè paſſus creditur 305. III.

Bonoſus verè Sardicenſis Epiſcopus fuit. 389. VIII.

Bradua *Annius* annum aperit. 160. I.

Bradua *M. Atilius Metilius* Conſul creatur. 108. I.

Bradua *M. Atilius Metilius* Faſtis dat nomen. 185. I.

Bradua *Valerius Mauricus* Conſulatum init. 191. I. Diverſus à Metilio Bradua. Secundùm etiam Conſul perperam dictus. *ibid.*

Britannia decimum poſt annum à Carauſii defectione ſub Diocletiano & Maximiano Augg. recepta, & Conſtantii Chlori Cæſaris virtute recuperata. 296. VI.

Britannicum bellum à Conſtante Aug. quo anno geſtum. 337. X. & 343. V.

Bucolicum bellum ſub M. Aurelio & L. Vero quo anno ſuſceptum. 166. V.

Burrhus, ſeu Byrrus *Antiſtius*, uxoris Commodi Aug. frater, ſecundùm Conſul procedit. 181. I. Cùm nota numerali proferendus. *ibid.*

Byzantii obſidio quandonam à Severo Auguſto cœpta. 195. II.

C

CÆCILIANUS Epiſcopus à Conſtantino evocatus, Mediolanum venire jubetur. 316. XII. & XIII. Ibi innocens declaratur. 316. XIV. Idque eodem tempore, quo adverſarii ejus exilio mulctati. 316. XVI. & XVII.

Celeſtius, Pelagii diſcipulus, librum adverſus peccatum originale ſcribit, & quando. 398. XII.

D. Cælius Balbinus. *Vide* Pupienus & Balbinus.

Cæſar: nomen familiæ, non dignitatis, ante Neronis interitum. 85. II.

Cæſarauguſtanum Concilium adverſus Priſcillianum Hæreticum anno Chriſti CCCLXXX convocatur. 381. XI.

Cæſarea Philippi, mutato nomine, Nerodiada in Neronis honorem ab Agrippa Rege appellatur. 60. IV. Hæc nova nuncupatio Decennalium Neronis occaſione facta. *ibid.*

Cæſarea Cappadociæ, olim Mazaca, à quo Imperatore *Cæſarea* nomine donata. 362. IV.

Cæſarea & Auguſtea dignitates ſemper inter ſe diſtinctæ. 97. VIII. Contrà ſentientes redarguuntur. 97. IX.

Cæſarea dignitas in Ælio Vero nullo modo diminuta, immo potiùs aucta. 97. X.

Cæſares Quinquennalia & Decennalia, extinctâ in Nerone Juliâ familiâ, exhibent. 84. VI. Nec id faciunt, niſi Tribunitia Poteſtate, vel Imperio Proconſulari exornati. *ibid.* Aliquando etiam *Reges* & *Imperatores* dicti. 261. VII. Quo tempore tali nomine inſigniri cœperint annotatur. *ibid.* Idque non contigiſſe, niſi poſt Severi Aug. Quinquennalia, oſtenditur. 198. VI.

Cæſares in Nummis *Auguſtos* appellandi uſus, quo tempore cœptus. 203. V.

Cæſarienſis Synodi epocha adducitur. 360. VIII.

Cæſarienſis Synodus pro cauſa Athanaſii diſcutienda, quo anno indicta. 332. II. Quóve celebrata. 334. II. Errores circa illius indictionem & celebrationem adducuntur & refelluntur. *ibid.*

Cæſarius, Gregorii Nazianzeni frater, Præfecturâ cuſtodiæ theſauri à Juliano Aug. non donatur. 362. II. Inter medicos tamen & amicos primas tenet. *ibid.*

Cæſarius Faſtis in Oriente dat nomen. 397. I.

Cæſarum nomina ſæpe non intellecta, Auctores in varios errores adigunt. 161. IX.

Cæſennius Petus in Syriam Præſes mittitur à Veſpaſiano. 69. VIII. Antiochum Comagenes Regem defectionis accuſat, vincit, vinctumque Romam mittit. *ibid.*

Cæſianus *L. Apronius* Faſtis dat nomen. 39. I.

Caius Julius Cæſar Dictator creatus, poſt dies undecim, ſe Conſule declarato Dictaturâ abdicat. *App.* LVIII. Pompeium ad Palæopharſalum vincit. *App.* LIX. Dictaturam, inter alios ſibi à Senatu poſt hanc victoriam delatos honores, de novo ſuſcipit. *App.* LX. Annum Mathematicorum operâ corrigit. *App.* LXIV. Conſul quartùm procedit. *App.* LXV. Quintum init Conſulatum. *App.* LXVI. Occiditur. *ibid.* Quanto tempore Monarchiam obtinuerit, examinatur. *ibid.*

Caius Cæſar Conſul poſt annos quinque à depoſita puerili prætexta ab Auguſto deſignatur. *App.* CXXI. Inter Syriæ Præſides malè numeratus. *App.* CXXII. Quo anno ad bellum Parthicum deſtinatus fuerit, aperitur. *App.* CXLVII. Imperium Proconſulare, & ſuæ juventæ moderatorem accipit. *App.* CXLVIII. Conſul anno Chriſti primo, abiens gerit Conſulatum. 1. I. Expeditionem adverſus Parthos ſuſcipit. 1. IV. Et Arabes. 1. V. Artageram in Armenia obſidens vulneratur. 4. II. Italiam revertens in Lycia moritur. *ibid.*

Caius Caligula alio in loco genitus, alio in loco natus. 12. II. Dicitur Imperator, ſed nomini poſt Tiberii interitum. 33. II. Secundum, ad quem antea privatus à Tiberio fuerat deſignatus, init Conſulatum. 39. I. Tertiùm Conſul ſolus procedit, & quare. 40. I. Quartùm Faſtis dat nomen. 41. I. Occiditur. *ibid.*

Caius Valens Hoſtilianus Meſſius Quintus. *Vide.* Hoſtilianus.

Caius Papa poſt dies octo Eutychiano ſufficitur, & decima quinta Decembris, Sabbati die, ordinatur. 283. VII. Die Dominico inauguratum demonſtrare, ab aliquibus fruſtra tentatum. 296. III. Sedet annos XII, menſes VI, dies VII. *ibid.* Poſt illius mortem vacat Sedes menſibus duobus, diebus octo. 296. IV. Decretales ejus commentitiæ. *ibid.*

Calippus in Monarchiæ Alexandri Aſiaticæ memoriam Periodi ſuæ epocham inſtituit. *App.* XX.

Calliſtus, in locum Zephyrini Papæ quo anno ſubrogatus. 219. II. Martyrio coronatur. 222. IV. & 224. II. Quanto tempore Sederit, & poſt ipſum Sedes vacaverit, an-

notatur. *ibid.* Vicariatus ejus ſub Zephyrino omnino ſuppoſititius. *ibid.* Decretales illi attributæ, ſictitiæ. 224. III.

Calvinus *Cn. Domitius* ſecundo Conſulatu illuſtratur. *App.* LXXVI.

Calviſius *C.* Conſulatum init. 26. I.

Calumnia Majeſtatis, quid. 162. VII. Quo tempore excogitata. *ibid.*

Camerinus *Q. Sulpicius* annum aperit. 9. I.

Camerinus Faſtis dat nomen. 138. I.

Camillus *Furius* Conſulatu inſignitur. 8. I.

Candidus *Ti. Julius* Faſces ſuſcipit. 105. I.

Canones Concilii, ut vulgò dicunt, Antiocheni, Apoſtolorum temporibus celebrati, falſa plurima & abſurda continent, quibus hoc ſuppoſititium oſtenditur. 56. III.

Canonum Apoſtolorum Collectio Fidelibus ſub Clementis nomine propoſita, antiqua. 100. IX. Ante Nicænum Concilium agnita. 100. X. Tam apud Orientales, quam Occidentales recepta. *ibid.* Eorum tamen numerus non unanimiter aſſignatus. *ibid.* Quinquaginta ſolùm Eccleſia Occidentalis legitimos habet. 100. XI. Orientalis verò, licèt in eorum numero aliàs minimè conveniret, in præſens quinque & octoginta eſſe fatetur. 100. XII.

Cantici *Te Deum* Auctor licèt incertus, illud tamen, ſtante antiqua traditione, Divis Ambroſio & Auguſtino attribuendum. 388. XI.

Cantùs alterni inter Fideles antiquitas oſtenditur. 400. X. Ignatium Martyrem hunc in Orientalem Eccleſiam, Ethnicorum imitatione, primùm induxiſſe, certum. *ibid.*

Capito *C. Fonteius* Conſul procedit. 12. I.

Capito *L. Fonteius* Conſulatum init. 59. I. Iterum Conſul. 67. I.

Capitolini Ludi qua anni parte celebrati. 238. V.

Capitolinus *C. Julius* annum aperit. 274. I.

Captivitatis Judæorum ſub Nabuchodneſare initium aſſignatur. *App.* XIV. Finis item ejuſdem. *App.* XXIV.

Caracalla, Severi natu major filius, quo anno & quo in loco natus. 189. II. & 197. II. Quo item anno, & ubi Cæſar appellatus. 195. III. Hæc nuncupatio poſt annum tantùm à Senatu rata habita. 197. II. & 198. VI. Imperator deſtinatus, anno ſolùm inſequenti à Senatu acceptatur. *ibid.* Hujus cum Julia Domna matrimonium fictitium. *ibid.* 212. III. & 217. III. Auguſtum renuntiatum & Tribunitia Poteſtate exornatum oſtendunt Numiſmata. 198. VII. Hæc illius Poteſtas explicatur. 198. VIII. Et diverſimodè inchoari oſtenditur. 198. IX. Plautillam conjugem aſſumit. 198. IV. & 203. III. Imperii Cæſarei dat Quinquennalia. 201. III. Togam virilem anno uno citiùs induit. *ibid.* Eodemque tempore Judaïcum triumphum agit. 201. IV. Conſul procedit. 202. I. Imperii Auguſtei Decennalia exhibet. 203. III. Cum patre iterum triumphat. 203. V. Cum eodem Ludos Seculares octavos edit. 204. II. Conſulatum ſecundum init, ſimulque Decennalia Imperii Cæſarei celebrat. 205. I. & II. Tertiùm Conſul, Imperii Auguſtei Decennalia edit. 208. I. & II. Cæſarei verò Quindecennalia. 210. II. Quo anno *Britannicus* appellatus ſit, celebremque murum per mediam Britanniam duxerit, indicatur. 209. II. Getam fratrem interimit. 212. II. Quartùm dat Faſtis nomen, pro edendis videlicet Auguſtei Imperii Quindecennalibus. 213. I. & II. Vicennalia Cæſarea exhibet. 214. II. Cur *Caracalla* nomen ipſi impoſitum, deſignatur. *ibid.* Poſterioris Imperii Auguſtei Quinquennalia dat. 216. II. Vicennalia prioris celebrat. 217. II. Occiditur. 217. III. Quanto tempore vixerit, & imperaverit, declaratur. 217. IV.

Carauſius purpuram ſumit, & Britanniam occupat. 286. V. Quo anno hæc rebellio contigerit, enuntiatur. *ibid.* A Maximiano fruſtra bello exagitatus, pacificè in Britannia imperat. 290. III. Ipſum inter & Augg. initam poſtea pacem demonſtrant Nummi; ſed quo anno ſancita fuerit, incompertum. *ibid.* Ab Allecto Imperii ſocio occiſus. 293. II. Quot annis regnarit, indicatur. *ibid.*

Carienſis Synodus ad initium anni CCCLVII revocanda. 365. VII.

Carinus, Cari Aug. filius, quandonam Cæſar creatus fuerit, aperitur. 283. I. & III. Cum patre Faſtis dat nomen. *ibid.* Ab eodem poteſtatem accipit omnia faciendi, quæ faciunt Auguſti. 283. III. Auguſtus non dicitur niſi inchoato ſecundo paterni Imperii anno. 283. IV. Secundùm Conſul procedit, & qua occaſione. 284. I. A Diocletiano debellatus, à ſuis occiditur. 285. V. Hujus obitus minùs rectè in aliud tempus diſtractus. *ibid.* Anni quibus imperavit, aſſignantur. *ibid.* Nomen ejus minimè è Faſtis à Diocletiano eraſum. 285. I.

Carpi in ſolum Romanum transferuntur. 295. I.

Carthaginienſe Concilium, ſub Cypriano primum, quo anno & anni parte coactum. 251. XVIII. Prorogatur, & quare. 251. XXI. Hujus canones ad Cornelium Papam à Synodo mittuntur. 251. XXIV. Finem accipit. *ibid.* Error Baronii circa dictorum canonum miſſionem & partitionem adducitur. *ibid.*

Carthaginienſe Concilium, ſub Cypriano ſecundum, menſe Maio convocatur. 252. VI. Quid in eo actum ſit aperitur. *ibid.*

Carthaginienſe Concilium, ſub Cypriano tertium, de baptiſmo primum, celebratur. 254. X. Hujus circa rebaptizationis controverſiam decretum adducitur. *ibid.* A quibuſdam Africanis Epiſcopis rejicitur. 254. XII. Epocha illius ſtabilitur. 254. XI.

Carthaginienſe Concilium, de baptiſmo ſecundum, à Cypriano coactum. 275. III. Tempus illius convocationis incertum. *ibid.*

Carthaginienſe Concilium, de Baptiſmo tertium, à Cypriano collectum, Cypriani ſententiam de Hæreticorum rebaptizatione confirmat. 256. XIII. Tempus, quo habitum, ſtatuitur. *ibid.*

Carthaginienſe Concilium ſub Grato Epiſcopo è Sardicenſi reduce congregatum in canonum Africanorum Collectione non memoratur, & quare. 348. IV. Illius epocha ſtabilitur. 397. IX.

Carthaginienſe Concilium ſub Genetlio ha-

bitum, ſecundum, non ultimum dici debet. 397. IX. Tempus, quo celebratum fuit, indicatur. 397. X. Rationes tam circa hujus Synodi veritatem, quàm ordinem adductæ ſolvuntur. 397. IX. & X. Multos ex eo canones in Carthaginienſe ſextum tranſlatos fuiſſe oſtenditur. 397. XI. Ejuſdem Concilii antiquitas probatur. 397. XII. & *ſeqq.*

Carthaginienſe Concilium, *Tertium*, vulgò Africanum dictum, ſub Aurelio Epiſcopo, Cæſario & Attico Coſſ. celebratur. 397. XX. Qua die cœptum ſit, inquiritur. *ibid.* Idem Concilium magis explicatur. 397. XXI.

Carthaginienſe Concilium, *Quartum* vulgò nuncupatum, anno Chriſti CCCXCVIII, Idibus Novembris habitum. 398. VI. & XII.

Carthaginenſe Concilium, *Quintum* communiter appellatum, ad Kalendas Junias anni CCCXCVIII perperam diſtractum. 398. VI. Ejuſdem vera epocha ſtatuitur. *ibid.*

Carthago fundatur. *App.* XVII.

Carus, quo anno Auguſtus renuntiatus. 283. I. Conſulatum ſecundum init. *ibid.* Cur cum nota numerali editus. *ibid.* Carinum, ut Gallias tueatur, deſtinat, & Numerianum in Perſas moturus ſecum ducit. 282. III. Reſcriptum de remiſſione tributi Eccleſiæ Theſſalonicenſi conceſſa, huic Imperatori falsò tribuitur. 283. VIII. Tempus mortis illius ignotum. 284. II. Quot annis imperaverit, declaratur. *ibid.*

Caſſiodorus poſt Socratem errat circa obſervationem jejunii Romæ die Sabbati, per tempus Quadrageſimale. 57. III.

Caſſius rebellat adverſus M. Aurelium, reſque novas in Syria molitur. 175. III. Hujus caput ad Marcum defertur. *ibid.*

Catalogos Romanorum Pontificum à diverſis exaratos, certo nomine, ut videtur confuſio, Auctor inſignit. 67. VIII.

Catharina virgo ſub Maximino martyrii palmam aſſequitur. 307. XIII. Error Baronii circa illius Paſſionem aperitur. *ibid.*

Catti adverſus Domitianum Aug. rebellant. 84. II.

Catulinus *Aco Fabius* Conſulatu ordinario illuſtratur. 349. I.

Catulſinus *Q. Fabius* Faſcibus honoratur. 130. I.

Catus *Sex. Ælius* Conſul procedit. 4. I.

L. Ceionius Commodus annum aperit. 136. I. Ab Hadriano Cæſar dicitur. 136. II. *Æliuſque Verus* ab eodem cognominatur. 136. V. & 137. IV. Adoptatur. 136. V. Quo anno facta ſit hæc adoptio, declaratur. 136. VI. Præturâ ornatus, Pannoniis Dux imponitur, Conſulque deſignatur. 136. V. & VI. Conſul ſecundùm procedit. 137. I. Moritur. 137. II. Mortis annum Inſcriptiones & Nummi confirmant. 137. III. In illis tamen nunquam *Verus* appellatus. 137. V.

Celadion, Epiſcopus Alexandrinus, è vivis excedit. 163. VI. Ejus obitus variè ab Euſebio conſignatus. *ibid.*

Celerinus pro Chriſto in carcerem miſſus. 250. VIII. Cyprianum poſtea adit, à quo Lector ordinari recuſans, Dei monitu obedire compellitur. 250. XIV.

Celſus *L. Publilius* ſecundum Conſul. 113. I. Falsò *Publius* dictus, & ſine nota numerali prolatus. *ibid.*

Celſus Faſcibus ornatur. 164. I.

Celſus *Juventius* ſecundum init Conſulatum. 129. I.

Celſus *P. Marius* Conſul procedit. 62. I.

Cenſorini Liber maximè utilis ad Chronologiam Chriſtianam ſtabiliendam & confirmandam, quo anno ſcriptus. 238. X.

Cenſorinus *L. Martius* Faſtis dat nomen. *App.* LXXXI.

Cenſorinus *C. Martius* annum aperit. *App.* CXVI.

Cenſum deferre, & tributum ſolvere, diverſa. *App.* CXIX.

Cenſus non fiebat ſingulis Luſtris in Regnis Populi Romani amicis. *App.* CXIX.

Cerdo, Epiſcopus Alexandrinus, moritur; annuſque mortis aſſignatur. 168. V.

Cerdo Hæreſiarcha eodem, quo Valentinus, tempore Romam venit. 144. II. Ejus adventus ſub finem Hygini Papæ referendus. *ibid.*

Cereales Ludi qua anni parte celebrari ſoliti. 69. III.

Cerealis *Anicius* Conſul. 215. I.

Cerealis *L. Tutius* Faſtis dat nomen. 106. I.

Cerealis *Neratius* annum aperit. 358. I.

Cethegus *Cornelius* Conſulatu illuſtratur. 24. I.

Cethegus *M. Cornelius* Conſulatûs magiſtratum gerit. 170. I.

Charito quarto tantùm Eccleſiæ ſeculo floret. 277. IV.

Chriſtianæ Religioni poſt trecentos ſexaginta quinque annos terminum præfigunt Ethnici. 398. IV.

Chriſtiani non vocati *Galilei*, niſi ſub Juliano Apoſtata. 56. III. A Nerone ſubſequentibuſque Imperatoribus malè non habiti, niſi criminum prætextu 64. V. Ad Frumentationem non vocati ſub M. Aurelio. 161. XI. Error quorundam circa hanc Frumentationem detegitur. *ibid.*

Chriſtus quo anno ſecundùm aliquos natus. *App.* CXXXI. Quo item ſecundùm alios, & præſertim Baronium. *App.* CXXXVII. Hæc Baronii opinio multipliciter infirmatur. *App.* CXLIII. & CXLIV. Fundamentum Baroniani erroris aperitur. *App.* CLXI. Natale Chriſti proprium à Dionyſiano diſtinguendum eſſe, demonſtratur. *App.* CXXXVIII. Hoc in annum biſſextilem incidere, certum; ſed an de proprio idem dici poſſit, incompertum. *App.* CXL. Ex Chriſti Baptiſmo natalem ejus annum deduci non poſſe, evincitur. *App.* CXLII. Et eundem ex anno Urbis 753. deſumendum non eſſe, annotatur. *App.* CXLIX. Idemque ex Caii Cæſaris in Orientem expeditione, & ex pace cum Parthis ab eodem ſancita datur intelligi. *App.* CL. & CLI. Quanto autem tempore Chriſtus in Ægypto manſerit, incertum. 6. V. Quo anno baptizatus ſit, inquiritur. 25. III. & 29. III. Antiquorum circa Chriſti baptiſma ſententiæ diverſæ adducuntur. 29. IV.

Baptiſmi Chriſti ab Orientalibus renovari ſolitum. 29. VII. Ant quorum de anno Paſſionis Chriſti opinio. 32. III. & ſeqq. Euſebii circa id ſententia malè à Petavio explicata. 32. IV. Dies & menſis ejuſdem Paſſionis ſe unàùm Chriſtianorum antiquam traditionem. 32. VI. Ex Hiſtoriæ prophanæ cognitione poteſt detegi. 32. VII. Ex traditione tamen potius quàm ex Aſtronomia innoteſcit. 32. VIII.
Chronicon Damaſi, ubi de Pii Papæ Vicariatu loquitur, corruptum. 67. XVII. Hujus in Romanorum Pontificum morte & ſucceſſorum electione recenſenda modus explicatur. 67. IX. Diverſimode cum intelligentes multis refelluntur. 67. X.
Chryſargyrum quale tributum ſit, examinatur. 330. VI. Multo ante Conſtantinum Magnum tempore inſtitutum fuiſſe, oſtenditur. ibid. A Theodoſio juniore Conſtantinopoli abrogatur. ibid.
Cilicia, imperante Auguſto diverſum à Syriaco Præfectum habet. App. CXXV.
Cilo L. Fabius Conſul iterum creatur. 204. I.
Circuli, Chriſti & Sanctorum capita ambientes, quo Eccleſiæ ſeculo in uſu eſſe cœperint, annotatur. 394. IV. Circa Imperatorum capita in Numiſmatibus expreſſa aliquando adhibiti. ibid.
Cirtenſe Concilium ad quid convocatum. 303. IV. Nonnisi anno CCCV, poſt nempe initam Diocletianeam perſecutionem, & Diocletiani & Maximiani abdicationem collectum demonſtratur. 303. III. & IV.
Civica Pompeianus Sex. Vetulenus Conſul procedit. 136. I.
Civilis belli Cæſarem inter & Pompeium initium aſſignatur. App. LVIII.
Clarus Sex. Erucius ſecundum gerit Conſulatum. 146. I.
Clarus C. Erucius annum aperit. 170. I.
Clarus Julius Erucius Conſulatûs magiſtratum init 193. I. Perperam à quibuſdam Frontus ſcribitur. ibid.
Claudius Auguſtus, Caligulæ patruus, ab hoc Conſul deſignatus. 39. I. Ei in Imperio ſuccedit. 41. I. Secundùm Conſul. 42. II. Priùs namque Conſulatum ſuffectum geſſerat. ibid. Ut Romanis famem patientibus opituletur, portum Oſtiæ extruit. 42. VII. Tertium init Conſulatum. 43. I. De Britannis agit triumphum. 44. III. Pontificiam ſtolam Judæis reſtituit. ibid. Quinquennalia exhibet. 46. II. Faſtis dat nomen. 41. I. Ludos ſeculares quarto & ſexageſimo anno poſt quintos ab Auguſto editos celebrat. 47. II. Eoſdem Ludos centenariis Urbis annis primus illigat. ibid. Quintum aſſumit Conſulatum. 51. I. Imperii Decennalia edit. 51. II. Horum occaſione, & Senatûs adulationibus victus, Neronem Principem Juventutis appellat, Conſulem deſignat, eique Imperium Proconſulare largitur. ibid. Moritur. 54. II. Quanto tempore imperaverit declaratur. ibid.
Claudius Aug. poſt Gallienum Romanum tenet Imperium. 268. III. In Chriſtianos nullam perſecutionem excitat. 268. V. Argumenta in contrarium diluuntur. ibid. Conſulatum ſecundum init. 269. I. Gothos debellat, & quo anno. 269. V. Imperii anno tertio inchoato mortuum Nummi demonſtrant & Inſcriptiones. 270. III.
Cleander, Præfectus Prætorio, poſt mortem Perennis ampla pollet auctoritate. 189. II. Quo anno defunctus. ibid.
Clearchus in Oriente annum aperit. 384. I.
Clemens Lino Pontifici Romano ſubrogatur. 67. XXII. & 78. III. Epiſtola hujus Sancti prima ad Corinthios ferè integra perſeverat, ſecundæ verò quædam ſolùm ſuperſunt fragmenta. 93. III. Martyrio coronatur. 100. II. Decretales quinque illi attributæ, ſuſpectæ. 100. III.
Clemens T. Flavius Conſulatu decoratur. 95. I. A Domitiano morti traditur. 97. II.
Clemens Arretinus Faſtis dat nomen. 94. I.
Clemens Tineius annum aperit. 195. I.
Clementinus Sex. Catius Conſulatum ordinarium ſuſcipit. 230. I.
Cleopatra, timens ne in triumpho ab Auguſto ducatur, aſpidis morſu perit. App. CIV.
Clerici in Numidia conſtituti, à Donatiſtis ad Curiam & ejus munera coacti, hoc onere à Conſtantino Magno liberantur. 330. X.
Clericorum negotiantium, poſt Ariminenſe Concilium, juſſu Conſtantii Aug. fit matricula. 360. XI. In ea tamen Clerici & Copiatæ non comprehenſi, qui exiguis mercimoniis victum ſibi quæritarent. ibid.
Clerus Romanus ad Cyprianum reſcribit, & quo tempore. 250. XII.
Cletus poſt Clementem Romæ ſedet. 75. III. E vivis excedit. 83. V. & 91. II. Quot annis ſederit, inſinuatur. 91. II. Literarum Apoſtolicarum formula, in qua habetur Salutem & Apoſtolicam benedictionem, falsò illi attribuitur. 91. III.
Clodius Septimius Albinus ſecundum init Conſulatum. 194. I. In Gallia Imperator conſalutatur. 193. V. Cum Nigro bellum geſturus à Severo Aug. Cæſar renuntiatur. ibid. Imperium ejus Cæſareum explicatur. 198. IV. Seipſum Auguſtum nuncupat. 198. III. Ad Lugdunum cum eodem Severo pugnat, interitque. ibid. Annus mortis aſſignatur. 197. III. & 198. V.
Clodius Pupienus Maximus. Vide Pupienus & Balbinus.
M. Cocceius Nerva annum aperit. 71. I. Secundùm Conſul procedit. 90. I. Quo anno in exilium miſſus. 90. IV. Tertium gerit Conſulatum poſt adeptum Imperium. 97. I. Trajanum adoptat, Cæſarem & Imperii Collegam dicit, Imperioque Proconſulari exornat. 97. II. Imperium non abdicat. 97. III. & IV. Opinio contraria refellitur. 97. IV. & ſeqq. Quartùm dat Faſtis nomen. 98. I. Obit. 98. II. Imperii ejus duratio indicatur. ibid.
Collegæ Imperii quo die nuncupari ſoliti. 71. V. Duplicis generis eſſe Collegas Imperii oſtenditur. 71. I.
Collegarum Imperii anni in Actis quidem publicis non memorati, in Nummis attamen ab Antiquis inſculpti. 81. III. & IV.

Coloniæ in municipia, & è contrà, commutari ſolitæ. 60. II.

Colonienſe Concilium quo anno habitum. 146. VI.

Columna Trajani quo anno in Trajani Imperatoris honorem erecta fuerit, ex ejuſdem Inſcriptione innoteſcit, 104. II. & 113. I.

Comazon *Eutychianus* Faſtis dat nomen. 220. I.

Commodus *L. Ceionius*, L. Ceionii Commodi ab Hadriano adoptati avus, annum aperit.

Commodus, M. Aurelii filius, quo anno Cæſar renunciatuſs. 166. V. Imperii Cæſarei Quinquennalia exhibet. 170. II. Ejuſdem Imperii Decennalia celebrat. 175. II. Toga virili induitur. 175. III. & IV. Tribunitia Poteſtate inſignitur. 175. III. Hujus Poteſtatis duplex initium, fictitium. 175. V. Proconſulari etiam Imperio extra Urbem donatur. 175. IV. Quo anno & die id factum ſit, oſtenditur. *ibid.* & 176. III. Auguſtus nuncupatur. 176. III. In Nummis attamen hoc ejus nomen aliquando omiſſum. 175. VI. Ejuſdem Conſulatus deſignati aliquando in Numiſmatibus abſolutè expreſſi. 175. VII. Faſtis dat nomen. 177. I. Germanis bellum infert, poſtquam Criſpinam uxorem duxit. 178. II. Conſul ſecundùm procedit. 179. I. Et Quindecennalia Imperii Cæſarei edit. *ibid.* Tertium init Conſulatum. 181. I. Imperii Proconſularis dat Quinquennalia. 181. II. De Germanis triumphat. *ibid.* Imperii Cæſarei exhibet Vicennalia, anno tamen uno anticipata. 182. II. Quartum aſſumit Conſulatum. 183. I. Priorisque Imperii Auguſtei Quinquennalia anno uno dilata celebrat. 183. II. Poſterioris item Quinquennalia exhibet. 184. II. Vota Quinquennalia in Nummis exprimendi uſum primus inducit. *ibid.* Cur tot Quinquennalia & hujuſmodi ſolennia ediderit; eorumque aliqua in Numiſmatibus expreſſa ſint, alia verò non ſic, oſtenditur. *ibid.* Decennalia Imperii Proconſularis anticipata celebrat. 185. II. Hæc malè à quibuſdam ad annum ſuperiorem traducta. *ibid.* Conſul quintùm procedit. 186. I. Prioris Imperii Auguſtei Decennalia edit. 186. II. Claſſem Africanam inſtituit; & ad quid. 186. III. Poſterioris Imperii Auguſtei dat Decennalia, nomenque *Pietatis auctoris* aſſumit. 187. II. Quo anno Tribunitiam Poteſtatem ſuſceperit Commodus, examinatur. 188. II. Sextùm Conſul. 190. I. Imperii Proconſularis edit Quindecennalia. 190. II. Septimum gerit Conſulatum. 192. I. Quindecennalia prioris Auguſtei Imperii uno anno dilata celebrat. 192. II. Nulla, niſi ordinate, Vota ſuſcepiſſe, oſtenditur. 192. III. Falconem & Clarum interficere ſtatuit. *ibid.* Sed propinato ipſi veneno interit. 192. II. & V. Quandiu vixerit & imperarit, manifeſtatur. 193. V.

Conciliia Gentilium, ſeminaria perſecutionum in Chriſtianos. 162. VI.

Concilia, Eccleſiæ conſenſu ab Imperatoribus olim convocata, & quare. 315. VII.

Condianus *Sex. Quintilius* Faſtis dat nomen. 180. I.

Confeſſores, qui exilium, vel quid aliud pro Chriſto paſſi, etiamſi morti non traditi, Martyres tamen ſæpe ex modo loquendi dicti. 313. IV.

Conſtans, Conſtantini Magni natu minor filius, Cæſar creatur. 333. II. Nuncupatio illa minùs rectè ad aliud tempus dilata. 333. II. Extincto patre, paulò pòſt Auguſtus acclamatur. 337. IV. Faſtis dat nomen, propter *Auguſti* titulum priùs initum. 339. I. Auguſtei Imperii Quinquennalia exhibet. 341. II. Secundùm Conſul procedit, ſimulque Cæſarei Imperii Decennalia celebrat. 342. I. Gentilium ſacrificia aboleri, & aras dirui jubet. 342. XVII. Eorundem Templa conſervat, ſed in hæc ingreſſum vetat. *ibid.* Quo anno tale Edictum emiſerit, annotatur. *ibid.* Pacatis Galliis in Britannos movet. 317. X. & 343. V. Annum tertiò aperit. 346. I. Auguſtea edit Decennalia. 346. II. Imperii Cæſarei dat Quindecennalia. 347. I. Varia hujus Imperatoris reſcripta anno CCCXLIX data recenſentur. 349. III. A Magnentio in Galliis occiditur, & quo anno id acciderit, aperitur. 350. II. Ex anno ejus obituali Imperii duratio manifeſtatur. *ibid.*

Conſtantia, Conſtantini Magni ſoror, Licinio in matrimonium traditur. 313. II.

Conſtantinopolis, cur ab Euſebio urbs Regia dicta, antequam à Conſtantino Magno conſtructa fuerit & dedicata 317 VII.

Conſtantinopolis, quo anno & menſe fundata. 324. XVI. & XVII. Ejus ædificationis tempus perperam à Petavio tardiùs conſignatum. 324. XVIII. Ex Conſulatu Conſtantii Cæſaris reſtituitur. 324. XIX. Et ex Codice Theodoſiano confirmatur. 324. XX. Gothofredi ſententia circa Conſtantinopoleos ædificationem refellitur. 324. XXI. Illius dedicationis annus aſſignatur. 330. IV.

Conſtantinopolitana Synodus ab Euſebianis, Euſebio Nicomedienſi Præſide, tam adverſus Athanaſium, quàm Marcellum habita. 336. IV. & V. Per multos menſes continuata. 336. VI. Quid in ea actum ſit, declaratur. 336. IV. V. & VI.

Conſtantinopolitana Synodus anno CCCLIX quintis Conſtantii Aug. Quinquennalibus ſacro celebratur, & inſequenti continuatur. 359. III.

Conſtantinopolitana Synodus OEcumenica, qua anni parte celebrata fuerit, oſtenditur. 381. IV. Non à Damaſo Papa, ſed à Theodoſio Magno, inconſulto etiam Damaſo, convocata. 381. V. & VI. Vi convocationis OEcumenica dici non poteſt, ſed ex ſolo illius Pontificis & Eccleſiæ Occidentalis conſenſu. 381. V.

Conſtantinopolitana Synodus, in qua Epiſcoporum ab Epheſina depoſitorum cauſa examinata, anno CCCC celebratur. 400. VIII.

Conſtantinopolitanus Patriarchatus in Synodo OEcumenica Conſtantinopolitana inſtitutus. 381. VII. Provinciæ illi adjudicatæ recenſentur. *ibid.*

Conſtantinus Magnus obſes apud Diocletianum & Galerium Maximianum in Bithynia detinetur, a quibus clam aufugit. 306. V. Patrem morientem inviſit, à quo Im-

perium accipit. *ibid.* Britannum fuiſſe aſſerere, fabuloſum. 306. VIII. Cæſar creatur. 306. IX. Natales plurimi ipſi attributi explicantur 306. XII. Conſul extra Italiam procedit. 307. II. Imperii Cæſarei Quinquennalia exhibet. 310. XI. Auguſtei ſimiliter. 311. VI. *Maximi* nomen in Galliis obtinet. 311. VII. Iterum extra Italiam dat Faſtis nomen. 312. I. Inter ipſum & Maxentium bellum oritur. 312. II. Quo anno id inchoatum. *ibid.* De eodem bello ſingularia quædam exponuntur. 312. III. Crux Conſtantino apparet, ipſeque ſignum militare in Crucis ſimilitudinem efformare jubetur. 312. IV. Locus, dies & hora apparitionis annotantur. *ibid.* De Maxentio victo triumphat. 312. VII. Arcus in ejus honorem erigitur ob prædictum triumphum, & quo anno. *ibid.* Primam in favorem Eccleſiarum Conſtitutionem emittit. 312. XIV. & 313. V. Hæc in Annalibus loco ſuo non recitatur. 313. V. Ob novum Urbis Imperium tertiò dat Faſtis nomen. 313. I. Francos & Barbaros Rhenum tranſire tentantes inhibet. 313. III. Cenſum Gallicanum retractat. 313. XVII. Chriſtiani cultus obſervantiam Edicto Mediolani emiſſo permittit. 313. II. & 314. IX. Sed hoc Edictum cum alio priùs dato non confundendum. 314. IX. Quartò annum aperit, & veroſimiliùs Imperii Cæſarei dat Decennalia. 315. I. Auguſtei verò edit Arelate. 316. II. Licinium debellat, & hoc ante Nicænam Synodum coactam. 318. VI. Eidem vitam condonat. 318. VII. Poſt annum attamen necari jubet. *ibid.* & VIII. Ejus Monarchia quo anno cœpta. 318. XI. Quintum aſſumit Conſulatum. 319. I. Adverſus Sarmatas bellum gerit. 319. III. Ad Alexandrum Epiſcopum Alexandrinum & Arium ſcribit, & quo anno. 319. IV. Haruſpices privatim conſulendos prohibet. 319. IX. Publicè tamen conſuli poſſe permittit. *ibid.* Sed hoc ſub quibuſdam conditionibus. 321. VI. Sextùm Conſul, Quindecennalia Imperii Cæſarei exhibet. 320. I. II. & IV. In Galliis ſubſtitiſſe Conſtantinum quando Decennalia exhibuit, falsò creditum. 320. VII. Ex eo quòd Haruſpicinam non abſolutè vetaverit, in deterius lapſum, non inferendum. 321. IV. Ut Eccleſiæ, bona ex teſtamento relicta poſſidere poſſint, Lege ſancit. 321. V. Auguſtei Imperii Quindecennaliorum annus indicatur. 322. II. Chriſtianos ad Luſtrorum ſacrificia compelli, gravi pœna inhibet. 323. II. Atrocem, ſed non diuturnam in Fideles perſecutionem moviſſe Conſtantinum, prorſus commentitium. 323. III. Crudelitatis etiam immeritò accuſatur Conſtantinus, ob uxoris, filii, & amicorum necem. 324. X. Nicomediæ, non Romæ baptizatum, Patrum teſtimonio comprobatur. 324. IV. Immo & ipſius Synodi Ariminenſis. 324. V. Lepra, quæ hunc Imperatorem afflixerit, & quâ per baptiſmum à Silveſtro acceptum ſanatus fuerit, Antiquis omnino ignota, & fabuloſa. 324. VI. Ex hujus pietate baptiſmi tempus deduci non poteſt. 324. XI. In Arianum dogma declinaſſe, perperam aſſeritur. 324. XII. Quomodo tamen intelligendus Hieronymus, qui hoc dixerit, explicatur. *ibid.* Conſtantini donatio in favorem Eccleſiæ, ut præſumitur, facta, ſuppoſititia. 324. XIII. A quo, & quo tempore conficta fuerit, indicatur. *ibid.* Romanæ Synodo, quam Silveſtrum Papam, præſente Conſtantino, poſt ejus baptiſmum congregaſſe vulgò jactatur, non interfuit. 324. XIV. Imperii Cæſarei Vicennalia uno menſe dilata, nonniſi poſt habitum Nicænum Concilium, Nicomediæ celebrat. 325. XXXIX. Gladiatorios Ludos in Oriente ſolùm abolet. 325. XLI. Septimum init Conſulatum. 326. I. Romam venit, dieſque adventus annotatur. 326. IX. Ibi Auguſtei Imperii Vicennalia exhibet. 326. II. At hæc cum Nicomedienſibus, ut vulgò fit, non confundenda. 325. XXXIX. & 326. I. Arianos & Meletianos à privilegiis Clericis conceſſis arcet. 326. VI. Adverſus Novatianos Legem ſtatuit. 326. VII. Baſilicam Hieroſolymis extruit. 326. VIII. Poſt mortem Helenæ matris, in hujus honorem Helenopolim condit. 326. XI. Octavùm Conſul. 329. I. Variæ hujus Imperatoris peregrinationes narrantur. 329. IV. Quintâ edit Quinquennalia. 330. II. Immunitatem à muneribus Curialibus Clericis quibuſcumque, etiam inferioris ordinis in Numidia degentibus, largitur. 330. X. Judæorum Archiſynagogos, Preſbyteros, &c. à civilibus & perſonalibus muneribus immunes declarat. 330. XI. Quatuor Præfectos Prætorio inſtituit. 337. IV. & 332. IV. Sub iis Imperii Diœceſes quinque conſtituit. 337. IV. & 332. IV. Templa & idola evertit imperat. 333. IV. Literatis privilegia, ad exemplum Julii Cæſaris, indulget. 333. V. Pupillos, viduas & ægrotos in Comitatum trahi prohibet. 334. III. Sarmatas à ſervis patriâ pulſos recipit. 334. IV. An anno CCCXXXIV Cæſarei Imperii Tricennalia ediderit, incompertum; ſed ſequenti Tricennalia Auguſtei Conſtantinopoli celebraſſe, certiſſimum. 335. II. Adverſus Perſas, poſt quadraginta annorum pacem, expeditionem ſuſcipit, & quo anno. 336. XII. Chriſtianos à Judæorum injuriis Lege vindicat. 336. XII. Quam Legem in perverſum ſenſum malè trahit Baronius. *ibid.* Moritur. 337. II. Annus & dies mortis illius aſſignantur. *ibid.* Quandiu imperaverit, annotatur. *ibid.* Honores à Chriſtianis Conſtantino poſt mortem impenſi recenſentur. 337. III. Et in iis impendendis Chriſtianos non idololatraſſe, contra Philoſtorgium oſtenditur. *ibid.* Quanto tempore, extincto Conſtantino, duraverit interregnum, & quomodo per illud regnaſſe ſit intelligendum, aperitur. 337. IV.

Conſtantinus *Flavius Valerius* annum aperit. 327. I. An iſte Conſtantini M. frater, vel fratris filius, incertum. *ibid.* Perperam in hujus locum hoc anno Conſtantius Cæſar in Faſtis proponitur. *ibid.*

Conſtantinus junior, Conſtantini Magni filius, quando & ubi natus. 316. II. Quo anno & die Cæſar dictus. 315. II. 317. II. & 320. III. Faſtis dat nomen, ob adeptam vide-

licet prioribus annis Cæſaream dignitatem. 320. I. & II. Conſul ſecundùm procedit. 321. I. Imperii Cæſarei exhibet Quinquennalia, quæ malè in annum CCCXX retrahuntur. 320. III. & 321. II. Tertium init Conſulatum. 324. I. Decennalia celebrat. 325. II. Diverſo tamen anno ab illo, quo patris Vicennalia Romana edita ſunt. 324. I. Quartùm, non quintùm, Conſul. 329. I. Hujus Cæſaris Quindecennaliorum annus notatur. 329. I. Vicennalia Cæſarei Imperii edit. 333. II. Eorum indicia adducuntur. ibid. & IV. Menſibus circiter tribus poſt patris mortem Auguſtus renuntiatur. 337. IV. Poſt tres Imperii annos à Conſtante fratre occiditur. 340. XXIV.

Conſtantius Chlorus, Conſtantini M. pater, Cæſar dicitur, Tribunitia Poteſtate ornatur. 292. II. 293. I. & 302. II. Quo anno id factum, declaratur. *ibid.* Priorem in hac nuncupatione à Galerio Maximiano Collega locum obtinet. 292. II. Conſulatum anno ſuperiore gerendum init. 293. I. Conſul ſecundùm procedit, & Quinquennalia Cæſarei Imperii exhibet. 296. I. & II. Faſtis tertiò dat nomen, ſimulque Cæſarei Imperii edit Decennalia. 300. I. Annum quartò aperit. 302. I. Perſecutionem à Diocletiano excitatam locum in Galliis habere non permittit. 303. VII. Quomodo autem poſſit ſalvari quod dicitur, plurimos nempe ſub Diocletianea perſecutione in Gallia martyrium pertuliſſe, explicatur. 303. VIII. Conſul quintùm adhuc Cæſar procedit. 305. I. & II. Quindecennalia exhibet. 305. II. Auguſtus dicitur, & quo anno. 304. V. & 306. II. Imperium cum Galerio Maximiano partitur, novamque regendi Imperii formam inducit. 304. VII. Conſul ſextùm, ob Auguſteam videlicet dignitatem anno CCCV adeptam. 306. I. & II. Denaſcitur VIII Kal. Aug. anni trecenteſimi ſexti. 306 VI. Difficultas circa illius mortem ex Socrate orta elucidatur. *ibid.*

Conſtantius Gallus. *Vide* Gallus Cæſar.

Conſtantius *Julius*, Conſtantini M. frater, annum aperit. 335. I.

Conſtantius, Conſtantini M. filius, quo anno & die Cæſar levatus. 323. V. & 325. XL. Primum init Conſulatum cum patre Romana Vicennalia exhibituro. 326. I. Hujus loco perperàm Conſtantinus Cæſar Conſul profertur. *ibid.* Quinquennalia Imperii Cæſarei celebrat. 327. II. & 330. III. Uxorem accipit, ſed non Euſebiam. 336. VII. Tres ejus uxores recenſentur. *ibid.* Paucis menſibus à patris interitu Auguſtus acclamatur. 337. IV. Conſul ſecundùm procedit, ob Auguſteam nempe dignitatem priùs adeptam. 339. I. Imperii Auguſtei Quinquennalia edit. 341. II. Faſtis tertiò dat nomen, & Vicennalia Cæſarea exhibet. 342. I. Conſul quartùm, Auguſtea celebrat Decennalia. 346. I. & II. Quo anno Gentilium Templa occludi juſſerit, annotatur. 346. III. Auguſtei Imperii edit Quindecennalia. 351. I. & 353. VI. Quintum init Conſulatum, extra tamen Magnentii ditionem. 352. I. Vetranionem Imperium affectantem in ordinem redigit. 350. II. 351. II. & 353. IX. Magnentium etiam Tyrannum ad Murſam profligat. 351. II. & IV. Iterumque ad Alpes Cottias debellat. 353. III. Sextùm Conſul, Imperii Cæſarei Tricennalia exhibet. 353. I. II. & V. Obeliſcum Arelate jubet erigi. 353. V. Sacrificia nocturna à Magnentio permiſſa prohibet. 353. IX. Tricennaliorum occaſione Clericos multis immunitatibus honorat. 353. X. Septimum aſſumit Conſulatum, ob initam anno CCCLI Monarchiam. 354. I. Auguſtea Vicennalia celebrat. 355. I. Faſtis octavò dat nomen, ut videlicet Juliani, quem mox Cæſarem creaverat, ſit Collega. 356. I. Adverſus Maleficos, iterumque adverſus ſimulacrorum cultum & ſacrificia Legem emittit. 356. II. Romam venit; & quo tempore, annotatur. 356. XIII. Nonum in ea urbe init Conſulatum, ibique ſeptima Imperii Cæſarei Quinquennalia, & ſimul de Romani nominis hoſtibus agit triumphum. 357. I. & 356. XIII. Ibidem Obeliſcum erigit. 357. XV. Palatinis quidem & militibus nominatim Gladiatorios Ludos vetat, ſed hos non omnino abolet. 357. XVI. Magicarum artium uſum Lege prohibet. 357. XVII. Copiatas, ſeu Foſſarios, à Luſtrali collatione reddit immunes. 357. XVIII. Auguſtei Imperii quinta exhibet Quinquennalia. 359. I. Decimùm Conſul procedit. 360. I. An duobus Conciliis Antiochenis in cauſa Meletii habitis interfuerit Conſtantius, inquiritur. 360. VI. Edictum adverſus Eccleſiarum & Clericorum immunitatem emittit. 360. X. Plures ad ipſum Legati poſt Ariminenſem Synodum confluunt, ſed ex Gallis Epiſcopis nullus, & qua de cauſa. 360. XI. Expeditionem in Perſas de novo ſuſcipit. 360. XII. Hujus Imperatoris cum Maxima Fauſtina nuptiæ, non illius ſecundæ, ſed tertiæ appellandæ veniunt. 361. III. Hominem exuit. 361. IV. Mortis annus & dies aſſignantur. *ibid.* Vitæ Imperiique duratio exprimitur. *ibid.* Exequiarum ejus, quas Julianus cohoneſtavit, dies annotatur. 361. V.

Conſulares viri plerumque Conſules appellati. 96. II. Juxta ordinem geſti Conſulatus Aſiam & Africam ſortiuntur. 144. II.

Conſulatus iteratus duobus conſequentibus annis, Imperatoribus tantùm, aut Cæſaribus permiſſus. *App.* CVII. & 234. I.

Conſulatus honorarii à ſuffectis diverſi. 203. IV. Quo anno numerari cœpti. *ibid.*

Conſulatus ſuffecti anno Chriſti CCCXI adhuc uſitati. 310. III.

Conſulatus ſuffecti aliquando in Faſtis memorati. 73. II. Aliquando etiam omiſſi. 83. II. & IV. & 95. III. In Nummis item ſæpe prætermiſſi. 83. III.

Conſulatuum Cæſareorum regulæ contra Cenſores illarum vindicantur. 82. II.

Conſules, à quo & quando XXV in annum unum deſignati. 189. II.

Conſules ordinarii quo die deſignati, incertum. 212. II.

Conſules ſuffecti anni initio de more deſignati. 212. II.

Conſules, cur annis Chriſti ccc ix & ccc x extra Italiam non creati. 309. I.

Copiatæ, quid ſint, & quodnam illorum officium, explicatur. 357. XVIII.

Corbulo ſuccedit Quadrato in Præfectura Syriæ. 10. III.

Cornelianus *L. Ovinius* Faſtis dat nomen. 237. I.

Cornelius *Coſſus* Conſulatum gerit. 60. I.

Cornelius Palma Faſcibus illuſtratur. 99. I. Syriæ Præfectus Arabiæ partem in populi Romani ditionem redigit. 105. V. Secundùm Conſul. 109. I. *Aulum* vocari, docet Inſcriptio Onuphriana: *ibid.*

Cornelius Aſiaticus ſecundum init Conſulatum. 125. I.

Cornelius Papa eligitur. 251. XIX. Ordinationis ejus dies annotatur. *ibid.* Unicum tantùm Romæ Concilium celebrat. 251. XXV. Confeſſores jam antea lapſos ad pacem Eccleſiæ recipit. 251. XXVII. Feliciſſimum de Eccleſia pellit. 252. VII. Ad Lupicinum Viennenſem Epiſcopum Libellum *de Exhortatione martyrii* dirigit. 252. IX. A Gallo Aug. Centumcellas in exilium mittitur, ubi à Cypriano literas gratulatorias recipit. 252. X. Ibidem moritur. 252. XI. Annus & dies mortis illius indicantur. *ibid.* & 251. XIX. Acta ejus ſuppoſititia credita. *ibid.* Poſt mortem ejus vacantis Sedis duratio ignota. 252. XII.

Cornificius *L.* Conſul. *App.* XCIV.

Corvinus *Taurus Statilius* Faſtis dat nomen. 45. I.

Cotta *M. Aurelius* Conſul procedit. 20. I.

Craſſus à Parthis occiſus, & quo anno. *App.* LVII.

Craſſus *M. Licinius* Faſcibus illuſtratur. *App.* XCVII.

Craſſus *M. Licinius* Conſulatum gerit. *App.* CXV.

Craſſus *M. Licinius Frugus* init Conſulatum. 27. I.

Craſſus *M. Licinius*, Frugi filius, Conſulatu inſignitur. 64. I.

Criſpina, Bruttii Præſentis filia, Commodi Aug. uxor. 178. II.

Criſpinus *T. Quinctius* init Conſulatum. *App.* CXVI.

Criſpinus *L. Quinctius* Conſul ſecundùm. 44. I. Falſum huic prænomen affigitur. *ibid.*

Criſpinus *C. Clodius* annum aperit. 113. I.

Criſpinus Faſcibus illuſtris. 187. I.

Criſpinus Conſul creatur. 224. I.

Criſpus, Conſtantini Magni filius, Cæſar renuntiatur, & quo anno & die. 315. II. 317. II. & 320. III. Faſtis dat nomen. 318. I. Ejus Numiſmata quædam explicantur. 320. V. Annum denuo aperit. 321. I. Quinquennalia Imperii Cæſarei celebrat. 321. II. Hæc perperam ad annum ccc xx diſtrata. 320. III. Cum Helena avia Romam petit. 322. III. Tertiùm Conſul procedit. 324. I. Decennalia exhibet. 324. I. 325. II. & XXXIX. At non eodem anno, quo Conſtantinus pater Romana Vicennalia. 324. I. & 325. XXXIX. Juſſu patris occiditur. 324. III. Annus, dies & locus mortis annotantur. *ibid.* & 325. XXXIX.

Crucis apparitio in Oriente Conſtantii Aug. temporibus viſa, quo anno & die acciderit ſtabilitur. 353. VI. & VII.

Crux tum Imperatorum, tum Conſulum ſceptris, aquilæ loco aliquando ſuperpoſita; & quo tempore id cœptum. 394. III.

Curubis in Zeugitana Provincia, locus exilii S. Cypriani. 257. VI.

Cuſpius Rufinus annum aperit. 142. I.

Cyclorum Paſchalium initium aſſignatur. 284. V. & 285. V.

Cymatius, Antaradi Epiſcopus, Euſebianorum fraude in exilium pellitur. 336. V.

Cynegius annum in Oriente aperit. 388. I.

Cypria Synodus, in qua damnati Origeniſtæ, anno Chriſti quadringenteſimo primo celebratur. 399. IV.

Cyprianus ante converſionem uxoratus. 248. IV. Fidem Chriſtianam Carthagine ſuſcipit. 248. III. Poſt baptiſmum, ſed laïcus adhuc, ſcribit ad Donatum, & librum *de Vanitate Idolorum.* 248. V. Fit Epiſcopus Carthaginienſis; ſed quo anno, incertum. 248. II. In Deciana perſecutione ſecedit & proſcribitur. 250. V. Deliteſcens ſcribit ad Clerum ſuum de diſciplina & diligentia vice ſua præſtanda. 250. VIII. Quid per *Extorres* intelligat Cyprianus, aperitur. 250. IX. Epiſtolam *de precando Deo* quandonam ab eodem ſcripta. 250. X. Ex hujus Epiſtolæ verbis, quanto tempore Decius imperaverit, malè colligitur. *ibid.* Quo item tempore *de Confeſſoribus* ad Clerum Romanum literas miſerit, indicatur. 250. XI. Epiſtolarum ejus plurium tempus & ordo conſignatur. 250. X. XI. & XII. In ſolitudine degens, Clericorum ordinationi incumbit. 250. XIV. Libri *de Laude martyrii* auctor falsò reputatur. 251. XV. E receſſu prodit, Sedemque ſuam occupat. 251. XVII. Concilium cogit. *ibid.* Legatos ad Cornelium Papam mittit; ideoque Concilium prorogat. 251. XXI. Libros *de Unitate & Lapſis*, ad eundem Pontificem tranſmittit. 252. II. Ad Antonianum Numidiæ Epiſcopum ſcribit, & quo tempore. 252. III. Ad quæſtionem *de Lapſis* ſibi propoſitam reſpondet ante primum Carthaginienſe Concilium. 251. V. Secundum Concilium Carthaginienſe convocat. 252. VI. Perſecutionem imminentem prævidet, & Fideles ad martyrium accendit. 252. VII. Paulò pòſt libellum *de Exhortatione martyrii* ad Fortunatum ſcribit. 252. IX. Literas communicatorias ad Lucium Papam mittit. 251. XII. Ad Epiſcopos Numidiæ ſcribit, & quando. 253. VI. Ad Demetrianum item libellum mittit, & quo anno. 253. VII. Innocentiam ſuam adverſus Pupianum defendit. 253. XV. Eos, qui aquam ſine vino in Miſſæ ſacrificio offerebant, refellit. 254. IV. Per illos tamen non intelligendi *Aquarii. ibid.* Quo anno id fecerit, manifeſtatur. *ibid.* De cauſa Marciani Arelatenſis Epiſcopi ad Stephanum Papam ſcribit, & quo anno. 254. III. Varia contra hujus epiſtolæ epocham adducuntur, ſed refelluntur. *ibid.* & IV. V. & VI. Rebaptizationem Hæreticorum & Schiſmaticorum tuetur Cyprianus. 254. IX. Ratio, quâ

quâ ad id motus fuerit, adducitur. *ibid.* Synodum de reiteratione baptiſmi celebrat. 254. X. Librum *de Bono patientiæ* ſcribit, ſed quando, incompertum. 256. II. Certum attamen, hunc exaratum fuiſſe poſt motam de baptiſmo Hæreticorum controverſiam. *ibid.* Secundùm de baptiſmo Concilium Carthagine cogit. 256. III. Tertiam de baptiſmo Synodum convocat. 256. XIII. Ad Firmilianum dat literas, ab eoque reſponſum accipit ſuæ doctrinæ omnino conſentiens. 256. XIV. Quando eæ ſcriptæ fuerint, declaratur. *ibid.* In exilium deportatur. 257. VI. Poſt annum exilii, Tuſco & Baſſo Conſulibus, Martyr occumbit. 258. VI. Quanta ſit in Eccleſia hujus ſancti Doctoris & Martyris celebritas, declaratur. 256. VI.

Cyrillus, Hieroſolymorum Epiſcopus, Maximo adhuc in vivis ſuccedit. 351. VII. Sedis illius initium certis temporum characteribus ſtabilitur. *ibid.* Ab Acacio Cæſareæ Philippi Epiſcopo depoſitus, & quare. *ibid.* Hominem exuit. 386. V. Primus Hieroſolymorum Patriarcha falsò adſtruitur. *ibid.*

D

DACICUM bellum prius à Domitiano ſuſceptum. 84. II.

Dacicum bellum ſecundum ab eodem Domitiano initum. 86. II. Quandonam inceptum fuerit. 86. III. Quandiu duraverit. 86. IV.

Dacicum bellum primum à Trajano geſtum, quo anno cœptum ſit, ſtabilitur. 101. VI. Nummiſque ejuſdem Trajani comprobatur. 101. VII.

Dacicum bellum poſterius ſub eodem Trajano, quo anno inchoatum fuerit, indicatur. 105. VI. Quanto item tempore continuatum ſit, aperitur. *ibid.*

Dagalaiphus, Magiſter militum per Gallias, annum aperit. 366. I.

Dalmatia ad Romanos redit. 8. II.

Damaſi Liber *de Romanis Pontificibus* in trium priorum ſeculorum & initii quarti Chronologia Pontificia digerenda ceteris quibuſcumque præferendus. 67. VII.

Damaſus Liberio in Pontificatu Romano ſuccedit. 366. VII. *&* 367. II. Diſſidium Urſicinum inter & Damaſum pro urbis Romæ Epiſcopatu quò anno acciderit, indicatur. 367. II. Ubi Sedem init Damaſus; ſtatim Concilium adverſus Arianos convocat. 369. IV. Mortem cum vita commutat. 384. II. Mortis annus & dies, Sedis duratio, ejuſdemque initium aſſignantur. *ibid.* Opera huic Pontifici perperam attributa recenſentur. 384. III.

Daphnes, in qua Helenæ ſtatua à Conſtantino M. repoſita, ubinam ſita. 351. III. Diverſa ab aliis ejuſdem nominis locis oſtenditur. *ibid.*

Datianus Faſtis dat nomen. 358. I.

Decebalus apud Dacos Regnum obtinens, gravis diu Populo Romano adverſarius, contra Domitiani Legatos pugnat. 86. IV. Secundò item, & tertiò cùm Trajano. 103. VIII.

Decennalia & id genus feſta à nullo Imperatore repetita. 326. II.

Decennalia Imperii Auguſtei, quo auctore, quóve anno in Nummis verbis explicitis memorari cœpta. 148. II.

Decennalia Imperii Proconſularis, & ſimilia ſolennia, quis primus Numiſmatibus inſculpi juſſerit. 156. II.

Decentius, Magnentii Tyranni frater, Romæ & in regionibus, quæ Magnentio parebant, Conſul ordinarius procedit. 352. I. Devicto fratre, ſeſe apud Senonas laqueo ſuſpendit. 353. III.

Decius Conſulatum tantùm ſuffectum ſub Philippo Aug. gerit, non verò poſt Philippi mortem. 250. II. Quo anno & menſe Imperium capeſſierit, indicatur. 249. V. Conſul ſecundùm procedit. 250. I. In Chriſtianos perſecutionem edicit. 250. IV. Tertium init Conſulatum. 251. I. In Gothos, non in Perſas movet. 251. IX. Ab illis circumſeptus cum filio perit. 251. XXIX. Ejus filii memorantur. *ibid.* Quanto tempore imperaverit, annotatur. *ibid.* Errores contrarii in medium adducuntur & evertuntur. 251. XXX.

Decius, Decii Aug. filius ex Etruſcilla genitus, Cæſarea dignitate & Tribunitia Poteſtate decoratur. 251. XXIX. Faſtis dat nomen. 251. I. Auguſtus à patre renuntiatur, cùm ad bellum Gothicum proficiſcitur. 251. XXIX. Cum eodem interit. *ibid.*

Defunctorum corpora apud veteres Romanos per quatuor aut quinque priora Eccleſiæ ſecula extra Urbem ſepeliri ſolita. 67. XVIII.

Delmatius *Fl. Valerius Julius*, Hannibaliani filius, annum aperit. 333. I. Quo anno Cæſar dictus ſit, exhibetur. 336. VIII. A Conſtantio Aug. poſt tres Imperii annos incompletos occiſus. 337. VI.

Demetrianus, ad quem S. Cyprianus libellum ſcripſit, non Africæ Proconſul, ſed Judex tantùm Cypriano familiariter notus. 253. VII.

Demetrius Nicator Syriæ Rex, amiſſo exercitu, in Tryphonis poteſtatem venit. *App.* XXX. In Regnum reſtituitur. *App.* XXXVI. E ſolio dejicitur. *App.* XXXIX.

Demetrius Eucærus, Antiochi Grypi quartus filius, Rex Damaſci à Ptolemæo Lathuro conſtituitur. *App.* XLIX.

Demetrius, Epiſcopus Alexandrinus, quo anno ſedere cœperit, quandiuque Sedem tenuerit, aſſignatur. 188. III. Quando mortuus ſit, oſtenditur. 232. II.

Demophilus in locum Eudoxii Conſtantinopolitani Epiſcopi ab Arianis ſuffectus. 370. VI.

Dexter *Cn. Domitius* ſecundum init Conſulatum. 196. I.

Dexter annum aperit. 225. I.

Dexter *Maximus* Faſtis dat nomen. 263. I.

Diadumenianus, Macrini filius, Cæſar, & pòſt Auguſtus à Patre dicitur, Conſulque ſuffectus deſignatur. 217. V.

Didius Julianus, Pertinacis in Imperio ſucceſſor, paucis diebus imperat. 193. V. Occiditur. *ibid.*

Dies, quibus Sancti Pontifices, aliique coluntur, nihil plerumque cum die obitus, aut illorum ſepulturæ commune habent,

67. XVIII. Idem dicendum de Chriſti, Deiparæ aliorumque Sanctorum feſtis. 67. XIX.

Dio *Caſſius* Faſtis dat nomen. 229. I. A militibus crimine inſimulatus, ad Alexandrum Aug. in Campaniam pergit, & ab eo ſecundùm Conſul deſignatur. 229. III. Se in hujus Imperatoris rebus minùs edoctum profitetur. 229. V.

Dio *Caſſius*, qui Urbi præfectus fuit, annum aperit. 291. I.

Diocletianus Aug. Numeriano ſuccedit; quo anno & menſe. 284. III. IV. & V. Error contrarius unde natus. 284. III. Hujus Imperatoris mores graphicè deſcribuntur. 284. IX. Secundum init Conſulatum, & qua de cauſa. 285. I. Propter geſtum ante Imperii initia Conſulatum ſuffectum Conſul II hoc anno proponitur. *ibid.* Quo tempore ſuſceptus ab eo fuerit Conſulatus ille ſuffectus, aperitur. *ibid.* Maximianum Herculium ſocium in Imperio ſibi adjungit. 286. II. Rebus in Germania per Legatos feliciter geſtis, *Britannici* titulum adipiſcitur. 286. III. Tertiùm Conſul procedit. 287. I. Perſas vincit, quibuſcum poſtea pacem ſancit. 287. II. & III. Nicomediæ hibernat. 286. VI. & 287. II. In Europam tendit, de bello contra Carauſium cum Maximiano Aug. tractaturus, bellumque eodem tempore uterque Auguſtus parat. 287. III. Quo anno hæc facta ſint, annotatur. *ibid.* Quinquennalia exhibet. 289. I. Quartum ſumit Conſulatum. 290. I. Mediolani cum Maximiano de creandis Cæſaribus agit. 290. III. Quintùm Conſul procedit, ob nempe Auguſtei Imperii Decennalia in hunc annum incidentia; quæ tamen an hoc anno celebraverit, ignotum. 292. I. Quandonam ſe ut Deum adorari voluerit, & gemmeis uti calceis cœperit, inſinuatur. *ibid.* & 301. III. Maximianum Herculium adverſus Sarmatas rebelles mittit. 294. IV. Sextùm Conſul. 296. I. Auguſtei Imperii in Oriente dat Quindecennalia. 298. I. Septimum init Conſulatum. 299. I. Triumphum de Perſis aliiſque Romanorum hoſtibus ducit, & quo anno. 301. II. & 303. II. Perſecutionem in Chriſtianos excitat. 302. V. & 303. II. Faſtis dat nomen. 303. I. Vicennalia Romæ celebrat. 303. II. Quo verò die hæc exhibuerit, enuntiatur. 303. II. & 298. II. Nonùm procedit Conſul Ravennæ. 304. I. Vitam privatam amplectitur. 304. II. & 305. VI. Coactè tamen. 304. III. Quando id evenerit, contra communem ſententiam ſtatuitur. 304. 304. V. Idque ex Faſtis magis confirmatur. 304. VI. Mortem obit. 316. III. & IV.

Diœceſes Imperii Romani, quot, & à quo tempore ſic appellatæ. 39. IV. Harum cuilibet multæ Provinciæ ſunt ſubjectæ. *ibid.*

Dionyſius Areopagita, an relictâ Athenienſi Eccleſiâ, Pariſienſem rexerit, incertum. 96. IV. Ejuſdem Opera in magna diſceptatione inter Eruditos poſita, & alteri Dionyſio juniori à multis attributa. 107. VIII.

Dionyſius, Alexandrinus Epiſcopus, Heraclæ ſucceſſor, Origeni favet. 246. III. De Orientalium Eccleſiarum concordia, poſt abdicatum Novati Schiſma, non verò de Hæreticorum rebaptizatione, ad Stephanum Romanum dat litteras. 256. XII. In exilium per Æmilianum Præfectum pulſus, varias ſcribit epiſtolas. 257. V. Circa earum unam, ad Philemonem nempe directam, detectus error corrigitur. *ibid.* Poſt pacem Eccleſiæ ſuæ reſtitutam, Alexandriam redit. 262. III. Librum, cui titulus *de Promiſſionibus*, non contra Irenæum Lugdunenſem, ſed contra *Nepotem* Epiſcopum Ægyptium ſcribit. 263. II. An hujus ad Paulum Samoſatenſem epiſtola ſit ſuppoſititia, examinatur. 264. III. Mortis ejus annus ſtabilitur. 265. III. *Magni* cognomen ab omnibus ferè antiquis Patribus eidem attributum. *ibid.*

Dionyſius Papa, Sixti in Romana Sede ſucceſſor, quo anno & die ordinatus. 258. V. & 271. VII. & VIII. Moritur, & dies mortis indicatur. 269. VIII. Sedis duratio annotatur. 271. VII. Hujus Pontificis Epiſtola *de diviſione Parochiarum* ad Severum Cordubenſem Epiſcopum, adulterina. 269. II. Decretales item aliquæ, quæ ſub ejus nomine circumferuntur, ſunt ſuppoſititiæ. 271. IX.

Divi nomen non rarò in Inſcriptionibus Nummiſque neglectum. 147. II.

Dius Concilio Gangrenſi præeſt. 319. IV.

Dogmata quædam, dum arcani Diſciplina vigeret, occultata; quædam verò publicata. 118. VII.

Dolabella *P. Cornelius* annum aperit. 10. I.

Dolabella *Ser. Cornelius* Conſul creatur. 86. I.

Domitia, Domitiani uxor, Auguſta ſalutatur, à marito repudiatur, iterumque reducitur. 83. II.

Domitiani Conſulare Imperium explicatur, 69. VI.

Domitiano Præfectura quidem, ſed non Conſulatus defertur eodemmet anno, quo Veſpaſiano & Tito hic magiſtratus decretus. 69. VI.

Domitianus Imperio Cæſareo præditus fuit, 69. VII. In quo hoc ejus Imperium ſitum ſit, expenditur. *ibid.* Conſul ſecundùm creatur, non verò Veſpaſianus. 73. I. & II. Quinquennalia Imperii Cæſarei exhibet, cedente Tito fratre Conſulatum, & Quinquennalia propria differente. *ibid.* Tertiùm Conſul ſuffectus procedit. 74. I. Quartùm etiam ſuffectus. 77. I. Suffectus denuò. 76. I. Iterum ſuffectus, Decennalia exhibet. 77. I. Conſul ſeptimùm, ordinarius tamen. 80. I. Faſtis dat nomen 82. I. Nonum init Conſulatum. 83. I. Cæſarei Imperii Quindecennalia anno uno dilata celebrat. 83. II. Domitiam uxorem, à qua filium tulerat, Auguſtam renuntiat. *ibid.* Decimùm Conſul procedit. 84. I. Adverſus Cattos bellum ſuſcipit. 84. II. Conſulatum de novo init, ut triumphum tam de Cattis, quàm de Dacis exhibeat. 85. I. Ejuſmodi triumphus Nummis probatur. 85. II. Duodecimùm ſe Conſulem deſignat. 86. I. Imperii Auguſtei Quinquennalia edit. 86. II. Bellum ſecundò cum Dacis per Legatos init. *ibid.* Primus omnium Quinquennale certamen inſtituit,

& Romæ agi curat. 86. V. Quo anno tale certamen inſtitutum fuerit, aperitur. 86. VI. Decimumtertiùm Conſul. 87. I. Imperii Cæſarei celebrat Vicennalia. *ibid.* Eodem etiam anno ſe *Dominum* ac *Deum* appellari jubet. 87. II. Quartum & decimum Conſulatum capeſſit. 88. I. Ludoſque Seculares ſeptimos ſimul edit; contemta tamen ratione celebrandi à Claudio inſtituta. 88. II. & X. Opinio quorundam circa horum Ludorum tempus, evertitur. 88. X. & *ſeqq.* Secundum bellum Dacicum, quod annis ſuperioribus per Legatos, hoc anno per ſe gerit. 89. II. Lucium Antonium Germaniæ Præſidem rebellantem abſens compeſcit. 89. III. Decimumquintùm Conſul. 90. I. Decennalia Imperii Auguſtei celebrat. 90. III. & VIII. Secundum de Dacis, licèt dilatum, agit triumphum. 90. III. & VIII. Sævit in nobiles. 90. IV. & VI. Perſecutionem in Chriſtianos movet. 90. V. & VI. Et hæc maxime cruenta. 90. VI. Conſulatum gerit decimum ſextum. 92. I. Quinta Imperii Cæſarei Quinquennalia in annum ſequentem differt. 92. II. Exhibet. 93. II. Contra Sarmatas bellum ſuſcipit. 92. III. De quibus, non triumphum, ſed lauream refert. 92. IV. Perſecutionem in Fideles excitatam continuat. 94. V. Conſul tandem decimumſeptimùm. 95. I. Imperii Auguſtei dat Quindecennalia, quorum occaſione perſecutionem auget. 95. II. Ab Auctoribus irriſus, quòd toties Conſulatum inierit: hunc tamen nonniſi ſecundùm regulas ſumſiſſe, demonſtratur. 95. IV. Occiditur. 96. III. Nativitatis ejus & mortis dies, tempuſque Imperii annotantur. *ibid.*

Domitius Aurelianus. *Vide* Aurelianus.

Donatiſtarum Schiſmatis initium conſignatur. 306. XVI. Sedente Melchiade Romano Pontifice inchoatum oſtenditur. 306. XVIII. Nec niſi poſt Maxentii triumphum, cœptum. 306. XVII.

Donatiſtæ Concilium agunt Carthagine; hujuſque epocha ſtabilitur. 308. III. & IV. A Synodo Romana Conſtantini juſſu coacta appellant 313. VIII. Ea appellatio magis comprobatur. 313. IX. Adverſis rationibus fit ſatis. 313. X. & XI. Tumultus excitant. 316. XVIII. A Conſtantino Magno cum Cæciliano evocantur. 316. XII. Mediolanum venire jubentur. 316. XIII. Ibi eos tanquam calumniatores damnat Conſtantinus. 316. XIV. Pars ſententiæ contra ipſos prolatæ in medium adducitur. 316. XV. Quo anno in exilium miſſi fuerint, indicatur. 316. XVI. & XVII. Ab exilio ſolvuntur; iiſdemque Religionis ſuæ exercendæ libertas conceditur. 321. III.

Donatus *Julius* annum aperit. 260. I.

Dorotheus, Antiochenus Preſbyter, Cyrillo Antiochenam Eccleſiam regente, floret. 283. V. A Dorotheo Diocletiani Cubiculario & Martyre, & à Dorotheo Tyrio Preſbytero etiam Martyre diverſus. *ibid.* Diverſitatis notæ afferuntur. *ibid.*

Dorotheus, Diocletiani Aug. Cubicularius, Martyr. 283. V

Dorotheus, Preſbyter Tyrius, ſub Juliano pro Chriſto trucidatur. 283. V.

Druſiani, ſeu Lugdunenſes Ludi, à quo, & in cujus honorem inſtituti. 177. V. & VI. Pentaëterici non fuere, ſed quotannis editi. 177. VI.

Druſus Cæſar, Tiberii Aug. filius, Conſul procedit. 15. I. Secundum init Conſulatum. 21. I.

E

ECCLESIA per reſpectum ad Imperium ordinata. 37. IV.

Eccleſia Africana ab Apoſtolis non inſtituta. 42. V.

Eccleſia ſub Severo Auguſto uſque ad hujus Imperatoris annum decimum non vexata. 198. X. & 199. III.

Eccleſiæ Romanæ Faſti, ſeu, ut vocant, Kalendarium, omnium vetuſtiſſimum. 64. IV.

Eccleſiæ Orientalis undecimo poſt Chriſtum ſeculo ſtatus. 37. X.

Eclipſis Chriſto moriente viſa explicatur. 32. XI. Annus, quo ea accidit, in Auctoribus corruptus. 31. XIV. A Phlegonte rectè memorata. 32. XI.

Eclipſis, cujus meminit Ammianus, quæque eodem, quo Julianus dictus eſt Auguſtus, die accidit, explicatur. 360. VII.

Edeſſenis quo anno Evangelium prædicatum. 41. III.

M. Eggius Marullus Conſul creatur. 184. I. Hujus loco *Marcellus* perperam intruſus. *ibid.*

Elagabalus, ſeu Heliogabalus, Aug. poſt Macrinum imperat, nomenque ſuum in Macrini locum inſerit. 218. III. Conſul ſecundùm procedit. 219. I. Hujus Imperatoris quadrigæ. 219. III. Tertium init Conſulatum, ſed ſine regula. 220. I. Alexandrum conſobrinum Cæſarem dicit. 221. II. Hujus nuncupationis paulò poſt illum pœnitet, & quare. *ibid.* Quartò dat Faſtis nomen. 222. I. Antequam Imperii Quinquennalia celebrare poſſit, tumultu militari occiditur. 222. II. Imperii & vitæ curſus expenduntur. *ibid.*

Eleuthera, falsò Diocletiani uxor dicta 294. III.

Eleutherus Papa poſt Soterem regit Eccleſiam. 177. XI. E vivis excedit. 185. III. & 192. III. Dies ordinationis & mortis, duratio itidem Sedis annotantur. 192. III. Unica ejus Epiſtola Decretalis ad Galliæ Epiſcopos directa, ſuppoſitionis notatur. *ibid.*

Emmelia, Sancti Baſilii mater, anno CCCLXX moritur. 370. VIII. Ejuſdem annus obitualis ex Baſilii morbo innoteſcit. 370. X.

Encratitæ Hæretici à Tatiano ducunt originem. 172. III.

Epheſinum Concilium à Chryſoſtomo coactum, ad annum quadringenteſimum primum attinet. 400. VIII. Quot in eo fuerint depoſiti Epiſcopi, indicatur. *ibid.*

Ephrem extra ordinem à Baſilio ordinatur. 378. III. Mortis ejus tempus ſtatuitur. *ibid.*

Epiphanius, quo annò *Panarium*, ſeu librum *adverſus hæreſes*, ſcripſerit. 375. IX.

Epiſcopi olim per *Preſbyteros* ſignificati. 39. VIII. *Papa* etiam nomine inſigniti. 163. III.

Epiſcopi Galli poſt Concilium Ariminenſe Legatos ad Conſtantium, ut ceteri, non mittunt, & quare. 360. XI. & 362. XXIII.

Epiſtolæ Decretales veterum Romanorum Pontificum, ut legitimæ & genuinæ per Eccleſiam ſparſæ, & à quo ſic divulgatæ. 100. IV. Ab Hæreticis primùm, præſertim Wicleſo, impugnatæ. 100. V. A Catholicis ſuppoſitionis accuſatæ. *ibid.* Quibus fundamentis innixi, hi ſic ſenſerint, explicatur. 100. VI. Auctor earum incertus. 100. VII.

Epocha prior Antiochena, quo cœperit anno. 39. III.

Epocha *anni novi ſacri*, quare ſic cognominata. 81. III. Unde deſumenda. *ibid.* Sub quibus Imperatoribus, quibúſve in regionibus uſurpata. *ibid.* & IV.

Epocha ab excidio Hieroſolymitano deſumta Baronii Chronologiam minimè confirmat. 147. II.

Equites non rarò Senatores creati. 94. II.

Equitius Faſtis in Oriente dat nomen. 374. I.

Era Chriſtiana à Conſulatu Caii Cæſaris inchoanda. *App.* CLII. & 1. III. A Dionyſio Exiguo in Occidentem invecta. 1. IV. Varia ſortitur initia. *App.* CXXXIX. & 1. IV.

Era Diocletianea, ſeu Martyrum, Actiacæ ſubrogata. 284. V. Quo anno & die inchoata. *ibid.*

Eræ Incarnationis duæ diſtinguendæ. *App.* CXXXIX.

Eſſeni non iidem qui Therapeutæ. 62. III. Diviſi in Practicos, & Theoreticos. *ibid.* Quas regiones incolerent, deſignatur. *ibid.*

Etruſcillam Herenniam, non autem Herenniam Salluſtiam, neque Saluſtiam Barbiam Orbianam, uxorem Decii Aug. fuiſſe, Nummis comprobatur. 251. XXIX.

Evagrii Pontici plurima Scripta recenſentur. 388. XVI.

Evagrius, Epiſcopus Antiochenus, Paulino ſuccedit. 389. VII. Unus & idem eſt qui cum Sancto Euſebio in Italiam venit, contra Auxentium inſurrexit, & in locum Paulini fuit ſubrogatus. *ibid.*

Evangelium etiam in America annuntiatum. 42. II.

Evariſtus poſt Anacletum Pontifex Romanus eligitur. 95. VI. Ad Superos tranſit. 108. VI. & 119. II. Quot annis ſederit, aſſignatur. 119. II. Decretales duæ ipſius nomine inſcriptæ, ſuppoſititiæ. 119. III.

Euchariſtia ad abſentes mitti ſolita. 313. XV. A prioribus Eccleſiæ Fidelibus *Fermentum* ſimpliciter appellata. 313. XVI.

Eucherius *Flavius* annum in Oriente aperit. 381. I.

Eudoxia, Arcadii Aug. uxor, quo anno Auguſta renuntiata. 400. XI.

Eudoxius, Leontio Antiochiæ Epiſcopo defuncto, illius Sedem occupat, & quo anno. 356. XIV. Ab Antiochena Eccleſia ad Conſtantinopolitanam transfertur. 359. IV. Moritur, mortiſque tempus, & Sedis duratio indicantur. 370. VI.

Eugenius in Syria tyrannidem arripit, dum Diocletianus Chriſtianos perſequitur. 312. XV. Hincque occaſio data novi Edicti adverſus Eccleſiarum Antiſtites ab eodem Auguſto promulgati. *ibid.*

Eulalius, Arianus, poſt Paulinum Antiochenæ Eccleſiæ admovetur. 340. XX. Tribus tantùm menſibus ſedet. *ibid.*

Eunomiani teſtamenti factione privati, ad eam à Theodoſio Magno reſtituuntur, iterumque ab Arcadio eâdem ſpoliantur. 394. V.

Evodius Conſulatum in Occidente gerit. 386. I.

Euphrates duo, Colonienſes Epiſcopi, non confundendi. 346. VI.

Euphratio, Balanearum Epiſcopus, Euſebianorum fraudibus in Synodo Conſtantinopolitana exulare juſſus. 336. V.

Euphronius, Arianus, Eulalio in Sede Antiochena ſubrogatur, annoque tantùm & paucis menſibus poſt ordinationem, ſuperſtes vivit. 340. XX.

Eureſius, Epiſcopus, Luciferi ſectator, hæreſi & à Damaſo Papa, & ab Arcadio Auguſto notatur. 395. VI.

Euſebia, Conſtantii Aug. uxor ſecunda, quo anno illi deſponſata. 356. VII.

Euſebius Nicomedienſis, quo Conſtantinum Magnum baptizavit tempore, non adhuc Arianiſmum profitebatur. 324. XII. Formulæ Fidei Nicænæ ſubſcribit. 325. XIX. Condemnationi tamen Arii ſubſcribere recuſat. *ibid.* Exilio mulctatur. 325. XXII. & 329. III. Non duos, ſed unicum tantùm ſatisfactionis libellum offert, & hoc non Concilio Nicæno. 325. XX. & XXI. In particulari Concilio à Conſtantino collecto deponitur, non à Nicæno. 325. XXI. & XXII. Ab exilio revocatur. 327. V. Pòſt Catholicos Epiſcopos vexat; at Alexandrum, utpote jam mortuum, deponere non poteſt. *ibid.* Ad Julium Papam pro cauſa Athanaſii Legatos mittit, ſed ante Concilium Antiochenum. 339. II. IV. & V. Julio item Papæ judicium cauſæ Athanaſii per eoſdem Legatos offert. 339. III. Ad Sedem Conſtantinopolitanam tranſit, hujuſque tranſlationis annus indicatur. 340. XIX. E vivis excedit. 342. XIV. Arianorum partes licèt ſemper foverit, pacem nihilominus cum Julio & Eccleſia Catholica ad obitum uſque retinuiſſe, oſtenditur. *ibid.*

Euſebius Cæſarienſis Arianæ hæreſi favet ante Concilii Nicæni celebrationem. 318. XIII. & 325. XXV. Poſtea ad Catholicos accedit. 325. XXV. An inter Arianos, vel Catholicos annumerandus ſit, incertum. *ibid.* Orationem in Tricennalibus Conſtantini Magni habet. 335. III. At non ipſa Tricennaliorum die. *ibid.* Quo autem anno eam recitaverit, aperitur. 336. III. Illius Chronicon ad quem uſque annum perductum ſit, quóve anno oblatum, indicatur. 325. XLII. Quo item anno Hiſtoriam ſuam publicarit, oſtenditur. 326. XII. Agapio in Eccleſia Cæſarienſi prædeceſſori immediatè ſuccedit. 340. XXI. Moritur. *ibid.* In Sanctorum numerum nullo modo reponendus. 340. XXII. Error contrarius profligatur, ejuſque origo

detegitur. *ibid.* Librorum Vitæ Conſtantini Auctor Euſebius demonſtratur. 240. XXIII.
Euſebius Preſbyter, & ſocii, pro Chriſto ſub Valeriano occumbunt. 256. XVI. Acta tamen illorum martyrii mendoſa, ita ut ex illis initium Valerianeæ perſecutionis colligi non poſſit. *ibid.*
Euſebius, Romanus Epiſcopus, Marcello ſuccedit. 309. V. 310. VII. & 311. XVII. Mortalitatem explet. 311. XVII. Menſes quatuor, dies ſedecim ſedet. *ibid.* Decretales ejus adulterinæ. 311. XVIII.
Euſebius, Collega Rufino, intra Italiam Faſtis dat nomen. 311. I.
Euſebius annum aperit. 347. I.
Euſebius *Flavius* Conſul ordinarius procedit. 359. I.
Euſebius Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus, & S. Baſilii immediatus deceſſor, ipſe eſt, quem die XXI Junii colit Eccleſia. 340. XXII. & 370. XV. Ejuſdem ſanctitas declaratur. 370. XV. Mortis annus & genus aperitur. *ibid.*
Euſtathius ſine tumultu creatur Antiochenus Epiſcopus. 324. XXII. & XXIII. Hujus inaugurationis annus indicatur. *ibid.* Quandonam tumultus contra ipſum excitatus fuerit, aperitur. 324. XXII. Quo pacto Nicænæ Synodo præfuiſſe dicatur. 325. XII. & XIII. In Antiochena Synodo deponitur. 327. III. & 340. XVIII. Exilio itidem mulctatur. *ibid.*
Eutropius, Epiſcopus Hadrianopoleos, in Synodo Conſtantinopolitana ab Euſebianis celebrata exul amandatur. 336. V.
Eutropius, Arcadii Cubiculariis præpoſitus, primus inter illos Conſulatu ornatur. 399. I. Paulò pòſt dignitatibus exuitur, in Cyprum relegatur, & capite plectitur. 399. II. Baronii error circa tempus hujus ad Eccleſiam confugii detegitur. *ibid.*
Eutychianus, Romanus Pontifex, die quinta Januarii anni CCLXXV Felici ſuccedit. 274. III. & 283. VI. Sedis tempus, mortiſque dies aſſignatur. 283. VI. Inter Confeſſores ſolùm numerandus venit hic Sanctus Antiſtes. *ibid.* Decretales ejus ſuppoſititiæ. 283. VII. & 296. IV.
Eutychianus in Oriente Conſul ordinarius procedit, Præfectuſque Prætorio creatur. 397. I.
Extorres: qui ſic à Cypriano appellati. 250. IX.
Extricatus *T. Meſſius* ſecundum gerit Conſulatum. 217. I.

F

FABIANUS *L. Annius* Faſtis dat nomen. 201. I.
Fabianus Antero ſuccedit in Pontificatu Eccleſiæ Romanæ. 236. IV. Sub Decio martyrii palmam obtinet. 250. VII. & 251. II. Quo die mortuus fuerit, & quandiu ſederit, indicatur. *ibid.* Vacantis poſt ipſum Sedi diuturnitas ſtabilitur. *ibid.*
Fabius, Antiochiæ Epiſcopus, Concilium adverſus Novatianum indicit. 252. IV. Ante ejuſdem celebrationem moritur. *ibid.*
Facundus annum aperit. 336. I.
Falco *Q. Soſius* Conſulatu ordinario decoratur. 193. I.
Faltonia Proba Poëtria, diverſa ab Anicia Faltonia Proba. 395. II. III. & IV.
Fames Romæ oritur ſecundo Claudii Imp. anno, ſæpeque graſſatur. 42. VII.
Fames ſub Carino II, & Numeriano Conſulibus, ab Idacio ſolo memorata. 284. VIII.
Fames quæ Cappadociam & Phrygiam vexavit, & de qua Gregorius Nazianzenus, unita tantùm fuit. 367. IV. & 370. VII. Quandonam ſævierit, indicatur. *ibid.*
Faſcianus *C. Albius* ſecundum gerit Conſulatum. 193. I.
Faſtorum emendatio à quibuſdam Auctoribus fruſtra tentata. 280. II. & *ſeqq.* A Noriſio Viro Clar. perfecta. 280. VI.
Fauſta, Herculii Maximiani filia, Conſtantino Magno in uxorem data. 307. IV.
Fauſtina ſenior, Antonini Pii uxor. 139. III. Moritur. 140. II. Mortis annus certus ex Numiſmatibus redditur. *ibid.*
Fauſtina junior, ſponſa Marci Aurelii. 139. III.
Fauſtina Conſtantii Aug. uxor tertia. 336. VII. & 361. I.
Fauſtinus & Jovita, ubi & quo anno martyrium fecerint. 120. III. & 134. II.
Fauſtinus *M. Acilius* annum aperit. 210. I.
Fauſtinus Epiſcopus Lugdunenſis Cyprianum ſollicitat, ut ad Stephanum Pontificem Romanum de cauſa Marciani Arelatenſis ſcribat. 254. II.
Fauſtinus Conſulatu ordinario decoratur. 262. I.
Fauſtus *Anicius* ſecundùm Conſul procedit. 298. I.
Felicianus annum aperit. 337. I.
Feliciſſimus Cypriano ſemper infenſus, ipſo Cypriano inſcio, Diaconus ordinatur. 250. XIV. Idem eſt qui Sedi Cypriani jam fuerat adverſatus, & ſchiſmatis auctor extiterat. 250. XVI. Cum ſociis à Cypriani Vicariis excommunicatur. 250. XVII. Hujus excommunicationis cauſa adducitur. *ibid.* Iterum à Concilio Carthaginienſi communione privatur. 251. XXII.
Felix *L. Sulla* Conſulatum ordinarium gerit. 43. I.
Felix hujus nominis Papa primus Dionyſium Romanum Pontificem poſt unius totiùm diei Sedis vacationem excipit. 269. VIII. & 271. IX. Annis quatuor, menſibus undecim, diebus viginti quinque ſedet, & moritur. 274. II. Ordinationis & mortis dies annotantur. *ibid.* Vicariatus hujus Pontificis ſub Dionyſio prædeceſſore, omnino ſuppoſititius. 274. III. Poſt ejus mortem vacavit Sedes dies tredecim, non verò quinque. *ibid.* Tres Decretales illi attributæ, commentitiæ. *ibid.*
Felix II ab Arianis, exulante Liberio, ordinatur. 357. XIV. Sedet annis tribus plus minùs. *ibid.* Sede pulſus moritur. *ibid.* Inter ſummos Pontifices & Martyres collocandus. 355. III. & 357. XIV. Quomodo Martyr dici poſſit, explicatur. 357. XIV.
Felix, Aptungenſis Epiſcopus, *Traditionis* à Donatiſtis inſimulatus, purgatur. 314. XVI.

BIBL. ROM.

Felix, Epiſcopus Trevirenſis, floret. 386. IV.

Feſtorum duplicium appellatio ſeculo tantùm decimo tertio cœpiſſe videtur. 315. IV.

Fidei Formula prima, quæ in Concilio Antiocheno dicitur edita, cujus initium eſt, *Nos neque ſequaces Arii fuimus*, ſolis Euſebianis ſe ad Concilium præparantibus adſcribenda. 341. XIII.

Fidei Formula ſecunda in eodem Concilio Antiocheno conſcripta, non ab Euſebianis doloſè agentibus edita, ſed à toto Concilio. 341. XIV. Eaque Arianæ hæreſi oppoſita demonſtratur. 341. XV.

Fidei Formula tertia in eodem à Theophronio Tyanenſi Epiſcopo compoſita & promulgata, ab Orthodoxis etiam Epiſcopis fuit ſubſcripta tanquam Catholica. 341. XVII. Unde petenda ſit illius condendæ cauſa, inſinuatur. *ibid.*

Fidei Formula quarta Concilio Antiocheno adſcripta, non à Concilio, ſed ab Euſebianis quibuſdam poſt illud exarata, & quare. 341. XXXI. & XXXII.

Fidei Formula quinta, *μακρόστιχος* nominata, quo anno ab Arianis, ſive Euſebianis contexta. 344. II. & 345. III. Ad Occidentales Epiſcopos miſſa, & ab iiſdem recuſata. 344. II. & III.

Fidei Catholicæ Symbolum, quod incipit, *Quicumque vult ſalvus eſſe*, falsò adjudicatur Divo Athanaſio. 340. VI. Conjecturæ contrariæ evertuntur. 340. VII. Auctor illius detegitur. 340. VIII.

Fides ſecundo tantùm poſt Chriſtum ſeculo in Africa diſſeminatur. 42. V. Quo tempore primùm in Galliis prædicata. 254. VI. Qui hoc tardiùs factum fuiſſe, ex Vita S. Saturnini deducunt, refelluntur. *ibid.*

Flaccus *C. Norbanus* Faſcibus illuſtratur. *App.* LXXXIV.

Flaccus *C. Norbanus* Faſtis dat nomen. *App.* CVIII.

Flaccus *C. Norbanus* Conſulatu ordinario decorus. 38. I.

Flaccus annum aperit. 174. I.

Flavia Domitilla Clementis Conſulis neptis, in inſulam Pontiam juſſu Domitiani deportatur. 95. II. & 96. II.

Flavianus per factioſos in locum Meletii Antiocheni Epiſcopi demortui ſubſtituitur, ejuſque occaſione ſchiſma in Eccleſia Antiochena oboritur. 381. IX. Veniam Antiochenſibus à Theodoſio impetrat. 388. VII.

Florentius init Conſulatum. 361. I.

Florentius, Præfectus Prætorio, Theodoſio juniori ſuadet ut Chryſargyrum Conſtantinopoli aboleat. 330. VI. Et ne quid Principis ærario ex hoc depereat, prædia ſua tributo ſubſignat. *ibid.*

Florianus Romæ Imperator dicitur. 276. VII. Cum Probo Aug. de Imperio contendit. 276. IV. A ſuis apud Tarſum interimitur. 276. VIII.

Folles, quos Conſtantinum Magnum clariſſimis Viris tributum impoſuiſſe, ſcribit Zozimus, duplicis generis. 330. VII.

Forma regendi Imperii per Conſtantini Magni tempora uſurpata, expenditur. 335. VII.

Formæ tres in Imperio Romano adminiſtrando adhibitæ, & uniuſcujuſque duratio explicatur. 161. V.

Formula inſcripta, SIC. X. SIC. XX. quid ſignificet, & à quo primùm introducta fuerit, indicatur. 312. VII.

Formula, POST CONSULATUM SERGII & NIGRINIANI, anno CCCLI, quo nulli in Orbe Romano Conſules proceſſere, uſurpata. 351. I.

Forum Trajani in hujus Imperatoris Quindecennalibus dedicatum. 105. III. & 112. II.

Fronto *M. Julius*, non Frontinus, creatur Conſul. 100. I.

Fronto *M. Aufidius* Conſul. 199. I.

Fructuoſi Tarraconenſis Epiſcopi & ſociorum martyrium ſub Æmiliano & Baſſo Coſſ. rectè conſignatum, perperam in alium annum diſtrahitur. 258. VIII.

Fulvus *T. Aurelius* dat nomen Faſtis. 85. I. Secundùm init Conſulatum. 89. I.

Furius Celſus, Alexandri Aug. Legatus, bellum feliciter in Mauritania Tingitana gerit. 229. VIII.

Furnius *C.* Faſcibus decorus. *App.* CXV.

Fuſcus ſecundùm Conſul procedit. 225. I. Cum nota numerali proferendus. *ibid.*

G

GAÏNAS interficitur, ejuſque caput haſtili præfixum, Conſtantinopolim aſportatur. 400. VI. Hujus mortis annus & menſis ſtabilitur. *ibid.*

Gaïſo, Collega Magnentio Tyranno, Romæ & in aliis Provinciis, quæ Magnentio parebant, Faſtis dat nomen. 351. I.

Galba *C. Sulpicius* annum aperit. 22. I.

Galba *Servius Sulpicius* Conſulatum init. 33. I. *Servius*, non *Lucius* in Faſtis vocandus. *ibid.* In Hiſpaniis Proconſul rebellat, & Imperium à Vindice oblatum arripit. 68. I. Poſt mortem Neronis ipſi ſuccedit. 68. IV. Conſul procedit. 69. I. Necatur. 69. II. Dies mortis, & Imperii duratio recenſentur. *ibid.*

Galerius Maximianus Cæſar creatur, & Poteſtate Tribunitia inſignitur. 292. II. 293. & 302. II. Annus hujus renuntiationis annotatur. *ibid.* Conſulatum primum anno uno dilatum gerit. 294. I. Conſul ſecundùm procedit, & Quinquennalia Cæſarei Imperii edit. 297. I. & II. Perſas, adverſus quos à Diocletiano miſſus fuerat, debellat. 297. IV. Perſecutionem in Chriſtianos à militibus inchoat. 297. III. & VI. Tertium init Conſulatum. 300. I. Annum quartò aperit, & Imperii Cæſarei Decennalia celebrat. 302. I. & II. Diocletianum artibus impellit, ut in Chriſtianos ſæviat. 302. VI. Quintùm Conſul adhuc Cæſar. 305. I. & II Auguſtus renuntiatur; & quo anno id factum, ſtabilitur. 304. V. Imperium cum Conſtantino Chloro partitur, novamque regendi Imperii formam inſtituit. 304. VII. De Imperio deponendo cogitat. 305. VI. In Fideles diriſſimè ſævit. 305. VII. In Romanos itidem. 305. VIII. Hoſque vectigalibus opprimit. 305. IX. Conſul ſextùm, tum propter adeptam anno ſuperiori Auguſteam dignitatem, tum propter Imperii Cæſarei Quindecennalia. 306. I. & II. Conſtan-

tinum Conſtantii Chlori filium Cæſarem nuncupat, invitè tamen. 306. IX. Eodem tempore *Severum* Auguſtum dicit. *ibid.* Romam obſidet. 307. III. Septimò extra Italiam annum aperit. 308. I. Octavùm Conſul in toto Orbe Romano, exceptâ Italiâ, & ſolus. 311. I. Pro edendis Vicennalibus intolerabiles exactiones fieri jubet, ea tamen non exhibet. 311. X. & XII. Lethalis illius morbus deſcribitur. 311. XI. Morti proximus Edictum in favorem Chriſtianorum emittit. 311. XI. & XII. Nicomediæ moritur. 311. XII. Quot annis imperaverit, enuntiatur. *ibid.* & XIII.

Galilæorum nomen Chriſtianis non impoſitum, niſi ſub Juliani Apoſtatæ temporibus. 56. III.

Galla, Valentiniani ſenioris ex Juſtina filia, Theodoſii uxor. 385. VI. Ipſam inter & Arcadium privignum diſſidium obortum narratur. 390. XI. Annus illius emortualis aſſignatur. *ibid.*

Galliarum variæ diviſiones ad Chronologiæ intelligentiam neceſſariæ adducuntur. 374. VII. VIII. IX. X. & XVI. Quæ contra quartam earum ſub Honorio factam dicit Queſnellus, exponuntur & refutantur. 374. XV.

Gallicanum Concilium incerto loco habitum cogitur. 376. III. Quo fine celebratum ſit, examinatur. *ibid.*

Gallicanus init Conſulatum. 127. I.

Gallicanus Conſul creatur. 150. I.

Gallicanus *Ovinius* Faſtis dat nomen. 317. I.

Gallicanus annum aperit. 330. I.

Gallicarum Provinciarum, & civitatum in iis contentarum Notitia exhibetur. 374. XI. & XII.

Gallienus Valeriani Aug. filius, *Ignatius* etiam dictus. 259. IV. Auguſtus ipſo Imperii patris initio creatur. 255. XV. Faſtis dat nomen. 254. I. Iterum Conſulatum aſſumit. 255. I. Tertiò annum aperit. 257. I. Exhibet Quinquennalia. 257. II. Perſecutionem in Chriſtianos excitat. *ibid.* Iiſdem poſtea pacem concedit. 259. XI. & 261. IV. Quartùm Conſul procedit, & qua occaſione. 261. I. Conſul quintùm, Decennalia celebrat, ſed antequam magiſtratum abdicet. 262. I. Sextùm Conſul procedit. 264. I. Poſt victos ab Odenato Palmyrenorum Rege Perſas, de iis triumphum agit. 264. II. Septimò Faſces ſuſcipit, & edit Quinquennalia. 266. I. Circa Mediolanum per inſidias necatur, ſed mortis dies incompertus. 268. II. Quot annis imperaverit, exhibetur. 268. III.

Gallienus junior, ex Gallieno Valeriani nepos, Cæſar dicitur, hujuſque nuncupationis tempus aſſignatur. 255. XV. & 259. III. Saloninus & Cornelius Valerianus appellatus. *ibid.* Diſtinguendus attamen à Valeriano Gallieni Auguſti fratre. 255. XIII. Ejus Conſulatus cum Valeriano à Vopiſco memoratus, ſuffectus tantùm fuit, nec de Gallieno patre poteſt intelligi. 259. V. In Gallias, ut eas regeret, amandatus, à Poſtumo necatur. 260. II. Quo anno hæc mors acciderit, aperitur. *ibid.* A Gallieno patre apotheoſi donatur, *Auguſti* tamen titulum non recipit. 260. III. Cur ſub *Aureliani* nomine *Auguſtus* aliquando in Nummis ſit appellatus, exprimitur. *ibid.*

Gallus *Ap. Annius Trebonianus* Conſul. 108. I.

Gallus *C. Sextius* Conſulatu decoratur. 35. I.

Gallus Faſces ſuſcipit. 174. I.

Gallus *C.* init Conſulatum. 198. I.

Gallus poſt Decii interitum Auguſtus creatur. 251. XXXI. Antequam Imperium adeat, Conſulatum ſuffectum gerit. 252. I. Conſul ſecundùm procedit. *ibid.* Perſecutionem in Chriſtianos edicit. 252. VIII. & XIV. Annos circiter duos imperat. 253. X. A propriis militibus circa menſem Maium trucidatur. *ibid.* Ejus cædes ab anno Chriſti CCLIII nullo modo removenda. 253. XI. Quæcumque contraria refelluntur. *ibid.* & XII.

Gallus *L. Aſinius* Faſtis dat nomen. *App.* LXXXIX.

Gallus *C. Aſinius* Faſcibus inſignitur. *App.* CXVI.

Gallus *Severus* annum aperit. 298. I.

Gangrenſis Synodus celebratur. 319. IV. Huic non præeſt Hoſius, ſed ſolùm intereſt. *ibid.* Ejus epocha adducitur. 319. VI. & 357. XIII.

Gangrenſis Synodi in cauſa Euſtathii habitæ tempus exprimitur. 360. VIII.

Gazenſibus autonomia datur, & quando. *App.* LVI. Horum epocha quo anno ſit inchoanda, Numiſmata demonſtrant. *ibid.*

Geminus *C. Fuſius* Conſul. 29. I. Perperam *Fuſius* appellatus. *ibid.*

Geminus *Rubellius* init Conſulatum. 29. I.

Gentianus *Pollianus* Faſtis dat nomen. 211. I.

Gentiles diverſis in locis Conventus agunt. 162. VI. Quid in ipſis agerent, explicatur. *ibid.* Ad Luſtrorum ſacrificia Chriſtianos cogendi à Conſtantino Magno prohibentur. 323. II.

Gentiles Africani Chriſtianos in colonia Sufectana & Calamæ vexant, diverſis attamen annis. 399. VIII.

Georgius ab Arianis in Concilio Antiocheno adunatis miſſus, Alexandrinam Eccleſiam, Athanaſio pulſo, & adjuvante Philagrio filio, Ægypti Præfecto, anno CCCLVI occupat. 341. XXX. & 354. IX. Scelera in ejus enthroniſmo patrata recenſentur. 356. VII. Tempus, quo Alexandriam advenit, indicatur. 356. VIII. Ab Alexandrinis, audito Artemii martyrio, interemtus. 362. IX.

Germanicum bellum ſub M. Aurelio & filio Commodo Augg. malè à ſuo loco diſtractum. 178. II. Quo anno geſtum fuerit, exhibetur. *ibid.*

Germanicum bellum primum ſub Alexandro Aug. fervente Perſico actum. 229. VIII. & 230. IV.

Germanicus *Nero Claudius Druſus* Conſulatum init. *App.* CXVI.

Germanicus Quæſturam gerens, in Pannoniam ab Auguſto mittitur, & Dalmatas aliquot damnis afficit. 7. III. In Germania cum Tiberio bellum gerit. 2. XIII. At non tanquam Proconſul. 2. XIV. Romam revertitur, Conſulque creatur. 12. I. Con-

ſul ſecundùm procedit. 18. I. In Orientem legatur, ut motus componat. 17. III. Arte Piſonis extinguitur. 19. III.

Gervaſii & Protaſii reliquiarum inventio quo tempore facta. 387. V. Quo item die tranſlatæ. *ibid.*

Geſſius Florus, Judææ Procurator, contra Judæos ſævitiam & rapinas exercet, atque ab iis pugnâ vincitur. 66. IV.

Geta, Severi Aug. minor natu filius, quo anno Cæſar renuntiatus. 195. III. & 198. VI. *Imperator* primus inter Cæſares dictus. 198. VI. Togam virilem aſſumit, ſimulque Imperii Cæſarei Quinquennalia exhibet. 203. III. Cum patre Severo & fratre Caracalla triumphat. 203. V. Conſulatum aſſumit. 205. I. Secundò Conſul procedit. 208. I. Quo anno Auguſtus nuncupatus fuerit. *ibid.* & 208. III. Decennalia Cæſarei Imperii edit. 208. III. A Caracalla fratre occiditur. 212. II. Quo autem die hæc mors evenerit, indicatur. *ibid.* Getam nunquam Auguſtum dictum fuiſſe, contra aliquos oſtenditur. *ibid.*

Geta *P. Septimius* Conſul. 203. Diverſus à Geta Severi Auguſti filio. *ibid.*

Getulicus *Lentulus* Conſulatum gerit. 26. I.

Gildo Comes & utriuſque militiæ per Africam Magiſter à Theodoſio creatus, Imperium Occidentale turbat. 396. II. & 398. VI. Rebellionis annus indicatur. *ibid.* Bellum contra ipſum paratur. 397. XXII. Debellatus ſeſe ſtrangulat. 398. VII. Qua anni tempeſtate id acciderit, ſtabilitur. 398. VIII. & IX.

Glabrio *M. Acilius* annum aperit. 91. I.

Glabrio *M. Acilius* init Conſulatum. 124. I.

Glabrio *Sex. Acilius* Faſcibus illuſtratur. 152. I.

Glabrio *M. Acilius* Conſul procedit. 186. I.

Glabrio *M. Acilius* Faſtis dat nomen. 256. I.

Gladiatorii Ludi à Conſtantino in Oriente prohibiti, per reliquum Orbem Romanum adhuc vigent. 325. XLI. A quibus Imperatoribus fuerint poſtea modificati, & omnino ſublati, indicatur. *ibid.*

Glorificationis Hymnus, à quo principium habuerit, & quando uſurpari cœperit. 325. XXXVIII.

Gnoſticorum hæreſis quandonam agnita. 381. XII.

Gordiani, tam ſenior, quàm Junior, Imperatores in Africa renuntiantur. 236. V. Quo anno facta hæc nuncupatio. 236. VI. & VIII. & 237. II. Eclipſis, quæ in illorum promotione accidit, memoratur. 236. VI. Occiduntur. 236. VII. Imperii eorum duratio aſſignatur. 236. VI. & VII. *Antonii*, non *Antonini* nomen utrumque tuliſſe, Nummi docent. 236. VII.

Gordianus III. Gordiani ſenioris ex filia nepos, Cæſar deſignatur. 237. II. & 238. III. Auguſtus dicitur. 238. VII. At nonniſi poſt Balbini & Pupieni necem *Auguſti* titulum reportaſſe, fit manifeſtum. 238. VII. & VIII. Eclipſis viſa poſt hujus nuncupationem, Imperii ejuſdem brevitatis nota. 238. IX. Faſtis dat nomen, & qua de cauſa. 239. I. Secundùm Conſul procedit. 241. I. Imperii Cæſarei Quinquennalia edit. 241. II. Auguſtei Quinquennalia celebrat. 243. II. Juſſu Philippi Aug. occiditur. 244. II. Quot annis imperaverit, quâve die mortuus fuerit, Numiſmata demonſtrant, & Leges ab eo emiſſæ. *ibid.*

Gordianus, non Condianus, Conſul procedit. 151. I.

Gothi ſub Conſtantino Magno in Imperium Romanum erumpunt. 318. IV. Ab Hunnis pulſi, in Romania à Valente Aug. ſuſcipiuntur, & quo anno. 376. IV. & 381. II.

Gothici belli à Valente Aug. ſuſcepti epocha ſtabilitur. 366. III. Quanto tempore illud duraverit, inſinuatur. *ibid.* & 369. XIII. Pace cum Athanarico facta, finem ei Valens imponit. 369. XIII. Gothiſque denuo excurſiones in Thraciam facientibus, redintegratur. 375. V. & VI.

Gothicum bellum ſub Claudio Aug. quo anno finitum. 270. II.

Gratianus, Valentiniani filius, *Nobiliſſimus Puer* à patre declaratur, ideoque Faſtis dat nomen. 366. I. Auguſtus creatur. 367. III. Annum iterum aperit, & Quinquennalia celebrat. 371. I. Tertiùm Conſul in Occidente procedit. 374. I. Decennalia exhibet. 374. I. & 375. I. Poſt patris mortem, etſi Valentinianum juniorem Collegam habeat, ſolus tamen Occidentale, quoad vixit Valens, adminiſtrat Imperium. 375. XIV. Provinciæ, quæ in Imperii cum eodem Valentiniano diviſione ei obtigerunt, enumerantur. *ibid.* Conſul quartùm, ob exhibenda Quindecennalia. 377. I. Anno CCCLXXVI Gratianum Romæ fuiſſe, ibique triumphum egiſſe, ſaltum. 377. IV. Imò eum hanc urbem nunquam ingreſſum, demonſtratur. *ibid.* Alemannos vincit, & quo anno. 378. IV. Edicto Mediolani emiſſo omnes hæreſes, Hæreticorumque cœtus prohibet. 379. V. Immunitatem Clericis negotiantibus concedit; eaque explicatur. 379. VI. Quintum aſſumit Conſulatum, ad quem ſeſe priùs, ob novum Orientis Imperium, deſignaverat. 379. I. Legem tertiam Codicis Theod. *De Apoſtatis*. Merobaude & Saturnino Coſſ. latam falsò ei adſcribunt aliqui. 381. III. Octavo Kal. Oct. anni CCCLXXXIII, Mallobaudis Magiſtri militum, non Merobaudis, proditione occiditur. 383. VI. Dies ejus natalis, vitæ & Imperii duratio aſſignantur. *ibid.*

Gratus *Annius* Conſulatu decoratur. 150. I.

Gratus Faſces ſuſcipit. 280. I.

Gregorii, S. Gregorii Nazianzeni patris, ætas diſcutitur. 354. VIII.

Gregorii Nazianzeni nativitatis tempus ſtabilitur. 354. VI. & *ſeqq.* Erroris contrarii fundamentum detegitur. *ibid.* Quoto vitæ anno Athenas reliquerit, indicatur. 354. VIII. Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ curam ſuſcipit; at ad illam non miſſus à Synodo Antiochena anno CCCLXXX coacta. 378. XV. Neque jam defuncto Baſilio, huic muneri incumbere cœpit. *ibid.* Ad Conſtantinopolitanam Sedem è prima, quam jam obtinuerat, transfertur; eaque tranſlatio à Damaſo Papa minùs probata. 379. VIII. Paucis tantùm hebdomadibus in ea ſedet, ſtatimque relinquit. 381. VIII.

Qui

Qui duodecim annis ſediſſe aſſerunt, exploduntur. *ibid.* Unde illis natus error hujuſmodi, aperitur. *ibid.* Anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo primo Gregorius mortuus demonſtratur. 389. IV. Quam ætatem ageret cùm obiit, indicatur. 389. V.

Gregorius ab Antiocheno Euſebianorum Conciliabulo Alexandrinus pſeudo-Epiſcopus creatus, hanc Eccleſiam, comitante Philagrio patre, Ægypti Præfecto, anno CCCXLI invadit. 341. XXX. & 342. II. Eam invaſionem diverſam eſſe à ſecunda per Georgium anno CCCLVI facta, ex ipſo Athanaſio demonſtratur. 341. XXX. Quo anno Gregorius è vivis exceſſerit, oſtenditur. 348. II. & 349. II.

Gregorius, Niſſæ in Cappadociâ Epiſcopus, quo anno, & à quo ordinatus. 369. XII.

Gregorius Bœticus, Epiſcopus Eliberitanus, an in Eccleſiæ communione deceſſerit, parum certum. 388. XIII. Tractatûs de Fide Gregorio Nazianzeno, & alterius etiam Tractatûs de Fide Nicæna Gregorio item Nazianzeno adjudicatorum probabiliùs Auctor cenſetur Bœticus. 388. XIV.

H

HADRIANUS in gratiam Trajani ab Athenienſibus Archontes creatur. 105. II. Adoptatur à Trajano, Conſulque creatur. 117. IV. Quo anno imperare cœperit, aperitur. 117. VII. Initio Imperii ſui, ut & alii, Imperator dictus. 117. XI. Conſul ſecundùm procedit, & qua de cauſa. 118. I. Primò Romam venit. 118. II. Ejus liberalitas. 118. III. Tertium init Conſulatum, & qua occaſione. 119. I. Dum hunc gerit, in Palæſtinam & Ægyptum venit. 119. IV. Adverſùs Sauromatas bellum inſtituit. 120. II. Hadrianopolim condit. *ibid.* Quinquennalia exhibet. 121. II. Natale Urbis celebrat, Templum Fortunæ extruit, diem antea *Parilia* dictum, Urbis Natalem cognominari jubet, Circumque condit, quem tribus obeliſcis exornat. *ibid.* Poſt Quinquennalia profectionem per Imperium inſtituit. 120. II. & 121. III. Quas regiones hoc anno peragraverit, quive in iis egerit, enuntiatur. 121. IV. Poſt Hiſpaniam perluſtratam Athenas & in Ægyptum tendit, Antinoumque urbem excitat. 121. III. Non tamen colonias hoc eodem anno in Lybiam deducit. 122. II. Aſiam luſtrat. 123. II. Per Aſiam & Inſulas ad Achaiam navigat. 124. II. Sacris Eleuſinæ initiatus, Athenienſibus multa largitur. *ibid.* Hanc initiationem rectè contignatam eſſe, oſtenditur. *ibid.* In Siciliam venit, indeque Romam. 125. II. Decennalia Imperii celebrat. 126. II. Multa horum ſolennium indicia aſſeruntur. *ibid.* & III. Perſecutioni jam antea in Chriſtianos indictæ Decennaliorum occaſione finem imponit. 126. III. Tertiò Romam redit, indeque in Africam tranſit. 126. V. Quartò Urbem ingreditur, ſtatimque Orientem versùs tendit. 127. II. Quæ in hac profectione egerit, narrantur. *ibid.* Aram ſibi adſtruit. *ibid.* Syriam iterum & Ægyptum perluſtraſſe, Nummis redditur manifeſtum. 128. Arabiam de novo Ægyptumque peragrat, hujuſque itineris adducuntur teſtimonia. 129. II. Pompeii tumulum magnificentiùs extruit. *ibid.* Quindecennalia edit. 131. I. Hieroſolymam inſtaurat, ibique Jovi Capitolino Templum dedicat. 131. III. & VI. & 119. IV. Quando hæc facta ſint, aperitur. *ibid.* & 131. V. Etſi nova in Chriſtianos edicta non emiſerit, ſub ipſo tamen Chriſtiani vexati. 134. III. Templa Chriſto ædificare nequidem cogitat. 134. IV. Undenam opinio contraria originem ſumſerit. *ibid.* Quo anno Romam ultimò advenTarit Trajanus, inquiritur. 134. V. & 136. II. Vicennalia exhibet, horumque occaſione L. Ceionium Commodum Cæſarem dicit & adoptat, Hieruſalem *Æliam* vocat, & perſecutionem in Fideles continuat. 136. II. Commodo extincto, Antoninum Pium adoptat, Cæſarem nuncupat, exornatque Imperio Proconſulari. 138. II. Obit. 138. III. Quot annis vixerit & regnarit, quave die mortuus fuerit, oſtenditur. *ibid.*

Hæretici privilegiis Clero conceſſis uti à Conſtantino Magno prohibentur. 326. VI.

Hannibalianus, ſeu Delmatius, Conſtantini Magni ex patre tantùm frater. 333. I.

Haſta *Q. Ninius* creatur Conſul. 114. I.

Haterius *Q.* Conſulatum gerit. 53. II.

Helena Adiabenorum Regina Judæis fame oppreſſis opitulatur. 42. VII. & 46. III.

Helena, Conſtantini Magni mater, in Vicennalibus Romanis filii Auguſta renuntiatur. 326. IX. Monetam charactere ſuo cuſam diſtribuere permittitur. *ibid.* E vivis Romæ, menſe Auguſto, excedit. *ibid.*

Helenopolis quo anno condita. 326. XI.

Helpidius Saluſtii Secundi in Orientis Præfectura deceſſor. 362. XXVII.

Helvius Pertinax, non Ælius, Præfecti ſolùm Urbi munere fungitur. 193. II. Ad Imperium evehitur. *ibid.* Primus inter Imperatores, qui ſimul cum Imperio honorificas omnes appellationes ſuſceperit. 193. IV. Quanto tempore vixerit regnaritque, quave die interfectus fuerit, enuntiatur. 193. II.

Heraclas, quo anno Demetrio Alexandrino Epiſcopo ſucceſſerit. 231. II. Origenem de Eccleſia pellit, fugatque de civitate Alexandrina. 246. III. Mortis annus indicatur. 246. IV.

Herennianus *L. Afidius* Conſulatu ordinario decorus. 171. I.

Q. Herennius Etruſcus Decius. *Vide* Decius Cæſar.

Hermogenes Hæreticus, in Africa non docuit. 168. V.

Hermogenes, Magiſter militum, à Conſtantio Aug. miſſus, ut Paulum, quem Conſtantinopolitani in Sedem reſtituerant, deponeret, à populo truncatur, & in mare præcipitatur. 342. XV.

Herodes Agrippa è vivis excedit. 44. II. Ei ſuperſunt tres filiæ, & filius Agrippa dictus. *ibid.*

Herodes, Antipatri filius, Galilæam curandam ſuſcipit. *App.* LXI. Quot annos tunc natus eſſet, ſtatuitur. *App.* LXII. & LXIII. Antonium ſibi conciliat. *App.* LXXV. Judææ Regnum à Senatu Auguſti & Antonii ope à Senatu recipit. Ejuſdem Re-

gni epocha duplex adducitur. *ibid.* Geſta ejus in Palæſtina, dum Antonius Athenis moraretur, recenſentur. *App.* LXXXI. Ab Auguſto in Regno confirmatur. *App.* XCVII. Ab ea tamen confirmatione anni ejus regni non deſumendi. *App.* XCVIII. Quæ in contrarium afferunt aliqui, rejiciuntur. *App.* XCIX. & *ſeqq.* Interit. *App.* CXXXIII. & 6. II. Regni & vitæ diuturnitas annotantur. *App.* CXXXIII.

Herodes *Ti. Claudius Atticus* Conſulatum ſuſcipit. 143. I.

Heſychius, Diaconus, pro Euſebianis in cauſa Athanaſii ad Julium Papam mittitur. 340. II.

Hiberus Faſtis dat nomen. 113. I.

Hiemis initium, juxta Hiſtoricos Græcos, aſſignatur. 160. V.

Hieronymus Martyrologii, quod vulgò Hieronymianum vocatur, minimè Auctor. 67. XVIII. Hujus Sancti Natalis aſſignatur. 371. IX. Ejuſdem Epiſtolæ ad Rufinum, cùm Monachi in Syria vexarentur, ſcriptæ, epocha memoratur. *ibid.* Diſſidium Hieronymum inter & Rufinum, quo anno exortum ſit, enuntiatur. 399. V.

Hieroſolyma à Judæis capitur. *App.* XXIX. A Romanis item, & quo anno id acciderit, ſtabilitur. *App.* LIV. Ab Herode expugnatur; expugnationis annus & tempeſtas adducuntur. *App.* LXXXIX.

Hieroſolymitana Eccleſia dedicatur. 335. V. Diverſa, quæ ſortita eſt, nomina indicantur. *ibid.*

Hieroſolymitanum Concilium, Apoſtolorum temporibus celebratum, pro Eccleſiæ Antiochenæ cauſa, ejuſque rogatu habitum. 56. III.

Hilarianus Conſul ordinarius procedit. 331. I.

Hilarionis Abbatis annus tam natalis, quàm emortualis indicantur. 371. XI.

Hilarius, Pictavorum Epiſcopus, quo anno in Galliam redierit, ſtabilitur. 360. II. Liber ejus contra Conſtantium ante hujus mortem in lucem emiſſus. 360. III. Alii ejuſdem Pontificis libri recenſentur. 360. IV. Concilium Pariſienſe & alia, ad evertendos Ariminenſis Synodi dolos, celebrari procurat. 362. XXIII. Contra Auxentium Mediolani Epiſcopum apud Valentinianum Aug. agit, & quo anno. 369. II. Mortalitatem exuit, mortiſque annus aſſignatur. 369. III. Dies, quo colitur, ad ejus tranſlationem referendus. *ibid.*

Hilarius, Romanæ Eccleſiæ Diaconus, Luciferianorum ſchiſmati adhæret. 362. XXII. Reſipiſcit. *ibid.* Libri ab illo editi recenſentur, & eorum aliqui ab hæreſi Pelagiana falsò ipſis attributa vindicantur. *ibid.* Tempus quo ſcripſit, annotatur. *ibid.*

Hillel, Babylonius, ex ſtirpe Davidica, quo tempore floruerit. *App.* XCIV.

Hippolyti Canon Paſchalis ad Chronologiam ſtabiliendam & confirmandam admodum utilis. 222. III.

Hipponenſis Synodi ex omnibus Africæ Provinciis, Theodoſio Aug. III & Abundantio Coſſ. habitæ, qualis ſit Epiſtola Synodica examinatur. 393. IV. & V. Tempus quo celebrata fuit, ſtatuitur. *ibid.* & 397. XIX.

Hirtius *A.* Conſul procedit. *App.* LXXI.

Honoratus, primus urbis Conſtantinopoleos à Conſtantio Aug. quinta Imperii Auguſtei Quinquennalia edente, Præfectus creatur 359. III. Ejuſdem Conſtantii juſſu Synodo Conſtantinopolitanæ præeſt. *ibid.*

Honorius Aug. Arcadii frater, naſcitur. 384. IV. *Nobiliſſimus Puer* renuntiatur, ſimulque Conſul deſignatur. *ibid.* Faſtis in Oriente dat nomen, & quare. 386. I. Auguſtus dicitur, & quando. 393. II. Annum iterum aperit. 394. I. Tertium in Oriente gerit Conſulatum, ob novum videlicet Imperium. 396. I. Fami ex Gildonis rebellione imminenti Lege occurrit. 396. II. Quartùm Conſul, Quinquennalia prioris Imperii Auguſtei celebrat. 398. I. Simulacra everti jubet, ſed ejus Comites Gaudentius & Jovius mandatum ampliantes, & ſimulacrâ evertunt, & Templa diruunt. 399. VI. Aurum Coronarium Judæorum Patriarchæ penſitari, ut moris erat, prohibet; & poſt annos paucos permittit. 399. IX. Brixiæ adverſus Donatiſtas Legem emittit. 399. X. In quo hæc conſiſtat, aperitur. *ibid.* Imperii poſt patris mortem initi Quinquennalia edit. 400. I.

Hoſius, Epiſcopus Cordubenſis, Chriſti Fidem coràm Præſide confitetur; at quo anno, incertum. 303. XI. Ex ejus tamen epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem, hoc, anno Chriſti c c xcvi accidiſſe, colligitur. 305. V. Illiberitanæ Synodo præeſt. *ibid.* A Conſtantino Magno, non à Silveſtro Papa Alexandriam mittitur pro componendis diſſidiis Alexandrum inter & Arium natis. 318. XV. Sancti Silveſtri nomine cum Preſbyteris Vito & Modeſto Nicænæ Synodo præſidet. 325. VIII. & IX. Ejus tamen in eo Concilio Præſidentia ab ejus meritis immeritò deducta. 325. XI. Quam celebre nomen Hoſii fuerit, explicatur. 325. X. In ſecunda Sirmienſi Synodo, Conſtantii Aug. metu, Arianæ Fidei Formulæ ſubſcribit. 357. V. Mortis ejus tempus indicatur. 357. X.

Hyginus Papa Teleſphoro ſuccedit. 137. VI. Moritur. 141. II. & 156. III. De anno hujus mortis controvertitur. 156. III. Quando tamen è vita migraverit, quantoque tempore ſederit, ſtabilitur. *ibid.* Decretales duæ, quæ ſub hujus Pontificis nomine circumferuntur, ſuppoſitionis ſuſpectæ. 156. IV.

Hypatius, Euſebiæ Auguſtæ frater, annum aperit. 359. I.

Hyrcanus *Joannes*, Simonis Summi Sacerdotis filius, Pontificatum Judæorum init. *App.* XXXIV. Bellum cum Antiocho Sotere gerit. *App.* XXXV. Summo Sacerdotio per annos viginti & novem functus, moritur. *App.* XLV.

Hyrcanus, Alexandri Jannæi filius, inter Judæos Pontificatum obtinet. *App.* LI. Regnum item eorum adipiſcitur; & quanto tempore regnarit, ſtatuitur. *App.* LII.

Hyrcanus à Cæſare Pontifex conſtituitur. *App.* LXI. A Parthis, Herodis precibus, dimiſſus. *App.* XCII. Ejuſdem Herodis juſſu trucidatur. *App.* XCVII.

I

JACOBUS Apoſtolus, cognomento Juſtus, morte affectus. 60. IV.
Januarius *Pomponius* Maximiano Herculio II Collega, Faſtis dat nomen. 247. I.
Januarius annum aperit. 328. I.
Iconienſis Synodus rebaptizationem ſtatuit. 255. XIII. Hujus Concilii epocha adducitur. *ibid.*
Ignatius, Epiſcopus Antiochenus, ſub quo, & ubi paſſus, ſupponitur. 108. III. & IV. Quo autem anno, à plurimis in dubium vertitur; ſed hoc martyrium anno Chriſti CXVI accidiſſe, demonſtratur. 108. III. & V. Hujus Sancti Martyris Epiſtolæ ab Euſebio laudatæ diu in controverſiam vocatæ, in præſens ut legitimæ acceptantur. 107. VII.
Illiberitanum Concilium, non ſuppoſititium, ut à multis creditum. 55. V. Quaſcumque imagines & picturas non prohibet, ſed Dei ſolius & Sanctiſſimæ Trinitatis tantùm. *ibid.* Sub Diocletianea perſecutione celebratum, anno attamen incerto. 305. V. Huic Hoſius Cordubenſis Epiſcopus præeſt. *ibid.*
Illyricianum Concilium Trinitatis Conſubſtantialitatem adſtruit. 365. VIII. Quo anno habitum fuerit, valde obſcurum; anno tamen CCCLXXI, aut CCCLXXII, & Damaſo Papa ſedente, collectum fuiſſe, probabilius. *ibid.* & 369. V. Imperatoriæ litteræ ad Epiſcopos Aſiaticos ſcriptæ, Synodicis hujus Concilii adjunctæ, Valentiniano, non Valenti Aug. tribuendæ. 365. IX. & X. Fundamenta ſententiæ oppoſitæ adducuntur, & refelluntur. 356. X. & *ſeqq.* Decretum ejuſdem Synodi de electione Epiſcoporum & aliorum Eccleſiæ Miniſtrorum adducitur. 365. XIV.
Illyricum totum Valentiniano ſubditum fuit. 365. IX. Variè illius adminiſtratio à variis Imperatoribus compoſita. *ibid.* Ejuſdem diviſio in Orientale & Occidentale, nonniſi Theodoſio Magno in Imperii conſortium vocato, accidit. *ibid.* & 380. IV. Et ante Valentiniani junioris cædem. 390. VI. Eaque diviſio à Gratiano Aug. facta. 380. V. Orientale Theodoſio pariſſe, demonſtratur. 380. VI. & 390. III.
Imaginum uſus in quatuor primis Chriſtianæ Religionis ſeculis non adeo frequens. 55. III. & V. Crevit aliquantulùm, quando nullam idololatriæ fuit periculum. 55. IV. At hoc non eodem tempore, ſed alibi citiùs, alibi tardiùs. *ibid.* Quinto demùm ſeculo talis uſus invaluit. *ibid.*
Imperatores, non quinto Kalendas Julias, ſed quinto Kalendas cujuſcumque menſis indiſcriminatim Cæſaribus Tribunitiam Poteſtatem conferunt. *App.* C IX.
Imperatores, ſi Quinquennalia & id genus feſta anticipent, vel differant, diem ſimilis denominationis cum die, quo ipſi, aut Collegæ Imperium ſuſcepere, pro iiſdem celebrandis aſſumunt. 284. VII. & 298. II.
Imperatores, Quinquennalium & id genus ſolemnium occaſione, filios *Cæſares* renuntiant, aut in conſortium Imperii Auguſtei aſciſcunt. 51. II. Hujus moris origo. *ibid.* Perſecutiones etiam eodem tempore in Chriſtianos excitare, vel ſedare ſolent. 64. II.
Imperatores, qui poſt Neronem & Domitianum Fideles exterminare voluerunt, nova rarò ad id emiſerunt Edicta, ſed ea Neronis & Domitiani vim habere præceperunt. 64. VI.
Imperatores Conſulatum ex præſcripto ſumunt. 379. IV. Idque ex Oratione Gratiano Aug. ab Auſonio dicta comprobatur. *ibid.* Idem firmiùs ex Themiſtii Oratione ad Theodoſium *De Pace & Conſulatu Saturnini*, ſtabilitur. 383. I.
Imperatores, ſi in Quinquennalibus, &c. Conſulatum non ineunt, in propinquos, vel viros Conſulares illum transferunt. 126. II.
Imperatores filios priùs *Conſules*, quàm *Cæſares*, aut *Auguſtos* deſignant. 176. III.
Imperatores, Commodi Aug. exemplo, tot Quinquennalia, &c. exhibent, quot modis ad Imperium ſunt vocati. 184. II.
Imperatores initio Imperii ſemel tantùm Conſulatum capeſſere ſoliti. 250. I. & 285. I.
Imperatoris titulus, ſi Imperatorum præponatur nomini, diverſum quid ſignificat à ſe ipſo, ſi dicto nomini poſtponatur. 98. IV. Præpoſitus non multiplicatur; poſtpoſitus verò multiplicatur, uti multiplicantur victoriæ ab Imperatoribus reportatæ. *ibid.* & 311. VI. Quibus inter Cæſares fuerit conceſſus, vel negatus iſte titulus, exhibetur. *ibid.* Auguſtis & Imperii Collegis datus. 117. XII. Sententiæ diverſæ de hoc titulo afferuntur. 117. VIII. & *ſeqq.* Sed refelluntur. 117. XII. Initio Imperii multiplicari non erat ſolitus. 117. XV.
Imperatorum uxores, quibus annis, quáve occaſione Auguſtæ renuntiatæ ſint, oſtenditur. 126. II.
Imperii Romani clades ſub Gallieno, quo anno acciderit. 262. IV.
Imperii regendi nova forma à Conſtantino Chloro & Galerio Maximiano inducta explicatur. 304. VII.
Imperii Romani nova à Conſtantino M. & Licinio, anno Chriſti CCCXIII facta diviſio exhibetur. 314. XXIV.
Imperium Romanum inter ſe partiuntur Conſtantini M. filii. 337. V. Quales Provinciæ unicuique contigerint, annotatur. *ibid.* Iterum Valentinianum inter & Valentem Augg. dividitur. 364. IV. Quæ Valentiniano, & quæ Valenti Provinciæ obtigerint, indicatur. *ibid.*
Inſcriptiones Imperatorum Gentilium in Chriſtianos aliquando tranſlatæ. 312. XIX.
Interpontificia quorundam Pontificum certò definire multùm difficile. 67. XXI. Et qua de cauſa. 130. III.
Joannes Apoſtolus nunquam in Aſiam cum Beatiſſima Virgine migravit. 42. III.
Joannes & Paulus martyrium ſub Juliano faciunt. 362. XXV. At illorum Acta à Surio recitata, pluribus ſpuria demonſtrantur. 330. IX. & 362. XXV.

Joannes Chryſoſtomus Eccleſiæ Antiochenæ Lector ordinatur. 382. II. Quibus Conſulibus hæc ordinatio facta ſit, & à quo, aperitur. *ibid.* Conſtantinopolitanus Epiſcopus creatur. 398. XIV.

Joſephus Judæorum Hiſtoriam rectè ſcribit. 14. III. Ejuſdem de Chriſto teſtimonium nullo modo ſuppoſititium. 32. XV. Libros Antiquitatum Judaïcarum, quo anno publicaverit, oſtenditur. 94. IV. In Chronologia Herodiana accuratus demonſtratur. *App.* XC. Circa annorum regni Herodis, & Archelai exilii conſignationem perperam ſeveriùs exceptus. *App.* CXXXIV. & CXXXV.

Jovianus Aug. Juliano in Imperio ſuccedit. 363. VI. Fidei definitionem ab Athanaſio exquirit. 363. VII. Faſtis dat nomen, ob initam ſcilicet anno ſuperiori Auguſteam dignitatem. 364. I. Mortalitatem exuit, dieſque mortis aſſignatur. 364. II.

Jovinus Faſtis in Occidente dat nomen. 367. I.

Jovis Olympii ædes ab Hadriano apud Athenienſes ædificata. 127. II.

Jotapianus in Oriente tyrannidem arripit. 248. VIII.

Irenæus, quo anno Opera ſua publicarit. 181. IV. Ejuſdem de anno baptiſmi & mortis Chriſti ſententia adducitur. 33. V.

Iſauricus *P. Servilius* ordinario Conſulatu illuſtris. *App.* LXXV.

Iſidorus Mercator Donationem Conſtantini in favorem Romanæ Eccleſiæ fabricaſſe, non ſine fundamento dicitur. 324. XIII.

Iſraëlis & Judæ Reges, eorumque duratio. *App.* XIV.

Italicus *C. Silvius* Conſul procedit. 68. I.

Judæa, regnante Herode, tributum Romanis non pendet. *App.* CXIX.

Judæi à Romanis deficiunt propter rapinas & ſævitiam Geſſii Flori. 66. III. Quo anno, & quo duce ſub Trajano rebellarint. 114. II. Contra Antoninum Pium inſurgunt, & qua de cauſa. 139. IV. Quo anno ab eodem compreſſi. *ibid.*

Judæi autonomiam accipiunt, à quo, & quo anno. *App.* XXVIII. Occiſo Antiocho Sidete, nullum Regem agnoſcunt. *App.* XXXVII.

Judaïcum bellum ſub Nerone perperam in annum Chriſti LXV diſtrahitur. 66. III. Ejuſdem initium aſſignatur. 66. II. Ejuſque finis ſtabilitur. 68. V.

Judaïcum bellum ſub Hadriano, quando inchoatum. 128. III. Unde ejus origo repetenda. 132. IV. Rectè à Baronio initium illius conſignatum. 132. III. Quo anno defierit. 135. II.

Judæorum Regnum in Herode deſinit. *App.* LXXX.

Judæorum Synagoga à Chriſtianis ſub Theodoſio Magno, & quo anno incenſa. 388. XII.

Julia Eudoxia, Bautonis, non Promoti, filia, Arcadii Aug. uxor. 395. VIII.

Julia Domna, ſecunda Severi Aug. uxor, Caracallæ mater, non noverca. 212. III.

Julianus *M. Aquillius* Conſulatum ſuſcipit. 38. I.

Julianus Faſtis dat nomen. 148. I.

Julianus annum aperit. 175. I.

Julianus iterum Conſul. 224. I. Cum nota numerali proferendus. *ibid.*

Julianus *Anicius* Faſcibus illuſtratur. 322. I.

Julianus *Anicius* ordinarium Conſulatum gerit. 325. I.

Julianus Aug. quo anno natus. 337. VII. Ei octenni mors intentatur; à quo periculo liber evadit. *ibid.* At non Euſebiæ Conſtantii uxoris beneficio. *ibid.* Mediolani Cæſar creatur, & Galliis præponitur. 355. IV. Faſtis dat nomen, ob initam videlicet Cæſaream dignitatem. 356. I. Annum iterum aperit. 357. I. Tertiùm Conſul procedit, ut Imperii Cæſarei Quinquennalia exhibeat. 360. I. Auguſtus dicitur. 360. VII. Renuntiationis hujus annus & dies exprimuntur. *ibid.* Conſtantinopolim die XI Decembris ingreditur, ut Conſtantii exequiis interſit. 361. V. Ejus habitus in Conſtantii funere deſcribitur. *ibid.* Quanto tempore in ea urbe permanſerit, indicatur. 361. V. & 362. IV. Summum Pontificatum accipit. 361. VI. & VIII. Baronii error circa hunc Juliani Pontificatum detegitur. 361. VI. & *ſeqq.* Antiochiam pergit. 362. IV. Quo anno Miſopogonem compoſuerit, oſtenditur. 362. VI. Nummis ſuis taurum inſculpi jubet, ex quo dicteriis ab Antiochenſibus impetitur. 362. VII. Chriſtianos & docere & diſcere vetat. 363. XXX. Quartum init Conſulatum. 363. I. Imperii Cæſarei Decennalia anno uno anticipata celebrat, & in Chriſtianos perſecutionem auget. *ibid.* Templum Hieroſolymitanum inſtaurari jubet, & quare. 363. II. Funera de die fieri Lege prohibet. 363. III. Moritur, mortiſque genus probabilius indicatur. 363. IV. Ætas illius, cùm occiſus fuit, annotatur. 363. V. & VI. Ejus cadaver in Ciliciam deportatum, prope Maximini Imperatoris cadaver ſepelitur. 363. VI. Imperii ejuſdem duratio à diverſis ejus initiis repetenda; poſt Conſtantii tamen mortem annum unum & menſes circiter octo regnaſſe, certum. 363. IV.

Julius Africanus ad Heliogabalum, pro reædificatione Nicopolis petenda, Legatione fungitur. 220. II. Opus ſuum quandonam abſolverit, ipſe indicat. *ibid.*

C. Julius Verus Maximinus. *Vide* Maximinus.

C. Julius Verus Maximus. *Vide* Maximus Maximini filius.

M. Julius Philippus. *Vide* Philippus Aug.

Julius Firmicus Maternus, quo tempore ſcripſerit & floruerit. 337. IX. Diverſus à Julio Materno Epiſcopo Mediolanenſi. *ibid.*

Julius Papa Marco ſuccedit die decima octava Januarii anni CCCXXXVII. 336. XI. Athanaſium Romam evocat. 340. II. Ad Euſebianos mittit Legatos, eos ad Romanam Synodum convocandi cauſâ, & quo anno id egerit, ſtabilitur. 340. IV. Sedet annos quindecim, menſes tantùm duos, & dies ſex. 352. II. Annus & dies ejus emortualis aſſignatur. *ibid.* Quamdiu poſt ipſum Sedes Romana vacaverit, exprimitur. 352. III. Decretales ejus duæ fictitiæ. 351. III.

Junior : hujus vocis diverſæ acceptiones ad Chronologiæ & Hiſtoriæ intelligentiam neceſſariæ adducuntur. 260. III.
Junius *D.* Faſtis dat nomen. 53. I.
Juſtinus Martyr Apologias duas pro Chriſtianis elucubrat. 148. III. An utraque extet, in dubium à Viris doctis revocatur. *ibid.* Quibus etiam Imperatoribus oblatæ fuerint, inter ipſos non convenit. 148. IV. Cui tamen oblatæ, oſtendit Auctor. *ibid.* Harum priorem Antonini Pii initio ſcriptam fuiſſe, idem putat. 148. IV. Opinionis contrariæ fundamentum evertitur. 148. V. Paulò poſt ſcribit Juſtinus Dialogum cum Tryphone Judæo *de Veritate Chriſtianæ Religionis.* 148. VI. Poſteriorem Juſtini Apologiam Marco Aurelio, non Antonio Pio porrectam fuiſſe, aſſeritur. 162. II. Variæ Auctorum circa illud afferuntur ſententiæ, & refelluntur. *ibid.* & *ſeqq.* Quem effectum hæc habuerit, incertum. 162. V. Sub quo Imperatore Sanctus Juſtinus martyrium fecerit, & quo anno, declaratur. 162. IV. & 163. III.
Juſtus annum aperit. 328. I.

K

KALENDARIA Martyrologiis antiquiora, fideque digna. 64. VI. A Martyrologiis diverſa. *ibid.* Unde hæc petenda ſit differentia. *ibid.* A nobilioribus Eccleſiis, Romanâ præſertim, fabricata. *ibid.*
Kalendarum quintus dies Auguſtorum & Imperii Collegarum nuncupationi de more deſtinatus. 175. III. Celebris item antea apud Romanos propter Triumviratûs tali die factam inſtitutionem. *App.* CVI.

L

LACEDÆMONIORUM Reſpublica ſaluberrimis legibus à Lycurgo datis celebris. *App.* XVIII.
Lactantius Libros *Divinarum Inſtitutionum* ſcribit. 315. VI.
Lætus Prætorio Præfectus, cujus operâ Pertinax ad Imperium evectus. 193. II.
Lætus *Æmilius* ſecundum init Conſulatum. 215. I.
Lamia *L. Ælius* Conſulatu ordinario fungitur. 3. I.
Lampſacenum Concilium ſub Valentiniano & Valente Augg. habitum, quo anno celebratum. 364. V. & 365. II. & *ſeqq.*
Laodicena Era, Antiochenâ uno anno poſterior, à ſecunda Julii Cæſaris Dictatura inchoanda. *App.* LX.
Laodicena Synodus, quo anno coacta. 314. XXIII. Hæc, non Laodiceæ in Syria, ſed Laodiceæ in Lydia, celebrata. *ibid.* Illius canones Codicis Canonum Eccleſiæ univerſæ partem faciunt, & quare. *ibid.*
Largus *C. Cæcina* Conſul. 42. I. *Cæcina* nomen eſt familiæ. *ibid.*
Largus Conſul procedit. 147. I.
Lateranus *Claudius* Conſulatum adipiſcitur. 197. I.
Lateranus *Titus Sextius* Faſcibus illuſtratur. 154. I.
Latinis potiùs quàm Græcis circa Romanorum Pontificum tam ſeriem, quàm durationis tempus, fides adhibenda. 67. VI.
Legio Fulminatrix ſub Marco Aurelio pluviam ad ſitim exercitûs ſedandam mirabiliter impetrat. 174. II. Non propterea tamen *Fulminatricis* nomine donata. *ibid.*
Lentulus *Cn. Cornelius* Conſulatu decoratur. *App.* CXIV.
Lentulus *Cn. Cornelius* Faſtis dat nomen. *App.* CXV.
Lentulus *Cn. Cornelius* Conſulatum init. *App.* CXXXVII.
Lentulus *Cornelius* Conſul. *App.* CXLIX.
Lentulus *C. Cornelius* creatur Conſul. 25. I.
Leonides, Origenis pater, quo anno & die pro Chriſto martyrium ſubierit. 102. IV.
Leontius, Antiochenus Epiſcopus, Eudoxii deceſſor, moritur. 356. XIV. & 358. IV.
Leontius annum aperit. 344. I.
Lepidus *M.* Equitum Magiſter, gerit Conſulatum. *App.* LXV.
Lepidus *M. Æmilius* ſecundùm Conſul procedit. *App.* LXXIV.
Lepidus *Q. Æmilius* annum aperit. *App.* CIX.
Lepidus *M. Æmilius* Conſul creatur. 6. I.
Lepidus M. Æmilius Faſcibus illuſtratur. 10. I.
Libanius & Hilarius ad Theodoſium, pro venia Antiochenſibus impetranda legantur. 388. VII. & VIII.
Liberius poſt Julium Papam Romæ Sedet. 352. III. Initium Pontificatûs illius conſignatur. *ibid.* Tempus epiſtolæ, quam ad Conſtantium Aug. dedit, in qua de Legatis Orientalibus conqueritur, & ab eodem Auguſto Concilium adunari poſtulat, rectè in Annalibus annotatum. 354. II. & 355. II. Concilium tertium Mediolanenſe impetrat. 354. II. In ſecunda Synodo Sirmienſi cum Hoſio labitur. 357. II. Fidei Formulæ à tertia Synodo Sirmienſi editæ ſubſcribit, & in Sedem reſtituitur. 357. XI. & 358. IV. Quo anno & die poſt exilium Romam redierit, examinatur. 357. XII. E vivis excedit. 366. VII. & 367. II. Mors ejus malè à Baronio aſſignata. *ibid.*
Libo *L. Scribonius* annum aperit. *App.* XCIV.
Libo *M. Livius Druſus* Faſtis dat nomen. *App.* CXV.
Libo *Annius* Conſulatum init. 128. I.
Libo *M. Annius* Conſulatu ordinario decoratur. 204. I.
Libo *L. Scribonius* Faſcibus illuſtris. 16. I.
P. Licinius Valerianus. *Vide* Valerianus ſenior.
P. Licinius Gallienus. *Vide* Gallienus.
P. Licinius Valerianus. *Vide* Valerianus Valeriani Aug. filius.
P. Licinius Cornelius Saloninus Valerianus. *Vide* Gallienus junior.
Licinius, quo anno, die, & loco Auguſtus renuntiatus. 307. XIV. Primus ejus Conſulatus, quem ſcilicet geſſit anno CCCXI, ſuffectus tantùm fuit. 311. II. Cum Maximino, poſt Galerii Maximiani interitum, Provincias ab illo poſſeſſas partitur. 311. XIV. Secundùm Conſul. 312. I. Tertium init Conſulatum. 313. I. Cur ab aliquibus Conſul tantùm II, hoc anno dictus, aperitur. *ibid.* Edictum in favorem Chri-

ſtianorum unà cum Conſtantino Mediolani emittit. 313. II. Aliud, quod periit, cum eodem Conſtantino priùs propoſuiſſe, certum. 313. IX. Nec hoc cum illo confundendum. *ibid.* Conſtantiam, Conſtantini M. ſororem, uxorem ducit. 313. II. Maximinum Provincias ſibi ſubjectas occupare tentantem vincit, fugatque. 314. IV. & V. Quæ illi hoc in bello acciderint narrantur. 314. III. IV. & V. Poſt victoriam gratias Deo, Nicomediæ agit, & de reſtituenda Eccleſia litteras ad Præſidem proponi jubet. 314. VI. Tributa in odium Religionis à Maximiano impoſita tollit. 314. X. Tyrannorum ſtirpem funditus evellit. 314. XII. Quartò dat Faſtis nomen, & Imperii Cæſarei Decennalia edit. 315. I. Perſecutionem in Chriſtianos movet, & quo anno. 316. V. Auguſtei Imperii Decennalia exhibet. 317. II. Cæſarei Quindecennalia celebrat. 319. II. Auguſtei item Quindecennalia edit. 322. II. Prioris belli à Licinio in Conſtantinum moti tempus & cauſa adducuntur. 317. IV. & V. Ruinoſum ejuſdem fundamentum ab aliis indicatum, refellitur. 317. III. Quintò annum aperit. 318. I. Poſterioris belli ipſum inter & Conſtantinum exorti annus & occaſio produntur. 318. II. III. & V. Hoc in bello vincitur Licinius, & hoc ante Nicænæ Synodi celebrationem. 318. VI. Vitam per Conſtantiam uxorem petit, & impetrat. 318. VII. Anno tamen elapſo Conſtantini juſſu occiditur. *ibid.* & VIII. Quanto tempore Imperium rexerit, aperitur. 318. VIII. An Chriſtianam Religionem profeſſus fuerit, minùs certum. 318. IX. Neque enim id ex ejus Numiſmatis colligi poteſt. 318. X.

Licinius, Licinii Aug. filius, quo anno & die Cæſar levatus. 315. II. 317. II. & 320. III. Quinquennalia Cæſarei Imperii celebrat. 322. II. Juſſu Conſtantini interimitur. 324. III.

Limenius *Ulpius* Faſtis dat nomen. 349. I.

Linus, qui Sancti Petri per annos aliquot Vicarius fuerat, ipſi ſuccedit. 65. II. 67. XXII. & 78. III. Mortis ejus annus ſtatuitur. 78. III.

Livia, Auguſti uxor, moritur. 29. IX.

Lollius *M.* Conſulatu illuſtratur. *App.* CIX. Caii Cæſaris in Orientem proficiſcentis Moderator conſtituitur. *App.* CXLVIII. In hujus locum hoc in munere P. Sulpicius Quirinus perperam intruſus. *ibid.*

Longinus *L. Caſſius* gerit Conſulatum. 30. I. A Claudio Aug. Syriam Præſes mittitur. 42. VIII.

Lucæ Apoſtoli reliquiæ, quo anno Conſtantinopolim translatæ. 356. XIII. & 357. I.

Lucianus Proclus, Senator, ex Urbe egredi cum Domitiano cogitur. 89. III.

Lucianus, Preſbyter Antiochenus, quibus Conſulibus, & ſub quo Imperatore paſſus ſit, examinatur. 311. VIII. & XV. Ab hæreſi Pauli Samoſatenſis eum liberare, fruſtra ab aliquibus tentatum. 311. IX. Ab hæreſi tamen aliquando reverſus eſt. *ibid.*

Lucilla, Marci Aurelii filia, Lucio Vero in matrimonium traditur. 163. V. Nuptiarum annus non parum lucis Chronologiæ affundit. *ibid.*

Lucius Antonius Germaniæ Præſes contra Domitianum Aug. rebellans, à Lucio Maximo victus & captus. 89. III.

Lucius Cornelii Papæ ſucceſſor. 252. XII. Quo die ordinatus fuerit, quamdiuque ſederit, eſt in obſcuro. *ibid.* In exilium pellitur. 252. XIII. Eoque brevi ſolvitur. 252. XVII. At quando liber evaſerit, incertum. 253. II. Annus & dies mortis aſſignantur. *ibid.* Quanto tempore Eccleſiam rexerit, indicatur. 253. III. Sedis poſt ejus mortem vacantis duratio annotatur. 253. IV. Inter Martyres hic Sanctus Pontifex numerandus non venit. *ibid.* Decretalis ejus Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ & Hiſpaniæ directa, Viris doctis ſuppoſititia. 254. II.

Lucius Cæſar virilem togam induit, & quo anno. *App.* CXLV. Maſſiliæ decedit. 2. II. Hunc Tiberius ſimulatè deflet. *ibid.*

Lucius Teleſinus Conſul. 66. I.

Lucius Verus. *Vide* L. Aurelius Commodus.

Lucius Britannorum Rex ad Chriſtum convertitur, Legatos ad Eleutherum Papam mittit. 181. III. Sub quo Imperatore, quibúſve Conſulibus hæc evenerint, indicatur. *ibid.*

Lucius Maximus, Domitiani Legatus, rebellantes in Germania domat. 89. III.

Lucius, Arianorum Epiſcopus, Georgio Alexandrinæ Sedis invaſori ſubrogatur. 362. X. Sed nonniſi poſt Athanaſii obitum. *ibid.*

Lues magna ſub M. Aurelio & L. Vero multas Imperii Romani Provincias, ipſamque Romam vexat. 167. VI. Quandiu hæc duraverit, quotieſque ſævierit, indicatur. 168. IV.

Lues, quæ ſub Gallo & Voluſiano graſſata eſt, non decennalis ſolùm, ſed quindecennalis fuit. 252. XVII. Sub his Imperatoribus, non verò ſub Decio, ortam eſſe, oſtenditur. 252. XIX. & XX. Finis ejuſdem aſſignatur. 267. III.

Lugdunenſis Eccleſiæ perſecutio, quandonam excitata. 177. IV.

Lupicinus Conſul ordinarius in Oriente procedit. 367. I.

Lupus annum aperit. 232. I.

Lupus *Furius*, Collega Probo Auguſto, Faſcibus honoratur. 278. I.

Luſtra, à quo primùm inſtituta. 14. VI. Quóve tempore fieri ſolita. *ibid.*

Luſtrorum ſacrificia, qua de cauſa ſub Conſtantino Magno à Romanis celebrata. 323. III.

M

Macarius Preſbyter ab Euſebianis ad Julium Papam adverſus Athanaſium legatur. 340. II.

Macarius Preſbyter ab Athanaſio ad Conſtantinum M. Conſtantinopolim miſſus. 333. III.

Macedoniæ Regum, qui Alexandro Magno ſucceſſerunt, Catalogus exhibetur. *App.* XXV. Ejuſdem Regni finis conſignatur. *ibid.*

Macedonianorum Legati Liberium Papam non conveniunt, niſi CCCLXV Chriſti anno. 365. V.

Macedonius ab Euſebianis in Sedem Conſtantinopolitanam, Euſebio Nicomedienſe mortuo, intruſus. 342. XV. Propter multa crimina exauctoratur. 359. IV.

Macharius fit Epiſcopus Hieroſolymitanus. 312. XXII. Quo anno mortuus. 331. III.

Macrianus Valeriano ſuadet ut Chriſtianos perſequatur. 257. IV. & 258. X. Hic nec Magus fuit, nec Ægyptius, licèt Magorum fautor & protector ſtudioſiſſimus. 257. IV. Valeriano maximè carus. *ibid.* In Oriente & Ægypto, poſt captum Valerianum, cum filiis arripit Imperium. 259. VIII. & 261. III. Sub quibus Conſulibus id fuerit molitus, examinatur. *ibid.* Interimitur. 261. VI.

Macrianus, Macriani filius, cum patre occiditur. 261. VI.

Macrinus, Præfectus Prætorio, occiſo Caracalla, purpuram ſumit. 217. III. & V. Diadumenianum filium Cæſarem, & poſtea Auguſtum renuntiat. 217. V. Conſulemque ſuffectum deſignat. *ibid.* Conſul ipſe primùm ſuffectus. *ibid.* Secundum init Conſulatum. 218. I. Militibus contra ipſum rebellantibus, in prælio vincitur. 218. II. Quo die hæc pugna habita, oſtenditur. *ibid.* Ab Heliogabali ſatellitibus non multò pòſt occiditur. *ibid.* Nomen ejus poſt mortem è Faſtis eraſum. 218. I. & III.

Macrinus *M. Nonius*, non *C. Julius*, Faſtis dat nomen. 164. I.

Magdalena cum Lazaro Epheſi non agit, neque ibidem quieſcit. 42. IV.

Magdeburgenſium error circa Legationem à Lucio Britanniæ Rege ad Eleutherum miſſam detegitur. 181. III.

Magnentius, quo anno Imperium in Galliis invaſerit, annotatur. 345. II. & 350. II. Romæ & in Provinciis ſuæ ditionis Conſul procedit. 351. I. Ad Murſam cum Conſtantio pugnat, & vincitur. 351. II. & IV. Certaminis annus & dies indicantur. 351. IV. Româ & Italiâ, quò ſe poſt cladem receperat, per Conſtantii Duces abigitur. 352. IV. Iterum ad Alpes Cottias adverſus Conſtantium prælium init, iterumque debellatur. 353. III. Lugdunum fugit, ibique poſt tres Imperii annos & menſes ſex ſe ipſum interimit. *ibid.*

Magnus *Cn. Cornelius Cinna* init Conſulatum. 5. I.

Magnus Conſul creatur. 138. I.

Majuma, quid; à quo ſic dicta; ubi agitata; quandóve ſublata. 399. III.

Mallobaudes, Francorum Rex ab Ammiano appellatus; Domeſticorum Gratiani Aug. Comes, eundem Auguſtum prodit. 383. VI.

Mamertinus *Petronius*, Commodi Aug. ſororis maritus, Faſtis dat nomen. 182. I.

Mamertinus, quo anno Maximiano Herculio Panegyricum dixerit. 287. II.

Mamertinus annum aperit. 362. I.

Mammæa, Alexandri Aug. mater, hunc in Orientem contra Perſas moventem comitatur. 229. IX. Origenem audire cupida, eum Antiochiam vocat. *ibid.*

Manichæi Magiæ artibus plurimùm addicti. 372. XII. Illorum hæreſis origo certis temporum characteribus ſtabilitur. 277. V. Ex variis tamen ejus eruptionibus varia; ſecundùm diverſos Auctores, ſortitur initia. 277. VI.

Marcellinus *P. Cor. Lentulus* Conſulatu ordinario decorus. *App.* CXIV.

Marcellinus Papa poſt Caium, die trigeſima Junii ordinatur. 296. IV. & 304. IX. Hujus Pontificis Lapſus, commentitius. 302. XVI. & 304. IX. Huic equidem favent Nicolaus Papa I, & Breviarium Romanum. 302. XVIII. At ejus ſuppoſitio multis indiciis adſtruitur. 302. XVI. & XVII. Die vigeſima quarta Octobris moritur. 304. IX. Martyrio coronatum fuiſſe, parum veroſimile. *ibid.* Sedis poſt ejus mortem vacantis duratio annotatur. *ibid.* & 304. XI. Cum Marcello ſucceſſore non confundendus. 304. X. & 306. XXI. Decretales illius, & ipſæ ad Salomonem litteræ, ſpuriæ. 296. IV.

Marcellinus *T. Avonius* annum aperit. 275. I.

Marcellinus Faſtis dat nomen. 341. I.

Marcellus *M. Aſinius* Conſulatum ordinarium init. 54. I.

Marcellus procedit Conſul. 104. I.

Marcellus *C. Quinctilius* Faſcibus illuſtratur. 226. I.

Marcellus Centurio; quo anno pro Chriſti Fide paſſus. 298. II.

Marcellus Marcellino ſuccedit in Pontificatu Romano. 308. V. & 309. II. Ordinationis & mortis dies notantur. 309. II. Sedis duratio exprimitur. *ibid.* Dies, quo colitur, ad aliquam Tranſlationem referendus. *ibid.* Duæ Decretales ipſi attributæ ſuppoſitionis convincuntur. 309. III. Epitaphium illius explicatur. 309. IV.

Marcellus, Ancyræ Epiſcopus, ab Euſebianis in Synodo Conſtantinopolitana, in qua Athanaſius exulare juſſus eſt, ab Epiſcopatu deponitur; & exilio mulctatur. 336. V. Ad ſuam Sedem reverſus, iterum de hæreſi accuſatur: ejus cauſa in Antiocheno Concilio examinatur, ibique damnatur. 341. XVIII. Romam petit, & in Synodo cauſam ſuam dicit. 342. XII. Innocens declaratur. 342. XIII. Poſt novam in Synodo Sardicenſi obtentam abſolutionem, ab hæreſis ſuſpicione eum liberate, aliqui fruſtra contendunt. 347. II. Ab Athanaſio tamen, & poſtea ab omnibus Hæreticus fuit agnitus. 347. III. & IV.

Marcianus, non Macrianus, Gothos, Gallieno imperante, vincit. 261. IV.

Marcio Hæreſiarcha, ab Eccleſia propter inceſtum pulſus, Romam poſt Hygini Papæ mortem tendit. 144. III. Antequam Romam veniat, hæreſim ſuam per Aſiam diſſeminat. *ibid.* Diverſa hujus hæreſeos initia diverſi conſtituunt Auctores. *ibid.*

Marcomanni, Conſulibus Diocletiano VII, & Maximiano VI, victi. 299. II.

Marcomannicum bellum ſub M. Aurelio, quo anno inchoatum. 169. VI. & 170. IV.

Marcus Papa S. Silveſtro die decima octava Januarii & Dominica ſuccedit. 336. II. Quandiu ante ipſum Sedes vacaverit, indicatur. *ibid.* Sedis ejus duratio, ejuſdemque poſt ipſum vacatio annotatur. 336. XI;

Dies item emortualis aſſignatur. *ibid.*

Marcus, Hæreſeos Priſcillianiſtarum auctor, diverſus à Marco Marcoſiorum antesignano. 381. XII.

Marcus Preſbyter Synodo Romanæ Cæcilianum inter & Donatiſtas habitæ intereſt. 313. VI.

Marcus Aufidius Perpenna. *Vide* Perpenna.

Marcus Aurelius, cognomento Philoſophus, ex præcepto Hadriani adoptatur. 138. II. Quibus anno & die hæc adoptio facta. *ibid.* Conſul deſignatur, Cæſariſque appellatione donatur. 139. II. Conſul procedit. 140. I. Secundò Faſtis dat nomen. 145. I. Simulque Imperii Cæſarei edit Quinquennalia. 145. II. Horum Quinquennalium indicia in medium proferuntur. *ibid.* Proconſulari Imperio ab Antonino Pio decoratur. 147. II. Collega etiam Imperii dicitur. *ibid.* Imperii Cæſarei Decennalia exhibet. 149. II. Item & Proconſularis Quinquennalia. 151. II. Pro cohibenda perſecutione ſcribit. 148. VII. & 152. IV. De quo tamen inter Auctores minimè convenit. *ibid.* Error Euſebii circa illud. *ibid.* Detegitur. 152. V. Cauſa erroris inveſtigatur. 153. VI. Quindecennalia Cæſarei Imperii celebrat. 154. II. Conſul tertiùm Proconſularis edit Quindecennalia. 161. I. L. Ælium Commodum in Imperii conſortium aſſumit, ſimulque Cæſarem & Auguſtum novo exemplo renuntiat. 161. IV. *Antoninus Pius* aliquando vocatus. 162. III. & 174. II. Hujus nominis inſcitia multos in errorem compellit. *ibid.* Quinta Imperii Cæſarei Quinquennalia agit Marcus, eorumque occaſione perſecutionem auget. 163. II. Lucillam filiam Lucio Vero nupturam Brunduſium uſque deducit. 163. V. Proconſularis Imperii dat Vicennalia. 165. II. Auguſtei Quinquennalia celebrat. 166. II. Quo anno cum Lucio Vero de Parthis triumphaverit, ſtabilitur. 166. III. Hujus triumphi annus multis confirmatur. 166. IV. Quæ adverſus hunc adduci poſſunt, refelluntur. 166. V. Tricennalia Cæſarei Imperii edit. 168. II. In varios Septentrionis populos bellum gerit. 168. IV. & 169. III. In Pannonas movet. 169. IV. Quinta Imperii Proconſularis agit Quinquennalia, iſtorumque ſolennium occaſione dat Congiarium. 169. II. Marcomannis bellum infert. 169. VI. & 170 IV. Imperii Auguſtei exhibet Decennalia. 171. II. Septima Cæſarei Quinquennalia celebrat. 172. II. Proconſularis Tricennalia. 173. II. Pluviam è cælis mirabiliter obtinuiſſe, falsò creditum. 174. II. Edictum nullum in favorem Chriſtianorum emittit, aut ſi emittit, iſti ex eo nullum percipiunt fructum. *ibid.* Octava Imperii Cæſarei Quinquennalia exhibuiſſe, eſt probabile. 175. II. Auguſtei Quindecennalia celebrat. 176. II. Germanis Sarmatiſque debellatis, pacem in Imperio ſancit. 176. IV. Proconſularis Imperii ſeptima agit Quinquennalia. 177. II. Horumque occaſione perſecutionem in Galliis excitat. 177. III. Moritur. 180. II. Annus & dies tam natalis quàm emortualis aſſignantur, tempuſque Imperii deſignatur. *ibid.* Filii ejus & filiæ recenſentur. 166. V. & 180. III. & IV.

Maria Virgo naſcitur. *App.* CXV.

Marinianus Faſtis dat nomen. 268. I.

Marinus à Myſorum & Pannoniarum Legionibus Imperator ſalutatus, tyrannidem arripit. 248. VIII.

Martia, prior Severi Auguſti uxor. 212. III.

Martinianus à Licinio Aug. Cæſar creatus, Conſtantini juſſu necatur. 318. VII.

S. Martinus: Natalis ejus aſſignatur. 351. VI. Fit Epiſcopus Turonenſis. 375. V. Annus & dies ordinationis ejus indicantur. *ibid.* & VI. Cur & quando ordinationis ejus feſtum in alium diem fuerit tranſlatum, oſtenditur. 375. VI. & VII.

Martyres plures paſſi ſunt ſub Nerone, quàm à quibuſdam creditum. 64. III. Multorum in hac perſecutione occiſorum nomina periere. 64. V.

Martyres in Gallia quando primùm paſſi. 254. V. Error aliquorum putantium, ſub M. Aurelio Martyres in Galliis cœpiſſe, confutatur. *ibid.*

Martyres quamplurimi in perſecutione à M. Aurelio per Gallias excitata paſſi. 177. III.

Martyres Lugdunenſes occiſi, dum Ludi Druſiani eduntur. 177. V. Quo anno id evenerit, ſtabilitur. 177. VI. Quo die, & quo loco paſſi ſint, annotatur. 177. VII.

Martyres, qui in perſecutione Liciniana paſſi dicuntur, ante annum CCCXIX morte non ſunt affecti. 316. X.

Martyres ſub Trajano, quo anno in Oriente martyrium ſubierint, declaratur. 106. III.

Martyrius Diaconus ad Julium Papam contra Athanaſium ab Euſebianis mittitur. 340. II.

Martyrologia Kalendariis poſteriora; illis attamen fides non neganda. 64. VI.

Martyrologos, aut Chronicorum Pontificiorum Scriptores in Pontificum morte aſſignanda uno tantùm die diſſidentes conciliandi expedita methodus traditur. 67. XX. Ubi autem hæc poſſet deficere, alia ſubminiſtratur. *ibid.* XXI.

Marullus *M. Eggius* Conſul creatur. 184. I. Hujus loco Marcellus perperam intruſus. *ibid.*

Maternus *Triarius* annum aperit. 185. I.

Maternus, poſt Gallias Hiſpaniaſque turbatas, inſidiaſque Commodo Auguſto paratas, capite mulctatur. 189. III. Quo anno, & qua anni tempeſtate id factum fuerit, indicatur. *ibid.*

Matris Deûm apud Romanos feſtus dies; qua anni parte celebratus 186. III.

Mauritanicum bellum ſub Marco Aurelio & Lucio Vero, quibus Conſulibus geſtum. 166. V.

Mauvia, Saracenorum Regina, Chriſtianam Fidem amplectitur. 372. X. Ejus converſio perperam poſt Valentiniani ſenioris mortem dilata. *ibid.*

Maxentius Herculii Maximiani filius & Galerii gener. 306. XIV. Fit Imperator. 306. X. Quo verò menſe & die, declaratur. 306. XI. Pacem initio imperii Eccleſiis Romæ & in Italia conſtitutis largitur. 306. XIX. Poſtea, devicto ſcilicet Alexandro, Africanos à perſecutione liberat. *ibid.* Conſulatum

ſarum Herculii novum & Maximini Cæſaris abrogat, Actaque publica novâ formâ notari jubet. 307. I. Annum in Italia aperit. 308. I. Iterum in Italia Conſul procedit. 309. I. Hujus loco Conſtantinus Aug. I perperam reponitur. *ibid.* Tertiùm Conſul. *ibid.* Sed ſolus. 310. I. Quartò dat nomen Faſtis in Italia, tum propter Africanum triumphum, cùm propter Quinquennalia in hunc annum dilata. 312. I. Conſtantinum bello laceſſit. 312. II. De Alexandro & Africa triumphum ducit. 312. VI. Victus à Conſtantino, perit; mortiſque dies aſſignatur. 312. V.

Maximianus Herculius à Diocletiano Auguſto Cæſar renuntiatur, biennio antequam Auguſteam dignitatem ſuſcipiat. 284. VI. Ea nuncupatio ad XII Kalendas Decembris facta. 284. VII. & 285. VI. Bagaudas in Galliis rebellantes adhuc Cæſar comprimit. *ibid.* & 286. III. Auguſtus dicitur, & Tribunitia Poteſtate exornatur. 286. II. Tempus & locus hujus nuncupationis exhibentur. *ibid.* Primum init Conſulatum, ideòque cum nota numerali hoc anno non edendus. 287. I. Germanos domat. 286. III. & 287. II. Bellum adverſus Carauſium in Britannia rebellantem parat cum Diocletiano. 287. III. Quo anno hic apparatus fuerit factus, enuntiatur. *ibid.* Faſtis iterum dat nomen, hujuſque in locum minùs rectè Maximus II Conſul ſufficitur. 288. I. Eodem anno Cæſarei Imperii Quinquennalia celebrat. *ibid.* Annum tertio aperit, & Auguſtei Quinquennalia edit. 290. I. Mores hujus Imperatoris deſcribuntur. 290. II. Diocletianum Mediolani exiſtentem convenit, ubi de creandis Cæſaribus agitur. 290. III. Quartùm Conſul, ob Imperii videlicet Cæſarei Decennalia hoc anno exhibenda; quæ tamen tempore debito celebrata fuiſſe, incertum. 292. I. Sarmatas, alioſque nova molientes compeſcit. 294. IV. Quintùm Conſul procedit. 297. I. Imperii Cæſarei in Occidente dat Quindecennalia. 298. I. Sextùm Conſul Auguſtei Imperii Quindecennalia peragit. 299. I. & II. De Perſis triumphum dilatum ducit, & quo anno. 301. II. & 303. II. Perſecutionem in Chriſtianos à Diocletiano decretam, & ipſe in Occidente locum habere jubet. 302. VII. Septimum Conſulatum ſuſcipit, & Vicennalia Imperii Cæſarei Romæ agit. 303. I. & II. Conſul octavùm Imperii Auguſtei dat Vicennalia. 304. I. & II. Imperium abdicat. 304. II. & 305. VI. Sed coactè. 304. III. Quo anno facta hæc abdicatio, contra communem ſententiam oſtenditur. 304. V. Idem ex Faſtorum diſpoſitione magis confirmatur. 304. VI. A Maxentio filio vocatus reſumit purpuram. 306. XIII. Nonum aſſumit Conſulatum, ſed in Italia tantùm, & initio anni ſolùm. 307. I. Româ circa menſem Aprilem fugere cogitur. 307. V. Conſtantinum in Galliis degentem adit, utque eum in partes ſuas trahat, Fauſtam filiam dat uxorem. 307. IV. Hinc Carnuntum venit ad Diocletianum, iſtum de ſumendo denuo Imperio rogaturus. 307. VII. De novo in Gallias redit, & inſidias Conſtantino ſtruit. 307. VI. & VII. Maſſiliæ interit. 307. VIII. & 310. VI. Mortis genus indicatur. 307. VIII. Ante Maxentium mortuus demonſtratur. 307. IX. & X. Hujus corpus balſamo perfuſum, longum poſt intervallum Maſſiliæ repertum, in mare projicitur. 307. XI.

Maximinus Aug. quo anno & tempore Alexandro ſucceſſerit. 238. III. Bellum Germanis infert; quibus victis, *Germanici* titulum reportat. 235. VII. Filium Maximum Cæſarem appellat. 235. VIII. Chriſtianos inſequitur. 235. III. Faſtis dat nomen. 236. I. Hujus Legati à Senatu repulſi. 236. VI. Aquileiam obſidet. 238. II. Simul cum filio à militibus obtruncatur. 238. II. & III. Quo anno & menſe hæc mors acciderit, annotatur. 238. III. Imperii ejus duratio aſſignatur. *ibid.*

Maximinus à Diocletiano Imperium abdicante Cæſar creatur. 304. IV. & 306. IV. Hæc renuntiatio Nicomediæ Kalendis Maiis facta. 306. IV. Conſul in Italia procedit, & quidem prima tantùm anni parte. 307. I. Auguſtum ſe ipſe renuntiat. 307. XIV. Audita Galerii Maximiani morte, Provincias illi ſubjectas occupat. 311. XIV. Chriſtianos perſequitur. 311. XV. Ut accipit Edictum à Galerio in favorem Chriſtianorum, perſecutionem ſuſpendit. 311. XV. & XVI. Non multò pòſt illam inſtaurat. 311. XV. Legem in Fidelium favorem emittit. 312. VIII. Sed hoc facit neceſſitate adactus. 312. XIII. Omnes impuritates ſuſcipit. 312. IX. In matronas ſævit. 312. XI. Illius erga Valeriam Galerii Maximiani viduam inhumanitas, & Diocletianum verſùs ingratus animus deſcribuntur. 312. X. & XII. Hujus Imperatoris epiſtola ad Sabinum Prætorio Præfectum pro Chriſtianis perperam à ſuo tempore diſtracta. 313. II. Licinio Aug. bellum infert 314. III. & IV. Pugnat & vincitur. 314. V. Legem ſecundam pro Chriſtianorum libertate proponit. 314. VIII. Paulò pòſt, veneno propinato, extinguitur. 314. VII. Ejus Imperii duratio diverſimodè, ſecundùm diverſa ejus initia, computatur. 314. XI.

Maximus *Appius* ſecundum gerit Conſulatum. 103. I.

Maximus *Claudius*, non *Gavius*, Conſul. 144. I. M. Aurelii Imp. aliàs Præceptor. *ibid.*

Maximus Faſtis dat nomen. 172. I.

Maximus Conſulatu inſignitur. 151. I.

Maximus Conſul. 207. I.

Maximus *L. Marius* Faſces ſecundò ſuſcipit. 223. I.

Maximus, Hieroſolymorum Epiſcopus, ab Arianis in Synodo depoſitus. 351. VII. Hujus depoſitionis annus indicatur. *ibid.* Quandiu ſederit, annotatur. *ibid.*

Maximus annum aperit. 227. I.

Maximus, Cynicus, Conſtantinopoleos Epiſcopus à Petro Alexandrino ordinatur. 379. VII. Baronii error circa numerum Epiſcoporum ad eam ordinationem peragendam ex Ægypto miſſorum corrigitur. *ibid.*

Maximus *Paulus Fabius* ordinarium Conſulatum init. *App.* CXVI.

Maximus Faſtis dat nomen. 232. I.

Maximus Conſul procedit. 233. I.

Maximus Conſulatum init. 234. I. Diverſus à Maximo, qui anno præcedenti annum aperuerat. *ibid.*
Maximus *M. Valerius* Conſulatu decoratur. 153. I.
Maximus, Maximini filius, Cæſar creatur. 235. VII. *Imperatoris* titulus ipſi ab Auctoribus datus, nonniſi Cæſaream dignitatem indicat. *ibid.* *Germanici* cum patre nomen obtinet. *ibid.* Cum eodem ad Aquileiam à militibus interimitur. 238. II. & III.
Maximus *Valerius* annum aperit. 256. I. Cum M. Valerio Maximo, Voluſiani in ſecundo Conſulatu Collegâ, non confundendus. *ibid.*
Maximus poſt Dionyſium Alexandrinam regit Eccleſiam. 265. III. Mortalitatem exuit; & quo anno, quâve die, indicatur. 285. III.
Maximus, ut videtur, *Junius* ſecundum gerit Conſulatum. 286. I.
Maximus Faſcibus illuſtris. 327. I.
Mediolanenſes Synodi duæ omnino diſtinguendæ, una videlicet anno CCC XLVI congregata, quæ Concilium Sardicenſe præceſſerit, alia verò quæ idem ſubſecuta, anno CCC XLVII coacta fuerit. 344. IV. & V.
Mediolanenſis Synodus prior, quo anno coacta. 344. V. & VII. Ejus epocha in obſcuro poſita, diverſimodè à diverſis aſſignatur. 344. IV. Fidei Formulam [illegible] appellatam ſibi à Legatis Orientalibus ſibi oblatam repuit. 344. III.
Mediolanenſis Synodus ſecunda anno CCC XLVII celebratur. 347. VII. & XIII. & 350. VI. Variæ circa illius epocham adducuntur opiniones. 347. VII. Cauſæ, quæ Epiſcopos ad illam celebrandam coëgerint, expenduntur. 347. XII.
Mediolanenſis Synodus tertia, ſub Liberio Papa, anno CCC LV primis anni menſibus cogitur. 355. II. In ea Athanaſii damnationi ſubſcribitur. *ibid.*
Mediolanenſis Synodus anno CCC XC congregatur. 390. IX. An in ea Jovinianus damnatus fuerit, incompertum. *ibid.*
Medorum Imperii finis aſſignatur. *App.* XIX.
Melchiades, Euſebii in Eccleſiæ Romanæ Epiſcopatu ſucceſſor, obit. 313. XIII. Mortis dies, & Sedis duratio exprimuntur. 313. XIV. Vicariatus ejus ſub Euſebio prædeceſſore, commentitius. *ibid.* Unica hujus Pontificis Decretalis ad omnes Hiſpaniæ Epiſcopos directa, fictitia. 313. XVI.
Meletiani Schiſmatis epocha ſtabilitur. 306. XXIV. & XXV.
Meletianorum Acta, falſa. 306. XXVI.
Meletius, Sebaſtenus Epiſcopus, dein Antiochenus, à Conſtantio exulare juſſus. 360. V. Communi Catholicorum & Arianorum conſenſu Antiochenæ Eccleſiæ præficitur. 362. XIX. Ab Arianis tamen propter Catholicam de Trinitate, quam profitebatur, Fidem, Sede poſtea pellitur. *ibid.* A Valente Aug. iterum anno CCC LXXII exilio mulctatus. 370. XXI. Mortalitatem explet. 381. IX.
Melitinenſis in Armenia Synodus, quo anno habita, indicatur. 357. XIII.
Melito, Sardicenſis Epiſcopus, Apologiam pro Chriſtianis Marco Aurelio Antonino porrigit. 170. I.
Merobaudes ſecundum init in Occidente Conſulatum. 383. I.
Meſſala *M. Valerius* Conſulatu decoratur. *App.* XCV.
Meſſala *Valerius* Conſul. 58. I.
Meſſala *M. Aurelius* annum aperit. 20. I.
Meſſala Faſtis dat nomen. 280. I.
Meſſalinus Conſulatu ornatur. 73. I.
Meſſalinus Conſul. 146. I.
Meſſalla *L. Valerius* Conſulatum aſſumit. 196. I.
Meſſalla *M. Valerius Barbatus* Conſul procedit. *App.* CXVI.
Meſſalla *L. Vipſtanus* Faſcibus illuſtris. 115. I.
Meſſalla *Silius* Conſul creatur. 214. I.
Meſſallinus *V. Valerius* init Faſces. *App.* CXXXI.
Cn. Meſſius Quintus Trajanus Decius. *Vide* Decius.
Metrophanes, Byzantii Epiſcopus, tribus tantùm annis ſediſſe, immeritò dicitur. 317. VI. Etſi Nicænæ Synodo non interfuerit, illum attamen eo quo celebrata fuit tempore defunctum fuiſſe, non inferendum. *ibid.* Quonam anno mortuus, indicatur. 317. VII.
Miſdates, Narſei Perſarum Regis filius, patri in Regno ſuccedit; at quo anno, incertum. 301. II.
Modeſtus *Ti. Manilius* Faſtis dat nomen. 228. I.
Modeſtus annum in Oriente aperit. 372. I.
Monachatûs initium ætati Conſtantini Magni imputandum. 318. XII.
Monachi ab Aſcetis diverſi: illorumque nomen ſeriùs cœptum. 62. IV.
Monachi, quandonam, & à quo in Clerum tranſlati. 398. XIII.
Monachi Origeniſtæ è ſuis monaſteriis expulſi, quo anno Conſtantinopolim venerint, indicatur. 400. VII.
Monicæ, Auguſtini matris, annus emortualis aſſignatur. 389. II. & III. Alioque die, quàm quo colitur, eam devixiſſe, oſtenditur. 389. III.
Moyſes, inſignis Eccleſiæ Romanæ Preſbyter, cum aliis in carcerem ſub Decio conjicitur. 250. VIII. Mortis illius annum à quibuſdam perperam eſſe conſignatum, demonſtratur. 251. XIV. & XV.
Mucianus Syriæ Præſes adverſus Vitellium Romam à Veſpaſiano miſſus. 69. VIII.
Mucianus *M. Nonius* Conſulatu ordinario fungitur. 201. I.
Muſonius à Juliano Aug. docere non eſt prohibitus. 362. XXXI.

N

NARBONENSIS Provincia antiqua à Galliis diſtincta demonſtratur. 374. VII.
Narſeus Perſarum Rex, à Galerio Maximiano ſubigitur. 297. IV. Ejus filii in triumphum ducuntur. 301. II.
Natalis Chriſti ejuſdemque Epiphaniæ feſtum

uno eodemque die à Græcis celebratum. 361. II.

Natalitia carmina in honorem Sancti Felicis à Divo Paulino elucubrata annis ſuis redduntur. 397. III. & IV.

Neocori, idem quod Æditui, qui Templa & res ſacras curant. 201. IV.

Neoterius Conſulatu in Oriente exornatur. 390. I.

Nepos: hæc vox non cognomentum Conſulum, ſed horum ab avis originem plerumque indicat. 2. I.

Nepotianus annum aperit. 301. I.

Nepotianus Faſtis dat nomen. 336. I.

Nero Imperio Proconſulari donatur. 57. I. Annos natus ſeptemdecim, Claudio Imperatori ſuccedit. 54. II. Conſulatum init. 55. I. Imperii Proconſularis Quinquennalia celebrat. 55. II. Secundùm Conſul procedit. 57. I. Tertium gerit Conſulatum. 58. I. Imperii Auguſtei Quinquennalia exhibet, eorumque occaſione macellum dedicat. 58. II. Janum primò claudit. 71. VII. Quinquatruum Minervæ die feſto Agrippinam matrem occîdit, primam barbam ponit, piloſque Jovi Capitolino conſecrat. 59. II. Ludos Juvenales inſtituit. 58. II. & 59. II. Annum quartò aperit. 60. I. Decennalia Imperii Proconſularis edit. 60. II. Quinquennali Ludicro ad morem Græci certaminis dat initium. 60. II. Auguſtei Imperii Decennalia agit, eoque tempore perſecutionem in Chriſtianos excitat. 64. II. Ab iis Antichriſtus in fine mundi venturus creditur. 64. VI. Imperii Proconſularis dat Quinquennalia, & perſecutionem continuat. 65. II. Petrum, & Paulum Apoſtolos interfici jubet. *ibid.* & 67. III. Quo anno, quóve die id mandaverit, certò demonſtratur. 67. III. & IV. Janum iterum claudit. 71. VII. In Orientem proficiſcitur. 67. II. Redux Romam introit eo, quo Auguſtus olim triumphaverat, curru. *ibid.* Româ Neapolim petit, ubi Galliarum & Hiſpaniarum defectionem accipiens, Romam iterum prætrepidus redit. 68. III. Privatis ante tempus magiſtratu Conſulibus, Conſulatum ſolus init quintum, & quare. 68. III. Occiditur. 68. IV. Imperii ejus tempus, dieſque mortis aſſignantur. *ibid.*

Nerva *M. Cocceius* annum aperit. *App.* XCII.

Nerva *P. Silius* Conſul procedit. *App.* CIX.

Nerva *P. Silius* Faſtis dat nomen. 28. I.

Nerva Auguſtus. *Vide* M. Cocceius Nerva.

Nervilianus M. Suillius Conſulatu illuſtris. 50 I.

Nevitta Faſcibus decoratur. 362. I.

Nicænum Concilium, quo anno celebratum. 325. III. Quo menſe. *ibid.* & 325. V. Ante Conſtantini Magni Vicennalia cœptum & finitum. 325. III. A Conſtantino de conſenſu Silveſtri Papæ coactum. 325. VI. Qui in eo Silveſtri nomine præfuerint, indicatur. 325. VIII. In Eccleſia habitum fuiſſe, non in Imperatoris Palatio, certum. 325. XIV. Quomodo, qui illud in Palatio celebratum contendunt, ſint intelligendi, aperitur. *ibid.* Quis primus in eodem Concilio Conſtantinum ſit allocutus, oſtenditur. 325. XV. Fidei quidem Formulam, Canones, & Epiſtolam Synodicam in eo ſcripſerunt Patres, & ſubſcriptionibus firmaverunt; at Acta Concilii nulla ſcriptis fuere mandata. 325. XVI. & XIX. Sextus hujus Concilii Canon, de Epiſcoporum ordinatione venit intelligendus. 325. XXXI. In eo item Canone agitur de jure Patriarchico. 325. XXXV. Hunc Canonem reſtringens Rufinus ad ſuburbicarias ſolùm Provincias, rejicitur. 325. XXXVI. Hujus Concilii Canones, quos *Arabicos* vocant, à Sectis Orientalibus agniti, & ut legitimi publicati, ſuppoſititii ſunt. 325. XXXVII.

Nicænum Symbolum ut novam Catholicæ Fidei teſſeram, poſt ejuſdem urbis Concilium ſtatim Græci omnes aſſumunt. 325. XVII. Cur ab Eccleſia Occidentali ſeriùs legi cœperit, inſinuatur. *ibid.* Cur etiam in quibuſdam Eccleſiis priùs cantatum, in aliis autem tardiùs, aperitur. 325. XVIII. Inter Latinos Hiſpani primi, Richaredis Regis conſilio, illud uſurpant. *ibid.* Hos paulò pòſt quædam Gallicanæ Eccleſiæ ſequuntur. *ibid.* Romana tandem cantare incipit, & quare. *ibid.*

Nicopolis, quo anno reædificata. 220. II.

Niger. *Vide* Peſcennius Niger.

Niger *Quinctius* Faſtis dat nomen.

Nigrinianus annum aperit. 350. I.

Nigrinus *C. Pontius* Conſulatûs init magiſtratum. 37. I.

Nilus Doxopatrius Tractatum de quinque thronis Patriarchalibus ſcribit. 37. X.

Niſibis, inter alias urbes multas, à Severò Aug. capta. 195. II. A Perſis anno, quo mortuus Conſtantinus Magnus, obſidione cingitur. 338. VII. Iterum ſub Conſtantio ab iiſdem per menſes quatuor tentata. 350. V.

Nobiliſſimi Pueri titulo inſigniti, non minùs quàm Cæſares, initio dignitatis, Conſulatu exornantur. 364. I. & 366. I.

Nonianus *M. Servilius* Conſulatu fungitur. 3. I.

Novati Schiſma Orientis Eccleſias dividit. 256. XII. Aliud à rebaptizationis Hæreticorum contentione. *ibid.*

Novatiani Eccleſias, quas Schiſmate durante Catholicis abſtulerant, reddere jubentur. 326. VII.

Novatianus Cornelii Papæ ordinationem, tanquam illegitimam, abrogare conatur. 251. XX. A tribus Epiſcopis ſe ordinari procurat. *ibid.* Factione Novati, non manu, hæc ordinatio facta. *ibid.* & 250. XV. A Concilio Romano ſub eodem Cornelio habito excommunicatur. 251. XXVI.

Novatus, à quo Feliciſſimus, inſcio Cypriano, Diaconus conſtitutus dicitur, non fuit Epiſcopus. 250. XV. Quomodo, quòd ipſum ordinaverit, ſit intelligendum, indicatur. *ibid.*

Novitates in Imperio, quibus annis inductæ. 87. II. & 161. II.

Numerianus, Cari Aug. filius, quo anno Cæſar dictus. 283. I. & III. Auguſtus poſt inchoatum paterni Imperii ſecundum annum dicitur. 283. IV. Conſul primùm procedit, & qua de cauſa. 284. I. Quan-

diu poſt patris obitum imperaverit, oſtenditur. 283. IX. & 284. III. Ex Perſide rediens, per inſidias necatur. 284. III.

Numidæ ſub Gallo & Voluſiano, non à Mauris eorum finitimis, ſed à Scythis vexati. 253. VI.

Nummi antiquos Imperatorum titulos, novis non memoratis, ſæpius exhibent. 105. II.

Nummi unius Imperatoris non rarò in poſtica titulos alterius præferunt. 149. I.

Nummi aliquot Conſulares Imperatorum explicantur. 394. II. & *ſeqq.*

Nummi tres Trajani Conſulatu notati, vel ſuſpecti, vel explicatu difficiles, examinantur. 105. IV. & V.

Nummi his verbis notati, VOTIS X ET XX, à quo primum inſculpti. 162. II.

O

OBELISCI in Quinquennalibus & id genus ſolenniis de more ab Imperatoribus erecti. 355. V.

Obeliſci Arelatenſis erectio non Conſtantino Magno, ſed Conſtantio ejus filio attribuenda. 353. V.

Odenatus Palmyrenorum Rex, totius Orientis obtinet Imperium. 263. II. Cum Gallieno Imperium participat, & ab eo *Auguſtus* nuncupatur. *ibid.* Quo anno facta ſit hæc nuncupatio, ex Nummis, & ex ejus mortis tempore habetur. *ibid.* Quandonam mortuus ſit, indicatur. 266. I. & 267. II.

Olybrius *Q. Clodius Hermogenianus* Conſul in Oriente. 379. I.

Olybrius *Anicius Hermogenianus* Faſtis in Occidente dat nomen. 395. I. Hujus à Q. Clodio Hermogeniano Olybrio diſcrimen, uxoris, & familiæ diverſitas adducuntur. 395. III.

Olympiadas ſupputandi modus peculiaris. 32. XII. Hæ mendosè in Euſebio & Africano expreſſæ. 32. XIII. & 306. VII. Earundem Auctor & inſtitutionis tempus indicantur. *App.* XXI.

Oneſimus, Pauli diſcipulus, eodem circiter tempore, quo Sanctus Ignatius, martyrium facit. 108. IV.

Optatus, Carthaginenſis Epiſcopus, & Agrippini ſucceſſor, ex Actis SS. Perpetuæ & Felicitatis demonſtratur. 198. V.

Optatus *L. Aconius* Faſtis dat nomen. 334. I.

Orationes diverſæ in Imperatorum Tricennalibus & id genus feſtis à diverſis recitari ſolitæ. 336. III.

Ordinationes Pontificum tam Romanorum, quàm ceterorum, ante pacem Eccleſiæ per Conſtantinum redditam, quocumque die indiſcriminatim peractæ. 67. XIV. Quo tempore Romanorum Antiſtitum ordinationes diebus Dominicis, vel feſtis ſolennioribus fieri cœperint, indigitatur. 67. XVI. & 314. II. Aliorum Epiſcoporum conſecrationis dies, ante quintum Eccleſiæ ſeculum, ignotus. *ibid.*

Orfitus *Ser. Cornelius* Conſul procedit. 51. I.

Orfitus *M. Gavius* Conſulatu ordinario illuſtris. 165. I.

Orfitus *Gavius* magiſtratum Conſulatûs init. 178. I.

Orfitus Faſcibus decoratur. 172. I.

Orfitus *Ser. Scipio* Faſtis dat nomen. 149. I.

Orfitus *Solenus* creatur Conſul. 110. I.

Orfitus *Furius* annum aperit. 270. I.

Orientales Epiſcopi, Stephano Papa ſedente, Schiſma Novati abdicant. 256. XII. Non tamen circa Hæreticorum rebaptizationem cum Romano Pontifice concordant, niſi poſt illius Papæ mortem. *ibid.*

Origenes corpus ſuum evirat. 206. II. An ferro vel medicamentis id fecerit, incertum. *ibid.* Zephyrino ſedente, Romam venit; ſed quo anno, incompertum. 215. III. Duplex hujus iter in Palæſtinam minùs rectè ab aliquibus confunditur. *ibid.* Annus natalis aſſignatur. 201. V. Adverſus Hæreticos pugnat, & quando. 228. VII. Ammonium audit. 232. IV. Diverſus ab alio ejuſdem nominis. 146. II. Romam veniſſe Origenem, ſedente Fabiano, falſum. 246. V. In perſecutione labitur. 251. VI. Rationes in contrarium adductæ ſolvuntur. 251. VII. Lapſûs tempus indicatur. 251. VIII. Ubinam, & quando mortuus fuerit, oſtenditur. 253. XVI. & 202. V. Perperam à quibuſdam in duos diviſus. 255. XVIII.

Origeniſtæ, tum qui tales ſimpliciter, cùm qui *Fœdi* appellati ſunt, unum eundemque Origenem, Adamantium videlicet, anteſignanum habent. 255. XVIII. Imperante Theodoſio Orthodoxos contumeliis laceſſunt, & *Peluſiotas* appellant. 393. III. In Occidente ab Anaſtaſio Papa anno CCCCI, eodemquè tempore à Theophilo Alexandrino Epiſcopo in Oriente damnantur. 400. V.

Ormiſdas, Saporis Perſarum Regis filius, patri ſuccedit, & poſt annum unum, dieſque decem moritur. 271. X.

Otho *Salvius*, non *Silvius*, pater Imperatoris, Conſulatum gerit. 52. I.

Otho Imp. nunquam à Nerone Quæſtor in Hiſpaniam miſſus, ſed Proprætor ſolùm Luſitaniam adminiſtrat. 69. III. Galbæ Aug. ſuccedit. *ibid.* Sciptum interimit. *ibid.* Quanto tempore imperarit, quóve die mortuus fuerit, explicatur. *ibid.*

P

PACATIANUS annum aperit. 332. I.

Pachon, vox Græca, malè in Inſcriptione à Baronio lecta. 146. I.

Pacis Templum à Conſtantino Magno Conſtantinopoli extructum, diverſum à Templo *Sophiæ* eadem in civitate erectum. 330. V.

Pacorus, Orodis Parthorum Regis filius, à Ventidio occiſus. *App.* LXXXV.

Pætinus *Q. Arrius* Conſulatu ordinario fungitur. 123. I.

Pætus *Cæſonius* Faſcibus illuſtris. 61. I.

Pætus *Sex. Articuleius* init Conſulatum. 101. I.

Pagani, quare, & quando Gentiles nuncupati. 351.

Palladius, non Publius, Tatiani in Præfectura ſucceſſor, Catholicos inſequitur. 372. VII.

Palladius Auctor Lauſiacæ Hiſtoriæ floret. 388. XV. Diverſus à Palladio Scotorum Epiſcopo. *ibid.*

Pamphilius anno Chriſti CCCVIII martyrio coronatur. 306. III.

Pannonia in Romanorum deditionem venit. 8. II. Hujus regionis pars à Maximiano Herculio *Valeria* dicta, in honorem Valeriæ Diocletiani Aug. filiæ. 294. II.

Panſa *Vibius* Conſul creatur. *App.* LXXI.

Panſa *Corellius* procedit Conſul. 122. I.

Papa, hujus nominis etymologia & uſus indicatur. 163. III. Quibus etiam antiquitus tribui ſoleret, oſtenditur. *ibid.*

Papias, an magno ingenio præditus fuerit, examinatur. 116. III. An ejus nomen Martyrologiis inſcriptum. 116. IV. An Joannis Apoſtoli vel alterius Joannis Preſbyteri auditor fuerit, inquiritur. 116. V.

Papus annum aperit. 243. I.

Pariſienſe Concilium, procurante Hilario, habitum, quo anno celebratum. 362. XXIII. & XXIV. Ante Conſtantii Auguſti mortem certò coactum demonſtratur. *ibid.*

Parthi Syriam invadunt, & quo anno. *App.* LXXVI. A Ventidio victi. *App.* LXXXIII. Iterum ab eodem profligati. *App.* LXXXV. Quo anno reportatæ fuerint illæ victoriæ, ſtabilitur. *ibid.*

Parthici belli ſub Lucio Vero geſti initium conſignatur. 161. X. Quamdiu duraverit, declaratur. 166. III.

Parthicum bellum, quando à Trajano ſuſceptum. 105. II. & 111. III.

Parthorum Regnum, quo anno deſtructum & ad Perſas tranſlatum. 226. III.

Paſchales Epiſtolæ poſt Epiphaniorum diem legi ſolitæ. 400. V.

Paſtor *Junius* Conſulatûs magiſtratum init. 163. I.

Paternus, Marci Aurelii Legatus, adverſus Barbaros miſſus, illos cædit. 179. II.

Paternus annum aperit. 233. I. Conſul iterum. 268. I.

Paternus Faſtis dat nomen. 267. I.

Paternus Conſulatu honoratur. 269. I.

Paternus *Ovinius*, Collega Probo Aug. creatur Conſul. 279. I.

Patres ſeptimæ Synodi in ſacrorum librorum Critica parum verſati, multas apocryphorum quiſquilias probant. 56. III.

Patriarcha Conſtantinopolitanus multa à Romano injuſtè avellit. 37. X.

Patriarcha Hieroſolymitanus quamplurima contra Sedis Apoſtolicæ judicium uſurpat. 37. X.

Patriarchæ in Synodis ordinari ſoliti. 326. IV. Statim poſt ordinationem Synodicas ad alios Patriarchas per Legatos mittunt. *ibid.* Miſſarum ſolennia in mutuæ inter illos communionis indicium cum iiſdem Legatis celebrant. 326. V.

Patriarchæ Antiocheno Metropoleon & Sedium Epiſcopalium ſubjectarum numerus. 37. XI. Alexandrino. 37. XII. Conſtantinopolitano. 37. XIV. Jeroſolymitano. 37. XIII.

Patriarchatûs Romani termini examinantur. 325. XXVII. & *ſeqq.* Opinio Salmaſii circa eos adducitur, & refellitur. 325. XXVIII. & XXX.

Patriarchatus Jeroſolymitanus ab Antiocheni poteſtate avulſus 37. XIII.

Patriarchatuum inſtitutio, quando, & quibus in locis facta. 37. IX.

Patroclus, non ſub Aureliano Aug. ſed ſub Aureliano Præſide, Trecis in Gallia paſſus demonſtratur. 277. III. At quo anno, & in qua perſecutione coronatus fuerit, incertum. *ibid.*

Paulinus *C. Suetonius* Conſulatum ſuſcipit. 66. I.

Paulinus *M. Aurelius* annum aperit. 277. I.

Paulinus *Anicius* Faſtis dat nomen. 325. I.

Paulinus junior *Anicius* Conſulatum ordinarium gerit. 334. I.

Paulinus Antiochenſis Epiſcopus, an plures, vel unicus fuerit, examinatur. 319. VIII. E Sede Tyri ad Antiochenam transfertur. 340. XX. Euſtathii ſucceſſorem in hac Eccleſia fuiſſe, certum. *ibid.* Per breve admodum tempus ſedet, ita ut à multis Auctoribus omittatur. *ibid.*

Paulinus creatur Antiochenus Epiſcopus. 362. XIX. Sed nonniſi in Concilio Alexandrino, vel poſt illud. 362. XX.

Paulus *L. Æmilius* ordinario Conſulatu illuſtris. 1. I.

Paulus Apoſtolus, quibus anno & die martyrium paſſus. 65. II. 67. III. & 258. III.

Paulus Samoſatenus, quo anno Epiſcopus Antiochenus fuerit creatus, indicatur. 261. V. Adverſus hunc, non prior, ſed poſterior Synodus Antiochena congregata. 265. II. Sub Claudio quidem convictus, at ſub Aureliano tantùm, & poſt victam Zenobiam, ab Eccleſia pulſus. 271. III. & 272. II. Ejus error, hujuſque à Sabellii & Neſtorii hæreſibus diſcrimen aperitur. 271. IV.

Paulus in Epiſcopatu Conſtantinopolitano Alexandri ſucceſſor, Conſtantini Magn. temporibus Epiſcopus adhuc non erat. 341. IX. Ante eam dignitatem adeptam, à Conſtantino in exilium pulſus. 340. X. Quo anno ſedere cœperit, indicatur. 340. XVI. Ab Epiſcopatu quidem Euſebianorum factione depoſitus, ſed non de novo relegatus. 340. XVII. Poſt Euſebii Nicomedienſis obitum Sedi Conſtantinopolitanæ ab Orthodoxis cum tumultu reſtituitur. 342. XV. A Conſtantio iterum deturbatur, & Singaram, dein Emeſam ferreis catenis vinctus, exul perducitur. Ante Sardicenſe Concilium in Sedem reſtitutum fuiſſe, dicendum. 348. III. Huic Synodo tamen non intereſt, & quare. *ibid.* Moritur. 351. VIII.

Paulus primus Eremita, quo anno defunctus. 343. II. Sub hujus Sancti nomine militans Congregatio, quo auctore, quove tempore inſtituta. *ibid.*

Paulus *L. Vettius* Conſul creatur. 168. I.

Paulus Romæ & in ditione Magnentio ſubjecta annum aperit. 352. I.

Pax viget in Imperio Romano poſt bellum Mauritanicum à Marco Aurelio & Lucio Vero confectum. 166. VI. Eam horum Imperatorum Numiſmata demonſtrant. *ibid.* Sancitur denuo, poſt Germanos Sarmataſque à M. Aurelio & filio Commodo devictos. 176. IV.

Pedanius Syriam non adminiſtrat cum

C. Sentio Saturnino. *App.* C X V I I.

Pedo *M. Verginius* Conſulatu decoratur. 115. I.

Pelagius, Laodicenus Epiſcopus, in exilium mittitur. 370. V.

Pelignianus annum aperit. 231. I.

Peluſiota, idem quod luto immerſus. 395. Alia hujus vocis ſignificatio in Annalibus ſtabilita, non recipienda. *ibid.*

Pentecoſtes feſtum pro quinquaginta diebus illud præcedentibus ab Antiquis uſurpatum. 355. V. & V I.

Peregrinus Faſtis dat nomen. 243. I.

Peregrinus, Cynicus Philoſophus, cognomento Proteus, ſeſe in rogum immittit. 165. V I.

Perennius, Prætorii Præfectus ſub Commodo Auguſto, quo anno occiſus fuerit, indicatur. 187. I I I.

Perinthii propter beneficia ſibi collata, Caracallæ Judaïcum triumphum celebrant, Ludoſque in honorem Severi & Caracallæ decernunt. 201. I V.

Perpenna diverſus ab Hoſtiliano. 251. XXXI. Tyrannus, non Auguſtus à Senatu creatus. *ibid.*

Perpetua & Felicitas alio, quo paſſæ, die coluntur. 198. V. Carthagine, non Tuburbi, martyrium faciunt. *ibid.* & 203. V I.

Perpetuus *P. Titius* annum aperit. 237. I.

Perſarum Regni inſtitutio, quo anno facta. *App.* X I X. & 226. I I I. Obſervanda, ut vitentur errores. 226. III. Ejuſdem deſtructio, duratio, & Reges aſſignantur. *App.* X I X.

Perſecutio in Chriſtianos ſub Nerone. 64. II. Non ſolùm contra Fideles Romæ verſantes edicta, ſed & contra omnes ubique per Romanum Imperium degentes. 64. I V.

Perſecutio ſub Domitiano, cruenta. 90. V I. Quandonam inchoata. 90. V. & 91. IV. Quando item, & qua occaſione aucta. 95. I I. In Nummo Iliaco non expreſſa. 95. V.

Perſecutio ſub Trajano, anno, quo Imperii Proconſulatis Decennalia exhibuit hic Imperator, aucta. 107. I I. & 112. I V.

Perſecutio ſub Marco Aurelio graviſſima, & quare. 162 VI. Hujus initium & augmentum aſſignatur. 163. I I. & 167. I I I. Varias Romani Imperii Provincias vexat. 177. I I I. Quando in Gallias eruperit, annotatur. *ibid.* Euſebii ſententia circa eandem defenditur. 177. I I I. & I V.

Perſecutio ſub Severo & Caracalla, ab hujus Quinquennalibus malè inchoata. 201. I I. Ejus initium anno decimo Severi certò conjungendum. 202. II. Longiſſima fuit. 201. V I I I. & 207. I I I. Simulque cruentiſſima. 202. I I. Alexandriæ præſertim. 202. I I I. Sub Severi Quindecennalibus augetur. 207. I I I.

Perſecutio ſub Maximino localis tantùm fuit, non univerſalis. 235. I I I. Per tres annos circiter durat. 235. I V. In Sacerdotes ſolùm & Clericos decreta. *ibid.*

Perſecutio Alexandriæ ſub Philippis Augg. orta, à motu populari originem habet. 248. V I. Decianam antecedit, ideoque cum ea non confundenda. *ibid.* Quo anno mota, quantum temporis graſſata fuerit, oſtenditur. *ibid.* & 249. I I I. Qua item occaſione finem acceperit, declaratur. 248. V I I.

Perſecutio à Decio indicitur. 250. I I I. Quo anno inchoata, & continuata. 251. I V. Huic plures ſuccumbunt. 250. V I. Romæ & in Africa ſævit, ſed hîc multò minùs. 250. V I I. Sedatur in Africa, & ratio hujus indicatur. 250. X I I I. Extincto Decio, finem ubique accipit. 251. X X V I I I.

Perſecutio ſub Gallo & Voluſiano menſe Maio incepta. 252. V I I I Non occaſione peſtis decreta. *ibid.* Sub ipſa Chriſtiani Romæ vexati. 252. X I V. At non in Aſia. *ibid.* Neque in Africa. 252. XV. & XVI. Brevis admodum, & quare. 252. X V I. Inito à Valeriano Imperio, deſinit. 253. X I V.

Perſecutio ſub Valeriano & Gallieno, quo anno indicta. 256. X V. & 257. II. Quo item menſe cœpta. 257. V I. Gravis, & quare. 258. X. Quandonam finierit. 258. V. & 259. X I. Error multorum circa illius durationem aperitur. 259. V I I. & X I Quando in Ægypto ſedata fuerit, demonſtratur. 262. V I I. Rufini lapſus circa Edictum quod illi finem impoſuerit, aperitur. 262. V I I I.

Perſecutio ſub Aureliano in Chriſtianos decreta. 272. I I I. Hujus initium ab Auctoribus perperam conſignatum, in proprium annum reſtituitur. *ibid.* Eam non ſolùm intentatam fuiſſe, ſed & executioni mandatam, oſtenditur. 272. I V. & *ſeqq.* Breviſſimam fuiſſe aſſeritur. *ibid.*

Perſecutio in milites ſub Galerio Maximiano, quo anno incepta. 297. III. & V I. 298. I I. & 301. I I I. Arnobii libris annus, quo inita, demonſtratur. 302. XIV. Quanto tempore univerſalem à Diocletiano excitatam præceſſerit, indicatur. *ibid.*

Perſecutio univerſalis à Diocletiano indicta, militum perſecutionem quaſi quoddam præludium habet. 298. I I. De ea excitanda deliberatur. 302. I I I. Quo anno, menſe & die decreta. 302. V. Quo item in loco. 302. I I I. Initium illius perperam collocantes aliqui redarguuntur. *ibid.* & 304. X I I. Cauſa hujus perſecutionis rectè ab Euſebio aſſignata. 302. I V. Alia à Galerio Maximiano conficta, adducitur. 302. V I. Ita atrox hæc fuit, ut neque domui Regiæ pepercerint Diocletianus & Galerius. 302. V I I. Illius in omnes crudelitas ex Auctoribus enarratur. 302. V I. & V I I. In Galliis tamen, ubi Conſtantius Chlorus imperat, locum non habet. 303. V I I. Quo anno in Oriente recruduerit, ſtabilitur. 307. X I I. Illius anni à Baronio minùs rectè conſignati. 307. I V. 308. I I. 309. V I. & 312. X X I. Quo anno in Occidente finem habuerit, annotatur. 312. X X I. Quóve in Oriente deſierit, aperitur. *ibid.* & 314. V I. Ejus duratio indicatur. 314. V I.

Perſecutio in Orthodoxos à Valente Aug. excitatur, & quo anno. 366. I V. Graſſatur in Meſopotamia præſertim & Palæſtina. 372. IV. Ægyptum tamen non affligit, niſi anno c c c l x x i i i, & poſt mortem Athanaſii. 372. V I I.

Perſecutionis in Perſide ſub Sapore Rege edictæ epocha adducitur. 393. I I I.

Perſicum bellum ſub Alexandro Imperatore, perperam à quibuſdam conſignatum. 229. III. Quandonam inchoatum. 228. V. & 229. VII. Alexandro Aug. parum fauſtum. 229. VI. Ante aliud quodcumque ab hoc Imperatore ſuſceptum. 228. VI.

Perſicum bellum ſub Diocletiano & Maximiano Augg. quo anno cœptum. 296. VI. & 297. IV. Perperam anno ccc illigatum. 297. IV.

Perſicum bellum ſub Conſtantini Magni obitum denuo inſtauratum. 338. VII. Sub Conſtantio ejus filio ardet. 345. II.

Perſicum aliud bellum ſub eodem Conſtantio initum. 358. III.

Perſicus *P. Fabius* Conſulatum gerit. 34. I.

Pertinax. *Vide* Helvius Pertinax.

Peſcennius Niger Imperator in Oriente appellatur. 193. V. A Severo Aug. victus & interemtus. 194. II.

Peſtilentia, quæ univerſam Italiam, Commodo imperante, vaſtavit, ad quem annum ſpectet, enuntiatur. 187. V.

Petronius Vitellio in Præfectura Syriæ ſuccedit. 59. II. Diverſus ab aliis ejuſdem nominis tribus. *ibid.*

Petrus Apoſtolus Romam non venit ſub Claudio Imperatore. 43. II. Sed ſub Neronis tantùm initio. 43. III. & 54. III. Qui ſub Claudio veniſſe contendunt, abſurda comminiſci coguntur. *ibid.* Unde orta opinio, Petrum Romæ annis viginti quinque ſediſſe. *ibid.* A Nerone necatur. 65. II. & 67. III. Quo anno & die id acciderit. 65. II. 67. III. & 258. III. Ejus corpus ſæpius ad catacumbas tranſlatum, quàm crediderit Baronius. 258. III.

Petrus, Alexandrinus Epiſcopus, Theonæ ſuccedit ccc Chriſti anno. 300. II. Quarto perſecutionis Diocletianeæ anno Canones ſuos in lucem emittit. 305. IV. Martyrio coronatur. 310. III. & 311. XV. Vitio hujus de Ario, ejuſque martyrii Acta à veritate aliena. 310. III.

Phariſæi, quare & quando in duas partes diſcedunt. *App.* XCIV.

Phaſaelus, Antipatri filius, Hieroſolymis & circumjacenti regioni Dux conſtituitur. *App.* LXI.

Philagrius Ægypti Præfectus annis ccc xxxv & ccc xli, Gregorium Alexandrinam Eccleſiam invadentem, in eandem Sedem inducit. 341. XXVI.

Philagrius, Philagrii filius, Ægypti etiam Præfectus anno ccc lvi, Georgium in ſecunda Sedis Alexandrinæ invaſione comitatur. 341. XXVII. Filius à patre diſcrimen annotatur. *ibid.*

Philippus Herodis Aſcalonitæ filius, & Antipæ frater obit. 34. III. & 37. III.

Philippus ſenior Aug. Arabs, Præfectus Prætorio, Gordiano III inſidias parat. 244. II. Quaſi tutor à militibus Gordiano impoſitus, cum ipſo tenet Imperium. *ibid.* Hunc occidi jubet. *ibid.* Statim ab Imperio aſſumto Philippum filium Cæſarem dicit, & Tribunitia exornat Poteſtate. 244. III. Quo anno Romam venerit, indicatur. 245. II. Faſtis dat nomen. 245. I. Iterum Conſul procedit. 247. I. Filium Auguſtum dicit. 247. II. Ob eam nuncupationem populo dat congiarium. 247. III. Ludos ſeculares nonos & omnium poſtremos exhibet. 247. VII. Eoſque magnificentiſſimos. 247. VIII. Nondum Chriſtum profeſſus, cùm illos dedit. 247. V. An initio Imperii Chriſto nomen dederit, inveſtigatur. 247. VI. Inchoato ſexto Imperii anno occiditur. 249. IV. & 251. II. Et hoc circa menſem Julium. 249. IV. & V.

Philippus junior, Aug. adhuc puer, Cæſar à patre renuntiatur, & Tribunitia Poteſtate decoratur. 244. III. Quo anno id factum, enuntiatur. *ibid.* Adhuc Cæſar annum aperit. 247. I. Simulque Auguſtus dicitur. 247. II. Secundùm Conſul. 248. I. Tertium Conſulatum nullo modo init. 249. I. Cum patre interimitur. 249. IV. & V. & 251. II.

Philippus *Fl.* Faſtis dat nomen. 348. I.

Philogonius, Eccleſiæ Antiochenſis Præſul, ſub Licinio moritur. 319. VII.

Philoſophi nomen non ſemper literarum ſtudium, ſed aliquando auſteram vivendi rationem denotat. 148. III.

Phlegon, Hadriani Libertus, Solis deliquium Chriſto moriente viſum memorat. 32. XI. Quo tempore floruerit, & Opus ſuum de Olympiadibus ſcripſerit, indicatur. 136. IV.

Photinus in ſecunda Mediolanenſi Synodo damnatur. 344. III. & 347. V. & XII. In Synodis etiam Antiochena ſecunda & Sardicenſi. *ibid.* In Romana item, non verò in Sirmienſi à Petavio excogitata. 349. VII. In priori Sirmienſi ſua Sede dejicitur. 351. IX.

Picturæ Deum & Trinitatem repræſentantes aliàs vetitæ. 55. V. Hæc prohibitio occaſione Catechumenorum & Gentilium facta. *ibid.* Hujus prohibitionis ratio inſinuatur. *ibid.*

Pionii Martyris dies & annus Paſſionis aſſignantur. 251. XI.

Piſo *L. Calpurnius* Faſtis dat nomen. *App.* CXV.

Piſo *Cn. Calpurnius* annum aperit. *App.* CIX. Conſul iterum procedit. *App.* CXX.

Piſo *L. Calpurnius* Faſcibus illuſtratur. *App.* CXLIX.

Piſo *L. Calpurnius* ordinarium init Conſulatum. 27. I.

Piſo *C. Calpurnius* Conſularis magiſtratu fungitur. 3. I.

Piſo Conſul creatur. 175. I.

Piſo *L.* deſtinatur à Tiberio Urbis Præfectus per annos viginti; & qua de cauſa. 11. III. & IV.

Piſo *L.* alter à priori, Conſulatu decoratur. 57. I.

Piſo *Cn.* conſtituitur Syriæ Præſes poſt Creticum Silanum. 17. III.

Piſo *Licinianus* à Galba adoptatus, Cæſar renuntiatur; ſed intra diem adoptionis ſextum perit. 69. II.

Pius, non Ulpianus, neque Ulpicius, annum aperit. 238. I.

Pius Papa ad Deum migrat. 150. II. & 165. III. Mortis annus, & Sedis duratio certò definiri non poſſunt. 165. III. Epiſtolæ hujus Pontificis à Doctis non probatæ. 165. IV.

Placidianus ordinarium gerit Conſulatum. 273. I.
Placidus *M. Mœcius Memmius Furius* Conſul. 343. I.
Placilla, Theodoſii Magni uxor prima, Gratiani, Arcadii & Honorii Auggg. mater. 384. IV. Mortis ejus annus indicatur. 385. VI. Flacilla etiam à multis vocata. *ibid.*
Placillus, ſeu Flacillus, Arianus, Antiochenus Epiſcopus, circa CCCXXX Chriſti annum Euphronio ſuccedit. 340. XX. Tyri Conciliabulo adeſt. *ibid.* Poſt annos duodecim, quibus ſedit, moritur. *ibid.*
Plancus *L. Munatius* Conſulatu ordinario illuſtris. *App.* LXXIV.
Plancus *L. Munatius* Conſul. 13. I.
Plautianus, Plautillæ Antonini Caracallæ uxoris pater, Severi Imperatoris per Orientem comes, & Præfectus Prætorio. 199. IV. A Severo non relinquitur Romæ, dum ipſe in Orientem pergeret. *ibid.* Ejus apud Aug. auctoritas indigitatur. *ibid.* Conſul procedit. 203. I. Falsò à quibuſdam *Silanus* vocatus. *ibid.* E *Fulviorum*, non verò *Septimiorum* familia oriundus. *ibid.*
Plautilla, Plautiani filia, Caracallæ in matrimonium data. 198. IV.
Plautius *Q.* Conſul. 36. I. Per errorem *Plautianus* dictus. *ibid.*
Plinius, quandonam Panegyricum Trajano recitaverit. 101. III. In Bithyniam, non ut Proconſul, ſed ut Auguſti Legatus ac Proprætor mittitur. 102. III. In hanc Provinciam non venit centeſimo tertio Chriſti anno. 102. VIII. Neque ſtatim poſt Conſulatum à ſe geſtum. 102. VII. Sed poſt aliquot tantùm annos à ſumto Conſulatu. 102. III. Quo tempore in Bithyniam venerit, ſtabilitur. 102. V. Jam illi Provinciæ præerat, cùm Trajanus Natale Imperii celebravit. *ibid.* Ad hunc Imperatorem de Chriſtianorum cauſa celebrem ſcribit epiſtolam. *ibid.*
Plotinus, quibus Conſulibus in lucem prodierit, quandiuque vixerit, indicatur. 263. III. De Platonopoli condenda apud Gallienum fruſtra agit. 263. IV.
Pluvia ſaxea Conſtantinopolim infeſtat. 367. IV. De ea tamen Gregorii Nazianzeni Oratio *de Plaga grandinis* non intelligenda. *ibid.*
Pollio *C. Aſinius* Faſcibus honoratur. *App.* LXXVI.
Pollio *C. Aſinius* annum aperit. 23. I.
Pollio *T. Verus* Faſtis dat nomen. 81. I.
Pollio *L. Fufidius* Conſul. 166. I. Minùs rectè *Sufidius* vocatus. *ibid.*
Pollio *T. Vitraſius* ſecundùm Conſul creatur. 176. I.
Polycarpus Smyrnæ Epiſcopus, quo anno, quo Imperatore, & quo Pontifice Romam venerit. 165. V. Martyrii ejus dies aſſignatur. 164. IV. Annus tamen incertus. 167. V.
Pompeianus Conſul procedit. 173. I.
Pompeianus, Marci gener, Conſulatum ordinarium non gerit anno Chriſti CLXXVI. 176. II.
Pompeianus *Claudius* Conſulatûs magiſtratu fungitur. 209. I.
Pompeianus Faſtis dat nomen. 231. I.
Pompeianus annum aperit. 241. I.
Pompeius Magnus: quæ præclarè geſſit in Aſia, narrantur. *App.* LIII. A Cæſare in Theſſalia vincitur, & qua anni parte. *App.* LIX. Ptolemæi Ægypti Regis juſſu trucidatur. *ibid.*
Pompeius *Sextus*, Magni filius, cum Triumviris pacem ſancit. *App.* LXXXII.
Pompeius *Sextus*, alter à priori, Conſul procedit. *App.* XCIV.
Pompeius *Sextus*, præcedentis filius, Faſtis dat nomen. 14. I. *Nepotis* cognomen perperam ipſi tribuitur. *ibid.*
Pomponius Flaccus, Proprætor Syriæ deſtinatus, hujus dignatis poſſeſſionem non init. 21. V. Conſulatum gerit. 17. I. Præturam Urbis obtinet. 11. V. Syriæ tandem Præſes conſtituitur. 22. III. E vivis excedit. 33. III.
Pomponius Baſſus Conſul. 211. I.
Pontianus annum aperit. 238. I.
Pontianus poſt Urbanum Papam Romanam Eccleſiam adminiſtrat. 231. II. Quo die ipſi ſucceſſerit, aperitur. *ibid.* Martyrium ſub Maximino ſubit. 235. V. Dies Paſſionis illius aſſignatur. 235. VI. Sedis duratio ſtabilitur. 235. V. Vicariatus ejus ſub Urbano deceſſore, commentitius. *ibid.* Perperamque ordinationis ejus dies in Dominicam diſtrahitur. *ibid.* Decretales duæ huic Pontifici adſcriptæ, ſuppoſititiæ reputantur. 235. VI.
Pontianus *Ser. Octavius Lanas* Conſul procedit. 131. I.
Pontianus Conſulatu ordinario illuſtratur. 135. I.
Pontifices Romani ante Alexandrum, quibus menſibus aut diebus ſupra annos vixerint, incompertum. 130. III. Plurium etiam poſt Alexandrum, ordinationis & mortis dies nobis ignotus. *ibid.*
Pontifices Romani nec per ſe, nec per Legatos, pluribus Conciliis interfuere. 341. XII.
Pontificis Maximi nomen Auguſtis & Imperatoribus, dum multi ſimul eſſent, non ſemper commune. 161. VI. Res item per illud ſignificata, etiamſi jam nomen eſſet commune, aliquando non communicata. *ibid.* Quando verò & nomen & res omnibus attribui cœperit, indicatur. *ibid.* & 304. VII.
Pontificis Maximi titulum Chriſtiani Imperatores non uſurpant. 312. XV. Rationes multæ, ad hoc probandum adducuntur. 312. XVI. Locus Auſonii, ut videtur, contrarius explicatur. 312. XVII. Inſcriptiones, quæ hunc titulum Imperatoribus tribuunt, explanantur. 312. XVIII. Eaſque in Gentilium Imperatorum honorem ſculptas, & in Chriſtianos poſtea tranſlatas fuiſſe, evincitur. 312. XIX.
Pontificum Romanorum duratio, non ab electione, ſed ab Epiſcopali ordinatione, numeranda. 67. XIII. Eorum emortualis dies ſæpe diverſus ab eo, quo coluntur; ſæpe etiam cum eorundem tranſlatione, ſimilive feſtivitate confuſus. 67. XVIII.
Poplicola *L. Gellius* annum aperit. *App.* XCII.
Porphyrius Romam venit occaſione Decennaliorum Gallieni Aug. 262. V. & 263. III.

III. Judæus non fuit, ſed Tyrius. 262. V. & 302. IX. Cur Judæus reputatus. *ibid.* Cur etiam *Batanaotes* dictus, ratio non improbabilis adducitur. *ibid.* In Chriſtianos non ſcripſit, dum eos in ſectaretur Diocletianus. 302. X. Neque etiam hoc de illo teſtantur Antiqui. 302. XI. Quid de eo ſenſerit Divus Auguſtinus, inſinuatur. 302. XII. Errores quorundam circa hunc Philoſophum in medium proferuntur. 302. XIII. Uſque ad Concilium Nicænum vitam non produxiſſe, certum. 325. XXVI.

Poſtumus in Galliis Imperium uſurpat. 260. II. Cum filio Poſtumo à Lolliano rebellante occiditur. 269. III. Sub quo Imperatore cædes hæc patrata fuerit, ſtabilitur. *ibid.* & IV. Adverſa ſententia profligatur. 269. IV. Annos decem incompletos regnaſſe Poſthumum oſtenditur. 269. III.

Potamius, civitatis Odiſſiponæ Epiſcopus, tanquam Hæreticus ab Hoſio repulſus. 357. V. In ſecunda Sirmienſi Synodo blaſphemam Fidei Formulam conſcribit. *ibid.*

Præfecti Prætorio non ſemper aſſumti ex Ordine Equeſtri. 94. II. Aliquando tamen Conſules creati. 94. III. & 285. II.

Præfecti Prætorio, qui Romani Imperii Diœceſibus præeſſent, quot, & à quo inſtituti. 37. IV.

Præfecti Prætorio quatuor à Conſtantino Magno in unius locum ſubrogati, nec, ut antea, militibus præſunt, nec Imperatorum Comites, nec Cæſareorum exercituum ſupremi Magiſtri dicuntur. 332. IV.

Præfecto Orientis, quot, & quæ Provinciæ ſubjectæ. 37. V. Illyrici. 37. VII. Italiæ. *ibid.* Galliarum. 37. VII.

Præfectura Galliarum Treviris Arelatem tranſlata ab Honorio Imperatore. 332. VI.

Præſens *Bruttius* Conſulatu decoratur. 139. I.

Præſens *C. Bruttius* init Conſulatum. 153. I. Diverſus à Bruttio Præſente, qui cum Antonino Pio Conſulatum geſſerat. *ibid.*

Præſens *L. Fulvius Bruttius* ſecundo Conſulatu illuſtris. 180. I.

Præſens *C. Bruttius* Conſul. 217. I.

Præſens *Bruttius* Faſtis dat nomen. 246. I.

Præſides Provinciarum ſub Cæſaribus non ſemper bellis contra Romanorum hoſtes præiunt. *App.* CXXV.

Prætextatus *C. Aſinius* Faſcibus decoratur. 142. I.

Praxeas, non ſub Aniceto Papa, ſed Victore ſedente, Romam advenit. 171. III. Quid ibi egerit, enarratur. *ibid.*

Preſbyteri quinque Feliciſſimo Diacono ſe adjungunt, & ab Eccleſia Africana ſe ſeparant. 251. XVI. A Concilio Carthaginienſi excommunicantur. 251. XXII.

Priſca Diocletiani Aug. uxor unica, quandiu Principatum tenuit; quo anno extincta. 294. II. & III. Quia Chriſtiana, ſacrificio pollui jubetur. 302. VII.

Priſcianus *Criſpinus* Conſul creatur. 110. I.

Priſcinus *M. Peduceo Syloga* Conſulatu ornatur. 141. I.

Priſcus *Q. Nonius* Conſul. 149.

Priſcus *D. Novius* annum aperit. 78. I.

Priſcus *Q. Soſius* Conſulatus magiſtratum ſuſcipit. 169. I.

Priſcus *M. Statius* Conſul procedit. 159. I.

Privatus, Lambeſitanus, Hæreticus, venit Carthaginem, dum Cyprianus ſecundam Carthaginienſem Synodum habet. 252. VI.

Probianus *Petronius* Faſtis dat nomen. 322. I.

Probinus Conſulatu ordinario illuſtratur. 341. I.

Probinus annum in Occidente aperit. 395. I.

Probus *Sergius Calpurnius* Faſcibus honoratur. 228. I.

Probus *M. Aurelius* in Illyrico, Imperator; dein Romæ, ſalutatur. 276. VI. & VII. Cum Floriano per tres circiter menſes imperat. 276. V. & VII. Ejus Imperii initium non à Floriani, ſed à Taciti Aug. morte accipiendum. 276. VI. & VII. Poſt adeptum Imperium Faſtis dat nomen, & quare. 277. I. Quo anno Gallias à Barbaris occupatas receperit, indicatur. 277. VII. Conſul ſecundùm procedit, & qua de cauſa. 278. I. Hic Conſulatus perperam è Faſtis expunctus, & ſuffectus creditus. *ibid.* Tertium init Conſulatum, ſibi ob victorias reportatas decretum. 279. I. Error Baronii circa hujus Imperatoris Conſulatus detegitur. *ibid.* & II. Pamphyliam, motus ſedandi causâ, venit. 279. III. Cum Narſeo apud Perſas regnante pacem init, Barbaroſque fines Romanos populantes opprimit. 280. VIII. Faſtis quartò dat nomen. 281. I. Quinquennalia exhibet. 281. II. Annum iterum aperit. 282. I. De Germanis & Blemyis triumphum ducit. 282. II. Inchoato Imperii anno ſeptimo, circa menſis Auguſti initium à militibus interimitur. 283. II. Ejus mors à Chriſti anno CCLXXXII, nullo modo removenda. 283. II. & IV.

Probus *Sextus Petronius* Conſul ordinarius procedit. 371. I.

Proclus *Acerronius* Conſulatûs magiſtratum init. 37. I.

Procopius tyrannidem arripit. 364. VI. & 365. XV. Annus hujus defectionis ſtabilitur. *ibid.* In Phrygia Salutari victus, occiditur. 366. II. Quanto tempore tyrannidem exercuerit, annotatur. *ibid.* & 364. VI.

Proculus annum aperit. 340. I.

Proculus, Tatiani filius, urbis Conſtantinopoleos Præfecturâ donatur. 392. VI. Paulò pòſt capite plectitur. *ibid.*

Prohæreſius, Sophiſta Athenienſis Chriſtianus; etſi à Juliano docere non prohibeatur; Scholam ſponte deſerit. 362. XXX. & XXXI.

Promotus, equeſtribus copiis à Theodoſio Magno contra Maximum Tyrannum præfectus, annum in Oriente aperit. 389. I.

Provinciæ *Quinque* vulgò dictæ, à Galliis diſtinctæ, quæ fuerint, examinatur. 374. V. & XVII. Quo tempore ad ſeptenarium numerum redactæ, indicatur. 374. V. Inter eas Novempopulana numeranda. 374. XVIII. Gothofredi opinio circa illas adducitur, & ſimul evertitur. 374. XIX.

Provinciæ *Septem* communiter dictæ; à quo; & quando inſtitutæ. 400. XII. & XIV. Inter eas Alpes Graiæ non annumerandæ. 400. XIII.

Provinciarum Romani Imperii quinque ejuſ-

dem Diœceſes conſtituentium numerus aſſignatur. 39. V. & *ſeqq.*

Pſalmorum alternatim decantatorum origo detegitur. 400. IX.

Pudens *L. Arrius* Conſul. 165. I.

Pudens *Servilius* creatur Conſul. 166. I. Hujus à L. Arrio Pudente diſcrimen annotatur. *ibid.*

Pulcher *Ap. Claudius* Conſulatum ſuſcipit. *App.* LXXXIV.

Pupienus & Balbinus à Senatu Auguſti nuncupantur, & quo anno. 236. VIII. & 237. II. Inter ſe diſcordes, à militibus, cùm Ludi Capitolini celebrantur, trucidati. 238. IV. & V. Hos Imperii annum ſecundum inchoaſſe, certum. 238. VI.

Puteoli oppidum, jus Coloniæ & cognomentum à Nerone adipiſcitur. 60. II.

Q

QUADRATUS *A. Julius*, non *C. Numidius* Faſtis dat nomen. 105. I.

Quadratus Conſulatûs magiſtratum init. 167. I.

Quadratus *L. Statius* Conſulatûs munere fungitur.

Quadrigæ elephantorum in triumphis adhiberi ſolitæ, à quo primùm uſurpatæ. 230. III.

Quarti, Feliciſſimi & Agapiti natalis dies perperam à quibuſdam collocatus. 258. IV. Hos ſub Sixto Papa martyrium non ſubiiſſe, demonſtratur. *ibid.*

Quietus, Macriani filius, cum patre occiſus. 261. VI.

Quietus ordinariis Faſcibus illuſtratur. 272. I.

Quinctianus Conſulatum ſuſcipit. 135. I.

Quinctianus annum aperit. 289. I.

Quinctilianus *Sex. Novius* Faſtis dat nomen. 8. I.

Quindecennalia à temporibus ſolùm Conſtantini Magni in Nummis deſcribi ſolita. 126. IV.

Quinquatruum Minervæ dies feſtus, quoto menſe & die celebratus. 68. II.

Quinquennale Ludicrum à Nerone inſtitutum, quovis anno quinto exacto agi ſolitum. 60. II.

Quinquennalia & Quindecennalia à Commodo Aug. primùm in Numiſmatis memorari jubetur. 192. II. At in hoc non ſunt eum ſecuti Imperatores alii uſque ad Conſtantinum Magnum. *ibid.*

Quinquennalia patrum in Nummis filiorum, & è contra filiorum in Nummis patrum, aliquando inſcripta. 320. VI.

Quintilius Varus Sentio Saturnino Syriæ Præſide immediatè ſuccedit. *App.* CXXVII. Annuſque, quo tale munus inierit, Nummis comprobatur. *ibid.* Herodis mortis tempore & initio regni Archelai Syriam adminiſtraſſe, demonſtrant Nummi. *App.* CXXXVI.

Quintilius Conſul procedit. 177. I.

Quintillus Plautius annum aperit. 159. I.

Quintillus, Claudii Aug. frater, ipſi in Imperio ſuccedit; at poſt dies tantùm ſeptemdecim regni extinguitur. 270. IV.

Quintus Herennius Etruſcus Meſſius Decius. *Vide* Decius Cæſar.

Quirinius, vel Cyrinus, *P. Sulpicius* Faſtis dat nomen. *App.* CXVI. In Judæam cum Imperio extraordinario probabiliter mittitur, ut cenſum agat. *App.* CXX. Quo anno Syriæ primùm præfuerit, ſtatuitur. *App.* CXXIII. CXXXIV. & CXXXVI. Expeditio ejuſdem in Homonadenſes hunc Syriæ Præſidem tunc temporis fuiſſe, non deſignat. *App.* CXXVI.

R

REBAPTIZATIONIS uſum ad ſolam Eccleſiaſticam diſciplinam, non ad Fidem, pertinere, cenſebant Africani Epiſcopi. 215. II. Controverſia de ea, quo anno orta. 155. VIII. & XIII. Hæc alio tempore agitatur, alio turbas in Eccleſia excitat. 255. XIV. Stephano Papa ſedente in Africa cœpit illius occaſione diſſidium. 256. VIII.

Regulæ quædam ad Chronologiam Pontificiam reſtituendam ſtabiliuntur. 67. V. & *ſeqq.*

Regulus *Memmius* Faſtis dat nomen. 63. I.

Regulus annum aperit. 157. I.

Regulus ordinario Conſulatu decoratur. 157. I.

Rhæti Vindelici anno quintodecimo poſt captam ab Auguſto Alexandriam debellantur. *App.* CV.

Richomeres Faſcibus in Occidente illuſtris redditur. 384. I.

Roma quo tempore condita. *App.* XXII. Peſte, fame & incendio afflicta, ſextum Conſulatum gerente Commodo Aug. 187. V. Ejus mœnia ab Aureliano dilatantur. 271. VI. & 272. II. Illius Regum Laterculum exhibetur. *App.* XXII.

Romana Synodus ſub Dionyſio adverſus Paulum Samoſatenſem celebrata, fictitia. 264. IV. Contrariæ ſententiæ fundamentum adducitur & impugnatur. *ibid.*

Romana Synodus, Conſtantini juſſu, Cæcilianum inter & Donatiſtas, ſub Miltiade Papa cogitur. 313. V.

Romana Synodus ſub Cornelio Papa, unica, non multiplex. 251. XXVI. Hujus Decreta Eccleſiis longè diſſitis communicata. *ibid.*

Romana Synodus, quam Conſtantino præſente, & ſtatim poſt illius baptiſmum Silveſter coëgiſſe dicitur, omnino commentitia. 324. XIV. Hujus ſuppoſititionis adducuntur rationes. *ibid.* & XV.

Romana Synodus ſub Julii Pontificis anno primo, ab Iſidoro Mercatore conficta. 337. VIII.

Romana Synodus in cauſa Athanaſii & Marcelli Ancyrani, quæ anno CCCXL fuerit inchoata, & CCCXLI continuata, ſine fundamento ſuppoſita. 341. XXXIII. & 342. V. Argumenta, quibus eam tuetur Baronius, in medium adducuntur. 342. VI. & IX. Sed refelluntur. 342. VII. & *ſeqq.*

Romana Synodus in cauſa Athanaſii quandonam coacta. 340. V. & 341. XXXIII. & 342. III. & IV.

Romana Synodus in cauſa Valentis & Urſacii cogitur. 349. IV. Ejus epocha ſtabilitur. 349. IX. & 350. VI. Biennio poſt ſecun-

dam Mediolanenſem habitam fuiſſe, demonſtratur. 350. V.
Romana Synodus, prior ſub Damaſo, anno CCCLXVI adverſus Valentem & Urſacium jampridem damnatos celebratur. 369. IV. Hujus Epiſtola Synodica perperam ab aliquibus ad Synodum Illyricianam relata. *ibid.*
Romana Synodus ſub Damaſo ſecunda, ab eodem Pontifice contra Auxentium Mediolanenſem Epiſcopum anno CCC LXXI exeunte, aut CCCLXXII incunte, colligitur. 369. V. Hanc ante Sancti Athanaſii mortem habitam fuiſſe, certum. *ibid.* In eadem Spiritus Sancti Conſubſtantialitate actum. 369. VI. Synodica ejus Epiſtola non ad ſolos Illyricianos, ſed & ad Orientales Catholicos directa. 369. V.
Romana Synodus ſub Damaſo tertia, in qua Appollinaris & Timotheus Hæretici condemnati, quo anno celebrata ſit, indicatur. 373. II. & III. Auctorum errores multi circa illam deteguntur. 373. III.
Romana, Synodus ſub Damaſo quarta, anno CCCLXXX habita. 378. XII. Quid in ea geſtum ſit, aperitur. 378. XIII. & XIV.
Romania: hujus vocis ſignificationes plures adducuntur. 381. III.
Romulus & milites Chriſtiani ejus ſocii, nonniſi Chriſti anno centeſimo duodecimo in Oriente ſub Trajano morti addicti. 106. III.
Romulus *M. Aurelius*, Maxentii filius, cum patre Faſtis dat nomen in Italia. 308. I. Cæſar nuncupatur. 309. I. Secundùm Conſul ibidem procedit, ob adeptàm priùs Cæſaream dignitatem. *ibid.* In hujus locum Licinius I perperam ſufficitur. *ibid.* Aquis Tyberis ſuffocatum anno Chriſti CCC IX veroſimile. 310. I. Apotheoſi à patre donatur, atque in ejus honorem Templum conſtruitur. *ibid.*
Romulus *Fl. Piſidius* ordinario Conſulatu decoratur. 343. I.
Rufinianus *L. Lucillus Macer* Faſtis dat nomen. 265. I.
Rufinus *Cuſpius* Conſulatum adipiſcitur. 142. I.
Rufinus *Antonius* Conſul creatur. 131. I.
Rufinus Titius annum aperit. 197. I.
Rufinus *A. Junius* Conſul. 153. I. In Annalibus malè Antoninis adſcribitur. *ibid.*
Rufinus *Triarius* Conſulatu ordinario illuſtratur. 210. I.
Rufinus *T. Vinius* Conſulatûs init magiſtratum. 69. I.
Rufinus Conſul ordinarius in Italia procedit. 311. I. Diverſus à Rufino Aredio anno CCC IV Urbis Præfecto. 311. VI.
Rufinus Faſcibus decorus. 316. I.
Rufinus Faſtis dat nomen. 323. I.
Rufinus Conſul. 347. I.
Rufinus & Melania in Orientem anno CCC LXXI ſe conferunt. 372. VIII. Quanto tempore ibi permanſerint, quóve anno Romam redierint, ſtatuitur. 397. II. III. & IV. & 398. III. Poſt biennium Romæ exactum Aquileiam ſe confert Rufinus. 397. V. & 399. V. Libros Invectivarum adverſus Hieronymum ſcribit. 399. V. Quandonam Hiſtoriam ſuam elucubrarit, Eccleſiaſticamque Euſebii in linguam Latinam verterit, & continuaverit, indicatur. 400. XXV.
Rufinus ordinario Conſulatu in Oriente fungitur. 392. I. Tatiano in exilium amandato in Orientalis Prætorii Præfectura ſuccedit. *ibid.* Mortis ejus genus & dies annotatur. 395. IX.
Rufus *Q. Petitus* iterum Conſulatu donatur. 83. I.
Rufus *L. Minucius* Faſtis dat nomen. 88. I.
Rufus *C. Julius* Conſulatum init. 67. I.
Rufus *Julianus* Conſul. 148. I.
Rufus *Trebellius* Conſulatûs magiſtratum ſuſcipit. 128. I.
Rufus *L. Verginius* Conſul. 63. I. Tertiùm Conſul. 97. I.
Rufus Feſtus Breviarium ſuum componit, & Valenti Aug. dicat. 369. XIV. Quo anno illud in lucem emiſerit, indicatur. *ibid.*
Ruſticus *L. Junius*, unus ex M. Aurelii Præceptoribus, Faſtis dat nomen. 162. I.

S

SABBATUM, in Quadrageſima etiam Romæ jejunio conſecratum. 57. II. Diverſæ ſuper hoc jejunio ſententiæ explicantur, & refelluntur. *ibid.*
Sabbatum ſecundo-primum, quid ſit. 30. III. Sanctorum Patrum circa illud diſcrepantes adducuntur opiniones. *ibid.*
Sabbatum Magnum, quid olim apud Chriſtianos. 167. IV.
Sabina, Hadriani Imperatoris uxor, quo anno Auguſta appellata. 126. II.
Sabinianus *Gratus* Faſtis dat nomen. 221. I.
Sabinianus *M. Rufinus* Conſulatu exornatur. 155. I.
Sabinillus annum aperit. 166. I.
Sabinus *T. Flavius* Conſul ordinarius procedit. 82. I.
Sabinus *Appius*, non *Oppius*, init Conſulatum. 84. I. A Dacis oppreſſus. 84. I. & 85. I.
Sabinus *Poppæus* Conſulatûs magiſtratu illuſtris. 9. I.
Sabinus Conſul procedit. 214. I.
Sabinus *C. Calviſius* Faſcibus decoratur. *App.* LXXXI.
Sabinus *C. Atius* ſecundum gerit Conſulatum. 216. I.
Sabinus Conſulatu fungitur. 340. I.
Sabinus *Fl. Ceionius* ordinario Conſulatu illuſtratur. 316. I.
Sacerdos *Claudius* Conſul procedit. 157. I.
Sacerdos *Licinius* ſecundo Conſulatu decorus. 219. I. Cum nota numerali legendus. *ibid.*
Sacerdotes ſummi apud Gentiles à Pontificibus Maximis diverſi. 361. VIII. Illorum, non unus tantùm, ſed plures in pluribus civitatibus conſtituti. *ibid.*
Sacramentorum ſeptenarius numerus ex arcani Diſciplina probatur. 118. IX. Proteſtantes eum abjicientes refelluntur. *ibid.*
Salia *Fl.* Faſtis dat nomen. 348. I.
Salomonis Templum inchoatur. *App.* XIV.

Evertitur. *App.* XV.
Saloninus, Gallieni Auguſti minor natu filius, poſt fratris Valeriani, ſeu Gallieni junioris interitum, Cæſar creatus, poſt Gallieni patris mortem, & ipſe occiditur. 268. II.
Salvius Julianus Edictum perpetuum componit. 131. II. Hoc autem malè in hunc annum differtur: 132. II.
Saluſtii duo perperam hactenus confuſi, diſcriminantur. 362. XXVI.
Saluſtius Faſtis dat nomen. 344. I.
Saluſtius *Secundus*, idem qui Saturninius *Secundus*. 362. XXVI. Præfectus Prætorio Orientis à Juliano Aug. conſtituitur. 361. XXVII. Iterum ad eandem dignitatem poſt Nebridii mortem à Valente Imperatore aſſumitur. *ibid.*
Saluſtius cum Juliano, ut iſti opitularetur, in Gallias à Conſtantio amandatus. 362. XXIX. Nebridio in Galliarum Præfectura ſuccedit. *ibid.* Juliano Collegâ, annum aperit. 363. I.
Saluſtius Urbis Præfectus, ſub Valentiniano juniore Baſilicæ Sancti Pauli Apoſtoli conſtruendæ curam gerit. 361. XXIX. Chriſtianus, & diverſus ab aliis duobus ejuſdem nominis. *ibid.*
Sancti ſæpius alio, quàm mortui, die coluntur. 67. XIX. Dieſque mortis non ſolò cum Tranſlatione, reliquiarum Elevatione, vel Templi in illorum honorem conſtructione confuſus. *ibid.*
Sancti, licèt *Epiſcopi*, vel *Pontifices* ſimpliciter in Martyrologiis appellentur, aliquando tamen eos Martyres non fuiſſe, perperam deducitur. 224. II.
Sanctimoniales Theodoſii Magni temporibus peculiari habitu jam utuntur. 394. V.
Sangus apud Sabinos Deus, qui & Fidius dictus, pactis & fœderibus præeſt. 42. VI. Unde ſic appellatus. *ibid.*
Sapientia, ſeu *Sophia* Templum Conſtantinopolitanum cum *Pacis* Templo non confundendum. 330. V.
Sapores, Perſarum Rex, Artaxercis ſucceſſor, jacturis ingentibus Romanos afficit. 141. III. Hominem exuit. 271. X.
Sapores Miſdati in Regno Perſarum ſuccedit. 301. II. Poſt multas de Romanis reportatas victorias, & ſeptuaginta annorum regnum moritur. 380. IX. Quorundam ejus ſucceſſorum ſeries texitur. *ibid.*
Sardicenſis Synodus, non à Julio Papa, ſed ab Imperatoribus indicta, & quo anno. 346. IV. Adverſa ſententia refellitur. 346. V.
Saturninus *C. Sentius* annum aperit. *App.* CXIV. Titio Syriæ Præſidi in eadem Præfectura ſuccedit. *App.* CXVII. At in eo magiſtratu nec Volumnium, nec Pedanium Collegas habet. *ibid.* An cenſum in Judæa egerit Saturninus, inquiritur. *App.* CXVIII.
Saturninus *Cn. Sentius* Syriæ præeſt. 3. I. Diverſus à Caio Sentio Saturnino. 4. I.
Saturninus *C. Sentius*, C. Sentii Saturnini filius, poſt Piſonem Syriæ præficitur. 19. III. Ab ea removetur. 22. III.
Saturninus *C.* Conſul. 4. I.
Saturninus *Cn. Sentius* creatur Conſul. 41. I.
Saturninus *Q. Voluſius* Faſtis dat nomen. 92. I.
Saturninus *Ti.* Conſulatûs init magiſtratum. 198. I.
Saturninus ordinario Conſulatu fungitur. 264. I.
Saturninus, qui & jam Comes Orientis fuerat, annum in Oriente aperit. 383. I.
Saturninus & ſocii, qui in Africa martyrio coronati ſunt ſub Diocletiano, nonniſi ipſo IX & Maximiano VIII Coſſ. paſſi, ex propriis martyrii Actis demonſtrantur. 303. V.
Savinus Martyr, anno tantùm Chriſti CCCIII pro Fide occiditur. 301. III. Epiſcopi Aſſiſiatis titulus illi abſque fundamento tributus. *ibid.*
Scipio *P.* Faſtis dat nomen. 56. I.
Scipio P. Cornelius Conſulatu illuſtratur.
Scribonianus *M. Furius Camillus* annum aperit. 32. I.
Scythæ aliique Romanum Imperium ſub Gallo & Voluſiano Augg. infeſtant; & hoc ante initium peſtis quindecennalis ſub iiſdem Imperatoribus ortæ. 253. V. Hi motus à Baronio malè conſignantur. *ibid.* Iterum ſub Valeriano Romanos laceſſunt, vaſtantque Antiochiam. 258. X.
Scythicum bellum, quo anno à Conſtantino Magno geſtum. 330. VIII. & 332. III. Duce Conſtantino Cæſare confectum. 332. III.
Seculares Ludi, qua anni tempeſtate edi ſoliti. 88. III. & 237. VIII. Aliquando Privatis, aliquando ipſis Imperatoribus Conſulatum gerentibus, exhibitos fuiſſe, oſtenditur. *ibid.*
Seculares Ludi ab Antonino Pio prætermiſſi. 147. III. & *ſeqq.*
Seculares Ludi à Severo & Caracalla Augg. dati, octavi, non noni ſunt appellandi. 204. II.
Seculares Ludi à Philippo Aug. exhibiti, noni fuere & ultimi. 237. VII.
Seculares Ludi à Maximiano & Diocletiano omiſſi fuere. 304. VIII. A Conſtantio item non celebrati. 348. V.
Secularis *Cornelius* ſecundo Conſulatu illuſtratur. 260.
Secundus, Ptolemaïdis in Lybia Epiſcopus, Formulæ Fidei à Nicæna Synodo expreſſæ, neque Arii condemnationi, niſi poſt exilium ſubſcribit. 325. XIX.
Sedis Romanæ ceſſatio, poſt Damaſi, Siricii, Innocentii & Zoſimi Pontificum regimen, perperam in Auctiori Chronico & Libro Pontificali annotata. 385. III.
Sedis, ut loquimur, vacantis tempus à morte unius Pontificis ad ſucceſſoris ordinationem ſupputandum. 67. XIII.
Sejanus aſtu & dolo Tiberii interit. 31. III.
Seleucenſe Concilium eodem, quo Ariminenſe, anno ab Orientalibus Epiſcopis habitum. 359. II.
Seleucus, Demetrii Nicatoris filius, regnat in Syria. *App.* XL. A Cleopatra matre ſagittâ configitur. *App.* XLI.
Seleucus, Antiochi Grypi filius, patruo bellum infert, & vincit. *App.* XLVII. Ab Antiocho Euſebete victus, è Syria expellitur, & Mopſueſtiam fugâ delatus, conce-

matur. *App.* XLVIII.

Seleucus *Claudius* Conſulatûs init magiſtratum.

Senecio *C. Soſius* Conſul. 99. I. Iterum Conſul procedit. 102. I. Tertiùm eodem munere illuſtratur. 107. I.

Septimania, unde & quando ſic appellari inceperit, enuntiatur. 400. XXIV.

Septimanius *Petronius* Conſul. 190. I.

L. Septimius Severus Conſulatum ſecundum gerit. 171. I.

L. Septimius Severus Carnunti Imperator à Legionibus ſalutatur. 193. V. Conſul ſecundùm procedit. 194. I. Nigrum vincit, interimitque. 194. II. Hujus Imperatoris victoriæ expenduntur. 195. II. Caracallam filium Cæſarem appellat. 195. III. & 196. IV. Poſt hanc nuncupationem in Gallias, non Romam, immediatè pergit. 196. IV. Nomina, quibus ob victorias cohoneſtatus in Nummis, adducuntur. *ibid.* Albinum Imperatoriam dignitatem arripientem debellat. 198. III. Quinquennalia exhibet. 198. II. Commodum deceſſorem Apotheoſi donat. 198. VI. Tertium init Conſulatum. 202. I. Chriſtianos vexat. 202. II. Decennalia anno uno dilata celebrat. 203. II. Cum filiis triumphum agit. 203. V. Ludos Seculares octavos edit. 204. II. Quindecennalia dat. 207. II. Eorumque occaſione perſecutionem auget. 207. III. Obit. 211. II. Quo anno & die natus, mortuuſque; quanto etiam tempore imperarit, & vixerit, declaratur. *ibid.* Cur in Nummis Tribunitia ejus Poteſtas XIX ſignetur, etiamſi eam non attigerit, inveſtigatur. *ibid.*

P. Septimius Geta Cæſar. *Vide* Geta.

Serapidis Templi everſio, quo anno contigerit, annotatur. 389. IX. Prava Eunapii circa hujus delubri deſtructionem interpretatio emendatur. 389. X.

Serapio, aliique, qui ſub Decio paſſi dicuntur, ante Philippi Auguſti obitum morte ſunt affecti. 250. III. Unde natus error contrarius, indigitatur. *ibid.*

Serena Diocletiano Auguſto nunquam nupta. 304. III.

Sergius Faſtis dat nomen. 350. I.

Servianus *C. Julius* Conſulatûs magiſtratum init. 134. I.

Servilius *M.* Conſul procedit. 3. I.

Servius Tullius, Romanorum Rex, Luſtrum primus inſtituit. 14. IV. Et quo ritu. *ibid.*

Severiani Hæretici à Severo Hæreſiarcha ortum habent. 172. IV.

Severus Hæreſiarcha, quo anno talis agnitus. 172. IV. Tatiano poſterior. *ibid.*

Severus Auguſtus. *Vide* L. Septimius Severus.

Severus *L. Catilius* Conſul creatur. 120. II.

Severus *M. Aurelius* ſecundùm Conſul. 173. I. In hujus locum malè ſubſtituitur Claudius Aurelius Severus. *ibid.*

Severus *Cn. Claudius* Faſtis dat nomen. 146. I.

Severus *C. Julius* annum aperit. 155. I.

Severus Conſulatu fungitur. 135. I.

Severus à Diocletiano vitam privatam amplectente Cæſar Nicomediæ renuntiatur. 304. IV. & 306. IV. Hæc nuncupatio Kalendis Maiis accidit. 306. IV. Auguſtus in odium Conſtantini dicitur à Galerio. 306. IX. In Italiam ab eodem adverſus Maxentium mittitur, & quando. 306. XIII. Interit, at mortis annus incertus. 307. IV.

Severus, anno CCCXXV Urbis Præfectus, Faſcibus honoratur. 323. I.

Severus Sulpicius Hiſtoriam ſuam à Mundi primordiis ad annum uſque Eræ Chriſtianæ CCCC deductam publicat. 400. XXVI.

Sicula Synodus Liberii Papæ temporibus celebratur. 365. VI.

Signa in Baroniano Apparatu num. XXVIII de Chriſti adventu explicata, ad quem annum pertineant, indicatur. *App.* LXX. & LXXII.

Silanus *M. Junius* Conſulatum init. *App.* CVIII.

Silanus *C. Junius* Conſul. *App.* CXV.

Silanus *Q. Cæcilius Metellus Creticus* Faſtis dat nomen. 7. I. Quirinio ſuccedit in Præfectura Syriæ. 14. IV.

Silanus *Dullius* ſecundùm Conſul. 188. I.

Silanus *Dullius* Conſul creatur. 189. I.

Silanus *M. Julius* Conſulatûs magiſtratum init. 19. I.

Silanus *App. Junius* gerit Conſulatum. 28. I.

Silanus *M. Junius*, Appii filius, Faſcibus illuſtratur. 46. I. In hujus locum M. Valerius Meſſala perperam intruditur. *ibid.*

Silanus *C. Junius* Conſulatu ordinario decoratur. 10. I.

Silanus *A. Licinius Nerva* Conſulatum ſuſcipit. 65. I.

Silanus *Servilius* Conſulatûs munere fungitur. 189. I.

Silianus *A. Licinius Nerva* Conſul creatur. 7. I.

Silius *P.* Conſul dicitur. 13. I. Falsò *Nepos* cognominatus. *ibid.*

Silvanus *M. Plautius* Faſtis dat nomen. *App.* CXLV.

Silvanus *Sex. Annius* Conſulatu decorus. 81. I.

Silvanus *M. Ceionius* annum aperit.

Silvanus in Galliis rebellat, dieque viceſima nona à rebellione Coloniæ extinguitur. 355. IV. Ad quem annum referendæ ſint & illius defectio & interitus, aſſignatur. *ibid.*

Silveſter poſt Melchiadem ſedere incipit pridie Kalendas Februarii, die videlicet Dominica. 314. II. Acta hujus Pontificis omnino ſuppoſititia. 315. III. Indulgentiæ item in iiſdem memoratæ, ſunt commentitiæ. 315. III. Hujus Sancti latebræ in monte Soracte, & in Urbem à Conſtantino revocatio, fabuloſæ. 323. IV. Annis viginti & uno, menſibus undecim ſedet, & moritur Conſtantio & Albino Coſſ. 335. VI.

Simeon & alii ſub Sapore Perſarum Rege Martyres, quo anno occiſi ſint, declaratur. 343. III. & IV.

Simon, Judæorum ſummus Pontifex, Gazam, & arcem Hieroſolymitanam expugnat. *App.* XXIX. A genero ſuo Ptolemæo occiditur. *App.* XXXIV.

Simon Magus à Romanis nunquam conſe-

cratus. 42. VI. Error multorum circa ſtatuam Romæ effoſſam, Simoni ſacram exiſtimantium, detegitur. *ibid.*

Simplicianus Divo Ambroſio in Eccleſia Mediolanenſi ſuccedit. 400. II. Sedis ejus duratio, & annus mortis indicantur. *ibid.*

Sinueſſana Synodus, in qua Marcellinum Papam coram centum octoginta Epiſcopis pœnituiſſe fertur, commentitia. 302. XVI. Indicia ſuppoſitionis plurima adducuntur. *ibid.* & XVII. Fruſtra hujus Concilii Acta vera eſſe, contendunt aliqui. 302. XIX.

Siricius poſt Damaſum Eccleſiam Romanam obtinet. 384. III. & 385. II. Dies & annus ordinationis illius indicantur. *ibid.* Decretalis hujus Pontificis ad Hymerium Tarraconenſem Epiſcopum directa, immeritò impugnatur. 385. IV. Epiſtola item ab eodem in Concilio Romano ad Epiſcopos Africæ ſcripta, perperam rejicitur. 386. II. Obit. 398. II. Mortis dies, Sediſque duratio aſſignantur. *ibid.* Siricii ſanctitatem aliqui cum fundamento defendunt. *ibid.* Sedis poſt ipſum vacantis tempus ſtatuitur. *ibid.*

Sirmienſis Synodus, quæ poſt biennium ſecundam Mediolanenſem ſecuta fuerit, ſuppoſititia. 349. IV.

Sirmienſis Synodus prior, nonniſi poſt Romanam in cauſa Valentis & Urſacii, & in qua Photinus damnatus, celebrata. 349. VI. & 351. X. Ejus vera epocha ſtabilitur. 351. IX. & 357. IV. Fidei Formula in hoc Concilio ſcripta, à Marco Arethuſo non dictata. 351. XII. Et ab Athanaſio & Hilario diverſimodè habita. *ibid.*

Sirmienſis Synodus poſterior anno CCC LVII, exeunte celebrata, cum priori anno CCC LI coactà non confundenda. 357. II. Non in hac Synodo, ut volunt aliqui, damnatus Photinus. 357. IV. Formula Fidei in eadem exarata, & ab Hoſio ſubſcripta, non à toto Concilio, ſed à paucis Epiſcopis Arianis, & præſertim Occidentalibus, edita. 357. V.

Sirmienſis Synodus tertia, in qua Liberius Papa in Sedem ſuam reſtitutus fuit, anno CCC LVIII habita. 358. IV.

Siſenna Conſulatûs magiſtratu decoratur. 135. I.

Sixtus Alexandrum Papam excipit. 116. VII. Moritur. 126, VI. & 140. III. Sedis duratio, dieſque martyrii proditur. 140. III. Decretales ejus falſæ. 140. IV.

Sixtus Papa, hujus nominis ſecundus, in locum Stephani die viceſimo quarto Auguſti ſubrogatus. 257. III. Corpora Sanctorum Apoſtolorum in Catacumbas transfert. 258. III. Sedet menſes undecim, dies ſex. *ibid.* Varii circa illius martyrii annum adducuntur errores; ſed rejiciuntur, eorumque origo detegitur. *ibid.* Sedis poſt ejus mortem vacatio exhibetur. 258. V.

Socratis error circa Jejunii obſervantiam Romæ in Quadrageſima detegitur. 57. III.

Soles tres Chriſti adventum, juxta Baronium, prænuntiantes, quo anno viſi. *App.* LXXV.

S. Sophiæ Templi annus dedicationis aſſignatur. 360. IX. Ingentes largitiones à Conſtantio Aug. huic Eccleſiæ factæ deſcribuntur. *ibid.* Et qua occaſione factæ ſint, aperitur. *ibid.*

Soſius ab Antonio poſt Ventidium Syriæ præficitur. *App.* LXXXVIII.

Soſius *C.* Faſtis dat nomen. *App.* XCIV.

Soter Papa Aniceto ſuccedit. 161. XII. & 173. III. Ad Deum migrat. 177. XI. Quantum temporis ſederit, indicatur. *ibid.* Decretales illi attributæ, ſunt ſuppoſititiæ. 177. XII.

Statuarum uſus in Chriſtianorum Templa non inductus, niſi tempore ſeptimæ Synodi Generalis. 56. III.

Stephanus poſt Zachariam ad Sedem Romanam evectus, nunquam tamen conſecratus, ideoque unanimiter in Catalogis omiſſus. 67. XIII.

Stephanus Papa Lucii ſucceſſor. 253. IV. Decreta Concilii Carthaginienſis ſecundi *de Baptiſmo Hæreticorum* condemnat, Cyprianumque & alios abſtinendos docet. 256. III. & XI. Quæ fuerit hujus Pontificis ſententia circa Hæreticorum baptiſma iterandum, aperitur. 256. IV. & V. Diſſidii ipſum inter & Cyprianum ac Orientales Epiſcopos ex Hæreticorum baptiſmi reiteratione orti hiſtoria texitur, & elucidatur. 256. VII. & *ſeqq.* Non ab Epiſcopis Orientalibus ad illum mittuntur Legati, ſed ab Afris. 256. IX. Eoſque duriùs habet. 256. XI. Orientales & Afros excommunicare minatur, revera non excommunicat. 256. X. Sub Valeriano & Gallieno Augg. martyrium facit. 257. III. Dies obitus, Sedis tempus, ejuſdemque poſt illius mortem vacatio annotantur. *ibid.* Epiſtolæ duæ, quæ ſub hujus nomine circumferuntur, adulterinæ. *ibid.*

Stephanus Arianus, Eccleſiæ Antiochenæ poſt Placillum anno CCC XLII admovetur. 340. XX.

Stilico *Fl.* in Occidente Faſtis dat nomen. 400. I.

Stola Pontificia, quam Judæis Vitellius priùs conceſſerat, à Claudio Imperatore Reſcripto confirmatur. 44. III.

Suburbicariæ Provinciæ Romano Pontifici ſubjectæ, quæ & quot. 325. XXVIII. Malè à Salmaſio imminutæ. 325. XXX. Sententia Rufini de iis adducitur. 325. XXXIII. Diverſimodè tamen ea intellecta. 325. XXXII.

Suburbicariarum regionum Epiſcopi ad Romani Pontificis ordinationem pertinent. 325. XXXII.

Succeſſianus, quandonam in Prætorii Præfectura Bæbio Macro ſucceſſerit. 238. X.

Sulla *Fauſtus* Conſul procedit. 52. I.

Q. Sulpicius Camerinus Conſulatum ſuſcipit. 9. I.

Sura *L. Licinius* ſecundum gerit Conſulatum. 102. I. Tertiùm Conſul creatur. 107. I.

Sura ſecundùm Conſul. 104. I.

Suſanna Galerii Maximiani uxor non fuit. 294. II. Acta hujus Sanctæ mendoſa. *ibid.* & III.

Syagrius *Flavius* annum in Occidente aperit. 381. I.

Syagrius Faſtis in Occidente dat nomen. 382.

I. Diverſus à Syagrio, qui anno ccc lxxxi Conſul proceſſerat. *ibid.* Et ſine nota numerali proferendus. *ibid.*

Sylvani, Epiſcopi Cirtenſis, cauſa, quo anno agitata. 306. XXII. & XXIII. In exilium mittitur. 320. VIII. Exilio ſolvitur. 321. III.

Symbolum Conſtantinopolitanum in Nicæni locum ſufficitur. 325. XVII. *Vide* Nicænum Symbolum.

Symeon Cleopæ, quo anno martyrium ſub Trajano paſſus fuerit, evincitur. 107. VI.

Symmachus tertiam Scripturæ ſacræ Interpretationem ſcribit. 201. VIII.

Symmachus annum aperit. 330. I.

Symmachus *Q. Aurelius*, cujus variæ ad nos epiſtolæ pervenere, Conſul procedit in Occidente. 391. I.

S. Syncliticæ Vita, an ab Athanaſio ſcripta, obſcurum. 328. III.

Syneſius Orationem *de Regno* habet, & quo anno. 399. XI.

Synodi variæ particulares, *Plenariæ* appellatæ; & quo ſenſu. 313. XVII.

Synodi Diœceſeos, quid. 376. II. Quo tempore celebrari cœptæ. *ibid.* *Majores* & *Plenariæ* dictæ. *ibid.* Earum uſus & auctoritas. *ibid.* & III.

Syri bellorum inter Seleucidas geſtorum pertæſi, Tigrani Armeniæ Regi ſe ſubjiciunt. *App.* L.

Syriæ Regnum inſtituitur. *App.* XXVII. Duodecim priorum illius Regum ordo deſcribitur. *ibid.* Quandonam in duo diviſum fuerit, indicatur. *App.* XLIV. A Romanis occupatur. *App.* LIII.

Syriæ Præſidum ſeries inchoatur. *App.* XCIII.

T

Tacitus *M. Claudius* Faſtis dat nomen. 273. I. Septimo menſe ab Aureliani morte ipſi in Imperio ſuccedit. 275. III. Annum denuo aperit, & qua de cauſa. 276. I. In hujus locum Probus perperam intruſus. *ibid.* Expeditionem in Scythas Imperium vexantes ſuſcipit, eoſque fugat & delet; at neque in Germania, neque in Illyrico. *ibid.* Ducenteſima die ab adepto Imperio hominem exuit; quo tamen mortis genere, incompertum. 276. IV. Hæc mors à ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto Chriſti anno non removenda. *ibid.*

Tarſenſe Concilium, quod, inſtantibus Macedonianorum Legatis, anno ccc lvii habendum erat, à Valente Aug. dirimitur. 365. VII.

Tatianus Hæreticus, Encratitarum princeps, Opus ſuum ſcribit. 172. III. Hoc non extat. *ibid.* Severum Hæreſiarcham præcedit. 172. IV.

Tatianus Ægypti Præfectus ſub Valente, Orthodoxos dirè vexat. 370. III. Conſulatu ordinario in Oriente illuſtratur. 391. I. Præfecturam Prætorii Orientis gerit; ſed eâ privatus capitali ſententia damnatur; at Theodoſii clementiâ ſervatus, in exilium mittitur. 392. VI. Hunc non è Lycia, ſed è Macedonia oriundum eſſe, clarè oſtenditur. 392. VII.

Taurinenſe Concilium nonniſi anno ccc xcviii celebratum. 397. VIII.

Taurobolia ſacra, eorumque cæremoniæ deſcribuntur. 361. VI. & VII. Baronii error circa illa annotatur. *ibid.* & VIII.

Taurus *T. Statilius* ſecundum init Conſulatum. *App.* CVIII.

Taurus *M. Statilius* Conſul procedit. 44. I. Falſum iſti prænomen datur. *ibid.*

Taurus *T. Statilius Siſenna* annum aperit. 10. I. Iterum Conſul. 16. I.

Taurus Conſulatu ordinario illuſtratur. 361. I.

Teleſinus *C. Lucius* Conſulatûs magiſtratu fungitur. 66. I.

Teleſphorus poſt Sixtum Papam ſedet. 126. VI. Ad Deum migrat. 137. VI. & 152. II. Sedis duratio enunciatur. 152. II. Dies, quo colitur, non ad ejus mortem, ſed ad aliquam Tranſlationem referendus. *ibid.* Ejus unica Decretalis, fictititia. 152. III.

Templum Deæ *Cæleſtis* dictæ, in Africa evertitur. 399. VI. & VII.

Templorum ad Gentiles pertinentium, eorumque ſolennium cura Chriſtianis à Theodoſio Magno prohibita. 386. VII. & VIII.

Terentius unam Eccleſiam pro Catholicis à Valente Aug. petit, nec impetrat. 373. VI. Quo tempore id evenerit, indicatur. *ibid.*

Tertullianus, quo anno librum *de Corona militis* in lucem ediderit. 199. III. Apologeticum item cui, & quo tempore ſcripſerit. 199. VI. Liber ejuſdem *de Præſcriptione* adverſus Hæreticos, quando promulgatus. 195. IV. Ille vero *de Spectaculis* ante hos omnes foras emiſſus oſtenditur. 199. III. Qui *ad Scapulam* Africæ Proconſulem inſcribitur, nonniſi flagrante perſecutione, & ſub finem Severiani Imperii exaratus. 201. VII. *Ad Martyras* etiam, & *de Teſtimonio animæ* in eadem perſecutione ſcripti. *ibid.* Qui *contra Marcionem* dictus, nonniſi eadem fervente, lucem vidiſſe probatur. 207. III.

Tertullus annum aperit. 158. I.

Tertullus *Scapula* Conſul ordinarius procedit. 195. I.

Tetricus, Senator, & Aquitaniæ Præfectus, abſens Imperator à militibus acclamatur. 271. XI. In poteſtatem Aureliani Aug. venit. 273. III. Quandiu in Galliis imperaverit, ex Nummis colligitur. *ibid.*

Thaddæus ad Agbarum Regem miſſus, ut eum ſanet & convertat. 29. VIII.

Tharaſci, Probi & Andronici martyrium anno tantùm Diocletiani xix contigiſſe, oſtenditur. 290. III.

Thebæorum Martyrum Acta ex Surio à Baronio recitata, ſpuria ſunt. 297. II. An eorum cædes ante perſecutionem generalem à Diocletiano excitatam contigerit, incertum. *ibid.*

Theodorus *Manlius* annum in Occidente aperit. 399. I.

Theodoſia Martyr, anno quinto Diocletianeæ perſecutionis pro Chriſto necata. 306. III. Ejus Paſſio perperam in annum ſequentem differtur. *ibid.*

Theodoſius Comes, Theodoſii Aug. pater, non à Valente, ſed à Gratiano Aulicorum & Theodoſii inimicorum fraudibus impulſo, iniquè jugulatur. 373. IV.

Theodoſius die XIX Januarii Collega Imperii dicitur, eique in ejuſdem cum Gratiano & Valentiniano juniore diviſione cedit Oriens & Thracia. 379. IV. Annum aperit ob initum anno præcedenti Imperium. 380. I. Barbaros, Gothos videlicet, Hunnos & Alanos profligat; ejuſque victoriæ annus ſtabilitur. 380. II. Conſtantinopolim venit, & qua die. 380. VII. Orthodoxis civitatis illius Eccleſias ab Arianis per annos quadraginta occupatas reſtituit. *ibid.* Legem *de Hæreticis*, nonniſi poſt celebratam Œcumenicam Conſtantinopolitanam Synodum, emittit. 381. IX. Eodemque ferè tempore contra Apoſtatas, & è Chriſtianis ad Gentilium ritus tranſeuntes inſurgit. *ibid.* Quinquennalia Imperii exhibet. 383. I. Eodemque anno, pro conciliandis Catholicis & Hæreticis, Collationem Fidei Conſtantinopoli, ſed in vanum, cogit. 383. IX. Hinc ſeverioribus Edictis ad Hæreticos profligandos animum intendit, eos urbibus arcet, Epiſcopos & Clericos conſtituendi & habendi, cœtus item habendi facultate privat. *ibid.* Grothingos vincit; attamen propter eam victoriam nullum ducit triumphum. 386. V. Secundum in Oriente aſſumit Conſulatum. 388. I. Decennalia anno uno dilata celebrat. 389. I. Et devicto Maximo Romæ triumphat. 389. VI. Quo anno Theſſalonicenſes cædi juſſerit, inſinuatur. 390. II. Templum Dei poſt hanc cædem ingredi à Divo Ambroſio non permittitur, niſi priùs ſcripta Lege *Quæ furoris ſententias irritas redderet atque inanes*, &c. 390. IV. Diverſam hanc eſſe à Lege tertia Cod. Theod. *De pœnis.* in qua idem ſtatutum eſt, oſtenditur. *ibid.* VI. VII. & VIII. Argumenta in contrarium adducta ſolvuntur. 390. V. Legem *De Monachis* ſtatuit; ſed ea non Jovianiſtarum occaſione, neque pro Monachis ad ſolitudines redeundi ſub pœna cogendis lata. 390. X. Occidente relicto, Conſtantinopolim redit. 391. IV. Omnem omnino Gentilium cultum Edicto vetat. 392. VIII. Simulque eorundem ritus decem prohibet. 392. IX. Hi ritus enumerantur. *ibid.* Tertiùm Conſul procedit, & Quindecennalia edit. 393. I. Eorumque occaſione beneficus in Conſtantinopolitanos. 393. VI. Conſtantinopoli, ubi filios reliquerat, contra Eugenium Tyrannum movet. 394. II. A SS. Joanne Evangeliſta & Philippo Apoſtolo ipſi apparentibus, ad prælium redintegrandum adverſus eumdem Tyrannum excitatur. 394. II. At hæc apparitio non rectè ex Numiſmate à Baronio allato probata. *ibid.* Eunomianis teſtabilitatem, ſeu teſtamenti factionem, Lege reſtituit. 394. V. Sanctimonialium item habitum à Mimarum veſte diſtinguit. *ibid.* Honorium filium tantùm Conſtantinopoli Mediolanum evocat, eique regendum Occidentem committit. 395. V. Romam, devicto Eugenio, non veniſſe Theodoſium, demonſtratur. 395. VII.

Theodotio, Marcionis ſectator, Opus ſuum ſub Commodo publicat. 181. IV.

Theodotus, Laodicenſis Epiſcopus, inter Arianorum Duces connumerandus. 318. XIV.

Unde natus error Martyrologorum, qui illius meminere. *ibid.*

Theognius, ſive Theonas, Nicææ Epiſcopus, neque Fidei Formulæ à Concilio Nicæno ſtabilitæ, neque Arii condemnationi ſubſcribit. 325. XIX. In exilium mittitur. 325. XXII. Quo in loco libellum ſatiſfactionis offert, ſed non Concilio Nicæno. 321. XX. Ab Epiſcopatu deponitur; at in Concilio particulari à Conſtantino coacto, non verò à Nicæno. 325. XXI. & XXII. Ab exilio revocatur. 325. XXV. & 327. V. Fidei Formulæ Concilii & Arii damnationi poſt exilii ærumnas ſubſcribit. 325. XIX. Reverſus Catholicos Epiſcopos vexat; ſed Alexandrum Alexandrinum Epiſcopum cum Euſebio & reliquis ſociis depoſuiſſe, falſum. 325. XXV. & 327. V.

Theonas, Epiſcopus Alexandrinus, quo anno vitâ functus. 300. II.

Theophilus Timotheo in Alexandrino Epiſcopatu ſuccedit. 385. V. Origeniſtas damnat. 400. V. Monachos illius ſectæ è monaſteriis expellit. 400. VII.

Therapeutæ Chriſtiani non erant. 62. II. Sed Judæi. 62. III. Diſtincti ab Eſſenis. *ibid.* Illorum habitatio & Metropolis. *ibid.*

Thermæ Diocletiani Romæ, & Maximiani Carthagine, quibus annis conſtructæ & dedicatæ. 298. III.

Theſſalonica in Illyrico ſita, totiuſque regionis Metropolis. 380. III.

Theſſalonicenſium cædes juſſu Theodoſii Magni, & Rufino Officiorum magiſterium exercente patrata, ſuo anno in Annalibus convenienter recitata. 390. II.

Tiberiani Epiſtola ad Trajanum de ceſſatione perſecutionis in Chriſtianos, parum ſincera. 116. II.

Tiberianus *C. Junius* Faſtis dat nomen. 281. I. Iterum Conſul procedit. 291. I.

Tiberis inundatio ſub Antonino Pio Nummis confirmata. 140. VI. Malè à quibuſdam extra annum ſuum memorata. *ibid.*

Tiberius *Claudius Nero* init Conſulatum. *App.* CXV. Mortuo Agrippa, ad rerum ſummam adminiſtrandam ab Auguſto aſſumitur. *App.* CXVI. Agrippinam uxorem dimittit, Juliamque Agrippæ viduam, Auguſti juſſu accipit. *ibid.* Conſul ſecundùm procedit. *App.* CXX. Rhodum, iram Caii & Lucii veritus, ſe confert, & quo anno. *App.* CXXI. Rhodo Romam redit. 2. II. Ab Auguſto adoptatur, & accipit Tribunitiam Poteſtatem. 4. III. Germanos vincit. 5. I. Dicitur Imperii Collega. 11. II. & X. Cenſor & Augur creatur. 11. III. VII. & *ſeqq.* Quinquennalia & Decennalia in morem inducit. 14. VI. Et ut Imperatores in Quinquennalibus & id genus ſolenniis Conſulatum ſumerent. *ibid.* Quinquennalia Imperii Proconſularis edit. 16. II. Conſul tertiùm. 18. I. Imperii Cæſarei Quindecennalia exhibet. 18. II. Auguſtei Quinquennalia. 19. II. Conſul quartùm Proconſularis Imperii Decennalia edit. 21. I. & II. Cæſarei Vicennalia. 22. II. Auguſtei Decennalia. 24. II. Proconſularis Quindecennalia. 25. II. Cæſarei quinta Quinquennalia. 26. II.

Auguſtei Quindecennalia celebrat. 19. II. Hujus Imperatoris annus decimus quintus à Luca memoratus, à qua epocha deducendus ſit, examinatur. 19. V. Imperii Cæſarei Tricennalia edit. 30 II. Conſul quintum, Imperii Proconſularis Vicennalia exhibet. 31. I. & II. Imperii Auguſtei dat Vicennalia. 31. II. Proconſularis quinta Quinquennalia. 35. II. Cæſarei ſeptima Quinquennalia. 36. II. Moritur. 37. II.

Tiberius *Claudius* Cenſor, Viennæ Procurator & Proquæſtor, diverſus à Tiberio Aug. 11. XIII.

Tiberius Alexander, Ægypti Præfectus, primus in verba Veſpaſiani legiones adigit. 69. IV.

Timæi, Epiſcopi Alexandrini, obitualis annus aſſignatur. 283. V.

Timaſius, pedeſtribus copiis à Theodoſio contra Maximum Tyrannum præpoſitus, Conſul in Oriente procedit. 389. I. In exilium propter nimium faſtum pellitur. 395. IX. Annus & locus exilii annotantur. *ibid.*

S. Timothei corpus quandonam Conſtantinopolim tranſlatum. 356. XIII.

Timotheus, Alexandrinus Epiſcopus, Sancti Apollos aliorumque Monachorum, qui in Ægypto floruere, Vitam ſcribit. 385. V. Hujus Præſulis obitus rectè in Annalibus conſignatus. *ibid.*

Titianus *T. Fabius* Faſtis dat nomen. 245. I.

Titianus ſecundo Conſulatûs magiſtratu fungitur. 301. I.

Titianus *Ti. Fabius* Conſulatu ordinario illuſtratur. 337. I.

Titius poſt Agrippam Syriam adminiſtrat. *App.* CXV.

Titus, Veſpaſiani filius, annum aperit. 70. I. Capit Hieroſolymam. 70. II. Quo die adverſus eam caſtra poſuerit, ſtabilitur. *ibid.* Romam redit, & quo tempore. *ibid.* Imperio Proconſulari exornatur. 71. IV. Imperii Collega renuntiatur. 71. III. Ubi, & quo die talis nuncupatus. 71. V. Hujus Imperatoris triumphus propter captam Judæam, Nummis repræſentatus. 71. VI. Janum cum patre Veſpaſiano claudit. 71. VII. Conſul iterum procedit, ob Imperium ſcilicet Proconſulare, quo anno præcedenti donatus fuerat. 72. I. Tertium aſſumit Conſulatum, Collegâ Veſpaſiano. 74. I. Quinquennalia Imperii Cæſarei exhibet. 74. II. Quartùm Conſul creatur. 75. I. Quintum init Conſulatum, & Imperii Proconſularis dat Quinquennalia. 76. I. & II. Sextò idem, non Domitianus, Faſtis dat nomem. 77. I. Imperii Cæſarei celebrat Decennalia. 78. II. Septimò Conſulatûs magiſtratum ſuſcipit. 79. I. Veſpaſiano patri in Imperio ſuccedit. 79. II. Annum octavò aperit, ob initum nempe Auguſteum Imperium, & Proconſularis Imperii edit Decennalia. 80. I. & II. Moritur. 81. II. Quanto tempore vixerit, atque vel ſolus, vel cum patre imperarit, indicatur. *ibid.* & III.

Toga virilis Auguſtorum filiis non priùs concedi ſolita, quàm decimum quintum ætatis annum attingant. 175. IV. Neque hic annorum numerus completus neceſſariò requiritur. *ibid.*

Toletanum Concilium primum anno tantùm Chriſti CCCC celebratur. 400 IV.

Torquatus *Bellicius* ordinario Conſulatu illuſtris. 124 I.

Torquatus *C. Bellicius* Faſtis dat nomen. 143. I. Iterum Faſcibus decoratur. 148. I.

Toſtatus novam opinionem de Chriſti morte & Paſſione inducit. 32. VIII & IX. De Religione ſuſpectus, Apologiam pro ſe ſcribit. 32. VIII.

Trachalus *M. Galerius* Conſul procedit. 68. I.

Trajanus. *Vide* M. Ulpius Trajanus

Tranſlatio Sanctorum *Depoſitionis* nomine ſæpe ab Antiquis expreſſa; hincque multis errandi occaſio nata. 67. IV Facta ſæpe ſæpius iiſdem diebus, qui Natales erant Sanctorum. *ibid.* Facta etiam multoties eo die, quo ſepulturæ mandari. 231. II

Tranſſubſtantiatio & realis Chriſti præſentia in Euchariſtia ex Arcani diſciplina antiquitus occultatæ 32. II.

Trevirenſis civitas Galliarum Metropolis. 332. VI Civilis attamen, non Eccleſiaſtica. 331. V. Præfecturâ Prætorianâ cohoneſtata. *ibid.*

Tribigildus in Phrygia, inſtigante Gaina, motus excitat, & quando. 398. XVI.

Tributum annuum à Judæis Occidentalibus pro Templo Hieroſolymitano erogatum, colligi vetatur. 399. IX. Paulò poſt permittitur. *ibid.*

Trinitatis myſterium ab Eccleſia Judæis olim & Catechumenis occultatum; ſi et Apoſtoli illud coram Judæis non reticuerint. 118. VIII.

Triumphi, ſi per ſuſceptum Conſulatum non exhibiti, in Quinquennalibus, vel hujuſmodi ſolenniis agi ſoliti. 201. IV. & 312. VII.

Triumviratus inſtituitur. *App.* LXXIII.

Trophimus, primus Arelatenſium Epiſcopus, non mittitur in Gallias imperante Decio. 254. IV. Hujus Sancti Epiſcopi Arelatem miſſionis antiquitas ſtabilitur. 400. XXIII.

Tryphon Syriæ invaſor, à ſubditis odio habitus. *App.* XXXI. E regno deturbatus; interficitur. *App.* XXXIII.

Tubero *Q. Ælius* Conſulatu ordinario decoratur. *App.* CXVI.

Tullus *L. Volcatius* Conſulatûs magiſtratum gerit. *App.* CXIV.

Tullus *C. Calviſius* ſecundùm init Conſulatum. 109. I.

Turpilianus *P. Petronius* Conſul ordinarius procedit. 61. I.

Tuſcus, non Fuſcus, *M. Aurelius Memmius* Faſtis dat nomen. 258. I.

Tuſcus *Nummius* annum aperit. 295. I.

Tyanenſis Synodi epocha ad quem annum revocanda. 365. VI. Ad hoc Concilium perperam directa creditur LXXX Sancti Baſilii epiſtola, ad Curiam Tyanenſem ſcripta. *ibid.*

Tyrii Regni initium conſignatur. *App.* XVII.

Tyriorum epocha, à quo anno deducta ſit; oſtenditur. *App.* XXXIX.

V

VALENS *C. Fulvius* Conſul procedit. 96. I.

Valens Proconſul Achaiæ, vivente adhuc Gallieno Aug. Imperium arripit. 259. IX. Paulò pòſt a militibus interimitur. *ibid.*

Valens Aug. cingulum militare potiùs deponit, quam Chriſtianam Fidem ejuret. 362. III. A Valentiniano Imperatore in Imperii conſortium aſſumitur, & qua die. 364. III. In Oriente annum aperit. 365. I. Quo anno in Maximum & Priſcum Philoſophos ſævierit, indicatur. 364. VII. Adverſus Mathematicos & Clericos Curiales Leges ſtatuit. 365. XVII. & XVIII. Ad quem annum hæ ſint referendæ, oſtenditur. *ibid.* Adverſus Gothos bellum ſuſcipit, & quo anno. 366. III. Certamen initurus, baptizatur. 366. IV. Eodemque tempore perſecutionem in Orthodoxos movet. *ibid.* & 370. III. Faſtis iterum dat nomen, & Imperii Quinquennalia Marcionopoli exhibet. 368. I. Cum Athanarico Gothorum Rege pacem ſancit. 369. XIII. Conſul tertiùm procedit. 370. I. De inſidiis vitæ ſuæ ſtructis ultionem habet, & quando. 370. XXIII. Orientalem profectionem inſtituit. 370. IX. Quòve per eam tetenderit, & quò redierit, indicatur. 370. XIV. & XIX. Antiochiam tamen anno ſolùm CCCLXXII perveniſſe, demonſtratur. 371. III. & II. & 372. II. & III. Quartum init Conſulatum, & Decennalia exhibet. 373. I. Legem adverſus Curiales Monachiſmum profeſſos emittit; & quo tempore. 375. X. Adverſus etiam Monachos aliam ſtatuit, quâ militare jubentur. 375. XI. Tempus quo hæc data ſit, indicatur. 375. XII. Diverſam eſſe à Lege contra Curiales, oſtenditur. *ibid.* Quid per vocem *militare* in ea contentam ſit intelligendum, aperitur. 375. XI. Magis eadem elucidatur. 375. XIII. Quintum in Oriente Conſulatum gerit. 376. I. Valentem anno CCCLXXVII conſtitiſſe Conſtantinopoli, ex Legibus Cod. Theod. duabus, quæ ibidem datæ dicuntur, perperam colligit Gothofredus. 377. II. Sextùm in Oriente Conſul, Quindecennalia celebrat. 378. I. Cum Gothis non longè ab Adrianopoli infeliciter pugnat, & interit. 378. V.

Valentina Synodus celebratur. 374. IV. In ea ſtatuitur, ut quiſquis de ſe vera, vel falſa dixerit, fides ei habeatur. *ibid.* Hujus canonis edendi anſam non præbet *Acceptus* Epiſcopus Forojulienſis, ſed aliorum Sacerdotum humilitas. *ibid.*

Valentinianus Chriſtianam Fidem ejurare nolens, à Juliano exul amandatur. 362. III. Nicææ ſexto Kalendas Martii à militibus Imperator acclamatur. 364. III. In Occidente Faſtis dat nomen. 365. I. Virgines, Viduas & Pupillos à capitatione reddit immunes. 365. XVI. Annum denuo aperit. 368. I. Privilegia Clericis per Africam Proconſularem degentibus confirmat. 368. II. Mulctas Eccleſiaſticis inflictas in Pauperes erogari præcipit. 369. X. Conſulatum tertium ſuſcipit, & Quinquennalia dilata celebrat. 370. I. Manichæis Magiæ uſum Lege prohibet. 372. XII. Quartum Conſul procedit, ut Valentis ſit Collega. 373. I. Imperii Decennalia celebrat. 374. II. Moritur. 375. II. Vitæ & Imperii ejus tempus annotatur. *ibid.* Numiſma Placidii Valentiniani Valentiniano ſeniori malè adſcribi, demonſtratur, ſimulque hujus erroris cauſa detegitur. 375. III.

Valentinianus junior, ſenioris Valentiniani ex Juſtina ſecunda uxore filius, patri in Imperio adhuc quadrimus ſuccedit. 375. IV. Provinciæ, quæ ei poſt patris exitum ceſſere, indicantur. 375. XIV. Annum in Occidente aperit, ob initam priùs Auguſteam dignitatem. 376. I. Faſtis iterum in Occidente dat nomen. 378. I. Quinquennalia celebrat. 379. I. Legem tertiam Cod. Theod. *De Apoſtatis* emittit. 381. III. Conſulatum tertium in Occidente ſuſcipit, pro celebrandis videlicet Imperii Quindecennalibus. 387. II. Quartum Conſul in Occidente procedit, & Vicennalia exhibet. 390. I. Legem 5. *De Apoſtatis* Valentinianus, non Valens, emittit. 391. II. Legem etiam 20. *De Hæreticis* ſtatuit, quâ Manichæos præſertim ad centeſimum ab Urbe lapidem pellit; & hæc nullo modo ad Eccleſiam Orientalem referenda. *ibid.* A Gentilibus vetera ſacra impetrare tentantibus Legationem accipit. 392. II. Hominem exuit. 392. III. Dies & annus mortis, vitæque & Imperii duratio aſſignantur. *ibid.* Circa Imperii tempus ſingularia quædam referuntur. 392. IV. Sed confutantur. *ibid.* V.

Valentinianus junior, qui & *Galates* dictus, Valentis Aug. ex Dominica uxore filius, naſcitur. 366. VI. Perperam cum Valentiniano juniore, ſenioris filio, confunditur. *ibid.* In Oriente Faſtis dat nomen ob adeptum *Nobiliſſimi Pueri* titulum. 369. I. In illius locum malè Julius Felix Valentinianus, vir privatus, ſufficitur. *ibid.*

Valentinus Hæreſiarcha, quandonam Romam venerit, quandiuque ibidem permanſerit. 143. III. Error Baronii circa Auctores, qui contra hunc Hæreſiarcham ſcripſerunt, detegitur. 143. IV.

Valeria, Diocletiani filia, & Galerii Maximiani uxor, Chriſtiana, ſacrificio pollui jubetur. 302. VII.

Valerianus ſenior, ex Senatuſconſulto & Decii Imperatoris decreto Præturam obtinet. 251. IX. Ab exercitu Imperator, moxque Auguſtus ſalutatur. 253. IX. Ejus Imperii initium ſtatuitur, & quibuſcumque contra ipſum objectis ſatisfit. 253. XI. XII. & XIII. Pacem Eccleſiæ reddit, nec eam vexare incipit, niſi in Quinquennalibus. 253. XIV. & 254. III. Secundum gerit Conſulatum, ad quem antea à Gallo & Voluſiano Augg. deſignatus fuerat. 254. I. Tertiùm Conſul procedit. 255. I. Annum denuo aperit. 257. I. Quinquennalia celebrat. 257. II. Eodemque tempore Chriſtianos vexat. *ibid.* Antiochiam a Scythis vaſtatam non alio, quo hoc anno, venit. 258. X. A Perſis capitur. 259. VI. Captivitatis ejus initium in magna controverſia poſitum apud Auctores, ſtabilitur. 259. VII. & 261. II. Servitutis ejus durities,

mortiſque genus indicantur. 259. VII. Quanto tempore captivus vixerit, annotatur. 264. II. Genealogia illius ad Chronologiam reſtituendam apprime neceſſaria expenditur. 259. III. Quot annis ante ſervitutem imperaverit, demonſtratur. 259. VII.

Valerianus, Valeriani Aug. filius, Gallieni item Auguſti frater, poſt patris captivitatem Cæſar, dein. Imperator nominatur. 259. III. 260. III. 261. I. & 265. I. Conſulatus, quem cum Gallieno juniore geſſit, ſuffectus fuit, minúſque rectè inter ordinarios numeratus. 259. V. Malè etiam Conſul ordinarius proponitur cum Gallieno Aug. IV Conſule. 261. I. Faſtis dat nomen. 265. I. Hic à Valeriano Gallieni filio, ſive Gallieno juniore diverſus ſtatuitur. *ibid.* & 255. XVI. Quo anno Cæſar & Auguſtus fuerit creatus, oſtenditur. 266. I. Occiditur; at à quo, incertum. 268. II.

Valerius *Aſiaticus* ſecundo Conſulatu fungitur. 46. I.

Valerius Diocletianus. *Vide* Diocletianus.

Valerius Valens tyrannidem arripit. 306. XV. A Licinio morte mulctatur. *ibid.* Alius à Valente; qui abducto in Perſidem Valeriano, in Macedonia brevi imperitavit. *ibid.*

Variana clades Romanis luctuoſa, quo anno & loco acciderit. 10. II.

Varius Macrinus Alexandri Aug. affinis & Legatus, feliciter in Illyrico pugnat. 229. VIII.

Varro *L. Viſellius* Conſulatu decoratur. 24. I.

Varro, non Varus, Meſſallæ in Syriæ Præfectura ſuccedit. *App.* CXI. Unde natus ſit error contrarius, indicatur. *ibid.* Eodemmet tempore, quo Agrippa Orientem gubernat, Varro Syriæ Præfecturâ fungitur. CXIII.

Varronianus, Joviani Auguſti filius, *Nobiliſſimus Puer* dicitur; quam ob cauſam Faſtis dat nomen. 364. I.

Varus *P. Quinctilius* Conſulatûs magiſtratum gerit. *App.* CXV.

Varus *C. Vibius* Conſul ordinarius creatur. 134. I.

Vaſenſe Concilium primum, per pſalmodiam cantari jubet *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.* 325. XXXVIII.

Vaſenſe Concilium ſecundum, quod perperam tertium dicitur, ſtatuit, ut poſt *Gloria Patri*, &c. addatur, *Sicut erat in principio*, &c. adverſus eos qui Dei filium à tempore cœpiſſe blaſphemant. 325. XXXVIII.

Venerius, Mediolanenſis Epiſcopus, Sancto Simpliciano anno CCCC I ſufficitur. 400. II.

Ventidius Parthos vincit. *App.* LXXXIII. Hæc victoria, quo anno reportata; illiuſque nuntius, qua anni tempeſtate ad Antonium fuerit delatus, ſtabilitur. *ibid.* In Antigonum Judæorum Regem movet. *App.* LXXXVI. Syriæ Præfecturâ dejicitur. *ibid.*

Venuſtus annum aperit. 240. I.

Verianus *C. Valerius Omullus* Faſtis dat nomen. 152. I.

Verus *L. Ceionius Commodus* Conſul creatur. 10. I.

Verus *C. Antiſtius* ordinario Conſulatu illuſtris. 23. I.

Verus *T. Annius Aurelius* ſecundo Conſulatu decorus. 179. I.

Verus *M. Annius*, Marci Aurelii avus, ſecundùm Conſul procedit. 121. I. Minùs rectè à quibuſdam ſine nota numerali effertur. *ibid.* Tertiò dat Faſtis nomen. 126. I.

Verus *Sex.* Marci Aurelii filius, perperam Cæſar dictus. 166. V. Septennis moritur. *ibid.* Falsò à quibuſdam *Veriſſimus* appellatus. 166. V.

Veſpaſianus *Flavius* Gadarenſium civitatem capit & vaſtat, dein Jotapatan. 67. XXIII. Totamque Galilæam ſubjicit. *ibid.* 68. V. & 69. IX. A Tiberio Alexandro Ægypti Præfecto, primùm Imperator ſalutatur. 69. IV. Imperii ejus epocha duplex. *ibid.* Mucianum Romam adverſus Vitellium mittit. 69. VIII. Conſul ſecundùm procedit. 70. I. Tertiùm. 71. I. Quartùm, non tertiùm, ut vult Baronius, Tito II Collegâ, Faſtis dat nomen. 72. I. Error Baronii circa hunc Conſulatum detegitur. *ibid.* Quintum Conſulatum aſſumit. 74. I. Luſtrum cùm filio Tito condit. 74. II. Sextò annum aperit. 75. I. Quinquennalia Imperii Auguſtei celebrat. 75. II. Septimo Conſulatu fungitur. 76. I. Annum cùm Tito, non cum Domitiano, octavò aperit. 77. I. Nonum Conſulatum init. 79. I. E vivis excedit. 79. II. Imperii ejus duratio exhibetur. *ibid.*

Veſtalium Virginum ſtatus ſub Valentiniani & Valentis Imperio qualis fuerit, deſcribitur. 368. IV.

Veter *C. Antiſtius* annum aperit. 50. I.

Vetranio Sirmii Auguſtus acclamatur. 350. II. Hujus nuncupationis dies & annus aſſignantur. *ibid.* Decimo pòſt menſe Imperio deponitur. *ibid.* 351. II. & 352. IV.

Vetus *C. Antiſtius* Faſtis dat nomen. *App.* CXXI.

Vetus *L. Antiſtius* ordinario Conſulatu decorus. 55. I.

Vetus *C. Antiſtius* Conſulatûs magiſtratum init. 96. I.

Vetus *L. Antiſtius* Faſcibus illuſtratur. 116. I.

Vetus Conſul procedit. 150. I.

Vibius Marſus poſt Petronium Syriæ præeſt. 42. VIII. Ab ea removetur à Claudio Auguſto; poſt mortem Agrippæ ſenioris. *ibid.*

C. Vibius Trebonianus Gallus. *Vide* Gallus.

C. Vibius Voluſianus. *Vide* Voluſianus.

Vibullius *P. Cælius Balbinus* Conſulatu inſignis. 137. I.

Vicarii Romanorum Pontificum nulli per tria priora Eccleſiæ ſecula, ſi Linum, & fortè Cletum & Clementem excipias. 67. XVII.

Vicarius olim idem quod ſucceſſor. 67. XVII.

Vicennalia Imperii, quandonam hoc nomen primùm obtinuerint. 159. II.

Viclefus inter Hæreticos Epiſtolas Decretales Pontificum primus impugnat. 100. V.

Vicinius *P.* annum aperit. 2. I. Malè *Nepos* dictus. *ibid.*

Victor poſt Eleutherum ſedet. 185. III. & 193. IV. Annos Paſcha decimâ quartâ Lunâ celebrandum contendentes communione privat. 19.. II. Statimque ad preces Irenæi eoſdem in communionem recipit. *ibid.* Hujus Pontificis epiſtola ad Deſiderium Viennenſem Epiſcopum, aliaque ad Paracodam etiam Epiſcopum, ſuſpectæ habentur. 196. III. Moritur. 197. V. & 201. V. Quot annos ſederit, ſtatuitur. 201. V. Quoad menſes verò & diès nihil certum. *ibid.* Decretales ejus duæ, ſuſpectæ. 201. VI.

Victor, ſub Valente militum Magiſter, Conſul in Oriente procedit. 369. I. Alius eſt ab Aurelio Victore celebri Hiſtorico. *ibid.*

Victor, Maximi Tyranni filius, à patre Cæſar, dein Auguſtus renuntiatur. 383. VII.

Victoriæ ab Imperatoribus annis præcedentibus relatæ in Quinquennalibus & id genus feſtis ſubſequentibus ſæpius memoratæ. 80. II.

Victorinus ſecundum gerit Conſulatum. 183. I.

Victorinus, quo anno in Imperii conſortium à Poſtumo fuerit vocatus, oſtenditur. 261. IV. Agrippinæ poſt Imperii biennium necatur. 271. XI.

Victorinus *Pomponius* Faſtis dat nomen. 282. I.

Victorinus, Epiſcopus, non Pictavienſis, ſed Petavienſis, ſeu Pitabonienſis in Pannonia ſuperiori, quo tempore floruerit, quóve anno Martyr occubuerit, deſignatur. 303. IX.

Victorinus Aquitanus Periodum DXXXII annorum inchoat. 28. II. Hæc in tota ferè Gallia communiùs & diutius admiſſa. *ibid.*

Vigilius, Epiſcopus Tapſenſis, Fidei Symboli vulgò Athanaſio attributi Auctor demonſtratur. 340. VIII. Liber contra Eutychetem exaratus non Vigilio Tridentino, ſed huic attribuendus. 400. III.

Vigilius, Tridentinus Epiſcopus & Martyr, de Martyrum Anaunenſium Paſſione ad Sanctum Simplicianum Mediolanenſem Epiſcopum ſcribit. 400. II. Diverſus à Vigilio Tapſenſi. 400. III.

Vincentius Preſbyter Nicænæ Synodo pro Silveſtro Romano Pontifice cum Hoſio & Vito præeſt. 325. VIII.

Vindex, Proprætor in Galliis, contra Neronem rebellans, Galbæ Imperium offert. 68. II.

Vinicius *M.* Conſul. 30. I. Conſulque iterum. 45. I.

Viſpillo *Q. Lucretius* Conſul ordinarius procedit. *App.* CXIV.

Vitæ Anagogicæ nomen nec Apoſtolis, nec quibuſvis Scriptoribus ſolennis. 56. III.

Vitellius *L.* annum aperit. 34. I. Malè *Nepos* appellatus. *ibid.* Conſul ſecundùm cum Claudio Aug. procedit. 43. I.

Vitellius Aug. poſt Neronem arripit Imperium. 69. III. Germaniam ingreditur, ubi exercitus imagines Galbæ diſrumpens Vitellium Imperatorem conſalutat. *ibid.* Interit. 69. V. Dies ejus natalis & emortualis, ipſiuſque Imperii tempus aſſignantur. *ibid.*

Vitus Preſbyter cum Hoſio Epiſcopo Cordubenſi & Vincentio Preſbytero Nicæno Concilio pro Silveſtro Papa præſidet. 325. VIII.

M. Ulpius Trajanus annum aperit. 91. I. A Nerva adoptatur, Cæſar & Imperii Collega dicitur, Imperioque Proconſulari exornatur. 97. II. Imperator quidem, Nervà vivente, ſed non Auguſtus appellatus. 97. VII. Secundum Conſul procedit. 98. I. Conſulatum tertium ſibi oblatum bis recuſat. 98. III. & 99. II. Rationes, quibus ad recuſandum motus fuerit, adducuntur. *ibid.* Dictus Imperator tam ob victorias, quàm ob Proconſulare Imperium ſibi delatum. 98. IV. Comitiis Romæ habitis, in quibus tertiùs ei Conſulatùs decretus, interfuit. 99. II. Hunc tertiùm Conſulatum ſibi oblatum precibus victus ſuſcipit. 100. I. Quartùm Conſul creatur. 101. I. Quinquennalia Imperii Proconſularis celebrat. 101. II. Horum occaſione renovata memoria beneficii à Trajano in Ægyptios collati. *ibid.* Duas in Dacos expeditiones Trajanus ſuſcipit. 101. VI. In cauſa Chriſtianorum reſcribit. 102. II. Faſtis quintò dat nomen. 103. I. Iſte Trajani Conſulatus à multis perperam anno CIV geſtus creditur. 103. II. Anno CIII inıtum fuiſſe, probatur. 103. III. Quinquennalia Imperii Auguſtei celebrat. 103. II. De Dacis, Romam redux, triumphat. 103. VI. *Dacicus* tamen appellatur, antequam de illis triumphum agat. 103. VII. Nomen *Optimi* ipſi à primis Imperii annis conceſſum Senatus confirmat. *ibid.* Pontem lapideum ſuper Iſtrum conſtruit, ut Dacos ſecundò comprimat. 103. VIII. Iterùm de Dacis triumphat. 104. II. & 108. II. Simulque Auguſtei Imperii Decennalia exhibet. 108. II. *Parthicus* nuncupatur, ſed nonniſi poſt ſuum ſextum Conſulatum. 105. II. Nec niſi ſub idem tempus in Parthos movet. 105. III. Geſta in Oriente ab hoc Imperatore narrantur. 105. IV. Per Palmam Syriæ Præfectum Arabes vincit. 105. V. Varias ejus de variis populis victorias uno eodemque tempore aliquos minùs rectè conſignare, demonſtratur. 106. II. Decennalia Imperii Proconſularis anno uno dilata celebrat, eorumque occaſione perſecutio in Chriſtianos aucta. 107. II. & 112. IV. Conſul ſextùm procedit. 112. I. Et Quindecennalia Imperii Proconſularis celebrat. 112. II. A Lyttiis *Orbis Conditorem* dictum oſtendit Inſcriptio Gruteriana. 113. I. Gruteri tamen error circa eam detegitur. *ibid.* Quo anno bellum Trajanus in Oriente inchoarit. 113. II. Imperii Proconſularis edit Vicennalia. 116. I. Quæ in Oriente hoc anno egerit, aperitur. 116. VI. Vicennalia Auguſtei Imperii celebrat. 117. II. Acta paulò ante mortem in medium afferuntur. 117. III. Hadrianum adoptat. 117. IV. Moritur. 117. VI. Selinunte defunctum, probant Numiſmata. 117. III. Quanto tempore vixerit, regnaritque, quáve die è vivis exceſſerit, oſtenditur. 117. VI.

Ulpius Crinitus, Dux Thracii Limitis & Illyriciani, Conſul ſuffectus à Valeriano

Aug. in annum Chriſti CC LIX deligitur. 255. IX.
Unctionis extremæ uſus antiquus ab hodierno diverſus, ſi quaſdam Eccleſias excipias. 61. II. Ante Viaticum olim dari ſolita. *ibid.* Mos tamen ille mutatus; quo tempore, & qua de cauſa. 61. III. Quandonam *Extrema* dici cœperit, indicatur. 61. IV.
Volumnius Syriæ non præeſt, cùm Sentius Saturninus eam adminiſtrat; ſed ejus tantùm Provinciæ eſt Procurator. *App.* CXVII.
Voluſianus, Galli Aug. filius, Cæſar creatur; & Tribunitia Poteſtate exornatur. 251. XXXI. Quo anno eâ inſignitus fuerit, aperitur. *ibid.* Faſtis dat nomen, dum adhuc eſt Cæſar. 252. I. Conſul ſecundùm non procedit eodem anno, quo Gallus ſecundum init Conſulatum. *ibid.* & 253. I. Auguſtus dicitur. 252. I. & 253. I. Annum de novo aperit. 253. I. A ſuis militibus cum patre interimitur. 253. X. Quartum Imperii annum non attigiſſe, demonſtratur. 253. XI. & XII.
Voluſianus *Petronius* Faſtis dat nomen. 161. I. In hujus locum malè intruſus Valerianus Cæſar, Valeriani filius. *ibid.*
Voluſianus *Rufius* ſub Maxentio Conſul. 311. I. Conſul iterum. 314. I.
Voluſius *Q.* annum aperit. 56. I.
Voluſius *L. Valerius Meſſalla* Conſul procedit. 5. I.
Vopiſcus *P. Manilius* ordinario Conſulatu illuſtratur. 114. I.
Vota Decennalia nunquam ab Imperatoribus omiſſa. 192. III. Initio Imperii à Pertinace primùm, & deinceps à ſucceſſoribus uſque ad tempora Conſtantini Magni nuncupata. 193. III.
Vota triplicis generis, quæ à Romanis pro Imperatorum ſalute celebrari erant ſolita, explicantur. 314. I.
Votorum origo unde deſumenda. 14. IV.
Uraranes ſuccedit Ormiſdæ in Regno Perſico; & tres annos imperat. 271. X.
Uraranes II Uraranem patrem in Perſarum Regno ſequitur. 271. X. Annos XVII non regnaſſe, ex pace à Probo Aug. cum illius ſucceſſore Narſeo inita colligitur. 280. VIII.
Urbanus *C. Cælius* Conſulatûs magiſtratum init. 234. I.
Urbanus Pontifex poſt Calliſtum Romæ ſedet. 222. IV. Mortalitatem explet. 231. II. Quanto tempore ſederit, & poſt ejus obitum Sedes vacaverit, indicatur. *ibid.* A Calliſto in Vicarium minime aſſumtus. *ibid.*
Urſacius & Valens à Concilio Sardicenſi damnati, ſecundæ Mediolanenſi Synodo porrecto libello, in Eccleſiæ communionem recepti. 347. VIII. & IX. Julium Papam in Concilio Romano adeunt. 349. VIII. A quo iterum in eodem Concilio, non verò in Sirmienſi, communionis gratiam poſt biennium à prima pace ipſis conceſſa, accipiunt. 347. VIII. & IX. & 349. VII. & VIII. Hoc tamen pacto, ut ſe falsò Athanaſium accuſaſſe, & in poſterum ejuſdem communionem amplecti velle profiteantur. 347. X. Quod & præſtant. 347. XI.
Urſinus, Monachus Afer, ſub Theodoſio juniore clarus, Tractatum edit adverſus eos qui Hæreticos rebaptizare decernunt. 258. VII.
Urſulæ & ſociarum martyrium, quo circiter tempore, & ubi contigerit, ſtatuitur. 383. III. Multa in eatum Actis mendoſa annotantur. *ibid.*
Urſus annum aperit. 338. I.

X

XENOPHILUS *M. Aurelius* Faſtis dat nomen. 333. I.

Z

ZEBENNUS, Antiochenus Epiſcopus, quo anno ſedere cœperit. 228. II.
Zenobia, Odenati Palmyrenorum Regis uxor, extincto marito, ſuſcipit Imperium. 267. I. & 274. IV. Ægyptum aggreditur. 269. VI. Ab Aureliano Auguſto fugatur; dein, obſeſſâ & expugnatâ Palmyrâ, in hujus poteſtatem venit. 272. II. & 274. IV. Annus hujus victoriæ indicatur. *ibid.* Quot annis regnaverit Zenobia, ex Numiſmatis colligitur. *ibid.*
Zephyrinus poſt Victorem Eccleſiam Romanam adminiſtrat. 197. V. & 219. II. Quandiu Pontificatum obtinuerit, & poſt ejus exitum Sedes vacaverit, indicatur. 219. II. Vicariatus ejus commentitius. *ibid.* Suppoſititiæ etiam duæ, quæ ſub illius nomine circumferuntur, epiſtolæ. *ibid.*

FINIS.

PARISIIS, Excudebat GABRIEL MARTINUS anno M. DC. LXXXVIII.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS, par la Grace de Dieu, Roy de France et de Navarre: A Nos amez & feaux Conſeillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hôſtel, Grand Conſeil, Baillifs, Seneſchaux, Prevoſts, leurs Lieutenans, & à tous autres nos Juſticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Noſtre bien-amé le Pere Antoine Pagi, Provincial des Cordeliers Conventuels de Provence, Nous a fait remonſtrer, qu'il a composé un Ouvrage ſous le titre de *Critica Hiſtorico-Chronologica*, dans lequel il rectifie les *Annales Eccleſiaſtiques du Cardinal Baronius, ainſi que l'Abregé & la Continuation qu'en a faite le ſieur Sponde Eveſque de Pamiers*; & qu'en ayant preſenté le Manuſcrit à la derniere Aſſemblée du Clergé de France, il a eſté gratifié d'une penſion, & a eu ordre de rendre ſon Livre public: Ce que l'Expoſant ne pouvant executer, ſans avoir auparavant nos Lettres de Privilege; il a eſté conſeillé d'avoir recours à noſtre autorité, & de Nous ſupplier humblement de luy permettre de le faire imprimer tant avec les Annales entiers de Baronius, ou l'Abregé & la Continuation du ſieur Sponde, que ſeparément de l'un & de l'autre; comme auſſi d'en faire des Extraits ou Abregez pour l'utilité de ceux qui ne peuvent acheter de gros livres; & pour cét effet de luy vouloir accorder nos Lettres ſur ce neceſſaires. A ces causes, deſirant favorablement traiter l'Expoſant, Nous luy avons permis & accordé, permettons & accordons par ces Preſentes, de faire imprimer, vendre & débiter en tous les lieux de noſtre Royaume, par tel Imprimeur ou Libraire qu'il voudra choiſir, les Livres de *Critica Hiſtorico-Chronologica*, tant avec les Annales de Baronius, ou l'Abregé & Continuation de Sponde, que ſeparément de l'un & de l'autre, & d'en faire tels Extraits ou Abregez qu'il trouvera à propos, & en tant de volumes, en telle marge & caractere, & autant de fois que bon luy ſemblera, durant le temps de *quinze années* conſecutives, à compter du jour que ledit Livre ſera achevé d'imprimer pour la premiere fois. Pendant lequel temps Nous faiſons tres-expreſſes deffenſes à tous Imprimeurs, Libraires & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre & diſtribuer leſdits Livres ſous pretexte d'augmentation, correction, changement de titre, fauſſes marques ou autrement, en quelque maniere que ce ſoit, ni meſme d'en faire des Extraits ou Abregez; & à tous Marchands étrangers d'en apporter ni diſtribuer en ce Royaume d'autres impreſſions que celles qui auront eſté faites du conſentement de l'Expoſant, à peine de ſix mille livres d'amende, payable par chacun des contrevenans, & applicable un tiers à Nous, un tiers à l'Hoſpital General de noſtre bonne Ville de Paris, & l'autre tiers à l'Expoſant, ou à ceux qui auront droit de luy; de confiſcation des Exemplaires contrefaits, & de tous dépens, dommages & intereſts. A condition qu'il ſera mis deux Exemplaires dudit Livre dans noſtre Bibliotheque publique, un en celle du Cabinet de nos Livres en noſtre Chaſteau du Louvre, & un en celle de noſtre tres-cher & feal le ſieur Boucherat, Chevalier Chancelier de France, avant que de l'expoſer en vente; & à la charge auſſi que l'impreſſion en ſera faite dans le Royaume, & non ailleurs, & que ledit Livre ſera imprimé ſur de beau & bon papier, & de belle impreſſion, & ce ſuivant ce qui eſt porté par le Reglement fait pour la Librairie & Imprimerie au mois de Juin mil ſix cens dixhuit, enregiſtré en noſtre Cour de Parlement de Paris le neufiéme Juillet enſuivant, à peine de nullité des Preſentes, leſquelles ſeront regiſtrées dans le Regiſtre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de noſtre bonne Ville de Paris. Si vous mandons & enjoignons, que du contenu en icelles vous faſſiez joüir pleinement & paiſiblement l'Expoſant, ou ceux qui auront droit de luy, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun empeſchement. Voulons auſſi qu'en mettant au commencement ou à la fin dudit Livre une copie des Preſentes ou Extrait d'icelles, elles ſoient tenuës pour bien & deuëment ſignifiées, & que foy y ſoit ajoûtée, & aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires, comme à l'Original. Commandons au premier Huiſſier ou

Sergent ſur ce requis, de faire pour l'execution d'icelles tous exploits, ſaiſies & actes neceſſaires, ſans demander autre permiſſion, nonobſtant toutes oppoſitions, clameur de Haro, Chartre Normande, & Lettres à ce contraires: CAR tel eſt noſtre plaiſir. Donné à Paris le vingt-ſeptiéme jour de Mars l'an de grace mil ſix cens quatre-vingts-ſix, & de noſtre Regne le quarante-troiſiéme.

Par le Roy en ſon Conſeil, LE PETIT.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris le 28. Mars 1686. ſuivant l'Arreſt du Parlement du 8. Avril 1653. & celuy du Conſeil Privé du Roy du 27. Fevrier 1665.

ANGOT, Syndic.

J'ai cedé le droit du preſent Privilege au ſieur Jean Boudot Libraire à Paris pour en joüir dans toute ſa forme & teneur, ſuivant les conventions faites entre nous ce jourd'huy deuxiéme May mil ſix cens quatre-vingts ſix.

Fr. ANT. PAGI.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 29. Octobre 1688.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google